Universidad de Deusto
Biblioteca

Universidad de Deusto
Biblioteca

IHS
BIBLIOTECA DE LOYOLA.
Sala 1
Estante 5
Plúteo 6

92,7

De Divinis Ecclesiae Officiis por
Melchiorem D'Littorpium

Universidad de Deusto
Biblioteca

manus meas veniſſent, meque vt cum omnibus eos communicarem, viri aliquot Reipub. Chriſtianæ ſtudioſiſſimi adhortarentur, quòd morem eis gerendum exiſtimauerim: Et cũ eiſdem hoc quoquè probaretur, vt Amalario, qui antè quique poſt ipſum idem argumentum tractauiſſent, adiungerentur, vt quem morem per varia mundi climata, diuerſis temporibus in ſuis diuinis officiis Eccleſia ſemper obſeruaſſet, quid de eiſdem ante nos pij & ſapiẽtes viri, & Eccleſiarum rectores ſemper ſenſiſſent, & docuiſſent hactenùs, vno in opere omnibus legendum exhiberetur, & quaſi in aciem contra nouatores, multi inſignes & ſtrenui Eccleſiarum duces ſimul educerentur, quòd hoc quoquè eorum pium & ſalutare conſilium approbandum mihi duxerim: Quandò ex iſta multorum ſeculorum atque inſignium virorum ſerie ac conſenſione & noſtri homines confirmari, & qui à nobis defeciſſent, noſtraque ab antiquis non multùm diſſidentia ſacra videre antiquata cuperent, à tãta temeritate abſterreri, & reuocari fortè in viam, quod optamus, poſſint. Huiuſmodi autẽ ſcriptorum veterum aliquot à viris doctiſſimis editi, ſed ſeparatim, & ſingulares libri, tum etiàm neque integri iam antè habebantur, quos dedimus operam, vt ad manuſcriptorum & antiquorum codicum fidem caſtigaremus: alii à nobis nunc primùm in lucem ex bibliothecarum ſcriniis proferuntur, ſuntque hi ſimul ſecundùm temporum ſeriem, quibus quique floruerunt, à nobis ordine collocati, & velut Catholicorum ſacrorum vindices in aciẽ producti: Iſidorus primùm Hiſpalenſis epiſcopus, vir & ſanctitate & eruditione & auctoritate clariſſimus, poſt quem Bedæ venerabilis clari item apud Anglos viri diſcipulus ALBINVS, cuius magnum fuit ingenium, magnum optimarum artium & diuinarum præciquè ſcripturarum ſtudium, & in eiſdem progreſſus tanti, vt non ſolùm Caroli Magni, ſed ſui etiàm ſeculi Magiſter ſit cognominatus. Hunc doctiſſimum Magiſtrum doctiſſimi item ſequuntur diſcipuli Amalarius, & HRabanus Maurus Archiepiſcopus vterque, & Auguſtis vterque familiaris atque chariſſimus. Poſt quos Vualafridus & Berno Abbates, Iuo & Hildebertus Epiſcopi, & Iohannes quidam, cuius liber Micrologus inſcribitur, omnes rerum Eccleſiaſticarum peritiſſimi viri, qui ſe ſeculis aliquot ſunt ſubſecuti vſque ad annum Chriſti 1380. quo Radulphus de Riuo Tungrenſis Decanus in hoc volumine vltimus floruit, collocantur. Omnibus autem præmittitur ſicut omnibus eſt antiquior ex vetuſtis codicibus exſcriptus libellus, qui ORDO ROMANVS nominatus, quemadmodùm noſtri nunc Ordinarij, modum atque formulas diuina officia peragendi priſcis vſurpatas deſcribit, in quo explicando cæteri ferè verſantur. Ex quibus per annos octingentos propemodùm quæ diuinorum officiorum apud varias nationes in Catholica Eccleſia obſeruata ratio fuerit, repeti & cognoſci poteſt. Immò verò quandò Iſidorus, qui eſt cęteris antiquior, quæ de officiorum origine ſcribit, ea ſe ex antiquiſſimorum Patrum ſententia & libris ſcribere ſignificat, idemque palàm affirmant cęteri, longius hoc tempus repetendum eſſe perſpicuum eſt: cùm non quæ ſuis temporibus primùm cœperint, ſed quæ à Maioribus ad ipſos ſint traducta, & quaſi per manus tradita, explicaturos ſe, & ex Patrum quidem ſcriptis atque ſententia profiteantur: vt hæc tantorum virorum tam multa & antiqua teſtimonia, tam multorum ſeculorum conſenſio plurimùm apud omnes, qui ſalutis ſuæ ſibi rationem habendam cenſent, auctoritatis atque ponderis obtinere debeat, eisque non acquieſcere, ſed repugnare velle, extremæ videatur eſſe impudentiæ, nè dicam inſaniæ. Porrò Albinus, vt dixi Amalarius, HRabanus in Caroli Magni ætatem inciderunt, Qui bellicoſiſſimus idem & religioſiſſimus Imperator præter alias barbaras nationes, cùm in noſtra Germania Saxonum populos diuturno bello ſubiugatos & domitos Chriſti regno addiecciſſet, non eſt exiſtimandus aliud eis Euangelium per Epiſcopos, quibus prouinciam diſtribuerat, annunciaſſe, alios ſacrorum ritus tradidiſſe, alias cæremonias præſcripſiſſe, aliaque eis diuina officia ordinaſſe, quàm quibus ipſe imbutus antè fuerat, quæve in Eccleſia hauſerat, à Maioribus acceperat, & à ſui ſeculi Epiſcopis & doctoribus didicerat. Quam Maiorum traditionem, & Epiſcoporum ſui ſeculi, atque doctorum inſtructionem, doctrinamque in quæſtionibus ad Chriſtianam religionem pertinentibus, poſt ſacram ſcripturam, tanquàm certam ac firmam regulam ipſe ſibi ſequendam præſcribit, cùm Elipando Toletano, & aliis aliquot Hiſpaniarum Epiſcopis, qui ſuum ipſi errorem per Epiſtolam perſuadere volebant, & his eũ verbis erant adhortati, nè paucorum ſubdolis aſſertionibus conſentiret, ſed plurimorum teſtimoniis roboratã fidem firmiter teneret,

Universidad de Deusto
Biblioteca

grauiter sanè & cõstãter in hæc verba respondet: Facio certissimè Deo Domino meo Iesu Christo donante, horum me sanctissimæ multitudini (de Episcopis loquitur, eius auspicijs Francofordiæ coactis) & probatissimæ auctoritati in veræ fidei professione firmiter associans, nec vestræ me paucitati in confessione huius nouæ assertionis socium admitto, sed Apostolicæ sedi, & antiquis ab initio nascentis Ecclesiæ, & Catholicis traditionibus tora mentis intentione, tota cordis alacritate coniungo. Quicquid in illorum legitur libris, qui diuino spiritu afflati, toti orbi à Deo Christo dati sunt doctores, indubitanter teneo, hoc ad salutem animæ meæ sufficere credens, quod sacratissimæ Euangelicæ veritatis pandit historia, quod Apostolica in suis epistolis confirmat auctoritas, quod eximij sacræ scriptu ræ tractatores, & præcipuè Christianæ fidei doctores ad perpetuam posteris scriptum reliquerunt memoriam, cum his quoquè doctoribus, & sanctę Ecclesiæ pastoribus (Francofor dienſis Synodi patres intelligit) veram prædico fidem, quos in præsenti tempore ille nobis dedit luminaria, qui dixit, Eccè ego vobiscum sum omnibus diebus vsque ad consummationem seculi. Hi sunt propugnatores fidei nostræ, hi sunt rectores, per diuersas sedes ciuitatis Christi. Præclara profectò hæc Caroli Magni Imperatoris religiosissimi, qui sicut imperium in Germaniam, ità religionem & Christianam fidem in Saxoniam primus intulit, & aurea sententia atque regula, quam si Saxones, & in vniuersum Germani Galliq́ue secuti essent, ad eamq́ue exortas primùm nouas nouorum hominum opiniones si explorassent, tantam Ecclesiæ atque Reipub. calamitatem & perturbationem non sentiremus, Christianam fidem tam variè dissectam non doleremus, non tam multiplices & quasi infinitas de vna religione sententias audiremus, non, quod dolenter refero, iniustissima sub religionis fuco & prætextu bella, non fraternas acies, & pila minantia pilis, non tantùm à Christianis Christiani sanguinis fundi, tam multas Christi sanguine redemptas Christianas animas interire vidissemus: sed vnam de religione sententiam, florentem Ecclesiam, pacatam Rempub. retineremus, quam infelicem & perturbatissimam intueri cogimur. Eam autem regulam ad execrandam Elipandi hæresim, qua Christum adoptiuum tantummodò Dei filium esse impiè prædicauerat, explorandam Carolus adhibuit. Quam si nos ad diuina officia, quæ religionis pars sunt, accommodemus, euidens omninò erit & clarum, quandò Carolus hoc sibi in religionis negocio sequendum præscribat, quod suo tempore sanctæ Ecclesiæ Doctores & Pastores sequerentur, ac prædicarent, quicquid in horum doctorum & Episcoporum, Albini, inquam, Amalarij, HRabani cõmentarijs de diuinis officijs reperitur, id Carolum Magnum tenuisse, id omne apud eas nationes, quas Christianas fecerat, inuexisse. Etenim hi sui seculi sapientissimi Doctores & Pastores fuere, quorum Albinus etiàm Synodo illi, ad quam ex Britannia multos Carolus acciuerat, interfuisse creditur. Sed vt hoc magis etiàm fiat perspicuum, quæ pijssimi Imperatoris de Ecclesiasticis officijs fuerit sententia, quid de his etiàm hi ipsi patres in eadem Synodo scriptum reliquerint, & quo auctore hæc se habere sint professi, est commemorandum. Illi cùm ab Elipando & cæteris Hispanis episcopis oblatum fidei suæ libellum sibi excutiendum & confutandum sumpsissent, in quo inter cætera suæ causæ firmamenta, quòd in diuinis officijs & ad Missas orationibus, quas ex Eugenii, Hildefonsi, Iuliani, Toletanæ vrbis Episcoporum institutione habere se gloriabantur, Christus Dei adoptiuus filius nominaretur, ad sui erroris patrocinium produxerant, ea sententia Dei ipsius testimonio confutata, Melius est, inquiunt, testimonio Dei patris credere de suo filio, quàm Hildefonsi vestri, qui tales vobis composuit preces in Missarum solennijs, quales vniuersalis & sancta Dei non habet Ecclesia. Nec vos in illis exaudiri putamus. Etsi Hildefonsus vester in orationibus suis Christum adoptiuum nominauit: Noster verò Gregorius Pontifex Romanæ sedis, & clarissimus toto orbe Doctor, in orationibus suis semper eum vnigenitum nominare non dubitauit. En Episcoporum atque doctorum Germaniæ, Italiæ, Galliæ, ac Britanniæ, qui ad eam Synodum à Carolo acciti conuenerant, de diuinis officiis testimonium, cum quibus doctoribus & sanctæ Ecclesiæ pastoribus, veram se prædicare fidem piissimus Carolus profitetur, quos ciuitatis Christi rectores agnoscit, per quos suæ Ecclesiæ Christum præsentem, sicut ab ea se nunquàm discessurum is promisit, tunc fuisse, & hos tanquàm luminaria ad illustrandum sana doctrina mundum suo tempore à Deo immissos agnoscit ac prędicat. Et ante Caroli quidem ętatẽ diuina officia variè, nec quẽadmodùm

apud

apud Romanos, ità etiàm apud Gallos peragebantur: habebantq́ue Galli suas peculiares consuetudines, à Romanis non solùm in rebus atque officiis ipsis, sed in cantandi quoquè ratione differentes. Per quam diuersitatem atque licentiam nè quod Hispanis hic accidisse audiuimus, errores in ea irreperent, Caroli auspiciis factum est, vt vna atque eadem apud omnes diuinorum officiorum ratio esset, vtq́ue antiquato Gallicano officio, Romanũ siue Gregorianum ab omnibus reciperetur, & Romanos etiàm cantus, Gallicano sublato, frequentaretur. In quam rem etiàm Pipinum eius patrem diligenter anteà incubuisse Caroli Magni lex apud Ansegisum earum collectorem demonstrat. Ea est: Monachi, vt cantum Romanum pleniter & ordinabiliter per nocturnale & Gradale officium peragant, secundùm quod beatæ memoriæ genitor noster Pipinus Rex decertauit vt fieret, quandò Gallicanum cantum tulit ob vnanimitatem Apostolicæ sedis, & sanctæ Dei Ecclesiæ pacificam concordiam. Quæ lex cùm & ad Monachos pertineat, videntur mihi illi propositi tenaciores fuisse, neque tam facilè adduci potuisse, vt ea quibus iam dudùm assueuissent, relinquerẽt: Sed quòd de cantu tantùm præcipiat, si hic non pro ipsis officiis sit accipiendus, sed pro modulatione tantummodò & canendi ratione, D. Benedicti diuinorum officiorum ordinationem eis relinqui, quemadmodùm etiàm hãc approbauit, eisq́ue reliquit ipse Gregorius: rectè, opinor, existimabimus, & vt Romano cantandi mori assueſcerent, tantummodò ipsis mandari. Ab aliis autem omnibus vt non solùm cantandi mos Romanus, sed ipsa etiàm diuina officia, qualia à Gregorio ordinata retinebant Romani, in vsum reciperentur à Pipino tentatum, à Carolo demùm est confectum. Quod iam antè commemorati Francofordienses Patres satis innuere videtur, cùm orationibus, quarum Eugenium, Hildefonsum Iulianum, hæretica, vt mihi persuadeo, fraude, Elipandus auctores laudauerat, ipsi vniuersalis & sanctæ Dei Ecclesiæ preces opponunt, talesq́ue aliquot à Gregorio Romanæ sedis Pontifice, quem clarissimum toto orbe doctorem appellãt, compositas producunt. Et nostri etiàm idcircò, quos proferimus diuinorum officiorum interpretes, Albinus, Amalarius, qui in eam ætatem inciderunt, ORDINEM ROMANVM nominatim citant, & ex professo interpretantur, & Sacramentarij atque Antiphonarij, qui à D. Gregorio collecti, & in optimum ordinem redacti, ipsa diuina officia complectuntur, persæpè meminerunt. Ex quibus omnibus, non solùm quæ diuinorum officiorum Caroli Magni ætate obseruata ratio fuerit, qualia gloriosus hic Imperator, & coluërit ipse semper, & apud hos quos Christianos effecisset, instituerit ac propagarit, verùm ex his etiàm horum Scriptorum qui in eam ætatem inciderunt, commentariis ea repeti posse, non est obscurum. Quorum si originem inuestigare, & si à primæua institutione degeneraſſent, pristinam illis formam restituere, Germani Galliq́ue & ab ipso Carolo institutæ ac propagatæ Ecclesiæ potiùs, quàm hac inducta, nouam sacrorum formam imaginari ac confingere voluissent, confusione hac plusquàm Babylonica, qua fumus circumfusi, non laboraremus. Nos autem qui ea adhuc excolimus sacra, eadem diuina officia amplectimur, easq́ue cæremonias retinemus, quæ Imperator Christianissimus est amplexus, quæq́ue per primos eius auspiciis institutos Episcopos primi apud Saxones Christiani obseruauerunt, immeritò sanè propter hæc traducimur, malè audimus, subsannamur: Et multò magis illi esse digni videntur, quos Carolus & primi eorum Episcopi simili increpatione, quali olim Paulus Galatas, adoriantur, ac stultos appellent, quòd in aliud, quàm ipsis annunciasent, Euangelium sint translati, quòd ab iis sacris, quæ ipsis reliquissent, præstigiis, dolis & fallaciis inquietorum quorundam hominum, qui ipsos, qui nos omnes, qui Ecclesiam, qui vniuersum deniquè mundum turbis replere voluerunt, decepti ac circunuenti, resiliuerint. Et nos quidem, vt quæ tanta seculorum & grauissimorum virorum consensione atque approbatione tradita per manus accepimus, deseramus, facere nõ possumus: emendationem tamen eorum, sicubi à primæua ordinatione sit discessum, vt fortè in aliquibus discessum est, non inuiti admitteremus. Quam rem Tridentinã nouissimã Synodũ certis quibusdã Patribus mandauisse cognouimus, qui diligenter inspicerẽt, si quid in diuinis officis emendandum esset, deq́ue eo ad Pium Quartum Pontificem Maximum, ad quem ea cura pertinet, referrent. Eaq́ue nobis præter cæteras magna satis causa videbatur, hæc veterum de his scripta proferendi, editionemq́ue maturandi, quibus non mediocre adiumentum eis videretur allatum, ad certius aliquid & ex veterum sen-

 tentia,

tentia, ex qua eos omnia esse reformaturos existimabamus, de his constituendum. Ad te autem Reuerendiss. Antistes & Illustriss. Princeps hæc pulchra vetustatis monumẽta quibus affici te & delectari plurimùm non ambigebam, mittenda mihi esse duxi, vt non solùm T. C. nomen præferentes, illi, quos dixi, Patres ea libentiùs suscipiant, & nostri homines, & tuus in primis clerus ea legat studiosiùs, per quæ ad pietatem maiorem inflammari possint, atque qui ea contemnũt ac temerè abrogarunt, legere saltem non dedignẽtur, quæ & ab antiquissimis scripta, & Tuæ Celsitudini grata esse intelligãt: verùm etiàm, si legere hæc tamen dedignabuntur, aut lecta impudenter calumniari nihilominùs volẽt, eorum tu patrociniũ aduersus Aristarchos illos & tam iniquos iudices, vt suscipias. Quo tuo patrocinio & ipsi dignissimi esse, & tu quoquè qui eis hoc impenderes, dignissimus mihi videbaris. Episcoporum enim patronus quis rectiùs quæratur & sit, quàm Episcopus? Et ipsi quidem in excelso honoris & dignitatis gradu constitutos viros sibi, quisque sua ætate, delegerunt, quibus suos libros dedicarent: Albinus, non dubium, quin Carolum Magnum, Amalarius Ludouicum Pium, HRabanus Heistulfum Archiepiscopum Moguntinum, vt hoc maligno seculo, quo nihil tam sanctum est, quod non violetur, nihil tam benè dictum, quod non in calumniam rapiatur, magnus quoque illis patronus quærendus fuerit. Qui nunc ad te confugiunt, illum in Ecclesia nunc locum obtinentem, quem ipsi quondàm tenuerunt: gaudebuntque si ab Episcopo Episcopi, à filio patres, benignè, paterneque suscipiantur, tuaque auctoritate & commendatione freti, in Principum virorum conspectum atque manus, quemadmodùm sua ætate principibus viris atque ipsis etiàm monarchis fuerunt familiarissimi & charissimi, venturos se, & benignè susceptum iri sperant. Ego verò si quid laboris atque operæ in eam rem, vt ab interitu situque vindicati, & à sordibus mendisque repurgati, cultiùs & emendatiùs exirent, impendissem, cui hunc meum laborem, qui quantus fuerit, prædicare non debeo, esse commendatum magis vellem, quàm Archiepiscopo meo, & quidem recèns ad amplissimum hunc honoris & dignitatis in Ecclesia gradum, Deo benè propitio, prouecto, non videbam. Vt quemadmodùm te non solùm ciuitas Colonienſis, sed vniuersa diœcesis anteà communibus vocibus, vnanimiq. consensu, non secùs atquè olim Ambrosium ciues Mediolanenses, sibi dari Episcopum hoc tam difficillimo tempore expetiuerant, & Reuerendorum atque illustrium ecclesiæ Colonienſis procerum suffragiis electũ, sibique exhibitum nunc faustis acclamationibus congaudent, & congratulantur: ità eandem ego electionem, atque ad episcopatum legitimam vocationem, quam nullo ambitu factam & tu tibi ipse es conscius, & tota Colonia non ignorat, nosque propterea diuinitùs factam non ambigimus, & omnia nobis felicia ex ea auguramur, & audemus polliceri, gratulatione etiàm aliqua, quamuis sera prosequerer, & non voce tantùm, sed ex antiquitatis scrinijs munere misso lætitiam meam declararem. Quod vt facere auderem, Reuerendus, atque celeberrimus quatuor Archiepiscoporum & tuæ etiàm Celsitudinis nunc vice ecclesiasticus incorruptissimus iudex D. Iohannes Kempis, Metropolitanæ tuæ Ecclesiæ presbyter Canonicus, meus verò singularis patronus & humanissimus hospes, mihi auctor fuit. Qui præcelsa tua humanitate, incredibili benignitate, & in summo honoris gradu generosa animi moderatione, & erga infimos comitate apud me prædicata, facilè persuasit, vt, à quo meus me pudor alioquin auertisset, hæc tibi de diuinis officijs veterum auctorum monumenta mittenda ac commendanda duxerim. Quæ sanè etiàm, quia ex tuæ Colonienſis Ecclesiæ celebri olim bibliotheca, in quam Carolus Magnus à Leone III. Pontifice Maximo acceptos & Roma allatos libros per Hildebaldum tunc Archiepiscopum & sacri palatij Capellanum, idcircò repositos esse videtur, vt ex hac velut Metropoli, in reliquos tunc primùm à se institutos Episcopatus descripti libri propagarentur: quia, inquam, nos ex hac bona ex parte ea desumpsissemus, vendicare tibi, & à nobis iure optimo repetere potuisses. Etenim quasdam Ordinis Romani partes, & Isidori, Amalarij, atq; HRabani Mauri exemplaria, quibus in his edendis præter cætera vsi sumus, illa tuæ Ecclesię bibliotheca, quę ab Hildebaldo vt apparet cœpta, ab Heriberto, Euergero alijsq. sanctissimis Episcopis (quorum & Hildeboldi maximè nomen multi adhuc libri prę ferũt) aucta, nobis suppeditauit, & si omnes eos haberet libros, quos sub annũ Dñi 833. in ea fuisse index quidã antiquus prodit, vtilissimos multos hac ętate auctores

res suppeditare posset. Pium certè hoc Patrum nostrorum studium, prouidaq. de Ecclesia in qua eos Spiritus sanctus posuerat Episcopos, solicitudo, vt quam non sua tantùm ætate prudenter administrarunt, sed eidem quæ futuris ei temporibus summo vsui essent, veterum Patrum monumenta in bibliothecis conseruare voluerunt. Quibus non solùm de pietate & religione, qualis sua ætate & ante eam apud Christianos semper fuisset, admoneretur instrueretur que: verùm, cùm esset opus, aduersarios etiàm suos cõuinceret, & aduersus eos ex histãquàm consignatis quibusdam tabulis, testimonium dicere & proferre posset. Quorum cùm vestigijs in illorum sedem & possessionẽ omnium ordinum consensu, & summa omnium voluntate Deo benè propitio introductus tibi, Princeps, insistendũ duxeris, neq; aliter saluã Ecclesiam Remq. publicam tuam esse posse persuasum habeas, gratissimos futuros confido eos scriptores, qui prouida antecessorum tuorum diligentia cõseruati, ex eorum scrinijs, & qui ex alijs item bibliothecis desumpti, grauissimi antiquæ pietatis & religiosæ antiquitatis testes, ac diuinorum officiorum peritissimi interpretes, T. C. à me hoc tam opportuno & necessario tempore offeruntur, vt in tanta hoc tempore opinionum varietate, religionis tanta discordia, & tam varijs ac multipliciter dissectis inter se sectis, quarum nulla est, quæ non tamen Euangelium, Religionis veræ nomen, Ecclesiam ad se obtorto collo rapiens, vsitata priscis sacra abijciat, ac proprium suæ religionis (vt vocãt) exercitium sibi fingat & componat, antiquam nobis viam, in qua securè cum religiosissimis Patribus nostris consistamus, commonstrent, antiquam nos sacrorum formã, quam cum Maioribus nostris viris pijssimis in diuinis officijs piè sequamur, edoceant, vt nè quod apud illos meliores certè Christianos quàm nos simus, sanctum, religiosum, Christianum fuit, à nobis, tanquàm si impium, superstitiosum, ethnicum sit, abijciatur. Et qui diuinis officijs peragendis deputati ac præfecti sumus, Maiorum exemplo intentè, seriò, piè ac reuerẽter, quorum ex his scriptis mysteria cognoscimus, augustissima Dei sacra tractemus. Quo quam negligentia & eorum contemptu, sicut olim Heli, Ophni, atq; Phinees, Dei in nos iram irritauimus, eandem pio & serio feruore à nobis auertamus, nè sicut Arcam olim illis, ità Dei Optimi Maximi ab ipso nobis relicta nobisq. charissima sacra, Philistæi, quod irato & permittẽte Deo factum multis in prouincijs cum dolore recordamur, ac gemitu adspicimus, nobis quoque auferantur: nèue in horrendas illas calamitates, quas illic legimus, & nostra memoria prouinciæ multę senserũt, atque etiamnùm sentiunt, incidamus. In qua tanta re quid tui muneris sit, ipse Princeps, pro tua prudentia intelligis, & quod ad tuam curam pertinere intelligis, nè quid Ecclesia & Respub. tua detrimenti accipiat, qui tuus est generosissimus animus, daturum te diligenter operam, in nõ dubiam spem vocamur, cùm in tuas actiones intuemur, & visitationem, si vnquàm, nunc maximè necessariam seriò meditari atque adornare audimus. Quas tuas adeò vtiles & necessarias cogitationes, tam piam de Ecclesia solicitudinem Deus sua gratia adiuuet atque confirmet, diuque te nobis incolumem tam salutaria meditantem, quod tibi, Ecclesiæque, Reipublicæq. felix & faustum sit, conseruet. Ex nostro museo IX. Cal. Septemb. ipso D. Bartholomæi festo. Anno M. D. LXVIII.

T. R. & ill. Cels.

Obseruantiss.

Melchior Hittorpius.

Universidad de Deusto
Biblioteca

MELCHIOR HITTORPIVS
CANDIDO LECTORI S.

MVLTI in omni memoria viri extiterunt eruditi atque celebres, qui ea, quæ magno labore multisq. sudoribus didicerant, literis deindè mandarunt, & ad posteritatem transmiserunt. Ex quorum numero qui eiusmodi sibi res tractandas explicandasq. sumpserunt, quæ non eo tantùm tempore, cùm ipsi viuerent, sed post se etiàm futuris prodesse, proferreq. fructum possent, non solùm magnam sibi apud suos homines laudem scribendo compararunt, sed eorum memoria celebris atque gloria diuturna apud posteros perseuerat. Manent enim eorum scripta semper, & intermori ea vix possunt, & quamuis neglecta ac quasi sepulta aliquandiù fortasis iaceant, tamen reuiuiscere, & in precio esse incipiunt, cùm homines eo fructu quem ex eis legere possent, destituti, ferre eorum desiderium ampliùs nequeunt. Tũc enim non secùs ac Reipub. studiosi & vtiles viri, quos felici & tranquillo rerum statu ciues sui negligunt, & nonnumquàm contumelia affectos exilio mulctant, cùm bonis illorum consilijs destituta ciuitas æquabilitatem conseruare diutiùs nequit, reuocãtur, & pristina eis dignitas restituitur: ita hi, cùm eorum rursus opera esse vtilis incipit atque necessaria, studiosè inquisiti, magno omnium applausu & gratulatione e tenebris proferuntur, & à situ quo obruti iacebant, repurgati, quam amisisse videbãtur, rursum recipiunt pristinam dignitatem. Quemadmodum Patrum memoria, cùm, barbaries quanta in Rempub. mala inuexisset, intelligerent homines, magno Reipub. bono eloquentissimorum hominum scripta exquiri, & prolata, esse in maiori apud omnes honore & existimatione, quàm apud suos vnquàm fuissent, cœperũt. Quo, quod apud Ciceronem pulchrè Quintus de fratris sui Mariana quercu asseuerat, manere eam, & mansuram semper, quòd ingenio sata esset: nullius autem agricolæ cultu stirpem tam diuturnam, quàm poetæ versu seminari posse, hoc ipsum in alijs quoque magnorum auctorum præclarè & vtiliter scriptis locum habere conspeximus. Et in eam quidem rem eruditissimi quique certatim sibi esse incumbendum putauerunt, multiq. in hoc studio honesta sese æmulatione prouocauerunt, nõ solùm vt ab interitu vindicatos in lucẽ proferrent, sed vt quas longo situ varijsq. casibus maculas contraxissent, abstergerent, & sordidatos, à puluere mendisq. repurgarent. Quorum studium nemo est qui sibi reprehendendum duxerit, nemo qui non fauore, beneuolentia, laude prosequendum existimet, & de Repub. deq. auctoribus ipsis quàm optimè meritos esse iudicet. Atque cùm nostro infelici seculo homines infelicissimi sint exorti, qui veterem fidem tanquàm nouellam discutere, & post tam longa temporum interualla, post priscorum Patrum insignem pietatem, fideiq. claram confessionem, post martyrum sudores atque vulnera de veritate religionis contendere ausi, Ecclesiam Remq. publicam, in summum discrimen, suam atque multorum, qui ipsis auscultassent, salutem in extremum exitium adduxerunt: Maiores nostri & sancti Patres, qui non solùm Christiani & meliores Christiani, quàm sint hi reformatores, fuerunt, sed ad Ecclesiæ gubernacula à Spiritu sancto admoti, sederunt, & eam aliquandò rexerunt felicissimè, vtiliter ac necessariò excitantur, & in vitam reuocantur, vt suam de religione sententiam dicant, qua non solùm nos ad veram de fide nostra Christiana sententiam constanter retinendã confirmemur, sed confutentur etiàm aduersarij, Ecclesiæ atque Reipub. subueniatur, ipsorum denique si consultum esse volent, saluti cõsulatur. Ideoq. non defuerunt neque desunt de Ecclesiæ salute soliciti viri, qui hac multò meliori & magis necessaria ratione moti, Ecclesiæ salutarem hanc operam sibi accommodandam existimauerunt, vt SS. Patrum monumenta, in quibus ipsi Patres religionis Christianæ incorrupti testes & grauissimi vindices quasi quodammodò viuerent, loquerentur, & suam de religione sententiam exponerent, inuestigata diligenter, ad communem omnium vtilitatem in lucem & conspectum omnium producerent. Et quia mutila persæpè facta, fœdisq. maculis deturpata temporum iniuria essent, exemplaribus vndique conquisitis ad eorum fidem collata, perficerent ac repurgarent. In quod studium quamuis inglorium esse, & laboris atque tædij plurimum, ingenij non ità multum habere videatur, tamen cùm viri etiàm doctiss. incũbant, qui suis ipsi monumentis & suo ingenio conscriptis, nominis sui gloriam ad posteros trãsmittere possent; satis magnam dant significationem, existimare se, ex eis non minùs quàm ex propryjs scriptis, ad Ecclesiam vtilitatis redundare. Quorum quandò in hoc imitatores esse ob imperitiam ingenijq. tarditatem non possemus, in altero tamen eorum nobis exemplũ sequendum esse duximus, vt cùm de diuinis officijs, Ecclesiasticis ministris, sacro vestitu, quæ multorũ nunc calumnijs exposita essent, veterum aliquot auctorum essemus nacti antiquos & nunquàm editos

hactenùs

AD LECTOREM.

hactenùs libros, eos cum omnibus cõmunicaremus, & ex MS. libris alios hactenùs editos castigaremus. Ad quam rem suscipiendam pia mihi doctorum & piorum virorum incitatio non defuit, & ab eisdem adiumenta nobis manuscriptorum codicum sunt subministrata. Inter quos clariss. & doctiss. Theologiæ Licentiatus D. Iacobus Pamelius Brugensis Canonicus, sicut assiduus hortator, ità primus auctor nobis fuit, & mira quadam ratione occasionem de eo cogitãdi exhibuit. Nam cùm is in sua in Micrologum à se castigatum, præfatione, Amalarij mentione iniecta, tres priores eius de diuinis officijs libros non extare annotasset, ego verò integrum in fratrum Prædicatorum Coloniæ bibliotheca a me visum meminissem, certior de eo per me factus, editione dignum, & quandò nunc de castigandis Breuarijs & Missalibus à Tridentina nouissima Synodo delecti patres seriò cogitarẽt, nullo vnquã magis opportuno tempore proferri posse iudicauit, estq. me ad eius editionẽ cohortatus. Ego autem vnius exẽplaris præsidio solùm instructus, hoc tentare nequaquàm ausus, in ipsum potiùs, qui id facere meliùs posset, reijciebam. Sed cùm deindè spes esset plura exemplaria consequendi, persuaderi hoc mihi tandèm sum passus, nè laborẽ subterfugere voluisse viderer, & cùm ipso, nè quid deesset ad absolutam diuinorũ officiorũ cognitionem, D. Gregorij Sacramentarij & Antiphonarij, aliaq. ad diuina officia pertinẽtia publicare statuisset, laborẽ cũ ipso partirer. Atq; hæc prima de hoc volumine cogitatio, ab Amalario cœpta: Quæ cùm solum edere ante à cegitaremus, facilè impetrauimus à Reuerendo patre & exactissimo Theologo D. Theodorico Buscoducensi, Prædicatorũ Colonien s. Priore, in theologicis studijs præceptore nostro, vt nobis permitteret, quod in sui cœnobij bibliotheca anteà notaueramus, Amalarij exẽplar. Quo instructi, ad ornatissimum legum Licentiatum D. Geruuinum Calenium de Amalarij editione retulimus, isq. vt Rempub. Christianam libenter & strenuè, qua potest ratione, adiuuare nõ cessat, assensit statim: Nec hoc solùm, sed re cum doctioribus cõmunicata, cùm cognouisset hoc multis cõsilium probari, vt si qui anteà non satis integrè & emẽdatè essent editi, & si qui alij reperiri possent, qui idem argumentũ tractauissent, nondùm hactenùs editi, illi ad Manuscriptorũ librorũ fidẽ diligenter collati & castigati, in vnũ volumen & tomum coniungerentur, atque simul cum Amalario ad publicam vtilitatem ederẽtur, magnoperè me est adhortatus, vt quod in Amalario facturus videbar, id in alijs item facerem. Et assensi ego ipsi, vt mihi antè ille assenserat, indignumq. esse iudicaui, cùm ipse ad rem Ecclesiasticã & Catholicam religionem adiuuãdam priscorum patrum libris suo prælo edendis tam esset promptus, ego & qui nostri sunt ordinis, si non similem alacritatem ad eam rem, ex qua ingens vtilitas ad Ecclesiã redundaret, adferrent: ita tamen assensi, si de Manuscriptorũ librorũ supellectile me instrueret, quod se facturũ est pollicitus. Et Amalarij quidem, vt diximus, vnũ exemplar habebamus: Sed ornatissimus & humanus admodùm vir D. Cornelius Vualterus, longo qui tempore & labore immẽso, nec minori sumptu quamplurimas bibliothecas perlustrauit, & instructissimam vetustissimis libris nondùm etiã editis bibliothecã, thesaurũ longè optimum habet, alia nobis duo permisit. Quartũ deniq; D. Petri Metropolitanæ Colonien s. Ecclesiæ bibliotheca suppeditauit, eademq. binos & antiquissimos Isidori codices dedit, cuius iam anteà, quem diximus, D. Cornelius duos item nobiscũ cõmunicauerat. Ità quaternis exemplaribus in Amalario primùm edendo, & totidem in Isidoro castigando sumus vsi, vt si hic à nobis integer & castigatior, quàm anteà à viro eruditissimo Domino Iohãne Cochlæo strenuo Ecclesiæ propugnatore nũc edatur, nõ hoc ad eius iniuriã pertinere debeat, neq; ego mihi hinc laudẽ quærere possim, qui pro suo exactissimo, quo pollebat iudicio, emendatiorem etiàm exhibere tot exemplaribus instructus, quot nobis sunt suppeditata, potuisset. Idem mihi de Albino est dicendũ, quem Vuolfgangus Lazius Ferdinandi Cæsaris consiliarius & historicus, superioribus annis, Caroli Magni tamen nomine, & tanquàm fragmenta, qualia sanè esse sic edita videntur, in lucem primùm proferens, optimè de Ecclesia meo iudicio est meritus. Perspicuũ enim ex eo factũ est, quem nunc habet Ecclesia sacrorũ ritũ, eum antiquissimũ esse, & Maiorum auctoritate niti ac cõmendari: eaq. Ecclesiæ nostræ cum veteri pulchra cõcordia, conformisq. rituum atq; cæremoniarũ ratio, sicut inter alia catholicæ Ecclesiæ nõ leue est indicium, ità multis salutis propriæ nequaquàm prodigis inter varias & multiplices ab ea defectiones persuasit, vt in eius gremio permanerent, neq; sequerentur nouos aliquot homines, qui nulla veterũ auctoritate nixi, nullo exemplo freti, sed priuato & proprio tantùm iudicio, ne dicam stulta temeritate, quam ipsi sibi finxerũt, nouam nouæ religionis praxin & formulam alijs quoquè sequendam proposuerunt. Qualem in Ecclesia nũquàm fuisse, postquàm metu tyrannorũ soluta, paceq. ei reddita, non in cryptis & priuatis domibus, sed in publicis templis ei liberè sacris operari licuit, vetus Ecclesia, omnisq. religiosa antiquitas testimonium dare potest. Ex qua grauissimi auctores ijdem pijssimi viri producti, si eum sacrorum ritum, eas cæremonias & sacris operandi formulas exposuisse ostendantur, quas etiamnùm habet & obseruat Ecclesia, apud hanc & in huius quamuis calamitatibus concussæ, & calũnijs etiàm propter hæc ipsa sacra

exagi-

Universidad de Deusto
Biblioteca

exagitatæ,qui se gremio continent constanter,prudenterq. illos contrà,qui nouæ illius seu ueriùs nouarum religionum (sunt enim uariæ inter se dissectæ) noua forma capti,eam sibi sequendam putauerunt, leuiter atque temerè facere euincuntur. Quarè quod nobis antiquorum rituum & cæremoniarum testẽ graue & insigne uindicem in lucẽ primus emiserit Vuolfgangus Lazius,gratiæ ei habendæ sunt maximæ: Sed quòd idem mutilus,perturbato ac confuso ordine,& mendosè admodum sit editus, cùm ipse suã eruditionẽ toti mundo satis probauerit,nemo est qui nõ eum extra omnẽ culpã ponat, & satis perspiciat exẽplari hoc tribuendum esse,sicut quòd in suum ordinem nos eũ redegerimus,mutilũ perfecerimus,mẽda multa sustulerimus,exẽplari hoc nostro,quod ex D. Cornelij Gvulateri librorũ thesauro habuimus, acceptũ etiàm est ferendũ. Quod ipsum exemplar cùm Caroli Magni de ratione septuagesimæ,sexagesimæ,& quinquagesimæ ad Albinum epistolã,(quæ fortè epistola Vuolfgango Lazio persuasit,& occasionẽ dedit Carolo hunc libellum adscribendi)non Albini ad Carolũ cõplecteretur, quòd utraque multa menda haberet,animaduertere quidẽ,mederi autẽ,MS. exẽplari destituti,non potuimus. Quod de Vualafrido etiàm nobis est fatendum,nisi quòd hic à Cochlæo in speculo antiquæ deuotionis satis emẽdatè editus, minùs castigatione opùs habere uidebatur. Itaque præterquàm quòd quædam cæpita, sola in codice antiquo reperta,cũ excuso contulerimus,nihil in eo magnoperè præstitimus. Et Rabanus quoquè Maurus præ cæteris editis hactenùs erat emẽdatior, studiosè tamen ad antiquissimos duos peregrino charactere scriptos libros, ex Metropolitanæ Colonienſis Ecclesiæ bibliotheca acceptos,diligenter est collatus, cuius nos laboris ob menda quæ sustulimus,nequaquàm pœnitet. Bernonis Augiensis Abbatis Vnicũ, Iuonis episcopi duo habuimus, uterq; autem nunc primùm prodit. Et alterum quidem Iuonis exẽplar, quod omnes eos,quos exhibemus breues,sed elegantissimos sermones cõplectebatur,ipse D. Licentiatus Geruuinus habebat: alterũ,in quo non omnes hi sermones erant,& Bernonis quoquè libellum, D. Cornelius exhibuit. Hildeberti episcopi Cenomanensis de Missa pium carmen, anteà sinè auctoris nomine ab Vuolfgango Lazio apud fragmenta, quorum meminimus, editum cum scripto exemplari, quod reuerendus pater & Theologiæ doctor D. Iohannes Rhetius nobis suppeditauit,contulimus. Quod quãuis cum ipsius Hildeberti nomine editum alibi esse,posteà audiuerimus,nobis tamen eam editionem uidere hactenùs non contigit. Sed quæ in eo emendauimus, satis multa ex scripto illo exẽplari emendauimus. Micrologũ dominus Iacobus Pamelius à se & clarissimo Iuris utriusq; doctore Antonio Cauchio Canonico Vltraiectino,iam iterùm ad MS. exemplaria diligenter recognitum,ad nos misit. Qui cùm sint uiri omnis et Ecclesiasticæ præsertim antiquitatis peritissimi,in eorũ nos exactissimo iudicio diligẽtiaq. nobis tibiq. acquiescendum existimauimus,quamuis in tribus quoquè exemplaribus nos eundem libellũ haberemus. Idem Pamelius Radulphum de Riuo diligentem sanè scriptorem,à se anteà in præfatione ad Micrologum laudatum,ad nos transmisit. Itaq; cùm unicum eius exemplar habuerimus integrũ,(nam pars quoquè eius apud Cruciferos Colonienses extabat) hæsitandum nobis ob prauam scriptionẽ & multas in ea abbreuiationes sæpè fuit,ut deprecari ueniam oporteat,si menda in eo fortè nõnumquàm incidãt,relictaq. sint. Ordinis deniquè Romani tria exẽplaria ex D. Cornelij,& uarias partes ex Colonieſis metropolitanæ Ecclesiæ bibliotheca accepimus. Habes amice lector,qua nos occasione & ratione ducti, ad hanc Ecclesiasticorum scriptorum collationem editionẽque,quà ue supellectile instructi accesserimus, & per quos ea nobis sit suppeditata. Quod cõmemorare uolui,ut scires,quibus gratiæ,si quid ex eis proficeres,tibi habẽdæ essent,& ego nõ esse ingratus uiderer,si eorũ,quorũ usus essem uel opera uel libris, nomina suppressissem. Inter quos Bartholomæus Poin mihi etiàm numerandus uenit,qui sua singulari industria,& longo in libris corrigendis usu,diligentissimè dedit operam,ut quæ à nobis castigata erãt, ea sic quoquè typographi exprimerent,& mihi quoquè adiumẽto sæpe fuit ad lectionem,quæ ad sensum auctoris magis esset accõmodata,si quandò uariæ inciderent,deligẽdam. Atq; ut tibi collationis ac castigationis nostræ ratio cõstet,hoc tibi persuasum esse uelim,bona me in his auctoribus fide uersatũ esse, & illic castigãdi finẽ fecisse,ubi aut manuscriptorũ codicũ auctoritas,aut manifesta ratio deficeret. Codices autẽ MS. religiosè sum secutus semper,cõiecturis parùm tribuens,ut & tuũ tibi iudiciũ integrũ, & Apostolicæ sedi,quod in his rebus summũ est,cuiq. hi auctores quamplurimũ semper detulerunt,suũ quoquè constaret. Nunc de singulis ex Trithemio alijsque,& quæ ipsi obseruauimus,quædã adijciemus.

ORDO ROMANVS.

QVemadmodùm,quo sit auctore conscriptus hic libellus,difficile dictu fuerit,ità antiquissimũ esse, argumenta non sunt longè petenda. Et mihi quidẽ aliquandò uisum fuit, à magistris Romanæ Ecclesiæ tum esse conscriptum, cum Stephano Pontifice, & Pipino primùm,deindè Carolo Magno procurãte,diuina officia Romana cum Romano cantu in Galliam sunt introducta. Quod esse horum ætate atque item opera factum, Hiduinus abbas S. Dionysii, Vualafridus, Sigebertus in Chronicis, & ex

hoc

hoc Leopoldus Babembergensis episcopus,& alij item auctores sunt. Verisimile enim est,ut hoc facere possent,quod eis imperabatur,descriptum libellum esse,& illis traditum, qui formulas omnes diuina officia peragendi complecteretur. Et Antiphonarios quidem Romanos ad hoc allatos & missos in Franciam,Amalarius noster testis locuples est, qui in prologo ad librum de ordine Antiphonarij,se à Ludouico Pio Aug. ad Gregoriũ Pontificem legatum missum esse,ut ab eo Antiphonarios acciperet, cõmemorat,& responsum retulisse à Pontifice,se,quos mitteret,nullos habere: sed qui illic aliquãdò fuissent, perlatos esse in Franciam cum nomine Imperatoris Vuala eò legatione functus esset. Idemq. mihi de Sacramentario D. Gregorij uidetur dicendum. In his enim libris,Sacramẽtario,inquam,Antiphonario & Ordine Romano,ipsa diuina officia quemadmodùm prisci Romani ea peregerunt, continentur,ut diuinis officijs ex Romanæ Ecclesiæ more in usum apud Frãcos seu Gallos traductis,& ab eis receptis, hos habere ipsos oportuerit,sicut habuisse satis constat. Etenim Albinus,qui in tempus huius in Gallia mutationis incidit,Sacramentarium atque Antiphonarium citasse inuenitur, & ordinem Romanũ ex professo interpretatus est,cuius tamen, nisi uno tantum in loco,non meminit nominatim. Amalarius uerò noster ad Antiphonarium & Sacramentarium collimat semper,atq; ea se diuina officia explicare uelle,quæ his libris contineantur,disertis uerbis profitetur: Mihi,inquiẽs, peccatori grossa res data est potiùs ad indagandum,quàm exponendum,id est,de officio, quod continetur in Sacramentario & Antiphonario: & sicut Sacramentarij atque Antiphonarij per sæpè meminit,ità Ordinem Romanũ in ore multùm & sæpè habet,eumq. diligenter explicat. Quod ubi faciat nominatim,locos aliquot à nobis exceptos subijciemus, ut conferre hos cum ipso ordine quis possit,& sunt hi: Libri primi capite undecimo, duodecimo,decimotertio,decimoquarto,decimoquinto,decimoseptimo,uigesimoseptimo,trigesimo,trigesimoprimo. Libri tertij capite quinto,decimooctauo,uigesimoseptimo,trigesimoprimo. Libri quarti capite uigesimotertio,multiq. alij non solùm in his libris, uerũ etiàm in ordine Antiphonarij. Ex quibus à Gallis hunc quoquè libellum cum cæteris Antiphonario & Sacramentario tum acceptũ esse,cum Romana officia susceperunt,sicut colligi potest,ità quòd eo tempore,& eorum quoquè in gratiã scriptus sit, quamuis esse uerisimile uideatur,nondùm hinc tamen liquet. Quinimmò nobis quædam Amalarij auctoritas persuasit,ut antiquiorẽ multo esse, non leui cõiectura ducti opinemur. Qui cap. 21. libri quarti de quadam diei parasceues consuetudine sic refert: Necnon etiàm altitudo signorũ,quæ fiebat per uasa ærea, deponitur, & lignorum sonus usquequaquè humilior æris sono, necessariò pulsatur, ut conueniat populus ad Ecclesiam. Potest,inquit,& in hoc humilior usus Ecclesiæ Romanæ designari antiquis temporibus quàm nunc sit, & præcipuè tũc,quandò latitabat per cryptas propter persecutores. Nam adhuc iunior Roma,quæ antiquis temporibus sub uno Domino cum antiqua Roma regebatur,usum lignorum tenet, non propter æris penuriam, sed propter uetustatem. Quo loco subindicat, quòd ligneis signis suo illo tempore Romani non uterentur. Ordo Romanus autem, Feria quinta, inquit,maioris hebdomadæ, eadem nocte surgũt ad uigilias hora noctis octaua,& tangitur campanæ signum,sicut alijs diebus,& post hæc non tangitur ad Matutinum,nisi in nocte sancti Paschæ. Et de parasceues die: In nocte parasceues temporariè, id est, media nocte parùm ligneum signum sonetur &c. Qui loci satis indicant, usos ligneis signis Romanos tum fuisse,cùm libellus hic est scriptus. Iam aliam item consuetudinẽ sua ætate in usu esse desiisse,quæ aliquandò in usu secũdùm hunc libellum fuisset,cap. 15. lib. primi cõmemorat. Itaque non absurdè,opinor,ratiocinabimur,non eo tempore primùm scriptum,sed longè etiàm antiquiorem esse,quippe cùm nonnulla in eo descripta & explicata tunc exoleuisse & secùs esse obseruata intelligantur,quamuis cætera adhuc in usu permansissent. Id autem per contrariam consuetudinẽ sæpè euenit,ut res à priscis aliter obseruari solitæ,in desuetudinem apud posteros ueniant,qui præsentia intuentur,eisq. cõtenti ferè sunt,parùm admodùm soliciti de præteritis. Necdùm tamen de auctore liquet,quẽ cùm non prodant interpretes, qui tamen Sacramentarij & Antiphonarij D. Gregorium, Lectionarij D. Hieronymum auctores nominant, uidentur mihi illi ipsi,quisnam fuerit,cognitum nõ habuisse,& nos idcircò etiàm in eo inquirẽdo frustrà laborare, maximè cùm de antiquitate atque auctoritate satis constet,quam hi auctores atque interpretes facilè conciliare illi possunt. Videturq. mihi quod de nostris Ordinarijs, hoc idem de Romano hoc ordine esse dicẽdum,qui cùm auctoritatem, quisque in sua Ecclesia obtineant,quo auctore tamen scripti sint, nemo facilè dixerit,sicut nullius etiàm nomen ferè præfertur. Sed satis est publica his, qua approbati sunt, & in usum sucepti, auctoritas: Sic fuisse eum uel per primos officiorum ordinatores publica auctoritate conscriptum,ut secundùm eum diuina officia celebrarentur, uel ex usu qui tum obtinebat,ab alio aliquo collectum & approbatum publice, breuiter, secundum eius præscriptum diuina tum officia peracta. Verumtamen coniecturam nostram proferemus: Gelasianus ille canõ,Sãcta Romana Ecclesia,quo præscribitur,qui,quòue tempore Scripturæ libri sint per annũ legendi

Dist. 15.

Universidad de Deusto
Biblioteca

legendi in Ecclesiastico officio, per Ordinem Romanum sparsus habetur. Atque ipse Ordo post explicatũ Missæ ordinẽ, sic quoque incipit, In Christi nomine Incipit ordo Catholicorũ librorũ, qui in Ecclesia Romana ponuntur ad legendũ: Et exemplar mihi vnum fuit, in quo eodem ordine, quo sunt in ipso Gelasii Canone ante reliquũ Ordinẽ, simul, & non quemadmodùm in reliquis codicibus, sparsim, ea haberẽtur. Gelasium autem diuinorum quoquè officiorum Ordinatorem fuisse, Sacramẽtorum præfationes, orationes item conscripsisse, in eius vita legitur, & quod de Gregorio commemorant scriptores, satis arguit, scilicet quòd is Gelasianum codicem emendarit, & in commodum ordinem digesserit, superflua resecarit, & in vnius libelli formam coarctarit, cui, libri Sacramentorum, titulum fecerit. Vt vel ab eo, vel eius auctoritate conscriptum esse, cuius in eo is Canon, quem diximus, integer habetur, fortè colligi possit. Sed coniectura hæc tantummodò est, cui quantum tribuere velis, tuum sit arbitrium. Nos de auctore non ampliùs soliciti erimus, quibus Albini, Amalarij, Micrologi, aliorumque qui suis cum commentarijs, sunt dignati, ad eius antiquitatem auctoritatemque contestandam sufficit testimonium. Porrò nostra hac ætate doctissimus vir & antiquitatis non solùm vetustiæ Romanæ, verùm Christianæ quoquè & Ecclesiasticæ omnisq; historiæ diligentissimus inuestigator Onuphrius Panuinius, in libello quẽ de interpretatione multarum vocum Ecclesiasticarum hoc anno in lucem emisit, hunc se quoquè habuisse significat, & in his vocibus, Patres diaconiæ, Subdiaconus oblationarius, schola cantorum, Archiparaphonista, Nomenclator, mentionem facit nominatim. Ex quo obscurarum vocum explicatio, quæ hic occurrent, repeti potest. Vnum adijciemus, videri nobis Ordinem Romanum interpolatum esse, & ex Albino quidem, cuius hic multa inuenimus, aut si hoc non sit, Albinum multa ex eo excripsisse. Sed alterũ illud mihi magis probatur, eiusque meæ sententiæ rationes proferre possem. Sed quemadmodùm tribus eum libris MS. inuenimus, ità exhibuimus, nihil neque addentes, neque resecantes, nè tibi præiudicaremus, & tuum tibi iudicium integrum constaret.

ISIDORVS.

Sixtus Senẽsis in Bibliotheca sua, & Trithemius.

Isidorus Hispalensis Episcopus, ad differentiam Isidori senioris Cordubensis Episcopi, Isidorus iunior appellatus, & vt quidam putant, diui Gregorij discipulus, vir eximiæ sanctitatis et eruditionis, diuinarum scripturarum peritissimus, & in legendis, colligendis, coaptandisq; dictis, ac sententijs & rhapsodijs veterum Patrum ex innumeris & immensis eorum voluminibus desiderium habens inexplebile, & vires omninò inexhaustas, congregauit ex aliorum laboribus innumerabilia penè omnium artiũ ac scientiarum præclara volumina, quæ Trithemius enumerauit, inter quæ hi quoquè vtilissimi omnibus, & ecclesiasticis præsertim, de origine officiorum duo libelli sunt, quos patres quoquè, Ludouici Pij Augusti auspicijs in Synodo Aquisgrani coacti, cùm sibi Canonicorum regulam scribendam sumpsissent, ad reformandos & instruendos Ecclesiasticos viros valdè eos accommodatos cernentes, in suam illam regulam ferè transscripserunt. Sed & H Rabanus Maurus ex eo plurima desumptisse deprehenditur. De eo verò octaui Toletani concilij Patrum præclarum & publicum testimonium adhuc recitabimus: Nostri (inquiunt) seculi Doctor egregius, Ecclesiæ Catholicæ nouissimũ decus, præcedentibus ætate postremus, doctrinæ comparatione non infimus, atque (quod maius est) iam seculorum finitorum doctissimus, cum reuerentia nominandus Isidorus, &c. Floruit sub Heraclona Imperatore Heraclij filio, temporibus Sisebuti regis Gothorum in Hispania, anno Domini 630. cui ob sanctitatem vitæ, die 16. Ianuarij annui statuti sunt honores.

ALBINVS.

In sua BIBLIOTHECA sancta Sixtus Senensis Albino tria nomina tribuit, Albinum Flaccum cognomento Alcuinum appellans: Onuphrius aliter ea, sic nimirùm, collocat: Flaccus Albinus, aliàs Alcuinus. Quorũ auctoritatẽ secuti, sic eũ quoquè inscripsimus, quãuis Flaccũ nunquã, Albinũ autẽ & Alcuinũ sæpè, sed & Alboinũ et Albuinum in scriptis libris inuenerimus. Angliũ omnes, Eboracensem autem fuisse affirmat Onuphrius. Et quandò Caroli Magni auspicijs florere in Gallijs bonæ literæ & in precio esse cœpissent, siue hac fama permotum, siue à Carolo rege accitum, in Galliam venisse historiæ produnt, & Bedæ quidem presbyteri discipulum, Caroli autem Magni præceptorem fuisse omnes consentiunt, suæq; ætatis atque Galliarum doctissimum Magistrum Amalarius nominat, vt inter eius quoquè discipulos Amalarius ac H Rabanus ab alijs numerentur. Atque cùm Carolus Magnus in Synodi Francofordiensis actis affirmet, se de Britanniæ partibus aliquos Ecclesiasticos viros conuocauisse, inter hos etiàm Albinum, non quidem tunc primùm euocatum, sed fuisse tamen multi autumant. Quod mihi facilè persuadet, virum ista ætate adeò celebrem, & Carolo gratissimum atque amicissimum, quem à latere suo, nisi cùm bellis implicaretur, nunquàm discedere, quem magistrum suum, et se eius discipulum nominari voluit, secum ab eo ad Concilium esse adductum. Et cæteros quidem ab eo doctissimè

doctissimè scriptos quamplures libros Trithemius & Sixtus enumerarunt: Sed Guilielmus Eisengrein in Catalogo testium veritatis, inter eos hunc de mysterio Missæ & aliorum rituum explicatione ad Carolum Magnum, etiàm recenset à Trithemio prætermissum. In quo, vt Galli, quæ susceperant Romana officia, quàm essent pulchrè ordinata, intelligerent, ex Romano ordine, Sacramentario & Antiphonario ea sibi explicanda sumpsisse, in eorum gratiam uidetur. Et ipse quidem se Albinus nunquàm prodit, nisi vno tantùm in loco, vbi de Gallijs loquens, & se inter illos, Gallorum ciuitate scilicet donatus, ac longa cum eis consuetudine Gallus factus, referens: Huiusmodi habitus, inquit, ità notus est in nostris regionibus, vt ex eo Gallia Bracata cognominata sit. & paulò antè, Huiusmodi vestis non habetur in Romana Ecclesia, vel in nostris regionibus. sed de eo, ex Amalario testimoniũ proferamus, ex quo perspicuum fiat, quãto apud Gallos in precio fuerit, & quàm fuerit diuinorum officiorũ diligentissimus & peritissimus excultor. Audiui, inquit capite 58. in libello de ordine Antiphonarij, illos Responsorios cantari in isto ordine, quando videbar puer esse ante Albinum doctissimũ magistrum regionis nostræ. & cap. 67. Audiui illas Antiphonas in ea festiuitate canere Albinũ doctissimum Magistrum regionis nostræ, de quo sæpè mentionẽ facio. Porrò collegisse ipsum & in ordinem redegisse Caroli Magni iussu, præstantissimorum Ecclesiæ doctorum homilias in Euangelia, quæ per anni ambitum publicè in templis leguntur, Sixtus antè mihi commemoratus auctor est, quod Paulo Diacono alij tribuunt. Abbas S. Martini Turonensis claruit sub Carolo Magno Aug. anno Domini 780.

AMALARIVS.

Hvius quoque nomen non eadẽ ratione scribebatur in antiquis libris, in quibus Amelarius, Amularius, Amalharius, frequentiùs tamen Amalarius, quomodo etiàm Onuphrius scribit, inuenimus. Trithemius habet, Hamularius, & Fortunati cognomen ei addit. Legatũ a Carolo Magno Constantinopolim missum, vt cum Michaele Imperatore pacem constitueret sub annũ Domini 813. historiæ testãtur, quo anno quòd Trithemius eum mortuũ scribat, μνημονικὸν ἁμάρτημα esse apparet, & posteà perspicuum fiet. Diuinorũ officiorũ à puero quàm fuerit pijssimus cultor & diligentissimus obseruator scriptatorq́ue, quòd superiùs ex eo produximus testimoniũ, quo ab Albino quæ puer didicerat, obseruaratque, commemorat, satis arguit. Ad quem modum quemcunq; in locum ipsum venire contingeret, quæ illic in diuinis officijs obseruarentur, diligenter annotasse ex eius his libris persæpè conspicitur. Sic cap. 1. lib. 2. rationẽ reddens, cur Sabbatũ in 12. lectionibus dicatur, cùm tantùm sex sint, ait easdem Græcè & Latinè recitari, eumq; morem Constantinopoli etiàm obseruari. Ità quod de signis ligneis suprà memorauimus, id in Noua Roma, Constantinopolim intelligens, in vsu remansisse, Romæ non itẽ, annotat. Sic in Ordine Antiphonarij: Hunc Psalmum audiui Constantinopoli in Ecclesia S. Sophiæ. Et lib. 4. cap. 17. Propter hoc sacramentum, vt opinor, audiui cantari in Vigilijs Paschæ in Ecclesia Turonensi post lectiones, Benedicite: apud Albinum credo, qui illic Abbas S. Martini fuit: Et Missam quota hora celebrari oporteat, cap. 41. lib. 3. inquirens, Leonẽ refert se vidisse, quòd diluculo ad Missam intrauerit. Ex quo loco cùm se Leone Pontifice, quod factum credo, cùm legatione ad Imperatorẽ Constantinopolitanũ est functus, Romæ fuisse, & in prologo Antiphonarij eò se ad Gregoriũ à Ludouico missum affirmet, bis Romæ fuisse cognoscitur. Quod quãdo & quo anno factum sit, cap. 58. expressit cùm ait: Post hoc veniens Remã anno ab incarnatione octingentesimo tricesimoprimo, sub imperio Domini & pijssimi Imperatoris Ludouici, & Apostolatu glorioſissimi Apostolici Gregorij (IIII. eius nominis) interrogaui &c. Vndè cùm perspiciatur, quãdo & quòd post longam atq; diuturnam diligentemq; eorũ obseruationẽ matura iam ætate ad cõmentarios de diuinis officijs conscribendos Episcopus accesserit, quantũ eius libris tribuendum sit, nemo est qui non intelligat, neque miretur, quòd qui post ipsum de eisdem rebus scripserunt, Berno, Bernoldus, Micrologus, Rupertus, Honorius, Durandus, Radulphus, nemo ferè sit qui non plurimùm ei deferat, & honorificè meminerit tam diligentis de diuinis officijs tractatoris. In quibus conscribendis summa modestia vsus semper, docerique; se ab alijs facilè est passus, & quæ ab eis didicisset, cãdidè nunquã dissimulauit. Vndè in Antiphonarij initio: Interrogaui, inquit, Archidiaconũ Theodorum sanctæ Romanæ Ecclesiæ, quem rogauit Dominus Apostolicus, vt me instrueret iuxta interrogationem meam de ordine Romani officij, &c. & postea sæpè, quæ ab eo percontatus sit, quæ à magistris Romanæ Ecclesiæ, quæ à Gallis, qui eos Magistros audiuerant, quos Romani cantus sui melodiã primum docuerant: Sed & Gregoriũ Apostolicũ se de rebus ad diuina officia pertinentibus interrogasse cõmemorat. Scripsit autẽ, vt ex superioribus cognoscimus, de ordine Antiphonarij post annũ Domini 831. In quo cũ citet Officiales libros (sic appellat quatuor illos ad Ludouicũ Piũ) illos ante hunc à se perscriptos esse perspicuũ est: sed quòd post annũ Domini 820. scripti sint, alia quadã ratione animaduertimus, nimirũ cũ in epistola dedicatoria, Iudith vxoris Ludouici meminerit: Iudith, inquiens, orthodoxæ

Universidad de Deusto
Biblioteca

doxæ nobilissimæ atq; prudentissimæ Augustæ salus per multos annos, quam post obitū Hermingardis sub annū Domini 820. H Ludouicū duxisse, apud Henricū de Erfordia, legimus. Sed cùm ibidem acclamet etiā, Pijssimos Dominos nostros imperiales natos H Lotharium gloriosissimū coronatum, & fratres eius Christus conseruet, & H Lotharij coronatio in annū Domini 823. inciderit, post hunc quoque annū scriptos hos esse libros, non malè opinor ratiocinari possumus. Sed minuta hæc fortassis sunt, & mihi etiàm talia videntur: cōmemorare tamen volui, vt quādo matura ætate & à iam sene, qui puer Albinū audiuit, cōscripti sint, tanto exactiùs scriptos esse persuasum haberemus, et quòd mortuū Trithemius 813. anno affirmat, secùs esse probaremus. Qui alios quoq; ab eo cōscriptos libros recensēt, De Ecclesiasticis officijs librū vnū, cuius sit initiū, Satis & nimium quidē: & alterū itē de mysterijs Missæ librum, præter eum qui in his quatuor de Missa, pertractat. Nos ex ipso Amalario alios quoq; notauimus: In primis Antiphonariū ex Metensi & Romanis tribus, quos in Corbeiensi monasterio reperit, cuius quidem rationē in libello de Ordine Antiphonarij, quē exhibemus, explicauit. Deindē de Ordine Cantatorij, tertiò Lectionarium. quorū disertis verbis in Ordine Antiphonarij meminit, vbi aliū quoque de diurnali officio promittit: De duodecim, inquiens, noctibus scripsi in prologo lectionarij, & cogito scribere in commentario diurnalis officij. Qui si oēs exstarent libri, nihil ad exactam diuinorū officiorū cognitionē desideraremus, maximè postquàm opera Ornatiß. D. Pamelij Liturgica, & D. Gregorij Sacramentarium atque Antiphonarium, & D. Hieronymi Lectionarium, ex hac officina, sicut propediem futurum speramus, simus etiàm habituri. Itaque vt hos nobiscum ad publicam vtilitatem inquirant, Ecclesiasticæ antiquitatis studiosos viros rogamus.

RABANI MAVRI VITA EX TRITHEMIO.

Rabanus Maurus sextus Archiepisc. Moguntinus, ex Abbate Fuldēsis monasterij ordinis sancti Benedicti, natione Teutonicus, ex ciuitate Fuldensi in Buchonia, Albini Anglici quondàm auditor, vir in diuinis scripturis eruditissimus, & in secularibus literis nobiliter doctus, philosophus, rhetor, astronomus, & poeta subtilissimus, cui (vt absq; inuidia loquar) nec Italia similem, nec Germania peperit æqualem. In monasterio siquidē Fuldensi adhuc iuuenis monachū induit, & tam moribus quàm scientia mirabiliter profecit, vndè & IIII. eiusdē cœnobij Abbas consecratus, ouibus sibi cōmissis verbo & exemplo XXIIII. annis præfuit, & penè infinita opuscula scripturarū composuit. Tandèm offensus improbitate monachorū suorum, qui eum dicebant nimiùm scripturis intentū, temporalia negligere, agente id in eis diabolo, dissplicentiam contra eū acceperunt, scandalizati in eo, quo maximè debuerant ædificari. Dans igitur locū iræ, nec cum ingratis ouibus diutiùs manere consentiens, monasterium & habitatores eius deseruit, & ad Lodouicū Imperatorem filium Caroli transmigrauit, cū quo & multis diebus permansit. Monachi autē pœnitentia ducti, legationē ad eum mittētes, rogabant vt rediret ad monasteriū, sed non impetrarunt. Mansit ergò cum Imperatore vsque ad mortē Otgarij Moguntinensis Archiepis. in cuius locum suffectus, præfuit Ecclesiæ præfatæ Moguntinæ annis IX. Habita quoquè synodo, multa ad vtilitatē fideliū constituit. Scripsit autē in monasterio Fuldensi adhuc constitutus, tam carmine quàm soluta oratione multa volumina, maximè in scripturis sanctis, quas à principio vsque ad finē oēs explanauit. Moritur sub Lodouico & Lothario principibus, Anno Domini 855. In dictione tertia, Episcopatus sui anno 9. Sepultus in monasterio S. Albani prope Moguntiam, non sine opinione sanctitatis. Porrò de Institutione clericorū libros ante episcopatum scripsit, eosdemque antequam Amalarius de diuinis officijs scribere inciperet, ab ipso editos postea animaduertimus, quòd H eist ulpho eos dedicauerit, qui Archiepiscopus Moguntinus sub annum Domini 815. mortuus esse perhibetur.

VVALAFRIDVS.

Eius ætatem Guilielmus Eisengrein meliùs expressit, quàm Trithemius, eamq; ex ipsius libello colligi posse animaduertit etiā Cochlæus, in quo, præter alios, Ludouici Pij meminit. Itaq; de eo sic post Trithemum Guilielmus Eisengrein: Vualafridus cognomento Strabo, à vitio oculorum, Monachus & Abbas diuitis Augiæ, natione Germanus, vir omni doctrinarum genere celeberrimus, poeta grauis & insignis sui seculi historiographus, duobus libris vitas Sanctorum Galli & Othmari Sangallensium abbatum, à Gosberto Benedictinæ professionis Monacho rogatus scripsit. Apocalypsin item B. Stephani Rom. Pontificis, Moritur anno Saluatoris Christi 849.

BERNO.

Cvm Henrico Imperatore Romæ se fuisse, Pontifice Benedicto, cap. 2. significat, quòd fortè in Coronatione Henrici fuit, quæ in Annum Domini 1014. incidit. Itaque hinc de eius ætate testimoniū habemus. de quo sic Eisengrein: Berno, alijs Bernardus, ex Prumiensi Benedictinæ professionis Monacho, Abbas Augiensis, natione Germanus, qui se in publicis scriptis egregio humilitatis exemplo pastorem

vem appellat. Scripsit inter reliqua scripturarum monumenta Epistolas ad S. Henricum Imperatorem de vera laude regis, Tractatum de Aduentu Domini, ad Aribonem Archiepiscopum Moguntinum, Librum de ieiunio Sabbati ad Pilegrinum Archipræsulem Colouiensem, Alium de ieiunio quatuor temporum, Vitā S. Vlrici episcopi Augustani, De officio Missæ volumen. Obijt VII. Idus Iunij, Anno Domini 1048. sepultus in Augiensi quam cōstruxerat basilica, in Sacello S. Marci, cùm præfuisset annis 40.

Huius in hoc scripto meminit quod nunc est editum.

PETRVS DAMIANVS.

Ex Trithemio.

Petrus Damiani, ex Monacho diui Patris Benedicti, Episcopus Ostiensis, & sacrosanctæ Rom. Ecclesiæ Cardinalis, vir in diuinis scripturis studiosus & eruditus, & secularium literarum nō ignarus, ingenio mitis & acutus, eloquio placidus & compositus, & ad persuadendum satis idoneus, non minus sanctitate quàm eruditione clarus & insignis effulsit. Qui exemplo magni Gregorij antistitis, amore solitudinis & quietis, Episcopatum suum deserens, posteà quàm illum annis aliquot strenuè gubernauerat, ad cœnobium suum reuersus est, & vitam deinceps cum fratribus in tranquillitate animi exegit. Cum autem à Summo Pontifice charitatiua increpatione argueretur, cur Episcopatum, vtpote vir vtilis & idoneus, dimisisset amore salutis priuatæ, ad tres sibi inuicem succedentes, Nicolaum secundum, Alexandrum secundum, & Gregorium septimum, Rom. Pontifices, apologeticos edidit, in quibus auctoritate, ratione, & exemplo, factum suum humiliter excusans, animos eorum placauit. De cuius opusculis subiecta feruntur: Ad Leonem Eremitam, Vtrum solitarius orans horas Canonicas, debeat etiam dicere, Dominus vobiscum, quando nemo sit qui respondeat: Opusculum instructum, quod prænotatur, Dominus vobiscum. &c.

MICROLOGVS.

Avctor huius libelli, Gregorio septimo σύγχρονος, & Anselmi Lucensis familiaris, floruit sub annum Domini 1080. De diuinis officijs scripsit perquàm diligenter, & Ordinis Romani cap. 9. 10. 11. 17. & alijs quoque in locis meminit. cætera apud Pamelium in eius præfatione leges. Librum nos vnū vidimus, in quo Micrologus Iohānis: & aliū, in quo Micrologus Iohannis Episcopi inscriberetur.

IVO.

Ivo Carnotēsis episcopus ex præposito S. Quintini Beluacensis, Ordinis Canonicorum regulariū D. Patris Augustini, quem Ordinem sub annum Domini 1080. restituisse Onuphrius in Chronico suo refert, Scripsit insigne & præclarum opus Decretorum, quod opera Io. Mol. Gandensis V. I. Doctoris, in lucem superioribus annis emissum, variæ & multiugæ lectionis atque eruditionis præclarum testimonium ei præbuit. Hi quoquè, quos nunc damus, sermones insignem eius pietatem quam spirant, & eruditionem qua sunt referti, ob oculos omnibus subijcient.

HILDEBERTVS.

Ex Gullielmo Eisengrein.

Hildebertus Cenomanensis episcopus, quem Honorius II. Pontifex, quòd plurimum heroico carmine valeret, tanta beneuolentia est complexus, vt nullum genus officij prætermitteret, quo eum ad honestiorem dignitatis gradum euehi posse existimaret, & Turonensem Archipræsulem crearet, Berengarij Turonensis auditor quondàm, sed persecutor erroris. Scripsit de officio Missæ librum, Alium de Sacramento altaris, & alium de vitæ huius miseria. Qui si Honorio II. familiaris fuit, sub annum Domini 1124. quo hic est Pontifex designatus, floruisse constat.

RVPERTVS ABBAS.

De Ruperto Abbate monasterij Tuitiēsis, uide infra in eius epistola prolib. de diuinis offi. pag. 462.

PETRVS ABBAS CLVNIACENSIS.

Ex Trithemio.

Petrus Abbas Cluniacensis ordinis S. Benedicti, vir in diuinis scripturis iugi exercitatione doctus, ingenio placidus, sermone dulcis, atque compositus, & ad persuadendum, satis idoneus: conuersatione deuotus, & laudabilis, ac regularis obseruantiæ zelator insignis, nomen suum scribendo posteris notificans ad vtilitatem legentium quædam deuota composuit opuscula, de quibus ista feruntur.

Reuelationes multorum lib. I. De conuersatione eremitica lib. I. Epistolarum ad diuersos lib. I

Alia quoque nonnulla edidit, quæ ad notitiam meam, nondum venerunt. Præsertim opusculum hoc quod quidem suum esse, recentiores constantissimè tuentur. Claruit circa An. Do. M.C.

Ex F. Nicolao Aurifico Senē. in speculo Missæ.

RADVLPHVS.

Radulphum de Riuo nihil feciſſe diligentiùs, quàm vt diuina officia scrutaretur, nihil magis exoptasse quàm vt eis antiqua dignitas constaret, omnisque ab eisdem nouitas exularet, cùm ex hoc eius libro satis perspicitur, tum magis etiàm perspiceretur, si ea eius scripta quæ Romæ reliquisse, indeq; se expectare scribit, exstarent. Quod optare quidem, præstare verò nequaquam possumus. Est verò hoc

suæ

Universidad de Deusto
Biblioteca

AD LECTOREM.

Suæ diligentiæ studijque non leue etiàm argumentum, quòd Roma Antiphonarium Romanum antiquũ ad Tungrẽses suos secũ attulerit, ad cuius velut regulæ exploraret & suæ et aliarũ ecclesiarũ officia. De quo cùm apud Trithemiũ nihil inueniamus, quod in Tũgrẽsis Ecclesiæ Calẽdario reperitur, subijciemus.

Anno Millesimo quadringentesimo tertio, in die S. Huberti, videlicet tertia die mẽsis Nouembris, obijt M. Radulphus de Breda, aliàs de Riuo, decanus, dum vixit, ecclesiæ beatæ Mariæ Virginis oppidi Tungrensis, patriæ & diœcesis Leodiensis.

GEMMA ANIMAE.

Ex Aurifico in speculo Missæ.

DE Auctore huius libri non satis constat. Iacobus Pamelius Brugensis, vir in conquirendis veterum monimentis diligentissimus, Honorio cuidam ipsum ascribit: quis verò fuerit iste Honorius, quo vel tempore floruerit, nullam facit mentionem:

Tamen si libri initium perpendatur, Solitarium, Monachum, & fortè Abbatem, Virum pium, atque eruditum, eius auctorem fuisse constabit, de quo nihil apud Scriptores.

ORDINIS ROMANI SVMMA ET PRAECIPVA CAPITA.

ORDO processionis ad Ecclesiam siue Missam. Pagina 1.
ORDO processionis si quandò Episcopus festiuis diebus Missam celebrare voluerit, ità vt ab antiquis patribus Occidentalium institutione est constitutus. 4.
ORDO ecclesiasticus Romanæ Ecclesiæ, vel, qualiter Missa celebratur. 7.
ORDO ROM. Qualiter celebrandum sit officium Missæ. 11.
ORDO Catholicorum librorum qui in Romana Ecclesia ponuntur ad legendum. 14.
ORDO in vigilia Natalis Domini. 14.
ORDO in Natali S. Stephani. 15.
ORDO in Natali S. Iohannis Euang. 15.
ORDO in Natali SS. Innocentum. 15.
ORDO in Octauis Domini. 15.
ORDO in Vigilia Theophaniæ. 15.
ORDO in Octaua Theophaniæ. 16.
ORDO in Purificatione S. Mariæ. 16.
ORDO in Cathedra S. Petri. 17.
Annunciatio S. Mariæ. 17.
De Septuagesima, &c. 17.
ORDO in quarta feria quadragesimæ, quæ est in capite Ieiunij. 18. vbi de FORMA SVSCIPIENDI Pœnitentes,
Denunciatio mensis primi, quarti, septimi, & decimi. 21.
ORDO vel denunciatio Scrutinij ad electos, quod tertia hebdomada in quadragesima, secunda feria nunciatur. 22.
ORDO à Dominica mediana vsque in octauas paschæ de officijs diuinis, diebus ac noctibus breuiter digestus. 25.
ORDO in Sabbato ante Palmas. 25.
ORDO in die Palmarum. 26. alius. 34.
ORDO in feria quarta hebdomadæ maioris. 35.
ORDO in Cœna Domini. 35. vbi de FORMA Pœnitentes reconciliandi.
ORDO in nocte & die Parasceues. 46.
ORDO in nocte & die Sabbati sancti. 49.
ORDO in Vigilia & in die sancto Paschæ. 55. vbi de ritu baptismi.
De Sabbato infra Albas. 57.
ORDO in Octauis Paschæ. 58.
ORDO in Litania Maiore. 58.
De Litania Minore. 58.
ORDO in Inuentione S. CRVCIS. 58.
ORDO in Vigilia Ascensionis. 58.
ORDO in Sabbato sancto Pentecostes, & in nocte Pentecostes. 59.
ORDO de Octaua Pentecostes. 59.
Denunciatio ieiunij mensis. I. IIII. VII. & X. 59. Alterius partis summa Capita.
ORDO ad Capillaturam incidendam. 62.
ORDO, qualiter in Romana Ecclesia sacri ordines fiunt. 63.
ORDO, qualiter Episcopus in Romana Ecclesia ordinetur. 70.
ORDO de ædificanda Ecclesia. 77.
ORDO ROMANVS ad dedicandã Ecclesiã. 94.
ORDO ad regem benedicendum. 96.
ORDO ROMANVS ad benedicendum Imperatorem. 99.
ORDO ad Monachum faciendum. 100.
ORDINATIO ABBATIS. 102.
CONSECRATIO sacræ virginis. 103.
ORDINATIO abbatissæ Canonicam regulam professitentis. 106.
ORDINATIO Abbatissæ Monasticam regulã professitentis. 107.
CONSECRATIO virginum, quæ à seculo cõuersæ, in domibus suis susceptum castitatis habitum, priuatim obseruare voluerint. 108.
CONSECRATIO viduæ, quæ fuerit castitatem professa. 109.
ORDO ROMANVS, qualiter concilium agatur generale. 109.
ORDO, qualiter agatur concilium prouinciale. 111.
ORDO ad benedicendam sponsam. 115.
ORDO ad armãdum Ecclesiæ defensorem vel aliũ militem. 115.

ORDO

ORDO ROMANVS ANTIQVVS DE DIVINIS CATHOLICAE ECCLESIAE OFFICIIS ET MINISTERIIS PER TOTIVS ANNI CIRCVLVM.

SOCIETATIS IESV BIBLIOTHECA COLLEGII BRUXELLENSIS

ORDO PROCESSIONIS AD ECCLESIAM SIVE MISSAM.

DEnunciata statione diebus festis, primo manè præcedit omnis clerus põtificem ad ecclesiam, exceptis qui in obsequio illius comitantur, qui ordine suo scribuntur, expectantes pontificem in ecclesia.

Sed dum venerit pontifex propè ecclesiam, exeuntes acolyti & defensores ex regione illa, cuius dies ad officium fuerit in obsequio, præstolantur eum loco statuto, antequã veniat vbi descensurus est. Similiter & presbyter tituli vel ecclesiæ, vbi statio fuerit, vnà cum Maioribus domus illius ciuitatis, vel patre diaconiæ, si tamen illa ecclesia diaconiæ fuerit, cum subdito sibi presbytero & mansionario, thymiamateria deferentibus in obsequium illius, inclinato capite dum venerit. Acolyti quidem cum defensoribus primùm, deindè presbyteri cum suis petita benedictione, diuisis hincindè partibus, prout militant, præcedunt pontificem vsq; ad ecclesiam.

Cùm verò ecclesiam introierit pontifex, nõ ascendit continuò ad altare, sed prius intrat in secretarium sustentatus à diaconibus, qui eum susceperint de sellari descendentem. Vbi cùm intrauerit, sedet in sella sua. Et diaconi salutato pontifice, egrediuntur è secretario, & ante fores eiusdem mutant vestimenta sua. Et parat Euangelium qui lecturus est, reserato sigillo ex præcepto archidiaconi super planetã acolyti.

Pontifex autem per manus subdiaconorum regionariorum mutans vestimẽta solennia, ordinabiliter compositis per primicerium & secundicerium vestimentis eius, vt benè sedeant, nouissimè per diaconum vel subdiaconum, cui ipse iusserit, pallio superinduitur, & configitur per acus in planeta retro & ante, & in humero sinistro. Deinde subdiaconus regionarius porrigit ei mappulam, inclinans se ad genua ipsius.

His ita cõpositis, inuitante ad regiam secretarij præfato subdiacono scholã, quartus scholæ, qui semper nunciat pontifici de cantoribus, adstans ante faciem põtificis, & nutum eius ad A psallendum expectans, statim dum innuit ei, egreditur ante fores secretarij & dicit, Accẽdite.

Qui dum incenderint, statim subdiaconus sequens, tenens thymiamaterium aureum pro foribus, ponit incensum, vt pergat ante pontificem. Et ille quartus scholæ ad priorem vel secundũ, siue tertium, inclinato capite, dicit: Domini, iubete.

Tunc statuuntur duæ acies in choro, per ordinem ab vtroque latere, & mox incipit prior scholæ antiphonam ad introitum. Subdiaconi verò de schola, leuant planetas cum sinu. Quorum vocem diaconi dum audierint, continuò intrant ad pontificem in secretarium.

Tunc pontifex eleuans se, dat manum dexteram duobus presbyteris, & illi osculatis manibus ipsius, procedunt cum ipso sustentãtes eũ, præcedentibus ante eos diaconibus septem.

Tunc ministri cum thymiamaterio & thuribulis non amplius ternis, procedũt ante ipsum mittentes incensum, & VII. Acolyti portãtes septem cereostata foras ecclesiam accensa, procedunt ante pontificem vsque in chorum. Post thuribula portatur Euangelium propius Episcopo. Eadem autem processio fit ab austro in septentrionem.

Tunc procedit pontifex, & antequam veniat ad scholam, diuiduntur cereostata quatuor ad dextram, tria ad sinistram.

Et pertransit pontifex in caput scholæ, & in gradu superiore, inclinato capite ad altare, primò adorat sancta, & stat semper inclinatus vsq; ad versum prophetalem. Tunc * surgens, & faciens crucem in fronte sua, dat pacem presbyteris duobus & diaconibus omnibus, qui dexteram læuaque sũt, de altiore gradu, numero minori: & de inferiore, maiori: & respiciens ad priorem scholæ, annuit ei, vt dicat, Gloria patri. Et prior scholę inclinans se pontifici, dat gloriam Trinitati. Et pontifex à sæpè dictis presbyteris in superiorem ducendus est gradum, non omnino ad altare. In quo etiam loco figẽdus est gressus, vsquequò presbyteri primùm, & tunc duo & duo diaconi altaris cornua osculentur, & nouissimè archidiaconus solus. Euãgelium verò, statim postquam ad altare ventum fuerit, super

* Erigens se

Universidad de Deusto
Biblioteca

ponitur. Subdiaconi autem, quasi quadam linea porrecti vsque ad altare progredientes, simul se inclinant coram eo, atque Euangelio, vt prædictum est, superposito, redeuntes in chorum, quatuor in dextera, & tres in sinistra parte consistunt.

Diaconi verò, sicut priùs stantes retro Episcopum inclinati, quandò dicitur, Sicut erat in principio, surgunt vt salutẽt latera altaris priùs, id est, ante Episcopum, duo & duo vicissim, & redeunt ad Episcopum.

Tandèm Episcopus osculatur Euangelium & altare, & pergit ad dexteram altaris ad sedem suam, & stat erectus & versùs Orientem, & diaconi retro illum, vnus post vnum stantes erecti, plures ad dexterã, pauciores ad sinistrã altaris.

Schola verò ad nutum diaconi, imponit Litaniam, Kyrie eleison, Christe eleison, & reliqua. Et continuò acolyti ponunt cereostata in pauimento ecclesiæ, quatuor quidem in dexteram partem, & tria in sinistram: vel, vt alij volunt, lineatim ab austro in septentrionem.

Litania finita, incipit solus pontifex clara voce hymnum, Gloria in excelsis Deo, si tempus fuerit. Deindè verò totus respondet chorus: Et in terra pax hominibus. Et non sedet priùs Episcopus, antequàm dicant post orationem primam, Amen.

Postea salutans populum pontifex, dicit. Pax vobiscum, siue, Pax vobis. Sacerdos autem, dominus vobiscum. Resp. Et cum spiritu tuo. Deindè dicit, Oremus. Sequitur oratio prima, quam Collectam dicunt, vsque, Per dominum nostrũ Iesum Christum filium tuum, qui tecum viuit & regnat Deus in vnitate Spiritus sancti, per omnia secula seculorum. Resp. Amen.

Tunc tolluntur cereostata de loco, in quo priùs steterant, vt ponantur in vna linea ab Oriente in Occidentem per mediam ecclesiam.

Post primam autem datam orationem, pontifex sedet tribus horis versus ad populum, & presbyteri cum eo ad nutum eius, & diaconi stant ante pontificem. Subdiaconi autem ascendunt ad altare, statuentes se ad dextram siue sinistrã. Subdiaconus verò, qui lecturus est, mox vt viderit post pontificem presbyteros residentes, ascendit in ambonem vt legat, non tamen in superiorem gradum, quem solus solet ascendere, qui Euangelium lecturus est.

Postquàm legerit, cantor cum cantorio sinè aliqua necessitate ascendit, non superiùs, sed stat in eodem loco vbi & lector, & solus inchoat Responsorium, & cuncti in choro respondent, & idem solus Versum Responsorij cantat.

Si fuerit tempus vt dicatur Alleluia, benè: sin autem, Tractus: sin minùs, tantummodò Respõsorium. Cantor verò qui inchoat Alleluia, ipse solus cantat versum de Alleluia. Ipse iterum Alleluia dicit, stans in eodem gradu, id est, inferiore. Sequitur iubilatio, quam Sequentiam vocãt.

Deindè diaconus osculans pedes pontificis, petitaq; benedictione, venit ante altare, & oscu-

A lans Euãgelium, leuat in manus suas codicem, in quo lecturus est, & partem eius in dextero humero ponens, vadit ad ambonem. Et procedũt ante ipsum duo subdiaconi, cum duobus thuribulis, siue vno, leuantes thymiamaterium de manu subdiaconi sequentis, mittentes incensũ. Et duo acolyti portantes duo cereostata, veniẽ- Microl. e. 9.
tes ante ambonem diuiduntur à se, & transeunt subdiaconi & diaconi cum Euangelio per medium eorum. Subdiaconi autem duo cum thuribulis ante Euangelium in ambonem ex vna parte ascendentes, & ex altera parte statim descendentes, redeunt stare ante gradum descensionis ambonis. Ille autẽ absque thymiamaterio vertẽs se ad diaconum, porrigit ei brachium suum
B sinistrum, in quo ponit Euangeliũ, vt manu subdiaconi aperiatur ei locus, in quo signũ lectionis positum fuerit. Inuentoq; loco lectionis, ascendit in ambonem in superiorem gradum, & dicit, Dominus vobiscum. Resp. omnis, Et cum spiritu tuo.

Quo audito, vertit se pontifex & omnis sacerdotalis gradus, siue omnis populus fidelis ad Orientem.

Et postquàm dixerit, Sequentia sancti Euangelij secundùm Lucam, siue Marcum, & reliqua, facit crucis signũ in fronte sua idem diaconus, Ibidem.
& in pectore, similiterq; Episcopus & omnis populus, & reuertuntur ad Euangelium. Sed & baculi omnium deponuntur de manibus, & in ipsa hora neque corona, neque aliud operimentũ
C super capita eorum habetur. Ipse verò diaconus Microl. hũc
stat versus ad meridiem, ad quã partem viri so- locum citat
lent confluere, aliàs autem ad septentrionem. cap. 9.
Sed & candelæ in pauimento, prædicante eo Euangelium, de manibus acolytorum iuxta ambonẽ deponũtur vsque finitum tẽpus Euãgelij.

Perlecto Euangelio, iterum se signo sanctæ Crucis populus munire festinat, & descendente diacono de ambone, subdiaconus qui in filo stat, recipit Euangelium, quod tenens ante pectus suum super planetam, porrigit osculãdum primùm Episcopo aut presbytero, deindè omnibus per ordinẽ graduum qui steterint, & vniuerso clero, necnon & populo, deindè conditur in loco suo.

D Post lectum Euangelium, candelæ in loco suo extinguuntur, & ab Episcopo, Credo in vnum Deum cantatur, & thuribula per altaria portãtur, & posteà ad nares hominum feruntur, & per manum fumus ad os trahitur.

Deindè salutat Episcopus populũ, dicẽs: Dominus vobiscũ. posteà dicit: Oremus. Tũc canitur offertoriũ cũ Versibus. Tũc venit subdiaconus, ferẽs in brachio dextro patenã, & in sinistro calicẽ, in quo recipiũtur amulæ populorũ, & super calicẽ corporale, id est, sindonẽ, quod accipiens diaconus, ponit super altare à dextris, proiecto capite altero ad diaconẽ secũdũ, vt expandant. Deindè trãsit sacerdos ad suscipiẽdas oblaE tiones. Interìm cãtores cãtãt offertorium cũ versibus, & populus dat oblõnes suas, id est, panem

& vinum

& vinum, & offerunt cũ sanonibus candidis, pri- A
mò masculi, deindè fœminæ: nouissimè verò sacerdotes & diaconi offerunt, sed solum panẽ, & hoc ante altare. Subdiaconus verò cum calice vacuo sequitur archidiaconum: & pontifice oblationes populorum suscipiente, archidiaconus suscipit post eum amulas, & refundit in calicem maiorem, tenente eum subdiacono, quẽ sequitur cum scypho super planetam acolytus, in quem calix impletus refunditur. Oblationes autem à pontifice suscipit subdiaconus, & ponit in sindonem, quæ eum sequitur, quam tenent duo acolyti.

Tunc tenentibus duobus presbyteris manus B
eius, Episcopus redit in sedem, & lauat manus suas, deindè respicit archidiaconus in faciem pontificis, & innuit ei. Et ille resalutato eo, & cantãtibus adhuc cantoribus, accedit ad altare.

Tunc subdiaconi leuantes oblatas de manu subdiaconi sequentis, porrigunt archidiacono, & ille componit altare. Ornato verò altari, archidiaconus sumit amulã pontificis cũ vino de subdiacono, & refundit super colum in calicem: deindè descendit subdiaconus sequens in scholam, & accipit fontem de manu archiparaphoniſtæ, & defert archidiacono, & ille ex amu- C
la infundit, faciens crucem in calicem, & ascendunt diaconi ad pontificem.

Tunc surgens pontifex à sede, & cantantibus adhuc cantoribus, descendit ad altare, & orat, & salutat altare, & suscipit oblatas de manu presbyterorum & diaconorum, quibus licitum est accedere ad altare. Deindè archidiaconus suscipit oblatas duas de oblationario, & dat põtifici: quas dum posuerit pontifex in altare, leuat calicẽ archidiaconus de manu subdiaconi, & ponit eum super altare iuxta oblationes pon-
Microl. ca. tificis à dextris, inuolutis ansis cum offertorio
10. suo, quod etiàm ponit in dextro cornu altaris. Post oblationem ponitur incensum super alta- D
re, & pontifex inclinans se paululum ad altare, respicit scholam, & annuit vt sileant, & conuertit se ad populum, dicens, Orate.

Tunc finito offertorio, ordinantur presbyteri post pontificem, & archidiaconus à dextris eorum, secundus diaconus à sinistris, & cæteri per ordinem dispositа acie.

Subdiaconi etiàm finito offertorio, vadunt retro altare, adspicientes ad pontificem, stãtes erecti, vsque dum dicta oratione super oblationes secreta, & Episcopo alta voce incipiente, Per omnia secula seculorum: post salutationẽ E
& exhortationem finita præfatione, incipiãt dicere hymnum angelicum, id est, Sanctus, Sanctus, Sanctus, in quo bis repetitur Osanna. Quæ dum expleuerint, surgit solus pontifex, & tacitò intrat in canonem, & diaconi, subdiaconi, & presbyteri, in presbyterio omnes permanent inclinati. In quo etiàm Canone sex ordines crucium obseruantur, quorum primus est vbi dicitur: Vt accepta habeas, & benedicas hęc dona, hæc munera, hæc sancta sacrificia illi

bata. Secundus quippe est, vbi dicitur: Quam oblationem tu Deus in omnibus quæsumus benedictam, ascriptam, ratam. Tertius nanque est crucis ordo, vbi narratur: Et accipiens panẽ in sanctas ac venerabiles manus suas, benedixit. Item: Tibi gratias agens, benedixit. Quartus, vbi subinfertur: Hostiam puram, hostiam sanctam, hostiam immaculatam, panem sanctum vitæ æternæ, & calicem salutis perpetuę. Quintus, vbi dicitur: Per quem hæc omnia Domine semper bona creas, sanctificas, viuificas, benedicis. Sextus quidem ordo sequitur, quandò profertur: Per ipsum, & cum ipso, & in ipso, quandò cùm oblata calix tangitur. B

In eodem officio diaconi adhuc inclinati, per ministerium acolytorũ lauant manus suas. Et sacerdos quãdò dicit, Supplices te rogamus, humiliato capite, inclinat se ante altare. Et cũ dixerit, aperta clamãs voce, Nobis quoquè peccatoribus: surgunt subdiaconi, & stant in loco, vbi antè steterunt, & sursùm adspiciunt in faciem pontificis.

Cùm dixerint, Per quem hæc omnia Domine, erigit se archidiaconus solus. Et cùm dixerit, Per ipsum, & cum ipso, leuat cũ offertorio calicem per ansas, & tenet exaltans illum iux- C
ta pontificem. Pontifex autem tangit è latere Microl. ca.
calicem, cum oblatis duas faciens cruces, & di- 17.
cens, Per ipsum, & cum ipso, vsque, Per omnia secula seculorum. Et ponit Pontifex oblationes in loco suo, & archidiaconus calicem iuxta eas, dimisso offertorio in ansas eiusdem. Sequitur in altum præfatio Dominicæ orationis, & oratio Dominica cum emboli sua, in qua tres articuli orationis inueniuntur.

Subdiaconi autem postquàm viderint calicem, in quo sanguis Domini est, fanone circundatum, & audierint, Sed libera nos à malo: vadunt & præparant calices, siue sindones mundas, in quibus recipiant corpus Domini, nè in terram cadat, & in puluerem vertatur, post diaconos stantes, donèc ex eo populus vitæ sumat confortationem æternæ.

Nam quod intermisimus de patena, quan- Microl. ca.
dò inchoatur Canon, venit acolytus, sub hume- 10.
ro habens sindonem in collo ligatam, tenens patenam ante pectus suum in parte dextera vsque medium canonem. Tunc subdiaconus sequens suscipit eam super planetam, & venit ante altare, expectans quandò eam suscipiat subdiaconus regionarius. Finito autem Canone, subdiaconus regionarius stat cum patena nu- Microl. ca.
da post archidiaconem: quandò dixerit, Et ab 17.
omni perturbatione securi, vertit se archidiaconus, & osculata patena, dat eam tenendam diacono secundo.

Post solutas, vt in his partibus mos est, pontificales benedictiones, cùm dixerit, Pax Domini sit semper vobiscum, mittit in calicem de sancta oblata. Sed archidiaconus pacem dat Episcopo priori: deindè cæteri per ordinem, & populus separatìm viri & fœminæ.

Tũc pontifex rumpit oblatam ex latere dextro, & particulam quam rumpit, super altare relinquit. Reliquas verò oblationes suas ponit in patenam, quam tenet diaconus, & redit ad sedẽ.

Iam archidiaconus leuat calicẽ, & dat eum archisubdiacono, quem tenet iuxta cornu altaris dextrum. Et accedentes subdiaconi cum acolytis, qui sacculos portant à dextris & à sinistris, & * tẽdentibus acolytis brachia cum sacculis, stant à fronte, vt parent sinus sacculorum archidiacono, ad ponendas oblationes, prius à dextris, deindè à sinistris.

al. extendentibus.

Tunc acolyti vadunt dextra læuaque post Episcopos circa altare, reliqui descendunt ad presbyteros, vt frangant hostias, patena præcedit iuxta sedem, deferentibus eam duobus subdiaconibus ad diaconos vt frangant. Sed illi adspiciunt ad faciem pontificis, vt eis innuat frangere. Et dum innuerit, resalutato pontifice confringunt, & archidiaconus euacuato altari oblationibus, respicit in scholã, & innuit eis vt dicãt, Agnus Dei: & vadit ad patenã cũ cæteris.

B

al. consecratione

Expleta * cõfractione, diaconus minor leuatam de subdiacono patenam defert ad sedem, vt communicet pontifex. Qui dum communicauerit, de ipsa sancta quam momorderat, ponit inter manus archidiaconi in calicem, faciẽs crucem ter, dicendo: Fiat commixtio & consecratio corporis & sanguinis Domini nostri Iesu Christi, accipientibus nobis in vitam æternam. Resp. Amẽ. Pax tecũ. R. Et cũ spiritu tuo.

C

Deindè venit archidiaconus cum calice ad cornu altaris, & annunciat stationem, & refuso parum in calicem descypho inter manus acolyti, accedunt primùm Episcopi ad sedem, vt communicent de manu pontificis secũdum ordinem. Sed & presbyteri omnes ascendunt, vt communicent, ad altare. Episcopus autem primus accipit calicem de manu archidiaconi, & stat in cornu altaris, vt confirmet sequentes ordines.

D

Deindè archidiaconus accepto de manu illius calice, resundit in scypho, quem suprà diximus, & tradit calicem subdiacono regionario. Qui tradit ei pugillarem, cum quo confirmet populum. Calicem autem subdiaconus accipit sequens, & dat acolyto, & ille reuocat in paratorium.

Quos dum confirmauerit, id est, quos Papa communicat, descendit pontifex à sede, tenentibus ei manus, qui eum duxerint, vt communicet eos, qui in senatorio sunt: post quem archidiaconus confirmat.

E

Posteà Episcopi communicãt populum, innuente pontifice, & post eos diaconi confirmãt. Presbyteri autem iussu Pontificis communicãt populum, & ipsi vicissim confirmant. Nã mox vt pontifex cœperit communicare populum in senatorio, statim schola incipit antiphonam ad communionem, & psallunt vsq; dum communicato omni populo, etiàm in parte mulierum, redit in sedem: & repetito versu quiescũt.

Post omnes hos, communicat ad sedem regionarios per ordinem, & eos qui in filo steterant, & saccellarium & acolytum, qui patenam tenet, & qui manutergiũ tenet. Et qui aquã dat, & post pontificẽ archidiaconus eos confirmat.

Pontifex verò contemplans populum communicatum esse, innuit per subdiaconum primo scholæ, & ille resalutato eo, dicit, Gloria patri: &, Sicut erat, & versum. Et finita Antiphona. surgit pontifex cum archidiacono, & veniens ad altare, dat orationem ad complendum.

Qua finita, cui præceperit archidiaconus de diaconibus, adspicit ad pontificẽ, vt ei innuat, & dicit ad populum. Ite, Missa est. Resp. Deo gratias.

Tunc septẽ cereostata præcedunt pontificẽ, & subdiaconus cum thuribulo ad secretarium.

Descendente autem illo in presbyteriũ, Episcopi primũ dicunt. Iube Domne benedicere. Respõ. Benedicat vos Dominus. Resp. Amen.

Post Episcop. presbyteri, deindè monachi, deindè de schola, deindè omnes processores, & mansionarij, & intrat in secretarium.

ORDO PROCESSIONIS,

Si quando Episcopus festiuis diebus Missam celebrare voluerit, ità vt ab antiquis patribus occidentalium institutione est constitutus, hic adesse cernitur scriptus.

POstquã prima hora celebrata fuerit in cõuentu fratrũ, qui apud quosdã Capitulũ nuncupatur, à decano vel cãtore singuli ad Missã ministeria acturi, destinandi sunt. Et cũ tintinabulũ ad Tertiã sonuerit, oẽs simul fratres in chorum ordinatim conuenire debent humeralibus & albis, apud quosdam autẽ casulis induti. Sed processionẽ corã Episcopo acturis, à custode Ecclesiæ in sacrario ornamẽta præbẽda sunt: presbyteris duobus, qui Episcopũ ducturi sunt, cappæ: diaconis stolæ & dalmaticæ, subdiaconis verò sibi congruæ vestes, quæ apud quosdã subdiaconales nominantur, & mappulæ in sinistra manu ferendę: acolytis candelabra, & thuribulum portaturis casulæ.

His cũ induti fuerint, acolytis candelabra portãtibus, subdiaconibus archidiacono, qui Euangelium fert, in medio stãte, extra sacrariũ siue intra, vbi se pontifex parat, retro acolytos ordinatim standũ est. Duo autem presbyteri, ità vt ad Missam, excepto quòd cappis induti sint, vestiti vnà cum septem diaconis coram Episcopo stantes, ministrent ei, cantantes cum illo septem pœnitentiales psalmos cum litania.

Tertia verò à fratribus impleta, procedant diaconi de sacrario, diuidentes se in duas partes, quatuor ad dexteram, tres ad sinistram.

Et tunc

Et tunc procedat Episcopus, stetq; extra chorũ, sic propè adeò, vt cãtori manu innuere valeat, cui etiam silendũ est, vsquequò Episcopus cantare iusserit.

A

Dehinc innuente Episcopo, cantetur introitus, & Pontifex à custode Ecclesiæ, qui alba indutus esse debet, incensum accipiẽs, ponat in thuribulum, & archisubdiacono apportante Euangelium, complicatum osculetur: quo tamen à plerisq; reuoluto, illud Euangeliũ, quod illo die legendum est, osculatur.

His impletis, cum psalmus cantatur, innuente Episcopo procedant acolyti cũ candelabris. Primùm vnus, tunc duo & duo, & subdiaconi similiter: protinus diaconi secuturi, & sic procedat sacerdos in chorum, ducẽtibus eum duobus presbyteris, quos cappis iam ante prædixi mus esse indutos, siue, vt alij volũt, diaconibus.

B

Apud quosdam autem in hac processione alijs subdiaconis præcedẽtibus, ille qui lectionem lecturus est cum Euãgelio, retro diaconos Episcopum præcedit: coram quo duo acolyti cum candelabris, vnusquisque cum thuribulo antecedunt, quibus vtique in hoc consentiendum esse volumus.

Igitur vt omnis processio in chorum venerit, acolyti cum candelabris se diuidant, quatuor scilicet in dexteram, & tres in sinistram. Similiq; modo diaconi faciant. Subdiaconi autem protinus, vt in chorum venerint, quasi quadã linea porrecti, vsque ad altare progredientes, simul se inclinent coram eo, atq; Euangelio superposito, quatuor in dextro ei cornu, & tres consistant in sinistro.

C

Pontifex igitur, postquam in medietatem chori perducitur, presbyteris qui eum ducebant, siue diaconibus manus eius osculantibus, propriaq; repetentibus loca, inclinans se, Deũ pro peccatis suis deprecetur.

D

Tunc erectus, primùm duobus presbyteris, deinde diaconis omnibus, pacis oscula dabit per ordinem. In quibusdam enim locis vsus est, & consuetudo, vt his finitis, minister cum thuribulo, subdiaconum Euangelium portantem antecedat ante altare, corã illo incensum ponens, & subdiaconus desuper Euangelium deponens, reuertatur. In alijs verò non incensum ad altare portatur, antequam oblationes altari superponuntur. Igitur his peractis, cum Gloria, innuente Episcopo, cantabitur, à sæpè dictis presbyteris in superiorem ducendus est gradum, non omnino ad altare. In quo etiam loco gressus figendus est, vsquequò primùm presbyter, & tunc duo & duo diaconi altaris cornua osculantur, & nouissimè archidiaconus solus. Sed continuò vt Episcopus in altiora scandere inceperit, subdiaconis qui prius iuxta altare stabant, Gloria Patri choro canente, ad propria loca reuertẽdũ est, & quatuor in dextro choro, tribus in sinistro standum erit. Quibus ità finitis, itẽ versus à choro cantandus est, & Pontifex vsque in medietatem altaris ducendus, vbi se altari inclinans, Euangelium osculetur, & sic demum dextro cornu altaris, vbi etiam sibi sedes parata est, osculum ferat. Tunc alius presbyter proprium repetat locum, alius autem librum Episcopo porrigat, atque reuoluat, & diaconi quatuor in dextro, tres in sinistro altaris cornu consistant. Peracto itaque introitu, annuente Episcopo, cantandum est Kyrie eleison. Sine cuius insinuatione cantorem nihil canere licebit. Et tũc acolyti candelabra in inferiori gradu, quasi quodam filo per rectam lineam ponant, vel, vt quidam volunt, in modum crucis. Igitur cum Gloria in excelsis Deo percantabitur, & Pontifex se ad populum, Pax vobiscum, dicturus, conuertit, diaconi simul cum eo se conuersuri sunt: cumque collecta finierit, lectio legatur, & sedente Episcopo, accedat archidiaconus, & genuflexo ante eum, regat vestimentã illius, & præbens se ad pedem, reuertatur. Finita verò lectione, illis qui gradualem, & alleluia cantaturi sunt iuxta pulpitum, in inferiori gradu standũ est.

Cum autem omnia vsque ad Euangelium impleta fuerint, accedat Princeps Ecclesiæ ad Episcopum, pyxidem, in qua thus habetur, in manu ferens, sequente acolyto, qui thuribulum portat, & impositio in illud incenso ab Episcopo, & subdiacono in dextra parte altaris diaconum præstolante, accedat diaconus ad altare, Deum his verbis adoraturus: Domine, labia mea aperies, & os meum annunciabit laudem tuam. Et adorato altari, genu flectens ante Episcopum, accipiat ab eo benedictionem, & præbens se ad pedem eius, & adhibente manum Episcopo, osculetur eam: & protinus ad altare progrediens, sumat Euangelium continuò lecturus. Candelabra autem ferentes, infra pulpitum cõtra diaconum stare debẽt: sed ille, qui thuribulum tenet, iuxta eum stet in sinistra parte, vsquequo Euangeliũ perlegatur.

Vt autem diaconus legere inceperit, duo acolyti inuoluti in sacrario à custode Ecclesiæ, sacra vasa accepturi sunt, & ea in chorum portaturi, & alter cum calice corporali cooperto, & vino cum aqua mixta, infuso in dextera parte, alterque cum patena in sinistra parte erit. Itaque perlecto Euangelio, accipiat subdiaconus puluinar, & Euangelium à diacono, eumq; præcedat. Coram quo etiam vnus cum thuribulo, & septẽ acolyti cum candelabris, vsque ante altare antecedant. Quò cum peruenerint, Episcopus accepto odore incensi, & Euangelio deosculato, ad prædicationem per manus presbyteri & archidiaconi perducendus est. Et interim dum sermonem facit ad populum, subdiaconus circumeundo fratribus Euangelium adportet, ab omnibus ordinatim deosculandũ. Sin autem Episcopus prædicare noluerit, alta voce incipiat canere, Credo in vnum Deum: & ita omnis chorus incipiens, Patrem omnipotentem, ad finem vsque perducat.

E

Diaconus verò statim, vt à pulpito gradum

Universidad de Deusto
Biblioteca

ad altare ascenderit, accipiens corporale ab acolyto, alio se adiuuante diacono, super altare distendat: quod vtique linteum, ex puro lino esse contextum debet, quia sindone munda corpus Domini legitur inuolutum in sepulcro, & tantæ quantitatis esse debet, vt totam altaris superficiem capiat.

Archisubdiaconus quippe, vt Euangelium, vt ab omnibus clericis deosculatum, super altare deposuerit, accipiens calicem ab acolyto, archidiacono apportet vinum, per colum, quod in sinistra manu Romanus ordo archisubdiaconum auriculari digito ferre iubet, purgandum. Quod vtique vas in id opus ex aliquo metallo formatum, in medio sui plurima quasi acus foramina, ad excolandum vinum ostendit: & illud archisubdiaconus per totum Missæ officiũ in sinistra manu, illo quo prædiximus digito, annulo suspensum portaturus est.

Quibus ita peractis, & symbolo finito, dicat Pontifex ad populum, vnà cum illo diaconis, vt præfati sumus, conuersis: Dominus vobiscũ. &, Oremus. Et tunc illo innuente offertorium cãtetur à choro, & ille à presbytero & archidiacono ad locum vbi oblationes à fidelibus laicis, siue viris siue fœminis offeruntur, easdem accepturus ducatur, præcedentibus coram eo subdiacono cum calice, & acolyto cum patena.

Quò cum peruenerit, diaconus à subdiacono calicem accipiens, omnibus qui oblationes obtulerunt, eisdem ab eo acceptis, & in patenam impositis, manum suã cum calice ad osculandum præbeat, & illum iterum subdiacono det ad portãdum. Ille autem cum presbytero Episcopum ad altare reducat, similiter, vt ante, præcedentibus illis cum calice & patena.

Vbi cum ventum fuerit, & Episcopus sedem petierit, antecedant duo acolyti cum manutergio, & genu flexo ante eum, totum illi sinũ eodem cooperiant, nè lauans manus, aqua casulam spargat. Tertius autem acolytus, aquam illi ministraturus, in medio duorum, genu flectat coram eo. Quod ideo ab antiquis patribus decretum fertur, vt Pontifex, qui tunc cælestem panẽ accepturus est à terreno pane, quê iam à laicis accepit, manus lauando expurget.

Lotis autem manibus, surgat Episcopus, vt accipiat oblationes à duobus presbyteris & diaconibus, & ab omnibus clericis: quos non tam patrum instituta iubent, quàm proprium arbitrium immolare suadet: quas cum acceperit, atque altari superposuerit, apportante sibi archidiacono oblatas in patena, à nullo immolatas, accipiat ex illis quantum sibi sufficere videatur, & alias archidiacono restituat, quas ille custodi Ecclesiæ ad obseruãdum committat. Igitur oblatione altari superposita, accipiens diaconus calicẽ ab archisubdiacono, super altare continuò ponat.

Tunc Episcopus benedicens hostias, & dicens: Veni sanctificator omnipotens æterne Deus, benedic hoc sacrificium tibi præparatum, qui viuis & regnas in secula seculorum: conuertat se, & sumat incensum à custode Ecclesiæ, ponensq; in thuribulum, offerat illud altari, detq́ue archidiacono. Ille verò postquam hoc commẽdauerit acolyto, eat in locum suũ, scilicet in medio diaconorum, qui omnes corã altari retro Episcopum per rectam lineam stare debent.

Tunc Episcopus dicat ad populum conuersus: Orate pro me. Hoc cum dixerit, subdiaconi eant retro altare: & ibi stantes, cantaturi sunt quindecim gradus, & diaconi coram altari similiter. Apud quosdam autem vsus obtinuit, subdiaconos in choro stare vsque dum Sanctus canatur: & hoc finito, eos coram altari retro diaconos aliquot gradibus infra consistere, & tum retro subdiaconos acolytum patenam & fistulam habentem, inferius stare.

Ergo cum dictum fuerit, Sanctus, veniant tres acolyti, aquam diaconis ministraturi: qui cum loti fuerint, & archidiaconus cum Episcopo calicem leuauerit, & ille dixerit, Per omnia secula seculorum: in aliquibus locis, subdiaconis in priorem locum euntibus, diaconi ibi persistunt, vsquedum Pater noster cantabitur. & sic demum omnes reuertũtur. Cumq́; Episcopus, Pater noster, finierit, accipiens archisubdiaconus patenam ab acolyto, offerat eam archidiacono.

Ille autem vt Episcopus dicit, Da propitius pacem, patenam illi accommodans, humerum eius osculetur, statimq́. Episcopo dicente, Per omnia secula seculorum, accipiat benedictionalem librum, & conuersus ad populũ dicat, Humiliate vos ad benedictionẽ: & clero respõdente, Deo gratias, porrigat Episcopo librum.

Expleta autem benedictione, veniens presbyter, accipiat pacem ab Episcopo, eãdem cæteris oblaturus: diaconus verò sumens calicem & patenam ab altari, subdiacono patenam porrigat, quam ille acolyto ad tenẽdum præbeat. Ipse autem diaconus tenens calicem & fistulã, stet ante Episcopum, vsq; dum ex sanguine & corpore Christi, quantum voluerit sumat, & sic calicem & fistulam subdiacono commendet. Quo protinus in sinistrum cornu altaris pergẽte, acolytus ibi cum patena coram Episcopo consistat. Presbyteri ergo & diaconi osculando Episcopum, corpus Christi ab eo manibus accipiãt, in sinistra parte altaris communicaturi. Subdiaconi autem, osculando manũ Episcopi, ore accipiant corpus Christi ab eo.

Postquam verò diaconi in sinistro cornu altaris de sanguine Christi communicent, veniẽtes subdiaconi ordinatim, accipiant sanguinẽ Christi ab archidiacono, manus eius osculantes. Et eidem diacono nimis cautè procurandum est, ne quid in calice aut patena sanguinis vel corporis Christi remaneat.

His ita peractis, duo diaconi complicantes corporale, ponant super calicem, fistula in eo adhuc remanente.

Interim

Interim autem cantetur Agnus Dei, & quæ tunc canenda sunt. Dehinc omnes cum iam communicauerint, acolytus qui patenam portat, in sinistram partem altaris pergens, cum subdiacono consistat. Sedente verò Episcopo, secundum prædictum ordinem tres acolyti, genu flexo ante eum, aquam manibus ministrent.

Lotis autem manibus, surgente Episcopo, conuertente se ad populum, & dicente: Dominus vobiscum, subdiaconus cum calice, & acolytus cum patena, vnà cum diaconibus se conuersuri sunt. Cumque episcopus Collectam finierit, & Diaconus: Ite, missa est, & clerus Deo gratias dixerit, duo diaconi accipientes manus Episcopi, & subdiaconus cum calice, & acolytus cum patena eum antecedentes, vt prædiximus, intrantem, ita exeuntem cum omni processione ad sacrarium reducãt.

INCIPIT ORDO ECCLESIASTICUS *Romanæ Ecclesiæ, vel qualiter Missa celebratur.*

PRimùm omnium obseruandũ est, septem esse regiones Ecclesiastici ordinis vrbis Romæ, & vnamquamq; regionẽ singulos habere diaconos regionarios, & vniuscuiusque regionis acolyti per manum subdiaconi regionarij diacono regionis suæ officij causa subduntur. Quorum diaconorum, si quando quispiam moritur, donec loco eius subrogetur alius, illius regionis acolyti archidiacono obediunt: quia omnes acolyti, cuiuscunque regionis sint, causa ecclesiastici officii ad ministerium eius pertinent. Quod etiam de sequentibus ordinibus intelligendum est, seruato vnicuique per eum proprij gradus [ministeriali ordine] archidiacono in sui ordinis ministerio subditis. Vt si quis, verbi gratia, vim passus fuerit, siue ab ecclesiastico, seu à quacunque militari persona, si à sui ordinis primo, eius causa ad effectum minimè peruenerit, habeat archidiaconus, id est, vicarius Pontificis causam, qualiter subditorum sibi querelas absque notitia possit explicare pontificis: cætera verò per minores ordines finiantur. Nam primò oportet, vt post numerum ecclesiasticarum regionum, sciat, qui voluerit, numerum dierum per hebdomadam, quo ordine circulariter obsequantur. Nam prima feria, regio tertia, id est, Paschæ: secunda feria, regio quarta: tertia feria, regio quinta: feria quarta, regio sexta: feria quinta, regio septima: feria sexta, regio prima: sabbato, regio secunda ordine proprio, tam in processione, quàm in ecclesia vbicunque eos propria dies ratione sui gradus secundum * priscã constitutionem ire vel ministrare compulerit, à ministerio Pontificis non poterit sinè vlla sui deesse excommunicationis sententia, vel animaduersionis disciplina. Quorum ministeria primitùs secundum rationem simplicem

* prisca statione al. prisca cõstitutione

dupliciter diebus singulis * diuidebãtur, id est, in processione Apostolici ad stationem: & in egressu è sacrario vsque ad Missarum consummationem. Diebus itaque solemnibus, sicuti est Pascha, primò omnes acolyti regionis tertiæ, & defensores omnium regionum conueniẽtes diluculo in patriarchio Lateranensi, præcedunt Pontificem pedestres ad stationem: stratores autem laici à dextris & sinistris equi ambulant, ne alicubi titubet: qui autem eos equitantes præcedunt, hi sunt, diacones, primicerius & duo notarij regionarij, defensores regionarij, subdiaconi regionarij. Procedũt vero diuisis turmis, spatium inter se & Apostolicum facientes. Post equum verò hi sunt qui equitãt, Vicedominus, Vestiarius, nomencalator atq; saccellarius: vnus autẽ ex acolytis stationarius præcedit pedester equum Põtificis, gestãs sanctum chrisma manu in mappula inuoluta cum ampulla: sed & omnes acolyti absq; sacculis & sindone & chrismate non procedunt, quod disponit stationarius. Si quis autem adire voluerit Pontificem, si equitat, statim vt eum viderit, descendit de equo, & ex latere viæ, expectat vsque dum ab eo possit audiri, & petita benedictione, discutitur à nomencalatore vel saccellario causa eius, & ipsi indicant Pontifici, & finiunt. Quod & similiter obseruabitur, etiamsi absque vlla petitione ei quispiam obuius fuerit. Qui verò pedester fuerit, tantummodò loco suo figitur, vt ab eo audiatur vel benedicatur. Die autem resurrectionis Dominicæ, procedẽte eo ad sanctam Mariam, notarius regionarius stat in loco, qui dicitur Merulanas: & salutato Põtifice, dicit: In nomine Domini nostri IESV Christi, baptizati sunt hesterna nocte in sancta Dei genitrice Maria infantes, masculi numero tanti, fœminæ tãtæ. Respondet, DEO gratias, & accipit à saccellario solidum vnum: Pontifex autem pergit ad stationẽ feria secunda ad Missam similiter. Feria tertia, in reflexione portici sancti Pauli, tantum obsequuntur ij qui pedestres. In die verò sancto Paschæ, omnes acolyti regionis tertiæ, simul & defensores omnium regionum, conueniunt primo diluculo in patriarchio Lateranensi, vt dum processerit Pontifex, equum illius præcedant. Acolyti autem qui inde fuerint, obseruant, vt portent chrisma ante Põtificem & Euangelia, sindones & saccu los, & aquam manus post eum, sicut supra diximus. Apostolum autem subdiaconus, qui lecturus est, sub cura habebit: Euangelium, archidiaconus: Aquam manus, patenam quotidianam, calicem, scyphos & pugillares, & alios aureos & gemelliones argenteos, cum colatorio argẽteo & aureo, & alio maiore argenteo, amas argenteas, cantatorium, & cætera vasa aurea & argentea, cereostata aurea & argentea de ecclesia Saluatoris, per manus primi mansionarij sumunt, & baiuli portant. Diebus verò festis, calicem & patenam maiores, & Euangelia maiora: de vestiario Dominico exigant sub sigillo

al. diuidũtur.

vestes

Universidad de Deusto
Biblioteca

vestes per numerum, vt non perdantur. Sellam Pontificis cubicularius laicus præcedēs deportat, vt parata sit, dum in sacrario venerit ad denunciatam stationem. Denūciata statione diebus festis primo manè præcedit omnis clerus Apostolicum ad ecclesiam, exceptis his, qui in obsequio illius comitantur, vt suprà diximus, & expectantes Pontificem in Ecclesia cum supplementario, & baiulis, & reliquis qui cruces portant, sedētes in presbyterio. Episcopi quidem ad sinistram intrantes, presbyteri verò in dextram, vt quandò Pontifex sederit, ad eos respiciens, Episcopos ad dexteram sui, presbyteros verò ad sinistram contucatur: sed dum venerit Pontifex propè Ecclesiam, exeuntes acolyti & defensores ex regione illa, cuius dies ad officium fuerit in obsequio, præstolantur eum loco statuto, antequàm veniat vbi descensurus est. Similiter & presbyteri tituli vel Ecclesiæ, vbi statio fuerit, vnà cum maioribus domus Ecclesiæ Romanæ, vel patre diaconiæ (si tamen illa Ecclesia diaconiæ fuerit) cum subdito sibi presbytero & mansionario, thymiamaterium deferentibus in obsequium illius, inclina to capite dum venerit. Acolytus quidem cum defensoribus primùm, deindè presbyter cum suis, petita benedictione, diuisis hincindè partibus, prout militant, præcedunt Pontificem vsque ad Ecclesiam. Aduocatores autem Ecclesiæ stant quidem cum maioribus: non autē procedunt cum eis, sed ipsi tantummodò sequuntur sellarem Pontificis cum acolyto, qui aquam manus portat, quē semper necesse est, sequi Pontificem, vsquedùm ad altare ascendit, paratus sub humero in presbyterio, quādò vocabitur à subdiacono regionario ad aquam tradendam. Cùm verò Ecclesiam introierit Pontifex, non ascendit continuò ad altare, sed prius intrat in secretarium, sustentatus à diaconibus, qui eum susceperant de sellario descendentem: vbi dum intrauerit, sedet in sella sua, & diacones salutato Pontifice, egrediuntur secretarium, & ante fores eiusdem mutant vestimenta sua, & parat Euāgelium qui lecturus est, reserato sigillo ex præcepto archidiaconi super planetam acolyti: &, si necessè fuerit propter maiora Euangelia, duobus acolytis super planetas tenentibus, parat Euangelium: quo facto, acolytus defert Euangelium vsque ante altare in presbyterium, præcedente eum subdiacono sequente, qui eum desuper planetam illius susciens in manibus suis, honorificè super altare ponat. Nam egredientibus diaconibus de secretario, remanent cum Pontifice primicerius defensorum, notarij regionarij, & subdiaconus sequens, qui tenet pallium Pontificis in brachio suo super planetam in sinistro cum acu. Pontifex autem per manus subdiaconorum regionariorū mutat vestimenta solennia hoc ordine: Defert ea plicata cubicularius tōsuratus, accepta de manibus ostiarij, iuxta caput scamni subdiacono regionario, & tunc cæteri subdiaconi regionarij secundùm ordinem suum accipiunt ad induendum Pontificem ista vestimenta, alius lineam, alius cingulum, alius anabolagium, id est, amictum: alius laneam Dalmaticam, & alius planetam, & per ordinem sic induunt Pontificem. Primicerius autem & secundicerius componunt vestimenta eius, vt benè sedeat. Nouissimè autem quem voluerit dominus Pontifex de diaconibus vel subdiaconibus, cui ipse iusserit, sumit de manu subdiaconi sequentis pallium, & induit super Pontificem, & configit eum cum acu in planeta retrò & antè, & in humero sinistro, & salutat Dominum, & dicit: Iube Domne benedicere. Respondet: Saluet nos Dominus, Amen. Deinde subdiaconus regionarius, tenens mappulam Pontificis in sinistro brachio super planetam reuolutam, exiens ad regiam secretarij, dicit, Schola? Respondet. Adsum: & ille, Qui psallit? Respondet, ille & ille. & rediens ad Pontificem subdiaconus, porrigit ei mappulam, inclinās se ad genua ipsius, & dicēs: Serui domini mei, talis subdiaconus regionarius legit Apostolum, & talis & talis de schola cantat. Et posteà non licet alterū mutare in loco lectoris vel cantoris: quod si factum fuerit, archiparaphonista à Pontifice excommunicabitur, id est, quartus scholæ, qui semper Pontifici nunciat de cantoribus. Quod dum nunciatum fuerit Pontifici, statim sequitur quartus scholæ subdiaconū, adstās ante faciē Pontificis, vsque dùm ei annuat Pontifex vt psallant: cui dum annuerit, statim egredietur ante fores secretarij, & dicit: Accendite: qui dum incenderint, statim subdiaconus sequens, tenens thymiamaterium aureum pro foribus, ponit incensum, vt pergat ante Pontificem. Et ille quartus scholæ perueniens in presbyterio ad priorem scholę, vel secundum siue tertium, inclinato capite, dicit; Domini, iubete: tunc illi eleuantes per ordinem, vadunt ante altare, & statuuntur per ordinem acies duæ, paraphonistæ quidem hincindè à foris, infantes ab vtroq; latere infrà per ordinem: & mox incipit prior scholæ antiphonam ad introitum, quorum vocem diaconi dum audierint, continuò intrant ad Pontificem in secretarium, & tunc Pontifex eleuans se, dat manum dextram archidiacono, & sinistram secundo, vel qui fuerint in ordine: & illi osculatis manibus ipsius, procedunt cum ipso, sustentantes eum. Tunc subdiaconus sequens cum thymiamaterio, præcedit ante ipsum mittens incensum, & septem acolyti illius regionis, cuius dies fuerit, portantes septem cereostata accensa, præcedunt ante Pontificem vsque ante altare. Sed priusquàm veniant ante altare, diacones in presbyterio exiuntur planetis, & susciput eas subdiaconus regionarius, & porrigit illas acolytis regionis, cuius fuerint diaconi; & tunc duo acolyti tenentes capsas cū sancta apertas, & subdiaconus sequens cū ipsis, tenens manum suam in ore capsæ, ostendit sancta

cta pontifici, vel diacono qui præcesserit. Tunc inclinato capite pontifex vel diaconus salutat sancta & contemplatur: vt si fuerit superabundans, præcipiat vt ponatur in conditorio. Tūc procedens antequàm veniat ad scholam, diuiduntur cereostata, quatuor ad dexteram, & tria ad sinistram partem: & pertransit pontifex in caput scholæ, inclinato capite ad altare, surgit: & orans, & faciens crucem in fronte sua, dat pacem vni episcopo de hebdomadariis, & archipresbytero, & diaconibus omnibus, & respiciēs ad priorem scholæ, annuit ei vt dicat Gloriam: & prior scholæ inclinat se pontifici, & imponit. Quartus verò scholæ præcedit ad pōtificem, vt ponat oratorium ante altare, si tempus fuerit: & accedens pontifex, orat super ipsum vsque ad repetitionem versus. Nam diaconi surgunt, quando dicunt: Sicut erat, vt salutēt altaris latera, priùs duo, & duo, vicissim redeuntes ad pontificem: & surgens pontifex, osculatur euāgelia & altare, & accedit ad sedem suā, & stat versus ad Orientem: schola verò, finita antiphona, imponit kyrie eleison, & continuò acolyti ponunt cereostata in pauimento ecclesiæ, tria quidem in dexteram partem, & tria in sinistram, vnum verò in spatium quod est inter eos. Prior verò scholæ custodit ad pontificem, vt ei annuat quandò vult mutare numerum litaniæ, & inclinat se pontifici: quamdum finierit, incipit pontifex, Gloria in excelsis Deo, si tēpus fuerit, & non sedet, antequàm dicant post orationem primam, Amen: & tunc tolluntur cereostata de loco in quo priùs steterant, vt ponantur in vna linea per mediam ecclesiam. Interea diaconi si tempus fuerit, leuant planetas in scapulas, & stant iuxta pontificem: similiter & leuant subdiaconi, sed cum sinu. Et tunc ascēdunt subdiaconi regionarii ad altare, statuentes se ad dexteram siue sinistram altaris. Tunc pontifex annuit episcopis & presbyteris vt sedeant: subdiaconus verò qui lecturus est, mox vt viderit post pontificem episcopos & presbyteros sedentes, ascendit in ambonem, & legit. Postquàm legerit, cantor cum cantatorio, & dicit responsorium gradalem: & si fuerit tempus vt dicatur alleluia, benè: sin autem, tractum: sin minus, respōsorium tantúm. Deindè diaconus osculatur pedes pontificis, & tacitè dicit ei pontifex: Dominus sit in corde tuo & in labiis tuis. Deindè venit ante altare, & osculatis euangeliis, leuat in manus suas codicem, & procedunt ante ipsum duo subdiaconi regionarii, leuantes thymiamateria de manu subdiaconi sequētis, mittentes incensum, & ante se habētes duos acolytos, portantes duo cereostata: & veniētes ad ambonem, diuiduntur ipsi acolyti ante ambonem, & transeunt subdiaconi, & diaconus cū euangeliis per medium eorum. Ille qui absque thymiamaterio est, vertēs se ad diaconem, porrigit ei brachium suum sinistrum, in quo ponit euangelium, vt manu subdiaconi aperiatur ei locus, in quo signum lectionis positum fuerit, & interposito digito suo, diaconus in loco lectionis ascendit ad legendum, & illi duo subdiaconi redeunt stare ante gradum descensionis ambonis. Finito euangelio, dicit pontifex: Pax tibi, Dominus vobiscum, Et cum spiritu tuo. Descendente autem diacono, subdiaconus qui priùs aperuerat, recipit Euangelium, & porrigit ipsum subdiacono sequenti, qui in filo stat, quod tenens ante pectus suum super planetam, porrigit osculandum omnibus, per ordinē graduum qui steterint, & post hoc præparato acolyto in pogio iuxta ambonem cum capsa, in qua subdiaconus idem ponit euangelium vt figilletur. Acolytus autem erit regionis eiusdem, cuius & subdiaconus est, & reuocet Euangelium per ordinem ad Lateranas. Ceteri verò acolyti sumentes cereostata, ponent ea retro altare. Deindè pergente diacono ad altare, stāte acolyto cum calice, & corporale super eum, leuat calicem in brachio suo sinistro, & porrigit diacono corporale, vt accipiat desuper calicem, & ponit eum super altare à dextris, proiecto capite altero ad diaconem secūdum, vt expandatur. Tunc ascendunt ad sedem primicerius & secundicerius & primicerius defensorū cum omnibus regionariis & notariis. Subdiaconus verò cum calice vacuo sequitur archidiaconum. Pontifex descendit ad senatorium, tenente manum eius dexteram primicerio notariorum, & primicerio defensorum sinistram, & susciput oblationes principum per ordinem arcuum. Archidiaconus post eum susciput amulas, & refundit in calicem maiorem, tenente eum subdiacono regionario, quem sequitur cum scypho super planetam acolytus, in quo calix impletus refunditur. Oblationes à pontifice susciput subdiaconus regionarius, & porrigit subdiacono sequenti: & subdiaconus sequens ponit in sindone, quam tenent duo acolyti. Reliquas oblationes post pontificem susciput episcopus hebdomadarius, & ipse manu sua mittit eas in sindonem, quę eum sequitur. Post quem diaconus qui sequitur archidiaconem, susciput amulas, & manu sua refundit in scyphum. Pontifex verò antequam transeat in partem mulierum, descendit ante confessionem, & susciput oblatas primicerii defensorum. Nam & secundicerii & primicerii defensores diebus festis post diacones ad altare offerunt: similiter ascendens pontifex in partem fœminarum, ordine quo suprà omnia explet. Tunc tenentibus primicerio & secundicerio manus eius, redit in sedem. Archidiaconus stans ante altare, expleta susceptione, leuat manus suas. Deindè respicit in faciem pontificem, annuit ei, & ille resalutato accedit ad altare. Tunc subdiaconi regionarii leuantes oblatas de manu subdiaconi sequentis super brachia sua, porrigunt archidiacono, & ille componit altare. Nam subdiaconi hinc indè porrigunt. Ornato verò altari, tunc archidiaconus sumit amulam pontificis de subdiacono oblationario regionario, & refundit

fundit super colum in calicem, deindè diaconorum, & in die festo primicerii, secundicerii, primicerii defensorum. Deinde descendit subdiaconus sequens in schola, accipit fontem de manu archiparaphonistæ, & defert ad archidiaconum, & ille infundit, faciens crucem in calicem. Tunc ascendunt diaconi ad pontificem, quos videntes primicerius, secundicerius, & primicerius defensorum regionarii, & notarii regionarii, & defensores regionarii descedunt de aciebus, vt stent in loco suo. Tunc surgens pontifex à sede, descendit ad altare, & salutat altare, & suscipit oblatas de manu presbyteri hebdomadarii & diaconorum. Deindè archidiaconus suscipit oblatas pōtificis de oblationario, & dat pontifici: quas dum posuerit pontifex in altare, leuat calicem archidiaconus de manu subdiaconi regionarii, & ponit eum super altare iuxta oblatam pontificis, à dextris in uolutis ansis cum offertorio, quem ponit in cornu altaris, & stat post pontificem, & pontifex inclinans se paululùm ad altare, respicit scholam, & annuit vt sileant. Tunc finito offertorio, episcopi stant post pontificem. Primus in medio, deindè per ordinem, & archidiaconus à dextris episcoporum, secundus diaconus à sinistris, & cæteri per ordinem dispositа acie. Et subdiaconi regionarii, finito offertorio, vadunt retro altare, adspicientes ad pōtificem, stantes erecti vsquedùm incipiant dicere hymnum angelicum, id est, Sanctus, quem dum expleuerint, surgit pontifex solus, & intrat in Cunonē. Episcopi verò, diaconi, subdiaconi, & presbyteri in presbyterio permanent inclinati, & dum dixerit, Nobis quoquè peccatoribus, surgunt diaconi. Cùm dixerit, Per quem hæc omnia Domine, surgit archidiaconus solus. Cùm dixerit, Per ipsum, & cum ipso, leuat cum offertorio calicem per ansas, & tenet exaltans illum iuxta pontificem. Pontifex autem tangit à latere calicem cum oblatis, dicens. Per ipsum, & cum ipso, vsque: Per omnia secula seculorum: & ponit pontifex oblationes in loco suo, & archidiaconus calicem iuxta eas, dimisso offertorio in ansis eiusdem. Nam quod intermisimus de patena, quandò inchoat canonem, venit acolytus sub humero habens sindonem in collo ligatam, tenens patenam ante pectus suū in parte dextera vsque ad medium Canonem. Tunc subdiaconus sequens suscipit eam super planetam, & venit ante altare, expectans, quandò eā suscipiat subdiaconus regionarius. Finito verò Canone, subdiaconus regionarius stat cum patena post archidiaconem, quandò dixerit, Et ab omni perturbatione securi: vertit se archidiaconus, & osculata patena, dat eam tenendā diacono secundo. Cum dixerit, Pax Domini sit semper vobiscum, mittit in calicem de sancta: sed archidiaconus pacem dat episcopo priori, deindè cæteris per ordinem & populis. Tunc pontifex rumpit oblatam ex latere dextero, & particulam quam ruperit, super altare relinquit. Reliquas verò oblationes suas ponit in patenam, quam tenet diaconus. Mox primicerius & secundicerius, & primicerius defensorū cum omnibus regionariis & notariis ascendūt ad altare, & stāt in ordine suo à dextris & à sinistris. Nomencalator verò & saccellarius, & notarius vicedomini, cùm dixerint, Agnus D EI, tunc ascendunt ad altare ante faciem pontificis, vt annuat eis scribere nomina eorum, qui inuitandi sunt siue ad mensam pontificis per nomencalatorem, siue ad vicedomini per notarium ipsius, quorum nomina vt impleuerint, descendunt ad inuitandum, & redit ad sedem. Nam archidiaconus leuat calicem, & dat eum subdiacono regionario, quem tenet iuxta cornu altaris dextrum: & accedentes subdiaconi sequentes cum acolytis, qui saccula portant à dextris & à sinistris altaris, extendentibus acolytis brachia cum sacculis, subdiaconi sequentes stant à fronte, vt parent sinus sacculorum archidiacono ad ponendas oblationes, prius à dextris, deindè à sinistris. Tunc acolyti vadunt dextra læuaque per episcopos circa altare, reliqui descendunt ad presbyteros, vt confringant hostias: patena præcedit iuxta sedem, deferenti bus eam duobus subdiaconibus regionariis ad diaconos, vt frangant: sed illi adspiciunt ad faciem pontificis, vt eis annuat frangere, & dum innuerit, resalutato pontifice, confringunt, & archidiaconus euacuato altari oblationibus, respicit in scholā, & annuit eis vt dicant, Agnus Dei, & vadit ad patenam cum cæteris. Expleta confractione, diaconus minor, leuatam de subdiacono patenam, defert ad sedem, vt communicet pontifex. Qui dum communicauerit de ipsa sancta, quam momorderat, ponit inter manus archidiaconi in calicem, faciens crucem ter, dicendo: Fiat commixtio & cōsecratio corporis & sanguinis Domini nostri IESV Christi, accipientibus nobis in vitam æternā, Amē. Pax tecum: Et cum spiritu tuo: & ità confirmatur ab archidiacono. Deindè venit archidiaconus cum calice ad cornu altaris, & adnūciat stationem, & refuso parum de calice in scyphū inter manus acolyti, accedunt primum episcopi ad sedem, vt communicent de manu pontificis secundum ordinem: similiter presbyteri, vt communicent post eos. Episcopus autem primus accipit calicem de manu archidiacoui, & stat in cornu altaris, vt confirmet sequentes ordines vsque ad primicerium defensorū. Deindè archidiaconus accepto de manu illius calice, resundit in scyphum quem suprà diximus, & tradit calicem subdiacono regionario, qui tradit ei pugillarem, cum quo confirmat populum. Calicem autem accipit subdiaconus sequens, & dat acolyto, quem reuocat in paratorium, qui dum confirmauerit, id est, quos Papa communicat, descendit pontifex à sede cum primicerio notariorum, & primicerio defensorum, tenentibus ei manus, qui eum duxerunt, vt communicet eos, qui in senatorio sunt, post quem

quem Archidiaconus confirmat. Post hæc episcopi communicant populum, annuente eis primicerio cum manu sub planeta, percontato pontifice. Post eos diaconi confirmant. Deindè transeunt in partem sinistram, & faciunt similiter. Presbyteri autem, annuente primicerio, iussu pontificis communicant populum, & ipsi vicissim confirmant. Nam mox vt pontifex cœperit in senatorio communicare, statim schola incipit Antiphonam ad communionem, & psallunt vsquedùm communicato omni populo, annuat pontifex, vt dicat Gloriam: & tunc repetito versu quiescunt. Nam pontifex mox vt communicauerit in parte mulierum, redit ad sedem, & communicat regionarios per ordinem, & eos qui in filo steterunt, & in diebus festis de schola duodecim. Nam cæteris diebus in presbyterio, vbi potuerint, communicent. Post omnes hos redeuntes nomencalator & saccellarius & acolytus, qui patenam tenet, & qui manutergium tenet, & qui aquam dat, ad sedem, communicant: post pontificem Archidiaconus eos confirmat. Adstat autem subdiaconus regionarius ante faciem pontificis, vt annuat ei. Ille verò contemplans populum, si iam communicati sunt, annuit ei, & vadit ad humerum, adspicit ad primum scholæ, faciens crucem in fronte sua, annuit eidem dicere Gloriam, Sicut erat, & versus. Finita Antiphona, surgit pontifex cum archidiacono, & veniens ad altare, dat orationem ad complendum: qua finita, cui præceperit Archidiaconus de diaconibus, adspicit ad pontificem, vt ei annuat, & dicat ad populum: Ite, missa est. Respondet, Deo gratias. Tunc septem cereostata præcedunt pontificem, & subdiaconus regionarius cum thuribulo ad secretarium. Discedente autem illo in presbyterium, episcopi primùm dicunt: Iube Domne benedicere: Respondet, Benedicat nos Dominus. Amen. Post episcopos presbyteri, deindè monachi, deindè schola, deindè milites draconarij, id est, qui signa portant: post eos baiuli, post eos cereostatarij, post quos acolyti, qui rugam conseruant, post eos extra presbyterium cruces portantes: deindè mansionarij iuniores, & intrat in secretarium.

IN NOMINE DOMINI INCIPIT LIBER DE *Romano ordine, qualiter celebrandum sit officium Missæ.*

PRimò omnium obseruandum est, septem esse regiones ecclesiastici ordinis vrbis Romæ, & vnamquaque regionem singulos diaconos regionarios habere, & vniuscuiusque regionis acolytos per manum Subdiaconi regionarij diacono regionis suæ, causa officij subditos esse. Superiores autem vel diaconorum vel subdiaconorum ordines, archidiacono, qui vicarius est pontificis, obedire, seruato vnicuique per eum proprij gradus ministeriali ordine.

Oportet autem, vt post numerum Ecclesiasticarum regionum, sciat qui voluerit numerum dierum per hebdomadam, quo ordine circulariter obsequantur iuxta ordinationem antiquitùs constitutam. Prima enim feria Paschæ ministrabit regio tertia: Secunda feria, regio quarta: Tertia feria: regio quinta: Feria quarta, regio sexta: Feria quinta, regio septima: Feria sexta, regio prima: Sabbato, secunda regio. Ergò vnaquæque regio ordines proprios, tam in processione, quàm in Ecclesia habebit, vel vbicunque eos propria dies ratione sui gradus, secundùm priscam constitutionem, ire vel ministrare compulerit: & nullus in aliqua designatus regione, à ministerio pontificis siue excommunicationis vel animaduersionis sententia deesse poterit.

Denunciata statione diebus festis, primo manè omnis clerus debet Apostolicum ad Ecclesiam præcedere, exceptis officialibus ministris, qui in obsequio illis comitantur pro pontificali dignitate, vt sunt diacones stationarij, subdiaconi, & omnes acolyti illius regionis, quæ ipso die pontifici debet ministrare. Sed cubiculario laico hæc cura est præscripta, vt sella pontificis in sacrario sit parata, donèc ille veniat celebraturus diuina mysteria. Episcopi autem atque presbyteri, expectantes in presbyterio pontificem, cum his qui præparant ornatum Ecclesiasticum atque vasa Ecclesiæ, sedebunt ea locali dispositione, vt intrantibus ecclesiam, episcopi sint ad sinistram, presbyteri verò ad dexteram: vt quandò pontifex sederit, & ad eos respexerit, Episcopos ad dexteram, presbyteros contueatur ad sinistram. Suscipiatur autem pontifex per presbyteros tituli vel ecclesiæ, vbi indicta est statio, vnà cum maioribus eiusdem ecclesiæ, & offertur in obsequium illius thymiamaterium incensi, inclinato offerentium capite, atque petita benedictione & accepta, hincindè pontificem præcedunt ad ecclesiam, prout quenque contigit secundùm ordinem militare. Sed hæc cura erit acolytorum, vt sacri ministerij vasa per manum primi mansionarij, qui est custos dominicalis vestiarij, accepta, deferantur per baiulos de maiori monasterio ad celebrandæ stationis locum, quæ sunt aquamanile, hoc est, vas manuale, patenæ, calices & scyphi, atque pugillares aurei siue argentei, amulæ argenteæ, ad vi-

Universidad de Deusto
Biblioteca

ad vina fundenda paratæ, colatorium aureum siue argenteum, & cantatorium. Subdiaconus autem qui lecturus est, sub cura sua habebit Apostolum, & archidiaconus Euangelium. Cùm verò pontifex ecclesiam intrauerit, non continuò ad altare ascendit, sed priùs intrat in secretarium, sustentatus à diaconibus, qui eum descendentē à sellario accipiunt obuijs, vt aiunt, manibus: vbi dum venerit, & in sella sua sederit, diacones salutato pontifice. egrediuntur de secretario cum ordinabili disciplina, & ante fores ipsius secretarij mutant vestimēta sua. Egredientibus autem diaconibus de secretario, remanent cum pontifice primicerius atque notarij ipsius stationis, & subdiaconi iam parati pro suo officio, quorum vnus pallium pōtificis cum acu super planetam teneat in brachio sinistro. Atque pontifex per manus subdiaconorum regionariorum mutat & ipse vestimēta solennia, sicut Leuitæ faciunt in parte altera. Subdiaconi regionarij, secundum ordinem suum accipiunt ad induendum pontificē ipsa vestimenta, alius lineam, alius ambolagium, id est, amictū quod dicitur humerale, alius lineam dalmaticam, quam dicimus albam, alius cingulum, alius dalmaticam, alius orarium, alius planetam, & sic per ordinem induunt pontificem. Primicerius autem & secundicerius componunt vestimenta pontificis, vt ex honorabili compositione exhibeatur circunstantibus spectaculum reuerendę dignitatis. Nouissimè autem, cui iusserit Dominus pontifex ex diaconibus, sumit de manu subdiaconi sequentis pallium, & super pontificem induit, & illud cum acu in planeta retro & ante, & in humero sinistro configit, & salutat Dominum, & dicit: Iube Domne benedicere: Respondet: Saluet nos Dominus. Amen. Deinde Subdiaconus regionarius referens ad pontificem qui debeant legere aut cantare, ponit mappulam in sinistro brachio pontificis super planetam, cum disciplinali ad genua eius inclinatione, & pronunciat talem subdiaconum regionarium Epistolam legere, & tale Responsorium, & tale Alleluia cantare: & postea non licet in loco lectoris vel cantoris alterum mutare: quod si factum fuerit, excommunicabitur archiparafonista, id est, quartus scholæ, qui semper debet pontifici de cantoribus nunciare. Stauuntur enim per ordinem acies duæ, & parafonistæ quatuor à foris hincindè, sed infantes infra per ordinem ab vtroque latere. Postquàm autem pontifex ad psallendum annuerit archiparafonistæ, dicit siue acolytis stantibus ante fores secretarij cum cereostatis, siue subdiacono regionario, qui ante se ad processionem debet thymiamaterium portare, Accendite. Sed ille quartus scholæ perueniens in presbyteriū, vbi chorus in quatuor, vt dictum est, ordinatus assistit reuerenda dispositione, postquam dixerit inclinato capite ad priorem scholæ, vel secundum, siue tertium, Domini iubete, mox Antiphonam ad Introitum incipit prior scholæ.

A Quorum voce audita, diaconi intrant ad pontificem in secretarium: & ab archidiacono atque secundario acceptis vtrinque, & osculatis manibus pontificis, procedunt cum ipso, sustentantes eum. Reliqui gradus procedunt in ordine suo, excepto quod vnus de regionariis subdiaconibus, debet præcedere cum thymiamaterio, quem sequuntur septem acolyti illius regionis, cuius dies fuerit, portantes septem cereostata accensa ante pontificem, vsquedum ad altare venerit. Sed antequam perueniat processio ad scholam, diuiduntur cereostata, quatuor ad dexteram partem, & tria ad sinistram. In hoc honorabili ministerio, debet pontifex venire in tribunal ecclesiæ, & inclinare caput contra B altare, & postquàm surrexerit, in fronte sua crucem facere, & vni episcoporum de hebdomadariis & archipresbytero, & diaconis omnibus pacem dare: ac deinde respiciés ad priorem scholæ, innuit ei vt debeat Gloriam dicere. Qui se inclinans pontifici, imponit hymnum, quo datur gloria S. Trinitati. Sed pontifex concelebrat interim secretò orationem, ante altare inclinatus, vsque ad repetitionem versus. Nam diaconi, quando dicitur, Sicut erat in principio, surgunt ab inclinatione, & salutantes altaris latera, prius duo & duo vicissim redeunt ad pontificem, tenentes locum quisque pro suo ordine. At pontifex ad repetitionem versus, sicut C dictum est, surgens ab oratione, osculatur Euāgelium & altare, ac deindè accedit ad sedem, & stat versus ad orientem. Schola verò, finita antiphona, imponit Kyrie eleison: sed prior scholæ debet ad pontificem custodire quando præcipiat mutare numerum litaniæ, & innuenti inclinat se. Quæ cum finita fuerit, pontifex incipit, Gloria in excelsis Deo, si tempus fuerit. Sedere autem non oportet pontificem, antequàm dicant, Amen post primam orationem. Deindè debent subdiaconi regionarij ascendere, & ad dextram altaris & ad sinistrā se statuere. Sed ille subdiaconus, qui lecturus est, postquam viderit episcopos siue presbyteros post pontificem sedere, quos ipse pontifex nutu suo facit D secum considere, tunc ascendit in ambonem, & legit lectionem. Postquam lector legerit, cantor cum cantorio ascendit, & responsorium dicit, ac deindè per alium cantorem Alleluia, si tempus fuerit, siue tractus concinitur: sin minus, responsorium tantūmodò cantatur. Deindè diaconus, osculatis pedibus pontificis, & accepta ab eo hac benedictione, Dominus sit in corde tuo & in labijs tuis, venit ante altare: & osculatis Euangelijs, leuat codicem in manibus suis. Prior autem de duobus subdiaconis, qui solummodò debent diaconum præcedere, incensum mittit in thymiamaterium, sed alter per proximæ stationis subdiaconum accipit illud ad portandum. Procedunt ante ipsos duo acolyti cum duobus cereostatis, quibus acolytis ante ambonem diuisis, trāseunt per medium E ipsorum subdiaconi, & diaconus cum Euangelijs.

gelijs. Sed ille subdiaconus, qui absque thymia A materio est, porrigit brachium sinistrum, vt à diacono accipiat librum Euangeliorum, vt per ipsum aperiatur diacono locus, in quo signum lectionis fuerit positum. Ascendente autē diacono ad legendū, ipsi duo subdiaconi redeunt stare ante descensionis gradum: postquàm finitum fuerit Euangelium, dicit Pontifex: Pax tibi, Dominus vobiscum. Sequitur Responsio, Et cum spiritu tuo. Descendente autem diacono, subdiaconus ille, qui priùs aperuerat librū Euangeliorum, recipit eum, & reuersus in presbyterium, porrigit illum vni subdiaconorum, B vt ipse offerat omnibus ad osculandum, qui steterunt per ordinem graduum. Post Euangelicā ergò lectionem, reponitur liber Euangeliorum in paratorio quodam, siue in secretario: sed acolytus tenens calicem in brachio sinistro, porrigit corporale suprapositum diacono, vt ipse desuper calicem accipiens, illud expandat super altare, proiecto ad sequentem diaconum capite altero. Pontifex autem sustentatus hincindè dextra lęuaq; à primicerio notariorum, & primicerio defensorum, descendit ad senatorium quod est locus principum, vt suscipiat o- C blationes eorum. Archidiaconus verò post eū amulas suscipit, & in calicem maiorem, quem subdiaconus regionarius sequens portat, vacuum refundit: qui cùm fuerit impletus, refunditur in scyphum, quem ibi tenebit sequens acolytus. Oblationes verò principum subdiaconus regionarius à pontifice suscipit, ac sequenti subdiacono porrigit, & ipse in sindonem, quā tenēt duo acolyti, eas ponit. Sed episcopus hebdomadarius suscipit post pōtificem oblationes reliquorum, quas ipse manu sua mittit in sindonem, quæ sequitur eum. Post quem diaconus sequēs amulas suscipit, & in scyphum manu sua D post archidiaconum eas refundit. Similiter transiens pontifex in partem matronarū, explet omnia, vt suprà. Deindè redit ad sedem tenentibus primiceriis manus eius. Archidiaconus autem stans ante altare, lauat manus suas expleta susceptione. Post hoc in faciem pontificis respicit, & cùm ei annuerit, resalutato eo per humilem inclinationem, ad altare accedit. Tunc accipiens per subdiacones oblatas hincindè porrigentes eas, ponit tantas super altare, quantæ possint populo sufficere. Compositō igitur altari & ornato, archidiaconus deindè sumit amulam pontificis de subdiacono oblationario, & refundit in E calicem super colatorium, deindè diaconorum, ac deindè primiceriorum & secundiceriorum: posteà autem subdiaconus sequens descendit in scholam, & accipit fontem de manu archiparafonistæ, ac defert ad archidiaconum, & ille infundit, faciens crucem in calicem. Ascendentibus verò diaconis ad pontificem, primicerius & secundicerius, notarij & defensores regionarij descendunt, & in loco suo consistunt. Tunc pontifex surgens à sede, descendit ad altare, & salutat ālare, & suscipit oblatas de manu presbyteri hebdomadarij, & diaconorum atque primiceriorum. Deindè archidiaconus suscipit oblatas pontificis de oblationario, & dat pontifici: quas dum posuerit pōtifex in altari, leuat calicem archidiaconus de manu subdiaconi regionarij, & ponit eum super altare iuxta oblatam pontificis à dextris, atque cum offertorio in cornu altaris posito, inuoluens per ansas calicē, stat post pontificem. Et pontifex paululum inclinans se ad altare, respicit ad scholam, & annuit vt debeant silere. Finito autem offertorio, Episcopi stāt post pontificem, primus in medio, deindè per ordinem, & archidiaconus à dextris Episcoporum, secundus diaconus à sinistris, & cæteri dispositā acie per ordinem. At subdiaconi regionarij, finito offertorio, vadunt retro altare, adspicientes ad pōtificem, stantes erecti vsquedum incipiant dicere hymnum Angelicū, id est, Sanctus. Quē dum expleuerint, surgit pontifex solus, & intrat in Canonem. Episcopi verò, diaconi, subdiaconi, presbyteri, permanent in presbyterio inclinati: & cùm dixerit, Nobis quoque peccatoribus, surgunt subdiaconi: cùm dixerit, Per quem hæc omnia Domine, surgit archidiaconus solus: cùm dixerit, Per ipsum, & cum ipso, leuat archidiaconus cum offertorio calicem per ansas, & tenet exaltans illum iuxta pontificem. Pontifex autem tangit è latere calicem cum oblatis, dicens Per ipsum, & cum ipso: vsque, Per omnia secula seculorum. Et ponit pontifex oblationes in loco suo, & archidiaconus calicem iuxta eas, dimisso in ansis eius offertorio. Eccè autem finito Canone, subdiaconus regionarius stat ante altare cum patena post archidiaconum, quam in medio Canone subdiaconus sequēs accipit per acolytum, qui scilicet acolytus, quandò inchoat pontifex Canonem, venit, sub humero habens sindonem in collo ligatam, & tenet patenam in dextera parte ante pectus suum. Quandò dixerit pontifex, Et ab omni perturbatione securi: vertit se archidiaconus, & accipiens patenam, osculatur eam, & dat diacono secundo tenendam. Cùm dixerit, Pax Domini sit semper vobiscum, mittit in calicem de sancta, subiungens hæc verba: Fiat commixtio & consecratio corporis & sanguinis Domini nostri Iesu Christi, accipientibus nobis in vitam æternam. Sed interim archidiaconus pacem dat Episcopo priori, qui & vltrà dabit iuxta se stāti, ac deindè per ordinem cæteri, atque populus osculantur se inuicèm in osculo CHRISTI. Tunc pontifex rumpit oblatam ex latere dextro, & de ipsa sancta quam ruperit particulam, super altare relinquit: reliquas verò oblationes suas in patenam, quā tunc tenet diaconus, ponit. Nam archidiaconus leuat calicem, & subdiacono regionario porrigit eū, vt teneat iuxta cornu altaris dextrum. Et accedentes subdiaconi sequentes cum acolytis, qui sacculos ad hæc idoneos portant à dextris & à sinistris altaris: ipsi ergò subdiaconi extendentibus acolytis brachia, cum sacculis sequentes à fronte, parant sinus sacculorum archidiacono

Universidad de Deusto
Biblioteca

ad ponendum oblationes, priùs à dextris, deinde à sinistris. Tum vadunt acolyti dextra læuaq; post Episcopos siue presbyteros circum altare, vt ipsi sacerdotes incipiant hostias confringere, patena præcedente, quam duo subdiaconi regionarij deferunt ad diaconos causa confractionis, vt ipsi quoque frangant, quandò pontifex annuerit eis. Sed archidiaconus euacuato altari oblationibus, respicit in scholam, & annuit eis, vt dicant, Agnus Dei. ac deindè vadit ad patenam, quam tenent duo subdiaconi regionarij, vt ipse etiam frangat cum cæteris diaconis iuxta cornu altaris. Expleta confractione, diaconus minor, leuata de subdiacono patena, defert eam ad pontificem, vt communicet corpore Dominico. Sed ipse pontifex confirmatur ab archidiacono in calice sancto, de quo parùm refundit archidiaconus in maiorem calicem, siue in scyphum, quem tenet acolytus, vt ex eodem sacro vase confirmetur populus: quia vinum etiam non consecratũ, sed sanguine Domini commixtum, sanctificatur per omnem modum. Accedunt primùm episcopi secundùm ordinem de manu pontificis communicare, & post eos ascendunt presbyteri omnes, vt communicent ad altare. Cùm autem cõmunicauerit archidiaconus, calicem intereà tenet primus Episcopus. Sicut enim in Romana ecclesia summo pontifici ministrant episcopi, sic in cæteris Ecclesijs debent Episcopis facere presbyteri. Recepto calice, archidiaconus cõfirmat omnes sanguine Dominico, quos communicauerit pontifex corpore Dominico. Hoc officio iuxta altare peracto, & pugillari cũ quo confirmetur populus, per subdiaconem regionarium iam accepto, traditur calix ab archidiacono eidem subdiacono perferendus acolyto, vt reponatur in paratorio. Deindè descendit pontifex cum primicerio notariorum, & primicerio defensorum, vt communicet principes populorum, & matresfamilias eorum. Et sicut archidiaconus confirmat quos pontifex communicat: sic reliqui diacones confirmant quos Episcopi siue presbyteri post pontificem communicant. Sed cùm cœperit põtifex clerum siue populum communicare, schola incipit Antiphonam ad communionem psallere, ac deindè nutu Pontificis Gloriã patri, Sicut erat in principio & nunc & semper, subdiacono faciente crucem in fronte, vt ex hoc signo intelligat prior scholæ, quandò post communionem debeat gloriam sanctæ Trinitati dicere, paratus etiam versum repetitionis subiungere. Finita Antiphona, quæ repetitur ad repetitionis versum, pontifex ad altare dat orationem ad complendum. Qua etiam finita, diaconus, cui præceperit archidiaconus, respicit ad pontificem, vt annuat ei, & dicat ad populum: Ite, Missa est. Respondet populus: Deo gratias. Dicentibus autem episcopis siue presbyteris, vel sequentibus ordinibus: Iube Domne benedicere, Respondet Pontifex, Benedicat nos Dominus, Amen. Præcedunt igitur pontificem septem cereostata, & subdiaconus regionarius cum thuribulo ad secretarium.

ORDO ROMANVS ANTIQVVS DE RELIQVIS ANNI TOTIVS OFFICIIS AC MINISTERIIS.

IN CHRISTI NOMINE INCIPIT ORDO CATHOLICORVM *librorum, qui in Ecclesia Romana ponuntur.*

IN vigilia Natalis Domini leguntur lectiones tres de Esaia Propheta. Prima lectio sic continet in capite: Primo tempore alleuiata est terra Zabulon, & terra Nephtali. Vsque, Curuemini sub vinculo, & cum interfectis cadatis. Super omnibus his non est auersus furor eius, sed adhuc manus eius extenta. Secunda lectio sic continet in cap. Consolamini consolamini populeus, dicit Deus vester. Vsque, Quia manus Domini fecit hoc, & spiritus eius creauit illud. Tertia lectio sic continet in capite: Consurge cõsurge, induere fortitudine brachij Domini. Vsque, Quia quibus non erat narratum de eo, viderũt: & qui non audierunt, contemplati sunt.

Posteà legantur Homiliæ sanctorum Patrum ad ipsum diem pertinentes. Romani hanc noctẽ ità celebrant. Prima die vigiliæ natalis Domini hora nona canunt Missam ad sanctam Mariam. Qua expleta, canunt vespertinalem synaxim. de hinc vadunt ad cibũ. In crepusculo noctis intrat Apostolicus ad vigilias in præfatam ecclesiam: tamen non cantant ibi inuitatorium ad introitum, sed expletis vigilijs & matutinis, sicut in antiphonario continetur, ibidèm canunt primam Missam in nocte. Qua expleta, vadunt ad S. Anastasiam canere aliam Missam de nocte. Dehinc pergunt ad S. Petrum, vt ibi vigilias celebrẽt, ab eo loco, vbi inuenerit eos psallere, qui ibidẽ excubant.

cubant. Ipsi enim intrant ad vigilias debito tempore in processu noctis, & canũt inuitatorium, & prosequũtur ordinem antiphonarij. Vnde etiam dupla officia in Romanorum antiphonariis hac nocte describũtur. Vigiliæ verò, quæ à pastoribus hac nocte custodiebãtur, in quatuor diuidũtur, scilicet leges IIII. significantes: Primã naturalem, Secũdam Mosaicam, Tertiam Prophetarum, Quartã noui testamenti, in qua pastoribus, id est, ecclesiasticis doctoribus apparuit. Et nos cũ pastoribus vigilare debemus, vt meream ur illud suauissimum harmonicum, quod hac nocte primùm cantatum est, audire: Gloria in excelsis Deo. Vnde etiam S. Telesphorus Papa peruigiles nos malens fore, Missas celebrare fecit, scilicet in recordationẽ natiuitatis Christi seu concentus Angelici. Alia verò Missa, quæ sequitur, signat nouam lucẽ gaudij, qua per incarnati verbi mysterium perfundimur: seu pp visitationem pastorũ ad præsepe Domini, in quo inuenerunt panẽ viuum, qui quotidiè à fidelibus manditur.

Ordo in Natali S. Stephani Protomartyris.

IN ipsa nocte leguntur lectiones tres de Actibus Apostolorum. Prima lectio sic continet in capite: In diebus illis, Crescẽte numero discipulorum. Vsque, Factum est autem magnum gaudium in ciuitate. Posteà leguntur homiliæ Sanctorum Patrum, ad ipsum diem pertinentes.

Ordo in Natali Sancti Ioannis Euangelistæ.

IN ipsa nocte leguntur lectiones III. de Apocalypsi, à capite libri, vsque, Quia tu creasti omnia, & propter voluntatem tuam erant & creata sunt. Posteà leguntur homiliæ Sanctorum Patrum, ad ipsum diem pertinentes.

Ordo in Natali Sanctorum Innocentum.

IN natali Innocentũ leguntur lectiones III. de Apocalypsi, vbi dicitur: Et vidi in dextera sedentis supra thronum. Vsque, Et facta sunt tonitrua, & voces, & fulgura, & terræmotus factus est magnus. Posteà leguntur sermones Sanctorum Patrum, ad ipsum diem pertinentes.

Ordo in Octauis Domini.

IN octauis Domini similiter leguntur lectiones, quæ ĩ vigilia natalis Domini, &, si fuerint, Homiliæ ad ipsum diem pertinentes. Iesus verò octaua die circuncisus est. Hæc circuncisio nihil aliud est, nisi abscisio in carne præputij, secundũ quod à Domino in lege præceptũ est: Circuncidetur ex vobis oẽ masculinũ, & infans octo dierum circuncidetur ex vobis. Sed quia vetera trãsierunt, & eccè facta sunt omnia noua, oportet nos circuncidi, nõ in carne, sed Spiritu: vt deponamus veterem hominẽ cum actibus suis, & induamus nouum, eum, qui secundùm Deum creatus est. Hæ verò octauæ ideò reuerẽter celebrantur, quia in hac die aduentum hominũ ad Christum celebramus: & in natiuitate eiusdẽ, aduentum illius ad homines. Sed quia imperiti homines secundùm demẽtiam gentilium, hunc diem Kalendarum Ianuariarum à principe suo Iano, quem pro deo colebant, ita vocatum, multis diabolicis spurcitiis sacrauerunt, statuit vniuersalis Ecclesia ieiunium publicũ in isto die fieri, quatenùs his calamitatibus auctor vitæ finem imponeret: Sed quia, Domino largiente, hæc à fidelibus pro nihilo habentur, in eisdẽ Kalendis nihil aliud noui præsumendum est, excepto ꝙ Octauæ Dominicæ cum eximio cultu celebrentur. Post octauas verò vsque in Theophaniam, siue nocte, siue die, omnia de quotidianis.

Ordo in Vigilia Theophaniæ.

IN vigilia Theophaniæ leguntur lectiones III. de Esaia. Prima lectio sic continet in capite: Omnes sitientes, venite ad aquas. Vsque, Erit Dominus nominatus in signum æternum, quod non auferetur. Secunda lectio sic continet in capite: Surge, illuminare Hierusalem. Vsque, In tempore eius subitò faciam istud. Tertia lectio sic continet in capite: Gaudens gaudebo in Domino: Vsq;, Oculus nõ vidit Deus absq; te, quæ præparasti expectãtibus te. Posteà legũtur homiliæ sanctorũ Patrũ, ad ipsum diem pertinentes.

Solennitas hæc sacratissima, quæ à Græcis Theophania siue Epiphania nuncupatur, Latinè apparitio seu ostensio vel manifestatio interpretatur. Expletis nãque Christus quasi triginta annorum curriculis, venit in Iordanem ad Ioannẽ, vt baptizaretur ab eo, Anno videlicet quintodecimo imperij Tiberij Cesaris, Valeriano & Asiatico coss.

Nec hoc prætereundũ est, ꝙ secunda Natiuitas Christi tot illustrata mysteriis, honoratior sit, quàm prima. Tunc tantummodò natus est, & Angelus pastores affatus est: hodiè verò à Magis cum muneribus est adoratus. Hodiè cùm in Iordanicis aquis tingeretur, filius dilectus à patre est vocatus de cælo, & Spiritus sanctus in specie columbæ super eum visus est, necnõ per baptismi Sacramentum, caput draconis est contritum. Hodiè ex aqua vinũ factum est, eidemq; cælesti spõso Ecclesia cõiuncta est. Insuper & quinque millia hominum ab eo refecta sunt. Et ideò manifestatio interpretatur, quia in his manifestare se hominibus dignatus est. Quòd autem in hac festiuitate nemo præsumat baptizare, S. Leo in decretalibus ꝓhibet ita: Si quis autẽ Epiphaniæ festiuitatẽ, quæ in suo debito honore venerãda est, ob hoc existimat habere priuilegiũ baptismatis, illius sciat baptismi aliã gratiã, aliã fuisse rõnem, nec ad eã pertinuisse virtutẽ, qua per Spũm sanctũ renascũtur. Dominus nõ indigens remissione peccati, nec remedio renascendi, sic voluit baptizari, qũo & circuncidi: Sed tunc regenerationis potentiã sanxit, quãdò de latere illius profluxerũt sanguis redẽptionis, & aqua baptismatis. Vndè in baptizãdis electis, qui secundùm Apostolicã regulã & exorcismis scrutandi, & ieiuniis sanctificãdi, & frequẽtibus sunt prędicationibus imbuendi, duo tantum tpa, id est, Pascha & Pentecosten, cõstat esse seruãda, excepto pro mortis periculo, in persecutionis angustiis, & in timore naufragij. Per triduanam enim sepulturam, imitatur trina dimersio: & ab aquis leuatio, instar est resurgentis de sepulchro.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Ordo in octaua Theophaniæ.

IN octauis Theophaniæ leguntur lectiones, quæ in Theophania, vel sermones ad ipsum diem pertinentes. Dehinc vsque ad Septuagesimam ponunt epistolas B. Pauli Apostoli.

Ordo in Purificatione S. Mariæ.

IN purificatione sanctæ Mariæ leguntur Cantica Canticorum, siue homilię ad ipsum diem pertinentes. De hac festiuitate, id est, ὑπαντὴ Domini, & alijs festiuitatibus sanctæ Mariæ, in gestis pontificalibus legitur, q̃ Sergius Papa præceperit litanias fieri in die præsentationis Domini in templo. Ita enim scriptum est, Vt in diebus annunciationis Domini, dormitionis ac natiuitatis sanctæ Dei genitricis Marię & sancti Simeonis, qđ ὑπαντὴ dicitur Græcè, cum litanijs exeant à sancto Adriano, & ad sanctã Mariã populus occurrat. Ipsa ergò die aurora ascendẽte, procedat omnis clerus & populus cum litania & antiphonis ad ecclesiam sancti Adriani, expectantes pontificem.

Ingressus pontifex in sacrarium, induat se vestibus nigris, & clerus similiter: deindè ex iussu pontificis inchoat schola antiphonam, Exurge Domine. Cum Psalmo, DEVS auribus nostris. Et egreditur põtifex de sacrario cum ministris, annuens primo scholæ, vt dicãt Gloriam. Deinceps vadit ad altare, & orat vsque ad expletionẽ Gloriæ. Postorõnem osculato altari & diacono, similiter bincindè, dicit schola versum: Opus quod operatus est in diebus eorum & in diebus antiquis. Antiphona expleta, stans pontifex ante altare, dicit: Dominus vobiscum: & Oremus. Et diaconus dicit: Flectamus genua: si tamen infra sexagesimam euenerit.

Oratio ad Collectam.

EXaudi, quæsumus Domine, plebem tuã, & quę extrinsecus annua tribuis deuotione venerari interius assequi gratiæ tuæ luce concede.

Tunc exorcizetur sal & aqua ad respergẽdos exindè cereos.

Posteà dicantur hæ sequentes orationes in benedictionem eorum. Resp. Preciosa est in conspectu Domini. Vers. Mors sanctorum eius.

Sequitur sacerdos & dicit:

SAncta Maria mater Domini nostri Iesu Christi, & virgo perpetua, cum omnibus sanctis intercedere digneris pro nobis peccatorib⁹, vt mereamur ab eo adiuuari & exaudiri, qui in Trinitate perfecta viuit & regnat Deus per omnia secula seculorum. Respon. Amen.

Benedictio cerei.

BEnedic Domine Iesu Christe hanc creaturã ceræ supplicantibus nobis, & infunde ei per virtutem sanctæ crucis tuæ benedictionem cælestem, vt qui eam ad repellendas tenebras humano generi tribuisti, talem signaculo sanctæ crucis tuæ fortitudinẽ & benedictionem accipiat, vt in quibuscunq; locis accẽsa siue posita fuerit, discedat diabolus, & contremiscat, & fugiat pallidus cũ oĩbus ministris suis de habitationibus illis, nec præsumat amplius inquietare vel illudere seruientes tibi. Qui cum Deo patre, &c.

Alia,

SVpplices te quæsumus Domine, vt emittas sãctum Angelũ tuum Raphaelem, vt qui euulsit & repulit à Tobia & Sara dæmonem mortiferum, eos infestantem, per huius ceræ sanctificationem conterat illũ & dispergat de cunctis habitationibus colentiũ Deum, de basilicis, de domibus, de angulis, de lectulis, de refectoriis, de vniuersis locis, in quibuscunq; famulãtes DEO habitant & requiescunt, dormiunt, vigilant, ambulant & cõsistunt, nec audeat ille malignus amplius inquietare, vel pauores immittere super illos, quos sancta chrismatis tui vnctione fecisti esse munitos. Per, &c.

Alia.

BEnedico te cera in nomine sanctæ Trinitatis, vt sis vbique diaboli effugatio, atq; omnium contubernalium suorum exterminatio, adiuuan te eadem sancta & indiuidua Trinitate, quæ in vnitatis essentia viuit & regnat Deus. Per.

Benedictio cerei.

DOmine sancte, pater oĩpotens, æterne Deus, qui omnia ex nihilo creasti, & iussu tuo per opera apum, hunc liquorẽ ad perfectionem cerei euenire fecisti, & qui hodierna die petitionẽ iusti Simeonis implesti, te humiliter deprecamur: vt has candelas ad vsus hominum, & sanitatem corporum & animarum, siue in terra, siue in aquis, per inuocationẽ tui sanctissimi nominis, & per intercessionem sanctæ Mariæ semper virginis, cuius hodiè festa deuotè celebrãtur, & per preces omnium sanctorum tuorum benedicere & sanctificare digneris, & huius plebis tuæ, quæ illas honorificè in manibus desiderat portare, teq̃ cantando laudare: exaudias voces de cælo sancto tuo, & de sede maiestatis tuæ, & propitius sis omnibus clamantibus ad te: quos redemisti precioso sanguine filij tui, qui tecum viuit, &c.

Alia.

OMnipotens sempiterne Deus, qui hodiernæ die vnigenitum tuum vlnis sancti Simeonis in templo sancto tuo suscipiendum præsentasti, tuam supplices deprecamur clementiam, vt has candelas, quas nos tui famuli in tui nominis magnificentia suscipientes, gestare cupimus luce accensas, benedicere & sanctificare, atque lumine supernæ benedictionis accendere digneris, quatenùs eas tibi Domino Deo nostro offerendo, digni, & sancto igne dulcissimæ charitatis tuæ succensi, in templo sancto gloriæ tuæ repræsentari meremur, Per.

Alia.

DOmine Iesu Christe, lux vera, qui illuminas omnem hominem venientem in hunc mundum, effunde benedictionem tuam super hos cereos, & sanctifica eos lumine gratiæ tuæ, & concede propitius, vt sicut hæc luminaria igne visibili accensa, nocturnas depellunt tenebras, ita corda nostra inuisibili igne, id est, sancti Spiritus splendore illustrata, omnium vitiorum cæcitate careant: vt purgato mentis oculo ea cernere possimus, quæ sunt tibi placita, & nostræ saluti sunt vtilia, quatenus post huius seculi caligi-

nosa discrimina, ad lucem indeficientem peruenire mereamur: Per te Christe Iesu Saluator mũdi, qui in Trinitate pfecta viuis & regnas Deus: Per omina secula seculorum. Resp. Amen. Dominus vobiscum. Resp. Et cum Spiritu tuo. Sursum corda. Resp. Habemus ad Dominum. Gratias agamus Domino Deo nostro. Resp. Dignũ & iustum est.

Verè dignum & iustum est, æquum & salutare, Nos tibi Deo omnipotenti, rerumque omnium creatori laudes assiduas personare, & munificentiæ tuæ indefessas semper grates persoluere: qui inter cæteras mũdanæ cõditionis creaturas, de liquore aerio per apum efficaciam, cerei preciosam fieri voluisti substantiam, vt tibi indè debiti honoris famulatus existeret, & nobis vsus necessarius proueniret. Proindè immensam clementiam tuam Domine suppliciter obsecramus, vt super has candelas benedictionis tuæ munus infundas, vt omnes eas in Christi vicem manibus portantes, eiusdem sacri tui spiraminis gratia, qua Beatus Simeon repletus fuerat, imbui mereãtur. Qui hodierno die vnigenitum tuum Dominum nostrum Iesum Christum, lumen æternum, à parentibus in templo præsentatum, in vlnas suas accepit, ac reuelante Spiritu sancto, ita prophetando benedixit: Nunc dimittis seruum tuum Domine secundùm verbum tuum in pace: quia viderunt oculi mei salutare tuũ, quod tibi æterno Patri sanctoque Spiritui coæternum & coæquale viuit & regnat in secula seculorum. Resp. Amen. Qua finita, dicat sacerdos hanc orationem:

OMnipotens sempiterne Deus, qui per Moysen famulum tuum, purissimum olei liquorem ad luminaria ante conspectum tuum iugiter accendenda præparari iussisti, benedictionis tuæ gratiã super hos cereos benignus infunde, quatenùs sic administrent lumen exterius, vt te donante, lumen Spiritus tui nostris non desit mẽtibus interiùs. Per. Tunc adspergantur aqua benedicta, & thure adoleantur, & illuminentur, & interim canatur à clero antiphona: Hodiè Beata virgo Maria puerũ Iesum. Post hæc accipiunt omnes, singulos cereos de manu pontificis vel æditui, & dicit sacerdos hanc orationem:

OMnipotens sempiterne Deus, qui vnigenitum tuum ante tempora de te genitum, sed temporaliter de Maria Virgine incarnatum, lumen verum & indeficiens ad depellendas humani generis tenebras, & ad incendendum lumẽ fidei & veritatis in mundum misisti, cõcede propitius, vt sicut exteriùs corporali, ita etiam interiùs luce spiritali mereamur irradiari: Per eundem, &c. Oratione hac expleta, eleuatis sanctorum reliquijs & vexillis, clerus circuit ecclesiã, & inchoat schola primam Antiphonam:

AVe gratia plena Dei genitrix virgo: ex te enim ortus est sol iustitię, illuminans quę in tenebris sunt. Lætare & tu senior iuste, suscipiens in vlnas liberatorẽ animarum nostrarum, donantem nobis & resurrectionem.

Alia.

ADorna thalamum tuum Sion, & suscipe regẽ Christum, amplectere Mariam, quæ est cælestis porta. Ipsa enim portat regem gloriæ noui luminis, subsistit virgo, adducens manibus filium ante Luciferum: quem accipiens Simeon in vlnas suas, prædicauit populus Dominum eum esse vitæ & mortis, & Saluatorẽ mũdi.

Alia.

Respõsum accepit Simeon à Spiritu sancto, non visurum se mortem, nisi videret Christum Domini: & cùm inducerent puerum in tẽplum, accepit eum in vlnas suas, & benedixit Deum, & dixit, Nunc dimittis seruum tuum in pace. Et ingrediendo Ecclesiam, canunt antiph. Cùm inducerent puerum Iesum parẽtes eius, accepit eum Simeon in vlnas suas, & benedixit eum, dicens, Nunc dimittis Domine seruum tuum in pace. Qua finita, dicat sacerdos hanc orationem.

DOmine Iesu Christe, qui hodierna die in nostræ carnis substãtia inter homines apparens, à parentibus in templo es præsentatus, quem Simeon venerabilis senex, lumine Spiritus tui irradiatus, agnouit, suscepit, & benedixit: præsta propitius, vt eiusdem Spiritus sancti gratia illuminati atque edocti, te veraciter cognoscamus, & fideliter diligamus, qui cum Deo patre in vnitate eiusdem Spiritus sancti viuis & regnas Deus, per omnia secula seculorum. Respons. Amen.

Secundùm Romanos autem, cùm appropinquauerint atrio sanctæ Mariæ, faciendæ sunt litaniæ. His expletis ante altare, & ingresso pontifice in sacrarium, inchoat schola antiphonam ad Introitũ, Suscepimus Deus. Ipsa die nõ canta Gloria in excelsis Deo, si infra septuagesimam euenerit. Deindè peragitur Missa ordine suo.

Ordo in Cathedra S. Petri.

IN cathedra Sancti Petri legũtur lectiones quę in natalicijs omnium Apostolorum, siue homiliæ ad ipsum diem pertinentes.

Annunciatio S. Mariæ.

IN Annunciatione sanctæ Mariæ leguntur lectiones III. de Esaia propheta. Prima lectio sic cõtinet in capite: Erit in nouissimis diebus præparatus mons domus Domini. Vsque, exaltabitur autem Dominus solus in die illa. Secunda lectio sic continet in capite: Et adiecit Dominus loqui ad Achaz, dicens: Pete tibi signum à Domino Deo tuo. Vsque, à diebus separationis Effraim à Iuda, cum rege Assyriorum. Tertia lectio sic cõtinet in capite: Egredietur virga de radice Iessæ. Vsque, ipsum gentes deprecabuntur, & erit sepulchrum eius gloriosum.

De Septuagesima.

IN Septuagesima Paschæ ponunt heptateucum, vsq; in quintamdecimam diem ante Paschа. Septuagesima videtur dici posse, ppter septuaginta dies, qui sunt ab ipso die ad sabbatum ante octauas Paschæ, quo die alba tolluntur vestimenta à nuper baptizatis. Porrò sexagesima indè dici potest, quia sexaginta sunt dies vsque ad

Universidad de Deusto
Biblioteca

medium Paschæ quod est feria quarta Paschalis hebdomadæ. Quinquagesima verò, quia decurrit vsque in diem sanctũ resurrectionis Dominicæ. Quadragesima etiàm cum Dominica sua currit ad mysticum Pascha Hebræorũ, quod Dominus noster Iesus Christus cum discipulis suis celebrauit, & nos dicimus cœnam Domini. Septuagesima ergò, vt prædictum est, computatur secundùm titulationẽ Sacramentarij & Antiphonarij, nouem hebdomadibus ante Pascha in septimam sabbati. Populus Dei in Babylone detentus est captiuus septuaginta annis: quibus expletis, reuersus est Hierusalẽ. Ideò author officij nostri, septuagesimam posuit in officijs nostris, vt hoc tempore à deliciis abstinendo, ostenderemus in nostra conuersatione, qualiter per omne tempus seculi viuere debeãt, qui post baptismum peccatis se alienant à cælesti Hierusalem. Quapropter Alleluia illo tempore non cantatur apud nos, sed Tractus, id est, luctus: nec Gloria in excelsis Deo, quæ sunt cantica cælestia: & in quibusdam locis Dalmaticarum vsus intermittitur. Græci proximam hebdomadam id est, sexagesimã sanctificant suo ieiunio: Clerici nostri, auctore Telesphoro papa, sequentem, id est, Quinquagesimã, qui constituit septẽ hebdomadarũ ieiuuium ante Pascha. Quadragesimã verò Christus suo nobis dedicauit ieiunio.

Ordo in Quarta feria Quadragesimæ, quæ est in capite ieiunij.

FEria quarta, id est, in capite Ieiunij, veniũt ad Collectam. Hac die, flectamus genua, pronunciante diacono super populum cũ inclinatione capitis, in primis præmonere debet sacerdos omnes Christianos ex sacris scripturarum testimonijs, quatenùs in capite ieiunij ad veram confessionẽ veramq; pœnitentiã festinantiùs accedant. Denique admonendi sũt, in cœna Domini redeant ad reconciliationem. Si verò interest causa aut itineris, aut cuiuslibet occupationis, aut ità fortè hebes est, vt ei hoc sacerdos persuadere nequeat, iniungat ei iam quadragesimalem quanque annualem pœnitentiã, & reconciliet eum statim. Sicut autem sacrificiũ offerre non debent, nisi episcopi vel presbyteri, quibus claues regni cælestis traditæ sunt, sic nec iudicia ista alius vsurpare debet. Si autem necessitas euenerit, & presbyter non fuerit præsens, diaconus suscipiat pœnitentes, ac det sanctã cõmunionẽ. Denique cũ sacerdos susceperit pœnitentẽ, si laicus est, dimisso baculo, quisquis verò ille est, siue laicus, siue clericus, seu monachus, suppliciter inclinet se ante sacerdotem. Tunc sacerdos dicat hanc orationem: *Oratio.*

Domine Deus omnipotens, propitius esto mihi peccatori, vt cõdignè possim tibi gratias agere, qui me indignum propter tuam misericordiã ministrum fecisti sacerdotalis officij, & me exiguum, humilemq; mediatorem constituisti ad adorandum & intercedendum Dominũ Deũ nostrum IESVM Christum pro peccantibus, & ad pœnitentiam reuertentibus. Ideoq; domina tor Domine, qui oẽs homines vis saluos fieri, & ad agnitionẽ veritatis venire, q nõ vis mortem peccatorũ, sed vt conuertantur & viuãt, susscipe orationẽ meã, quã fundo ante conspectũ clemẽtiæ tuæ pro famulis & famulabus tuis, qui ad pẽnitentiã & misericordiã tuã confugerunt. Per.

Deindè iubeat cum sacerdos sedere contra se, & colloqui cum eo de suprà scriptis vitiis siue exhortationibus, nè fortè pro verecundia, aut ignauia, siue obliuione aliquid putridum in corde remaneat, per quod iterum diabolus eum ad vomitum peccati reducat.

Consideret etiàm sexum, ætatem, conditionem, statum, personam: & secundum hoc, vt sibi visum fuerit, singula quæque dijudicet, & aliquos à cibis abstinendo, alios eleemosynas dando, & nonnullos sæpius flectendo genua, siue in cruce stãdo, aut aliquid aliud huiusmodi, quod ad animæ salutem pertinet.

Non omnibus vna eademq; discretio sit, vnicuique eorum, hoc est, inter diuitem & pauperẽ, liberum & seruum, inter infantem & puerum, iuuenẽ & adolescentem, ætate senem, hebetem & stultum, scientẽ & ignarum, laicum & clericũ, monachum & episcopũ, presbyterum & diaconũ, subdiaconũ & lectorẽ, in gradu in cõiugio, vel sinè coniugio, inter virginẽ & fœminã, inter canonicã, & sanctimonialẽ, inter debiles & infirmos, inter sanos & ęgros. De qualitate etiàm peccatorũ & hominũ, inter continentẽ & incontinentẽ, vtrũ voluntate velcasu, vel in abscondito, quali cõpũctione emẽdet, necessitate vel volũtate: loca & tẽpora discernat. Attendat etiàm sacerdos, vt salui sint oẽs, & non pusillanimes, quia potentes potenter tormenta patientur.

Post ista omnia scrutata, & pœnitentem corroboratum, interroget eum sacerdos, ità dicẽs:

Credis in Deum Patrẽ, & Filiũ, & Spiritũ sanctũ? Respond. pœnitẽs, Credo. Itẽ: Credis quia istæ tres personæ, Pater, & Filius, & Spiritus sãctus, vnus sit Deus Resp. Credo. Itẽ: Credis qa in hac ipsa carne, in qua modò es, resurgere habes, & recipere siue bonũ siue malũ prout gesseris? Respõd. Credo. Itẽ: Vis dimittere illis, qui in te peccauerunt, oĩa, vt & tibi DEVS dimittat peccata tua? Ipso dicente, Si non dimiseritis hominibus peccata eorũ nec pater vester cælestis dimittet vobis peccata vestra. Si vult dimittere, susscipias eius cõfessionẽ, & indicas ei pœnitentiã: Si non vult, nõ susscipias eius cõfessionẽ. Volẽs ergò dimittere oĩa his qui in se peccauerũt, cõfiteatur oĩa peccata sua, quæ recordari potest, inhæc verba: *Confessio pœnitentis.*

CONfiteor tibi Domine pater cæli & terræ, tibique bone & benignissime Iesu Christe, vnà cũ sancto Spiritu corã sãctis Angelis tuis, & corã sanctis tuis, corã hoc altari & sacerdote tuo, qa in peccatis cõceptus, & in peccatis natus, & in peccatis nutritus, & in peccatis post baptisma vsque ad hanc horã sum conuersatus: Confiteor etiã quia peccaui nimis in superbia, inani gloria, in extollẽtia tã oculorũ quã vestiũ, & omnium actuũ meorũ, in inuidia, in odio, in auaritia tã honoris, quàm pecuniæ: in ira, in tristitia in acedia, in vẽtris ingluuie, in luxuria Sodomitica, in sacrilegijs, in periurijs, in adulterijs, in furtis, in rapinis, i omni genere fornicationis, in immũditijs turpissimis, in ebrietatibus, in comessationibus, in fabulis ociosis, in luxurijs, in osculis & amplexibus immũdis, in femoribus & genitalibus meis, in homicidijs animo optatis, in fide, spe & charitate, in accipiẽdo corpore & sanguine Domini semper indignè, in exhortationibus & adulationibus malignis, in ignorantia, in negligentia, in subreptionibus, in dandis & accipiendis muneribus, in vsuris faciendis, in prælationibus, in dispensandis malè rebus ecclesiasticis, in subtrahendis eleemosynis, in paueribus exasperandis, in hospitalitatibus & receptionibus pauperum, in afflictione familiæ mihi commissæ, non visitando infirmos, secundùm Euangelicum præceptum, & in carcere positos: non sepeliendo mortuos, non vestiendo pauperes, non recreando esurientes, non potando sitientes: solennitatibus sanctorum & Dominicis diebus ac festis, debitum honorem & celebrationem non impendendo, nec sobriè ac castè in his viuendo, consentiendo seniori in malo, non adiuuando apud illum, & solatium non dando indigentibus, nocendo potiùs quàm adiuuando: potentibus, senioribus ac magistris ac principibus detrahendo, & blasphemando amicis & benefactoribus meis fidem & debita obsequia non rependendo, animalium & pecudum concubitus conscientia immunda intuendo: in ecclesiam DEI superbè intrando, stando, sedendo, iacendo, & egrediendo; ac ociosis fabulis, & sceleratis actibus, turpibusque colloquijs in eis cum alijs insistendo, vasa sancta & ministeriũ sanctum polluto corde & manibus immundis tangendo, orationem & psalmodiã, atque officium diuinum negligenter in ecclesia Dei faciendo, in cogitationibus pessimis, in meditationibus peruersis, & suspicionibus falsis, in iudicijs temerarijs, in consensu malo, & consilio iniquo, in concupiscentia & delectatione immunda, in verbis ociosis, superfluis, luxuriosis, atque contumeliosis, in mendacijs, in falsitatibus, in iuramentis multimodis & diuersis, in detractionibus assiduis, in rixis ac discordijs seminandis, in irrisionibus, in ociositate, in contentione, in dolositate, in malignitate, in susurrationibus, in inani lætitia, in omni malo linguæ, in murmurationibus & blasphemiis, in scurrilitatibus, in cachinnis, in somnolentiis, in maledictis, in conuiciis, in turpiloquiis, in insultationibus, in dissimulatione, in vigilijs Deo contrarijs, in concupiscentijs carnalibus, in cogitationibus luxuriosis, in delectationibus immũdis, in consensu diaboli, & trãsgressione præceptorũ Dei, in negligẽtia proposi ti mei, in dilectione DEI & proximi, in visu, auditu, gustu, odoratu, & tactu luxurioso & immũdo, & omnimodis cogitatione, locutione, voluntate & actione perditus sum.

Quoniã in his & in alijs oĩbus vitiis, quibuscunq; humana fragilitas cõtra Dominũ & creatorẽ suũ aut cogitãdo, aut loquẽdo, aut operando, aut delectãdo, aut cõcupiscẽdo peccare potest, me peccasse & reũ in cõspectu Dei sup oẽs hoĩes esse cognosco & confiteor. Ideo supplico vos oẽs sancti Angeli Dei, & oẽs sancti, & te venerãde sacerdos, in quorum conspectu hæc oĩa confessus sũ, vt testes mihi sitis in die iudicij cõtra diabolum, hostem & inimicum humani generis, hæc omnia me confessum fuisse.

Obnixè etiã te sacerdos DEI exposco, vt intercedas pro me, & pro peccatis meis ad Dominũ Deũ nostrũ, quatenus de his & de alijs omnibus sceleribus meis, veniã & indulgentiã per merita & intercessiones omnium Sanctorum assequi merear. Tunc dicat sacerdos:

Misereatur tui omnipotens Deus, & dimittat tibi omnia peccata tua, liberet te ab omni malo, conseruet te in omni bono, & perducat nos pariter Iesus Christus filius Dei in vitã æternã. Ab omni malo custodiat nos oĩpotẽs Domin°.

Præcauendũ est tamẽ sacerdoti de suprascriptis vitiis, vt ei exhortationis gratia ad memoriam reducat, nè quid, aduersante diabolo, occultũ remaneat.

Quo facto, flexis genibus in terra, & sup ipsa innixus stãs, suppliciter tẽsis manibus, blãdo ac flebili vultu respiciẽs sacerdotẽ, dicat his verbis:

Multa qdẽ & innumerabilia sunt alia peccata mea, quæ recordari nequeo, in factis, ĩ dictis, & in cogitationib°, p q̃bus oĩbus misera mẽs mea cõpungitur, & acri interdũ pœnitẽtia cruciatur: Ideoq; cõfiliũ, immò iudiciũ tuũ, q̃ sequester ac medius inter Deum & pcõrem ordinatus es hominẽ, supplex deprecor, & vt pro eisdem peccatis meis intercessor existas, humiliter imploro

Quo perdicto, totum se in terrã prosternat, & gemitus atque suspiria vel lachrymas, prout Deus dederit, ab intimo corde producat. Sacerdos verò patiatur eùm aliquantisper ĩacere prostratum, iuxta quod viderit eum diuina inspiratione compunctum.

Deindè iubeat eũ sacerdos surgere. Et cũ steterit super pedes suos, cum tremore & humilitate præstoletur iudicium sacerdotis. Et indicat ei sacerdos abstinentiã, perpendens subtiliter personæ qualitatẽ, modũ culpæ, intentionẽ animi, & corporis valitudinem vel imbecillitatem.

Percepta autẽ sentẽtia sacerdotis, iterũ prosternat se pœnitens pedibus illius, petens pro se orationẽ fieri, vt suggerat ei diuina visitatio virtutẽ constanter obseruandi quæ illi iniũcta sũt, & ità reuerenter sacerdotis iudicio obtemperare, ac si ab ipsius diuinæ maiestatis ore opportuna salutis suæ medicamenta susceperit.

Sed & hoc sciendum est, vt cùm venerint serui & ancillæ ad pœnitentiam, non eos cogatis ieiunare tantum, quantũ diuites: quia non sunt in sua potestate. Ideoq; medietatem pœnitẽtiæ eis imponite. Tunc imponat sacerdos septem

Psal-

Psalmos pœnitentiales, Domine nè in furore A
tuo,1.Beati quorum Domine nè in furore tuo,2.
Miserere mei Deus.Domine exaudi,1. De profundis,Domine exaudi.2. Posteà dicat oratione
Dominicam & preces istas: Domine,conuertere & eripe animam meam. Resp.Saluum me fac
propter misericordiam tuam.Respice & exaudi
me Deus meus.Resp.Illumina oculos meos.Ab
occultis meis munda me Domine. Resp.Et ab
alienis p.s.t.Delicta iuuentutis meæ.Resp.Et ignorãtias meas nè memineris Domine.Propter
nomen tuum Domine propitiaberis peccato
meo.Mul tum est enim.Delictum meum cognitum ti bi feci, & iniustitiam meam nõ abscondi. B
Domine,ante te omne desiderium meum,& gemitus meus à te non est absc.Exaudi orationem
meam & deprecationem meam.Auribus percipe lachrymas meas.Complaceat tibi Domine vt
eruas me. Domine ad adiuuandum me respice.
Domine miserere mei:Sana animã meam,quia
peccaui tibi. Miserere mei Deus, miserere mei,
Quoniam in te confidit anima mea. Domine
auerte faciem tuam à peccatis meis,& omnes iniquitates meas dele. Nè memineris Domine iniquitatum nostrarum antiquarum, Citò antici C
pent nos misericordiæ tuę,q.p.f.s.n.Adiuua nos
Deus salutaris noster, & propter gloriam nomi
nis tui D.l.n.e.p.e.p.n.p.n.t. Nè tradas bestiis
animam confitentem tibi. Et animas pauperum
tuorum n. o. i. f. Domine, tu scis insipientiam
meam,Et delicta mea à te non sunt abscondita.
In multitudine misericordię tuæ,Exaudi me in
veritate salutis tuæ.Exaudi me Domine,quoniã
benigna est misericordia tua,Secundùm multitudinem miserationum tuarum respice in me.
Nè auertas faciem tuam à puero tuo:Quoniam
tribulor, velociter exaudi me. Intende animæ
meæ,& libera eam. Propter inimicos meos eripe me. Domine vide humilitatem meam & la- D
borem meum, Et dimitte omnia peccata mea.
Nè perdas Domine cum impijs animã meam,
Et cum viris sanguinum vitam meam. Redime
me Domine,& miserere mei:Pes enim meus stetit in via recta. Clamaui ad te Domine, dixi, tu
es spes mea:Portio mea in terra viuentium. Intende ad deprecationem meam,Quia humiliatus sum nimis. Libera me à persequentibus me,
Quoniam confortati sunt super me. Educ de tribulatione animam meam,&in misericordia tua
disperdes inimicos meos. Domine exaudi orationem meam,& clamor meus ad te veniat.
Post hæc dicat sacerdos hanc orationem: E
EXaudi Domine preces nostras, & confitentium tibi parce peccatis,vt quos conscientię
reatus accusat, indulgentia tuæ miserationis
absoluat.Per.

Alia.

DA,quæsumus Domine,huic famulo tuo continuam purgationis suæ obseruantiam pœnitendo gerere,& vt hoc efficaciter implere
valeat, gratia eum tuæ visitationis & præueniat,
& subsequatur.Per.

Alia.

PRæueniat hunc famulũ tuum,quæsumus Domine,misericordia tua, & omnes iniquitates
eius celeri indulgentia deleantur.Per.

Alia.

ADesto, Domine, supplicationibus nostris,
nec sit ab hoc famulo tuo N.clementiæ tuę
longinqua miseratio:sana vulnera, eiq; remitte peccata,vt nullis iniquitatibus à te separatus,tibi Domino semper valeat adhærere.

Alia.

DOmine Deus noster, qui peccatis nostris offenderis,satisfactione placaris,respice,quę
sumus,ad hunc famulũ tuum,qui se tibi peccasse grauiter confitetur:tuum est enim,ablutionem criminum dare,& veniam præstare peccantibus, qui dixisti pœnitentiam te malle quàm
mortem:concede ergò Domine hoc,vt famulus
tuus pœnitentiæ tibi excubias celebret, & correctis actibus suis, cõferri sibi à te sempiterna gaudia gratuletur.Per.

Alia.

Exaudi, quæsumus, omnipotens Deus preces
nostras, quas in conspectu pietatis tuæ effundere præsumimus,suppliciter deprecãtes,vt famulum tuum in tua misericordia confidentem benedicas,& omnia eius peccata dimittas, tuaque
eum protectione conserues:vt possit tibi dignus
fieri,& ad æternam beatitudinem valeat peruenire.Per Dominum nostrum.

Alia.

Adesto Domine supplicationibus nostris, &
huius famuli tui cõfessionem benignus adsume,
vt qui auxiliũ tuæ miserationis implorat,& sanctificationis gratiam percipiat,& quæ precatur
obtineat.

Alia.

Precor Domine clementiæ, & misericordiæ
tuæ maiestatem,vt famulo tuo peccata sua confitenti,debita relaxare,& veniam præstare digneris, & ei præteritorum criminum culpas indulgeas,qui humeris tuis ouem perditam reduxisti,
quique publicani preces confessione placatus
exaudisti:tu etiam huic famulo tuo N. placare,
tu huius precibus benignus adspira, vt in confessione placabili permaneat, fletus eius & petitio
perpetuam. clementiam tuam celeriter exoret,
sanctisque altaribus & sacramentis restitutus,
spei rursum æternæ ac cælesti gloriæ mancipetur.Per.

Quibus dictis, iubeat sacerdos pœnitentem
surgere de terra.Sed & ipse surgat de sedili suo:
&,si loco vel tempori congruit,ecclesiam ingressi,& super genua vel cubitos vterque innixus,decantent Psalmos:Domine,nè in furore tuo.secũdum.Benedic anima mea,primum. Vsque,renouabitur.Miserere mei Deus. Vsque, dele iniquitatẽ meam. Deus in nomine tuo saluum me fac.
Quid gloriaris, Vsque, Videbunt. deindè Kyrie
eleison & Pater noster.Preces:Saluum fac seruũ
tuum Domine.Illustra faciem tuã super seruum
tuũ.Mitte ei Domine.Dehinc sequitur Oratio:

Deus,

DEus,cuius indulgẽtia cũcti indigent,me- A
mento famuli tui N. qui lubrica terreni
corporis est fragilitate nudatus, quæsumus,da veniam confitenti,parce supplici:vt qui
suis meritis accusatur,tua miseratione saluetur.
Per.Missa post confessionem.Antiphona:De necessitatibus meis. *Oratio:*

Omnipotens sempiterne Deus, confitenti tibi huic famulo tuo pro tua pietate peccata relaxa, vt non plùs ei noceat conscientiæ reatus ad
pœnam, quàm indulgẽtia tuæ pietatis prosit ad
veniam.Per.&c.Lectio: Lauamini,mundi estote. Graduale: Saluum fac seruum tuum. Tract. B
Domine non secundùm peccata. Euange. Duo
homines ascenderunt in templum. Offer.Miserere mihi Domine secundùm magnam. SECR.

Præsta,quæsumus, omnipotens & misericors
Deus, vt hæc salutaris oblatio famulũ tuum N.
& à proprijs reatibus indesinẽter expediat,& ab
omnibus tueatur aduersis.Per.Comm.DEVS,
propitius esto mihi p.Post commun.

Omnipotens & misericors Deus,qui omnem
animam pœnitentem & confitentem magis vis
emendare,quàm perdere, respice propitius su- C
per hunc famulum tuum N.& per hæc sacramẽta quæ sumpsimus, auerte ab eo irã indignationis tuę,&dimitte ei oĩa peccata sua.Per.Hic mittẽdus est cinis super caput pœnitẽtis, & dicẽdũ:

Memento homo quia puluis es, & in puluerẽ
reuerteris. Statimque imponendum cilicium,&
dicendum:Contere cor tuum,& humilia animã
tuam in cinere & cilicio.Cor enim humiliatum
Deus non despicit. *Sequitur Oratio:*

Adsit, quæsumus Domine, huic famulo tuo
inspiratio gratiæ salutaris,quæ cor eius fletuum
vbertate resoluat,sicque macerãdo conficiat,vt
iracundiæ tuæ motus idonea satisfactione com
pescat. Per.Post hanc ciiciendus est ab ecclesia, D
& tali modo increpandus:

Ecce ciiceris hodiè à sinu matris tuæ sanctæ
ecclesiæ pp peccatum tuum, sicut Adã primus
homo eiectus est de paradiso propter transgressionem suam.Sequitur responsio:In sudore vultus tui vesceris pane tuo, dixit Dominꝰ ad Adã:
cùm operatus fueris terram, non dabit fructus
suos,sed spinas & tribulos germinabit tibi.Ver.
Pro eo quòd obedisti voci vxoris tuæ plùs quàm
meæ,maledicta terra in opere tuo.Nõ dabit fructus suos. Eodẽ die fit collecta ad sanctam Anastasiam.Et in primis agitur benedictio cineris.

Omnipotẽs sempiterne Deus,parce metuen- E
tibus, propitiare supplicantibus, & mittere dignare sanctum Angelum tuum de cælis, qui benedicat & sanctificet hos cineres, vt sint remedium salubre omnibus nomen sanctũ tuum humiliter implorantibus, ac semetipsos pro conscientia delictorum suorum accusantibus, atque
ante conspectum diuinæ clementiæ tuæ facinora sua deplorantibus,vel serenissimam maiestatem tuam suppliciter obnixeq; flagitantibus,&
præsta per inuocationẽ sanctissimi nominis tui,
vt quicunque eos super se adsperserint, pro redemptione peccatorum suorum, corporis sanitatem & animæ tutelam percipiant.Per. *Alia.*

DEus, qui non mortem,sed pœnitentiam desideras peccatorum,fragilitatem conditionis
humanæ benignissimè respice, & hos cineres,
quos causa proferendæ humilitatis, atque promerendæ veniæ capitibus nostris inponi decernimus,benedicere ꝓ tua pietate dignare,vt qui
nos cinerem esse,& ob prauitatis nostræ meritũ
in puluerem reuersuros cognoscimus,peccatorum omniũ veniam & præmia pœnitentibus repromissa,misericorditer cõsequi mereamur.Per

Alia.

DEVS qui humiliatione flecteris,& satisfactione placaris,aurem tuæ pietatis inclina
precibus nostris,& capitibus seruorum tuorum horum cinerum adsperfione attactis,effunde propitius gratiam tuæ benedictionis, vt eos
& spiritu cõpunctionis repleas, & quæ iustè postulauerint,efficaciter tribuas.& cõcessa ꝑpetua
stabilitate,intactos manere decernas.Per.&c.

Alia.

Omnipotens sempiterne Deus, qui Niniuitis in cinere& cilicio pœnitentibus indulgentiæ
tuæ remedia præstitisti, concede propitius,vt sic
eos imitemur habitu,quatenus veniæ operimentum prosequamur. Per.Sequitur Antiph.Exaudi nos Domine:Saluũ me fac Deus.Interim ponendi sunt cineres super capita,sicut antiphona
testatur:Immutemur habitu in cinere & cilicio,
ieiunemus & ploremus ante Dominũ, quia multũ misericors est dimittere peccata nostra Deus
noster. Sequitur oratio:

Cõcede nobis Domine præsidia militię Christianæ sanctis inchoare ieiuniis, vt contra spiritales nequitias pugnaturi, continentiæ muniamur auxiliis. Per.&c. Antiphonæ ad processionem per viam cantandæ. Antiph. Iuxta vestibulum & altare plorabant sacerdotes & Leuitæ ministri Domini, & dicent, Parce Domine, parce
populo tuo, & nè dissipes ora clamantium ad te
Domine. Parce Domine, parce populo tuo,
quem redemisti Christe sanguine tuo, vt non in
ęternũ irascaris nobis.Resp.Emendemus in melius.Vers.Peccauimus cũ patribus. His finitis,sequũtur litaniæ.Dehinc Statio ad sanctã Sabinã.

Denunciatio mensis primi,quarti,septimi,& decimi.

ANnua nobis est,dilectissimi, ieiuniorũ celebranda festiuitas, quã mensis illius solennis
cursus indicat. Quarta ergò & sexta feria succedente, solitis eandem conuentibus exequamur.
Sabbatorũ die hic sacras acturi vigilias,vt p ob
seruantiam competentem, Domino purificatis
mentibus supplicantes, beatissimo Petro Apostolo suffragante, à præsentibus periculis exui
mereamur pariter & futuris.

Item inuitatio plebis de ieiunio mensis primi, quarti,septimi, & decimi.

HAc hebdomada nobis mensis illius recensenda sunt ieiunia. Quapropter fidem vestræ dilectionis hortamur, vt eadem
quarta & sexta feria solitis processionibus exequentes,

Universidad de Deusto
Biblioteca

quentes, ſabbatorum diem vigiliis ſolennibus expleamus, quatenùs apoſtolicis ſuffragantibus meritis, propitiationem Dei noſtri perſeuerantia debitæ ſeruitutis obtineat.

Item denunciatio ieiuniorum menſis primi, &c.

IN anniuerſarij, fratres chariſſimi, ieiunij puritate, qua & corporis acquiritur & animæ ſanctitas, nos commonet illius menſis inſtaurata deuotio. Quarta ergò & ſexta feria ſolito conuenientes occurſu, offeramus Deo ſpiritale ieiunium. Die verò ſabbati apud beatum Petrum, cuius nos interceſſionibus credimus adiuuãdos, ſanctas vigilias Chriſtiana pietate celebremus, vt per hanc inſtitutionem ſalutiferam, peccatorum ſordes, quas corporis fragilitate contraximus, ieiunijs & eleemoſynis abluamus, auxiliante Domino noſtro Ieſu Chriſto, qui cum patre & filio, &c. *Alia.*

ILlius menſis ieiunia in hac hebdomada nobis ſunt tenenda, ideoq; oramus ſanctam fidem veſtrã, vt primi, quarti, ſeptimi, vel decimi ferias ieiunem⁹, quatenùs diuinis inhærendo mandatis, propitiationem Dei noſtri perſeuerantia debitæ ſeruitutis obtineamus.

De quatuor temporibus ieiuniorum primi, quarti, ſeptimi & decimi menſis.

IN primo menſe, quarta & ſexta feria, vel ſabbato in prima hebdomada ipſius menſis, primum ieiunium celebratur. Secundum temporis ieiunium in quarto menſe in ſecunda hebdomada ipſius menſis, quarta & ſexta feria vel ſabbato conſummatur. Tertium temporũ ieiunium ſeptimi menſis, id eſt, Septembris, tertia hebdomada ipſius menſis, quarta & ſexta feria vel ſabbato conſummatur. Quartũ temporis ieiunium decimi menſis, id eſt, Decembris, quarta hebdomada, quarta & ſexta feria vel ſabbato proximo ante Natalem Domini, completur. Et ſi vigilia Natalis in ſabbato euenerit, in antecedente hebdomada ſuprà ſcriptum ieiunium die ſabbati celebratur. Quandò duodecim lectiones leguntur, & cum Miſſis & oblationibus ipſa ieiunia conſummantur. Et tunc ſacri ordines in Eccleſia Romana de eis qui vocantur Cardinales, tradi conſueuerunt.

De Parochianis.

ET in ipſis quatuor ſupraſcriptis menſium temporibus, qualicunque die Dominus Apoſtolicus voluerit, ad ſacros ordines parochianos clericos p oẽs eccleſias, ſi neceſſitas fuerit, benedicit.

Et hic eſt ordo:

IN ſabbato, hora tertia, vel quali hora voluerint, primò ingreditur põtifex, ſeu ſacerdos, ſeu Leuitæ in ſacrarium, & induunt ſe veſtimentis religioſis, cum quibus debẽt celebrare Miſſarũ ſolennia, canente interìm clero antiphonam ad introitum ad ipſum diem pertinentẽ. Ipſa finita dicunt Kyrie eleiſon. Deindè põtifex dicit, Oremus: Diaconus, Flectamus genua. Et vt ſurrexerint, dicit: Leuate. Proſequitur ſacerdos orõnem primam, ſicut in ſacramentario continetur. Sequitur lectio, & tunc pronunciat lector lectionẽ lib. & legit. Deindè Reſpõ. Indè dicat ſacerdos, Oremus. Diaconus vt ſuprà. Et dicit orõnem ſacerdos poſt primam lectionem, & ſuper vnamquanq; lectionem ſicut ſuperiùs. Expleta autem lectione, quæ eſt Danielis Prophetæ, canunt benedictionem. Et dum benedictio canitur, qui ordinandi ſunt, ſtent in pogio ſub gradibus. Et tũc deſcendens ad eos Archidiaconus, reueſtit eos. Si enim diaconi ordinandi ſunt, dat eis orarios & Dalmaticas: Si verò presbyteri, Orarios & planetas. Porrò Orarij qui dandi ſunt, per illam noctem ſuper altare ſint repoſiti, & de altari ab archidiacono tollantur, & ipſe ſuper eorum col la ponat. Benedictione completa, incipit clerus litaniam, & dum ipſa canitur, qui ordinandi ſunt, ante altare ſemper proſtrati iaceant, adſtante ſuper eos pontifice inclinato capite ad altare. Litania verò finita, ſurgẽs pontifex aſcendit ad altare vel ad ſedem, & ſtans verſus ad Oriẽtem, cõſecrat illos. Finita cõſecratione, benedictoq; incenſo, diaconus imponit Euangelium. Poſteà Miſſa celebratur ordine ſuo. Orõ poſt communionẽ non habetur ſuper populum in mẽſe primo, q̃a iſtud frequenter circa noctem Dominicam ſolet finiri, in qua minimè genu flectitur.

Incipit ordo vel denunciatio ſcrutinij ad electos, quod tertia hebdomada in Quadrageſima, ſecunda feria, nunciatur.

SCrutinij diem, dilectiſſimi fratres, quo electi noſtri diuinitùs inſtruantur, imminere cognoſcitis, ibidemq; ſolita deuotione ſuccedẽte, ſequenti quarta feria, circa horam tertiam cõuenire dignemini, vt cæleſte myſterium, quo diabolus cum ſua pompa deſtruitur, & ianua regni cæleſtis aperitur, inculpabili, Domino iuuante, miniſterio peragere valeamus. Per.

In quarta hebdomada Quadrageſimæ, & in quarta feria, varietas eſt per adiectionẽ vnius lectionis & vnius reſponſorij. Prima enim lectio Ezechielis Prophetæ ita inchoat: Hæc dicit Dominus Deus: Sanctificabo nomen meum magnum. Gra. Venite filij. Verſ. Accedite. II. Lectio Eſaiæ Prophetæ: Hęc dicit Dominus Deus: Lauamini, mundi eſtote. Gra. Beata gens. Verſ. Verbo Domini cæli firmati ſunt. Vt autẽ ad eccleſiã venerint, ſicut diximus, quarta feria, hora tertia, ſcribãtur nomina infantũ, vel eorũ qui ipſos ſuſcepturi ſunt, & diaconus clamet, dicẽs: Catechumeni, pcedant. Et vocẽtur ipſi infantes ab acolyto in eccleſiam p nomina vel ordinẽ, ſicut ſcripti ſunt, ita dicẽdo, Ille puer, & ſic per ſingulos ſtatuantur maſculi ſeorsùm ad dextram partem: Illa virgo, & ſic per ſingulas ſtatuantur fœminæ ſeorsum ad ſiniſtram partem.

Memorata quarta feria, apud cultores eccleſiæ, In apertione aurium dicitur.

Eadem die agitur ſcrutinium tertium, quod maximum eſt inter ſeptem ſcrutinia.

Eadem die tanguntur aures & nares catechumenorum, digitis presbyterorum.

Eadem die inſtruuntur de auctoribus & initijs quatuor Euangeliorum.

Eadem

Eadem die percipiunt orõnem Dominicam, & ſymbolũ ad reddendũ in ſabbato S. Paſchæ.

Item benedictio cineris ad eos, qui ſcrutinia ſunt habituri, & baptizari deſiderant.

EXorcizo te cinis in nomine Dei patris omnipotentis, & Ieſu Chriſti filij eius, & Spiritus ſancti, qui te per ignẽ in fauillam conuerti præcepit: vt ſicut iuſſione Dei per ſanctum famulũ eius Moyſen cinis vitulæ in populo adſperſus, omnem cõgregationem Iſrael ſanctificauit, ita tu exorcizatus in nomine S. Trinitatis, adſperſus in eis, qui ſcrutinia ſunt habituri, eos ſanctifices, vt diabolus non lateat, ſed manifeſtetur atq; expellatur, vt puri & ſinceri inueniantur. Per.

Alia.

TE item petimus & rogamus omnipotens pater, vt ſicut Niniuitarum populus ad prædicationem Ionæ prophetæ miſericordiam tuam Domine exorantes, ſuorum veniam meruerunt conſequi peccatorum: ità & hi, qui ad tuam gratiam percipiendam venire deſiderant, amputatis carnalibus maculis per ſacri baptiſmatis regenerationem, ſuorum finem conſtituant vitiorũ. Per. Tunc ſpargat cineres ſuper eos, qui ſcrutinia ſunt habituri. Hoc expleto, tangat presbyter ſingulorum nares de ſputo oris ſui, & dicat vnicuiq; ad aurẽ dextram, Epheta, quod eſt, adaperire: Ad nares, in odorem ſuauitatis. Ad ſiniſtram, Tu autem effugare diabole. appropinquabit enim iudicium Dei. Tunc inprimis inuocato nomine infantis, presbyter dicat:

Abrenuncias ſatanæ? Reſp. Abrenuncio. Et omnibus operibus eius? Reſpon. Abrenũcio. Et omnibus pompis eius? Reſp. Abrenuncio.

Deindè dicat: Credis in Deum patrem omnipotentem, creatorem cæli & terræ? Reſp. Credo. Credis & in IESVM CHRISTVM filium eius vnicum, Dominum noſtrum, natum & paſſum? Reſp. Credo. Credis & in Spiritum ſanctũ, ſanctam Eccleſiam Catholicam, ſanctorum cõmunionem, remiſſionem peccatorum, carnis reſurrectionem, & vitam æternam? Reſp. Credo.

Tunc exuffflet in faciem tribus vicibus, dicẽs:

Exi immunde ſpiritus, & da locum Spiritui ſancto paracleto.

Et tũc primitiùs faciat presbyter in ſingulorum frontibus crucem cum pollice, ità dicendo:

In nomine patris, & filij, & ſpiritus ſancti. Et imponens manum ſuper capita eorum, dicat:

Omnipotens ſempiterne Deus, pater Domini noſtri Ieſu Chriſti, reſpicere dignare ſuper hunc famulum tuum N. quem ad rudimenta fidei vocare dignatus es, oẽm cęcitatem cordis ab eo expelle, diſrumpe oẽs laqueos ſatanæ, quibus fuerat colligatus. Aperi ei Domine ianuam pietatis tuæ, vt ſigno ſapientiæ tuæ imbutus, omnium cupiditatum fœtoribus careat, & ad ſuauẽ odorem præceptorũ tuorum, lætus tibi in eccleſia tua deſeruiat, & proficiat de die in diem, vt idoneus efficiatur accedere ad gratiam baptiſmi tui percepta medicina. Per.

Item ſuper fœminas faciat ſimiliter, & poſteà benedicat ſalem hoc modo:

Exorcizo te creatura ſalis in nomine Dei patris omnipotentis, & in charitate Domini noſtri Ieſu Chriſti, & in virtute Spiritus ſancti. Exorcizo te per deum viuum, per Deum verum, qui te ad tutelam humani generis procreauit, & populo venienti ad credulitatem, per ſeruos ſuos conſecrari præcepit. Proindè rogamus te nomine Deus noſter, vt hęc creatura ſalis in nomine ſanctæ Trinitatis efficiatur ſalutare ſacramentũ ad effugandum inimicum: quã tu Domine ſanctificando ſanctifices, benedicẽdo benedicas, vt fiat omnibus accipientibus perfecta medicina, permanens in viſceribus eorum in nomine domini noſtri IESV CHRISTI, qui venturus.

Et mittat in ora infantum de ipſo ſale, per ſingulos dicendo:

Accipe ſalem ſapientiæ, propitiatus in vitam æternam. Sequitur Oratio:

Deus patrum noſtrorum, Deus vniuerſæ conditor veritatis, te ſupplices exoramus, vt hos famulos tuos reſpicere digneris propitius, vt hoc primum pabulum ſalis guſtantes, non diutiùs eſurire permittas, quo minùs cibo expleantur cæleſti, quatenùs ſint ſemper nomini tuo ſeruiẽtes: perduc eos ad nouę regenerationis lauacrum, vt cum fidelibus tuis promiſſionum tuarum æterna præmia conſequi mereantur. Tunc dicat diaconus: Catechumeni recedant. Indè verò exeãt foràs eccleſiam, expectantes horam quando reuocẽtur. Tunc primùm incipiat clerus antiphonam ad introitum: Dum ſanctificatus fuero in vobis, congregabo vos de vniuerſis terris, & effundam ſuper vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamentis veſtris, & dabo vobis ſpiritum nouum. Pſal. Confitemini Domino & inuocate. Qua finita, dicat presbyter hanc orationem:

DA quæſumus Domine electis noſtris, vt ſanctis edocti myſterijs, & renouentur fonte baptiſmatis, & inter eccleſiæ tuæ membra numerentur. Per.

Alia.

DA quæſumus Domine electis noſtris dignè & ſapienter ad cõfeſſionem tuæ laudis accedere, vt dignitati priſtinæ, quã originali trãſgreſſione perdiderãt, per tuã gratiam reformentur. Per. Et poſteà ſedeat in ſede ſua, & dicat diaconus: Catechumeni procedãt. Et vocẽtur infantes ab acolyto per noĩa vel ordinẽ, vt ſcripti ſunt, & ſtatuãtur vt priùs. Et poſtmodum admoneantur à diacono ità: Orate electi, flectite genua. Et poſtquàm orauerint, dicat: Leuate, cõplete orationem veſtram, & dicite, Amẽ. Et reſpondeant omnes, Amẽ. Item dicat diaconus: Signate illos, accedite ad benedictionẽ. Et ſignent illos infantes in frõtibus eorũ patrini vel matrinæ cũ pollicibus ſuis, dicẽdo: In nomine patris, & filij, & ſpiritus ſancti. Tũc veniat acolytus, iterũ faciẽs crucem in frõtibus ſingulorũ, ità dicendo: In nomine patris, & filij, & ſpiritus ſancti. Et imponat manum ſuper eos excelſa voce, his verbis:

Deus

DEus Abraham, Deus Isaac, Deus Iacob, Deus qui Moysi famulo tuo in monte Sinai apparuisti, & filios Israel de terra Aegypti eduxisti, deputans eis angelum pietatis tuæ, qui custodiret eos die ac nocte, te quæsumus Domine, vt mittere digneris sanctum angelum tuum, vt similiter custodiat & hunc famulū tuum, N. & perducat eum ad gratiam baptismi tui. Ergò maledicte diabole recognosce sententiam tuam, & da honorem DEO viuo & vero, da honorem IESV CHRISTO filio eius, & Spiritui sancto, & recede ab his famulis Dei, quia istos sibi Deus & Dominus noster IESVS CHRISTVS ad suam sanctam gratiam & benedictionem fontemq; baptismatis vocare dignatus est. Et hoc signum sanctæ crucis, quod nos frontibus eorum damus, tu maledicte diabole nunquam audeas violare.

Et vertat se ad fœminas, & faciat crucem in frontibus earum, vt superius, & imponat manum super capita singularum, dicendo:

DEVS cæli, DEVS terræ, Deus angelorum, Deus archangelorum, Deus prophetarum, Deus martyrum, Deus confessorum, Deus virginum, Deus omnium benè viuentium, Deus cui omnis lingua confitetur, & omne genu flectitur cælestium, terrestrium & infernorum, te inuoco Domine, vt hanc familiam tuam N. perducere digneris ad gratiam baptismi tui. Per. Ergò maledicte diabole.

Et annunciat diaconus, dicens: Orate electi, Flectite genua, & reliqua. Et signant patrini vt prius, & sequitur alius acolytus, vt super masculos faciat crucem, sicut prius fecit, & imponens manum super eos, dicit:

AVdi maledicte sathanas, adiuratus per nomen æterni Dei, & Saluatoris nostri filij eius, cum tua victus inuidia tremēs, gemensque discede. Nihil tibi sit commune cum seruo Dei N. iam cælestia cogitanti, renunciaturo tibi ac seculo tuo, & beata immortalitate victuro. Da ergò honorem aduenienti Spiritui sancto, qui ex summa cæli arce descēdens, proturbatis fraudibus tuis, diuino fonte purgatum pectus id est, sanctificatum DEO templum & habitaculum perficiat, & ab omnibus penitus noxiis præteritorum criminum liberatus seruus Dei N. gratias perenni Deo referat semper, & benedicat eius sanctum nomen in secula seculorum. Amē. Item super fœminas similiter faciens crucē, imponit manum super eas, dicens:

DEus Abrahā, Deus Isaac, Deus Iacob, Deus qui tribus Israel monuisti, & Susannam de falso crimine liberasti, te supplex deprecor Domine, vt liberes hanc famulam tuam N. & perducere eam digneris ad gratiam baptismi tui. Ergò maledicte.

Item diaconus dicit: Orate electi, & reliqua. Et signant patrini, vel matrinæ, vt superius. Indè tertius acolytus facit crucem in frontibus puerorum, sicut anterior fecit, & imponit manū super capita eorum, dicendo:

A Exorcizo te immunde spiritus in nomine Patris, & filij, & spiritus sancti, vt exeas & recedas ab hoc famulo Dei N. ipse enim tibi imperat maledicte damnate, qui pedibus super mare ambulauit, & Petro mergenti dexterā porrexit. Ergò maledicte. Item super fœminas faciens crucem vt prius, imponit manum super capita earum, dicendo: Exorcizo te, immūde spiritus, per Patrem & Filium & Spiritum sanctum, vt exeas & recedas ab hac famula Dei N. Ipse enim tibi imperat maledicte damnate, qui cæco nato oculos aperuit, & quatriduanum Lazarum de monumento suscitauit. Ergò maledicte. Et admonet diaconus: Orate electi, & reliqua, sicut anteà. Et signant patrini, sicut prius. Tunc presbyter accedit, faciens crucem in singulorum frontibus, sicut prius, & imponit manum super capita ipsorum, dicens hanc orationem:

AEternam ac iustissimam pietatem tuam deprecor Domine sancte, pater omnipotens, æterne Deus luminis & veritatis, super hunc famulum tuum N. vt digneris eum illuminare lumine intelligentiæ tuæ. Munda eum & sanctifica, da ei scientiam veram, vt dignus efficiatur accedere ad gratiam baptismi tui. Teneat firmam spem, consilium rectum, doctrinam sanctam, vt aptus sit ad percipiēdam gratiam baptismi tui: Per Dominum nostrum Iesum Christū, qui venturus est iudicare viuos & mortuos, & seculum per ignem. Item facit idipsum super fœminas, similiter dicens ipsam orationem: Aetetnam ac iustissimam. Istis omnibus consummatis, iterum admonentur à diacono ità, Orate electi, flectite genua. Et post paululum dicit, Leuate: Complete orationem vestram in vnum, & dicite, Amen. Respondentibus autem, Amen, iterum dicit: Signate illos, state cum disciplina & silentio, audientes attentè. Et signant patrini vt prius. Indè reuertitur sacerdos ad sedem suam, & legitur lectio Ezechielis prophetæ:

Hæc dicit Dominus, Effundā super vos aquā mundam, & mūdabimini ab omnibus inquinamentis vestris, & ab vniuersis idolis vestris mundabo vos. Et dabo vobis cor nouum, & spiritum nouum ponam in medio vestri. Et auferam cōr lapideum de carne vestra, & dabo vobis cor carneum, & spiritum meum ponā in medio vestri, & faciam vt in præceptis meis ambuletis, & iudicia mea custodiatis, & operemini, & habitabitis in terra, quam dedi patribus vestris. Et eritis mihi in populum, & ego ero vobis in deum, & saluabo vos ex vniuersis inquinamentis vestris, dicit dominus omnipotens. Sequitur responsorium grad. Adspiciam vos, & crescere faciam. Posteà admonentur à diacono ità: Catechumeni recedant: Si quis catechumenus est, recedat: Omnes catechumeni recedant foràs. Et egrediuntur de ecclesia ipsi electi, expectantes pro foribus vsq; dum completa fuerint Missarum solennia. Deinde legitur Euangelium secundum Matthæum:

IN illo tempore, Respondens Iesus, dixit: Confiteor tibi pater, domine cæli & terræ, quia abscondisti

scondisti hæc à sapientibus & prudentibus, & reuelasti ea paruulis. Ità pater, quoniā sic fuit placitū ante te. Oīa mihi tradita sunt à patre meo. Et nemo nouit filium nisi pater, neq; patrem qs nouit nisi filius, & cui filius voluerit reuelare. Venite ad me oēs qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiā vos. Tollite iugum meum sup vos, & discite à me, quia mitis sum & humilis corde, & inuenietis requiē animabus vestris. Iugum enim meum suaue est, & onus meum leue. Et offeruntur oblationes à parentibus vel ab his qui ipsos susceperuri sunt, & ponit ipsas sacerdos super altare, & dicit orationem secretam.

SECRETA.

MIseratio tua, Deus, ad hæc percipienda mysteria famulos tuos N. quęsumus & prouehat cōpetenter, & deuota cōuersatione perducat. Per. Infra canonē vbi dicit Meméto Dñe famulorum famularumq; tuarum, qui electos tuos susceperuri sunt ad sanctā gratiam baptismi tui, recitātur nomina virorum ac mulierum, qui ipsos susceperuri sunt infantes. Item infra Agendam.

Hāc igitur oblationē seruitutis nostræ, sed & cunctæ familiæ tuę q̄sumus Domine vt placatus accipias, quā tibi offerimus pro famulis & famulabus tuis, quos ad æternā vitā, & beatum gratię tuæ donū eligere atq; vocare dignatus es. Hoc expleto, recitantur nomina electorum. Postquā recitata fuerint, dicat:

Hos Domine fonte baptismatis innouandos spiritus tui munere ad sacramentorum tuorum plenitudinem poscimus pparari iubeas, diesq; nostros in tua pace disponas, &c. Post comm.

Adesto Domine, quæsumus, nostræ redemptionis effectibus, vt quos sacramentis æternitatis instituis, eisdem protegas dignanter aptandos. Per. Super populum.

Suppliciter nomine sacra familia munus tuę misericordię expectat, concede quæsumus, vt qđ te iubente desiderat, te largiente percipiat. Per. Finitis verò Missarum solennijs, communicent præter ipsos infantes. Deindè annunciat presbyter, vt in ipsa hebdomada reuertantur ad scrutinium, ità dicendo: Die sabbati veniente, colligite vos temporius ad ecclesiam illam, vel illam. Venientes autem oēs ad ipsum diem, sicut eis denunciatum fuit, faciūt ipsum scrutinium, & Missam per oēm ordinē, sicut superius scriptum est. Missa hebdomada quarta, quæ pro scrutinio secundo celebratur.

Omnipotens sempiterne Deus, Ecclesiam tuam spiritali fœcunditate multiplica, vt qui sunt generatione terreni, fiant regeneratione cælestes. Per Dominum nostrum.

SECRETA.

Remedij sempiterni munera domine lætantes offerimus, suppliciter exorantes, vt eadem nos & dignè venerari, & pro saluandis congruēter exhibere perficias. Per.

Infra canonem, vt suprà, post commun.

Tu semper, quęsumus, Domine tuam attolle benignus familiam, tu dispone correctam, tu propitius tuere subiectam, tu guberna perpetua bonitate saluandam. Per. Super populum.

Tu famulis tuis, quæsumus, Domine bonos mores placatus institue: tu eis, quod tibi placitum sit, dignanter infunde, vt & digni sint, & tua valeant beneficia promereri. Per.

Interim annunciat presbyter, qualem diem voluerit in sequenti hebdomada, quæ est ab initio quadragesimæ quarta, ità dicendo: Illa feria veniente, colligite vos temporius ad Ecclesiam illam, qualem eis denunciauerit. Et vt venerint ad Ecclesiam die qua eis fuerit denunciatum, clamat diaconus, dicens: Cathecumeni procedant. Et vocantur infantes ab acolyto per nomina vel ordinem, vt prius.

Oratio ad Missā hebdomada quinta, quæ pro scrutinio tertio celebratur in aurium apertione.

Concede Domine electis nostris, vt sanctis edocti mysterijs, & renouentur fonte baptismatis, & inter Ecclesiæ tuæ membra numerentur.

Et faciunt scrutinium per omnia, sicut p illos priores duos dies fecerunt, vsq; ad id, vbi dicit: Signate illos, State cum disciplina & silentio. Et tūc leguntur duę lectiones in aurium apertionē.

Lectio Esaiæ Prophetæ.

HÆc dicit Dominus: Audite audientes me, & comedite bonum, & delectabitur in crassitudine anima vestra. Inclinate aurem vestram, & venite ad me: audite, & viuet anima vestra. Et feriam vobiscum pactum sempiternum, misericordias Dauid fideles. Eccè tēstem populis dedi eum, ducem & præceptorem gentibus: Eccè gentem quam nesciebas, vocabis: & gentes quę te non cognouerunt, ad te currēt propter Dominum Deum tuum, & sanctum Israel, quia glorificauit te. Quærite Dominum dum inueniri potest, inuocate eum dum propè est. Derelinquat impius viam suam, & vir iniquus cogitationes suas, & reuertatur ad Dominum, & miserebitur eius, & ad Deum nostrum, quoniam multus est ad ignoscendum. Sequitur Respon. Gra. Venite filij. Item alia lectio. Ad Colost. cap. 3.

FRatres: Expoliantes vos veterem hominē cum actibus suis, & induētes nouum, eum, qui renouatur in agnitionem secundum imaginem eius, qui creauit eum, vbi non est gentilis & Iudæus, circuncisio & præputium: Barbarus & Scytha, seruus & liber, sed oīa & in omnibus Christus. Induite vos, sicut electi Dei, sancti & dilecti, viscera misericordiæ, benignitatem, humilitatem, modestiam, patientiam, supportantes inuicēm, & donantes vobismetipsis, si quis habet aduersùs aliquem querelam. Sicut Dominus donauit vobis, ità & vos. Super omnia autem hæc, charitatem habentes, quod est vinculum perfectionis. Et pax Christi exultet in cordibus vestris, in qua vocati estis in vno corpore. Et grati estote. Verbū Christi habitet in vobis abundāter, in omni sapientia docentes, & cōmonētes vosmetipsos psalmis, hymnis, cāticis spiritalibus, in gratia cantātes in cordib' vestris

Domino. Omne quodcunq; facitis in verbo aut in opere, oīa in nomine Domini Iesu, gratias agentes deo & patri per ipsum. Sequitur respon. Grad. Beata gens cuius est Dominus. Indè verò pcedũt quatuor diaconi de sacrario cũ quatuor libris Euangeliorum præcedentibus eos duobus candelabris cum thuribulo & incenso, & ponũt ipsa Euangelia super quatuor angulos altaris, & antequàm aliquis eorum legat, tractet presbyter his verbis:

APerturi vobis filij charissimi Euãgelia, id est, gesta diuina, prius ordinem insinuare debemus, quid sit euãgeliũ, & vndè descẽdat, & cui° in eo verba ponãtur, & quarè quatuor sint, qui hæc scripserũt, vel qui sint ipsi quatuor, q̃ diuino spiritu annũciante, a propheta signati sunt: nè fortè sinè hac ordinis ratione vel causa stuporem vobis in mẽtibus relinquamus. Et q̃a ad hoc venistis, vt aures vobis aperiãtur, nè incipiat vobis sensus vester obtũdi, Euangeliũ dicitur propriè bona annũciatio, quæ vtiq; annũciatio est IESV Christi domini nostri. Descẽdit aũt Euangeliũ ab eo, quod annũciet & ostendat, q̃ is, qui per prophetas suos loquebatur, venit in carne, sicut scriptũ est: Qui loquebar, eccè adsum. Explicantes autem breuiter quid sit Euangeliũ, vel qui sint hi quatuor, qui per prophetã antè monstrati sunt, nunc sua quæq; nomina singulis adsignemus indicijs. Ait enim Propheta Ezechiel: Et similitudo vultus eorũ vt facies hoīs, & facies leonis à dextris illius, & facies vituli, & facies aquilæ à sinistris illius. Hos quatuor has figuras habẽtes, Euãgelistas esse nõdubiũ est. Sed nomina eorum qui Euangelia scripserunt, hæc sunt: Matthæus, Marcus, Lucas, Ioannes. His expletis, annũciat diaconus, dicẽs: State cũ silentio audientes intentè. Et tunc accipiens vnus diaconus desup angulo primo altaris sinistro librum Euãgeliorũ, præcedentibus ante eũ duobus cãdelabris cũ thuribulis, ascendit ad legẽdũ, & dicit: Dominus vobiscum. Resp. Et cũ spiritu tuo. Initium S. Euangelij secundùm Matthæum:

LIber generationis Iesu Christi, filij Dauid, filij Abrahã. Abrahã genuit Isaac. Isaac aũt genuit Iacob. Iacob aũt genuit Iudã & fratres eius. Iudas aũt genuit Phares & Zara de Thamar. Phares aũt genuit Esrom. Esrom aũt genuit Arã. Arã aũt genuit Aminadab. Aminadab aũt genuit Naason. Naason autem genuit Salmon. Salmon aũt genuit Booz de Rachab. Booz autẽ genuit Obed ex Ruth. Obed autem genuit Iesse. Iesse aũt genuit Dauid regẽ. Dauid autem rex genuit Salomonẽ ex ea, quę fuit Vrię. Salomon autem genuit Roboam. Roboam autem genuit Abia. Abia autẽ genuit Asa. Asa autẽ genuit Iosaphat. Iosaphat autẽ genuit Ioram. Iorã autem genuit Oziã. Ozias autem genuit Ioathan. Ioathã autẽ genuit Achaz. Achaz autẽ genuit Ezechiã. Ezechias autem genuit Manassen. Manasses autem genuit Amon. Amon autem genuit Iosiam. Iosias autem genuit Iechoniam & fratres eius in transmigratione Babylonis. Et post transmigrationẽ Babylonis, Iechonias genuit Salathiel. Salathiel autem genuit Zorobabel. Zorobabel autem genuit Abiud. Abiud autem genit Eliachim. Eliachim autem genuit Azor. Azor autẽ genuit Sadoch, Sadoch autem genuit Achim. Achim autem genuit Eliud. Eliud autem genuit Eleazar. Eleazar autem genuit Mathan. Mathan autem genuit Iacob. Iacob autem genuit Ioseph virum Marię: de qua natus est Iesus, qui vocatur Christus. Omnes ergò generationes ab Abraham vsque ad Dauid, generationes quatuordecim. Et à Dauid vsque ad transmigrationem Babylonis, generationes quatuordecim. Et à trãsmigratione Babylonis vsq; ad Christũ, generationes quatuordecim. Christi autem generatio sic erat: Cùm esset desponsata Mater Iesu Maria Ioseph, antequàm conuenirent, inuẽta est in vtero habens de Spiritu sancto. Ioseph autẽ vir eius cùm esset iustus, & nollet eam traducere, voluit occultè dimittere eam. Hæc autem eo cogitante, eccè angelus Domini apparuit in somnis ei, dicens: Ioseph fili Dauid, noli timere accipere Mariam coniugem tuam. Quod enim in ea natum est, de Spiritu sancto est. Pariet autem filiũ, & vocabis nomen eius Iesum. Ipse enim saluum faciet populum suum à peccatis eorum.

Et postquam legerit, subdiaconus suscipit de eo ipsum Euangelium super linteum, & portat in sacrarium. Et tractet iterùm presbyter his verbis:

FIlij charissimi, nè diutius vos teneamus, exponemus vobis, quam rationem, & quam figuram vnusquisq; in se teneat, & quare Matthæus in se figurã hominis habeat, quia in initio suo nihil aliud egit, nisi natiuitatẽ Saluatoris pleno ordine generationis enarrat. Sic. n. cœpit. Liber generationis Iesu Christi filij Dauid. Videtis quia non immeritò huic hominis adsignata est pson̄a, quando ab hoīs natiuitate initium comprehendit; nec immeritò, vt diximus, huic mysterio designata est Matthęi p son̄a. His expletis, dicit diaconus vt supra: State cum disciplina & silẽtio, audientes intentè. Iterùm accipit alter diacon° desup sinistro angulo altaris aliũ librũ Euangelij, præcedẽtibus simili ter duob° cãdelabris, & legit: Initiũ S. Euangelij secundùm Marcum. Initiũ Euangelij Iesu Christi filij dei, sicut scriptum est in Esaia Propheta:

ECcè mitto angelũ meũ ante faciẽ tuã, q̃ præparabit viã tuã ante te. Vox clamãtis in deserto: Parate viã dñi, rectas facite semitas eius. Fuit Ioãnes in deserto baptizãs, & prędicãs baptismũ pœnitẽtię in remissionẽ peccatorũ. Et egrediebatur ad illũ oīs Iudęę regio, & Hierosolymitę vniuersi, & baptizabãtur ab illo in Iordane flumine, cõfitẽtes peccata sua. Et erat Ioãnes vestitus pilis cameli, & zona pellicea circa lumbos eius. Et locustas & mel siluestre edebat, & prædicabat dicẽs: Venit fortior me, post me, cuius non sum dignus procumbens soluere corrigiam calceamẽtorum eius. Ego baptizo vos in aqua, ille verò baptizabit vos spiritu sancto.

Post-

Postmodum prosequitur presbyter istis verbis:

MArcus Euangelista, leonis gerens figuram, à solitudine incipit, dicens: Vox clamãtis in deserto, parate viã Domini, siue quia regnat inuictus. Huius leonis multifaria inueniemus exẽpla, vt non vacet dictũ illud, Iuda filius meus, catulus leonis, de germine mihi ascendisti: recumbens dormiuit vt leo, & sicut catulus leonis, quis excitabit eum? Istis expletis, dicit diaconus vt supra State cum silentio audientes intẽtè. Et accipit diaconus tertius desuper tertio angulo dextro altaris tertiũ librũ, & legit: Initiũ S. Euangelij secũdum Lucã.

FVit in diebus Herodis regis sacerdos quidã nomine Zacharias de vice Abia, & vxor illi de filiabus Aaron, & nomẽ eius Elisabeth. Erãt aũtiusti ambo ante Dominũ, incedẽtes in omnibus mãdatis & iustificationibus Domini sinè querela. Et non erat illis filius, eo quòd esset Elisabet sterilis, & ambo processissent in diebus suis. Factũ est aũt cùm sacerdotio fũgere tur Zacharias in ordine vicis suæ ante Deũ, secũ dũ cõsuetudinẽ sacerdotij, sorte exijt vt incensũ poneret, ingressus in tẽplũ Domini. Et erat oīs multitudo populi orans foris hora incensi. Apparuit aũt illi angelus Domini, stãs à dextris altaris incẽsi. Et Zacharias turbatus est videns, & timor irruit super eũ. Ait aũt ad illũ Angelus: Nè timeas Zacharia, quoniã exaudita est deprecatio tua. Et vxor tua Elisabeth pariet tibi filiũ, & vocabis nomẽ eius Ioannem. Et erit gaudiũ tibi & exultatio, & multi in natiuitate eius gaudebũt. Erit enim magnus coram Domino, & vinũ & sicerã non bibet. Et spiritu sancto replebitur adhuc ex vtero matris suæ, & multos filiorũ Israel conuertet ad Dominum Deum ipsorum. Et ipse præibit ante illum in spiritu & virtute Heliæ, vt conuertat corda patrum in filios, & incredulos ad prudentiam iustorum, parare Domino plebem perfectã. Et tractet presbyter his verbis:

Lucas Euangelista vituli speciem gestat, ad cuius instar Saluator noster est immolatus. Hic enim Christi Euangelium locuturus, sic cœpit de Zacharia & Elisabeth, de quibus Ioannes Baptista in summa natus est senectute: Et ideò Lucas vitulo comparatur, quia duo cornua, duo testamenta: & quatuor pedum vngulę, quatuor Euangelia quasi tenera firmitate nascentia, in se plenissimè contineant. Istis expletis, iterùm annunciat diaconus, vt suprà: State, cum silentio audientes intentè. Et accipit diaconus desuper quarto angulo dextro altaris, quartum librũ & legit: Initium sancti Euangelij secundum Ioannem.

IN principio erat verbum, & verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum. Hoc erat in principio apud Deum. Omnia per ipsum facta sunt, & sinè ipso factum est nihil. Quod factum est in ipso, vita erat. Et vita erat lux hominum, & lux in tenebris lucet, & tenebræ eam nõ comprehenderũt. Fuit homo missus à Deo, cui nomen erat Ioannes. Hic venit in testimoniũ, vt testimonium perhiberet de lumine, vt omnes crederent per illum. Non erat ille lux, sed vt testimonium perhiberet de lumine: Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. In mundo erat, & mundus per ipsum factus est, & mundus eum non cognouit. In propria venit, & sui eum non receperunt. Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatẽ filios Dei fieri, his qui credũt in nomine eius. Qui non ex sanguinibus neque ex voluntate carnis, neq; ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt. Et Verbum caro factum est, & habitauit in nobis. Et vidimus gloriã eius, gloriam quasi vnigeniti à patre. Plenum gratiæ & veritatis.

Iterum prosequitur presbyter his verbis:

IOannes Euangelista habet similitudinem aquilę, eo quòd nimis alta petierit. Ait enim In principio erat verbum, & verbũ erat apud Deum, & deus erat verbum. Hoc erat in principio apud Deum. Et Dauid dicit de pson̄a Christi, Renouabitur vt aquilæ iuuentus tua, id est, Iesu Christi Domini nostri, qui resurgens à mortuis, ascendit ad cęlos. Vndè iam vobis conceptis prægloriatur Ecclesia, omnes festiuitates veterum, ad noua tendere Christianæ legis exordia, vt adueniente die venerabilis Paschæ, lauacro baptismatis renascentes, sicut omnes sancti, mereamini fidele munus infantiæ, à Christo Domino nostro percipere qui viuit & regnat Deus.

Et dicit præfationem symboli.

Dilectissimi nobis, accepturi sacramenta baptismatis, & in nouam creaturam sancti spiritus procreandi, fidem qua credentes iustificãdi estis toto corde concipite, & animis vestris vera conuersatione mittatis ad Deum, qui mentium vestrarum illuminator est: accedite, suscipientes Euangelici symboli sacramẽtum, à Domino inspiratum, ab Apostolis institutum. Cuius pauca q̃dẽ verba sunt, sed magna mysteria. Sãctus etenim spiritus, q̃ magistris ecclesiæ ista dictauit, tali eloquio, taliq; breuitate salutiferã condidit fidẽ, vt quod credendum vobis est, semperq; profitẽdum, nec intelligentiã possit latere, nec memoriã fatigare. Intẽtis itaq; animis symbolum discite, & quod vobis, sicut accepimus, tradimus non alicui materię, quæ corrumpi potest, sed paginis vestri cordis adscribite. Confessio itaque fidei quam suscepistis, hoc inchoatur exordio: Ipsa expleta, accipiens acolytus vnum ex ipsis infantibus masculum, & tenens in sinistro brachio, ponit manum super caput eius dexteram, & interrogat eum presbyter Græcè dicens:

πάσχα γλώσσῃ ἑλληνίδι παραδίδοται ὁ κύριος ἡμῶν Ἰησοῦς χριστός;

Et respondet acolytus. ἐλληνιστί. Iterum dicit presbyter: ἀναγγειλάτω πᾶσι πίστιν αὐτῆς, πῶς πεδύσωσιν.

Et dicit acolytus symbolum Græcè decantando his verbis:

Πιστεύω εἰς ἕνα θεὸν πατέρα παντοκράτορα ποιητὴν οὐρανοῦ καὶ γῆς, ὁρατῶν τε πάντων καὶ ἀοράτων: καὶ εἰς ἕνα κύριον Ἰησοῦν χριστὸν, τὸν υἱὸν τοῦ θεοῦ, τὸν μονογενῆ, τὸν ἐκ τοῦ πατρὸς γεννηθέντα πρὸ πάντων τῶν αἰώνων, φῶς ἐκ φωτός, θεὸν ἀληθινὸν ἐκ θεοῦ ἀληθινοῦ: γεννηθέντα, οὐ ποιηθέντα, ὁμοούσιον τῷ πατρὶ δι'

Universidad de Deusto
Biblioteca

τὸν πατέρα· δι' οὗ τὰ πάντα ἐγένετο· τ̃ὴ διὰ ἡμᾶς τοὺς ἀνθρώπους, καὶ διὰ τὴν ἡμετέραν σωτηρίαν κατελθόντα ἐκ τ̃ῶν οὐρανῶν, καὶ σαρκωθέντα ἐκ πνεύματος ἁγίου καὶ Μαρίας τ̃ῆς παρθένου, καὶ ἐνανθρωπήσαντα, σταυρωθέντα τε ὑπὲρ ἡμῶν ἐπὶ Ποντίου Πιλάτου, καὶ παθόντα, καὶ ταφέντα, καὶ ἀναστάντα τ̃ῇ τρίτῃ τ̃ῇ ἡμέρᾳ κατὰ τὰς γραφάς, καὶ ἀνελθόντα εἰς τοὺς οὐρανούς, καθεζόμενον ἐν δεξιᾷ τ̃οῦ πατρὸς, καὶ πάλιν ἐρχόμενον μετὰ δόξης κρίναι ζῶντας καὶ νεκρούς, οὗ τ̃ῆς βασιλείας οὐκ ἔσται τέλος· καὶ εἰς τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον, τὸ κύριον καὶ ζωοποιὸν, τὸ ἐκ τ̃οῦ πατρὸς ἐκπορευόμενον, τὸ σὺν πατρὶ καὶ υἱῷ συμπροσκυνούμενον καὶ συνδοξαζόμενον, τὸ λαλῆσαν διὰ τ̃ῶν προφητ̃ῶν· καὶ μίαν ἁγίαν καθολικὴν καὶ ἀποστολικὴν Ἐκκλησίαν. ὁμολογ̃ῶν βάπτισμα εἰς ἄφεσιν ἁμαρτιῶν. προσδοκ̃ῶ ἀνάστασιν νεκρ̃ῶν, καὶ ζωὴν τ̃ῶν μελλόντων αἰ̃ῶνος, Ἀμήν.

Hoc expleto, vertit se ad fœminas, & facit similiter. Iterùm acolytus alter accipiens ex ipsis infantibus masculũ vnũ, & tenens in sinistro brachio, ponit manũ dextrã super caput ipsius, & interrogat eum presbyter Latinè, qua lingua confiteatur Dominũ nostrum IESVM Christũ. Et respondet acolytus, Latina. Iterùm dicit presbyter. Annuncia fidẽ ipsorum qualiter credant. Et ponẽs manum acolytus super caput infantis, dicit Symbolum Latinè decantando his verbis:

CRedo in vnum Deum patrẽ oĩpotentem, factorẽ cæli & terræ, visibilium oĩum, & inuisibilium: & in vnũ Dominum Iesum Christũ, filium Dei vnigenitũ, & ex patre natum ante oĩa secula, Deũ de Deo, lumen de lumine, Deum verũ de Deo vero: genitum nõ factũ, consubstantialẽ patri, per quẽ omnia facta sunt: qui propter nos hoĩes, & propter nostram salutem descendit de cælis, & incarnatus est de Spiritu sancto ex Maria virgine, & homo factus est, crucifixus etiàm pro nobis sub Pontio Pilato, Passus & sepultus est, & resurrexit tertia die secundùm scripturas, Ascendit in cęlũ, sedet ad dexterã Patris, & iterùm venturus est cũ gloria iudicare viuos & mortuos, cuius regni nõ erit finis: & in Spiritũ sanctũ Dominũ, & viuificantem, qui ex patre filioq; procedit, qui cum patre & filio simul adoratur, & cõglorificatur, qui locutus est per prophetas: & vnã sanctam catholicã & Apostolicam Ecclesiam. Confiteor vnũ baptisma in remissionẽ peccatorum: & expecto resurrectionem mortuorum, & vitam futuri seculi, Amen.

Hoc finito, iterũ accipit alter acolytus ex ipsis infantibus fœminã, sicut suprà. Et interrogat presbyter sicut anteà, & ipse acolytus cãtat symbolũ, sicut suprà scriptũ est. Hoc expleto, loquitur presbyter his verbis: Hæc summa est dilectissimi nobis, fidei nostræ, hæc verba sunt symboli, nõ sapiẽtiæ humanę sermone facta, sed verę diuinitatis rõne disposita. Quibus cõprehendendis atq; seruãdis, nemo nõ idoneus, nemo nõ aptus. Hic Dei Patris & Filij vna ęqualitas pronunciatur atq; potestas: Hic vnigenitus Dei de Maria virgine, & Spiritu sancto secundum carnẽ natus ostenditur. Hìc eiusdẽ Crucifixio & sepultura, ac die tertia resurrectio prædicatur. Hic ascensio ipsius super cęlos, & cõsessio in dextera paternæ maiestatis agnoscitur, venturusq; ad iudicandos viuos & mortuos declaratur. Hic Spiritus sanctus in eadẽ, qua pater & filius, Deitate indiscretus accipitur. Hic postremò Ecclesiæ vocatio, peccatorum remissio, & carnis resurrectio perdocetur. Quæ breuissima plenitudo ità debet vestris cordibus inhęrere, vt omni tempore præsidio huius confessionis vtamini. Inuicta est enim taliũ armorum potestas, & contra oẽs vobis insidias diaboli tanquàm bonis Christi militibus profutura. Diabolus qui hominẽ tentare nõ desistit munitos vos hoc symbolo semper inueniat, vt deuicto aduersario, cui renunciastis, gratiã Domini incorruptã & immaculatã vsq; in finẽ, ipso quẽ cõfitemini protegente, seruetis: vt in quo peccatorũ remissionẽ accipitis, in eo gloriã resurrectionis habeatis. Ergò dilectissimi præfatũ symbolũ fidei catholicæ in præsenti cognouistis, nũc eũtes edocemini, nullo mutato sermone. Potens est enim Dei misericordia, quò & vos ad baptismi fidẽ currentes perducat, & nos, qui vobis mysteria tradimus, vnà vobiscũ ad regna cęlestia faciat peruenire. Per eundẽ. His expletis, annũciat diacon⁹, dicẽs: State cũ silẽtio & reuerẽtia, audiẽtes intentè. Deindè subsequitur sacerdos hanc præfationẽ Dominicę orationis:

DOminus & saluator noster Iesus Christus inter cętera sacra pręcepta, discipulis suis petẽtibus quẽadmodùm orare deberent, nõ solùm formã orationis cõcessit: verùm etiàm qua mẽte & puritate precarentur, ostendit: vt in pręsenti sacra hæc lectio demõstrabit: Tu autẽ cùm orabis, ĩtra in cubiculũ tuũ: & clauso ostio, ora patrẽ tuum. Cubiculum, quod nominat, non occultam domum ostendit: sed cordis nostri secretum, idest, vt à mala cogitatione pectus nostrum mystica fidei claue claudamus, ac labijs clausis, incorrupta mẽte loquamur. Deus enim noster, fidei, non vocis, auditor est. Ergò vndè sermo est, idest, sapientia Christus Dominus noster hanc orationem nos docuit, vt ità oremus:

Pater noster, qui es in cælis.

Hæc libertatis vox est, & plena fiducia. Ergò nobis his moribus est viuendum, vt & filij Dei, & fratres Christi esse possimus. Nã patrem suum Dominum qua temeritate dicere præsumit, qui ab eius voluntate degenerat? Vndè vos dilectissimi dignos exhibete adoptione diuina: quoniam scriptum est, Quotquot autem crediderũt in eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri.

Sanctificetur nomen tuum.

Non quòd Deus nostris sanctificetur orationibus, qui semper est sanctus: sed petimus, vt nomen eius sanctificetur in nobis, vt qui in baptismate eius sanctificamur, in eo, quod esse cœpimus, perseueremus.

Adueniat regnum tuum.

Deus nanque noster, quandò nõ regnat, maximè cuius regnũ est immortale? Sed cũ dicimus Adueniat regnum tuum, regnum petimus aduenire à Deo nobis promissum, Christi sanguine & passione quæsitum.

Fiat voluntas tua, sicut in cælo, & in terra.

Idest, in eo fiat volũtas tua, vtqd̃ tu visĩ cęlo, hoc nos

Panem nostrum quotidianum da nobis hodiè.

exoret Dominum. SVPER POPVLVM.

Hìc spiritalem cibum intelligere debemus. Christus enim panis est noster, qui dixit: Ego sum panis viuus, qui de cęlo descendi. Quẽ quotidianũ dicens, ità nos semper immunes præcipit esse peccati, vt digni sim⁹ cęlestibus alimẽtis.

Et dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris.

Hoc pactum est, significans non nos aliter peccatorum posse veniam promerere, nisì priùs nos in nobis delinquentibus alijs veniam relaxemus, sicut in Euãgelio Dominus noster dicit: Nisì dimiseritis peccata hominibus, nec vobis pater vester dimittet peccata vestra.

Et nè nos inducas in tentationem.

Idest, nè nos patiaris induci ab eo, qui nos tentat, prauitatis auctore. Nam dicit scriptura: Deus enim intẽtator est malorũ. Diabolus verò est tẽtator, ad quem euincendũ Dominus dicit: Vigilate & orate, nè intretis in tentationem.

Sed libera nos à malo.

Hoc ideò ait, quia dixit Apostolus: Nescitis quid vobis oporteat orare. Vndè Deus omnipotens ità à nobis orandus est, vt quicquid humana fragilitas cauere non pręualet, hoc ille propitius nobis conferre dignetur Iesus Christus Dominus noster, qui viuit & regnat cum Deo patre & spiritu sancto, Per omnia secula seculorum, Amen. Istis expletis, admoneantur à diacono: State cum silentio audientes intentè. Statimq; prosequitur presbyter his verbis.

AVdistis, dilectissimi, orationis Dominicæ sacra mysteria: nunc euntes, ea vestris cordibus innouate, vt ad exorandã ac percipiendam Dei misericordiã, perfecti in Christo esse possitis. Potens est Dominus Deus noster, vt & vos, qui ad fidem curritis, ad lauacrum regenerationis perducat, & nos, qui vobis mysteriũ fidei catholicę tradidimus, vnà vobiscum ad cælestia regna faciat peruenire. Qui viuit & regnat cum Deo patre in vnitate spiritus sancti, Per omnia secula seculorum, Amen.

Ipsis expletis, annunciat diaconus: Catechumeni recedant. Si quis catechumenus est, recedat. Omnes catechumeni exeant foràs. Egressi verò parentes cum infantibus eorũ, foris relinquunt ipsos infantes in custodia, & iterùm ingrediuntur in ecclesiam tam parentes, quàm & illi qui ipsos infantes susceperunt cum oblationibus eorum, & offerunt eas pro ipsis.

SECRETA.

Exaudi nos oĩpotens Deus, & famulos tuos, quos fidei Christianæ primitijs imbuisti, huius sacrificij tribuas operatione mundari. Per.

Ipsi verò infantes pro foribus expectent, donèc consummentur Missarum solemnia. Expleta verò Missa, communicant omnes, præter ipsos infantes. Postcomm.

Cõcurrat, Domine quæsumus, populus tuus, & toto tibi corde subiectus, obtineat, vt ab omni perturbatione securus, & saluationis suę gaudia prõptus exerceat, & pro regenerandis benignus

Deus, qui cùm salutem hominũ semper opereris, nunc tamen populum tuum gratia abundantiore multiplicas, respice propitius ad electionem tuam, vt paternæ protectionis auxilio regenerandos munias & renatos. Per.

Iterùm annunciat presbyter qualem diem voluerit in sequenti hebdomada, qua reuertantur ad scrutinium. Et vt celebraturi venerint, ipsum scrutiniũ faciunt per ordinẽ, sicut illa duo priora ante auriũ apertionem fecerunt. Postea annũciat presbyter, vt ipsi ipsa hebdomada, qua die & ad qualem ecclesiã voluerit, reuertantur ad scrutiniũ quintum. Et vt venerint, faciunt ipsum scrutiniũ per omnẽ ordinem, sicut anteriùs fecerũt. Hoc expleto, iterùm annunciat eis sicut superiùs, vt reuertantur ad scrutiniũ sextum in sequẽti hebdomada vltima ante pascha, qua die vel apud quamcunq; ecclesiam voluerit, & complent ipsum scrutiniũ vel Missam per oĩa, sicut anteriora fecerũt: Ità tamen agendũ est, vt à primo scrutinio, quod incipit tertia hebdomada in quadragesima, vsq; in sabbatum sanctum in vigilia Paschæ, septẽ scrutinia esse debeant, secundùm formam septem donorum Spiritus sancti, vt dum septenario numero implebuntur, detur illis gratia septiformis spiritùs sancti. Item annunciat presbyter, vt ipso sancto sabbato hora tertia reuertantur ad ecclesiam, & tunc catechizantur, & reddunt symbolum, & baptizantur, & complebuntur septem oblationes eorum.

Incipit Ordo à Dominica mediana vsque in octauas Paschæ, de officijs diuinis diebus ac noctibus breuiter digestus.

DOminica quinta de passione Domini, ponunt Hieremiam prophetam vsque in cœnam Domini. Igitur à Dominica, quam sedes Apostolica medianam voluit nuncupari, vsum obseruantiæ credimus intimandũ. Vndè & ea quæ ipsa die dicũtur, numerum dierum ostendunt, vt est illud: Quartadecima die ad vesperum. Et paulò pòst, In quintadecima solemnitatem celebrabitis. A quo die vsq; in vigiliam sanctæ Dominicæ resurrectionis, in nullo responsorio decantatur gloria, nec in Venite. A cœna verò Domini nec in Psalmis, nec in vllo loco decantatur Gloria vsq; in Pascha.

Ordo in sabbato ante Palmas.

SAbbatũ ante palmas, ità prętitulatur in sacramẽtario, Sabbato vacat, Domin⁹ Papa eleemosynã dat. Et qa de hac feria officiũ nõ habetur, de eisdem ferijs repetitur, idest, de quarta feria. Antif. Liberator meus de gentibus.

Lectio Zachariæ Prophetæ.

HÆc dicit Dominus: Exulta satis filia Hierusalẽ, eccè rex tuus veniet tibi iustus & saluator. Ipse pauper, & ascendẽs super asinã, & super pullũ filiũ asinæ. Et disperdã quadrigã ex Ephraim, & equũ de Hierusalẽ, & dissipabitur arcus belli, & loquetur pacẽ gẽtibus, & potestas eius à mari vsq; ad mare, & à fluminib⁹ vsq; ad fines terrę. Tu quoquè in sanguine testa-

Universidad de Deusto
Biblioteca

menti tui emisisti vinctos tuos de lacu, in quo non est aqua. Cõuertimini ad munitionem vinctæ spei. Hodiè quoque annuncians duplicia reddam tibi, quoniam extendi mihi Iudam quasi arcum, impleui Effraim, & suscitabo filios tuos Sion super filios tuos Græcia, & ponã te quasi gladium fortium. Et dominus deus super eos videbitur, & exibit vt fulgur iaculum eius. Et Dominus Deus in tuba canet, & vadet in turbine austri: dominus exercituum proteget eos. Et deuorabunt & subiicient lapidibus fundæ, & bibẽtes inebriabuntur quasi vino, & replebuntur vt phialæ, & quasi cornua altaris. Et saluabit eos Dominus deus eorum.

Secundùm Lucam.

IN illo tempore, Cùm appropinquasset Iesus ad Bethphage & Bethaniam, ad montem qui vocatur Oliueti, misit duos discipulos suos, dicens: Ite in castellum quod contra vos est. In quod intro euntes, inuenietis pullum asinæ alligatum, cui nemo vnquàm hominum sedit. Soluite illum, & adducite. Et si quis vos interrogauerit, quarè soluitis? sic dicetis ei: Quia dominus operam eius desiderat. Abierũt autem qui missi erant, & inuenerũt sicut dixit illis, stantem pullum. Soluentibus autem illis pullum, dixerũt domini eius ad illos: Quid soluitis pullum? At illi dixerunt: Quia Dominus eum necessarium habet. Et duxerunt illum ad Iesum. Et iactantes vestimenta sua super pullum, imposuerunt IESVM. Eunte autem illo, substernebant vestimenta sua in via. Et cùm appropinquaret iam ad descensum montis Oliueti, cœperũt omnes turbæ descendentiũ gaudentes laudare dominum voce magna super omnibus, quas viderant, virtutibus, dicentes: Benedictus qui venit rex in nomine Domini. Pax in cælo, & gloria in excelsis.

Ordo in die Palmarum.

DOminica indulgentiæ, quæ diuersis vocabulis distinguitur, (id est, Dies palmarum, siue florum atque ramorum, Osanna, Pascha petitum siue competentium, & Capitolauium) statio ad sanctum Ioannem in Lateranis. Hora secunda cõuenientes omnes in ecclesiam sancti Ioannis ad Lateranas, primitùs canunt Tertiam. Qua finita, faciunt litaniam, & expositis in medio palmarum vel oliuæ, seu aliarum arborum ramis, primum benedicit sacerdos salem & aquam, & benedicendo cõmiscet. Deindè incipit cantor antiphonam: Osanna filio Dauid, benedictus qui venit in nomine Domini rex Israel, Osanna in excelsis. Sacerdos dicat oremus. Sequitur oratio:

DEus quem diligere & amare iustitia est, ineffabilis gratiæ tuæ dona in nobis multiplica, & qui fecisti nos in morte filij tui sperare quæ credimus, fac nos, eodem resurgente, peruenire quò tendimus. Qui tecum.

Lectio libri Exodi.

IN diebus illis, Venerunt filij Israel in Helim, vbi erant duodecim fontes aquarum & septuaginta palmæ, & castrametati sunt iuxta aquas: Profectiq; sunt de Helim, & venit omnis multitudo filiorum Israel in desertum Sin, quod est inter Helim & Sinai, quintodecimo die mensis secundi, postquàm egressi sunt de terra Ægypti. Et murmurauit omnis congregatio filiorum Israel contra Moysen, & contra Aaron in solitudine, dixeruntq; ad eos filij Israel: Vtinàm mortui essemus per manum Domini in terra Aegypti, quãdo sedebamus super ollas carnium, & comedebamus panes in saturitate. Cur eduxistis nos in desertum istud, vt occideretis omnem multitudinem fame? Dixit autem Dominus ad Moysen: Eccè ego pluam vobis panem de cælo, vt egrediatur populus, & colligat quæ sufficiunt per singulos dies, vt tentem eum vtrum ambulet in lege mea, an non. Die autem sexta parent quod inferant, & sit duplum quàm colligere solebãt per singulos dies. Dixeruntque Moyses & Aaron ad omnes filios Israel, Vespere scietis quòd Dominus eduxerit vos de terra Ægypti, & manè videbitis gloriam Domini. Audiuit enim murmur vestrum contra Dominum. Nos verò quid sumus, quia murmurastis contra nos? Et ait Moyses, Dabit vobis Dominus vespere carnes edere, & manè panes in saturitatem; eo quòd audierit murmurationes vestras, quibus murmurati estis cõtra eum. Nos enim quid sumus? Non enim est murmur vestrum contra nos, sed contra Dominum. Dixitq; Moyses ad Aaron, Dic vniuersæ congregationi filiorum Israel: Accedite coram Domino, audiuit enim murmur vestrum. Cumq; loqueretur ad omnem cœtum filiorum Israel, respexerunt ad solitudinem. Et eccè gloria Domini apparuit in nube.

Tunc ascendentes in pulpitum duo exparasonistis, imponant Antiphonam:

Collegerunt Pontifices & Pharisæi conciliũ, & dicebant: Quid facimus, quia hic homo multa signa facit? si dimittimus eum sic, omnes credent in eum: Nè fortè veniant Romani, & tollant nostrum locum & gentem. Vers. Vnus autem ex ipsis Caiphas nomine, cùm esset Pontifex anni illius, prophetauit, dicens: Expedit vobis vt vnus moriatur homo pro populo, & non tota gens pereat. Ab illo ergò die cogitauerunt interficere eum dicentes: Nè fortè.

Deinde dicit diaconus: Dominus vobiscum. Respon. Et cum spiritu tuo. Et legitur Euangelium secundùm Matthæum.

In illo tempore, Cùm appropinquassent Hierosolymis. vsq; Benedictus qui venit in nomine Domini. Finito Euangelio, faciat episcopus, si velit, sermonem ad populum de Euangelio, & de præsenti festiuitate. Quo peracto, benedicantur rami, dicatq; sacerdos: Dominus vobiscum. Responsio: Et cum spiritu tuo.

OREMVS.

ADesto nobis omnipotens deus, vt quod nostro ministratur officio, tuæ benedictionis potiùs impleatur effectu. Per.

Exor-

Exorcismus florum & frondium.

EXorcizo te omnis creatura florum & frõdium in nomine patris omnipotentis, & in nomine Iesu Christi filij eius, & in virtute spiritus sancti. Promdè omnis virtus aduersarii, omnis potestas inimici, omnis incursio dæmonum, eradicare & explantare ab hac creatura florum & frondium, vt ad Dei gratiam festinantium vestigia non sequaris. Per eum qui venturus.

Benedictio frondium oliuæ & palmarum.

DOmine sancte pater, omnipotens, æterne Deus, mundi conditor, omniumque creaturarum mirabilis dispositor, qui inter ipsa mundi primordia cùm ex nihilo cuncta conderes, ligna quoquè fructifera, & diuerso vsui congrua, terram producere iussisti, ac post maledictum interdictæ arboris, vniuersa nobis per obedientiam vnigeniti tui in benedictionem conuertisti, benedic etiàm hos multigenarum arborum ramos, inter quas præcipuè arbor oliuæ pinguedine cunctas præcellit, per quam etiàm cum mundi crimina diluuio quondàm expiarentur effuso, columba ramum eiusdem deferens, pacem terris redditam nunciauit: necnon & innocens turba Spiritu sancto afflata, vnigenito tuo Domino nostro Iesu Christo pro totius mundi salute passuro obuiàm curens, palmarum & huius arboris ramos abscidens, ac vestigijs eius substernens, iam quasi triumphatorem de mortis principe ostendebat, te Domine suppliciter deprecamur, vt qui annua deuotione eiusdem redemptoris nostri sacratissimam passionem præuenire nitimur, ipsa adiuuante, palmam victoriæ tenentes, atque oleo misericordiæ intrinsecùs resulgentes, in eius sancta resurrectione præmium vitæ & immortalitatis coronam percipere mereamur. Per eundem Dominum.

Alia.

OMnipotens sempiterne Deus, qui in diluuij effusione Noe famulo tuo per os columbæ gestantis ramum oliuæ, pacem terræ redditam nunciasti, te supplices deprecamur, vt hanc creaturam oliuæ, spatulasque palmarum, seu frondes arborum, quas ante conspectum gloriæ tuæ offerimus, veritas tua sanctificet, vt deuotus populus in manibus eas susciens, benedictionis tuę gratiam consequi mereatur. Per.

Alia.

OMnipotens sempiterne Deus, flos mundi, odor suauitatis, & origo nascentium, qui omnia legis & prophetarũ oracula in filij tui domini nostri Iesu Christi humilitate declarasti, quique etiam ei venienti Hierosolymam, deuotam cum ramis palmarum ac mysticis laudibus hodierna die obuiàm fecisti turbam procedere, respice propitius ad debitam tui populi seruitutem, & huius creaturæ nouitatem tua virtute sanctifica, vt sicut tunc prioris populi gratus tibi fuit huius deuotionis affectus, ità nos quoq; in veritate confessionis nominis eius, hęc eadem per reuoluta tempora frequentantes, purificatis sensibus dignum tibi deferamus obsequium: vt velut florum varietate pijs vernantes studijs, sarcina carnis deposita, cum odore bonorum operum in cælesti Hierusalem eidem filio tuo Domino nostro valeamus occurrere. Per eundem.

Benedictio solius oliuæ.

PEtimus te Domine sancte pater, omnipotens æterne Deus, vt hanc creaturam oliuæ, quam ex ligni materie prodire iussisti, quamque columba rediens ad arcam proprio obtulit ore, benedicere & sanctificare digneris, vt quicunq; ex ea receperint accipiant sibi protectionem animæ & corporis: fiatq;, Domine, nostræ salutis remedium, tuæ gratiæ sacramentum. Per.

Alia benedictio oliuæ.

AVge fidem in te sperantium Deus, & supplicum preces clementer exaudi, veniat super nos multiplex misericordia tua, benedicantur & hi palmites oliuarum: & sicut in figura ecclesię multiplicasti Noe egredientem de arca, & Moysen exeuntem de Ægypto cum filijs Israel, ita nos portantes palmas & ramos oliuarum, bonis actibus occurramus obuiàm Christo, & per ipsum in gaudium introeamus æternum. Qui tecum viuit.

Item benedictio oluuæ vel ramorum.

DEus, qui per oliuæ ramum pacem terris columbam nunciare iussisti: præsta quæsumus, vt hos oliuæ cæterarumq; arborum ramos cælesti benedictione sanctifices, vt cuncto populo tuo proficiant ad salutem. Per.

Item benedictio palmarum & oliuarum.

BEnedic, quæsumus Domine, hos palmarũ seu oliuarum ramos, & præsta, vt quod populus tuus tua veneratione hodierna die corporaliter agit, hoc spiritaliter summa deuotione perficiat, de hoste victoriam reportando, & opus misericordię summoperè diligẽdo. Per.

Item benedictio palmorum & ramarum.

DEus, cuius filius pro salute generis humani de cælo descendit ad terras, & adpropinquante hora passionis suæ, Hierosolymam in asino sedens venire, & à turbis rex appellari ac laudari voluit, benedicere dignare hos palmarum cæterarumq; arborum ramos, vt omnes, qui eos laturi sunt, ità benedictionis tuæ dono repleantur, quatenùs & in hoc seculo hostis antiqui tentamenta superare, & in futuro cum palma victoriæ, & fructu bonorum operum tibi valeant apparere. Per eum qui venturus.

Benedictio ramorum siue oliuarum.

OMnipotens sempiterne Deus redemptor, qui de cælis ad terram descendere, & ad passionem voluntatis tuæ venire dignatus es, vt humanum genus tuo precioso sanguine liberares, adesto ecclesiæ tuæ votis, & supplicationibus nostris: Tu enim Domine,

manſuetus

Universidad de Deusto
Biblioteca

mansuetus mansueti aselli terga insidens, ad
A passionem redemptionis nostræ spontaneus adueniſti: cumque tibi ramis arborcis occurrentibus discipulorum turbis, certatim sterneretur in via, & triumphatricibus palmis cum voce laudis occurrerent plurimorum cateruæ, resultantes pariter & dicentes, Osanna filio Dauid, benedictus qui venit in nomine domini, tibi in monte oliueti via constrata est. Tu quondàm Noe in arca super vndas diluuij gubernasti, & columbæ ministerio per oliuæ ramum pacem terris redditam nunciari voluisti. Sed & Iacob patriarcha in ministerium gloriæ tuæ erigens la-
B pidem, ex huius arboris ramis oleum benedictionis in cacumen tituli fudit, vndè vnxisti Reges & prophetas tuos. Tu enim es Christus filius Dei, tibi competit fructus vnctionis & pacis, in cuius ineffabilem laudem psalmista cecinit, dicens: Vnxit te DEVS DEVS tuus oleo exultationis præ participibus tuis. Quapropter supplices te Domine deprecamur, vt benedicas hos ramos arborum, quos tui famuli in suis susciPientes manibus, in occursum tui properare, teque benedicere & glorificare desiderant. Ecce Hierusalem sedens super asinam rex
C mansuetus aduenisti: Adueni ergò, rogamus, & nobis, & in medio nostri consiste, vt te aduenire in nostris cordibus sentiamus. Et qui nos tunc reparasti per crucem, iterùm lapsos repara per eandem beatificam passionem. Oris nostri confessionem, ac ieiunij humiliationem libens suscipe, & fructum nos viriditatis habere concede, quatenus tuis imbribus irrigati, mereamur tibi suauium fructuum vbertate placere: Et sicut illi tibi processerunt obuiam cum arboreis frondibus egressi, ita nos, te redeunte in secundo aduentu, cum palmis victoriæ læti mereamur occurre: Saluator mundi, qui cum patre in vni-
D tate spiritus sancti viuis & regnas DEVS: Per omnia secula seculorum. Resp. Amen. Dominus vobiscum. Resp. Et cum spiritu tuo. Sursùm corda. Resp. Habemus ad dominum. Gratias agamus Domino Deo nostro. Respon. Dignum & iustum est.

PRAEFATIO.

VEre dignum & iustum est, æquum & salutare, Te domine inter cętera mirabilium tuorum præcepta laudare & benedicere, qui Lamech semen iustum dedisti Noe, cui reuelasti per spiritum aquas diluuij futuras cognoscere. Cuius arcam ad nostram salutem testatur mater Ecclesia, de qua emissa columba volans, spiritalis oliuæ fructuosum surculum retulit, quam ad se reuertentem Noe gaudens suscepit: De cuius rami vnctione Iacob electus titulum erexit, Domino votum vouit, & oleum desuper fudit. Hæc est indicio rami illius manātis de cœlis gratię, seu & populi vasa replētis: hæc est gratia, quæ & viduam benedixit in oleo. Hæc est indicio rami illius plantati secus decursus aquarū, cuius folium non defluit, per quod quotidiè per lauacrum baptismatis ecclesia
A procreatur, & nostra delentur peccata: Hæc tua, Domine, plantatio bona valdè, & tu es vita & resurrectio mortuorum, qui quatriduanum Lazarum resuscitasti à mortuis: Propterea & turba cum ramis palmarum obuians tibi clamabat, Osanna, benedictus qui venit in nomine Domini rex Israel. Quapropter quæsumus Domine clementiam tuam, vt nos famulos tuos, qui huius rei gratiam, & fidem veritatis percepimus, eruas de ore inferni, & adiutorium gratiæ tuæ nobis tribuere digneris, vt iustè & piè,
B sanctęq; viuentes, cum electis & sanctis tuis facias habere consortium. Per.

Sequitur oratio in communem benedictionem omnium.

DEus, qui filium tuum Iesum Christum Dominum nostrum pro salute nostra in hunc mundum misisti, vt se humiliaret ad nos, & nos reuocaret ad te, cui etiam dum Hierusalem veniret, vt adimpleret scripturas, credentium populorum turba fidelissima deuotione vestimenta sua cum ramis palmarum in via sternebant, presta quæsumus, vt illi fidei viā
C præparemus, de qua remoto lapide offensionis & petra scandali, frondeant apud te opera nostra iustitiæ ramis, vt eius vestigia sequi mereamur, Qui tecum viuit.

Hac oratione expleta, spargitur aqua benedicta super ramos palmarum & oliuarum, & aliarum arborum. Post adspersam aquam & thurificationem factam, dicitur hæc oratio:

DEus, qui filium tuum vnigenitum pro redemptione nostra dignatus es dirigere, vt populum tuum ab initio in peccati profunda dimersum, à morte ad vitam reuocares, & chirographo lethi deleto, sanguine filij tui innouares gentibus regnum: Deus, qui dis-
D perſa congregas, & congregata conseruas, qui populis obuiam IESV ramos palmarum portantibus benedixisti, benedic † etiàm & hos ramos palmæ & oliuæ, cæterarumq; arborū, quos tui famuli ad nominis tui benedictionem fideliter suscipiunt, vt in quemcunq; locum introducti fuerint, tuam benedictionem habitatores loci illius omnes consequentur, ità vt omni aduersa valetudine effugata, dextera tua protegat quos redemit. Per.

Alia.

OMnipotens genitor, qui vnigenitū tuum ab Hierico monteque oliueti ad Hierusalem direxisti, cui turba mirabiliter oc-
E currit, alij vestimenta sua sternentes, alij ramos de arboribus cædentes oliuarum, alij palmas in manibus suis deferentes: te obnixis precibus humiliter deprecamur, vt hæc germina arborum ità sanctificare digneris, vt hæc loca, vbi deportata fuerint, sanctificata efficiantur, quatenus iniquitas seu illusio dæmonum abscedat, & tua nos semper dextera protegere dignetur. Per eundem. Finita hac oratione, dat sacerdos palmas ad populum, cantando hanc antiphonam:

Ante sex dies solennitatis Paschæ, quando venit

venit Dominus in ciuitatem Hierusalem, occurrerunt ei pueri, & in manibus portabant ramos palmarum, & clamabant voce magna, dicentes: Osanna in excelsis, benedictus qui venisti in multitudine misericordiæ, Osanna in excelsis.

Sequitur hæc oratio:

OMnipotens sempiterne Deus, qui Dominum nostrum Iesum Christum die azymorum super pullum asinæ sedere fecisti, & turbas populorum vestimenta vel ramos arborum in via sternere, & Osanna decantare in
B laudem ipsius docuisti; da quæsumus, vt illorū innocentiam imitari possimus, & eorum meritum consequi mereamur. Per eundem.

Deindè expansis palmis vadunt ad ecclesiam, vbi Missam debent celebrare, cantantes per viā antiphonas processionales.

Cùm appropinquaret Dominus Hierosolymam, misit duos de discipulis suis dicens: Ite in castellum quod contra vos est, & inuenietis pullum asinæ alligatum, super quem nullus hominum sedit; soluite & adducite mihi: si quis vos interrogauerit, dicite, opus Domino est: soluen-
C tes adduxerunt ad Dominum, & imposuerunt sibi vestimenta, & sedit super eum, alij expandebant vestimenta sua in via, alij ramos de arboribus sternebant, & qui sequebantur, clamabant: Osanna, benedictus qui venit in nomine Domini, benedictum regnum patris nostri Dauid, Osanna in excelsis, miserere nobis fili Dauid.

Cùm audisset populus quia Iesus venit Hierosolymam, acceperunt ramos palmarum, & exierunt ei obuiàm, & clamabant pueri, dicentes: Hic est, qui venturus est in salutem populi: hic est salus nostra & redemptio Israel, quantus
D est iste, cui throni & dominationes occurrunt? noli timere filia Sion, eccè rex tuus venit tibi sedens super pullum asinæ, sicut scriptum est: Salue rex fabricator mundi, qui venisti redimere nos.

Item: Imponit cantor Antiphonam, Turba multa. Cum Psalmo, Cantate, I. Insupèr cæteras Antiphonas huic festiuitati congruas. Vt autem peruenerint cum Psalmis, vbi statio est sanctæ Crucis, clerus populusq; reuerenter stent per turmas in ordine suo cum baiolis, & reliquo ornatu, & infantes paraphonistæ in loco
E competenti subsistentes, imponat antiphonam:

Fulgentibus palmis prosternimur aduenienti Domino, huic omnes occurramus cum hymnis & canticis glorificantes & laudantes, benedictus dominus.

Respondet schola ex parte populi: Occurrunt turbæ cum floribus & palmis redemptori Domino, & victori triumphanti digna dant obsequia, filium Dei olim gentes prædicant, & in laude Christi voces tonant per nubila, Osanna.

Tunc scholastici eregionè crucis, lento gradu veniant ante eam, & cum omni reuerentia casu-
A las vel cappas in terram iactantes, proni adorent Crucifixum, clero interim cantante antiphonam: Pueri Hebræorum vestimenta prosternebant in via, & clamabant dicentes, Osanna filio Dauid, benedictus qui venit in nomine domini.

His recedentibus, continuò veniant ex latere pueri laici Kyrie eleison cantantes, & sequendo vexillum quod ante eos portatur, veniant ante crucem, & annuente ędituo, iactent ramos palmarum in terram, proni adorando Crucifixum, & clerus interim canat antiphonam:
B Pueri Hebræorum, tollentes ramos oliuarum, obuiauerunt Domino, clamantes & dicentes, Osanna in excelsis.

His recedentibus, ex schola infantes paraphonistæ iuxta crucem hunc hymnum cantent:

Gloria, laus & honor tibi sit, rex Christe redemptor,
Cui puerile decus prompsit Osanna pium.

Clero prosequente eosdem versus. Eo ordine sequuntur alij versus.

Israel es tu rex, Dauidis & inclyta proles.
Nomine qui in Domini, rex benedicte venis.

Respondet schola, *Gloria, laus*. Et inter omnes huius hymni versus, adspiciēs ad sanctum Euan
C gelium, seu inclinans capita ad sanctam Crucem.

Cœtus in excelsis te laudat cælicus omnis,
Et mortalis homo, & cuncta creata simul.
Plebs Hebræa tibi cum palmis obuia venit: *Gloria, laus.*
Cum preces, voto, hymnis adsumus eccè tibi.
Hi tibi passuro soluebant munia laudis: *Gloria, laus.*
Nos tibi regnanti pangimus eccè melos.
Hi placuere tibi: placeat deuotio nostra, *Gloria, laus.*
Rex pie, rex clemens, cui bona cuncta placent. *Gloria, laus.*

His finitis, incipit schola cum baiolis antiphonam: Omnes collaudent nomē tuum, & dicant,
D Benedictus qui venit in nomine domini. Psal. Lauda Hierusalem. Adiungentes, Gloria patri. Et tunc prosternit omnis populus hincindè flores seu frondes, clero cantante Antiphonam: Cum angelis & pueris fideles inueniātur triumphatori mortis clamantes, Osanna in excelsis.

His ità peractis, veniat episcopus vel sacerdos ante crucem, & prostratus in terram cum omni populo, adoret Crucifixum, clero interim cantante antiph. Scriptum est enim, Percutiam pastorem, & dispergētur oues gregis: postquàm autem resurrexero, præcedam vos in Galilæam: ibi me videbitis, dicit Dominus. Tunc surgēs
E episcopus siue sacerdos, hanc dicit orationem:

OREMVS.

DEus qui miro dispensationis ordine ex rebus etiàm insensibilibus dispensationem nostræ salutis ostendere voluisti; da quæsumus, vt deuota tuorum corda fidelium salubriter intelligant, quid mysticè designet in facto, quòd hodiè cælesti lumine adflata, redemptori obuiàm procedens, palmarum atque oliuarum ramos vestigijs eius turba substrauit. Palmarum igitur rami de mortis principe triumphos expectant: surculi verò oliuarum, spiritalem

lem vnctionem aduenisse quodammodò clamãt. Intellexit enim iam tunc illa hominum beata multitudo præfigurari, quia redemptor noster rebus humanis condolens, pro totius mundi vita cum mortis principe, citius esset pugnaturus, ac moriendo triumphaturus. Et ideò talia obsequens administrauit, quæ in illo & triũphos victoriæ, & misericordiæ pinguedinem declararent. Quod nos quoque plena fide, & factum & significatum retinentes, te Domine sancte, pater omnipotens, æterne Deus, per eundem Dominum nostrum Iesum Christum, suppliciter exoramus, vt in ipso atque per ipsum, cuius nos membra fieri voluisti, de mortis imperio victoriam reportantes, ipsius gloriosæ resurrectionis participes esse mereamur. Qui tecum. Data oratione, crucem & vexilla sequendo, honorifice progrediantur ad ciuitatem siue Ecclesiam, clero per viam cantãte antiphonas vel responsoria de præsenti festiuitate, siue versus istos in laudem Saluatoris compositos.

Magnum salutis gaudium,
Lætetur omne sæculum:
Iesus redemptor gentium,
Sanauit orbem languidum.
Respondente schola: *Magnum salut.*
Sex ante Paschæ ferias
Aduenit in Bethaniam,
Vbi piè post triduum
Resuscitauit Lazarum. *Iesus redempt.*
Nardo Maria pistico
Vnxit beatos Domini
Pedes, rigando lachrymis,
Et detergendo crinibus. *Magnum salut.*
Post hæc iugalis asinæ,
Iesus supernus arbiter,
Pullo sedebat, inclytam
Pergendo Ierosolymam. *Iesus redempt.*
O quàm stupenda pietas,
Mira Dei clementia,
Sessor aselli fieri
Dignatur auctor seculi. *Magnum salut.*
Olim propheta præscius,
Prædixit almo spiritu,
Exulta, dicens, filia
Sion satis & iubila. *Iesus redemptor*
Rex ecce tuus humilis,
Noli timere, veniet,
Pullo iugalis residens,
Tibi benignus, patiens. *Magnum salut.*
Ramos virentes sumpserat
Palma recisas tenera,
Turba procedens obuiam
Regi perenni plurima. *Iesus redemptor*
Cœtus sequens & præuius,
Sancto repletus spiritu,
Clamabat in altissimis
Osanna Dauid filio. *Magnum salut.*
Quidam solutis propriis
Viam tegebant vestibus,
Pluresque flore candido
Iter parabant Domino *Iesus redemptor.*
Ad cuius omnis ciuitas
Commota ingressum, tremuit;
Hebræa proles aurea,
Laudes ferebant debitas. *Magnum salu.*
Nos ergo tanto iudici
Curramus omnes obuiam,
Palmas gerendo gloriæ,
Mente canentes sobria. *Iesus redemptor*
Honor, decus, imperium
Sit Trinitati vnicæ,
Patri, nato, paraclito
Per infinita sæcula. *Magnum salutis gaud.*

His finitis, cùm intrauerint portas ciuitatis, omni populo cantante Kyrie eleison, Primus scholæ imponit responsorium, Ingrediente Domino, Prosequente omni clero pariter & versum, Cumque audissent, Cum gloria. Quòd si tanta restat via, dicantur antiphonæ matutinales eiusdem diei, vsque ad Ecclesiam regiam. Ingredientibus verò Ecclesiam, imponat cantor antiphonam in Euangelio: Cœperunt omnes turbæ descendentium, gaudentes laudare Deũ voce magna super omnibus, quas viderant, virtutibus, dicentes: Benedictus qui venit rex in nomine Domini, pax de cælis, & gloria in excelsis. Cum Psalmo, Benedictus Dominus Deus Israel: vsque in finem. Cum Gloria. Sacerdote prosequente hanc orationem.

OREMVS.

ADiuua nos Deus salutaris noster, & ad beneficia recolenda, quibus nos instaurare dignatus es, tribue venire gaudentes. Per.

Deindè agatur Missa ordine suo. Ministri verò & clerus ac populus teneant palmas in manibus suis, vsque ad expletionem Missæ intermittunt aliqui salutationem in passione, id est, Dominus vobiscum. quod non legitur in ordinibus, sed in parasceue tantùm, vbi recitetur officium sacerdotale. Ideò autem hæc hebdomada maior dicitur, quoniam in ea maxima adhibenda est parsimonia, siuè quòd maius officium celebretur in ea.

Ordo alius in die Palmarum, vt in quibusdam codicibus inuenimus.

SEcunda hora diei mediãte, sacerdos & omnis clerus conueniant in ecclesiam Missalibus vestimentis induti, & expositis in medio palmarum vel oliuæ seu aliarum arborum ramis, primùm benedicat sacerdos salem, & aquam, ac commisceat, postea media voce dicat hanc orationem.

Deus quem diligere & amare. Tunc subdiaconus legit Epistolam quasi ad Missam: In diebus illis, Venerunt filij Israel. Tunc canunt Antiph. Collegerunt. Hac finita, legat diaconus Euangelium quasi ad Missam. In illo tempore, Cum appropinquasset Iesus Hierosolymis. Finito Euangelio, faciat, si velit, Episcopus sermonem ad populum. Quo peracto, benedicantur rami, dicatque sacerdos, Dominus vobiscum.

Deus

Deus cuius filius pro salute generis humani. ALIA. Deus qui per oliuæ ramum. Omnipotes sempiterne Deus, qui per Dominum nostrum Iesum Christum die azymorum.

Omnipotens sempiterne Deus, flos mundi, odor suauitatis, vt sup.

Sequitur Exorcismus frondium.

Exorcizo te creatura florum vel frondium.

ITEM ORATIO.

Deus qui filium tuum vnigenitum.

Præfatio vsque æterne Deus, Mundi conditor. Tunc rami adspergantur aqua benedicta cum Antiph. Adsperges me. Finita antiphona, dicatur oratio: Deus qui filium tuum Dominum nostrum Iesum Christum pro salute nostra. Dicta oratione, expendantur rami publicè, & cantor dicat antiphonam, Turba multa: cum Psalmo, Cantate Domino. Deindè dicatur oratio hæc antequàm de ecclesia exeant: Auge fidem in te sperantium Deus. Tunc exeundo has dicant antiph. Cœperunt omnes turbæ. Ante sex dies. Cũ appropinquaret Dominus. Cum audisset. & cæteras antiphonas huic festiuitati congruas. Vt autem venerint cum palmis vbi statio est S. crucis, clerus populusq; reuerẽter stent ordine suo. Tũc scholastici lento gradu ambulent eregionè crucis. Vt venerint ante eam, cum omni reuerentia casulas vel cappas in terram iactantes, proni adorent Crucifixum, clero interim cantante Antipho. Pueri Hebræorum. His recedentibus, continuò veniant ex alio latere pueri laici Kyrie eleison cantantes, & sequendo vexillum, quod ante eos portatur, veniant ante crucem, & annuẽte *edituo iactent ramos palmarum in terram, proni adorando Crucifixum, & clerus interim canat Antiph. Pueri Hebræorum tollentes. His recedentibus, schola iuxta crucem hunc hymnum cantet; Gloria, laus & honor. Clerus quoque inter omnes huius hymni versus inclinato capite canat *, Gloria, laus & honor. His ità peractis, veniat episcopus ante crucem: & prostratus in terra, adoret Crucifixum, clero interim cantante antiphonam, Scriptum est enim, Percutiam, Tunc surgens episcopus, dicat hanc orationem: Deus qui miro dispositionis. Data oratione, crucem & *vexilla sequendo, tenent palmas in manibus vsque ad expletionem Missę

adili. *humiliter* *vexillum*

Ordo de feria quarta hebdomadæ maioris.

FEria quarta hebdomadæ maioris, quæ est pridiè cœnæ Domini, hora tertia conueniunt omnes presbyteri tam de ciuitate, quàm & de suburbanis, & omnis clerus cum populo in ecclesia statuta infra vrbem, expectantes pontificem, qui semper per se in ecclesia maiore orationes solennes ipsa die, sicut in sacramentorum libro continetur, complet hoc ordine: Qui dum veniens de sacrario processerit cum ordine suo ante altare ad orandum super oratorium, mox vt surrexerit, dicit Oremus. Et diaconus: Flectamus genua, Leuate. Dat orationem: Deus à quo & Iudas. Post Amen, sequitur: Et dicit orationes solennes:

Oremus, dilectissimi nobis, in primis pro Ecclesia Dei. Et cæteras per ordinem. Tantummodò pro se intermittit. Posteà verò dicit orationem pro rege Francorum siue Imperatore. Ad vltimum pro Iudæis non flectuntur genua. Quibus expletis, osculatur altare, & egreditur. Presbyteri verò ecclesiarum siue de vrbe, siue de suburbanis, vadunt per ecclesias suas, vt hoc ordine feria sexta, hora tertia cuncta faciant, hoc scientes, vt vbi pontifex de se intermisit, ipsi illum cõmemorent. Posteà verò hora octaua ingrediuntur ad Missam hoc ordine: Dicit schola antiph. ad Introitum: In nomine Domini omne genu flectatur. Et pontifex siue presbyter dat orationem hanc:

Præsta quæsumus omnipotens Deus, vt qui nostris excessibus incessanter affligimur, per vnigeniti tui passionem liberemur. Qui tecum.

Deindè legitur lectio Isaiæ Prophetæ: Hęc dicit Dominus Deus: Dicite filiæ Sion. Sequitur Grad. Nè auertas faciem tuam. Cum vno versu. Posteà dicit aliam orationem; Deus qui pro nobis filium tuum. Legitur alia lectio de eodem proph. In dieb' illis dixit Isaias: Domine, quis credidit? Postquam legitur, cantatur Grad. Domine exaudi, cum versibus quinque. Euangelium verò pronunciat diaconus sinè salutatione, ità, Passio Domini nostri Iesu Christi secundùm Lucam: qua expleta, completur Missa ordine suo. Secreta. Purifica nos misericors Deus. Post com. Largire sensibus nostris. Super populum. Respice, quæsumus Domine, super hanc familiam tuam.

ORDO DE OFFICIIS DIVINIS à COENA Domini vsque in octauas, Pentecostes.

FEria quinta maioris hebdomadæ, eadem nocte surgunt ad vigilias hora noctis octaua, & tangitur campanæ signum sicut alijs diebus, & post hæc non tangitur ad Matutinum, nisi in nocte sancti Paschę: & tunc Ecclesia omni lumine decoretur. Venientibus autem omnibus in Ecclesiam, infra chorum more solito nõ dicatur, Domine labi a mea aperies, nec Deus in adiutorium meum intende, nec Venite, sed cantor incipiat in Psalmis antiph. Zelus domus tuę comedit me Et reliquas, sicut in antiphonario continetur. In fine psalmorum non dicatur Gloria, nec in responsorijs, nec in vllo loco: nec finis subtrahatur. Post tres psalmos dicatur versus pleniter, non subtrahendo finem. Sed & in fine nocturni lector benedictionem non petit, nec põtifex aut presbyter more solito benedictionem complet, & quandò finit lector, non dicit. Tu autem Domine, sed ex verbis lectionis iubetur facere finem, aut certè exterminationem. Lectiones verò leguntur tres de lamentationibus Hieremiæ prophetæ, ab eo loco vbi dicit, Quomodò sedet sola ciuitas, cũ pronunciatione Aleph.

Vsque,

Universidad de Deusto Biblioteca

Vsque Cogitauit Dominus dissipare murum fi- A
liæ Sion, Tres de tractatu S. Augustini in psalmum sexagesimumtertium, id est, Exaudi Deus orationem meam cùm de precor. Et tres de Apostolo. Prima, vbi ait ad Corinth. cap. xj. Ego accepi à Domino, quod & tradidi vobis. Secunda lectio sic incipit: Similiter & calicē, postquā cœnauit. Tertia: De spiritalibus autē nolumus vos ignorare. Nouem itaque psalmi, nouem lectiones, nouem responsoria per omnia complenda sunt: Accenduntur in quibusdam locis in hac nocte vigintiquatuor lumina, & extinguuntur per singulas lectiones & responsoria. Quæ si- B
mul per tres noctes fiunt septuagintaduo. Lumē autem Ecclesiæ apud Romanos ab initio cātus nocturni inchoatur extingui. Hoc tamen ordine, vt ab introitu ipsius Ecclesiæ incipiat paulatim tutari. Vt verbi gratia, peracto primo nocturno, videatur eorum tertia pars esse extincta: medio nocturno, iterum tertia. Tertio verò expleto, exceptis septem lampadibus, nihil luminis relinquatur. Sequuntur matutini, in quibus similiter non dicatur, Deus in adiutorium meum intende, nec Gloria patri, sed antiph. tantū super matutinas laudes. Et in matutinis septem lampades hoc ordine extinguantur: Initio psal- C
mi primi sit custos semper paratus in loco dextræ patris Ecclesiæ prope lampades: At vbi audierit primam antiphonam, tenens cannam in manu sua, tutat lampadem vnam. In fine verò Psalmi ipsius, tutat aliam sinistrę partis. Sic vna ex parte vna, alia ex alia tutentur vsque ad Euangelium. In Euangelio verò ante Benedictus non dicatur lectio: sed tantum versus, & statim tutatur mediana lampas vel subtrahitur & seruatur, vt ità veniat, vt Benedictus Dominus Deus Israel, absque lumine psallatur. Benedictus finito cum antiph. non dicatur Kyrie eleison, nec: Et nè nos inducas in tētationem, neque preces, D
neque oratio alta voce more solito, sed secum tacitè. Factoq; signo à Priore, omnes pariter surgant, sicque finiantur vigiliæ nocturnæ atq; matutini. Matutino autem completo, vadunt per oratoria psalmos canendo cum antiphonis sine Gloria.

Eodem die altaria templi, & parietes, siue pauimenta Ecclesiæ lauentur, & vasa Domino sacrata purificentur. Ad Primam autem non dicitur, Deus in adiutorium meum intende: sed tantum psalmi sinè Gloria, & sinè Kyrie eleison, ac sinè precibus: sed tamen in choro communiter E
stent prout suprà, & ità finiatur. Similiter eodē die Tertia, Sexta, & Nona. Eadem verò die cœnę Domini hora nona, quando dies longiores sunt, seu hora quinta, quandò breuiores, faciunt exeuti ignem de lapide in loco foris basilicam. Si ibidem oratorium habuerint in porta, ibi excutiunt: Sin verò, in loco quo considerauerit Prior ità vt ex eo possit candela accendi. Et benedicitur ignis:

Benedictio ignis.

DEus qui per filium tuum, angularem scilicet lapidem, charitatis ignem tuis fidelibus contulisti, productum è silice nostris profuturum vsibus nouum hunc ignem sanctifica, & concede nobis ità per hæc festa paschalia cęlestibus desiderijs inflammari, vt ad perpetuę claritatis puris mentibus valeamus festa pertingere.

Alia.

DOmine Deus, pater omnipotens, lumen indeficiens, qui es conditor omnium luminum, benedic hoc lumen, quod à te sanctificatum atque benedictum est, qui illuminasti omnem mundum, vt ab eo lumine accendamur, & in eo illuminemur igne claritatis tuæ: & sicut tuo igne illuminasti Moysen, ità illumines corda & sensus nostros, vt ad vitam & lucē ęternam peruenire mereamur. Per.

Alia.

DOmine sancte pater omnipotens æterne Deus, benedicentibus nobis hunc ignem in nomine tuo, & vnigeniti filij tui, Dei ac Domini nostri Iesu Christi, & spiritus sancti, cooperari dignare, & adiuua nos contra ignita tela inimici, & illustra gratia cælesti. Qui viuis & regnas cum eodē vnigenito tuo & spiritu sancto.

Oratio postquam incenditur.

VEniat, quæsumus, omnipotens Deus, super hoc incensum larga tuæ benedictionis infusio, & hunc nocturnum splendorem inuisibilis regnator attende, vt non solum sacrificium, quod hac nocte litatū est, arcana luminis tui admixtione refulgeat: sed in quocūq; loco ex huius aliquid sanctificationis mysterio fuerit deportatum, expulsa diabolicę fraudis nequitia, virtus tuæ maiestatis adsistat. Per.

ORDO.

De quo igne illuminata candela, in arūdine debet poni, & à mansionario Ecclesiæ præsente populo portari, & de ipso igne continuo in eadem Ecclesia, vel in loco, vbi accenditur, lampas vna seruetur, vsq; in sabbatum sanctum ad illuminandum cereum, qui eodem die benedicendus est, ordine, quo in sacramentario continetur.

Hoc expleto, accipit mansionarius prior iam fatam candelam in manu sua illuminatam, vt prædiximus in canna, prosequente eum populo cū supplici silētio: ità vt summitas cādelę, qua illuminatur, altare versūs inclinata, respiciat illam Ecclesiam, quam sunt ingressuri. Quę tamen prius absque lumine erit, præparatis ante altare septem lampadibus ità compositis, vt absque vllo impedimento cuiuscunq; retardationis, manu mansionarij, cum eadem candela possint accendi, ac deinceps præparatis custodibus omni lumine decoretur, & ità ingrediantur ad Missas, sicut in sacramentario continetur vel Antiphonario. Missa expleta, communicent ordine constituto, & seruent de sancta vsque in crastinum. Sed & ipsa Ecclesia vsque

ad vigilias

ad vigilias illuminata permaneat, & sicut in isto A
die taxauimus, sic & sexta feria faciendum est. similiter & sabbato sancto, ea tantùm ratione mutata, vt ad horam nonam excusso igne, vt diximus, à mālionario quinta feria portetur: sexta feria, ab archidiacono: sabbato verò sancto, ab episcopo iuniore portetur. Sin autem hic ordo in mōnasterio agitur, quinta feria ipse ignis à custode ecclesiæ, sexta feria à præposito, sabbato verò sancto ab abbate portetur. Ipsa feria quinta maioris hebdomadę, id est, in cœna Domini, manè primo mālionarij ordinent omnia, quæ sint necessaria ad cōsecrationē chrismatis, B
ampullas tres de oleo mūdissimo plenas, ponentes in sacrario: vnam ad oleū pro infirmis, alteram ad chrisma, tertiam verò ad oleum ad catechumenos vngendos: maximam illam, quæ ad chrisma debet fieri, de albo serico, alias autem de alio serico coopertas, & pontifex præuideat de balsamo.

Mediante autem hora prima dicit Episcopus concilium solennibus vestimētis indutus, cum presbyteris cæterisque ad hoc dispositis, celebret secundum canonum institutā.

Peracto autem concilio, hora tertia sonetur signum, vt omnes veniant in ecclesiam, in qua C
chrisma debet consecrari. Tunc egreditur pœnitens de loco, vbi pœnitentiam gessit, vt gremio præsentetur ecclesiæ. Sedente autem pontifice pro foribus ecclesiæ, pœnitentibus in atrio ecclesiæ eminus cum archidiacono iussum illius præstolantibus, antequàm eos offerat, postulat archidiaconus his verbis.

Adest, ò venerabilis pontifex, tempus acceptū, dies propitiationis diuinæ & salutis humanæ, quia mors interitum, & vita accepit æterna principium, quandò in vinea Domini sabaoth sic nouorū palmitum plantatio facienda est, vt D
purgetur execratio vetustatis. Quāuis enim diuitijs bonitatis & pietatis Dei nihil rēporis vacet, nūc tamen & largior est per indulgentiā remissio peccatorū, & copiosior per gratiā assumptio renascentium. Augemur regenerandis, crescimus renatis. Lauant aquæ, lauant lachrymę. Indè est gaudium de assumptione vocatorum, hinc lætitia de absolutione pœnitentium. Indè est quòd supplex grex tuus, posteaquàm in varias formas criminum, neglectu mandatorum cælestium, & morum probabiliū transgressione cecidit, humiliatus atque prostratus prophetica ad Dominum voce clamat, dicens: Peccaui, im- E
piè egi, iniquitatē feci, miserere mei Domine, Euangelicā vocem non frustratoria aure capiēs, Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur. Manducauit, sicut scriptum est, panem doloris, lachrymis stratum rigauit, cor suum luctu, corpus afflixit ieiunijs, vt animæ suæ reciperet, quā perdiderat, sanitatem. Vnicum itaque est pœnitentiæ suffragium, quod & singulis prodest, & omnibus in commune succurrit.

Hic ergò dum ad pœnitudinis actionem tantis excitatur exemplis, sub conspectu ingemiscentis ecclesiæ, venerabilis pontifex protestatur & dicit: Iniquitates meas ego cognosco, & delictum meum contra me est semper. Auerte faciem tuam à peccatis meis, & omnes iniquitates meas dele. Redde mihi lætitiam salutaris tui, & spiritu principali confirma me.

Quo ità supplicante, & misericordiam Dei afflicto corde poscente, iterum archidiaconus subiungat, sic dicens: Redintegra in eo Apostolice Pontifex, quicquid diabolo suadente corruptum est, & orationum tuarum patrocinantibus meritis, per diuinæ reconciliationis gratiam fac hominem proximum Deo, vt qui anteà in suis sibi peruersitabus displicebat, nunc iam placere se Domino in regione viuorum, deuicto mortis auctore, gratuletur.

Tunc dicit pontifex antiphon. Venite. Et diaconus ex parte pœnitentium, Flectamus genua. Tunc omnes adstantes genua flectunt pœnitētes. Quo facto, dicat diaconus ex parte pontificis, Leuate. Similiter agatur secundò, repetente Episcopo, Venite, Venite. Subsequente diacono, Flectamus genua. vt anteà. Et sic ad medium vsque atrij pauimentum solotenus veniant. Quādo autem tertiò dominus Episcopus annunciauerit antiph. Venite, Venite, Venite: Prosequatur diaconus, Flectamus genua. Mox cum diacono pœnitentes corruant ad pedes Episcopi, sicq; prostrati iaceant vsque dum dominus Episcopus surgēs, innuat alteri diacono, Leuate: prosequente clero antiph. Venite filij, audite me, timorem Domini docebo vos. Cum psalmo, Benedicam Dominum in omni tēpore, semper laus eius in ore meo. Et ad finē vsque ducēte. Quàmdiū verò psalmus canitur à clero cum antiphona. Venite filij, semper manuatim pœnitentes à plebesanis archidiacono, & ab archidiacono reddātur Episcopo, & ab Episcopo restituantur ecclesiæ gremio, prostrato omni corpore in terram. Deinde imponat Episcopus antiph. Cor mundum crea in me Deus, & spiritum rectum innoua in visceribus meis. Cum psalmo, Miserere mei Deus secundum magnā misericordiam tuam. Quo finito, prosternat se Episcopus vnà cum pœnitentibus in oratorio, clero interim faciente litaniam. Qua expleta, postquā dicatur, kyrie eleison. erectus à terra, dicat: Pater noster. Et preces: Saluos fac seruos tuos Domine. Resp. Deus meus sperantes in te. Conuertere Dñe vsquequo. Resp. Et deprecabilis esto super seruos tuos. Mitte eis Dñe auxiliū de sancto. Resp. Et de Sion tuere eos. Illustra faciem tuā super seruos tuos. Resp. Saluos fac eos Dñe, ne cōfundantur, quoniā inuocauerunt te. Dñe, vide humilitatē meā & laborē meū. Resp. Et dimitte vniuersa delicta mea. Exaudi me Domine, quoniā benigna est misericordia tua. Resp. Secundùm multitudinem miserationum tuarū respice in me. Ne memineris Dñe iniquitatum nostrarū antiquarū. Resp. Citò anticipet nos misericordiæ tuæ, qa pauperes facti sumus nimis. Adiuua nos Deus salutaris noster. Resp. Et, ppter

D gloriam

Universidad de Deusto
Biblioteca

gloriam nominis tui Domine libera nos,& pro A
pitius esto peccatis nostris propter nomen tuũ.
Domine exaudi orationem meam, Et clamor
meus ad te veniat. Dominus vobiscum. Resp.
Et cum spiritu tuo.

OREMVS.

ADesto Domine supplicationibus nostris,
& me qui etiàm misericordia tua primus
indigeo, clementer exaudi,& quem non
electione meriti, sed dono gratiæ tuæ consti-
tuisti huius operis ministrum, da fiduciam tui
muneris exequendi, & ipse in nostro minister-
rio, quod tuæ pietatis est, operare. Per. B

Alia.

Exaudi Domine preces nostras, & confiten-
tium tibi parce peccatis, vt quos conscientiæ
reatus accusat, indulgentia tuæ miserationis
absoluat. Per. *Alia.*

Præueniat hos famulos tuos,quæsumus Do-
mine, misericordia tua, & omnes iniquitates
eorum celeri indulgentia deleantur. Per.

Alia.

Deus infinitæ misericordiæ veritatisque im
mensæ, propitiare iniquitatibus nostris, & om-
nibus animarum nostrarum medere languori-
bus, vt miserationum tuarum remissione perce-
pta,in tua semper benedictione lætemur. Per. C

Alia.

Deus, sub cuius oculis omne cor trepidat,
omnesque conscientiæ pauescunt, propiciare
omnium gemitibus, & cunctorum medere vul-
neribus, vt sicut nemo nostrùm est liber à cul-
pa, ità nemo sit alienus à venia. Per.

Alia.

Præsta, quæsumus, Domine his famulis tuis
dignum pœnitentiæ fructũ,vt ecclesiæ tuæ san-
ctæ, à cuius integritate deuiarant peccando,
admissorum veniam consequendo reddantur
innoxij. Per. *Alia.* D

Omnipotens sempiterne Deus,confitentibus
tibi his famulis tuis pro tua pietate peccata re-
laxa, vt non plùs eis noceat conscientiæ reatus
ad pœnam, quàm indulgentia tuæ pietatis pro
sit ad veniam. Per Dominum.

Alia.

Omnipotens & misericors Deus, qui pecca-
* *sceleris* torum indulgentiam in confessione*celeri po-
suisti,succurre lapsis,miserere confessis,vt quos
delictorum catena constringit, miseratio tuæ
pietatis absoluat.Per.

Alia.

Domine sancte, pater omnipotens, æterne E
Deus,respice propitius super hos famulos tuos,
qui ab infesta huius seculi tempestate dimersi,
flebili lamentatione suos accusant excessus, tu
fletus & gemitus eorum piè suscipias, cosque
de tenebris ad lumen reuoces, & medelam con
fitentibus, salutem pœnitentibus, & vulneratis
auxilium sanitatis indulgeas,nè vltrà inimicus
in eorum habeat animabus potestatẽ, eorumq
confessionem libenter admittens, ecclesiæ tuæ
purificatos restitue, ac tuo altari repræsenta, vt

mundam suscipias,tribulationem adimas,pro- A
pitius flagella redimas, ac serenissimo vultu au-
rem tuæ pietatis & misericordiæ accommodes,
ministeriumq; tantæ dignitatis, quod tractare
indignus præsumo, sanctificando sanctifices, &
quod te nunc opitulante verbis exequor humi-
libus,impleas effusione sancti spiritus.

Tu enim Domine per filium tuum vnigenitũ
sanctis dilectisq; Apostolis dona tribuens cha-
rismatum,dixisti: Quæcunque ligaueritis in ter
ra & solueritis, in cælo ligata & soluta mane-
bunt. Ergò magnæ pietatis pater, non meo tali
addictus merito, sed potiùs tuo assecutus dono, B
præsumo his famulis & famulabus tuis impar-
tire,quod tuis fidelibus proprio concessisti ore:
Respice igitur Domine,& miserere,& da venia
confitentibus,parce supplicibus:& quoniam de
misericordia benignitatis tuæ non diffidunt, nõ
secundùm quod egerunt hactenus, verùm iuxta
paternitatis tuæ clementiam amodò sentiant
indulgentiam. Oro ergò hos supplex,cunctosq;
mihi commissos, muniri tua sancta protectio-
ne: quò tuo freti munimine, valeamus pariter
inextinguibiles pœnas euadere. Per eundem
Dominum. *Alia.* C

DEus humani generis benignissime condi
tor, & misericordissime reformator, qui
in reconciliatione lapsorum etiàm me,
qui misericordia tua primus indigeo, seruire ef
fectibus gratiæ tuæ per sacerdotale ministeriũ
voluisti,vt cessante merito supplicis,mirabilior
fieret indulgentia remittentis: Deus, qui iusti-
tiæ leges,misericordiæ semper multiplicatione
moderaris, dum delinquentibus pœnitentiam
adhibes, dum etiàm malis prouidentiæ tuæ do-
na non subtrahis, & vindictam miserando sus-
pendis: Deus, qui hominem inuidia diaboli
ab æternitate obiectum, vnici filij tui sanguine
redemisti, viuifica hos famulos tuos, quos tibi D
nullatenùs mori desideras, &, quos non dereli-
quisti deuios, adsume correctos.

Moueat pietatem tuam fletus iste mœrorum,
tu eorum medere vulneribus, tu benignam ia-
centibus manum porrige,nè ecclesia tua aliqua
sui corporis portione priuata, temeretur, nè
grex tuus detrimentum sustineat, nè de familiæ
tuæ damno inimicus exultet, nè renatas laua-
cris salutaribus animas mors secũda possideat.
Tibi ergò humiliamur omnes, tibi Domine
supplices fundimus preces, tibi fletum nostri
cordis offerimus: tu parce confitentibus, vt in
imminentes pœnas, futurique iudicij senten- E
tiam,te miserante,non incidant: nesciant quod
terret in tenebris,quod stridet in flammis;& ab
errorum via ad iter iustitiæ iam reuersi, nequa-
quàm vltrà nouis vulneribus saucientur. Propi
tiare ergò Domine trementibus atque supplici-
bus sub sententiæ tuæ expectatione, & ad hu-
militatem iacentium subleuandam, dexteram
salutis extende. Nobis quoque seruis tuis,quos
apostolicæ clauis sacerdotalisque officij minis-
tros non electione meriti,sed dono gratiæ tuæ
constituisti,da fiduciam tanti muneris exequen-
di, & ipse in nostro ministerio, quod tuæ est po
testatis, operare. Agnosce pijssime pastor oues
tuæ redemptionis, & constrictas vinculis pecca
torum, ecclesiæ tuę precibus exoratus absolue.
Redeant ad vnitatem ecclesiæ tuæ,& post illam
dirã inopis exilij famem redeuntes, veste splen
dida ornatæ, gaudeant se paterno receptas esse
conuiuio. Nihil de honore adoptionis, nihil de
hereditatis sorte perdiderint: sed integrum sit
eis atque perpetuum,& quod gratia tua contu-
lit,& quod misericordia reformauit. Per.

Absolutio pluralis.

DOminus Iesus Christus, qui dignatus est
discipulis suis dicere: Quæcunque liga-
ueritis super terram, erunt ligata & in cę
lolo: & quęcunque solueritis super terrã, erunt
soluta & in cęlo: de quorum numero quanuis
indignum, & peccatorum vinculis adstrictum,
me esse sua dignatione voluit,ipse vos largisfluo
pietatis suæ dono, ac meæ simul paruitatis mi-
nisterio absoluere dignetur ab omnibus fragi-
litatis vestrę excessibus, interiùs exteriusque hu
manitus contractis: Amen. Et sicut peccata to-
tius mundi sua traditione, atque immaculati
sanguinis effusione dignatus est expurgare, ità
quoque vestrorum peccaminum maculas mise
ricorditer non dedignetur emundare eiusdem
sancti sanguinis interuentione, qui fusus est in
peccatorum remissionem. Amen. Deuotionem
quoquè vestram ità deincèps adiutorio gratiæ
suę non dedignetur corroborare,quatenus & in
hoc seculo subrepentium laqueos delictorum
valeatis euadere, & in futuro vitam æternam
Christi sanguine comparatam, sinè fine possi-
dere. Amen. Adiuuante Domino nostro Iesu
Christo, qui nos fecit,cùm non essemus: & re-
demit, cùm perditi essemus, ad laudem & glo-
riam sancti nominis sui, per omnia secula se-
culorum. Amen.

Item *Absolutio pluralis.*

PRæsta, quęsumus, Domine his famulis
tuis secundùm pijssimam misericordiam
tuam, iuxta libitum eorum, absolutionis
peccaminum suorum fructum, vt sint tibi di-
gnum habitationis tuæ templum, & mereantur
deincèps cum iustis atque sanctis in conspectu
tuo adstantibus absoluti manere ab omni cri-
minum labe. Per Christum Dominum nostrũ.
Nos etiàm secundùm auctoritatem nobis indi
gnis à Deo cõmissam,absoluimus vos ab omni
vinculo delictorum vestrorum, vt mereamini
habere vitam æternam. Per eum qui viuit.

Absolutio singularis.

SIcut principali sententia constat, quia in
multis offendimus omnes, vndè ingemisci
mus: ità principali sẽtẽtia cõsolamur,quia
si cõfiteamur peccata nostra, fidelis & iustus est
Christus cõditor & redẽptor ac saluator noster,
quẽ habemus aduocatũ iustũ apud Patrẽ, & est
propitiatio ꝓ peccatis nostris, & interpellat ꝓ
nobis fideliter confidentibus, & dimittit nobis

Universidad de Deusto
Biblioteca

peccata nostra, & emundat nos ab omni iniqui A
tate. Qua propter frater noster cõfitẽti tibi pec
cata tua per ecclesiasticæ auctoritatis potestatẽ,
quã Dominus noster Iesus Christus tradidit di
scipulis suis & Apostolis, dicẽs, Accipite Spiritũ
sanctũ: quorũ remiseritis peccata, remittuntur
eis: & per eosdẽ Apostolos suos ipsorum succes
soribus, quorum vices licèt indigni, tenemus, et
si non merito, tamẽ nomine atq; officij susce
ptione eandem potestatẽ donauit, & in se creden
ti fideliter dixit, Fiat tibi secundùm fidem tuã:
gratia & potẽtia sua, virtute sancti spiritus, qui
est remissio omnium peccatorum, dimittat tibi B
omnia peccata tua, liberet te ab omni malo, cõ
seruet te in omni opere bono, & perducat te ad
vitam æternam, & ad sanctorum consortium su
pernorum ciuium. Amen.

Absolutio singularis.

FRater N. dominus Iesus Christus, qui di
xit discipulis suis, Quæcunq; ligaueritis
super terram, erunt ligata & in cælo: & quę
cunq; solueritis super terrã, erunt soluta & in cę
lo: de quorum numero quãuis indignos nos es
se voluit, ipse te absoluat per ministerium nostrũ
ab omnibus peccatis tuis, quęcunq; cogitatione
locutione, atq; operatione negligenter egisti, & C
nexibus peccatorum absolutum perducere di
gnetur ad regna cælorum. Amen.

Absolutio singularis.

FRater N. absolutionem & remissionẽ pec
catorum tuorum per inuocationem sacra
ti nominis Dei, & per ministerium nostrũ
percipere merearis hìc & in æternum. Amen.

Hic adspergat eos aqua benedicta, & thurifi
cet, & postèa dicat: Exurge qui dormis, & exur
ge à mortuis, & illuminabit te Christus.

Post hæc surgant pœnitentes, & moneãtur ab
episcopo, vt quod pœnitendo diluerunt, itera
ndo non reuocent. D

Item Ordo vndè suprà.

IPso die sonentur campanæ ad Missam, & ad
cæteras horas, sicut mos est diebus so lenni
bus, vt omnes veniant ad Ecclesiam, in qua
chrisma mos est consecrari, & sic sileant vsque
in sabbatũ sanctũ. Presbyteri verò & cæteri cle
rici hora tertia induant se vestimentis solenni
bus, & diaconi dalmaticis, atque subdiaconi al
bis sericis induantur, & stent in ordine suo sin
guli in Ecclesia, expectantes vsquedùm veniat
pontifex cum processione plenaria ad Missam,
sicut diebus solennibus solet cum septem diaco
nibus & totidem subdiaconibus & ceroferarijs E
& septem cereostatis, & duobus thuribulis cum
incenso. Cantor autẽ & schola statim vt iussum
fuerit, imponant introitum ad Missam, Nos au
tem gloriari oportet. Cum psalmo, & gloria, &
versu, & Kyrie eleison. Tunc dicat põtifex, Glo
ria in excelsis DEO. Quo finito, dicat orationem
pleniter, sicut alijs diebus, Pax vobiscum. Resp.
Et cum spiritu tuo.

Oratio.

Deus à quo & Iudas reatùs sui pœnam, & con
fessionis suæ latro præmium sumpsit, cõcede no
bis tuæ propitiationis effectum, vt sicut in pas
sione sua Iesus Christus Dominus noster diuer
sa vtriq; intulit stipendia meritorum, ità nobis
ablato vetustatis errore, resurrectionis suæ gra
tiam largiatur. Qui tecum viuit. Tunc legatur
epistola Pauli ad Corinthios:

Fratres, Conuenientibus vobis in vnũ vsq; Vt
non cum hoc mundo dãnemur. Sequitur Grad.
Christus factus est pro nobis, vers. Propter quod
& Deus. Ante Euangelium portentur candelæ,
& incẽsum, sicut mos est, & legitur Euangelium
secundùm Ioannem.

IN illo tempore, Ante diem festum Paschæ. *cap.* 13.
Vsq; quemadmodùm ego feci vobis, ità &
vos facia tis. Perlecto Euangelio, factoq; ad
populum sermone, dicat pontifex: Dominus vo
biscum. Resp. & cum spiritu tuo. Et, Oremus.
Deindè canitur offertorium: Dextera Domini.
Offerentibus presbyteris & cæteris qui volue
rint. Tunc dicatur.

SECRETA.

Ipse tibi, quæsumus Domine sancte, pater om
nipotens, æterne deus, sacrificium nostrũ reddat
acceptum, qui discipulis suis in sui commemora
tionem hoc fieri hodierna traditione monstra
uit, Iesus Christus filius tuus, Dominus noster,
qui tecum. Sequitur Præfatio:

VErè dignum & iustum est, æquum & salu
tare: Nos tibi semper & vbiq; gratias age
re Domine sancte, pater omnipotẽs, æter
ne Deus, per Christũ Dominũ nostrũ: Per quem
maiestatem tuã laudant angeli, adorant domi
nationes, tremunt potestates: Cæli cælorũq; vir
tutes, ac beata Seraphin socia exultatione con
celebrãt: cum quibus & nostras voces vt admit
ti iubeas deprecamur, supplici confessione di
centes: Sanctus, sanctus, sanctus. Et dicit Ponti
fex, Te igitur, ordine suo. D

TE igitur clementissime pater, per Iesum
Christũ filiũ tuum Dominum nostrũ, sup
plices rogamus & petimus, vti accepta ha
beas & benedicas hęc dona, hęc munera, hęc san
cta sacrificia illibata, in primis quæ tibi offeri
mus pro Ecclesia tua sancta catholica, quã paci
ficare, custodire, adunare & regere digneris toto
orbe terrarũ, vnà cũ famulo tuo Papa nostro N.
Memento Domine famulorum famularumque
tuarum, & omnium circumadstantium, quorũ ti
bi fides cognita est & nota deuotio, qui tibi offe
runt hoc sacrificium laudis prose suisq; omnib⁹
pro redemptione animarum suarum, pro spe sa
lutis & incolumitatis suæ, tibique reddunt vota
sua æterno Deo, viuo, & vero. Communicantes
& diem sacratissimum celebrãtes, quo Domin⁹
noster Iesus Christus pro nobis est traditus. Sed
& memoriam venerãtes in primis gloriosæ sem
per virginis Mariæ genitricis Dei, & Domini
nostri Iesu Christi, sed & beatorum Apostolorũ
ac martyrum tuorum Petri, Pauli, Andreæ, Ia
cobi, Ioannis, Thomæ, Iacobi, Philippi,
Bartholomæi, Matthæi, Simonis & Thadæi,
Lini,

Lini, Cleti, Clementis, Sixti, Cornelij & Cypria A
ni, Laurentij, Chrysogoni, Ioannis & Pauli, Co
smæ & Damiani, Et omniũ sanctorum tuorum,
quorum meritis precibusq; concedas, vt in om
nibus protectionis tuæ muniamur auxilio, Per
Christũ Dominũ nostrũ. Hanc igitur oblationẽ
seruitutis nostræ, sed & cunctæ familiæ tuæ, quã
tibi offerimus ob diem, in qua Dominus noster
Iesus Christus tradidit discipulis suis corporis &
sanguinis sui mysteria celebranda, quæsumus
Domine, vt placatus accipias, diesq; nostros in
tua pace disponas, atq; ab ęterna dãnatione nos
eripias, & in electorum tuorum iubeas grege nu B
merari. Per Christũ Dominum nostrum. Quam
oblationem tu Deus in omnibus, quęsumus, be
nedictam, adscriptam, ratam, rationabilem, ac
ceptabilemq; facere digneris, vt nobis corpus
& sanguis fiat dilectissimi filij tui Domini no
stri Iesu Christi, qui pridiè quàm pro nostra om
niũ salute pateretur, hoc est, hodiè, accepit panẽ
in sanctas ac venerabiles manus suas, & eleuatis
oculis suis in cælũ, ad te Deũ patrem suum om
nipotentẽ, tibi gratias agens, benedixit, fregit,
deditq; discipulis suis, dicẽs: Accipite & mandu
cate ex hoc omnes: hoc est enim corpus meũ. Si
mili modo posteà quàm cœnatũ est, accipiens C
& hũc præclarũ calicẽ in sanctas ac venerabiles
manus suas, item tibi gratias agẽs, benedixit, de
dit discipulis suis, dicens: Accipite & bibite ex
eo oẽs: Hic est enim calix sanguinis mei noui &
ęterni testamenti, qui pro vobis, & pro multis
effundetur in remissionem peccatorum. Hæc
quotiescunq, feceritis, in mei memoriam facie
tis. Vnde & memores, Domine, nos serui tui,
sed & plebs tua sancta, Christi filij tui Dñi nostri
tam beatæ passionis, necnõ & ab inferis mirabi
lis resurrectionis, sed & in cælos gloriosæ ascen
sionis, offerimus præclaræ maiestati tuæ de tuis
donis ac datis hostiã puram, hostiam sanctã, ho- D
stiam immaculatã, panẽ sanctũ vitæ æternæ, &
calicẽ salutis perpetuæ. Super quę propitio ac se
reno vultu respicere digneris, & accepta habere
sicuti accepta habere dignatus es munera pueri
tui iusti Abel, & sacrificiũ patriarchæ nostri A
brahæ, & quod tibi obtulit sũmus sacerdos tuus
Melchisedech, sanctũ sacrificiũ, immaculatã ho
stiã. Supplices te rogamus omnipotẽs Deus, iu
be hæc perferri per manus angeli tui in sublime
altare tuũ, in conspectum diuinæ maiestatis tuę,
vt quotquot ex hac altaris participatione sacro
sanctum filij tui corpus & sanguinem sumpseri
mus, omni benedictione cælesti & gratia replea E
mur: Per Christum Dominũ nostrũ. Nobis quo
que peccatoribus famulis tuis de multitudine
miserationum tuarum sperantibus partem ali
quam & societatem donare digneris cũ tuis san
ctis Apostolis & martyribus, cum Ioanne, Ste
phano, Matthia, Barnaba, Ignatio, Alexandro,
Marcellino, Petro, Felicitate, Perpetua, Agatha
Lucia, Agna, Cæcilia, Anastasia, & cum omnibus
sanctis tuis: Intra quorum consortium nos non
æstimator meriti, sed venię, quęsumus, largitor
admitte, Per Christum Dominum nostrum. A

Tunc offeratur pontifici oleum de ampullis
quas offerunt populi ad vngendos tam infirmos
quàm energumenos, & in vltimo antequàm di
catur, Per quem hęc omnia Domine semper bo
na creas. Exorcizet & benedicat illud tam ipse
quàm omnes presbyteri, qui ad sunt, vt tantùm
possit à circunstantibus audiri ità:

Exorcismus olei.

EXorcizo te immundissime spiritus, omnis
que incursio satanę, & omne phantasma, in
nomine patris, & filij, & spiritus sancti, vt re
cedas ab hoc oleo, vt possit effici vnctio spiritu
alis ad corroborandũ tẽplũ Dei viui, vt in eo pos
sit spiritus sanctus habitare, per nomen Dei pa
tris omnipotentis, & per nomen dilectissimi fi
lij eius Domini nostri Iesu Christi. Et non pera
gatur conclusio.

Benedictio eiusdem.

Emitte Domine spiritũ tuum paraclitum de
cęlis in hanc pinguedinẽ oliuæ, quam de viridi
ligno producere dignatus es ad refectionem mẽ
tis & corporis, vt tua sancta benedictione sit om
ni tangenti hoc, vnguentum salubre cælestis me
dicinæ, tutamen mentis & corporis, & ad euacuã
dos oẽs dolores, omnesq; infirmitates, oẽmque
ægritudinem mentis & corporis: vndè vnxisti sa
cerdotes, reges, prophetas, & martyres, chrisma
tuum sit perfectum nobis à te Domine benedi
ctũ, permanens in visceribus nostris in nomine
Domini nostri Iesu Christi. Tunc dicatur:

Per quẽ hæc oĩa Domine semper bona creas,
sanctificas, viuificas, benedicis & præstas nobis
per ipsum, & cum ipso, & in ipso est tibi Deo pa
tri omnipotenti, in vnitate spiritus sancti oĩs ho
nor & gloria: Per oĩa secula seculorũ. Et oleũ eo
dem ordine quo ascendit, reportetur, & in loco
suo conseruetur. Missa verò ordine suo agatur,
vsquedũ benedictiones episcopales soluantur,
dicente in altum episcopo. Oremus.

Præceptis salutaribus moniti, & diuina insti
tutione formati, audemus dicere:

Pater noster qui es in cęlis, sanctificetur no
men tuũ. Adueniat regnũ tuũ. Fiat volũtas tua si
cut in cælo & in terra. Panẽ nostrũ quotidianum
da nobis hodiè. Et dimitte nobis debita nostra,
sicut & nos dimittimus debitoribus nostris. Et
ne nos inducas intentationem. Resp. Sed libera
nos à malo.

Libera nos quæsumus Domine, ab oĩbus ma
lis præteritis, præsentibus & futuris, & intercedẽ
te beata & gloriosa semper virgine Maria, & bea
tis Apostolis tuis, Petro, & Paulo, atq; Andrea,
cũ oĩbus sanctis, da propitius pacẽ in diebus no
stris, vt ope misericordiæ tuæ adiuti, & à peccato
simus semper liberi, & ab oĩ perturbatione secu
ri: Per Dominũ nostrũ Iesum Christũ filiũ tuum
qui tecũ viuit & regnat Deus in vnitate spiritus
sancti: Per omnia secula seculorũ. Resp. Amen.
Pronunciante diacono; Humiliate vos ad bene
dictionem. Respon. Deo gratias. Sequantur be
nedictiones episcopales, in hunc modum:

BEnedicat vos Deus, qui per vnigeniti sui passionem vetus Pascha in nouum voluit conuerti, concedatque vobis, vt expurgato veteris fermenti contagio, noua in vobis per seueret consperſio. Resp. Amen. Et quia ad celebrandam redemptoris nostri cœnam mente deuota conueniſtis, æternarum dapium vobiscum epulas reportetis. Resp. Amen. Ipsiusque opitulante clementia, mundemini à sordibus peccatorum, qui ad insinuandum humilitatis exemplum, pedes voluit lauare discipulorum. Resp. Amen. Quod ipse præstare dignetur. Et pax Domini sit semper vobiscum. Tunc communicet solus pontifex ante altare, & diaconus offerat ei calicem, & non frangat oblatas, nisi eam solam, vndè ille communicat. Illo tantummodò die, postquàm communicauerit episcopus, ponat diaconus calicem super altare: Deindè acceptam à subdiacono patenam, ponat iuxta calicem de latere ſiniſtro, & ſtatim à duobus diaconibus vtrunque cooperiatur de ſindone munda, quam priùs præparauerant in ora altaris èr egione pontificis poſt corporalem expanſam. Tunc dominus episcopus vadat ad ſedem ſuam cum diaconibus, & expectet.

Ordo de conſecratione principalis chriſmatis.

EXpectante verò in ſede ſua pontifice, veniant ad ſacrarium duodecim presbyteri, & cæteri clerici, quantum opus ſit ad deferendum cum omni decore oleum chriſmale, & etiàm oleum catechumenorum & neophytorũ vſque in Eccleſiam ante epiſcopum. Sint etiàm parati ijdem presbyteri, & cum eis cæteri clerici caſulis, & ſolennibus veſtimentis. Tunc duo acolyti accipientes illas duas ampullas, quæ ad chriſma & ad oleum catechumenorum conſecrari debent, inuolutas cum ſindonibus de albo ſerico, ita vt videri poſſint à medio teneãt in brachio ſiniſtro, proiectis ſindonibus ſuper ſcapulam ſiniſtram, ità vt pertingant ad ſcapulam dextram, quatenùs poſſint dependentia retineri, & procedant. Et ordinent ſe illi presbyteri & prędicti clerici ritè, & ordinabiliter, ità vt primùm ambulent duo acolyti, cum candelabris & ardẽtibus cereis. Deindè portentur dũæ cruces, & inter illas medium chriſmale oleum: Poſteas portentur duo thuribula cum incenſo, & inter illa, ſicut prędiximus, medium oleum catechumenorum: Deindè portetur Euangelium, vt impleatur omne bonum: Poſteà ſequantur bini & bini illi duodecim presbyteri, teſtes & cooperatores eiuſdem ſacroſanctι chriſmalis myſterij. Tunc verò ſubſequantur pueri, in laudem eiuſdem myſterij concinentes hos verſus, ad hoc congruentes:

AVdi iudex mortuorum,
Vna ſpes mortalium:
Audi voces proferentum
Donum pacis præuium.
Et chorus reſpondeat:
O Redemptor, ſume carmen
Temet concinentium.
Arbor fœta alma luce,
Hoc ſacrandum protulit:
Ferthoc prona præſens turba
Saluatori ſeculi. O redemp.
Stans ad aram, immò ſupplex
Infulatus pontifex,
Debitum perſoluit omne,
Conſecrato chriſmate. O redemp.
Conſecrare tu dignare,
Rex perennis patrię,
Hoc oliuum, ſignum viuum
Iura contra dęmonum. O redemp.
Vt nouetur ſexus omnis
Vnctione chriſmatis,
Medeatur ſauciata
Dignitatis gloria. O redemp.
Lota mente ſacro fonte,
Aufugantur crimina:
Vncta fronte, ſacroſancta
Influunt chariſmata. O redemp.
Corde natus ex parentis,
Aluum implens Virginis,
Præſta lucem, claude mortem
Chriſmatis conſortibus. O redemp.
Sit dies hæc nobis feſta
Seculorum ſeculis,
Sit ſacrata digna laude,
Nec ſeneſcat tempore. O redemp.

Venientibus autem eodem ordine in chorũ, & ſtantibus ad Orientem verſis, verſibuſque finitis, intereà ordinent ſe lectores, oſtiarij, acolyti, & ſubdiaconi, & ſtent in ordine ſuo ſecundùm eos gradus, vbi aſcenditur ad altare, tanti, vt ſubdiaconus ſit ſextus in eminentiori loco: & iuxta eum archidiaconus qui legebat, ità inuolutam ampullam commixtam ſuſcipientes, per ordinem vt aſcendat. Et dum peruenerit ad archidiaconum, ille proferat eam ità inuolutam vnà cum ſindone ante pontificem: Interìm autẽ vnus ſubdiaconus deferat vaſculum cum balſamo alij diacono, & ille pontifici ante altare. Tunc ordinentur circa epiſcopum hinc & indè eadem candelabra, & cruces, & thuribula, atque Euangelium, necnon & prędicti duodecim presbyteri, teſtes, & adiutores eiuſdem myſterij, ità vt diaconi poſt dorſùm epiſcopi ſtent, presbyteri verò à dextris & à ſiniſtris, cruces verò & cætera vtrinque inter illos media. His ità ſtatutis, cõuertat ſe epiſcopus, aut cui ille præceperit, tam ad clerũ quàm ad populũ, & faciat ſermonẽ de cõfectione chriſmatis cõgruentẽ. Tũc cõuertat ſe ad Orientẽ, & intret in conſecrationem principalis chriſmatis, archidiacono tenente ante ipſum ampullam in ſiniſtro brachio inuolutam in ſindone, vt ſupra diximus, & primò miſceat balſamum cum oleo.

Benedictio in commixtione olei & balſami.

ORemus Dominum noſtrum omnipotentem, qui incomprehenſibilem vnigeniti filij, ſibique coęterni diuinitatem mirabili dispoſitione veræ humanitati inſeparabiliter coniunxit, & gratia cooperante ſancti ſpiritus, oleo exultationis præ participibus ſuis liniuit, vt homo fraude diaboli perditus, gemina & ſingulari conſtans materia, perenni redderetur, de qua exciderat, hæreditati: quamuis hos ex diuerſis creaturarum ſpeciebus liquores creatos, ſanctæ Trinitatis perfectione benedicat, & benedicendo ſanctificet, concedatque vt ſimul permixti vnum fiant, & quicunque exterius inde perunctus fuerit, ita interius liniatur, quo oĩbus ſordibus corporalis materię carens, ſe participẽ regni cæleſtis efficigratuletur. Per eũdẽ DOminũ noſtrũ. Hic cõmiſceãtur, dicẽte epiſcopo:

Hæc commixtio liquorum, fiat omnibus perunctis propitiatio & cuſtodia ſalutaris in ſecula ſeculorum. Deindè antequàm benedicatur, halatter ſuper ipſam ampullam, & dicit lenta voce exorciſmum chriſmalis olei.

Exorciſmus chriſmalis olei.

EXorcizo te creatura olei per Deũ patrem omnipotentem, qui fecit cælum & terram, mare & omnia quę in eis ſunt, vt omnis virtus aduerſarij, omnis exercitus diaboli, omnis que incurſio, & omne phantaſma ſatanæ eradicetur & effugetur à te, vt fias omnibus, qui ex te vngendi ſunt, in adoptionem filiorum per ſpiritum ſanctum, in nomine Dei patris omnipotentis, & in charitate Ieſu Chriſti filij eius DOmini noſtri, qui cum eo viuit & regnat Deus in vnitate eiuſdem ſpiritus ſancti. Tunc dicat alta voce: Per omnia ſecula ſeculorum. Reſp. Amen. Dominus vobiſcum Reſp. Et cum ſpiritu tuo. Sursùm corda. Reſp. Habemus ad DOminum. Gratias agamus Domino Deo noſtro. Reſp. Dignum & iuſtum eſt.

PRÆFATIO.

Verè dignum & iuſtum eſt, æquum & ſalutare, nos tibi ſemper & vbique gratias agere, Domine ſancte, pater omnipotens, æterne Deus: qui in principio inter cætera bonitatis tuæ munera, terram producere fructifera ligna iuſſiſti, inter quæ huius pinguiſſimi liquoris miniſtræ oleæ naſcerentur, quarum fructus ſacro chriſmati deſeruiret. Nam & Dauid prophetico ſpiritu gratiæ tuæ ſacramenta prænoſcens, vultus noſtros in oleo exhilarandos eſſe cantauit: & cũ mundi crimina diluuio quondàm exinanirentur effuſo, ſimilitudinem futuri muneris columba demonſtrans, per oliuæ ramum pacem terris redditam nunciauit. Quod in nouiſſimis tẽporibus manifeſtis eſt effectibus declaratum, cũ baptiſmatis aquis omniũ criminum commiſſa delentibus, hæc olei vnctio vultus noſtros iocũdos efficit ac ſerenos. Indè etiàm Moyſi famulo tuo mandatum dediſti, vt Aaron fratrem ſuum priùs aqua lotum per infuſionem huius vnguẽti conſtitueret ſacerdotem. Acceſſit ad hoc ampliorhonor cùm filius tuus Ieſus Chriſtus Dominus noſter lauari ſe à Ioanne vndis Iordanicis exegiſſet, vt ſpiritu ſancto in columbæ ſimilitudine deſupèr miſſo, vnigenitũ tuum, in quo tibi optimè complacuiſſet, teſtimonio ſubſequentis vocis oſtenderes, & hoc illud eſſe manifeſtiſsimè comprobares, quòd eum oleo lętitiæ præ conſortibus ſuis vngendum Dauid prophęta ceciniſſet. Te igitur deprecamur Domine ſancte, pater omnipotens, æterne Deus, per eundẽ Ieſum Chriſtũ filiũ tuũ Dominum noſtrum, vt huius creaturę pinguedinem ſanctificare tua benedictione digneris, & ſancti ſpiritus ei admiſcere virtutẽ, cooperante potentia Chriſti tui, à cuius ſancto nomine chriſma nomen accepit: vndè vnxiſti ſacerdotes & reges, prophetas & martyres, vt ſpiritalis lauacri baptiſmo renouãdis creaturam chriſmatis in ſacramentum perfectæ ſalutis vitæque confirmes, vt ſanctificatione vnctionis infuſa, corruptione primæ natiuitatis abſorpta, ſanctum vniuſcuiuſque tem plum acceptabilis vitæ innocens odore redoleſcat, vt ſecundùm conſtitutionis tuæ ſacramentũ, regio & ſacerdotali propheticoque honore perfuſi veſtimento incorrupti muneris induantur, vt ſit his, qui renati fuerint ex aqua & ſpiritu ſancto, chriſma ſalutis, eoſque æternę vitæ participes, & cæleſtis gloriæ facias eſſe conſortes: Per eundem Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum filium tuũ qui tecum viuit & regnat Deus in vnitate eiuſdem ſpiritus ſancti: Per omnia ſecula ſeculorum. Amen.

Finita benedictione, dominus epiſcopus ſalutet chriſma nudum, & miniſtri qui iuxta eum ſunt, & ità iterùm per ordinem deſcendat ſicut aſcendit. Et tenente ampullam acolyto, deferatur omnibus cooperta ad ſalutandum per ordinem, ità vt à nemine nuda videatur. Hoc facto, ſummo honore procuretur, vſquedùm altera ampulla aſcendat, & iterùm deſcendat, vt ambæ honorificè ad locum ſuum redeant.

Incipit exorciſmus olei quo vngendi ſunt catechumeni.

DEſcendente autem ampulla cum chriſmate, ſtatìm alia cum oleo catechumenorũ cooperta, aſcendat ſicut prior, vſq; ante epiſcopum, & halat in ipſam ter, ſicut in priorẽ ſed tacitè, ordine quo in ſuprà delatam. Et in primis faciat ei exorciſmum, & benedicat eam quaſi legens lectionem.

Exorciſmus olei catechumenorum.

EXorcizo te creatura olei in nomine Dei patris omnipotentis, & in nomine Ieſu Chriſti, & Spiritus ſancti, vt in hac inuocatione trinę poteſtatis, atque vnius virtute Deitatis, omnis nequiſſima virtus aduerſarij, omnis inuerata malitia diaboli, omnis violenta incurſio, omne confuſum & cæcum phantaſma eradicetur, & effugetur, & diſcedat à creatura huius olei ad vtilitatem hominum conſtituta, vt fiat hæc vnctio diuinis ſacramẽtis purificata, in adoptionem carnis & ſpiritus eis, qui ex eo vngi debent in remiſſionem omnium peccatorum, vt efficiãtur eorum corpora ad omnem gratiam ſpiritalem accipiendam ſanctificata: Per eundem DOminum noſtrum Ieſum Chriſtum, qui venturus eſt. Tunc

est. Tunc dicatur, Dominus vobiscum. Resp. Et cum spiritu tuo.

OREMVS.

DEus incrementorum omnium & profectuum spiritualium munerator, qui virtute sancti spiritus tui imbecillarũ mẽtiũ rudimenta confirmas, te oramus Domine, vt vẽturis ad beatæ regenerationis lauacrũ, tribuas per vnctionem istius creaturę purgationem mẽtis & corporis, vt, si quę illis aduersantium spirituum inhæsere maculę, ad tactum sanctificati olei huius abscedant. Nullus spiritalibus nequitijs locus, nulla refugis virtutibus sit facultas, nulla insidiantibus malis latendi licentia relinquatur: sed venientibus ad fidem seruis tuis, & sancti spiritus tui operatione mundandis, sit vnctionis huius præparatio vtilis ad salutem, quam etiam cælestis regenerationis natiuitate in sacramento sunt baptismatis adepturi: Per Dominum nostrum Iesum Christum filium tuum, qui venturus. Tunc dominus episcopus, & qui iuxta eum sunt, salutent eam, & descendat per ordinem sicut altera, & deferatur omnibus ad salutandum. His ità peractis, eodem ordine & decore quo ascenderant in Ecclesiam, redeant ambę ad sacrarium. Tunc pontifex lauet manus, & diaconi vadant ad altare, & discooperiant sancta. Et pontifex veniens ad altare, diuidat oblatas ad frangendum, & communicet omnis populus ordine suo, & sumat de ipsis oblatas integras ad seruandum vsque manè diei parascenes: De quibus communicent absque sanguine Domini. Sanguis verò eadem die penitùs consumatur. Et schola dicat, Agnus Dei. Absque osculo, & communionem Dominus Iesus. Cũ psal. & gloria. Fractis autem oblatis, communicẽt presbyteri primò, posteà diaconi, & cęteri omnes. Et ità perficiatur Missa pleniter ordine suo.

Post communionem.

Refecti vitalibus alimentis, quęsumus Domine Deus noster, vt quod tempore nostræ mortalitatis exequimur, immortalitatis tuę munere consequamur. Per.

Super populum.

Concede quæsumus Domine, vt perceptum noui sacramenti mysterium & corpore sentiamus, & mente. Per.

Et pontifex descendat in sacrarium, mandãs presbyteris quid voluerit.

Tunc chrisma nouum misceatur cum veteri, si quid residuum fuerit. Similiter & oleum, & ità diuidatur per presbyteros, & finita sunt ista.

Ad vesperum in cœna Domini nõ dicatur, Deus in adiutorium meum intende: sed antiphona, Calicem salutaris accipiam, & nomen Domini inuocabo. psal. Credidi, propter quod. Antiph. Cum his qui oderant pacem, eram pacificus: cũ loquebar illis, impugnabant me gratis. psal. Ad Dominum. Antiph. Ab hominibus iniquis libera me Domine. psal. Eripe me Domine. Antiph. Custodi me à laqueo, quem statuerunt mihi, & ab scandalis operantium iniquitatem. psal. Domine clamaui. Antiph. Considerabam ad dexteram, & videbam: & nõ erat qui cognosceret me. psal. Voce mea. Lectio non dicatur, nec versus: sed Antiphona, Cœnantibus autem accepit Iesus panem, benedixit ac fregit, dedit discipulis suis. psalm. Magnificat. Ad vesperum oratio:

Deus cuius cœnã sacratissimam veneramur, vt ea digni inueniamur, munda nos quæsumus, à sordibus peccatorum, qui ad insinuandum nobis humilitatis exemplum, pedes tuorum digna tus es hodiè lauare discipulorum. Qui cum patre. Cum autem schola primam antiphonam dicit, Calicem salutaris accipiam: Statim duo acolyti parati cum nigris casulis, incipiant expoliare altaria, vsquedùm finitur vespera, posteà tollantur. A vespera autem huius diei, nuda sint altaria vsque in manè sabbati.

Expletis omnibus, procedat dominus episcopus cum omni a lacritate cum presbyteris & clero, si vult, ante vel post cibum, ad locum vbi mãdatum perficere vult. Sintque ibi parati processores, Acolyti duo cum candelabris duobus, tertius thuribulum portans: quartus cum thymiamaterio: & subdiaconus Euangelium portans. Et diaconus imponat Euangelium, Ante diem festum Paschæ. sicut ad Missam. Lecto Euangelio, dicat episcopus hanc orationem, vt suprà: Deus, cuius cœnam sacratissimam.

Data oratione, episcopus ponat vestimenta sua, & præcinctus linteo, præparet se ad lauandos pedes discipulorum suorum. Et primùm incipiente pontifice, mutuatim pedes lauent & distergant, canentes antiphonas:

Mandatum nouum do vobis, vt diligatis inuicèm sicut dilexi vos, dicit Dominus. psal. Beati immaculati in via. Antiph. In diebus illis, mulier quæ erat in ciuitate peccatrix, vt cognouit quòd Iesus accubuit in domo Simonis leprosi, attulit alabastrum vnguenti, & stans retrò secus pedes Domini Iesu, lachrymis cœpit rigare pedes eius, & capillis capitis sui tergebat, & osculabatur pedes eius, & vnguento vngebat. psal. Magnus Dominus. Antiph. Maria ergò vnxit pedes Iesu, & extersit capillis suis, & domus impleta est exodore vnguenti. Antiph. Postquã surrexit Dominus à cœna, misit aquam in peluim, cœpit lauare pedes discipulorum, hoc exemplum reliquit eis. psal. Deus misereatur nostri.

Ante diem festum Paschæ sciens Iesus quia eius hora venit, vt transeat ex hoc mundo ad patrem, & cœna facta surrexit, linteo præcinxit se, misit aquam in peluim, cœpit lauare pedes discipulorum, venit ad Petrum. Dixit ei Simon. Non lauabis mihi pedes in æternum. Respondit Iesus: Si non lauero te, non habebis partem mecum. Domine, non tantùm pedes, sed & manus & caput. Antiphona: Domine, tu mihi lauas pedes? Respondit Iesus: Qui lotus est, non indiget nisi vt pedes lauet. Antiph. Dominus Iesus postquam cœnauit cum discipulis suis, lauit pedes eorum, & ait illis: Scitis quid fecerim vobis? ego Dominus & magister, exemplum dedi vobis, vt & vos

vt & vos ità faciatis. Antiph. Amodò dico vobis, priusquã fiat, vt cùm factũ fuerit, credatis, quia vnus ex vobis me traditurus est. Bonum erat illi, si natus non fuisset homo ille. Antiph. Vos vocatis me, Magister & Domine: & benè dicitis, Sum etenim. Si ergò ego laui pedes vestros, Dominus & magister, & vos debetis alter alterius pedes lauare. Psal. Deus misereatur nostrì. Antiph. Vos vocatis me, magister & Domine, & benè dicitis, sum etenim; si ego laui vestros pedes, Dominus & magister, & vos debetis alter alterius lauare pedes, Psal. Suscepimus Deus. Antiph. Si ego Dominus & magister vester laui vobis pedes, quanto magis vos debetis alter alterius, &c. Psal. Quàm dilecta. Antiph. Cœna facta, dixit Iesus discipulis suis: Amen amen dico vobis, vnus vestrum est hic, qui me traditurus est in hac nocte. Psal. Miserere mei Deus. Antiph. Diligamus nos inuicẽ, quia charitas ex Deo est: & qui diligit fratrem suum, ex Deo natus est, & videt Deum. Psal. Eccè quàm bonum. vers. Vbi fratres in vnum glorificant Deum, ibi dabit Dominus benedictionẽ. psal. Eccè quàm bonum. Antiph. In hoc cognoscent omnes quia mei estis discipuli, si dilectionem habueritis adinuicem. psal. Laudate Dominum in sanctis eius. Laudate. Antiph. Congregauit nos Christus ad glorificandum seipsum. Reple Domine animas nostras spiritu sancto. Antiph. Fratres, Existimo enim quòd nõ sint condignæ passiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis. Antiph. Fratres, Glorificate & portate Deum in corpore vestro. Antiph. Vbi est gaudiũ & lætitia, ibi sanctorũ est congregatio: ibi nec ira est, nec indignatio, sed firma charitas in perpetuũ. Amen. Antiph. Si verè fratres diuites esse cupitis, veras diuitias amate. Antiph. Si culmen veri honoris quæritis, ad illam cęlestem patriam quantocyùs properate. Antiph. Si gloriam dignitatum diligitis, in illa angelorum curia adscribi festinate. Cum alijs antiphonis ad hoc pertinentibus. Finitis antiphonis, diaconus aut lector, cui mandatum fuerit, imponat Euangelium secundum Ioannem, quasi lectionem legens, ab eo loco vbi scriptum est: Amen amen dico vobis, non est seruus maior Domino suo, neque Apostolus maior eo qui misit illum: Vsquè, & ego in ipsis. Preces post mandatum. Suscepimus Deus misericordiam tuam. Resp. In medio templi tui. Tu mandasti Domine mandata tua. Resp. Custodiri nimis. Tu lauisti pedes discipulorum tuorum. Opera manuum tuarum nè despicias.

Orationes post mandatum.

ADesto Domine officijs nostræ seruitutis, quia tu pedes lauare dignatus es tuis discipulis, nè despicias opera manuũ tuarũ, quæ nobis retinenda mandàsti, vt sicut exteriora abluuntur inquinamenta, sic à te omnium nostrùm interiora lauentur peccata. Quod ipse præstare digneris, qui viuis & regnas.

Alia.

DEus, qui discipulorum tuorum pedes abluens, pio affectu eis exemplum præbuisti, mandatumque dedisti; concede propitius, vt per obsequium mandatorum tuorum, eorum obtentu de tuo lætemur aspectu. Quod ipse præstare.

Alia.

ANnue misericors Deus, vt qui diuina præcepta violando, paradisi felicitate decidimus, ad æternæ beatitudinis redeamus accessum, per tuorum custodiam mandatorum. Quod ipse præstare.

Oratio pro his qui ipsum mandatum adimpleuerunt.

REspice Domine super hos famulos tuos, qui se inclinando, obedientiæ sanctæ pio obsequio fratrum suorum expleuerunt seruitium, vt semper te habeant in auxilium, & in bonis actibus superẽt inimicum, & inoffensè semper agant seruitium cõsuetum, vt æternum à te mereantur percipere præmium. Per.

Ab hac nocte vsquè in Sabbatum sanctum, nonnulli serui Dei imitantes Apostolos, ieiuni permanent: aliqui verò contenti sunt pane tantùm, vel herbis atque legumine, seu cicere.

Item benedictio olei ad omnem languorem quocunque tempore, & nulla in huius olei benedictione conclusio dicatur, antequam subinferatur.

Per quem hæc omnia Domine semper bona creas. In tuo nomine Deus pater omnipotẽs, & Iesu Christi filij tui Domini nostri signo, & in virtute Spiritus sancti hãc creaturam olei exorcizamus, simulque sanctificamus, quia ità benignus Dominus per suos Apostolos declarare dignatus est, dicens: Si quis infirmatur in vobis, inducat presbyteros ecclesiæ, & orent super eũ, vngentes eum oleo in nomine Domini, & oratio fidei saluabit infirmum, & si in peccatis sit, dimittentur ei. Et iterùm per ipsum omnia possibilia esse credentibus docuisti; &, vt cunctum seculum eius claritate saluares: sic per eundem locutus es, dicens: Petite, & dabitur vobis: quærite, & inuenietis: pulsate, & aperietur vobis. Quapropter, Domine, tua ineffabili bonitate comperta, submissis precibus credentes nullum alium Deum, nisi te Domine, qui dines es in misericordia, celeriterque subuenis, peritissimum medicum imploramus, vt apertis cælis Spiritus sancti velocitate deducta, virtutis tuæ medicinam in hoc oleum propitius infundas. Descendat super hoc oleum potentiæ tuæ donum, descendat claritas & origo virtutum, descendat benignitas, & puritas sanitatis. Exorcizetur crucis Christi vexillo, benedicatur dextera maiestatis tuæ, & corroboretur filij tui Domini nostri signaculo. Præstò sint, Domine, angeli & archangeli, & omnis militia cælestis. Adsit Apostolorum ac Martyrum, & fidelium sacerdotum, vel etiàm aliorum seruorum tuorũ dignissima oratio, sub quorum'præsentia dum in tuo nomine Domine pater immense, hoc vnguentum compositionis atq; permixtionis deri-

Universidad de Deusto
Biblioteca

derimus liniendis corporibus infirmis, continuò peragratis viſceribus eorum, omnem euomant violentiam fellis. Proſit, pater miſericordiarum, febribus & dyſemeria laborantibus, proſit paralyticis, cęcis & claudis, ſimulque vexaticijs. Quartana, tertiana, & quotidiana excutiat frigora. Mutorum ora reſoluat, Arentia membra reficiat, Demętiam cordis ad ſcientiam reuocet, dolorem capitis, oculorum infirmitatę, manuum, pedum, brachiorũ, pectoris, ſimulq; & inteſtinorum atque omniũ membrorum tam intrinſecùs, quàm extrinſecùs, medullarumq; dolorem expellat, ſomnum quietis infundat, & ſalutem conferat ſanitatis. Si qua verò maligna vel venenoſa naſcentia in corporibus quorumcunque fuerint generata, tactus vnguenti huius omnes radicitùs eorum arefaciat ſationes. Morſus verò beſtiarum, canum rabiem, ſcorpionũ, ſerpentium, viperarum, atque omnium monſtruoſorum leniat dolores, & ſuperinducta ſanitate, plagarum ſopiat cicatrices. Impetum quoque dæmonum, vel incurſiones ſpirituum immũdorum, atque legionum malignarum vexationes, vmbras, & impugnationes, & infeſtationes, artes quoque maleficorum, Chaldæorũ, augurum, & diuinorum incantationes, & venena promiſcua, quæ ſpirituum immundorũ virtute nefanda & exercitio diabolico conficiuntur, iubeas Domine per hanc inuocationem tuam ab imis viſceribus eorum omnia expelli, vt exiens inimicus de corporibus famulorum, famularumque tuarum omnium, confuſus & excruciatus, & nullam in eis maculam relinquens, à tuis ſanctis angelis conſtringatur, & in inferno, ſicut eum expectat digna ſententia, gehennæ ignibus mancipetur, nec vltrà ad eos habeat ingrediendi locum, ſed ſaluati famuli tui ab his omnibus malis, referant honori tuo laudes in perpetuum ſempiternas, & ſciant quia tu es Deus inſeparabilis Trinitas, regnans in ſecula ſeculorum. Amen.

Benedictio olei Ambroſiana, ad vngendum tam infirmos quàm energumenos.

DOmine, qui ſtudio ſalutis humanæ creaturis tuis vim benedictionis indidiſti, vt ad animarum noſtrarum ſanctificationis vtilitatem, creaturarum etiàm corporaliũ miniſterio noſtris ſalus temporibus tribueretur, infunde ſanctificationem tuam huic oleo, vt ab his quæ vnxerit membra, fugatis inſidijs aduerſariæ poteſtatis, ſuſceptione præſentis olei, ſancti ſpiritus gratia ſalutaris debilitatem expellat, & plenam conferat ſoſpitatem, in nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti.

Item benedictio olei Ambroſiana, quo vngendi ſunt catechumeni.

DEus ſacramenti huius inuentor atque diſpoſitor, qui præſentis liquoris pinguedine beatorum confirmaſti corpora, cordaque pontificum, quique in hac creatura excellentis nobilitatem nominis, vt eos Chriſtos faceres, indidiſti: qui nitentes ac delibutos antiſtites iuſſiſti participibus anteferri, dignum æſtimans elementum, quo innocentiæ & variarum tribueretur forma virtutum, concede infuſione ſancti ſpiritus olim tibi placitam præſentis olei confirmes nobiliteſque ſubſtantiam, vt quicquid ex eo in humano genere tactum fuerit, ad naturam tranſeat mox ſupernam, nec aliquid ſibi per vnctionem eius vendicet hoſtis antiquus, ſed doleat ſe telis beatæ huius propugnationis addictum, & pacis oleo vetuſti furoris comprimi ſuperbias ingemiſcat. Per Chriſtum Dominum noſtrum. Per quem hæc omnia.

Præfatio chriſmatis Ambroſiana.

VNanimes atque concordes, Fratres chariſſimi, Dei patris omnipotentis auxilium miſericordiæ deprecemur, vt hoc vnguentum, quo in regali gloria populus eius veſtiendus eſt, cęleſti benedictione, & virtutis ſuæ vigore corroboret, & tegmine eius plebs in æternũ benedicta tueatur: Præſtante Domino noſtro Ieſu Chriſto, qui cum patre.

Oratio ad conſummandam chriſmatis benedictionẽ.

DOminator Domine Deus, rex vnctus, auctor vnguenti, ſpecioſus forma, ſpecioſior vnctione, ſacrator ipſe tuus, ipſe omnium conſecrator, qui vnguentum depoteſtate ſanctificas, poteſtatem conſecras de vnguento: de vnguento feciſti chriſma, de chriſmate nomen quod eſt ſuper omne nomen, vt in nomine iſto ſit regalis vnctio Chriſtianis: in tuo ergò nomine fiat hæc creatura iam chriſma, & habeatur vt chriſma, forma crucis, ſignum frontis, ſacri titulus bellatoris. In hoc chriſmate mulceatur auditus, purificetur viſus, odoratus ſuaueſcat, ſoporetur guſtus, tactus in trinitate ſit ſolidus, vt talibus ſtipendijs Domini milites decorati, atque ambroſio rore madidi, imperanti ſeruiant, non ſuadenti: & ſignati chriſmate ſancto, ſigniferi eſſe mereãtur cæleſtes. Per te Chriſte Ieſu ſaluator mũdi, qui viuis & regnas Deus, per omnia ſecula ſeculorum. Amen.

Ordo in nocte Paraſceues.

IN nocte Paraſceues temporariæ, id eſt, media nocte, paruum ligneum ſignum ſonetur. Collectis omnibus in eccleſia, non dicatur, Deus in adiutorium meum, nec Venite, ſed antiphona: Aſtiterunt reges terræ. Ad pſalmos non dicatur Gloria, nec finis ſubtrahatur. Verſus dicatur pleniter, non ſubtrahendo finem. Dicantur autem nouem pſalmi cum totidem reſponſorijs. Lectiones legantur tres de lamentationibus Hieremiæ prophetæ, ab eo loco vbi ait, Cogitauit Dominus diſſipare murum Sion: vſque, Miſericordiæ Domini multæ: cum pronunciatione Aleph. Tres de tractatu ſancti Auguſtini. de pſal. 63. Et tres de Apoſtolo, vbi ait ad Heb. cap. 5. Feſtinemus ingredi. Secunda lectio, Omnisinquam pontifex. Tertia, De quo grandis nobis ſermo eſt. Lector benedictionẽ non petat, nec finem ſolitum faciat, ſed de ipſa lectione finem faciat. Luminaria ad pſalmos ſingu-

ſingulos extinguantur. Deinde ſequuntur matutini. Ante Benedictus, non dicatur lectio, ſed verſus. Finito Benedictus, priuatim & ſub ſilentio dicantur preces & Kyrie eleiſon. Sic finiantur Matutini. Primam priuatim cantent eodem die, ſimiliter Tertiam, Sextam, Nonam, & Veſperam communiter in choro ſtantes, ſimiliter & Completam.

Ordo in die Paraſceues.

FEria ſexta Paraſceues, quæ & ſexta ſabbati dicitur, Miſſa non cantatur, ſed neque in ſabbato ſancto, vſque ad vigilias noctis. In ipſo autem die, hoc eſt, feria ſexta, hora quinta, deportatur lumen, vt ſuprà, ab archidiacono ſeu præpoſito, & illuminentur lampades ſeptem, vel (vt alius Ordo vult) illuminentur indè duę candelę ad altare vbi officium agitur. Conueniunt autem omnes eccleſiaſtici, necnon & laici, & procedit dominus epiſcopus, vel qui vicem illius tenuerit in eccleſia ſtatuta infra vrbem, non tamen in maiore eccleſia, vbi mos eſt ſalutiferam ſalutare crucem. Et præparent ſe presbyteri, & archidiaconus, & diaconi, vel cæteri, quantùm opùs eſt ad miniſtrandum domino pontifici ad Miſſam cum cantoribus & reliquis miniſtris, veſtibus quadrageſimalibus induti, ſcilicet, planetis fuſcis, non nudis pedibus: non enim licet presbyterum, diaconum, vel acolytum ad altare miniſtrare per nudos pedes. Procedentes itaque de ſacrario vſque ad altare abſque vllo cantu, proſtrato omni corpore in terram diutiùs, oratione cõpleta, atque oſculato altari, vadunt ad ſedem pontificis more ſolito. Et mittitur paruum linteum ſuper altare nudum de ſub Euangelio. Ante Euangelium verò non portentur candelæ vel incenſum. Et dũ veniens pontifex de ſacrario proceſſerit ante altare ad orandum ſuper oratoriũ, ſicut mos eſt, ſtatim vt ſurrexerit, cum ſilentio aſcendit ad ſedem. Quo ſedente, ſtatim vt annuerit archidiaconus ſubdiacono, ſubdiaconus aſcendit ad legendum, & legitur lectio prima in Oſeæ Prophetia: In tribulatione ſua manè conſurg. Et poſt lectionem cantatur canticum, Domine audiui: Cum quatuor verſibus ſuis. Et dicit pontifex, Oremus. *Diaconus*, Flectamus genua. *Poſtea*, leuate. Et dat orationem: Deus à quo & Iudas reatùs ſui pœnam. Qui tecum viuit. Deindè ſequitur altera lectio in Exodo: Dixit Dominus ad Moyſen & Aaron. Poſt quam ſequitur tractus. Qui habitat. Cantant hic aliqui Tractũ nuperrimè compilatum, Eripe me Domine ab homine malo. Quo finito, legitur abſque vlla ſalutatione, Paſſio Domini noſtri Ieſu Chriſti ſecundùm Ioannem: Egreſſus Ieſus trans Iordanem Cedron. Nec incenſum ibi portatur. Hac expleta, ſtatim duo diaconi nudant altare ſindone, quæ priùs fuerat ſub Euangelio poſita, in modum furantis. Aliqui verò antequam legatur paſſio Domini, prępparant ſindones duas ſibi inuicèm cohærentes, & in eo verſu, vbi legitur, Partiti ſunt veſtimenta mea ſibi, ſcindunt hincindè ipſas ſindones deſuper altare in modum furantis, & ſecum auferũt. Tunc venit pontifex ante altare, ſiue, vt in alio ordine legitur, tranſit in dexteram partem eccleſiæ infra thronum, & dicit: Oremus. Et diaconus, Flectamus genua. & orat diutiſſimè. Et Diaconus, Leuate. Et dicit orationes ſolennes ad Hieruſalem.

ORemus, dilectiſſimi nobis, in primis pro eccleſia ſancta Dei. Et cæteras per ordinem, ſicut in libro Sacramentorum continetur, ſicut ſuprà in quarta feria pronunciante diacono, *Flectamus genua*, niſi pro ludæis tantùm non flectantur genua.

Oremus. *Flectamus genua.*

Omnipotens ſempiterne Deus, qui gloriam tuam. *Leuate.* Per eundem.

Oremus & pro beatiſſimo Papa noſtro.

Oremus. *Flectamus.*

Omnipotens ſempiterne Deus, cuius iudicio. *Leuate.* Per Dominum.

Oremus pro omnibus epiſcopis.

Oremus, *Flectamus.*

Omnipotens ſempiterne Deus, cuius ſpiritu: *Leuate.* Per Dominum.

Oremus & pro Chriſtianiſſimo.

Oremus. *Flectamus.*

Omnipotens ſempiterne Deus, in cuius manu. *Leuate.* Per Dominum.

Oremus & pro catechumenis noſtris.

Oremus. *Flectamus*

Omnipotens ſempiterne Deus, qui eccleſiam tuam. *Leuate.* Per Dominum.

Oremus dilectiſſimi nobis.

Oremus. *Flectamus.*

Omnipotens ſempiterne Deus, mœſtorum conſolator. *Leuate.* Per Dominum.

Oremus & pro hæreticis.

Oremus. *Flectamus.*

Omnipotens ſempiterne Deus, qui ſaluas omnes. *Leuate.* Per

Oremus & pro perfidis Iudæis, vt Deus.

Oremus.

Omnipotens ſempiterne Deus, qui etiàm Iudaicam perfidiam. Per.

Oremus & pro Paganis, vt Deus.

Oremus. *Flectamus.*

Omnipotens ſempiterne Deus, qui non mortem peccatorum. *Leuate.* Per.

Subdiaconi autem ſtent retro altare, vertentes ſe ad altare, & ibi ſicut cæteri flectentes genua, non tamen terga vertentes altari. Quas vt finierit, omnes tacitè exeunt foràs.

Notandum verò eſt, quia in Romana eccleſia extinguitur totus ignis in hac feria hora ſexta, & reaccenditur hora nona.

Presbyteri verò eccleſiarum, ſiue de vrbe, ſeu de ſuburbanis, vadunt per eccleſias ſuas, vt hoc ordine hora nona cuncta vſque ad veſperum faciant, hoc tantùm mutantes, vt vbi pontifex nominat Apoſtolicum, ipſi nominent epiſcopum ſuum.

Ad veſperum verò tam in eccleſia, vbi pontifex

Universidad de Deusto
Biblioteca

tifex dicit orationem, quàm & in cæteris eccle- A
sijs presbyterorum: post orationes præparatur
crux ante altare, interposito spatio inter ipsam
& altare, sustentata hincindè à duobus acoly-
tis, posito ante eam oratio. In cuius laudem di-
citur, *Agios.* cum versibus istis:

Mich. 9 Num. 14.

POpule meus, quid feci tibi? aut in quo con
tristaui te? responde mihi. Quia eduxi te
de terra Aegypti, parasti crucem Saluato-
ri tuo.

*Agios ò theos, Agios ischyros, Agios athana-
tos, eleison imas.*

Sanctus Deus, sanctus fortis, sanctus & im- B
mortalis, miserere nobis.

Quia ego eduxi te per desertum quadraginta
annos, & manna cibaui te, & introduxi in terrã
satis bonã, parasti crucẽ Saluatori tuo. *Agios.*

Quid vltra debui facere tibi, & non feci? ego
quidem plantaui te vineam meam fructu de-
coram, & tu facta es mihi nimis amara: aceto
namque sitim meam potasti, & lancea perfora-
sti latus Saluatori tuo. *Agios,* & Sãctus, vt sup.

Canunt aliqui ad salutandam crucem etiam
hoc responsorium sancti Ambrosij, ex persona
sanctæ Mariæ: Vadis propitiator ad immolan-
dum pro omnibus: non tibi occurrit Petrus, C
qui dicebat, Pro te moriar: reliquit te Thomas,
qui clamabat, dicens: Omnes cum eo moria-
mur. & nullus de illis, sed tu solus duceris, qui
immaculatã me cõseruasti filius & Deus meus.
Vers. Venite & videte Deum & hominem pen-
dentem in cruce. Qui. Sequitur antiph. Ecce
lignum Crucis, in quo salus mundi pependit:
venite adoremus. Psal. Beati immaculati.

Interea venit pontifex solus, & adoratam de-
osculatur crucem. Deindè episcopi, presbyteri,
diaconi, ac cæteri per ordinẽ, deindè populus.

Oratio ad Crucem Domini in prima genuflexione.

DOmine Iesu Christe, Deus verus de Deo D
vero, qui pro redemptione generis huma
ni serpentina suasione decepti, mundum
erroribus implicatum illuminare, & crucis pa-
tibulum subire voluisti, vt & lignum ligno vin-
ceres, & peccati hæreditariam mortem, mor-
te potentissima superares; exaudi me miserum
& indignum prostratum ante oculos tuæ beni-
gnissimæ Maiestatis, & adorantem te, & benedi-
centem nomen tuum sanctum atque terribile,
& concede mihi te puro corde sapere, te lauda-
re, te prædicare, & per vexillum huius sanctæ
crucis, quam hodiè in tuo nomine adoraturus
aduẽni, mentem meam corpusque sanctifica, E
scuto fidei tuæ me circuntege, galeam salutis
mihi impone, gladio spiritali accinge, vt con-
tra hostem nequissimum bellaturus, & tuæ mu-
niar miserationis auxilio, & salutiferæ crucis
vexillo, cunctique tuo sancto nomine insigniti,
ab hostis perfidi sint incursione securi. Per te
Christe Iesu, qui viuis.

Oratio in secunda genuflexione

DEus qui Moysi famulo tuo in via squalen-
tis eremi serpentem æneum in media popu

li multitudine, ad liberandas lethali veneno in-
fectas animas, exaltare iussisti, vt si quis mortife-
ro vulnere afflictus, ad eum respiceret, & vene-
num exitiale euaderet, & optatæ salutis vitam
adipisceretur: significans teipsum futura longè
post curricula, pro tui salute plasmatis, crucis
extollendum patibulo: vt quos diabolus armis
inuidiæ captiuauerat, tua desiderabilis passio
ad patriam reuocaret, concede tam mihi misе-
ro & peccatori, quàm omnibus tuo cruore mer
catis, qui hodiè sanctam passionem tuam suppli
ces venerantur, lignumque vitæ adorant, vt dia
bolicas insidias te adiuuãte vincamus, & æternę
vitæ participes esse mereamur. Qui cum patre.

Oratio in tertia genuflexione.

DOmine Iesu Christe, qui nos per crucis
passionem hodierna die de diabolica ser
uitute liberasti, vt quo die hominem con
dideras, eodem & reformares: exaudi me mise-
rum & peccatorem coram hoc signaculo crucis
confitentem, & deprecantem, vt huius venera-
bilis & vitalis ligni tuitione munitus, & hostis
nequissimi ignea tela repellere, & ab inflictis
euacuare vulneribus, & ad vitam æternam va-
leam peruenire. Per te Saluator mundi, qui cũ
patre & spiritu sancto. Pontifex verò redit ad
sedem, vsquedum omnes salutẽt crucem. Nam
salutante pontifice vel populo crucem, cantatur
semper antiphona: Ecce lignum crucis, in quo
salus mundi pependit: venite adoremus. Cum
psal. 118. Beati immaculati in via. vt suprà.
item antiph. Crucem tuam adoramus Domi-
ne, & sanctam resurrectionem tuam laudamus
& glorificamus: ecce enim propter crucem ve-
nit gaudium in vniuerso mundo. Psal. Deus mi
sereatur nostri. Item antiph. Dum fabricator
mundi mortis supplicium pateretur in cruce,
Clamans voce magna tradidit spiritum: & ecce
velum templi diuisum est, monumenta aperta
sunt: terræmotus enim factus est magnus, quia
mortem filij Dei clamabat mundus se sustinere
non posse. Aperto ergò lancea militis latere
crucifixi Domini, exiuit sanguis & aqua in re-
demptionem salutis nostræ. O admirabile pre-
cium, cuius pondere captiuitas redempta est
mundi, tartarea confracta sunt claustra inferni,
aperta est nobis ianua regni. Vndè sup.

Crux fidelis, inter omnes
Arbor vna nobilis
Nulla silua talem profert
Fronde, flore, germine.
Dulce lignum, dulces clauos,
Dulce pondus sustinet.

Clero prosequente eumdem versum.

Pange lingua gloriosi
Prælium certaminis,
Et super crucis trophæo
Dic triumphum nobilem.
Qualiter Redemptor orbis
Immolatus vicerit. *Crux fid.*

De parentis protoplasti
Fraude factor condolens,

Quandò

Quando pomi noxialis
Morsu in mortem corruit,
Ipse lignum tunc notauit,
Mortis damna vt solueret. *Crux.*
Hoc opus nostræ salutis
Ordo depoposcerat,
Multiformis proditoris
Ars vt artem falleret:
Et medelam ferret inde,
Hostis vnde læserat. *Crux.*
Quandò venit ergò sacri
Plenitudo temporis,
Missus est ab arce patris
Natus, orbis conditor,
Atque ventre virginali,
Caro factus, prodijt. *Crux.*
Vagit infans inter arcta
Conditus præsepia:
Membra pannis inuoluta
Virgo mater alligat,
Et pedes, manus & crura
Stricta cingit fascia. *Crux.*
Lustra sex qui iam peracta,
Tempus implens corporis,
Se volente natus ad hoc,
Passioni deditus,
Agnus in crucis leuatur
Immolandus stipite. *Crux.*
Hìc acetum, fel, arundo,
Sputa, claui, lancea,
Mite corpus perforatur,
Sanguis vndè profluit:
Terra, pontus, astra, mundus,
Quo lauantur flumine. *Crux*
Flecte ramos arbor alta,
Tensa laxa viscera,
Et rigor lentescat ille,
Quem dedit natiuitas,
Et superni membra regis,
Miti tendas stipite. *Crux.*
Sola digna tu fuisti
Ferre precium secli:
Atque portum præparare
Nauta mundo naufrago,
Quem sacer cruor perunxit,
Fusus agni corpore. *Crux.*
Sit patri, natoq; summo
Gratia cum spiritu,
Sempiternæ Trinitati
Laus, salus & gloria,
Quæ creauit, quæ redemit,
Quæq; nos illuminat. *Crux.*

Istis verò versiculis in finem perductis, & cru
ce salutata, & in suo loco reposita, duo subdia-
coni & presbyteri duo priores intrant in sacra-
rium, vel vbi positum fuerit Corpus Domini,
quod pridiè remansit, ponentes illud in pate-
nã. Et subdiaconus teneat ante ipsos calicem cũ
vino non consecrato, & alter subdiaconus pate-
nam cum corpore Domini. Quibus tenẽtibus,
accipit vnus presbyter prior patenam, & alter
calicem, & defertur super altare nudatum. Tunc

A descendens pontifex ante altare, inclinat se, &
iterum eleuans, dicit: Oremus. Præceptis saluta
ribus moniti. Finita inanteà, Pater noster. Se-
quitur, Libera nos, quæsumus Domine, ab om-
nibus malis præteritis, præsentibus & futuris, &
intercedente beata & gloriosa semper virgine
Dei genitrice Maria, & beatis Apostolis tuis
Petro & Paulo atque Andrea, cũ omnibus san-
ctis, da propitius pacẽ in diebus nostris, vt ope
misericordiæ tuæ adiuti, & à peccato simus sem
per liberi, & ab omni perturbatione securi. Per
Dñm nostrum: Vsque, Per omnia secula seculo
rum. Cùm verò dixerint, Amen: sumit de sãcta,
B & ponit in calicẽ nihil dicens, nisi fortè aliquid
secretè dicere voluerit. Pax Domini, non dicit:
quia non sequuntur oscula circũadstantiũ. San-
ctificatur aũt vinum non consecratum, per san-
ctificatum panem, & cõmunicant oẽs cum silen
tio. Et sic expleta sunt vniuersa. Et post paululũ,
vesperos dicit vnusquisque priuatim, & sic va-
dunt ad mensam. *Ordo in nocte Sabbati sancti.*

IN sabbato sancto ad vigilias media nocte sur
gendum est, & similiter, vt in Parasceue fiunt
omnia. Dicantur nouem psalmi cũ respo sorijs.
Tres lectiones legãtur de lamentationibus Hie
remiæ prophetæ, sine pronunciatione Aleph, C
Beth, & reliquorum, ab eo loco vbi dicit: Mise-
ricordiæ Domini multæ, vsq; ad finem. Et tres
de Apostolo, vbi ait in epistola ad Hebræos,
Christus assistens pontifex. Secunda lectio, Vbi
enim testamentum. Tertia, Vmbram enim ha-
bens lex bonorum futurorum. Deindè legantur
homiliæ sanctorum Patrum, ad ipsum diem
pertinentes. Et in candelis accendendis vel ex-
tinguendis, sicut superiùs habetur.

*Item ordo de sabbato sancto in die: primùm qualiter
catechizantur infantes.*

SAbbati verò die sancto, ac solenissimo, pri
mo manè ornetur Ecclesia cum omnibus
vtensilibus suis. Post tertiam deniq; horã D
sabbati procedant ad Ecclesiam, qui baptizãdi
sunt, cũ patrinis & matrinis, & ordinetur ab aco
lyto per ordinem, sicut scripti sunt, masculi in
dexteram partem, fœminæ verò in sinistram: &
tunc, qui possunt, reddunt orationem Domini-
cam, & symbolum, siue patrini pro ipsis, atque
matrinæ eorum, qui eos susepturi sunt. Et fa-
ciens crucem sacerdos cum pollice in fronti-
bus singulorum, dicit: In nomine Patris, & Fi-
lij, & Spiritus sancti. Postea imposita manu su-
per capita singulorum, dicit hanc orationem
ad catechizandos infantes.

Nec te latet, Satanas, imminere tibi pœnas,
imminere tibi tormenta, imminere tibi diem
iudicij, diem supplicij sempiterni, diẽ qui ven-
turus est velut clibanus ardens, in quo tibi atq;
vniuersis angelis tuis æternus veniet interitus.
Proinde damnate atque damnande, da honorẽ
Deo viuo & vero, da honorem Iesu Christo fi-
lio eius, & Spiritui sancto, in cuius nomine atq;
virtute præcipio tibi, quicunq; es, spiritus immũ
de, vt exeas, & recedas ab hoc famulo Dei, N.

E quem

quem hodiè Dominus noster Iesus Christus ad
A suam sanctam gratiam & benedictionem, fontemq; baptismatis dono vocare dignatus est, vt fiat eius templum per aquã regenerationis in remissionem omnium peccatorũ: In nomine Domini nostri Iesu Christi, qui venturus est iudicare viuos & mortuos & seculum per ignem. Ipsa expleta, tangit presbyter singulorũ nares & aures de sputo oris sui, & dicit vnicuique ad aurẽ dexteram, Effeta, quod est, adaperire, in odorẽ suauitatis. Ad sinistram: Tu aũt effugare diabole, appropinquabit enim iudicium Dei. Posteà verò tãgit eis pectus, & interscapilium de oleo
B sancto crucem faciendo cum pollice, & vocatis nomine singulis, dicit: Abrenuncias Satanæ? Resp. Abrenuncio. Et omnibus operibus eius? Resp. Abrenuncio. Et omnibus pompis eius? Resp. Abrenũcio. Et ego te linio oleo salutis in Christo Iesu Domino nostro in vitam æternã. Resp. Amen. Hoc expleto, ambulat in circuitu imposita manu super capita eorum, decãtando excelsa voce: Credo in vnum Deum patrem, & reliqua. Deindè vertit se ad fœminas, & facit similiter. Posteà dicitur eis ab archidiacono: orate electi, flectite genua. Et post paululùm dicit, Leuate. Cõplete orationem vestram in vnum, &
C dicite, Amen. Et respondent oẽs, Amen. Iterùm admonẽtur ab archidiacono his verbis, catechumeni recedant. Si quis catachumenus est, recedat. Omnes catechumeni exeant foras. Iterùm dicat diaconus: Filij charissimi, reuertimini in locos vestros, expectantes horã qua possit circa vos Dei gratia baptismum operari.

Ipso die, hora septima, ingrediuntur sacratiũ Pontifex, sacerdotes, & leuitæ, & induũt se vestimentis solennissimis, cum quibus vigilias sanctas celebrare debent: diaconi dalmaticis, subdiaconi lineis aut sericis albis, & deportet prior mansionariorum in manu sua, vt possit ex eo cereus accendi. Et procedant simul omnes de sacrario foris basilicam ordinatim, & accenso cereo in loco mundo, pontifex siue presbyter, faciens super eum crucem, benedicit eum humili voce, ità vt à circunstantibus possit audiri: schola interim cantante septem psalmos pœnitentiæ, hoc modo incipiens: Dominus vobiscum. Resp. Et cum spiritu tuo. Oremus.

DEus mundi conditor, auctor luminis, siderum fabricator: Deus, qui iacentem mundum in tenebris, luce perspicua rete xisti; Deus, per quem ineffabili potentia omniũ claritas sumpsit exordium, te in tuis operibus inuocantes, in hac sacratissima noctis vigilia de donis tuis tuæ suppliciter offerimus Maiestati, non adipem carnis pollutum, non profana vnctione vitiatum, non sacrilego igne contactum: sed cera atque stuppa constructum, in tui nominis honore succẽsum, obsequio religiosæ deuotionis offerimus. Magnum igitur mysterium, & noctis huius mirabile sacramentum dignis necesse est laudibus cumulari, in quo Dominicæ resurrectionis miraculo diem sibi introductum tenebræ inueteratæ senserũt, & mors quæ olim fuerat æterna nocte damnata, in fonte veri fulgoris & lumine, captiuã se trahi dominicis triumphis obstupuit, & quod præuaricante protoplasto, tenebrosa præsumptione fuerat in seruitutem damnatũ, huius noctis miraculo, splendore libertatis irradiat. Ad huius ergò festiuitatis reuerentiam feruore spiritũs descendentes, quantum deuotio humana exigit, tibi fulgore flammarum placita luminaria exhibemus, vt dum hæc fide integra persoluũtur creaturæ tuæ etiàm præconia extollantur. Flammæ lux quippe dicenda est, per quam potestas deitatis Moysi apparere dignata est, quæ de terra seruitutis populo exeunti, salutifero lumine ducatũ exhibuit, quæ tribus pueris in camino sententia tyranni depositis, vitam blandimentis mollioribus reseruauit. Nam vt præcedẽte huius gratia luminis, tenebrarum horror excluditur: ita Domine lucescente maiestatis tuæ imperio, peccatorum sarcinæ diluũtur. Cùm igitur huius substantiæ miramur exordiũ, apum necesse est laudemus originẽ. Apes verò sunt frugales in sumptibus, in procreatione castissimæ. Aedificãt cellulas cereo liquore fundatas, quibus humanæ
C peritiæ ars magistra non coęquatur. Legunt pedibus flores, & nullum damnum floribus inuenitur. Partus non edunt: sed ore legentes, concepti fœtùs reddunt examina, sicut exemplo mirabili Christus ore paterno processit. Fœcunda est in his sinè partu virginitas, quam vtique Dominus sequi dignatus, carnalem se matrem habere virginitatis amore constituit. Talia igitur Domine digna sacris altaribus tuis munera offeruntur, quibus te lætari religio Christiana non ambigit. Qui viuis. *Alia.*

DOmine sancte, pater omnipotens, æterne, in nomine tuo, & filij tui Domini nostri
D Iesu Christi, & Spiritus sancti benedicimus hunc ignem, & eum cũ cera & omnibus ei⁹ alimonijs sanctificamus, & signo crucis Christi Iesu filij tui altissimi signamus, vt intùs vel foris accensus, non quod nocet incendat, sed omnia ad vsus hominum necessaria calefaciat siue illuminet, & quæ ex hoc igne fuerint cõflata vel calefacta, sint benedicta, & omni humanæ saluti vtilia, vt nõ cum Nadab & Abiu, ignem tibi offerentibus alienũ, incendamur, sed cum Aaron pontifice & filijs eius Eleazaro & Ithamaro, hostias tibi pacificas, sancti Spiritus igne assatas, immolare valeamus, & semper eiusdẽ Spiritus
E sancti igne vitia nostra vre, cordaq; luce scientiæ tuæ illumina, & animas nostras fidei calore clarifica. Per eundem Dominum nostrum Iesum Christum, in vnitate eiusdem.

Tunc accenditur ex eo cereus positus in arundine, & deportatur ab Episcopo seu abbate, vel præposito, & procedunt simul omnes de loco benedictionis in Ecclesiam cum ipso cereo silentiò nihil cantantes, prosequente eum omni populo, sicut suprà. Aliqui tamen hic cantant hymnum Prudentij.

VER-

VERSVS.

INuentor rutili dux bone luminis,
Qui certis vicibus tempora diuidis:
Merso sole chaos ingruit horridum,
Lumen redde tuis christe fidelibus.

Schola eundem versum prosequente.

Quamuis innumero sidere regiam,
Lunariq; polum lampade pinxeris,
Incussu silicis lumina nos tamen
Monstras saxigeno semine quærere. *Inuen.*
Ne nesciret homo spem sibi luminis
In Christi solido corpore conditam,
Qui dici stabilem se voluit petram,
Nostris igniculis vnde genus venit. *Inuen.*
Pinguis quos olei rore madentibus
Lychnis, ac facibus pascimus aridis,
Quin & fila fauis scirpea floreis,
Presso melle priùs collita fingimus. *Inuen.*
Viuax flamma viget, seu cana testula
Succum linteolo suggerit ebrio,
Seu pinus piceam fert alimoniam,
Seu ceram teretem stuppa calens bibit. *Inuen.*
Ores digna, Deus, quam tibi roscidæ
Noctis principio grex tuus offerat
Lucem, qua tribuis nil preciosius:
Lucem, qua reliqua præmia cernimus. *Inuen.*
Tu lux vera oculis, lux quoque sensibus,
Intùs tu speculum, tu speculum foris,
Lumen, quod famulans offero, suscipe
Tinctum pacifici chrismatis vnguine. *Inuen.*
Per Christum genitum sume pater tuum,
In quo visibilis stat tibi gloria.
Qui noster Dominus, qui tuus vnicus
Spirat de patrio corde paraclitum. *Inuen.*
Per quem splendor, honor, laus, sapientia,
Maiestas, bonitas, & pietas tua,
Regnum continuat numine triplici,
Texens perpetuis secula seculis. *Amen.*

D TVnc illuminentur ex eodem lumine septem lampades ante altare, quæ tamen priùs sine lumine erunt, ità compositæ, vt absque vllo impedimento possint accendi. Cereus verò magnus, qui benedicendus est, ponitur in candelabro ante altare in medio ecclesię, congregato hincindè omni clero seu populo.

Deindè veniens archidiaconus facit crucem in eo, & illuminat illum de nouo igne, & humiliter inclinatus, rogat vnum de sacerdotibus vel leuitis, qui ibidèm reueriti adstant, pro se orare, atque vt surrexerit, completur ab eo benedictio cerei prima, quasi in modum legentis ità:

E *Benedictio cerei.*

EXultet iam angelica turba cælorum, Exultent diuina mysteria, & pro tanti regis victoria, turba insonet salutaris. Gaudeat se tellus tãtis irradiatã fulgoribus, & æterni regis splendore illustrata, totus orbis se sentiat amisisse caliginem. Lætetur & mater Ecclesia, tanti luminis adornata fulgoribus, & magnis populorũ vocibus hæc aula resultet. Quapropter adstantes vos fratres charissimi, ad tam miram sancti huius luminis claritatẽ, vnà mecum quæso Dei
A omnipotentis misericordiam inuocate, vt qui me nõ meis meritis intra leuitarum numerum dignatus est aggregare, luminis sui gratiã infundendo, cerei huius laudem implere præcipiat. Per Dominum nostrum Iesum Christum filium tuum, qui cum eo viuit & regnat Deus in vnitate Spiritũs sancti.

Posteà dicit ipse archidiaconus eleuata in altũ voce: Per omnia secula seculorũ. Resp. Amẽ. Dominus vobiscum. Resp. Et cum spiritu tuo Sursum corda. Resp. Habemus ad Dominum. Gratias agamus Domino Deo nostro. Resp. Dignum & iustum est. Indè verò accedit in consecrationem cerei, decantando quasi canonem ità:

B Verè dignum & iustum est, inuisibilem Deũ omnipotentem, Patrem, Filiumq; eius vnigenitum, Dominum nostrum Iesum Christum, toto cordis ac mẽtis affectu, & vocis ministerio personare: qui pro nobis æterno Patri Adę debitũ soluit, & veteris piaculi cautionem pio cruore detersit. Hæc sunt enim festa paschalia, in quibus verus ille agnus occiditur, eiusq; sanguine postes cõsecrantur. Hæc nox est, in qua primùm patres nostros filios Israel eduxisti de Aegypto,
C quos posteà rubrũ mare sicco vestigio transire fecisti. Hæc igitur nox est, quæ peccatorũ tenebras columnæ illuminatione purgauit. Hæc nox est, quæ hodiè per vniuersum mundum in Christo credentes à vitijs seculi, & caligine peccatorum segregatos, reddit gratiæ, sociatq; sanctitati. Hæc nox est, in qua destructis vinculis mortis, Christus ab inferis victor ascendit. Nihil enim nobis nasci profuit, nisi redimi profuisset. O mira circa nos tuæ pietatis dignatio. O inæstimabilis dilectio charitatis: vt seruum redimeres, filiũ tradidisti. O beata nox, quæ sola meruit scire tempus & horam, in qua Christus ab inferis resurrexit. Hæc nox est, de qua scriptum est: Et nox vt dies illuminabitur, & nox illuminatio mea in delicijs meis. Huius igitur sanctificatio noctis fugat scelera, culpas lauat, &
D reddit innocentiam lapsis mœstis lętitiã. Fugat odia, cõcordiam parat, & curuat imperia. In huius igitur noctis gratia, suscipe sancte pater incensi huius sacrificium vespertinũ, quod tibi in hac cerei oblatione solenni per ministrorũ manus de operibus apum sacrosancta reddit Ecclesia. Sed iam columnæ huius prœconia nouimus, quam in honorem Dei rutilans ignis accendit: Qui licèt sit diuisus in partes, mutuati luminis detrimenta non nouit. Alitur liquentibus ceris, quas in substantiam precioſę huius lampadis apes mater eduxit. O verè beata nox, quæ exposuit Aegyptios, ditauit Hebræos: nox in qua terrenis cęlestia iunguntur. Oramus te nomine, vt cereus iste in honore nominis tui consecratus, ad noctis huius caliginem destruendam indeficiens perseueret, atque in odorem suauitatis acceptus, supernis luminaribus misceatur. Flammas eius lucifer matutinus inueniat: Ille, inquam, lucifer, qui nescit occasum: Ille, qui regressus ab inferis, humano generi sere-

Universidad de Deusto
Biblioteca

nus illuxit. Precamur ergò te Domine, vt nos famulos tuos, omnem clerum, & deuotissimum populum, vnà cum beatissimo Papa nostro N. & gloriosissimo rege nostro N. eiúsq; nobilissima coniuge N. necnon & antistite nostro in his paschalibus gaudijs conseruare digneris. Per eundem Dominum nostrum Iesum Christum filium tuum, qui tecum viuit & regnat Deus in vnitate Spiritùs sancti, Per omnia secula seculorum. Amen. Cereo benedicto, ilicò illuminentur ab eodē in duobus candelabris alij duo cerei staturam hominis habentes, & de ipso nouo & benedicto igne accendunt in omni domo, quia omnis ignis anterior, qui tùc ardebat, extingui debet. Et hic ordo cerei benedicendi in forensibus ciuitatibus agitur. Nā in catholica ecclesia infra ciuitatem Romanā non sic benedicitur: sed manè primo sabbato sancto venit archidiaconus in ecclesiam, & fundit ceram in vas mundum maius, & miscitat ibidèm oleum, & benedicit ceram, & ex ea fundit similitudinem agnorum, & seruat eos in loco mundo.

Benedictio cerei.

BEnedic Domine Iesu Christe hanc creaturam ceræ supplicātibus nobis, & infunde ei per virtutē sanctæ crucis tuæ benedictionem cęlestem, vt qui cā ad repellēdas tenebras humano generi tribuisti, talē signaculo sanctæ crucis tuæ fortitudinem & benedictionē accipiat, vt in quibuscunque locis accensa siue posita fuerit, discedat diabolus & contremiscat, & fugiat pallidus, cum omnibus ministris suis de habitationibus illis, nec præsumat amplius inquietare vel illudere seruientes tibi. Qui cum Deo patre. *Alia.*

BEnedico te cera in nomine sanctæ Trinitatis, vt sis vbique diaboli effugatio, atque omnium contubernaliū suorum exterminatio, adiuuante eadem sancta & indiuidua Trinitate, quæ in vnitatis essentia viuit & regnat Deus. In octaua verò Paschæ, dantur ipsi agni ab archidiacono in ipsa ecclesia post Missam & communionem populo, & ex eis faciunt incensum accendi ad suffumigandum in domibus suis pro quacunque tribulatione eis euenerit necessitas. Similiter & in forensibus ciuitatibus de cereo faciunt. Qui cereus per octo dies neophytorum præcedit pontificem, qui est caput populi. Cùm aūt pontifex siue presbyter fuerit paratus, expectet clerus in ordine suo in choro vsq; dùm eis iussum fuerit obuiàm illi venire, vt in ecclesiā intret: eoque veniente ad sedem suā, vel si in sacrario sedere voluèrit, alius presbyter dicat orationes ad altare per lectiones. Anteàverò quàm legantur lectiones, accipiant duo notarij suprà scriptos cereos accēsos, & teneant illos, vnus in dextro cornu altaris, alter in sinistro vsque ad fontes. Deindè ascendens lector in ambonem legere, nō pronunciat, Lectio libri Genesis: sed sic inchoat, In principio creauit Deus cælum & terrā, planè. Et omnes alias lectiones similiter inchoat. Et ante, In principio, non dicit Episcopus orationem. Ea perlecta, dicit Episcopus aut presbyter absq; salutatione, Oremus. Et diaconus nō dicit, Flectamus genua. Sequitur oratio:

Deus, qui mirabiliter creasti hominem, & mirabiliùs redemisti, da nobis quæsumus contra oblectamenta peccati, mētis ratione persistere, vt mereamur ad gaudia æterna peruenire. Per. Sequitur lectio secunda de lib. Exodi. Factū est in vigilia matutina. Posteà canticū, Cantemus Domino. Sequitur sacerdos & dicit: Oremus: Deus, cuius antiqua miracula etiām. Deindè tertia lect. Esaiæ prophetę. Apprehendent septē mulieres virum vnum. Sequitur Cant. Vinea facta est. Dicit sacerdos, Oremus: Deus qui nos ad celebrandum paschale sacramentum. Sequitur lect. quarta Esaiæ prophetæ. Hæc est hæreditas Domini. Cant. Attende cælū. Sequitur oratio: Deus qui ecclesiam tuam per gentiū vocationem. Cant. Sicut ceruus. Sequitur oratio: Concede, quæsumus, omnipotens Deus, vt qui festa paschalia agimus.

Alia oratio de eodem psalmo: Omnipotens sempiterne Deus, respice propitius ad deuotionem.

Interim aūt dum lectiones leguntur, presbyteri catechizent infantes, qui non sunt catechizati, & præparent ad baptizandum. Expletis aūt lectionibus vigiliarum Paschæ per ordinē cum canticis ad ipsum diem pertinentibus & cum reliquo officio, statim venientes duo acolyti, tenētes ampullas in manibus suis de chrismate & oleo sancto coopertas, & stantes in dextro cornu altaris, procedunt pontifici siue presbytero obuiàm, pergēti ad fontes: Secundus verò scholąs, tenet vas aureū in manu sua sinistra super planetā, vnde pontifex mittat chrisma in fontem. Tunc deindè schola descendit ad fontes ad litaniam faciendam, expectantes pōtificem, & iussi faciunt litaniam septenā. Deindè procedit pontifex de ecclesia benedicēdo cum omni decore & ordine sacerdotum, cum litania quina, prosequente eū clero, vel populo vsq; ad fontes, sustētatus à duobus diaconibus præcedentibus ante eū notarijs cum duobus cereis ardentibus, qui antè fuerant illuminati, staturam hominis habētibus in altū, cū thuribulis & thymiamatibus. Et illi duo cerei vel cereostata illo die semper ante ipsum præcedunt vsq; dum omnia fuerint finita. Et vt ventum fuerit ad Agnus Dei, sēper illud cantant, vsquedùm pontifex quidē annuit eis vt sileant. Expleta aūt litania ante fontem, adstante omni clero vel populo in circuitu fontis, facto silentio, benedicturus fontem hora iam nona, vt mos est, dicit pontifex orationem Dominicam:

Pater noster qui es in cælis, sanctificetur nomen tuum: Adueniat regnum tuum: Fiat voluntas tua sicut in cælo & in terra. Panem nostrum quotidianum da nobis hodie: Et dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris: Et nè nos inducas in tentationem, Sed libera nos à malo. Amen.

Credo

Credo in Deum patrem omnipotētem, creatorem cæli & terræ: & in Iesum Christum filium eius vnicum, Dominum nostrum: qui cōceptus est de Spiritu sāncto, natus ex Maria virgine: Passus sub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus, & sepultus: descendit ad inferna, tertia die resurrexit à mortuis: ascendit ad cælos, sedet ad dexteram Dei Patris omnipotentis: indè venturus est iudicare viuos & mortuos. Credo in Spiritum sanctum, Sanctam ecclesiam catholicam: Sanctorum cōmunionē, Remissionem peccatorū, Carnis resurrectionem, & vitam æternā. Amen.

Quo finito, istum dicat versum: Quoniam apud te est fons vitæ. Resp. Et in lumine tuo. Deinde, Dominus vobiscum. Quod nusquàm aliàs in isto officio dicendum est. Respons. Et cum spiritu tuo. Oremus.

Omnipotens sempiterne Deus, adesto magnæ pietatis tuæ mysterijs, adesto sacramentis, & ad creandos nouos populos, quos tibi fons parturit, spiritum adoptionis emitte, vt quod nostræ humilitatis gerendum est ministerio, virtutis tuæ impleatur effectu. Per.

Item aliam quasi præfationem decantet.

Deus qui inuisibili potentia sacramentorum tuorum mirabiliter operaris effectum, & licèt nos tantis mysterijs exequendis simus indigni, tu tamen gratiæ tuæ dona non deserens, etiàm ad preces nostras aures tuæ pietatis inclinas. Deus cuius spiritus super aquas inter ipsa mundi primordia ferebatur, vt iam tunc virtutē sanctificationis aquarum natura cōciperet: Deus, qui nascētis mundi crimina per aquas abluens, regenerationis speciē in ipsa diluuij effusione signàsti. vt vnius eiusdemq; elementi mysterio, & finis esset vitijs, & origo virtutibus: respice Domine in faciem Ecclesiæ tuæ, & multiplica in ea regenerationes tuas, qui gratiæ tuæ affluētis impetu lætificas ciuitatem tuam, fontemq; baptismatis aperis toto orbe terrarum gentibus innouandis, vt tuæ maiestatis imperio sumat vnigeniti tui gratiam de Spiritu sancto.

Hic primam crucem faciat cum manu sua, diuidens aquas in modum crucis.

QVi hanc aquam regenerandis hominibus præparatam, arcana sui luminis admixtione fœcundet, vt sanctificatione concepta ab immaculato diuini fontis vtero, in nouam renata creaturam, progenies cęlestis emergat, & quos aut sexus in corpore, aut ætas discernit in tempore, omnes in vnam pariat gratia mater infantiam. Procùl ergò hinc, iubente te Domine, omnis spiritus immūdus abscedat, procul tota nequitia diabolicæ fraudis absistat: Nihil hic loci habeat contrarię virtutis admixtio, nō insidiando circumuolet, non latendo surripiat, non inficiendo corrūpat. Sit hæc sancta & innocēs creatura, libera ab omni impugnatoris incursu, & totius nequitiæ purgata discessu. Sit fons viuus, aqua regenerās, vnda purificās, vt oēs hoc lauacro salutifero diluēdi, operāte in eis Spiritu sancto, pfectæ purgationis indulgētiā cōsequātur.

Hìc secundam crucem faciat.

VNdè benedico te creatura aquæ per Deū viuum, per Deum sanctum, qui te in principio verbo separauit ab arida, cuius spiritus super te ferebatur, qui te de paradiso manare, & in quatuor fluminibus totam terram rigare præcepit, qui te in deserto amaram suauitate indita fecit esse potabilem, & sitienti populo de petra produxit.

Hìc tertiam crucem faciat.

BEnedico te & per Iesum Christum filium eius vnicum Dominum nostrum, qui te in Chana Galilææ signo admirabili sua potentia conuertit in vinum, qui pedibus super te ambulauit, & à Ioanne in Iordane in te baptizatus est, qui te vnà cum sanguine de latere suo produxit, & discipulis suis iussit, vt credentes baptizarentur in te, dicens: Ite, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritùs sancti. *Hìc mutat vocem.*

HAec nobis præcepta seruantibus tu Deus omnipotens clemens adesto, tu benignus adspira, tu has simplices aquas tuo ore benedicito, vt præter naturalem emundationem, quam lauandis possunt adhibere corporibus, sint etiā purificandis mētibus efficaces. *Hìc deponitur cereus benedictus in fontem, & Sacerdos dicat celsa voce.*

DEscendat in hanc plenitudinē fontis virtus Spiritùs tui, totamq; huius aquæ substantiam regenerandi fœcundet effectu. *Hìc tollitur cereus.* Hic omnium peccatorum maculæ deleātur, hìc natura ad imaginem tuā cōdita, & ad honorē sui reformata principij, cūctis vetustatis squaloribus emūdetur, vt omnis homo hoc sacramētū regenerationis ingressus, in veræ innocentiæ nouam infantiā renascatur. Per Drīm nostrum, qui venturus. His omnibus expletis, in præsentia cleri subdiaconus sumens vas aureum, vndè mittitur chrisma in fontem, & effundēs in id de ampullis vtrisq;, id est, de oleo sancto atq; de chrismate, donat diacono, & ille pōtifici. Pōtifex verò fundit chrisma de vasculo aureo intra fontē super ipsam aquā in modum crucis, dicēs lenta voce: Sanctificetur & fęcūdetur fons iste renascētibus ex eo in vitā ęternā. Et cū vase aureo miscitat ipsum chrisma cū aqua, & spargit cū manu sua per oēm fontē, vel super omnem populū circunstantē. Hoc facto, omnis populus, qui voluerit, accipiat benedictionem, vnusquisq; in vase suo de ipsa aqua, ante quàm ibi baptizētur paruuli, ad spargēdū in domibus, & vineis, & cāpis, vel fructibus suis. Deindè pontifex baptizet vnū, aut duos, vel quantum ei placuerit, de ipsis infantibus: Et tenēte eo infantē, à quo suscipiendus est, interrogat pontifex ità: Quis vocaris? Respondet ille. Item interrogat pontifex: Credis in Deum patrē omnipotentē, Creatorē cęli & terræ? Resp. Credo. Ité: Credis & in Iesum Christū filium eius vnicum Dominum nostrum, natum & passum? Resp. Credo. Ité: Credis & in Spiritum sanctum, sanctam Ec-

Universidad de Deusto
Biblioteca

cleſiam catholicam, Sanctorum cõmunionem, remiſſionem peccatorum, carnis reſurrectionẽ, & vitam æternam? Reſp. Credo. Interrog. Vis baptizari? Reſp. Volo. Tunc accipit eum, & dicit: Et ego baptizo te in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti. Et reddit eum patrinis vel matrinis.

Deindè presbyteri aut diaconi, etiàm ſi neceſsè fuerit, & acolyti, induẽtes ſe veſtibus mundis vel candidis, ingrediuntur in fontem intrò in aquam & baptizãtur primò maſculi, deindè fœminæ, ſub hac interrogatione: Quis vocaris? Reſp. ille, vel illa. Credis in Deum Patrem omnipotentem, creatorem cæli & terræ? Reſpon. Credo. Credis & in Ieſum Chriſtum filium eius vnicum Dominum noſtrum, natum & paſſum? Reſp. Credo. Credis & in Spiritum ſanctum, ſanctam Eccleſiam catholicã, Sanctorum communionem, remiſſionem peccatorum, carnis reſurrectionem, & vitam æternam? Reſp. Credo. Vis baptizari? Reſp. Volo. Et acceptis infantibus à parentibus vel patrinis eorum, baptizant eos ſub trina merſione, tantùm ſanctam Trinitatem ſemel inuocantes, ità dicendo: Et ego baptizo te in nomine Patris. Et mergit ſemèl. Et Filij. Et mergit iterùm. Et Spiritus ſancti. Et mergit tertiò.

Vt autem ſurrexerint à fonte, illi qui eos ſuſcipiunt, leuãtes ipſos infantes in manibus ſuis, offerunt eos vni presbytero. Ipſe verò presbyter facit de chriſmate crucem cum pollice in vertice eorum, ità dicendo:

Deus omnipotens, pater Domini noſtri Ieſu Chriſti, qui te regenerauit ex aqua & ſpiritu ſãcto, quique dedit tibi remiſſionem omniũ peccatorum, ipſe te linit chriſmate ſalutis in Chriſto Ieſu Domino noſtro in vitam æternam. Reſp. Amen. Et ſint parati qui eos ſuſcepturi ſunt, cum linteis in manibus eorum, & accipiãt ipſos à pontifice & presbyteris vel diaconibus qui eos baptizant.

Pontifex ergò egreditur à fonte in ſacrariũ, habens ibi compoſitam ſedem, vel in eccleſia, vbi voluerit, & ſedeat in ea, vt cũ veſtiti fuerint infantes, confirmet eos. Et deportantur ipſi infantes ante eum, & dat ſingulis ſtolam candidam, & chriſmale, & decem ſiliquas, dicens: Accipe veſtem candidam & immaculatam, quam perferas ante tribunal Domini noſtri Ieſu Chriſti in vitam æternam. Pax tibi. Reſp. Amen. Et ſic veſtiuntur. Induti verò ordinantur per ordinem, ſicut ſcripti ſunt, in circuitu, & infantes quidem in brachijs dextris tenentur: maiores verò pedem ponunt ſuper pedem patrini ſui. Interim ſchola iuſſa facit litaniam ad fontem ante altare, primò ſeptenam, & ſpatio facto, faciunt alteram quinam. ità enim inchoatur. Stat primicerius vnus in dextro choro, & dicit cum ipſo Kyrie eleiſon, & reſpondet ſecundicerius cum ſiniſtro choro, kyrie eleiſon, vſque ter. Deindè Chriſte eleiſon, vſque ter. hoc ſunt ſeptem vices repetitæ, vndè & ſeptenæ dicuntur. Poſt hæc, Chriſte audi nos, vſque ſeptiès, & ſic per ordinem. Hoc ordine, interuallo facto, ſequuntur, vt prædictum eſt, litaniæ quinæ, id eſt, quin quiès repetitæ. Pontifex verò veniens ad infantes, tenente archidiacono chriſma, inuolutis ſcapulis & brachijs ex panno lineo, eleuata & impoſita manu ſuper capita omnium, det orationem ſuper eos, cum inuocatione ſeptiformis gratiæ Spiritus ſancti.

ORATIO.

OMnipotens ſempiterne Deus, qui regenerare dignatus es hos famulos & has famulas tuas ex aqua & ſpiritu ſancto, quique dediſti eis remiſſionem omnium peccatorum, emitte in eos ſeptiformem ſpiritum tuum ſanctum paraclitum de cælis, Amen. Spiritum ſapientiæ & intellectus. Amen: Spiritum conſilij & fortitudinis, Amen: Spiritum ſcientiæ & pietatis, Amen: Adimple eos ſpiritu timoris tui. Amen: Et conſigna eos ſigno crucis Chriſti, in vitam propitiatus æternam. Per. Amen. Oratione expleta, interrogantibus diaconibus nomina ſingulorum, Pontifex tincto pollice in chriſmate; faciat crucem in frontibus ſingulorum, ità dicendo: Confirmo te in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti. Reſp. Amen. Pax tecum. Reſp. Et cum ſpiritu tuo. Iterùm, confirmatis omnibus, dicit hos verſus: Eccè ſic benedicetur homo qui timet Dominum. Benedicat vobis Dominus ex Sion, vt videatis bona Hieruſalem omnibus diebus vitæ veſtræ. Cuſtodiat vos Dominus in timore ſuo ſanctiſſimo, qui viuit & regnat Deus in ſecula ſeculorum. Reſp. Amen. Pax vobiſcum. Reſp. Et cum ſpititu tuo.

Item oratio poſt Confirmationem.

DEus qui Apoſtolis tuis ſanctum dediſti ſpiritum, & per eos eorumque ſucceſſores cæteris fidelibus tradendum eſſe voluiſti, reſpice propitius ad humilitatis noſtræ famulatum; & præſta, vt eorum corda, quorum frontes ſacro chriſmate deliniuimus, & ſigno crucis deſignauimus, idem Spiritus ſanctus adueniens, templũ gloriæ ſuæ dignanter habitãdo perficiat. Per. in vnitate eiuſdẽ Spiritus ſancti.

Hoc autem omninò præcauendum eſt, vt nõ negligatur, quia tunc omne baptiſmum legitimum Chriſtianitatis nomine cõfirmatur. Quibus expletis, iuſſi incipiunt in eccleſia litaniam tertiam, trinam, ordine ſuprà ſcripto, & campanæ tanguntur, & ingrediuntur ad Miſſam. Et cùm dixerint, Agnus Dei, magiſter ſcholæ dicit excelſa voce: Accendite. Tunc primùm illuminantur omnes cerei neophytorum, quas manibus tenent, & illuminatur eccleſia. Ea verò quæ ſequuntur, id eſt, Chriſte audi nos, & kyrie eleiſon tam diú debent moroſè repeti, vt miniſtri queant procedere. Nam miniſtri ità debent eſſe præparati ante oſtium ſacrarij, vt cùm magiſter ſcholæ dixerit: Accendite, abſque mora procedant ad altare. Et procedit pontifex de ſacrario cum ingenti decore, cum thymiamaterijs, & duobus cereis vndè ſuperiùs diximus, & ſtant

ſtant ſicut anteà à dextris & à ſiniſtris altaris. Litania expleta, dicit pontifex: Gloria in excelſis Deo. Quo finito, dicit: Pax vobiſcum. Reſp. Et cum ſpiritu tuo, Oremus.

Deus qui hanc ſacratiſſimam noctem gloria Dominicæ reſurrectionis illuſtras, conſerua in noua familiæ tuæ progenie adoptionis ſpiritum, quem dediſti, vt corpore & mente renouati, puram tibi exhibeant ſeruitutem. Per. Deinde lect. Si conſurrexiſtis cũ Chriſto. Allel. Confitemini Domino. vel Reſp. Laudate Dominum. Euang. Veſpere autem ſabbati. Ante Euangelium non portent lumen in ipſa nocte, ſed tantùm incenſum. Nec cãtent offertorium, neque Agnus Dei, nec communionem, ſed Miſſam per ordinem, & Pater noſter. Vſque, Pax Domini ſit ſemper vobiſcum. Et oſculum pacis inter ſe non faciunt. Poſtquam omnes communicauerint, dicitur oratio ad complendum. Deinde dicit diaconus: Ite, Miſſa eſt, ſecundùm Romanum ordinem: ſed vſus Eccleſiæ, non vult hoc propter veſperos. In hac nocte de veſpertinali ſynaxi apud Romanos nihil agitur, neque ante Miſſam, neque poſt Miſſam. Apud nos autem vnus de ſchola cui iuſſum fuerit, pro antiphona incipit Alleluia ad veſperum. Et dum communicauerint, cantatur pro veſpera feſtinanter pſalmus, Laudate Dominum omnes gentes. Ante Magnificat verò lectio non dicitur, vel verſus, ſed Antiph. Veſpere autem ſabbati. Finito Magnificat, dicat ſacerdos hãc orationẽ.

DEus, qui renatis ex aqua & ſpiritu ſancto cæleſtis regni pandis introitum, auge ſuper famulos tuos gratiam, quam dediſti, vt, qui ab omnibus ſunt purgati peccatis, à nullis priuentur promiſſis. Per. Illud autem de paruulis, prouidendum eſt, nè poſtquam baptizati fuerint, vllum cibum accipiant, neque lactentur ſinè ſumma neceſſitate, antequam cõmunicent ſacramento corporis Chriſti. Et poſteà per totam hebdomadam Paſchæ omnibus diebus ad Miſſam veniant, & parentes eorum pro ipſis offerant & communicent. Item ipſa die diurnalẽ curſum ſeparatim canũt. Tunc finitis omnibus deſcendat pontifex cum omni decore vſque in cubiculum ſuum cum pace & gaudio. Eodem die dominus Papa, & cæteri Romani oua manducant & formaticum, id eſt, caſeum.

Benedictio caſei in eodem ſabbato.

DIgnare Domine omnipotens benedicere & ſanctificare hanc creaturam caſei, quam ex adipe animalium producere dignatus es, vt quicũque ex populis ſuis fidelibus indè comederint, omni benedictione cęleſti, & gratiæ tuæ ſaturitate repleantur in bonis. Per.

Item in monaſterijs quomodo fiat in ſabbato ſancto.

VBi autem baptiſmum non fit, aqua benedicatur à ſacerdote, & ſpargatur in omni domo. Poſteà vt ordo eſt, ſicut manifeſtatur in ſacramentorum codice, ſic cantent: Et vt finierint, abſque vllo cantu reuertantur in ſacrarium. Poſtea ingrediantur ad veſperum. Poſteà modico interuallo, vt fuerit prima ſtella in cælo viſa ſonant ſigna, & incipiunt canere litaniam ad introitum, & ſtatim cum magno decore cum ſeptem candelabris & cereis, cum incenſo & thuribulis procedit ſacerdos, canentibus interim clericis litaniam. Poſtquàm finièrint, dicit ſacerdos, Gloria in excelſis Deo: Poſteà dicit orationem, & legitur Apoſtolus. Hiè autẽ ſupraſcriptus ordo baptiſmi ſicut in hoc ſabbato Paſchæ, ſic & in ſabbato Pentecoſtes omnimodis celebretur.

Ordo in vigilia ſancti Paſchæ in nocte.

IN vigilia Reſurrectionis Domini ante mediam noctem populus non eſt dimittendus de eccleſia, iuxta canonum ſanctiones. In ipſa nocte matutina luce rumpente tenebras, ſurgentes, in eccleſiam veniunt, & mutua charitate ſe inuicem oſculantes, dicant: Surrexit Dominus de ſepulcro. Deindè dicit: Domine labia mea aperies, Et os meum annunciabit laudem tuam. Deus in adiutorium meum intende. Super Venite, dicunt: Alleluia, de antiph. Præoccupemus faciem Domini. Sequuntur tres pſalmi cum antiphonis: Ego ſum qui ſum. Pſalm. Beatus vir. Antiph. Poſtulaui. Pſal. Quare fremuerunt. Antiph. Ego dormiui. Pſalm. Domine, quid multipli. Sequuntur lectiones tres de homilijs ſanctorũ patrum, ad ipſum diem pertinentes cum reſponſorijs. Sequitur Matutina cum antiph. Infra albas Paſchæ ſuper Venite, dicitur antiph. Surrexit Dominus verè. Et tres Pſalmos per nocturnum imponunt per ſingulas noctes, & ſic per omnes pſalmos cantatur Alleluia, vſque in octauas Paſchæ, hoc ordine. Feria ſecunda. Pſal. Cùm inuocarem. Pſalm. Verba mea. Pſal. Domine nè in furore tuo. Feria tertia. Pſal. Domine Deus meus. Pſal. Domine dominus noſter. Pſal. in Domino confido. Feria quarta. Pſal. Saluum me fac Domine. Pſal. Vſque quò Domine. Pſal. Dixit inſipiens. Feria quinta. Domine quis habitat. Pſal. Cõſerua me. Pſal. Exaudi Domine. Feria ſexta. Cæli enarrant. Pſal. Exaudiat te. Pſal. Domine in virtute. Sabbato. Domini eſt terra. Pſal. Ad te Domine leuaui. Pſalm. Iudica me Domine, quoniam. Item à Paſcha vſque ad octauas ad nullum curſum cantatur reſponſorius, nec lectio recitatur: ſed pro verſu & reſponſorio cantatur reſponſorius gradualis. Hæc dies. Et de Alleluia tantùm prima.

Item ordo in die ſancto Paſchæ.

DIe ſancto Paſchæ induti ſolenniſſimis veſtimentis, omnes clerici cõuenientes ad ſtationem ad ſanctam Mariam maiorẽ, primitus cantent Tertiam. Qua finita, reſperſi aqua ſancta, quæ pridiè collecta eſt de fonte, tã ipſi, quàm & omnis populus, procedunt cum omni decore, cum crucibus & thymiamaterijs, præcedentibus etiàm ſanctis Euangelijs, cantantes antiphonas proceſſionales.

Anti-

Universidad de Deusto
Biblioteca

Antiphona ad Processiones.

IN die resurrectionis meæ, dicit Dominus, alleluia, congregabo gentes, & coligã regna, & effundam super vos aquam mundam, Alleluia alleluia. Vidi aquam egredientem de templo à latere dextro, alleluia: & omnes, ad quos Peruenit aqua ista, salui facti sunt, & dicent, alleluia, alleluia. *Alia.*

Cùm rex gloriæ Christus infernum debellaturus intraret, & chorus angelicus ante faciem eius portas principum tolli præciperet, sanctorum populus qui tenebatur in morte captiuus, voce lachrymabili clamauerat: Aduenisti desiderabilis, quem expectabamus in tenebris, vt B educeres hac nocte vinculatos de claustris: Te nostra vocabant suspiria, te larga requirebant lamẽta: tu factus es spes desperatis, magna consolatio in tormentis, alleluia.

Cum versibus istis in laudem sancti Paschæ:

Salue. *Salue festa dies, toto venerabilis æuo,*
Qua Deus infernum vicit, & astra tenet.
Ecce renascentis testatur gratia mundi,
Omnia cum Domino dona rediisse suo. *Salue.*
Namq; triumphanti post tristia tartara Christo,
Vndiq; fronde nemus, gramina flore fauent. *Salue.*
Legibus inferni oppressis, super astra meantem
Laudant ritè Deum lux, polus, arua, fretũ. *Salue.*
Qui crucifixus erat Deus, ecce per omnia regnat:
Dantq; creatori cuncta creata precem. *Salue;*
Nobilitas anni, mensũm, lux, alma dierum,
Horarum splendor, stridula cuncta fauẽt. *Salue.*
Christe salus rerum, bone conditor, atq; redemptor,
Vnica progenies ex Deitate Patris: *Salue.*
Funeris exequias pateris vitæ auctor et orbis,
Intrans mortis iter, dando salutis opem. *Salue.*
Pollicitam sed redde fidem, precor alma potestas:
Tertia lux redijt, surge sepulte meus. *Salue.*
Solue catenatas inferni carceris vmbras,
Et reuoca sursum quicquid ad ima ruit. *Salue.* D
Redde tuam faciem, videant vt secula lumen:
Redde diem, qui nos, te moriente, fugit. *Salue.*
Eripis innumerum populum de carcere mortis,
Et sequitur liber, quò suus auctor adit. *Salue.*
Hinc tumulum repetẽs post tartara, carne resumpta.
Belliger ad cælos ampla trophæa refers. *Salue.*

Quibus expletis, ingrediuntur ecclesiam cum Antiphona: Sedit angelus ad sepulcrum Domini, stola claritatis coopertus: videntes eum mulieres, nimio terrore perterritæ, substiterunt à longè. Tunc locutus est angelus, & dixit eis: Nolite metuere, dico vobis, quia ille, quem quæritis mortuum, iam viuit, & vita hominum cum E eo surrexit, Alleluia. Vers. Crucifixum in carne laudate, & sepultum propter nos glorificate, resurgentemque de morte adorate. Nolite. Vers. Recordamini, quomodò prædixit, quia oportet filium hominis crucifigi, & tertia die à morte suscitari. Nolite. Antiph. Maria & Martha cũ venissent ad monumentum, angeli splendentes apparuerunt, dicentes: Quem quæritis viuentẽ cum mortuis, non est hìc: venite, & videte locum vbi iacuit. Citò euntes, dicite discipulis A eius & Petro, surrexit Christus qui creauit omnia, & misertus est humano generi. Alleluia.

Et ità ingrediũtur ad Missam. Ad introitum imponit cantor antiph. Resurrexi. Psal. Domine probàsti. Dicitur oratio prima: Deus qui hodierna die per vnigenitum tuum. Legitur epistola ad Corint. Expurgate vetus fermentum. Grad. Hæc dies. vers. Confitemini Domino. Alleluia. Vers. Pascha nostrũ. Vers. Epulemur. Euangelium secundùm Marcum: Maria Magdalene, & Maria Iacobi & Salome. Indè completur Missa ordine suo. Et communicant omnes:

Item secundùm Romanos.

DIe resurrectionis Dominicæ, procedente Pontifice ad sanctam Mariam cum ordinibus suis, notarius regionarius stat in loco, qui dicitur Merulanas: & salutato Pontifice, dicit: In nomine Domini nostri Iesu Christi, baptizati sunt hesterna nocte in sancta Dei genitrice Maria infantes masculi, numero tanti, fœminæ tantæ. Respondet Pontifex: Deo gratias. Et accipit à saccellario solidum vnum. Pontifex autem pergit ad stationem.

IN die verò sancti Paschæ primò omnes acoC lyti regionis tertiæ, & defensores omnium regionum, conuenientes diluculo in patriarchio Lateranensi, præcedunt pontificem pedestres ad stationem. Secunda feria, regio quarta: Tertia feria, regio quinta. Feria quinta, regio septima. Feria sexta, regio prima. Sabbato, regio secũda ordine proprio, tam in processione, quàm in ecclesia, vel vbicunque eos propria dies ratione sui gradus prisca constitutione ire, vel ministrare compulerit, à ministerio pontificis non poterit sine vlla deesse excommunicationis sententia, vel animaduersionis disciplina. Quorum ministeria primitùs secundùm rationem simplicem dupliciter diebus singulis diuiduntur, id est, in processione Apostolici ad stationem, & in egressu sacrarij, vsque ad Missarũ consummationem. Sed, dum venerit pontifex prope ecclesiam, exeuntes acolyti & defensores ex regione illa, præstolantur eum in loco statuto antequàm veniat vbi descensurus est. Similiter presbyter ecclesię cum subdito sibi presbytero & mansionario thymiamateria deferentibus in obsequium illius dum venerit. Et acolyti quidem cum defensoribus primùm, deindè presbyter cum suis petita benedictione, diuisis hincindè partibus, præcedunt pontficem vsque ad ecclesiam. Cùm verò ecclesiam introierit, descendens in secretarium, mutet vestimenta sua solennia, & ministri ante ianuã eiusdem secretarij mutent vestimenta sua, & paret Euangelium, qui lecturus est. Et dum pontifex innuit vt psallant, mox incipit prior scholæ antiphonã ad introitum, & ità ingreditur pontifex ad Missam cum ordinibus suis. Celebrata autem Missa, & communicãtibus omnibus det orationem ad complendum, & innuente eo, vnus ex diaconibus dicit: Ite, missa est. Resp. Deo gratias. Tunc septem cereostata præcedunt pontificem, & subdia-

conus regionarius cum thuribulo ad A secretarium. Descedente autem illo in presbyterium, episcopi primùm dicant, Iube Domine benedicere. Et statim pontifex dat benedictionem ità, Benedicat nos Dominus. Resp. Amen. Post Episcopos presbyteri. Deinde monachi. deindè schola. deinde milites draconarij, ideſt, qui signa portãt: post eos baioli, post eos cereostatarij. Post quos acolyti, qui rugam obseruãt, Post eos extra presbyterium cruces portantes, deindè mansionarij iuniores, & intrant in secretarium. *Benedictio Agni in Pascha.*

Post celebratam Dominicæ sancti Paschæ solennitatem, postquàm etiàm transactos ieiu- B niorum dies, iam animabus spiritualibus dapibus refectis de mensa tuæ maiestatis, offerimus famuli tui pro huius fragilitate corpusculi aliquantulum reparandi, hanc vsui nostro concessam creaturam agni, poscentes vt eum ore proprio nobis signantibus benedicas, ac dextera tua sanctifices. & vniuersis ex eo sumentibus mi nistrata munuscula grata effici præstes, atque his cum gratiarum actione perceptis, te Deũ, qui es cibus vitæ & animæ nostræ, magis & inhianter desideremus, & indefessè fruamur. Per.

Benedictio aliarum carnium.

Deus vniuersæ carnis, qui Noe, & filijs suis de C mundis & immundis animalibus præcepta dedisti, quique sicut olera herbarum humano generi quadrupedia mũda edere permisisti, quiq; agnum in Aegypto Moysi & populo tuo in vigilia Paschę comedere precepisti, in figura agni Domini nostri Iesu Christi, cuius sanguine omnia primogenita tibi de mundo redemisti, & in nocte illa omne primogenitũ in Aegypto percutere præcepisti, seruans populum tuum agni sanguine prænotatum: dignare Domine Deus omnipotẽs benedicere, & sanctificare has ouiũ mundarum, siue aliorum animalium carnes, vt D quicunq; ex eis de famulis tuis fidelibus comederint, omni benedictione cęlesti, & gratia saturati, repleantur in bonis. Per eundem Dñm.

Benedictio lactis & mellis

Benedic Domine has creaturas lactis & mellis, & pota famulos tuos fonte perenni, qui est spiritus veritatis, & enutri eos de hoc lacte & melle. Tu enim Domine promisisti patribus nostris, Abrahæ, Isaac, & Iacob, dicẽs: Introducam vos in terram repromissionis, terram fluentem lacte & melle. Coniunge Domine famulos tuos spiritu charitatis & pacis, sicut coniunctum est hoc lac & mel in Christo Iesu Domino nostro. E Qui tecum viuit & regnat.

Item ordo in eodem die sancto ad vesperum, & vsq; ad octauas Paschæ.

DIe sancto Paschæ cõueniente schola temporiùs cum Episcopis & diaconibus ad sanctum Ioannem in ecclesia maiore ad locum Crucifixi, incipiunt kyrie eleison, & veniunt vsq; ad altare: ascendentibus diaconibus in pogium, Episcopi & presbyteri stattuuntur in locis suis, & schola ante altare. Finito Kyrie A eleison, innuit archidiaconus primo scholæ, & ille inclinans se illi, incipiat Alleluia cum Psalmo, Dixit Dominus Domino meo. Post hunc innuit secũdo scholę, vel cui voluèrit, sed & omnibus incipientibus hoc modo præcipit. Dicitur igitur Alleluia, cum psalm. Confitebor. Indè salutat primus scholæ archidiaconum, & illo innuente, dicit primus scholæ Alleluia cum psalmo, Beatus vir. Quo finito, primus scholæ cum paraphonistis infantibus incipiat responsorium gradalem, Hæc dies. cum versu, Confitemini Domino. Quo finito, incipiat primus scholæ cũ melodis infantibus Alleluia, Pascha nostrum. Et respondent paraphonistæ. Sequitur versus: Epulemur. Indè melodia. Hoc ordine expleto, incipit archidiaconus in Euangelio antiphonam, Et respicientes. Post hanc dicit sacerdos orationem: & descendunt ad fontes cum antiphona, In die resurrectionis meæ. Quam vt finièrint, dicit primus scholæ Alleluia, cũ psalmo, Laudate pueri Dominum. Deindè alleluia cum psalm. In exitu Israel. Deindè primus scholæ dicit cum pueris, alleluia. Venite exultemus. cũ versu, Præocupemus. Post hunc sequitur diaconus, & dicit antiphonã: Citò euntes, Deindè sequitur oratio. Tunc vadunt ad crucem. canentes antiph. Vidi aquam. Siue, Christus resurgens à mortuis. Et sequitur oratio. Deinde descendunt primates ecclesiæ ad accubita, inuitante notario vicedomini, & bibunt ter, de Græco primò, de Pactisi secundò, de Procouia tertiò. Postquàm biberint omnes, presbyteri & acolyti per singulos titulos redeunt ad faciendos vesperos. Ipsi enim tantummodò super psalmos Alleluia dicunt, & ante Euangeliũ responsorium gradalem, Hęc dies. sinè versu, & Alleluia tantùm primum. Deindè orationem. Et bibent de dato presbyteri. Hæc ratio per totam hebdomadam seruabitur vsque in Dominicam post albas, Alleluia, & antiphonis mutatis tantùm singulis diebus, psalmos verò eosdem canunt. Item: Infra albas singulis diebus ad Matutinos leguntur homiliæ ad ipsum diem pertinentes.

De Sabbato infra albas.

SAbbato infra albas albati, qui in sabbato sancto baptizati fuerint, albis vestibus exuuntur.

Benedictio aquæ ad albas deponendas.

DOmine sancte, pater omnipotens, æterne Deus, creator generis humani, nos qui per te redempti sumus, & per gratiam pietatis tuæ in fonte aquæ baptismi renati sumus; dignare quæsumus huic creaturæ per signum crucis sobrietatem infundere, vt sicut per fontem baptismi imbuti sumus, ità super hanc aquam, quam post fontem sacrum ad abluendas albas offerimus, veniat Spiritus sanctus tuus, qui in fonte baptismi, & in confessione nominis tui peccata extinxit. Per Dominum nostrũ Iesum Christum filium tuum, qui tecum viuit & regnat in vnitate eiusdem Spiritus sancti.

De ob-

Universidad de Deusto
Biblioteca

De obseruanda vnctione Chrismatis.

QVanto autem tempore generaliter ab Ecclesia celebratur aduentus Spiritus sancti super Apostolos, tantò tempore debet seruari vnctio chrismatis apud vnumquenque qui accipit manus impositionem.

De octo officijs Neophytorum.

OCto officia, quæ fiunt in commemoratione Neophytorum, distinguuntur à cæteris sequentibus vsque in Pentecosten. Primum habet duas laudes, id est, Alleluia, Confitemini: Et tractum, Laudate Dominum. Septimum, duas similiter, id est, duo Alleluia: Hæc dies, & Laudate pueri. quod non fit in vllo alio sabbato vsque in Pentecosten. Sex media habent responsorium & Alleluia.

De versibus gradalibus infra albas.

NOtandum est, versus responsorij omnes esse de psalmo, Confitemini Domino, qui sonat confessionem laudis: Quæ tamen laus Alleluia concluditur. Qui sunt, Confitemini Domino. Item, Dicat nunc Israel quoniam bonus. Item, Dicant nunc qui redempti sunt. Item, Dextera Domini. Item, Lapidem quem reprobauerunt. Item, Benedictus qui venit. In fine autem versuum responsorij, Hæc dies, præposterus ordo est. Benedictus qui venit, præponitur in quinta feria versui, Lapidem quem reprobauerunt, qui est in ordine prior: sed sexta feria cantatur, quia inter cæteros præcipuè sonat de passione Domini, quæ facta est sexta feria. Item notandum, quòd per illos sex dies paschales, in quibus responsorium cantamus, Alleluia subsequitur. Illi verò dies quinquaginta, qui sequũtur à sabbato Paschali vsq; ad octauas Pentecostes, Alleluia tantùm habẽt, & per Dominicos dies, vel festiuos Sanctorum dies, duo Alleluia dicuntur.

Ordo in octauis Paschæ.

D

IN octaua Paschæ ponunt Actus Apostolorum, & septẽ epistolas Canonicas, siue Apocalypsim Ioannis vsque in octauas Pentecostes. Tres verò psalmi cantantur in nocturnali officio per septem dies baptismales, & vnum diem ducimus in religione per illos septẽ dies, Deincèps in sequenti tempore quasi crescentiũ arborum frondes multiplicantur, & recoluntur mores boni diuersorũ operũ p plures psalmos.

In eadem Dominica post albas, id est, in octauis Paschæ infra ciuitatem Romanam dantur Agni cerei ab archidiacono in ecclesia post Missam, & communionem populo, & ex eis faciunt E infra domos suas incensum accendi ad suffumigandũ in domibus suis pro quacunq; necessitate. Similiter in suburbanis ciuitatibus de cereo benedicto faciunt ad suffumigandum scilicet in domibus suis, seu ponendum in agris, vel in vineis propter illusiones diabolicas, siue contra fulgura & tonitrua.

Ordo in Litania maiore.

ROmana consuetudo vnum diem, id est, septimo calendas Maij interponit, quem vocat Litaniam maiorem, non in ieiunio. Litania autem Græcè, Latinè Rogatio dicitur, indè & Rogationes. Potest enim serena mens, & aliena à voluntate mala, precari Deum, quamuis man ducet sobriè. Hanc autem legimus statutam esse à sancto Gregorio propter imminentem cælestis iræ mucronem. Iussit autem fieri in eodẽ die litaniam septenam, ità præcipiens: Litania clericorum, exeat ab ecclesia beati Ioannis Baptistæ: Litania virorum, ab ecclesia sancti Marcelli martyris: Litania monachorum, ab ecclesia sanctorum martyrum Ioannis & Pauli: Litania ancillarum Dei, ab ecclesia beatorum martyrum Cosmæ & Damiani: Litania fœminarum coniugatarum, ab ecclesia beati Petri, & martyris Stephani: Litania viduarum, ab ecclesia beati martyris Vitalis: Litania pauperum, & infantum, ab ecclesia beatæ martyris Cæciliæ. Pro importunitate autem bellorum potest proculdubiò videri Litania instituta esse, & ex æqualitate temporis colligimus, eam necessariam esse ad fruges conseruandas. Quam Litaniam vna die obseruare debent omnes Christiani, non equitando, non preciosis vestibus induti, cinere respersi, & cilicio induti, nisi infirmitas impediret.

C

De Litania minore.

TRes autem dies Rogationum, qui celebrãtur ante Ascensionem Domini, iuxta morem Gallicanæ ecclesiæ, constituit sanctus Mamertus Vienen. Episcopus ob incursionem scilicet malarum bestiarum, quæ tunc temporis grauissimè afficiebant populum Domini. Quæ consuetudo apud nos vsque hodiè pro diuersis calamitatibus deuotissimè recolitur. Nullus autem his diebus vestimenta pretiosa induatur, quia in sacco & cinere lugere debemus. Prohibeantur ebrietates, & comessationes, quæ fiunt in vulgari plebe. Nemo ibi equitare præsumat, sed discalceatis pedibus omnes incedant. Nequaquàm mulierculæ ducant choros, sed omnes in commune kyrie eleison decantent, & cum contritione cordis Dei misericordiam exorent pro peccatis, pro pace, pro peste, pro conseruatione frugum, & pro cæteris necessitatibus, Dies enim abstinẽtiæ sunt, non lætitiæ. Per quod triduum serui & ancillæ ab opere relaxentur, quò magis plebs vniuersa conueniat. Et hoc triduo omnes abstineant, & quadragesimalibus cibis vtantur. Antiphonæ verò ad reliquias deducendas, in libro gradali vel antiphonario quærentibus occurrent per singulos tres dies.

Ordo in Inuentione sanctæ Crucis

IN inuentione sanctæ Crucis legantur lectiones, quæ & in natalicijs plurimorũ martyrum siue homilię ad ipsum diẽ pertinẽtes.

ORDO.

In Vigilia Ascensionis Domini leguntur lectiones tres de Actibus Apostolorum. Prima lectio sic continet in capite: Primum quidem sermonem feci de omnibus ò Theophile. vsque, Et Maria matre Iesu & fratribus eius. Secunda lectio

lectio sic continet in capite. In diebus illis, A
Exurgens Petrus in medio fratrum. vsque, Et annumeratus est cum vndecim Apostolis. Tertia lectio sic continet in capite. Qui ergò receperunt sermonem eius. vsque, Qui salui fierent quotidiè in idipsum. Posteà leguntur homiliæ sanctorum Patrum, ad ipsum diem pertinẽtes.

Ordo in sabbato sancto Pentecostes.

SAbbato in vigilijs Pentecostes omnes ieiunium faciunt, & omne diuinum officium vel ordinem, tam lectiones, quàm & baptismum, sicut in sabbato sancto vigiliarum Paschæ. Tantùm hora octaua ingrediuntur ad vigilias, vel Missarum solennia, vt hora nona expleta, omnia consummentur. In eis autem B
leguntur lectiones quatuor, & canuntur quatuor cantica ante baptismi consecrationem, sicut in vigilijs Paschæ. Antè enim, quàm descendatur ad fontem ad baptizandum, legitur lectio prima, Tentauit Deus Abraham: Canticũ, Cantemus Domino. Oratio.

DEus qui in Abrahæ famuli tui opere, humano generi obedientiæ exempla præbuisti, concede nobis & nostræ voluntatis prauitatem frangere, & tuorum præceptorũ C
rectitudinem in omnibus adimplere. Per.

Lectio secunda: Scripsit Moyses. Resp. Attende cælum. Oratio:

Deus qui nobis per prophetarum ora præcepisti temporalia relinquere, atque ad æterna festinare, da famulis tuis, vt quę à te iussa cognouimus, implere cælesti inspiratione valeamus. Per. Lectio: Apprehendent septem mulieres virum vnum. Resp. Vinea facta est. Oratio.

Deus qui nos ad celebrandam præsentem festiuitatẽ vtriusque testamenti paginis instruis, da nobis intelligere misericordiam tuam, vt ex perceptione præsentium munerum firma sit expectatio futurorum. Per. Lect. 4. Audi Israel. D

Deus incommutabilis virtus & lumen æternum, respice propitius ad totius ecclesiæ mirabile sacramentum, & da famulis tuis, vt hoc quod deuotè agimus, etiã rectitudine vitæ teneamus. Per. Tractus, Sicut ceruus. Oratio.

Omnipotens sempiterne Deus, qui hanc solennitatem aduentus Spiritus sancti consecrasti, da nobis quæsumus, vt cælestibus desiderijs accensi, fontem vitæ sitiamus. Per.

Finitis lectionibus, descendẽdum est ad fontem cum sancto chrismate & cereis in magna reuerentia, decantando Litaniam. Aliqui canunt Litaniam noricam: Rex sanctorum de- E
cus angelorum, totum mundum adiuua. Cum suis versibus.

His expletis, baptizandum est sicut in vigilia Paschæ.

Post ascensum verò fontis, ingrediendum est ad Missam publicam ad sanctum Ioannem.

In primis autem fiunt litanię ter repetendo, & cùm dixerint, Agnus Dei, dicat cantor excelsa voce, Accendite. Accensis omnibus luminibus, procedat pontifex cum omni ornatu vsque ad altare, & dicat: Gloria in excelsis Deo. Et peragatur Missa cum Alleluia & Tractu ordine suo, sicut in Sacramentario continetur. A

Ordo in nocte Pentecostes.

IN aduentu Spiritus sancti, id est, in nocte Pentecostes dicuntur tres psalmi cum antiphonis, sicut in Pascha Domini, quia vnus ordo psalmorum continetur & in resurrectione Domini, & in aduentu Spiritus sancti. Leguntur etiàm lectiones tres de Actibus Apostolorum. Prima lectio sic cõtinet in capite: Et cùm complerentur dies Pentecostes. Vsque, Audiuimus eos loquentes nostris linguis magnalia Dei. Secunda lectio sic continet in capite: Stupebãt autem omnes & mirabantur, ad inuicem dicentes: vsque, Et erit, omnis quicunque inuocauerit nomen Domini, saluus erit. Tertia verò lectio sic continet in capite: Viri Israelitæ, audite verba hæc: Iesum Nazarenum, virum approbatum à Deo. vsque: Quoscunque aduocauerit Dominus Deus noster. Aliàs verò leguntur homiliæ ad ipsum diem pertinentes. Quod in Pascha dictum est de sequentibus noctibus baptismalibus, hoc & hic dicendum est, vt tres psalmi per septem dies neophytorum omnimodis canantur. Et sicut celebramus maiestatem Spiritus sancti in Pentecoste, celebremus & in octaua eiusdem festiuitatis, id est. in nocte tres psalmos in nocturnis, & vsque ad finem diei præsentis Dominici, Alleluia dicamus. In ipsis enim diebus præsentis hebdomadæ non statim peracta die quinquagesima, genu ad orãdum curuamus: sed & illa adhuc septimana stantes Domino supplicamus, & quamuis intermissa repetentes ieiunia, tamen Alleluia quotidiè personamus, & per septem dies laudes hymnorum debitas, simul & Missarum celebrationes Deo offerimus.

Ordo de octaua Pentecostes.

IN Dominica octauæ Pentecostes ponunt librum Regum, & Paralipomenon, vsque in Dominicam primam mensis Augusti. Tempus autem Pentecostes inchoatur à prima die resurrectionis, & currit vsque ad diem quinquagesimum post Pascha. Qui dies quinquaginta celebrantur in lætitia post resurrectionem Domini. Propter hoc ieiunia relaxantur, & stantes oramus, quod est signum resurrectionis. Duas aũt varietates habet Ecclesia de ieiunio, quod fit post resurrectionem Domini. Aliqui secundum vulgarem vsum statuunt terminum quadragesimalis ieiunij in festiuitate sancti Ioannis: aliqui volunt omnes dies habere in lætitia. Cur lætari debeamus in diebus Pentecostes, abundant exempla sanctorum patrum. Cur ieiunare necesse sit, vnusquisque ex suo corde cognoscit. Sed voluntate licet vnicuique ieiunare ob deuotionem mentis. Ab hac licentia excluduntur, qui propriè pœnitentes in Ecclesia nominantur.

Denunciatio ieiunij mensis I. IIII. VII. & X.

ANnua nobis est, dilectissimi, ieiuniorum celebranda festiuitas, quam mensis illius solennis

Universidad de Deusto
Biblioteca

lemnis cursus indicit. Quarta ergò & sexta feria A succedente, solitis eandem conuentibus exequamur, sabbatorum die hìc sacras acturi vigilias, vt per obseruantiam competentem, Domino purificatis mentibus supplicantes, beatissimo Petro Apostolo suffragante, à præsentibus periculis exui mereamur pariter & futuris. Per.

De ieiunio quatuor Temporum.

IN quatuor Téporibus quando agimus duodecim lectiones, solemus ieiunare pro ordinandis, quamuis ordinatio non fiat: etiam si prouenerint in octauis Pentecostes, quando celebratur festiuitas septiformis spiritus & neophytorum. Vt autem hoc ieiunium celebretur in largitione sacrorum ordinum, Ecclesiæ pri- B mitiuæ mos obtinuit. In quarta aũt feria quarti mensis leguntur duæ lectiones. Quinta feria deest officium & Missa, & ideò debes cantare de Dominica Pentecostes. Sexta feria vna tantùm legatur lectio. Sabbato, quando benedictio agitur, quatuor lectiones leguntur, & singulas lectiones singuli respõsorij decent. Proxima lectio ordinationi de camino ignis legitur. Quatuor temporibus annus voluitur, vnumquodq; tempus tres menses habet. Pro vnoquoq; mense singuli dies ieiunio consecrantur. Per singulas orationes in duodecim lectionibus genu flectimus, excepto in octauis Pentecostes. In sola de camino ignis, genu non flectimus. C

Item de ieiunio Pentecostes.

SI autem ipsa hebdomada in mense quarto euenerit, ieiunium faciant quarta & sexta feria, & in sabbato vsque ad horam nonã, & hæ lectiones legantur, quæ in mense quarto scriptæ sunt, cum responsorijs quatuor, & Benedicite, & Tractu, Laudate Dominum. Sin autem ea non tempore suo agitur, cùm lectiones leguntur, non pronunciat lector, Lectio libri: sed inchoat planè, & legit in sensu lectiones, sicut D epistolæ Pauli diebus Dominicis legũtur. Si verò tempore suo agitur, tunc pronunciat, Lectio libri: similiter & in reliquis tribus temporibus.

ORDO.

In Natali sancti Ioannis Baptistæ leguntur homiliæ sanctorum patrum, ad ipsum diem pertinentes. Item.

In natali sancti Ioannis ideò tres Missæ celebrantur, id est, vna in vigilia eiusdẽ, duæ in die natiuitatis eius, quia tribus triumphis refulsit insignis, id est, officio præcursoris, Baptistæ ministerio, & quia Nazaræus ex vtero matris per- E mansit.

ORDO.

In natali sancti Petri Apostoli leguntur lectiones tres de Actibus Apostolorum. Prima lectio sic continet in capite: Petrus & Ioannes ascendebant in templũ. Secunda lectio sic continet in capite: Factum est autem dum Petrus trãsiret. Tertia lectio sic continet in capite: Eodem tempore misit Herodes rex manus. Deindè leguntur sermones & homiliæ sanctorum patrum ad ipsum diem pertinentes.

ORDO.

In natali sancti Pauli Apostoli leguntur sermones sancti Augustini, siue homiliæ ad ipsum diem pertinentes.

ORDO.

In Dominica prima mensis Augusti, ponunt Prouerbia Salomonis, & Ecclesiasten, & Cantica Canticorum, & librum Sapientiæ, vel librum Iesu filij Syrach, vsque in Dominicam primam mensis Septembris.

ORDO.

In Assumptione sanctæ Mariæ in ipsa nocte leguntur Cantica Canticorum, vel homiliæ eiusdem diei. In ipsa vespera vigiliarum, præparatur quoddam portatorium in sancto Laurentio apud Lateranos, superpositaque tabula imagine Christi Domini nostri insignita, à medio noctis concurrente populo, exeunt cum litania ad sanctam Mariam minorem, mundatis per viam plateis, & suspensis per domos lucernis, ibìque in gradibus sanctæ Mariæ, depositа aliquandiù icona, omnis chorus virorum ac mulierum, genibus humiliter ante eam flexis, pugnis etiàm pectora cędentes, vna voce per numerum dicit centiès kyrie eleison, centiès Christe eleison, centiès Kyrie eleison, fusiusq; lachrymis & precibus, per sanctum Adrianum recta via vadunt ad sanctam Mariam maiorem, auditaque Missarum celebritate, ad palatium reuertuntur.

ORDO.

In Dominica prima mensis Septembris ponunt librum Iob, & librum Tobiæ, & Iudith, siue Hester, & Esdram, vsque in Dominicam primam mẽsis Octobris. Mense Septẽbrio, quamuis festa sanctorum in ieiunio euenerint, illud tamen loco suo celebretur.

ORDO.

In natiuitate sanctæ Mariæ, leguntur homiliæ sanctorum patrum ad ipsum diem pertinentes. In ipsa die cum litanijs exeunt à S. Adriano, & ad sanctã Mariam populus occurrit.

ORDO.

In exaltatione sanctæ Crucis leguntur lectiones, quæ & in natalitijs plurimorum martyrum, siue homiliæ ad ipsum diem pertinentes. In ipsa die salutant in palatio Lateranensi san-

ORDO.

ctam Crucem & sandalia Domini.

In Dominica prima mensis Octobris ponũt librum Machabæorum, vsque in Dominicam primam mensis Nouembris. Ordo.

ORDO.

In Dominica prima mensis Nouembris ponunt Ezechielem, & Danielem, siue duodecim prophetas minores, vsque in Dominicam de Aduentu Domini.

ORDO.

Et in ipsis Kalendis Romæ, & per totum orbem plebs vniuersa, sicut in die natalis Domini, ad ecclesiam in honore omnium sanctorum a dMissarum solennia cõuenire studet, illud attendentes, vt quicquid humana fragilitas per ignorantiam aut negligentiam in solennitatibus aut vigilijs sanctorũ minùs plenè peregerint, in hac obseruatione sãcta soluatur.

ORDO.

Quatuor Coronatorum nomina per incuriã neglecta, Deo reuelante hæc sunt: Seuerus, Seuerianus, Victorinus, & Carpophorus. solennitas tamen eorum, vt statuta fuerat, in aliorũ sanctorum nomine celebris permansit.

ORDO.

In Dominica prima Decembris de aduentu Domini ponunt Isaiam prophetam vsque in Natiuitate Domini. Et de ipsa Dominica ad finem lectionum non dicatur. Tu autem Domine: Sed tantùm, Hæc dicit Dominus Deus, conuertimini ad me, & salui eritis, vsque in vigiliam Domini.

MELCHIOR HITTORPIVS
LECTORI BENEVOLO S.

VM in antiquis manu descriptis libris, ex quibus Ordinem Romanum antiquum de Missæ & anni totius officijs exhibuimus, aliorum item officiorum atque rituum ecclesiasticorum siue ordines siue formulas descriptas reperissemus, quales sunt, Ordo secundùm quem in Romana Ecclesia sacri Ordines fiunt: Ordo, qualiter Episcopus in Romana Ecclesia ordinetur: Ordo Romanus ad dedicandam Ecclesiam, & similes alij: visum est mihi non alienum esse ab huius operis argumento, si cum reliquo ordine etiàm hæc eruditi viri & rerum ecclesiasticarum studiosi haberent. Non solùm quòd, sicut monui, in manuscriptis libris cum ipso ordine coniungerentur, sed quòd etiàm qui de diuinis officijs commentarios ediderunt, Isidorus, Albinus, Amalarius, Iuo, Honorius, Durandus, de eisdem rebus, quarum in his ordo & agendi formula præscribitur, pertractarint: sitq; tam sanctorum rituum, & cæremoniarum cognitio iucunda, vtilis et perquàm necessaria, hac præsertim ætate, qua non desunt, qui sicut optima quæque & antiquam pietatem spernant, ita sanctissimas has cæremonias purissimis precibus tamquàm gemmis distinctas & relucentes, quas maiores nostri singulari pietate viri, exquisitè & summo cum artificio compositas publicè in vsum receperunt, & nobis reliquerunt, per insignem temeritatem, ne dicam impietatem, rideant, calumnientur, & priuata auctoritate abrogent. Quod quàm iniquè faciant, vt non solùm religiosis viris & optimè erga priscam pietatem affectis, ratio constare, sed illis etiàm ipsis perspicuum esse possit, proferre hæc & omnibus ea spectanda exhibere operæpretium est visum. Earum enim præclara forma atque pulchritudine, & pietatis qua plenæ redolent, fragrantia sic afficientur, quorum sensibus stuporem malitia & obstinatio non induxerit, vt eas cupidè amplecti & retinere, multo sanè minùs abiectas & abrogatas velint. Non ignoro autem exstare Pontificalem librum, in quo hæc & ex eis quæ hactenùs excusa sunt, nonnulla reperiantur: Sed ille, quæ & quemadmodùm nunc vsus obtinet, ità ea exhibet, in quibusdam fortasse ab antiquis ritibus differentia: Nobis propositum fuit, antiquum, si ità appellare placeat, Pontificalem seu Episcopalem librum, ex antiquis libris fideliter exscriptum exhibere, qualem superius memoratos scriptores, illa suæ ætate habuisse & esse interpretatos, ipsi post subijciendi clarum efficient: vt sicut cætera ad quæ respiciunt, quæq; exponunt Ordinis Romani, ità hæc etiàm in promptu haberemus, & quibus etiamnùm hodie in Catholica Ecclesia in ecclesiasticis rebus vtimur, agendi formulas, non nouas & recens excogitatas, sed auctoritatem earum esse antiquissimam constaret. Vale, & nostrum in hisce laborem, in tuis ad Deum pijs precibus nostri memor, animo beneuolo prosequere.

Universidad de Deusto
Biblioteca

ORATIO AD CAPILLATVRAM INCIDENDAM.

MAnda Deus benedictionem tuam, & vitam in Ecclesia tua, & vnguentum, quod descendit in capite Aaron, descendat super hunc famulum tuum N. Maneat, quęsumus, in corpore Ecclesiæ tuæ pascendus, cuius caput vnguenti tui suauitate dignatus es adimplere. ALIA.

Omnipotens Christe Saluator, innocens, & Innocentiæ amator, humilis & humilitatis assumptor, mansuetus & mansuetudinis inhabitator, qui venientibus ad te paruulis, manus tuę benedictionem imponens, taliũ dixisti esse regnum cęlorum, benedic hunc famulum tuũ N. cuius in tuo nomine superflua incidimus capillorum: da ei intellectum cum ætatis augmẽto, vt te timeat te intelligat, & tua mandata custodiat, & te auxiliante vsque ad canos senectutis cum summa sanitate perueniat. Per te Saluator mundi, qui cum Deo patre.

ALIA.

Omnipotens sempiterne Deus, respice propitius super hunc famulum tuum N. quem ad nouã capillos tondendi gratiam vocare dignatus es, tribue ei remissionem omniũ peccatorũ, atque ad cælestium donorum concede peruenire consortium. Per.

Oratio ad puerum tonsurandum.

DOmine Iesu Christe, qui es caput nostrũ, & corona omnium Sanctorum, respice propitius super infantiam huius famuli tui N. qui in tuo nomine sua celebrat vota, & capillos capitis sui tonsurat, vt per huius benedictionis copiam, ad iuuenilem venire mereatur ætatem, & cum gaudio ad futuram gloriam saluandus perueniat. Per. ALIA.

Benedic Domine hunc famulum tuum N. nostri oris alloquio, & tuo eum locupleta dono, vt felici vita concrescat, & semper tuo adiutorio floreat, vitamq; suam honestissimè perducat, & semper in mandatis tuis persistat. Per.

Præfatio ad clericum faciendum.

ORemus, dilectissimi fratres, Dominum nostrum Iesum Christum pro hoc famulo suo N. qui ad deponendã comam capitis sui, pro eius amore & exẽplo B. Petri Apostoli festinat, vt donet ei spiritum sanctum, qui habitum religionis in eo in perpetuum custodiat, & à mundi impedimento vel seculari desiderio cor eius defendat, vt sicut immutatur in vultu, ità manus dextera eius ei virtutem perfectionis, & boni operis tribuat incrementum, & abiecta omni cæcitate humana, spirituales eius oculos aperiat, & lũmen ei æternæ gratiæ concedat. Qui cum Patre. ALIA.

Adesto Domine supplicationibus nostris, & hunc famulum tuum N. benedicere dignare, cui in tuo sancto nomine habitum religionis sacræ imponimus, vt te largiente, & deuotus in ecclesia tua persistere, & vitam percipere, mereatur æternam. Per.

Dum tondes, tunc dices antiphonam istam: Tu es Domine qui restitues hæreditatem meã mihi. Vers. Dominus pars hæreditatis meæ, & calicis mei: Repetatur, Tu es. Gloria patri. iterùm repetatur, Tu es. Antiph. Hic accipiet benedictionem à Domino, & misericordiam à Deo salutari suo, quia hæc est generatio quærentium Dominum. Psalm. Domini est terra. Vsque in finem, cum Gloria, & repetatur Antiphona: Hic accipiet.

Postquàm tonsuratus fuerit, sequitur oratio:

OMnipotens sempiterne Deus Christe Iesu, propitiare peccatis nostris, & ab omni seruitute secularis habitus hunc famulum tuum N. dum ignominiam huius mundi deponit, eruere & conseruare dignare, vt tua semper gratia perfruatur, & sicut similitudinẽ coronæ tuæ eum gestare fecimus in capite, sic tuam virtutem & hæreditatem subsequi mereatur in corde. Qui cum Deo patre.

ALIA.

Præsta quæsumus omnipotens Deus, vt famulus N. cuius hodiè capitis comam pro diuino amore deposuimus, in tua dilectione perpetuò maneat, & eum sine macula in sempiternum custodias. Per. ALIA.

Benedicat te Dominus, & custodiat, ostendat faciem suam tibi, & misereatur tui, conuertat Dominus vultum suum ad te, & det tibi pacem. Inuocabo nomen Domini dei super te, vt ille te benedicat, qui viuit & regnat in secula seculorum. Amen.

De gradibus Romanæ Ecclesiæ.

PRimùm in quacunq; schola reperti pueri benè psallentes, tollantur indè, & nutriantur in schola cantorum, & postea fiant cubicularij. Si aũt nobilium filij fuerint, statim in cubiculo nutriantur, & hanc accipiant potestatem ab archidiacono, vt liceat eis super linteum villosum sedere, quod mos est ponere super sellã equi. Deindè sicut sacramentorum codex continet, quandò, & vbi fuerit, vsque in subdiaconatus officium ordinentur. Diaconi verò atq; presbyteri numquàm nisi in publica ordinatione.

Capitulum De Canone Chalcedonensi.

QVòd non oporteat absolutè quoslibet ordinare presbyterum aut diaconum, neque quẽlibet in gradu ecclesiastico, nisi specialiter ecclesiæ, ciuitatis, aut possessionis, aut martyrij, aut monasterij, qui ordinandus est, pronuncietur. Qui verò absolutè ordinantur, decreuit sancta synodus irritam haberi huiuscemodi manus impositionem, & nusquam posse ministrare, ad ordinantis iniuriam.

Capitulum sancti Gregorij Papæ.

SIcut qui inuitatus renuit, quæsitus refugit, sacris est altaribus * remouendus: sic qui vltrò ambit, vel importunus se ingerit est proculdubio repellendus. Nam qui nititur ad altiora conscedere indignus, quid agit, nisi vt crescendo decrescat? Cur nõ perpendit, quia benedictio illa in maledictum conuertitur, qui ad hoc, vt fiat hæreticus, promouetur?

* for. admouendus.

Caput Zozimi Papæ.

HAec autem singulis gradibus obseruanda sunt tempora. Si ab infantia ecclesiasticis ministerijs studium dederit inter lectores vsque vigesimum ætatis annum, continuata obseruatione perducet. Si maiore iam ætate accesserit, ità tamen, vt post baptismum statim se diuinæ militiæ desideret mancipari, siue inter lectores, siue inter exorcistas quinquennio tentatur, ac deindè acolytus, siue subdiaconus quatuor annis stet, & sic ad benedictionem diaconi, si mereatur, accedat. In quo ordine quinque annis inculpatè si se gesserit, hærere debet. Exindè suffragãtibus meritis, per tot gradus datis proprię fidei documẽtis, presbyterij sacerdotium poterit promereri. De quo loco si illum exactior ad bonos mores vita perduxerit, summum pontificatum sperare debebit: hac tamen lege seruata, vt neque digamus, neque pœnitens, ad hos gradus possit admitti, sanè, vt etiàm defensores Ecclesiæ qui ex laicis fiunt, supradicta obseruatione teneantur, si meruerint in ordine esse clericatus.

Caput Leonis Papæ.

PAulus Apostolus præcepit Timotheo, Manus citò nemini imposueris, neque communicaueris peccatis alienis. Quid est, ei tò nemini manum imposueris, nisi, ante ætatis maturitatem, ante tempus examinis, ante meritum laboris, ante experientiam disciplinæ? sicut boni operis comparat fructum, qui rectum scrutatur in eligendo sacerdote iudicium, ità graui semetipsum afficit damno, qui in suæ dignitatis collegio sublimat indignum.

Caput Clementis de oblationibus altaris.

OBlationes, quæ veniunt in altare, panes propositionis appellantur. De ipsis oblationibus tantum debet in altari poni, quantum populo possit sufficere, nè aliquid putridum in sacrario remaneat.

De pallis.

Pallæ verò quæ sunt in substratorio, in alio vase debent lauari, in alio corporales pallæ. Vbi pallæ corporales lotæ fuerint, nullum linteamen ibidèm debet aliud lauari, sed ipsa aqua in baptisterium debet vergi.

De officijs septem graduum.

OStiarium oportet percutere cymbalum, & aperire Ecclesiam, & sacrarium, & librum aperire ei, qui prædicat.

De Lectoribus.

Lectorem oportet legere ei qui prædicat, & lectiones cantare, & benedicere panem, & omnes fructus nouos.

De Exorcistis.

Exorcistam oportet eijcere dæmones, & dicere populo qui non communicat, vt det locum, & aquam ministerio effundere.

De Subdiaconibus.

Subdiaconum oportet præparare aquam ad ministrationem altaris, & ministrare Diacono.

De Diaconibus.

Diaconum oportet ministrare ad altare; & baptizare.

De Presbyteris.

Sacerdotem oportet offerre & benedicere, præesse & prædicare, & baptizare.

De Episcopis.

Episcopum oportet iudicare, interpretari, & consecrare, consummare, ordinare, offerre, & baptizare.

Ordo, qualiter in Rom. Ecclesia sacri ordines fiunt.

MEnse quarto, quarta feria ieiuniorum fit conuentus populi, & congregatio regionum, primùm ad sanctum Adrianum, & indè pergit pontifex vnà cum populo, præcedente solito apparatu, id est, crucibus, thuribulis, vel tabulis, vsque ad sanctam Mariã ad præsepe. Accedente pontifice ad altare, schola cantorum repetit litaniam. Deindè introitũ. Et Pontifex dicit: Oremus. Et diaconus. Flectamus genua. Post collectam ascendit lector in ambonem, & eleuata voce legit breuem lectionem de quarta feria. Et sequitur gradale. Deindè pontifex dicit. Dominus vobiscum. Diaconus vt suprà. Post collectam ascendit lector in ambonem, & eleuata voce, legit breuem in auribus populi, sic continentem:

Cognoscat charitas vestra, quia ille, & ille aduocatur in tali officio, vel in tali: Si quis habet contra hos viros aliquam querelam, exeat confidenter propter Deum, & secundùm Deũ, & dicat: Quòd si nullus contradictor extiterit, sequitur lectio & responsorium. Post hæc aduocantur sursùm, & statuuntur in sinistra parte altaris, vsquedùm pontifex Missam compleat. Deindè aduocantur sexta feria ad Apostolos eo tenore vt supra. Sabbato verò egreditur pontifex ad sanctum Petrum, & vniuersæ regiones cum eo litaniam canendo. Ingrediente Papa in secretarium, ipsæ præstolantur aduentum eius in presbyterio. Schola cãtorum canit introitũ, & pontifex dat orationem. Subdiaconi legunt lectiones, & cantant gradualia, expectantibus illis qui benedicendi sunt, sub ambone, donec quinque lectiones compleantur. Deindè apostolicus ille legit aduocationis breuem coram populo, & stant parati singulorum ministri cum indumento, donec archidiaconus veniat, & singulis singula sua manu tribuat. Posthæc autem descendit archidiaconus innuente pontifice, & dat vni ex ipsis manum, cæteri verò sequantur eum, & ascendant ad altare. Et prosternit se pontifex cum ipsis in orationem, clero interim canente litaniam. Surgentibus autem ab oratione, stat pontifex in sede sua, singulatim imponens manus capitibus & benedicit eos. Accedens autem archidiaconus, tollat orarios de confessione, qui hesterna die repositi sunt, ibiq; imponet super eos, & pontifex induat eos

Universidad de Deusto
Biblioteca

planetis, & stent induti diaconalia indumenta, tollanturque qui diacones esse debent, de medio eorum. Deindè, qui presbyteri ordinentur. Tunc descendant in presbyterium, & statim vnus ex nouitijs diaconibus legat Euangelium, & ad ipsam Missam ministrent vnusquisque secundum officium suum. Tollit verò pontifex oblatas integras, & dat singulis nouitijs presbyteris, & indè communicent vsque dies octo. Expletis omnibus, Missaq; ritè completa, stent regiones paratæ ad singulos titulos pertinentes, cum candelabris & thuribulis, vt proprium susciplant sacerdotem. Pontifex autem donet eis sacerdotalia indumenta, & ministeria Missæ, aurum vel argentum, vinum, frumentum & oleum. Egredientibus autem de basilica sancti Petri, præcedant vnumquemque triginta cande labra cum thuribulis, ipse verò sedeat super equum album. Præcedens & subsequens populus canat ei laudem. Similiter etiàm fœminæ diaconissæ, presbyterissæ, quæ eodem die benedicuntur. Plateæ autem ciuitatis, per quas transituri sunt, coronentur pallijs, & cum tanta gloria ad statutos titulos deducant proprios sacerdotes, & ipse facit eis illo die conuiuium.

Mensis primi, quarti, septimi, & decimi sabbatorum die, in duodecim lectionibus ad sanctum Petrum, vbi Missæ celebrantur, postquàm antiphonam ad introitum dixerint, per lectiones det pontifex orationes. Deindè archidiaconus sinè casula ad chori vsque medium præcedens, habens præ manibus eorum qui ordinandi sunt, nomina, & vocatis eis humiliter respiciens in Episcopum, his eum verbis alloquirur: Postulat hæc sancta mater Ecclesia, reuerende pater, hos viros ordinibus aptos, consecrari sibi à vestra paternitate.

Responsio Episcopi.

Vide vt natura, scientia, & moribus tales per te introducantur, immo per nos tales in domo Domini ordinentur personæ, per quas diabolus procul pellatur, & clerus Deo nostro multiplicetur. *At Archidiaconus.*

Quantum ad humanũ spectat examen, natura, scientia, & moribus digni habentur, & probi cooperatores effici in his, Deo volente, possunt.

Tunc imponit schola Litaniam, prostrato pontifice, & cæteris consecrandis super tapetia.

Qua finita, iubente Episcopo, archidiaconus accedat propiùs, & vocentur denuò nominatim, vt benedicantur ab Episcopo.

Inuitatio ordinandorum.

De domo sanctæ Mariæ eligimus N. ad ostiarium, ad eundem titulum. De titulo sancti Stephani N. eligimus ad lectorem ad eundem titulum. De Ecclesia sãcti Petri N. eligimus ad exorcistam ad eundem locum. Post hæc celebrabitur consecratio sacrorum ordinum.

Psalmistæ, idest, cantores, possunt absq; scientia Episcopi, sola iussione presbyteri officium suscipere cantandi, dante eis presbytero vel potius Episcopo antiphonarium in manus, & dicente sibi: Videte vt quod ore cantatis, corde credatis: & quod corde creditis, operibus probetis. *Ordinatio Ostiariorum.*

Ostiarij cùm ordinantur, postquàm ab archidiacono instructi fuerint, qualiter in domo Dei debeant conuersari, ad suggestionem archidiaconi tradat eis Episcopus claues ecclesiæ de altari, dicens: Sic agite, quasi reddituri Deo rationem pro his rebus, quæ istis clauibus recluduntur. Et tradit eis archidiaconus ostium ecclesiæ. PRAEFATIO.

Deum patrem omnipotentem, fratres charissimi, suppliciter deprecemur, vt hos famulos suos N. benedicere dignetur, quos in officium ostiariorum eligere dignatus est, vt sit eis fidelissima cura diebus ac noctibus ad distinctionem horarum certarum, ad inuocãdum nomen Domini, Oremus. Et diaconus: Flectamus genua. Leuate. *Benedictio eorumdem.*

Domine sancte, pater omnipotens, æterne Deus, benedicere dignare hos famulos tuos N. in officium Ostiariorum, vt inter ianitores ecclesiæ pareant tuo obsequio, & inter electos tuos partem tuæ mereantur habere mercedis. Per.

Ordinatio Lectorum.

Lectores cum ordinantur, faciat de illis Episcopus verbum ad plebem, indicans eorum fidem ac vitam, atque ingenium, & dicat ad electos: *Allocutio.*

Elegerunt vos fratres vestri, vt sitis lectores in domo Dei vestri, & ideò agnoscite officium vestrũ, vt impleatis illud. Potens enim est Deus, vt augeat vobis gratiam. Post hæc, expectante plebe, tradat eis Episcopus codicem, de quo lecturi sunt, dicens:

Accipite & estote verbi Dei relatores, habituri, si fideliter & viriliter vtiliter impleueritis officium vestrum, partem cum his qui verbum Dei benè administrauerunt.

Præfatio Lectorum.

Oremus, dilectissimi nobis, Deum patrem omnipotentem, vt super hos famulos suos N. quos in ordinem lectorum dignatur adsumere, benedictionem suam clementer effundat, quatenùs distinctè legant quæ in ecclesia legenda sunt, & eadem operibus impleant. Oremus: Flectamus genua, Leuate.

Benedictio eorundem.

Domine sancte, pater omnipotens, æterne Deus, benedicere dignare hos famulos tuos N. in officium Lectorum, vt assiduitate lectionum sint apti pronunciare verba vitæ, & mentis ac vocis distinctione populo monstrare intelligibilia, & in vtroque sanctæ Ecclesiæ gratiam pro suis modulis spirituali deuotione resonẽt. Per.

Ordinatio Exorcistarum.

Exorcistæ cùm ordinantur, accipiant de manu Episcopi libellum, in quo scripti sunt exorcismi, dicente sibi Episcopo: Accipite, commendate memoriæ, & habetote potestatem imponendi manus super energumenos, siue baptizatos, siue catechumenos.

Præfa-

Præfatio Exorcistarum.

Deum patrem omnipotentem, fratres charissimi, supplices deprecemur, vt hos famulos suos N. benedicere dignetur in officium Exorcistarum, vt sint spirituales imperatores, ad eijciendos dæmones de obsessis corporibus cum omni nequitia eorum multiformi. Oremus. Et diaconus, Flectamus genua. Leuate.

Benedictio eorundem.

Domine sancte, pater omnipotens, æterne Deus, benedicere dignare hos famulos tuos N. in officium Exorcistarum, vt per impositionem manuum & oris officium, potestatem & imperium habeant spiritus immundos coercendi & probabiles sint medici ecclesiæ tuæ, gratiæ curationum virtute confirmati. Per.

Ordinatio Acolytorum.

Acolyti cùm ordinantur, primùm ab Episcopo quidem doceantur, qualiter in officio suo agere debeant: sed ab archidiacono accipiant ceroferarium cum cereo, dicente sibi Episcopo: Accipite ceroferarium cum cereo, vt sciatis vos ad accendenda ecclesiæ luminaria manciparí. Accipiãt & vrceolum vacuum, dicente sibi Episcopo: Accipite vrceolũ ad suggerendum vinũ & aquam in Eucharistiam sanguinis Christi.

Præfatio Acolytorum.

Deum patrem omnipotentem, fratres charissimi, suppliciter deprecemur, vt hos famulos suos N. benedicere dignetur in ordinem Acolytorum, quatenús lumen visibile manibus præferẽtes, lumen quoque spirituale moribus præbeant. Oremus. Et diaconus, Flectamus genua, Leuate. *Benedictio eorundem.*

Domine sancte, pater omnipotens, æterne Deus, qui per Iesum Christum filium tuum & Apostolos eius, in hunc mundum lumen claritatis misisti, quique vt mortis nostræ antiquum aboleres chirographum, gloriosissimæ illũ crucis vexillo affigi, ac sanguinem & aquam ex latere illius pro salute humani generis effluere voluisti, benedicere dignare hos famulos tuos N. in officium acolytorum, vt ad accendẽdum lumen Ecclesiæ tuæ, & ad suggerendum vinũ & aquam, ad conficiẽdum sanguinẽ Christi filij tui in offerenda eucharistia sanctis altaribus tuis fideliter subministrent. Accende Dñe mentes eorum & corda ad amorẽ gratiæ tuæ, vt illuminati vultu splendoris tui, fideliter tibi in sancta Ecclesia tua deseruiant. Per eundem. ALIA.

Domine sancte, pater omnipotens, æterne Deus, qui ad Moysen & Aaron locutus es, vt accenderentur lucernæ in tabernaculo testimonij, benedicere & sanctificare dignare hos famulos tuos N. vt sint acolyti in ecclesia tua. Per.

ALIA.

Omnipotens sempiterne Deus, fons lucis, & origo bonitatis, qui per Iesum Christum filium tuum lumen verum, mũdum illuminasti, eiusq; passionis mysterio humanum genus redemisti, benedicere dignare hos famulos tuos N. quos in Acolytorum officium consecramus, poscentes clementiam tuam, vt eorum mentes & lumine scientiæ illustres, & pietatis tuæ rore irriges, vt ità perceptum ministerium te auxiliante peragant, qualiter ad æternam remunerationẽ peruenire mereantur. Per eundem.

Benedictio ad barbam tondendam.

Deus, cuius prouidentia omnis creatura incrementis adulta congaudet, respice propitius super hunc famulum tuum N. iuuenilis ætatis decore lætantem, & flore primi temporis attondendo clemens adesto, vt in omnibus tuæ protectionis munitus auxilio, & æuo longiore prouectus, cælestem benedictionẽ accipiat, & præsentis vitæ præsidijs gaudeat, & æternæ. Per.

Dum tondes eum, dices antiphonam istam: Sicut ros Hermon qui descendit in Sion, sic descendat super te Dei benedictio. Psal. Ecce quàm bonum & quàm iocundum.

Sequitur oratio.

Omnipotens sempiterne Deus, benedic hũc famulum tuum N. qui tibi primitias suæ offert iuuentutis. Effunde Domine super eum benedictionem, & in caput barbamq, eius transeat sicut vnguentum quod descendit in barbam, barbam Aaron, vt in eadem benedictione in via mandatorum tuorum ambulet, & cum eadem ad summam senectutem perueniat. Per.

Ordo, qualiter in Romana Ecclesia presbyteri, diaconi, vel subdiaconi eligendi sunt.

MEnsis primi, quarti, septimi, & decimi, sabbatorum die in duodecim lectionibus ad sanctum Petrum, vbi Missæ celebrantur, postquàm antiphonam ad introitum dixerint, data oratione, annunciat pontifex in populum, dicens: Auxiliante Domino Deo, & saluatore nostro Iesu Christo, eligimus in ordinẽ subdiaconij, diaconij, seu presbyterij, acolytũ, subdiaconum, diaconum de titulo illo, ad titulum sancti Martini, ad ecclesiam quæ est in pago illo, vel ad monasterium N. Si quis autem habet aliquid contra hos viros, pro Deo & propter Deum cum fiducia exeat & dicat. Verumtamen memor sit conditionis suæ.

Et post modicum interuallum prostratis cũ pontifice in oratorio, incipiat chorus litaniam. Hac expleta, ascendant ipsi electi ad sedem pontificis, vocante eos archidiacono, & benedicat eos ad quod vocati sunt. Et descendentes, stent in ordine suo, benedictione percepta, & archidiaconus imponat Euangelium, & omnes qui ibi ordinati sunt, oblationes offerant ad manus Episcopi, & ab eo consecratas accipiant. *Ordinatio subdiaconorum.*

SVbdiaconi cùm ordinantur, quia manus impositionem non accipiunt, patenam de manu Episcopi accipiant vacuam, & calicem vacuum. De manu verò archidiaconi accipiant vrceolum cum aquamanili, ac manutergium, dicente sibi Episcopo.

Videte, cuius ministerium vobis traditur. Et ideò, si vsque nunc fuistis tardi ad ecclesiam,

Universidad de Deusto
Biblioteca

amodò debetis esse assidui. Si vsque nunc somnolenti, amodò vigiles. Si vsque nunc ebriosi, amodò sobrij: Si vsque nunc incesti, amodò casti. Ideò vos admoneo, vt tales vos exhibeatis, vt Deo placere possitis.

Præfatio subdiaconorum.

Oremus Deum ac Dominum nostrum Iesum Christum, fratres charissimi, vt super hos seruos suos N. quos ad subdiaconatus officium vocare dignatus est, effundat benedictionem & gratiã suam, vt in conspectu suo fideliter seruientes, prædestinata sanctis præmia consequantur. Oremus, & diaconus, Flectamus genua. Leuate.

Benedictio eorundem.

Domine sancte, pater omnipotens, æterne Deus, benedicere dignare hos famulos tuos, quos ad subdiaconatus officium eligere dignatus es, vt eos in sacrario tuo sancto strenuos, solicitosque cælestis militiæ instituas excubitores, sanctisque altaribus tuis fideliter subministrent, & requiescat super eos spiritus sapientiæ & intellectus, spiritus consilij & fortitudinis, spiritus scientiæ & pietatis. Repleas eos spiritu timoris tui, & eos ministerio diuino confirmes, vt obedientes, facto atque dicto parentes, tuam gratiam consequantur. Per. in vnitate eiusdem Spiritus sancti.

Et Episcopus det eis mappulas, dicendo: In vestitione harum mappularum subnixè te Domine deprecamur, vt hi famuli tui sic operentur in temporali cõuersatione, quatenus exemplo piorum patrum, in futuro mereantur perenniter gaudere. Per.

Ordinatio diaconorum.

Diaconi cum ordinantur, solus Episcopus, qui eos benedicit, manum suam super caput illorum ponat: quia non ad sacerdotium, sed ad ministerium consecrantur, & alloquatur populum his verbis:

Allocutio ad populum.

COmmune votum, communis oratio prosequatur, vt hi totius ecclesię prece, qui in diaconatus ministerio præparantur, Leuiticæ benedictionis ordine clarescãt, & spirituali conuersatione præfulgentes, gratia sanctificationis eluceant, præstante Domino nostro Iesu Christo, qui cũ Patre & Spiritu sancto viuit & regnat Deus, per omnia secula seculorũ. Amẽ.

Benedictio ad stolas vel planetas, quando Leuitæ vel presbyteri ordinandi sunt.

DEus inuictæ virtutis triumphator, & omnium rerum creator ac sanctificator, intende propitius preces nostras, & has stolas siue planetas Læuiticæ ac sacerdotalis gloriæ ministris tuis fruendas, tuo proprio ore benedicere, ac sanctificare consecrareq; digneris, omnesque tuis ministerijs à nobis indignis consecrandos eis vtentes, & tibi in eis deuotè ac laudabiliter seruientes, aptos tibi & gratos effici concedas, & nunc & per infinita sæcula sæculorum. Respons. Amen.

Præfatio diaconorum.

ORemus, dilectissimi, Deum patrem omnipotentem, vt super hos famulos suos, N. quos ad officium diaconatus dignatur assumere, benedictionis suæ gratiam clementer effundat, eisque donum consecrationis indulgeat, per quod eos ad præmia æterna perducat. Oremus. Et diaconus, Flectamus genua. Leuate. Sequitur Oratio.

Exaudi Domine preces nostras, & super hos famulos tuos N. spiritum tuæ benedictionis emitte, vt cælesti munere ditati, & tuæ gratiam possint maiestatis acquirere, & benè viuendi alijs exemplum præbere. Per. in vnitate eiusdem Spiritus sancti.

Consecratio eorundem in modum præfationis.

OMnipotens Deus, bonorum dator, ordinum distributor, officiorumque dispositor, qui in te manens innouas omnia, & cuncta disponis, per verbum, virtutem, sapientiamq; tuam Iesum Christum filium tuum Dominum nostrum, sempiterna prouidentia præparans, & singulis quibusque temporibus aptanda dispensans, cuius corpus, ecclesiam videlicet tuam, cælestium gratiarum varietate distinctam, suorumque connexam distinctione membrorum, per legem mirabilem totius compaginis vnitam, in augmentum templi tui crescere, dilatarique largiris, sacri muneris seruitutem in tribus gradibus ministrorum nomini tuo militare constituens, electis ab initio Leui filijs, qui in mysticis operationibus domùs tuæ fidelibus excubijs permanentes, hæreditatẽ benedictionis æternæ, sorte perpetua possiderent, super hos quoque famulos tuos, quæsumus Domine, placatus intende, quos tuis sacrarijs seruituros in officium diaconij suppliciter dedicamus. Et nos quidem tanquam homines, diuini sensus & summæ rationis ignari, horum vitam quantùm possumus æstimamus: te autem, Domine, ea quæ nobis sunt ignota, non transeunt, te occulta non fallunt: Tu cognitor secretorum, tu scrutator es cordium, tu eorum vitã cælesti poteris examinare iudicio, quo semper præuales, & admissa purgare, & ea, quæ sunt agenda, concedere. Mitte in eos quæsumus Domine Spiritum sanctum, quo in opus ministerij fideliter exequendi septiformis gratiæ tuæ munere roborentur. Abundet in eis totius forma virtutis, auctoritas modesta, pudor constans, innocentiæ puritas, & spiritalis obseruantia disciplinæ. In moribus eorum præcepta tua fulgeãt, vt suæ castitatis exemplo imitationem sanctam plebs acquirat, & bonum conscientiæ testimonium præferentes, in Christo firmi & stabiles perseuerent, digniſque successibus de inferiori gradu per gratiam tuam capere potiora mereantur. Per eundem. in vnitate eiusdem Spiritus sancti.

Ad consummandum diaconi officium cum stola.

ACcipe stolam tuam, imple ministerium tuum. potens est enim Deus, vt augeat tibi gratiam,

gratiam, qui viuit & regnat cum Spiritu sancto in secula seculorum.

ALIA.

Accipe stolam candidatam de manu Domini, ab omnibus vitiorum sordibus purificatus in conspectu diuinæ maiestatis, vt omnibus vita conuersationis tuæ præbeat exemplum, plebisq, dicata Christi nomine, possit imitando te, imitationem acquirere iustam. Tunc stola, læuæ eius circumdata, det eis Euãgelium, dicens: Accipite potestatem legendi Euangelium in Ecclesia Dei, tam pro viuis quàm pro defunctis, in nomine Domini. Resp. Amen.

Sequitur benedictio.

Domine sancte, spei, fidei, gratiæ & profectuum munerator, qui in cælestibus & terrenis Angelorum ministerijs vbiquè dispositis, per omnia elementa voluntatis tuæ diffundis effectum, hos quoq; famulos tuos speciali dignare illustrare aspectu, vt tuis obsequijs expediti, sanctis altaribus tuis ministri puri accrescant, & indulgentia puriores eorum gradu, quos Apostoli tui in septenario numero, beato Stephano duce ac præuio, sancto Spiritu auctore elegerunt, digni existant, & virtutibus vniuersis, quibus tibi seruire oportet, instructi complaceant. Per Dominum.

Cùm verò consecrati fuerint, induantur dalmatica, & dent osculum Episcopo & sacerdotibus, & stent ad dexteram Episcopi.

Canon sancti Theodori.

In ordinatione presbyteri vel diaconi, oportet Episcopũ Missam cãtare. Similiter Græci faciunt, quando abbatem eligunt vel abbatissam.

Ordinatio presbyteri.

Post lectionem & Tractum atque Litaniam, parato electo, qui presbyter ordinandus est, diaconi more cum orario, præsentantibus eum atque ducentibus duobus diaconibus vsque ad presbyteros, duo presbyteri ducant ad sedem pontificis. Et ipse se erigens interroget, si iustus & dignus sit, hoc modo: Est dignus? Respondeant presbyteri: Dignus est. Episc. Est iustus? Resp. Iustus est. Et sic denuò ac tertiò vtrũque interrogetur. Deindè Episcopus dicat: Dignum & iustum faciat illum Deus semper in suo seruitio manere. Resp. Amen.

Post hæc interroget presbyterum talibus verbis: Vis presbyterij gradum in nomine Domini accipere? Resp. Volo. Vis in eodem gradu, quantum præuales & intelligis, secundùm canonum sanctiones iugiter manere? Resp. Volo. Vis Episcopo tuo, ad cuius parochiam ordinandus es, obediens & consentiens esse secundùm iustitiam, & ministerium tuum? Resp. Volo; & hoc Deo & sanctis eius ita in præsenti promitto, prout scio & implere valeo: Ità me Deus adiuuet, & sancti eius.

Et Episcopus dicit: Voluntatem tuam bonam & rectam ad perfectionem sibi beneplacitam Deus perducere dignetur. Resp. Amen.

Et alloquatur populum sequentibus verbis pro ordinando presbytero:

QVoniam, dilectissimi fratres, Rectori nauis, & nauigio deferendis, eadem est vel securitatis ratio, vel timoris; communis eorum debet esse sententia, quorum causa communis existit. Nec fruſtrà à patribus reminiscimur institutum, vt de electione eorũ, qui ad regimen altaris adhibendi sunt, consulatur & populus, quia de actu & cõuersatione præsentandi, quod nonnunquam ignoratur à pluribus, scitur à paucis. Et necesse est, vt facilius quis obedientiam exhibeat ordinato, cui assensum præbuit ordinando. Fratrum nostrorum & presbyterorũ N. conuersatio, quantùm mihi videtur probata ac Deo placita est & digna, vt arbitror, ecclesiastici honoris augmento: Sed ne vnum fortassè vel paucos aut decipiat assensio, aut fallat affectio, tententia est expetenda multorum. Itaque quid de eorum actibus aut moribus noueritis, quid de meritis sentiatis, Deo teste, consulimus. Debet hanc fidem charitas vestra habere, quam secundùm præceptum Euangelij, & Deo exhibere debetis, & proximo, vt his testimonium sacerdotij magis pro merito, quàm affectione aliqua tribuatis. Et qui deuotionem omnium expectamus, intelligere tacentes non possumus: Scimus tamen, quòd est acceptabilius Deo, si aderit per Spiritum sanctum cõsensus vnus omnium animorum. Et ideò electionem vestram, debetis publica voce profiteri. Illis autem profitentibus, dicat eis Episcopus qui ad presbyterij gradum prouehendi sunt.

Qui ordinandi estis presbyteri, offerre vos oportet & benedicere, præesse & prædicare, baptizare, & bonis operibus & Deo placitis vndiq; redũdare. Tunc eo inclinato, imponat manum super caput eius, & oẽs presbyteri, qui adsunt, manus suas iuxta manum Episcopi super caput illius teneant, & ille det orationem super eum.

Præfatio presbyterorum.

Oremus, dilectissimi, Deum patrem omnipotentem, vt super hos famulos suos N. quos ad presbyterij munus elegit, cælestia dona multiplicet, & quod eius dignatione suscipiunt, ipsius consequantur auxilio. Oremus, Et diaconus: Flectamus genua. Leuate.

Sequitur oratio:

Exaudi nos, quæsumus, Domine Deus noster, & super hos famulos tuos N. benedictionem sancti Spiritus, & gratiæ sacerdotalis effunde virtutem, vt quos tuę pietatis aspectibus offerimus consecrandos, perpetuam muneris tui largitatem consequantur. Per.

Consecratio eorundem.

Adesto quæsumus, omnipotens Deus honorum auctor, & distributor omnium dignitatum, per quem proficiunt vniuersa, per quem cuncta firmantur, amplificatis semper in melius naturæ rationalis incrementis, per ordinem congrua ratione dispositum. Vndè & sacerdotales gradus atque officia Leuitarum, sacramentis

mysticis

mysticis instituta creuerunt, vt cùm pontifices summos regendis populis præfecisses, ad eorum societatis & operis adiumentum, sequentis ordinis viros, & secundæ dignitatis eligeres. Sic in eremo per septuaginta virorum prudentium mentes, Moysis spiritum propagasti, quibus ille adiutoribus vsus in populo, innumeras multitudines facilè gubernauit. Sic in Eleazarum & Ithamarum filios Aaron, paternæ plenitudinis abundantiam transfudisti, vt ad hostias salutares, & frequentioris officij sacramenta, ministerium sufficeret sacerdotum. Hac prouidentia, Domine, Apostolis filij tui, doctores fidei comites addidisti, quibus illi orbem totum secundis prædicatoribus impleuerunt. Quapropter infirmitati quoque nostræ, Domine quæsumus, hæc adiumenta largire, qui quanto fragiliores sumus, tanto his pluribus indigemus. Da, quæsumus, omnipotens pater in hos famulos tuos N. presbyterij dignitatem, innoua in visceribus eorum spiritum sanctitatis, vt acceptũ à te Deus secundi meriti munus obtineant, censuramque morum exemplo suæ conuersationis insinuent. Sint prouidi cooperatores ordinis nostri, & luceat in eis totius forma iustitiæ, vt bonam rationem dispensationis sibi creditæ reddituri: æternæ beatitudinis præmia consequantur. Per eundem. in vnitate eiusdem Spiritus sancti.

Hic reflectet orarium super humerum eius dextrum, dicens ad eum: Accipe iugum Domini, iugum enim eius suaue est, & onus eius leue. Hic vestiat eum casula, dicens: Stola innocentię induat te Dominus.

Matth. 11.

ALITER:

Accipe vestem sacerdotalem, per quam charitas intelligitur. potẽs est enim Deus, vt augeat tibi charitatem, & opus perfectum. Qui viuit.

ITEM ALITER:

Induere vestibus præclaris, à cunctis commaculationum spurcitijs expurgatus, descendatq; super te diuinę trinitatis ante mundi constitutionem tibi benedictio data. Per omnia secula seculorum. Resp. Amen.

Item allocutio ad populum.

Sit nobis, fratres, communis oratio, vt hi qui in adiutorium & vtilitatem vestrę salutis eliguntur, presbyteratus benedictionem diuini indulgentia muneris consequantur, & vt sancti spiritus gratia sacerdotalia dona priuilegio virtutum, nè impares loco deprehendantur, obtineant.

Item consecratio.

Deus sanctificationum omnium auctor, cuius vera consecratio, cuius plena est benedictio, tu Domine super hos famulos tuos N. quos presbyterij honore dedicamus, munus tuę benedictionis effunde, vt grauitate actuum & censura viuẽdi præbeant se seniores, his instituti disciplinis, quas Tito & Timotheo Paulus exposuit, vt in lege tua die ac nocte, omnipotẽs, meditantes, quod legerint, credant: quod crediderint, doceant: quod docuerint, imitentur: iustitiam, cõstantiam, misericordiam, fortitudinem in se ostendant, exemplo probent, admonitione confirment, ac purum atque immaculatum ministerij sui donum custodiant, & per obsequium plebis tuæ panem & vinum in corpus & sanguinem filij tui immaculata benedictione transforment, & inuiolabili charitate virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi, in die iusti & æterni iudicij Dei, conscientia pura, fide vera, Spiritu sancto pleni, persoluant. Per eundem. in vnitate eiusdem Spiritus sancti.

Expleta autem oratione, accipiens oleum sanctum, faciat crucem super ambas manus eorum, dicens: Consecrare & sanctificare digneris Domine manus istas per istam vnctionem, & nostram benedictionem, vt quæcunque rectè consecrauerint, consecrentur: & quæcunque benedixerint, benedicantur, & sanctificentur in nomine Domini nostri Iesu Christi. Respons. Amen. Hoc facto accipiat patenam cum oblatis, & calicem cum vino, & det eis, dicens: Accipite potestatem offerre sacrificium Deo. Missamque celebrare tam pro viuis, quàm pro defunctis in nomine Domini. Resp. Amen.

Benedictio in consummatione presbyterorum.

Benedictio Dei Patris, & Filij, & Spiritus sancti descendat super vos, vt sitis benedicti in ordine sacerdotali, & offeratis placabiles hostias pro peccatis atque offensionibus populi omnipotenti Deo, cui est honor & gloria per omnia secula seculorum. Resp. Amen. Tunc osculetur singulos dicens: Pax Domini sit semper vobiscum: Et per manus commendet se orationibus eorum.

Decretum, quod clerus & populus firmare debet de electo Episcopo.

DOminis patribus, illis venerabilibus scilicet Episcopis diœceseos metropolis, clerus, ordo, & plebs huic sanctæ ecclesiæ specialiter obsequentes. Vestræ paternitati est cognitum, quantùm temporis est, ex quo accidẽtibus varijs eminentibus, hæc sancta ecclesia metropolis nostro sit viduata pastore, ac destituta rectore, quod non solùm ad nostrum, verùm ad vestrum, ac omnis diœceseos detrimentum pertinere dinoscitur, cùm totius prouinciæ solicitudinem Metropolitano constet esse commissam. Propterea elegimus huius diœceseos illius ecclesiæ presbyterum nomine ill. nobis sufficientissimè cognitum, natalibus & & moribus nobilem, Apostolica & Ecclesiastica disciplina imbutum, fide catholicum, natura prudentem, docibilem, patientẽ, moribus temperatum, vita castum, sobrium, humilem, adfabilem, misericordem, litteratum, in lege Dei institutum, in scripturarum sensibus cautum, in dogmatibus ecclesiasticis exercitatum, & secundùm scripturarum tramitem, traditionẽq; orthodoxorum, & canonum ac decretorum, sedis Apostolicæ præsulum cõstitutiones sano sensu Ecclesiasticas regulas intelligentem, sanoq; sermone docentem atque seruantem, amplectentemque eum, qui secundùm doctrinam est fidelem sermonem, & cum modestia corripientem eos, qui resistunt, & qui sanæ doctrinæ aduersantur, eis resistere, & redarguere prævalentem, hospitalem, modestum, suæ domui benè præpositum, non neophytum, habentem testimonium bonum, in gradibus singulis secundùm traditionem Ecclesiasticã ministrantem, ad omne opus bonum, & satisfactionem omni poscenti rationem de ea, quæ in illo est spe, paratum. Quem nobis quantocyus petimus ordinari pontificem, quatenùs auctore Domino regulariter nobis præesse valeat & prodesse, & nos sub eius regimine salubriter Domino militare possimus, quia integritas præsidentum, salus est subditorum, & vbi est incolumitas obedientiæ, ibi sanæ est forma doctrinæ. Vt autem omnium nostrum vota in hanc electionem conuenire noscatis, huic decreto canonico promptissima voluntate singuli manibus proprijs roborantes subscripsimus.

Item subscriptio Episcoporum in electionem Episcopi.

ILl. illius Ecclesiæ Archiepiscopus vel Episcopus, in electionẽ domini N. Ecclesiæ ill. Episcopi subscripsi. Isti illum in locum illius Ecclesiæ Episcopi, ipso consentiente, ordinari consenserunt, quod præsens inscriptio manifestat. Isti in ordinationem illius Ecclesię Episcopi conscripserunt.

Ex Concilio Africano. 4. Cap. 1.

1. Com. tom. pag. 512.

STatuta ecclesiastica docent, qui Episcopus ordinandus est, antè examinetur, si natura prudens est, si docibilis, si moribus temperatus, si vita castus, si sobrius, si semper suis negocijs vacans, si humilis, si affabilis, si misericors, si litteratus, si in lege Domini institutus, si in scripturarum sensibus cautus, si in dogmatibus ecclesiasticis exercitatus, & ante omnia si fidei documenta verbis simplicibus asserat, id est, Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum vnũ Deum esse confirmans, totamq; Trinitatis Deitatem coessentialem, & consubstantialem, & coæternalem, & coomnipotentem prædicans: & singulas quasque in Trinitate personas, vnũ Deum: si incarnationem diuinam non in Patre & Spiritu sancto factam, sed in Filio tantùm credant, vt qui erat in diuinitate Dei patris filius, ipse fieret in homine hominis matris filius Deus ver⁹ ex Patre, & homo verus ex matre, carnem ex matris visceribus, & animam humanam rationalem. Si simul in eo ambæ naturæ, id est, homo & Deus, vna persona, vnus filius, vnus Christus, vnus Dominus, creator, & auctor, & rector cum Patre & Spiritu sancto, omnium creaturarum, quæ sunt: qui passus vera carnis passione, mortuus vera corporis sui morte, surrexit vera carnis suæ resurrectione, & vera animæ resumptione, in qua veniet iudicare viuos & mortuos. Quærendum etiàm ab eo, si credit noui & veteris Testamenti, id est, legis, prophetarum & Apostolorum vnum, eundemque autorem Deum: Si diabolus non per conditionem, sed per arbitrium factus sit malus. Quærendum etiàm ab eo, si credat huius quam gestamus, & non alterius carnis resurrectionem: si credat iudicium futurum, & recepturos singulos pro his, quæ in carne gesserunt, vel pœnas, vel gloriam: Si nuptias non improbet, si secunda matrimonia non damnet, si carniũ perceptionem non culpet, si pœnitentibus reconciliatis communicet, si in baptismo omnia peccata, id est, tam illud originale contractum, quàm illa quæ voluntariè admissa sunt, dimittantur, si extra Ecclesiam Catholicam nullus saluetur. Cùm in his omnibus examinatus, inuentus fuerit plenè instructus, tunc cũ consensu clericorũ, & cõuentu totius prouincię Episcoporum, maximèq; Metropolitani vel auctoritate, vel presentia ordinetur Episcopus, suscipiẽs in nomine Christi Episcopatum, nec suæ delectationi, nec suis moribus, sed sanctorum patrum diffinitionibus acquiescens. In cuius ordinatione etiàm ætas requiratur, quam sancti patres exemplo Saluatoris in præeligendis Episcopis constituerunt.

Epistola vocatoria.

DIlectissimis fratribus & filijs, Presbyteris, Diaconibus, honoratis clericis & possessoribus vel cunctæ plebi ill. Ecclesię, simulq; vocato Episcopo ill. N. auxiliante Dño, Metropolitanus sãctę sedis Apostolicę ill.

Dilectionem vestram salubriter alloquimur, quia prædictum talem à vobis electum Episcopum virum venerabilem, tali Ecclesiæ ordinare compellimur, gaudemus, & honoramus Christum Iesum, vt qui vobis hanc electionis deuotionem dedit, nobis quoque perficiendi tribuat facultatem. Iam fatum virum religiosa violentia tenete, & ad sanctam sedem nostram ill. perducere festinate, qui fortè magis dignior erit, si se occultare voluerit. Ob quam rem, hanc direximus admonitionem, quemadmodùm optimè placuit sanctæ synodo, Episcopum sine vocatoria suscipi non debere, nè obscuritas dubiæ ordinationis incurrat.

Episcopi autem omni tempore benedicuntur. Nunc verò mos est, vt nocturno tempore benedicantur. Secunda namque incisione, id est, lectione sexta egreditur pontifex de Ecclesia Petri, & ascendit monasterium sancti Martini, quod sub tignis ipsius Ecclesiæ situm est, & subsequitur ipse electus, qui benedicendus est, suppliciter cum reliquo clero incedens, & stat foràs ostium oratorij. Schola cantorum incipit introitum. Posteà dicit Pontifex, Gloria in excelsis Deo.

Sequitur oratio:

Et euntes ab altari vnus presbyter, & alter diaconus, induunt eum vestimenta pontificalia, in primis lineam & cingulum, deindè anagolagium grande, posteà dalmaticam minorem, & cingulum brachiale, & orarium breue, deindè dalmaticam maiorem, clero interim canente responsorium. Immola Deo. Tract. Qui

seminat

Universidad de Deusto
Biblioteca

seminar. *Euang.* Designauit Dominus & alios septuaginta duo, & misit illos binos ante faciē suam. Tunc aduocantur in basilicam presbyteri à dextris eius, & diaconi à sinistris. Ipse verò inclinato capite in medio eorum incedit, vsque dum veniat ante altare. Tunc exuitur casula, & induit eum pontifex planeta, & legit breuem, hunc modum continentem:

Ciues, inquit, nostri elegerunt sibi illum pastorem. Oremus itaque pro hoc viro, vt Deus omnipotens infundat in eum gratiam spiritus sui, vt dignus habeatur ad cathedram Episcopatus regendā. Et respondeatur à schola: Christe audi nos. Et cantat litaniam. Et tunc accedit propius ad altare subnixo capite. Pontifex verò ponit manum super caput eius, & dicit vnam orationem in modum collectæ, alteram in eo modulamine, quo solet contestatio cantari: & sedet pontifex in sella sua. Ipse verò osculatur pedem eius, & suscipitur ad pacem, & sic consummatur consecratio illius. Et ipso die vbicunque Apostolicus Missam celebrat, de manu eius communionem accipiat.

Qualiter Episcopus debeat ordinari. Ex concilio Niceno, cap. 4.

EPiscopum conuenit maximè quidem ab omnibus qui sunt in prouincia, Episcopis ordinari. Si autem hoc difficilè fuerit, aut propter instantem necessitatem, aut propter itineris longitudinem, tribus tamen omnimodis in idipsum cōuenientibus, & absentibus quoq; pari modo decernentibus, & per scripta consentientibus, tunc ordinatio celebretur.

Qua die ordinetur Episcopus.

Ecclesiasticorum verò ordinum consecratio, in ieiunio quatuor Temporum die sabbati celebretur. Episcopi autem consecratio, qui est vicarius Apostolorum, immò & Christi, fit in Dominica, quia in eodem die per donum Spiritus sancti dignatus est illustrare corda Apostolorum. Fieri etiàm solet aliquoties in natalitijs Apostolorum. Nullis inuitis detur Episcopus: cleri, plebis & ordinis consensus & desiderium requiratur.

Ordo, qualiter Episcopus in Romana Ecclesia ordinetur.

EPiscopus cùm ordinatur, primo progrediatur dominus Metropolitanus cum electo, & cuncto clero & populo ad Ecclesiam, vbi ipsam fieri vult ordinationem. Et ingressus sacrarium, induat se vestimenta pontificalia. Post pusillum procedat è sacrario cum diaconibus & reliquis ministris, sicut in Dominicis diebus mos est procedendi. Et electus sacris vestibus indutus, procedat vnà cum Archiepiscopo, & cæteris Episcopis è sacrario ante altare. Factoq; ibi scrutinio, & concrepantibus signis Ecclesiæ, dominus Metropolitanus mox vt vult indicet cantori, & incipiat antiphonam ad introitum. Antiphona.

Elegit te Dominus sibi in sacerdotem magnum, & aperiens thesaurum suum optimum, A abundare te faciet omnibus bonis. Psal. Exaudiat te Dominus in die tribulationis, protegat te nomen Dei Iacob. ALIA.

Antiph. Sicut fui cum Moyse, ità ero tecum, dicit Dominus: conforta populum meum, neq; timeas, ecce Dominus Deus tuus ante te est, & non te derelinquit. Psal. Exaudiat te Dominus. ALIA.

Benedixit te hodiè Deus. Psal. Deus deorum Dominus. Cumque finierint introitum, non dicatur kyrie eleison, sed dominus Metropolitanus dicat hymnum, Gloria in excelsis Deo. Deindè, Pax vobiscum. ORATIO.

Quæsumus omnipotens Deus, vt huic viro ad vtilitatem Ecclesiæ prouehendo, benignitas B gratiæ tuæ tribuat largitatem. Per.

Hac oratione expleta, positaque sella Metropolitani ante altare, cæteræ episcopales sellæ ordinentur econtrà, respicientes sedem ordinatoris, & ordinandi cathedra collocetur in medio cæterorum. Interim electus ille sacris vestibus indutus, hoc est, alba, stola, cingulo, & cappa, procedat è sacrario, ducentibus eum per manus duobus Episcopis ante altare. Sedentibus quoque ordinabili silentio omnibus, & libros ordinationis præ oculis habentibus: dominus Metropolitanus ità eū scrutādo alloquatur: C

Incipit examinatio in ordinatione Episcopi secundùm Gallorum institutiones.

ANtiqua sanctorum Patrum institutio docet & præcipit, vt his, qui ad ordinē Episcopatus eligitur, maximè vt legimus in canone Carthaginensi, anteà diligentissimè examinetur, cum omni charitate, de fide sanctæ Trinitatis, & interrogetur de diuersis causis vel moribus, quæ huic regimini congruunt, & necessaria sunt retinere secundùm Apostoli dictū, Manus nemini citò imposueris. Et vt etiàm is, D qui est ordinādus, anteà erudiatur, qualiter sub hoc regimine constitutum oporteat conuersari in Ecclesia Dei; & vt irreprehensibiles sint, qui ei manus ordinationis imponunt. Eadem itaq; auctoritate & præcepto interrogamus te dilectissime frater charitate sincera, si omnem prudentiam tuam, quantùm tua capax est natura, diuinæ scripturæ sensibus accommodare volueris. Responsio ordinandi Episcopi.

Ità ex toto corde volo in omnibus obedire, & consentire. Interrogatio:

Vis ea, quæ ex diuinis scripturis intelligis, plebē cui ordinandus es, & verbis docere & exem- E plis? Responsio: Volo: Interrogatio.

Vis traditiones orthodoxorum patrum ac decretales sanctæ & Apostolicæ sedis constitutiones veneranter suscipere, docere, atque seruare? Responsio: Volo: Interrogatio:

Vis beato Petro, suæque Ecclesiæ, cui à Deo data est potestas ligandi atque soluendi, eiusq; vicario, successoribusq; eius fidem & subiectionem per omnia exhibere? Responsio. Volo. Interrogatio.

Vis sanctæ ill. Ecclesiæ, mihi N. & successoribus

ribus meis fidem & subiectionem exhibere? A Responsio: Volo. Interrogatio:

Vis mores tuos ab omni malo temperare, & quantùm poteris, Domino adiuuante, ad omne bonum commutare? Resp. Volo. Interrogatio.

Vis castitatem & sobrietatem, cum Dei auxilio, custodire & docere? Volo. Interrogatio.

Vis semper in diuinis negocijs esse mancipatus, & à terrenis negocijs, vel lucris turpibus esse alienus, quantum te humana hæc fragilitas consenserit posse? Responsio. Volo:

Vis humilitatem & patientiam in temetipso custodire, & alios similiter docere? Volo.

Pauperibus & peregrinis, omnibusq; indigen B tibus vis esse propter nomen Domini affabilis & misericors? Resp. Volo. Tunc dicatur ei:

Hæc omnia & cætera bona tribuat tibi Dominus, & custodiat te, atque corroboret in omni bonitate. Responsio. Amen.

Item interrogatio de credulitate.

CRedis secundùm intelligentiam & capacitatem sensus tui sanctam Trinitatem, Patrem & Filium & Spiritum sanctum, vnum Deum omnipotentem, totamque in Trinitate Deitatem coessentialem & consubstantialem, coæternam & coomnipotentem, vnius C voluntatis, potestatis & maiestatis, creatorem omnium creaturarum, à quo omnia, per quem omnia, in quo omnia, quæ sunt in cælo & in terra, visibilia & inuisibilia & spiritalia. Responsi. Assentior, & ità credo. Interrogatio:

Credis singulam quamque in sancta Trinitate personam, vnum verum Deum, plenum & perfectum: Resp. Credo. Interrogatio:

Credis ipsum filium Dei, Verbum Dei æternaliter natum de Patre, consubstantialem, coomnipotentem, & æqualem per omnia Patri in diuinitate, temporaliter natum de Spiritu sancto & Maria semper virgine, cum anima ratio- D nali, duas habentem natiuitates, vnam ex patre æternam, alteram ex matre temporalem, Deum verum, & hominem verum, proprium in vtraq; natura atque perfectum, non adoptiuum, nec phantasmaticum, vnicum, & vnum filium Dei, in duabus & ex duabus naturis, sed in vnius singularitate personæ, impassibilem & immortalē diuinitate: sed in humanitate pro nobis, & pro salute nostra passum vera carnis passione, & sepultum, ac resurgentem à mortuis tertia die, vera carnis resurrectione, die quadragesimo post resurrectionem cum carne qua resurrexit, & anima ascendisse in cælum, & sedere ad dexteram Patris, indè venturum iudicare viuos & mortuos, & redditurum vnicuique secundùm opera sua, siue bona fuerint, siue mala?

Responsio ordinandi: Assentior, & per omnia credo. Interrogatio:

Credis etiàm Spiritum sanctum, plenum & perfectum, verumq; Deum à Patre & Filio procedentem, coæqualem & coessentialem, coomnipotentem, & coæternum per omnia Patri & Filio? Responsio: Credo. Interrogatio:

Credis hanc sanctam Trinitatem, non tres deos, sed vnum Deum omnipotētem, æternum, inuisibilem, & incommutabilem? Responsio. Credo. Interrogatio:

Credis sanctam Catholicam & Apostolicā vnam esse veram Ecclesiam, in qua vnum datur baptisma, & vera omnium remissio peccatorum? Resp. Credo. Interrogatio:

Anathematizas etiàm omnem hæresim extollentem se aduersus hanc sanctam Ecclesiam Catholicam? Responsio. Facio, vel anathematizo. Interrogatio:

Credis etiàm veram resurrectionem eiusdem carnis, quam nunc gestas, & vitam æternam? B Credo.

Credis etiàm noui & veteris Testamenti legis & Prophetarum, & Apostolorum vnum esse auctorem, Deum ac Dominum omnipotentem? Responsio: Credo. Et dicatur ei:

Hæc tibi fides augeatur à Domino ad veram & æternam beatitudinem, dilectissime frater in Christo. Et respondeant omnes, Amen.

Item dicatur ei:

Hæc solicita mente & studio vigilanti conserua, & tibi commissis nota facere cura, vt vnanimes vno ore collaudetis Deum de suis erga vos beneficijs, cui exhibendus est honor & gloria. Per omnia secula seculorum. Resp. Amen. C

Ita quoque examinato & plenè instructo, legatur lectio.

Lectio epistolæ B. Pauli Apost. ad Timotheum. c. 3.

CHarissime, Fidelis Sermo: Si quis Episcopatū desiderat, bonū op⁹ desiderat. Oportet ergo Episcopum irreprehēsibilē esse, vnius vxoris virum, sobriū, prudētē, pudicū, ornatum, hospitalem, doctorem, nō vinolentum, non percussorem, sed modestū, non litigiosum, non cupidum, suæ domui benè præpositum, filios habentem subditos cum omni castitate. Si quis autem domui suæ præesse nescit, quomodò Ecclesiæ Dei diligentiam habebit? Non neophytum, nè in superbiā elatus, in iudicium incidat diaboli. Oportet autem illum & testimonium habere bonum ab his, qui foris sunt, vt doctrinam Dei nostri ornet in omnibus.

GRAD. Immola Deo sacrificiū laudis, & red de Altissimo vota tua. Vers. Congregate illi sanctos eius, qui ordinauerunt testamentū eius super sacrificia. Item. Grad. Memor sit omnis sacrificij. Vers. Mittat tibi auxilium de sancto. Allel. Qui posuit fines eius. Allel. Diffusa est E gratia in labijs tuis, propterea benedixit te Deus in æternum. Tract. Desiderium animæ eius tribuisti ei, & voluntate labiorum eius non fraudasti eum. Vers. Quoniam præuenisti eum in benedictione dulcedinis. Vers. Posuisti super caput eius coronam de lapide pretioso.

Tunc egrediatur Episcopus designatus ad sacrarium cum duobus Episcopis, & archidiacono, cum subdiaconibus & acolytis, & induant ipsum electum cambagos, sandalia, manicas, dalmaticam, planetam.

Quando

Universidad de Deusto
Biblioteca

Quando induitur cambagis & sandalijs dicatur ab Episcopis.

Omnipotens sempiterne Deus, qui es initiũ & finis, hac istum famulum tuum N. fratrem scilicet nostrum, tua benedictione calceari pedulibus istis in præparationem Euangelij pacis. Per. *Quando induitur manicis.*

Immensam clementiam tuam rogamus omnipotens & pijssime Deus, vt manus istius famuli tui N. scilicet fratris nostri, sicut exteriùs obducuntur manicis istis, sic interiùs adspergantur rore tuæ benedictionis, vt quæcunque per eas sint benedicenda vel consecranda, per te benedicantur & consecrentur. Qui viuit.

Quando induitur dalmatica.

Deus bonorum omnium auctor & largitor, guberna famulum tuum hunc N. fratrem nostrum, vt sicut hoc typico indumento, priscorũ patrum ritu, latiora vestimenta præsentialiter constringuntur: ità mentis eius vanæ & vagæ cogitationes, ne in effectum periculosum proueniant, te protegente coerceantur. Præstante.

Episcopo verò designato solenniter præparato, id est Episcopi casulis induti, deportent eum superiùs iuxta altare. Et conuertens se ad populum ordinator, dicit:

Seruanda est, dilectissimi fratres, in excessu sacerdotum lex & antiqua ecclesię consuetudo, vt decedentibus alijs, quique dignissimi subrogentur, per quorum doctrinam fides catholica & religio Christiana subsistat. nè ouile Domini prædo violentus irrumpat, & dispersas absque pastore oues fur nocturnus inuadat. Recepto itaque dispensatione Dei sacerdote vestro, solicitè vobis agendum est, vt in locum defuncti, talis successor præparetur ecclesiæ, cuius peruigili cura & instanti solicitudine, ordo ecclesiæ & credentium fides, in Dei timore melius conualescat, qui præcipiente Apostolo in omni doctrina formam boni operis ipse præbeat: cuiq; habitus, sermo, vultus, incessus, doctrina, virtus sit, qui vos vt pastor bonus fide instruat, exemplo patientiæ doceat, doctrina religionis instituat, & in omni opere bono confirmet charitatis exemplo. Secundùm ergò voluntatem Domini, in locum sanctæ memoriæ illius nomine, virum venerabilem, ill testimonio presbyterorum & totius cleri, & consilio ciuium ac consistentium, credimus eligendum virum, vt nostis, natalibus nobilem, moribus clarum, religione probum, fide stabilem, misericordia abundantem, humilem, iustum, pacificum, patientem, charitatem habentem, tenacem in cunctis, quæ in sacerdotibus eligenda sunt, bonis omnibus exuberantem. Hunc ergò, dilectissimi fratres, à testimonio boni operis electum, dignissimum sacerdotio, consonantes laudibus clamate, & dicite: Dignus est.

His ità profitentibus cum consensu clericorum & laicorum, ac conuentu totius prouinciæ Episcoporum, maximeque metropolitani vel auctoritate, vel præsentia ordinetur. Et statim incipiat clerus kyrie eleison cum litania, & prosternat se ordinator electi simul cum electo, & cæteris Episcopis ante altare super stramenta, vsquedum dicat schola, Agnus Dei. Vt autem surrexerint, duo Episcopi ponant & teneant Euangeliorum codicem super ceruicem eius & inter scapulas clausum, & vno super eum fundente benedictionem, reliqui omnes Episcopi qui adsunt, manibus suis caput eius tangant, & dicat ordinator hanc orationem:

ADesto supplicationibus nostris omnipotens Deus, & quod humilitatis nostræ gerendum est ministerio, tuæ virtutis impleatur effectu. Per.

Sequitur Præfatio.

Oremus dilectissimi nobis, vt huic viro, vtilitati Ecclesiæ prouidens benignitas omnipotentis Dei, gratiæ suæ tribuat largitatem. Per.

ORATIO.

Propitiare Domine supplicationibus nostris, & inclinato super hunc famulum tuum N. cornu gratiæ sacerdotalis benedictionis tuæ in eum effunde virtutem. Per. Per omnia secula seculorum. Resp. Amen. Dominus vobiscum. Resp. Et cum spiritu tuo. Sursum corda. Resp. Habemus ad Dominum. Gratias agamus Domino Deo nostro. Resp. Dignum & iustum est.

PRAEFATIO.

Vere dignum & iustũ est, æquum & salutare, nos tibi semper & vbique gratias agere, Domine sancte, pater omnipotens æterne Deus. Honor omnium dignitatum, quæ gloriæ tuę sacratis famulantur ordinibus. Deus qui Moysem famulum tuum secreti familiaris affatu, inter cætera cælestis documẽta culturæ, de habitu quoque indumenti sacerdotalis instituens, electum Aaron mystico amictu vestiri, inter sacra iussisti, vt intelligentiæ sensum de exemplis priorũ caperet secutura posteritas, nè eruditio doctrinæ tuæ vlli deesset ætati, cùm & apud veteres reuerentiam ipsa significationum species obtineret, & apud nos certiora essent experimenta rerum, quàm ænigmata figurarum. Illius namque sacerdotij anterioris habitus, nostræ mentis ornatus est, & põtificalem gloriam non iam nobis honor commendat vestium, sed splendor animarum. Quia & illa quæ tunc carnalibus blandiebantur obtutibus, ea potiùs quę in ipsis erãt intelligẽda, poscebant. Et idcircò huic famulo tuo N. quem ad summi sacerdotij ministerium elegisti, hanc quæsumus, Domine gratiam largiaris, vt quicquid illa velamina in fulgore auri, in nitore gemmarum, & in multimodi operis varietate signabant, hoc in eius moribus actibusque clarescat. Comple in sacerdote tuo mysterij tui summam, & ornamentis totius glorificationis instructum, cælestis vnguenti flore sanctifica.

Hic mittat chrisma in caput Episcopi in modũ crucis.

Vngatur & consecretur caput tuum cęlesti benedictione in ordine pontificali, in nomine Patris,

Patris, & Filij, & Spiritus sancti. Resp. Amen. Pax tibi. Et cum.

Hoc, Domine, copiosè in eius caput influat, hoc in oris subiecta decurrat, hoc in totius corporis extrema descendat, vt tui spiritus virtus & interiora eius repleat, & exteriora circuntegat. Abundet in eo constantia fidei, puritas dilectionis, sinceritas pacis. Sint speciosi munere tuo pedes eius ad euangelizandum pacem, ad euangelizandum bona tua. Da ei Domine ministerium reconciliationis in verbo & in factis, in virtute signorum & prodigiorum. Sit sermo eius & prædicatio non in persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis, sed in ostensione spiritus & virtutis. Da ei Domine claues regni cælorum, vt vtatur, non glorietur, potestate, quam tribuis in ædificationem, non in destructionem. Quod cunque ligauerit super terram, sit ligatum & in cælis: & quodcunque soluerit super terram, sit solutũ & in cælis. Quorum detinuerit peccata, detenta sint: & quorum dimiserit, tu dimittas. Qui benedixerit ei, sit benedictus. & qui maledixerit ei, maledictionibus repleatur. Sit fidelis seruus & prudens, quem constituas tu Domine super familiam tuam, vt det illis cibum in tempore opportuno. & exhibeat omnem hominem perfectum. Sit solicitudine impiger, sit spiritu feruens. Oderit superbiam, humilitatẽ diligat: nec eam vnquam deserat, aut laudibus aut timore superatus. Nõ ponat lucem tenebras, nec tenebras lucem: non dicat malum bonum, nec bonum malum. Sit sapientibus & insipientibus debitor, vt fructum de profectu omnium consequatur. Tribuas ei Domine cathedram episcopalem ad regẽdam Ecclesiam tuam, & plebem vniuersam. Sis ei auctoritas, sis ei potestas, sis ei firmitas, multiplices super eum benedictionem & gratiam tuam, vt ad exorandam semper misericordiam tuam, tuo munere semper idoneus, tua gratia semper possit esse deuotus. Per Dominum. in vnitate eiusdem Spiritus sancti.

Vngantur manus istæ de oleo sanctificato, & chrismate sanctificationis: sicut vnxit Samuel Dauid in regem & prophetam, ità vngantur & cõsummentur in nomine Dei Patris, & Filij, & Spiritus sancti, facientes imaginem sanctæ Crucis Saluatoris Dñi nostri Iesu Christi, qui nos à morte redemit, & ad regna cælorum perduxit. Exaudi nos pie pater, omnipotens ęterne Deus, & præsta, vt quod te rogamus, exoremus. Per.

Completa benedictione, confirmet pollicem consecrati cum chrismate, dicendo:

DEus pater Dñi nostri Iesu Christi, qui te ad pontificatus sublimari voluit dignitatem, ipse te chrismate & mysticæ delibutionis liquore perfũdat, & spiritalis benedictionis vbertate fœcũdet, vt quicquid benedixeris, benedicatur: quicquid sanctificaueris, sanctificetur: & consecratæ manus istius vel pollicis impositio, cunctis proficiat ad salutem. Per.

Benedictio Annuli.

Creator & conseruator humani generis, dator gratiæ spiritualis, largitor æternæ salutis: tu Domine permitte tuam benedictionem super hunc annulum, vt quicunque hoc sacrosanctæ fidei signo insignitus incedat, in virtute cælestis defensionis ad æternam vitã sibi proficiat. Per

Quando datur annulus.

Accipe annulum, discretionis & honoris fidei signum, vt quæ signanda sunt, signes: & quæ aperienda sunt, prodas: quæ liganda sunt, ligas: quæ soluenda sunt, soluas: atq; credentibus, per fidem baptismatis: lapsis aũt, sed pœnitentibus, per ministerium reconciliationis ianuas regni cælestis aperias: cunctis verò de thesauro Dominico noua & vetera proferas ad æternam salutẽ hominibus, consolatus gratia Domini nostri.

ADMONITIO.

MEmor sponsionis & desponsationis ecclesiasticæ, & dilectionis Domini Dei tui, in die qua assecutus es hunc honorem, caue nè obliuiscaris illius.

ALIA.

Accipe annulum pontificalis honoris, vt sis fidei integritate ante omnia munitus, misericordiæ operibus insistens, infirmis compatiens, benè volentibus congaudens, aliena damna propria deputans, de alienis gaudijs tanquàm de proprijs exultans. ALIA.

Accipe annulum, fidei scilicet signaculum, quatenus sponsam Dei, sanctam videlicet Ecclesiam, intemerata fide ornatus, illibatè custodias. Per. *Benedictio baculi.*

Deus sine quo nihil potest benedici vel consecrari, hunc baculum benedicere dignare, vt quotiescunque famulus tuus illum gestando, & te in corde tenendo per hunc sustentetur, tuæ benedictionis vbertate repleatur. Per.

Quando datur baculus dicit:

Accipe baculum pastoralis officij, potestatẽ ligandi atque soluendi, & sis in corrigendis vitijs perseuerans, iudicium sine ira tenens, in fouendis virtutibus auditorũ animos demulcens, in tranquillitate seueritatis censuram non deserens. ALIA.

Accipe baculum sacri regiminis signum, vt imbecilles consolides, titubantes confirmes, prauos corrigas, rectos dirigas in viam salutis æternæ, habeasq; potestatẽ erigendi dignos, & corrigendi indignos, cooperante Dño nostro.

Tunc det osculum põtifici, & diaconibus omnibus, & tenens eum archidiaconus, deportet in presbyterium, & det osculum Episcopis & presbyteris. Deindè iubeat eum dominus pontifex in capite sediũ Episcoporum sedere. Dominus verò pontifex redit ad sedem. Dum autem sederit, lauet manus: & ponens incensum in thymiamaterio, inclinanti archidiacono det benedictionem, & ille imponat Euangelium secundum Marcum.

IN illo tempore: Circuibat Iesus in circuitu docens, & conuocauit duodecim, & cœpit eos mittere binos, & dabat illis potestatem spirituum immundorum, & præcepit eis,

Universidad de Deusto
Biblioteca

nè quid colleret in via, nisi virgam tantùm: non A
peram, non panem, neque in zona æs: sed calceatos sandalijs, & nè induerentur duabus tunicis. Et dicebat eis: Quocúque introieritis in domum, illic manete, donec exeatis indè. Et quicunque non receperint vos, nec audierint vos, exeuntes vos indè, excutite puluerem de pedibus vestris in testimonium illis. Exeuntes prædicabant vt pœnitentiam agerent, & dæmonia multa ejiciebãt. Et vngebãt oleo multos ægros, & sanabantur. Offert. Inueni Dauid. Alleluia. Gloria & hono. Secreta. Suscipe Domine munera, quæ tibi offerimus pro famulo tuo, vt propitius in eodem tua dona custodias. Per. B

Infra actionem.

Hanc igitur oblationem seruitutis nostræ, sed & cunctæ familiæ tuæ, quam tibi offerimus pro famulo tuo N. quem ad Episcopatus ordinem promouere dignatus es, quæsumus Domine, vt placatus accipias, & propitius in eo tua dona custodias, vt quod diuino munere consecutus est, diuinis effectibus exequatur. Diesq; nostros. *Benedictio.*

Deus qui populis tuis indulgendo consulis, & amore dominaris, da spiritum sapientiæ, quibus tradidisti regimen disciplinæ, vt de profectu sanctarum ouium fiant gaudia æterna pastorum. Amen. Et qui dierum nostrorum numerum, temporumq; mensuras maiestatis tuæ potestate dispensas, propitius ad humilitatis nostræ respice seruitutem, & pacis tuæ abundantiã temporibus nostris prætende perfectam. Amẽ. C

Collatis quoque in me per gratiam tuã propitiare muneribus, & quem fecisti gradu Episcopali sublimem, fac operum perfectione tibi placabilem, atque in eum affectum dirige cor plebis & præsulis, vt nec pastori obedientia gregis, nec gregi desit vnquam cura pastoris. Amẽ. Quod ipse præstare.

Cùm autem venerit ad communicandum, dominus pontifex porrigit ei formatam atque sacratam oblationem integram. Suscipiensque eam Episcopus, ipse ex ea communicet super altare: quod verò residuũ fuerit, sibi reseruet denuò ad cõmunicandum vnoquoque die vsque quadraginta dies expletos. Et postmodũ iussus à domino pontifice, cõmunicat populum cum cæteris Episcopis. *Communio.* D

Messis quidem multa, operarij autem pauci. Rogate ergò dominum messis, vt mittat operarios in messem suam. *Post communio.*

Plenum, quæsumus, Domine in nobis remedium tuæ miserationis operare, & tales nos esse E
perfice propitius, & sic foueri, vt tibi in omnibus placere valeamus. Per.

Formata Episcopo danda.

Dilectissimis fratribus & filijs, presbyteris, diaconibus, honoratis clericis & possessoribus, vel cunctæ plebi ill. ecclesiæ N. auxiliante Domino, Archiepiscopus sanctæ sedis Catholicæ ill. Electionem vestram Deo acceptissimam comprobantes, virum venerabilem N. in primo ordine vobis consecrauimus sacerdotem. Ideoq; dilectionem vestram solicitè cõmonemus, vt prædictum tali veneratione colatis, qua eum vobis voluistis consecrari pontificẽ. Quãobrem talem missum sedis nostræ direximus, vt optimè placuit sanctæ synodo Episcopum sinè formata suscipi non debere, nè obscura aut dubia nota ordinationis incurrat. Ego N. recognoui, ist. N. in ordinatione ill. ecclesiæ episcopi cõscripserũt. Ego N. ill. ecclesiæ episc. subscripsi.

Edictum quod dat Pontifex Episcopo cui benedicit.

Dilecto nobis fratri ill. episc. ill. põtifex: Dũ, vt credimus, te diuino nutu vocante clerus vel populus ciuitatis illius vnà cum subiectis parochijs vnanimes vnoq; ore sibi elegerunt rectorem, & ad nos vsque perducentes, petierunt consecrari Episcopum, quoniamq; auxiliante Dño testimoniũ illis reddentibus de conscientia tua vel castitate, seu de reliquis bonis, quæ Deo acceptabilia sunt, ob vtilitatem ipsius ecclesię per manus nostræ impositionem te Episcopũ consecrauimus: Amodò frater charissime scias te maximũ pondus suscepisse laboris, quod est sarcina regiminis animarum, & cõmodis seruire multorum, omniumq; fieri minimum atq; ministrum, & pro credito tibi talento, in die examinis & iudicij, rationem redditurum. Nam si Saluator noster dixit, Non veni ministrari, sed ministrare, & animam suã posuit pro ouibus suis: quantò magis nos desidiosi serui summi patris familias debemus maximo sudore incumbere, oues Dominicas nobis à summo pastore consignatas, ad ouile Dominicum, suffragante diuina gratia, absq; morbo vel macula perducere? Denique exhortari volumus dilectionem tuã, vt fidem, quam breuiter lucideq; digessimus, illibatam & inuiolabiliter custodias, quę est ità in his verbis deprompta: *Matt. 20. Ioan. 10.* *Sermo de fide.*

Credimus in vnum Deum omnipotentem, visibilium omniũ & inuisibilium factorem: & in vnum Dominum nostrum Iesum Christum filiũ Dei viui, & Spiritum sanctum Domini. Non tres deos, sed Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum, vnum Deum colimus, confitemur & adoramus. Patrem credimus ingenitum, Filium genitum, Spiritum verò sanctum non genitũ, non creatum, neq; factũ, sed de Patre & Filio procedentẽ, Patri & Filio coæternum, & coæqualem, & cooperatorem. Et in hac Trinitate nihil est prius aut posterius, nihil est minus aut maius, sed coæterni sibi sunt & coæquales. Itaque Pater & Filius & Spiritus sanctus, hi tres vnũ sunt. Tres non confusi, nec diuisi, sed distinctim coniuncti, & coniunctim distincti: æqui diuinitate, consimiles maiestate, qui ità vniti sunt, vt tres quoque non dubitemus: ità tres sunt, vt seperari à se non posse fateamur. Diuiditur, vt ità dicã, hæc sancta Trinitas indiuisibiliter, & coniungitur diuisibiliter, quẽadmodũ ipse Dei filius Iesus Christus effatus est, dicẽs: Ego & Pater vnũ sumus. Vnũ, quod dixit, pluralitatẽ exclusit. Sumꝰ quod addidit, personas manifestè ostendit. Credimus

dimus & in nouissimus temporibus propter nos A
homines, & propter nostram salutem Dei filiũ descendisse de cælis, & adsumpsisse humanam carnem ex Maria semper virgine. In qua verò carne, quam veraciter adsumpsit, passus est & flagellatus, colaphis, spinis illitus, spineam coronam in capite gestans, cruci cum impijs latronibus adfixus, vt & illud impleretur, Quia cum iniquis deputatus est, felle & aceto potatus, sicut prædictum fuerat: Et dederunt in escam meam fel, & in siti mea potauerunt me aceto. Mortuus est, descendit ad inferos, & animas quas voluit, quæ ex Adam vinculo ibi adstrictæ tenebantur, ad superos reuocauit. Tertia die resurrexit à B
mortuis, & per quadraginta dies post resurrectionem suam in terris conuersatus, & cum discipulis suis loquens, atque conuescens, locutus est, dicens: Videte manus meas & pedes meos, quia ego ipse sum, &c. Post hæc in montem olieti cõscendens, vocatis discipulis suis, ait illis: Ite, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, docentes eos seruare omnia quæcunque præcepi vobis. & eccè ego vobiscum sum omnibus diebus vsque ad consummationem seculi. Tunc videntibus illis, ascendit in cælos, & sedet ad dexterã Dei patris omnipotentis. Indè venturũ expectamus C
eum ad iudicium, iudicaturum viuos & mortuos, & reddere vnicuique aut vitam æternam, præmium boni meriti, aut sententiam pro peccatis æterni supplicij. *Esa. 53.* *Psal. 68.*

Credimus vnum baptisma, credimus carnis resurrectionem, & in triginta annorum ætate ad iudicium venturos. Credimus sanctam Ecclesiam Catholicam, toto orbe diffusam. Credimus remissionem omnium peccatorum, communionemq; sanctorũ, & vitam æternã. Amen.

Scimus nanq; quòd ab infantia sacris es litteris eruditus, & canonum institutis ad liquidum D
edoctus: at tamen nõ prolixè, sed breuiter quidẽ strictimq; ad te nobis dirigendus est sermo.

Ordinationes si quas feceris, secundùm canones atq; apostolicã Ecclesiã aptis tẽporibus fac, id est, mensis primi, quarti, septimi, atq; decimi.

Vide vt citò nemini manũ imponas, nè communices peccatis alienis.

Bigamos vel curiales, aut seruum cuiuslibet ad sacrum ordinem nequaquam promoueas, nec neophytum, nè secundùm Apostoli sententiam elatus, in laqueum vel voraginem incidat diaboli. sed eos in sacrosancta Ecclesia ordinare stude, qui ætatem habeant maturitatis, & E
apud Deum & homines fideliter vixerint, & deincèps viuere studeant.

Et hoc cauendum est tibi, quasique venenum pestiferum reijciendum, nè auaritia subripiat cor tuum, vt per quodlibet munus acceptum, manus alicui tribuas, & in simoniacam hæresim, quam Saluator noster omnimodis detestatur, in præceps ruas. Memento quia gratis accepisti, gratis & da. Secundùm enim vatis eloquium, Qui eijcit auaritiam, & excutit manus suas ab omni munere, hic in excelsis habitabit, & munimenta saxorum, sublimitas eius. Panis ei datus est, aquæ ipsius fideles sunt, regem in decore videbunt oculi eius.

Temetipsum mitem, castumque custodi. In habitaculum tuum aut rarò aut numquam mulieri sit ingressus. Omnes puellas aut virgines Christi, aut æquanimiter ignora, aut æquanimiter dilige. Nec de præterita castitate confidas, quia nec Samsone fortior, neque Salomone poteris esse sapientior. Quandò autem ob animarum lucrum visitationis causa in collegium vel infra septa ingressus fueris ancillarum Dei, nõ solus introeas, sed tales tecum adhibe socios, de quorum contubernio non diffameris, quia oportet Episcopum irreprehensibilem esse, & testimonium habere bonum ad omnes, vt nè quis ex eo scandalum sumat. Scandalizanti videlicet vnum ex pusillis, scimus quanta animaduersio à Domino comparetur.

Prædicationi insta, verbum Dei plebi tibi commissæ affluenter melliflueque atque distincte, in quantùm rore cęlesti perfusus fueris, prædicare non desinas. Scripturas diuinas sæpiùs lege, immò si potest fieri, lectio sãcta in manibus tuis, maximeque in pectore semper inhæreat. ipsam verò lectionem oratio interrumpat. Ad vicem namque speculi, anima tua in ipsam sedulè respiciat, vt vel quæ incorrecta sunt, corrigat: vel quæ pulchra, ampliùs exornet. Disce, quod sapienter doceas, eum qui secundùm doctrinam est, fidelem sermonem, vt possis exhortari in doctrina sana, & contradicentes reuincere. Permane in his quæ didicisti, & credita sunt tibi eloquia Dominicæ dispensationis. Paratus semper esto ad satisfactionem: nec confundant opera tua sermonem tuum, nè cùm in Ecclesia loqueris, tacitus quislibet respondeat: Cur ergò ipse non facis quod iubes? Recognosce magister, qui turgidum ventrem ferre videris, ne de ieiunijs prędices. Furta atque periuria possunt etiàm detestari latrones, & auaritiam cupidi. Vita scilicet tua irreprehensibilis fiat: In ipsa filij tui regulam sumant: In ipsa, quicquid in ipsis minùs correctum fuerit, corrigant: Ex ipsa videant, quod diligant: cernant, quod imitari festinent: vt ad exemplum tuum omnes fideli studio viuere compellantur. Sit erga subiectos tuos solicitudo laudabilis. Exhibeatur cũ mansuetudine disciplina, cum discretione correptio. Iram benignitas mitiget, benignitatem zelus exacuat: & ita alterum ex altero condiatur, vt nec immoderata vltio vltrà quàm oportet, affligat: nec iterùm frangat rectorem disciplinæ remissio. Itaque boni te dulcem, praui asperum sentiãt correptorem. In qua videlicet correptione hunc esse ordinem noueris obseruandum, vt personam diligas, & vitia persequaris: nè, si aliter agere fortasse volueris, transeat in credulitatem correptio, & perdas per remissam iram, quos emendare per discretionem debueras. Sic enim vulnera te conuenit

Universidad de Deusto
Biblioteca

abscindere, vt non possis ulcerare quod sanum esse videtur, nè si plusquàm res exigit, ferrum incisionis impresseris, noceas cui prodesse festinas. Nec dicimus, vt in te delinquentibus nõ te ostendas vltorem, & vitia nutrire permittas: sed hortamur, vt in iudicio semper misericordia misceatur, vt possis cum prophe ta fiduciaPsal. 100. liter dicere: Misericordiam & iudicium cantabo tibi Domine. Sit in te pastoris pietas, amabilisq; dulcedo, & secundum canonum regulas seuera districtio, videlicet, vt innocenter viuentes leniter foueas, & inquietos perfidosque feriendo à prauitate compescas. Nullius faciem in iudicio adspicias, vt nec diuitem potentia B sua apud te extollere possit, nec pauperem propter paupertatem humilitatemq; ipsius, exaspe ratio tua de re quã suggeret, humiliorẽ reddat. Substantiam Ecclesiæ, quam ad dispensandum susc ipis, fideliter atque discretè erogare ne dissimules. Scias te alienum esse dispensatorem, vt in te Dominicum impleatur eloquium, dicens:
Luc. 12. Fidelis seruus & prudens, quem constituit Dominus super familiam suam, vt det illis escam in tempore.

Hospitalitatem sectare: misericordem, prout
Prou. 21. vires suppetunt, pauperibus te exhibe: quia Qui C obturat aurem à clamore eorum, vt non exaudiat: ipse clamabit, & non exaudietur.

Viduæ, orphani, pupilliq; te benignissimum pastorem, atque tutorem se habere gaudeant.

Oppressis defensio tua subueniat. Illis autem qui opprimunt, vigor tuus efficaciter contradicat. Et ità cuncta Deo adiuuante præmunias, vt lupus sæuiens, sequacesue illius, adhuc in carne vitam agentes, huc illucque debacchantes, & animas innocentium laniare cupientes, in ouile Dominicum ingrediendi, ad perdendas animas, locum non habeant.

Nullus te fauor extollat, nulla aduersitas atD terat, id est, vt nec in prosperis cor tuum eleuetur, nec in aduersis in aliquo deijciatur: sed omnia & in omnibus, cautè & cũ discretione agere te volumus, vt absque reprehensione ab omnibus viuere comproberis. *Exhortatio:*

Et à dilectissime frater, satage, atque elaborare nõ desinas ad perficiendũ opus quod acturus es, vt oues tibi traditas tandem ali quandò ad ouile Dominicũ salubri refectionis pabulo educatas, repræsentare vnà tecum merearis. Perpendamus communiter, frater charissime, nos qui pastores ouium Dominicarũ indignè dicimur. Pastores sunt ouium, brutorũq; E animalium, qui die noctuq; peruigiles existũt, & greges à dominis suis sibi cõmissos, cum maxima instantia fideliter custodiũt. Fugit somnus ab oculis eorum, peruigiles in noctibus plurimis existunt: æstu vruntur & siti, cõscendunt cacumina montium, colles vallesq; perscrutari nõ desinunt, perquirentes pascua ouium alendarũ apta. Quæ dum inuenerint in eis collocare gregem festinãt. Quem cùm in agmine suo omnia virentia, ac quæq; delectabilia carpere conspiA ciunt, assumptis musicorum fistulis, dulci modulamine iuxta ingenium sui sensus, aures gregũ suorum demulcent: & semper vndiq; oculis intentis inspiciunt, nè quælibet bestia ex ipsis aliquam de manibus eorũ rapiat, vt ad caulas dominorum suorũ, numerum sibi traditum perducant. Et si qua ex illis errauerit, aut in densitate vepriũ inhæserit, perquirendo ad ouile propriũ reducunt: aut si tessa ex ipsis in via defecerit, in humeris proprijs imponunt & gestant: & quod morbidum fuerit, tangere vel redintegrare non dedignantur: & maximum laborem, plurimũq; adhibent sudorem, vt ne vna quidem ex ouibus B eorum pereat.

Si enim pastores ouium atque animaliũ, pro cõmodo temporali, tanto semetipsos labore afficiunt, vt oues dominorum suorum absq; damno custodiant, & lucrũ acquirere possint; quid nos econtrà in die districti iudicij dicturi sumus, quandò apparuerit pastor pastorũ, iudex viuorũ, & cœperit cũ seruis de talentis quæ tradidit, rationem ponere, qui curã alendarum ouium Dominicarum suscepimus, sed animabus ad imagi nẽ Dei conditis, pro quibus Christus semetipsũ tradidit, pascua virentia nõ perquirimus, id est, C eas prædicatione sancta atq; verbis delectabilibus nõ instruimus? neq; montiũ iuga eternaliũ conscendimus, hoc est, exempla sublimium patrum nõ ostendimus, nec dulcibus eloquijs blãdimur, & errantes in peccatis vepriũ spinarũq; nõ perquirimus, nec laboramus vt ad ouile propriũ eas reducam, nec lassis manũ porrigimus, atq; in peccatis vepriũ lassescentes & inclinãtes, subleuare nõ conamur? Quod fractum est, nõ alligamus, neq; malagma imponimus, sed calamũ quassatum, & linũ fumigans, quod redintegrare & illuminare debueramus, extinguimus. Bestijs, lupisq; spiritalibus atq; carnalibus murum non obijcimus, vt infra septa ouium ingredi non valeãt: sed quod peius est, nosmetipsos magis quã oues pascimus: quod crassum, iugulamus: lanas quoq; ac mollia quæq; induimus, aquam lympidissimam bibimus, & oues, quæ pedibus nostris conculcata est, turbulentam sitientes bibunt. Comessationibus & potationibus die noctuque insistimus: & cũ venter noster replebitur, eructãtes dicimus. Bñdictus Dñs, quia vsq; ad satietatẽ ditati sumus. Et quid aliud est, nisi quod nos q pastores dici debuimus, mercenarij fumus?

Imploranda est itaque, frater charissime, cum gemitibus, crebrisq; suspirijs Domini misericordia exoranda, vt opem ferat nobis miseris, quatenus oues quas nobis ad regendũ tradidit, iuxta illius voluntatem in procella huius seculi regere, atque ad ouile ipsius per viam rectam incedentes, quæ via Christus est, vnà nobiscum perducere valeamus.

Hæc, amabilis frater, inter multa alia, quæ sacra continet lectio, sacerdotij dignitati congrua nobis videntur, quid agendum, quidue respuendum sit. Quod si implere non desiueris, credimus, quòd adiuuante Domino, nauim, quam in huius

huius pelagi fluctibus gubernare inchoas, ad litA tus tutissimi portus extrahere poteris, & hac fiducialiter in directũ, spretis ventorum & aquarum ictibus, nauigaueris, si duobus gubernaculis vtraque manu sustenteris, id est, humilitate quæ fundamentum duntaxàt est virtutum, atq; charitate, quæ vinculum est perfectionis.

Sancta Trinitas fraternitatem tuam sua protectione incolumem custodiat, vt dum tali moderamine in Deo nostro onus, quod susc episti, peregeris: in die æternæ retributionis, eo dicen
Matth. 25. te, audire merearis: Euge serue bone & fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, super multa te constituam, intra in gaudium Domini tui.

Ordo qualiter ordinetur Romanus Pontifex.

B In ordinatione Romani Pontificis psallunt secundùm consuetudinem. procedit electus de secretario cum cereostatis septem, & venit ad confessionem. Et post litaniam ascendũt ad sedem simul Episcopi & presbyteri. Tunc Episcopus Albanen. dat orationem primam super Pontificẽ: Adesto supplicationibus nostris omnipotens Deus. Deindè Episcopus Portuensis dat orationem secundam: Propitiare Domine supplicationibus nostris. Postmodùm Adducuntur Euangelia, & aperiuntur, & tenentur super caput electi à diaconibus Tũc Episco C pus Ostiensis consecrat Pontificem ita: Deus bonorum omnium. In qua oratione hæc addi debent ad locum.

Et idcircò famulo tuo N quem Apostolicæ sedis præsulem, & primatem omnium qui in orbe terrarum sunt, sacerdotum, ac vniuersalis Ecclesię doctorem dedisti, & ad summi sacerdotij ministerium elegisti, hanc, quæsumus, Domine gratiam largiaris. *Item posũ pauca.*

Tribuas ei cathedram pontificalem ad regendam Ecclesiam & plebem vniuersam. Post hoc archidiaconus mittit ei pallium. Deindè ascendit ad sedem, & dat pacem omnibus sacerdoD tibus, & dicit: Gloria in excelsis Deo.

Orationes istæ dicendæ sunt à domino Papa super Archiepiscopum ante pallium.

Domine Deus, omnipotens pater, qui nõ proprijs suffragantibus meritis, sed sola ineffabili gratiæ tuæ largitate istum famulum tuum N. populo tuo præesse iussisti: tribue ei per gratiam Spiritus sancti tui, dignè tibi perfoluere ministerium sacerdotalis officij, & ecclesiasticis cõuenienter seruire ministerijs, plebemq; commissam ad gloriam nominis tui, te in omnibus protegente, gubernare concede. Per Dominum nostrum. in vnitate eiusdem Spi E ritus sancti. ALIA.

Deus innocentiæ restitutor & amator, dirige hunc famulum tuum N. spiritus tui feruore, vt in fide inueniatur stabilis, & in operibus tuis efficax: illumina eum lumine sapientiæ, munda eum & sanctifica: da ei consilium rectum, doctrinam sanctam, vt qui eum inter summos sacerdotes voluisti numerare, concede, vt quod humano ore eum voluisti vocare, hoc in conspectu tuo per gratiam tuæ pietatis possit fieri, vt cum electis tuis æternæ vitæ beatitudinem percipere mereatur. Per.

Dato pallio, dicatur hæc oratio.

Domine sancte, pater omnipotens, æterne Deus, Rex regum, & Dominus dominantium, clementiam tuam humiliter exoramus, necnon & vnigeniti filij tui Domini nostri Iesu Christi, qui omnes æterno pontifica tu supereminens, solus sinè macula sacerdotale ministerium impleuit: simulq; sancti Spiritus, cuius septiformis gratia cælesti virtute cuncta sanctificat, vt hunc famulum tuum N. diuinæ prouidentiæ gratia largiente, à minoribus vsq; B ad maiora per gradus ascendentem, supernæ pietatis tuæ gremio gratanter suscipias: & quia nobis indignis, quos sedis apostolicæ, summęq; ministros seruitutis, non exigentibus meritis, sed dono clementiæ tuæ cõstituisti, salutaribus indumentis ad sacri altaris officium foràs vestitus in præsenti apparet, ab omnibus criminum contagijs castigatus, perpetua spiritus tui sanctificatione intùs impleri mereatur. viuiq; fontis fluentis irrigatum, virtutum fructibus crescere, & coram omnibus clarescere concedas, vt eius vita alijs possit exempla præbere. Sit ei honor pallij, ornamẽtum animæ, & vndè aduC nit fastigium visibile, indè floreſcat amor inuisibilis: tua diuina potentia eum corroboret, tui filij virtus viscera eius fœcundet, tui spiritus gratia interiora eius impleat, per te firmitatem fidei catholicæ non solùm sibimet seruandi, sed etiàm alios docendi causa conseruet: per te cathedra episcopalis Ecclesiæ vniuersalis scutum non solùm à spiritalibus, sed etiàm à corporalibus huius seculi aduersitatibus habere merea tur: per te apostolicę dignitatis in cælis & in terris soluendi & ligandi, non solùm corpora, sed & animas diuina deitatis gratia, dominium suscipiat, vt ità dignis successibus deuotè degens, D ad destinata * sanctus per omnia perueniens, *sanctis æternam accipiat beatitudinem. Per.

Incipit ordo de ædificanda Ecclesia.

Nemo ecclesiam ædificet, antequàm ciuitatis Episcopus illuc veniat, & ibidẽ crucem figat publicè, & antè præfiniat, qui ædificare vult, quid ad luminaria, & ad custodiam, & stipẽdia custodum, & ad suppletionem necessitatum presbyteri, dotemq; ecclesiæ suffi ciat atq; pertineat, & facta donatione, sic demũ ædificet. Postquã ergò Episcopus crucem in loco, in quo altare fabricandum est, fixerit, tunc adspergat locum aqua benedicta, hanc canẽdo antiphonã. Antiph. Signum salutis pone Dñe Iesu Christe in loco isto, & non permittas introire angelum percutientem. Cũ Psalmo, Psal. Quàm dilecta. vsque in finem. Psalmo finito cum gloria, dicat Episcopus hanc orationem pro consecratione loci:

Domine Deus, qui licèt cælo & terra non capiaris, domum tamen tibi in terra fieri iussisti, in quà nomen tuum iugiter inuocaretur: hunc

Universidad de Deusto
Biblioteca

locum, quæsumus, beatæ Mariæ semper virginis omniumque Sãctorum tuorum intercedentibus meritis, sereno tuæ pietatis intuitu visita, & vide, & illum ad fabricandum elige, perque infusionem gratiæ cælestis, ab omni inquinamento purifica, purificatumq; conserua, & qui dilecti tui Dauid deuotionem, in filij sui Salomonis opere complesti, tu famuli tui N. in hoc opere ita precamur vota perfice, vt illud te inspirante incipiat, te adiuuante perficiat, suique laboris præmium in terra consequatur viuentium. Effugiant ergò hinc, iubente te, Domine omnes nequitiæ spirituales, & cum fraudibus cuncta diaboli turma, tua virtute depulsa. Resurgat hic Ecclesiæ pura simplicitas, & amabilis tibi innocentiæ candor: sicque hunc locum per vnigeniti filij tui Domini nostri Iesu Christi dilectionem, coæterni tibi spiritus paracleti rore fœcunda gratissimo, vt quicunque hic pro suis necessitatibus auribus tuæ benignitatis ingerit vota, votorum suorum consequatur effectum. Per. *De Oratorio.*

Qui in domo sua oratorium habuerit, orare ibi potest, tamen non audeat in eo sacras facere Missas sinè permissu Episcopi loci illius. Quod si fecerit, domus illius fisci iuribus addicatur, & ab Episcopo districta pœnitentia coerceatur. Comes qui hoc ab Episcopo narrante cognouit, & non prohibuit, libra auri mulctabitur, & ab Episcopo loci illius canonicã suscipiat excommunicationem, & exclusionem.

Denunciatio cùm reliquiæ sanctorum ponendæ sunt Martyrum, ab Episcopo ad populum facienda.

Dilectissimi fratres, inter cætera virtutum solennia, quæ ad gloriam pertinẽt Christi Domini nostri, hoc quoque suis præstitit Martyribus, qui pro nominis eius confessione morte susceptа, cælestia præmia meruerũt. vt fidelium votis eorum præclaris reliquijs collocatis, integritas sancti corporis esse credatur. Et ideò commonemus dilectionem vestram, quoniam illa feria N. illo loco N. reliquiæ sancti N. Martyris collocandæ sunt, vt vestram præsentiam nobis admonentibus non negetis. In præparando se ad diuinum officium, Episcopus dicat hanc orationem.

Virtutum cælestium Deus, de cuius gratiæ rore descendit, vt ad ministeria tua purgatis sensibus accedamus, præsta quæsumus, vt in eorum traditione solenniter celebranda, tibi placitum deferamus obsequium. Per.

Item de eodem.

Deus qui ad ineffabilis obseruantiam sacramenti, famulorum tuorum præparas voluntates, donis tuis corda nostra purifica, vt quod sancta est deuotione tractandum, sinceris mentibus exequamur. Per.

* Dedicandam. *Ordo ad *benedicendam Ecclesiam.*

Primùm veniat Episcopus indutus vestimentis sacris, similiter & clerus, ad tentorium, in quo reliquiæ præterita nocte cum vigilijs fuerunt: fiantque ibi litaniæ.

LITANIA.

Kyrie eleison, Christe eleison, Christe audi nos.
Saluator mundi, adiuua nos.
Sancta Maria, Ora pro nobis,
Sancte Petre, ora pro nobis.
Sancte Andrea, ora pro nobis.
Sancte Iacobe, ora pro nobis.
Sancte Ioannes, ora pro nobis.
Sancte Thoma, ora pro nobis.
Sacte Iacobe, ora pro nobis.
Sancte Philippe, ora pro nobis.
Sancte Bartholomæe, ora pro nobis.
Sancte Matthæe, ora pro nobis.
Sancte Simon, ora pro nobis.
Sanctæ Thaddæe, ora pro nobis.
Sancte Matthia, ora pro nobis.
Sancte Luca, ora pro nobis.
Sancte Marce, ora pro nobis.
Omnes sancti Apostoli & Euangelistæ, orate pro nobis.
Sancte Stephane, ora pro nobis.
Sanctæ Chrispine, ora pro nobis.
Sancte Chrispiniane, ora pro nobis.
Sancte Line, ora pro nobis.
Sancte Clete, ora pro nobis.
Sancte Clemens, ora pro nobis.
Sancte Sixte, ora pro nobis.
Sancte Corneli, ora pro nobis.
Sancte Cypriane, ora pro nobis.
Sancte Laurenti, ora pro nobis.
Sancte Chrysogone, ora pro nobis.
Sancte Dionysi, ora pro nobis.
Omnes sancti Martyres, orate pro nobis.
Sancte Siluester, ora pro nobis.
Sancte Hilari, ora pro nobis.
Sancte Martine, ora pro nobis.
Sancte Leo, ora pro nobis.
Sancte Ambrosi, ora pro nobis.
Sancte Gregori, ora pro nobis.
Sancte Germane, ora pro nobis.
Sancte Remigi, ora pro nobis.
Sancte Hieronyme, ora pro nobis.
Sancte Benedicte, ora pro nobis.
Omnes sancti Confessores, orate pro nobis.
Sancta Felicitas, ora pro nobis.
Sancta Perpetua, ora pro nobis.
Sancta Agatha, ora pro nobis.
Sancta Lucia, ora pro nobis.
Sancta Cæcilia, ora pro nobis.
Sancta Agna, ora pro nobis.
Sancta Petronella, ora pro nobis.
Sancta Regina, ora pro nobis.
Sancta Christina, ora pro nobis,
Sancta Margareta, ora pro nobis.
Sancta Eutropia, ora pro nobis.
Sancta Brigida, ora pro nobis.
Omnes sanctæ virgines & viduæ, orate pro nobis.
Omnes sancti, orate pro nobis,
Propitius esto, Parce nobis Domine.
Ab omni malo Libera nos Domine.
Ab insi-

Ab insidijs diaboli, libera nos Domine.
Ab ira tua, libera nos Domine.
Ab omni iniquitate, libera nos Domine.
A morte perpetua, libera nos Domine.
Per natiuitatem tuam, libera nos Domine.
Per crucem tuam libera nos Domine.
Per passionem tuam, libera nos Domine.
Per mortem tuam, libera nos Domine.
Per resurrectionem tuam, libera nos Domine.
Per ascensionem tuam, libera nos Domine.
Per aduentum Spiritus sancti paracleti, libera nos Domine.
In die iudicij, libera nos Domine.
Peccatores, Te rogamus, audi nos.
Vt pacem nobis dones, te rogamus, audi nos.
Vt aeris temperiem bonam nobis dones, te rogamus, audi nos.
Vt fruges terræ nobis des, te rogamus, audi nos.
Vt spatium pœnitentiæ nobis dones, te rogamus, audi nos.
Vt remissionem peccatorum nostrorum nobis dones, te rogamus, audi nos.
Vt gratiam sancti Spiritus cordibus nostris infundere digneris, te rogamus, audi nos.
Vt domnum apostolicũ & omnem ordinem ecclesiasticum in sancta religione conseruare digneris, te rogamus, audi nos.
Vt ecclesiam tuam sublimare digneris, te rogamus, audi nos
Vt domum istam ad honorem nominis tui sactam, regalem aulam tibi Deo nostro consecrare digneris, te rogamus, audi nos.
Vt nobis peccatoribus propitiari digneris, te rogamus, audi nos
Vt ad promissum gloriæ tuę premium nos perducere digneris, te rogamus, audi nos
Vt nos exaudire digneris, te rogamus, audi nos.
Vt nos cstuodire digneris, te rogamus, audi nos.
Filj Dei, te rogamus, audi nos.
Agnus Dei qui tollis peccata mundi, parce nobis Domine.
Agnus Dei qui tollis peccata mundi, miserere nobis,
Christe audi nos. kyrie eleison, Christe eleison, kyrie eleison. Tunc dicat Episcopus hanc orationem ante tentorium.

OREMVS.

Avfer à nobis, quæsumus Domine, iniquitates nostras, vt ad sancta sanctorum puris mereamur mentibus introire. Per.

Item alia post ingressum tentorij. Oremus.

Fac nos Domine sanctorum tuorum tibi specialiter dicata membra contingere, quorum cupimus patrocinia incessanter habere. Per.

Sequitur exorcismus salis.

Exorcizo te creatura salis per Deum viuum, per Deum verum, per Deum sanctum, per Deũ qui te per Helisæum prophetam in aquam mitti iussit, vt sanaretur sterilitas aquæ, vt efficiaris sal exorcizatus in salutem credentium, & sis omnibus te sumentibus sanitas animæ & corporis, & effugiat atq; discedat ab eo loco quò adspersus fueris omnis phantasia & nequitia vel versutia diabolicæ fraudis, omnisq; spiritus immundus adiuratus. Per eum qui venturus est.

Benedictio salis. Oratio.

Immensam clementiam tuam omnipotens æterne Deus, humiliter imploramus, vt hãc creaturam salis, quam in vsum generis humani tribuisti, benedicere & sanctificare tua pietate digneris, vt sit omnibus sumentibus salus mentis & corporis, & quicquid ex eo tactum vel respersum fuerit, careat omni immunditia, omnique impugnatione spiritalis nequitiæ. Per Dominum. *Exorcismus aquæ.*

Exorcizo te creatura aquæ in nomine Dei patris omnipotentis, & in nomine Iesu Christi filij eius Domini nostri, & in virtute sancti Spiritus, vt fias aqua exorcizata ad effugandam omnem potestatem inimici, & ipsum inimicum eradicare & explantare cum angelis suis apostaticis, per virtutem Dñi nostri Iesu.

Benedictio aquæ. Oratio.

Deus qui ad salutem humani generis maxima quæque sacramenta in aquarum substantia condidisti: adesto inuocationibus nostris, & elemento huic multimodis purificationibus præparato virtutem tuæ benedictionis infunde, vt creatura tua mysterijs tuis seruiens, ad abigendos dæmones morbosq; pellendos, diuinæ gratiæ sumat effectum, vt quicquid in domibus vel in locis fidelium, hęc vnda respserserit, careat immunditia, liberetur à noxia: non illic resideat spiritus pestilens, nõ aura corrumpens: discedant omnes insidię latentis inimici: & si quid est, quod aut incolumitati habitantium inuidet, aut quieti, adsperſione huius aquę effugiat. vt salubritas per inuocationẽ sancti tui nominis expetita, ab omni impugnatione sit defensa. Per Dominum. Hic mittatur sal in aquam. *Benedictio. Oremus.*

Deus inuictę virtutis auctor, & insuperabilis imperij rex, ac semper magnificus triumphator, qui aduersæ dominationis vires reprimis, qui inimici rugientis sęuitiam superas, qui hostiles nequitias potenter expugnas: te Domine trementes & supplices deprecamur ac petimus, vt hanc creaturam salis & aquę dignãter adspicias, benignus illustres, pietatis tuæ more sanctifices, vt vbicunque fuerit aspersa, per inuocationem sancti tui nominis omnis infestatio immundi spiritus abigatur, terrorq; venenosi serpentis procul pellatur. & presentia sancti Spiritus nobis misericordiam tuã poscentibus vbiq; adesse dignetur. Per.

Tunc eleuent ipsas reliquias in feretro cum honore & laudibus, cum cruce & thuribulis ac luminaribus, & exeant psallendo istam antiphonam: Surgite sancti de mansionibus vestris, loca sanctificate, plebem benedicite, & nos homines peccatores in pace custodite. Antiph. Cum iocunditate exibitis, & cum gaudio deducemini: nam & montes & colles exilient, expectantes vos cum gaudio, Alleluia.

Donec

Universidad de Deusto
Biblioteca

Donec perueniat ad ostium Ecclesiæ. Primitus verò ante quàm introeat pontifex Ecclesiã, diaconus recludatur in ipsa: & illuminentur duodecim candelæ per circuitum eius, stante Episcopo vnà cum cætero clero pro foribus Ecclesiæ, & imponente psallendo antiphonã hanc: Tollite portas principes vestras, & eleuamini portæ æternales. Psal. Domini est terra & plenitudo eius. Et circumeant Ecclesiam, eandem antiphonam per singulos versus repetentes, vsquedùm põtifex primò aqua benedicta aspergat forinsecus parietes Ecclesiæ. Tunc veniens ante ostium, dicat: Oremus. Et diaconus, Flectamus genua. Postea, Leuate. B

Sequatur oratio.

Omnipotens sempiterne Deus, qui in omni loco dominationis tuæ totus assistis, totus operaris, adesto supplicationibus nostris, & huius domus, cuius es fundator, esto protector, nulla hìc nequitia cõtrariæ potestatis obsistat, sed virtute Spiritus sancti operante, fiat hìc tibi semper purum seruitium, & deuota libertas. Per.

Hoc finito, accedat pontifex ad ostium, percutiés cum cambutta sua superliminare semel, & dicat: Vers. Tollite portas principes vestras, & eleuamini portæ æternales, & introibit rex gloriæ. Cui diaconus deintus respondens, dicat: Quis est iste rex gloriæ? Econtra pontifex respodens, addat hæc: Dominus fortis, Dominus potens in prælio. Et recedens ab ostio, circumeat ipsam Ecclesiam cum clero, aquâ spargendo & cantando responsorium. C

In circuitu tuo Domine lumen est quod nunquam deficiet, vbi constituisti lucidissimas mansiones, ibi requiescunt animæ sanctorum. Vers. Magnus Dominus & laudabilis nimis, in ciuitate Dei nostri in mõte sancto eius. Ibi requiescunt. Tunc iterùm veniens ante ostium, dicat: Oremus. Et diaconus, Flectamus genua. Postea, Leuate. D

Sequitur oratio.

Omnipotens sempiterne Deus, qui per filiũ tuum, angularem scilicet lapidem, duos ediuerso venientes ex circuncisione & præputio parietes, duosq; greges ouium sub vno eodemq; pastore vnisti, da famulis tuis per hæc nostrę deuotionis officia indissolubile vinculum charitatis, vt nulla diuisione mentium, nullaq; peruersitatis varietate sequestrẽtur, quos sub vnius regimine pastoris vnus grex continet, vniusq; te custode ouilis septa concludunt. Per eundẽ.

Post hæc accedens, percutiat secundo superliminare, & dicat: Tollite portas principes vestras. Et diaconus respõdet: Quis est iste rex gloriæ? Ac deindè pontifex: Dominus fortis, dominus potens in prælio. Deindè iterùm circumeat Ecclesiam, aquam spargendo, & responsorium cantando: Fundata est domus Domini super verticem montium, & exaltata est super omnes colles: & venient ad eam omnes gentes, & dicent, Gloria tibi Domine. Vers. Benedic Domine domum istam, quam ædificaui nomini tuo. Et venient. Et cum venerit ante ostium, dicat: E

Oremus. Et diaconus: Flectamus genua. Postea, Leuate. Et sacerdos dicat hanc orationem: A

Omnipotens & misericors Deus, qui sacerdotibus tuis tantam præ cæteris gratiam cõtulisti, vt quicquid in tuo nomine dignè perfecteque ab eis agitur, à te fieri credatur, quæsumus immensam clementiam tuam, vt quicquid modò visitaturi sumus, visites: quicquid benedicturi sumus, benedicas: sitque ad nostræ humilitatis introitum, sanctorum tuorum meritis fuga dæmonum, angeli pacis ingressus. Per.

Tunc accedens ad ostium, percutiat tertiò superliminare ecclesiæ, ac repetat prædictum versum, Tollite portas principes vestras. Et diaconus: Quis est iste rex gloriæ? Et respondeat pontifex: Dominus virtutum ipse est rex gloriæ. Adijciens, aperi. Tunc statim ostio aperto intrans Ecclesiam cum ministris duobus vel tribus, & cum mansionario & acolyto, dicat: Pax huic domui. Respondent: Amen. Et clauditur ostium Ecclesiæ. Deindè incipiat clerus foris litaniam, sacerdotibus feretrum tenentibus vsq; dum consecretur altare, & omnia instrumenta altaris sanctificet. Et cùm venerit pontifex ante altare, prosternat se cum ministris super stramenta, & fiat ibi litania, vsquedùm dicat schola, Agnus Dei, kyrie eleison, Christe eleison, Christe audi nos. Cum plena litania, sicut suprà scriptum est. Illorum sanctorum nominibus simul nominatis, quorum honore dedicanda est Ecclesia, vel quorum reliquiæ illic sunt recludendæ. Et inter hęc agenda versus iste subinferendus est: Vt domum istam ad honorem nominis tui factam, regalem aulã tibi Domino deo nostro benedicere & consecrare digneris, Te rogamus, audi nos. Finita litania, cum surrexerit pontifex ab oratione, veniens ante altare, non dicat, Dominus vobiscum, sed tantùm excelsa voce, Oremus. Et diaconus, Flectamus genua. Postea, Leuate. Et dicat hanc orationem: B

Magnificare Domine Deus noster in sanctis tuis, & hoc in tẽplo tibi ædificato appare, vt qui cuncta in filijs adoptionis operaris, ipse semper in tua hæreditate laueris. Per.

Deindè incipiat pontifex de siniſtro angulo Ecclesiæ ab oriente scribere per pauimentum cum cambutta sua totum alphabetum Grẽcum vsque in dextrum angulum occidentalem:

Α Β Γ Δ Ε Ζ Η Θ Ι Κ Λ Μ Ν Ξ Ο
Π Ρ Σ Τ Υ Φ Χ Ψ Ω.

Incipiensq; similiter iterùm de dextro angulo orientali, alphabetum scribat Latinum, vsq; in siniſtum angulum occidentalem:

A B C D E F G H I K L M N O P
Q R S T V X Y Z.

Interim cantant, qui cum eo sunt, antiphonam: O quàm metuendus est locus iste. Verè non est hic aliud, nisi domus Dei, & porta cæli. *Gen. 28.* Psal. Benedictus Dominus Deus Israel, quia visitauit & fecit redemptionem plebis suæ. Vsq; in finem, si necesse sit, Cum Gloria Patri. Deindè veniens ante altare Episcopus, dicat: *Luc. 1.*

Deus

Deus in adiutorium meum intende, cum gloria, absq; alleluia. Deindè benedicat salem & aquam. A

Exorcismus salis.

Exorcizo te creatura salis in nomine Domini nostri Iesu Christi, qui à postolis suis ait, Vos estis sal terræ. & per Apostolum dicit, Cor vestrum sale sit conditum: vt sanctificeris ad consecrationem huius ecclesiæ, ad expellendas omnes dæmonum tentationes, & omnibus qui ex te sumpserint, sis animæ & corporis tutamentu, & sanitas, & protectio, & confirmatio salutis. Per eundem. *Matt. 5. Colo. 4.* B

BENEDICTIO SALIS.

Rogamus & obsecramus te Domine sancte, pater omnipotens, æterne Deus, vt hanc creaturam salis, quam in vsum generis humani tribuisti, in signum sapientiæ tuæ cõmutare digneris, vt quicunque ex hac acceperint, omni fœtore fatuitatis carentes, ad te redeant, & in te roborentur, atque donum gratiæ tuæ inuenire mereantur. Per. ALIA.

Virtutis tuæ inuictam fortitudinem deprecamur Domine sancte, pater omnipotens, æterne Deus, qui inter omnia necessaria, quæ per Iesum Christum Dominum nostrum procreari iussisti, non minimam gratiam conferre dignatus es sali, vt ex illo possint vniuersa cõdiri, quę omnibus ad escam per eũdem tuum filium Dominum nostrum procreasti: ideò te supplices exoramus, vt hoc sal adspicere digneris, quatenus ex maiestatis tuæ virtute, contra omnes immundos vigorem possit accipere, expellat ab omni loco, vbi tua fuerit innocatione adspersum, quicquid potest esse pestiferum, & exhibeat plenum salutis effectum: deterreat omnes præstigias inimici, & omnia monstruosorũ genera longiùs faciat effugari, grauedines omnes, phantasiasq; compescat, & per signum crucis filij tui Domini nostri Iesu Christi tutelam fideliſſimam desiderantibus præstet. Qui tecũ. C D

ALIA.

Domine Deus pater omnipotens, benedic hanc creaturam salis ad effugãdum inimicum, & ei salubrem medicinam immitte, vt ad animæ & corporis se sumentium proficiat sanitatem. Per.

Exorcismus aquæ.

Exorcizo te creatura aquę in nomine Dei Patris, & Filij, & Spiritus sancti, vt repellas diabolum à termino iustorum, nè sit in vmbraculis huius ecclesiæ, & tu Domine Iesu Christe, infunde Spiritum sanctum in hanc ecclesiam tuam, vt proficiat ad sanitatem corporum animarumq; adorantium te, vt magnificetur nomen tuum in gentibus, & increduli corde conuertantur ad te, & non habeant alium Deum præter te solum Deum. Qui viuis & regnas. E

ALIA.

Exorcizo te creatura aquæ per Deum viuum, per Deum verum, per Deum sanctum, & per Dominum nostrum Iesum Christum, vt efficiaris aqua sancta, aqua benedicta, & vbicunque effusa fueris vel adspersa, siue in agro, siue in domo, effuges omnem phantasiam, omnemq; inimici potestatem, vt Spiritus sanctus habitet in domo hac. Præstante Domino nostro Iesu Christo, qui cum Patre & Spiritu sancto.

BENEDICTIO AQVAE.

Domine Deus, pater omnipotens, statutor omnium elementorum, qui per Iesum Christũ filiũ tuum Dominum nostrum, elementum hoc vtique in salutẽ humani generis esse voluisti, te supplices deprecamur, vt exaudijs orationibus nostris, eam tuæ pietatis respectu sanctifices, atque ità omnium spirituum inmundorum ab ea recedat incursio, vt vbicunque fuerit in nomine tuo adspersa, gratia tuæ benedictionis adueniat, & mala omnia te propitiante procul recedant. Per eundem.

Item alia, vt sup. Deus qui ad salutem humani generis, maxima quæq, sacramenta &c. Tũ misceatur sal & cinis, & faciat Episcopus ter in dè crucem super aquam, & dicat:

Hæc cõmixtio salis & cineris cum aqua benedicta, sit sanctificata ad consecrationem huius ecclesię & altaris, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti. Resp. Amen. ORATIO.

Deus inuictæ virtutis auctor, & inseparabilis, vt sup. Deindè ponat vinum in ipsam aquã, & dicat: C

Fiat commixtio aquę & vini, ad consecrationem huius ecclesiæ & altaris, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti.

Præfatio aquæ cum vino mixtæ.

Deum omnipotentem, fratres chariſſimi, in cuius domo mansiones multę sunt, supplices deprecemur, vt habitaculum istud benedicere & custodire dignetur, per adspersionẽ huius aquę cum vino mixtæ, vt tenebras ab eo repellat, & lumen infundat: nullam sęuienti aduersario tribuat potestatem, sed propria sit domus Dei, vt nullam in ea inimicus habeat licentiã nocendi.

Benedictio aquæ cũ vino mixtæ. Oremus.

Omnipotens sempiterne Deus, creator & cõseruator humani generis, & dator gratię spiritualis, atque largitor æternæ salutis, mitte spiritum tuum sanctum super hoc vinum cũ aqua mixtum, vt armatum cęlestis defensione virtutis, ad consecrationem huius ecclesiæ & altaris tui proficiat. Per Dominum, in vnitate eiusdẽ spiritus sancti. Tunc ingrediens Episcopus ad altare, primò cum pollice suo de ipsa aqua sancta faciat crucem in medio altaris, dicens: D

Sanctificetur hoc altare in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti. Resp. Amẽ. Pax tecum. Resp. & cum spiritu tuo. Deindè in dextera parte & in siniſtra per quatuor cornua altaris, eadem repetens quæ suprà, videlicet, Sanctificetur hoc altare. Deindè adspergat ipsum altare septem vicibus in circuitu cum hyssopo, canẽdo antiphonam: Asperges me Domine hyssopo, & mundabor: lauabis me, & super niuem dealbabor. Cum Psalmo, Miserere mei Deus. E

Deindè

Universidad de Deusto
Biblioteca

Deindè circumeat ipsam Ecclesiam tribus vicibus aqua conspergendo parietes, incipiens à dextra parte orientis, vsquedùm redeat in orientem. Et primo circuitu canatur eadem antiphona. Asperges me Domine hyssopo. Cum Psal. Miserere mei Deus. Deindè canitur alia antiphona: Similabo eum viro sapienti, qui ædificauit domum supra petrã. Psal. Exurgat Deus, & dissipentur inimici eius. Secundo autem circuitu canitur antiphona ista: Tu Domine vniuersorum, qui nullam habes indigentiam, voluisti templum tuum fieri in nobis, conserua domum istam immaculatam in æternum Domine: cum versu, Tu Domine, cui humilium semper & mansuetorum placuit deprecatio. Tertio verò circuitu antiphona, Hæc est domus Domini, firmiter ædificata, benè fundata est supra firmam petram. Psal. Qui habitat in adiutorio Altissimi, in protectione Dei cæli commorabitur. Deindè aspergat per medium Ecclesiæ in longum & latum, faciens crucem super omne pauimentum, canendo antiphonam: Domus mea, domus orationis vocabitur, cum versu: Narrabo nomen tuum fratribus meis, in medio Ecclesiæ laudabo te. Et cum gloria Patri. Qua finita, in medio Ecclesiæ pontifex dicat: Oremus: Et diaconus, Flectamus genua, Posteà, Leuate. Et sic pontifex dicat hanc orationem: Deus qui loca nomini tuo dicanda sanctificas, effunde super hanc orationis domum gratiam tuam, vt ab omnibus hìc inuocantibus nomen tuum, auxilium tuę misericordiæ sentiatur. Per. Iterùm dicat, Oremus. Et diaconus vt supra. & sic sequatur hæc oratio in consecratione basilicę.

Deus sanctificationum, omnipotens dominator, cuius pietas sine fine sentitur, Deus qui cælestia simul & terrena complecteris, seruans misericordiam tuam populo tuo ambulanti ante cõspectũ gloriæ tuę, exaudi preces seruorum tuorum, vt sint oculi tui aperti super domum istam die ac nocte. Hanc quoque basilicam in honorem sanctæ & victoriosissimæ Crucis, & sancti N. sacris mysterijs institutam clementissimus dedica, miseratus illustra, proprio splendore clarifica, omnemque hominem venientem adorare te in hoc loco, placatus admitte, propitius respicere dignare, & propter nomen tuum magnum, & manum fortem, & brachium excelsum, in hoc habitaculo supplicantes libens protege, dignanter exaudi, ęterna defensione conserua, vt semper felices, semperque in tua religione lætantes, constanter in sanctę Trinitatis confessione fide catholica perseuerent. Per.

Indè dicat excelsa voce, Per omnia secula seculorum. Resp. Amen. Dominus vobiscum. Resp. Et cum spiritu tuo. Sursum corda. Resp. Habemus ad Dominum. Gratias agamus Domino deo nostro. Resp. Dignum & iustum est: Verè dignum & iustum est, æquum & salutare, nos tibi semper & vbique gratias agere: Omnipotens æterne deus: Adesto precibus nostris, adesto sacramentis, adesto etiàm pijs famulorũ tuorum laboribus, nobisq; misericordiam tuã poscentibus: descendat quoque in hanc Ecclesiam tuam, quam sub inuocatione sancti nominis tui in honore sanctæ Crucis, in qua cœternus tibi filius tuus Dominus noster Iesus Christus pro redemptione mundi pati dignatus est, & sancti martyris tui N. indigni consecramus, sanctus Spiritus tuus septiformis gratię vbertate redundans, vt quotiescunque in hac domo tua sanctum nomen tuum fuerit inuocatum, eorum qui te inuocauerint, à te pio Domino preces exaudiantur. O beata & sancta Trinitas, quæ omnia purificas, omnia mundas, omnia exornas. O beata maiestas Dei, quæ cuncta imples, cuncta contines, cunctaque disponis. O beata & sancta manus Domini, quæ omnia sanctificas, omnia benedicis, omnia locupletas. O sancte sanctorum Deus, tuam clementiam humillima deuotione deposcimus, vt hanc Ecclesiam per nostræ humilitatis famulatum, in honore sanctæ & victoriosissimæ Crucis, & sancti martyris tui N. purificare, benedicere, consecrareque perpetua sanctificationis tuæ vbertate digneris: hìc quoque sacerdotes sacrificia laudis offerant, hìc fideles populi vota persoluant, hìc peccatorum onera soluantur, fideleśq; lapsi reparentur. In hac ergò, quæsumus Domine, domo tua, Spiritus sancti gratia ægroti sanentur, infirmi recuperentur, claudi curentur, leprosi mundentur, cæci illuminentur, dæmonia eijciantur. Cunctorum hic debilium incommoda, te Domine annuente, pellantur, omniumq; vincula peccatorum absoluãtur, vt omnes qui hoc templum, beneficia petituri, ingrediuntur, cuncta se impetrasse lætentur, vt concessa misericordia quam precantur, perpetuo miserationis tuæ munere glorientur. Per.

Hac expleta, eat ante altare, dicente schola antiph. Introibo ad altare Dei, ad Deum qui lætificat iuuentutem meã. Psal. Iudica me Deus. Tunc faciat maltam de calce & tegula cum ipsa aqua benedicta ad occludendas sanctorum reliquias in loco altaris, & reseruetur ad tempus, & posteà ipsam aquam, quę remanet, fundat ad basim altaris, & à diaconibus vel presbyteris extergatur altare de linteo. Posteà pontifex deferat incensum super altare, & dicat schola hũc versum: Dirigatur Domine. Tunc de oleo sanctificato faciat pontifex crucem in medio altaris, & per quatuor angulos altaris, tribus vicibus dicendo. Sanctificetur hoc altare in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti. Respons. Amen. Pax tecum. Resp. Et cum spiritu tuo. In prima vnctione cantetur ista antiph. Erexit Iacob lapidem in titulum, fundens oleum desuper. Psal. Quàm dilecta. Secunda autem vice, ista Manè surgens Iacob, erigebat lapidem in titulum, fundens oleum desuper, votũ vouit Domino: Verè locus iste sanctus est, & ego nesciebam. Psal. Fundamenta. Et vngat item oleo sancto ipsum altare, dicendo vt suprà: Sanctificetur hoc altare. Semper incensum in circuitu ipsius altaris alio sacerdote ferente. post expletum Psalmum, mittat tertiò oleum, similiter sicut priùs dicendo: Sanctificetur hoc altare. Et canendo antiph. Aedificauit Moyses altare Domino Deo. Psal. Deus noster refugium & virtus. Hoc facto, sumat chrisma. & faciat similiter crucem sicut suprà, dicendo: Sanctificetur hoc altare. Sequitur antiph. Vnxit te Dominus oleo lætitiæ præ consortibus tuis. Eructauit cor meũ verbum bonum, dico ego opera mea regi. Posteà dicat hanc orationem: Consecretur & sanctificetur hoc altare, quæsumus Domine, ad laudem & gloriam nominis tui, & in honorẽ & venerationem omnium Sanctorum, per istam vnctionem & nostram benedictionem. Qui viuis & regnas.

Et interea alius sacerdos in circuitu altaris semper ferat incensum. Deindè in circuitu Ecclesiæ vadat pontifex, & faciat crucem per parietes cũ pollice suo de ipso chrismate in duodecim locis, tres in oriente, tres in australi, tres in occidente, tres in septentrione: primò in dextra parte, & sic in circuitu, dices per singulas cruces: Sanctificetur hoc templum, in nomine, &c.

Interìm dicat schola: Antiph. Sanctificauit Dominus tabernaculum suum, hæc est domus Dei, in qua inuocatur nomen eius, de quo scriptum est, Erit nomen meum ibi, dicit Dominus. Psal. Cantate. Antiph. Lapides pretiosi omnes muri tui, & turres Hierusalem gemmis ædificabuntur. Psal. Lauda Hierusalem Dominum.

Tunc iterùm redeat ad altare, & offerat ibidem crucẽ incensi super illud, & dicat: *Antiph.* Eccè odor filij mei sicut odor agri pleni, quem benedixit Dominus. *Et Præfationem.*

Dei patris omnipotentis misericordiam deprecemur, dilectissimi fratres, vt hoc altare sacrificijs spiritalibus consecrandum, vocis nostræ exoratus officio, præsenti benedictione sanctificet, & in eo semper oblationes famulorum suorum, studio sanctæ deuotionis impositas, benedicere & sanctificare dignetur, vt spiritali placatus incenso, precanti familiæ suæ promptus exauditor assistat. Per. Indè dicat: Oremus. Et diaconus, Flectamus genua. Posteà. Leuate.

Consecratio altaris.

Deus omnipotens, in cuius honore altare hoc sub inuocatione tui nominis indigni consecramus, clemens & propitius preces nostræ humilitatis exaudi: & præsta, vt in hac mensa sint tibi libamina accepta, sint grata, sint pinguia, & sancti Spiritus tui sẽper rore perfusa, vt in hoc loco, omni tempore supplicantis, tibi familiæ tuæ anxietates releues, ægritudines cures, preces exaudias, vota suscipias, desiderata confirmes, postulata cõcedas, vt ad donum gratiæ tuæ sani, illibatique peruenire mereamur. Per Dominum. in vnitate eiusdem Spiritus sancti.

Deinde dicat excelsa voce, Per omnia secula seculorum. Resp. Amen. Dominus vobiscum. Resp. Et cum spiritu tuo. Sursum corda. Resp. Habemus ad Dominum. Gratias agamus Domino Deo nostro. Resp. Dignum & iustum est.

PRAEFATIO.

Verè dignum & iustum est, æquum & salutare, Nos tibi semper & vbique gratias agere Domine sancte, pater omnipotens. Et vt propensiori cura & attentiori famulatu, tibi seruitutis officia deferamus, hoc præsertim in tempore, quo religiosarum mentium habitum vltra parietum ornatum delegisti, & in quo sanctorum tuorum N. mentio habetur, per quorum sacrã reuerentiam & honorem sacratissimo nomini tuo hoc altare dedicamus. Horum igitur Domine efflagitatus precibus, dignare hoc altare cælesti sanctificatione perfundere & benedicere. Assistant angeli claritatis, & sancti Spiritus illustratione perfulgeat. Sit illius quoque apud te gratiæ, cuius fuit illud, quod Abraham pater fidei, in nostræ figuram redemptionis filium immolaturus extruxit, quod Isaac in conspectu tuæ maiestatis instituit, quod Iacob Dominum magna videns visione erexit, vt hìc orãtes exaudias, hìc oblata sanctifices, hicque superposita benedicas, hinc quoque benedicta distribuas. sit ergò Ecclesiæ tuæ titulus sempiternus, sit mẽsa cælestis, spiritalique conuiuio præparata. Tu ergò Domine proprio ore tuo hostias super eã impositas benedicito, & benedictas suscipito, atque nobis omnibus tribue, vt participatione earum, vitam acquiramus sempiternam. Per.

Sequitur oratio.

Domine sancte, pater omnipotens, æterne Deus, clemens & propitius, preces nostræ humilitatis exaudi, & respice ad huius altaris holocaustum, quod non igne visibili probetur, sed infusum sancti Spiritus gratia, in odorem tuæ suauitatis ascendat, & legitimè se sumentibus Eucharistia medicabilis fiat, & ad vitam proficiat sempiternam. Per.

Ala oratio. *Oremus.*

Maiestatem tuam Domine humiliter imploramus, vt altare hoc, sacræ vnctionis libamine ad suscipienda populi tui munera inunctum, potenter benedicere & sanctificare digneris, & quod nunc à nobis indignis sub tui nominis inuocatione, in honore & nomine sancti martyris tui N. sacrosancti chrismatis vnctione est deliburum, placeat tibi, atque altare maneat perpetuum, vt quicquid deinceps super eo oblatum sacratumque fuerit, dignum tibi fiat holocaustum, atque omnium hic offerentium sacrificia, à te pio Domino benignè suscipiantur, & per ea, peccatorum nostrorum vincula absoluantur, maculæ deleantur, veniæ imperrentur, gratiæ acquirantur, quatenùs vnà cum sanctis & electis tuis, vitam percipere mereantur æternam. Per.

Deindè dicatur ista antiphona: Confirma hoc Deus quod operatus es in nobis, à templo sancto tuo quod est in Hierusalem, Allel. allel.

Deinde inungat oleo sancto tabulam super altare, dicens hanc Præfationem:

Lapidem hunc, fratres dilectissimi, in quo vnguen-

Universidad de Deusto
Biblioteca

vnguentum sacræ vnctionis effunditur, ad susci A pienda populi sui munera & sacrificia oremus, vt Dominus cõsecret atque benedicat, & quod est vnctum à nobis, sit vnctum in nomine eius, vt plebis oblata suscipiat, & altari per sacram vnctionem perfecto dum propitiationem sacrorum imponimus, ipsi propitiatores Dei esse mereamur. Per. *Benedictio Tabulæ.*

Dominum omnipotentem, fratres dilectissimi, votis exultantibus deprecemur, vt qui per omnem mundum fidem sparsit, & ecclesiã congregauit, qui & lapis excisus sine manibus, angularem compagem solidauit, & hanc petram serenus illustret, eamq; æterno lumine irrigatam ità multiplicibus ac diuersis charismatibus locupletet, vt super illam administrandam corporis sui hostiam benedicat, & suscipiat consecratam. Qui cum Deo patre. Exaudi nos Deus salutaris noster, & precum nostrarum, &c.

ALIA.

Supplices tibi Domine Deus, pater omnipotens, preces effundimus, vt metalli expolitam materiam, supernis imbuendam sacrificijs, ipse tuæ dotare sanctificationis vbertate digneris, qui quondam scripsisti lapideis legem in tabulis. Per. Posteà dicat alta voce, Per omnia secula seculorum. Resp. Amen. Dominus vobiscum. Sursum corda. Gratias agamus Domino Deo nostro. PRAEFATIO.

Verè dignum & iustum est, æquum & salutare, Nos tibi semper & vbique gratias agere Domine sancte, pater omnipotens, æterne Deus: Qui post offendicula lapsus primi hominis, instituisti tibi offerri propiciatorij delinimenta libaminis, vt culpa quæ pręcesserat per superbiã, futuris temporibus expiaretur per munera, quibus honorarẽtur altaria, honorificaretur & templum. Assit ergò misericordiæ tuæ ineffabilis pietas, & super hunc lapidem opem tuæ benedictionis infunde, vt te largiente referat præmium, quisquis intulerit votum. Per eum qui se angularem lapidem, & saxum sine manibus excisum nominari voluit, Dominum nostrum.

Gen. 4. 8. 12. 13. 22. 26. 28.

Psal. 117. Matth. 21. Dan. 2.

Alia Oratio.

Deus omnipotens vniuersarum rerum rationabilis artifex, qui inter cæteras creaturarum formas, lapideum metallum ad obsequium tui sacrificij condidisti, vt legis libationi pararetur altare; annue dignanter, vt quicquid hic oblatum sacratumque fuerit nomini tuo, assurgat religioni, proficiat spei, innitatur fidei, sit honori. Per. His expletis, sequitur oratio in medio ecclesiæ. OREMVS.

Habitator sanctarum mentium deus, cui anima fidelis hospitium, cui mẽs pia templum est, tibi preces effundimus, tibi supplicamus, vt hãc domum tuam, quam per inuocationem nominis tui pio sanctificamus officio, misericordia tua & protectione custodias. Dona habitatoribus illius, id est, sacerdotibus: clero atque omni plebi, bonæ voluntatis studium, & pij operis effectũ. Sint in ea semper viri grauitate insignes, fœminæ castæ* prudentes pueri, probæ virgines pro sexu suo atque ætate laudabiles, vt dum sanctificatam per inuocationem tuam domum habitant, ipsi te habitatorẽ mereantur habere. Per. * *pudentes.*

Item benedictio Basilicæ nouæ.

Deus qui super mysticam petram Apostolicæ potestatis ædificatæ principaliter Ecclesiæ tuæ portas inferni nunquàm præualituras esse promisisti, cunctos ab eadem remoue placatus errores, vt quos a diuersus eam præsumptio falsitatis extollit, spiritus veritatis euincat. Dirige quæsumus eam dispensatione cęlesti, vt quæ ante mundi principium in tua semper est præsentia præparata, vsque ad plenitudinem gloriãq; promissam, te moderante, permaneat, & in tuorum cordibus fidelium perpetuam tibi construe mansionem, vt plebs hæc quæ deiecto in terrã vultu benedictionis postulat donum, æternum à te percipiat præmium. Præsta quæsumus domine, vt hęc Basilica, cuius hodiè initiamus encænia, quæ tua dedicatione subsistit solennis, tua semper fiat habitatione præclara. Per. *Matth. 16*

Deindè teneant subdiaconus & acolyti linteamina, vel omnia ornamenta ecclesiæ seu vasa sacra, quæcunque ad cultum dei & ecclesiæ pertinere videntur, & benedicat ea pontifex iuxta hunc morem.

Benedictio linteaminum.

Domine deus omnipotens, qui ab initio hominibus vtilia & necessaria creasti, vestimenta quoque pontificalia sacerdotibus, & leuitis tuis ornamenta & linteamina facere famulum tuum Moysem per quadraginta dies docuisti, siue etiàm ea quæ* Maria texuit, & fecit in vsum ministerij tabernaculi fœderis, sanctificare, benedicere, consecrareque digneris hæc linteamina in vsum altaris tui ad tegendum inuoluendũq; corpus & sanguinem filij tui domini nostri Iesu Christi. Qui tecum. * *materiã*

ALIA.

Deus qui dignè tibi seruientium desideras famulatum, respice propitius ad humilitatis nostræ seruitutem, & hæc linteamina tuæ seruitutis vsibus præparata, cælestis virtutis benedictione sanctifica & consecra, quatenùs super ea Spiritùs sanctus tuus descendat, qui & populi tui oblationem benedicat, & corda siuè corpora sumentium benignus reficiat. Per.

Benedictio linteaminum, aliorumq; in vsum sacri ministerij.

Exaudi domine preces nostras & linteamina hæc, aliaq; indumenta, necnon & vasa sancti altaris atque Ecclesiæ tuæ cunctaq; sacri ministerij vsui præparata, benedicere & sanctificare digneris. Per.

Benedictio ad omnia vasa, linteamina & instrumenta in vsum Ecclesiæ.

Omnipotens sempiterne deus, rex regum, & dominus dominantium, sacerdos omnium, pontifex vniuersorum, per quę vnà cum Patre & Spiritu sancto facta sunt vniuersa, Christe Iesu benedicere, consecrare, & sanctificare digneris vasa

vasa hæc, cum his altaris linteaminibus cæteris- A stram, & hanc planetam famuli tui N. seu poderem, ac cingulum, orariumq; dextera tua benedicere, consecrare, sanctificareq;, & purificare digneris: quatenus hęc vestimẽta ministris tuis, leuitis ac sacerdotibus ad diuinum cultum ordinandum explendumq; proficiant, sanctisque altaribus tuis mundè & ornatè in his sacris vestibus ministraturi, irreprehensibiles in actu & in victu interius exteriusq; appareant, tibiq; soli Deo puro corde, & mundo corpore omnibus diebus vitæ suæ irreprehensibiliter sanctorũ patrum exẽpla sequentes seruire valeant, hisq; sacris ministerijs secũdum tuã voluntatẽ quando tibi placuerit expletis, cælestis regni gloriã cũ omnibus sibi cõmissis percipere mereatur. Per.

instrumentis, & quemadmodum officia tabernaculi testimonij olim cum arca oraculi, scilicet cherubin clausa velis, columnas, cande labra, altare aureum, argenteas bases, tabulas deauratas, holocausta, hostias, æneum altare cũ basibus æneis, tentoria, funes, oleum vnctionis, & cætera in figuram nostri temporis per manus sanctorum sanctificasti sacerdotũ, ita nunc manens in æternum, summe sacerdos sacerdotum secundum ordinem Melchisedech, vasa hæc, & omnia instrumenta altaris huius Ecclesiæ, quæ inter nostras palmas habentur, benedicas, purifices, consecres, & consummes, quibus inter nos B tibi placuerit expletis, cælestis regni gloriã cũ omnibus sibi cõmissis percipere mereatur. Per.

Benedictio Stolæ, seu mappulæ, vel planetæ.

Deus inuictæ virtutis triumphator, & omniũ rerum creator ac sanctificatór, intẽde propitius preces nostras, & hanc stolam siue mappulam, vel planetam leuiticæ ac sacerdotalis gloriæ ministris tuis fruendas tuo proprio ore benedicere, ac sanctificare, consecrareque digneris, omneq; eis vtentes, tuisq; ministerijs à nobis indignis consecrandos, aptos, & tibi cum eis deuotè & amabiliter seruientes, gratos efficere dignare. Per.

Benedictio Stolarum.

Domine Deus omnipotens, qui ab initio hominibus vtilia & necessaria creasti, & vestimenta pontificalia, aliaq; ornamenta & lintemina sacerdotibus ac leuitis in vsum tabernaculi fœderis fieri Moysi famulo tuo iussisti, eumq; spiritu sapientiæ ad id peragendum repleuisti; hoc ornamentum in vsum ministerij tui sanctificare, benedicere, & consecrare, atque ministros altaris tui, qui illud portauerint, septiformi Spiritu sancto dignanter replere digneris, atque castitatis stola & indumento lætitiæ sempiternæ, & beata facias cum bonorum fructu ministerijs congruenti immortalitate vestiri. Per.

Benedictio Corporalis. Oratio.

Omnipotens sempiterne Deus, benedic linteamen istud ad tegendum inuoluendumq; corpus & sanguinem filij tui Domini nostri Iesu Christi. Qui. ALIA.

Domine Deus, qui iam sanctificare dignatus es hoc genus specierum, quando eo dignatus es insolui corpus Domini nostri Iesu Christi vnigeniti tui in beata passione; concede quæsumus per eundem Dominũ nobis quãquàm indignis famulis tuis, vt præsens linteum cęlesti benedictione sanctum & aptum fiat Dominico sepulcro, altari videlicet tuo, vt placabiliter possit in eo imponi corpus & sanguis eiusdẽ Domini nostri Iesu Christi, qui est vita omnium fideliter sumentium, & viuit, & regnat tecum Deus in vnitate eiusdem Spiritus sancti. ALIA.

Clementissime Dñe, cuius inenarrabilis virtus, cuius mysteria arcanis mirabilibus celebrãtur; tribue quęsumus, vt hoc linteamen tuæ propitiationis benedictione sanctificetur, ad consecrandum super illud corpus & sanguinẽ Dei & Domini nostri Iesu Christi filij tui. Qui tecum.

Benedictio ad albas, planetas, stolas, & cingula

Domine Deus, pater omnipotens, rex & magnificus triumphator, qui per sanctos patres nostros, qui tibi in sacerdotali ordine placuerunt, diuersi generis ornamenta & vestimenta sacerdotalia fieri, & his ornari sacerdotes tibi seruientes iussisti, exaudi propitius orationem no-

Universidad de Deusto
Biblioteca

Præfatio vasculi, in quo Eucharistia reconditur.

Oremus, fratres dilectissimi, vt Deus omnipotens hoc vasculum corporis filij sui Domini nostri Iesu Christi gerulum, suæ benedictionis tutamine, suiq; filij Domini nostri munere, ac sancti Spiritus virtute implere dignetur. Per. in vnitate eiusdem Spiritus sancti.

Sequitur Benedictio.

Omnipotens Deus, Trinitas inseparabilis, manibus nostris opem tuæ benedictionis infunde, vt per nostram benedictionem hoc vasculũ sanctificetur, & corporis Christi nouum sepulcrum Spiritus sancti gratia perficiatur. Per eundem. in vnitate eiusdem Spiritus sancti.

Præfatio ad consecrandam patenam.

Oremus, fratres charissimi, vt diuinæ gratiæ benedictio consecret, & sanctificet hanc patenam, ad conficiendum in ea corpus Domini nostri Iesu Christi patientis Crucem pro salute omnium nostrum. *Sequitur oratio. Oremus.*

Omnipotens sempiterne Deus, qui legalium inter libatoria hostiarum, conspersam similaginem deferri in patenis aureis & argenteis ad altare tuum iussisti, benedicere & sanctificare digneris & hanc patenam in administrationem Eucharistiæ Iesu Christi filij tui, qui pro nostra omnium salute seipsum tibi Deo patri in patibulo Crucis elegerat immolari. Qui tecum.

Indè faciat signum Crucis de chrismate sancto super patenam, dicens:

Consecrare & sanctificare digneris domine patenam hanc per istam vnctionem & nostram benedictionem in Christo Iesu domino nostro. Qui tecum viuit & regnat. *Præfatio calicis.*

Oremus, dilectissimi fratres, vt Deus & Dominus noster hunc calicem in vsum ministerij sui consecrandum, cælestis gratiæ inspiratione sanctificet, & ei ad humanum benedictionem plenitudinem diuini fauoris accommodet.

Sequitur benedictio.

Dignare Dñe calicem istũ in vsum ministerij tui pia deuotione formatum, ea sanctificatione perfundere, qua Melchisedech famuli tui sacratum calicem perfudisti, & quod arte vel metalli officio non potest altaribus tuis esse dignum, tua fiat benedictione preciosum atque sanctificatum. Per.

Et faciat Crucem de chrismate super ipsum calicem per latera, OREMVS.

Omnipotens sempiterne Deus, manibus nostris opem tuæ benedictionis infunde, vt per nostram benedictionem hoc vasculum sanctificetur, ac corporis & sanguinis Domini nostri Iesu Christi nouum sepulcrum Spiritus sancti gratia perficiatur. Per. ALIA.

Deus qui Moysi famulo tuo in Oreb monte seruanda populo tuo præcepta disponens, templum sanctum tuum, qualiter ædificaret instituisti, sacra quoque vasa, quæ inferri altari tuo deberent, instar vasorum cælestium fieri docuisti, precamur vt hunc calicem, in quo celebraturi sumus sacrosancta mysteria, emissione sancti Spiritus tui cælesti benedictione sanctifices, gratumque & acceptabilem habeas, & benedicas, vt dignè sociatus vasculis tuis, & acceptabilem tibi deferat famulatum, & dignè tuis mysterijs consecretur. Per Dominum. in vnitate eiusdem Spiritus sancti.

Ad benedicendam Crucem primitús fiat benedictio salis & aquæ. Posteà litania. Deinde sequatur oratio. *Oremus.*

Benedic Domine Iesu Christe hanc Crucem tuam, per quam eripuisti mundum à potestate dæmonum, & superasti passione tua suggestorem peccati, qui gaudebat in præuaricatione primi hominis per ligni vetiti præsumptionẽ. Qui cum Deo patre & Spiritu sancto viuis & regnas. ALIA.

Rogamus te Domine sancte, pater omnipotens, æterne Deus, vt digneris benedicere hoc lignum Crucis, vt sit remedium salutare generi humano, sit soliditas fidei, profectus bonorum operum, redemptio animarum, sit solamen & protectio ac tutela contra sæua iacula inimicorum. Per. Deindè dicat alta voce. Per omnia secula seculorum. Resp. Amen.

Consecratio.

Domine sancte, pater omnipotens, æterne Deus, cuius sanctum & terribile nomen inter cæteras visibiles creaturas ligna quoque fructifera laudare ac benedicere non cessant, qui in figuram vnigenitæ sapientiæ tuæ, ligno vitæ à principio paradisum voluptatis ornasti, vt eiusdem fructus sacrosancto mysterio protoplastos parentes nostri generis mortem cauere, & vitam admoneres custodire perpetuam, quiq; nos vetitæ arboris attactu iustè morti addictos, eiusdem coæternæ tibi sapientiæ tuæ Dei & Domini nostri Iesu Christi innoxia morte ad vitam misericorditer reuocare dignatus es, te supplices exoramus, vt hoc singulare signum, quod ad exemplum primi sacratissimique vexilli de precioso filij tui sanguine triumphalis, fidelium tuorum deuotione compactum est, cælesti tua benedictione sanctificare digneris, vt omnibus hic genu flectentibus, ac tuæ maiestati supplicantibus largior & cordis compunctio, & indulgentia concedatur admissorum, atque intercedente ipsa victoriosissima vnigeniti tui filij passione, & tibi placita postulare, & citiùs valeant postulata percipere. Da quæsumus clementissime pater, in quo viuimus, mouemur, & sumus, vt quoties triumphum diuinæ humilitatis, quæ superbiã nostri hostis deiecit, oculis intuemur, quoties mente recolimus, & contra hostem ipsum fiduciam fortitudinis, & maiorem deuotæ tibi humilitatis gratiam consequamur, quatenùs in illo tremendo tuæ maiestatis examine, cum pauentibus elementis, cælorumque virtutibus commotis, signum illud glorificum redemptionis nostræ apparuerit in cælo, ipsi de morte ad vitam transire, ac perpetua beatæ resurrectionis gaudia videre mereamur. Per eundem Dominum.

Roga-

Rogamus te Domine suppliciter inuocantes, vt signum illud sanctæ Crucis, sit salus credentium in te per passionem Crucis tuæ, & per signum sanctitatis tuę, signum sit dei viui, signũ salutis, signum beatæ Trinitatis, signum cælestis gloriæ, signum Saluatoris nostri Iesu Christi Domini nostri, hoc est, Crux Saluatoris nostri, Crux Patriarcharum, Crux Prophetarum, Crux Apostolorum sanctorum, Crux Martyrum Christi, Crux Ecclesiæ Dei, Crux omnium credentium in sanctam & perfectam Trinitatẽ. Resp. Amen. Alleluia.

Te Domine, quæsumus, qui das animabus salutem per signum Crucis tuæ, vt in locis ac domibus vbi Crux ista fuerit fixa, fugentur dæmones, & immundi spiritus, ac pestifer expellatur inimicus, morbisque careant, & immunditijs, ac omnes aduersę potestates cognitione tua sint procul depulsæ, & virtute benedictionis tuæ sit benedicta hæc Crux, & sanctificata, & mundata dignanter, & in quocunque loco manserit, in tuo nomine omnes timores meridiani atque nocturni, & omnes terrores liuoresque serpentis excludantur, abscedantque insidiæ inimici, & phantasmata pereant. Per.

ALIA.

Deus qui beatæ Crucis patibulũ quod priùs erat scelestis ad pœnam, conuertisti redemptis ad vitam, concede plebi tuæ eius vallari præsidio, cuius est armata vexillo, sit ei Crux fidei fundamentũ, spei suffragium, in aduersis defensio, in prosperis iuuamen, sit ei in hoste victoria, in ciuitate custodia, in campis protectio, in domo fultura, vt pastor per eam in futuro gregem seruet incolumem, quæ nobis agno vincente conuersa est ad salutem. Per. ALIA.

Sanctifica Domine Iesu Christe istud signaculum passionis tuæ, vt sit inimicis tuis obstaculum, & credentibus vitæ perpetuum efficiatur victoriæ vexillũ. Qui. cum Deo patre. Hic adspergat eam aqua sancta, addens odorẽ incensi, ità dicendo: Sanctificetur istud lignum in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, & benedictio illius ligni sit in loco isto, in quo sancta membra Saluatoris suspensa sunt, vt orantes inclinanteque se propter Dominum ante istã Crucem, inueniant corporis & animæ sanitatẽ. Per omnia secula seculorum. Resp. Amen.

Benedictio Crucis metallizatæ.

DEus gloriæ, Deus excelse sabbaoth, fortissime Emmanuel, Deus pater veritatis, pater sapientiæ, pater beatitudinis & pulchritudinis, pater illuminationis atq; vigilationis nostræ, qui mundum regis, qui cuncta regna disponis, qui es bonorum collator munerum, & bonorum omnium attributor, cui omnes gentes, populi, tribus, & linguæ seruiunt, cui omnis Angelorum legio famulatur, qui largiris famulis tuis fidem & laudem nominis tui, vt debita tibi oblata persoluant. Cui priùs fides offerentium complacet, deindè sanctificatur oblatio, quæsumus exorabilem misericordiæ tuæ pietatem, vt sanctifices tibi hoc signum Crucis, ætque consecres, quod tota mentis deuotione famuli tui religiosa fides constituit, trophæum scilicet victoriæ tuæ ac redemptionis nostræ, quod in amorẽ Christi triumphalis gloria consecrauit, adspice hoc signum Crucis insuperabile, quo diaboli est exinanita potestas, mortaliũ restituta libertas, quæ licèt fuerit aliquando in pœnam, sed nunc versa est in honorem per gratiam, & quę quondam reos puniebat supplicio, nũc innoxios absoluit à debito. Et tibi quid per hoc placere potuit, nisi id, per quod tibi placuit nos redimere? nullum tibi debitum amplius munus est, quàm quod tibi tũc corporis dedicauit, affixio: nec tibi est magis familiaris oblatio, quã quæ familiari manuum tuarum extensione sacrata est. Illis ergò manibus hanc Crucem accipe, quibus illam amplexus es, & de sanctitate illius hanc sanctifica, ac sicuti per illam mundus expiatus est à reatu, ità offerentium famulorum tuorum animæ deuotissimæ huius Crucis merito, & obsecrationibus huius sancti martyris tui, cuius reliquiæ in præsenti Ecclesia continentur, omni careant perpetrato peccato, & tuæ veræ Crucis obtectu enitescant successibus assiduis triumphatores. Radiet hic vnigeniti tui filij splendor diuinitatis in auro, emicet gloria passionis eius in ligno, in cruce rutilet nostræ mortis redemptio, in splendore chrystalli nostræ vitæ purificatio. Sit suorum protectio, spei certa fiducia, eos simul cum gente & plebe fide confirmet, spe & pace consociet, augeat triumphis, amplificet in seculis, proficiat eis ad perpetuitatẽ temporis, ad vitam æternitatis, vt eos temporali florentes gloria muniat, & ad perpetuã redemptos coronam, & ad regna cælestia potenti virtute perducat. Præsta per propitiationem sanguinis eius, per ipsum datorem, qui seipsum dedit redemptionem pro multis, qui se hostiã pro delictis offerre dignatus est, qui exaltatus in ligno Crucis suæ, principatus & potestates humiliauit, qui tecum fidereo sedet in throno, indissolubili connexione Spiritus sancti per infinita secula seculorum. Resp. Amen.

Benedictio Thuribuli.

Domine Deus, qui dum filios Israel ob rebellem sui cõtumaciam, durum vastaret incendiũ, Aaron sacerdotem tuum inter viuos ac mortuos orando stantem, tibique incensum offerentem exaudire dignatus es, populumq; de incendio liberare, benedic hoc quæsumus thuribulũ, & præsta, vt quoties tibi in eo offerimus incensum, nos ipsos Christo tuo efficias boni odoris acceptabile templum. Qui venturus.

ALIA.

Domine sancte, pater omnipotens, æterne Deus, q̃ in deserto prophanæ multitudinis mũr murationem flãma mulctãte, cum Aaron sacerdos tuus, repleto de altaris igne thuribulo, tuæ maiestati ꝓ illius liberatione humiliter supplicaret, incenso placatus, precibus eius clementer annuisti, benedic hoc quæsumus thuribulum tua Num. 16.

Universidad de Deusto
Biblioteca

tua majestate, & præsta, vt quod in eo tibi offertur incensum, sit fuga dæmonum, repulsio phantasmatum, immundarum abscessio cogitationum, sitque in illius odore, nostra tibi oratio semper accepta. Per.

Benedictio Incensi vel Tymiamatis.

Deus omnipotẽs, Deus Abraham, Deus Isaac, Deus Iacob, immitte in hanc creaturam incensi vel tymiamatis, vim odoris tui atq; virtutem, vt sit seruis vel ancillis tuis munimẽtum, tutelaq; defensionis, nè intret hostis in viscera eorum, nec habitum ibi vel sedem possit habere. Per Dominum nostrum. ALIA.

Domine Deus omnipotens, cui adstat exercitus Angelorũ, dignare respicere & benedicere hanc creaturam incensi, vt oẽs languorũ dæmonumq; insidiæ, odorẽ ipsius sentientes fugiant, & separẽtur à plasmate tuo quod filij tui preciosso sanguine redemisti, vt nunquàm lædantur à morsu serpentis antiqui. Per. Item ALIA.

Deus qui Moysi famulo tuo per Spiritũ sanctũ reuelare dignatus es, quæ ad cultũ sanctuarij necessaria decreuisti, ex quibus thymiama boni odoris ad opus Ecclesiæ tuæ ob causã religionis iugiter permanere iussisti, vt mysticè nobis significatione spiritualiũ virtutũ fragrans ostenderet odorẽ suauitatis: tua ergò quæsumus omnipotens Deus immensæ maiestatis dextera hãc creaturam benedicere, ex diuersarum rerũ commixtione confectam dignare, vt virtute sancti nominis tui, oẽs immundorum spirituũ phantasmaticos incursus effugare, oẽsq; morbos reddita sanitate expellere, vbicũq; fumus aromatũ eius efflauerit, mirabiliter possit, atq; in odorem flagrantissimum tibi Domino perpetua redoleat suauitate. Per. *Præfatio consecrationis Capsarum.*

OREmus, dilectissimi nobis, Deum patrẽ omnipotentem, vt qui omnia per vnigenitũ filium suũ in virtute sancti Spiritus valde bona creauit, ipse nobis indignis ad consecrationẽ harum capsarum reliquijs sanctorũ suorum condendis paratarum, rorem gratię suę clementer infundere dignetur. Per.

Consecratio in modum Præfationis.

Deus inęstimabilis, Deus ineffabilis, Deus misericordiarũ & totius cõsolationis, qui Moysi famulo tuo præcepisti, vt iuxta exẽplar, quod ei in monte demonstrasti, arcam de lignis imputribilibus construeret, & eã auro mundissimo circundaret, in qua vrna aurea, manna cęlesti plena, cũ tabulis testamenti, digito maiestatis tuę conscriptis, in testimonium futuris generationibus seruari deberet, quiq; nostris seculis eadẽ sacratiùs intelligenda manifestasti, dũ corpus vnici filij tui opere Spiritus sancti de incorrupta virgine conceptum, & anima rationali viuificatũ, omni plenitudine diuinitatis implesti, te suppliciter imploramus omnipotẽs Deus pater Domini nostri Iesu Christi, ex quo omnis paternitas in cælis & in terra nominatur, vt hæc vascula sãctorũ tuorum pignoribus præparata, eisdem sanctis tuis intercedentibus, cælesti benedictione perfundere digneris, quatenùs, qui eorum patrocinia requirunt, ipsis interuenientibus, cuncta sibi aduersantia, te adiuuãte superare, & omnia commodè profutura, abundantia largitatis tuæ mereantur inuenire. Et sicut illi dño, te inspirante, spiritalium nequitiarũ versutias cauere, & humanitùs exquisita tormenta nõ solùm contemnere, sed etiam penitùs euincere, Christo Dño confortante, potuerunt; ità ipsorũ merita venerantibus, & reliquias humiliter amplectentibus contra diabolum & angelos eius, contra fulmina & tẽpestates, cõtra grandines, & varias pestes, contra corruptum aerem, & mortes hominũ vel animalium, cõtra fures & latrones, siue gentilũ incursiones, contra malas bestias, & serpentium atque reptantium diuersissimas formas, contra malorum hominũ adinuentiones pessimas, eorundem sanctorum tuorũ precibus cõplacatus, dexteram inuictæ potẽtiæ tuæ ad depulsionem proficuorum, semper & vbique propitius extende. Per eundem. *Item alia oratio.*

Domine Deus omnipotens, qui vt murmur insani populi compesceres, & sacerdotiũ Aaron tibi placitum cõprobares, virgam eius aridam germinare & flores fructiferos producere fecisti, eandemq; in arcam testamenti pro signo virtutis, tuę pomi iussisti: sed nobis eodem præsagio Christum in ara Crucis arefactum, citissima resurrectione florescere, & in Ecclesia nouissimo tẽpore suscitanda siue per vitam, siue per mortẽ, die ac nocte fructificare demõstrasti, te quæsumus indulgentissime generis humani prouisor, vt hæc vascula sanctorum tuorum receptaculo præparata, gratuita gratia sanctifices, vt vbicunque in tuo nomine perlata fuerint, intercedentibus habitatorum eorum meritis, cuncta aduersa repellas & nullifices, & omnia vtilia multiplices, atq; custodias, quatenus fideles tui magitudine siue numerositate beneficiorum tuorum in parte modica reliquiarum, integra sanctorum corpora se percepisse gratulentur, & per tẽporalia loca ipsorum precibus impensa, ad ęterna cum eis gaudia possidenda fiducialius animentur. Per. *Item alia oratio.*

Domine sancte, pater omnipotens, æterne Deus, qui per vnigenitum tuum beatum Paulũ Apostolum vas electionis appellari voluisti, & ipso euãgelizãte, ac dicente fidelibus, Vos estis tẽplum Dei viui, & spiritus Dei habitat in vobis, & sciat vnusquisque vestrum suum vas possidere in sanctificatione & honore, omnibus Domini nostri Iesu Christi mẽbris eandem spem cõcessisti, te humiliter imploramus, vt in hanc capsam capiendis sanctorũ tuorum mẽbris, vel exuuijs vel pignoribus artificiosè cõpactam & ornatã, rorem diuinæ sanctificationis infundas, & non solùm ad illorum præsentiam venientes, & ibidẽm suppliciter exorantes exaudias, sed & quippiam de memorijs eorum pro benedictione reportantes, aut fideliter accipientes, immensæ pietatis tuæ gratia consolari, refouere, tutari, ac remunerare digneris. Per.

Item

Item vndè suprà in transcursu.

QUæsumus, omnipotens Deus, indefectiuam clementiam tuam, vt hoc instrumẽtum sanctorum tuorum reliquijs honorificum, dextera maiestatis tuæ dignanter extensa, misericors & placitus benedicas, vt quicunque illorum patrocinia, vel cominùs expetentes, vel eminùs recolentes, pietati tuæ fideli deuotione de quacunque necessitate supplicauerint, optata citiùs consolatione ac iuuamine potiantur. Per.

Præfatio ciborij, idest, vmbraculi altaris.

OREmus, fratres chariſſimi, Deum rectorem ac gubernatorem omnium seculorum, vt immemor omnium delictorum & facinorum iuuentutis & ignorantiæ siue temerariæ præuaricationis meę, istud instrumentum ad honorificẽtiam nominis sui compactum placitus ac misericors illustratione vultus sui benedicere & sanctificare dignetur. Per Dominum nostrũ. *Consecratio.*

Omnipotens sempiterne Deus, qui fideli famulo tuo Moysi præcepisti, vt duos Cherubin super arcam testamenti collocaret, quam extensis ad alterutrum alis protegerent, versis vultibus in propitiatorium, quæsumus ineffabilem clementiam tuã, vt hoc tegimen venerandi altaris tui, in quo ipse vnigenitus filius tuus Dominus noster Iesus Christus, q est propitiatio pro peccatis nostris, fideliũ manibus iugiter immolatur, & sub quo sanctorum tuorũ corpora, quæ veraciter fuerunt arca testamenti tui, receptacula videlicet Spiritus sancti, per eundem consubstantialem tibi filium, qui factus est nobis à te sanctificatio & redemptio, in virtute eiusdẽ Spiritus veritatis, vniuersa antiqui hostis falsitate cum satellitibus suis depulsa, cum omnibus ornamentis ad ipsum vmbraculum pertinẽtibus, vel ab illo dependentibus, aut eidem suppositis, tua sancta benedictione perfundere, & consecrare, atq; ad tuitionem pignorũ sanctorum, ac roboranda siue multiplicãda vota fideliũ tuorũ diutino tempore conseruare digneris, annuente eodẽ dño nostro Iesu Christo filio tuo. qui tecũ.

Item præfatio minoris vel itinerarij ciborij.

OREmus dilectissimi indulgentiam omnipotentis Dei, vt postpositis humanæ fragilitatis admissis, cõsuetæ misericordiæ suæ munere, hoc repositorium sacris vsibus prępparatum, per vnigenitum verbũ, virtutem scilicet & sapientiam suam, in spiritu sanctificationis consecrare dignetur. Per. *Consecratio.*

Consecrare & sãctificare dignare quæsumus sancte pater, omnipotens æterne Deus, hoc conditorium sanctorũ pignorum, ad recõdenda in eo tuorũ munera preciosa sanctorũ, in Christo Iesu Dño nostro. qui. *Præfatio tabulæ itinerariæ.*

Deum omnipotentẽ, fratres chariſſimi, votis exultantibus deprecemur, vt qui per oẽm mundum fidem sparsit, & ecclesiam cõgregauit, qui & lapis exciſus de monte sine manibus angularẽ compagem solidauit, hanc petram serenus illustret, eamq; ęterno lumine irrigatam, ità multiplicibus ac diuersis charismatibus locupletet, vt super illam administrandam corporis sui hostiam benedicat, & suscipiat consecratam. Qui cum Deo patre. *Consecratio.*

Exaudi nos Deus noster, & precum nostrarũ libenter accipe vota, & hoc altare ad celebrãda diuina mysteria præparatum, odore vnguẽti cælestis adsperge, & aromata illi diuinæ sãctificationis infunde, & sicut lapidem Iacob patriarchæ erectum, vnguenti perfusione dicasti, & angelicis visionibus per scalam gradus Ecclesiæ figurasti; sic super hunc quoque lapidem altari coaptandum, cælestis gratiam benedictionis immitte, vt dum tibi super eum sacri corporis & sanguinis vnigenitꝛ tui mysteria consecrantur, petentibus peccata deleantur, mœrentibus influat gratia sempiterna. Per. Et accipiens tabulam, adspergat eã aqua benedicta, addens odorem incensi, & confirmet eam cum chrismate in crucem, ità dicendo: In nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti. Resp. Amen: Pax tecũ. Resp. Et cũ spiritu tuo. *Oratio in dedicatione baptisterij.*

Primitus fiat aqua benedicta cum litania.

Deindè dicatur oratio. Oremus.

Omnipotens sẽpiterne Deus, fons omniũ virtutũ, & plenitudo gratiarũ, dignare hoc vasculũ sacro baptismati præparatũ maiestatis tuæ præsentia cõsecrare, vt qui vbiq; totus es, etiam hìc adesse te nostris precibus sentiamus. Per. *Alia.*

Propitiare Domine familiæ tuæ, & benignus humilitatis nostræ vota sanctifica, & omnes in hoc fonte regenerandos vniuersali adoptione custodi. Per. Tunc adspergat ipsum baptisterium aqua benedicta, addens odorem incensi. Deindè vadant ad eum locum, in quo reliquiæ præterita nocte cum vigilijs fuerunt, & ibi mutet pontifex, si voluerit, vestimenta sua, & præparet se ad Missam vestimentis alijs solennibus.

Deindè redeat ad ostiũ Ecclesiæ, vbi litaniæ vel laudes circa feretrum celebrantur, & dicat prę foribus hãc orationẽ: signans ostiũ Ecclesię.

Deus qui sacrandorum tibi auctor es munerum, effunde super hanc orationis domũ benedictionem tuam, vt ab omnibus hìc inuocantibus nomen tuum, defensionis tuæ auxilium sentiatur. Per. Et tunc portãtes feretrum magno honore cum reliquijs simul & crucibus & luminaribus, circumeant Ecclesiam, sequente clero, has antiph. vel resp. psallendo, & populo cũ mulieribus & paruulis, kyrie eleison decantãte. Antiph. Ambulate sancti Dei ad locum destinatũ, qui vobis præparatus est ab origine mundi. Antiph. Plateæ Hierusalem gaudebunt, & omnes vicini eius canticũ lętitiæ dicent. Antiph. Custodit Dñs animas sanctorũ suorũ, de manu peccatorum liberabit eas: Lux orta est iustis, & rectis corde lætitia. Ant. In sanctis gloriosus es Deus noster, quis similis tibi? sanctimoniũ tuũ Dñe, quod præparauerunt manus tuæ Domine, Dñe qui regnas in æternum & in seculum, & adhuc. Ant. Ambulate sãcti Dei, ingredimini in ciuitatem Dñi, ædificata est enim vobis ecclesia nouа, vbi populꝰ adorare debeat maiestatẽ Dñi. Ant.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Sanctificaui Hierusalem, dicit Dominus, & dabo sanctis meis regnum & tabernaculum electum, quæ præparaui in odorem vnguenti, Alleluia, alleluia. Resp. Sancti tui Domine. Vers. Quoniam percussit petram. Resp. Tradiderunt corpora sua. Vers. Isti sunt qui venerunt. Resp. Sancti mei. Vers. Venite benedicti. Resp. Exultabunt sancti. Vers. Epulentur. Resp. Fulgebunt iusti. Vers. Iusti autem.

His ità per ordinem gestis, cùm redierit iterum ad ostium ecclesiæ, facto silentio, habeat pontifex verbum ad populum de honore ecclesiastico, de pace venientium ac redeuntium, & de decimis ac oblationibus Ecclesiæ, ac de anniuersaria ipsius dedicatione, & annunciet tam clero, quàm populo, in cuius honore constructa & dedicata sit Ecclesia, vel etiam nomina sanctorum ibi quiescentium. Ipse autem Dominus & constructor ipsius Ecclesiæ, admoneatur de dote illius, & qualem honorem vel curam Ecclesiæ & presbytero exhibere debeat: illo autem profitente in omnibus ità se velle agere, pontifex hæc à Domino postulans, ante quam intret Ecclesiam, dicat hanc orationem. Domum tuã, quæsumus Domine, clementer ingredere, & in tuorum cordibus fidelium perpetuam construe tibi mansionem, & præsta, vt domus hæc quæ tua subsistit dedicatione solemnis, tua fiat habitatione sublimis. Per.

Deindè cum chrismate signum faciat crucis in superliminare, dicens: In nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, Porta sis benedicta, consecrata, sanctificata, cõsignata, & Domino Deo commendata. Porta sis introitus salutis & pacis. Porta sis ostium pacificum, per eum qui se ostium & ostiarium appellauit Iesus Christus Dominus, qui cum Patre, & Spiritu sancto.

Tunc accipiat pontifex feretrũ cum presbyteris: & ingrediendo dicat schola antiphonam: Ingredimini benedicti Dei, parata est vobis à Domino habitatio sedis vestræ, sed & populus fidelis cum gaudio insequitur iter vestrum, vt oretis pro nobis maiestatem Domini. Resp. Sancti Dei, dedit vobis Dominus istum locum, vt faciatis in eo mirabilia. Vers. Benedicta gloria Domini de loco sancto suo. Et cum intrauerint, extenso velo inter populum & altare, pontifex recondat reliquias in altari, & presbyteri quicum eo sunt cantent antiph. Exultabunt sancti in gloria, lætabuntur in cubilibus suis. Psalm. Cantate Domino canticum nouum, laus eius in ecclesia sanctorum.

Et antequàm recludantur reliquiæ, dicat Pontifex hanc Orationem.

Deus qui omni loco dominationis tuæ clemens ac benignus dedicator assistis, exaudi nos quæsumus, & concede, vt inuiolabilis huius loci permaneat consecratio, & beneficia tui muneris vniuersitas sanctę Ecclesiæ, quæ supplicat mereatur. Per.

Hac expleta, ponat chrisma in confessionem per angulos quatuor in crucem, dicendo:

In nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti. Resp. Amen. Pax tecum. Resp. Et cum spiritu tuo. Deindè ponat tres portiones corporis Domini intrò in confessionem, & tres de incenso, & antequàm recludantur reliquiæ in confessione, cãtent istam antiphonam: Sub altare Dei sedes accepistis, intercedite pro nobis ad Dominum, qui vos elegit. Cum psal. Exultabunt sancti in gloria, lætabuntur in cubilibus suis.

Oratio ad dedicandũ altare post impositas reliquias.

Oremus.

Deus qui altaria nomini tuo dicanda sanctificas, præsta quæsumus, vt quod nostra fragilitas non meretur, intercessione beati N. huc spiritus tui plenitudo descendat, qui & munera nostra sanctificet, & indulgentiam nobis tuæ pietatis obtineat. Per Dominum. in vnitate eiusdem Spiritus sancti.

Et accipiens tabulam de subtus, confirmet eam cum Chrismate in crucem, ità dicendo. In nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti. Resp. Amen. Pax tecum. Resp. Et cum spiritu tuo.

Tunc ponat tabulam super reliquias: & det orationem hanc. *Oremus.*

Deus qui ex omni coaptatione sanctorũ, æternum maiestati tuæ condis habitaculum, da ædificationi tuæ incrementa cælestia, & præsta, vt quorum hìc reliquias pio amore cõplectimur, eorum semper meritis adiuuemur. Per.

Deindè liniat eam cum calce, quæ anteà fuerat præparata, & postquàm linita fuerit, faciat crucem desuper cum chrismate, dicendo sicut prius: In nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti. Amen. Pax tecum. Resp. Et cum spiritu tuo. Et mittat chrisma per quatuor cornua altaris, ipsa suprascripta verba dicendo, & crucem faciendo, & cantent antiphonam: Corpora sanctorum in pace sepulta sunt, & viuent nomina eorum in æternum. Cum gloria patri. Tunc diaconi vestiant altare, & schola dicat antiph. Circundate Sion Leuitæ, altare Domini vestite vestimentis albis, estote & vos canentes hymnum nouum, dicẽtes, Benedictus es Deus. Cum psal. Mirabilis Deus. Et cum gloria. Item aliã antiph. In velamento clamabunt sancti tui DOMINE, Alleluia, allel. allel.. Posteà quoque offeratur incensum, versusque dicatur: Omnis terra adoret te Deus Deindè kyrie eleison, & oratio dominica, & preces. Fundata est domus DOMINI super verticem montium. Resp. Benè fundata est super omnes colles. Dominus in templo sancto suo. Resp. Dominus in cælo sedes eius. DOMUS mea, dicit DOMINUS. Resp. Domus orationis vocabitur. Exultabunt sancti in gloria. Resp. Lætabuntur in cubilibus suis. Exultent iusti in conspectu Dei. Resp. Et delectentur in lætitia. Pretiosa est in conspectu DOMINI. Resp. Mors sanctorum eius. Lætamini in DOMINO & exultate iusti. Resp. Et gloriamini omnes recti corde. Iusti confitebuntur nomini tuo. Resp. Et habitabunt recti cum vultu tuo. Fiat misericordia tua DOMINE super nos. Resp.

Quemad-

Quemadmodùm speruimus in te. Exurge DOMINE, adiuua nos. Resp. Et libera nos propter nomen tuum. Domine Deus virtutum conuerte nos. Resp. Et ostende faciem tuam, & salui erimus. Domine exaudi orationem meam. Resp. Et clamor meus ad te veniat. Dominus vobiscum. Resp. Et cum spiritu tuo. *Oremus.*

Descendat, quæsumus DOMINE DEUS noster, Spiritus tuus sanctus super hoc altare, qui & populi tui dona sanctificet, & sumentium corda purificet. Per. ALIA.

Omnipotens sempiterne DEUS, altare hoc nomini tuo dicatum, cælestis virtutis benedictione sanctifica, & omnibus in te sperantibus auxilij tui munus ostende, vt hìc & sacramentorũ virtus & votorum obtineatur effectus. Per.

Deindè reuertatur pontifex in sacrarium, donec ornetur ecclesia, & accendantur luminaria. Et incipiat cantor, Antiph. ad introitum: Terribilis est locus iste. Psal. Quàm dilecta. Et procedat pontifex cum ordinibus suis. si autem consuetudo est in festiuitatibus, & celebretur solenniter Missa, sicut in sacramentario continetur. Cum gloria in excelsis Deo, & posteà, per totam hebdomadam fiant Missæ publicè in ipsa, vsque ad dies octo completos.

Reconciliatio violatæ Ecclesiæ.

Primùm efferantur reliquiæ, & veniat Episcopus ante ipsam Ecclesiam cum clero & populo, & dicat hanc orationem: *Oremus.*

Omnipotens & misericors Deus, qui sacerdotibus tuis præ cæteris tantam gratiam contulisti, vt quicquid in tuo nomine dignè perfectèq; ab eis agitur, à te fieri credatur, quæsumus immensam clementiam tuam, vt quod modò visitaturi sumus, visites, & quicquid benedicturi, benedicas, sitq; ad nostræ humilitatis introitũ, sanctorum tuorum meritis fuga dæmonum, angelis pacis ingressus. Per.

Item alia oratio.

Aufer à nobis, quæsumus Domine, iniquitates nostras, vt ad loca tuo nomini purificanda, puris mereamur mentibus accedere. Per.

Tunc intret ipse pontifex in Ecclesiam cum clero & litanijs. His peractis, dicat. Oremus. Et diaconus, Flectamus genua. Posteà, Leuate, sequitur oratio. *Oremus.*

Deus qui peccati veteris hæreditariam mortem, in qua posteritatis genus omne successerat, Christi filij tui DOMINI nostri passione soluisti, dona propitius, vt conformes eiusdem facti, sicut imaginem terreni parentis naturæ necessitate portauimus, ità imaginem cælestis gratiæ sanctificatione portemus. Eiusdem Christi DOMINI nostri. Qui. Et benedicat aquam & salem cum vino & cinere in terra, & circumeat tribus vicibus intrinsecùs Ecclesiam spargẽdo, & cantando antiphonam. Antiph. Adsperges me Domine. Cum psal. Miserere mei Deus. Lauando ac purificando loca contaminata, dicat hanc orationem: *Oremus.*

Deum indultorem criminum, Deum sordiũ mundatorem, Deum qui concretum peccatis originalibus mundum aduentus sui nitore purificauit, fratres charissimi, supplices deprecemur, vt contra diaboli furientis insidias fortis nobis propugnator assistat, vt si quid eius virosa calliditate quotidianis infectationibus maculatum in isto loco inuenitur atque corruptum, efficiatur cælesti miseratione purgatum: quia sicut illius est, solidum perfectumq; quassare, ita auctoris nostri est lapsa restituere, nutantia stabilire, & corrupta purgare. *Consecratio.*

Deus cuius bonitas vt nõ habuit principium, ità nec terminũ habebit, qui diuina naturaliq; pietate plenus, eligis in nobis magis restituere perdita, quàm percutere peritura, & si quid aut negligentia polluit, aut ira committit, aut stimulat ebrietas, aut libido subuertit, clementi patientia sustines, vt hoc antè per gratiam purifices, quàm percutias per furorem, & operis tui prouidus plastes, eligis potiùs erigere iacentia, quàm punire damnanda, te supplices deprecamur, vt in huius tabernaculi receptaculo negligentiæ plagas adspicias, & altare tuum, quod infectantis est inimici fraude pollutum, per infusionem gratiæ cælestis purifices, purificatũq; possideas. Absint in posterum omnes nequitiæ spiritales, & eliminentur. Extinguatur antiqui serpentis inuidia, & cum fraudibus suis diaboli turma propellatur. Efferat maculam secum quam ingessit, & perennibus quandoque supplicijs deputandus, operum suorum semina secum colligat peritura. Nihil in posterum noceat præteriti culpa contagij, nihil sit quod remaneat inimici fraude pollutũ, quandoquidem per spiritus tui infusionem constat esse purgatum. Resurgat Ecclesiæ tuæ pura simplicitas, & candor innocentiæ hactenùs maculatus: Dum receperit gratiam, resurgat ad gloriam, vt populorum istic fidelium turba conueniens, dum petitionis ingerit vota, votorum se sentiat obtinuisse suffragia. Per. Tunc cantetur antiph. Exurgat Deus, & dissipentur inimici eius. cum eodem psal. Et antequàm *reportentur reliquiæ, dicat pontifex: Oremus. Et diaconus, Flectamus genua. *Sequitur Oratio;*

*recludantur.

Deus qui omni loco dominationis tuæ clemens ac benignus dedicator assistis, exaudi nos, quæsumus, & concede, vt in posterum inuiolabilis huius loci permaneat consecratio, & beneficia tui muneris vniuersitas sanctæ Ecclesiæ quæ supplicat mereatur. Per. Tunc reliquiæ reportentur. Et cantent antiph. Confirma hoc Deus. Cum vers. Narrabo nomen tuum. Et gloria. *Oremus.*

Deus qui Ecclesiam tuam sanctam de omnibus mundi finibus congregatam, per tui lateris admirabile sacramentum, cunctarum gentium matrem esse dixisti perfectam, quam etiam populorum varietate depictam, martyrum tuorũ meritis decorasti, benedic quæsumus sãctorum tuorũ N. opitulante suffragio tam altare, quod eorum exornetur, te iubente, reliquijs, quàm

Eccle-

Universidad de Deusto
Biblioteca

Ecclesiam, atque fidelium tuorum tibi piè offe A rentiũ vota, in illa sanctifica. Qui cũ Deo patre.

Ordo ad benedicendum Ecclesiæ signum.

IN primis dicatur litania. Posteà sex Psalmi veniales. Miserere mei Deus secundum magnam 1. Deus in nomine tuo. Miserere mei Deus, miserere mei. 3. Deus misereatur nostri. Deus in adiutorium meum intende. Inclina Domine. *Sequitur exorcismus salis.*

Exorcizo te creatura salis per Deum viuũ, per Deũ sanctũ per Deũ totius creaturæ, qui diuina voce oris sui locut' est, ad discipulos suos dicẽs: *Matth. 5.* Vos estis sal terræ, & qui per Apostolũ suũ Paulum dignatus est dicere, sit sermo vester sapien- *Coloss. 4.* B tiæ sale conditus, vt efficiaris sal exorcizatum ad euacuandum & expellendum ab hoc Ecclesiæ signo inimicum, omnemq; virtutem putredinis eius, & omnes qui ex te sumpserint, sint sanctificati animis atque corporibus, & vbicunque fueris adspersum, præstes omnibus remissionem peccatorum, sanitatem mentis, protectionem salutis in nomine Domini nostri Iesu Christi, qui venturus. *Benedictio salis.*

Virtutis tuæ inuictam fortitudinem deprecantes, Domine sancte, pater omnipotens, æterne Deus, qui inter omnia necessaria, quæ per Iesum Christum Dominum nostrũ procreari iussisti, non minimam gratiam conferre dignatus es sali, vt ex illo possint vniuersa condiri, quæ C hominibus ad escam per eundem filium tuum Dominum nostrum procreasti, te supplices exoramus, vt hoc sal digneris adspicere, quatenus ex maiestatis tuæ virtute contra omnes spiritus immundos valorem possit accipere. Expellat ab hoc Ecclesiæ signo, & ab omni loco vbi fuerit tua inuocatione adspersum, quicquid potest esse pestiferum, exhibeat plenum salutis effectũ, deterreat omnia præstigia inimici, & omnia monstrorum genera longius faciat effugari. Grauedines omnes, phantasiasq; compescat, & D per signum Crucis filij tui Domini nostri Christi tutelam fidelissimam desiderantibus præstet. Per eundem. *Exorcismus Aquæ.*

Discede immunde spiritus ab omnibus quibus fides nostra vsura est religiosi officij sacramentis, nec prætendas culpam criminis, qui agnoscis potentiam Saluatoris. Non est meriti confidentia, sed præcepti, licèt ipsa potestas ministerij, dignitas sit ministri. Te igitur per communem Dominum aquę creatura conuenio, vt conseruare motum sensibilitatis intelligens, subijci seruitio, quo placare Deum nitimur, nõ E recuses, omnem à te dæmonum cõmunionem, omne collegium iniquitatis expurges, totam phantasmatis labem, capax Dominicæ protectionis exterminis, vt gratia sanctificationis adepta, tuo nostroq; pariter creatori deseruiẽs, omnem prauorum spirituum nequitiam ab hoc Ecclesiæ signo, & in quocunque loco fueris adspersa, dejcias, & sãctæ copiam benedictionis inducas. Præstante Domino nostro Iesu Christo, qui cum Deo patre & Spiritu sancto ventu-

præparatus, quarumque clangore etiam hortatus ad bellum, tela prosterneret aduersantium, præsta, vt hoc vasculum tuæ Ecclesiæ præparatũ, sanctificetur à sanctificatore omniũ Spiritu sancto, vt per illius tactum & sonitum fideles inuitentur ad præmium, & cum melodia illius auribus insonuerit, populorũ crescat in eis deuotio fidei, procul pellantur omnes insidiæ inimici, fragor grandinum, procella turbinum, impetus tempestatũ, temperentur infesta tonitrua, ventorum flabra fiant salubriter ac moderatè suspensa, prosternat aereas potestates dextera tuæ virtutis, vt hoc audientes tintinnabulum, contremiscant & fugiant ante sanctæ Crucis in B eo depictum vexillum. Per.

Tunc extergat illud cum linteo mundo, & canatur antiph. Vox Domini super aquas, Deus maiestatis intonuit, Dominus super aquas multas. Vsque, in finem: Cum gloria. Et quot vicibus in psalmis dicit, Vox Domini, totidem signa faciat cum chrismate deforis in campana, & fiunt à foris septem, intus quatuor. Deinde dicat hanc collectam:

Omnipotens sempiterne Deus, qui ante arcam fœderis per clangorem tubarum muros lapideos, quibus aduersantium cingebatur exercitus cadere fecisti, tu hoc tintinnabulum cæ- C lesti benedictione perfunde, vt ante sonitum eius longiùs effugentur ignita iacula inimici, percussio fulminum, impetus lapidum, lesio tempestatum, vt ad interrogationem propheticam, quid *Psal. 113.* est tibi mare quod fugisti, suis motibus cum Iordanico retroactis fluento respondeant, A facie Domini commota est terra, à facie Dei Iacob, qui cõuertit solidam petram in stagnum aquæ, & rupem in fontes aquarum: Non ergò nobis Domine, nõ nobis, sed nomini tuo da gloriam super misericordia tua, vt cum præsens vasculũ sicut reliqua altaris vasa, sacro chrismate tangitur, oleo sancto vngitur, quicunque ad sonitum eius conuenerint, ab omnibus inimici tentationibus liberi, semper fidei catholicæ documenta sectentur. Per. D

Tunc ponatur in incensorio ignis & thymiama, thus, & myrrha. & erigatur signum super incensorium, vt totum illum fumum colligat, & dicatur hæc antiph. Deus in sancto via tua, quis Deus magnus sicut Deus noster? tu es Deus qui facis mirabilia. Viderunt te aquæ Deus. vsque ad finem. cum Gloria. *Oremus.*

Omnipotens dominator Christe, quo secundùm assumptionem carnis dormiente in naui, E dum oborta tempestas maria conturbasset, te protinus excitato & imperante dissiluit, tu necessitatibus populi tui benignus succurre, & hoc tintinnabulum sancti Spiritus rore perfunde, vt ante sonitum illius semper fugiat inimicus, inuitetur ad fidem populus Christianus, hostilis terreatur exercitus, confortetur in Domino per illud populus euocatus, atque sicut super Dauid cum citharam delectatus, desuper descendat Spiritus sanctus, atque vt Samuele crinigero A agnum mactante in holocausto tuo rex æterni imperij, fragor aurarum turbam repulit aduersantium, ita dum huius vasculi sonitus transit per nubila, Ecclesiæ tuæ conuentum manus seruet angelica, fruges credentium, mentes & corpora saluet protectio sempiterna. Per te Iesu Christe, qui cum Deo patre in vnitate eiusdem Spiritus sancti viuis & regnas.

Ordo in dedicatione Baptisterij.

Primitùs fiat aqua benedicta cum litania. Deindè dicatur ista oratio.

OREMVS.

OMnipotens sempiterne Deus, fons omniũ virtutum, & plenitudo gratiarum, dignare hoc vasculum sacro baptismati præparatum, maiestatis tuæ præsentia consecrare, vt qui vbique totus es, etiam hic adesse te nostris precibus sentiamus. Per. ALIA.

Propitiare Domine familiæ tuæ, & benignus humilitatis nostræ vota sanctifica, & in omnes in hoc fonte regenerandos, vniuersali adoptione custodi. Per.

Tunc adspergat ipsum baptisterium aqua benedicta, addens odorem incensi.

Consecratio Cœmeterij.

Primitùs canantur septem psalmi pœnitentiæ. Et illuminentur in circuitu quatuor candelæ. Posteà adspergatur cœmeterium aqua sancta, & dicatur oratio. OREMVS.

Deus qui es totius orbis conditor, & humani generis redemptor, cunctarumq; creaturarum visibilium & inuisibilium perfectus dispositor, te supplici voce ac puro corde exposcimus, vt hoc cœmeterium siue polyandrium, in quo famulorum famularumq; tuarũ corpora requiescere debent, post curricula huius vitæ labentia sanctificare, purgare, atque benedicere digneris, quique peccatorum remissionem perpetuam, magnam misericordiam in te fidentibus præstitisti: corporibus quoque eorum in hoc cœmeterio quiescentibus, & tubam primi Archangeli hic expectantibus, consolationem perpetuam largiter impertiri. Per. ALIA.

Domine sancte, pater omnipotens, trina maiestas, & vna deitas, Pater, & Filius, necnon & Spiritus sanctus, iustitiæ auctor, veniæ largitor, bonorum dator, sanctitatis origo, charismatum distributor, omniumq; ad te venientium pius receptor, præsta propitius, vt hoc cœmeterium in honore nominis tui compositum, benedicere, & sanctificare digneris, qui Abrahæ beati patriarchæ famuli tui terram, à filijs Ebron comparatam, causa sepulturæ benedixisti & qui populo Israelitico promissionis tellurem in æuum durantem concessisti, famulorum famularumq; tuarum corporibus in hoc cœmeterium intrantibus, quietis sedem, & ab omni incursione malorum spirituum tutelam benignus largitor, tribuas, vt post animarum corporumq; resurrectionem coadunatam, te donante atque concedente, beatitudinem sempiternam percipere mereantur. Per.

ALIA.

Universidad de Deusto
Biblioteca

ALIA.

Domine sancte, pater omnipotens, æterne gloriæ, lux & honor sapiētiæ, custos & vigor prudentię, salus ægrotantium, valitudo potentium, mœstorum solamen, vita iustorum, gloria humilium, te flagitamus, vt hoc sanctorum tuorum cœmeterium, ab omni spurcitiæ inquinamento spirituum immundorum custodire, mundare, benedicereque digneris, atque corporibus humanis huic loco aduenientibus sinceritatem perpetuam tribuere non desinas, & quicunque baptismi sacramentum perceperint, & in fide catholica vsque ad vitæ terminum perseuerantes fuerint, atq; decurso huius æui termino, corpora sua in hoc cęmeterio requiei cōmendauerint, Angelicis tubis concrepantibus, materia corporis & animæ vnita, præmia cælestium gaudiorum sempiterna percipiant. Per.

Consecratio loculi vel sepulcri.

Rogamus te Domine sancte, pater omnipotens, æterne Deus, vt digneris benedicere & sanctificare hoc sepulcrum, & loculum in eo collocatum, vt sit remedium salutare in eo quiescenti, & redemptio animæ eius atque tutela, & munimen contra sæua iacula inimici. Per.

ALIA.

Sanctificetur istud habitaculū Domine Deus per nostram supplicationem, & fugetur ab eo immundus spiritus per virtutem Domini nostri Iesu Christi, vt sit placida requies corporis, quod postmodum in eo collocabitur, te protegente ac conseruante maiestate tua Iesu Christe. Qui cum Patre & Spiritu.

Adesto Domine supplicationibus nostris, & nihil de nostra cōscientia præsumentibus ineffabili miseratione tua nobis succurre, vt quod non habet nostrorum fiducia meritorum, tuorū conferat largitas inuicta donorum. Per.

Ordo Romanus ad dedicandam Ecclesiam.

PRimitus vadat Episcopus indutus vestimentis sacris ad Ecclesiam, vel ad locum vbi reliquiæ sint repositæ, & faciat ibi litaniam, & dicat hanc orationem:

Auser à nobis Domine quæsumus iniquitates nostras.

Posteà ponat reliquias in patenam, & porrigat eas presbytero in vlnas suas super sindonem, quam habeat in collo ligatam, & cooperiat ipsas, & exeant psalendo antiphonam. Cum iocunditate exibitis, & cum gaudio. Et pergant ad Ecclesiam nouam, vbi recludi debent reliquiæ. Et antequam pontifex introeat in Ecclesiam, diaconus recludatur in ipsa, & illuminentur duodecim candelæ in circuitu Ecclesiæ, & induat se vestimentis sacris, & cum venerit ad ostium Ecclesiæ, percutiens ter superliminare cum *cambutta sua, dicit antiphonam istam: Tollite portas principes vestras, & eleuamini portæ. Responsum det diaconus infra Ecclesiā: Quis est iste rex gloriæ? Iterum pontifex similiter dicit, & *diaconus vt suprà, vsque tertiò dicit: Dominus virtutum ipse est rex gloriæ. Respondeat, Deo gratias. Et aperto ostio, intrans Ecclesiam cum ministris duobus vel tribus, dicat: Pax huic domui. Resp. Amen. Et clauditur ostium Ecclesiæ.

*cambuca

*archidiaconus

Deindè incipiat clerus litaniam. Et cùm venerit sacerdos ante altare, prosternat se cum ministris super stramenta vsquedum dicat schola: Agnus Dei qui tollis peccata mundi. Vt autem surrexerint ab oratione, dicat pontifex excelsa voce: Oremus. Et dicat diaconus, Flectamus genua. Postquàm orauerint, dicat: Leuate. Et tunc sequatur ista oratio: Magnificare Domine Deus noster, in sanctis tuis.

Deindè incipiat pontifex à sinistro angulo ab oriente scribere per pauimentum cum cambutta sua alphabetum vsque in dextrum angulū occidentalem: Incipiens igitur similiter de dextro angulo orientali, alphabetum scribat vsq; in sinistrum angulum occidentalem.

Deindè veniens ante altare, dicat: Deus in adiutorium meum intende. Cum gloria, absq; Alleluia. Indè benedicat salem & aquam cum cinere mixtam, & dicat hanc orationem.

Exorcizo te creatura aquæ. *Alia.*

Deus qui ad salutem humani generis, maxima quæque sacramenta.

Sequitur exorcismus Salis.

Exorcizo te creatura salis per Deum viuum, per Deum sanctum, per Dominum totius creaturæ, qui te per Helisæum prophetam in aquam mitti iussit, vt sanaretur sterilitas aquę, per Apostolum Paulum dignatus est dicere: Sit cor vestrum sale conditum. Ideoque efficere sal exorcizatum ad euacuandum & expellendum inimicum, omnemq; virtutem & putredinem eius in nomine Domini nostri Iesu Christi. Qui vēt. *Coloss. 4.*

Et miscet salem cum cinere, faciens indè crucem super ipsam aquam, dicens: Exorcizo te creatura aquæ, per Deum viuum.

Deindè ponat vinum in ipsam aquam benedictam, dicens hanc orationem:

Omnipotens sempiterne Deus, creator & conseruator human.

Indè faciat crucem digito suo cum ipsa aqua in dextera parte altaris, & per quatuor cornua, indè cū hyssopo adspergat altare in circuitu septem vicibus canendo antiphonam istam: Asperges me Domine hyssopo. Cum psalmo, Miserere mei Deus. Tunc eat in circuitu Ecclesiæ per parietes spargendo, de dextera parte incipiens, vsquedum veniens ante altare, spargat iterum in circuitu Ecclesiæ, antipho. canendo, Exurgat Deus & dissipentur. Cum ipso Psalm. Iterum veniens ante altare, spargat in circuitu Ecclesiæ, antiph. canendo. Qui habitat in adiutorio Altissimi. Cum ipso Psalmo. Et mittat ex ministris & clericis duos vel tres, qui extrinsecùs Ecclesiæ parietes vna vice psallentes spargant. Iterum ipse pontifex eat de altari, spargendo per medium Ecclesiæ in longum & latum, Crucem faciendo, & per omne pauimētum spargendo, cum antiph. Domus mea domus orationis

tionis. Cum psalmo: Narrabo nomen tuum, & cum gloria. Et veniens in medium Ecclesiæ, dicat: Oremus. Et diaconus. Flectamus genua. Et dicat pontifex orationem: Deus qui loca nomini tuo dicata. Et iterùm dicat excelsa voce, Oremus. Et diaconus vt suprà.

Consecratio.

Deus sanctificationum omnipotens dominator, Tunc eat ante altare, canendo antiphonam, Introibo ad altare Dei mei. Cum psal. Iudica me Deus. Tunc faciat maltam de calce, & tegulam cum aqua benedicta, & posteà ipsam aquam quæ remanet, fundat, ad basim altaris, & extergatur altare de linteo. Posteà offerat incensum, & mittat oleum super altare, in medio crucem faciens, & super quatuor cornua, antiphonam canendo, Erexit Iacob lapidem. Psalmus, Quàm dilecta. Et vngat manu sua totum illud altare. Alius verò sacerdos faciat incensum in circuitu altaris. Expleto psal. mittat iterùm oleum sicut priùs, canendo antiphonā. Aedificauit Moyses. Cum psalmo, Deus noster refugium. Et mittat chrisma super altare, canendo antiphonam: Ecce odor filij mei. Cum psal. Fundamenta. Deindè in circuitu Ecclesiæ per parietes de dextro vsque in dextrum, faciat cruces cum pollice de chrismate in duodecim locis, dicens: Sanctificetur hoc templum in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti. Inde faciēs crucem incensi super altare, dicat hanc orationem super altare: Dei patris omnipotentis misericordiam. Iterùm dicat: Oremus. Diaconus vt supra. Deus omnipotens, in cuius honore altare hoc. Deindè dicat antiphonam istam: Confirma hoc Deus. Cum gloria. Indè benedicat tabulas his verbis, dicens: Singulare per illud propiciatorium, quod se in altari Crucis pro nobis redimendis obtulit immolandum, cuius præfiguratione patriarcha Iacob lapidem vnxit & erexit in tumulū, quo fieret sacrificiū, & portæ cæli desuper aperiretur oraculum, supplicater tibi Domine preces fundimus, vt metalli huius expolitam materiem, supernis sacrificijs imbuendam, ipse suæ dotare sanctificationis vbertate præcipiat, qui quondam lapideis legem scripsit in tabulis. *Gen. 28.*

ALIA.

Deus omnipotens, vniuersarum rerum rationabilis artifex.

Domine sancte, pater omnipotens, æterne Deus, clemens & propitius, preces nostras humiliter exaudi. Amen.

Pòst dicat excelsa voce: Sursum corda. Habemus ad Dominum. Gratias agamus Domino Deo nostro. Dignum. *Præfatio.*

Verè dignum & iustum est, æquum & salutare. vsque, æterne Deus. Qui post offendicula lapsus primi hominis instituisti tibi offerri propitiatorij delinimenta libaminis, vt culpa quæ præcesserat per superbiam, futuris temporibus expiaretur per munera, quibus honorarentur altaria, honorificaretur & templum. Quod tibi primus Noe præparauit officio, rursus Abrahā immolaturus filium, dehinc electus Iacob erexit & vnxit in titulum. Adsit igitur redemptionis tuæ ineffabilis pietas, & super hos lapides opem tuæ benedictionis infunde, vt te largiente referat præmium, quisquis intulerit votum. qui te ergò angularem lapidem & saxum sine manibus excisum nominari ipse voluisti, tu lapides istos diuinis cultibus apparatos benedic atque sanctifica, & sacri huius mysterij sicut institutor, ità etiàm sanctificator appare. *Gen. 8.* *Gen. 22.* *Gen. 28.*

Deindè tenentibus subdiaconis vel acolytis linteamina vel omnia ornamenta Ecclesiæ, seu vasa sacra quæcunque ad cultum Dei & Ecclesię pertinere vidētur, benedicat ea pōtifex, sicut in sacramentario continetur. Ipbis completis, egrediatur Episcopus, & det orationem ante ostium: Deus qui in omni loco dominationis tuæ. Ipsa finita, suscipiat ipsas reliquias à presbytero: & portet eas cum honore laudes decantando, cum cruce, & thuribulis, & luminibus multis ad altare intùs in Ecclesiam, & ponat super altare nouum. Et extenso velo, inter eas & populum, recondat eas ipsas reliquias pontifex manu sua in loco altaris, canendo antiphonam: exultabunt sancti in gloria. Cum psalmo, Cantate domino. 1. Et antequàm recludantur, ponat chrisma intùs in confessionem per angulos quatuor in crucem, ità dicendo: In nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti. Pax tibi. Resp. Et cum spiritu tuo. Deindè ponat tres portiones corporis Domini intùs in confessionem, & tres de incenso, & recludantur reliquiæ intùs in confessione. Et dum recluduntur cantent antiphonam: Sub altare Domini sedes accepistis, intercedite pro nobis ad Dominum qui vos elegit. Et accipiens tabulam, quæ super reliquias poni debet, anteà confirmet eam subtus cum chrismate, dicendo vt suprà: In nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti. Et ponat tabulam super reliquias, & dicat hanc orationem: *Oremus.* Deus qui ex omni coaptatione sanctorum.

Deindè liniat eam cum calce, quæ antè fuerat præparata. Et postquàm fuerit linita, faciat crucem desuper cum chrismate, dicendo vt supra, & faciat crucem similiter cum chrismate, per quatuor angulos altaris, desuper dicendo vt suprà. Et tunc velat altare, & dicit hanc orationē: Descendat quæsumus Domine Deus noster. Indè verò reuertatur pontifex in sacrarium cum ordinibus sacris, & induit se vestimentis alijs solennibus, & interim vestiantur altaria, vel Ecclesia, & accendantur luminaria. Hoc peracto, canat schola antip. ad introitum, & procedat pontifex de sacrario cum ordinibus sacris, sicut consuetudo est.

Et post Kyrie eleison dicat: Gloria in excelsis Deo. Et compleatur Missa ordine suo, sicut in sacramentario continetur.

Et per totam hebdomadam Missa publica in ipsa Ecclesia celebretur vsquedùm octo dies completi sunt.

Incipit

Universidad de Deusto
Biblioteca

Incipit ordo ad Regem benedicendum, quando nouus à clero & populo sublimatur in regnum.

Primum enim exeunte illo thalamum,
Vnus Archiepiscopus dicat
hanc orationem.

OMnipotens sempiterne Deus, qui famulum tuum ill. regni fastigio dignatus es sublimare, tribue ei quæsumus, vt ità in præsenti collecta multitudine cunctorum in commune salutem disponat, quatenus à tuæ veritatis tramite non recedat. Per.

Posteà suscipiant illum duo Episcopi dextra lævaque honorificè parati, habentes reliquias collo pendentes. Cæteri autem clerici solenni apparatu ornati, præcedente sancto Euangelio & duabus crucibus cum incenso boni odoris, ducant illum ad Ecclesiam, responsorium canentes: Ecce mitto Angelum meum. Cum Vers. Israel si me audieris. Cuncta eũ plebe sequente: ad ostium autem Ecclesiæ clerus subsistat, & dicat alius Archiepiscopus hanc orationem:

Deus qui scis genus humanum nulla virtute posse subsistere, concede propitius, vt famulus tuus ill. quem populo tuo voluisti præferre, ità tuo sulciatur adiutorio, quatenus quibus potuit præesse, valeat & prodesse. Per.

Introeuntes autem clerici Ecclesiam, hanc decantent antiphonam. Domine, saluum fac regem, & exaudi nos in die qua inuocauerimus te. Psal. Exaudiat te Dominus. Totum. Vsque introitum chori. Tunc dominus Metropolitanus dicat hanc orationem.

Omnipotens sempiterne Deus, cælestium terrestriumq; moderator, qui famulum tuum ill. ad regni fastigium dignatus es prouehere, concede quæsumus, vt à cunctis aduersitatibus liberatus, & ecclesiasticæ pacis dono muniatur, & ad æternæ pacis gaudia, te donante peruenire mereatur. Per.

Tunc designatus princeps pallium deponat, atq; inter manus Episcoporum perductus in chorũ vsque ad altaris gradus incedat, cunctoq; paumento tapetibus et pallio is contecto, ibi humiliter totus in cruce prostratus iaceat cum Episcopis & presbyteris hinc indè prostratis, cæteris autem in choro litaniam breuiter psallentibus, idest, duodecim Apostolos, totidemq; Martyres, Confessores, & Virgines. Et inter cæteras inferenda sunt ista:

Vt hunc famulum tuum illust. in Regem eligere digneris, Te rogamus, audi nos.

Vt eum benedicere, & sublimare digneris. Te rogamus, audi nos.

Vt eum ad imperij fastigium perducere digneris. Te rogamus, audi nos.

Et cætera huic benedictioni conuenientia. Finita litania, erigant se Episcopi, subleuatumq; principem interroget dominus Metropolitanus his verbis:

Vis sanctam fidem à catholicis viris tibi traditam tenere, & operibus iustis obseruare? Resp. Volo. Vis sanctis Ecclesijs, Ecclesiarũq; ministris tutor & defensor esse? Resp. Volo. Vis regnum tibi à Deo concessum, secundum iustitiam patrum tuorum regere & defendere? Resp. In quantum diuino fultus adiutorio accessero omnium fidelium suorum valuero, ità me per omnia fideliter acturum esse promitto.

Deindè ipse dominus Metropolitanus affatur populum his verbis.

Vis tali principi ac rectori te subijcere, ipsiusq; regnum firma fide stabilire, atque iussionibus illius obtemperare, iuxta Apostolum, Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit, regi, quasi præcellenti? Rom. 13. Tunc ergò à circunstante clero & populo vnanimiter dicatur. Fiat. Fiat. Amen.

Posteà verò eo deotè inclinato, dicatur ab Episcopo hæc oratio:

BEnedic Domine hunc Regem nostrum ill. qui regna omnia moderaris à seculo & tali eum benedictione glorifica, vt Dauidicæ teneat sublimitatis sceptrum, & glorificatus in eius protinus reperiatur merito. Da ei tuo inspiramine cum mansuetudine ità regere populum, sicut Salomonem fecisti regnum obtinere pacificum. Tibi semper cum timore sit subditus, tibiq; militet cum quiete. Sit tuo clypeo protectus cum proceribus, & vbique tua gratia victor existat. Honorifica eum præ cunctis regibus gentium, felix populis dominetur, & feliciter eum nationes adorent. Viuat inter gentium cateruas magnanimus, sit in iudicijs æquitatis singularis, locupletet eum tua prædiues dextera, frugiferam obtineat patriam, & eius liberis tribuas profutura. Præsta ei prolixitatem vitæ per tempora, & in diebus eius oriatur iustitia. A te robustum teneat regiminis solium, & cum iocunditate & iustitia, æterno glorietur in regno. Per Dominum.

ALIA.

Omnipotens æterne Deus, creator omnium, imperator Angelorum, rex regnantium, dominusq; dominantium, qui Abraham fidelem famulum tuum de hostibus triumphare fecisti: Moysi & Iosue populo prælatis multiplicem victoriam tribuisti, humilemq; Dauid puerum tuum regni fastigio sublimasti, & Salomonem sapientiæ pacisque ineffabili munere ditasti; respice quæsumus ad preces humilitatis nostræ, & super hunc famulum tuum ill. quem supplici deuotione in regem elegimus, benedictionum tuarum dona multiplica, eumq; dextera tuæ potentiæ semper & vbique circunda, quatenus prædicti Abrahæ fidelitate firmatus, Moysis mansuetudine fretus, Iosuæ fortitudine munitus, Dauidis humilitate exaltatus, Salomonis sapientia decoratus, tibi in omnibus placeat, & per tramitem iustitiæ inoffenso gradu semper incedat, Ecclesiamq; tuam deincèps cum plebibus sibi annexis ità enutriat ac doceat, muniat, & instruat, contraque omnes visibiles & inuisibiles hostes, eidem potenter regaliterque tuæ virtutis regimen administret, & ad veræ fidei pacisque concordiam eorum animos, te opitulante, reformet, vt horum populorum

Gen. 14. Exod. 17. 1. Reg. 16. 3. Reg. 3.

lorum debita subiectione fultus, cõdigno amore glorificatus, ad paternum decenter solium tua miseratione conscendere mereatur. Tuæ quoque protectionis galea munitus, & scuto insuperabili iugiter protectus, armisque cœlestibus circundatus, optabilis victoriæ triumphum fideliter capiat, terroremque suæ potentiæ infidelibus inferat, & pacem tibi militantibus lętanter reportet per Dominum nostrum; qui virtute crucis tartara destruxit, regnoq; diaboli superato, ad cœlos victor ascendit, in quo potestas omnis regumque consistit victoria: qui est gloria humilium, & vita saluscque populorũ, qui tecum viuit & regnat Deus, per omnia secula seculorum Amen.

Deindè ab alio episcopo hæc dicatur oratio.

Deus inenarrabilis auctor mundi, conditor generis humani, gubernator imperij, confirmator regni, qui ex vtero fidelis amici tui patriarchæ nostri Abrahę prælegisti regem seculis profuturum, tu præsentem regem hunc ill. cum exercitu suo per intercessionem omnium sanctorum vbere benedictione locupleta, & in solium regni firma stabilitate connecte. Visita eum sicut Moysen in rubo, Iesum Naue in prælio, Gedeon in agro, Samuelem in templo. Et illa eum benedictione sidera, ac sapientiæ tuæ rore profunde, quam B. Dauid in psalterio, Salomon filius, te remunerante, per epit è cœlo. Sis ei contra acies inimicorum lorica, in aduersis galea, in prosperis patientia, in protectione clypeus semptiternus, & præsta, vt gentes illi teneant fidem, proceres sui habeant pacem, diligant charitatem, abstineant se a cupiditate, loquantur iustitiam, custodiant veritatẽ. Et ita populus iste pullulet, coalitus benedictione ęternitatis, vt semper maneãt tripudiantes in pace victores. Quod ipse prędstare dignetur, qui tecum viuit. Tunc Dominus metropolitanus vngat de oleo sanctificato caput, pectus, & scapulas, ambasque compages brachiorum ipsius, ità dicendo: Vngo te in regem de oleo sanctificato in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti. Et dicant, Amen. Pax tibi. Et cum spiritu tuo. Deindè vngat sibi manus de oleo sanctificato, ita dicendo: Vngantur manus istæ de oleo sanctificato, vndè vncti fuerunt reges & prophetę, & sicut vnxit Samuel Dauid in regem, vt sis benedictus, & cõstitutus rex in regno isto super populum istum, quẽ Dominus Deus tuus dedit tibi ad regendum ac gubernandum. Quod ipse prędst. *Sequitur.*

Exo. 3. & 17. Iudic. 7. 2. Reg. 3. 1. Reg. 16.

Prospice, omnipotens Deus, serenis obtutib⁹ hunc gloriosũ regẽ & sicut benedixisti Abrahã, Isaac, & Iacob, sic illũ largis benedictionib⁹ spiritualis gratiæ cũ omni plenitudine tuæ potẽtiæ irrigare atq; perfundere dignare. Tribue ei de rore cęli, & de pinguedine terræ abundantiã frumenti, vini & olei, & omniũ frugũ opulentiã ex largitate diuini muneris longa per tempora, vt illo regnante, sit sanitas corporum in patria, & pax inuiolata sit in regno, & dignitas gloriosa regalis palatij, maximo splẽdore regiæ potestatis oculis omnium fulgeat, luce clarissima clarescat, atq; splẽdere quasi splendidissima fulgura, maximo pfusa lumine videatur. Tribue ei oipotẽs De⁹, vt sit fortissimus ꝓtector patrię, & cõsolator ecclesiarũ, atq; cœnobiorũ sãctorũ maxima cum pietate regalis munificẽtię, atq; vt sit fortissimus regũ, triũphator hostium, ad opprimẽdas rebelles & paganas nationes. Sitq; suis inimicis satis terribilis ꝑ maxima fortitudine regalis potẽtię. Optimatibus quoq; atq; ꝓcelsis, ꝓceribusque ac fidelibus sui regni sit magnificus & amabilis & pius, vt ab omnibus timeatur, atque diligatur. Reges quoque de lumbis eius per successiones temporum futurorum egrediantur regnũ hoc regere totum, & post glorioſa tempora, atque felicia præsentis vitę gaudia, sempiterna in perpetua beatitudine habere mereatur. Quod ipse præstare, Spiritus sancti gratia, humilitatis nostrę officio inte copiosa defendat, vt sicut manibus nostris indignis, oleo materiali oblitus, pinguescis exterius, ita eius inuisibili vnguine delibutus impinguari merearis interiùs, eiusq; spirituali vnctione perfectissimè semper imbutus, & illicita declinare tota mente & spernere discas seu valeas, & vtilia animæ tuæ iugiter cogitare, optare, atque operari queas. Auxiliante Domino nostro Iesu Christo. Qui cum Deo patre & eodem spiritu⁹, &c.

ALIA.

Deus qui es iustorum gloria, & misericordia peccatorum, qui misisti filium tuum preciosissimo sanguine suo genus humanum redimere, q cõteris bella, & propugnator es in te sperãtium, & sub cuius arbitrio oium regnorũ cõtinetur potestas, te humiliter deprecamur, vt præsentem famulum tum N. in tua misericordia confidentem benedicas, eiq; propitius adesse digneris, vt qui tua expetit protectione defendi, omnibus sit hostibus fortior. Fac eũ Domine beatũ esse & victorẽ de inimicis suis: corona eũ corona iustitiæ & pietatis, vt ex toto corde & tota mẽte in te credẽs tibi deseruiat sanctã tuã ecclesiam defendat & sublimet: populumque à te sibi commissum iustè regat, nullus insidiantibus malis eum in iniustitiã vertat. Accẽde Dñe cor eius ad amorem gratiæ tuæ per hoc vnctionis oleũ, vndè vnxisti sacerdotes, reges, & prophetas, quatenùs iustitiam diligens, per tramitem similiter iustitiæ populum ducens, post peracta a te dispositã in regali excellentia annorum curricula, peruenire ad æterna gaudia mereatur. Per eundẽ Dominũ Per oĩa secula seculorum. ℟. Amen. Dñs vobiscum. Respon. Et cum spiritu tuo. Sursùm corda. Respon. Habemus ad Dominũ. Gratias agamus Dño Deo nostro. ℟. Dignum & iustum est. *Præfatio.* Verè dignum, &c. vsque Deus. Creator omnium, imperator angelorum, rex regnantiũ, Dominusq; dominantium, qui Abrahã fidelẽ famulũ tuũ de hostibus triũphare fecisti Moysi & Iosuæ

Gen. 14. Exo. 17.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Iosuæ populo prælatis multiplicem victoriam A
1. Reg. 16. 3. Reg. 3. tribuisti, humilemq; Dauid puerum tuũ regni fastigio sublimasti, & Salomonẽ sapientiæ pacisq; ineffabili munere ditasti: respice q̃sumus ad preces humilitatis nostræ, & super hunc famulũ tuũ N. quẽ supplici deuotione in regem elegimus, benedictionum tuarum dona in eo multiplica: eumq; dextera tuæ potentiæ semper & vbiq; circunda, quatenus p̃dicti Abrahæ fidelitate firmatus, Moysis mansuetudine fretus, Iosuæ fortitudine munitus, Dauidis humilitate exaltatus, Salomonis sapientia decoratus, tibi in omnibus placeat, & per tramitẽ iustitiæ inoffenso gressu semper incedat. Eccleſiã ergò tuã deinceps cũ plebi B
bus sibi annexis ità enutriat & instruat, contraq; oẽs visibiles & inuisibiles hostes eidẽ potenter regaliterq; tuæ virtutis regimen administret, & ad verę fidei pacisq; concordiã, eorũ animos, te opitulãte, reformet: vt horũ populorũ debita subiectione fultus, cum digno amore glorificatus, ad paternũ decenter sollũ tua miseratione conscendere mereatur. Tuæ quoq; protectionis galea munitus, & scuto insuperabili iugiter protectus, armisq; cælestibus circundatus, optabilis victorię triumphum feliciter capiat: terroremq; suæ potentiæ infidelibus inferat, & pacem tibi militantibus lætanter reportet. Per Dominũ nostrũ, qui virtute crucis tartara destruxit, regnoq; C
diaboli superato, ad cęlos victor ascẽdit, in quo potestas omnis, regumq; consistit victoria, qui est gloria humiliũ, & vita salusq; populorũ, qui tecũ viuit & regnat Deus. s. Dei filius Iesus Christus Dominus noster, qui à patre oleo exultationis vnctus est præ participibus suis, ipse per præsentem sacri vnguinis infusionem, spiritus paraclyti super caput tuũ infundat benedictionẽ, eandemq; vsq; ad interiora cordis tui penetrare faciat, quatenus hoc visibili & tractabili dono inuisibilia percipere, & temporali regno iustis mo D
deraminibus executo, æternaliter cum eo regnare merearis, qui solus sine peccato rex regum, viuit & gloriatur, cum Deo patre in vnitate eiusdem spiritus sancti Deus.

Posteà ab episcopis ensem accipiat, & cũ ense totum regnum sibi fideliter ad regendum sciat commendatum, & dicatur: Accipe gladiũ p manus episcoporum licet indignas, vice tamẽ & auctoritate sanctorum Apostolorum consecratas, tibi regaliter impositum, nostræq; benedictionis officio in defensionem sanctæ Dei Ecclesiæ diuinitùs ordinatũ. Et esto memor, de quo psalmista prophetauit, dicẽs: Accingere gladio tuo *Psal. 44.* E
super femur tuum potentissime, vt in hoc per eundem vim æquitatis exerceas, molem iniquitatis potenter destruas, & sanctam Dei Ecclesiã eiusq; fideles propugnes ac protegas, nec minùs sub fide falsos, quam Christiani nominis hostes execres ac destruas, viduas & pupillos clemẽter adiuues ac defendas: desolata restaures, restaurata conserues, vlciscaris iniusta, confirmes benè disposita, quatenus hæc in agendo, virtutum triumpho gloriosus, iustitiæque cultor egregius, cum mundi saluatore, cuius typum geris in nomine sine fine merearis regnare. Qui cum patre & spiritu sancto viuit & regnat. Accinctus autem ense, similiter ab illis armillas & pallium & annulum accipiat, dicente metropolitano.

Accipe regiæ dignitatis annulum, & per hunc in te catholicæ fidei cognosce signaculum, quia vt hodiè ordinaris caput & princeps regni ac populi, ità perseuerabis auctor ac stabilitor Christianitatis, & Christianæ fidei, vt felix in opere, locuples in fide, cum rege regum glorieris per æuum, cui est honor & gloria per infinita. Posteà sceptrum & baculum accipiat, dicente sibi ordinatore.

Accipe virgam virtutis atque æquitatis, qua intelligas mulcere pios, & terrere reprobos, errãtibus viam pandere, lapsis manum porrigere, disperdasque superbos, & releues humiles, & aperiat tibi ostium Iesus Christus Dominus noster, qui de seipso ait: Ego sum ostium: per me si *Ioan. 10.* quis introierit, saluabitur, & ipse qui est clauis Dauid, & sceptrum domus Israel: qui aperit, & nemo claudit: claudit, & nemo aperit. Sitque tibi auctor, qui educit vinctum de domo carceris, sedentemque in tenebris & vmbra mortis, & in omnibus sequi merearis eum, de qno Dauid propheta cecinit: Sedes tua Deus in seculum se *Psal. 44.*
culi, virga æquitatis, virga regni tui. & imitando ipsum, diligas iustitiam, & odio habeas iniquitatem: quia propterea vnxit te Deus tuus, ad exemplum illius, quem ante secula vnxerat oleo exultationis præ participibus suis, Iesum Christum Dominum nostrum.

Posteà metropolitanus reuerenter coronam capiti regis imponat, dicens: Accipe coronam regni, quæ licèt ab indignis, episcoporum tamen manibus capiti tuo imponitur, eamque sanctitatis gloriam & honorem, & opus fortitudinis expresè signare intelligas, & per hanc te participem ministerij nostri non ignores, ità vt sicut nos in interioribus pastores, rectoresque animarum intelligimur, tu quoque in exterioribus verus Dei cultor, strenuusque contra omnes aduersitates ecclesiæ Christi defensor, regnique tibi à Deo dati, & per officium nostræ benedictionis vice Apostolorum, omniumque sanctorum tuorum regimine commissi, vtilis executor, regnatorque proficuus semper appareas, vt inter glorioſos athletas virtutum gemmis ornatus, & præmio sempiternæ felicitatis coronatus, cum redemptore ac saluatore Iesu Christo, cuius nomen vicemque gestare crederis, sine fine glorieris, qui viuit & imperat Deus, cum Deo patre in vnitate spiritus sancti, per omnia secula seculorum. Amen. Et ab eo statim dicatur benedictio super eum, quæ & tempore synodi super regem dicenda est: Benedicat tibi Dominus, custodiatque te, & sicut te voluit super populum suum esse regem, ità in præsenti seculo felicem & æternæ felicitatis tribuat esse consortem. Amen.

Clerum ac populum, quem sua voluit opitu-

latione in tua sanctione congregari, sua dispen A
satione & tua administratione per diuturna tempora faciat feliciter gubernari. Amen.

Quatenus diuinis monitis parentes aduersitatibus carentes, bonis omnibus exuberantes, tuo imperio fideli amore obsequentes, & in præsenti seculo tranquillitate fruantur, & tecum æternorum ciuium consortio potiri mereantur. Quod ipse præstare dignetur, cuius regnum & imperium sine fine permanet in secula seculorum. Benedictio Dei Patris, & Filij, & Spiritus sancti, descendat super te. Amen.

Deindè coronatus, honorificè per chorum ducatur de altari ab Episcopis vsq; ad solium, B
canente clero: Resp. Desiderium animæ eius tribuisti ei Domine. Deindè dicit sibi dominus Metropolitanus. Sta, & tene amodò locũ, quem hucusque paterna successione tenuisti, hæreditario iure tibi delegatum per auctoritatem dei omnipotentis, & præsentem traditionem nostram, scilicet omnium Episcoporum, cæterorumque seruorum Dei. Et quanto clerum sacris altaribus propinquiorem perspicis, tanto ei potiorem in locis congruis honorem impendere memineris, quatenus mediator Dei & hominum, te mediatorẽ cleri & plebis, (*Hoc in loco dominus Metropolitanus sedere eum faciat super sedem, dicendo:*) in hoc regni solio confirmet, & C
in regno æterno secum regnare faciat Iesus Christus Dominus noster, rex regum, & dominus dominantium, qui cum Deo patre & Spiritu sancto viuit & regnat in secula seculorum. Resp. Amen.

Post hæc det illi oscula pacis. Cunctus autem cœtus clericorum tali rectore gratulans, sonantibus campanis, hymnum alta voce concinant, Te Deum laudamus. Tunc Episcopus Metropolitanus Missam celebret plena processione.

Incipit benedictio Reginæ in ingressu Ecclesiæ.

OMnipotens æterne Deus, fons & origo D
totius bonitatis, qui fœminei sexus fragilitatem, nequaquàm reprobando auersaris, sed dignãter comprobando potius eligis: & qui infirma mundi eligendo, fortia quæque confundere decreuisti, quique etiàm gloriæ vir
Iudith 13. tutisque tuæ triumphum in manu Iudith fœminæ olim Iudaicæ plebi de hoste sæuissimo resignare voluisti: respice quæsumus ad preces humilitatis nostræ, & super hanc famulam tuam N. quam supplici deuotione in reginam elegimus, benedictionum tuarum dona multiplica, eamque dextera tuæ potentiæ semper & E
vbiquè circunda, vt ambone muniminis tui vndique firmiter protecta, visibilis seu inuisibilis hostis nequitias triumphaliter expugnare valeat, & vnà cum Sara atque Rebecca, Lia, & Rachel, beatis reuerendisque fœminis, fructu vteri sui fœcundari seu gratulari mereatur, ad decorem totius regni, statumque sanctæ Dei Ecclesiæ regendum, necnon protegendum per Christum Dominum nostrũ, qui ex intemerato beatæ Mariæ virginis aluo nasci, visitare, ac reno-
uare hunc dignatus est mundum, qui tecum viuit & gloriatur Deus in vnitate Spiritus sancti per immortalia secula seculorum.

Item benedictio eiusdem ante altare.

Deus qui solus habes immortalitatem, lucemque habitas inaccessibilem, cuius prouidentia in sui dispositione nõ fallitur, qui fecisti quæ ventura sunt, & vocas ea quæ non sunt, tanquàm ea quæ sunt: qui super hos æquo moderamine de principatu deijcis, atque humiles dignanter in sublime prouehis, ineffabilem misericordiam tuam supplices rogamus, vt sicut Hester reginam, Israelis causa salutis, de captiuitatis suæ compede solutam, ad regis Assueri thala- *Hester 2.*
mum, regnique sui consortium transire fecisti, ità hanc famulam tuam N. humilitatis nostræ benedictione, Christianæ plebis gratia salutis, ad dignam sublimemq; regis nostri copulam, regnique sui participium misericorditer transire concedas: & vt in regalis fœdere coniugij, semper manens pudica, proximam virginitati palmam obtinere queat, tibique Deo viuo & vero in omnibus & super omnia iugiter placere desideret, & te inspirante, quæ placita sunt, toto corde perficiat. Per. *Sacri vncti oblei.*

Spiritus sancti gratia, humilitatis nostræ offi
cio, in te copiosa descendat, vt sicut manibus nostris indignis, oleo materiali oblita pinguefis exterius, ità eius inuisibili vnguine delibuta, impinguari merearis interius: eiusque spirituali vnctione perfectissimè semper imbuta, & illinita declinare tota mente & spernere discas seu paleas, & vtilia animæ tuæ iugiter cogitare, optare, atq; operari queas, auxiliante Domino nostro Iesu Christo, qui cum Deo patre, & eodem Spiritu sancto viuit & regnat Deus in secula seculorum. *Coronæ impositio.*

Officio indignitatis nostræ seu congregationis, in reginam benedicta, accipe coronam regalis excellentiæ: quæ licet ab indignis, Episcoporum tamen manibus capiti tuo imponitur, vndè velut exterius auro & gemmis redimita enites, ità & interius auro sapientiæ, virtutumque gemmis decorari contendas: quatenus, post occasum huius seculi cum prudentibus virginibus sponso perenni Deo nostro Iesu Christo dignè & laudabiliter occurrens, regiam cælestis aulæ merearis ingredi, qui cum Deo patre & Spiritu sancto viuit & regnat Deus, per infinita secula seculorum, Amen.

Incipit ordo Romanus ad benedicendũ Imperatorẽ.

Promissio Imperatoris.

IN nomine Christi promitto, spondeo, atque polliceor ego N. Imperator coram Deo & beato Petro Apostolo, me protectorem ac defensorem esse huius sanctæ Romanæ Ecclesiæ in omnibus vtilitatibus, inquãtũ diuino fultus fuero adiutorio, secundũ scire meũ ac posse. *Orationem primam det Episcopus de Castello Albanensi ante portam Argenteam.* *Oremus.*

Deus in cuius manu corda sunt regum, inclina ad preces humilitatis nostræ aures miseri-

cordiæ tuæ, & principi nostro regimen tuæ appone sapientiæ, & hausti de tuo fonte consilijs, & tibi placeat, & super omnia regna præcellat. Per Dominum.

Orationem secundam det Episcopus Portuensis intra Ecclesiam beati Petri Apostoli, in medio rotæ.

Deus inenarrabilis auctor mundi. vt suprà scriptum est in ordinatione regis.

Deindè vadat ante confessionem beati Petri Apostoli, & prosternat se pronus in terram, & archidiaconus faciat litaniam. Qua finita, Episcopus Ostiensis vngat ei de oleo exorcizato brachium dextrum & inter scapulas, & dicat orationem istam:

Domine Deus omnipotens, cuius est omnis potestas & dignitas, te supplici deuotione atq; humillima prece deposcimus, vt huic famulo tuo N. prosperum Imperatoræ dignitatis concedas effectum, vt in tua dispositione constituto, ad regendam Ecclesiam tuam sanctam nihil præsentia officiant, futuraque non obsistant, sed inspirante sancti Spiritus tui dono, populum sibi subditum æquo iustitiæ libramine regere valeat, & in omnibus operibus suis te semper timeat, tibi iugiter placere contendat. Per.

Pontifex ergò stet sursum ante altare, & imponat ei diadema super caput, dicens:

Accipe signum gloriæ in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, vt spreto antiquo hoste, spretisque contagijs omnium vitiorum, sic iudicium & iustitiam diligas, & misericorditer vivas, vt ab ipso Domino nostro Iesu Christo in consortio Sanctorum æterni regni coronam percipias. Qui cum Patre & Spiritu sancto viuit & regnat Deus, per infinita secula seculorum. Resp. Amen.

Alia coronæ impositio.

Accipe coronam à Domino Deo tibi prædestinatam, habeas, teneas, atque possideas, & filijs tuis post te futuris ad honorem Deo auxiliante derelinquas.

Exaudi Domine preces nostras, & famulum tuum N. ad regendum Romanum imperium constitue, vt per te regere incipiat, & per te fideliter regnum custodiat. Qui viuit & regnat.

OREMVS.

Prospice omipotens Deus serenis obtutibus hunc glorioſum Imperatorem nostrum N. & sicut benedixisti Abraham, Isaac, & Iacob.

Require suprà in benedictione Regis.

ALIA.

Deus pater æternæ gloriæ, sit adiutor tuus & protector, & omnipotens benedicat tibi, preces tuas in cunctis exaudiat, & vitam tuam longitudine dierum adimpleat, & semper in sua voluntate custodiat, thronum regni corroboret, gentes populumque tuum ad nutum tuum subijciat, & à peste & fame tuis temporibus conseruet, inimicos tuos confusione induat, & super te Christi sanctificatio floreat, & super cætera regna excellentiorē faciat, vt qui tribuit in terris imperium, ipse tibi in cælis cum electis suis conferat habere consortium. Per.

Ordo ad Monachum faciendum.

COnueniente vniuerso cœtu monachorum in Ecclesiam, vbi ordinatio celebranda est, prostrato illo in terram, qui ordinandus est, prior scholæ ad nutum Abbatis imponet antiphonam: Hic accipiet benedictionem. Psam. Domini est terra. Antiph. Cor mundum crea in me Deus. Psalm. Miserere mei Deus. Antiph. Dicam Deo, susceptor meus es Deus meus, sperabo in eum. Psam. Qui habitat. Deindè litaniam. Et, Pater noster, qui es in cælis. Tunc Abbas imponat benedictionem vestimentorum, dicens hanc orationem:

OREMVS.

Deus æternorum bonorum, fidelissime promissor, certissime persolutor, qui vestimentum salutare & indumentum æternæ iocunditatis tuis fidelibus promisisti, clementiam tuam supplicite exoramus, vt hæc indumenta humilitatem cordis & contemptum mundi significantia, quibus famulus tuus sancto visibiliter est informandus proposito, propitius benedicas, vt beatæ castitatis habitum, quem te adspirante susceperit, te protegente custodiat, & quem vestibus venerandæ promissionis induis temporaliter, beata facias immortalitate vestiri. Per.

ALIA.

Domine Deus bonarum virtutum dator, & omnium benedictionum largus infusor, te subnixis precibus deprecamur, vt has vestes, quas famulus tuus N. pro indicio cognoscendæ religionis induere vult, benedicere & sanctificare digneris, vt inter reliquos viros tibi cognoscatur dicatus. Per.

Tunc exuatur ab Abbate ipse nouitius propijs vestimentis, & interroget eum, si propria voluntate abrenunciet mundo, & omnibus quæ sunt mundi: & quod maius est, etiam voluntatibus: & si paratus est ad omnem iniuriam & opprobrium sustinendum pro amore Domini nostri Iesu Christi. Et si omnia ista gratuito animo promiserit, Abbas dicat illi: Expolia te veterem hominem cum actibus suis, & indue nouū, Dominum Iesum Christum. Resp. Amen. Et adijciens, dicat: Accipe hoc salutare indumentum, quod venerabilis pater Benedictus illæsum custodiuit, vt per eius immitationem ipsius cœtui aggregatus, ante tribunal Christi valeas peruenire. Et indutus ipsam melotem, toto corpore prostratus ante altare, dicat hunc versum: Suscipe me secundum eloquium tuum, & viuam, & non confundas me ab expectatione mea. Per tres vices omnibus eundem versum repetentibus. Et adsperſa aqua super eum benedicta, dicatur hæc oratio:

Omnipotens sempiterne Deus, cuius charitatis ardore succensus hic famulus tuus, stabilitatem suam tibi in hoc monasterio promittendo, legis tuæ iugo colla submittit, concede propi-

propitius, vt in vltimo die examinis cum sanctis ouibus in dextera iudicis locatus, cuncta suæ deuotionis promissa se adimplesse lætetur. Per.

ALIA.

Deus qui hunc famulum tuum, à seculi vanitate conuersum, ad supernæ vocationis amorem accendis, pectori eius purificando illabere, & gratiam in eum qua in te perseueret, infunde: vt protectionis tuæ munitus præsidio, quod te donante promisit, impleat: vt suæ promissionis executor effectus, ad ea, quæ perseuerantibus in te dignatus es promittere, dona pertingat. Per.

ALIA.

Deus qui beatissimum electum tuum Benedictum abstractum à mundi turbinibus, tibi soli militari iussisti, tribue quęsumus huic famulo tuo, sub eiusdem monasterio ad tuum seruitium festinanti, & perseuerandi instantiam, & perfectionis vsque in finem victoriam. Per.

ALIA.

Dignare Domine, quæsumus, famulo tuo N. renuncianti secularibus pompis, gratiæ tuæ ianuas aperire, qui despecto diabolo, confugit sub titulum Christi, & venientem ad te sereno vultu suscipe, nè de eo inimicus valeat triumphare. Tribue ei brachium infatigabile auxilij tui, mentem eius fidei lorica circunda, vt felici muro vallatus, mundū se gaudeat euasisse. Per.

ALIA.

Clementissime dominator Domine, tuam inuocantes pietatem super hunc famulum tuū, quem à seculo conuersum, in numero sanctorum tuorum accersire dignatus es: quæsumus, vt conuersionis suæ fidem dignè custodiat, & quicquid pro salute animæ suæ fuerit deprecatus, obtineat. Sit vita probabilis, sit sapiens, & humilis, sit scientia verus, obedientia clarus, conueniens in doctrina, in increpationibus immobilis, in grauitate decorus, in compassione pijssimus, in operatione cautus, in dispensatione solicitus, in tentationibus fortis, in iniurijs patiens, in pace fixus, in eleemosynis promptus, in orationibus frequens, in misericordia efficax, in subditis pius, nec sit immemor, quòd abs te de suis erit factis tuo iudicio iudicandus. Huius quoque Domine deprecamur vt munera placatus suscipias, & ei, quicquid à te petierit clementer impertias. Per.

ALIA.

Omnipotens & misericors Deus, totius sanctæ religionis origo, omnisque professionis in te æterna saluatio, suscipe propitius votum professionemque famuli tui, qui in huius seculi vanitate & turbine ad te confugit. Sit, quæsumus, te adiuuante, ab omni negociorum secularium strepitu exutus, à delectationibus spectaculorum præsentium auulsus, à cunctis mundi occupationibus extraneus, ab antiqui hostis insidijs ereptus, mundo huic mortuus, mundi blandientis illecebris crucifixus, remotus à secularibus pompis, remotus à cunctis malorum implicamentis, remotus à prauis delectationibus, remotus à præsentis vitæ contagijs, remotus ab omnibus prauorum remaculis, remotus à cunctis iniqui hostis insidijs. Doce eum Domine omnia huius vitæ contemnere prospera, non timere aduersa, iniurias tolerare, inimicos diligere, pro persequentibus & calumpiantibus suppliciter deprecari, nihil concupiscere carnaliter vel ambire: non superborum iniurijs fatigatus deficiat: non eum superbia inflet, non ardor auaritiæ succendat: non incentiua luxuriæ inflammet, non vana gloria turpitet iactet, non gula aut ebrietas præpediat, non ambitio ventosa præcipitet, non ardor animosæ contentionis exagitet, non desiderium humanæ opinionis eleuet, non diabolus auctor perditionis lædat aut perdat: sed tuæ pietatis dextera, clementissime Deus, eum à cunctis eruat malis, atque in præsenti & in futuro seculo protegat, regat, atque gubernet, vt te timeat, imitetur, & diligat. Aperi ei sensum, vt in diuinarum studijs literarum te legat corde, & ore, & opere meditetur, & intelligat, die noctuque tibi deseruiat, cælestia & æterna sapiat, terrena & caduca respuat. Obediens sit & instructus, amicos & inimicos pro tui nominis amore amet atque diligat. Humilitatem & vilitatem teneat, atque exerceat. Castimoniam & pudicitiam corde & corpore amplectatur & teneat, patientiam & longanimitatem arripiat atque custodiat. Ieiunio & abstinentiæ studeat, simul & amet gemitum, & orationem desideret, atque ei inuigilet. Peccata sua incessāter cum lachrymis & suspirijs accuset, & diluat, & te omnipotentem corde, ore, & opere circumferat semper atque desideret. Suscipe, quæsumus, Domine pater omnipotens hunc famulum tuum, quem de huius seculi naufragijs & periculis eruisti, & ad monasticam vocari dignatus es gratiam. Concede propitius, vt arctam & angustam, quam professus est, vitam iugiter diligat, teneat, atque sectetur, quatenus ad æternam, quam in te perseuerantibus promittere dignatus es, gloriam peruenire mereatur. Per.

Da famulis tuis, quæsumus Domine, spiritum veritatis & pacis, vt & te tota mente cognoscant, & quæ tibi sunt placita, toto corde sectentur. Per Dominum.

Aliæ orationes pro monachis.

Tu famulis tuis, quæsumus, Domine bonos mores placatus institue, tu eis quod placitum sit tibi, clementer infunde, vt & digni sint, & tua valeant beneficia promereri. Per.

ALIA.

Famulos tuos, quæsumus, Domine tua semper gratia benedicat, & inculpabiles ad vitam perducat æternam. Per.

ALIA.

Da famulis tuis, quæsumus, Domine in tua fide & sinceritate constantiam, vt in charitate diuina firmati, nullis tentationibus ab eius integritate vellantur. Per.

Universidad de Deusto
Biblioteca

ALIA.

Famulos tuos Domine benignus intende, & eis dignanter pietatis tuæ impende custodiam. Per.

ALIA.

Respice, quæsumus, Domine, famulos tuos, & in tua misericordia confidentes, cælesti protege benignus auxilio. Per.

ALIA.

Famulis tuis, quæsumus Domine, in te sperare concede, & ab omnibus eos culpis excusa. Per.

ALIA.

Adesto Domine supplicationibus nostris, & famulos tuos assidua protectione conserua, vt qui tibi iugiter famulantur, continua remuneratione ditentur. Per.

Ordinatio Abbatis.

INcipit capitulum ex canone Theodori. In ordinatione Abbatis, Episcopus debet Missam cantare, & eum benedicere inclinato capite cum duobus vel tribus de fratribus suis, & dat ei baculum & pedules. Post antiphonam ad introitum, & datam orationem annunciat Episcopus in populum, dicens, *Allocutio.*

Ecclesiæ nostræ, fratres charissimi, pater electus, suum adest ordinem ad suscipiendum. Vndè Apostolica prius censemus eum auctoritate examinandum, suum propositum & sancti Benedicti regulam si velit ipse obseruare, sibique subiectos, vt idipsum faciant, diligenter instruere, res quoque Ecclesiæ vbique locorũ hactenus dispersas iniustè, quantum præualet, congregare, easque in vsus Ecclesiæ & fratrum, pauperum etiàm & peregrinorum obseruare, sicque dignum esse ad ordinem suscipere.

Eo autem profitente pro viribus se hæc adimplere, prosternat se Episcopus ante altare, & Abbas sacris vestibus indutus. Fiantque ibi litaniæ. Sequitur Dominica oratio, Pater noster. Et preces, Saluum fac seruum tuum Domine. Resp. Deus meus sperantem in te. Dominus conseruet eum, & viuificet eum. Resp. Et beatum faciat eum in terra. Dominus custodiat introitum tuum & exitum tuum. Resp. Ex hoc nunc. Dominus custodiat te ab omni malo. Resp. Custodiat animam tuam Dominus. Mittat tibi Dominus auxilium de sancto. Resp. Et de Sion. Nihil proficiat inimicus in eo. Resp. Et filius iniquitatis. Esto illi Domine turris fortitudinis. Resp. A facie inimici. Exurge Domine, adiuua nos. Resp. Et redime nos. Domine exaudi orationem meã. Resp. Et clamor meus,

Sequitur oratio.

Concede, quæsumus omnipotens Deus, affectui nostro tuæ miserationis effectum, & famulum tuum, quem ad regimen animarum elegimus, gratiæ tuæ dono prosequere, vt te largiente, cũ ipsa tibi nostra electione placeamus. Per.

Consecratio Abbatis.

Cunctorum operum constitutor Deus, qui per Moysem famulum tuum ad gubernandas Ecclesias præpositos instituisti, tibi supplices fundimus preces, teque deuotis mentibus exoramus, vt hunc famulum tuum N. quem conhibentia & electio famulorum tuorum Abbatem hodiè ouium tuarum instituit, protectionis tuæ gratia munerare digneris, sicque regere subditos, commendataque oues concedas, vt cum illis omnibus regna cælorum adeptus, & te Domine opitulante Apostolicis iugiter fultus doctrinis, cum centesimo fructu lętus introeat portas paradisi, atque te Domine collaudante, audire mereatur: Euge serue bone & fidelis, quia *Matth. 25.* in pauca fuisti fidelis, super multa te cõstituam: intra in gaudium Domini tui. Quod ipse præstare digneris, qui in Trinitate perfecta viuis Tunc imponat ei manum super caput, dicens orationem hanc in modum præfationis:

Omnipotens sempiterne Deus, affluentem spiritum tuæ benedictionis, famulo tuo N. nobis orantibus propiciatus infunde, vt qui per manus nostræ hodiè impositionem Abbas constituitur, sanctificatione tua dignè à te electus permaneat, vt nũquam postmodum de tua gratia separetur indignus. Suscipiat, te Domine largiente, hodie in bono opere perseuerãtiam, in aduersis constantiam, in tribulationibus tolerantiam, in ieiunijs desiderium, in impietatibus misericordiam, in humilitate principatum, in superbia odium, in fide dilectionem, in doctrina peruigilantiam, in castitate continentiam, in luxuria abstinentiam, in varietatibus moderationem, in moribus doctrinam. Te munerante Domine, talis in hoc ministerio perseueret, qualis leuita electus ab Apostolis sanctis Stephanus meruit perdurare. Totam ab hodiè diabolicam conuersationem despiciat tua Domine benedictione largiente, contemnat præsentia, diligat cælestia, præmia desideret sempiterna. Sit exemplum & forma iustitiæ ad gubernandam regendamque Ecclesiam fideliter, vt speculator idoneus inter suos collegas semper efficiatur. Sit imago consilij, industriæ, censuræ, efficaciæ, disciplinæ. Ità te Domine tribuente, in omnibus mandatis tuis sine reprehensione tibi mundo corde deseruiat, vt ad brauium supernæ vocationis, multiplicato fœnore cum centesimo fructu coronaque iustitiæ, & ad cælestiũ thesaurorum donatiua perueniat, præstante Domino nostro Iesu Christo.

ALIA.

Deus omnium fidelium pastor & rector, famulum tuum, quem Ecclesiæ tuæ præesse voluisti, propitius respice, da ei quæsumus verbo & exemplo, quibus præest, proficere, vt ad vitam vnà cum grege sibi commisso perueniat sempiternam. Per.

Tunc det ei regulam, dicens: Accipe regulam à sanctis patribus nobis traditam, ad regendum custodiendumque gregem tibi à Deo creditũ, quantum Deus ipse te confortauerit, ac fragilitas humana permiserit. Accipe monasticæ conuersationis regulã, ad quam propriã & subditorũ corrigere debes vitã, & vide, vt nõ solùm auditor, sed etiam satagas esse illius operator.

Sequitur

Sequitur oratio.

Te omnipotens & pijssime deprecamur Domine, hunc famulum tuum propitius intuere, vt gratia tua auxiliante, in sua & subiectorum conuersatione, præcepta sanctæ regulæ efficaciter studeat adimplere, vt transacto villicationis suæ tempore, vnà cum commisso grege perpetua potiatur beatitudine. Per.

Tunc tradat ei chirotheças & baculum, dicens: Accipe baculum pastoralitatis, quem prefetas cateruæ tibi commissæ, ad exemplum iustæ seueritatis & correptionis.

ALITER.

Accipe prælationis virgam, pastoralis custodiæ curam significantem & diligentiam, quatenùs in commissis tibi ouibus tam in coercendis earum erratibus, quàm in omnibus prouidendis vtilitatibus omnino fis solicitus.

Sequitur oratio.

Deus, cui omnis potestas & dignitas famulatur, da famulo tuo N. prosperum suæ dignitatis effectum, in qua te semper timeat, tibique iugiter placere contendat. Per.

Oratio pro adepta dignitate.

Omnium Domine fons bonorum, iustorumque prouectuum munerator, tribue quæsumus famulo tuo, adeptã benè gerere dignitatem, & à te sibi præstitam bonis operibus comprobare. Per. *Sequitur.* Te Deum laudamus. Populo acclamante, kyrie eleison.

Postea dicatur oratio.

Deus æternæ lucis inuentor, omnipotentiam tuam supplici prece deposcimus, vt famulum tuum, quem ad regimen animarum elegimus, gratiæ tuæ dono prosequaris: vt te largiente, cum ipsa tibi nostra electione placeamus. Per vnigenitum tuum Dominum nostrum Iesum Christum, cum quo & Spiritu sancto vnus & verus es Deus, viuens & regnans per omnia secula seculorum. Amen.

Consecratio sacræ virginis, quæ in Epiphania Domini, vel in Albis paschalibus, aut in Apostolorum natalitijs celebratur.

VIrginem Episcopo patentes cum oblatione offerant, & ille inuolutam manum eius in palla altaris recipiat, dicẽdo cum adstantibus antiphonam: Ipsi sum desponsata, cui Angeli seruiunt, cuius pulchritudinem sol & luna mirantur. Ex canone Carthaginensi cap. 11. Sanctimonialis virgo cùm ad consecrationem sui episcopi offertur, in talibus vestibus applicetur, qualibus semper vsura est, professioni & sanctimoniæ aptis. Horà siquidem competenti procedat Episcopus, sicut mos est solennibus diebus ad Missam cum processoribus suis, & imponat cantor antiphonam ad introitum, & agatur officium Missæ ordine suo vsque ad Euangelium. Tunc veniat illa quæ consecranda est, ante altare coram Ecclesia, palamq; in conuentu cum adstipulatore suo, cuius licentia religionis habitum est suscepturæ, Et dato eius assensu, offerantur vestimenta religionis, & velamina ante altare Episcopo ad benedicendũ, & benedicat ea publicè in hunc modum:

Est hic can. non 3. Carth. conc.

Benedictio velaminum vel vestimentorum sacræ virginis.

ORATIO.

Deus æternorum bonorum fidelissime promissor. Domine Deus bonarum virtutum dator. Vt suprà in ordinatione monachi.

Deindè alia.

Exaudi Domine preces nostras, & hanc vestem quam famula tua N. pro conseruandæ castitatis signo se adoperiendam exposcit, opportunæ benedictionis imbre perfunde, sicut perfudisti oram vestimentorum Aaron, benedictione vnguenti profluente à capite in barbam. Et sicut benedixisti vestes omnium religiosarum tibi per omnia placentium, ità etiàm hanc benedicere dignare, ac præsta clementissime pater, vt suprà dictæ famulæ tuæ N. hæc sit vestis salubris protectio, hæc cognitio religionis, hæc inicium sanctitatis, hæc contra omnia tela inimici robusta defensio, vt si continens est, sexagesimi fructus donum accipiat: & si virgo, centesimi muneris opulentia, in vtraque parte perseuerante continentia, ditetur. Per.

Item singularis benedictio sacri velaminis.

OREMVS.

Caput omnium fidelium deus, & totius corporis Saluator, hoc operimentum velaminis, quod famula tua propter tuum tuæque genitricis, beatissimæ scilicet semper virginis Mariæ amorem, suo capiti est impositura, tua dextera sanctifica, vt hoc quod per illud mysticè datur intelligi, tua semper custodia corpore pariter & animo incontaminata custodiat: vt quando ad perpetuam sanctorum remunerationem venerit, cum prudentibus & ipsa virginibus præparata, te perducente ad perpetuæ felicitatis nuptias intrare mereatur. Per.

Hoc facto, ipsa virgo, veste laicali de capite reuerenter abiecta, recipiat ab Episcopo sacræ religionis indumenta, excepto velo, & ingressa secretarium vestiatur. Posteà sub adspectu Episcopi, & Ecclesiæ suppliciter prosternat se ante altare, dicens hunc versum tribus vicibus: Suscipe me secundum eloquium tuum, Domine, & viuam: & non confundas me ab expectatione mea. Et imponat schola litaniam. Finita verò litania, postquàm surrexerit, inclinato capite ante altare, benedicat eam Episcopus his verbis, Dominus vobiscum. Et cum spiritu tuo.

OREMVS.

Respice nomine propitius super hanc famulam tuam N. vt virginitatis sanctę propositum, quod te inspirante suscepit, te gubernante custodiat. Per nominum.

Deindè dicat excelsa voce, Per omnia secula seculorum. Resp. Amen. Sequitur consecratio in modum præfationis.

Deus castorum corporum benignus habitator, & incorruptarum amator animarum: Deus qui humanam substantiam in primis hominibus

Universidad de Deusto
Biblioteca

bus diabolica fraude vitiatam, ità in verbo A
tuo, per quod omnia facta sunt, reparas, vt eam
non tolum ad primæ originis innocentiam re-
uoces, sed etiàm ad experientiam quorundam
bonorum, quæ in nouo seculo sunt, habenda
perducas, & obstrictos adhuc conditione mor-
talium, iam ad similitudinem prouehas Ange-
lorum: respice super hanc famulam tuam N.
quæ in manu tua continentiæ suæ propositum
collocans, tibi deuotionem suam offert, à quo
& ipsa idem votum assumpsit. Quando enim
animus mortali carne circundatus, legem na-
turæ, libertatem licentiæ, vim consuetudinis,
& stimulos ætatis euinceret, nisi tu per liberum B
arbitrium hunc amorem virginitatis clemen-
ter accenderes, tu hanc cupiditatem in eius cor-
de benignus alteres, tu fortitudinem ministra-
res? Effusa nanque in omnes gentes gratia tua,
ex omni natione, quæ est sub cælo, in stellarum
innumerabilem numerum, noui testamenti hæ
redibus adoptatis, inter cæteras virtutes, quas
filijs tuis non ex sanguinibus, neque ex volun-
tate carnis, sed de tuo spiritu genitis indidisti,
etiàm hoc donum in quasdam mentes de largi-
tatis tuæ fonte defluxit, vt cum honorem nuptia-
rum nulla interdicta minuissent, ac super san- C
ctum coniugium initialis benedictio perma-
neret, existerent tamen sublimiores animæ, quę
in viri ac mulieris copula fastidirent connu-
bium, concupiscerent sacramentum: nec imi-
tarentur, quod nuptijs agitur, sed diligerent
quod nuptijs prænotatur. Agnouit auctorem
suum beata virginitas & æmula integritatis An-
gelicæ, illius cubiculo se deuouit, qui sic perpe-
tuæ virginitatis est filius Imploranti ergo auxi-
lium tuum Domine, & confirmari se benedi-
ctionis tuæ consecratione cupienti, da protec-
tionis tuæ munimen & regimen, ne hostis an-
tiquus, qui excellentiora studia subtilioribus D
infestat insidijs, ad obscurandam perfectæ con-
tinentiæ palmam per aliquam mentis serpat
incuriam, & rapiat de proposito virginũ, quod
etiàm moribus decet inesse nuptiarum. Sit in
ea Domine per donum spiritus tui prudens mo
destia, sapiens benignitas, grauis lenitas, casta
libertas, in charitate ferueat, & nihil extra te di-
ligat: Laudabiliter viuat, laudari non appetat:
Te in sanctitate corporis, te in animæ suæ puri-
tate glorificet: amore te timeat, amore tibi ser-
uiat. Tu ei sis honor, tu gaudium, tu voluntas,
tu in mœrore solatium, tu in ambiguitate con-
silium, tu in iniuria defensio, in tribulatione pa E
tientia, in paupertate abundantia, in ieiunio ci-
bus, in infirmitate medicina. In te habeat om-
nia, quę diligere appetit super omnia: & quod
est professa, custodiat: Scrutatori pectorum non
corpore placitura, sed mente, transeat in nume-
rum sapientium puellarum, vt cælestem spon-
sum accensis lampadibus cum oleo præpara-
tionis expectet: nec turbata improuiso regis ad-
uentu, sed secura cum lumine & præcedentium
virginum choro iocanter occurrat, & nè exclu-

datur cum stultis, regalem ianuam cum sapien-
tibus virginibus licenter introeat, & in agnĩ tui
perpetuo comitatu probabilis mansura, casti-
tate permaneat. Per eundem.

Benedictione expleta, & ad interrogationem
Episcopi de obseruatione sacri velaminis illa
coram professa, Episcopus mittat velamen su-
per caput ipsius virginis, ità dicens: Accipe ve-
lum sacrum puella, quod perferas sine macula
ante tribunal Domini nostri Iesu Christi, cui
flectitur omne genu cælestium, terrestrium, &
infernorum, in secula seculorum. Respons.
Amen. Tunc ipsa velata incipiat antiph. In-
duit me Dominus cyclade auro texta, & immen
sis monilibus ornauit me. Cæteris sanctimo-
nialibus, quæ circunstant, prosequentibus. Et
si plures fuerint velatæ, per singulas incipiatur
eadem antiphona vt supra.

Oratio posĩ assumptum velamen dicenda.

Famulam tuam Domine tuæ custodia mu-
niat pietatis, vt cõtinentiæ sanctæ propositum,
quod te inspirante suscepit, te protegente illæ-
sum custodiat. Per. Sequitur antiphona. Ipsi
sum desponsata, cui Angeli seruiunt.

ORATIO.

Da, quæsumus, omnipotens Deus, vt hæc fa-
mula tua, quæ pro spe retributionis æternæ, tibi
Domino desiderat consecrari, plena fide ani-
moque in sancto proposito permaneat. Tu eam
omnipotens pater sanctificare & benedicere, &
in perpetuum conseruare digneris. Tribue ei
humilitatem, castitatem, obedientiam, chari-
tatem, & omnium bonorum operum quantita-
tem: da ei Domine pro operibus gloriam, pro
pudore reuerentiam, pro pudicitia sanctitatẽ,
vt ad meritum possit gloriæ peruenire. Per.

Tunc cantent antiphonam. Posuit signum in
faciem meam, vt nullum præter eũ amatorem
admittam. Et dicat Episcopus benedictionem
Matthæi Apostoli super eam.

Deus plasmator corporum, afflator anima-
rum, qui nullam spernis ætatem, non sexum re-
probas, non vllam conditionem gratia tua du-
cis indignam, sed omni æqualis creator es, &
redemptor: tu hanc famulam tuam, quam ex
omni numero gregis bonus pastor eligere ad
conseruandam coronam perpetuæ virginitatis,
& castimoniam animæ dignatus es, tuæ protec-
tionis scuto circuntege, & ad omne opus vir-
tutis & gloriæ, magistrante sapientia præpara,
vt vincens carnis illecebras, & licita connubia
recusans, insolubilem filij tui Domini nostri Ie-
su Christi copulam mereatur. Huic petimus do
mine arma suggeras, non carnalia, sed spiritus
virtute potentia, vt te muniente eius sensus &
membra, in eius corpore & animo non possit
dominari peccatum atque sub tua gratia viuere
cupienti, nihil sibi defensor malorum, & inimi-
cus bonorum, de hoc vase iam nostri ritu con-
secrato pręualeat vendicare. Omnem etiàm ge
nuinum calorem imber gratiæ cęlestis extin
guat, lumen verò perpetuę castitatis accendat.

Facies

Facies scandalis pudica non pateat, nec incautè A
occasionem tribuat negligentia delinquendi.
Sitque in ea casta virginitas, & ornata pariter
& armata fide integra, ipe certa, charitate sincera, vt præparato animo ad continentiam virtus
tanta præstetur, quæ superet diaboli vniuersa
figmenta: atque contemnendo præsentia, futura
sectetur. Ieiunia epulis carnalibus præferat, &
lectiones sacras & orationes conuiuijs & pota-
tionibus anteponat, vt orationibus pasta, &
eruditionibus expleta, illuminata vigilijs, opus
gratiæ virginalis exerceat. His virtutum armis
hanc famulam tuam, interiùs exteriùsque com-
muniens, præsta inoffensum cursum virginita- B
tis implere. Per.

Ad Annulum dandum iuxta Romanos.

Accipe annulum fidei, signaculum Spiritus
sancti, vt sponsa Dei voceris, si ei fideliter ser-
uieris. *Ad Torquem.*

Accipe signum Christi in capite, vt vxor eius
efficiaris: & si in eo permanseris, in perpetuum
coroneris. Interim dicatur antiphona: Annulo
subarrhauit me Dominus meus Iesus Christus,
& tanquàm sponsam decorauit me corona.

Sequitur benedictio.

Benedicat te conditor cæli & terræ, Deus pa-
ter omnipotens, qui te eligere dignatur ad san- C
ctæ Mariæ matris Domini nostri Iesu Christi
consortium, vt integram & immaculatam vir-
ginitatem, quam professa es coram Domino &
Angelis eius, conserues, propositum teneas, ca-
stitatem diligas, patientiam serues, & coronam
virginitatis accipere mereatis. Per.

Deindè publica voce bannum episcopalem
imponat, nè quis eam à diuino seruitio sub ve-
xillo castitatis impediat, vt bona sua cum pace
& quiete possidear. Tunc imponatur Euange-
lium, & illa velato capite ad manus Episcopi
offerat, & Missa ordine suo finita, communicet. D
Postquam communicauit, reseruet de ipsa com
munione, vndè vsque in diem octauum commu
nicet. Et si est qui ei testimonium perhibuit,
mittat eam Episcopus in manus suas, dicens:
Vide quomodò istam Deo sacratam, repræ-
sentes immaculatam ante tribunal Domini no
stri Iesu Christi.

Ordo ad Diaconam faciendam.

Episcopus cũ diaconam benedicit, orarium
in collo eius ponit. Quando autem ad Eccle-
siam procedit, portat illud super collum suum,
sic verò, vt summitas orarij ex vtraque parte sub
tunica sit. E

Item Missa ad Diaconam consecrandam.

Antiphona. Deus in nomine tuo. Psalm. Deus
exaudi orationem. *Oremus.*

Deus castitatis amator, & continentiæ con-
seruator, supplicationem nostrã benignus exau-
di, & hanc famulam tuam propitius intuere, vt
quæ pro timore tuo continentiæ pudicitiam
vouit, tuo auxilio conseruet, & sexagesimum
fructum continentiæ, & vitam æternam te lar-
giente percipiat. Per.

Ad Corinthios.

Fratres, Nescitis quoniam corpora vestra.
Require in Dominica 12. post Pentecosten. Feria qu
Graduale. De necessitatibus meis. Vers. Ad re
Domine leuaui. Allel. Amauit eam Dominus.
Deindè prostrata illa ante altare imponatur li-
tania. Qua finita, dicat Episcopus super illam
hanc orationem:

Exaudi Domine preces nostras, & super hanc
famulam tuam N. spiritum tuæ benedictionis
emitte, vt cælesti munere ditata, & tuæ gratiam
possit maiestatis acquirere, & benè viuendi aliis
exemplum præbere. Per.

Sequitur consecratio in modum Præfationis.

Deus qui Annam filiam Phanuelis vix per- Luc. 2.
annos septem sortitam iugale coniugium, ità
in annos octogintaquatuor in sancta & inte-
merata viduitate seruasti, vt noctibus ac diebus
orationes ieiuniaque miscentem, vsque ad pro-
phetiæ gratiam sub circuncisione Christi tui,
iustus remunerator adduceres, quique deinceps
per Apostolicam intentionem, sanctarum hu-
ius ordinationis manibus fœminarum, sexus ip
sius adolescentulas ac iuniores instrui cum san-
cti chrismatis vilitatione iussisti, suscipere di-
gnare omnipotens pijssime rerum omniũ Deus,
huius famulæ tuæ arduum & laboriosum, nec sa
tis discrepans à perfecta virginitate propositum, quia tu creaturarum omnium conditor,
probè nosti mundiales illecebras non posse vi-
tari: sed cum ad te venitur per te, nunquàm ani
mas semel viuificatas vel terribiles passiones,
vel deliciarum blandimenta solicitant. Nam
sensibus quibus ipse dignaris infundi, nihil est
desiderabilius, quàm regnum tuum: nihil terri-
bilius, quàm iudicium tuum. Da ergo Domine
ad petitionem nostram huic famulæ tuæ, inter
coniugatas trigesimum, cum viduis sexage si-
mum fructum. Sit in ea cum misericordia di-
stinctio, cum humilitate largitas, cum libertate
honestas, cum humanitate sobrietas. Opus tuũ
die ac nocte meditetur, vt die vocationis suæ ta
lis esse mereatur, quales per spiritum prophe-
tiæ esse voluisti. Per.

Tunc ponat Episcopus orarium in collo eius,
dicens: Stola iocunditatis induat te Dominus.
Ipsa autem imponat velamen capiti suo palàm
omnibus de altari acceptum, cum antiphona.
Ipsi sum desponsata cui Angeli. *Oratio.*

Preces famulæ tuæ, quæsumus, Domine be-
nignus exaudi, vt assumptam castitatis gratiam,
te auxiliante custodiat. Per.

Ad Annulum dandum.

Accipe annulum fidei, signaculum Spiritus
sancti, vt sponsa Christi voceris, si ei fideliter
seruieris. Per. *Ad Torquem.*

Accipe signum Christi in capite, vt vxor eius
efficiaris: & si in eo permanseris, in perpetuum
coroneris. Deindè dicat antiphonã. Annulo suo
subarrhauit me Dominus. *Sequitur oratio.*

Famulam tuam, quæsumus Domine, pia de-
uotio te adiuuante perducat ad veniam, quate-

nus

Universidad de Deusto
Biblioteca

nùs mereatur à cunctis mundari sordibus delictorum, & reconciliatam tibi per Christum seteno vultu respicias, & omnia eius peccata dimittas, seueritatem quoque iudicij tui ab ea clementer suspendas, & miserationis tuæ clementiam super eam benignus infundas. Per eundē.

Tunc imponat Euangelium secundùm Ioannem: In illo tempore, Respondit Iesus, & dixit: Non potest homo accipere. Post Euangelium in ordine velatarum ad manus Episcopi offerat, choro imponente, Offert. Miserere mei Domine. Secret. Munera, quæsumus Domine, famulæ & sacratæ tuæ, quæ tibi ob consecrationem sui corporis offert, simul ad eius animæ medelam proficiant. Per.

Ioan. 3.

Infra agenda.

Hanc ergò oblationem seruitutis nostræ, sed & cunctæ familiæ tuæ, quæsumus Domine, quā tibi offero pro incolumitate famulæ tuæ, ob deuotionem mentis suæ pius ac propitius clementi vultu suscipias, tibi verò supplicantes libens protege, dignanter exaudi. Dieisque nostros.

Benedictio.

Benedic Domine hanc famulam tuam, preciosi filij tui sanguine comparatam. Amen.

Benedictionis tuæ gratiam, quam desiderat, consequatur: & sine vlla offensione, maiestati tuæ dignum exhibeat famulatum. Amen.

Cursum vitæ suæ impleat sine vllis maculis delictorū, & superet in bonis actibus inimicū. Quod ipse præstare digneris.

Communio.

Seruite Domino in timore.

Postcommunio.

Bonorum Deus operum institutor, famulæ tuæ cor purifica, vt nihil in ea, quod punire, sed quod coronare possis, inuenias. Per.

Diacona verò illa inter mysteria sacra communicet, & post Missam Episcopus ei pastorali banno pacem confirmet, vt sua cum securitate & quiete possideat.

Ordinatio Abbatissæ canonicam regulam profitentis.

IN ordinatione abbatissæ, Episcopus debet Missam cantare, & eam benedicere hoc modo: Post antiphonam ad introitum, & datam orationem & reliquum officium Missæ, vsque ad Euangelium prosternat se electa ante altare cum duabus vel tribus de sororibus suis, fiantq; ibi litaniæ. Quibus finitis, benedicat eam Episcopus, inclinato capite, dicens: Dominus vobiscum. Resp. Et cum spiritu tuo.

OREMVS.

Exaudi Domine preces nostras, & super hāc famulam tuam spiritū tuæ benedictionis emitte, vt cælesti munere ditata, & tuæ gratiam maiestatis possit acquirere, & benè viuendi alijs exemplum præbere. Per. in vnitate eiusdem Spiritus sancti.

ALIA.

Omnipotentiam tuam Domine humiliter imploramus, vt super hāc famulam tuam, quam ad sacrum ordinem assumere dignatus es, benedictionis tuæ donum dignanter infundas, eique gratiam consecrationis tribuas, vt quod te donante percipit, te protegente in Iesu custodiat. Per.

Tunc dicat in altum: Per omnia secula seculorum. Resp. Amen. Dominus vobiscum. Resp. Et cum spiritu tuo. Sursum corda. Resp. Habemus ad Dominum. Gratias agamus Domino Deo nostro. Resp. Dignum & iustum est.

Præfatio.

Verè dignum & iustum est, æquum & salutare. Nos tibi semper & vbique gratias agere, Domine sancte, pater omnipotens, æterne Deus. Adesto precibus nostris, adesto votis, adesto famulationibus, adesto consecrationibus, qui omnia per verbum virtutis tuæ mirabiliter dispensas, & dispensanda ministras. Qui diuersis floribus tuam semper exornas Ecclesiam, dum eā & virorum exemplis, & illustrium fœminarum irradias institutis: Qui etiàm de infirmiori sexu hanc famulam tuam seruitutis tuæ applicare dignatus es famulatui, effunde quæsumus Domine super hanc famulam tuam, quam in officium diuinum fideliter dedicamus, gratiam Spiritus sancti, vt tibi omni tempore eius seruitus dignanter complaceat, eamque dextera tuæ potentiæ benedicere & sanctificare siue consecrare digneris in opus ministerij tui condignum, quatenus actum ministrationis sibi creditæ fideliter exequatur, & eiusdem sancti Spiritus septiformis gratiæ virtute corroboretur. Requiescat ergò super eā, precamur Domine, spiritus sapientiæ & pietatis, ac repleas eam spiritu timoris tui. Concede ei quoq; grauitatem actuū, censuramque viuendi, vt in lege tua die ac nocte meditetur, mandata tua custodiat, dictis tuis obediat, sacris lectionibus insistat, terrena & transitoria despiciat, atque omni tempore bonis operibus inseruiat. Omnem libidinem prauæ voluptatis superet, amorem honestæ castitatis teneat, vt tibi sponso venienti cum lampadibus suis inextinguibilibus possit occurrere, & præcedentium virginum choro iungi, & ne cum stultis excludatur, regalem ianuam cum sapientibus virginibus licenter introeat. Abundet in ea totius forma virtutis, auctoritas modesta, pudor constans, innocentiæ puritas, & spiritalis obseruantia disciplinæ, in moribus eius præcepta tua fulgeant, vt suæ castitatis exemplo, cunctis sibi subditis imitationem præbeat, purum & bonum conscientiæ testimonium ostendens, in Christo Iesu firma & stabilis perseueret, atq; ità perceptum ministeriū te auxiliante peragat, qualiter ad æternam remunerationem te donante peruenire mereatur. Per eundem.

Tunc det ei regulam, dicens:

Accipe regulam sanctæ conuersationis, simulque gratiam diuinæ benedictionis, & vt per hanc cum grege tibi credito in stricti iudicij die, Domino incontaminata repræsentari valeas, ipse te adiuuare dignetur: Qui cum Deo patre & Spiritu sancto viuit & regnat Deus.

Sequitur

Sequitur Oratio.

Domine Deus omnipotens, qui sororē Moysis Mariam præeuntem cum cęteris mulieribus inter æquoreas vndas cum tympanis & choris læta mente ad littus maris venire fecisti, te supplices deprecamur pro fideli famula tua, quæ hodiè materna in cathedra super vniuersas subditas sibi abbatissa constituitur, vt ità canonica norma tueatur cunctas famulas tuas, quatenùs ad æternam gloriam te auxiliante cū omnibus illis introeat læta, ibique exultans cum angelis canens cantica noua, sequatur agnum quocunque ierit, Christum Dominum nostrum. Qui te cum viuit & regnat Deus.

ALIA.

Famulam tuam, quæsumus Domine, tua sēper gratia benedicat, & inculpabilem ad vitam perducat æternam. Per.

Quòd si ordinatio in domo sua facta fuerit, imponatur, Te Deum laudamus. Populo acclamante, Kyrie eleison. Posteà dicatur hęc oratio pro adepta dignitate.

OREMVS.

Omnium Domine, fons bonorū, iustorumq; prouectuum munerator, tribue quæsumus famulæ tuæ adeptam benè regere dignitatem, & à te sibi præstitam bonis operibus comprobare. Per. Item si alibi consecrata fuerit, regressæ ad monasterium omnis chorus virginum honorificè procedat ei obuiàm, cum crucibus & aqua benedicta, incenso & euangelio, & in ipso ecclesię introitu imponant, Te Deum laudamus. Turba acclamante Kyrie eleison. Et præsbytero prosequente orationem, vt sup. Omniū domine fons bonorum.

Ordinatio Abbatissæ, monasticam regulam profitentis. Capitulum ex canone Theodori Anglorum episcopi.

IN ordinatione abbatissę, episcopus debet Missam cantare, & eam benedicere hoc modo: Post antiphonam ad introitum, & datam orationem, & reliquum officium Missæ, vsq; ad Euangelium, prosternat se electa ante altare retro episcopum, cum duabus vel tribus de sororibus suis, fiantque ibi litaniæ. Deindè, Pater noster. Cum precibus istis, Saluā fac ancillam tuā Domine Deus meus sperantem in te. Dominus conseruet eam, & viuificet eam. Et beatā faciat eā in terra. Dominus custodiat introitum tuum & exitum tuum, Ex hoc nunc & vsque in sæculū. Dominus custodiat te ab omni malo. Custodiat animam tuam Dominus. Mittat tibi Dominus auxilium de sancto. Et de Sion tueatur te. Nihil proficiet inimicus in ea. Et filius iniquitatis nō nocebit eam. Esto illi Domine turris fortitudinis, A facie inimici. Exurge Domine adiuua eā. Et libera eam propter nomē tuū. Domine exaudi orationem meam, Et clamor meus ad te veniat. Precibus finitis, benedicat eam episcopus, inclinato capite dicens: Dominus vobiscum: Et cum spiritu tuo. Sequitur oratio.

OREMVS.

Concede, quæsumus omnipotens Deus, affectui nostro tuæ miserationis effectum, & famulā tuam quam ad regimen animarum elegimus, gratiæ tuæ dono prosequere, vt te largiente, cū ipsa tibi nostra electione placeamus. Per Dominum nostrum.

ALIA.

Exaudi, quæsumus Domine, preces humilitatis nostrę, & super hanc famulam tuam, gratiam tuæ benedictionis effunde, quatenùs per nostræ manūs impositionem, inter fideles dispensatrices inueniatur, & cum subditis sibi gregibus placere tibi mereatur. Per.

ALIA.

Cunctorum operum institutor Deus, qui per Moysen famulum tuum. Require in ordinatione abbatis. Deindè dicat alta voce. Per omnia sęcula seculorum. Respon. Amen. Dominus vobiscum ℟. Et cū spiritu tuo. Sursùm corda. Respō. Habemus ad Dominum. Gratias agamus Domino Deo nostro. Dignū & iustum est. Tunc imponat ei manum super caput, dicens hanc præfationem.

Verè dignum & iustum est, ęquum & salutare: Nos tibi semper, & vbique gratias agere Domine sancte, Pater omnipotens, æternæ Deus.

Respice quæsumus, super hanc famulam tuā, quam in tui nominis vice custodem monacharum ordinamus. Immitte ei domine spiritū sapientiæ & intellectus spiritum consilij & fortitudinis, spiritum scientiæ & pietatis, & reple eam spiritu timoris tui, quatenus tua gratia præuenta, nihil contra tuum prȩceptum faciat, doceat constituat, vel iubeat. sed magis mentes discipularum tam exemplis bonorum operū, quàm verbis instruat: & quæ discipulabus docuerit esse contraria, in operibus suis iudicet non agēda. Sit in omnibus operibus suis prouida & considerata: sit sobria & casta, sit vita probabilis, sit sapiens & humilis, sit benigna & charitatiua, sit in pauperumperegrinorum susceptione assidua, sit in hospitalitate hilaris, sit pia & misericors, & semper misericordiam superexaltet iudicio, vt ipsa à te ęquissimo iudice veniam consequatur. Fac eam Domine te solum ex totis viribus suis diligere, ieiunium amare, corpus castigare, delicias non appetere, tribulatis subuenire, neminem odisse, zelum iniustum & inuidiam non habere, suspicionem omninò deuitare, in tuo nomine pro inimicis exorare. Fac eam semper agnoscere, quia tibi reditura est rationem villicationis suæ, & quantas sub cura sua animas habuerit, ipsas sine dubio ante sedē maiestatis suæ sit latura. Quapp tibi pijssimo pastori supplicamus, vt ad humilitatis nostrę orationes, cor eius gratia tua illustres, quo possit quæq; singula ità discernere atque temperare, vt fortes habeant quod cupiant, & infirmæ quod nō refugiant. Da illi Domine spiritum compūctionis, vt cęlestia semper diligat, & inextinguibilē gehennę ignē

ante

Universidad de Deusto
Biblioteca

ante mentis oculos sibi proponat, quatenus supernorum dulcedine gaudiorum, & infernaliũ amaritudine tormentorum semetipsam irreprehensibilem custodiat, vt cum creditis sibi ouibus in tremendo examine gaudeat, & cum omnibus sanctis tuis immarcescibilem cælestis regni coronam accipiat. Per. Tunc det ei regulam, dicens:

Accipe regulam a sanctis patribus nobis traditam, ad regendum custodiendumque gregem tibi à Deo creditum, quantùm Deus ipse te confortauerit, ac fragilitas humana permiserit.

ORATIO.

Domine Deus omnipotens, qui sororẽ Moysis Mariam præeuntem cum cęteris mulieribus inter æquoreas vndas cum tympanis & choris læta mente ad littus maris venire fecisti, te supplices deprecamur pro famula tua, quæ hodiè materna in cathedra super vniuersas subditas sibi abbatissa constituitur, vt ità monastica norma tueatur cunctas famulas tuas, quatenus ad æternam gloriam te auxiliante cũ omnibus illis introeat læta, ibique exultans cum angelis canens cantica noua, sequatur agnum quocunque ierit, Christum Dominum nostrum. Qui te cum viuit & regnat Deus.

ALIA.

Concede, quæsumus omnipotens Deus, famulæ tuæ abbatissæ, vt ostendendo & exercendo q̃ recta sunt, & exemplo bonorum operum animos suarum instruat subditarum, & æternæ remunerationis mercedem a te pijssimo pastore percipiat. Per.

ALIA.

Omnium Domine fons bonorũ, iustorumq; prouectuum munerator, tribue quæsumus famulæ tuæ adeptam bene gerere dignitatem, & à te sibi præstitam bonis operibus comprobare. Per. Quòd si ordinatio abbatissę infra monasterium suum facta fuerit, imponatur, Te Deum laudamus. Populo acclamante, kyrie eleison. Posteà dicatur hæc oratio pro adepta dignitate:

Deus cui omnis potestas & dignitas famulatur, da famulæ tuæ prosperum suę dignitatis effectum, in qua te semper timeat, tibique iugiter placere contendat. Per. Item si alibi consecrata fuerit abbatissa, regressæ ad monasterium omnis chorus monacharum honorificè obuiàm procedat, cum crucibus, aqua benedicta, incenso & Euangelio, & in ipso ecclesiæ introitu imponatur, Te Deum laudamus. Turba acclamante kyrie eleison. Et presbytero prosequente orationẽ, vt supra. Deus cui omnis potestas.

Consecratio virginum, quæ a seculo conuersæ, in domibus suis susceptum castitatis habitum, priuatim obseruare voluerint.

Benedictionem velaminum require retro in consecratione sanctarum virginum. Ancilla Dei virgo, cùm ad consecrationem sui episcopi offertur, in talibus vestibus applicetur, qualibus semper vsa est professioni & sanctimoniæ aptis. Procedente ergò episcopo ad officium more solẽni, imponatur antiphona ad introitum, & cætera vsque ad Euangelium. professa illa de religiosi habitus obseruatione ppetua, prosternatur ante altare toto corpore, obsecrans intẽtè consecrationum largitorem, & imponat schola litaniam. Qua finita, eademque ancilla Dei erecta, & humiliter ante altare nudo capite inclinata, episcopus dicat hanc præfationem in eius consecrationem. *Præfatio.*

Oremus, fratres chariſſimi, misericordiam Domini: vt illud donum tribuat huic puellæ, quæ Deo votum vouit vestem candidam perferre cũ integritate coronę in resurrectione vitæ æternę, quæ futura est nobis. Sequitur benedictio.

Famulam tuam Domine tuæ custodia muniat pietatis, vt virginitatis sanctæ propositum, quod te inspirante suscepit, te protegente illæsũ custodiat. Per.

ALIA.

Te inuocamus Domine sancte, pater omnipotens, æterne deus, super hanc famulam tuam, quæ tibi vouit seruire pura mente, mundoq; corde, vt eam sociare digneris inter illa centũ quadraginta quatuor millia infantum, qui virgines permanserunt, & se cum mulieribus nõ coinquinauerunt, in quorum ore dolus inuentus non est: & ità hanc famulam tuam facias permanere immaculatam vsque in finem, per immaculatum Iesum Christum Dominum nostrum, cum quo viuis & regnas Deus in vnitate spiritus sancti, p̃ omnia secula seculorum. Benedictione expleta mittat episcopus velamen super caput eiusdem virginis, dicens. Accipe velũ sacra puella, quod perferas sine macula ante tribunal Domini nostri Iesu Christi, cui flectitur omne genu cœlestium, terrestrium, & infernorum in secula seculorum. Resp. Amen. Sequitur oratio.

Preces famulæ tuæ, quæsumus Domine benignus exaudi, vt assumptam castitatis gratiam, te auxiliante, custodiat. Per.

ALIA.

Deus, qui habitaculum tuum in corde pudico fundasti, respice super hanc famulam tuam, vt quæ castigationibus assiduis postulat, tua consolatione percipiat. Per: Sequitur benedictio.

Benedicat te Deus Pater, & Filius & Spiritus sanctus in oĩ benedictione spiritali, vt maneas sine macula sub vestimento sanctæ Mariæ matris Domini nostri Iesu Christi. Qui viuit. *Ad Missam.* Preces famulæ tuæ, quæsumus Domine. Vt supra. *Secreta.* Votiuis, quæsumus Domine famulæ tuæ adesto muneribus, vt te custode seruata, hæreditatem benedictionis æternæ percipiat. Per.

Infra agenda.

Hanc igitur oblationem famulę tuę N. quam tibi offerimus ob diem natalis sui, quo eam sacro velamine protegere dignatus es, quæsumus Domine placatus accipias, pro qua maiestati tuæ supplices fundimus preces, vt in numerum sanctarum virginum eam transire præcipias, quatenus tibi sponso suo venienti cum lampade inextinguibili possit occurrere, atq; intra regna cælestia gratias tibi referat, choris sanctarũ virginum sociata. Dieq; nostros.

Post communionem.

Deus qui habitaculum tuum, vt suprà. Præfata vero ancilla Dei inter alias velatas ad manus Episcopi offerat, & ad Missam cõmunicet, & post peracta mysteria, episcopalis bãni signaculo insignita regrediatur ad sua.

Consecratio viduæ, quæ fuerit castitatem professa.

VIdua quæ soluta est a lege viri, si seipsam vult Deo dare, debet & à presbytero velari, vel ẽt cõsecratũ ab Episcopo velamen de altari accipe, & ipsa sibi, nõ Episcopus, illud debet imponere. Presbyteris verò licet viduas velare, solis Episcopis virgines, & hoc añ euãgeliũ. Bndictiouestimẽtorũviduę, q̃ fuerit castitatẽ ꝓfessa. Dñs vobiscũ. ℟. Et cũ spiritu tuo. Oremꝰ Visibiliũ & inuisibiliũ creator Deus, adesto propitius, vt hęc indumẽta, sanctitatis effigiẽ ostẽdentia, desupèr gratia tua irrigante, benedicere & sanctificare digneris. Per. ALIA.

Aperi, q̃sumus Dñe, oculos maiestatis tuæ ad benedicendã hanc viduitatis vestem, vt q̃ in ordinatis vestibus viri sui visibus placuit, in sacris indumẽta benedictionis tuę seruare mereatur. Per. Tunc induatur ipsis vestimẽtis, & agatur litania, ea ante altare prostrata. Post litaniam cùm se erexerit, sequitur hæc præfatio.

Incorruptum æternitatis Dñi, & inuiolabilis naturæ Dñm, fratres chariſſimi, suppliciter deprecamur, poscentes pro sorore nostra, quę corpore ac mente perfectæ continentiæ & pudicitiæ se seruituram Dño deuouit vt petenti famulæ suæ ipse, qui est iudex viduarum, perfectam tribuat continentiam. Per.

Benedictio propria viduæ.

Consolare Dñe hanc famulam tuã, viduitatis laboribus cõstrictã, sicut consolari dignatus es Sareptanã viduam per Heliã prophetã. Cõcede & pudicitiæ fructũ, vt antiquarum non meminerit voluptatũ. Nesciat etiã incentiua vitiorũ desideria, vt soli tibi subdat propria colla, quo possit ꝓ laboribus tantis sexagesimo gradu ꝓcipere munus delectabile sanctitatis. Per. ALIA.

Da, quæsumus Dñe, vt hæc famula tua, quæ ꝓ spe retributionis æternæ, se tibi Dño desiderat cõsecrari plena fide animoq; in sancto proposito permaneat. Tu eã oĩpotẽs pater sanctificare & benedicere, & in perpetuum cõseruare digneris. Tribue ei humilitatẽ, castitatẽ, obedientiam, charitatẽ, & omniũ bonorũ operũ quãtitatẽ. Da ei Dñe pro operibus gloriam, pro pudore reuerentiam, pro pudicitia sanctitatem, vt ad meritum possit gloriæ peruenire. Per.

Tunc imponat ipsa velamen capiti suo.

Oratio post assumptum velamen.

Famulam tuã Domine tuæ custodia muniat pietatis, vt continentiæ sanctæ propositũ, quod te inspirante suscepit, te protegente illæsum custodiat. Per.

ALIA.

Domine Iesu Christe, oĩm Deus, q̃ inter cætera virtutũ documenta ad saluté nostrã vigoré castitatis & pudicitiæ reparasti, te supplices exoramus, vt hanc sororẽ nostrã viduã, ad gratiã pietatis tuæ ex toto corde cõuersam, ab omnibus tẽtationibꝰ inimicorũ tutã defensamq; custodias, hæc capitis velamina ad interioris hominis tutamen perseuerare facias. Per. ALIA.

Confirma hoc Deus qd̃ operatus es in vidua, vt fideliter custodire valeat, ꝓmissiones, quas ꝓmiserat tibi, vt castitatẽ corporis & aĩæ exhibere Deo valeat & dignè occurrat, vt sexagesimũ fructũ cũ electis socijs eius participare mereatur. Per. ALIA.

Domine Deus virtutũ cælestiũ, æterne dominator, tibi supplices effundimus preces, vt hanc famulã tuã consecrare digneris, quã de pristina cõuersatione ad nouitatẽ vitæ, expolians veterẽ hominẽ, & iuduẽs nouũ, cõuerti fecisti, vt sicut Anna ꝓphetissa multis tẽporibus vestibus viduitatis induta, in templo gloriæ tuæ ieiunijs, & orationibꝰ fideliter deseruiuit, sic & hæc famula tua tibi soli Deo in Ecclesia tua deuota mente deseruiat. Per. Posteà Episcopus auctoritate pastorali denũciet ei pacẽ, & oĩbus q̃ illa possidet, & illa ad Missã inter velatas offerat, & cõicet. Orõ ad Missam in natali viduæ: Deus castitatis amator, & reliq. vt sup. in consecrat. diaconissæ.

Ordo Romanus, qualiter Conciliũ agatur generale.

Conueniente itaq; vniuerso cœtu sanctorum Episcoporum, abbatum, presbyterorum, atque diaconorum, cæterorumque Ecclesiasticorum in nomine Domini, siue in ciuitatem Metropolim, siue in eam, quam Metropolitanus Episcopus vnà cũ consensu cæterorũ Episcoporũ decreuerit ad Conciliũ faciendum, post orationes solitas venientes omnes in Ecclesiam maiorem, vbi Concilium celebrandum est, sedet in ordine suo cum silentio. Tunc cantet schola antiphonam ad introitũ, Exaudi nos Dñe. Et posteà erigens se Metropolitanus Episcopus, dicat: Oremus, Et diaconus, Flectamus genua, Et post paululũ. Leuate. Et ipse Metropolitanus Episcopus, aut alius ex senioribus, dicat hanc orationem.

Omnipotens sempiterne Deus, qui nos per misericordiam tuam incolumes in hunc locum specialiter aggregasti, mentes nostras quæsumus paraclitus, qui a te procedit, illuminet, & inducat in omnem sicut tuus promisit filius, veritatem, cunctosque in tua fide & charitate corroboret, vt exercitatio corporalium Conciliorum, proficiat nobis ad æternę felicitatis augmẽtum. Per.

Post collectam dicatur litania. Ea finita dicat Episcopus: Oremus. Et diaconus, Flectamus genua. Et iterùm, Leuate. Sequitur oratio.

Da quæsumus Ecclesiæ tuę misericors Deus vt spiritu sancto congregata, secura tibi deuotione mereatur. Per.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Finita oratione,& respõdentibus oĩbus. Aũ- A cum timore & disciplina sedeãt oẽs tã Episcopi quàm presbyteri in silentio magno. Tunc diaconus progrediẽs de altari,sacra veste indutus,portãs Euãgeliũ vsq; ad ambonẽ in medio choro ad legendũ,dicat: Dñs vobiscũ,& reliqua sicut mos est,& legat lectionem ad hoc pertinentem: vel si Euangelium non legitur, librum aptam lectionem continentem, aut canonem. Lectione finita,alloquatur Metropolitanus Episcopus concilium, dicens: Eccè beatissimi & venerabiles consacerdotes,& patres,ac fratres nostri,p̃missis Deo precibus,sanctitatẽ vestrã oportet, vt ea, q̃ de diuinis officijs vel sacris ordinibus aut etiàm B de nostris moribus, & necessitatibus ecclesiasticis a nobis cõferenda sunt,cũ charitate & benignitate vnusquisq; vestrũ suscipiat,sũmaq; reuerentia quantũm valeat,Dño adiuuãte percipiat, vel quæ emendatione digna sunt, omni deuotione vnusquiq; fideliter studeat emẽdare. Et si cui fortè quod dicitur displiceat,sine aliquo scrupulo contentionis palàm omnibus conferat,qualiter Domino mediante,& hoc ad optimũ statum perueniat,ità vt nec discordans contentio ad subuersionem iustitiæ locum inueniat, nec item in perquirenda veritate vigor nostri ordinis vel so- C licitudo tepescat. Post allocutionem, tractent apud se de diuinis mysterijs & ecclesiasticis disciplinis,vel quibuslibet necessarijs,canonesq; ibi legantur, aut liber officiorum, nec aliquis indè anteà transeat, quàm ista omnia explicentur. Et ità totis tribus diebus agatur. Nam de his qui foris sunt, si concilium pro qualibet causa appellare habent, archidiacono Ecclesiæ metropolitanæ causam suam intiment, & ille in concilio proferat, & ita introeundi detur eis licentia. Concilium autem nullus soluere audebit,nisi fuerint finita certamina.

Item ordo alterius diei.

D

COnuentione facta, dicit Metropolitanus, Oremus. Et diaconus, Flectamus genua. Et dat orõnem Episcop⁹, sicut mos est: Mẽtibus nostris,quæsumus Domine,Spiritum sanctum benignus infunde,quatenus in nomine tuo collecti sic in cũctis teneamus cum moderatione pietatis iustitiam,vt hìc a te in nullo dissentiat voluntas nostra,sed semper rationabilia meditantes,quæ tibi sunt placita, & dictis exequamur & factis. Per.

Deus qui nos iustitiam loqui,& quę recta sũt præcipis iudicare,tribue nobis, vt nec iniquitas in ore nec prauitas inueniatur in mente, vt pu- E ro cordi purior sermo consentiat. Ostendatur in opere iustitia,nec appareat dolus in lingua, sed ex corde veritas proferatur. Per.

Finita oratione,legatur lectio, sicut superius continetur. Post lectionem alloquatur Episcopus huiusmodi: Reuerendissimi & sanctissimi nobis Domini & patres nostri, pia solicitudine vos oportet,vt sicut hesterno die admonuim⁹ benignam mansuetudinem vestram de diuinis officijs,& sacris altaris gradibus, aut etiàm de cõsuetudine & necessitatibus Ecclesiasticis,quęcũque emendanda vel renouãda sunt,charitas omnium vestrum vbicunque nouerit aliqua emendatione condigna,in medium proferre non ambigat,vt per vestræ sanctitatis studium,Domino largiente,ad optimum perueniat statum,ad laudem & gloriam nominis Christi Domini nostri.

Post allocutionem admoneat Episcopus,vt supra,vt de diuinis scripturis tractent inter se.

Item ordo terti æ diei.

Cõuentione facta,dicit Metropolitanus,Oremus. Et diaconus, Flectamus genua. Et dat orationem:

Omnipotens sempiterne Deus, qui sacro ver- *Matth.18.*
bi tui oraculo prõpsisti, Vbi duo vel tres in nomine tuo sunt congregati,te in mediũ fore, adesto cętui nostro propitius, & cor nostrum illumina misericors,vt à bono misericordię tuæ nulla tenùs aberremus,sed rectum iustitiæ tuæ tramitem in omnibus teneamus. Per.

ALIA.

Deus qui populis tuis & indulgentia consulis,& amore dominaris, da spiritum sapientiæ, quibus dedisti regimen disciplinæ, vt de profectu sanctarum ouium fiant gaudia æterna pastorum. Per.

Finita oratione, legatur lectio sicut superius continetur. Post lectionem alloquatur Episcopus huiusmodi.

Dilectissimi igitur & venerabiles patres ac Domini nostri beatitudinem vestram oportet, vt ea quę de Ecclesiasticis officijs, & sacerdotalibus gradibus, vel etiàm canonicis sanctionib⁹ propter diuersas occupationes,quas negare nõ possumus,& propter nostram aliorumque desidiam non tam pleniter,vt oportet, executa sũt, nostro omnium vnanimi cõsensu & volũtate requirantur,& humiliter corã sanctitate vestra reciteñtur,vt & q̃ digna sunt emẽdatione, ad meliorẽ statũ auxiliante Dño perducãtur, & cui forsitassis aliqua displiceant,q̃ digesta sunt,ea sanctitati vestræ cũ benignitate & modestia intimare non differat,quatenus totũ qđ synodali conuẽtione nostra statutũ fuerit vel renouatũ, absque omni contrarietate, concordia sanctæ pacis ab omnibus æquè custodiatur, & teneatur ad augmentum eternæ omnium beatitudinis nostræ.

Post allocutionẽ admoneat Episcopus, vt supra,vt de diuinis scripturis tractẽt inter se, & cõstituãt,q̃ necesse fuerit emẽdare. Terminatis aũt omnibus vltimo die cõcilij,eleuãtibus se omnib⁹ cum reuerentia de sedibus suis,dicat metropolitanus Episcopus,Orem⁹. Et diaconus dicat. Humiliate vos ad orõnem. Tunc oẽs prostrati in terrã,orent,non modico interuallo. Et dicat diaconus. Leuate. Episcopus det orationem.

Exaudi,q̃sumus Dñe, supplicũ preces, & cõfitentium tibi parce peccatis,vt si quid offensionis in hac concilij celebritate cõtraximus,te miserante indulgentiam sentiamus. Per.

ALIA

ALIA.

A cunctis excessibus nos, Domine quęsumus, propiciatus absolue,& quia imperfectum nostrũ oculi tui viderũt,perfectioni deputa misericors, quod perfecto æquitatis fine cõcludere præoptamus, Per.

Intende,quæsumus Domine, preces nostras, vt qui te in principijs operum nostrorum occurrere adesse poposcimus,te quoquè in hoc fine nostri concilij indultorem esse nostris excessibus sentiamus. Per.

Hac oratione finita,ille episcopus, in cuius sede ipsum conciliũ celebratur,dicat omnibus de be- B nedictionis verbis:

Christus filius Dei,qui est initiũ & finis, complementum vobis suę tribuat charitatis. Respon. Amen:

Et qui ad absolutionem huius fecit peruenire concilij,absolutos vos efficiat ab omni contagione delicti. ℟. Amen.

Vt ab oĩ reatu liberiores effecti, adiuti etiàm per donum Spiritus sancti, felici reditu vestrarũ sedium cubilia repetatis illæti. ℟. Amen.

Quod Ipse præstare dignetur, Tunc surgẽtes omnes cum reuerentia,incipientes a metropolitanis, osculum pacis sibi inuicèm dent, cum ti- C more & amore Dei. Et dicat iterùm Pontifex: In nomine Domini nostri Iesu Christi, Ite in pace. Et respondetur ab omnibus, Deo gratias. Et ita conuentus absoluitur.

Item ordo, qualiter agatur Concilium prouinciale.

PRima die & secunda & tertia, oẽs ante Missam sequãtur crucem cũ litania, & ità subscripto ordine ingrediantur synodum.

Ordo primæ diei.

Hora conuenienti quandò Episcopo vel eius D vicario visum fuerit, omnes expellantur ab Ecclesia,obseratisq; foribus cunctis,ad vnam ianuam per quã sacerdotes ingredi oportet, ostia rij stent, & sella ponatur in medio, & supra eam sacrę reliquiæ,& plenarium cum stola ponatur Deinde conuenientes presbyteri omnes intrẽt, & secundum ordinationis suæ tempus resideant. Post hos ingrediantur diaconi probabiles, quos ordo popposcerit interesse. Exindè introducantur laici bonæ conuersationis,vel qui electione coniugali interesse meruerint. Tunc ingrediatur episcopus, si voluerit,vel si necessitas exegerit: & si non aderit Episcopus,eius vicarius E eadem faciat.

Prima die quandò Episcopus vel eius vicari⁹ synodum ingreditur, salutet ex omni parte non solùm clerum,sed & populũ,& versus ad orientem mediocri voce dicat: Dominus vobiscũ. ℟. Et cũ spiritu tuo.

ORATIO.

Deus humilium visitator, qui nos fraterna dilectione consolaris, prætende societati nostræ gratiam tuam,vt per eos in quibus habitas, A tuum in nobis sentiamus aduentum. Per.

Tunc procedens diaconus cum subdiacono, thuribulo & ceroferarijs duobus, benedicente Pontifice, legat Euangelium in ambione. Cum esset sero die illo. Eo autem descendente, dicat pontifex,vel eius vicarius: S. Maria,& oẽs sancti & electi Dei, intercedite pro nobis peccatoribus ad Dominum Deum nostrum, vt mereamur ab eo adiuuari & sanari, qui viuit & regnat in secula seculorum. Amen. Postmodum duabus vicibus dicat: Deus in adiutorium meũ intende. Clero respondente. Domine ad adiuuandũ me festina. Item tertio dicatur. Deus in adiutorium meum intende. Clero respondente. Domine ad adiuuandum me festina, Cum gloria. Et kyrie eleison. Et pater noster. Cum precibus istis: Domine, ne memineris iniquitatũ nostrarum. Adiuua nos Deus salutaris noster. Esto nobis Domine turris fortitudinis. Dne exaudi orationem meam. Dominus vobiscum. ℟. Et cũ spiritu tuo.

OREMVS.

Exaudi nos Deus salutaris noster,& dies nostros in tua pace dispone, vt a cunctis perturbationibus liberati,tranquilla tibi seruitute famulemur. Per.

Deinde pro vniuersis ordinibus, necnon pro statu Papæ & antistitis eiusdem sedis,decantent psalmos hos: Miserere mei Deus. Deus in nomine tuo. Miserere mei Deus,miserere mei. Deus misereatur nostri. Deus in adiutoriũ meũ. Pater noster. Cum precibus istis: Sacerdotes tui Domine induãt. Memento Domine congregationis tuæ. Saluos fac Domine Deus noster. Vt confiteamur nomini sancto tuo. Adiutoriũ nostrũ in nomine Domini. Dñe exaudi orationem meã Dominus vobiscum. Oremus.

Omnipotens sempiterne Deus, cuius spiritu totum corpus Ecclesiæ sanctificatur,& regitur, exaudi nos pro vniuersis ordinibus supplicãtes, vt gratiæ tuæ munere ab oĩbus tibi gradibus fideliter seruiatur. Per. Deindè dicat orationem.

Deus omnium fidelium pastor& rector,famulos tuos quos pastores Ecclesiæ tuæ præesse voluisti,propitius respice; da eis quæsumus verbo & exemplo, quibus præsunt, ità *præesse, vt ad *proficere*
vitam vnà cum grege sibi credito perueniant sempiternam. Per.

His expletis, septem psalmos pœnitentiæ ꝓ peccatis decantent,cum precibus istis, kyrie eleison. Et Pater noster. Ego dixi, Domine miserere mei. Conuertere Domine vsquequò. Fiat misericordia tua Domine super nos. Domine Deus virtutum cõuerte nos. Domine exaudi orationẽ meam. Dominus vobiscum.

OREMVS.

Dies nostros,quæsumus Domine,placatus intende,pariterq; nos & a peccatis absolue ꝓpitius,& à cunctis eripe benignus aduersis. Per. Post hæc vero egrediantur omnes exceptis presbyteris & cæteris idoneis clericis: factoque silentio,dicat Pontifex vel eius vicarius hanc orationem palàm.

OREMVS.

Adesto nobis, q̃sumus, Domine sãcte spiritus, peccati quidẽ immanitate detentis, sed in noĩe tuo speciãliter aggregatis. Veni ad nos, & digna re illabi cordibus nostris: doce nos qd agamus, quò gradiamur ostẽde, qd efficiamus opare. Esto salus & suggestor & effector iudiciorũ nostrorũ, qui solus cũ Deo patre, & eius Filio nomẽ possi des gloriosũ. Nõ nos patiaris perturbatores iustitiæ esse, qui summæ veritatis diligis æquitatẽ, vt in iudiciũ nos nõ ignorãtia trahat, non favor inflectat, nõ acceptio munerisvel personæ corrũpat, sed iũge nos tibi efficaciter solius tuæ gratię dono, vt simus in te vnũ & in nullo deuiemus à vero, quatenus in noĩe tuo collecti, sic in cũctis teneamus cũ moderatione pietatis iustitiã, vt & hic à te in nullo dissẽtiat scientia nostra, & in futuro ꝑ benè gestis, consequamur prẽmia sempiterna, Per omnia secula seculorum. Tunc tacẽtibus cunctis, ex Niceno Concilio fides Catholica à diacono legatur.

Credimus in vnũ Deũ patrẽ omnipotentem, oĩum visibiliũ, necnon & inuisibiliũ, factorẽ & in vnũ Dñm Iesũ Christũ filiũ Dei, natum ex patre vnigenitũ, hoc est, ex substantia patris, Deum ex Deo lumẽ de lumine, Deũ verũ de Deo vero natũ, nõ creatũ: homousion, hoc est, eiusdẽ cũ patre substãtiæ, per quẽ oĩa creata sunt cęlestia & terrena, q̃ ꝓp nos homines, & ꝓp nostrã salutẽ descẽdit, & incarnatus est, & hõ factus est, passus est, & resurrexit tertia die, ascendit in cęlũ, sedet ad dexterã Patris, vẽturus est indè iudicare viuos, & mortuos. Et in Spiritũ sanctũ. Eos aũt q̃ dicunt, Erat tẽpus quãdo nõ erat, & prius q̃ nasceretur, nõ erat, & quia ex nullis subsistẽtibus factus est, aut ex alia substantia vel essentia, aut dicunt esse treptõ, hoc est, cõuertibilẽ, aut mutabilẽ filiũ Dei hos anathematizat Catholica, & Apostolica Ecclesia.

Tunc diaconus alba indutus, codicẽ canonũ in medio proferes, capitula de Cõcilijs agendis pronunciet. i. de cõcilio Tolet. quarto: Sancta synodus bis in anno ecclesiastica decreuit habere cõcilia, vnum æstate, aliud tpe autũni. Quisquis aũt clericorum ad hæc venire distulerit, absque necessitatis causa anno integro Missas celebrare non præsumat.

Item de eodem concilio.

Interdixit p oĩa magna synodus, non episcopo, non presbytero, non diacono, nec alicui omnino, q̃ in clero est, licere subintroductã habere mulierẽ, nisi fortè matrẽ, aut sororẽ, aut amitã, vel eas tãtum psonas, q̃ suspiciones effugiunt. Finitisq; titulis, & cũctis in ordine cũ silẽtio sedẽtibus, episcopus vel (si voluerit) diaconus cõcilium alloquatur, cum exhortatione huiusmodi.

Ecce sanctissimi fratres, prẽmissis Deo precibus fraternitatẽ vestrãpia exhortatione cõuenio, & p diuinum nomẽ obtestor, vt ea q̃ a nobis de Deo & sacris ordinibus vel sanctis moribus vobis fuerint dicta, cũ summa reuerentia perficere contendatis. Quod si forsitan aliquis vestrũ alter q̃ dicta fuerint, senserit, sine aliquo scrupulo contentionis, in nostrũ oĩm collatione mea* ip- * ipſa se de quibus dubitauerit, conferẽda reducat, qualiter Deo mediãte, aut doceri possit, aut doceat.

Deinde simili vos obtestatione cõiuro, vt nullus vestrũ in iudicãdo aut personã accipiat, aut quolibet fauore vel munere pulsatus, a veritate discedat. Sed cũ tãta pietate, quicquid cœtui nostro se iudicandũ intulerit, retractate, vt nec discordans cõtentio ad subuersionẽ iustitiæ inter nos locũ inueniat, nec ità in perquirenda æquitate vigor nostri ordinis vel solicitudo tepescat.

Post hãc exhortationẽ quisquis clericorũ vellit, conferat quærelã. Et admonẽdi sunt, vt nullus ad synodũ veniat, nisi ieiunus, vel a cętu cõi secedat antè, quàm generalis secessio adueniat. Et sic quoque synodus primæ diei soluatur.

Ordo alterius diei.

Secunda die quando ingreditur synodũ Episcopus, vel eius vicarius: in loco suo stans dicat: Dominus vobiscum. Oremus.

Deus qui nobis in famulis tuis præsẽtiæ tuę signa manifestas, mitte sup nos spiritum charitatis, vt in aduẽtu fratrũ cõseruorũq̃; nostrorum, gratia nobis tuæ largitatis augeatur. Per.

Postea legatur Euangeliũ. Designauit Dñs & alios septuaginta duos. Deindè dicat Pontifex, vel eius vicarius preces: Sancta Maria, & omnes sancti. Sicut supernùs. Tunc oẽs ꝓstrati, ꝓ peccatis decãtent hos psalmos. Dñe ne in furore. Bene dixisti. Inclina Dñe. cum kyrie eleison, & Pater noster. Et precibus istis. Ego dixi Dñe. Conuerte re Dñe. Adiutoriũ nostrũ. Dñe exaudi orationẽ meã. Dñs vobiscũ. Precibus nostris, quæsumus Dñe, aurẽ tuæ pietatis accõmoda, & orõnes supplicũ, occultorum cognitor benignus, exaudi, vt te largiente ad vitã perueniãt sempiternã. Per.

Posteà decãtent psalmos istos ꝓ regis nostri & reginæ & aliorũ seu regni primatũ sospitate: Dñe, quid multiplicati sunt. Exaudiat te Dñs. Deus auribus nostris. Cũ kyrie eleison. Et Pater noster. Cum precibus istis. Dñe saluũ fac regem. Esto ei Dñe turris fortitudinis. Saluũ fac populum tuum Dñe. Fiat pax in virtute tua. Exurge Domine, adiuua nos. Domine exaudi orationẽ meam. Dominus vobiscum.

OREMVS.

Quę sumus omnipotẽs Deus, vt famulus tuus Rex noster, q̃ tua miseratione suscepit regni gubernacula, virtutũ etiã oĩm ꝓficiat incremẽta, quibus decenter ornatus, & vitiorum mõstra deuitare, & ad te qui via, veritas & vita es, gratiosus valeat peruenire. Per.

ALIA.

Deus regnorum omnium, & Christiani maximè protector Imperij, da seruo tuo Imperatori nostro triumphum virtutis tuæ scienter excolere, vt qui tua constitutione est princeps, tuo sẽper munere sit potens.

ALIA.

Guberna Domine famulã tuam, & tuis beneficijs semper accumula, vt & præsentis vitæ subsidijs gaudeat & æternæ. Per.

ALIA

ALIA.

Prætende Dñe famulis tuis dexteram cælestis auxilij, vt te toto corde perquirant, & quę dignè postulant, consequi mereantur. Per.

Deindè pro infirmis, & salute totius Ecclesię, istos Psalmos decantent: Beatus qui intelligit. Domine Deus salutis meæ. Dñe refugium. Cum kyrie eleison, Et Pater noster. Cũ precibus istis Castigans castigauit me Dñs. Nihil proficiet inimicus in eo. Exurge Dñe, adiuua nos. Domine exaudi orationem meam. Dominus vobiscum.

OREMVS.

Deus infirmitatis humanæ singulare ꝓfidiũ, auxilij tui super infirmos famulos tuos & famulas tuas ostende virtutem, vt ope misericordiæ tuæ adiuti, Ecclesiæ tuæ sanctę repræsentari mereantur. Per.

Ascẽdãt ad te Dñe preces nostræ, & ab Ecclesia tua cunctã repelle nequitiã. Per. Iterùm oẽs laici & mulieres egrediãtur, & legatur a diacono homilia S. Gregorij, incipiente a versu isto, Messis quidẽ multa. víq; patres esse minime recogn. Tùc si clerici querelã nõ habeãt conferẽdã, laici intromittãtur: illis etiam audientibus, lectio recitatur Niceni concilij: Iudices non nisi ieiuni leges & iudicia decernant. Quisquis ex laicis habeat querelam iudicibus proferat. Et synodus secundæ diei sic soluatur.

Ordo tertiæ diei.

Tertia die cùm Episcopus vel eius vicarius synodum post Missam, sicut in cæteris diebus ingreditur, dicat: Dominus vobiscum.

OREMVS.

Protege, Dñe q̃sumus, famulos tuos subsidijs meritis, & corporis, & spiritalibus enutriens alimẽtis, propitius redde securos ab hostibus vniuersis. Per. Posteà legatur Euangeliũ. Circuibat Iesus ciuitates, & castella. Deindè istos psal. ꝓ defunctis, Verba mea. Domine ne in furore tuo. 1. Ad te Domine leuaui. Cum Kyrie eleison. Et Pater noster, ac preeibus istis. Requiem æternã dona eis Domine. In memoria ęterna erunt iusti. A porta inferi. Dominus vobiscum.

Inueniãt, q̃sumus Domine, animæ famulorũ, famularumq̃; tuarum omnium in Christo quiescentiũ, lucis æternæ consortiũ, q̃ in hac luce positi, tuum consecuti sunt sacramentum. Per.

Deindè cãtentur isti psalmi ꝓ irreligiosis. Ad te clamabo. Benedicã Dño. Deus venerũt gẽtes. Voce mea. Cum kyrie eleison. Et Pater noster. Ac precibus istis. Fiat pax in virtute tua. Ostẽde nobis Dñe misericordiã tuã. Deus tu conuersus viuificabis nos. Domine exaudi orationem meã, Dominus vobiscum. Oremus.

Deus qui infideles deseris, & iustè indeuotis irascẽris, populum tuum quæsumus ad te cõuerte propitius, vt qui te per duritiã irreligiosæ mẽtis semper offendunt, ad sancta officia promerẽda, tuæ miserationis gratia inspirante conuertas. Per.

Deus qui errantibus, vt in viam possint redire iustitiæ, veritatis tuæ lumen ostendis, da cunctis qui Christiana professione censentur, & illa respuere quæ huic inimica sunt nomini, & ea quæ sunt apta sectari. Per. Si q̃ sint q̃stiones vel q̃relę cõferantur. Et sic synodus tertiæ diei soluatur.

Ordo quartæ diei.

Quarta vero die Episcopus ante Missã synodum ingrediens, sic procedat: Primùm portẽtur ante eũ duo cãdelabra, cũ cereis incensis. Quę sequuntur duo acolyti cũ thuribulo & thymiamaterio. Deindè subdiaconus portãs Euãgelium, duę cruces hincindè: deindè diaconus, postremũ Episcopus episcopalibus vestimentis indutus & cappa ingrediatur. Et in sede sua stans dicat: Dominus vobiscum,

OREMVS.

Nostrorũ domine tibi curuantes genua cordiũ; q̃sumus, vt bonũ quod in nobis a te requiritur, exequamur. s. vt ꝓpta tecum solicitudine gradientes, discretionis arduæ subtile iudicium faciamus, ac misericordiã diligẽtes, clareamus studijs tibi placitæ actionis. Per. Postea legatur Euangelium solito more. Respiciens Iesus discipulos suos, dicit Simoni Petro. Si peccauerit in te frater tuus. Sequãtur septẽ psalmi cũ precibus quibus placuerit. Quibus finitis, episcopo & cæteris in ordine sedentibus ab ipso episcopo siue a diacono ex ipsius persona legatur hæc admonitio. *Matth. 18.*

Fratres & presbyteri, & sacerdotes Domini, coopatores ordinis nostri estis. Nos quidẽ, quãuis indigni, locũ Aaron tenemus, Vos aũt locũ Eleazari & Ithamari. Nos vice duodecim Apostolorũ fungimur, vos ad formã septuaginta discipulorum estis. Nos verò pastores vestri sumus, vos autem pastores animarum vobis commissarum. Nos de vobis rationem reddituri sumus summo pastori nostro Domino Iesu Christo: vos de plebibus vobis cõmendatis. Et ideò, charissimi, videte periculũ vestrũ. Admonemus itaq; & obsecramus fraternitatẽ vestrã, vt q̃ vobis suggerimus, memoriæ cõmendetis, & opere exercere studeatis. Imprimis admonemus, vt vita & conuersatio vestra irreprehensibilis sit. s. vt cella vestra sit iuxta ecclesiã, & in domo vestra fęminas non habeatis. Omni nocte ad nocturnas surgite. Cursum vestrum horis certis decantate. Missarum celebrationes religiosè peragite. Corpus, & sanguinẽ Domini cũ timore & reuerẽtia sumite. Vasa sacra proprijs manibus abluite, & extergite. Nullus cantet Missam, nisi ieiunus. Nullus cãtet sine amictu, alba, stola, fanone, & casula. Et hæc vestimẽta mũda sint & ad nullos vsos alios sint. Nullus in alba, qua in suos vsus vtitur ꝓsumàt Missã cãtare. Nulla fęmina ad altare dñi accedat, nec calicẽ dñi tãgat. Corporale mundissimum sit. Altare sit coopertum de mundis linteis. Super altare nihil ponatur, nisi capsæ & reliquiæ, aut fortè quatuor Euangelia, aut pyxis cũ corpore Domini, ad viaticum infirmis. Cætera in nitido loco recondantur. Missalem plenariũ, lectionarium, & antiphonariũ, vnusquisque habeat. Locus in sacrario aut iuxta altare sit præparatus

Universidad de Deusto
Biblioteca

ratus, vbi aqua effundi possit, quando sacra vasa, abluuntur. Et ibi vas nitidū cum aqua depēdeat. vt ibi sacerdos manus lauet post cōmunionem. Ecclesię sint benè coopertæ, & cameratæ. Et atrium sit sæpe munitum. Nullus extra Ecclesiā per domos, nec in locis non consecratis Missā cātet. Ois presbyter clericū habeat vel scholarē, qui epistolā vel lectionē legat, & ad Missam respōdeat, & cū quo psalmos cātet. Infirmos visita te, & eos recōciliate, & iuxta Apostolū oleo sancto inūgite, & ꝓpria manu cōmunicate, & nullus præsumat tradere communionē, laico aut fœminæ, ad deferendum infirmo. Nullus vestrum ꝓ baptizandis infantibus, aut infirmis reconcilian dis, aut mortuis sepeliendis, præmium, vel munus exigat. Videte vt per negligentiam vestram nullus infans sine baptismo moriatur. Nullus vestrum sit ebriosus & litigiosus, quia seruum Dei non oportet litigare. Nullus arma ferat in sedi tione, quia arma nostra spiritualia debent esse. Nullus canū aut auiū iocis inseruiat. Nolite in tabernis bibere. Vnusquisq; vestrū quantū sapit plebi suæ de Euangelio, populo die dñico vel festis diebus annunciet. Verbū Domini debetis p̄ dicare. Curam pauperum, peregrinorum, & orphanorū habete, & eos ad prandium vestrum inuitate. Estote hospitales, vt a vobis alij exemplū bonum sumant. Oī die Dñico ante Missam, aquā benedictā facite, vndè populus adspergatur: & ad hoc solum vos habete. Sacra vasa, & vestimenta sacerdotalia nolite in vadiū dare negociatori, aut tabernario. Nullus vestrum minùs dignè pœnitentem, cuiuscunq; rei gratia ad reconciliationem adducat, & ei testimonium reconciliationis ferat. Nullus vestrum vsuras exigat, & conductor sui scenoris existat. Res & facultates, quas post diem ordinationis vestræ acquiratis, sciatis ad Ecclesiā pertinere. Nullus sinè scientia, & consensu vestro acquirat. Nullus per potestatem seculariū, Ecclesiā obtineat. Nullus per pecuniam, alterius ecclesiam supplātet. Nullus Ecclesiā ad quā titulatus est, dimittat, & ad aliā quę stus gratia migrer. Nullꝰ plures Ecclesias teneat sinè adiutorio aliorum presbyterorū. Nullatenus vna Ecclesia inter plures diuidatur. Nullus alterius parochianū, nisi in itinere, vel si sibi placitū fuerit, ad Missā recipiat. Nullus in alterius parochia Missā cātet, absq; ꝓprij presbyteri voluntate, & rogatu. Nullus decimam ad aliū pertinentē recipiat. Nullus pœnitentem inuitet carnem māducare, & bibere vinū, nisi ꝓ eo ad p̄sēs eleemosynam faciat. Nullus p̄sumat baptizare nisi ꝓ vigilia Paschæ & Pentecostes, nisi in periculo mortis. Vnusquisq; fontes lapideos habeat, & si nō p̄t habere lapideos habeat vas aliud ad hoc paratū, in quo nihil aliud fiat. Videte vt omnibus parochianis vestris, symbolum, & orōnem Dñicā insinuetis. Ieiuniū quatuor Tēporū & Rogationū, & litanię maiores, plebibus vestris oīmodis obseruandū insinuate. Feria quarta ante quadragesimā, plebē ad confessionē inuitate, & ei iuxta qualitatē delicti pœnitentiā iniungite, nō ex corde vestro, sed sicut in p̄nitentiali scriptū est. Tribus temporibus in anno, i. in natali Dñi, Pascha, & Pētecoste, oēs fideles ad cōmunionē corporis & sanguinis Dñi accedere admonete. Certis tēporibus coniugatos ab vxoribus abstinere exhortamini. Eulogias post Missā in dieb⁹ festis plebi tribuite. Nullus vestrum induatur vestibus laicalibus. Nullus rem aut possessionem aut mācipium Ecclesiæ vēdere aut cōmutare, aut quocū que ingenio alienare p̄sumat. Diē Dñicū, & alias festiuitates, absq; ope seruili à vespera in vesperā celebrare docete. Cātus, & choros mulierū in atrio Ecclesiæ, prohibete. Carmina diabolica, q̄ sup̄ mortuos nocturnis horis vulgus facere solet, & cachinnos quos exercet, sub cōtestatione Dei oīpotentis vetate. Cum excōmunicatis nolite cō municare. Nullus illis p̄sumat Missā cantare. Sed & plebibus cōmissis vobis, hoc annunciate, ad nuptias nullus vestrum eat. omnibus nunciate, vt nullus vxorē accipiat, nisi publicè celebratis nuptijs. Raptū omnimodis ꝓhibete, vt & nullus ad proximā sāguinis sui accedat, & vt alteriꝰ sponsā nemo ducat. Porcarios & alios pastores, Dñica die ad Missam facite venire. Patrini filiolis suis symbolū & orōnem Dominicā insinuēt, aut insinuari faciant. Chrisma, semꝑ sub serasit, aut sub sigillo pp quosdam infideles. Volumus autem, fratres charissimi, quatenùs, quæ nostra p̄ cepistis traditione, quantùm humana patitur infirmitas, bonis studeatis operibꝰ adimplere. Præstante Domino nostro Iesu Christo, qui cum Patre & Spiritu sancto.

Iam tunc si est synodus illa in vernali tpe, ab Episcopo, vel archidiacono denunciandum est, qualiter officia decantanda sint vsq; in aliā synodū autūnalē, & si est autūnalis denunciandū est, q̄ tæ hebdomadę de natiuitate Domini vsq; in initiū quadragesimæ, vel qualiter officia sint cātanda, & indictum ieiunium, & quatuor tpa, quibus tēporibus sint obseruanda, & in quos fines Episcopus causa officij sui fit hoc anno iturus, vel q̄ anathematizati, vel anathematizādi sint. His oībus ritè peractis, litania voce excelsa a duobus, synodo respondente, canterur. Ea finita, dicant, Pater noster. Cum precibus. Et tunc Episcopus dicturus est hanc orationem.

Nulla est, Domine, humanę cōscientiæ virtus, q̄ inoffensè possit tuæ voluntatis iudicia expedire. Et ideò, quia imperfectum nostrum viderunt oculi tui, p̄fectioni quę sumus deputa, qđ perfecto æquitatis fine cōcludere præoptamus. Te in nostris principiis occurrorem poposcimus, te quoq; in hoc fine iudiciorum nostrorum ꝓ excessibus indultorē speramus, s. vt ignorantię parcas, errori indulgeas, perfectis votis perfectam operis efficaciam largiaris. Et quia cōscientia remordente tabescimus, nè aut ignorantia nostra xerit in errorem, aut præceps forsitan voluntas impulerit iustitiam declinare, ob hoc te poscimus, te rogamus, vt si quid offensionis in hac cō cilij celebritate attraximus. te condonāte* remissibile habeamus, vt in eo quod soluturi sumus

*al. remissibilem habemus veniā.

sumus, aggregati cōcilio, a cunctis primùm absoluamur nostrorū nexibus delictorū, qualiter & transgressores venia, & confitentes tibi subsequatur remuneratio sempiterna. Per. Deindè Gregorianam orationem dicat. Oremus.

Deus q̄ nos pastores in populo vocari voluisti, p̄sta q̄sumus, vt hoc, qđ humano ore dicimur, in tuis oculis esse valeamus. Per. Finitis istis, Pōtifex indè ꝓcedat, & quia oēs clerici in laudem Dei conueniunt, de oībus sanctis Missa erit solēniter celebrāda. Et Pōtifex plena processione, ꝓcedens more solito, moneat clerū, & doceat populū, atq; in fine p̄dicationis remissionē peccatorū faciat, quia dies illa secunda, dies indulgētiæ habetur. Completa vero Missa, signis consonātibus in laudem Dei cantor alta voce, Te Deū laudamus, imponat. Et cum ea laude decantetur kyrie eleison, à populo. Finita laude ea, dicat cantor antiphonam, In viam pacis. Psal Benedictus: Antiphona finita, diaconus stolam in humero habens, dicat alta voce: Humiliate vos ad benedictionem. Resp. Deo gratias. *Sequitur benedictio.*

Christus filius Dei, qui est initium & finis cōplementum vobis tribuat charitatis. Resp. Amē.

Et qui nos ad explerionem huius fecit peruenire concilij, absolutos vos efficiat ab omni cōtagione delicti. Amen.

Vt ab omni reatu liberiores effecti, absoluti etiàm per donum Spiritus sancti, felici reditu vestrarum cubilia sediū repetatis illæsi. Resp. Amē.

Quod ipse præstare dignetur. Respon. Benedictio Dei Patris, & Filij, & Spiritus sancti descendat super vos, sēperq; maneat vobiscum. Respon. Amen.

Quibus expletis, dum dictum fuerit ab archidiacono, In nomine Dñi nostri Iesu Christi eamus cum pace: Omnes ilicò ab ipso primum incipientes episcopo, osculum sibi inuicem dabūt. Sicque data sibi inuicèm pace, conuentus concilij absoluetur.

Ordo ad benedicendam sponsam.

Postquàm fuerit mulier viro desponsata, et legaliter dotata, introeat cum marito ecclesiā, et prostratis eis, dicat.

PRopitiare Dñe supplicationibus nostris & institutis tuis, quibus propagationē humani generis ordinasti, benignus assiste, vt quod te auctore iungitur, te auxiliante seruetur. Per.

ALIA.

Deus qui potestate virtutis tuæ de nihilo cuncta fecisti, q̄ dispositis vniuersitatis exordijs, homini ad imaginem Dei facto ideo inseparabile mulieris adiutorium cōdidisti, vt fœmineo corpori de virili carne dares principiū, docēs, quod ex vno placuisset institui, nunquā liceret disiungi: Deus, q̄ tā excellenti mysterio coniugalē copulā consecrasti, vt Christi Ecclesiæ sacramētū p̄signares in fœderenuptiarū: Deus, per quē mulier iungitur viro, & societas principaliter ordinata, ea benedictione donatur, quæ sola nec per originalis peccati pœnam, nec per diluuij est ablata sententiā, respice propitius super hunc famulū tuum & famulam tuam, qui maritali iungendi sunt consortio, & tua se expetūt protectione muniri.

Sit ergò Domine in hac famula tua iugū dilectionis & pacis: fidelis & casta nubat in Christo, imitatrixq̄; sanctarū p̄maneat fœminarū. Sit amabilis vt Rachel viro, sapiens vt Rebecca, lōgęua & fidelis vt Sara, nihil in ea ex actibus suis ille auctor p̄uaricationis vsurpet, nexa fidei māda tisq; permaneat, vni toro iūcta cōtactus illicitos fugiat, muniat infirmitatē suā robore disciplinę. Sit verecūdia grauis, pudore venerabilis, doctrinis cælestibus erudita. Sit fœcunda in sobole, sit probata & innocens, & ad beatorū requiem atq; ad cœlestia regna perueniat, vt vnà videāt filios filiorū suorum vsq; in tertiam & quartam generationem: & ad optatā peruenianr senectutē. Per Dominum.

ALIA.

Quæsumus oīpotens Deus, instituta prouidētiæ tuæ pio amore comitare, vt quos legitima societate connectis, longæua pace custodias. Per.

ALIA.

Deus Abraham, Deus Isaac, Deus Iacob, benedic adolescētes istos, & semina semē vitę ęternæ in mentibus eorum, vt quicquid ꝓ vtilitate sua didicerint, hoc facere cupiant per Iesū Christū recuꝑatorē hominū, filium tuū vnigenitum, qui tecum & cum Spiritu sancto viuit & regnat.

Exaudi nos omnipotens & misericors Deus, vt qđ nostro ministratur officio, tua benedictione potiùs impleatur. Per. *Epistola.*

Fratres: Nescitis quoniam corpora vestra mēbra sunt Christi? *Euangelium.*

Loquebatur Iesus cum discipulis suis in parabolis, dicens: Simile factum est regnum cælorū. Require in Dñica 21. Pentecost. *Matth. 22.* *Secreta.*

Suscipe Dñe pro sacra connubij lege munus oblatum, & cuius largitor es operis, esto dispositor. Per. *In fractione.*

Hanc igitur oblationem famulorū tuorū, quā tibi offerunt ꝓ famula tua, ill. quā perducere dignatus es ad ltatū mensurę, & ad diē nuptiarū, ꝓ qua maiestati tuæ fundimus supplices preces, vt eam propitius cum viro suo copulare digneris, quæsumus Domine vt pla.

Post communionem.

Gratiæ tuæ, q̄sumus Dñe, famulo tuo & famulæ tuæ legaliter copulatis tribue largitatē, vt mā data tua te miserante sectantes, consolationē p̄sentis vitæ percipiant & futuræ. Per.

Ordo ad armandum Ecclesiæ defensorem, vel alium militem.

In primis benedicat Episcopus vexillum eius hoc modo. Oremus.

OMnipotens sempiterne Deus, qui es cunctorum benedictio & triumphantiū fortitudo, respice propitius ad preces humilitatis nostræ, & hoc vexillum, quod bellico vsui est præparatum, cęlesti benedictione sanctifica, vt contra aduersarias & rebelles nationes sit validum, tuoque munimine circunseptum, sitque inimi-

Gen. 2.

Universidad de Deusto
Biblioteca

inimicis Christiani populi terribile, atq; in te cõ A
fidentibus solidamẽtũ, & certa fiducia victoriæ.
Tu es.n. deus qui cõteris bella, & cœlestis p̃sidij
sperantibus, in te præstas auxiliũ, p̃ vnicũ filium
tuum Dñm nostrum, qui tecum viuit & regnat.

Post benedicat lanceam.

Gen. 4. Dñe Deus omnipotens, lux & vita fabricę mũ
di, qui per manus Tubalcain ad vsus hoĩm fabri
lia opera instituisti, respice propitius nostri de-
precationem officij ad benedicendã hanc lanceã
militaris instrumenti, qui a milite latus filij tui
Dñi nostri Iesu Christi, pro nostra salute in cru-
ce pendentis, permisisti lancea perforari, & per
nomen eiusdem filij tui eam sic consecrare & be B
nedicere digneris, vt is qui eam tulerit, des ei p̃
sperũ signũ tuæ defensionis sicut dedisti Gedeo
ni, Sauli, Dauid quoq; regi, vt tuis sẽper fultus
auxilijs, congaudeat & lætetur in te in oĩbus pro
sperit atibus suis. Per eundẽ Dñm. Deindẽ allige
tur vexillum lanceæ, & tenente eã milite adsper-
gat eam Episcopus aqua benedicta, & dicat:

OREMVS.

Inclina Dñe Iesu Saluator oĩm, ac redẽptor
animarum, aures tuæ pietatis ad preces nostræ
humilitatis, & per interuentum B. Michaelis Ar
changeli tui omniumq; cælestium virtutũ præ-
sta huic viro auxilium dexteræ tuæ, & sicut bene C
dixisti Abrahã aduersum quinq; reges triumphã
tem, atq; Dauid regem in tui nominis laude triũ
phales congressus exercentẽ, ità & hunc benedi-
cere, & sanctificare digneris contra hostilem ra-
biem ob defensionem sanctę Ecclesiæ vexillum
istud deferre cupientẽ, quatenus in nomine tuo
fideles, & defensores populi Dei illud sequentes
per virtutem S. Crucis triumphum & victoriam
se de hostibus adquisisse lætentur, qui cum Deo
patre & Spiritu sancto viu.

Post hæc benedicat ensem eius hoc modo.

OREMVS.

Exaudi quæsumus Dñe preces nostras, & hũc
ensẽ quo hic famulus tuus se circuncingi deside
rat, maiestatis tuæ dextera benedicere dignare,
quatenus protectio atq; defensio possit esse eccle
siarũ, viduarũ, orphanorum, omniumq; deo ser-
uientium cõtra seditiam aduersariorum, alijsq;
insidiantibus sit pauor, terror, & formido. Per.

Item alia.

Benedic Dñe sancte, pater oĩpotens, p̃ inuoca
tionẽ sancti nominis tui, & p̃ aduẽtũ filij tui Dñi
nostri Iesu Christi, atq; per donũ spiritus paracli
ti hũc ensẽ, vt his q̃ hodierna die tua pietate co-
prę̃cingitur, visibiles inimicos conculcet, victo- E
riaq̃e per omnia potitus semper maneat illęsus.
Per eundem.

Tunc benedicat militem. Oremus.

Famulum tuum, quæsumus Domine, pietatis
tuæ custodia muniat, vt hunc ensem quem te in
spirante suscipere desiderat, te adiuuante illæsũ
custodiat. Per.

Deindè cingat eum Episcopus, dicendo.

Accipe hunc gladium cum Dei benedictione ti
bi collatum, in quo per virtutẽ Spiritus sancti re
sistere & eijcere valeas oẽs inimicos tuos, & cun-
ctos̃ sanctæ Dei Ecclesię aduersarios adiuuante
Domino nostro Iesu Christo. Qui cum Deo.

Quo accinẽto canant clerici has antiphonas.

Speciosus forma præ filijs hominum, diffu-
sa est gratia in labijs tuis. ℣. Accingere gladio
tuo super femur tuum potẽtissime. Cum Gloria.
Ant. Specie tua & pulchritudine tua intende p̃
sperè, procede, & regna. Cum psalmo, Propterve
ritatem & mansuetudinem & iustitiam, deducet
te mirabiliter dextera sua. Sagittæ tuæ acutæ, po
puli sub te cadent. Cũ gloria, & repetitione An-
tiphonæ, Specie tua.

Sequatur Oremus.

Omnipotens sempiterne Deus, qui famulum
tuum N. eminenti mucrone circũcingi voluisti,
Fac illum contra cuncta aduersantia ità cęlesti-
bus armari præsidijs: quo hic & in æuum nullis
tempestatibus bellorum turbetur, nec inimico-
rum hominum insidijs terreatur. Per.

Tunc benedicat scutum.

Dñe Deus Saluator mundi, sine quo vana sa-
lus est hominis, intende deprecationem nostræ
humilitatis & super hoc scutum humani corpo-
ris tegumentum, infunde benedictionis tuæ do-
num, vt qui ipsum lateri suo applicuerit ob de-
fensionem sui, scutum & tutelam te habeat con-
tra inimicos animæ, & corporis, vt in vtroq; val
latus & protectus, benedicat nomen gloriæ tuæ
in omnibus suis operibus, & ad cælestia regna te
ducente peruenire mereatur. Per.

Tunc det ei Episcopus.

Accipe scutum militię salutaris, obstaculũ ini
micis, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sãcti:
vt robore protectus supni iuuaminis nõ timeas
D populi millia te circundantis. Per Christum.

Sequatur Oratio.

Dñe deus, qui conteris bella, & adiutor, & p̃
tector es omnium in te sperantium, respice pro-
pitius inuocationem nostram, & per merita SS.
Martyrum tuorum & militum, Mauritii, Seba-
stiani, Georgij, præsta huic viro victoriã de ho-
stibus suis, & salua eum tuo gratuito munere, q̃
dignatus es hominem redimere preciosissimo fi
lij tui sanguine, qui tecum viuit.

Deinde circunstantes dicant Antiph.

Scuto circundabit te veritas DEI, non time-
bis a timore nocturno. Cum psal. A sagitta volã
te in die, a negocio perambulante in tenebris, ab
incursu & dæmonio meridiano. Cadent a latere
tuo mille, & decem millia à dextris tuis, ad te
autem non appropinquabunt.

Sequitur, Oremus.

Conserua, quęsumus Dñe, famulum tuum ill.
& ab omnibus aduersitatibus redde securum, vt
in præsenti vita gaudeat & futura. Per.

FINIS

BEATI

BEATI ISIDORI HISPALENSIS EPISCOPI DE ECCLESIASTICIS OFFICIIS LIBRI DVO.

DOMINO MEO ET DEI seruo Fulgentio Episcopo, Isidorus Episcopus. A

QVAERIS à me originem officiorum, quorum magisterio in ecclesiis erudimur, vt quibus sint inuenta auctoribus, breuibus cognoscas indiciis. Itaque vt voluisti, libellum de genere officiorum ordinatum misi, ex scriptis vetustissimorũ auctorum, vt locus obtulit, commentatum. In quò pleraque meo stylo elicui: nonnulla verò ità vt apud ipsos erãt, admiscui, quo faciliùs lectio de singulis fidei authoritatẽ teneret. Si qua tamen ex his displicuerint, erroribus meis parator venia erit: quia non sunt referenda ad culpæ meæ titulum, de quibus testificatio adhibetur auctorum. B

CAPITA PRIMI LIBRI.

De Ecclesia & vocabulo Christianorum. 1
De templis. 2
De choris. 3
De canticis. 4
De Psalmis. 5
De Hymnis. 6
De antiphonis. 7
De responsoriis. 8
De precibus. 9
De lectionibus. 10
De libris testamentorum. 11
De scriptoribus sacrorum librorum. 12
De laudibus. 13
De offertoriis. 14
De Missa & orationibus. 15
De symbolo Niceno 16
De benedictionibus in populo. 17
De sacrificio. 18
De tertiæ, sextæ, & nonæ horæ officiis. 19
De vespertinis. 20
De completis. 21
De vigiliis. 22
De matutinis. 23
De Dominica die. 24
De natali Domini. 25
De Epiphania. 26
De Palmarum die. 27
De cœna Domini. 28
De parasceue. 29
De sabbato Paschæ. 30
De Pascha. 31
De Ascensione Domini. 32
De Pentecoste. 33
De festiuitatibus martyrum. 34
De encæniis. 35
De ieiunio quadragesimæ. 36
De ieiunio Pentecostes. 37
De ieiunio septimi mensis. 38
De ieiunio Calendarum Nouembrium. 39
De ieiunio Calendarum Ianuariarum. 40
De triduani ieiunij consuetudine. 41
De diuersorum dierum ac temporum ieiuniis. 42
De vario vsu ecclesiarum. 43
De carnium esu vel piscium. 44

C

PROLOGVS.

EA quæ in officiis ecclesiasticis celebrantur, partim sanctarum scripturarum auctoritate, partim Apostolica traditione, vel consuetudine vniuersalis Ecclesiæ statuta reperiuntur. Quorum quidem primordia repetentes, quibus orta fuerint, vt prædiximus, auctoribus referamus. D

Universidad de Deusto
Biblioteca

LIBRI PRIMI
CAPVT PRIMVM.

De Ecclesia, & vocabulo Christianorum.

PRIMVM à Petro Apostolo Ecclesia in Antiochia est fundata, ibique primùm nomen Christianorum per eius est prædicationem exortum, sicut Actus Apostolorum testantur. Act. 11. Vocantur autem Christiani deriuatiuo vocabulo ex nomine Christi. Nam sicut ex Iudæ nomine vocabulum traxerunt Iudæi, à quo in illa gente regiæ stirpis dignitas claruit, ita à Christo Christianæ genti nomen inhæsit : cuius est in gentibus & in Iudæis prærogatiua dignitas potestatis. Ecclesia autem vocatur propriè, propter quod omnes ad se vocet, & in vnum congreget. Catholica autem ideo dicitur, quia per vniuersum mundum est constituta : vel Catholica, quoniam vniuersalis in ea doctrina est ad institutionem hominum de visibilibus atque inuisibilibus rebus, cælestium ac terrestrium : vel propter quod hominum omne genus trahit ad se, ad pietatis subiectionem, tam principum, quàm etiam principatui subiectorum & idiotarum: vel propterea, generaliter, quòd curat omnium peccata, quæ per corpus & animam perficiuntur.

De Templis. Cap. 2.

TAbernaculum Moyses legislator primùm Domino condidit : Salomon deinde Templum, prudentiam petiturus, instituit : nostrorum post hæc temporũ fides in toto mundo Christi atria consecrauit. Exo 40. 3.Reg.6.

De Choris. Cap. 3.

CHoros idem Moyses post transitum rubri maris primùm instituit, vtrorunque sexuum distinctis classibus se ac sorore præeunte, canere Domino, in choris carmen triumphale perdocuit. Chorus ab imagine ductus est coronæ, & ex eo ita vocatus. Vnde & Ecclesiast. liber scribit stantẽ sacerdotẽ ante aram, & in circuitu eius coronam fratrum. Chorus enim propriè multitudo canentium est, quiq; apud Iudæos non minus quàm decem constat canentibus, apud nos autem incerto numero à paucioribus plurimisve sine vllo discrimine constat. Exod.15. Eccli 50.

De Canticis. Cap. 4.

CAnticum idem tunc Moyses primus inuexit, quando percussa Ægypto decem plagis, & Pharaone submerso cùm populis per insueta maris itinera ad desertum gratulabundus egressus est, dicens : Cantemus Domino, gloriosè enim honorificatus est. Deinde Debbora non ignobilis fœmina, in libro Iudicum hoc ministerio functa reperitur : Postea multos non solùm viros, sed etiam fœminas spiritu diuino completas, Dei cecinisse mysteria. Canticum autem vox humana est: Psalmus verò, qui canitur ad psalterium. Exod.15. Iudic.5.

De Psalmis. Cap. 5.

PSallere vsum esse primùm post Moysen Dauid prophetã, in magno mysterio prodit Ecclesia. Hic enim à puertitia in hoc munus à Deo specialiter electus, & cantorum princeps, Psalmorumque thesaurus esse promeruit: cuius Psalteriũ idcirco cum melodia cantilenarum suauium ab Ecclesia frequentatur, quò facilius animi ad compunctionẽ flectantur. Primitiua autem Ecclesia ita psallebat, vt modico flexu vocis faceret psallentem resonare, ita vt pronuncianti vicinior esset, quàm canenti.

Propter carnales autem in Ecclesia, non propter spirituales, consuetudo est instituta canendi : vt qui à verbis non compunguntur, suauitate modulaminis moueantur. Sic nanque & beatissimus Augustinus in libris confessionum suarum consuetudinem approbat canendi in Ecclesia : vt per oblectamentum, inquit, aurium infirmus animus ad effectũ pietatis exurgat. Nam in ipsis (ait) sanctis dictis religiosius & ardẽtius mouentur animi nostri ad flammam pietatis, cùm cantatur, quàm si non cantetur. Omnes enim affectus nostri, pro sonorum diuersitate vel nouitate, nescio, qua occulta familiaritate excitantur magis, cùm suaui & artificiosa voce cantatur. 10 Cõfess. cap.33.

De Hymnis. cap. 6.

HYmnos primùm eundem Dauid prophetam condidisse ac cecinisse manifestum est, deindè & alios Prophetas. Postea quidem & tres pueri in fornace positi, conuocata omni creatura, creatori omnium Hymnum canentes dixerunt. Itaque & Hymnis & Psalmis canendis non solùm Prophetarum, sed etiam ipsius Domini & Apostolorum habemus exemplum, & præcepta de hac re vtilia ad mouendum piè animum, & inflammandum piæ & diuinæ dilectionis affectum. Sũt autem diuini hymni, sunt & ingenio humano compositi. Hilarius autem Gallus Episcopus Pictauiensis, eloquentia conspicuus, Hymnorum carmine floruit primus. Post quem Ambrosius Mediolanensis Episcopus, vir magnę gloriæ in Christo, & in Ecclesia clarissimus doctor, copiosius in huiusmodi carmine claruisse cognosci- Daniel.3.

cognoscitur, atque inde hymni ex eius nomine Ambrosiani vocantur, quia eius tempore primùm in Ecclesia Mediolanensi celebrari cœperunt : cuius celebritatis deuotio dehinc per totius Occidentis Ecclesias obseruatur. Carmina autem quæcunq; in laudem Dei dicuntur, Hymni vocantur.

De Antiphonis. Cap. 7.

ANtiphonas Græci primùm cõposuerunt, duobus choris alternatim concinentibus, quasi duo Seraphim, duo quoquè testamenta inuicem sibi conclamantia. Apud Latinos autem primus idem beatissimus Ambrosius Antiphonas constituit, Græcorum exemplum imitatus : Exhinc in cunctis Occiduis regionibus earum vsus increbruit. Esai.6.

De Responsoriis. Cap. 8.

REsponsoria ab Italis longo antè tempore sunt reperta: & vocata hoc nomine, quòd vno canente, chorus consonando respondeat. Antè autem id solus quisq; agebat, nunc vnus interdùm, interdùm duo vel tres communiter canunt, choro in plurimis respondente.

De Precibus. Cap. 9.

PRecibus Dominum deprecari Christus nobis & composuit, & constituit. Cùm ergò quærerent Apostoli Dominum supplicare, & nescirent quomodo deprecarentur, dixerũt Christo, Domine doce nos orare, id est, compone nobis preces. Statim Dominus de hbro iuris cęlestis docuit quomodò orarẽt, & quomodo à Domino impetrarent. Ex hoc perducta est consuetudo Ecclesię, Dominum precibus exposcere cõtra ęgritudines animę : & vti precibus instar earum, quas constituit Christus, quasque primùm Græci cœperunt componere, quibus Domino supplicaretur. Lucæ. 11.

De Lectionibus. Cap. 10.

LEctiones pronunciare, antiquę institutionis esse, Iudęorum traditio docet. Nam & ipsi legitimis prefinitisque diebus, ex lege & Prophetis lectione in Synagogis vtuntur, & hoc de veteri patrum institutione seruantes. Est autem lectio non parua audientium ędificatio. Vndè oportet, vt quandò psallitur, psallatur ab omnibus : cùm oratur, oretur ab omnibus : cùm lectio legitur, facto silentio, ęquè audiatur à cunctis. Nam & si tunc superueniat quisque, cum lectio celebratur, adoret tantùm Deum, & prefignata fronte aurem solicitè accommodet. Patet tempus orandi cùm omnes oramus : patet, cùm voluerit orare priuatim, obtentu orationis : nè perdideris lectionem, quia non semper eam quilibet paratam potest habere: cùm orandi potestas in promptu sit. Nec putes paruam nasci vtilitatem ex lectionis auditu. Siquidem oratio ipsa fit pinguior, dum mens recenti lectione saginata, per diuinarum rerum, quas nuper audiuit, imagines currit. Nam & Maria soror Marthę, quę sedens ad pedes Iesu, sorore neglecta, verbum intentiùs audiebat, bonam partem sibi elegisse Domini voce firmatur. Ideò & diaconus clara voce silentium admonet, vt siue dum psallitur, siue dum lectio pronũciatur, ab omnibus vnitas conseruetur, vt quod omnibus prędicatur, ęqualiter ab omnibus audiatur. Luc. 10.

De Libris testamentorum. Cap. 11.

PRonunciantur autem lectiones in Christi Ecclesiis de Scripturis sanctis. Constat autem eadem sancta scriptura ex veteri lege & noua. Vetus lex illa est, quæ data est primùm Iudæis per Moysen & Prophetas, quæ dicitur vetus testamentum. Testamentum autem dicitur, quia idoneis testibus vtique à prophetis scriptum est atque signatum. Noua verò lex Euangelium est, quod dicitur nouum testamẽtum, quòd per ipsum filium Dei Christum & per suos Apostolos dedit. Illa lex vetus velut radix est : hæc noua velut fructus ex radice. Ex lege enim venitur ad Euangelium : Siquidem Christus, qui hìc manifestatus est, antè in lege prædictus est, immò ipse locutus in Prophetis, sicut scriptum est, Qui loquebar, ecce adsum : legem quidem præmittens velut infantibus pędagogum : Euangelium verò perfectum vitæ magisterium iam adultis omnibus præstans. Ideò & in illa operantibus bona terræ promittebantur : hìc verò sub gratia ex fide viuentibus regnum cęleste tribuitur : Euangelium autem dicitur bonum nuncium : & reuera bonum nuncium, vt qui susceperint, filij Dei vocentur.

De Scriptoribus sacrorum librorum. Cap. 12.

HI sunt autem libri veteris testamenti, quos ob amorem doctrinæ & pietatis legendos recipiendosq; Ecclesiarum principes tradiderunt. Primi namque legis, id est, Moysis libri, quinque sunt, Genesis, Exodus, Leuiticus, Numeri, Deutoronomium. Hos sequũtur historici libri sedecim: Iesu Naue scilicet & Iudicum libri singuli, siue Ruth. Regum etiam libri quatuor, Paralipomenon duo, Ezdræ duo, Tobiæ quoquè, & Hester, & Iudith singuli, & duo Machabæorũ. Super hos Prophetici libri sedecim sunt. Esaias, Hieremias, Ezechiel & Daniel, libri singuli; xii. quoq;

Universidad de Deusto
Biblioteca

prophetarum libri singuli: & hæc quidem prophetica sunt. Post hæc versuum octo libri habentur, qui diuerso apud Hebræos metro scribuntur, id est, Iob liber, & liber Psalmorũ & Prouerbiorum, Ecclesiastes, & Canticum canticorum. Liber Sapientiæ & Ecclesiasticus, Lamentationesque Hieremiæ. Sicq; complentur libri veteris testamenti xlv. Noui autem testamenti primùm quatuor Euãgelia sunt, Matthæi, Marci, Lucæ, Iohannis: Hos quatuordecim Pauli Apostoli Epistolę sequũtur. Quibus etiam subiunctæ sunt septem catholicæ epistolæ, Iacobi, Petri, Iohannis & Iudæ. Actus quoquè duodecim Apostolorum, quorum omnium signaculum est Apocalypsis Iohannis, quod est, reuelatio Iesu Christi, qui omnes libros & tempore concludit & ordine. Hi sunt libri Canonici septuagintaduo. Et ob hoc Moyses septuagintaduos elegit presbyteros, qui prophetarent: ob hoc & Iesus Dominus noster lxxij. discipulos mandauit prædicare: & quoniam lxxij. linguæ in hoc mundo erant diffusæ, congruè prouidit Spiritus sanctus, vt tot libri essent, quot & nationes, quibus populi & gentes ad percipiendam fidei gratiam ædificarentur. Veteris autem testamenti scriptores secundũ traditionẽ Hebræorum habentur: Primus Moyses scripsit Pentateuchum, Iesus Naue edidit librum suum. Iudicum autẽ & Ruth & Samuelis primam partem scripsit Samuel: sequentia Samuelis vsque ad calcem scripsit Dauid. Malachim totum edidit Hieremias: nam anteà sparsus erat per singulorum regum historias. Iob librum Hebræi scripsisse Moysen putant, alij vnum ex Prophetis. Psalterium verò scripserunt decem prophetæ, id est, Moyses, Dauid, Salomon, Asaph, Eman, Ethan, Idithun, & filij Chore: id est, Asir, Elana, Eliasaph, Abiathar. Sunt & qui Ezdram & Aggæum & Zachariam scripsisse dicunt. Salomon scripsit Prouerbia & Ecclesiastẽ & Cantica canticorũ. Esaias scripsit librũ suum, Hieremias scripsit librũ suum, cum lamentationibus suis. Viri Synagogæ sapientes scripserunt Hezechielẽ, Duodecim prophetas, Danielem, Paralipomenon & Hester. Ezdras scripsit librum suum. Omnes autem hos libros idem Ezdras propheta, post incensam legem à Chaldæis, dum Iudæi regressi fuissent in Hierusalẽ afflatus Spiritu sancto reparauit, cũctaq; propheratũ volumina, quæ fuerant à gentibus corrupta, correxit: totumque vetus Testamentum in vigintiduos libros cõstituit, vt tot libri essent in lege, quot & literæ habentur. Primam post Ezdram editionem de Hebræo in Græcum lxx. interpretes ediderunt, sub Ptolemæo Aegyptiorum rege, successore Alexandri, qui in legendo studiosus fuit, omniumq; gentium libros cõgregauit. Iste enim ab Eleazaro, qui erat princeps sacerdotum, multa dona mittens ad templũ, petijt, vt senes de duodecim tribubus Israel transmitterentur, qui interpretarentur omnes libros. Et vt fidem interpretationis aduerteret, singulis eorum qui fuerant destinati, singulas cellulas dedit, & assignans omnibus oẽs scripturas, iussit interpretari. Cumque lxx. istius rei negocium adimplessent, omniũ simul interpretationes, quas per diuersa segregati, nullo ad nullum propinquante fecerunt, congregauit in vnum. Atque ita omnes libri interpretati per Spiritum sanctum inuenti sunt, vt non solùm intellectu, verùm etiã in sermonibus consonantes inuenirentur. Hæc fuit prima interpretatio vera ac diuina. hos libros meditari omnium gentium Ecclesiæ primùm cœperunt, eosque de Græco in Latinũ interpretantes primi Ecclesiarum prouisores tradiderunt. Post hęc secundam editionem Aquila, tertiam & quartam Theodotion & Symmachus ediderunt, ambo Iudæi proselyti. Quintam verò & sextam editionem Origenes reperit, & cum cæteris supradictis editionibus comparauit. Hi sunt itaque tantùm, qui scripturas sacras de Hebræo in Græcum verterunt, quique etiam numerãtur. Nam Latinorum interpretũ, qui de Græco in nostro eloquio transtulerunt, vt meminit sanctus Augustinus, infinitus numerus est. Si cui enim, inquit, primis fidei temporibus ad manus venit codex Græcus, atq; aliquãtulùm sibi vtriusq; linguæ peritiam sensit, ausus est statim interpretari, atq; inde accidit, tam innumerabiles apud Latinos extitisse interpretes. De Hebræo autem in Latinum eloquium tantummodò Hieronymus presbyter sacras scripturas cõuertit, cuius editione generaliter oẽs Ecclesię vsq; quaquè vtuntur pro eo quòd veracior sit in sentẽtiis, & clarior in verbis, Librum Sapientię Salomon scripsisse probatur testimoniis illis quibus ibi legitur, Tu me (inquit) elegisti regem in populo tuo, & dixisti ædificare Templum nomini sancto tuo, & in ciuitate habitationis tuę. Hoc opus Hebræi, vt quidam sapientiũ meminit, inter canonicas scripturas recipiebant. Sed postquàm comprehendentes Christum interfecerunt, memorantes in eodem libro tam euidentissima de Christo testimonia, quibus dicitur, Dixerunt inter se impij, cõprehendamus iustum, quoniam inutilis est nobis, & contrarius est operibus nostris, & promittit scientiam Dei se habere, & filium Dei se nominat. Et infrà: Si verus est filius Dei, suscipiet illum, & liberabit de manu contrariorum. Ac deindè, Vt sciamus reuerentiam eius, & probemus patientiam ipsius, morte turpissima condemnemus eum: Collatione facta, ne nostri eis pro tam aperto sacrilegio derogarent, à Propheticis voluminibus reciderunt, legendũque suis prohibuerunt. Librũ autẽ Ecclesiasticũ composuit Iesus filius Sirach Hierosolymita, nepos Iesu sacerdotis, de quo meminit Zacharias: qui liber apud Latinos

Vide Iustinum ad gẽtes Ire. li. 3. ca. 25 Aug. de ciuit. Dei li 1. 8. ca. 42 Et de doct. Chri. lib. 2. cap. 15.

2. de doct. Chri. c. 11.

Sap. 10.

Sap. 2.

propter

propter eloquij similitudinem, Salomonis titulo prænotatur. Præterea Iudith & Tobiam siue Machabæorum libros, qui auctores scripserint, minimè constat. In Nouo autem testamento quatuor libros Euangeliorum, quatuor Euangelistæ singulos scripserunt, quorum solus Matthæus Hebræo scripsisse perhibetur eloquio, cęteri Græco. Paulus Apostolus suas scripsit epistolas, ex quibus nouem Ecclesiis scripsit, reliquas discipulis suis misit, Timotheo, Tito, & Philemoni. Ad Hebræos autem epistola plerisque Latinis eius esse, incerta est, propter dissonantiam sermonis. eandemque alij Barnabam conscripsisse, alij à Clemente scriptam fuisse suspicantur. Petrus scripsit duas nominis sui epistolas, quę Catholicæ nominantur: quarum secunda à quibusdam eius esse non creditur, propter stili, sermonisque distantiam. Iacobus suam scripsit epistolam, quæ & ipsa à nonnullis eius esse negatur: sed sub nomine eius ab alio dictata existimatur. Ioannes epistolas tres edidit: quarum tantum prima à quibusdam eius esse asseritur: reliquæ duæ Ioannis cuiusdam presbyteri existimantur: cuius iuxta Hieronymi sententiam, alterum sepulcrum apud Ephesum demonstratur. Iudas suam edidit epistolam. Actus Apostolorum Lucas compo suit, sicut audiuit vel vidit. Apocalypsin Ioannes Euangelista scripsit, eodem tempore quo ob Euangelij prædicationem, in insulam Patmos traditur relegatus. Hi sunt scriptores sacrorum librorum, diuina inspiratione loquentes, atque ad eruditionem nostram præcepta cælestia dispensantes. Auctor autem earumdem scripturarum Spiritus sanctus esse creditur. Ipse enim est, qui per prophetas suos scribenda dictauit. Iam tibi post Psalmorum originem atque hymnorum, post sanctorũ etiam librorum numerum postulata sequentia prænotabo.

De laudibus. Cap. 13.

LAudes, hoc est, Alleluia canere, antiquũ est Hebræorum, cuius expositio duorum verborum interpretatione vel compositione consistit, hoc est, laus Dei. De cuius mysterio Ioannes in Apocalypsi refert spiritu reuelante, vidisse se aut audisse vocẽ cęlestis exercitus angelorum tanquàm vocem aquarum multarum, & tanquàm vocem validorum tonitruorum dicentium, Alleluia. Ex quo nullus debet ambigere, cùm hoc laudis mysterium digna fide & deuotione celebretur, angelis esse coniunctum. Alleluia autem, sicut & Amen, de Hebræa in aliam linguam nequaquàm transferuntur: non quia interpretari minimè queant, sed, sicut aiunt doctores, seruatur in eis antiquitas propter sanctiorem auctoritatem. In Africanis autem regionibus non omni tempore, sed tantũ Dominicis diebus, & quinquaginta post Domini resurrectionem Alleluia cantatur, pro significatione futuræ resurrectionis & lętitiæ: Verũ apud nos secundum antiquam Hispaniarum traditionem, præter dies ieiuniorum vel quadragesimę, omni tempore canitur Alleluia. Scriptum est enim, Semper laus eius in ore meo. Quòd verò post consummatam psalmorum, siue lectionum prædicationem Alleluia in fine cantatur, hoc in spem futuri facit Ecclesia, significans post annunciationem regni cęlorum, quę in hac vita per vtrumque testamentum mundo prædicatur, actionem nostram non esse futuram, nisi in laude Dei. Sic enim scriptum est, Beati qui habitant in domo tua Domine, in secula seculorum laudabunt te. Hinc est, quòd & liber Psalmorum in laude concluditur, vt eadem post finem seculi laus æterna monstretur.

Psal. 33.

Psal. 83.

De offertoriis. Cap. 14.

OFfertoria, quæ in sacrificiorum honore canuntur, Ecclesiasticus liber indicium est, veteres cantare solitos, quando victimæ immolabantur. Sic enim, Porrexit, inquit sacerdos manum suam in libationem, & libauit de sanguine vuæ, & fudit in fundamento altaris odorem diuinum excelso principi. Tunc exclamauerunt filij Aaron, in tubis ductilibus, & sonuerunt, & auditam fecerunt vocem magnam in memoriam coram Domino, non aliter & nunc in sono tubæ, id est, vocis, prędicatione cantus accendimur, simulque corde & opere laudes Domini declamantes, iubilamus in altum, in illo scilicet vero sacrificio, cuius sanguine saluatus est mũdus.

Eccli 50.

De Missa & orationibus. Cap. 15.

ORdo autem Missæ vel orationum, quibus oblata Deo sacrificia consecrãtur, primùm à sancto Petro est institutus, cuius celebrationem vno eodemque modo vniuersus peragit orbis. Prima earumdem, oratio admonitionis est erga populum, vt excitentur ad exorandum Deum. Secunda inuocationis ad Deũ est, vt clementer suscipiat preces fidelium, oblationemque eorum. Tertia autẽ effunditur pro offerentibus siue pro defunctis fidelibus, vt per idem sacrificium veniam consequantur. Quarta post hęc infertur pro osculo pacis, vt charitate omnes reconciliati inuicem digni Sacramento corporis & sanguinis Christi consocientur: quia non recipit dissensionem cuiusquam Christi indiuisibile corpus. Quinta infertur illatio in sanctificatione oblationis, in qua etiam ad Dei laudẽ terrestrium creatura, virtutumq; cælestiũ vniuersitas prouocatur, & Osanna in excelsis cãtatur, q. Saluatore de genere Dauid nascente, salus

Universidad de Deusto
Biblioteca

mundo vsque ad excelsa peruenerit. Porrò sexta exhinc succedit confirmatio Sacramenti, vt oblatio quæ Deo offertur, sanctificara per Spiritum sanctum, corporis & sanguinis confirmetur. Harum vltima est oratio, quam Dominus noster orare discipulos suos instituit, dicens: Pater noster qui es in cælis. In qua oratione, vt patres scripserunt, septem petitiones continentur: sed in tribus primis æterna poscuntur, in sequentibus quatuor temporalia, quæ tamen propter æterna adipiscenda petuntur. Nam cum dicimus, Sanctificetur nomen tuum, adueniat regnũ tuum, fiat voluntas tua, sicut in cælo & in terra: Hic quidem ista tria inchoantur: sed in illa vita sperantur, vbi Dei sanctificatio & voluntas & regnum in sanctis suis immortaliter permanebit. Iam verò panis quotidianus, qui vel animæ vel carni tribuitur, hic exposcitur: hic etiam post subsidium cibi, venia ad exemplum fraternæ indulgentiæ postulatur: hic nè in peccati tentationem incidamus, exposcimus: hic post omnia vt à malis liberemur, Dei auxilium imploramus: illic autem istorum nihil est. Hanc itaque orationem Saluator noster docuit, in qua & spes continetur fidelium & confessio peccatorũ, de qua Propheta prædicens ait: Et erit, omnis quicunque inuocauerit nomẽ Domini, saluus erit. Hæ sunt itaque septem sacrificij orationes, commendatæ Apostolica Euangelicaque doctrina, cuius numeri ratio instituta videtur, vel propter septenariam sanctæ Ecclesiæ vniuersitatem, vel propter septiformem gratiæ spiritum, cuius dono ea quæ offeruntur, sanctificantur.

Ioel. 2.

De Symbolo Niceno. Cap. 16

SYmbolum autem, quod tempore sacrificij populo prædicatur, trecentorum decem & octo sanctorum patrum collatione apud Synodum Nicenam est editum. Cuius veræ fidei regula tantis doctrinæ mysteriis præcellit, vt de omni parte fidei loquatur, nullaque penè sit hæresis, cui per singula verba vel sententias non respondeat. Omnes enim errorum impietates, perfidiæque blasphemias calcat, & ob hoc vniuersis ecclesiis pari confessione à populo proclamatur.

De benedictionibus in populo. Cap. 17.

BEnedictionem dari à sacerdotibus populo, antiqua per Moysen benedictio pandit & comprobat, qua benedicere populos sub sacramento trinæ inuocationis iubetur. Ait enim ad Moysen Dominus: Sic benedices populum meum, & ego benedicam illos: Benedicat te Dominus & custodiat te, ostendatque faciem suam tibi, & misereatur tui. Conuertat Dominus vultum suum ad te, & det tibi pacem, Amen.

Num 6.

De sacrificio. Cap. 18.

SAcrificium autem quod à Christianis Deo offertur, primùm Christus Dñs noster & Magister instituit, quando commẽdauit Apostolis corpus & sanguinem suum, priusquam traderetur, sicut legitur in Euangelio: Accepit (inquit) Iesus panem & calicem, & benedicens dedit eis. Quod quidem sacramentum Melchisedech rex Salem figuraliter in typum corporis & sanguinis Christi primus obtulit, primusque mysterium tanti sacrificij imaginariè idem expressit, præferẽs similitudinem Domini & Saluatoris nostri Iesu Christi sacerdotis æterni, ad quem dicitur: Tu es in æternum sacerdos secundum ordinem Melchisedech. Hoc ergò sacrificium Christianis celebrare præceptum est, relictis ac finitis Iudaicis victimis, quę in seruitute veteris populi celebrari imperatæ sunt. Hoc itaque fit à nobis, quod pro nobis ipse Dominus fecit, quod non manè, sed post cœnam in vesperum obtulit. Sic enim Christum oportebat id implere circa vesperam diei, vt Dominus hora ipsa sacrificij ostenderet vesperam mundi.

Matth. 26.

Psal. 109.

Proindè autem non communicauerunt ieiuni Apostoli, quia necesse erat, vt Pascha illud Typicum anteà impleretur, & denuò ad verum Paschę sacramentum transirent. Hoc enim in mysterio tunc factum est, quod primùm discipuli corpus & sanguinem Domini non acceperunt ieiuni: Ab vniuersa autem Ecclesia nunc à ieiunis semper accipitur. Sic enim placuit Spiritui sancto per Apostolos, vt in honorem tanti Sacramenti in os Christiani priùs Dominicum corpus intraret, quàm cæteri cibi, & ideò per vniuersum orbem mos iste seruatur. Panis enim quem frangimus, corpus Christi est, qui dicit, Ego sum panis viuus, &c. Vinum autem sanguis eius est. & hoc est quod scriptum est: Ego sum vitis vera. Sed panis, quia confirmat corpus, ideò corpus Christi nuncupatur: vinum autem quia sanguinem operatur in carne, ideò ad sanguinem Christi refertur. Hęc autem duo sunt visibilia: sanctificata tamen per Spiritum sanctum, in sacramentum diuini corporis transeunt. Proinde autem vt sanctissimus Cyprianus ait: calix Dominicus vino aqua mixtus offertur, quia videmus in aqua populum intelligi, in vino ostendi sanguinem Christi. Quando autem in calice vino aqua miscetur, Christo populus adunatur, & credentium plebs ei in quem credidit, copulatur & iungitur. Quæ copulatio & coniunctio aquæ & vini, sic miscetur in calice Domini, vt commixtio illa ab inuicem nõ possit separari, sicuti nec Ecclesia potest à Christo. Sic autẽ in sacrificãdo calice

1. Cor. 10. Ioan. 6.

Ioan. 6.

Ibidem 15.

Cypria. li. 2. epist. 3.

lice Domini offerri sola aqua nõ potest, quomodo nec vinum solum potest. Nam si vinum tantum quis offerat, sanguis Christi incipit esse sine populo: si autem aqua sit sola, plebs incipit esse sine Christo. Quando autem miscetur vtrunque, & adunatione confusa sibi inuicem copulantur, tunc spirituale sacramentum & cælestę perficitur. Sic verò calix Domini nostri Iesu Christi non potest esse aqua sola, aut vinum solum, nisi vtrunq; sibi miscetur, quomodò nec corpus Domini potest esse simila sola, aut aqua sola, nisi vtrunque adunatum fuerit & copulatũ, & panis vnius compage solidatum. Quo & ipso sacramento populus noster ostenditur adunatus, vt quemadmodum grana multa in vnum collecta, & commolita, & comnixta vnũ panem faciunt, sic in Christo, qui est panis cælestis, vnum sciamus esse corpus, cui coniunctus sit noster numerus & adunatus. Dicunt aliqui, nisi aliquo intercedente peccato, Eucharistiam quotidie accipiendam: hunc enim panem dari iubente Domino, quotidiè nobis postulamus, dicentes: Panem nostrum quotidianum da nobis hodie: quod quidem benè dicunt, si hoc cum religione & deuotione & humilitate suscipiunt, nè fidendo de iustitia, superba præsumptione id faciant. Cæterùm si talia sunt peccata, quæ quasi mortuum remoueant ab altario, prius agenda pœnitentia est, ac sic deinde hoc salutiferum medicamentum suscipiendum. Qui enim manducauerit indignè, iudicium sibi manducat & bibit. Hoc est enim indignè accipere, si eo tempore quis accipiat, quo debet agere pœnitentiam. Cęterum si tanta non sunt peccata, vt excõmunicandus quisque iudicetur, non se debet à medicina Dominici corporis separare, nè, dum fortè diu abstentus prohibetur, à Christi corpore separetur. Manifestum est viuere eos, qui corpus eius attingunt: Vnde timendum est, nè, dum diu quisque separatur à Christi corpore, alienus permaneat à salute, ipso dicente: Nisi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis. Qui enim peccare iam quieuit, communicare non desinat. Coniugatis autem abstinendum est à coitu, plurimisque diebus orationi vacare, & sic deinde ad Christi corpus accedere. Relegamus libros regnorum, & inueniemus sacerdotem Abimelech de panibus propositionis noluisse prius dare Dauid & pueris eius, nisi ante eos interrogaret, vtrum mundi essent pueri à mulieribus, non vtique ab alienis, sed à propriis coniugibus: & nisi eos audisset ab heri & nudiustertius vacasse ab opere coniugali, nunquàm panes, quos prius negauerat, concessisset. Quantum interest inter propositionis panes & corpus Christi? quæ differentia inter corpus & vmbram? inter imaginem & veritatem? inter exemplaria futurorum, & ea ipsa quæ per exemplaria figurabantur? Quapropter eligendi sunt aliqui dies, quibus prius homo continentius viuat, quò ad tantum Sacramentum dignus accedere possit.

1. Cor. 11.

Sacrificium pro defunctorum fidelium requie offerre, vel pro eis orare, quia per totum hoc orbem custoditur, credimus quòd ab ipsis Apostolis traditum sit. Hoc enim vbique Catholica tenet Ecclesia, quæ nisi crederet fidelibus defunctis dimitti peccata, nõ pro eorum spiritibus vel eleemosynam faceret, vel Deo sacrificium offerret. Nam & cum Dominus dicit, Qui peccauerit in Spiritũ sanctum, non remittetur ei neque in hoc sęculo, neque in futuro: demonstrat quibusdam illic dimittenda peccata, & quodã purgatorio igne purganda. Ergo in quodam loco à sancto Augustino dictum est, defunctorum animas sine dubio pietate suorum viuentium releuari, cum pro illis sacrificium offertur, vel eleemosynæ fiunt: si tamen aliquod sibi quisque meritum præparauit, dum adhuc in corpore viueret, pro quo ista prosint, quæcunque pro illo fiũt. Nam non omnibus prosunt. Et quare non omnibus prosunt? nisi propter differentiam vitę, quã quisq; gessit in corpore? Nã pro valdè bonis, gratiarum actiones sunt: pro non valdè malis, propitiationes sunt: pro valde malis, etsi nulla sunt adiumenta mortuorum, qualescunque consolationes viuorum sunt. Quibus autem prosunt, aut ad hoc prosunt, vt sit plena remissio peccatorum: aut certè, vt tolerabilior fiat ipsa damnatio.

Matth. 12.

Enchir. c. 110. de Ciuit. Dei li. 21. cap. 24. Et de cura pro mortuis.

De tertiæ, sextæ & nonæ horæ officiis. Cap. 19.

HOram tertiam, sextam & nonam Daniel & tres pueri supplicationibus deuouerunt, scilicet vt ab ortu diei in tempus precationis tres horæ porrectæ, Trinitatis nobis reuerentiam declararent, pariterque à tertia ad sextam, atque inde ad nonam per paria lucis interualla, ratis dimensionibus terminata, Trinitas ter die rogata coleretur. Illud etiam occurrit ad probationem venerabilis Trinitatis, quòd Spiritus sanctus hora tertia, hoc est, suo loco & numero & tempore, descendit ad terras, impleturus gratiam, quàm Christus promisit. Nam & sexta hora Christus passus, in nonam patibuli cruciamenta porrexit. Tali enim sacramento, legitimis ad precem temporibus, per ternas horas, Trinitatis perfectio aut laudatur celebritatibus, aut precibus impetratur. Licèt & computetur diurna celebritas per quaternarium vsque in vespertinum officium, hoc est, quater ternis significatur, quia mundus quadrifariè diuisus, in Trinitate saluatur. Si quidem & in nocte stationes, & vigiliæ militares in quatuor partes diuisę

Daniel 6.

Act. 2.

Universidad de Deusto
Biblioteca

diuisæ, ternis horarum spatiis secernuntur, A vt & in ipsis nocturnis, mundialibusque officiis Trinitatis mysterium veneretur.

De vespertinis. Cap. 20.

Exo. 29. VEspertinum diurni finis officium, diurnæ & alternæ lucis occasus est, cuius ex veteri testamento solennis est celebratio. Deniq; hoc tempore veterum sacrificia offerri, adoleriq; altario aromata & thura mos erat. Testis est hymnidicus ille regio ac sacerdotali functus officio, dicens: Dirigatur oratio Psal. 140. B mea sicut incensum in conspectu tuo Domine, eleuatio manuum mearum sacrificium vespertinum. In nouo quoque testamento, eo tempore Dominus & Saluator noster cœnantibus Apostolis mysterium sui corporis & sanguinis initiò tradidit, vt tempus ipsum sacrificij vesperum ostenderet seculi. Proinde in honorem ac memoriam tantorum sacramentorum, his temporibus nos adesse decet Dei cõspectibus, & personare in eius cultibus, orationum nostrarum illi sacrificium offerentes, C atque in eius laudibus pariter exultantes. Vesperum autẽ nominatur à sidere, quod vesper vocatur, & decidente sole exoritur. De quo Iob. 38. propheta ait, Et vesperum super filios hominum producere facit.

De completis. Cap. 21.

DE completis autẽ celebrandis, id etiam in patrum inuenimus exemplis, Dauid Psal. 131. propheta dicente: Si ascendero in lectum strati mei, si dedero somnum oculis meis, & pal- D pebris meis dormitationem: aut requiẽ temporibus meis donec inueniam locũ Domino, tabernaculum Deo Iacob. Quis non stupeat tantam in Dei amore animi deuotionem, vt somnum sibi, sine quo vtique corpora humana deficiunt, penitus interdixerit, donec locum ac templum Domino fabricandum, in pectore suo rex & Propheta reperiret? Quæ res nos debet fortiter admonere, vt si ipsi locus Domini volumus esse, & tabernaculum eius ac templum cupimus haberi, inquantum pos- E sumus, exempla sanctorum imitemur, nè de Psal. 75. nobis dicatur quod legitur: Dormierunt somnum suum, & nihil inuenerunt omnes viri diuitiarum in manibus suis.

De vigiliis. Cap. 22.

ANtiqua est vigiliarum deuotio, familiare bonum omnibus sanctis. Esaias Prophe Esai. 26. pheta denique exclamat ad Dominum, dicés: De nocte vigilat spiritus meus ad te Deus, quia lux præcepta tua sunt super terram. Item Dauid & regio & prophetico sanctificatus vn Psal. 118. guento, ita canit: Media nocte surgebam ad confitendum tibi super iudicia iustitiæ tuæ. A Hoc namque tempore vastator angelus tran- Exo. 12. siens, primogenita Ægyptiorum percussit. Vnde & nos vigilare oportet, nè periculo Ægyptiorum admisceamur. Iisdem etiam horis te venturum esse, in Euangelio Saluator adstruit. Vnde & ad vigilandũ auditores suos exuscitans, dicit: Beati serui illi, quos, cùm Lucæ. 12. venerit, Dominus inuenerit vigilantes. Et si Matt. 24. vespertina hora (inquit) venerit, & si media nocte, & si galli cantu, & inuenerit eos vigilantes, beati sunt. Itaque & vos estote parati, quia nescitis qua hora filius hominis venturus est.

Si quidem nec verbis solũ docuit vigilias, sed etiam confirmauit exemplo: namque testatur Euangelium, quia erat Iesus pernoctãs Luc. 6. in oratione Dei. Paulus quoque & Silas in cu- Act. 16. stodia publica circa medium noctis orantes, hymnum (audientibus cunctis) vincti dixisse memorantur, vbi terræmotu repente facto, & concussis carceris fundamentis, & ianuæ sponte apertæ, & omnium vincula sunt soluta. Vnde oportet his horis psallendi orandique frequẽtiam nos in sanctis habere officiis, finemque nostrum; vel si aduenerit, sub tali actu expectare securius. Est autem quoddam genus hæreticorum, superfluas existimantium sacras vigilias, & spiritali operi infructuosas, dicentes: Iura temerari diuina, qui noctem fecit ad requiem, sicut diem ad laborem. Qui hæretici Græco sermone *nyctages, hoc *nyctazon tes. est, somniculosi vocantur.

De matutinis. Cap. 23.

DE matutinorum antiquitate & auctoritate testis est idem Dauid Propheta, di- Psal. 62. cens: In matutinis meditabor in te, quia fuisti adiutor meus. & alibi: Præuenerunt oculi mei ad te diluculo, vt meditarer eloquia tua. Psal. 118. Cassianus autem dicit, Matutinę solennitatis officium nouo adhuc tempore institutum, primitus in Bethlehem monasterio, vbi Domi- Luc. 2. nus noster Iesus Christus pro redẽptione humanæ salutis ex virgine nasci dignatus est, sicque ex illo per vniuersum mundum eiusdem celebrationis inualuit consuetudo. Diluculo autem proinde oratur, vt resurrectio Christi celebretur. Matutina enim luce radiante, Dominus & Saluator ab inferis resurrexit, quando cœpit oriri fidelibus lux, quę moriẽte Christo occiderat peccatoribus: Siquidem & eodem tempore cunctis spes futuræ resurrectionis creditur, cùm iusti & omnes ab hac temporali morte, quasi à sopore somni resurgentes euigilabunt.

De Dominica die. Cap. 24.

DOminicum diem Apostoli ideo religiosa solennitate sanxerunt, quia in eo Redem

ptor

ptor nostet à mortuis resurrexit. Quiq; ideò A Dominicus appellatur, vt in eo à terrenis operibus, vel à mundi illecebris abstinentes, tantùm diuinis cultibus seruiamus, dantes scilicet diei huic honorem & reuerẽtiam, propter spem resurrectionis nostræ, quam habuimus in illa. Nam sicut ipse Dominus Iesus Christus & Saluator noster tertia die resurrexit à mortuis, ita & nos resurrecturos in nouissimo sæculo speramus. Vndè etiam in Dominico die stantes oramus, quod est signum futurę resurrectionis. Hoc agit vniuersa Ecclesia, quæ in peregrinatione mortalitatis inuenta est, B expectans in fine seculi quod in Domini nostri Iesu Christi corpore præmonstratum est, qui est primogenitus à mortuis. Sabbatum autem priori populo in ocio corporaliter celebratum legimus, vt figura esset in requiem. Vndè & sabbatũ requies interpretatur. Dies tamen Dominicus non Iudæis, sed Christianis per resurrectionẽ Domini declaratus est, & ex illa cœpit habere festiuitatem suam. Ipse est enim dies primus, qui post septimum re- Eccles. 11. peritur octauus: vnde & in Ecclesiaste ad duorum testamentorum significationem dicitur: Illi septem, & illi octo. Primò enim solum celebrandum sabbatum traditum est, quod erat antea requies mortuorũ. Resurrectio autem Rom. 6. nullius erat vsque ad Christum Dominum, qui resurgens à mortuis, iam non moritur, mors illi vltra non dominabitur. Iam postquàm facta est talis resurrectio in corpore Domini, vt præiret in capite Ecclesiæ, quod corpus Ecclesiæ speraret in finem, dies Dominicus, id est, octauus, qui & primus in festiuitate succesit. Apparet autem, hunc diem etiam in sanctis scripturis esse solemnem: ipse D est enim primus dies seculi, in ipso formata sunt elementa mundi, in ipso creati sunt angeli, in ipso quoque à mortuis resurrexit Christus, in ipso de cęlis super Apostolos Spiritus sanctus descẽdit, manna eodem die in eremo primùm de cęlo datum est. Sic enim dicit Do- Exod. 16. minus: Sex diebus colligetis manna, in die autem sexto duplum colligetis. Sexta enim dies est parasceue, quæ ante sabbatũ ponitur. Sabbatum autem septimus dies est, quẽ sequitur Dominicus, in quo manna primùm de cęlo venit. Vndè intelligant Iudæi, iam tunc prælatam esse Iudaico sabbato Dominicã nostram. Iam tunc indicatũ, quòd in sabbato ipsorum gratia de cælo ad eos nulla descenderit, sed in sancta Dominica, in qua primùm Dominus eam pluit.

De Natali Domini. Cap. 25.

NAtalis Domini dies ea de causa à patribus votiuæ solẽnitatis institutus est, quia in eo Christus pro redemptione mundi nasci corporaliter voluit, prodiens ex virginis vte

ro qui erat in patris imperio. Cuius susceptæ A incarnationis causa hæc fuit. Postquàm enim inuidia diaboli parẽs ille primus spe seductus inani cecidit, confestim exul & perditus, in omni genere suo radicem malitiæ suæ & peccati transduxit, crescebatque in malum vehementius omne genus mortalium, diffusis vbique sceleribus, & quod est nequius omnium, cultibus idolorum. Volens ergò Deus terminare peccatum, consuluit verbo, legè & prophetis, signis, plagis, prodigiis. Sed dum nec sic quidẽ errores suos admonitus agnosceret B mundus, misit Deus filium suum, vt carne indueretur, & hominibus appareret, & peccatores sanaret. Qui ideò in homine venit, quia per seipsũ ab hominibus cognosci non potuit. Vt autẽ videretur, Verbum caro factum est, assumendo carnem, non mutatum in carnem. Assumpsit enim humanitatem, non amisit diuinitatem. Ita idem Deus, & idem homo, in natura Dei æqualis Patri, in natura hominis factus est mortalis in nobis, pro nobis, de nobis, manens quod erat, suscipiens quod non erat, vt liberaret quod fecerat. Hæc est ergò C Dominicę natiuitatis magna solennitas, hæc est diei huius noua & gloriosa festiuitas, aduentus Dei factus ad homines. Itaq; dies iste pro eo quòd in eo natus est Christus, natalis dicitur: quemq; ideò obseruare per reuolutũ circulũ anni festa solennitate debemus, vt in memoriã reuocetur quòd natus est Christus.

De Epiphania. Cap. 26.

EPiphaniorum diẽ proinde festa solennitate viri Apostolici signauerunt, quia in eo per stellam est Saluator ostensus, quando inuenerunt magi Christũ in Præsepio iacentem, & adorauerunt eũ offerentes ei competentia munera Trinitatis, aurum, thus, myrrham, regi, Deo, atque passuro. Ideò ergò diẽ hunc annua celebritate sacrauerunt, vt mundus agnoscat Deum, quem elementa cęlitus prodiderunt.

Siquidem eodem die idem Ieus etiam Ior- Matt. 3. danis lauacro tingitur, diuisoque cælo Spiritus sancti descendentis testimonio Dei filius esse declaratur, cuius diei nomen ex eo, quòd apparuit gentibus, Epiphania nuncupatur. Epiphania enim Græcè, apparitio vel ostensio dicitur. Tribus ergò ex causis hæc dies hoc vocabulũ sumpsit, siue quia tunc in baptismo suo Christus populis ostensus fuerit: siue q eo die sideris ortu Magis est proditus: siue quòd primo signo per aquam in vinum versam, multis est manifestatus. Refert autem Cassianus apud Ægyptios natiuitatis diem & Epiphaniorum solennitatem non bifarie, vt Colla. 10. in occiduis prouinciis, sed vnius diei festiuitate celebrari. Epistolæ quoq; Põtificis Alexandrini, ad vniuersas Ecclesias Ægypti vel monasteria

Universidad de Deusto
Biblioteca

nasteria diriguntur, quibus & initium Quadragesimæ & dies Paschæ denunciantur. A

De die palmarum. Cap. 27.

Zachar. 9. Matth. 21. DIes palmarum ideò celebratur, quia in eo Dominus & Saluator noster sicut prophe ta cecinit, Hierusalem tendens, asello sedisse perhibetur. Tunc gradiens cum ramis palmarum multitudo plebium obuiam ei clamauerunt, Osanna, benedictus qui venit in nomine Domini, rex Israel. In ramis enim palmarum Ioan. 12. significabatur victoria, qua erat Dominus mortem moriendo superaturus, & trophæo Crucis de diabolo mortis principe triumphaturus. In asello autem, super quem sedendo, Hierosolymam venit, indicabat simplicia corda gentilitatis, quæ præsidendo atque regendo perducebat ad visionem pacis. Hoc autem die symbolum Competentibus traditur, propter confinem Dominicæ paschæ solennitatē, vt quia iam ad Dei gratiam percipiendam festinant, fidem quam confiteantur, agnoscant. Vulgus autem ideò eũdem diē Capitilauium C vocat, quia tunc moris est lauandi capita infantum, qui vngendi sunt, nè fortè obseruatione Quadragesimæ sordidata, ad vnctionem accederent.

De cœna Domini. Cap. 28.

Matth. 26. Ioan. 13. COena Domini hæc, est quinta feria vltimæ hebdomadis Quadragesimæ, quando Dominus & Saluator noster post typicum illud pascha completum, ad verum pascha trãsiens, mysterium corporis & sanguinis sui pri D mùm Apostolis tradidit: quandò post sacramenta cælestia discipulus fallax & proditor precium à Iudæis accepit, & Christi sanguinem vendidit.

Eo etiàm die Saluator surgens à cœna, pedes discipulorum lauit, propter humilitatis formam commendandam, ad quam docendam venerat: sicut & ipse consequenter exposuit: quod etiam decebat potentissimum, vt facto doceret, quod obseruare discipulos prẽmoneret. Hinc est quòd eodem die altaria tẽpliq; parietes & pauimenta lauãtur vasaq; purificantur, quæ sunt Domino consecrata. Qua die proindè etiàm sanctum chrisma cõficitur: quia ante biduum paschæ Maria caput ac pedes Domini vnguento perfudisse perhibetur. Vnde & Dominus discipulis suis dixit: Scitis Matt. 26. quia post biduum Pascha fiet, & filius hominis tradetur vt crucifigatur.

De Parasceue. Cap. 29.

PArasceue, id est, sexta sabbati, ideò in solennitate habetur, quia in eo die Christus mysterium crucis expleuit, propter quod venerat in hunc mundum, vt quia ligno percussi fueramus in Adam, rursus per ligni mysteria sanaremur. Huius enim causa triumphi, humana pusillitas Christo per omnem mundum celebritatem annuã præbet, pro eo quòd dignatus est sanguine passionis suæ seculum redimere, & peccatum mundi per crucem morte denicta absoluere. Cuius quidem crucis iniuriã non pertulit illa diuinitatis substantia, sed sola susceptæ humanitatis natura passionem corporis: diuinitas verò exors iniuriæ mansit. Tripartita autem ratio Dominicæ passionis B ostenditur. Prima itaque causa est, vt Christus pro reatu mundi redemptio daretur, & hostis antiquus velut hamo crucis caperetur, scilicet vt quos absorbuerat, euomeret: & prædam, quam tenebat, amitteret, non potentia victus, sed iustitia: non dominatione, sed ratione. Secunda causa est, vt secuturis hominibus vitæ magisterium præberetur. Ascendit enim crucem Christus, vt nobis & passionis & resurrectionis præberet exemplum: passionis, ad firmandam patientiam: resurrectionis, ad excitandam spem: vt duas vitas nobis ostenderet in carne, vnam laboriosam, alteram beatam: laboriosam, quam tolerare debemus: beatam, quam spẽrare debemus. Tertia causa est su- 1. Cor. 1. sceptę crucis, vt superbia seculi & inflata sapientia, per crucis stultam, vt putatur, prędicationẽ humiliata, corrueret: vt patèret id quod stultum Dei est quanto sit hominibus sapientius: & quod infirmum DEI est, quanto sit fortius tota hominum fortitudine.

Docet autem Apostolus Paulus illumina- Ephes. 3. tos debere habere oculos cordis, ad intelligendum quę sit latitudo Crucis & longitudo, altitudo & profundũ. Cuius latitudo est transuersum lignum, quo extenduntur manus: longitudo à latitudine deorsùm versùs vsque ad terrã: altitudo à latitudine sursùm vsq; ad caput: profundum verò, quod terræ infixum absconditur, quo signo crucis omnis vita sanctorum describitur.

Dicitur enim homini, Tolle crucem tuam, & sequere me. Tunc enim crucifigitur caro, cũ mortificantur membra nostra super terram, fornicatio, immunditia, luxuria, & cætera: dumq; exterior homo corrumpitur, vt interior renouetur de die in diẽ, passio est crucis. Et hæc quidem dum sint bona opera, tamen adhuc laboriosa, quorum merces requies est: ideoq; dicitur, spe gaudentes, vt cogitantes scilicet requiem futuram, cum hilaritate & laboribus operemur.

Hanc hilaritatem significat crucis latitudo in transuerso ligno, vbi figuntur manus. Per manus.n. opus intelligitur, per latitudinem hilaritas operantis: quia tristitia facit angustias. Porrò per altitudinem crucis, cui caput adiungitur, expectatio supernæ retributionis de sublimi iustitia Dei significatur, vt & ipsa bona

bona opera nõ propter beneficia Dei terrena A ac temporalia facienda credantur, sed potius propter illud, quod desuper sperat fides, quæ per dilectionem operatur. Iam vero per longitudinem, qua totum corpus extenditur, ipsa tolerantia significatur, vt longanimes permaneamus: vnde longanimes dicuntur qui tolerant. Per profundum autem, hoc est, parte illã ligni, quæ in terræ abdito defixa latet, sed inde consurgit omne quod eminet, inscrutabilia indicantur iudicia Dei: de quibus occulta eius voluntate vocatur homo ad participationem tantæ gratiæ, alius sic, alius autem sic. B

De Sabbato Paschæ. Cap. 30.

SAbbati paschalis veneratio hinc celebratur, pro eo, quòd eadem die Dominus in sepulcro quieuit. Vnde bene Hebræo sermone sabbatum requies interpretatur: siue quòd Dominus in eo requieuit die, mundo perfecto: siue quòd in eo requieuit Dominus & Redemptor noster in sepulcro. Hic autem dies inter mortem Christi & resurrectionem medius est, significans requiem quandam animarum ab omni labore, omniq; molestia post C mortem, per quam fit transitus per resurrectionem carnis ad illam vitam, quam Dominus noster Iesus Christus sua resurrectione præmonstrare dignatus est.

De Pascha. Cap. 31.

IAm verò Paschale sacramentũ, quod nunc in Saluatoris nostri mysterium manifestissimè celebratur, in veteri testamento figuraliter primùm gestum est, quando agno occiso, Exo. 12. pascha celebrauit populus Dei in Aegypto, D cuius figura in veritate completa est in Christo, qui sicut ouis ad occisionem ductus est, Cuius sanguine illitis postibus nostris, id est, cuius signo crucis signatis frontibus nostris, à perditione huius seculi, tanquàm à captiuitate Aegyptia liberamur. Cuius quidem diem paschalis resurrectionis, non solùm pro eo celebramus, quòd in eodem à mortuis resurrexit: sed etiam pro alijs sacramentis, quæ per eundem significantur. Quia enim sicut dicit Rom. 4. Apostolus, mortuus est propter peccata nostra, & resurrexit propter iustificationem nostram, transitus quidem de morte ad vitam, E in illa passione Domini & resurrectione sacratus est. Nam & vocabulum istud quod pascha dicitur, non Græcum, sed Hebræum est: neq. enim à passione, quam Græcè dicunt παθὴ, sed à transitu Hebræo verbo Pascha appellatum est, quod & maximè Euangelista expressit, cùm celebraretur à Domino Pascha cum Ioan. 13. discipulis suis: Cùm vidisset (inquit) Iesus, quia venit hora eius, vt transiret de mundo ad patrem. Transitus ergò de hac vita mortali A in aliam vitam immortalem, hoc est, de morte ad vitam, in passione Domini & in resurrectione commendatur. His transitus modò à nobis agitur per fidem, quæ nobis datur in remissionem peccatorum, quandò consepelimur cum Christo per baptismum, quasi à mortuis transeuntes, de peioribus ad meliora, de corporalibus ad spiritualia, de conuersatione huius vitæ ad spem futuræ resurrectionis, gloriæ. Propter ipsum ergò initium nouæ vitæ, ad quam transimus, & propter ipsum nouum hominem, quem iubemur induere, & exuere veterem, vetus fermentum expurgantes, vt simus noua consperſio, quoniam pascha nostrum immolatus est Christus. Propter hanc ergò vitæ nouitatem, primus mensis in anni mensibus celebrationi huic attributus est: nam ipse dicitur mensis nouorum. Quia verò in tempore toto seculi nunc tertium tempus apparuit, ideò resurrectio Domini triduana est. Primum enim tempus est ante legem, secundum sub lege, tertium sub gratia, vbi iam manifestatum est sacramentum, quod antè erat in prophetico ænigmate occultum. Hoc ergò in lunari numero significatur: Quia enim septenarius numerus solet in scripturis ad quandam perfectionem mysticus apparere, in tertia hebdomada lunæ pascha celebratur, id est, qui dies occurrerit Dominicus à quintodecimo in vigesimum primum. Sed nec solùm propter tempus tertium, quia indè incipit hebdomada tertia, sed etiam propter ipsam conuersionem lunæ. Tunc enim illa ab inferioribus ad superiora conuertitur, & hæc nobis de luna similitudo assumitur, de visibilibus ad inuisibilia, de corporalibus ad spiritualia sacramenta transire, vt magis magisq. huic seculo moriamur, & vita nostra abscondita sit Coloss. 3. cum Christo, omnemque lucem studij nostri, quæ ad inferiora vergebat, ad superiora conuertamus, ad illam scilicet æternam contemplationem immutabilis veritatis. Vsque ad vicesimam verò & primam ideò pascha obseruatur, propter numerum septenarium, quo vniuersitatis significatio sæpè figuratur: qui etiam ipsi ecclesiæ tribuitur, propter instar vniuersitatis, ideoq; & Ioannes Apostolus in Apocalypsi scripsit septem Ecclesiis. Ecclesia verò adhuc in ista mortalitatis carne constituta, propter ipsam immutabilitatem, lunæ nomine in scripturis sæpè vocatur. Quòd verò anniuersarius dies Paschalis non ad eundem diem anni redit, sicut dies quo creditur Dominus natus, hoc fit propter Dominicum diem & lunam. Manifestum est enim, quo die Dominus crucifixus sit, & in sepulcro fuerit, & resurrexerit. Adiuncta est enim ipsorum dierum obseruatio per Nicenum concilium vniuerso orbi Christiano & persuasum, eo modo pascha celebrari oportere, vt non solùm lunam paschalem, sed & diem Dominicum

Universidad de Deusto
Biblioteca

nicum, in quo resurrexit à mortuis, expectare debeamus. Indè est, quòd ad eundem diem anni non reuertitur Pascha : nam Iudæi tantundem mensem nouorũ & lunam obseruant : diem autem addendum patres nostri censuerunt, vt & nostra festiuitas à Iudæorum festiuitate distingueretur.

De Ascensione Domini. Cap. 32.

Ascensionis Dominicæ solennitas ideò celebratur, quia eodem die post mundi victoriã, post inferni regressum, Christus ascendisse memoratur ad cælos, sicut scriptum est:
Psal. 67. Ascendit in altum, captiuam duxit captiuitatem, dedit dona hominibus. Quæ festiuitas ideò per reuolutum circulum annorum celebratur, vt humanitas assumptæ carnis ascendens ad dexteram patris, in memoriam reuocetur : cuius corpus ita in cælo esse credimus, vt erat quando ascendit, quod & vox angelica
Act. 1. protestatur, dicens : Sic veniet quemadmodum vidistis eum euntem in cælum, id est, in eadem carnis specie atque substantia, cuius profectio carnis immortalitatem donauit, naturam non abstulit. Dextera autem patris, ad quam idem filius sedere creditur, non est corporea, quod nefas est de Deo sentire: Sed dextera patris est beatitudo perpetua, quæ sanctis in resurrectione promittitur, id est, vniuersæ Ecclesiæ, quæ est corpus Christi, sicut & sinistra eius rectè intelligitur miseria & pœna perpetua, quæ impiis dabitur.

De Pentecoste. Cap. 33.

INitium sanè & causa festiuitatis Pentecostes paulò latius repetenda est. Pentecostes enim dies hinc cœpit exordium, quando
Exo. 20. Dei vox in Sina monte desuper intonantis audita est, & lex Moysi data. In nouo autem testamento Pentecostes cœpit, quando aduẽtum sancti Spiritus, quem Christus promisit, exhibuit, quem ait non esse venturum, nisi ipse ascenderet in cælum : denique dum portam cæli Christus intrasset, decem diebus interpositis, intremuit subitò orantibus Apostolis locus, & descendente Spiritu sancto super
Act. 2. eos, inflammati sunt, ita vt linguis omnium gentium Dei magnalia loquerentur. Aduentus itaque sancti Spiritus, de cælo supra Apostolos, in varietate linguarum diffusa, solennitatem transmisit in posteros, eaque de causa Pentecoste celebratur, & dies ipse proindè insignis habetur. Concordat autem hæc festiuitas Euangelij, cum festiuitate legis. Illic enim, posteaquàm agnus immolatus est, interpositis quinquaginta diebus, data
Esaiæ 53. est lex Moysi, scripta digito Dei : hìc post quàm occisus est Christus, qui sicut ouis ad immolandum ductus est, celebratur verum Pascha, & interpositis quinquaginta diebus, datur Spiritus sanctus, qui est digitus Dei, super cxx. discipulos Mosaicæ ætatis numero constitutos. Siquidem & hæc festiuitas aliud obtinet sacramentum : constat enim ex septimana septimanarum. Sed dierum quidem septimanæ generant eandem Pentecosten, in qua fit peccati remissio per Spiritũ sanctum : Annorum verò septimanæ quinquagesimum annum faciunt, qui apud Hebræos Iubileus dicitur, in quo similiter terræ fit remissio, & seruorum libertas, & possessionum restitutio, quæ pretio fuerant comparatæ.

Septiès etenim septem multiplicati, quinquagenarium ex se generant numerum, assumpta monade, quam ex futuri seculi figura præsumptam esse, Maiorum auctoritas tradidit. Fit enim ipsa & octaua semper & prima, immò ipsa est semper vna, quæ est omnis dies. Necesse est enim, sabbatismum animarum populi Dei illuc occurrere, atque ibi compleri, vbi datur pars his qui sunt octo, sicut quidam
Eccl. 11. differens Salomonis dicta sapienter exposuit. Idcircò autem totius quinquagesimę dies post Domini resurrectionem, resoluta abstinentia, in sola lætitia celebrantur, propter figuram futuræ resurrectionis, vbi iam non labor, sed requies erit lætitiæ. Idcòque his diebus nec genua in oratione flectuntur : quia sicut quidam sapiens ait : Inflexio genuum, pœnitentiæ & luctus indicium est. Vndè etiam per omnia eandem in illis solennitatem, quam die Dominico custodimus, in qua Maiores nostri nec ieiunium agendum, nec genua esse flectenda, ob reuerentiam Dominicæ resurrectionis, tradiderunt.

De festiuitatibus Martyrum. Cap. 34.

FEstiuitates Apostolorum, seu in honore martyrum solennitates, antiqui patres in veneratione mysterio celebrari sanxerunt, vel ad excitandam imitationem, vel vt meritis eorum consociemur, atque orationibus adiuuemur : ita tamen, vt nulli martyrum, sed ipsi Deo martyrum offeramus, quamuis in memoriis martyrum constituamus altaria. Quis enim antistitum, in locis sanctorũ corporum assistens altari, aliquando dixit, Offerimus tibi Petre, aut Paule, aut Cypriane? sed quod offertur, offertur Deo, qui martyres coronauit, apud memorias eorum, quos coronauit, quò ex ipsorum locorũ amore maior affectus exurgat ad augendam charitatem, & in illis, quos imitari possumus, & in illo, quo adiuuante possimus. Colimus ergò martyres eo cultu dilectionis & societatis, quo & in hac vita coluntur sancti homines Dei, quorum cor ad talem pro Euangelica veritate passionem paratum esse sentimus. Sed illos tãto deuotius, quãto securius post certamina omnia superata

superata, quanto etiam fidentiore laude prædicamus iam in illa vita feliciores victores, quàm in ista adhuc vsque pugnantes. At verò illo cultu, qui Græcè latria dicitur, Latinè vno verbo dici non potest, cum sit quædam propriè diuinitatis debita seruitus, nec colimus, nec colendum docemus nisi vnum Deum. Cùm autem ad hunc cultum pertineat oblatio sacrificij, vndè idololatria dicitur eorum, qui hoc etiam idolis exhibent, nullo modo aliquid tale offerrimus, aut offerendum præcipimus, vel cuiquam sanctæ animæ, vel cuiquam angelo, & quisquis in hunc errorem dilabitur, corripitur per sanam doctrinam, siue vt corrigatur, siue vt caueatur, dum etiam ipsi sancti vel homines, vel angeli exhiberi sibi nolunt quod vni Deo deberi norunt. Apparuit hoc in Paulo & Barnaba, cùm commoti miraculis, quæ per eos facta sunt, Lycaonij tanquam dijs immolare voluerunt. Conscissis enim vestibus suis, confitentes & persuadentes se Deos non esse,
Apoc. 19. ista sibi fieri vetuerunt. Apparuit & in angelis, sicut in Apocalypsi legimus, Angelũ se adorari prohibentem ac dicentẽ adoratori suo : Vide nè feceris, conseruus tuus sum & fratrum tuorum : Deum adora. Rectè itaque scribitur, homini ab angelo prohibitum esse adorare nisi vnum Deum, sub quo ei esset & ille conseruus. Non ergò sit nobis ille diuinæ religionis cultus in angelis aut in martyribus, quia non sic habentur vt tales honores quærant vt Deus, quia nec ipsi volunt se coli pro Deo, sed illum à nobis coli volunt, quo illuminante lætantur. Honorandi sunt ergò martyres propter imitationem, non adorandi propter religionem : honorandi charitate, non seruitute.

De Encæniis. Cap. 35.

ANnuas festiuitates dedicationis ecclesiarum ex more veterum celebrari in Euangelio legimus, vbi dicitur : Facta sunt Encænia
Ioan. 10. Hierosolymis. Encænia autem, festiuitas erat dedicationis templi. Græcè enim Καινὸν dicitur nouum. Quandocunquè enim nouum aliquid fuerit dedicatum, Encænia vocatur. Illũ enim diem, quo templum dedicatũ est, Iudæi solenniter celebrabant, & ipse dies apud illos festus agebatur : qui licèt vsus in illis exoleuit, quia caruerunt & cultu & templo, Christiani tamen seruant morem illum patrum, in quos gloria translata videtur. Omnes autem festiuitates pro varietate religionum, diuersaque in honorem martyrum tempora, ideò à viris prudentibus instituta sunt, nè fortè rara congregatio populi fidem minueret in Christo. Propterea ergò dies aliqui constituti sunt, vt in vnum omnes pariter conuenirent, vt è conspectu mutuo & fides crescat, & lætitia maior oriatur.

De ieiunio Quadragesimæ. Cap. 36.

IEiuniorum tempora secundùm scripturas sacras, quatuor sunt, in quibus per abstinentiam & lamentum pœnitentiæ, Domino supplicandum est : & licèt omnibus diebus orare & abstinere conueniat, his tamen temporibus ampliùs ieiunijs & pœnitentiæ seruire oportet. Primum ieiunium quadragesimarum est, quod à veteribus libris cœpit ex ieiunio Moysis & Heliæ, & ex Euangelio, quia totidem diebus
Exo. 24. 3 Reg. 19. Matth. 4. Dominus ieiunauit : monstrans euangelium non dissentire à lege & prophetis. In persona quippe Moysis lex, in persona Heliæ prophetæ accipiuntur, inter quos in monte Christus gloriosus apparuit, vt euidẽtiùs emineret quod
Rom. 3. de illo dicit Apostolus, Testimonium habens ex lege & Prophetis. In qua ergò parte anni congruentiùs obseruatio quadragesimæ constitueretur, nisi confinis atque contigua Dominicæ passionis, quia in ea significatur hæc vita laboriosa, cui etiam opùs est continentia, vt ab ipsius mundi illecebris ieiunemus, in sola manna viuentes, ideſt, cælestibus spiritalibusque præceptis. In numero autem quadragenario vita ista propterea figuratur, quia denarius est perfectio beatitudinis nostræ : creatura autem septenario figuratur, quæ adhæret creatori, in quo declaratur vnitas Trinitatis per vniuersum mundum temporaliter adnunciata. Et quia mundus à quatuor ventis delineatur, & à quatuor elementis erigitur, & à quatuor anni temporum vicibus variatur, denarius quater ductus, in quadraginta consummatur : quo numero ostenditur, ab omni temporum delectatione abstinendum, ac ieiunandum esse, & castè continenterq; viuendum.

Licèt & aliud Sacramenti mysterium exprimitur, quòd quadraginta diebus eadem ieiunia celebrantur. Lege enim Mosaica vniuerso populo generaliter est præceptum, decimas & primitias Domino Deo offerre. Itaque dum in hac sententia principia voluntatum consummationesq; operum nostrorum referre ad Dei gratiam admonemur, in supputatione tamen quadragesimę, summa ista legalium decimarum expletur. Totum enim anni tempus xxxvj. numero dierum decimatur. subtractis enim à quadragesima diebus Dominicis, quibus ieiunia resoluuntur, his diebus quasi pro totius anni decimis ad Ecclesiam concurrimus, actuumque nostrorum operationem Deo in hostiam iubilationis offerimus. Cuius quidem
Collat. 21 quadragesimæ legibus, sicut ait noster Cassianus, quiq; perfecti sunt, non tenentur, nec exigui huius canonis subiectione contenti sunt. Quem profectò illis, qui per totum anni spatium delicijs ac negocijs secularibus implicantur, Ecclesiarum principes statuerunt, vt vel hac legali quodammodò necessitate cõstricti, his saltem diebus vacare Domino cogerentur,

Universidad de Deusto
Biblioteca

ac dierum vitæ suæ, quos totos quasi quosdam fructus fuerant voraturi, vel decimas Domino dedicarent.

De ieiunio Pentecostes. Cap. 37.

SEcundum ieiunium est, quòd iuxta canones post Pentecosten alio die inchoatur, secundum quod & Moyses ait, Initio mensis hordearij facietis vobis hebdomadas septem. Hoc ieiunium à plerisque ex auctoritate Euangelij, post Domini Ascensionem completur, testimonium illud Dominicum historialiter accipientibus, vbi dicit: Nunquid possunt filij sponsi lugere, quandiu cum illis est sponsus? Veniet autem dies cum auferetur ab illis sponsus, & tunc ieiunabunt. Dicunt enim post resurrectionem Domini xl. illis diebus, quibus cum discipulis posteà legitur conuersatus, non oportere ieiunare, nec lugere, quia in lætitia sumus. Posteà verò cùm tempus illud expletur, quo Christus aduolans ad cælos præsentia corporali recessit, & tunc indicendum ieiunium est, vt per cordis humilitatem & abstinentiam carnis, mereamur è cælis promissum Spiritum sanctum accipere.

Deut. 16.

Matth. 9.

Act. 1.

De ieiunio septimi mensis. Cap. 38.

TErtium ieiunium est, quòd à Iudæis agebatur post tabernaculorum solennitatem, quod decima die septimi mensis Ecclesia celebrabat. Hoc enim primùm in lege à Domino institutum est, dicente ad Moysen: Loquere filiis Israel, dicens: Decima die septimi mensis dies exorationis vocabitur, & sanctus erit vobis, & humiliabitis animas vestras in ieiunio. Omnis anima quæcunque se non humiliauerit in ipso die ieiunio, exterminabitur de populo suo. Omnis anima quæ fecerit opus in ipso die, peribit anima illa de populo suo. Quo quidem ieiunio vsos fuisse antiquos, Esdræ liber memi nit. Postquàm enim redierũt (inquit) filij Israel in Hierusalem, & fecerunt sibi tabernaculorum lætitiam magnam, dehinc conuenerunt in ieiunio & saccis, & humus super eos, & steterunt, & confitebantur peccata sua, & iniquitates patrũ suorum, & consurrexerunt ad standum, & legerunt in volumine legis Domini Dei sui, quater in die, & quater in nocte, confitebantur & adorabant Dominum Deum suum. Hoc etiã mense septimo, sol secundum computum incipit facere minus de die, & nox esse maior, id est, octauo Calendarum Octobris, quando æquinoctium est. Ideoque & ieiunium habetur in hoc mense, quia ostenditur, in defectione solis & noctis augmento, vita nostra deficere adueniente morte, quæ mors iudicio Dei & resurrectioni præparatur.

Leuit 23.

2. Esdræ 9.

De ieiunio Calendarum Neuembrium. Cap. 39.

QVartum ieiunium Calendarum Nouembrium est, quod diuina auctoritate initiatum vel institutum Hieremiæ prophetę testimonio declaratur, dicente ad eum Domino: Tolle volumen libri, & scribes in eo omnia verba quæ locutus sum tibi aduersum Israel & Iudam, & aduersus omnem gentem, si forte reuertatur vnusquisque à via sua pessima, & propitius ero iniquitati eorum. Vocauit ergò Hieremias Baruch filium Nerię, & scripsit Baruch ex ore Hieremiæ omnes sermones Domini, quos locutus est ad eos, in volumine libri, & præcepit Hieremias Baruch, dicens: Ingredere, & lege de volumine, quod scripsisti ex ore meo, verba Domini, audiente populo in domo Domini in die ieiunij legis, si fortè cadat oratio eorum in conspectu Domini, & reuertatur vnusquisque à via sua mala: quoniam magnus furor Domini, & indignatio quam locutus est Dominus aduersum populum hunc. Et fecit Baruch filius Neriæ, iuxta omnia quæ præceperat Hieremias propheta, legens ex volumine sermonis Domini in domo Domini. Factum est autem, in mense nono prædicauerunt ieiunium in conspectu Domini omni populo in Ierusalem. Hac ergo auctoritate diuinæ scripturæ Ecclesia morem obtinuit, & vniuersale ieiunium hac obseruatione celebrat.

De ieiunio Calendarum Ianuariarum. Cap. 40.

IEiunium Calendarum Ianuariarum propter errorem gentilitatis instituit Ecclesia. Ianus enim quidam princeps paganorum fuit, à quo nomen mensis Ianuarij nuncupatur. Quem imperiti homines, velutì deum colentes, in religionem honoris posteris tradiderunt, diemq; ipsum scęnis & luxurię sacrauerunt. Tunc enim miseri homines, &, quod peius est, etiam fideles, sumentes species monstruosas in ferarum habitu transformantur: alij fœmineo gestu demutati, virilem vultum effœminant: nonnulli etiam de fanatica adhuc consuetudine quibusdam ipso die obseruationũ auguriis profanantur: perstrepunt omnia saltantium pedibus, tripudiantium plausibus, & quod his turpius est nefas, nexis inter se vtriusq; sexus choris, inops animi, furens vino turma miscetur. Proindè ergò sancti Patres, considerantes maximam partem generis humani eodem die huiusmodi sacrilegiis ac luxuriis insidere, statuerunt in vniuerso mundo per omnes ecclesias publicum ieiunium, per quod agnoscerent homines intantum se prauè agere, vt pro eorum peccatis necesse sit omnibus ecclesiis ieiunare.

De tri-

De triduani ieiunij consuetudine. Cap. 41.

TRiduanis autem diebus ieiunare, de exemplo sumptum est Niniuitarum, qui damnatis pristinis vitiis, totos se tribus diebus ieiunio ac pœnitentiæ contulerunt, & operti saccis, Deum ad misericordiam prouocauerunt.

De diuersorum dierum ac temporum ieiuniis. Cap. 42.

PRæter hæc autem legitima tempora Ieiuniorum, omni sexta feria propter passionem Domini à quibusdam ieiunatur, sed & sabbati dies à plerisque, propter quod in eo Christus iacuit in sepulcro, ieiunio consecratus habetur, scilicet nè Iudæis exultandum præbeatur, quod Christus sustulit moriendo. Die autem Dominico semper esse reficiendum, vt resurrectionem Christi & gaudium nostrum gentibus prædicemus, præsertim cùm Apostolica sedes hanc regulam seruet. Post pascha autem vsque ad Pentecosten licèt traditio Ecclesiarum abstinentiæ rigorem prandiis relaxauerit, tamen si qui monachorum vel clericorum ieiunare cupiunt, non sunt prohibendi: quia Antonius & Paulus & cæteri patres antiqui, etiam his diebus in eremo leguntur abstinuisse, neque soluisse abstinentiam, nisi tantùm die Dominico. Quis enim parsimoniam non laudet, ieiunium non prædicet? Ieiunium res sancta est, opus cæleste, ianua regni, forma futuri; quod qui sanctè agit, Deo iungitur, alienatur mundo, spiritualis efficitur. Per hoc enim prosternuntur vitia, humiliatur caro, diaboli tentamenta vincuntur.

De vario vsu Ecclesiarum. Cap. 43.

HÆc & alia multa sunt, quæ in Ecclesiis Christi geruntur, ex quibus tamen quædam sunt, quæ in scripturis canonicis commendantur, quædam quæ non sunt quidem scripta, sed tamen tradita custodiuntur. Sed illa quidem quæ toto orbe terrarum seruantur, vel ab ipsis Apostolis, vel ab auctoritate principali conciliorum instituta intelliguntur: sicut Domini passio, & resurrectio, & ascensio in cælum, & aduentus Spiritus sancti, quæ reuoluto die anni ob memoriam celebrantur: sed & si quid aliud est, quod seruatur ab vniuersis, quaq; se diffundit ecclesia. Alia verò quæ variè per diuersa loca obseruantur, sicuti est, quòd aliqui ieiunant sabbato, alij non: alij quotidiè communicant, alij certis diebus: aliis nullus dies prætermittitur, quo non offeratur sacrificium: aliis sabbato tãtùm offertur & Dominico: aliis tantùm Dominico, & si quid aliud huiusmodi animaduerti potest, totum hoc genus rerum, vt quibuscunque placuit sacerdotibus ecclesiæ, vel religionis cui præerãt instituerunt: nec discipli-

Aug. epist. 118.

na in his melior est graui prudentiq; Christiano, nisi vt eo modo agat quo agere viderit ecclesiam ad quam forte deuenerit. Quod enim neque contra fidem, neque contra mores bonos habetur, indifferenter sequendum & propter eorum inter quos viuitur, societatem seruandum est, nè per diuersitatem obseruationum schismata generentur.

De Carnium esu vel piscium. Cap. 44.

CArnes autem & vinum post diluuium hominibus in vsum concessa sunt. nam initio permissum non fuerat, nisi tantùm illud, vt scriptum est, Lignum fructiferum & herbam seminalem dedit vobis in escã. Posteà verò per Noe data sunt in esum cuncta animalia, vini quoquè tunc attributa licentia est.

Gen. 1.

Gen. 9.

Sed postquàm Christus, qui est principium & finis, apparuit, hoc quod in principio suspenderat, etiam in temporum fine retraxit, loquẽs per Apostolum suum: Bonum est non manducare carnem, & non bibere vinum. Et iterum: Qui infirmus est, holera manducet. Non igitur quia carnes malæ sunt, ideò prohibentur, sed quia earum epulæ carnis luxuriam gignũt. fomes enim ac nutrimẽtum omnium vitiorum esca ventri, & venter escis, Deus autem & hunc & hãc destruet. Piscem sanè, quia eum post resurrectionem accepit Dominus, possumus manducare. Hunc enim nec Saluator nec Apostoli prohibuerunt.

Rom. 14.

1. Cor. 6.

Ioan. 21.

Explicit liber primus.

INCIPIT LIBER SECVNDVS.

PRAEFATIO.

QVoniam origines causasque officiorũ, quæ in commune ab Ecclesia celebrantur, ex parte aliqua explicuimus, deinceps exordia eorum qui diuino cultui ministeria religionis impendunt, ordine prosequamur.

Incipiunt Capitula.

DE Clericis.	1
De Regulis clericorum.	2
De generibus clericorum.	3
De Tonsura.	4
De Sacerdotibus.	5
De Corepiscopis.	6
De Presbyteris.	7
De Diaconibus.	8
De custodibus sacrorum.	9

Universidad de Deusto
Biblioteca

De Subdiaconibus. 10
De Lectoribus. 11
De Psalmistis. 12
De Exorcistis. 13
De Ostiariis. 14
De Monachis. 15
De Pœnitentibus. 16
De Virginibus. 17
De Viduis. 18
De Coniugatis. 19
De Catechumenis, exorcismo & sale. 20
De Competentibus. 21
De Symbolo. 22
De Regula fidei. 23
De Baptismo. 24
De Chrismate. 25
De Manus impositione, vel Confirmatione. 26

De Clericis. Cap. I.

ITaque omnes qui in Ecclesiastici ministerij gradibus ordinati sunt, generaliter clerici nominantur. Cleros autem vel clericos hinc appellatos doctores nostri dicunt, quia Matthias Act. 1. sorte electus est, quem primum per Apostolos legimus ordinatum, & sic omnes, quos illis temporibus Ecclesiarum principes ordinabãt, sorte eligebant. Nam cleros sors interpretatur, vnde & hæreditas Græcè cleronomia appellatur, & hæres cleronomos. Proindè ergò clericos vocari aiunt, eo quòd in sortem hæreditatis Domini dentur, vel pro eo quòd ipse Dominus sors illorum est, sicut de eis scriptum est, Num. 18. Deut. 18. loquente Domino: Ego hæreditas eorum. Vndè oportet vt qui Deum hæreditatem possidẽt, absque vllo impedimento seculi, Deo seruire studeant, & pauperes spiritu ésse contendant, vt Psal. 15. congruè illud Psalmistæ dicere possint, Dominus pars hæreditatis meæ.

De Regulis Clericorum. Cap. 2.

HIsigitur lege Patrum cauetur, vt à vulgari vita secluſi, à mundi voluptatibus sese abstineant, non spectaculis, non pompis intersint: conuiuia publica fugiant, priuata non tantùm pudica, sed & sobria colant: Vsuris nequaquàm incumbant, neq; turpium occupationes lucrorum, fraudisq; cuiusquam studium appetant: amorem pecuniæ, quasi materiam cunctorum criminum fugiant: secularia officia negociaque abiiciant, honorum gradus per ambitiones non subeant: Pro beneficiis medicinæ Dei munera non accipiant, dolos & coniurationes caueant, odium, æmulationem, obtrectationem, atque inuidiam fugiant: Non vagis oculis, non infreni lingua, aut petulanti, tumidoque gressu incedant, sed pudorem ac verecundiam mentis, simplici habitu, incessuque ostendant: Obscœnitatem etiam verborum, sicut operum penitus execrentur: Viduarum ac virginum visitationes frequentissimas fugiant, contubernia extranearum fœminarum nullatenus appetant, castimoniã quoq; inuiolati corporis perpetuò conseruare studeant, aut certè vnius matrimonij vinculo fœderentur: Senioribus quoq; debitam obedientiam præbeant, neque vllo iactantiæ studio semetipsos attollant. Postremò in doctrina, in lectionibus, psalmis, hymnis, canticis, exercitio iugi incumbant. Tales enim esse debẽt, qui diuinis cultibus se mancipandos studeant exhibere, scilicet vt dũ scientiæ operam dant, doctrinæ gratiam populo administrent.

De generibus Clericorum. Cap. 3.

DVo sunt genera clericorum: vnũ ecclesiasticorum sub regimine Episcopali degentium: Alterum Acephalorum, id est, sine capite quem sequantur ignorãtium. Hos neque inter laicos, secularium officiorum studia, neq; inter clericos religio detẽtat diuina: sed solutos atq; oberrantes, sola turpis vita complectitur & vaga. Quiq́ue dum nullum metuentes, explendæ voluptatis suæ licentiam consectantur, quasi animalia bruta libertate ac desiderio suo fruũtur, habentes signum religionis, non religionis officium. Hippocentauris similes, neque equi, neque homines, mixtumq́; (vt ait Poeta) genus prolesq́; biformis. Quorum quidem sordida atque infami numerositate, satis superq́; nostra pars Occidua polluitur.

De Tonsura. Cap. 4.

TOnsuræ ecclesiasticæ vsus à Nazarẽis, nisi fallor, exortus est, qui prius crine seruato, denuò post vitæ magnæ continentiam deuotione completa, caput radebant, & capillos in ignẽ sacrificij ponere iubebãtur, s. vt perfectionẽ deuotionis suæ Dño consecrarent. Huius ergo exẽpli vsus ab Apostolis introductus est, vt hi qui in diuinis cultibus mãcipati, Dño consecrantur, quasi Nazaræi, i. sancti Dei, crine prę-ciso innouentur. Hoc quippe & Ezechieli prophetę iubetur, dicẽte Domino: Tu fili hominis, Ezech. 5. sume tibi gladium acutum, & duces per caput tuum & barbam: videlicet, quia & ipse sacerdotali genere Deo in ministerio sanctificationis deseruiebat. Hoc & Nazaræos illos Priscillam & Aquilam in Actibus Apostolorum primos fe- Act. 18. cisse legimus, Paulum quoq; Apostolũ, & quosdam discipulorũ Christi, qui in huiusmodi cultu imitandi extiterunt. Est autẽ in clericis tonsura signum quoddam, quod in corpore figuratur, sed in animo agitur, s. vt hoc signo in religione vitia rescecentur, & criminibus carnis nostrę quasi crinibus exuamur, atque inde innouatis sensibus, vt comis rudibus enitescamus, expoliantes nos, iuxta Apostolum, veterem ho- Ephes. 4. minem cum actibus suis, & induentes nouum, Coloss. 3. qui in agnitionem Dei renouatur. Quam renouationem in mente oportet fieri, sed in capite demonstrari, vbi mens nosci tur habitare.

Num. 6.

Quòd

Quòd verò detonso capite superiùs, inferiùs circuli corona relinquitur, sacerdotium regnũque ecclesiæ in eis existimo figurari: Tiara. n. apud veteres constituebatur in capite sacerdotum. Hæc ex byſſo confecta, rotunda erat quasi sphæra media, & hoc significatur in parte capitis tonsa. Corona autem, latitudo aurei est circuli, quæ regum capita cingit. Vtrunque itaque signum exprimitur in capite clericorũ, vt impleatur etiam quadam corporis similitudine quod scriptum est, Petro Apostolo perdo- 1. Pet. 2. cẽte, Vos estis genus electũ, regale sacerdotiũ.

Quæritur autem, cur, sicut apud antiquos Nazarẽos, non antè coma nutritur, & sic tondetur: Sed qui hæc exquirunt, aduertant quid sit inter illud propheticum velamentũ, & hanc Euangelij reuelationem, de qua dicit Apostolus: Cùm transieritis ad Christum, auferetur 2. Cor. 3. velamen. Quòd autem significabat velamẽ interpositum inter faciem Moysis & adspectum populi Israel, hoc significabat illis temporibus etiam coma sanctorum. Nam & Apostolus comam pro velamine esse dicit. Proindè iam non oportet vt velentur crinibus capita eorum, qui Domino consecrantur: sed tantùm vt reuelentur: quia quod erat occultum in Sacramẽto prophetiæ, iam in Euangelio declaratum est.

De Sacerdotibus. Cap. 5.

VEniamus nũc ad sacratissimos ordines clericorum, corumq́; originem singulariter demonstremus, quod est sacerdotij fundamentum, vel quo auctore pontificalis ordo adoleuit in seculo. Initium quidẽ sacerdotij Aaron fuit, quanquàm & Melchisedech prior obtulerit sacrificium, & post hunc Abrahã, Isaac, & Iacob. Sed isti spontanea voluntate, non sacerdotali auctoritate, ista fecerunt. Cæterum Aaron primus in lege sacerdotale nomen accepit, primusq́; pontificali stola indutus, victimas obtulit, iubente Domino ac loquente ad Moysen: Accipe, inquit, Aaron & filios eius, & applicabis ad ostiũ tabernaculi testimonij; cũmq; laueris patrem cum filiis, indues Aaron vestimentis suis, id est, linea & tunica, & superhumerali, & rationali, quod constringes balteo, & pones tiaram, & oleum vnctionis fundes super caput eius, atque hoc ritu consecrabitur. Filios quoque illius applicabis & indues tunicis lineis, cingesq́; balteo, Aaron scilicet, & liberos eius, & impones eis mitras, eruntq́; sacerdotes mei lege perpetua. Quo loco contempleri oportet, Aaron summum sacerdotem, id est, episcopum fuisse: nam filios eius presbyterorum figuram præmonstrasse. Fuerunt enim filij Aaron & ipsi sacerdotes, quibus meritò adstare debuissent Leuitæ, sicut summo sacerdoti. Sed hoc fuit inter summũ sacerdotem Aaron, & filios eiusdem Aaron, qui & ipsi sacerdotes fuerunt, quòd Aaron super tunicam accipiebat poderem, stolã sanctã, coronam aureã, mitram, & zonam auream, & superhumerale, & cætera quæ supra memorata sunt: Filij autẽ Aaron super tunicas lineas cincti tantùmodò & tiarati, ita adstabant sacrificio Dei. Sed forsan quæritur & hoc: cuius figurã faciebat Moyses? Si. n. filij Aaron presbyterorum figuram faciebant, & Aaron summi sacerdotis. i. episcopi, Moyses cuius? indubitanter Christi. Et verè per omnia Christi, quoniã similitudo fuit mediatoris Dei, qui est inter Deũ & hominẽ Iesus Christus, qui est dux populorũ, verus princeps sacerdotum, & Dominus pontificũ, cui est honor & gloria in sęcula seculorũ, amen. Hactenus de primordiis sacerdotalibus in veteri testamẽto. In nouo aũt testamẽto post Christũ sacerdotalis ordo à Petro Apostolo cępit: ipsi. n. primus datus est põtifica tus in Ecclesia Christi. Sic enim loquitur ad eũ Dñs: Tu es (inquit) Petrus, & super hãc Petram Matth. 16. ędificabo ecclesiam meam, & portæ inferi non præualebunt aduersùs eam, & tibi dabo claues regni cælorum. Hic ergò ligandi soluendiq́; potestatẽ primus accepit, primusq́; ad fidẽ populum virtute suæ prædicationis adduxit: si quidẽ & cæteri Apostoli cum Petro par consortium honoris & potestatis acceperunt, qui etiam in toto orbe dispersi, Euangeliũ prædicauerunt, quibusq́; decedentibus succesſerunt Episcopi, qui sunt cõstituti per totũ mundum in sedibus Apqstolorum, qui non iam ex genere carnis & sanguinis eliguntur, sicut prius, secundum ordinem Aarõ: sed pro vniuscuiusq́; vita meritòq; quomodò in eum Dei gratia cõtulerit, sicut ad Heli Dominus pronunciauit, dicens: Hæc dicit Dominus Deus Israel, Dixi, domus tua & do- 1. Reg. 2. mus patris tui permanebunt coram me vsque in æternum: & nunc dicit Dominus, Nequaquam, sed glorificantes me glorificabo, & qui me spernit, spernetur. Quatuor autem genera sunt Apostolorum: Vnum à Deo tantùm, vt Moyses: Alterum per hominem & Deum, vt Iosue: Tertium tantùm per hominem, sicut his temporibus fauore populi & potestatum in sacerdotium subrogãtur. Quartum autem genus ex se est, sicut pseudoprophetæ & pseudoapostoli. Quid sit autem nomen Apostolorum, Apostoli in Latina lingua missi interpretantur, quia ipsos misit Christus euangelizare ad illuminationem omnium populorum. Episcopatus autem, vt quidam prudentium ait, nomen est operis, non honoris: Græcum est enim, atq; indè ductum vocabulum, quòd ille, qui superesticitur, superintendit, curam scilicet subditorum gerens. Scopus quidem intentio est. Ergò episcopos Latinè superintẽdentes possumus dicere, vt intelligat non se esse Episcopum qui non prodesse, sed præesse dilexerit.

Quòd verò per manus impositionẽ à prædecessoribus Dei sacerdotibus Episcopi ordinantur, antiqua institutio est. Isaac. n. patriarcha sanctus ponens manũ suam super caput Iacob, benedixit ei, similiter & Iacob filiis suis, sed & Moyses super caput Iosuæ manũ suã imponẽs, Gen. 27. 48 Num. 27.

Universidad de Deusto
Biblioteca

dedit ei spiritum virtutis & ducatùs in populo Israel. Sic & superimpletor legis & prophetarum, Dominus noster Iesus Christus, per manus impositionem Apostolis suis benedixit, sicut in Euangelio Lucæ scriptum est, Et perduxit eos trans Bethaniam, & eleuauit manus super eos, & benedixit eos. Factum est autem cùm benedixisset illis, discessit ab eis, & ipsi reuersi sunt in Hierusalem cum gaudio magno. Et in Actibus Apostolorum ex præcepto Spiritus sancti Paulo & Barnabę ab Apostolis manus imposita est in Episcopatum, & sic missi sunt ad euangelizandum.

Lucæ vlt.

Act. 13.

Quòd autem à trigesimo anno sacerdos efficitur, ab ætate scilicet Christi sumptum est, ex qua idem orsus est prædicare. Hæc autem ætas profectu iam nõ indiget paruulorum, sed perfectione suî plena est & robusta, & ad omnem disciplinæ ac magisterij exercitium præparata.

Quòd verò vnius matrimonij virginalis sint qui eliguntur in ordinem pontificatus, & in veteri lege mandatum est, & pleniùs scripsit Apostolus, dicens: Vnius vxoris virum. Sacerdotem quærit Ecclesia, aut de monogamia ordinatum, aut de virginitate sanctum. Digamus autem haud fertur agere sacerdotium. Porrò quòd episcopus non ab vno, sed à cunctis comprouincialibus episcopis ordinatur, ideò est institutum, nè aliquid contra fidem Ecclesiæ, vnius ordinantis tyrannica auctoritas moliretur. Propterea ab omnibus conuenientibus constituitur, ac non minùs quàm à tribus præsentibus, cæteris consentientibus testimonio literarum. Huic autem, dum consecratur, datur baculus, vt eius indicio subditam plebem vel regat, vel corrigat, vel infirmitates infirmorum sustineat. Datur & anulus propter signum pontificalis honoris, vel signaculum secretorum. Nam multa sunt quæ carnalium minusquæ intelligentium sensibus occultantes sacerdotes quasi sub signaculo abscondunt, nè indignis quibusq; sacramenta Dei aperiantur.

Leuit 21. 1. Tim. 3.

Iam verò quòd seculares viri nequaquam ad ministerium Ecclesiæ assumantur, eadem auctoritas apostolica monet & dicit: Manus citò nemini imposueris. Et iterùm. Nõ neophytum, nè in superbiam elatus, putet se non tam ministerium humilitatis quàm administrationem secularis potestatis adeptum, & condemnatione superbiæ sicut diabolus, per iactantiã dejiciatur. Quomodò enim valebit secularis homo sacerdotis magisterium adimplere, cuius nec officium tenuit, nec disciplinam agnouit? Aut quid docere poterit, cùm ipse non didicit? Nunc verò sæpè cernimus plurimos ordinationem talibus facere, nec eligunt qui ecclesiæ prosint, sed quos vel ipsi amant, vel quorum sunt obsequijs deliniti, vel pro quibus maiorũ quispiam rogauerit, & vt deteriora dicam, qui vt ordinentur, muneribus impetrauerunt. Taceo de reliquis: alij successores filios vel parentes faciunt, & conantur posteris præsulatus relinquere dignitatem: cùm hoc nec Moyses amicus Dei facere potuit, sed Iesum de alia tribu elegit, vt sciremus principatum in populo non sanguini deferendum esse, sed vitæ meritis. Interdùm autem & iuxta meritum plebium eliguntur personæ rectorum: vndè nouerint populi, meriti sui fuisse, regimen peruersi suscepisse pontificis. Quòd autem is qui post baptismum aliquo mortali peccato corruptus, ad sacerdotium non promoueatur, lex ipsa testatur. Moyses enim in lege præcepit sacerdotibus, nè aliquod pecus vitiatum ad aram Deo offerant, quod ipsum postea spernentibus sacerdotibus Israel per Malachiam improperauit Deus, dicens: Vos autem sacerdotes qui polluistis nomen meũ, & dixistis, In quo polluimus eum? offerentes super altare meũ panem pollutum, & offerebatis cæcũ & languidũ, nonnè malũ est? Vndè & in Numeris vitula rufa, cuius cinis expiatio est populi, nõ aliter iubetur offerre ad altare Domini, nisì quę terrena opera nõ fecerit, iugumq; delicti non traxerit, nec vinculis peccatorũ fuerit alligata. Sed quid plura subijciamus? Si enim is, qui iam in episcopatu vel bresbyterio est positus, mortale aliquod peccatum admiserit, non debet offerre panes Domino: quanto magis ante ordinationem peccator inuentus, repudiari debet, vt non ordinetur? Quapropter quia lex peccatores à sacerdotio remouet, consideret se vnusquisque, & sciens quia potentes potenter patientur tormenta, retrahat se ab hoc non tam honore, quàm onere, & aliorum locũ qui digni sunt non ambiat occupare. Qui enim in erudiendis atque instituẽdis ad virtutem populis præerit, necesse est vt in omnibus sanctus sit, & in nullo reprehensibilis habeatur. Qui enim alium de peccatis arguit, ipse à peccato debet esse alienus. Nã qua fronte subiectos arguere poterit, cùm illi statim possit correptus ingerere, antè doce te quę recta sunt? Quapropter qui negligit recta facere, desinat recta docere. Primitùs quippe seme ipsum corrigere debet, qui alios ad benè viuẽdum admonere studet, ità vt in omnibus semetipsum formã viuendi prębeat, cunctosq; ad bonum opus & doctrina & opere prouocet. Cui etiam scientia scripturarum necessaria est, quia si episcopi tantùm sancta sit vita, sibi soli prodest, sic viuens: Porrò si & doctrina & sermone fuerit eruditus, potest cęteros quoque instruere, & docere suos, & aduersarios repercutere, qui nisì refutati fuerint atque conuicti, facilè possunt simplicium corda peruertere. Huius autem sermo debet esse purus, simplex, apertus, plenus grauitatis & honestatis, plenus suauitatis & gratiæ, tractans de mysterio legis, de doctrina fidei, de virtute continentię, de disciplina iustitiæ, vnumquenque admonẽs diuersa exhortatione iuxta professionẽ morumque qualitatem, scilicet vt prænoscat quid, cui, quando, vel quomodò proferat. Cuius præ ceteris

Num. 27.

Lenit. 1. & 21.

Malach. 1.

Num. 19.

Sapien. 6.

teris speciale officiũ est, scripturas legere, percurrere canones, exẽpla sanctorũ imitari, vigiliis, ieiuniis, orationibus incũbere, cũ frattribus pacem habere, nec quemquam de mẽbris suis discerpere, nullum damnare, nisi discussum: Quique ita humilitate pariter & auctoritate præesse debet, vt neque per nimiam humilitatem suam, subditorum vitia conualescere faciat, neque per immoderantiam seueritatis, potestatem exerceat: sed tanto cautius erga commissos sibi agat, quanto durius à Christo iudicari formidat. Tenebit quoquè illam supereminentem donis omnibus charitatem, sine qua omnis virtus nihil est: custos enim sanctitatis, charitas: locus autem huius custodis, humilitas. Habebit etiam inter hæc omnia & castitatis eminentiam, ita vt mens Christo dedita, ab omni inquinamento carnis sit munda, & libera. Inter hæc oportebit eum solicita dispensatione curam pauperum gerere, esurientes pascere, vestire nudos, suscipere peregrinos, captiuos redimere, viduas ac pupillos tueri, peruigilem in cunctis exhibere curam, prouidentiam distributione discreta. In quo etiam hospitalitas ità erit præcipua, vt omnes cum benignitate & charitate suscipiat. Si enim omnes fideles illud Euangelicum audire desiderant, Hospes fui, & suscepistis me: quanto magis Episcopus, cuius diuersorium cunctorũ debet esse receptaculum? Laicus enim vnum aut duos suscipiens, impleuit hospitalitatis officium: episcopus si non omnes susceperit, inhumanus est. In negociis autem secularibus dirimendis oportet eum causam merito discernere, non gratia: neque enim sic debet episcopus suscipere potentem, vt contristet contra iustitiam pauperem, neque pro paupere auferre iustitiam à potente. Non defendat improbum, nec sancta indigno committenda arbitretur, neq; arguat & impugnet, cuius crimen non reprehendit. Erit quoquè illi etiam iuxta Apostolum mansuetudo, patientia, sobrietas, moderatio, abstinentia, siue pudicitia, vt non solũ ab opere immundo se abstineat, sed etiam ab oculi & verbi & cogitationis errore, ità vt dum nullum vitium in se regnare permittit, impetrare veniã subditorum facinoribus valeat. Qui enim ista sectatus fuerit, & Dei minister vtilis erit, & perfectum sacerdotium consummabit.

Matth. 25.

Item de Corepiscopis. Cap. 6.

Corepiscopi, id est, vicarij episcoporum, iuxta quod canones ipsi testantur, instituti sunt, ad exemplum lxx. seniorum, tamquàm sacerdotes propter solicitudinem paupe rum. Hi in vicis & villis instituti, gubernant sibi commissas ecclesias, habentes licentiã constituere lectores, subdiaconos, exorcistas: Presbyteros autem & diaconos ordinare non audeant præter conscientiam episcopi, in cuius regione præesse noscuntur: Hi autem à solo episcopo ciuitatis, cui adiacent, ordinantur.

De Presbyteris. Cap. 7.

PResbyterorum ordo exordium sumpsit à filiis Aaron, vt dictum est, qui enim sacerdotes vocabantur in veteri Testamẽto, hi sunt qui nunc appellantur presbyteri: & qui nuncupabantur principes sacerdotum, nunc episcopi nominantur. Presbyteri autem interpretantur seniores, quia seniores ætate Græci presbyteros vocant. His enim sicut episcopis dispensatio mysteriorum Dei commissa est. Præsunt enim Ecclesiis Christi, & in confectione diuina corporis & sanguinis consortes cum episcopis sunt, similiter & in doctrina populorum, & in officio prædicandi. Sed sola propter auctoritatem summo sacerdoti clericorum ordinatio & consecratio reseruata est, nè à multis Ecclesiæ disciplina vendicata, concordiam solueret, scandala generaret. Nam Paulus Apostolus eosdem presbyteros vt verè sacerdotes sub nomine Episcoporum ità asseuerat, loquẽs ad Titum: Huius rei (inquit) gratia reliqui te Cretæ, vt ea quæ desunt corrigas, & constituas per ciuitates presbyteros, quemadmodùm ego tibi disposui. Si quis sinè crimine est, vnius vxoris vir, filios habens fideles, non in accusatione luxuriæ, aut non subditos. Oportet enim Episcopum sinè crimine esse. Qua sententia ostendit presbyterum etiam sub Episcopi nomine taxari. Vndè & ad Timotheum de ordinatione Episcopi & Diaconi scribẽs, de presbyteris omninò tacuit, quia eos in Episcopi nomine comprehendit. Secundus enim & penè coniunctus gradus est, sicut ad Philippenses Episcopis & diaconibus scribit, cùm vna ciuitas plures Episcopos habere non possit. Et in Actibus Apostolorum presbyteros Ecclesiæ, Hierosolymam iturus, congregauit, quibus inter cætera: Videte, (inquit) gregem, in quo vos Spiritus sanctus Episcopos ordinauit, vndè etiam tales in Ecclesia presbyteros constituendos esse sicut episcopos, & Apostolus ad Titum loquitur, & canones ipsi testantur. Presbyteros autem merito & sapientia dici: non ętate: Nam & Moysi præcepit Deus, vt eligat presbyteros. Vndè & in Prouerbiis dicitur: Gloria senum canities. Quæ est hæc canities? haud dubiè quin sapientia, de qua scriptum est: Canities hominum prudentia est. Cumque nongentos & amplius annos ab Adam vsque ad Abraham vixisse homines legerimus, nullus alius primus appellatus est presbyter, id est, senior, nisi Abraham, qui multo paucioribus annis vixisse conuincitur. Non ergò propter decrepitam senectutem, sed propter sapientiam presbyteri nominantur. Quod si ità est, mirum, cur insipientes constituantur.

1. Tim. 5.

Tit. 1.

1. Tim. 2.

Philipp 1.

Act. 20.

Num. 11.

Prouer. 20.

Sapien. 4.

De Diaco-

Universidad de Deusto
Biblioteca

De Diaconibus. Cap. 8.

Diaconorum ordo à Leui tribu accepit exordium. Præcepit enim Dominus Moysi, vt post ordinationem Aaron sacerdotis & filiorũ eius rursùs Leui tribus in diuini cultus ministeriis ordinarentur & consecrarentur Domino pro omnibus primogenitis, & seruirent pro Israel coram Aaron & filiis eius in tabernaculo Domini, excubantes in tẽplo die & nocte, ipsiq; gestarent arcam & tabernaculum, & omnia vasa eius, & in circuitu tabernaculi castra ipsi constituerent, & in promouendo tabernaculo ipsi deponerent, rursùs ipsi componerent. A xxv. annis & supra in tabernaculo seruire mandatum est, quam regulã constituerunt sancti patres & in nouo testamento. In Euangelio autẽ primordia eorũ in Actibus Apostolorum ita leguntur: Conuocantes autem xij. Apostoli multitudinem discipulorum, dixerunt: Non placet nos relinquere verbum Dei, & ministrare mensis: Quid est, fratres? Considerate ex vobis viros boni testimonij septẽ plenos Spiritu sancto & sapiẽtia, quos constituamus in hanc rem: Nos verò erimus orationi & ministerio sermonis instantes. Et placuit hic sermo coram omni multitudine, & elegerunt Stephanum plenum fide & Spiritu sancto, Philippum & Procorum, & Nicanorem, & Timonem, & Parmenã & Nicolaũ aduenam Antiochensem. Hi omnes steterunt ante Apostolos, & cùm orassent, imposuerunt illis manus, & verbum Dei crescebat, & multiplicabatur numerus credentium. Exhinc iã decreuerunt Apostoli vel successores apostolorum, vt per omnes ecclesias vij. Diaconi, qui sublimiore gradu essent cæteris, circa arcam Christi quasi columnę altaris assisterent, & non sine aliquo septenarij numeri mysterio. Hi sunt enim quos in Apocalypsi legimus, septẽ angeli tubis canentes. Hi sunt septẽ candelabra aurea. Hi voces tornitruorum. Ipsi enim clara voce in modum præconis admonent cunctos siue in orando, siue in flectendo genua, siue in psallendo, siue in lectionibus audiendo: ipsi etiam, vt aures habeamus ad Dominũ, clamant: ipsi quoquè euangelizant: sinę ipsis sacerdos nomen habet, officium non habet. Nam sicut in sacerdote cõsecratio, ita in ministro dispensatio sacramẽti est: illi orare, huic psallere mandatur: ille oblata sanctificat, hic sanctificata dispẽsat. Ipsis etiã sacerdotibus propter præsumptionẽ non licet de mensa Domini tollere calicẽ, nisi eis traditus sit à diacono. Leuitæ inferunt oblationes in altaria, Leuitę cõponunt mẽsam Domini, Leuitæ operiunt arcam testamenti. Non enim omnes vident alta mysteriorum, quæ operiuntur à Leuitis, nè videant qui videre nõ debent, & fumant qui seruare non possunt: quiq; propterea altari albis induti assistunt, vt cælestem vitã habeant, candidiq; ad hostias & immaculati accedãt, mundi scilicet corpore, & incorrupti pudore. Tales enim decet Dominũ habere ministros qui nullo carnis corrumpantur contagio, sed potiùs eminentia castitatis splendeant. Quales enim diaconi ordinentur, Apostolus Paulus plenissimè scribit ad Timotheum. Nam cùm pręmisisset de sacerdotum electione, continuò subiunxit: Diaconi similiter irreprehensibiles, hoc est, sine macula, sicut episcopi, pudici vtiq; id est, à libidine continentes, non bilingues, scilicet, nè conturbent habentes pacem: non multo vino dediti, quia vbi ebrietas, ibi libido dominatur & furor: non turpe lucrum sectantes, nè de cælesti ministerio lucra terrena sectentur. Est quoque turpis lucri appetitio, plus quã de ęternis, depræsentibus cogitare. Post hæc autem subiecit: Hi autem probentur primùm, & sic ministrent, nullum crimen habentes. Hi vtiquè, sicut episcopi ante ordinationem probari debent, si digni sunt, & sic ministrare.

Num. 3. & 8.

Concil. 3. Arel. cã. 1.

Act. 6.

Apoc. 1. & 8.

1. Tim. 3.

De Custodibus sacrorum. Cap. 9.

Custodes sacrarij, Leuitæ sunt. Ipsis enim iussum est custodire tabernaculum, & omnia vasa templi, quiq; ab anno quinquagesimo eliguntur, vt post edomitum carnis conflictum iam quieti, mundo corpore pariter & mente Deo seruiant, præferentes speciem grauitatis, nè fallantur consilio, nè fidem deserant, neque quicquam intemperantiùs agant.

Num. 8.

De Subdiaconibus. Cap. 10.

Subdiaconi, qui apud Græcos hypodiaconi vocantur, in Ezdra inueniũtur, appellãturq; ibi Nathinnæi, idest, in humilitate Deo seruientes. Ex eorum ordine fuit ille Nathanael, qui in Euangelio Ioannis diuina proditione cõmonitus, saluatorem meruit confiteri, quiq; etiã ad primum diuinitatis indiciũ fidelis enituit, protestante Domino, ac dicente: Ecce verè Israelita, in quo dolus non est. Denique isti oblationes in templo Domini suscipiunt à populis, isti obediunt officijs Leuitarum, isti quoquè vasa corporis & sanguinis Christi diaconibus ad altarium offerunt. De quibus quidem placuit Patribus, vt quia sacra mysteria contrectant, casti sint, & continentes ab vxoribus, & ab omni carnali immunditia sint liberi, iuxta quod illis Propheta dicente iubetur, Mundamini qui fertis vasa Domini. Hi igitur cùm ordinantur, sicut sacerdotes & Leuitæ, manus impositionem non suscipiunt, sed patenam tãtùm & calicem de manu episcopi, & ab archidiacono scyphũ aquæ cũ aquamanili & manutergium accipiũt.

1. Esdræ 8.

Ioan. 1.

Esai 52. 4. Carth. canon. 5.

De Lectoribus. Cap. 11.

Lectorum ordo formam & initiũ à Prophetis accepit. Sunt lectores, qui verbum Dei prædicant, qbus dicitur: Clama, nè cesses: quasi tuba exalta vocẽ tuam. Isti quippe dum ordinãtur, primùm de eorum conuersatione episcopus verbũ facit ad populum. Denique coram plebe tradit eis codicẽ apicũ diuinorũ, ad Dei verbũ annunciandum. Qui autẽ ad huiusmodi promouetur gradũ, iste erit doctrinæ & libris imbutus, sensuumq; ac verborũ scientia ornatus, ità vt in distinctionibus sententiarũ intelligat vbi finiatur iunctura, vbi adhuc pendeat oratio, vbi sententia extrema claudatur. Sicque expeditus *vsum pronũciationis tenebit, vt ad intellectũ omniũ mẽtes sensusq; promoueat, discernendo genera pronũciationis, atq; exprimẽdo omniũ sentẽtiarũ proprios affectus, modò indicãtis voce, modò dolẽtis, modò increpãtis, modò exhortãtis, siue his similia secũdùm genus propriũ pronũciationis. In quo magìs & illa ambigua sentẽtiarũ adhibẽda cognitio est. Multa enim sunt in scripturis, quę nisì proprio modo pronuncientur, contrariã reddũt sententiã. Sicutì est, Quis accusabit aduersùs electos Dei? Deus qui iustificat? Quod si quasi confirmatiuè, nõ seruato genere pronunciationis suæ, dicatur, magna peruersitas oritur. Sic ergò pronunciandum est, ac si diceret, Deus ne qui iustificat? vt subaudiatur, non. Necesse est ergo in tantis rebus scientiæ ingeniũ, quo ppriè singula cõuenientèrque pronuũcientur. Prætereà & accentuũ vim oportet scire lectorẽ, vt nouerit in qua syllaba vox protendatur pronũciantis. Plerunquè n. imperiti lectores in verborũ accẽtibus errant, & solent irridere nos imperitiæ hi, qui vidẽtur habere notitiã, detrahentes & iurantes penitùs nescire quod dicimus. Porrò vox lectoris simplex erit & clara, ad omne pronunciationis genus accommodata, plena succo virili, agrestem & subrusticũ effugiens sonũ, nõ humilis, nec adeò sublimis, non fracta nec tenera, nihilq; fœmineũ sonans, neque cũ motu corporis, sed tantùm cũ grauitatis specie. Auribus enim & cordi cõsulere debet lector, nõ oculis, nè potius ex seipso eos spectatores magìs quàm auditores faciat. Vetus opinio est, lectores pnunciandi causa præcipuã curã vocis habuisse, vt exaudiri *multùm possent. Vndè & dudùm lectores præcones vel pclamatores vocabãtur.

*vim

Rom. 8.

*in tm multu

Esa. 58.

De Psalmistis. Cap. 12.

Psalmistarum, id est, cantorum, principes vel auctores Dauid, siue Asaph extiterunt: isti enim post Moysen, primi Psalmos composuerunt & cantauerunt: mortuo autẽ Asaph, filij eius in hunc ordinem subrogati sunt à Dauid, erantque Psalmistæ per successionem generis, sicut & ordo sacerdotalis, ipsique soli continuis diebus in templo canebãt, candidis induti stolis ad vocem vnius respondente choro. Ex hoc veteri more Ecclesia sumpsit exemplũ nutriendi psalmistas, quorũ cantibus ad affectum Dei mentes audientiũ excitantur. Psalmistã autem & voce & arte præclarũ illustremque esse oportet, ità vt ad oblectamenta dulcedinis animos incitet auditorũ. Vox autem eius nõ aspera, non rauca, vel dissonans, sed canora erit, suauis, liquida, atque acuta, habens sonum & melodiã sanctę religioni congruentẽ, non quæ tra ducem exclamat artẽ, sed quæ Christianã simplicitatẽ in ipsa modulatione demonstret, nec quæ musico gestu vel theatrali arte redoleat, sed quæ cõpunctionem magìs audientibus faciat. Antiqui pridié quàm cantandum erat, cibis abstinebãt, psallentes tamen legumine in causa vocis assiduè vtebantur. Vndé & cantores apud gentiles fabarij dicti sunt. Veteres lamina pectori imposita sibi ad cantica exclamanda psallendis vocibus rationẽ demonstrauere. Solent autem ad hoc officiũ etiam absque conscientia episcopi sola iussione presbyteri eligi quique quos ppabiles in cantandi arte esse cõstiterit.

1. Paral. 6

De Exorcistis. Cap. 13.

In primo ordine & ministerio ecclesiæ esse exorcistas secundùm officia, quæ in templo Salomonis erãt disposita, quæq; posterius sunt ab Esdra dispertita inuenimus, eosq; quos Esdras actores memorat templi, nunc esse exorcistas in Ecclesia Dei. Fuerunt enim sub Esdra actores Templi, seruorum Salomonis filij, qui actũ Templi totius sub cura sua haberent, aut sacris actionibus deseruirẽt. Et cùm fuissent ex ordine & ministerio templi, longè fuerunt ab officio altaris Dei, quia nec Psalmistis, nec ostiariis, nec sacrorũ seruis attingere licebat munera altaris, nisì tantũmodò Leuitis. Quid ergò? nullã aliã curã habebant actores tẽpli, nisì ad sarta tecta reficiẽda, vt quæcũque fuissent vexata in ædificio tẽpli aut delapsa, per eosdẽ actores de thesauris Dñicis reficerẽtur atq. excolerentur.

1. Esdræ 2.

Ergò actores templi, exorcistæ sunt in populo Dei? quo modo enim actor prudens & bonus scit, quis sit Domini sui census, & omnis substantiæ modus, & redigit apud se totius possessionis instrumenta originalia: sic exorcista redigit in sua diligentia totius regni Domini secreta, & regnum Dei memoriæ commendat de scripturarũ testimoniis, vndè exerceat donum, quod illi est à spiritu sancto cõcessum, secundũ Apostoli præconium. Exorcistas enim memorat Apostolus, cũ dicit: Nunquìd omnes habẽt donationes sanationũ? Hi enim cũ ordinãtur, sicut ait canon, accipiunt de manu episcopi libellum, in quo scripti sunt exorcismi, accipientes potestatem imponendi manus super energumenos, siue baptizzatos siue catechumenos.

1. Cor. 12.

4. Carth. Canon. 7.

De Ostiariis. Cap. 14.

Ostiarij sunt, qui in veteri Testamento ianitores templi vocabantur, qui præerant portis templi Hierusalem, quiq; ordinati per vices suas omnia interiora tẽpli vel exteriora custodiebãt. Hi deniq; inter sanctũ & iniquũ discernẽtes, eos tantũ in Ecclesia qui sunt fideles, recipiunt. Intrare enim templũ, nisì per eos nõ possumus: habent enim in potestate tam bonos recipiendi, quàm reijciendi indignos.

1. Para. 23. 2. Para. 23.

De Monachis. Cap. 15.

Vndè autem ad monachos studium defluxerit paupertatis, vel quis huius conuersationis

Universidad de Deusto
Biblioteca

sationis extiterit auctor, cuius isti habitum imitantur. Quantùm enim, inquam, pertinet ad auctoritatem veterum scripturarum, huius propositi princeps Elias & discipulus eius Elisæus fuerunt, siue alij prophetæ, qui habitabant in solitudine, vrbibusq; relictis faciebant sibi casulas prope fluenta Iordanis. Huius etiã propositi in Euangelio baptista Iohannes auctor extitit, qui eremum solus incoluit, locusta tantùm & agresti melle nutritus. Iam deindè progeniti sunt conuersationis huius nobilissimi principes, Paulus & Antonius, Hilarion, Macarius, cæteriq́ue patres, quorum exemplis per vniuersum mundum adoleuit sancta institutio monachorum. Sex autem sunt genera monachorum, quorum tria optima, reliqua verò teterrima, atq; omnibus modis euitanda.

4. Reg. 1. & 4. Hier. 35.

Matt. 3.

Primum genus est cœnobitarum, id est, in commune viuentium, instàr sanctorum illorũ, qui temporibus Apostolorum Hierosolymis vendita ac distributa omnia sua dabant indigẽtibus, qui habitabant in sancta communione vitæ, non dicentes aliquid proprium, sed erãt illis omnia communia, & anima vna, & cor vnũ in Deum. Horum igitur institutione monasteria sumpsere principium.

Act. 2. & 4

Secundum genus est Eremitarum, qui procùl ab hominibus recedentes, deserta loca & vastas solitudines sequi atque habitare perhibentur, ad imitationem scilicet Eliæ & Iohãnis Baptistæ, qui eremi secessus penetrauerunt. Hi quippe incredibili mundi contemptu sola solitudine delectantur herbis tantùm arescentibus victitantes, aut pane solo, (qui eis per certa interualla temporum defertur) vel aqua contenti: sicque secretissimi penitùs & ab omni hominũm conspectu remoti, diuino tantùm colloquio perfruuntur, cui puris mentibus inhæserunt, cuius amore non solùm mundum, sed etiam hominum consortia reliquerunt.

Tertium genus est Anachoretarum, qui iam cœnobitali conuersatione perfecti, includunt semetipsos in cellis, procùl ab hominum conspectu remotis, nulli præbentes accessum, sed in sola contemplatione diuina viuentes perseuerant, id est, theoria. Sed isti examinatione cœnobiorum probati in omnibus disciplinis monasterij per xxx. annos, ad hanc contemplationem, per obedientiam eliguntur.

Quartũ genus est eorum qui sibi Anachoretarum imagine blandiuntur. Isti, vt ait Cassianus, in primordiis suis feruore quodam breui cœnobij perfectionem videntur expetere, sed continuò tepefacti, dum pristinos mores ac vitia resecare contemnunt, nec iugum humilitatis ac patientiæ diutiùs sustinere contenti sunt, subdiq́; seniorum imperio dedignantur, separatas expetunt cellas, & solitarij sedere desiderant, vt à nemine lacessiti, mansueti vel humiles æstimentur: quæ institutio, immò tepor, hos quos semel infecerit, ad perfectionem nunquàm permittit accedere. Hoc enim modo hõ solùm non abscinduntur, verùm etiam in deterius eorum vita conualescit, vt quoddam læthale intestinum virus, quod quanto ampliùs celatum fuerit, tanto profundiùs serpens insanabilem morbum generat ægrotanti. Pro reuerentia enim singularis cellæ, nullus iam vitia solitarij audet arguere, quæ ille ignorari maluit quàm curari.

Quintum genus est Circuncellionum, qui sub habitu monachorũ vsquequaq; vagantur, venalem circunferentes hypocrisin, circumeuntes prouincias, nusquàm missi, nusquàm fixi, nusquàm stantes, nusquàm sedentes: alij, quæ non viderunt, confingunt, opiniones suas habentes pro Deo: alij membra martyrum, si tamen membra martyrum sunt, sibi venditant: alij fimbrias, & phylacteria sua magnificant, gloriam captantes ab hominibus: alij crinit incedũt, nè vilior habeatur tonsa sanctitas, quàm comata. Vndè videlicet qui eos viderit, antiquos illos, quos legimus, cogitet, Samuelem & Eliam, & cæteros: Alij honores, quos non acceperunt, se habuisse protestantur: Alij parentes vel consanguineos suos in illa vel in alia regione se audisse vel videre, & ad eos pergere mentiuntur, & omnes petunt, ab omnibus exigunt aut sumptum lucrosum egestatis, aut simulatæ precium sanctitatis, cùm intereà vbicunquè in factis suis malis aut verbis deprehensi fuerint, vel quoquomodò innotuerint, sub generali nomine monachorum, propositum blasphematur.

Sextum genus est monachorum, & ipsum teterrimũ atque neglectum, quod per Ananiam & Saphiram in exordio Ecclesiæ pullulauit, & Apostoli Petri seueritatis cultro succisum est, quique ab eo quòd semetipsos à cœnobiali disciplina sequestrant, suasq; appetunt liberi voluptates, Aegyptiorum lingua Sarrabaitæ suæ Rennuitæ nuncupantur. Construunt enim sibi cellas, easq; falso nomine monasteria vocant, liberiq́ue ab imperio seniorum, arbitrio suo viuunt, certatim in operibus laborantes, non vt indigentibus distribuant, sed vt acquirant pecunias quas recondant, & sicut ait de ipsis sanctus Hieronymus, quasi ars sit sancta, non vita, quicquid vendiderint, maioris est precij. Reuerà (vt idem dicit) solent certare ieiunijs, & secreto victu reficiunt: apud hos affectata sunt omnia, fluxæ manicæ, caligæ follicantes, vestis grossior, crebra suspiria, visitatio virginum, detractio clericorum, & si quandò dies festus venerit, satiantur ad vomitum. Inter cœnobium autem & monasterium, ità distinguit Cassianus, quòd monasteriũ possit etiam vnius monachi habitatio nuncupari: Cœnobiũ autem non nisi plurimorum: quorum quidem conuersationem, vt Patrum edocet institutio, breuiter intimabo.

Act. 5.

Hi quippe (vt prædictum est) contemptis primùm atque desertis mundi huius illecebris, in communi vitam sanctissimam congregati

gati simul agunt, viuentes in orationibus, in lectionibus, in disputationibus, in vigilijs, in ieiunijs, nulla superbia tumidi, nulla inuidia liuidi, sed modesti, verecundi, placati, concordissimam vitam sectantur, cogitationes suas alterutrùm reuelantes, inuicèm discutiunt & corrigunt. Nemo quicquam terrenum sorte peculiari possidet, preciosis vel coloratis vestibus non induuntur, sed vilissimis atque sinceris, lauacris vtuntur numquàm delectatione corporis, sed rarò, propter necessitatem languoris: sinè cõsultu abbatis nunquàm progrediuntur, neque aliquid ab eis sinè nutu paternę iussionis assumitur: operantes autem manibus ea, quibus corpus pasci possit, & mens impediri non possit. Canunt autem psalmos, manibus operantes; & ipsum laborem tanquàm diuino celeumate consolantur. Opus autem suum tradunt eis, quos Decanos vocant, eo quòd sint denis prępositi, vt neminem illorũ cura sui corporis impediat à proposito mẽtis, neque in cibo neq; in vestimento, neq; si quid aliud opus est, vel quotidianæ necessitati, vel mutuæ (vt adsolet) valetudini. Ipsi autem Decani tradunt ea prępositio, Præpositus autem cum magna solicitudine omnia disponens, præstò facit quicquid illorum vita propter imbecillitatem corporis postulat: rationẽ tñ ipse reddit ei, quem patrẽ vocant. Hi verò patres intellectu, tolerantia, discretione insignes, omnibus rebus excelsi, nulla superbia consulunt his, quos filios appellãt, magna sua in iubendo auctoritate, illorum in obediendo voluntate.

Conueniunt autem omnes frequenter nocte ac die, dato signo, festina cum properatione ad orationem solennium horarum, celebrantes fixa intentione cordis, & vsque ad consummationem psalmorum sinè fastidio persistentes. Item conueniunt diebus singulis interpositis, dum adhuc ieiuni sunt, in collatione ad audiẽdum patrẽ. Audiunt autem eũ incredibili studio, summo silentio, affectusq; animorum suorum prout eos prouocauerit differentis oratio, vel gemitu vel fletu significantes. Corpus deindè cum silentio magno reficiunt tantum, quãtum saluti necesse est, coercente vnoquoque eorum per parsimoniam, concupiscentiæ gulã, nè grauetur eorum cor vel in his ipsis quæ præstò sunt, parcè & vilissimè. Itaq; non solùm à carnibus & vino abstinent, pro sufficientia domandarum libidinum, sed etiam ab omnibus, quę ventris & gutturis prouocant appetitum. Sanè quicquid necesario victui supereſt ex operibus manuum & epularum restrictione, tanta cura egentibus distribuitur, vt nihil remaneat, quod abundauerit. Ad cuius sanctæ militiæ propositũ veniunt non solùm liberi, sed etiam plerunq; ex conditione seruili, vel propter hoc potiùs liberandi. Veniunt quoq; ex vita rustica & ex opificum exercitatione, & ex plebeio labore, tanto vtiq; feliciùs, quanto fortiùs educati, qui si non admittantur, graue delictum est.

Multi enim ex eo numero viri magni, imitandiq́; extiterunt. Nam propterea & infirma mũdi elegit Deus, vt confunderet fortia: & stulta mundi elegit, vt confunderet sapientes: & ignobilia mundi, & ea quæ non sunt, vt ea quæ sunt, euacuaret, & non glorietur omnis caro coram Deo. Simili quoq; modo exstant & cœnobia fœminarum, hoc est, monachales virgines soli citè casteq́ue seruientes Deo. Quæ habitaculis suis segregatæ, ac remotæ à viris quàm longissimè, pia tantùm sanctitate ac castitate iungũtur, & imitatione virtutis. Ad quas iuuenum nullus accessus est, neq; ipsorum quanùs grauissimorum & probatissimorũ senum, nisi vsq; ad vestibulum necessaria præbendi, quibus indigẽt, gratia. His præsunt singulæ grauissimæ ac probatissimæ, non tantùm instituendis componendisq́ue, moribus, sed etiam instruendis mentibus peritæ atq; paratæ. Lanificio etiam corpus exercent atq; sustentant, vestesq́ue ipsas monachis tradunt, ab his inuicèm quod victui opùs est, resumentes. Hos mores ac vitam, hanc institutionem tenere videntur cœnobia Virginum, sicut monachorum. Monachi autem secundùm humilitatem eliguntur. Multos enim ex eis cenodoxiæ morbus commaculat, multos abstinentia inflat, extollit scientia. Faciunt enim bona, sed propter famam, non propter vitã æternam, scilicet vt aut affectent gloriam laudis, aut perueniant ad fastigium desiderati honoris: In his sæpiùs discordia oboritur, inuidiaq́; liuor de fraternis profectibus gignitur, amor temporalium rerum grassatur, sequentes terrenas concupiscentias tanto inaniter, quanto sæpius, vt ante humanos oculos, impudenter. Tales itaque nequaquam monachi vocitandi sunt, quia Deo sola professione, non actione, coniunguntur.

1. Cor. 1.

1. Cor. 8.

De Pœnitentibus. Cap. 16.

POEnitentiæ exemplũ Iob primus exhibuit, quandò post funera vel post flagella adhuc in sui redargutione etiam in cilicio & cinere lamenta pœnitudinis sumpsit, dicens: Idcircò ago pœniteatiam in fauilla & cinere. Post hunc nobis Dauid pœnitentiæ magisterium præbuit, quando graui vulnere elapsus, dum audisset à propheta peccatum suum, confestim pœnituit, & culpam suam confessione pœnitentiæ sanauit. Sic Niniuitæ & alij multi peccata sua confessi sunt, pœnitentiam egerunt, displicuerunt illis quales fuerunt, & quales per Deum facti sunt, illi placuerunt. Est autem pœnitentia medicamen vulneris, spes salutis, per quam peccatores saluantur, per quam Deus ad misericordiam prouocatur, quæ non tempore pensatur, sed profunditate luctus & lachrymarum. Pœnitentia autem nomen sumpsit à pœna, qua anima cruciatur, & caro mortificatur. Hi verò qui pœnitentiam agunt, proindè capillos & barbam nutriunt, vt demonstrent abundantiam criminum, quibus caput peccatoris grauatur.

Iob. 42.

2. Reg. 12.

Ionæ 3.

Capilli

Universidad de Deusto
Biblioteca

Pro. 5. 2. Cor. 11.

Capilli enim pro vitiis accipiuntur, sicut scriptū est: Crinibus peccatorum suorum vnusquisque constringitur. Vir quippe si comam nutriat, ignominia est, vt ait Apostolus. Ipsam ergò ignominiam suscipiunt pœnitentes pro merito peccatorū. Quòd verò in cilicio prosternuntur, (per ciliciū quippe recordatio est peccatorū) propter hœdos ad sinistram futuros. Inde ergo cōfitentes in cilicio prosternimur tanquàm dicentes, Et peccatū meū contra me est semper. Quod autem cinere adsperguntur, vel vt sint memores, quia cinis & puluis sunt, vel quia pul uis, id est, impij facti sunt, vndè & illi præuaricatores primi homines recedentes à Deo, malisq; factis offendentes creatorem, in puluerē vndè sumpti sunt, redierunt. Benè ergo in cilicio & cinere pœnitens deplorat peccatum, quòd in cilicio asperitas & compunctio peccatorum, in cinere puluis ostenditur mortuorū: & idcircò in vtroque pœnitentiam agimus, vt & compunctione cilicij agnoscamus vitia, quæ per culpam commisimus, & per fauillam cineris, perpendamus mortis sententiam, ad quam peccando peruenimus. Pœnitentiæ autem remedium Ecclesia catholica in spe indulgentiæ fidenter alligat ad exercendos homines, & post vnum baptismi sacramentum, quod singulari traditione cōmendatum, solicitè prohibet iterandum, medicinali remedio pœnitentiæ subrogat adiumentum, cuius remedio egere se cūcti agnoscere debent pro quotidianis humanæ fragilitatis excessibus, sine quibus in hac vita esse non possumus: honorum duntaxàt dignitate seruata, ità vt à sacerdotibus & Leuitis Deo tantùm teste fiat, à cæteris verò adstante coram Deo solenniter sacerdote, vt hoc tegat fructuosa cōfessio, quod temerarius appetitus, aut ignorantiæ notatur contraxisse neglectus: vt sicut in baptismo omnes iniquitates remitti, vel per martyrium nulli peccatum credimus imputari, ità pœnitentiæ compunctione fructuosa, vniuersa fateamur deleri peccata. Lachrymæ enim pœnitentium, apud Deum pro baptismate reputantur. Vndè quamlibèt magna sint delicta, quanuis grauia, non tamen est in illis Domini misericordia desperanda: in actione enim pœnitudinis (vt suprà dictum est) non tam consideranda est mensura temporis, quàm doloris: cor enim contritum & humiliatum Deus non spernit. Veruntamen quanto in peccando fuit ad malum promptior mentis intentio, tanto deuotior debet esse in pœnitēdo. Duplex autem pœnitentiæ gemitus est, vel dū plangimus quod malè gessimus, vel dum non agimus quod agere debemus. Ille autem verè pœnitentiam agit, qui nec pœnitere præterita negligit, nec adhuc pœnitenda committit. Qui verò lachrymas indesinenter effundit, & tamen peccare non desinit, hic lamentum habet, sed mundationem non habet.

Psal. 50.

Si qui autem per gratiam Dei ad pœnitentiam conuertuntur, perturbari non debent, si rursùs post emendationem relicta vitia corda pulsent, dum non possint bonæ conuersationi nocere, si talis cogitatio non erumpat in consensu vel opere. Ferre enim, sinè perfectione, vitiorum cogitationes, non est ad damnationē, sed ad probationem: nec est occasio subeundi discriminis, sed potiùs augendæ virtutis. Nam & si quis circa finem suum per pœnitentiā desinat esse malus, non ideò debet desperare, q̄ in termino est vltimo vitæ, quoniam Deus nō respicit quales anteà fuimus, sed quales circa finem vitæ existimus.

Ex fine enim suo vnumquenque aut iustificat, aut condemnat, sicut scriptum est, Ipse iudicat extrema terræ. & alibi: Vniuersorum finem ipse considerat. Proindè non dubitamus circa finem iustificari hominem per pœnitentiæ compunctionem: sed quia rarò id fieri solet, metuendum est, nè, dum ad finem differtur conuersio, incerta occupet mors priusquàm veniat pœnitentia: pro qua re, etsi bona est ad extremum conuersio, tamen multo melior est, quæ longè ante finem agitur, vt ab hac vita securiùs transeatur.

1. Reg. 2. Iob 28.

De virginibus. Cap. 17.

NVnc autem quæ sit sacræ virginitatis integritas, vel à quo tam sancti propositi studium sit exortum, breuiter intimabo. Quantùm enim pertinet ad vetus testamentū, Elias & Hieremias & Daniel, castitatis & continentiæ bonum primi constituisse noscuntur: quantùm verò ad nouum, virorum virginum caput est Christus, fœminarum virginum caput est Maria. Ipsa earum auctrix, ipsa mater nostri capitis, qui est virginis filius, & virginum spōsus. Indè agmina virorum & puellarum sanctarum, indè sectatores & sectatrices perpetuæ continentiæ pullulauerunt, appetitum libidinis castigantes, nec solùm in corpore, sed etiam in ipsa concupiscentiq radice castrantes se, cælestem vitam angelicamq; in terrena mortalitate meditantes, atque in carne corruptibili incorruptionem perpetuam retinentes, quibus cedit omnis fœcunditas carnis, omnis pudicitia coniugalis. Nam cū ipsa vniuersa Ecclesia Virgo sit, desponsata vni viro, sicut dicit Apostolus, quanto digniora sunt honore membra eius, quæ hoc custodiunt etiam in ipsa carne, quod tota Ecclesia custodit in fide? Sed tamen sic laudatur virginitas, nè nuptiæ condemnentur. Oportet enim non damnare quod bonum est, sed suadere quod melius est. Ante aduentum quippe Christi coniugia placuere Deo, post aduentū eius virginitas. Prima enim Dei sententia, crescere & generare præcepit: Secūda sententia continentiam suasit. Nònne enim sic locuta est vox illius, Crescite & multiplicamini? Quia iam alia vox superuenit, dicens: Væ prægnantibus & nutrientibus. & illud, Tēpus item collectum est: restat, vt qui vxores habent, tanquàm non habentes sint. & nisi fal

2. Cor. 1.

Gen. 1. & 9.

Lucæ. 21.

1. Cor. 7.

lor,

lor, vnius eiusdemq; Dei vtraque pronunciatio est. Tunc quidem Deus in primordio semen tem generis emisit, indultis coniugiorum voluptatibus, donec mundus repleretur: nunc verò in extremitatibus temporum compressit quod emiserat, & reuocauit quod indulserat. Vndè &

Eccles. 3. Salomon præuidens in spiritu, ait; Tempus amplexādi, tempus longè fieri à cōplexibus. Quia præcepti veteris est, vt terra procreationibus impleretur: noui verò, vt continentia atque virginitate cælum adimpleatur. Quam tamē adeò ardui sublimisq; præmij esse constat, vt dicentibus

Matth. 19. Apostolis quodam loco, Si sic est hominis causa cum vxore, non expedit nubere: respondit Dominus, Qui potest capere, capiat. Non ergo præceptum de continētibus, sed suasio est, nec iniungitur virginitas, vt sit necessitatis, sed vt volūtatis possit esse, laudatur, Apostolo pro-

1. Cor. 7. testāte: De virginibus præceptum Domini non habeo, sed consilium do, tanquàm & ipse scientiam Dei habens. Existimo ergò hoc bonum opus esse propter instantem necessitatem, quoniam bonum est homini sic esse. Attamen qui tentationem carnis non tolerant, necesse est vt portum coniugij petant. Vndè & idem Apostolus: Qui se (inquit) non continet, nubat. melius

Ibid. est enim nubere quàm vri. Et iterum: Si acceperis (inquit) vxorem non peccasti: si nupserit virgo, non peccauit: & si non vis maior esse, esto vel minor, quia libere voluntatis es. Nuptiæ enim peccatum non sunt, sed per solicitudinem mundi, qui nubunt, legem Dei seruare vix possunt. Aliter illos dicit nō peccare si nubant, qui nondum vouerunt Deo castitatem: cæterùm vel quæ in corde suo promisit, si aliud fecerit, habet damnationem, quia primam fidem, sicut

Act. 5. ait idem Apostolus, irritam fecit. quod enim erat per naturam licitum, per votum sibi fecit illicitum, sicut Ananias & Sapphira, quibus de pretio possessionis suæ retinere nihil licuit, ob quam causam & subita morte prostrati sunt. In Euangelio autem virginum diuersa genera memorantur, sed illis specialiter regni possessio deputatur, qui se amore Dei castrauerunt, id est, non quos impossibilitatis necessitas co-

Matth. 19. gît, sed quos voluntas efficit continentes. Sic enim scriptum est, Domino disputante: Sunt enim spadones, qui sic nati sunt: sunt aliqui, qui ab hominibus facti sunt: & sunt, qui seipsos castrauerunt propter regnum cælorum, quibus

Esa. 56. etiam per Esaiam Prophetam Dominus dicit, se daturum in domo sua, & in muris suis locum nominatum, meliorem multo quàm filiorum & filiarum suarum.

Nam illis qui sic nascuntur, aut quibus ipsum virile membrum debilitatur, vt generare non possint, sicut Eunuchi regū vel potentum, sufficit vtiq; quòd Christiani sunt, & Dei præcepta custodiunt, eo tamen proposito, vt coniuges, si potuissent, haberent. Ideoq; cæteris coniugatis in domo Dei fidelibus adæquantur, q̄ castrati sunt propter seculum, non propter regnum cælorum. neq; enim vxores animi virtute, sed carnis necessitate non ducunt. Tantum enim est in virginibus castitatis donū, vt etiam Ioannes eos tātùm agni vestigiis inhærere præscribat, qui contaminati à mulierum coitibus non fuerint: ipsi enim sunt cxliiij. millia sanctorum citharistarum illibatæ virginitatis in corpore, inuiolatæ castitatis in corde, qui sequuntur agnum quocunq; ierit, quem nemo sequi vel auditu valet, nisi tantùm virginitas. Sequuntur itaque agnū & cæteri fideles, qui virginitatem corporis amiserūt: sed non quocunque ierit ille, sed quousq; ipsi potuerint.

Apocal. 14.

Vndè, nè tantę sanctitatis donum corrumpatur, cauendum est: multos enim extollit virginitas, eleuat continentia. Fidenter dico, faciliùs sequuntur agnum, & si non quocunq; ierit, certè quousq; potuerint coniugati humiles, quàm superbientes virgines. Quomodo enim sequitur, ad quem accedere non vult? Aut quomodo accedit, ad quem nō venit vt discat, quoniam mitis est & humilis corde? Pergant ergò viam sublimitatis virgines pede humilitatis: sequantur Christum tenendo perseueranter quod voluerunt ardenter, ità vt professæ ac seruatæ veritate virginitatis, cæteris etiam moribus congruant, sine quibus procul dubio ociosa manet & inanis virginitas. Boni enim actus, si addantur virginitati, Angelicā vitā hominibus & cæli mores exhibent in terris. Illæ ergò virgines esse probantur, quæ sic continentiæ inseruiunt, vt nullis criminibus, nulloq; terrenæ solicitudinis onere prægrauentur. Curam enim mundi, coniugalis copula gignit, Paulo dicente, dum dicit: Volo autē vos sine solicitudine esse. Qui

1. Cor. 7. sine vxore est, solicitus est quæ Dei sunt, quomodo placeat Deo: qui autem cum vxore est, solicitus est quomodo placeat vxori. Vndè agnoscitur non posse placere Deo huiusmòdi continentiæ votum, quod præpeditur secularium impedimento curarum, nihil enim prodest expeditos esse actione carnis, qui illigantur secularibus curis, nisi tantùm quòd sibi maiora acquirunt supplicia, pro eo quòd seculum minimè vincunt, qui carnem vincere potuerunt. Quæritur autem, cur fœminæ virgines in benedictione velentur? Quarum hæc causa est: In gradibus enim vel officiis ecclesiasticis fœminę nullatenus prescribuntur, nam neque permittitur eis in Ecclesia loqui vel docere, sed nec contingere, nec offerre, nec vllius virilis muneris, aut sacerdotalis officij sortem sibi vēdicare, ideòq; hoc tantùm, quia virgo est, & carnem suam sanctificare proposuit, idcircò velaminis venia fit illi, vt in Ecclesia notabilis vel insignis introeat, & honorem sanctificati corporis in libertate capitis ostendat, atque mitram quasi coronam virginalis gloriæ in vertice præferat.

De viduis. Cap. 18.

VIduarum multarū exempla sunt, quarum prima in scripturis Noemi legitur, &

Ruth. 1.

Universidad de Deusto
Biblioteca

3.Reg. 17. 4.Reg. 4. Iudith 13. vidua ad quam Helias missus est, scribitur & vidua Sunamitis, quæ solebat Elisæū suscipere, & victū administrare. Hester & Iudith illa admirabilis vidua, quæ de Oloferne Assyriorū Principe triūphauit, saluoq; pudore, hoste deuicto rediit. In nouo autē testamēto, Anna prima vidua legitur, quæ Dñm cognouit infantem, quæ meruit eius diuinitatis gratiā agnoscere anteq potuisset verbū eius audire, cuius quidē gradus virginitati penè coniunctus est, vndè & Christū quē virgo peperit, vidua prima cognouit. Felix ergò virgo, quia intacta: fortior vidua, quia experta: vtriq; tamen apud Deum merces, maior illa, subsequens ista. Illam autē viduam Apostolus vocat, quæ post vnius coniugij interceptum virili sexui renunciat. Dicit. n. vidua eligatur non minus annorum xl. vnius viri vxor. Vndè consequens est, vt quæ plurimis fuit nexa maritis, caruerit veræ nomine viduitatis.

Luc. 2. 1. Tim. 5.

Qualis autem esse vidua debeat, idem Apostolus expressit, dicens: Si fuerit in operibus bonis, testimonium habens, vtiq; sicut Thabita: si filios educauit, subauditur, Deo: si hospitio suscepit, si sanctorū pedes lauit, si tribulationem patientibus subministrauit, hoc est, ægrotis, vel in carcere positis, si omne opus bonum subsecuta est: breuiter vniuersa concludens, vt in omnibus sit exemplum bene viuēdi. Et iterum, Anus similiter in habitu sancto, vtique vt ipse earum incessus & motus, vultus & sermo, & silentium quandam sacræ continentiæ præferat dignitatem.

Act. 9. Tit. 2.

Post hæc adiecit, Non criminatrices, nō multo vino seruientes, sed paruo vtentes. Nanq; solent hac ætate quæ corporis frixere luxuria, vino se dedere pro luxuria. Post hæc addidit, benè docentes, vt prudentiam doceant. Docere illis quidem permittit, sed vt fœminis, & hoc nō in Ecclesia, sed priuatim. nam hoc genus mulierculārum solet esse garrulū: vndè & curiosas & verbosas quasdam viduas idē Apostolus notat, & hoc vitium venire ex ocio. Simul autem (inquit) & ociosæ discunt circuire domus, scilicet dum nullo timore detentæ, nec mariti potestati subiectæ, sunt non solùm ociosæ, verùm etiam curiosæ discurrunt, loquentes quæ non oportet. Prædicat autem idem Apostolus damnationem habere viduas, quæ post propositum continentiæ nubere cupiūt: Cum enim (inquit) luxuriatæ fuerint, in Christo nubere volunt, habentes damnationem, quia primam fidem irritam fecerunt, id est, quia in eo quod honestè primò vouerunt, non steterunt. Nec tamen ait, nubunt, sed nubere volūt. multas enim earum reuocat à nubendo, si non amor præclari propositi, vel aperti dedecoris timor. Igitur quæ nubere volunt, & ideò non nubunt, quia impunè non possunt, bę meliùs nō vouerent, & nuberēt quàm verentur, id est, quàm occulta flāma concupiscentię vastarentur, quas pęnituisse professionis forma declarat, sed piget cōfusionis, quæ nisi correctę cor dirigāt, & Dei timore rursum

1. Tim. 5. Ibid. 1. Cor 7.

libidinem vincant, in mortuis deputandę sunt, si in deliciis agant (vndè dicit Apostolus: Quæ autem in deliciis est, viuens mortua est) siue in laboribus atque ieiuniis nulla cordis correctione, sed magis ostentationi quàm emendationi seruientes. 1. Tim. 5.

De Coniugatis. Cap. 19.

DE coniugatis lex naturę à seculo est. Deus enim fecit Adam, & dedit ei adiutorium Euam, cum procreationis subsecuta sententia, dicēs: Crescite & multiplicamini, & replete terram. Sed facta eadē mulier, priùs solatio quàm coniugio fuit, donec de paradiso inobedientia eiiceret, quos intra paradisum obedientia tenuisset. Hic post beatę sedis excessum, mulierem suam pulsus agnoscebat, libro Geneseos dicente. Et cognouit Adam mulierem suam, & concepit, & peperit filium Cain. Gen. 1. Gen. 4.

Cùm ergò adiectum laborem nuptię præcesserunt, & tribulos & spinas passuri, prędos adiere conuentus, secuta sunt in procreationibus tę dia. Vndè & pariturę præcessit tale edictum: in dolore (inquit) & in mœrore paries filios tuos quos vtique creatos diuersi dolores, vt cernimus, luctusq; subripuerunt. Vndè & Apostolus prędicans, ait: Tribulationem tamen carnis habebunt huiusmodi. Non tamen coniugiorum honorabilis torus & immaculatum cubilę, sine fructu est: Nempè soboles indè sanctorum, & quod laudatur in virginitate coniugij est, ideoque nec peccatum nuptias dicimus, nec tamen eas bono vel virginalis continentiæ, vel etiam viduali coæquamus. Coniugia autem tantùm per se bona sunt: per ea verò quę circa illa sunt, mala fiunt. Per id nanque mala sunt, per quod dicit Apostolus: Qui autem cū vxore est, solicitus est, quæ sunt mūdi. & iterum: Propter fornicationem vnusquisq; suam vxorē habeat: Quod autem non vnus & multę, sed vnus & vna copulantur, ipsa prima diuinitus facta coniunctio in exemplum est. Nam cum Dominus hominem figurasset, eiq; parem necessariam prospexisset, unā de costis eius mutuatus, vnam illi fœminam finxit, sicq; Adam & mulier Eua, vnà inter se nuptiis iuncti, formā hominibus de originis auctoritate & prima Dei voluntate sanxerunt. Item secundùm spiritales nuptias sicut vnus Christus & vna Ecclesia, ita & vnus vir, & vna vxor tam secūdùm generis documentum, quàm secundùm Christi sacramentum. Numerus autem matrimonij à maledicto viro cępit. Primus Lamech duabus maritatus, tres in vnam carnem effecit. Sed dicit aliquis, quòd & Patriarchę simul pluribus vxoribus vsi sunt, ergò propterea licebit nobis plures ducere. Sanè licebit, sed si qui adhuc typi alicuius futuri sacramēti supersunt, quibus plures nuptię figurē tur. Secundas autē nuptias propter incontinentiam iubet Apostolus. Melius est enim denuo vni viro nubere, quàm explēdę libidinis causa cum pluribus fornicari: Sępius autem nubendi licen- Gen. 3. 1. Cor. 7. Heb. 13. 1. Cor. 7. Genes. 4. 1. Cor. 7.

licentia iam non est religionis, sed criminis.

Nam quòd in ipsa coniunctione connūbij à sacerdote benedicuntur, hoc est à Deo in ipsa prima coniunctione hominis factum. Sic enim scriptum: Fecit Deus hominem, ad imaginem Dei fecit eum, masculum & fœminam fecit eos, & benedixit eos, dicens: Crescite & multiplicamini. Hac ergò similitudine fit nunc in Ecclesia, qua tunc factum est in paradiso. Quod vero eisdem virginibus legitimè nubentibus vni viro pro nubæ abhibentur, scilicet propter monogamiam, etsi auspicij causa, tamen boni auspicium est. Gen. 1.

Quòd verò eadē fœminæ, dum maritantur, velantur. s. vt nouerint per hæc se viris suis esse subiectas & humiles, vndè & ipsum velamen vulgò Mauortem uocant, id est, Martem, quia signum maritalis dignitatis ac potestatis est in eo. Caput enim mulieris vir est: licèt proindè velentur, dum nubunt, vt verecundiam mulieris agnoscant, quia iam sequitur indè, quod pudeat. Vndè Rebecca cùm ad sponsum duceretur, simul vt eum ipsa conspexit, salutationem vel oscula nō sustinuit, sed statim sentiēs quid esset futura, pallio caput velauit. Hinc etiam & nuptæ dictæ, eò quòd vultus suos velēt. Obnubere enim operire dicitur. Vndè & nubes dictæ, eò quòd æthera obtegant. 1. Cor. 11. Gen. 24.

Quòd autem nubentes post benedictionem vittæ vno inuicèm vinculo copulātur, videlicet nè compagem coniugalis vnitatis disrumpant.

At verò quòd eadem vitta candido purpureoque colore permiscetur, candor quippe ad munditiam vitæ, purpura ad sanguinis posteritatem adhibetur, vt hoc signo continentiæ lex tenenda ab vtrisque ad tempus admoneatur, & post hæc ad reddendum debitum non negetur. Quod enim dicit Apostolus coniugatis, Abstinete vos ad tempus, vt vacetis orationi, hoc ille candor vittę insinuat: quòd verò subiūgit, & iterum reuertimini in idipsum, hoc purpureus color ille demonstrat. Illud verò quod in primis anulus à sponso sponsæ datur, fit hoc nimirùm vel propter mutuæ fidei signum, vel propter id magis, vt eodē pignore eorū corda iungantur. Vndè & quarto digito anulus idem inseritur, quod in eo vena quædā (vt fertur) sanguinis ad cor vsq; perueniat. Antiquitùs autē nō ampliùs vno dabatur, nè pluralitatis amorē vnicus capere. Penès Israel autē illicitū erat puellam viro tradere, nisi post manifestū sanguinē maritalē. 1. Cor. 4.

Apud veteres in eligendis maritis quatuor ista spectabantur, virtus, genus, pulchritudo, oratio: in fœminis tria, si generosa, si bene morata esset, si pulchra. Nunc autē nō genus ac mores, sed magis diuitiæ in vxoribus placent, nec quæritur fœmina quàm sit pudica, sed potius quàm sit formosa, quæ & cōcupiscendi libidinē nutriat, & multorū post se suspiria trahat. Pulchra enim (vt ait quidam sapiens) citò adamatur, & difficilè custoditur quod plures amant.

Illæ autē sunt certæ nuptiæ, quæ in coniugio non libidinem, sed prolē requirūt: neq; ēnim sic institutę sunt, vt carnis voluptatibus seruiant, sed tantùm vt fructū propaginis quęrant. Nam & ipsę dotales tabulę causam indicāt procreandorum liberorū. Quando ergo quisq; luxuriose ampliùs viuit, quàm necessitas procreādorum liberorū cogit, iam peccatū est. Vndè necessum est, vt quotidianis eleemosynis ac precibus intercedant, qui tori coniugalis pudicitiam frequentiùs per incontinentiā commaculant. Nuptialia autem bona tria sunt, proles, fides, sacramentum. In fide attenditur, ne prærer vinculum coniugale cum altero vel altera concumbatur: in prole, vt amanter suscipiatur, pudicè nutriatur: in Sacramento, vt coniugium non separetur, neq; causa prolis alteri coniungatur.

Sacramentum autem ideò inter coniugatos dictum est, quia sicut non potest Ecclesia diuidi à Christo, ità nec vxor à viro. Quòd ergo in Christo & in Ecclesia, hoc in singulis quibusq; viris atq; vxoribus coniunctionis inseparabile sacramentum est. Vndè & Apostolus: Pręcipio (inquit) nō ego, sed Dominus vxorē à viro non discedere. Prohibet enim dimitti quacunq; ex causa, nè aliis coniungantur secundùm consuetudinem Iudęorum, quam Dominus interdixit dicens: Quicunq; dimiserit vxorem suam, excepta fornicationis causa, & aliam duxerit, mœchatur. Solum (ut ait Hieronymus) adulterium est, quod vxoris vincat affectum. Immò cùm illa vnam carnem in aliā diuiserit, & se fornicatione separauerit, à marito non debet teneri, nè virum quoq; sub maledicto faciat, dicente scriptura, Qui adulterā tenet, stultus & impius est. Vbicunq; est igitur fornicatio & fornicationis suspicio liberè vxor dimittitur. Quid ergò si sterilis est, si deformis, si ætate vetula, si fœtida, si temulenta, si iracūda, si malis moribus, si luxuriosa, si gulosa, si fatua, si vaga, si iurgatrix & maledica? tenenda est, velis nolis, & qualiscunque accepta est, habēda. Cùm enim esses liber, spontè te seruituti subiecisti, cumq; habet quis vxorem, (vt ait Lactantius) neque seruam, neque liberam habere poterit, vt matrimonij fidem seruet: neque enim vt iuris publici ratio est, sola mulier adultera est, quę virum habēs, ab altero polluitur, & maritus si alterā habeat, à crimine adulterij alienus habetur, dum diuina lex duos in vnum matrimonij corpus coniunxerit, vt adulter sit, quisquis compagem corporis in diuersa distraxerit. Matth. 5. & 19. Prouc. 18.

Seruanda igitur fides ab vtroque alteri est, immò verò exemplo continētiæ docenda vxor à viro, vt se castè gerat. Iniquum est enim, vt id exigat quod prestare non possit. caput enim mulieris est vir: vbi autem meliùs viuit mulier quàm vir, capite deorsum pendet domus. Ideò prędecedere debet vir in omnibus bonis factis vxorem suam, quia caput est, ut illa imitetur virum, & sequatur verè vt corpus caput suū, sicut Ecclesia sequitur Christū. Hortatur autē Apostolus, vt propter orationē abstineāt, atq; 1. Cor. 7.

Universidad de Deusto
Biblioteca

ex pari consensu tempora sanctificationis obseruent, vt sine impedimento carnali orationibus vacent. Nam in veteri testamento ante omnes sanctificati sunt à mulieribus, & sic descendenti Deo in monte assistere meruerunt. Item hortatur idem Apostolus mulieres subditas esse viris suis: nam multæ erga simpliciores viros diuitiis prælatæ, & nobilitatæ, Dei sententiæ non recordantur, per quam subiectæ sunt illis. Ait quippe Dominus ad mulierem, Conuersio tua ad virum tuum, & ipse tui dominabitur. Obediendum est itaque sanctæ scripturæ præceptis, & seruiendum viro quadam seruitute libera & dilectione plena. Etenim non est creatus vir propter mulierem, sed mulier propter virum: & cùm caput mulieris vir sit, caput autem viri Christus, quæcunq; vxor non subiicitur viro, hoc est, capiti suo, eiusdē criminis rea est, cuius & vir, si non subiiciatur Christo capiti suo. Verbum autem Domini blasphematur, vel dum contemnitur prima Dei sententia, & pro nihilo ducitur: vel Christi infamatur Euangelium, dum contra legem fidemq; naturæ, ea quæ Christiana est, & ex Dei lege subiecta, præesse desideret: cùm etiam gentiles fœminæ seruiant viris suis communi lege naturæ. Seruatur ergò lex naturæ & Dei, si mulier marito subiecta est. At contrà, si illa imperare viro desiderat, & ordo naturæ corrumpitur, & domus illa misera & peruersa vocabitur.

Exod. 19.
Coloss. 3.
Gen. 3.
1. Cor. 11.

De Catechumenis, De Exorcismo, & sale. Cap. 20.

IAm nunc rationem Sacramentorum siue ordinē ad fidem venientiū, prosequamur. Quorum gradus primus est catechumenorum, secūdus competentium, tertius baptizatorum.

Catechumeni sunt, qui primùm de gentilitate veniunt, habentes voluntatem credendi in Christum: & quia primum exhortationis præceptum est in lege Dei, Audi Israel Dominus Deus tuus, Deus vnus est: Indè est, vt is cui per sacerdotem, quasi per Moysen Deus primùm loquitur, catechumenus (id est, audiens) nominetur, scilicet vt vnum agnoscens Deum, relinquat errores nefarios idolorum. Puto autem omnes à Ioanne in pœnitentiam baptizatos, catechumenorum prætulisse figuram. Exorcizantur autem hi primùm, deindè salem accipiūt, & vnguntur. Exorcismus autem sermo increpationis est contra immundum spiritum, in energumenis siue catechumenis factus, per quem ab illis diaboli nequissima virtus & inueterata malitia vel violēta incursio expulsa fugetur. Quod significabat Iunaticus ille, quem increpauit Dominus Iesus, & exiit ab illo dæmonium. Potestas autem diaboli exorcizatur, & insufflatur in eis, vt ei renuncient, atque eruti à potestate tenebrarum, in regnum sui Domini per sacramentum baptismatis transferantur. Quod quia paruuli per se renunciare non possunt, per corda & ora gestantium adimpleatur. Sal autem in mysterio catechumenis dādus, à patribus ideò est institutus, vt eius gustu condimentum sapientię percipiant, neque desipiant à sapore Christi, nec sint fatui & retro respiciāt sicut vxor Loth, nè malum exemplum dantes, ipsi remaneant, & alios condiant, quemadmodùm illa quę cùm liberaretur à Sodomis, in via posita retro respexit, ibiq; remansit facta statua salis. Quo signo conditretur hi, qui per fidem mundo & actibus desideriisq; eius renunciant, vt affectionis pristinæ non recordentur, neque ad seculi illecebras reuocentur: quia secundum Saluatoris sententiā, ponens manū super aratrū, & respiciens retrò, regno cælorum aptus esse non potest.

Deut. 6.
Exorcismus.
Matth. 17.
Gen. 19.
Matth. 28.
Luc. 9.

De Competentibus. Cap. 21.

POst catechumenos secundus competētium gradus est. Competentes autem sunt, qui iam post doctrinam fidei, post continentiam vitæ, ad gratiam Christi percipiendam festinant. Ideoq; appellantur competētes, id est, gratiam Christi petentes: nam catechumeni tantùm audiunt, nec dùm petunt. Sūt enim quasi hospites & vicini fideliū: deforis audiunt mysteria, audiunt gratiam, sed adhuc non appellantur fideles. Competentes autē iam petunt, iā accipiunt, iā catechizantur, id est, imbuuntur institutione fidei & sacramentorum. Istis enim salutare symbolum traditur, quasi commonitorium fidei, & sanctæ confessionis indicium, quo instructi agnoscant, quales iam ad gratiam Christi exhibere se debeant.

De Symbolo. Cap. 22.

SYmbolum autem, quod idem competentes accipiunt, tali ratione institutum Maiores nostri dixerunt: Tradunt enim his verbis, quòd post ascensionem Domini & Saluatoris nostri ad Patrem, cùm per aduentum Spiritus sancti discipuli eius inflammati, linguis omnium gentium loquerentur, quo præsagio cōsecutum est, vt nulla illis gēs extranea, nulla lingua barbara eis inaccessa vel inuia videretur, præceptum est eis à Dño datum ad prædicandum Dei verbum, ad singulas quasq; nationes adire. Discessuri ab inuicem, normam priùs sibi futuræ prædicationis in commune constituunt, nè localiter ab inuicēm discedentes, diuersum aliquid vel dissonum prædicarent his, qui ad fidē Christi inuitabantur. Omnes ergò in vno positi, & Spiritu sancto repleti, breue sibi prædicationis indicium conferendo in vnum quod sentiebāt, componunt, atque hanc credentibus dandam esse regulam constituunt.

Symbolum autē hoc, ex multis & iustissimis causis appellare voluerunt. Symbolum enim Græcè & indicium dici potest, & collatio, id est, quod plures in vnum conferunt: quod quidem fecerunt Apostoli in his sermonibus in vnum conferendo vnusquisq; quod sentit. Indicium autem vel signum idcircò dicitur, quòd in illo tempore,

tēpore, sicut Paulus Apostolus dicit, & in Actibus Apostolorum refertur, multi se simulabāt esse Apostolos Christi, nominātes quidē Christum, sed non integris traditionum lineis nunciantes. Idcircò igitur istud indicium posuēre, per quod agnosceretur is, qui Christum verè secundùm Apostolicas regulas prædicaret. Denique & in bellis ciuilibus hoc obseruari ferūt, quoniam armorum habitus par & sonus vocis idem, & mos vnus est, atque eadem institutura bellandi, sed vt nè quando belli surreptio fiat, symbola discreta vnusquisque dux suis militibus tradit, quæ Latinè vel signa, vel indicia nūcupantur, vt si fortè quis occurrerit, de quo dubitetur, interrogatus symbolum prodat, si sit hostis an socius. Idcircò autem patres hoc non scribi membranis, sed retineri cordibus tradiderunt, vt certum esset, neminem hoc ex lectione, quæ interdum peruenire etiam ad infideles solet, sed ex Apostolorum traditione didicisse. Discessuri itaque (vt dictum est) ad prædicandum, istud vnanimitatis & fidei suæ Apostoli indicium imposuere. Est autem symbolum signum per quod cognoscitur Deus: quod quique proindè credentes accipiunt, vt nouerint qualiter contra diabolum fidei certamina præparent. In quo quidem pauca sunt verba, sed omnia continentur sacramenta. De totis enim scripturis hæc breuiatim collecta sunt ab Apostolis, vt quia plures credentium litteras nesciunt, vel qui sciunt, præ occupationibus seculi scripturas legere non possunt, hæc corde retinentes, habeant sibi sufficientem scientiam salutarem. Est enim breue fidei verbum, & olim à Propheta prædictum, Verbum breuiatum faciet Dominus super terram.

Act. 15.
Esa. 10.
Rom. 9.

De Regula fidei. Cap. 23.

HÆc est autem post Apostolorum symbolum certissima fides, quam doctores nostri tradiderunt, vt profiteamur Patrem & Filium & Spiritum sanctum vnius esse essentiæ, eiusdemq; potestatis & sempiternitatis, vnum Deum inuisibilem, ita vt singulis personarum proprietate seruata, nec substantialiter Trinitas diuidi, nec personaliter debeat omnino confundi. Patrē quoq; cōfiteri ingenitū, Filium genitum, Spiritū autem sanctū nec genitum, nec ingenitum, sed ex patre & filio procedentē, Filium autē à Patre nascēdo procedere, Spiritum verò sanctum procedendo non nasci. Ipsum quoq; Filium perfectū ex virgine hominem sine peccato susceptisse, vt quē sola bonitate creauerat, sponte lapsum misericorditer repararet. Quē veraciter crucifixū, & tertia die resurrexisse, & cū eadem ipsa carne glorificata ascendisse in cælū, in qua & ad iudiciū viuorum & mortuorum expectatur venturus. Et quòd diuinam humanāq; naturā in vtroq; perfectus vna Christus persona gestauerit: quia nec geminauit vtriusq; substantiæ integritas personā, nec confudit geminam vnitas personæ substantiam. Altero quippe neutrū exclusit, quia vtrumq; vnus intemerato iure seruauit. Quod noui & veteris testamenti salubri commendatur auctoritate illa per Prophetiam, ista per historiam veraciter persoluta, quòd neq; de Deo, neq; creatura veraciter sit cum paganis aut hæreticis aliquid sentiendum in his, quibus à veritate dissentiūt: sed quod in vtroq; testamento diuina protestātur eloquia, hoc tantummodò sentiendū: Quòd siue hominem siue vniuersa, nulla necessitate Deus creauit: Nullam omnino esse visibilē inuisibilemq; substantiā, nisi aut quæ Deus sit, aut à bono Deo bona creata sit: sed Deus summè & incommutabiliter bonus: Creatura verò inferius, & mutabiliter bona: & quòd animæ incerta sit origo: & quòd angelorum origo & natura vel animæ, non sit pars diuinæ substantiæ, sed Dei creatura, ex nihilo condita, & in corpore esse euidenter ostenditur. Quoniam igitur apprehendi & transferri potest, corporea esse nihilominus ostenditur: ad imaginem autem Dei creata est, probitate morū, sine qua fides diuini cultus ociosa torpescit, & cū qua integritas diuini cultus perficitur, vt vnusquisq; Deū proximumq; in Deo diligens, vsq; ad dilectionem quoque inimicorum pertendendo proficiat, & proficiēdo perueniat. Alterum quoq; alterius pollui non posse peccato, vbi par non tenetur voluntatis consensio.

Legitimas nuptias non credi damnandas, licèt ex eis quoq; originali peccato obnoxia credatur nasci posteritas, eisq; iurè fidelium virginum vel continentiū præferenda doceatur integritas. Nec vnum Trinitatis baptisma, quod nefas est, iteretur: neq; pro diuersitate tradentium ministrorum, singulis putetur quibusque conferri, sed à Deo singulari potestate donari. De quo dictum legimus, Super quem videris spiritum descendentem, & manentē super eum, hic est qui baptizat in Spiritu sancto: & ego vidi, & testimonium perhibui, quia hic est filius Dei. Et nè pœnitentiæ remediis nos non egere putemus, pro quotidianis humanæ fragilitatis excessibus, sine quibus in hac vita esse non possumus, ita vt pœnitentiæ compunctione fructuosa vniuersa fateamur deleri peccata, sicut scriptum est: Beati quorū remissæ sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata. Beatus vir cui non imputauit Dominus peccatū. Nullum quoque suis viribus, sed per diuinam gratiam capiti Christo subiungi, atque indiruptæ pacis perseuerātia in vnitate Ecclesiæ ipsius solidari, nec humanæ voluntatis arbitrio boni quicquā reputandū existimari, sed secundū propositum voluntatis Dei, omnē numerū electorū acquiri. Bona quoq; tēporalia bonis malisq; cōmunia à Deo creari: eiusdē dispēsatione singulis quibusque vel tribui, vel negari. Quorū bonorum in vnoquoq; fideliū non habitus, sed vsus aut improbandus est, aut probandus. Certa verò æternaq; bona solos posse bonos in futuro consequi, quorū pignore Ecclesiā nunc informatam

Matth. 28.
Pſal. 31.

Universidad de Deusto
Biblioteca

credimus detineri, hìc habentem primitias spi A
1. Cor. 13. ritus sancti, in futuro perfectionem: hìc sustentari in spe, postea pasci in re: hìc videre per speculum in ænigmate, in futuro autem facie ad faciem, cum ad speciem fuerit perducta per fidem. Quod donec perficiatur in nobis, vt summi Dei fruamur bonis æternis, temporalibus fruendo in Deo, non oberimus & proximis. Eã quoque nos spem resurrectionis habere, vt eodem ordine eademq; forma, qua ipse Dominus resurrexit à mortuis, nos quoque resurrecturos esse credamus in eodem corpore, in quo sumus vel viuimus, non naturam vel sexum mutantes, sed tantùm fragilitatem & vitia deponentes. Ipsum quoq; satanam cum angelis suis atque cultoribus, æterno incendio condemnandum: Neque secundùm quorundam sacrilegam disputationem, ad pristinam (id est, Angelicam) dignitatem, ex qua propria malignitate
Matth. 25. cecidit, reducendum. Hæc est catholicæ traditionis & fidei vera integritas, de qua si vnum quodlibet respuatur, tota fidei credulitas amittitur.

De Baptismo. Cap. 24. C

BAptismi sacramentum si prima repetens ab
1. Cor. 10. origine pandam, baptizauit Moyses in nube & in mari, in typo & in figura. Ita enim Paulus pronunciauit. Habuit ergò mare, formam aquæ baptismi: nubes verò, Spiritus sancti, à à quo nobis verum manna, panis vitæ descendit. Hic enim, sicut patrum exempla docent, Ægyptius demergitur, & Dei populus liberatus, sancto renouatur Spiritu, qui etiam per mare rubrum inoffenso transiuit vestigio. Baptizauit & Ioannes, sed non ex toto Iu-
Matth. 3. daicè: non solùm enim in aqua, nec tamen in D
Spiritu sancto: sed hoc solùm addidit, quòd in pœnitentia baptizauit, sicut ait Paulus in Act.
Act. 19. Apostolorum, Ioannes baptismo pœnitentiæ baptizauit populum, cui tamen ita datum est baptizare in aqua, vt Christus, qui in aqua & Spiritu sancto baptizaturus erat, Ioannis baptismate manifestaretur in Israel, quando Spiritus sancti descensione, & patris voce filius Dei palàm cunctis ostẽsus est. Cœpit ergò perfectum baptisma à Iesu, ipse enim baptizauit primò in
Ioan. 1. Spiritu sancto, sicut & Ioannes dicit: Ego quidem baptizo in aqua, medius autem vestrum E
stat, quem vos nescitis: ipse baptizabit vos in Spiritu sancto & igni: hæc est perfectio baptismi. Deus enim est qui baptizat, vt possint, & qui baptizantur, fieri filij Dei. Tria sunt autem genera baptismi, quorum primùm, quo sordes peccatorũ per regenerationis lauacrũ abluuntur. Secundum, quo quis sanguine suo per martyrium baptizatur, quo baptismo etiam Christus baptizatus est, vt & in hoc, sicut & in cæteris, formam daret credentibus, sicut dicebat ad
Mar. 10. discipulos filios Zebedęi: Potestis bibere calicẽ quem ego bibiturus sum? & baptismo quo ego baptizor, baptizari? itaque sanguis & aqua, baptismatis gemina figura est. Baptisma vnum, quo regeneramur ex aquæ lauacro: aliud, quo consecramur in sanguine. Est & tertium baptisma lachrymarum, quod laboriosiùs trãsigitur, sicut ille, qui per singulas noctes stratum suum Psal. 6.
rigat, qui imitatur conuersionem Manassæ, & 2 Para 33.
humilitatẽ Ninuitarum, per quam misericordiam consecuti sunt. Qui imitatur publicani Ionæ 3.
illius orationem in templo, stantis à longè, &
percutientis pectus suum, quiq; nec ausus fuit Luc. 17.
oculos eleuare ad cælum. Baptismum autem aqua est, quæ tẽpore passionis Christi de latere B
profluxit, nullumque aliud elementum est, quod in hoc mundo purget vniuersa, quod viuificet cuncta, ideoq; cùm baptizamur in Christo, per aquam renascimur, vt purificati viuificemur. Fons autem origo omnium gloriarum est, cuius septem gradus sunt, tres in descensu, propter tria quibus renunciamus: tres in ascensu, propter tria, quæ confitemur: septimus ve- Dan. 3.
rò is est, qui & quartus, similis filio hominis, extinguẽs fornacem ignis, stabilimentum pedum, fundamentum aquæ, in quo omnis plenitudo Coloss. 2.
diuinitatis habitat corporaliter. In Patre autẽ & Filio & Spiritu sancto salutaris baptismi dona consistunt. Vndè nequaquam baptismi sanctificatur officio, nisi qui sub Trinitatis tingitur sacramento, sicut Dominus ait: Ite, do- Matth. vlt.
cete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, & reliqua. Proindè si omissa qualibet Trinitatis persona baptisma detur, manifestè in regenerationis aqua nil agitur, nisi tota Trinitas inuocetur. Nam & Dominus cùm à Ioanne baptizaretur, eundem baptismũ sub Trinitatis sacramento legitur peregisse, dicente Domino: Hic est filius meus Matth. 3.
dilectus, in quo mihi benè complacui. Pater in Luc. 3.
voce, Filius in corpore, Spiritus sanctus fuisse in columbæ probatur specie. Duæ sunt autem pactiones credentium: Prima pactio est, qua renunciatur diabolo & pompis eius, & vniuersæ conuersationi illius. Secunda pactio est, qua se in Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum credere profitetur. Semel autem nos oportet in Rom. 6.
Christo lauari, quia & Christus semel pro nobis mortuus est. Si enim vnus Deus & fides vna Ephes. 4.
est, necessarium est, vt & vnum baptisma sit, quia & Christi mors vna pro nobis est, in cuius imagine mergimur per mysterium sacri fontis, vt consepeliamur Christo morientes huic mundo, & ab iisdem aquis quibus in forma resurrectionis eius emergimur per mysterium, non reuersuri ad corruptionem, sicut & ille minimè reuertitur ad mortem. Quòd si postea quisque præuentus fuerit in aliquo peccato, non iterùm lauacri beneficio, sed pœnitentia expiatur, quæ in similitudine fontis peccata mortificat. Perfectis autem ætate baptismum vel ad purgationem originalis noxæ, vel ad ablutionem actualis peccati proficere credimus: Paruulis autem, vt ab originali peccato abluantur, quod ab Adam prima natiuitate contraxerunt. Qui si priusquàm ex aqua & spiritusancto regenerentur, transierint, proculdubiò à regno Christi
Ioan. 3. alieni sunt, ipso Saluatore testante: Nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritusancto, non potest videre regnum Dei. Quique proindè iidem paruuli alio protestante baptizãtur, quia adhuc loqui vel credere nesciũt, sicut etiã ægri, muti, vel surdi, quorũ vice alius profitetur, vt pro eis dum baptizantur respondeat. Quanuis autem per regenerationem pereat originale delictũ, pœna tamen mortis quæ per pręuaricationem mandati introiuit, manet in eis, quos à reatu originis purgat baptisma Saluatoris. Et hoc proindè, vt homo nouerit pro futuræ beatitudinis spe se regenerationẽ consequi, non vt à pœna temporalis mortis possit absolui. Illud verò quòd nec priuatis nec clericis sinè gradu baptizare liceat, nisi tãtùm sacerdotibus, in Euangelio legimus Apostolis tantùm permissum, Iesu
Ioan 20. post resurrectionem dicente illis: Sicut misit me pater, & ego mitto vos. Et hoc cùm dixisset, insufflauit, & ait eis: Accipite Spiritũ sanctum: quorũ remiseritis peccata, remittuntur eis: & quorum retinueritis, retenta erunt. Et
Matt. vlt. in alio loco: Ite, docete omnes gentes, baptizãtes eos in nomine patris, & filij, & spiritussancti. Vndè constat, baptisma solis sacerdotibus esse traditum, cuiusq; mysteriũ nec ipsis diaconibus explere est licitũ absq; episcopis vel presbyteris, nisi illis proeùl absentibus vltima languoris cogat necessitas: quod & laicis fidelibus plerunq; pmittitur, nè quisquã sinè remedio salutari de seculo euocetur. Hæretici autẽ, si tñ in patris & filij & spiritussancti attestatione docentur baptisma suscepisse, nõ iterùm baptizãdi, sed solo chrismate & manus impositione purgandi sunt. Baptismus .n. non est hominis meritũ, sed Christi: ideoq; nihil interest, hæreticus an fidelis baptizet. Quod sacramentũ tã sanctũ est, vt nec homicida ministrante polluatur. Habet quidem baptismũ Christi hæreticus: sed qa extra vnitatẽ fidei est, nihil ei ꝓdest: at vbi ingressus fuerit, statìm baptisma, quod habuerat forìs ad pernicię, incipit illi iã prodesse ad salutẽ. quod .n. accipit, approbo: sed quia forìs accipit, improbo. Dũ autẽ venerit, non mutatur,
Vide Aug. cõt. Parme. li. 2. cap. 13 sed agnoscitur. character est enim regis mei baptismus, non error sacrilegus. corrigo deser torem, non mutuo characterem.

De Chrismate. Cap. 25.

CHrismatis vnguentũ, Moyses primũ in Exo
Exod. 30. do, iubente Dño, composuit & confudit, quo primi Aaron & filij eius in testimoniũ sacerdotij & sanctitatis peruncti sunt. Deindè quoq; & reges eodẽ chrismate sacrabantur. vndè & Christi nuncupabantur, sicut scriptũ est,
Psal. 104. Nolite tangere Christos meos. eratq; eodẽ tẽpore in regibus & sacerdotibus tantũ mystica vnctio, qua Christus figurabatur, vndè & ipsũ nomẽ à chrismate ductũ est. Sed postquàm Dominus noster verus rex & sacerdos æternus, à Deo patre cælesti mystico vnguento est delibutus, iam non soli pontifices & reges, sed omnis ecclesia vnctione chrismatis cõsecratur, ꝓ eo q̃ membrũ est æterni sacerdotis & regis. Ergò
1. Pet. 2. qa genus regale & sacerdotale sumus, ideò post lauacrũ vngimur, vt Christi nomine cẽseamur.

De manus impositione, vel Confirmatione. Cap. 26.

SEd quoniam post baptismum per episcopos datur Spiritus sanctus cum manuum impositione, hoc in Actibus Apostolorum fecisse meminimus Apostolos: sic enim legitur: Factum Act. 19.
est autem, vt dum Apollo esset Corinthi, Paulus peragratis superioribus partibus, veniret Ephesum: ibique cùm inuenisset quosdam discipulos, dixit ad illos: Si Spiritum sanctum accepistis credentes? at illi dixerunt ad eum: Sed neq; si Spiritus sanctus est audiuimus. Ille verò ait, In quo ergò baptizati estis? Qui dixerunt: In Ioannis baptismate. Ait autem Paulus: Ioannes baptizauit baptismo pœnitentiæ plebem, dicens, in eum qui post eum venturus erat, vt crederent: hoc est, in Iesum. Quòd cùm audissent, baptizati sunt in nomine Domini Iesu, & cum imposuisset illis manum Paulus, venit Spiritus sanctus super illos, & loquebantur linguis, & prophetabant. Item in alio loco: Cùm Act. 8.
audissent qui erant Hierosolymis Apostoli, quia recepisset Samaria verbum Dei, miserunt ad illos Petrum & Ioannem. Qui cùm venissent, orauerunt pro eis vt Spiritum sanctum acciperent: nondùm enim in vllum eorum descenderat, sed tantũ baptizati erant in nomine Domini nostri Iesu Christi. Tunc imponebant illis manus, & accipiebant Spiritum sanctum.

Spiritum autem sanctum accipere possumus, dare autem non possumus: sed vt detur, Deum inuocamus. Hoc autem à quo potissimùm fiat, quem admodùm Papa sanctus Innocentius scribit, subiiciam. dicit enim, non ab alio quàm ab Episcopo fieri licere: nam presbyteri, licèt sint sacerdotes, pontificatus tamen apicem non habent. Hoc autem solis pontificibus deberi, vt vel consignent, vel paracletum spiritum tradant, quod non solũ Ecclesiastica consuetudo demonstrat, verùm & superior illa lectio Apostolorum, quæ asserit Petrum & Ioannem esse directos, qui iam baptizatis traderent Spiritum sanctum. Nam presbyteris, siue extra episcopum, siue præsente episcopo baptizant, chrismate baptizatos vngere licet, sed quod ab episcopo fuerit consecratum: non tamen frontem ex eodem oleo signare, quod solis debetur episcopis, cùm tradunt spiritum paracletum. Innocẽtius ad Decentium.

Hæc sunt pauca ex multis, quæ probabilium virorum nouimus percepisse doctrinis, quorumq; eloquia proindè quibusdam in locis à nobis interesse noscuntur, vt sermo noster paternis sententijs firmetur.

FINIS.

Universidad de Deusto
Biblioteca

ALBINI FLACCI ALCVINI DE DIVINIS OFFICIIS LIBER.

De natiuitate Domini.

SAcratissima huius diei natiuitas ideò dicitur, quòd in ea natus est Christus, anno videlicet iuxta Hebraicam veritatem, à conditione mundi ter millesimo, nongentesimo quinquagesimo secundo: Secundùm alios verò, anno quinquiès millesimo, centesimo nonagesimonono, qui est annus imperij Octauiani Cæsaris Augusti quadragesimus secundus, quo compressis cunctarum per orbem terræ gentiũ motibus, firmissimam pacem ordinante Deo patre, Iesus Christus sextam mundi ætatem suo consecrauit aduentu. Quocircà congruum erat, vt pax per totum orbem constituta esset, & homines perduelles cessarent à bellis & inimicitiis. Viæ quoque publicæ tunc tutæ fierent iussæ, quia verissima via debebat nasci, & vt ab omnibus potuisset agnosci, homo fieri dignatus est. Vt enim illos alloqueretur, Verbum caro factum est. Sed antequam ex virgine nasceretur, portenta & signa in cælo & in terra patuerunt. Quadam namque die cùm Cæsar Augustus vrbem Romam ingrederetur, hora circiter diei tertia, repentè liquido ac sereno cælo instàr arcus cælestis orbem solis ambire visus est: Illum nempè præsagiens, qui ipsum solem, mundumq; totum & fecisset & regeret. Ea siquidem tempestate triginta millia seruorum dominis reddidit. Tria millia etiam, quorum domini non extabant, in crucem egit. Deinde ouans vrbem ingressus, omnia populi Romani debita donauit, abolitis literis. Per idem tempus fons olei largissimus de taberna meritoria per totum fluxit diem, nimirùm Christi gratiam significans ex eadem taberna, hoc est, larga Ecclesia, nouos populos ex gentibus processuros. In multis etenim signis Augusti Cæsaris, aduentus Christi designabatur. Vndè benè Cæsar possessio principalis, Augustus solenniter stans interpretatur. Quinimò Christum exprimens, qui omnia solenniter possidet, omnesque principatus potentialiter obtinet. Cyrinus præses qui hæres interpretatur, significat Petrum, cui hæreditas Ecclesiæ à Domino largita est. Itaque cùm exisset edictum à præfato Cæsare, vt describeretur vniuersus orbis, prædictus Cyrinus ad Iudæam missus est, census hominum possessionesq; descripturus. In qua descriptione inuenta sunt ciuium Romanorum quadragiès semèl cẽtena, & sexagintaquatuor millia coloniæ deductæ. Nam anteà idem Cæsar omnibus prohibuerat, vt nemo illum Dominum ausus fuisset appellare ob id, quia eo imperante nasci deberet ille verissimus Dominus pariter & Imperator. Cõceptus nanq; traditur octauo Cal. April. à quo supputãtur dies ducẽti septuaginta sex, id est, menses nouem. & dies septem vsque ad octauum Calend. Ianuarias, quando creditur natus Sulpitio & Camerino coss. Aptissimum namque erat, vt eo tempore esset conceptus, quo mundus per ipsum factus est, & in quo fructus terræ viuificantur: & in eodem natus, quo crescit longitudo diei, & noctis tenebræ diminuuntur. Sed quærendũ est, cùm in nocte dicatur natus, cur angelus pastoribus euangelizabat, dicens: Natus est vobis hodiè saluator: hodiè enim dixit, hoc est, in die noui testamenti, quando finem ignorantiæ tenebris dedit, & initium scientiæ lucis posuit. Sed & hoc conueniebat, vt circa illam horam noctis nasceretur, qua à mortuis resurrexit. Vndè Salomon: Dum medium silentium tenerent omnia, & reliqua. Quærendum etiam, cur hæc festiuitas non habet eandẽ varietatẽ, quã Pascha & Pentecoste: Scilicet, vt mundarentur dies septimanæ, quas maculauit peccatũ Adæ. Vndè Augustin. Nosse oportet diem natalem Domini non in sacramento celebrari, sed tantùm ad memoriã reuocare quòd natus sit. Ac per hoc nihil opùs erat, nisi reuolutum diem anni, quo ipsa res facta est, festa deuotione signari. Pascha verò & Pentecoste non solùm quod factum est, ad memoriam reuocamus, id est, quòd mortuus est ac resurrexit, sed illa quæ circa eũ gesta esse testãtur, ad Sacramẽtorũ significationem intelligimus. Vigiliæ verò, quæ à pastoribus hac nocte custodiebantur, in quatuor diuiduntur, scilicet leges quatuor, significantes primam naturalem, secundam Mosaicam, tertiam Prophetarum, quartam noui testamenti. In qua pastoribus, id est, Ecclesiasticis doctoribus apparuit. Et nos cum pastoribus vigilare debemus vt mereamur illud suauissimum harmonicum, quod hac nocte primò cantatum est, audire: GLORIA in excelsis Deo, & reliqua. Vndè etiam S. Telesphorus Papa peruigiles nos malens fore, Missas celebrare fecit, scilicet in recordationem natiuitatis Christi, seu concentus angelici: aliæ verò

Missa,

Dies & hora cõceptionis Christi.

Dies Natiuitatis Chi.

Hodie natus quare dicatur.

Quare in nocte natus Christus.

Quare festum Natalis non sit mutabile.

Sunt hæc ijsdem verbis in Rom. Ordine.

Vigilia pastorũ quid figuratur.

Tres Missæ in nocte Natalis.

Christi ante natiuitatẽ signa & admirãtio.

Miraculum de Christo, quod Cæsar Augustus viderat

Præsagia Romæ de Christo.

Cyrinus præses.

Missa, quæ sequitur, signat nouam lucem Euãgelij, qua per incarnati verbi mysterium perfundimur: seu propter visitationem pastorum ad præsepe Domini, in quo inuenerunt panem viuum, qui quotidiè à fidelibus manditur. Romani hanc noctem ità celebrant: Pridiè, id est, vigilia natalis Domini hora nona canunt Missã ad S. Mariam. Qua expleta, canunt vespertinalem synaxin. Dehinc vadunt ad cibum. In crepusculo noctis intrat Apostolicus ad vigiliã in præfatam Ecclesiam, tamen non cantant ibì introitum, sed expletis vigilijs & matutinis, sicut in antiphonario continentur, ibidèm cantant primam Missam in nocte: qua expleta, vadunt ad S. Anastasiam canere aliam Missam de nocte. Dehinc pergunt ad S. Petrum, vt ibì vigilias celebrẽt, ab eo loco vbi inuenerint eos psallere, qui ibidèm excubant: Ipsi enim intrãt ad vigilias solito tempore in processu noctis, & canunt inuitatorium, & prosequuntur ordinem antiphonarij: vndè etiam dupla officia in Romanorum antiphonarijs hac nocte describuntur.

pro festi nãtalis cæremoniæ Romæ.

Vide Ord. Rom.

De Circunciſione.

HÆc circuncisio nihil aliud est, nisi absciſsio in carne præputij, quod solis Iudæis imperatum est: vndè etiam ab Abraham sumpsit initium, quòd ei à Domino præceptũ est, Circuncidetur ex vobis omne masculinũ, & infans octo dierum circunciderur in vobis: Vt esset signum fœderis inter Deum, hominesq; fideles: Vt purgarentur ab omni inquinamẽto carnis & spiritus, iussa est caro circuncidi: & quod hodiè nobis in fide baptismus Christi, hoc præstabat illis circuncisio in die octaua, qua resurrexit à mortuis, excepto quòd circuncisis nec dùm regni cælestis patebat ingressus. Sed quæritur, cum Dominus in veteri testamento iussit circuncidere, & ipse in nouo circuncisus est, cur denuò cessauerit circuncisio? ipse non venerat legem soluere, sed adimplere. Neque vt dissimilis videretur patribus sanctis & prophetis, ex quorum prosapia secundùm carnem nasci dignatus est, idcircò voluit circuncidi, siue vt excusationem auferret Iudæis dicendi, Dissimilis es patribus, ideò nolumus credere in te: sed quia vetera transierunt, & ecce facta sunt omnia noua, oportet nos circuncidi, non carne, sed spiritu. Christus enim sicut pro nobis mortem suscepit, ità circuncisionem non respuit, vt nos in spiritu circunciderem̃ur: quoniam circuncisione cordis delectatur, sicuti propheta adstipulatur: In nouissimis circuncidet Dominus corda vestra, & non corpora. Hæc est vera circuncisio cordis, vt deponamus veterem hominem cum actibus suis, & induamus nouum hominem, qui secundùm Deum creatus est.

Cæremõiæ in festo Circuncisionis

Circũcisionis causa & origo.

Quare chr̃s voluerit circuncidi.

De octaua Domini.

IN hac octaua die circuncisus est. Iste dies octauus omnem plenitudinem in se obtinet, & est perfectus numerus. Ipse est enim dies Dominicus, & dies resurrectionis Domini. Vndè verò initiũ sumpserit, liber Leuiticus pandit: Dies, inquit, octauus erit celeberrimus atque sanctissimus. Et Paralipomenon: Porrò Matathias cum Leuitis in citharis pro octaua canebant epinicion, quod epinicion significat triũphum Domini. Et tituli Psal. sexti & vndecimi, pro octaua inscribuntur. Nanq; hæc octaua dies ad ẽternam pertinet requiem. Vndè à nobis singulari numero accipitur, qui nullo succedente mutatur. Hic verò mundus non recipit hunc octauum diem, qui est singularis, sed illos quos vocamus octauos: eo quòd finito septimo redit semper ad primum. Nonnulli per hanc octauam, aduentum Domini secundum putãt significari. Vndè Amos propheta: Væ concupiscentibus diem Domini: ipse enim est dies tenebræ, & non lucis. Et Sophonias: Vox diei Domini amara & dura, tribulabitur ibì fortis. Illi verò qui istum diem à constitutione mundi arbitrantur post sex millia annorum fore venturum, eo quòd septimo die Dominus ab opere suo legitur cessasse, mille scilicet annos per dies singulos computantes, quia legitur, à conspectu eius mille anni sicut dies vna, non satis attendũt quòd Dominus in Euãgelio hunc diẽ nec filium hominis nosse adstipulatur. Vndè nimis importunum, illud studiosè quærere, quod nobis diuina prouidentia noluit reuelare. Sanè illam diem magnam & singularẽ amare & sperare debemus, quam propheta Dauid sitiens, vnam vocabat, dicens: Quia melior est dies vna in atrijs tuis super millia. Hæ verò octauæ quas hodiè colimus, ideò reuerenter celebrãtur, quia primis diebus concurrunt sicuti vnus dies Dominicus ad alterum, qui eodem ritu celebratur: hodiè enim aduentum hominum ad Christum celebramus, & in natiuitate eiusdẽ, aduentum illius ad homines.

Quarè die octauo sit Christ⁹ circuncisus.

Nouissimus dies qs sit.

Quare octauæ festiuitatum colantur.

De Calendis Ianuarij.

HÆ calendæ secundùm dementiam gentilium potiùs dicendæ sunt cauendæ, quàm calendæ. Ea siquidem tempestate (quandò iudices præerant filijs Israel, hoc est, ante Samsonem) fuit quidam princeps gẽtilium in Italia, nomine Ianus, à quo Ianuarius mensis posteà nuncupatus est. Hunc verò Ianum imperiti homines, qui Deum non cognoscebant, quasi regem metuebant, & pro Deo illum colere cœperunt, duasq; facies illi figurauere, propter Orientem & Occidentem: necnon & quadrifrontem appellauerunt, id est, Ianum geminũ, propter quatuor partes, seu elementa quatuor, atque tempora quatuor. Sed cùm hoc facerent, formabant potiùs monstrũ, quàm Deum. Vndè Numa post Romulum hunc esse primum mensem anni voluit, tanquàm bicipitis Dei mẽsem, respicientem ac prospicientem transacti anni finem, futuriq; initium: & Ianuarium vocatum, eo quòd sit limes & janua anni. Vndè

Beda de tẽporibus.

imperi-

Universidad de Deusto
Biblioteca

Saturnalia & Lupercalia.

imperiti homines velut deum colentes, diem ipsum multis spurcitijs sacrauerunt. Quidam mutabant se in species monstruosas, in ferarúque habitus transformabant. Alij in fœmineo gestu mutati, virilem vultum effœminabant. Necammeritò virilem fortitudinem non habent, qui in mulieris habitum tranſierunt: alíqui fanaticis augurijs profanabantur, perstrepebant saltando pedibus, tripudiando plausibus: nonnulli ità auguria obseruabant, vt focũ de domo sua, vel aliud quodcunque beneficiũ, cuiquam petenti minimè tribuerent. Diabolicas etiam strenas & ab alijs accipiebant, & ipsi alijs tradebant. Necnon etiam mensulas plenas ad manducandum tota nocte paratas habebant, credentes, quòd Calend. Ianuarij per totum annum præstare possent. Et quia his atq; alijs miserijs mundus vniuersus repletus erat, statuit vniuersalis Ecclesia ieiunium publicum in isto die fieri, quatenùs his calamitatibus auctor vitæ finem imponeret. Sed quia Domino largiente, hæc à fidelibus pro nihilo habentur, licèt quantulæcunq; similitudines, quod absit, adhuc lateant in feris hominibus, omni tamen conamine prohibendæ sunt atq; pellendæ: neq; enī aliud quicquā nouī iſtiusmodi Calend. præsumẽdũ est, nisi quod & in aliis Calend. mentiũ, excepto q octauæ Dñicæ cum eximio cultu celebrentur, vt suprà præfixum est. Sed neq; illud reticendum, quòd dum quadam die hæ superstitiones diabolicæ Romæ agerentur, quidam S. Almachius cùm diceret, Hodiè octauæ diei Dominicæ sunt, cessate ab his superstitionibus idolorum & sacrificiis pollutis, iubente Alypio vrbis præfecto, hac de causa interfectus est.

Strenæ in Ianuario.

Ieiunij publici origo in circuncisionis festo.

De Theophania vel Epiphania.

SOlennitas hæc sacratissima, quæ à Græcis theophania, vel epiphania nuncupatur, latinè verò apparitio seu ostensio, vel manifestatio interpretatur, multimoda in se cõtinet mysteria. Cùm enim Christus nuper ex aluo virginis egrederetur, Magi Chaldæi in Oriente stellam videntes nimia claritate fulgentem ità vt solẽ luce superaret, vt erãt edocti in cursu astrorum, animaduerterunt hanc esse stellam, quam olim Balaam Madianita, cuius traditionem sequebantur, prædixerat ità adfuturam: Orietur stella ex Iacob, & reliqua. Videbatur enim sidus per diem. Istorum enim Magorum primus, Zoroastres rex extitit, à quo originem ferũtur traxisse. Hi elementa concutiebant, turbabantque mentes hominum. Ex istorũ genere quondam in Aegypto restiterunt Moysi, vertentes virgas in dracones, aquasque in sanguinem. Hi Astrologi dicti, necnõ Genethliaci propter natalium considerationes. Geneses enim dierum hominum per duodecim sidera cæli describebant. Siderum quoque cursu nascentium mores, eventusq; pronunciabant, id est, quis quali signo fuisset natus, aut quem effectum haberet vitæ qui nascebatur. Hi vulgò Mathematici appellabantur, cuius superstitionis genus constellationes Latinè vocabant, id est, notationes siderum, quomodò se haberent cùm quis nasceretur. Iidem autem stellarum interpretes nuncupabantur, sicut & de his legitur, qui in Euangelio natum Christum annunciauerunt. Posteà autem solo nomine Mathematici. Cuius artis scientia vsque ad Euangelium fuit concessa, vt Christo edito nemo exindè natiuitatem alicuius de cælo interpretaretur. Vndè mox perturbati atque conterriti ex visione sideris, acceptis muneribus, præeunte eos stella ad Christi cunabula tertiodecimo die, quod est hodiè, in Bethleem perueniunt. Quem tiaratis vultibus adorantes, lætata est sagax curiositas Chaldæorũ, quia illum videbant in terris editum, quem in cælis cognouerant astrorum facibus esse præsagitum. Cui etiam munera obtulerunt, hoc est, aurum, thus & myrrham. Quia à longè veniunt, gentium populos lucem fidei cognituros præsagiunt. Per aurum rex ostenditur. In thure Deus dignoscitur. Per myrrham, homo passus atq; sepultus. Hæc dona Iuuencus Presbyter * mirè conclusit.

Astrologica prædictio olim prohibita Christianis.

*metro

Aurum, thus, myrrham, regique, Deoque, hominique
Dona ferunt.

In hac die vnum amittimus ex his quæ in Natiuitate Domini celebramus; hoc est, Inuitatorium. Institutor autem officiorum, inquantùm potuit, actionem illius temporis, quando illa agebantur, quæ recolimus, in vsitato officio voluit ad memoriam nobis reducere, scilicet, quia voluit in isto distinguere nostram bonam inuitationem, qua inuitantur & excitantur fideles ad Deum deprecandum, ab inuitatione Herodis, qui propterea congregauit scribas & principes Iudæorum, vt sciret vbi Christus nasceretur, quem cogitabat interficere, Inuitatorium præsentis officij omisit. Psalmus autem, Deus noster refugium & virtus, præpostero ordine cantatur, quia priùs adoratus est à Magis Dominus, quàm à Ioanne baptizatus. Et forte institutor istius officij, magis voluit imitari ordinẽ venientiũ fidelium ad baptismum, quàm sequi ordinem Psalmorũ. Tunc ergò behè ad memoriam reducuntur facta præterita, cùm rationes rationi conueniunt.

Dies perfectionis Magorum.

De Baptismo Domini.

EXpletis Christi quasi triginta annorum curriculis, venit in Iordanem ad Ioannem, vt baptizaretur ab eo, anno videlicet decimoquinto Imperij Tiberij Cæsaris, sub Valeriano & Asiatico consulibus, necnon in Iudæa quatuor Tetrarchis dominãtibus, id est, Herode, Philippo & Lysania, filijs Herodis maioris: seu Pilato præside Romano, agentibus pontificatũ Anna & Caipha. Peracti enim erant ab initio mũdi secundùm Hebraicam veritatẽ anni quater mille, nongenti, octogintaduo, adnotato, quòd decimo sexto anno Tiberij principium fuerit octo-

octogesimi primi Iubilei. Iuxta septuaginta interpretũ verò editionem, anni sunt quinquiès mille, ducenti, vigintinouem. Pro tribus enim causis baptizatus est Dominus: primò, vt quia homo erat, omnem iustitiam legis impleret: Secundò, vt baptismo suo Ioannis baptismum comprobaret: Tertiò, vtì Iordanis aquas sanctificans, per descensionem columbæ Spiritus sancti inlauacro, credentium monstraret aduẽtum. Post baptismum ilicò ductus est in desertum à spiritu, vt tentaretur à diabolo, & cœpit ieiunare pro nobis quadraginta diebus & quadraginta noctibus. Secundùm hanc rationem cœptum est ieiunium à baptismo Domini, & solutum est decimoquinto calend. Martias, quandò diabolus confusus ab eo recessit. Abhinc quoq; in populos IESVS Christus salutarem viam annunciat, signis atque virtutibus vera comprobans esse quæ diceret. Miracula etiam, quæ in Euangelio scripta sunt, inchoat facere. Vndè primum erat miraculum, quòd post reuelationem anni, quandò vocatus est ad nuptias, aquas in vinum conuertit, quod est tertio die post vocationem discipulorum. Vinũ istud ex aqua factum, diuina præcepta seu scripturas sanctas meracissimas, vigorem cælestis sapientiæ continentes, intelligimus: hæ nuptiæ gaudia salutis humanæ significant: sex hydriæ, sex mundi ætates designant, per quas iusti figuram Domini præstulerunt. Per architriclinum, fortissimum prædicatorem Paulum intelligimus. Fecit etiam hodiè magnum miraculum, quandò de quinq; panibus & duobus piscibus pauit quinque millia hominum. Quinq; millia hominum, qui quinq; panibus & duobus piscibus pasti sunt, Ecclesiæ sunt populi, qui post quinq; sensus corporis, alimento legis spiritali à Christo reficiuntur, & duplici testamento quasi gemellis piscibus saturantur. Neque hoc prætereundum est, quòd hæc secunda natiuitas Christi tot illustrata mysterijs, honoratior est quàm prima. Tunc tantummodò natus est, & angelus pastores affatus est: hodiè verò à Magis cũ muneribus adoratus est: hodiè cùm in Iordanicis aquis tingeretur, filius dilectus à patre vocatus est de cælo, & spiritus sanctus in specie columbæ super eum visus est, necnon post baptismi sacramentum caput draconis cõtritum est: hodiè ex aqua vinum factum est, eidemq; cælesti sponso Ecclesia iuncta est, insuper & quinq; hominum millia ab eo refecta sunt, & idcircò manifestatio interpretatur, qa in his manifestare se hominibus dignatus est. Quòd autem in hac festiuitate nemo præsumat baptizare, S. Leo Papa in Decretalibus prohibet ità: Si quis autem Epiphaniæ festiuitatẽ, quæ in suo debito honore venerãda est, ob hoc existimat habere priuilegiũ baptismatis, sciat illius baptismi aliam gratiam, aliam fuisse rationem, nec ad eam pertinuisse virtutem, qua per spiritum sanctum renascuntur. Dominus non indigens remissione peccati, nec remedio renascendi, sic voluit baptizari, quomodò & circuncidi. Sed tunc regenerationis potentiam sanxit, quandò de latere illius profluxerunt sanguis redemptionis, & aqua baptismatis: vndè in baptizandis electis, qui secundũ Apostolicam regulam & exorcismis scrutandi, & ieiunijs sanctificandi, & frequentibus prædicationibus imbuendi, duo tantùm tempora, id est, Pascha & Pentecosten, esse seruanda, excepto pro mortis periculo, & in persecutionis angustijs, & in timore naufragij. Aptissimum nanq; est, vt in morte crucifixi, & in resurrectione mortui, pœnitentia baptismi nouam naturam condat ex vetere, vt in renascentibus operetur & resurrectio & mors Christi, dicente Apostolo: An ignoratis, quia quicunque baptizati sumus in Christo Iesu, in morte ipsius baptizati sumus? Per triduanam enim sepulturam imitatur trina demersio, & ab aquis leuatio, resurgentis instar est de sepulcro.

Baptizatio Christi secunda natiuitas.

In festo Epiphaniæ nemo debet baptizari.

Rom. 6.

De Purificatione S. Mariæ.

DE hac festiuitate & alijs festiuitatibus sanctæ Mariæ, in gestis pontificalibus legitur, quòd Sergius Papa præceperit Litanias fieri in die præsentationis Domini in templo: ità enim scriptum est, Vt in diebus annunciationis Domini, dormitionis ac natiuitatis sanctæ Dei genitricis Mariæ, & S. Simeonis, quod ὑπαντὴ dicitur Græcè, cum litanijs exeant à S. Adriano, & ad S. Mariam populus occurrat. Ipsa ergò die aurora ascendente procedit omnis clerus seu populus cum litanijs & antiphonis ad Ecclesiam S. Adriani, expectantes pontificem. Ingressus pontifex in sacrarium, induit se vestibus nigris, & clerus similiter. Post hoc accipiunt omnes singulos de manu pontificis cereos. Deindè ex iussu pontificis inchoat schola antiphonam, *Exurge Domine*. Psalm. *Deus auribus nostris*. Et egredietur pontifex de sacrario cum ministris, annuente eo scholæ primo, vt dicant *Gloriam*. deincèps vadit ad altare, & orat vsque ad expletionem *Gloriæ*. Post orationem osculato altari, & Diacono similiter hinc indè, dicit schola, Vers. *Opus quod operatus es*, absque *Kyrieeleison*. Antiphona expleta, stans pontifex ante altare, dicit: *Dominus vobiscum*, &, *Oremus*. & diaconùs dicit, *Flectamus genua*. si tamen infra septuagesimam euenerit. Sequitur oratio: *Exaudi quæsumus Domine plebem tuam*: hac expleta, inchoat schola per viam Antiphonam, *Adorna thalamum*. Item, *Aue gratia*. Item. *Responsum accepit Simeon*. Cùm autem appropinquauerint atrio ecclesiæ sanctæ Mariæ, faciendæ sunt litaniæ. His expletis ante altare, & ingresso pontifice in sacrariũ, inchoat schola ad introitum Antiphonam, *Suscepimus Deus*. Ipsa die non cantatur *Gloria in excelsis Deo*, si intra septuagesimam euenerit. Deincèps Missa peragitur ordine suo. De hac festiuitate dicit & Beda sacerdos & doctor eximius

Cæremoniæ in Purificatione S. virginis.

Litaniæ in festo Purificationis.

Cereorum origo in festo Purificationis.

Universidad de Deusto
Biblioteca

mus in libro de temporibus: Secundum men- A
sem dicauit Numa Februo, id est, Plutoni, qui
lustrationum potens credebatur: Lustrarique
eo mense ciuitatem necesse erat, quo statuit vt
sacrificia Diis Manibus soluerentur. Sed hanc
lustrandi consuetudinem benè mutauit Chri-
stiana religio, cùm in mense eodem die sanctæ
Mariæ, plebs vniuersa cum sacerdotibus ac mi-
nistris, hymnos modulando, deuota per Ec-
clesias perq; congrua vrbis loca procedit, da-
tosque à pontifice cereos in manibus gestant
ardentes, & augescente bona consuetudine, idi-
psum in cæteris quoquè eiusdem beatæ Matris
& perpetuæ Virginis festiuitatibus agere didi-
cit, non vtiquè in lustrationem terrestris impe-
rij quinquennem, sed in perennem cælestis re-
gni memoriam, quandò iuxta parabolam vir-
ginum prudentium, omnes electi lucentibus bo-
norum actuum lampadibus obuiam sponso ac
regi suo venientes, mox cum eo ad nuptias su-
pernæ ciuitatis intrabunt.

De Septuagesima.

Septuagesimæ origo.

SEptuagesima computatur secundùm titula- C
tionem Sacramentarij & antifonarij, no-
uem hebdomadibus ante Pascha in septimam
Sabbati. Populus Dei in Babylone detentus est
captiuus septuaginta annis. Quibus expletis,
reuersus est Hierusalem. Septuagesimus nume-
rus nobis ad memoriam reducit omne tempus
præsentis seculi, quo alieni sumus à cælesti, Hie
rusalem. Ideò auctor officij nostri septuagesimã
posuit in officiis nostris, vt hoc tempore à deli-
ciis abstinendo, ostenderemus in nostra con-
uersatione, qualiter per omne tempus seculi
viuere debeant, qui post baptismum peccatis se
alienant à cælesti Hierusalem. Nam quòd post D
septuaginta annos populus de captiuitate re-
uertitur, quis non videat post euoluta tempora,
quæ septenario dierum numero transcurrunt,
etiam nobis, id est, Ecclesiæ Dei, ad illam cæ-
lestem Hierusalem ex huius seculi peregrina-
tione redeundum? Quapropter Alleluia illo
tempore non cantatur apud nos, nec *Gloria in*
excelsis DEO, quæ sunt cantica cælestia. Di-
cit enim Psalmus: Quomodò cantabimus can-
ticũ Domini in terra aliena? Sunt qui primam
hebdomadam Septuagesimæ, sinè aliquo arti-
culo nouellæ conuersationis ducunt, excepta E
mutatione Alleluia, & in quibusdam locis Dal-
maticarum, & intermissione *Gloria in excelsis*
DEO. Græci proximam hebdomadam, id est,
Sexagesimam, sanctificant suo ieiunio. Clerici
nostri, auctore Telesphoro Papa, sequentem,
id est, Quinquagesimã, qui constituit septem,
hebdomadarum ieiunium ante Pascha. Præ-
ceptor tamen officij nostri ampliorem muta-
tionẽ requirit, quàm nos agamus, constitutio-
ne officij sui. Ipsum enim ieiunium intimauit
in prima oratione Missæ, dicens: Vt qui iustè
pro peccatis nostris affligimur: hìc enim affli-
ctionem sonat. In Introitu quoquè dicit, Cir-

Alleluia depositio.

Ieiuniũ cleri á Quinquagesima.

cundederunt me gemitus mortis, dolores infer-
ni. Propter hos dolores non possumus lætari &
securi esse, sed præparare nos debemus ad bellũ,
vt Apostolus ait: Omnis qui in agone contẽdit,
ab omnibus se abstinet. Dicit enim Ambrosius:
Ab omnibus quæ vitãda eadem tradit disciplina, cùm sciant vnum coronandum: quanto ma-
gis obseruandũ est, quibus omnis promissa est
salus? Vndè autem abstinere debeamus, qui
bellaturi sumus, docet Apostolus, dicens: For-
nicatio & omnis immunditia, aut auaritia, nec
nominetur in vobis. Telesphorus Papa nonus
post beatum Apostolum in sede Romana, con- B
stituit, vt per septem hebdomadas abstinen-
tiam obseruent, quod adhuc multi faciunt.
Quod tempus tunc duas ob causas Quinquage
simam placuit appellari, vel quia in ordine
quinquagesimus numerus post quadragesimũ
constat: vel quia exindè quinquaginta dies sunt
in sanctam resurrectionem. Postmodùm Mel-
chiades Papa natione Afer, trigesimus quartus
post S. Petrum, constituit vt nemo præsumeret
in prima vel quinta feria ieiunare. In prima,
propter Domini resurrectionem: in quinta, C
quia in ea cœnauit Dominus cũ discipulis suis,
& in ea ascendit in cælum. Tunc placuit fideli
bus, vt octo hebdomadas consecrarent ieiunio,
& primam Dominicã sexagesimã nominarent,
non propter sexagenarium dierum numerũ, sed
propter vsum locutionis nostræ, quo sicut qua-
dragenario quinquagenarius, ita quinquagena-
rio sexagenarius, & sexagenarius septuagena-
rio coaptatur. A sexagesima vsque Pascha, octo
sunt hebdomadæ, è quibus singulis si primam
& quintam feriam de abstinentia subtrahas, vt
Melchiades instituit, & ipsum diem sanctum
Paschæ, quadraginta tantùm dies remanent
abstinentiæ, ad imitationem Domini nostri Ie-
su Christi. Septuagesima ideò à fidelibus fertur
celebrari, vt & decimas dierum Deo reddere,
& nihilominùs primam & quintam feriam, &
Sabbatum possint à ieiunio relaxare. A septua-
gesima nanque in Pascha, nouem sunt hebdo-
madæ, quæ faciunt sexagintaquatuor dies: ex
quibus si de vnaquaque hebdomada tres præ-
fatos dies subtraxeris, & sacrum diem Pascha-
lem, triginta sex dies in decimatione anni ie-
iunas. Ille autem qui sabbatum constituit ho-
norandum, non propter legalia mandata hoc
fecit, sed quia requieuit illa die Dominus in se-
pulcro. Augustinus libro 15. de Ciuitate Dei:
Non omnia, inquit, quæ gesta narrantur, ali-
quid etiam significare putanda sunt, sed pro-
pter illa quæ aliqiud significant, etiã illa quæ
nihil significant, attexuntur: Non solo vome-
re aratur, sed vt hoc possit fieri, etiam aratri
cætera membra sunt necessaria. Nec soli nerui
in citharis aptantur ad cantum, sed vt aptari
possint, insunt & cætera. Item aliter: Quarè
dicitur septuagesima, cùm ab ea die vsque in
Pascha non sint plus quàm sexagintaquatuor
dies? Consuetudo est scripturarum diuinarum,

Antiquum ieiuniũ fuit 7. hebdomadarum.

Ieiuniorũ dies.

Elegans de numeris ac clesiæ ac scripturæ disputatio.

vt om-

*tertius

vt omnis numerus, ex quo quamlibet deca- A
dem transierit vt *tertiis monadis incurrat, non
deputetur idem numerus præcedenti Decadi,
sed ei ad quam tendit. Lege librum Genensis
in genealogia filiorum Noe. Item aliter: Cur
dicitur septuagesima, cùm ab illa die vsque in
Pascha non sint septuaginta dies? Septuagesi-
ma tendit ad Sabbatum ante octauas Paschæ,
quandò hi qui in vigilia Paschæ baptizantur,
alba vestimenta deponunt, & tunc confirmari
eos oportet ab episcopo, & per impositionem
manus accipere spiritum sanctum: & quia sep-
tem dona spiritus sancti describuntur, rectè B
qui hunc accepturi sunt, septuagesimam antè
celebrant. Quod enim septenarius numerus
per se, hoc idem significat per denarium multi-
plicatus: Sexagesima tendit vsque ad medium
Paschæ, id est, quartã feriã hebdomadæ Paschã
lis, quinquagesima tẽdit ad ipsum diẽ Paschæ,
quadragesima ad diem cœnæ Domini. Cõputa
ergò dierum numerum, qui sunt in abstinentia
à Septuagesima vsque ad quadragesimam, inue
nies ter senos, id est, 18. dies, exceptis Domi-
nicis diebus. Quem numerum si per duplarem
proportionem diuidas, inuenies in vna parte
sex, in altera duodecim: sex autem ad duode-
cim, simpla: duodecim ad sex, dupla proportio
est. Item inter cœnam Domini & diem Paschæ,
duo sunt dies, & inter Pascha & mediũ Paschæ,
quod est quartã feria, duo sunt dies, quò ten-
dit sexagesima: & ab ipso die vsq; Sabbatũ, quò
septuagesima peruenit, similiter duo sunt, qui
sunt simul sex. Quatuor enim ad duo, duplum
est ad simplũ. Precedentes ergò numeri, qui sunt
in abstinentia, significant duplã mortem nostrã,
simpla Christi morte esse destructam. Nos
enim in anima & corpore morti eramus obnoxij. Christus autem sua corporali morte, & ani- D
mæ & corporis mortem exclusit. Isti autẽ dies,
quos in Domini resurrectione cũ gaudio & lẽti-
tia celebramus, significant resurrectionẽ, quam
Christus duplam sua simpla contulit. Ipse enim
sicut solo corpore mortuus est, ità & solo cor-
pore resurexit. Nos autem & in anima primùm
resuscitat peccata dimittendo, & in futuro
etiam corpora resuscitaturus est.

Item de Septuagesima.

QVI sacræ legis, veteris scilicet historiæ li- E
bros legunt, satis in promptu habent,
Israeliticum populum sæpiùs contra Deum de-
liquisse. Vndè frequenter admoniti per Pro-
pheras, pœnitentiam agere noluerunt. Quapro-
pter, sicut legitur in libro Regum, & beati Eze-
chielis Prophetia, post multas correctiones, si-
cut diximus, in impudentia illis permanentibus
tradidit illos Deus in manus diripientium. Et
primùm decem tribubus in captiuitatẽ ductis
ab Assyrijs & rege ipsorũ, tribus Iuda & Benia
min, qui remanserãt in Hierusalem, sæpius à B.
Hieremia & cæteris prophetis admonitæ, vt
resipiscerent, & à prauis operibus cessarent, nè

similia paterentur, velut illi qui iam transdu- A
cti in Babylonem fuerant, audire noluerunt,
sed in sua cordis duritia & prauitate atque ido-
lolatria cæterisque offensionibus pertinaciter
permanserunt. Vndè regressus rex Assyriorum
Nabuchodonosor cum exercitu, regiones illo-
rum vastauit, & ciuitatem Hierusalem munitio
nibus circundedit, & tamdiù obsedit, quousq;
deficientibus alimentis, victi omnes cederent,
& relicta ciuitate, rex Sedechias cum filijs &
paucis qui secum remanserant, fugeret. Quem,
capta ciuitate, persequens populus Assyriorũ
apprehendit, & in conspectum regis sui Nabu- B
chodonosor cum filijs & principibus populi fi-
liorum Iudæorum, qui residui fuerant, adduxit:
locutusq; est rex Nabuchodonosor cum rege
Sedechia, sicut legitur in libro Ieremiæ, iudi-
cia: præcepitq; in conspectu regis Sedechiæ in
terficere filios eius, & omnes principes Iudæo
rũ, qui remanserant. Oculos autem Sedechiæ
iussit eruere, & vinctum catenis duxit in Baby-
lonem. Nabuzardan autem principem militiæ
dimisit ad destruendos muros Hierusalem. Vn
dè sicut illic scribitur, Nabuzardan princeps
Cocorum, destruxit muros Hierusalem. Et ità C
omnes ducti sunt in captiuitatẽ in Babyloniã,
paucis tãtùm de pauperibus populi derelictis,
qui erant agricolę & vinitores. In qua captiui-
tate morati sunt in magna afflictione & penu-
ria & seruitute per annos septuaginta. Postea
verò, miserante diuina clementia, sub Cyro re-
ge Persarum, magna illorum pars reuersa est
Hierusalem, id est, quinquaginta ferè millia ho
minũ. Tempore verò Darij regis, omnis pleni-
tudo populi Iudæorum sub duce Zorobabel, &
Iesu filio Iosedec sacerdote magno, & Esdra
scriba, reuersi sunt Hierusalem, & ædificauerũt D
muros eius & templum, & habitauerunt in ea.
Erant autem tunc propheræ illorum, qui ad
ędificandum templum & ciuitatem, plurimùm
eos confortabant, Aggæus & Zacharias. Hanc
ergò captiuitatẽ Iudaici populi, quæ nostram
præfigurauit peregrinationem, annuatim reco-
lens sancta Ecclesia, & in memoriam reducens
celebrat septuagesimam: vt sicut ille populus
septuaginta annos, quanuis inuitus, in captiui-
tate & peregrinatione est detentus: ità nos, id E
est, Christianus populus, per septuaginta dies
nostram peregrinationem & præsentis vitæ
ærumnã voluntariè recolẽtes, ad patriam, quæ
est superna Ierusalẽ, redire cum omni auidita-
te, bonis dediti operibus, vigiliis scilicet & ieiu-
niis & orationibus, intentè studeamus. Incipit
autem septuagesima ab illo die, quo consuetu-
dinẽ ecclesia habet canere, *Circundederunt me*,
& pertendit vsq; ad sabbatum paschalis hebdo-
madæ, quandò canimus, *Eduxit Dominus*. Nam
tot dies, si cõputati fuerint, id est, septuaginta,
ibi inueniuntur. Septuagesimus autẽ numerus
ad memoriam nobis reducit omne tempus præ-
sentis seculi, quo alieni sumus à cælesti Ieruſa-
lem: Quia, vt ait Apostolus, dum sumus in cor-

D pore,

Universidad de Deusto
Biblioteca

pore, peregrinamur à Deo. Hanc peregrinationem, ſpiritu ſancto præuentus, intelligebat Dauid propheta, qui in Pſalmo dicebat: Nè ſileas, quoniam aduena ego ſum apud te, &c. Et iterum in alio Pſalmo: Heu mihi quia incolatus meus prolongatus eſt, &c. Hanc etiam peregrinationem perpẽdens ſancta eccleſia prima die ſeptuageſimæ, anguſtiis & afflictionibus circundata clamat, Circundederunt me gemitus. Quæ vox afflictionem præſentis ſeculi & tribulationem apertè demonſtrat. Concordat etiam huic afflictioni oratio ipſius diei, in qua dicimus: Preces populi tui, quæſumus Domine, clementer exaudi, &c. Hortatur etiã nos ipſa die ad curſum bonæ operationis B. Apoſtolus, dicens: Sic currite, vt comprehendatis. Reſponſorium etiam benè congruit, quod ipſa die cantatur. *Adiutor*. Necnon & Tractus, *De profundis*. Nam in iſtis diebus propter humilitatem non cantamus hymnum Angelicum, ſcilicet, Gloria in excelſis Deo, neq; Alleluia, quod eſt canticũ lætitiæ & exultationis: Sed pro alleluia cantamus humilem cantum, ſcilicet Tractum, qui à trahendo dicitur, eo quòd tractim cantetur, & ſignificat gemitum ſanctæ Matris Eccleſiæ. In Euangelio etiam, quod ipſa die legitur, inuitat nos paterfamilias ad operationem vineæ, vt fideliter ſcilicet laborantes, denarium remunerationis percipere mereamur. Poſt euangeliũ canitur Offerenda: *Bonum eſt confiteri*, & antiphona ad Complendã, *Illumina faciem*. Quę omnia diligenter inſpecta, magnis myſteriorum redolent ſacramentis, & eccleſiæ gemitus Deum inuocantis ob auxilium de tribulatione, indicant, & ad ſpiritualis intelligentiæ doctrinam ſatis inſtruunt auditorẽ. In his etiam diebus, vt iam diximus, intermittimus hymnum Angelicũ, & Alleluia, quod eſt Hebræum: & pro alleluia, humiliori (id eſt, Latina) vtimur lingua, dicentes in Pſalmis, hymnis, & canticis: Laus tibi Domine, rex æternæ gloriæ. Nam & in perſona eorum qui in captiuitate detinentur, dicitur in Pſalmo: Quomodò cantabimus canticum Domini in terra aliena? Et iterum dicit ſcriptura, Quia non eſt ſpecioſa laus in ore peccatoris. Ergò quicunque in his diebus ſeptuageſimæ ſaluberrimè inſtitutis, curſum ſuũ, id eſt, vitæ huius præſentis ſtatum benè direxerit, vt depoſita omni inepta lętitia & vanitate, in iciuniis & vigiliis & orationibus, eleemoſynisq; ac cæteris bonis operibus aſſiduè inſiſtat, & peregrinationis ſuæ aſſiduè recordatus fuerit, hic ſanctum, paſcha feliciter celebrabit: canticum etiam lætitiæ, id eſt, alleluia, quod eſt Laus Domini, ſinè fine cantabit. Paſcha nanq;* Græcè, Latinè dicitur tranſitus: & nos ſi Paſcha ſanctum celebrare volumus, tranſitum faciamus à vitiis ad virtutes, & de terrenis ad cæleſtia, & de tranſitoriis ad ſemper manentia & æterna tranſmigrare ſtudeamus. Paſcha enim noſtrum immolatus Chriſtus &c. Finitur autem ſeptuageſimæ obſeruatio ſabbato ante octauã Paſchæ, quãdò etiam, ſicut iam ſuprà diximus, eccleſia ſancta canere ſolita eſt, *Eduxit Dominus*. Benè autem congruit myſteriis eccleſiæ, quod ſeptuageſima ſabbato finitur. Peccatis enim noſtris exigentibus, in captiuitatem & peregrinationem deuenimus: ſed per Domini gratiam & miſerationem ad requiem, quæ per ſabbatum ſignificatur, reducimur. Sabbatum enim requies interpretatur. Cantantur etiam illo die duo alleluia, quæ geminam ſanctorum lętitiam deſignant. Nam illud alleluia, quod ſabbato canitur, ſcilicet, *Confitemini Domino quoniam bonus, quoniam in ſeculum miſericordia eius*, lætitiam ſanctorum deſignat, quã modo, quicunq; fideliter finiuntur, in animabus accipiunt, & qua ſancti omnes, qui in cæleſti gloria ſunt, perpetuò perfruentur. Illa autem duo, quæ in ſequenti ſabbato, id eſt, fine ſeptuageſimæ canuntur, geminam ſanctorum omnium exultationem deſignant, quandò, ſicut legitur in Apocalypſi, expleto iudicio dabuntur eis ſingulis ſtolæ binæ, id eſt, immortalitas & beatitudo animarum & corporum, ſcilicet, & vt qui nunc ſinguli ſtolis animarum ſolummodò immortalitate gaudẽt, tunc beata & animarũ & corporũ immortalitate, ac ppetuę beatitudinis gloria perfruantur: ad quam beatitudinis gloriam nos optimus Dominus ſua gratuita pietate dignetur pducere, cui eſt honor.

De Sexageſima.

SExageſima initium ſumit ſequenti Dominica poſt Septuageſimam, & finitur quarta feria hebdomadæ Paſchalis. Nam in ſuperiori hebdomada, ſcilicet ſeptuageſimæ, circũdatam ſe doloribus & tribulationibus clamat eccleſia, & ità conſtrictam afflictionibus & tribulationibus, vt vix ſpirare queat, & nullus euadendi pateat locus. Vnde dicit: *Circundederuut me*. In hoc autem, id eſt, ſexageſima, iam quaſi reſumpta fiducia inuocat, & quaſi omnipotentis DEI clementiam implorat, dicens: *Exurge, quarè obdormis Domine?* Quaſi dicat, quanuis non dormites, neque dormias, qui cuſtodis Iſrael: tamen quia non citò auxiliando ſuccurris nobis, dormire videris. Quarè faciem tuam auertis? Quanuis peccata noſtra inter nos & te ſeparẽt, noli obliuiſci conditionis noſtræ, ſed reſpice propitius opus creationis tuæ. *Exurge, & nè repellas in finem. ſed vide tribulationem noſtram*. adhæſit enim in terra venter noſter id eſt, conſenſit impietati pulueris huius & fragilitatis ſenſus interior cordis noſtri. Et iterùm inclamat, & quaſi importunè auxiliũ petit, dicens: *Exurge Domine, adiuua nos & libera nos*, id eſt, quatenùs nos digni non ſumus liberari, libera nos propter nomen tuum, id eſt, gratis, & non ſecũdum meritum noſtrum. Hoc idem namque ſonat oratio prima ipſius diei, in qua dicitur: *Domine qui conſpicis quia ex nulla noſtra actione confidimus*, id eſt, ex nullo bono noſtro opere fiduciam habemus, ſed ſola miſeratione ſaluari ſperam⁹. Et in epiſtola bonus athleta Paulus & doctor

doctor gentium nobis proponitur, cuius ſapientiam & fortitudinẽ imitemur. Reſponſorium: *Sciant gentes quoniam nomen tibi Dominus*, id eſt, cognoſcant qui nos tribulant & perſequuntur, qui non ſunt veri domini, nec nomen dominorum illis competit, ſed tibi ſoli qui nos condidiſti, & ſolus iuſtè dominaris, altiſſimus ſuper omnem terram. Sequitur Tractus: *Commouiſti Domine terram tuam, & conturbaſti eam*. Terrã commouiſti, dicit peccatorum conſcientiam hominum ad pœnitentiam prouocatã. Terra quippe commouetur, quandò peccatoris cor ad pœnitentiam & lachrymas excitatur: poſt motam autem terram ſemen inducitur, quia poſt commota corda pœnitentium ad lachrymas, ſemen verbum Dei auidiùs ſuſcipitur, & vberiùs fructum faciens, creſcit & multiplicatur. Vndè conuenienter Euangelium ſequitur, in quo de terra petroſa & ſpinoſa, atq; de bona, quæ fructum per patientiam reddit, multa narrantur. In ſeptuageſima increpati ſumus, quòd ocioſi ſtetimus, & ad vineam colẽdam inuitati ſumus: Nunc in ſexageſima ſemen verbum Dei in cordibus noſtris velutì in bonam terram iacitur, vt creſcat, & fructificet, & per patientiã fructum plurimum afferamus. Sequitur offerẽda, *Perfice greſſus meos*: deprecatur eccleſia, vt perficiantur greſſus illius, id eſt, vt à Domino dirigãtur itinera eius in ſemitis viarum Dei, quia à Deo diriguntur greſſus hominis, non à ſeipſo. quod nemo per ſe nisì à Deo adiutus, poteſt eſſe rectus, ſicut ipſe Dominus ait diſcipulis ſuis: Sinè me nihil poteſtis facere. Et ideò quod à ſe ipſa intelligit eccleſia non poſſe perficere, à Domino totis votis petit impleri. Dicit etiam in cõmunione, *Introibo ad altare Dei*. Iam confiſa ſancta mater eccleſia de miſericodia omnipotẽtis Dei, præſumit & dicit: Introibo ad altare DEI, id eſt, in conſpectu ipſius apparebo, & de miſericordia ipſius glorificabor. Pertẽdit autem, diximus, hæc ſexageſima vſque ad Paſchalis hebdomadæ quartam feriam, quia ſexaginta dies computãtur ab hodierno die, quo canimus ad introitum: *Exurge, quarè obdormis Domine?* vſque ad præfatũ diẽ, in quo canimus: *Venite benedicti patris mei*. Quod à magno myſterio non vacat. Nam ſenarius numerus perfectus eſt, & ſuis cõpletur partibus. Eſt enim ſexta pars eius, Vnum: ſecunda, Tria: tertia verò, Duo. Vnum ergò & Duo & Tria, ſiunt ſex. Et nec inferiùs manet numerus, nec ſuperabundat. Quod rarò in aliis vnq̃ numeris reperitur. Decies autẽ ſeni, ſiue ſexiès deni, ſexaginta fiunt. Et ideò ſexageſimus numerus, ſicut & ſenarius, perfectionem boni operis ſignat. Sex enim ſunt dies, in quibus oportet operari. Et in ſex diebus omnem curſum noſtræ bonæ operationis perfecimus. In ſex enim diebus opera ſua perfecit Deus, & in ſexta ætate per ſeipſum viſitare dignatus eſt mundum, & hominem lapſum à paradiſi amœnitate, & diaboli fraude deceptum, proprio cruore redimere. De hoc ſenario numero loquens beatus Auguſtinus, & de eius perfectione in quodam loco dicit, quòd nõ ideò ſenarius eſt perfectus, quia in eo perfecit Deus omnia operaſua, ſed qa ſenarius numerus erat perfectus, ideò in eo Deus opera ſua perficere dignatus eſt. Quapropter neceſsè eſt, vt in hac ſexageſima bonis operibus dediti ſimus, & cũ Dei adiutorio in vigiliis, ieiuniis & orationibus, cęteriſq; bonis operibus noſtrã ſalutẽ operari ſtudeamus: quia qui per ſex dies bonæ operationis, pſentis vitę curſũ trãſierint, & fideliter in opere recto laborauerint, & vſq; in finẽ in cœptis bonis operibus perſeuerauerint, ſexageſimũ fructum laboris ſui & æternæ beatitudinis præmium percipient, audientes illam deſiderabilem vocem ipſius, quæ ipſa die in ſancta cantatur eccleſia, ſcilicet: *Venite benedicti patris mei, percipite regnum*. Quam vocem nobis audire, & quod regnum nobis percipere concedat omnipotens Deus, qui viuit & regnat per omnia.

De Quinquageſima.

QVinquageſima initium ſumit à ſequenti hebdomada poſt ſexageſimam, quandò canitur: *Eſto mihi in Deum protectorem*, & finitur die ſancto Dominico Paſchæ. In ſeptuageſima tribulationibus & anguſtijs circundati ſumus, in ſexageſima Dominum inuocauimus, & quaſi dormientem excitauimus. In quinquageſima quaſi iam propinquiorem audaciùs & promptiùs inuocamus, dicentes: *Eſto mihi in Deũ protectorem*. & in prima oratione Miſſæ dicimus: *Preces noſtras quæſumus Domine clementer exaudi, atque à peccatorum vinculis abſolutos ab omni nos aduerſitate cuſtodi*. Magnam iam hæc verba videntur habere ſecuritatem, in quibus dicimus nos ab omnibus inimicis abſolutos & peccatis, & precamur Domini munitione nos defendi. Dicit etiam in epiſtola beatus Paulus Apoſtolus, oſtendens nobis chariſmata meliora: *Si linguis hominum loquar & angelorum*, &c. vſque, *cymbalum tinniens*. Et quibus munitionibus in Dei protectione ſubſiſtere & muniri debeamus, in fine huius lectionis oſtendit, dicens: Nunc manent fides, ſpes, charitas, tria hæc, Maior autem his eſt charitas. Sequitur reſponſorium: *Tu es Dominus qui facis mirabilia ſolus*. Quaſi diceret, Non eſt Dominus alius præter te Domine. Simulacra gentiũ non ſunt dij, ſed opera manuum hominum: Tu autem verè es Deus, qui ſaluas ſperantes in te. Notam feciſti in gentibus virtutem tuam, redimendo & liberando nos de manibus eorum. Et iterùm dicit in verſu: *Liberaſti in brachio tuo populum tuum*. Tractus etiam Domino nobis præcipit ſeruire, qui nos fecit, non ei cui noſmetipſi peccãdo viuimus. In ſeptuageſima terra cordis noſtri quaſi tribulationibus eſt exarata & culta: In ſexageſima ſemina verbi Dei ſuſcepimus & ſeminauimus. In quinquageſima ſeminis & bonæ operationis fructũ colligimus. Vndè in Euangelio cæcus introducitur, qui nos ſignifi-

Universidad de Deusto
Biblioteca

cat, non aurum neq; diuitias quærens, sed lumen, quod percipere meruit. Quod nos vt æternum & verum accipere mereamur, attentiùs quærere debemus. Sequitur Offerenda, eundē habens tenorem, hoc est, in gratiarum actione manens, dicendo: *Benedictus es Domine, doce me iustificationes tuas.* Communio autem, ad memoriam reducit antiquum populum, qui manna manducauit in deserto, & non est fraudatus desiderio suo. Hoc his verbis innuens, quòd si nos in bono & sancto desiderio manserimus, non eo fraudabimur, sed eterna satietate donabimur quandò hoc adimplebitur in nobis, quod alibi Psalmista dicit, Satiabor dum manifestabitur gloria tua. Pertingit autem quinquagesima ad resurrectionis Dominicæ diem. Nam à die qua canimus, *Esto mihi in Deum protectorem*: vsq; in diem sanctum Paschæ, quinquaginta dies sunt. Qui numerus pertinet ad quinq; corporis sensus, qui sunt videlicet, auditus, visus, gustus, odoratus & tactus. Sicut enim senarius perfectionē operum demonstrat, ità quinquagenarius omnia bona opera quę perficiūtur per quinq; corporis sensus. Quinquiès enim deni, quinquaginta fiunt. Si quis ergò per quinq; corporis sensus, id est, per exteriorem administrationem decē verba legis impleuerit, hic sinè dubio ad consortiū beatæ resurrectionis, quæ in Pascha celebratur, est peruenturus. Est & aliud mysterium in hoc quinquagenario numero dierum. Nam in veteri testamento quinquagesimus annus, iubileus & annus remissionis vocabatur: In quo videlicet anno vnaquæq; possessio ad propriū reuertebatur dominum. Et vnusquisq; dominus, quocunq; modo esset ab ea alienatus, ad propriam gratis reuertebatur possessionem. Et nos qui propriā in primo parente immortalitatis amisimus hæreditatem, si benè & iustè in hoc tempore vixerimus, quod significatur per numerum quinquaginta dierum, possumus ad nostram reuerti hæreditatem, id est, supernam Hierusalem & ciuitatem sanctorum, vbi est vera resurrectio & beata immortalitas, auxiliante Domino nostro IESV Christo, in cuius resurrectione nostra vera est resurrectio, & peccatorum omnium remissio.

De Quadragesima.

QVadragesima incipit à sequenti Dominica post Quinquagesimam, & finitur quarta feria ante Pascha Domini, quando canimus: *In nomine Domini omne genu.* In quadragesima nanque iam aliqua pars pugnæ nostrę peracta est. Quem nanq; in quinquagesima protectorē inuocauimus, in quadragesima dicit quasi consolando in introitu: *Inuocauit me*, &c. In epistola dicit B. Paulus: *Tempore accepto exaudiui te, & in die salutis adiui te.* In responsorio canitur in persona iusti viri, siue S. Ecclesiæ: *Angelis suis mandauit.* In Tractu promittitur scutū diuinæ protectionis. In Euāgelio proponitur nobis triumphus Dominicæ victoriæ, scilicet, vt eius exemplo cum diabolo pugnare, & eum superare discamus. De hoc autem quadragesimo numero, & de præsentis temporis obseruatione nihil aliud nobis est dicere, quàm quod beatus Gregorius in fine expositionis ipsius Euāgelij, quod ipsa die legitur, ità prosequitur, inquiens: Sed quia diebus his lectio Euangelica congruit, nam quadraginta dierum abstinentiam nostri redemptoris audiuimus, qui quadragesimum tempus inchoamus: discutiendum nobis est, cur hæc ipsa abstinentia per quadraginta dierū numerum custoditur. Moyses vt legē acciperet, secundò diebus quadraginta ieiunauit. Helias in deserto quadraginta diebus abstinuit. Ipse autem auctor hominum ad homines veniens, in quadraginta diebus nullum omnimodò cibum sumpsit. Nos quoq;, inquantùm possumus, annuo quadragesimæ tempore carnē nostram per abstinentiam affligere conemur. Cùm ergò in abstinentia quadragenarius numerus custoditur, quid nisi quia virtus decalogi per libros quatuor sancti Euangelij impletur? Denarius etenim quater ductus, in quadragenarium surgit: Quia tunc decalogi mandata perficimus, cùm profectò quatuor libros sancti Euangelij custodimus. Ex qua re sentiri & aliud potest. In hoc enim mortali corpore ex quatuor elemētis subsistimus, & per voluptates eiusdem corporis præceptis Dominicis contrahimus: præcepta autē Dominica per decalogum sunt accepta. Qui ergò per carnis desideria decalogi mandata contempsimus, dignum est vt eandem carnem quaterdeciès affligamus. Quamuis de hoc quadragesimæ tempore est adhuc aliud quod possit intelligi. A præsenti etenim die vsque ad paschalis solennitatis gaudia, sex hebdomadæ veniunt. Quarū videlicet dies quadraginta & duo sunt. Ex quibus dum sex dies Dominici ab abstinentia subtrahuntur, non plùs in abstinentia quàm triginta & sex dies remanent. Dum verò per trecentos & sexaginta dies annus ducitur, nos autē per triginta & sex dies affligimur, quasi anni nostri decimas damus: vt qui nobismetipsis per acceptum annum viximus, auctori nostro nos in eius decimas per abstinentiam mortificemus. Verùm, fratres charissimi, sicut offerre in lege iubemini decimas rerum, ità Deo offerre contendite & decimas dierum. Vnusquisque quantùm virtus suppetit, carnem maceret, eiusque desideria affligat, concupiscentias turpes interficiat, & iuxta Pauli vocem, hostia viua fiat. Hostia quippe & immolatur, & viua est, quandò & ab hac vita homo non deficit, & tamen se à carnalibus desiderijs occidit. Caro nos læta traxit ad culpā, afflicta reducat ad veniā. Auctor etenim mortis nostræ, per fructū ligni vetiti vitæ præcepta transgressus est. Qui ergò à paradisi gaudijs per cibū cecidimus, ad hęc, inquantùm possumus, per abstinentiā resurgamus. Sed nemo sibi eandē abstinentiā solam credat sufficere posse, cùm per Prophe-

Prophetā Dominus dicat: Nonne hoc est magis ieiunium quod elegi? Subiiciens, Frange esurienti panem tuum, & egenos vagosq; induc in domum tuam: Cùm videris nudum, operi eum, & carnem tuam nè despexeris. Illud ergò ieiunium approbat Dominus, quod ad eius oculos manus eleemosynarum leuat: quod cum proximi dilectione agitur, quod ex pietate conditur: hoc ergò quod tibi subtrahis, alteri largire: & vndè tua caro affligitur, indè egentis proximi caro reparetur. Hinc enim per prophetam Dominus dicit: Cùm ieiunaretis & plangeretis, numquìd ieiuniū ieiunastis mihi? Et cùm comedistis & bibistis, nunquìd non vobis comedistis, & vobismetipsis bibistis? Sibi enim comedit & bibit, qui alimenta corporis, quæ sunt communia dona conditoris, sinè indigentibus percipit; Et sibi quisque ieiunat, si ea quæ sibi ad tempus subtrahit, non pauperibus tribuit, sed ventri postmodum offerenda custodit. Hinc per Iohelem dicitur: Sanctificate ieiunium. Ieiunium quippe sanctificare, est adiunctis bonis aliis dignam Deo abstinentiam carnis ostendere. Cesset ira, sopiantur iurgia. Incassùm caro enim atterritur, si à prauis suis voluptatibus animus non refrenatur, cum per prophetam Dominus dicat, Eccè in die ieiunij vestri inuenitur voluntas vestra: Eccè ad lites & contentiones ieiunatis, & percutitis pugno impiè, & omnes debitores vestros repetitis. Neq; enim qui à debitore suo hoc quod debit repetit, aliquid iniustū facit: Sed dignum est, vt quisquis se in pœnitentia macerat, & hoc sibi quod iustè competit, interdicat. Sic, sic nobis pœnitentibus & afflictis à Deo dimittitur quod iniustè egimus, si pro amore illius & hoc quod nobis iustè competit, relaxamus.

In capite Ieiunij.

INprimis præmonere debet sacerdos omnes Christianos ex sacris scripturarum testimoniis, quatenùs in capite ieiunij, hoc est, hodiè ad veram confessionem, veramq; pœnitentiam festinantiùs accedant. De hac Hieronymus inquit: Vtinam tam citò cōuertantur peccatores ad pœnitentiam, quàm citò Dominus præparatus est etiam mutare præfinitam sententiam. non enim temporis longitudinem requirit Deus, sed affectu sinceritatis plenitudo pensatur. Gregorius. Satis alienus à fide est qui ad agendam pœnitentiā tempora senectutis expectat. Metuendum est enim, nè, dum spe rat misericordiam, incidat iudicium Itemque: Si quis te de peccato forinseco correxerit, tunc cōfitere interiora quæ ille nescit. Denique admonendi sunt, vt in cœna Domini redeant ad reconciliationem, sicut in consequentibus dicetur. Si verò interest causa aut itineris, aut cuiuslibet occupationis, aut ità fortè hebes est, vt ei hoc sacerdos suadere nequeat, iniungat ei tam quadragesimalem, quàm annualem pœnitentiam, & reconciliet eum statim. Sacerdotibus verò summoperè satagendum est, vt octo vitia criminalia cum eorum sequentiis atque testimoniis scripturarum, quibus coercendi sunt homines atq; ad meliora prouehendi, omni studio intelligant, atq; doceant, sicut hic in prima frōte annexa sunt. Quorum vitiorum octo hęc sunt nomina, in primis superbia, gloria inanis, inuidia, ira, auaritia, tristitia, ventris ingluuies, atq; luxuria. De superbia, quod est caput omnium vitiorum, oriuntur suprascripta septē vitia criminalia. Superbia dicitur quasi supergrediens mentem de eo quod non est. Vndè superbus quasi extra viam ambulans, de qua scriptura: Initiū omnis peccati superbia. Et ideò initium dicitur omnis peccati, quia ipsa præcessit in diabolo, & nō solùm peccatū est ipsa, sed etiam nullum peccatum fieri potuit, potest, aut poterit sinè ipsa. Porrò cupiditas atq; superbia intantùm vnum est malū, vt nec superbia sinè cupiditate, nec sinè superbia possit inueniri cupiditas. Non enim primus homo ederet de ligno prohibito, nisi concupisceret: nec desereretur à Domino, nisi priùs ipse desereret. De superbia dicit Augustinus: Vitanda nobis est superbia, quæ & angelos nouit decipere, & homines dissipare. Hieronymus: Vir superbus non decorabitur, nec voluntatem suam perficiet. Ambrosius: Superbia ex angelis dęmones fecit, humilitas autem homines sanctis angelis similes reddit. De inani gloria, id est, vana, quæ Græcè dicitur κενοδοξία, nascitur inobedientia, hypocrisis, contentiones, pertinaciæ, discordiæ, & nouitatum præsumptiones. Est enim vanitas inflata appetitio dignitatum, dulcis miseris, amara perfectis, cui seruiunt tumidi, sub qua iacent elati, tamq; eos ardor humanę laudis inflāmat, vt laboriosa opera quæ populus admiretur, & quibus fama diffunditur, sinè labore suscipiant, & libenter exerceant: vndè est quòd ieiunare, abstinere, vigilare, Ecclesiam frequentare, vel psallere, cùm hæc omnia sinè labore nō faciant, etiam cum delectatione faciunt, vt ab hominibus quibus placere, non Deo, desiderant, videātur: vndè Veritas, Amen dico vobis, receperunt mercedem suam. De inuidia siue inuido, qui ab inuidendo alterius felicitati dicitur, nascitur odium, susurratio, detractio, exultatio in aduersis proximi, afflictio autem in prosperis. De hac Apostolus comminatur, dicens: Qui odit fratrem suum, homicida est: & qui inuidet, in tenebris est, & in tenebris ambulat. Vndè nihil infelicius potest esse inuido, qui alienis torquetur bonis: inuidia enim sensum mordet, pectus vrit mentem afficit; & qui inuidet, similis est diabolo, qui per inuidiam hominem de paradiso eiecit. De ira longa quæ ab indignatione dicitur, à qua & iracūdia, eo quòd accenso sanguine, in furorē cōpellitur, nascūtur rixæ, tumor mentis, contumeliæ, clamor, indignatio, blasphemiæ. De ipsa enim dicit scriptura: Ira in sinu stulti requiescit. & alibi: Ira enim viri iustitiam Dei non operatur. Et in Psalmo de quoti-

Quō pœnitētia debet iniūgi Christianis.

Superbiæ peccatum.

Inanis gloria.

Inuidia.

Iræ peccatum.

Universidad de Deusto
Biblioteca

tidiana ira: Irascimini, & nolite peccare. & Apostolus: Sol non occidat super iracundiam vestram, & alibi: Illa enim ira mala est, quæ mentem turbat, vt rectum consilium perdat. De tristitia quæ oritur ex ira, nascitur malitia, rancor, pusillanimitas, desperatio, torpor circa præcepta, vagatio mentis erga illicita. Et sciendum quia inter tristitiã & mœstitiam hoc interest: Mestitia, cordis est: tristitia, vultùs: mœstum enim vel inertem dicimus animum. tristis enim facie, ità dignoscitur abiecto vultu, pallido adspectu, turbidis oculis, turbato vultu. de hac tristitia dicit Apostolus: Quæ enim secundùm Deum tristia sunt, pœnitentiam in salutem stabilem operantur: seculi autem tristitia mortem operatur. Alibique: Tristitiam non des animæ tuæ. Isidorus: Vis nunquàm esse tristis? benè: viue secreta cõscientia tristitiam leniter sustinet. De auaritia (quæ Græce dicitur philargyria, id est, amor pecuniæ, ab auiditate dicta, vndè auarus, quasi auidus auri, qui nunquàm opibus expletur) nascitur proditio, fraus, fallacia, periurium, inquietudo, violentia, & contra misericordiam obduratio cordis. De hac dicit Apostolus: Neque auari, neque rapaces regnum Dei possidebunt. & Salomon: Auarus non implebitur pecuniis. Et idem: Auaro autem nihil est scelestius: nihilque iniquius quàm amare pecuniã. Et iterùm: Cùm enim morietur homo, hæreditabit serpentes & bestias & vermes. Hoc verò vitium vincitur in largitione pauperum, in visitatione infirmorum, in tegumento nudorum, & in reddendo quod iniustè ablatum est, & in fletu ac lachrymis cum contritione cordis sicut Dominus dicit: Si vis perfectus esse, vade & vende omnia quę habes, & da pauperibus.

Tristitia.

Auaritia.

Auaritiæ medicina.

De ventris ingluuie, quæ Græcè dicitur gastrimargia, id est, horrida voracitas atque gulositas, quæ à gula dicitur, nascitur inepta lætitia, scurrilitas, immunditia, stultiloquium, multiloquium, hebetudo sensus circa intelligentiam, & est vitium spiritale. De hoc scriptum est: Qui continet ventrem suum, minuit vitia: abundantia autem escarum, nutrit desideria mala. Multæ escæ nutriunt ventrem fornicationis. & Apostolus: Non in commessationibus & ebrietatibus. Et quia primus homo vitio gulæ cecidit, necesse est vt per abstinentiam resurgamus. Ięta caro traxit nos ad peccatum afflicta reducat ad veniam. De luxuria, quæ à luxu nomen accepit, & est immunditia corporalis, vndè & luxuriosus, quasi solutus & corruptor dicitur, nascitur cæcitas mentis, inconsideratio, inconstantia, præcipitatio, amor sui, odium Dei, afflatus presentis seculi, horror autem vel desperatio futurorum. Est autem vitium corporale. De ipso dicit Apostolus: Fugite fornicationem. Et idem: Fornicatores & adulteros iudicabit Dominus. Hieronymus: Væ illi qui tunc habuerit terminum luxuriæ, quandò & vitæ. Diabolus per superbiam & fornicationem omni hominum generi dominatur. Omnibus peccatis fornicatio maior est. melius mori, quàm fornicari: libido in infernum hominem mergit, & sciendum quia fornicatores, libidinosi, Sodomitæ, adulteri, incestuosi, constupratores, raptores, molles, masculorum concubitores, immundi pollutores, impudici, generaliter luxuriosi nominantur. Vndè fornicatio dicitur amor legitimo connubio solutus, & vaga explendæ libidinis cõsectandæ licentia. De qua scriptum est: Qui fornicatur, in carne sua peccat: & maioris est criminis, quia tollit membra Christi, & facit membra diaboli. Libidinosi dicuntur, qui faciunt quod eis libet. sunt enim cupidi voluptatis. Sodomitæ interpretantur exclusores ipsorum. Adulteri dicuntur, quia alterius torum violant, siue polluunt. Incestus dicitur, quasi incastus, propter illicitam commixtionem, id est, quicunque cum parente propria, aut sorore, vel vidua, siue nouerca, filia, vel cognata atq; Domino sacrata, presumpserit fornicari. Stupratores dicuntur, virginum corruptores. Raptores à rapiendo, qui rapto stupro fruuntur. Vndè & inter stuprum, adulterium & incestum ità differt: Stuprum in virgine, adulterium in nupta, incestus in parentibus. Molles sunt effœminati, vel qui barbas non habent, siue qui alterius fornicationem sustinent. De quibus Apostolus: Neque molles regnum Dei possidebunt, masculorum concubitores, comites fornicantium, immundi, polluti, coinquinati, socij luxuriosis, pollutores, deformes, commaculati, vel qui proprijs manibus se sordidant. Impudici à podice vocãtur. putorem enim fœtorem dicimus: siue impudicus, qui turpitudinem flagitio infert. Sed & alia vitia, quę licèt ex superioribus oriantur, alijs tamen locis censentur, sicut sacrilegium, quod Augustinus inter septem vitia reputat. Sacrilegium est sacrarum rerum furtum, quæ posteà in idolorum cultum cedunt. Vndè sacri legus dictus, ab eo quòd sacra legit, & furatur contra leges: vel sacrilegus, sacra loca violans. faciunt hoc Ecclesię prędones. Fures à furuo dicti sunt, id est, à fusco. Nam noctis adeunt tẽpus. Vndè inter furem & latronem hoc differt: qui alienum subtrahit, fur est: qui furatur & occidit, latro est. à latendo enim dicitur latro. Periuri dicuntur, qui perperàm iurant, id est, malè. Falsidici, qui aliud fantur quàm verum. Ebrius dicitur, qui ad tempus bibit: ebriosus, qui semper. De quo scriptura: Ebriosi regnum Dei non consequentur. Acediosus ab acedia dicitur, qui anxietatem siue tædium cordis patitur, qui & inconstans vel vagus dicitur. ab aliquibus enim inter octo vitia reputatur. Patricida & parricida hoc differt: patricida est, qui parentem occidit: parricida, qui parem aut socium. Fratricida, qui fratrem occidit. Homicidium, compositum ex homine & cæde, vndè & homicida. Stultiloquus est, qui turpia & risum mouentia narrat. Vndè & stultiloquiũ nihil

Luxuriæ formulæ.

Voracitas & crapula.

Luxuria

Sacrilegiũ.

Periurium.

Ebrietas.

Acedia.

Patricida.

Homicidiũ

Stultiloquiũ

nihil in se sapiens habet. Scurrilitas & ioculari tas, quæ conueniunt ex aliqua prudẽtia, risum mouent audientibus, quibus magis conuenit lugere. Turpitudo est, cùm inflammantur sensus nostri ad libidinem, & carnis titillationem. Anima ignita succenditur, & nihil Dei timore refrenatur. Idololatra dicitur, qui idolis seruit: & in Propheta idololatriã sæpè fornicationem appellatam inuenimus: & qui plus nummum, quàm Deum diligit, sculpturam nummi colit, & idola in eis cęlata veneratur. Susurro, de sono locutionis appellatur, id est, qui libenter inutilia audit. Vndè scriptura: Non sis susurro. Malefici & Venefici dicuntur, qui causa mortis venenum parant, & artificiosè multa mala componunt. Maledici, linguosi, siue litigiosi, sortilegi, & diuini siue fanatici coniectores, qui sub nomen fictæ religionis, per quasdam (quas sortes sanctorum vocant) diuinationes & scientiam profitentur. Arioli siue Aruspices propriè sunt, qui circa aras idolorum nefarias preces emittunt. Augures, qui auguria & volatus atque voces auium intendunt. Auspicia enim vltrò veniunt. Fatuus est, qui quod fatur, non intelligit, neque quod alij dicunt, & dicitur excors. De quo in Euangelio: Qui dixerit fatue. genus enim conuicij est. Racha, inanis & vacuus siue absque cerebro. Est enim genus despectionis siue iræ. Vndè in Euangelio: Qui dixerit fratri suo racha, hoc est, prouerbiũ prouinciale. Eccè vitia breuiter digesta, per quæ humanum genus à diabolo quotidiè impugnatur. Decætero sciant sacerdotes Christi, quia quotiescunque ad pœnitentiam Christiani accedunt, ieiunandum est prius cum eis, pro eorum erratibus, ut non dicatur eis, quod sacerdotibus Iudæorum dictum est à Domino: Væ vobis legisperitis, quia aggrauatis homines imponentes super humeros eorum onera grauia, ipsi autem digito vestro non tangitis farcinas eorum. Nemo enim potest iacentem sub onere subleuare, nisi inclinauerit se, & porrigat ei manum. Neque ullus medicorum uulnera infirmantium potest curare, nisi fœtoribus particeps fuerit. Ita quoque sacerdos uel pontifex curare vulnera non potest, nisi præstante solicitudine & oratione: & quoties dederis cõsilium peccanti, simul quoque da illi pœnitentiam statim quantum debeat ieiunare, & redimere peccata sua, nè fortè obliuiscaris quantum eũ oporteat abstinere. tibi enim necesse est, ut iterùm ab eo exquiras peccata, quia ille forsitan erubescit iterùm peccata sua confiteri. Non enim omnes clerici aut vllus laicus hanc scripturam usurpare aut legere debent, nisi soli illi, quibus necesse est. hoc sunt Episcopi vel presbyteri, quibus claues regni cælestis traditæ sunt, sic nec iudicia ista alius usurpare debet. Si autẽ necessitas euenerit, & presbyter non fuerit presens, diaconus suscipiat pœnitentiam, ac det sanctam communionem. Deniq; sacerdos hac auctoritate imbutus siue compunctus, suscipiens pœniten tem, si laicus est, dimisso baculo: quisquis verò ille est, siue laicus, siue clericus, siue monachus suppliciter se inclinet ante sacerdotem. Tunc sacerdos dicit hanc orationem: Domine Deus omnipotens, propitius esto mihi peccatori, ut condignè possim tibi gratias agere, & reliqua. Deindè iubeat eum sacerdos sedere contra se, & colloqui cum eo de supradictis vitiis, siue exhortationibus diuinis, ne fortè pro verecundia aut ignauia, siue obliuione aliquid putridum in corde remaneat, per quod iterum diabolus eum ad vomitum peccati reducat. Consideret etiam sexum, ætatem, conditionem, statũ, personam, & secundum hoc vt sibi visum fuerit, singula quęque diiudicet, id est, aliquos à cibis abstinendo, alios eleemosynas dando, nonnullos sæpiùs flectendo genua, siue in cruce stando, aut aliquid aliud huiusmodi quod ad animæ salutem pertinet. Non omnibus verò vna eademque discretio sit, vnicuique horum, hoc est, inter diuitem & pauperem, liberum & seruum, inter infantem & puerum, iuuenem & adolescentem, ætate senem, hebetẽ & stultum, scientem & ignarum, laicum & clericũ, monachum & Episcopum, presbyterum & diaconum, subdiaconum & lectorem, in gradu, in coniugio vel sine coniugio, inter virginem & fœminam, inter canonicam & sanctimonialem, inter debiles & infirmos, inter sanos & ægros: De qualitate etiã peccatorũ hominũ, inter cõtinentẽ & incõtinentẽ, vtrũ voluntate vel casu, vel in absconditò: quali compunctione emendet, necessitate vel voluntate, loca & tempora discernat. Attendat etiam sacerdos vt salui sint omnes, & non pusillanimes, quia potentes potenter tormenta patientur. Item Iesus filius Sirach: In iudicando esto misericors, pupillis vt pater & pro viro matri illorum. Et Iacobus: Iudicium sinè misericordia erit illi, qui non fecit misericordiam. Superexaltat autem misericordia iudicium, vt idem consequatur, vt S. Benedictus: Qui veram pœnitentiam faciunt, agant in ieiunio & fletu, in eleemosynis, & orationibus, & perpetrata iterùm non faciant; & si faciant, tamen nõ perseuerent in eis, quia Dominus dixit: Malum cogitastis, ignoui: malum dixistis, ignoui: malum fecistis, ignoui: perseuerare in malo non ignosco. Ergò qui perseuerant in malo, non ignoscet, & sic iudica iustum iudicium secũdùm canones, vt alij timorem habeant. Neq; hoc omittẽdum est, quia propter ista peccata affligimur flagellis temporalibus: indè suscitantur bella, incursiones paganorum, captiuitates, pestilentiæ, fames, ægritudines, mortalitates hominũ, atque animalium, morbi, incommoditates, aeris siccitates, inundationes, pluuiarum tempestates, tonitrua atque fulgura noxia, inclemen tia frigoris, vehementia ardoris, reges iniqui, potentes seu iudices pessimi, bestiæ nocuæ, & horum similia. Propter ista etiam emendanda, promulgantur leges, decernunt iusta, proponũt supplicia, vincula, torturas, flagella, exilia, am puta-

Turpitudo

Idololatra.

Susurro.

Veneficiũ.

Sacrilegiũ & incantatio.

Arioli & augures.

Stultitia.

Racha.

Ieiuniũ ad pœnitentiã pertinet.

Pœnitentiã cum misericordia iniũgendam.

Tormenta temporalia & purgatorium in mũdo.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Ecclesiastĩ ex censuræ

putationes mẽbrorum, amissiones rerum, mortes diuersi generis, & auferri nequeunt de mundo. Fit etiam Ecclesiasticus vigor, correptio, excommunicatio, de ecclesia exclusio, leges pœnitentiæ, anathematizatio: constituuntur iudices, insistunt officia, mittuntur vltores vt hæc corrigantur, & auferri non possunt de Ecclesia. His verò peccatis semper manẽtibus, heu proh dolor tã securi pergimus ad tenebras exteriores, quasi ibi nobis cubicula extruantur, deliciq; præparentur, ministri procurẽtur, thesauri congerantur, ornamenta multiplicentur, cùm scriptura dicat: Quodcunque potest manus tua facere, instanter operare: quia nec opus, nec ratio, nec sapientia erit apud inferos, quò tu properas. Contra ista omnia suscipiendum est bellum, & acriter gerendum, nè ad damnabilia peccata perducamur. Post ista omnia scrutata & pœnitentem corroboratum, interrogat eum sacerdos, dicens: Credis in Deum patrem & Filium & Spiritum sanctum? Respondeat pœnitẽs, Credo. Credis quia istæ tres personæ, quas modo dixi, Pater & Filius & Spiritus sanctus, vnus Deus sit? Respondeat, Credo. Credis quia in hac ipsa carne, in qua modò es, resurgere habes, & recipere siue bonum siue malum prout gesseris? Credo. Vis dimittere illis qui in te peccauerunt omnia, vt & tibi Deus dimittat peccata tua, ipso dicente: Si non dimiseritis hominibus peccata eorum, nec pater vester cælestis dimittet vobis peccata vestra? Si vult dimittere, suscipias eius confessionem, & indices ei pœnitentiam: si non vult, non suscipias eius confessionem. Volẽs verò dimittere omnia his qui in se peccauerunt, confiteatur omnia peccata sua, quæ recordari potest. Præcauendum est tamen sacerdoti de supradictis vitiis, vt ei exhortationis gratia ad memoriam reducat, nè quid aduersante diabolo, occultum remaneat. Quo facto, fixis genibus in terram, & super ipsa inni xus stans, suppliciter tensis manibus, blando ac flebili vultu respiciens sacerdotẽ, dicat his verbis: Multa quidem & innumerabilia sunt alia peccata mea, quæ recordari nequeo, in factis, in dictis & cogitationibus, pro quibus omnibus misera mens mea compungitur, & acri interdum pœnitentia cruciatur, ideoque consilium, immò iudicium tuum, qui sequester ac medius inter Deum & peccatorẽ hominem ordinatus es, supplex deprecor, & ut pro eisdem peccatis meis intercessor existas, humiliter imploro. Quo perdicto totum se in terram prosternat, gemitus atque suspiria vel lachrymas prout Deus dederit, ab intimo cordis producat. Sacerdos verò patiatur eum aliquantisper iacere prostratum, iuxta quod viderit eum diuina inspiratione compunctum. Deindè iubeat eum Sacerdos surgere, & cùm steterit super pedes suos, cum tremore & humilitate præstoletur iudicium sacerdotis, & indicat ei sacerdos abstinentiam siue obseruantiam, perpendens subtiliter personæ qualitatem, modum culpæ, intentionem animi, & corporis valetudinem vel imbecillitatem. Percepta autem sententia sacerdotis, iterum prosternet se sacerdotis pedibus, eius petens pro se orationem fieri, vt suggerat ei diuina visitatio virtutem constantèr obseruandi quæ illi iniuncta sunt, & ita reuerenter sacerdotis iudicio obtemperare, ac si ab ipso diuinę maiestatis ore opportuna salutis suæ medicamenta suscepisset. Quapropter oportet ad pœnitentiam accedere cum omni fiducia, & ex fide credere indubitanter, pœnitentia aboleri posse peccata, etiam si in vltimo vitæ spiritu commissa pœniteat, & publica lamentatione peccata prodãtur, quia non vult Deus mortem peccatoris, sed vt saluatus miseratione Dei viuat: nam secreta satisfactione solui mortalia crimina non negamus, quotidiana verò leuiaq; peccata, sinè quibus hominis vita nõ ducitur, Dominica oratione purgantur, quorum est dicere: Dimitte nobis, sicut & nos dimittimus. Nam ipsa eleemosyna est, veniã homini pœnitenti ignoscere. Vndè Dominus: Date eleemosynam, & omnia munda sunt vobis. Mensuram verò temporis in agenda pœnitẽtia, idcircò non satis attentè præfigunt Canones pro vnoquoq; crimine, sed magis in arbitrio antistitis relinquunt, quia apud Deum non tantùm valet mensura temporis, quàm doloris: nec abstinentia ciborum, quàm mortificatio vitiorum. Sed & hoc sciẽdum est, vt cùm venerint serui vel ancillæ ad pœnitentiam, non eos cogatis tantùm ieiunare, quantùm diuites, quia non sunt in sua potestate: ideoq; mediocritatem pœnitentiæ eis imponite. Post hęc verò dicat sacerdos super eũ has orationes: Exaudi Domine preces nostras, & tibi confitẽtium parce peccatis. Alia: Præueniat hunc famulũ tuum quęsumus Domine misericordia tua. Alia: Adesto Domine supplicationibus nostris, nec sit ab hoc famulo tuo. Alia: Domine Deus noster, qui offensione nostra non vinceris. Alia: Adsis quæsumus Domine huic famulo tuo. Alia. Da quæsumus Domine huic famulo tuo. Alia: Precor Domine clementiam tuæ maiestatis, & reliqua. Quibus dictis iubeat sacerdos pœnitentem surgere de terra: sed & ipse surgãt de sedili suo, & si loco vel tempori congruit, ingressi ecclesiam, & super genua, vel cubitos vterque innixus, decantent psalmos: Domine, nè in furore tuo, II. Benedic anima mea Dominum, I. Miserere mei Deus, Deus in nomine tuo. Quid gloriaris? Deindè Kyrieeleison. Pater noster. Saluum fac seruum tuum. Illustra faciem tuam. Mitte ei Domine. ORAT. Deus, cuius indulgentia nemo non indiget. Missa. ANTIPH. De necessitatibus. ORATIO. Deus qui iustificas impium. Epistola: Lauamini, mundi. GRAD. Saluum fac seruum. Euangelium: Duo homines. OFFER. Miserere mihi Domine. Super oblat. Huius Domine virtute mysterium. Com. Deus propitius. Ad Complend. Purificent nos Domine. Eodem die fit collecta ad sanctam

Ana-

Quo facerdos debeat confitentẽ interrogare in cõfessione.

Quo confitẽs debeat se gerere.

Pœnitentis media quo cõstituẽda.

Confessor debet habere iudiciũ.

Cõfessoris orationes.

Anastasiam. ANTIPHONA: Exaudi nos Domine quoniam benigna. Psalmus: Saluum me fac Deus. Interìm ponendi sunt cineres super capita, sicut antiphona testatur. ORAT. Concede nobis Domine. Antiphona ad processionem: Iuxta vestibulum. Item: Immutemur. Alia: Parce Domine. His finitis, sequitur Litania. Dehinc statio ad S. Sabinam.

SABBATVM ante Palmas, ità prętitulatur in Sacramentario, Sabbatum vacat. Dominus Papa eleemosynam dat. Cogitare oportet qualiter eadẽ die potissimũ eleemosyna tradenda sit. Vbi notandum quòd ea quæ colimus circa passionem Domini & resurrectionem atque ascensionem in cęlum, in commemorationem illarum rerum, quæ suo in tempore peracta sunt, agimus: vt illud, Quotiescunq; feceritis, &c. Habemus opus præcedens eleemosynæ præsentis Sabbati, quod imitemur, & ad memoriam nostri reducamus. Cur enim isto die eleemosyna specialiùs ab Apostolico tribuatur, cùm omni tempore danda sit, Ioannes Euangelista inquit: Ante sex dies Paschæ venit Iesus in Bethaniam in domum Simonis leprosi, ibiq; Lazarum quatriduanum resuscitauit, fecerunteq; ei cœnam ibi. Maria ergò accepit libram vnguenti, & vnxit pedes Domini. Indignãte pro hoc Iuda proditore, Iesus in laudem mulieris ita respõdit: Opus bonum operata est in me: Vbicunq; enim prædicatum fuerit, & reliqua. Qui enim benè viuit, pedes Domini vnguento vngit. Vnguentum enim illud iustitia fuit, ideoq; libra fuit. Qui superflua dat pauperibus, pedes Domini capillis suis tergit. Domus impleta est odore vnguenti, & mundus repletus est fama bona mulieris. Vndè Apostolicus vir in memoriam deuotissimæ mulieris, mẽbris Christi hodie facit, quod ipsa fecit capiti, & ideò à statione publica vacat, nõ tamẽ à celebratione Missæ, quia huic negocio insistit. Et quia de hac feria officium proprium non habetur, de eisdem feriis repetitur, id est, de quarta feria: Antiphona: *Liberator meus*: Lectio Zachariæ Prophetæ: *Hęc dicit Dominus*: Exulta satis filia Hierusalem, eccè rex tuus veniet tibi iustus & saluator, ipse pauper & ascendens super asinam, & super pullum filium asinæ, & reliqua. Euangelium secundùm Lucam: Cùm appropin quasset Iesus ad Bethphage, & Bethaniam, & reliqua.

Disputatio de eleemosyna.

Festum ramorum Palmarum.

HESTERNA die Dominus in Bethania in domo Simonis recubuit, hoc est, sexto die ante passionem: hodiè verò, quod est quinto die ante Pascha, exiens de Bethania, misit duos discipulos in Hierusalem, dicens eis: Ite in castellum quod contra vos est, & inuenietis asinam & pullum: soluite & adducite mihi, qui soluentes, adduxerunt ad Iesum, & imposuerũt vestimenta sua, & eum desuper sedere fecerũt. Cùm autẽ audisset turba quæ venerat ad diem festum, quòd Iesus pergeret Hierusalem, acceperunt ramos palmarum, venerũtq; ei obuiam, & clamabant: Osanna, Benedictus qui venit, & reliqua. De hac die sciendum est, quòd diuersis vocabulis distinguitur, id est, dies Palmarum, siue florum, siue ramorum: Osanna, Pascha petitum, siue competentium, & capita lauantium. Dies Palmarum ideò celebratur, quia in eo Dominus tendens Hierosolymam, occurrit ei turba plurima, hinc indè clamando, Osanna, quod interpretatur, Saluifica: siue, Saluos nos fac. Est enim Hebræus sermo, qui apud illos dicitur Osianna. In ramis Palmarum significatur victoria, qua erat Dominus mortem moriendo superaturus, atque per trophæum crucis de diabolo mortis principe triumphaturus. In ramis arborum intelliguntur dicta patrum, & exempla. Turba plurima significat innumerabilem Martyrum exercitum, qui corpora sua pro Domino tradiderunt. Vestimenta Apostolorũ opera sunt iustitiæ. Vndè in Psalmo: Sacerdotes tui induãtur iustitia. In asello quo sedebat, indicabat simplicia corda gentilitatis, quam præsidendo atq; regendo perducebat ad visionem pacis æternæ. Pascha petitum, siue competentium dicitur: quia hodiè Symbolum Competentibus tradebatur, propter confinem Dominicæ Paschæ solennitatẽ, vt qui iam ad Dei gratiam percipiendam festinant, fidem quam confitentur, cognoscant: Competentes enim, quasi simul petentes, dicuntur, id est, gratiam Christi petentes. Capita lauantium ideò hunc diem appellat vulgus, quia tunc mos est lauari capita infantium, qui vngendi sunt Sabbato sancto, nè fortè obseruatione Quadragesimæ sordidati ad vnctionẽ accederent. Quanta verò reuerentia hęc consuetudo à deuotissimis viris excolitur, libuit hìc parumper inserere. Hodiè pręparatur quoddam portatorium honestissimè, in quo intromittitur sanctũ Euangelium, quod intelligitur Christus, & statuitur in Ecclesia ante aram, vndè clerus processurus est. Deinde adunantur palmę & flores, atque diuersa genera frondium, seu oliuarũ, super quæ dicitur hæc oratio à sacerdote: Omnipotens sempiterne Deus, qui antequàm filium tuum Dominum nostrum pro nobis mortem perpeti sineres. Sequitur benedictio palmarũ siue frondium: Omnipotens Deus Christe. His finitis, dantur à custodibus palmæ; accipienteq; populo ramos arborum, oliuarum, siue florum, indè suscipiunt Diaconi suprà scriptum portatorium cum Euangelio, baiulantes cum ingenti exultatione iugum Christi suaue, & onus eius leue, prǽcedente aqua benedicta cum candelabris atq; thymiamateriis cum aliis ornamentis. Insuper etiam laicorum schola cum vexillis atque fanonibus à longè prǽeunte. Exeũte enim clero seu populo ab Ecclesia, inchoatur Antiphona: *Cùm appropinquaret Dominus*. Qua finita, inchoat schola Antiph. *Cœperunt omnes*. Item *Cùm audissent*. Item *Appropinquante*. Cùm ingressi fuerint ciuitatem vel cœnobium, dici-

tur

Capitum lotio in sabbato Paschæ.

Universidad de Deusto
Biblioteca

tur Responsorium, *Ingrediente Domino*. Item: *Collegerunt pontifices: Vnus autem*. His finitis, ante atrium Ecclesiæ loco competenti subsistit schola cum baiulis & reliquo ornatu, & clerus seu populus expectant in loco atrij, inchoãtes Antiph. *Occurrerũt*. Rñdet schola Antiph. cũ angelis & pueris. Hac finita, inchoãtur à duobus cãtoribus quidã vers. *Israel es tu rex*: Rñdet chorus adspiciẽs seu inclinans se ad suprascriptum sanctũ Euangelium, *Gloria, laus & honor tibi sit*. Eo ordine sequuntur alij versus. His finitis, incipit schola cũ baiulis Antiph. *Pueri Hebræorum*. & tũc prosternit omnis plebs hincindè frondes seu flores, decantantes Antiph. Osanna filio Dauid, vsque ad altare. Et sic intrant ad Missas. Ministri verò tenent palmas in manibus vsque ad completionem Missæ. Intermittunt aliqui salutationem in passione, id est, *Dominus vobiscum*: quod non legitur in ordinibus, sed in paraseeue tantùm, vbi reticetur officium sacerdotale. Ideò autem hæc hebdomada maior dicitur, quia in ea maxima est adhibenda parsimonia, siuè quòd maius officium recolitur in ea.

Palmas tenent sacerdotes in manibus.

A

FERIA quarta hebdomadæ maioris, hora tertia procedit Apostolicus cum omni clero seu populo ad Ecclesiam, & dicit orationes solennes, sicut in sexta feria. His expletis, osculato altari, egreditur. Presbyteri verò Ecclesiarum, tam vrbani, quàm suburbani, reuertuntur ad titulos suos, vt hoc ordine feria sexta compleant, hoc scientes, vt quod Pontifex pro se intermittit, ibi illum commemorẽt. Posteà verò hora octaua ingrediuntur ad Missas more solito. Ideò hæ orationes hodiè celebrantur, quia in hac feria quarta consilium fecerunt Iudæi vt occiderent Dominum. Vndè nos ad memoriam reducere debemus crudele consilium Iudæorum, & mansuetudinem Christi, vt contra omnem iniuriam armemus nos armis orationis & patientiæ, sicut ipse fecit, dicens: Pater, ignosce illis. Sequitur manifesta definitio, cur primum responsorium, vnum habeat versum: secundum, quinque. Primus homo Adam duas mortes passus est. In prima lectione, & primo responsorio mors animæ: In secunda & secundo mors corporis signata est: Caro nanque Saluatoris, pro salute corporis: sanguis verò pro anima nostra effusus est: & quia omnis homo vnam habet animam, idcircò primum responsorium vnus sequitur versus: Responsorium secundum quinque versus habens, quinque corporis sensus significat in Adam mortuos, quos Christus moriendo & resurgendo reuiuificauit, & pristino reddidit statui. Passio quæ legitur, ostendit Iudæorum consilium præualuisse ad tempus, & in mansuetudine Christum perseuerasse. Quòd autem sinè salutatione pronunciatur, quod Dominica nõ agitur die, significat Iudeorum prauum conuentum contra Christum conspirasse, & discipulorum silentium propter tristitiam passionis illius, quæ feria sexta vsq; seruata est, qua dic, primus homo conditus est & redemptus. Per tres continuos qui sequuntur dies, id est, quinta, sexta & septima feria, triduanam sepulturam Domini celebramus. Ac per hoc, vt compaginemur humilitati sepulturæ eius, omittimus excelsa nostra, id est, *Gloria patri*, & campanas, id est, signa.

Solennia sepulturæ.

De Cœna Domini.

B IN hac sacra festiuitate diuersa gesta sunt, & geruntur. Surgendum est enim ad vigilias, hora noctis octaua, & tunc omni lumine decoratur Ecclesia. Ab hac nocte vsq; in sabbatum sanctum, non dicitur, *Deus in adiutorium* more solito, neque *Gloria patri* in psalmis, neq; in responsoriis, sed neque in vllo loco. Cantor verò mox inchoat Antiph. sicut in Antiphonario continetur. Lector verò non petat benedictionem, neq; à sacerdote compleatur: Sed ex verbis lectionis iubetur finem facere, aut certè exterminationem. Lectiones primæ de lamentationibus Ieremiæ, Secundæ de tractatu Psalmi:

C *Exaudi Deus orationem meam cùm deprecor*. Tertiæ de Apostolo: *Conuenientibus vobis in vnum*. In paraseeue verò, & in Sabbato sancto de supradictis lamentationibus, & tractatu Augustini in eodem Psalmo, nouissimè de epistola Pauli, Festinemus ingredi in illam. Per has nouem lectiones seu psalmos ac responsoria, qui recoluntur in his tribus noctibus insinuatur, quòd Dominus descendens ad infernum, indè tria hominum genera rapuit, & transuexit ad cælos, Ad societatem videlicet nouẽ ordinum angelorum, sicuti est: *Duo in lecto, duæ molentes,*

D *duo in agro*. Accenduntur enim in hac nocte lumina vigintiquatuor, & extinguuntur per singulas lectiones & responsoria. Quæ fiunt septuagintaduo illuminationes & extinctiones: Tot enim horis iacuit Dominus in sepulcro. Lumen & cantus, gaudium & lætitiam significat: Extinctio luminum, defectum septuagintaduorum discipulorum, siue mœstitiam Apostolorum, quam pertulerunt per septuagintaduas horas, quę consecratæ sunt Christi sepulturæ. Hoc enim ordine per singulas noctes extinguuntur. In initio primi Psalmi, est custos

E paratus cum canna in loco dexteræ partis Ecclesiæ, & mox vt primam Antiphonam audierit, extinguit primam lucernam. In fine verò sequentis Psalmi ex parte sinistra, tutat aliam in medio * tertiam. hoc ordine de aliis prosequitur. His omnibus extinctis, simili modo in matutinis per singulas Antiphonas extinguuntur. Dicto etiam versu ante Euangelium, subtrahitur media, & reseruatur vsque in Sabbatum sanctum. His finitis, vadunt per oratoria, psalmos canendo cum Antiph. Omittitur etiam *Gloria patri*, &c. vbi gloria recolitur sanctæ Trinitatis. Quia vna est persona filij Dei, & filij hominis, qui pati venerat, conformat se sancta

Quare lumina 72. esse debeant.

* trium.

Media cãdela nõ extinguitur.

A Ecclesia capiti suo, & de glorificatione eius reticet, vsquedùm exaltetur per triumphum victoriæ. Quia ordo Prædicatorum tempore passionis siluit, reticetur sonus signorum atque campanarum. Pro hoc enim humilior sonus lignorum ad congregãdum populum assumitur. A pacis osculo sinè salutatione abstinetur, non quòd malum sit, vbi ex charitate profertur: sed ad vitandam salutationem pestiferam, qualem Iudas proditor exercuit, vt demonstretur, quam iniuriam passus est Christus à suo discipulo, & nos vitemus eadẽ ratione iniuriam fratribus facere. signo enim doloso traditus est

B Dominus. Inuitatorium non cantatur, vt sciamus malum cõuentum vitare, qualis fuit apud Iudæos de nece Christi. Sacerdotale officium Deo his diebus non agitur, quia percussus est pastor, qui est Christus, & arietes gregis dissipati sunt. Isto die pœnitentes ad remissionẽ peccatorum redeunt, iuxta decreta Innocentij Papę, qui dicit: De pœnitentibus autem qui siue ex grauioribus commissis, siue ex leuioribus pœnitentiam gerunt, si nulla interueniat ægritudo, Feria quinta ante Pascha eis remittendum Rom. Ecclesiæ consuetudo demonstrat. Post

C hæc egreditur pœnitens manè de loco, vbi pœnitentiam gessit, & in gremio Ecclesiæ præsentatur, prostrato omni corpore in terra, tunc decantantur hi Psalmi, *Miserere mei Deus*, cum antiph. *Cor mundum*, deindè *Kyrieeleison*, & *Pater noster*, & capitul. & preces: Saluum fac seruum tuum Domine. Conuertere Domine. Mittat tibi Dominus. Illustra faciem tuam. Domine vide humilitatem. Exaudi me Domine, quoniã benigna est misericordia tua. ORATIO: Adesto Domine supplicationibus nostris, & me, qui etiam misericordia tua primus indigeo, & re-

D liq. Alia oratio: Præsta, quæsumus Domine, huic famulo tuo dignum pœnitentiæ fructum. Alia, Deus humani generis benignissime conditor, & misericordissime reformator. Alia: Deus, sub cuius oculo omne cor trepidat, omnesque conscientiæ cõtremiscunt, & reliqua. Post hoc verò admoneatur à sacerdote, vt quod pœnitẽdo diluit, iterando non repetat. Missa, vndè supra. Antiphona: Ego autem in Domino speraui. Omnipotens sempiterne Deus confitentibus huic famulo. Epistola: Quærite Dominum dum inueniri potest. Grad. De necessitatibus.

E Euangelium: Subleuatis Iesus oculis in cælum. Offerto. Factus est Dominus firmamẽt. Secret. Virtutum cælestium Deus, de cuius gratiæ rore descendit. Coll. Illumina faciem tuam. Orat. Ad complend. Concede quæsumus Domine, vt perceptum noui sacramẽti mysterium. Eodem die altaria templi & parietes siue pauimenta Ecclesiæ lauantur, & vasa Domino sacrata purificantur. Quamuis ornatui possit congruere lauatio eorum, tamen non deest aliquid mystici. Parietes domus vocabulum habent Ecclesiæ, quia continent ecclesiam, non tamen sunt ipsi ecclesia. Ac per hoc quia ecclesia conuocatio interpretatur, homines sunt ecclesia, non parietes domus. Qui tamen propterea sanctificantur ab Episcopo, vt in eis inuitetur aduentus angelorum, & homines in ea intrantes ab omni turpiloquio & scurrilitate, & exili etiam cogitatione, nouerint se continere, vt audiant quod Moyses audiuit, quando voluit videre rubum ardentem: Solue calceamentum de pedibus tuis: locus enim in quo stas, terra sancta est. Calceamenta quæ ex mortuis animalibus fiunt, veteris hominis peccata significant: intrantes nos in loca sancta, vbi Dominus est & angeli eius, exuamus nos his calceamentis, & ea quæ sunt Domini, cogitemus. Pauimentum Ecclesiæ, auditores magistrorum sunt. Lauatio domus, quæ nuncupatiuè Ecclesia dicitur, signum est lauationis pedum fratrum: Lauatio pedum fratrum, signum est remissionis peccatorum, siue quando à Domino remittuntur, seu inuicem à nobis ipsis: Hodiè, chrisma confitur vel consecratur. Vndè Christus, id est, vnctus, à chrismate appellatur. Vnguentum istud Moyses primùm in Exodo iubente Domino cõposuit, quo primi Aaron & filij eius in testimonium sacerdotij & sanctitatis peruncti sunt. Deinde quoque reges eodem chrismate sacrabantur. Vndè & Christi nuncupantur, vt illud: Nolite tangere Christos meos. Eratq; eo tempore tantùm in regibus & sacerdotibus mystica vnctio. Sed postquàm Dominus noster verus rex & sacerdos æternus à Deo patre cælesti hoc mystico est delibutus vnguento, iam nõ soli reges & pontifices, sed omnis ecclesia vnctione chrismatis consecratur, pro eo quòd membrum est æterni regis & sacerdotis. Conficitur enim ex oleo mundissimo & optimo balsamo.

Quare Missa non celebratur tempore sepulturæ.

Cæremoniæ lotionis pedum

Chrisma.

D Quia genus regale & sacerdotale sumus, ideò post lauacrum vngimur, vt Christi nomine censeamur. Chrismalis enim vnctio sanctificat iam viuentes ex mortuis. Et ideò feria quinta conficitur, quia quinta ætate mundi ad nos Christus venisse perhibetur, siue quòd ante biduum paschę Maria caput ac pedes Domini perũxit. Benedicitur oleum infirmorum, quia passio Christi auctorem mortis destruxit: gratia eius quę significatur per olei vnctionem, arma eius quæ sunt peccata quotidiana, destruxit, Iacobo attestante: Oratio fidei saluabit infirmum:

E & si in peccatis sit, dimittentur ei, cuius signum est olei vnctio. Eadem die, hora nona scilicet, quando dies sunt longiores, seu hora quinta, quando breuiores, excutitur ignis de lapide in loco foris basilicam, & illuminatur candela. De quo igne nouo illuminatur à mansionario Ecclesiæ lampas vna, & seruatur vsq; in Sabbatũ sanctũ ad illuminãdum cereũ, qui eodem die est benedicendus. De quo in Sabbato sancto dicendum est. Suprascriptam verò candelam illuminatam ponit mãsionarius in summitate cannę, ita vt respiciat Ecclesiã quam sunt ingressuri, prosequente eum populo cum summo silentio atque inclinatione: ipsa verò ecclesia

Solennitas & cæremoniæ cœnæ Dñi fer. 5.

Universidad de Deusto
Biblioteca

sia absq; lumine erit. Custodes autem lampades septem ante altare ità præparatas habeant, vt absque vllo impedimẽto cuiuscunq; retardationis manu mansionarij, cum eadem candela possint accendi. Deincèps verò à custodibus omni lumine decoretur Ecclesia, & sicut isto die taxauimus, ità & feria sexta atque sabbato. Eo ordine, vt à mansionario feria quinta portetur, sexta feria ab Archidiacono, sabbato ab episcopo iuniore. In cœnobiis verò feria quinta à custode Ecclesiæ, feria sexta à Præposito, sabbato ab Abbate. Post illuminationem verò Ecclesiæ inchoatur ad Missam Antiphona: *Nos autem gloriari.* Interìm egredietur pontifex de sacrario cum diaconibus Dalmaticis, & septem cereostatis ante eum, sicut in die solemni, cum omni scilicet ornatu. Dum transierit per medium scholæ, annuat illi vt dicat *Gloriam*. Antequàm verò ascendat ad altare, dat pacem priori Episcopo, & priori presbytero, deindè diaconibus: veniensq; ante altare inclinat se ad orationẽ, prostratus in terra vsque ad versum repetendum. Quo finito, dicitur *Kyrieeleison*. Deindè, *Dominus vobiscum*, & peragitur Missa. Ipso die ita conficitur chrisma: in vltimo ad Missam antequàm dicatur, *Per quem hæc omnia Domine semper bona creas*, leuatur de ampullis, quas offerunt populi, & benedicit tam Dominus Papa, quàm omnes presbyteri: deindè sequitur exorcismus olei. His expletis, sequitur oratio Dominica. *Libera nos quæsumus Domine. Pax Domini*, & *Agnus Dei*, & communicat Pontifex solus, & redit ad sedem suam, & sequitur ad Comm. *Dominus Iesus postquàm cœnauit*. Psalmus: *Beati immaculati*, ad repetendum, quantum necesse erit. Interìm communicat clerus, seu omnis populus. Sequitur ad Compl. oratio: Hac expleta, dicit Diaconus: Ite, Missa est. Cui subsequuntur vesperæ, vt in antiphonario continetur. De eodẽ verò die legitur in ordinibus, quòd reseruandũ sit de corpore Domini ad communicãdum in crastinum. Augustinus ad Ianuarium: Sunt qui quotidiè Eucharistiam volunt sumere; & quia in parasceue non conficitur corpus Domini, necesse est vt hi, quibus est voluntas communicandi, habeant sacrificium ex priori die, quod tamen Romani non faciunt. In isto enim die consumitur agnus typicus, consummaturq; modus communionis, & illud vetus sacramentum per calicẽ, quem porrexit discipulis suis, Deo gratias agendo, quod vetera transitura, & ventura noua quæ debemus expectare vsq; in resurrectionem Domini. Dixit enim Dominus: Non bibam de hoc genimine vitis, vsq; in diẽ illum, & reliqua. Dehinc transitur ad conuiuiũ, ex quo cœna Domini vocatur. Cœna.n. Dominica dicitur, eo quòd ipse Dominus cũ discipulis suis Pascha fecerit. Hoc autem ordine factũ est: Circa vesperã verò cœna facta, id est, parata & ad conuiuantiũ mensam vsq; perducta, non transacta, neq; finita, surgit Iesus à cœna, & ponit vestimenta sua: & cùm accepisset linteũ, præcinxit se, deindè misit aquam in peluim: veniensq; primùm ad Petrũ, cœpit lauare pedes eius, & extergere linteo quo erat præcinctus, & discipulorum. Cui dixit Petrus: Domine, tu mihi lauas pedes? & Dominus ait: Quod ego facio, tu nescis modò: scies autem posteà, & reliqua. Postquàm autem lauit pedes, recubuit iterum. Non est hìc intelligendum, consumptã cœnam atq; transactam: adhuc enim cœnabatur cùm Dominus surrexit, & lauit pedes eorum. Nam posteà recubuit, & buccellam suo traditori posteà dedit, erat enim iam nox, vtiq; nondum finita cœna, hoc est, dum adhuc panis in mensa esset. Et post pauca ait discipulis: Si ego laui vestros pedes, vsque, & vos ita faciatis. Aliqui enim viri religiosi sumunt priùs parùm, & postea lauant pedes, deindè cenant. Hoc imbuti exemplo fideles Christiani, non dedignantur facere conseruis suis, quod Christus fecit discipulis. hoc est, pedes omnium lauare, tam pauperũ quàm peregrinorum, & aliquid de copiis suis tribuere: & qui hoc non valet, debitum sibi proximis relaxet, quatenus illi remittatur in cœlo. Ipse enim nobis quotidie lauat pedes, qui interpellat pro nobis. Ipsum enim signum lauatio pauimentorum Ecclesiæ. In lauatione pedum decantantur hæ Antiphonæ: *Postquàm surrexit Dominus. Si ego Dominus. Dominus Iesus. Mandatum nouum. In hoc cognoscent omnes. Diligamus nos inuicem. In diebus illis. Ante diem festum Paschæ. Charitas*. His finitis, nudantur altaria iam circa noctem, & sic permanent vsque ad Sabbatum sanctum. Altare Christum significat, qui tunc nudatus est à vestimentis, hoc est, à discipulis, quando relicto eo omnes fugerunt. In hac enim nocte Christus veteri legi finem dat, quæ non soluebat peccata, sed puniebat: dat initiũ noui testamenti, per quod peccata absoluuntur. Ab hac enim nocte vsque Sabbatum, nonnulli serui Dei imitantes Apostolos, ieiuni permanent: aliqui verò contenti sunt pane tantùm & herbis, atque leguminibus seu sicera.

Cæremonię lotionis pedum fer. 5. in sancta septimana.

Denudatio altarium.

Eucharistię reseruatio.

Solennitas cõuiuij cœnæ Dñicę in fer. 5.

Feria sexta, quæ & Parasceue.

PArasceue præparatio interpretatur, quæ & sexta sabbati dicitur. In hoc enim die præparabant Iudæi ea, quæ in Sabbato erant necessaria, iuxta quod de manna præceptum est: Sexta die colligetis duplum. & ideò in solennitate habetur, quia eo die Christus mysterium crucis expleuit, propter quod in hunc mundum venerat, vt qui ligno percussi fueramus in Adam, rursum per ligni mysterium sanaremur. Huius enim causa triumphi humana possibilitas Christo per omnem mundũ celebritatem annuam præbet, pro eo quòd dignatus est sanguine passionis suæ redimere peccatum mundi, & per crucẽ morte deuicta absoluere. Tripartita autem ratio Dominicæ passionis ostenditur. Prima, vt Christus pro reatu mundi redẽptio dare retur, scilicet vt quos absorbuerat, euomeret, non potentia victus, sed iustitia. Secunda causa est, vt secutoribus hominibus vitæ magisterium præberet: ad hoc enim ascẽdit in crucem, vt nobis passionis & resurrectionis præberet exemplum. Tertia causa est susceptæ crucis, vt superbia seculi, & inflata sapientia, per crucis stultam, vt putatur, prædicationem humiliata corrueret, vt pateret, quod stultum Dei est, quanto sit sapientius hominibus. Sed adhuc videndum est, quarè Dominus tale genus mortis elegerit. Legimus enim in Euãgelio, quòd Pharisæi voluerunt eum præcipitare de monte: At ille transiens, per medium illorum ibat. Alibì quoq; legimus, quòd Iudæi lapides tulerunt, vt iacerent in eum: ipse verò abscondit se, & exiuit de templo. Quarè Dominus noluit præcipitari aut lapidari, vel in gladio truncari? vtique causa nostræ salutis hoc fecit. Mors enim Christi, signum est nostræ salutis. Noluit ergo lapidari, aut in gladio truncari, quòd videlicet nos semper nobiscum lapides aut ferrum ferre non possumus, quibus defendamur. Elegit verò crucẽ, quæ leui manus motu exprimitur, qua & cõtra inimici versutias munimur. Hoc enim signo Crucis consecratur corpus Dominicum, sanctificatur fons baptismatis, initiantur presbyteri, & cæteri gradus ecclesiastici, & omnia quæcunque sanctificantur, hoc signo Dominicæ crucis cũ inuocatione Christi nominis consecrantur. Nam ipsa Crux magnum in se mysterium continet, cuius positio talis est, vt superior pars cælos petat, inferior terræ inhæreat: fixa, infernorum ima contingat: latitudo autem eius, partes mundi appetat. Quia & Christus per passionẽ crucis angelis profuit in cælo, quorum numerus qui per apostatã angelum imminutus fuerat, ex animabus fidelium quotidiè adimpletur: & nobis qui sumus in terra, & illis qui propter originale peccatum detinebãtur apud inferos: sed & ipsis, qui in diuersis mundi partibus habitabant. Ipse est enim rex cælestium, terrestrium & infernorum, vt omnis lingua confiteatur, quòd Dominus Iesus Christus in gloria est Dei patris. Iacens verò crux, quatuor mũdi partes appetit, Orientem videlicet & Occidentem, Aquilonem & Meridiẽ, quia & Christus per passionem suam omnes gentes ad se trahit: & omnia sibi subiugauit, iuxta quod ipse surgens à mortuis, dicit: Data est mihi omnis potestas in cælo & in terra. Cur autem hodiè Missa non cantatur, sed neque in sabbato sancto, donèc ad vigilias noctis, S. Innocentius Papa in Decretalibus dicit: Isto biduo sacramenta penitus non celebrari, quia percussus est pastor, & oues eius gregis dissipatæ sunt, seu quòd Apostolos, quos imitari debemus, isto biduo in tristitia & mœrore fuisse, & ieiunos vsque in resurrectionem permansisse credimus. In die parasceue ideò non cantatur, quia ipsa die Iesus Christus seipsum hostiam obtulit Deo patri pro nobis, & ipsa oblatio sufficit ad salutem

Solennitas parasceues.

Causa passionis Dominicæ.

credentium. In ipso autem die hora quinta deportatur lumen, vt suprà ab Archidiacono seu præposito, & illuminantur lampades septem: Pontifex autem seu clerus atque populus procedunt ad Ecclesiam. Interim verò egreditur Archidiaconus cum aliis diaconibus de sacrario, induti scilicet planetis fuscis, & duo cereo stata ante ipsos cum cereis accensis procedentes vsque ad altare, cum silentio, & oratione completa, atq; osculato altari, vadunt ad sedẽ Pontificis more solito: deindè annuit Archidiaconus subdiacono, vt legatur lectio prima. sequitur responsorium, Domine audiui. Istud responsorium cum IIII. versibus, significat Christum, qui IIII. elementa in effigie hominis assumpsit. Illa pendebãt in cruce inter duo animalia, hoc est, inter duos latrones. Sequitur altera lectio, deindè more Romano sequitur tractus, *Qui habitat*. Iste tractus trahit nos ad longitudinẽ vitæ æternæ. In qua salutare Dei, hoc est Christum, quem nefandissimi Iudæi in cruce positum hodie viderunt, & nos credimus visuros facie ad faciem in æternitate sua. Canunt hìc aliqui tractum nuperrimè compilatum: *Eripe me Domine ab homine*, &c. sequitur absque salutatione Passio Domini nostri. Hac expleta, statìm duo diaconi nudant altare lindone, quæ priùs fuerat sub Euangelio posita, in modum furantis. Aliqui verò antequàm legatur Passio, præparãt findones duas sibi inuicem parumpèr cohærentes, & in eo versu vbi legitur: *Partiti sunt vestimenta mea sibi*, scindunt hincindè ipsas findones desupèr altari in modum furantis, & secum auferunt. Quia altare Christum significat, & Apostolos vestimenta ipsius, conuenit vt subtus Euangelium aliquid iaceat ob honestatem, quo sublato, raditur quod subiectum fuit: quia dedito Christo inter manus iniquorum, Apostoli fugerunt. Per findonẽ verò potest intelligi Ioannes, qui perseuerauit cum Domino vsque ad crucem, & posteà se occuluit. Quòd verò ipso die pannus scinditur, hoc portendere videtur, quod pictura in parietibus expressa, videlicet, vt semper recolamus Dominum pro nobis passum, & vestimenta eius fuisse diuisa. Tenebræ luminum ideò extinctione figurãtur, quia tunc vera lux mundi occubuit, & tenebræ totum mundum operuerunt. Notandum est enim, quia in Romana Ecclesia extinguitur totus ignis in sexta feria, & reaccenditur: in hoc facto imitamur ignis fotus, & conseruatus per congesta lignorum, principalem ignẽ. i. solem corporeũ, qui ab humanis obtutibus se abscondit tempore passionis, à sexta hora vsq; ad nonam, nè suo lumine fruerentur, qui male gaudebant de ignominia Domini sui: Hac causa extinguitur in vj. feria, vj. hora, & renouatur circa horam nonam, inter quæ cõuenit, vt his horis hæc recolantur, quibus tunc gesta sunt. Mox sequuntur orationes solennes ad Hierusalem. Solennes dicuntur, quia ab omnibus solenniter debent celebrari. Fit in eis mentio omnium

Lectiones in die Parasceues.

Universidad de Deusto
Biblioteca

fidelium & infidelium. Nec ab re est, quòd pendente Domino in cruce, & Iudeis illi insultantibus, pro ipsis orauerit. Ex hoc & nos ad memoriam reducamus, quòd quando aliquid molestè patimur, aut ab inimicis persequimur, ad orationem illicò confugere debeamus. Pro periculis huius vitę, & pro hęreticis & paganis, & per omnes alias orationes genu flectimus, vt per hunc habitum corporis, mentis humiliratem attendamus, excepto quando pro perfidis Iudeis oramus: illi enim genu flectebant Domino opus bonum malè operantes, quia illudendo hęc faciebant: Nos ad demonstrandum, quia fugere debeamus opera quæ simulando fiũt, vitamus genu flexionem pro Iudæis. Denique Pontifex veniens ante altare, siue (vt in alio ordine legitur) transiens in dexteram partem eccleſię infra thronum, dicit: *Oremus.* & diaconus *Flectamus genua*. Item diaconus: *Leuate*, & Pontifex dat orationem, sicut in sacramẽtario continetur. His finitis, omnes exeunt foràs, Apostolico hoc agente, nos hora nona inchoamus. Circa vesperum verò in omnibus ecclesiis presbyterorum seu episcoporum, atque cœnobiorum præparatur crux ante altare, & sustentatur hincindè à duobus acolytis, posito ante eam orario, venit Pontifex solus, & adoratam deosculatur crucem. Deinde presbyteri & diaconi & cæteri per ordinem, deindè populus. Pontifex verò sedet in sede donèc omnes salutent. Presbyteri verò duo priores, salutata cruce, intrant in sacrarium, & deferunt corpus Domini quod pridiè remansit, ponentes illud in patena, & subdiaconus tenet ante ipsos calicẽ cum vino non consecrato, & alter subdiaconus patenam cum supradicto corpore Domini, à quibus accipiunt presbyteri patenam & calicem, & ponunt super altare nudatum: Pontifex verò sedet dum salutat populus crucem. salutante enim priùs Pontifice seu populo, cantatur Antiph. *Ecce lignum crucis.* Psal. *Beati immaculati.* Item, *Crucem tuam adoramus*, &c. Psal. *Deus misereatur.* Alia: *Dum fabricator*. Quando hanc crucẽ adoramus, omne corpus nostrum hęreat terrę, & ipsum quem adoramus, quasi pendentẽ in ea mente cernamus, virtutemq; quam accepit ex Dei filio, ipsam adoramus. Prosternimur corpore ante crucẽ, mente ante Dominum: veneramur crucem, per quam redempti sumus, & illum deprecamur, qui redemit. Qui verò non possunt habere de ligno Domini, salua fide adorant illam quam habẽt, de quibus veneration ibus quę conueniunt, per singulas orationes superiores, B. Ioannes Chrysostomus inter cætera sic dicit. Crux Ecclesię fundamentum, atq; orbis terrę cautela. Crux annunciatio Apostolorum, gloriatio martyrum, spes Christianorum. Crux gaudium sacerdotum, virginum castitas, monachorum abstinentia. Crux, imperatorum philosophia, & regum magnificentia, & destructio superborum. Crux ęgrotãtium medicus, nauigantium gubernatio, atq; periclitantium portus. Crux insensatorum sapientia, atq; libertas seruorũ. Crux scadalum Iudæorũ, atq; perditio impiorum. Crux tẽplorum destructio & repulsio idolorum. Qua salutata, & reposita in loco suo, venit pontifex ante altare, & dicit: *Præceptis salutaribus moniti. Pater noster. Libera nos quæsumus Domine.* Cùm verò dixerint, *Amen*, sumit de pane sancto, & ponit in calicẽ silendo. *Pax Domini* non dicit, quia non sequuntur oscula circunstantium. Sanctificatur autem vinum non consecratum per sanctificatum panem. Tunc communicant omnes cum silentio, & expleta sunt vniuersa. De hac autem communicatione vtrum debeat fieri, suprà relatum est. Deniq; petente hodiè corpus Domini Ioseph serò, & adspicientibus mulieribus vsque sepulto, reuertentes emerunt aromata & vnguenta, & Sabbato sequenti propter mandatum siluerunt, parantesq; aromata, manè vt vngerent corpus Domini, venerunt.

Genuum flexiones die Parasceues

Adoratio crucis die Parasceues

Quæstio, quarè dicatur Dñs tribus diebus & tribus noctibus fuisse in corde terræ, cùm, sicut Euangelista refert, parasceue hora sexta sit crucifixus, & circiter hora nona, inclinato capite, spiritum emiserit, sabbato in sepulcro quieuerit, & prima sabbati valdè diluculo à mortuis surrexerit. Sed hoc synecdochicòs accipiẽdum est, à parte videlicet totum. Nam si partẽ parasceues cum præterita nocte, qua comprehensus est, accipias, itemq; sabbatum cum sua nihilominùs nocte, & rursùs noctẽ Dominicam cum eodẽ die, quo illucescẽte surrexit: inuenies profectò integrum triduũ & tres noctes. Sciendum etiam, quòd dupla erat mors nostra, in anima videlicet & in corpore. Christi verò mors simpla fuit, quia peccatum, quod est mors animæ, non admisit, sicut eius resurrectio simpla fuit. Dominus autem triginta sex horis iacuit in sepulcro, vno videlicet die, & duabus noctibus. Duodecim verò horæ diei, ad vigintiquatuor horas duarum noctium, simplum ad duplum. Et duodecim quidem horæ diurnæ, simplæ morti nostri Redemptoris conueniunt: Vigintiquatuor autem nocturnæ, ad duplam nostram consentiunt mortẽ. Magno igitur sacramento vna die & duabus noctibus iacuit in sepulcro, quia lucem simplę mortis suæ, tenebris duplæ mortis nostræ adiunxit. Veniens enim ad nos, qui in morte carnis pressi eramus, vnam suam, id est, carnis mortẽ detulit, & duas nostras absoluit: simplam suam duplæ nostrę contulit, & duplam nostram subegit.

Quæstionem à tua dilectione mihi propositam, eò difficiliùs aggredior elucidandam, quòd hanc nec in patrum scriptis expositam hactenùs reperi, nec magistrorum traditione percepi, sed nec ab vllo quæsitam audiui, vndè totiès te rogantem distuli, quia nec tibi, nec cuiquam aliquid dicere volui, quòd non euidenti ratione, aut scripturarum auctoritate possẽm probare. Quid autem mihi exindè videatur, viua voce vtcunq; tibi nisus sum explanare, vt

sic

sic me subducerem ab hac scrupulositate. cùm enim dicat Salomon, Altiora te nè scruteris, vereor illa appetere, ad quæ tenuitas ingenioli mei non valeat assurgere. Modulum enim suum vnumquenque considerare prudẽter nos admonet Lyricus, dicens.

Est quoddam prodire tenùs, si non datur vltrà.

Cùm ergo huius rei audientiam tibi sufficere dixissem, causatus es fragilem esse humanæ mentis memoriam, nec audita diù retinere, & ob hoc literas esse repertas, quibus oblita per incuriam, possint recuperari per diligentiam, & ideò acriùs institisti, vt hæc tibi qualicunq; stylo literis mandata contraderem. Si quid ergò ineptum processerit, non meæ temeritati, sed tuæ iustiùs imputabitur importunitati. Quamquam haud scio, vtrumnàm, quod sentio, verbis valeam explicare. Quæris igitur, cùm Sanctorum dies, quibus de hoc seculo migrauerunt, solenniter & cum magna exultatione celebremus, adeò vt in ipsis abstinentiæ aliquantulùm rigore laxato, paululùm remissiùs viuamus, cur diẽ passionis Christi, quo de hoc mundo per mortem transiit, sicut Euangelium testatur, in magna afflictione & carnis macera tione cordisq; cõtritione iubeamur celebrare, quam (vt ais) oportuerat tanto sublimiùs, tantoq; festiuiùs, immò alacriùs excolere quanto constat Christum sanctorum omniũ meritum transcendere. Quod vt autumo, rectè diceretur, iustèq; dies illa cunctis festiuitatibus solenior haberetur, ac iucundiùs celebraretur, si Christus, vt purus homo, per temporalem mortem ad eam gloriam transisset, quam antea nũquàm habuisset. Iurè enim eius gloriæ congauderemus, quam eum per mortem consecutum fuisse sciremus. At verò cùm sciamus Christum Dei filium ante omnia secula semper existere gloriosum, eiusq; gloriam, sicuti nec minui, ita nec augeri posse, eundẽ tamen pro nostra redẽptione tantùm se humiliasse, vt non solùm nostræ carnis morticiniũ dignaretur assumere, verùm etiam qui erat immortalis in sua natura, mori dignaretur in nostra, in qua morte plus humiliatus videtur, quàm exaltatus: & nulla sui necessitate, sed benigna & spontanea voluntate, nec pro se, vtpotè qui morti nil debuit, sed pro nobis qui morti eramus obnoxij, sustinuit: iustum est, vt hi pro quibus passus est impassibilis cum omni huius seculi tempore, tum præcipuè in die suæ passionis ei compatiantur, pro se dolenti condoleãt, pro se tristanti tristitiæ vi rem rependant, amore pro se morientis in hac potissimùm die ab omni carnis delectatione semetipsos commortificent. Si enim, iuxta Apostolum, vno aliquo dolente membro, condolẽt reliqua: quanto magis summo patiente mẽbro, id est, capite, quo reguntur omnia mẽbra, compati debent illa quæ ab eo reguntur membra? Christi autem esse membra credentes in eum, ipsumque caput omnium in se credentium, nullus ignorat fidelium: Sicut econtrà iniqui membra sunt diaboli, inter quæ præcipuũ locum tenent Iudæi persecutores Christi, quos luce clariùs constat inuidiosè gauisos fuisse in morte Christi: Sicut econtrà Apostolos, qui sunt præcipua membra Christi, admirabiliter contristatos de iniusta nece Christi. Quòd si nos inter membra Christi vel vltimos confidimus deputari, debemus cum sublimioribus membris illius in passione capitis nostri contristari: nè, si in hac die voluerimus corporali lætitiæ vacare, non cum Apostolis Christum amare, sed cum Iudæis videamur eius morti insultare: atque ideò quod consequens est, non inter membra Christi, quæ nolumus imitari, sed potiùs inter membra diaboli, quibus videmur collætari, mereamur (quod absit) iurè computari. Tristemur ergò in morte Christi cum Apostolis, vt mereamur in resurrectione eius gaudere cum illis. Doleamus exultantibus iniquis, vt postmodum gaudeamus lugentibus illis. Iudæi nanque, sicut in morte eius gauisi, ita probantur in eius resurrectione tristati. Ecce, vt potui, paucis enucleaui, cur diem passionis Christi in afflictione carnis, & contritione spiritus conueniat celebrari, quanuis verba non suppeditauerint, quibus, quod sentio, exprimere non valeo. Restat nunc, prout facundia linguæ, Domino largiente sufficerit, itidèm breuiter expedire, cur sanctorum dies, quibus ab hoc seculo transierunt, summis laudibus & magna recolamus alacritate. Vbi primò recolendum censeo, omnes Christianos in Christo fratres esse, ipso Domino cunctis in se credentibus sic protestante: Patrem nolite vobis vocare super terram. Vnus est enim pater vester, omnes vos fratres estis. Omnes itaque qui iam de hoc mundo recesserunt, siue qui adhuc versantur in mundo, siue qui futuri sunt vsq; ad finem seculi credentes in Christo, fratres esse veraciter cõstat, vtpotè vna baptismatis regeneratione in Christo renatos, vnius matris Ecclesię vberibus educatos, vnius fidei vinculo tanquã dulcissimæ fraternitatis affinitate connexos, ad vnã eandemque cælestis regni hæreditatem ab eodem piissimo patre Deo pia adoptione vocatos. Debemus itaque omnia quę nobis accidunt, fraterno affectu inuicèm communicare, id est, & in aduersis pariter contristari, & in prosperis communiter congratulari. Notum autem habet omnis qui verè Christianus est, sanctos cùm ab hac corruptibili vita decedunt, ad meliorem, id est, incorruptibilem, & interminalem transmigrare, scilicet, de tenebris ad lucem perpetuam, de mœrore ad gaudium sempiternum, de labore ad requiem perennem, de carcere ad libertatem, de seruitute ad regnum. Vndè & mos Ecclesiasticus obtinuit, dies illos non funebres, sed natalitios appellare. Iure enim nasci dicuntur, qui de pressuris huius mundi tanquàm de angustiis cuiusdam arctissimi vẽtris ad illã spatiosissimã & lucidissimam

Universidad de Deusto
Biblioteca

cælestis habitationis emittuntur latitudinem. Si ergò nos eorũ fratres esse præsumimus, quos ità glorificatos adspicimus, dignum est eorum felicitati congratulemur, & eorum lętitię colletemur, fratrum nostrorum gloriæ congaudeamus, eorumq; triumphis, quibus per diuinum auxilium diabolum vicerunt & seculum, dignis laudibus cælestes eorum natales debita alacritate veneremur. Nam si eos lugubriter aut cũ mœrore transigamus, duplici redarguemur errore, quia videmur aut non credere eos ad gloriam trãsisse, & ideo quasi mortuos lugere: aut si scimus eos felicitati donatos, & non congratulemur, gloriæ illorum inuidere conuincimur. Et cùm antiquos natalitia sua, vel suorum affinium, quibus in hanc miseram effusi sunt vitam, tanta alacritate inuenimus celebrasse, vt in his etiam omni corporeæ voluptati licenter operam darent: quanto nos spirituali hilaritate sanctorum patrum natalitia conuenit celebrare, quibus nõ ad miserias nascuntur, sed de miseriis ad gaudia transierunt sinè fine possidenda, non nos corporalibus illecebris resoluentes, vt faciebant pagani, verùm canticis spiritualibus hymnisq; cælestibus in Christo tripudiantes, vt Christiani. Quanuis non denegemus etiam corporaliter aliquãtulum remissius quàm cæteris esse viuendum, propter quosdam (vt reor) hebetiores, qui nihil putant esse festiuum, nisi quod viderint corporali delectatione mellitum. Sanè quia sanctos eosdem ad hanc, quam diximus felicitatem, per afflictionem nõ ignoramus peruenisse temporalem, necesse est, vt sicut æternæ eorum congaudemus lætitiæ, sic temporali quoque illorum compatiamur angustiæ, quatenus per omnia eorum sequentes vestigia, ad eadem illis intercedentibus mereamur pertingere gaudia. Ad quod signãdum præcedentibus eadem natalitia diebus, quas vulgò vigilias eorum appellamus, solito parciùs vescentes, eadem solemnia debitis ieiuniorum obsequiis & maceratione carnis deuotè præuenimus, vt per pridianam purificati abstinentiam, digniùs celebremus sequentis festi lætitiam. Vndè & in officio Missæ earundem vigiliarum festiuissimum Alleluiaticum melos intermittimus, sicut aliis ieiuniorum diebus, nisi fortè Dominica dies fuerit, quã nullo tempore ieiunare, sed semper festiuam esse Dominicæ resurrectionis auctoritas cogit. Quod vtrunque, & præcedentem totius Ecclesiæ sanctorum afflictioni compassionem, & de eorum gloria sequentem exultationem Dominus in Euangelio sub specie mulieris parabolicè designat, cùm eam parturientem asserit tristari: cùm autem peperit, in immensum gratulari. Quia enim parturire dicimus, ante partum anxiari: parere autem, partum effundere: iurè mulier, per quam sancta figuratur Ecclesia, cùm parturit, dolere dicitur, quia cùm filios suos, quos fide conceperit, antequàm in æternam pariat vitam, diuersis tribulationibus ab impiis impediri conspicit, tanquàm difficultate pariendi angustiata, magnis doloribus ingemiscit: cùm verò eos, quos ita parturierat, de huius mundi angustiis ad cęleste peperit regnũ, dici non potest, quantùm de felicissimo filiorum partu tripudiat. Quod primitiua quidem Ecclesia persecutionis tẽpore historialiter agebat: sed ea quæ nunc est Ecclesia, à Christo pace iam reddita, pia æmulatione spiritaliter representat. Præteritos igitur parturitionis eius dolores, in vigiliis sanctorum, ieiuniis & afflictione carnis imitamur: sequentem verò eius iam enixæ alacritatem, ipsius iocunditate festiuitatis æmulamur. Importunitati tuæ dulcissime fili, etsi non vt debui, vt potui tamen, satisfacere institi, quanquàm difficultate quęstionis cogente, verbosior forsitan extiti.

De Sabbato sancti Paschæ.

SAbbati paschalis veneratio hinc celebratur, eo quòd ipso die Dominus in sepulcro quieuit. Vndè Hebraicè requies, siue quòd eo die mundo perfecto requieuit. Hic autem dies inter mortem Christi & resurrectionem medius est, significans quandam requiem animarum ab omni labore post mortem, per quam fit trãsitus per resurrectionem carnis ad illam vitam, quã Christus Dominus sua resurrectione præmonstrare dignatus est. Et quia in tanta veneratione ab omnibus Christianis excolitur, seu quòd vsque ad medium noctis vigiliæ extenduntur, sanctus Hieronymus ita docet: Traditio Apostolorum vel Iudæorum est, Christum media nocte venturum in similitudinem Ægyptij temporis, quando Pascha celebratum est. Vndè & reor traditionem Apostolicã permansisse, vt die vigiliarum Paschæ ante noctis medium populos dimittere non liceat, expectantes aduentũ Christi. Postquàm verò illud tempus transierit, securitate præsumpta, festum cunctis agere diem. Manifestat & hoc benedictio cerei, *Hæc nox est*: & in oratione in Missa: *Deus qui hanc sacratissimam noctem*. In Romana enim Ecclesia infra Vrbem, manè primo Sabbati venit Archidiaconus in Ecclesiam, & fundit ceram in vase mundo, & miscitat in ea oleum, indè benedicit ceram, & ex ea fundit similitudinem agnorum, & seruat eos in loco mundo. In octauis verò Paschæ dantur ipsi agni ab Archidiacono post missas in ecclesia & communionem populo, & ex eis faciunt in domibus suis accendi incensum, & ad fumigandum in domibus suis pro quacunque eis necessitate euenerit. Similiter in suburbanis ciuitatibus de oleo faciunt. Agni quos Romani faciunt, agnum pro nobis factum immaculatum designant: omnibus enim rebus Christus nobis ad memoriam frequentiùs reducendus est. Quibus S. Gregorius oleum instituit, quandò mysteria paschalis agni reserauit. Quòd enim à nobis cereus benedicitur, Zosimus Papa instituit. Significat enim Dominum, qui

præcedebat

præcedebat filios Israel in columna ignis. Cera humanitatem Christi designat. Mel quippe in cera, est diuinitas in humanitate. Concordat cereus hic in significatione cum columna ignis, qui illuminabat populum Israel in nocte, vt illud in ipsa benedictione. Sed iam columnæ huius præconia nouimus. Columna illa Christum significabat. Illa columna præcedebat filios Israel: nostra columna, i. cereus præcedit Catechumenos nostros. Lumen ipsius Christum significat, quo & præsens nox illustratur, gratia scilicet resurrectionis, & Catechumeni ad baptismum venturi. Quòd à diacono benedicitur, morem sequimur Romanum. In eo enim Archidiaconus conficit agnos. Qui cereus per septem dies Neophytorum præcedit Pontificem, qui est caput populi, quia columna ignis præcessit populum vsque ad terram repromissionis. Ipso die hora septima procedunt omnes ad ecclesiam, & deportatur lumen ab Episcopo siue Abbate, prosequente eum populo sicut supra, & illuminantur septem lampades. Cereus verò qui benedicendus est, iam debet esse præparatus in medio Ecclesię, cõgregato hincindè omni clero seu populo: deindè veniẽs Archidiaconus facit crucẽ in eo, & illuminat illũ de nouo igne, atq; completur ab eo benedictio cerei. Prima quasi in modum legentis ità, *Exultet iam angelica turba cęlorum*, & reliqua. Secunda decantanda est in modum prefationis. Cereo benedicto illicò illuminantur ab eodem alij cerei duo, staturam hominis habentes. Cereus qui nouo igne accenditur, nouam Christi doctrinam siue gratiam in nouo testamento, nouamq; gratiam qua nox Dominica illustratur, designat: Duo qui illuminantur ab eo, doctrinam Apostolorum designant, quibus dicitur, Vos estis lux mundi. Quod enim Catechumenos præcedunt ad baptismum, significat hoc quod columna ignis præcedebat filios Israel, antequàm mare rubrum transirent. Vbi etiam figuraliter initium sumpsit baptismus: Baptizauit, inquit, Moyses in nube & mari. Habuit ergò mare formam baptismi: nubes Spiritus sancti: Manna verò, panis vitæ: Deindè baptizauit Ioannes in pœnitentia, post hũc Christus perfectum baptizauit baptismum in Spiritu sancto & igne. Tria etenim genera sunt baptismi: Primum, quo sordes peccatorum per lauacrũ abluuntur: Secundum, quo quis sanguine suo per martyriũ baptizatur, quo etiã Christus baptizari dignatus est. Tertium lachrymarum, quibus Dauid & Niniuitæ misericordiam consecuti sunt. Deniq; in baptismo septem gradus sunt, tres in descẽsu, propter tria quibus renunciamus: tres alij in ascẽsu, propter tria quæ confitemur. Septimus verò, qui quartus similis filio hominis, extinguens fornacem ignis. Lectiones itaque quatuor quæ sequuntur ante baptismum cum canticis seu orationibus, ad institutionem Catechumenorum atq; Neophytorum pertinent. Quòd verò non pronunciãtur in capite, vt aliæ lectiones, sicuti est, lectio libri Geneseos siue Exodi, & cæteræ per ordinem, hæc ratio est: dicit enim Apostolus: Sapientibus & insipientibus debitor sum. Catechumeni insipientibus comparantur, ideò eis lectiones dissimiliter pronunciantur, vt reducatur ad memoriam cæcitas cordis eorum, qui nondùm cognoscunt ciues cælestis Hierusalem, frustrà eis pronũciatur auctor incognitus, quibus firmissima auctoritas potest vilescere per ignorantiã. Antequàm enim legantur lectiones, accipiunt duo notarij suprà scriptos cereos accensos, & tenẽt illos, vnus in dextro cornu altaris, alter in sinistro vsque ad fontes. Deindè ascendit lector ad legendum, absque pronunciatione lectionis. Lectio prima ex libro Geneseos, ità inchoatur, In principio creauit Deus cælum & terrã, & reliq. Sequitur oratio absq; salutatione: Deus qui mirabiliter creasti hominem. Lectio secunda ex libro Exodi: Factum est in vigilia matutina. CAN. Cantemus Domino, ORAT. Deus cui miracula antiqua. Et lectio tertia Esaiæ prophetæ: Apprehendent septem mulieres. CAN. Vinea facta est. Oremus: Deus qui nos ad celebrandum Paschæ sacramentum. Lectio quarta Esaiæ prophetæ, Hæc est hęreditas. CAN. Attende cælum. Oremus, Deus qui Ecclesiã tuam. De Psalm. 41. Canticum: Sicut ceruus. Oratio: Concede, quæsumus. Alia oratio in eodem Psal. 41. Omnipotẽs sempiterne Deus, respice propitius ad deuotionem populi tui. Inter hæc duo cantica, non est lectio necessaria, quia propter conueniẽtiam lectionis & duorum psalmorum, sinè altera lectione congruè coniunguntur. Finitis lectionibus, descendendum est ad baptizandum. Qua hora baptismus hodiè debeat celebrari, siue Pentecoste, vel quid sacerdotes Neophytis prædicent, hìc parumpèr intimandũ est. Primò paganus, vt Catechumenus fiat, accedẽs ad baptismũ, renunciet maligno spiritui, & omnibus damnosis eius pompis: exuflatur etiam vt fugato diabolo, Christo Domino paretur introitus: exorcizatur, id est, cõiuratur malignus spiritus, vt exeat, & recedat, dans locum vero Domino. Catechumenus audiens siue adiutor, salem accipit, vt putrida & fluxa eius peccata, sapientiæ sale diuino munere mundentur. Deinde Symboli Apostolici traditur ei fides, vt vacua domus, & à prisco habitatore derelicta fide ornetur, & præparetur habitatio Dño. Fiũt scrutinia, vt exploretur sæpius, an post renunciationẽ Satanæ, sacra verba datæ fidei radicitùs corde defixerint. Tangũtur & nares, vt quãdiu spiritum naribus trahat, in fide accepta perduret. pectus quoque eodem oleo perungitur, vt signo sanctæ crucis diabolo claudatur ingressus. Signantur & scapulæ, vt vndique muniatur. Item in pectoris vnctione signatur fidei firmitas, & operum bonorum perseuerantia: Deindè sanctæ Trinitatis trina submersione baptizatur. Et rectè homo qui ad imaginẽ sanctę Trinitatis est conditus, per inuocationem sanctæ

Cæremoniarum baptismi origo.

Baptismi genera.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Trinitatis ad eandem renouatur imaginem, & A qui tertio gradu peccati, id est, consensu, cecidit in mortem, tertio eleuatur, de fonte per gratiam surgat, ad vitam. Deindè albis induitur vestimentis propter gratiam regenerationis, & castitatem vitæ, & angelici splẽdoris decorem. Tunc sacro chrismate caput perungitur, & mystico tegitur velamine, vt intelligat se diadema regni, & sacerdotij dignitatẽ portare, iuxta Apostolũ: Vos estis genus electũ, regale, sacerdotale, offerẽtes vosmetipsos Deo viuo, hostiã sanctam & Deo placentem. Sic corpore & sanguine Dominico confirmatur, vt illius sit capitis membrum, qui pro eo passus est, & resurrexit. Nouissimè per impositionem manus à summo sacerdote & septiformis gratiæ Spiritum accipit, vt roboretur per Spiritũ sanctum ad prædicandum aliis, qui fuit in baptismo per gratiam vita donatus æterna. Hodiè autem hora nona baptismus celebratur, sicut in Pentecoste, ea de causa, quia angelus Dominí venit ad Cornelium hora nona, annuncians ei, quòd orationes eius ac eleemosynæ ascenderint in conspectum Domini. Qui mox misit ad Petrum, & promeruit sacramentum baptismi. Sed & hoc decentissimum est, vt quia hora nona auctor vitæ emisit spiritum, eadem hora nona Ecclesia sancta percipiat sanctum baptisma. Quod verò non liceat præter hodiè & Pentecosten generaliter baptismum celebrari, S. Leo Papa satis denegat, nisi fortè infirmitas interfuerit. Neq; hoc omittendũ est, quòd Romani infra Quadragesimam sex scrutinia celebrant, & hodiè septimum. In isto septenario intelliguntur septem dona Spiritus sancti in baptismate data. Post horam denique tertiam Sabbato præparantur ad Ecclesiam, qui baptizandi sunt, simul cum patrinis & matrinis, & ordinantur ab Acolyto, masculi ad dexteram, fœminæ verò ad sinistram, & tunc qui possunt, reddunt orationem Dominicam & Symbolum, siue patrini pro ipsis atq; matrinæ eorum, qui eos suscepturi sunt. Deindè facit presbyter cum pollice in frontibus eorum signum crucis, dicendo: In nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti. Post hęc ponit manus super capita eorum, & dicit orationem ad Catechumenum faciendum: *Omnipotens sempiterne Deus.* Hic iuxta sanctum Gregorium reddũt Symbolum & orationem Dominicam, aut patrini pro ipsis. Post hęc sequuntur orationes in Sabbato sancto ad catechizandum infantem. Indè verò tangit eis nares, & aures de sputo, & dicit ad aurem dexteram, EPHATA, quod est, adaperire: ad nares, In odorem suauitatis. Ad sinistram, Tu autem effugare diabole, appropinquabit enim iudicium Dei. Posteà verò tangit ei pectus, & inter scapulas de oleo exorcizato crucem faciendo cum pollice, & vocato nomine eius, dicitur: Abrenuncias Satanæ? Respondet: Abrenuncio. Et omnibus operibus eius? Respõdet: Abrenuncio. Et omnibus pompis eius? Respondet, Abrenuncio. Indè sequitur Symbolum: Hic secundum Gregorium sequũtur lectiones & cantica.

Tempus baptizãdi antiquitus.

Susceptores in baptismo.

Baptismi cęremoniæ

His expletis, procedit pontifex ad fontes benedicendos eum omni decore, prosequẽte eum clero seu populo, præcedit etiam benedictus cereus, siue duo illi cerei, quos tenent notarij, ab eodem scilicet illuminati, & ampulla cum oleo & balsamo in magna reuerentia. Nam & illi duo cerei præcedunt vbique pontificẽ vsque in octauas Paschę. Euntes ad fontes, canunt litanias ter tantummodò repetendo. Quibus finitis ante fontes, & facto silentio, stãte sacerdote, sequitur benedictio fontis: *Omnipotens sempiterne Deus,* & reliq. Sequitur cõsecratio fontis, in modũ præfationis decãtanda: Æterne Deus, qui inuisibili potentia sacramentorum tuorum. Ad inuocationem verò Spiritus sancti, quem sacerdos celsa voce proclamat, id est, alto mentis affectu, deponitur cereus benedictus in aquam, siue illi qui ab eo illuminati sunt, ad demonstrandam scilicet Spiritus sancti præsentiam, sacerdote iam dicente: *Descendat in hanc plenitudinem fontis.* Fonte benedicto, accipit pontifex chrisma cum oleo mixto in vase ab Archidiacono, & adspergit per medium fontis in modum crucis. Tunc pontifex adspergit cum manu de ipsa aqua super populum. Quo facto, accipit populus de ipsa aqua in vasculis ad spargendum in domibus suis, siue agris, deindè tenente patrino infantem, à quo suscipiendus est, interrogat eum sacerdos ita: Quis vocaris? Respondet ille. Et sequitur sacerdos: Credis in Deum patrem omnipotẽtem? & respondet: Credo. Et in Iesum Christũ filium, vsque, passum? Respondet: Credo. Credis & in Spiritum sanctum, sanctam Ecclesiam? Respondet: Credo. Deinde baptizat eum sacerdos sub trina mersione tantùm, sanctam Trinitatem semèl inuocando, ita dicens: Et ego te baptizo in nomine Patris, & mergat semel: & Filij, & mergat iterùm: & Spiritus sancti, & mergat tertiò. Vt autem surrexerit à fonte, faciat presbyter signum crucis de chrismate cum pollice in vertice eius, dicens hanc orationem: Deus omnipotens, pater Domini nostri Iesu Christi, tunc suscipiatur ab ipso, à quo suscipiendus est: posteà vestitur infans vestimentis suis. Si verò Episcopus adest, statim confirmari eum oportet chrismate, & poste à communicare, & si Episcopus deest, communicetur à presbytero dicente ita: Corpus Domini nostri Iesu Christi custodiat te in vitam æternam. Amẽ. Quòd enim aliqui patrini solent à fonte extrahere suos filios, non legitur in ordinibus. De hac re Apostolicus apud Romanos ita agit. Postquàm pontifex baptizauerit, vel quibus iusserit ipse, leuant ipsos infantes in manibus, & offerunt eos vni de presbyteris. Ipse verò facit crucem de chrismate cum pollice in vertice eorum, dicens: Deus omnipotens pater Domini nostri Iesu Christi, vt supra. Qua finita, sunt parati qui eos susceputi sunt cum linteis in manibus suis. Deindè accipiunt

Fontis benedictio.

Nota antiquitatem, quæ adhuc hodiè passim à pijs in vsu habetur.

Confirmationis vetustas.

ipsos

Confirmatio mox à baptismo.

ipsos à Pontifice vel à Diaconibus, qui eos baptizauerunt. Postquàm verò vestiti fuerint, deportantur ante pontificem ad confirmandum. Quibus dat singulis stolam candidam, chrismalem, & decem siliquas, & sic vestiuntur. Et postquàm induti fuerint, dat Pontifex super eos orationem, impositа scilicet manu super capita eorum, cum inuocatione septiformis gratiæ spiritus sancti. OR. Omnipotens sempiterne Deus, qui regenerare. Hac finita, facit crucem de chrismate cum pollice in singulorum frontibus, ita dicendo, In nomine patris & filij & spiritus sancti, pax tibi. respondeant omnes, Et cum spiritu tuo. Hæc verba sunt salutationis ad nouum hominem, qui regeneratur. Sanè illud præcauendum est, vt hoc non negligatur. Quia in hoc omne baptismum legitimum Christianitatis nomine confirmatur. Sed & hoc prouidendũ est, vt nullum cibum accipiant, neq; lactentur antequàm communicent. Omni autem die, vsq; in octauas, ad Missam veniant & communicent, parentes verò oblationes pro ipsis faciant. Similiter & in Pentecoste omnia fiant. De hac verò confirmatione S. Innocentius papa non ab alio quàm ab episcopo fieri licere asserit. Quanuis enim presbyteri sint sacerdotes, pontificatus tamen apicem non habent, & ideò solis pontificibus debetur vt consignent, vel paracletum spiritum tradant, sicut lectio Apostolicorum Actuum demonstrat, quę asserit Petrum & Ioannem esse directos, vt baptizatis traderent spiritum sanctum. Presbyteris verò siue extra episcopum, siue præsente episcopo, cùm baptizant, chrismate baptizatos vngere licet, sed quod ab episcopo fuerit consecratum, non tamen frontem ex eodem oleo signare, quod solis debetur episcopis, cùm tradunt spiritum paracletum baptizatis. Quando infirmus venit ad baptizandum, non facies suprà scriptum ordinem, sed tantùm post æternam ac iustissimam pietatem, addes orationem istam: Medelam tuam deprecor Domine sante pater, vsque ad gratiam baptismi tui, Per. Hac finita, dicis symbolum & orationem Dominicam, deindè catechizas eum his verbis: Nec te latet Satanas & reliqua, & non dicas illam benedictionem maiorem ad fontes, sed istam minorem ad succurrendum: Exaudi nos omnipotens, & huius aquæ substantiam immitte, vsque, vitam mereatur æternam, Per &c. Postquàm eum catechizaueris, benedices aquam his verbis: Exorcizo te creatura aquæ, in nomine patris, & Domini nostri Iesu Chtisti filij Dei viui, & Spiritus sancti, si quod phantasma, vsque, in remissionem omnium peccatorum, in nomine Domini nostri Iesu Christi, qui venturus est iudicare viuos & mortuos, & seculum per. Baptizas eum, & linis de chrismate in cerebro, & dicis illi: Baptizo te in nomine patris, & filij, & spiritus sancti. Posteà tangis eum de crismate in capite, & dicis orationem hanc: Deus omnipotens, pater Domini nostri Iesu Christi, qui te regenerare dignatus est ex aqua & Spiritu sancto, quique dedit remissionem omnium peccatorum tuorum, ipse te linire dignetur chrismate salutis in eodem Christo Iesu Domino nostro in vitam æternam. Amẽ. Pax tibi. Et cum spiritu tuo. Hæc finita, dicis orationem Dominicam, deindè catechizas eum his verbis: Credis in Deum patrem omnipotẽtem? & respondet: Credo. Et in Iesum Christũ filium, vsque, passum? Respondet: Credo. Credis & in Spiritum sanctum, sanctam Ecclesiam? Respondet: Credo. Deinde baptizat eum sacerdos sub trina mersione tantùm, sanctam Trinitatem semèl inuocando, ita dicens: Et ego te baptizo in nomine Patris, & mergat semel: & Filij, & mergat iterùm: & Spiritus sancti, & mergat tertiò. Vt autem surrexerit à fonte, faciat presbyter signum crucis de chrismate cum pollice in vertice eius, dicens hanc orationem: Deus omnipotens, pater Domini nostri Iesu Christi, tunc suscipiatur ab ipso, à quo susciendus est: posteà vestitur infans vestimentis suis. Si verò Episcopus adest, statim confirmari eum oportet chrismate, & poste à communicare, & si Episcopus deest, communicetur à presbytero dicente ita: Corpus Domini nostri Iesu Christi custodiat te in vitam æternam. Amẽ. Quòd enim aliqui patrini solent à fonte extrahere suos filios, non legitur in ordinibus. De hac re Apostolicus apud Romanos ita agit. Postquàm pontifex baptizauerit, vel quibus iusserit ipse, leuant ipsos infantes in manibus, & offerunt eos vni de presbyteris. Ipse verò facit crucem de chrismate cum pollice in vertice eorum, dicens: Deus omnipotens pater Domini nostri Iesu Christi, vt supra. Qua finita, sunt parati qui eos susceputi sunt cum linteis in manibus suis. Deindè accipiunt ipsos à Pontifice vel à Diaconibus, qui eos baptizauerunt. Postquàm verò vestiti fuerint, deportantur ante pontificem ad confirmandum. Quibus dat singulis stolam candidam, chrismalem, & decem siliquas, & sic vestiuntur. Et postquàm induti fuerint, dat Pontifex super eos orationem, impositа scilicet manu super capita eorum, cum inuocatione septiformis gratiæ spiritus sancti. OR. Omnipotens sempiterne Deus, qui regenerare. Hac finita, facit crucem de chrismate cum pollice in singulorum frontibus, ita dicendo, In nomine patris & filij & spiritus sancti, pax tibi. respondeant omnes, Et cum spiritu tuo. Hæc verba sunt salutationis ad nouum hominem, qui regeneratur. Sanè illud præcauendum est, vt hoc non negligatur. Quia in hoc omne baptismum legitimum Christianitatis nomine confirmatur. Sed & hoc prouidendũ est, vt nullum cibum accipiant, neq; lactentur antequàm communicent. Omni autem die, vsq; in octauas, ad Missam veniant & communicent, parentes verò oblationes pro ipsis faciant. Similiter & in Pentecoste omnia fiant. De hac verò confirmatione S. Innocentius papa non ab alio quàm ab episcopo fieri licere asserit. Quanuis enim presbyteri sint sacerdotes, pontificatus tamen apicem non habent, & ideò solis pontificibus debetur vt consignent, vel paracletum spiritum tradant, sicut lectio Apostolicorum Actuum demonstrat, quę asserit Petrum & Ioannem esse directos, vt baptizatis traderent spiritum sanctum. Presbyteris verò siue extra episcopum, siue præsente episcopo, cùm baptizant, chrismate baptizatos vngere licet, sed quod ab episcopo fuerit consecratum, non tamen frontem ex eodem oleo signare, quod solis debetur episcopis, cùm tradunt spiritum paracletum baptizatis. Quando infirmus venit ad baptizandum, non facies suprà scriptum ordinem, sed tantùm post æternam ac iustissimam pietatem, addes orationem istam: Medelam tuam deprecor Domine sante pater, vsque ad gratiam baptismi tui, Per. Hac finita, dicis symbolum & orationem Dominicam, deindè catechizas eum his verbis: Nec te latet Satanas & reliqua, & non dicas illam benedictionem maiorem ad fontes, sed istam minorem ad succurrendum: Exaudi nos omnipotens, & huius aquæ substantiam immitte, vsque, vitam mereatur æternam, Per &c. Postquàm eum catechizaueris, benedices aquam his verbis: Exorcizo te creatura aquæ, in nomine patris, & Domini nostri Iesu Chtisti filij Dei viui, & Spiritus sancti, si quod phantasma, vsque, in remissionem omnium peccatorum, in nomine Domini nostri Iesu Christi, qui venturus est iudicare viuos & mortuos, & seculum per. Baptizas eum, & linis de chrismate in cerebro, & dicis illi: Baptizo te in nomine patris, & filij, & spiritus sancti. Posteà tangis eum de crismate in capite, & dicis orationem hanc: Deus omnipotens, pater Domini nostri Iesu Christi, qui te regenerare dignatus est ex aqua & Spiritu sancto, quique dedit remissionem omnium peccatorum tuorum, ipse te linire dignetur chrismate salutis in eodem Christo Iesu Domino nostro in vitam æternam. Amẽ. Pax tibi. Et cum spiritu tuo. Hæc finita, dicis orationem Dominicam, deindè catechizas eum his verbis: Credis in Deum patrem omnipotẽtem? & respondet: Credo. Et in Iesum Christũ filium, vsque, passum? Respondet: Credo. Credis & in Spiritum sanctum, sanctam Ecclesiam? Respondet: Credo. Deinde baptizat eum sacerdos sub trina mersione tantùm, sanctam Trinitatem semèl inuocando, ita dicens: Et ego te baptizo in nomine Patris, & mergat semel: & Filij, & mergat iterùm: & Spiritus sancti, & mergat tertiò. Vt autem surrexerit à fonte, faciat presbyter signum crucis de chrismate cum pollice in vertice eius, dicens hanc orationem: Deus omnipotens, pater Domini nostri Iesu Christi, tunc suscipiatur ab ipso, à quo susciendus est: posteà vestitur infans vestimentis suis. Si verò Episcopus adest, statim confirmari eum oportet chrismate, & poste à communicare, & si Episcopus deest, communicetur à presbytero dicente ita: Corpus Domini nostri Iesu Christi custodiat te in vitam æternam. Amẽ. Quòd enim aliqui patrini solent à fonte extrahere suos filios, non legitur in ordinibus. De hac re Apostolicus apud Romanos ita agit. Postquàm pontifex baptizauerit, vel quibus iusserit ipse, leuant ipsos infantes in manibus, & offerunt eos vni de presbyteris. Ipse verò facit crucem de chrismate cum pollice in vertice eorum, dicens: Deus omnipotens pater Domini nostri Iesu Christi, vt supra. Qua finita, sunt parati qui eos susceputi sunt cum linteis in manibus suis. Deindè accipiunt ipsos

A ter Domini nostri Iesu Christi. Communicas & confirmas eum, vt suprà. Finito etiam supradicto baptismo in Sabbato sancto, fiunt litaniæ ex iussu pontificis ante altare: primò septenæ, quintenæ, & ternæ fiunt litanię circa baptisterij consecrationem, intercessiones sanctorum pro renascentibus: ità enim incheantur: Stat primicerius vnus in dextero choro, & dicit cum ipso, Kyrieeleęson, & respondet secundicerius cum sinistro choro, Kyrieeleęson, vsque quater. Deindè Christeeleęson, vsque tèr, id fiunt septem vices repetitæ, vndè & septenæ dicuntur. Hoc ordine fiunt quintenæ & ternæ. Post hæc, Christe audi nos, vsque septiès, & sic per ordinem interuallo facto. Sequuntur litaniæ quinæ quinquiès repetitæ. His finitis, pulsantur signa ad Missam publicam. Nam ministri ità debent esse præparati ante ostium sacrarij, vt cùm cantor dixerit: Accendite, absque mora procedant vsque ad altare. Sequuntur litanię trinæ, Kyrieeleęson & reliqua, vsque, Fili Dei, te rogamus. Tunc egreditur pontifex de sacrario cum ingenti decore, & prædicta cereostata ante illum cum thymiamateriis, & cùm dixerit schola, Agnus Dei: dicat cantor excelsa voce, Accendite. Tunc primùm illuminantur omnes cerei Neophytorum quos manibus tenent, demonstrantes hoc, quòd per illum Agnum qui tollit peccata mundi, vnusquisque lumen accipere debeat. Quòd verò ab imperitis extinguuntur in consecratione fontis, quandò illi maiores illuminati deponuntur, nil auctoritatis est. Sinè lumine enim sunt vsque ad hanc horam, qua cæteri cerei illuminantur Ecclesiæ, ea videlicet causa, vt priùs accipiant impositionem manùs Episcopi, & sic eos credamus illuminari spiritu sancto: Atque sicut gloria resurrectionis illustrata est nox, in qua celebramus Missam, ità illustretur & lumine cereorum. Sequitur Agnus Dei. Ea verò quæ sequuntur, tamdiù debent morosè repeti, vt ministri queant procedere. Sequitur, Christe audi nos, Kyrieeleęson. His expletis, dicit pontifex, Gloria in excellis Deo. Ex decretalibus Innocentij Papæ diximus, Sabbato Missam non celebrari: quod ità esse comperimus ex officio, quod totam noctem illustrat futuram, vt in prima oratione Missæ: Deus qui hanc sacratiss. noctem. Nota voce ministrorum ad Neophytos, vsque ad Euangelium, vt illud, Si consurrexistis cum Christo. Cantatur priùs Alleluia, quod est Hebræũ, propter primatum huius linguę: hinc Tractus Latinè. Quòd autẽ ante Euãgelium non portatur, nisi thymiama tantùm, possunt intelligi aromata illa, quę mulieres ante lucem ad vngendum Dominum detulerunt. Quòd autem post Euangelium non cantatur Offerenda, & cantores tempore sacrificij silent, ad memoriam reducitur sacrificium seu silentium mulierum: ipsæ enim tunc tantummodò vnguenta detulerunt. Sanctus, Sanctus, Sanctus, quod est angelorum cantus, ideò cantatur, quia

Cereorum accensio.

Sacra in Sabbato Paschali ac ritus.

Universidad de Deusto
Biblioteca

tur, quia angeli non tacuerunt de eius resurrectione. Iterùm vice mulierum reticent cantores, Agnus Dei, quia quandò interrogauit Maria hortulanum, Domine, si tu sustulisti eum, dicito mihi, magìs credebat illum furto esse sublatum, quàm tollere peccata mundi: ac propterèà audiuit, volens eum tangere, Noli me tangere. Sacerdos qui est vicarius Christi, implet suum officium. Sequitur ad complendam oratio. Postquàm omnes communicauerint, dicit Diaconus: Ite, Missa est. Respondetur: Deo gratias. In hac nocte de vespertinali synaxi apud Romanos nil agitur, neq; ante Missam, neq; post Missam, quia secundùm Augustinum & alios doctores, istud Sabbatum non habet vesperam.

A Sacerdotis. His finitis, & eulogiis acceptis, remittitur vnusquisq; ad titulum suum, vt ibidèm vesperas celebret. Ipsi enim super psalmum tantummodò Alleluia dicunt, & ante Euangelium dicunt Responsorium: Hæc dies, sinè versu. Hęc ratio per totam hebdomadam seruatur vsque in Dominicam Post albas, Alleluia, & Antiphonis mutatis tantùm singulis diebus, Psalmos verò eosdem canunt.

De sancto die Paschæ.

Cæremoniæ in sacro Paschatis die.

DIe sancto Paschæ, in introitu per ora Prophetarum præsentat se Christus in Ecclesia patri suo, dicens: Resurexi. Oratio prima monstrat aditum regni cælestis apertum nobis esse, per capitis nostri resurrectionem. Epistola admonet nos separari à vitiis, contra quę certauimus per quadragesimales dies. Responsoriũ monstrat, quantùm lętari oporteat eos qui purgantur à vitiis. In Alleluia ostenditur, in quo sit totius causa lætitiæ. Euangelium exponit perfectiùs causam totius lætitiæ. Eodem die ad vesperas ad sanctum Ioannem congregatur maturiùs vniuersus gradus Ecclesiasticus in Ecclesia maiore, in loco qui vocatur, Crucifixio: ibiq; inchoat Schola Kyrieeleison, & eo concentu perueniunt vsque ad altare. Posthæc inchoatur alleluia ad psalmũ, Dixit Dominus Domino. Indè Confitebor, cũ Alleluia: Et, Beatus D vir, cũ Alleluia. Quo finito, sequitur Alleluia. Pascha nostrum, cum versu, Epulemur. indè melodia, indè Euangelium secundùm Romanos. ANTIPH. Citò euntes, vers. Eccè præcedet vos. Item ANTIP. Et respiciens. In hac hebdomada non sequitur post Euangeliũ Kyrieeleison, sed Sacerdos dicit orationem, qua finita, descendunt ad fontes cum Antiph. In die resurrectionis. Sequitur psalmus: Laudate pueri, cum Alleluia. Indè Alleluia, Dominus regnauit. VER. Parata sedes tua. Item VER. Eleuauerunt. Indè melodia, indè Euangelium. E Antiph. Venit Maria. Sequitur oratio. Indè vadunt ad S. Ioannem ad fontes seu ad vestem, cum Antiph. Lapidem. Sequitur psalmus, In exitu, cum Alleluia: Quo finito, sequitur Alleluia, Venite exultemus. VER. Præoccupemus. Item VER. Hodiè si vocem. Indè melodia, In Euangelio, Antiphona: Ite, Nunciate. VER. Ibì eum. Item Antiphona, Nolite expauescere. Sequitur oratio. Qua finita, pergunt ad Crucem cum Antiphona, Vidi aquam. Ibiq; canunt iterùm psalmum, In exitu Israel, & Alleluia. Venite exultemus, vt suprà. Indè Euangel. Antiph. Præcedam vos. & sequitur oratio

B HOdiè Albati, qui in Sabbato sancto baptizati fuerunt, vestibus albis exuuntur. Albati autem propter vestes albas vulgò appellãtur. Sicut septem dies pertinent ad vetus testamentum propter Sabbatum, ità octo dies ad nouum propter octauum resurrectionis diem. A sabbato vsque ad sabbatum portantur albæ vestes, quę nobis speciè præstant, quales esse debeamus in nouo testamento, & qualia corpora recepturi in octaua die, in qua præsentari nos oportet ante Dominum cum ipso pignore, quod accepimus in baptismo. Alba autem ve- C stimenta albatorum, opera sunt iustorum, munda & candida omni tempore. Quòd verò in Sabbato exuuntur ipsa vestimenta, hoc significat, quòd anima cuiuscunque fidelis migrans è corpore, inueniet Sabbatum, ideſt, requiem. & vestimenta sua hìc dimittet, id est, corpus, vt recipiat illud iterùm in nouissima die. Octo dies Neophytorum, cursum præsentis vitæ mõstrant. Sicut enim Hebraicus ille populus, trãsito mari rubro, columna ignis sibi præcedente noctù, per omne iter in terrã repromissionis triumphans de hostibus introijt: Ità nostri baptizati, extinctis peccatis præteritis, ducuntur quotidiè ad Ecclesiam, columna cerei illuminata præcèdente eos. vndè intelligitur, ad nullos alios vsus in quibuslibet locis eam debere accendi, nisi in recordatione luminis spiritus sancti, dum itur ad Ecclesiam. Octo dies Neophytorum distinguuntur à cæteris, id est, octauus, primo concinit. Octo officia quæ fiunt in commemorationem Neophytorum, distinguũtur à cæteris sequentibus vsque in Pẽtecosten. Primum habet duas laudes, id est, Alleluia, Cõfitemini, & Tractum, Laudate Dominum. Octauum duas similiter, id est, duo Alleluia. Hæc dies. Et, Laudate pueri. quod non fit in vllo alio Sabbato vsque in Pentecosten. Sex media habent Responsorium & Alleluia. In memoriam itaq; primæ vitæ quam habuit Adam, primò canitur Alleluia: & quia non fuit sempiterna, tractus sequitur humiliore lingua, vt humilitas posterioris vitæ recordetur. In recordatione verò potissimæ restaurationis, id est, vltimę requiei, quæ redditur in septima die, & perficitur in octaua, in octauo die & octauo officio duo Alleluia canuntur: primum, quia vita redditur: secundum, quia sempiterna. Similiter in Dominicis diebus duo Alleluia terminantur,

De Sabbato in Albis.

tur, vsque in Pentecosten. Duo sunt, vndè anima in septima die, id est, in requie laudet Dominum: vnum, de percepta gloria: alterum, de percipienda resurrectione: homo autem in resurrectione constabit ex corpore & anima. & quia resurrectio Dominica præcessit in octaua die, quod futurum est in resurrectione, hoc agimus per dominicos dies vsque in Pentecosten, id est, vt mens & corpus laudet Dominum: & quia interìm sinè corpore anima laudat Dominum, per singulos dies vnum Alleluia celebratur. At media sex officia paschalis hebdomadæ, Responsorium tenent & Alleluia: sicut se- B ptenarius numerus requiem significat, ità senarius opera: & in hac vita bonis operibus insistendum est, & à Dei laude non cessandum. In fine versuum Responsorij, *Hæc dies*, prępostero rus ordo est. *Benedictus qui venit*, præponitur in quinta feria versui, *Lapidem quem reprobauerunt*, qui est in ordine psalmi prior: Sed sexta feria cantatur, quia inter cæteros præcipuè sonat de passione Domini, quæ facta est sexta feria: In illa reprobauerunt Dominum Iudæi ędificantes, in illa factus est in caput anguli. Quod autem semèl agitur baptismus, significat, quia Christus semel pro nobis mortuus est. C In quo baptismo duas pactiones fieri non dubium est, primùm videlicet abrenunciare diabolo & pompis eius, secundò credere in mysterium sanctæ & indiuiduæ Trinitatis. Paruuli autem, alio profitente fidem illorum, idcircò baptizantur, quia adhuc loqui vel credere nequeunt. Qui si priusquàm regenerentur, transierint, proculdubio à regno Christi alieni existunt. Patrini verò illorum præuidere debent, vt cùm ad intelligibilem ætatem peruenerint, fide & bonis moribus instruant, orationem Dominicam & symbolum eos instanter erudiant. D Quod si neglexerint, norint se rationem pro eis reddituros ante Dominum, quorum sponsores extiterint. Quanto autem tempore generaliter ab ecclesia celebratur aduentus Spiritus sancti super Apostolos, tanto tempore debet obseruari vnctio Chrismatis apud vnumquemq;, qui accipit manùs impositionem, & non immeritò: quoniam Spiritus sanctus in septem mulieribus hoc est, septem virtutibus venit ad hospitem suum. Dominica post albas, id est, in octauis Paschæ, danda est cera benedicta post Missam ad suffumigandum scilicet in domibus suis, seu E ponendum in agris vel vineis propter illusiones diabolicas, siue cõtra fulgura vel tornitrua.

Patrini & matrini.

De litania Maiore.

Litaniarũ origo primo Maio.

ROmana consuetudo vnum diem, scilicet septimum calendas Maij, interponit, quem vocat in litania maiore, non in ieiunio. Litania autem Grecè, Latinè deprecatio vel rogatio dicitur, indè & Rogationes. Potest enim serena mens, & aliena à voluntate mala, precari Dominum, quanùs manducet sobriè. Eo enim A tempore, id est, septimo Calendas Maij, solent inimici commouere bellum aduersùs vicina regna. Hinc reor cautè hoc esse prouisum: Vel quia tunc omnia in quodam profectu sunt. Messes pullulant, arborei fructus ex flore prodeũt, vineæ & oliuæ suis arboribus erumpunt, Animalia campos tondent. Quoniam necessaria hæc sunt nostris vsibus, petendum est vt à Domino conseruentur.

De diebus Rogationum.

TRes autem dies Rogationum, qui celebrantur ante Ascensionem Domini, iuxta morem Gallicanæ Ecclesiæ constituit sanctus Mãmertus Viennensis episcopus, ob incursionem scilicet malarum bestiarum, quæ tunc temporis grauissimè afficiebant populum DEI. Nam cùm exigentibus peccatis, Galliarum populi luporum rabie acriter interimerentur, nec huius flagelli aliquod remedium inueniretur, congregati traduntur Galliarum episcopi apud Viennam præcipuam Galliæ vrbem, qui in commune statuerunt, vt triduano ieiunio misericordiam Domini implorarent, antiquorum patrum vestigia sequentes. Cumq; ad eorum preces oculus diuinæ pietatis respiciens, flagelli huius pestem misericorditer abstulisset, hi dies in cõsuetudinem annuæ celebritatis venerunt, vt per Galliarum prouincias ante Ascensionis diem celebrarentur: quæ consuetudo apud nos vsq; hodiè pro diuersis calamitatibus deuotissimè recolitur.

De Ascensione.

AScensionis Dominicæ solennitas ideò celebratur, quia eodem die post mundi victoriam, post inferni regressum ascendere memoratur ad cælos, sicut scriptum est: Ascendit in altum, cepit captiuitatem, dedit dona hominibus. Quæ festiuitas ideò per reuolutum annorum circulum celebratur, vt vnitas assumptæ carnis ascendentis ad dexteram patris, in memoriam reuocetur: Cuius corpus ità in cęlo esse credimus, vt erat quãdò ascendit. Quod & vox angelica protestatur, dicens: Sic veniet quemadmodum vidistis eum euntem in cælum, id est, in eadem carnis specie atq; substantia: Cui profectò carni immortalitatẽ donauit, naturam non abstulit. Dextera autem patris, ad quam idem filius sedere creditur, non est corporea, quod nefas est de Deo sentire: sed dextera patris est beatitudo perpetua, quæ sanctis in resurrectione promittitur, id est, ecclesiæ, quæ est corpus Christi: sicut & sinistra eius, rectè intelligitur miseria & pœna perpetua, quę impiis dabitur.

De Vigilia.

IN vigilia Pentecostes ità agitur, sicut in Sabbato sancto Paschæ: Antequàm enim descendatur ad fontes ad baptizandum, legitur lectio prima, Tentauit Deus Abraham. ORA, Deus

Cæremoniæ in feriis Pentecostes.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Deus qui Abrahæ famuli. Lectio secunda, Scripsit Moyses canticum. CAN. Attende cælum. ORA. Deus qui nobis per prophetarum oracula &c. Lectio tertia, Apprehendent septem mulieres. CAN. Vinea facta est. ORA. Deus qui nos ad celebrandum. Lectio quarta, Audi Israel præcepta vitæ: Deus incommutabilis. CAN. Sicut ceruus. ORA. Concede, quæsumus, omnipotens Deus, vt qui festa paschalia agimus. Finitis lectionibus, descendendum est ad fontes cum sancto Chrismate & cereis in magna reuerẽtia decantando Litaniam. His expletis, baptizãdum est, sicut in vigilia Paschę. Post ascensum verò fontis, ingrediendum est ad Missam publicam ad S. Ioannem. Inprimis fiunt Litaniæ * iter repetendo, & cùm dixerint, Agnus Dei: dicatur excelsa voce, Accendite. Accensis omnibus luminibus, procedit Pontifex cum omni ornatu vsq; ad altare, & dicit: Gloria in excelsis Deo, & peragitur Missa in ordine suo.

*M S. ternę petẽdo fortè legendũ, ternæ repetendo.

De Pentecoste.

INitium sanè & causa festiuitatis Pentecostes, paulò latiùs repetenda est. Pentecostes enim dies hinc cepit exordium, quandò Dei vox in Sina monte desuper intonantis audita est, & lex data est Moysi. In nouo autẽ testamento Pentecostes cœpit, quandò aduentum sancti spiritus, quem Christus promisit, exhibuit, quem ait non esse venturum, nisi ipse ascenderet in cælum. Denique dum portam cæli Christus intrasset, decem diebus interpositis, intremuit subitò, orantibus Apostolis, locus: & descendente sancto Spiritu super eos, inflammati sunt ità, vt linguis omnium gentium Dei magnalia loquerentur, Aduentus itaque sancti Spiritus super Apostolos, gratia in varietate linguarum diffusa, solennitatem transmisit in posteros, eaq; de causa Pentecostes celebratur, & dies ipse propriè insignis habetur. Concordat autem hæc festiuitas Euangelij cum festiuitate legis. Illic enim posteaquàm agnus immolatus est, interpositis quinquaginta diebus, data est lex Moysi scripta digito Dei: Hic postquam occisus est Christus, qui tanquàm ouis ad immolandum ductus est, celebratur verum Pascha: & interpositis quinquaginta diebus, datur Spiritus sanctus, qui est digitus DEI, super centum viginti discipulos Mosaicæ ætatis numero constitutos.

De Die sancto.

DOminicum diem Apostoli ideò religiosa solennitate sanxerunt, quia in eodem Dominus & redemptor noster à mortuis resurrexit: quiq; ideò Dominicus appellatur, vt in eo à terrenis operibus vel mundi illecebris abstinentes, tantùm diuinis cultibus seruiamus, dantes scilicet huic diei honorem & reuerentiam propter spem resurrectionis nostræ, quam habemus in illa. Nam sicut ipse Dominus Iesus Christus & saluator noster, tertia die resurrexit à mortuis: ità & nos resurrecturos in nouissimo die speramus. Vndè etiam in Dominico die stantes oramus, quod est signum futuræ resurrectionis. Apparet autem, hunc diem etiam in sanctis scripturis esse solennẽ. Ipse est enim dies primus seculi: in ipso formata sunt elementa mundi: in ipso creati sunt angeli: in ipso quoquè à mortuis resurrexit Christus: in ipso de cælis super Apostolos sanctus descendit spiritus, manna eodem in eremo primùm de cælo datum est. Sic enim dicit Dominus: Sex diebus colligetis manna, in die autem sexta duplum colligetis. Sexta enim dies est parasceue, quæ ante sabbatum ponitur; Sabbatum autem septima dies est, quã sequitur Dominicus dies, in quo primùm manna de cælo venit. Vndè colligant Iudæi, iam tunc prælatam esse Iudaico sabbato ipsorum Dominicam nostram: iam tunc indicatum, quòd gratia DEI ad eos de cælo nulla descenderit, sed in sancta Dominica nostra, in qua primùm eandem Dominus pluit.

De Quatuor temporibus.

QVatuor sunt tempora anni, id est, ver, æstas, autumnus, & hyems. Hæc tempora solent nos per delectamenta sua reuocare ab amore charitatis. In quibus oportet nos ieiunare, etiamsi venerit infra Pentecosten, quãdò celebratur festiuitas septiformis spiritus, vt illud Dominicum, Venient autem dies cùm auferetur ab eis sponsus, & tunc ieiunabunt. De his Augustinus: Quanuis ordinatio non fiat, necessarium tamen est nostræ religioni, quatuor temporum ieiunia celebrare. De eodem ieiunio dicit Leo Papa in Homilijs: Vt ieiuniũ celebretur in largitione sacrorũ ordinũ, Ecclesiæ primitiuæ mos obtinuit, vt illud, Ministrantibus illis Domino & ieiunantibus, dixit Spiritus sanctus, Separate mihi Saulum & Barnabam in opus ministerij, & reliqua. Tunc ieiunantes & orantes, imponentesq; eis manus, dimiserunt illos. Isto die, id est, quarta feria, leguntur duæ Lectiones: quoniam hi qui ad sacrum ordinem transeunt, debent admoneri, vt habeant notitiam legis & prophetarum. Quarta enim ætate lex & prophetæ viguerunt, & Dauid bellicosissimus qui interpretatur manu fortis, in eadẽ ętate Goliath, id est humilitas superbiam prostrauit. Contra quem Goliath, id est, diabolum, debent in humilitate dimicare, qui ad sacros ordines prouehuntur. Quinta feria deest officium & Missa, ideò debet cantari de Dominica Pentecostes. Feria sexta vna tantùm legitur lectio, quia lex & Prophetia in vno Euãgelio recapitulantur, quod legitur in sexta ætate mundi.

Sabbatum in xii. lectionibus.

LEctiones duodecim propter duodecim lectores dicuntur, quia ab antiquis Romanis bis legebantur, hoc est, Græcè & Latinè, (Sex

(Sex enim tantummodò sunt) nisi fallor, duas ob causas: Vna, quia aderant Græci, quibus ignota erat lingua Latina: aderant & Latini, quibus incognita erat Græca: altera causa propter vnanimitatem vtriusq; populi. Qui mos apud Constantinopolin vsque hodiè seruatur. Nec ab re est, quòd in vnoquoque ieiunio tres dies sunt, quia vnumquodq; tempus tres menses habet, pro vnoquoque mense singuli dies ieiunio cõsecrantur. Et cur in Sabbato potissimũ hæc consecratio celebretur, Augustinus scribit ad Ianuarium ità: Sabbatum cõmendatum est priori populo in ocio corporaliter celebrandũ, vt figura esset sanctificationis in requie spiritus sancti. Scriptum est enim: Sanctificauit Deus diem septimum. & quia charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per spiritũ sanctũ, commemoratur sanctificatio in septimo die. Episcopi verò consecratio, qui est vicarius Apostolorum, immò & Christi, fit in Dominica, quia eodem die per donum spiritus sancti dignatus est illustrare corda Apostolorũ. Sabbato igitur quatuor leguntur lectiones, quandò benedictio largitur, quia quatuor sunt ordines benedicentium Dominum, vt illud Dauidis: Domus Israel benedicite Dominum, id est, Israeliticus populus: domus Aaron, id est, prælati: domus Leui, id est, ministri DEI: Qui timetis Dominum, de cæteris nationibus. In istis lectionibus imbuuntur ordinandi ad exẽpla sanctorum quatuor ordinum patrum. Proxima lectio ordinationis de camino ignis legitur, quia non potest ritè homo ad consecrationem accedere, nisi priùs transeat per fornacem, & ibi benedicat Deum, vt illud, Vasa figuli probat fornax, & reliqua. Quapropter debent transire per fornacem, quod sonat lectio quinta, vt sic probati, accedere ad sacrum mysterium valeant, sicut legitur in sexta lectione, Scientes quòd tribulatio patientiã operatur, & reliqua. De responsoriis non est necesse aliud dicere, quàm quòd singulis lectionibus responsoria singula respondeant. Grauitatem quam debet sacratus seruare, Tractus monstrat, nè fortè in superbia elatus, incidat in laqueum diaboli. Tractus enim semper in causa humilitatis ponitur. Per singulas orationes debemus mentis humilitatẽ per genuflexionem ostendere, excepto infra Pentecosten, In solã, de camino ignis, non flectimus genua, quandò Nabuchodonosor compellebat populum adorare statuam, quam fecerat, vt separata sit nostra oratio, quæ est ad vnum Deum ab errore Gentilium. Oratio post communionem super populum non habetur, quia istud officium frequenter circa noctem Dominicam solet fieri, in qua minimè genuflectitur.

De Sancto Ioanne Baptista.

IDeò tres Missę celebrantur in festiuitate S. Ioannis, quia tribus insignibus triumphis excellenter refulsit. Ad hoc enim venit, vt viam Domino præpararet exemplo suæ conuersationis, qui triumphus celebratur in vigilia eiusdẽ. Per ministerium baptismi claruit insignis. Huius ministerij triumphus in prima Missa recolitur. Nazaræus permansit ex vtero matris: hoc donum recolitur in die.

De Festiuitate omnium Sanctorum.

SCriptum est in gestis Pontificalibus, quòd S. Bonifacius Papa quandam domum Romæ Pantheon nomine, quæ erat consecrata in honore omnium dæmoniorum, eliminatis omnibus spurcitiis, sacrauerit Ecclesiam in honore sanctæ Dei genitricis, omniumq; sanctorum. Vndè constitutum est, vt plebs vniuersa per totum orbem in Calendis Nouembribus, sicut in die natalis Domini, ad Ecclesiam in honore Omnium sanctorum, ad Missarum solennia cõuenire studeat, illud attẽdentes, vt quicquid fragilitas humana per ignorantiam aut negligentiam in solennitatibus Sanctorum minùs plenè peregisset, in hac sancta obseruatione solueretur.

De quatuor Coronatis.

QVatuor coronatorum nomina hæc sunt: Seuerus, Seuerianus, Victorinus, & Carpophorus. Quorum nomina, & dies natalis per incuriam neglectus, minimè reperiri poterat: ideò statutum est, vt in eorum Ecclesia quinque cæterorum Sanctorum qui in Missa recitantur, natalis celebretur: id est, Claudij, Nicostrati, Simphoriani, Castorij atque Simplicij, vt istis eorum quoquè memoria pariter fieret: posteà verò eorum nomina reuelata sunt. Solennitas tamen, vt statuta fuerat, in aliorum sanctorum nomine celebris permansit.

Festiuitas quatuor coronatorũ.

Officium, Vir erat in terra.

VErba historica continentur in offertorio. Verba Iob ægroti & dolentis, continentur in Versibus. Aegrotus, cuius anhelitus non est sanus, neque fortis, solet verba imperfecta sæpiùs repetere. Officij auctor, vt affectanter nobis ad memoriam reduceret ægrotantẽ Iob, repetiuit sæpiùs verba more ægroti. In offertorio non sunt verba repetita, quia historicus scribens historiam, non ægrotabat. In versibus prędicti Offertorij duplicantur siue triplicantur ac multiplicantur verba. Iob fuit mirabiliter flagellatus, & mirabiliter ac singulariter inter antiquos patres victoria patientiæ laudatus. Ideò non abhorret à vero, si alio modo composita sint verba sua per suos versus, in quibus ipse videtur loqui, quàm cæterorum versuum. Iob sicut cithara percutiebatur, id est, cita iteratione dolor dolorem sequebatur: vulnus, vulnus. Prędente nugigerulo, alter intrabat. Conuicto vno rege obiurgante se, ilicò alter succedebat. Multiplex fuit eius dolor, & secundùm multitudinem doloris anhelitus deficiens, sæpiùs repetebatur. Solet enim auctor Antiphonarij aut

distinctio.

Universidad de Deusto
Biblioteca

distinctione cantus aut distinctione ordinis, varium affectum monstrare sanctorum: sicut de Ioanne Symmysta fecit per neumam circa intellectum verborum, sapientiæ & intellectus in Responsorio, In medio ecclesiæ. In quo quodammodò imitatur verbum ineffabile, de quo dicebat: In principio erat verbum. Et sicut fecit in ordine officij, quod canitur de Missa Innocentium: in quo subtrahitur, Gloria in excelsis Deo, & Alleluia, propter plorationem Rachel, quæ in figura præcessit matris nostræ sanctæ Ecclesiæ: aut quia tempus erat, quo tunc ad inferni claustra descendebant passi, & expectabant antiqui patres CHRISTI descensum.

De Ecclesiastico ordine.

DIgnitas ecclesiastici ordinis, ab ipso Aaron primo sacerdote causas & originem ducit. Primus autem dicitur, quantum ad ordinationem. Nam fuerunt ante eum alij sacerdotes, vt Melchisedech sacerdos Dei excelsus, qui Deo panem & vinum offerens, noui, hoc est, euangelici sacrificij modũ qualitatemq; significauit. Abraham quoquè, Isaac & Iacob, & multi antè, vt Abel & Noe, Deo hostias obtulisse dicuntur, sed nullus eorum ordinatus vel consecratus in sacerdotium, neque sacris & mysticis vestibus indutus fuisse inuenitur, nisi Aaron, qui primus, iubente Domino, oleo sancto inunctus & sacerdotalibus vestibus decoratus. Tradunt autem Hebræi, quòd ante Aaron primogeniti essent sacerdotes. Deniquè Melchisedech autumant fuisse Sem primogenitum Noe, sacerdotem Dei excelsi. Ex omnibus enim tribubus Israel elegit Deus tribum Leui, & ex hac tribu elegit Aaron summum pontificem, filios verò eius minoris gradus vel ordinis, quos presbyteros appellamus. Cæteros in eadem tribu generali vocabulo Leuitas nuncupant, diuersis gradibus & ministeriis delegatos. Quidam enim ex ipsis erant ostiarij, & hi erant in primo & in inferiori gradu: in secundo lectores, intertio exorcistæ: in quarto acolyti, in quinto subdiacõi, in sexto diaconi, iin septimo presbyteri: in supremo, excellentiori gradu Episcopi siue pontifices constituti erant. Hi erant octo gradus diuini ministerij, de quibus fortassis Ezechiel propheta in mystica templi visione dicit, Et in octo gradibus ascensus eius. Nunc dicendum est de singulis, & quid officij haberent, breuiter intimandum.

Ostiarij erant, qui & ædituí vel ianitores vocabantur. Hi, vt in libro Paralipomenon legitur, erant super exedras & thesauros domus Domini, & per gyrũ morabantur in custodijs suis, obseruantes, vt nullus immundus templũ Dei intraret.

Lectorum ordo, formam & initium à prophetis accepit. Sunt igitur lectores, qui verbũ DEI prędicant, quibus dicitur: Clama, nè cesses: quasi tuba exalta vocem tuam.

Exorcistæ erant, qui exorcismis, id est, adiurationibus à Salomone compositis, dæmones ab energumenis effugabant, quales leguntur in Actibus Apostolorum fuisse septem filij Sceuę.

Acolyti erant, qui tabernaculo Dei lucernis accendendis præerant, iuxta quod in Exodo legitur: Præcipe filiis Israel, vt afferãt tibi oleum de arboribus oliuarum purissimum, piloq; contusum, &c. Hi obsequebantur in omnibus cæteris superioribus gradibus: Vndè acolyti, id est, obsequentes vocabantur. ἀκολουθέω enim græcè, Latinè sequor dicitur. Nunc in ecclesia ceroferarij dicuntur à ferendis cereis. Sed tunc dici hoc nomine non poterant, quòd nec mel, nec cera inferebatur in sacrificio Domini.

Consulatur lexicon græcum de uocc hac, acolytos, nam de ea grammatici certant, & ad hoc sub iudice lis est.

Subdiaconi erant, quos Nathinæos vocabãt, qui sub Leuitis erant, subseruientes & obsecundantes illis. Vndè & Nathinæi, id est, humiles, vel in humilitate seruientes, vocabantur. Ex istorum numero fuit Nathanael, qui à Domino in Euãgelio summa laude declaratur, ipsum esse Dei filium & regem Israel confessus est.

Tres superiores gradus, leuitarum, presbyterorum, episcoporum siue pontificum. Leuitarum ordo ab ipsa tribu Leui exordium sumpsit & nomen. Interpretantur assumpti, quòd pro omnibus tribubus assumpti erant, & seruitio Domini deputati. Et quanùs cæteri quoquè minoris ordinis de tribu Leui essent, specialiter tamen hic ordo Leuitarum sub presbyteris dicebatur, qui per ordinationem Aaron & filiorum eius consecrabantur: excubantes semper in templo Dei. Ipsi gestabant arcam, tabernaculum, & victimarum adipem sacerdotibus offerebant. Septimus ordo sacerdotum vel presbyterorum, filij scilicet Aaron, quibus sacrificia & holocausta, atque omnis templi Dei cultus commissus erat & traditus: quorum erat discernere inter profanum & sanctum, inter immundum & mundum; & quicunq; secundum legem mundandus, vel immunditiæ adiudicandus erat, illorum iudicio mundus vel immundus discernebatur. Interpretatur autem presbyter senior, qui eligebantur ætate pariter & morum grauitate perfecti, quia Deus in ordinandis mores magìs & sapientiam approbat, quàm ætates. Hos sequebatur octauus ordo pontificum, qui & principes vocabantur sacerdotum. Super omnes sacerdotes, vel presbyteros vnus constitutus erat pontifex, cęteris omnibus excellentior, & velut in summa religionis arce locatus, ad quem cæteri respicerent, eiusq; iudicium decretumq; seruarent. Sciendum autem, quia primò vnus pontifex iubente Domino constitutus est: quo decedente, filius eius Eleazar sacerdotium susćepit, & hoc mortuo, filius eius Fines sacerdotij successor extitit: Sicque vsque ad tempora Dauid vnus post vnum pontificatus hæredes extitere. Dauid ergò cùm cogitasset ædificare templum Domino, & diuinos cultus vellet augere, conuocata omni filiorum Aaron progenie, & illos scilicet

licet qui de Eleazar, & qui de Ithamar stirpe descenderant, diuisit eos in partes vigintiquatuor, ac de singulis singulos pontifices elegit. Cæteros verò qui in partibus erant sacerdotij minoris, qui nũc presbyteratus dicitur, officio presbyteratus fungi præcepit, qui pontifices singuli cũ sibi subiectis sacerdotibus, per octonos ministrarent dies, hoc est, à sabbato vsque ad sabbatum. Cumq; omnes sacerdotali gradu essent æquales, vnus tamen in eis qui dignior videretur, speciali reuerentia præminens, summi sacerdotis nomen haberet. Ipse quoquè rex Dauid primus delegauit, qui psalmos in templo Domini modulata voce cantantes, animos populi sublimitate & suauitate vocis, qua dicebãtur, oblectarent, & ad amorem Diuini cultus amplius accenderent. Hæc de octo gradibus diximus, qui veteris legis tempore obseruantissimè custodiebantur, quod in nouo testamẽto susćepit Ecclesia tanto meliùs, quanto & veriùs: quia illis omnia in figuram contingebãt. Quos, quia notissimi sunt, & quid singulis conueniat, quìdvè eis in sua ordinatione tradatur, frequentissimo vsu scitur ab omnibus, paulò inferiùs breuiter *eos* commemorasse sufficiebat.

De tonsura clericorum.

CLericorum autem tonsura à Nazaræis fertur sumpsisse exordium. Cùm enim quis voto se obligasset, vt per ieiunium atq; aliarũ rerũ obseruantiam se affligeret, abstinebat se ab omni quod inebriare & statum mentis auertere posset, eratq; semper in templo, vndè & Nazaręus, id est, sanctus & Domino consecratus vocabatur. Impletis autem voti sui diebus, veniebat ad templum Domini, & offerebat pro se quæ lege pręcipiebantur, radebatq; capillos capitis sui & barbæ, partemq; pilorum in flamma altaris cremabat, sicque voti liber redibat ad propria. Fertur beatus Petrus primus huiusmodi tonsuram sibi fecisse ad similitudinẽ spineæ coronæ Domini: siue vt clerici à laicis non solũ differant habitu, verùm etiàm tõsura.

Cleros igitur Græcè, Latinè sors dicitur, vel hæreditas Domini. Qui ergò ad clericatus ordinem peruenit, Dei hęreditas esse debet: quia hoc debet semper præuidere, vt Dominum possideat, & ipse à Domino possideatur, vt possit dicere cum psalmista: Dominus pars hæreditatis meæ. Legimus in veteri testamento Dominũ dixisse ad Moysen: Filijs Leui non dabis hæreditatem. Ego enim ero hęreditas illorum. Indè clerici dicti, eo quòd de sorte Dei & hæreditate sint, si regulariter viuunt: Si autẽ non viuũt regulariter, sicut maximi clerici, qui totũ laicalẽ habitum sequuntur, cingentes arma, & cætera faciẽtes, quæ ordo Canonicus prohibet, illi tales non sunt clerici. Quid ergò sunt? Acephali, id est, sinè capite religionis. Canon Græcè, Latinè regula, eo quòd recto tramite ducat hominem ad cælestem patriam, & indè canonicus regularis, eo quòd regulariter debeat viue-

Canonicorũ officium

re, id est, rectè in sancta Ecclesia.

Ostiarius ab ostio Ecclesiæ dicitur, quod ità debet præuidere, nè vllo modo paganus ingrediatur Ecclesiã, quia suo introitu polluit eam. Debet etiam custodire ea, quę intra Ecclesiam sunt, vt salua sint: quia illi traditæ sunt claues & commissa cura custodiendæ ecclesiæ. Ostiarij officium.

Lector dicitur à legendo, eo quòd ministerium legendi habeat in Ecclesia. Illi traditus est codex apicum diuinorum, vt distinctè ad intelligendum diuinas lectiones pronunciando, populo placeat. Lectoris officium.

Acolytus Græcè, Latinè Ceroferarius, id est cereum ferens. Illorum officium est, vt deportent cereos ante diaconũ, quando legitur Euangelium in Ecclesia, & non ad effugandas tenebras, præsertim cùm sol in die rutilet: sed vt demonstretur, quòd de tenebris infidelitatis venimus ad lucẽ fidei, & vt signũ lætitię sit, quatenùs sub typo corporalis luminis, lux illa in memoria habeatur, de qua dicitur: Erat lux vera, quæ illuminat omnẽ hominẽ venientẽ in hũc mũdũ. Acoluthi officium.

Exorcismus Græcè, Latinè dicitur sermo adiurationis siue increpationis: & indè exorcista, adiurator. Illorum officium est, vt ponant manus super dæmoniacos, & per inuocationem nominis Dei repellant dæmones ab eis, dicentes: Adiuro te immunde spiritus per Deum patrem, & filium, & spiritum sanctum, vt recedas ab hoc famulo Dei. Istud ministerium, vt Canones dicunt, nemo debet vsurpare, nisì qui idem officium habent, aut presbyter, aut diaconus, aut subdiaconus, aut exorcista. Exorcistæ officium.

Subdiaconus, subminister, eo quòd sub Diacono sit, id est, sub ministro. Illius ministerium est, vt ministret Diacono, id est, deferat ei linteum, super quod consecrandum est corpus & sanguis Domini. Deferat ei patenam cum oblatis, & calicem in quo vinum & aqua habeatur, quia de latere Domini processit sanguis & aqua. Peracto sacrificio, mysteria corporis & sanguinis Domini, quæ superfuerint, à Diacono colligenda vel deportanda susćipit. Subdiaconorum officium.

Diaconus Græcè, Hebraicè Leuita, Latinè assumptus vel minister interpretatur: Assumptus quia assumitur, id est, eligitur ad seruitium altaris: Minister, quia ministrat Presbytero. Ponit linteum in altare, ponit panem & calicem, quæ nec mittendi, nec auferendi habet potestatem Presbyter, si Diaconus adfuerit. Sicut presbytero officium consecrandi competit, ità Diacono ministrandi. Diaconi officium.

Presbyter Græcè, Latinè Senior dicitur, non propter senectutem, sed propter dignitatem, honorem & sapientiam: quia quicunque Presbyter est, sapiens esse debet, vt intelligat ea quæ legit, intelligat orationes quas dicit & diurnis tęporibus & nocturnis, intelligat ea quæ cantat in Missa, Verè dignum & iustum est, Te igitur, Pater noster & cætera, id est, omnia cum Symbolo. Adã vixit annis D.CCCC.XXX. Noe D. CCC. & nemo illorũ appellatus est senex, Presbyteri officium.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Abraham verò qui ad comparationem illorum perpaucũ vixit tẽpus, annis videlicet CLXV. appellatus est senex. quarè? Quia sapientior illis fuit.

Sacerdos Græcè, Latinè dicitur sacrũ dans, id est, sanctum sacrificium offerens Deo.

Presbyteri potestatẽ habent catechizãdi, baptizandi, infirmos benedicti olei vnguine perũgendi. his quoquè concessum est officium prædicandi in ecclesia. Super hos sunt Episcopi, sicut loco & dignitate, sic sanctitatis & eruditionis singularitate conspicui, quibus solis est potestas sacrum chrisma conficere, & baptizatorum frontes signare, & per manus impositionem spiritum sanctum illis tribuere. Habent potestatem ligandi atque soluendi. Per ipsos quoquè publica populi absolutio in die cœnæ Domini solenni more peragitur. Sciẽdum autem, quòd primis ecclesiæ temporibus etiàm presbyteri episcopi vocabantur: sed postmodùm vtili satìs prouisione constitutum est, vt hoc nomen solis Pontificibus tribuatur, quorum maioris gradus excellentia crescat, & minor ordo mensuræ suę limitem recognoscat: sitque differentia in vocabulis, sicut præcelsior locus honoris. Episcopus Græcè, Latinè dicitur Superintendens: ἐπὶ super, σκοπεῖν intendere. hinc Episcopus superintendens, id est, superuidens: quia ipse debet superuidere vitam subiectorum suorum, qualiter credant, qualiter viuant, qualiter Dei præcepta custodiant. Antiquis temporibus in singulis ciuitatibus erant turres altissimæ constructæ: vnaquæque ciuitas habebat suam turrim, in qua stabat speculator assiduè, vt à longè posset adspicere si exercitus veniret exaliqua parte: si videret exercitum venientem, nunciabat statìm Regi, & præparabantur omnes ad bellum contra hostem illum. Speculatoris illius similitudinẽ gerit modò Episcopus: quia sicut ille stabat in altitudine turris, sic Episcopus & Presbyter debet consistere in altitudine virtutum. Sicut enim illa turris cęteras domos excellebat, sic Episcoporum & Presbyterorum vita, debet excellere vitã subiectorũ: & sicut ille speculator nunciabat aduentum hostis, vt se præuiderent ciues, sic Episcopi & Presbyteri debent annunciare populis sibi subiectis aduentum nequissimi hostis diaboli, vt se præuideant, nè eius laqueo capiantur. Speculatores animarum dedit Deus Episcopos & Presbyteros, iuxta quod ipse dicit ad Ezechielem Prophetam: Fili hominis, speculatorem dedit te domui Israel.

Antistes vndè.

Antistes quasi antestans, id est, ante arã. Vndè quidam Antistitem dicere volunt. meliùs tamen dicitur à verbo, antesto, antestas, quod significat emineo, excello: eo quòd vniuersum populum dignitate & honore superemineat.

Pontifex, quasi pontem faciens, eo quòd põtem, id est, viam aliis præbere debeat verbo & exemplo, vndè homines transeant ad patriam cęlestem. Pons autem est tabulatum, quod fit super aquas.

Qualiter Episcopus ordinetur in Romana Ecclesia.

Mos eligendi Episcopum secundùm veteres.

CVm episcopus ciuitatis fuerit defunctus, eligitur alius à clero seu populo, fitq; decretum ab illis, & veniunt ad Apostolicum cum suo electo, deferentes secum suggestionem, hoc est rogatorias literas, vt eis cõsecret Episcopũ. Tunc pontifex iubet eum inquiri de quatuor capitulis canonicis, hoc est, de * pro ancilla Deo sacrata, pro quadrupedibus, aut si coniugem habuit ex alio viro, quòd Græcè dicitur δευτερογαμία. Et si de his inculpabilis inuentus fuerit, iurat Archidiacono super quatuor Euangelia, deindè confirmat super corpus B. Petri de his inculpabilem se fore. Similiter Presbyteri & Diaconi. Post hæc residente Pontifice, & adstãte vniuerso clero, interrogat eos, qui illum adduxerunt, de conuersatione sua, seu quot annos in vnoquoque gradu ministrauit. Deindè interrogat eum, sit ne de ipsa Ecclesia, aut de alia? Et si de alia est, interrogat, vtrùm habeat dimissoriã ab Episcopo suo. Quę ostensa, recitatur in medium. Quo facto subiungit pontifex: Quid vobis placuit de eo? Respondeant, castitas, hospitalitas, benignitas, & omnia bona quæ Deo sunt accepta: & pontifex, Videte fratres, nè aliquam promissionem fecisset vobis: scimus quòd Simoniacum est & contra Canones. Illis respondentibus, Absit à nobis: introducitur electus ante pontificem, prostrato eo in terram. Cui Apostolicus, Protegat nos DOMINVS. & tunc interrogat de suis ordinibus, atque instruit de canonica auctoritate, & dicit: Quoniam in te bona conueniunt, abstinebis te hodiè, hodiè abstinebis, & crastina Deo iuuante cõsecraberis. & tunc egreditur foràs. Alia verò die quæ est Dominica, procedit pontifex in Ecclesiam cũ omni ornatu, præstolante eũ vniuerso clero atq; populo. Quia verò in Dominica ordinatur, & reliqui ministri in Sabbato, suprà scriptum est: ingrediente Apostolico in sacrarium, inchoat schola ad introitũ, Antiphonam in ordinatione pontificis. cõpleto introitu, non dicitur tũ Kyrieeleison, sed mox dicit Apostolicus orationem. Cantantibus egreditur Archidiaconus cum subdiaconis & acolytis, & induit electũ dalmatica seu casula, & introducit eum. & Pontifex: Clerus vniuersus, & plebs consentiens ciuitatis cum adiacentiis suis, elegerunt sibi illum Presbyterum, vel Diaconũ, episcopũ sibi consecrari: Oremus itaq; nos pro eodem viro, vt Deus & Dominus noster tribuat ei cathedram episcopalẽ ad regendam Ecclesiam suam, & plebem vniuersam. Deindè inchoat schola KYRIEELEISON cũ Litania, prostrato Domino Apostolico in terram ante altare cum ipso electo, & Episcopis ac sacerdotibus. Finitis litaniis, surgunt, & benedicit eum. Illud verò, quòd duo episcopi tenẽt codicem Euangeliorum super caput eius, & vno fundente super eum benedictionem, reliqui,

reliqui, qui adsunt Episcopi, manibus suis super caput eius tangunt, non reperitur in auctoritate veteri, neque noua, sed neque in Romana traditione. Sed & hoc sciendum, quia reliqui ministri post Antiphonam ad introitum, & orationem tunc ordinãtur: Episcopi verò post responsorium cãtatum. Quòd autẽ aliqui post Euangelium consecrant Episcopum, non dicit vllus ordo. Ad communicandum verò pontifex porrigit ei formatam atque sacram oblationẽ. Quam accipiens, communicat super altare, cætera verò reseruat sibi ad communicandum vsque ad dies quadraginta. Postmodùm ex præcepto Apostolici communicat omnem populũ. Qualis autẽ esset antiquitùs consecratio Episcoporum, ostendit Hieronymus in Epistola ad Euagrium: Alexandriæ, inquiens, à Marco Euãgelista vsq; ad Eraclidem & Dionysiũ Episcopos, presbyteri semper vnum ex se electum in excelsiori gradu constitutum vel collocatum Episcopum nominabant, quomodò si exercitus Imperatorem faciat, & Diaconi eligant de se quem industrium nouerint, & Archidiaconum vocent. Archidiaconus eandem consecrationẽ habet quam cæteri Diaconi, sed electione fratrum præponitur. Item Hieronymus super Epistolam ad Titum: Antequàm schismata in religione fierent, & diceretur in populis, Ego sum Pauli, & cætera, communi presbyterorum consilio Ecclesia regebatur: postquàm verò vnusquisque quos baptizabat, suos esse dicebat, non Christi: in toto orbe decretum est, vt vnus de presbyteris electus superponeretur cæteris, ad quem omnis cura Ecclesiæ pertineret, & schismatũ semina tollerentur. Cur à tribus vel quatuor Episcopis Episcopus ordinetur, Gregorius Papa docet. Tales, inquit, conueniant qui vel in profectu Episcopi ordinati gaudeant, vel pro eius custodia omnipotenti Deo preces effundant. Quarè prohibitum sit vni hoc facere, Innocentius Papa monstrat in Decretalibus cap. nono, nè vnus Episcopum ordinare præsumat, nè furtiuum beneficium præstitum videatur. Augustinus in libro de * quantitate animę, versum Horatij de sapiente protulit:

* qualitate

Fortis, & in seipso totus teres atque rotundus.

Hinc sequitur, & rectè: nam neque in animo bono quicquam inuenis, quod magìs sibi ex omni parte consentiat, neque in planis figuris quàm circulum. Superiorem capitis partem rasorio renouamus, cùm forti solicitudine superfluas cogitationes ab animo resecamus: in inferiori parte coronam portamus capillorum, cùm eà quæ secundùm mundum necessariò gubernanda sunt, cum ratione concorditer coæquamus.

De singulis vestibus.

NVnc dicendum de singulis vestibus, quibus sacerdotes vel reliqui ordines in veteri testamento vtebantur. Erant autem octo species vestium sacerdotalium, id est, tunica linea stricta, tunica hyacinthina, superhumerale, rationale, cidaris, balteum, lamina aurea in fronte pontificis, & feminalia linea. His omnibus pontifex tempore sacrificij induebatur: Ceteris verò minoris gradus sacerdotibus solis quatuor licebat vti, id est, tunica linea stricta, cidari, balteo & feminalibus. Reliqua verò quatuor tantùm summi pontificis erant.

Nunc de singulis explanemus. Tunica linea, vestis erat interior, quã camisiam dicimus vel supparum. Hæc stricta dicitur, quoniam adhærebat corpori, & ità erat strictis manigis, vt nulla ei omninò ruga inesset: Sicut solent milites habere tunicas lineas, sic aptas membris, vt expediti sint dirigendo iaculo, tendendo clypeum librando gladium, qualem & Ioab habuisse legitur.

Strictam ad mensuram habitus corporis sui: pro qua nunc sacerdotes vel clerici albas habent. Tunica tota hyacinthina exterior nullũque alium colorem recipiens, vsque ad pedes descendens, sicut & linea, vndè & vtraque græcè podéris, id est, talaris vocabatur, habens similitudinem malorum granatorum aureorum, & tintinabula aurea. Erat autem sinè manicis ad colobiorum similitudinem, & ideò vndè manus educerentur, aperta erat. Pro tunica hyacinthina nostri pontifices primò colobiis vtebantur. Est autem colobium vestis sinè manicis.

Hę duæ vestes, id est, tunica byssina stricta, & tunica hyacinthina, balteo adstrictæ erant, quod erat cinguli genus ex byssо retorta, hyacintho, purpura ac vermiculo, opere plumari, in similitudinẽ pellis colubri, latitudinis quatuor digitorum. Pro balteo nũc zonarum, quas Romanas appellant, vsus receptus est. Superhumerale quod Hebraicè ephod dicitur, sic vocatũ quòd humeros obnueret: cuius contextus de omnibus coloribus erat magnitudinis cubitalis, id est, vsque ad cingulum pertingens, amplectens omnem locum pectoris, & ad manus eiiciendas hincindè apertum: cui vestimento locus vacuus dimittebatur in medio pectore, magnitudine palmi, vbì inserebatur rationale, quod Hebraicè dicitur essin, & Græcè longion: habebat autem superhumerale in vtroque humero singulos lapides onychinos, & in singulis lapidibus erant sculpta singula duodecim patriarcharum nomina. habent etiam nunc ministri ecclesiæ Christi superhumerale, quod amictum vocamus, quandò ad altare ministrant. Rationale, opere polymito factum erat iuxta texturam superhumeralis, id est, eisdem coloribus factũ erat, quadrangulum, habens mensurã palmi in longitudinem & latitudinem. Erant in eo quatuor ordines lapidũ, terni per singulos versus distributi: sculpti erãt singulis duodecim patriarcharum nominibus. Erant autem catenulæ aureę, & vncini aurei: necnon & aurei annuli, tam in quatuor summitatibus rationalis, quàm & in summitatibus superhumeralis, quę catenulæ inserebantur, iungebantque rationale & superhume-

Universidad de Deusto
Biblioteca

perhumerale superiùs, inferiùs verò vittis hyacinthinis sibi nectebantur. Pro rationali nunc summi pontifices, quos archiepiscopos dicimus, pallio vtuntur, quod à sancta Romana sede, Apostolico dãte, suscipiũt. Tiara erat vestis, pileolum videlicet rotundum, quasi sphæra media sic diuisa, vt & pars vna ponatur in capite, ità vt medij verticis medietatẽ excedat, habens vittas, quæ conuolutæ, sæpiùs connectuntur, nè facilè dilabantur: & hoc quidem minorum erat sacerdotum. Summus autẽ pontifex præter pileum habebat coronam auream, triplicemq; super quam à media fronte surgebat quasi calamus quidam aureus, similis herbæ, quæ hebraicè acano, græcè autem hios, quæ apud nos latinè cidaris. Per circulum verò habebat flores, similes flori plantaginis, ab occipitio vsque ad vtrunq; tempus. In frõte verò erat locus patẽs, vbi inserebatur lamina aurea, quæ quatuor literis nomen Dei habebat scriptum. Huiuscemodi vestis non habetur in Romana ecclesia, vel in nostris regionibus. Nõ enim moris est, vt pileati diuina mysteria celebrent. Apud græcos autẽ hoc dicitur, qui pileos, id est, cuphias gestant in capite dum assistunt altaribus. Lamina aurea in fronte pontificis, in qua sanctum Domino siue sanctum Domini sculptum habebatur, ornamẽtũ erat cæteris sacratius indumentis. Sanctum autem Domino, quod ibi sculptum erat nomen sanctum & venerabile Dei, quod per quatuor literas scribebatur, scilicet, iod, he, vau, heth: & dicebatur, ineffabile, non quòd dici non possit, sed quia nec definiri & comprehendi sensu vllius creaturę, vt dignè Deo aliquid dici possit. Ligabatur autẽ vitta hyacinthina super tiaram, vt totam pontificalis ornatus pulchritudinem Dei vocabulũ coronaret ac protegeret. Neq; hanc ornamenti speciem, Christi accepit ab illis ecclesia. Octauum, id est, nouissimum ornamentũ feminalia linea, quibus operiebant carnem turpitudinis suæ, ab renibus vsque ad femina siue (vt vsitatiùs) femora cùm ad sacrificium accedebant. Huiusmodi habitus ità notus est in nostris regionibus, vt ex eo Gallia bracata cognominata sit. Comprehensum breuiter, quibus vestibus ornarentur sacerdotes & ministri templi Dei, Mosaicæ legis temporibus, quas ad instar illorum, reuelata euangelij gratia, suscepit ecclesia. Sunt tamen alia quæ apud illos non habebantur, vt stola, sandalia, & sudariũ, quod ad tergẽdum sudorem in manu gestari mos est, quod vsitato nomine fanonem vocamus. Verùm quia illo tempore figuris omnia & ænigmatibus obumbrabãtur, conuenit, vt quid illa vestimenta mystice significauerint, quò ve nomine nunc specialiter in ecclesia venerãtur, nõ verbatim, sed capitulatim ostendamus. Vestimenta illa, quæ in sanctis officiis portãda erãt, typus erant sanctarũ virtutũ, vndè & sancta dicebantur. Ad hęc facienda nõ tã diuersę, quàm, speciosæ species sumebantur, aurũ videlicet, qđ est splendor sapientiæ diuinę, cui iungebatur

יהוה

A hyacinthus, qui est color aerius, cæleste videlicet desiderium. Purpura apponebatur, quæ sanguinis imitatur colorem, vt per duo genera martyrij nouerint se exercendos electi, id est, si necesse sit, non dubitent mori pro Christo, Et pacis tempore in seipsis appetitus occidant, mortificantes membra sua cum vitiis & concupiscentiis. Coccus bis tinctus, Dei & proximi dilectionem indicat efficaciter tenendam. Byssus geminam castitatem, corporis scilicet & animæ significat: vndè de verè vidua dicit Apostolus, Vt sit sancta corpore & spiritu. His B ornamentis debet Christi pontifex refulgere, his coloribus exornari. Tunica linea, & byssina stricta, mortificationem carnis prætendit. Byssum enim vel linum, multiplici elaboratum cõtusione, & naturæ subtilitate deductum ac textum, in vestem proficit. Sic nullus Christo ornari poterit, nisi castigatis & mortificatis omnibus carnis passionibus. vndè & benè stricta dicitur. Strictum enim, castum dicimus: econtrà lasciuum, dissolutum vocamus. Tunica tota hyacinthina, quæ aerio refulgebat colore, cælestem designat cõseruationẽ: quæ tota erat hyacinthina, quia sacerdos nihil debet curare terrenum: C nemo enim, ait Apostolus, militans Deo, implicat se negociis secularibus, vt ei placeat, cui se probauit. Balteus siue cingulum, quo tunica hęc eum interiore, id est, linea cingebatur, continentiam insinuat, quæ mater est & custos pudicitię, qua maximè ornari pontifices condecet: hanc, qui ingratus est Deo, perdit, sicut Iob de talibus dicit: Balteum regum dissoluit, & præcingit fune renes eorum. Regum enim, id est, sanctorum sacerdotum balteum, hoc est, pudicam continentiã dissoluit, id est, dissolui permittit, cùm D de suis virtutibus extolli cœperint: & præcingit fune asperæ pœnitentiæ renes eorũ, vt incipiant suis casibus ingemiscere, qui aliorum lapsibus debuerant auxilio subuenire.

Superhumerale quòd Hebraicè ephod dicitur, obedientiã mandatorũ DEI significat, quo induebatur sacerdos, vt meminerit præcepta Dei strenuè quasi onus humeris impositũ debere portare. Quod verò nomina patriarcharũ inter sacrificia & in humeris, sicut & in pectore portabat, monetur per hoc sacerdos, vt priorũ patrũ fidẽ & exempla sequatur, vt fidelium, qui sunt filij apostolorũ in suis orationibus meminerit, & vt ipsis eadẽ exẽpla sequẽda proponat. E

Rationale, quod erat in fronte pontificis, designat, quia pastor sapientia & doctrina debet præditus esse. Nam & ideò rationale iudicij dicitur, quia debet rector ecclesiæ subtili semper examinatione bona malaq; discernere, & quid vel quibus, quandò & qualiter conueniat, studiosè cogitare. Hoc enim quod dicitur, Pones in rationale iudicij doctrinam & veritatem, vt videlicet habeat scientiam scripturarum, quo possit alios docere, & contradicentes arguere. Quadrangulum erat, propter quatuor Euãgeliorum doctrinam: duplex, propter

scientiæ

scientiæ & operis firmitatem: Mensura palmi, quod est digitorum extensio, designat discretionem in perseuerantia bonorum operum.

Quatuor ordines lapidum, qui erant in rationali, nominibus patriarcharum insculpti, quatuor exprimunt principales virtutes, prudẽtiam, temperantiam, fortitudinem, iustitiam. Terni in vnoquoque lapides, fidem sanctæ Trinitatis, siue fidem, spem & charitatem demonstrant. Quæ omnia in pectore pontificis necessariò esse debere, huius ornamenti, id est, rationalis specie præmonetur. Tiara, quæ & cidaris & mitra vocatur, & contegebat & ornabat B caput pontificis, admonet eum omnes sensus capitis Deo consecrare debere, nè vel oculi pateant ad videndũ vanitatem, vel cæteri sensus, qui in capite vigent, iniquitati consentiant, & per illos intromissa delectatio, incestet animi sanctitatem. Lamina aurea, diuinæ maiestatis atque potentiæ figura est, quæ in fronte pontificis deportabatur, quia illa ineffabilis Deitatis potentia cunctis quæ creauit, supereminet: & idcircò, quasi cuncta sanctificans, eximiam sibi sedem in fronte, hoc est, in mentis principalitate constituit. C

Quatuor literæ in lamina scriptæ, quatuor sunt cornua crucis, totum mundum complectentis. cruci enim Christi in omni creatura apex conceditur, qua omnium fidelium frontes signantur.

Quòd lamina semper in fronte pontificis esse videbatur, ostendit, quia dignitatem, quam prætendit in habitu, exercere semper debet in opere, vt Domini placitum semper habere, & subditorum vota Domino idoneus sit semper offerre. Feminalia, quibus pudenda loca corporis tegebantur, continentiam à concubitu designant, quæ magnoperè omnibus gradibus obseruanda præcipitur. Vndè dicitur, ad velandam turpitudinem. Turpe est enim, sacerdotem nota lasciuæ ætatis infamari, quem conuenit velut in arce castimoniæ, ab omnibus suspici & venerari. D

Quòd verò feminalia ipsi sibi imponant, cætera Moyses: designat, vnumquemque se à carnali concupiscentia refrenare debere. Deindè virtutibus sibi subditos, quasi Moysen ministrum templi, vestibus exornare.

Quid significent vestimenta.

Sandaliæ Episcoporũ

E

SAndaliæ dicuntur soleæ. Est autem genus calceamenti, quo induuntur ministri Ecclesiæ, subteriùs quidem solea muniens pedes à terra, superiùs verò nil operimenti habens, patet: quo iussi sunt Apostoli à Domino indui. Significat autẽ, ministrum verbi Dei non debere terrenis incumbere, sed potiùs cælestibus inhiare, & prædicationem suam nulli occultare.

Superhumerale Episcopi.

Post sandalias in Ecclesiæ vestimentis, sequitur Superhumerale, quod fit ex lino purissimo. Per linum quod ex terra sumitur, & per multos labores ad candorem ducitur: designatur

A corpus humanum, quod ex terra constat. Sicut ergò linum per multos labores ad candorem perducitur, ità corpus humanum multis calamitatibus attritum, candidum & purum esse debet ab omni sorde peccatorum.

Alba Episcopi.

Posteà sequitur podéris, quæ vulgò alba dicitur. Significat autem perseuerantiam in bona actione. Hinc Ioseph inter fratres suos, talarem tunicam habuisse describitur. Tunica vsque ad talum, est opus bonum vsq; ad consummationẽ; in talo enim finis est corporis. Ille ergò benè inchoat, qui rectitudinem boni operis vsq; ad finem debitæ perducit actionis. Qui enim perseuerarit vsq; in finem, hic saluus erit.

Zona Episcopi.

Deindè sequitur Zona, quæ cingulum dicitur, qua restringitur podéris, nè laxè per pedes diffluat. Per quã designatur discretio omnium virtutum: virtutes enim sinè discretione, non virtutes, sed vitia sunt: nam virtutes in quodam meditullio sunt constitutæ.

Stola.

Sequitur orarium. Orarium, id est, stola dicitur eò quòd oratoribus, id est, prædicatoribus concedatur. Admonet illum, qui illo induitur, vt memor sit, sub iugo Christi, quod leue & suaue est, esse se constitutum.

Dalmatica.

Dalmatica quæ sequitur, ob hoc dicitur, eo quòd in Dalmatia sit reperta. Vsus autem Dalmaticarum à B. Siluestro Papa institutus est: nam anteà colobiis vtebantur. Colobium verò est vestis sinè manicis. Significat autem in eo quod est sinè manicis, vnumquemque fidelem exercitatũ esse debere ad bona opera exercenda. Cùm ergò nuditas brachiorũ culparetur, vt diximus, à B. Siluestro Dalmaticarum repertus est vsus. Est autem vestimentum in modũ crucis monens, indutorem suum crucifixum esse debere mundo, iuxta Apostolum, Mihi mundus crucifixus est, & ego mundo. Habet etiam in sinistra parte sui fimbrias. Per sinistram partem præsens vita figuratur, quæ diuersis curis abundat: quæ curæ significantur per fimbrias sinistrę patris per dexterã quæ fimbrijs caret, futura vita exprimitur, in qua nullæ curę solicitant animas sanctorũ. Inconsutilis etiam est, quia in Ecclesia vel in corde vniuscuiusq; fidelis, nulla debet esse scissura, sed indiscissa fidei integritas. Sinistrum latus habet fimbrias, quia actualis vita solicita est, & turbatur erga plurima: At dexterũ latus nõ habet, quia contẽplatiua vita nihil in se habet sinistrũ. Largitas brachiorũ, largitatẽ & hilaritatẽ datoris significat. Diaconus qui nõ est indutus Dalmatica, Casula circũcinctus legit vt expeditè possit ministrare; vel quia ipsius est ire ad comitatũ propter instantes necessitates.

Mappula.

Mappula quæ in sinistra parte gestatur, qua pituitam oculorum & narium detergimus, præsentem vitam designat, in qua superfluos humores patimur. Casula quæ super omnia indumenta ponitur, significat charitatem, quæ alias virtutes excellit. De qua Apostolus, commemoratis quibusdam virtutibus, ait: Maior autem horum est charitas.

Casula.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Pallium Archiepiscopi.

יהוה

Pallium Archiepiſcoporum ſu per omnia indumenta eſt, vt lamina in fronte pontificis. Pallium nihil eſt aliud, nisi diſcretio inter Archiepiſcopum & eius ſuffraganeos. Pallium ſignificat torquem, quem ſolebant legitimè certantes accipere. Hoc etiam erat lamina illa, vt dixi, quam ſummus pontifex circa tempora ferebat, in qua ſcriptum erat nomen Dei Tetragrammaton, id eſt, quatuor literarum, Iod, He, Vau, & Heth. Eſt autē interpretatio, Iod principiū, He iſte, Vau vita, & Heth paſſio, id eſt, iſte eſt principium paſſionis vitæ. Paſſi igitur ſunt multi ante Chriſtū, ſed nemo eorum per ſuam paſſionē hominibus vitam attulit: Chriſtus verò, cuius ſanguis in cruce fuſus eſt pro totius mundi redēptione, humano generi attulit vitā. Secundùm alium doctorē, Iod principiū, He iſte Vau & Heth vita interpretatur. Quod ità poteſt coniūgi, Iſte eſt principiū & vita Chriſtus. Vocabatur autē hoc nomen ſanctum Domini, vt eſt: Fecerunt laminā, id eſt, ſacrauerunt, ſcripſeruntque in ea ſanctum Domini, quod interpretatur ineffabile, non quòd nō fari, ſed quod diffiniri, vt eſt, minimè poſſit. Stephanus natione Romanus ex patre Iobio, vt legitur in geſtis Pontificalibus, conſtituit ſacerdotibus, Leuitisque veſtes ſacras in vſu quotidiano non vti nisi in Eccleſia. Hinc Hieronymus in libro 14 ſuper Ezechielem. Porrò religio alterum habitū habet in miniſterio, alterum in vſu vitaque communi. Sudario ſolemus tergere pituitam oculorum & narium, atq; ſuperfluam ſaliuam decurrentem per labia: ſignificat ſtudiū mundanę cogitationis. in manu ſiniſtra portatur, vt oſtendatur in temporali vita tædium nos pati ſuperflui humoris. Varietas ſandaliorum, varietatem ſignificat miniſteriorum. Epiſcopi & ſacerdotis penè vnum officium eſt: At quia nomine & honore diſcernuntur etiam & varietate ſandaliorum, vt viſibus noſtris error auferatur. Epiſcopus habet ligaturam in ſuis ſandaliis, quam non habet Presbyter. Epiſcopi eſt huc illucque diſcurrere per parochiam: nè fortè cadāt ſandalia de pedibus, ligata ſunt. Presbyter qui domi hoſtias immolat, ſublimiùs incedit. Diaconus quia diſſimilis eſt epiſcopo in ſuo officio, non eſt neceſſe vt habeat diſſimilia ſandalia: & ipſe ligaturā habet, quia ſuum eſt ire ad comitatum. Subdiaconus q in adiutorio Diaconi eſt, & penè in eodem officio, neceſsè eſt vt habeat diſſimilia ſandalia, nè fortè Diaconus ęſtimetur. Sandalia ſignificant, quia prædicator neque cæleſtia debet abſcondere, neque terrenis inhiare. Signorum vſus, à veteri teſtamēto ſumptus eſt. In lib. Numerorū dixit Dominus Moſi: Fac tibi duas tubas argenteas ductiles, quibus conuocare poſſis multitudinem. Officium Miſſæ addidit Cæleſtinus Papa, & cōſtituit vt Pſalmi CL. ante ſacrificium pſallerentur antiphonatim ex omnibus, quod anteà non fiebat, nisi tantùm Epiſtola Pauli recitabatur, & ſanctum Euangeliū, & ſic Miſſa celebrabatur. Quod nos ità intel

Miſſæ officium.

Miſſa vetus qualis.

ligimus, quia ex omnibus Pſalmis excerperet antiphonas, quæ pſallerentur in officio Miſſæ: nam anteà inchoabatur Miſſa à lectione. Qui mos adhuc retinetur in vigilia Paſchæ & Pentecoſtes. Procedens Pontifex in perſona Chriſti, ducit ſecum prophetas, id eſt, diaconos, qui annunciant ex Euangelio futuram vitam: & ſapientes, id eſt, ſubdiaconos qui ſciunt vaſa Domini diſponere, & quid primò ferendum ſit, quid poſteriùs: & ſcribas, id eſt, acolytos, qui accēdunt corda fidelium ex ſcriptura. Procedit in thuribulo thymiama, quod ſignificat corpus plenum odore bono. Poſtquàm pręſentatus eſt Eccleſiæ, inclinatus ſtat in exemplum humilitatis Chriſti, in qua factus eſt obediens patri vſque ad mortem. In ipſa eleuatione dat pacem miniſtris, qui dextra lævaq; ſunt. Ipſe eſt pax noſtra, per quam reconciliamur Deo. Eandem pacem offert cātoribus qui retrò ſtant: vt illud, Pacem meam do vobis, pacem relinquo vobis, præſentibus dat, abſentibus relinquit: hoc eſt quod ſolemus dicere, innuit epiſcopus cantori, qui mutat laudem de veteri in nouā, & incipit Trinitatem ſanctā laudare, & dicit, Gloria patri, & Diaconi quaſi chorus Apoſtolorum, ſtant cum eo humiliati, & dicunt: Domine, doce nos orare. Indè viciſsim duo Diaconi altrinſecùs vadunt oſculari latera altaris. Quo oſculato, demonſtratur pax, quam eis commendauit Dominus, dicens: In quancunque domū intraueritis, dicite, Pax huic domui. Altare corda electorum ſignificat. Deindè in memoriam paſſionis Chriſti, dicunt cantores verſum de Pſalterio. Pſalteriū inferiùs percutitur, ſuperiùs reboat: & paſſio Chriſti ab inferiori parte habet peuſſuram, à ſuperiori dulcedinem reſurrectionis. Hinc oſculatur Euangelium, in quo duo populi ad pacem redeūt. Deindè tranſit ad dexteram altaris. Liquet omnibus, quòd ſemper Chriſtus egit dexterā vitam poſtquàm reſurrexit. Diaconi poſteà ſtant in ordine, vt illud: Si quis vult poſt me venire, &c. Epiſcopo aſcendente ad ſedem, cereoſtata mutantur de locis ſuis in ordinem vnius lineæ vſq; ad altare. Per Cereoſtata, ſignificantur dona gratiarum, per quæ illuminatur Eccleſia. Vnius lineæ poſitio, vnitas eſt ſpiritus ſancti in ſingulis donis. Poteſt & ſimpliciter intelligi diſpoſitio cereorū expeditus curſus circa altare miniſtrādi. Teleſphorus natione Græcus ex Anachorita, cōſtituit, vt hymnus diceretur angelicus ante ſacrificium. Symmachus poſt Teleſphorū quadrageſimusquintus, conſtituit vt omni die Dominico, & natalitiis martyrum idem hymnus cantaretur.

Thuribulū in Miſſa.

Pax vobiſcum.

Gloria patri.

Verſus ex Pſalterio.

Gloria in excelſis.

Ad Orientē oramus, vt admoneatur animus ad naturā excellentiorem ſe conuertere, id eſt, ad Deum. Poſt laborem & opus miniſterij pontifex aſcendit ſedē, in memoriā aſcenſionis Dominicæ, & ſedent cum eo quibus promiſit: Sedebitis ſuper ſedes duodecim. Per eos qui ſedēt demōſtrantur membra Chriſti in pace quieſcētia: Per eos qui ſtāt, in certamine poſita. Cātor

ſinè

Sequentia.

ſinè aliqua neceſſitate tenet tabulas propter illud: Laudēt nomē Domini in choro, & reliqua. Hæc iubilatio, quam Sequentiam vocant, illud tempus ſignificat, quando non erat neceſſaria locutio verborum, ſed ſola cogitatione mens menti monſtrabit, quod retinet in ſe. Anaſtaſius Papa inſtituit, vt quotieſcunque Euangelium legitur, ſacerdotes non ſederent, ſed circunſtarent. Diaconus portat Euangelium in ſiniſtro brachio, per quod ſignificatur temporalis vita vbi prædicari Euangelium neceſsè eſt. Duo cerei qui portantur ante Euangelium, legē & prophetas deſignant præceſſiſſe aduentū Chriſti: Thuribulum, opinionem virtutum de Chriſto procedentem. Cantores more Leuitarum, qui omnia neceſſaria tabernaculi prouidebant, quærunt aquam ad fontem, & ſeruant eam coopertam, vſque ad tempus ſacrificij, & ſic eam mundam offerunt. Sixtus Papa conſtituit adiectionem illam primæuo Hymno, id eſt,

Sanctus, sāctus, sāctus.

Sanctus, Sanctus, Sanctus, &c. Auguſtinus in lib. de Ciuitate Dei 8. Sacrificium ergò viſibile, inuiſibilis ſacrificij ſacramentum, id eſt, ſacrum ſignum eſt. Ab his perſonis dantur oſcula mutuò in Eccleſia, quæ nullius titillationem libidinoſæ ſuggeſtionis cogunt excitare. Sergius Papa conſtituit, vt tempore confractionis Dominici corporis,

Agnus Dei

Agnus Dei, à clero & populo decantetur. Triforme eſt corpus Chriſti, eorum ſcilicet qui guſtauerunt mortem, & morituri ſunt. Primum ſcilicet ſanctum & immaculatum, quod ſumptum eſt ex Maria. Alterum, quod ambulat in terra. Tertium quod iacet in ſepulcris. Per particulam oblatę Miſſæ in calicem, oſtenditur corpus Chriſti, quod iam ſurrexit à mortis. Per comeſtam à ſaceredote vel populo, ambulans adhuc ſuper terram. Per reliquiam in altari vſque ad finem Miſſæ, iacens in ſepulcris vſque ad finem ſeculi.

De celebratione Miſſæ, & eius ſignificatione.

CElebratio Miſſæ, in commemorationem paſſionis Chriſti peragitur. Sic enim ipſe præcepit Apoſtolis, tradens eis corpus & ſanguinem ſuum: Hoc facite in meam commemorationem, hoc eſt, in memoriam paſſionis meæ: Tanquàm diceret, quod pro veſtra ſalute paſſus ſum, ad memoriam reuocate, & pro veſtra veſtrorumq; ſalute eadē proferre curate. Hanc Petrus Apoſtolus primus omnium Antiochiæ dicitur celebraſſe. In qua tres tantūmodo orationes in initio fidei proferebantur, incipientes ab eo loco, vbi dicitur: *Hanc igitur oblationem*. Miſſa autem dicitur, quaſi tranſmiſſa, vel quaſi tranſmiſſio, eo quòd populus fidelis de ſuis meritis non præſumens, preces & oblationes quas Deo omnipotenti offerre deſiderat, per miniſterium & orationem ſacerdotis ad Deum tranſmittat, quem mediatorem inter

Primitiuæ Eccleſiæ Miſſa qualis.

Etymon Miſſæ.

ſe & illum eſſe cognoſcit, confidēs per eius orationem atque interceſſionem à malis omnibus liberari, atque creatori ſuo reconciliari, & in omnibus corroborari. Vel Miſſa, vt Iſidorus dicit, dicta eſt ab emittendo. Tempore enim quo ſacerdos incipit cōſecrare corpus Dominicum, dicendum eſt à Diacono poſt Euangelium: Si quis catechumenus eſt, procedat foras Et quia tunc emittūtur Catechumeni ab Eccleſia, qui non debent intereſſe ſacris myſteriis, eo quòd nondùm ſunt perfecti. Siue alio modo poteſt dici Miſſa, eo quòd nos mittat ad Deum. Ideò autē non ab Apoſtolica vel Euangelica lectione, quod maius eſſe conſtat, eadem Miſſa inchoatur, ſed potiùs canendo & pſallendo, & quatenus dulcedo ſuauitatis corda audiētium prius demulceat, & ſic poſt modulationem, ſuauis cantilenæ in ſpiritualibus rebus populus per compunctionē mentis intētus, ſalutifera Euangelij verba ardenti affectu ſuſcipiat. Quòd autem populus Dominico die, ſiue ſolennitatum, ad Eccleſiam confluit, ad imitationem Iſraelitici populi creditur fieri, qui temporibus ſtatutis ad templum Domini confluebat, & ſex diebus operans, ſeptimo ab omni opere ſeruili requieſcere iubebatur, non tamen à meditatione legis. Sic enim ait Apoſtolus: Moyſes habet in ſingulis ciuitatibus, qui eum per ſingula Sabbata prædicent in Synagogis. Vnde & canticum Moyſis per omne Sabbatum in Eccleſia recitare mos Eccleſiaſticus conſueuit. Et quod illi faciebant in Sabbato, qui primus apud illos in diebus hebdomadis habebatur, quoniam in ipſo requieuit Deus ab operibus ſuis: nos propter reuerentiam Dominicæ reſurrectionis, die Dominica agere curamus. Neceſsè eſt enim, vt populus Dei eo die, quo Dominus reſurrexit, à ruralibus vacans operibus inſtruatur, quomodò per totam hebdomadam ſpiritaliter Deo viuere debeat: & qui per totam hebdomadam curam corporis morituri indeſinenter egit, eo die curam animæ in perpetuum victuræ agere curet. Primò omnium dicitur Antiphona ad introitum. Antiphona ex Græco interpretatur vox reciproca in Latinum, duobus alternatim pſallentibus ordine commutato, ſiue de vno ad vnum. Quod genus pſallendi Græci inueniſſe traduntur: quæ ideò ad introitum dicitur, quia per hanc introimus ad officium diuinum, ſicut per introitum oſtij ad ſecreta domus. Deindè imponitur: *Gloria Patri & Filio & Spiritui ſancto*. Quæ verba ad diuiſionem pſalmorum, qui prius indifferenter canebantur, B. Hieronymus, Damaſo Papa petente, compoſuit. Sed cùm nequaquàm id ſufficeret, prædicto Apoſtolico iterum ſuggerente, addidit adhuc: *Sicut erat in principio*, &c. Et hoc ad nutum Diaconi ait cantor, ſicut & *Kyrieeleiſon*, quia ad hoc in miniſterium admittitur, vt officiū integrè peragi poſſit. Quoniam Presbyter ſinè Diacono nomen habet, officium non habet. Induit Diaconus Dalmaticam in ſimilitudinem crucis, vt

Etymon Miſſæ.

Antiphona Miſſæ.

gloria patri origo.

qui

Universidad de Deusto
Biblioteca

qui minister verbi Christi, Passionem illius ad memoriam reuocans, sicut Christus crucifixus est pro salute mundi, ita & minister verbi ipsius semetipsum vitiis & concupiscentiis crucifigere non obliuiscatur, pro amore Redemptoris. Quod eadem vestis candiditatem habet, ostendit ministrum Christi candorē castitatis mente simul & corpore habere debere, qui auctoritatem Euangelium prædicandi in Ecclesia retinet. Habet & coccineas virgulas, sanguinem Christi pro salute mundi effusum declarantes. Præcedentibus ad altare ministris, in medio eorum propter debitum honorē Euangelium Christi defertur, tanquam persona præpotentis, præcedentibus ac sequētibus ministris constipata, cum procedit in publicum. Cerei quoque Euangelium præcedentes, demonstrant gratia Euangelij mundum, qui erat in tenebris peccatorum, illuminatum. Quòd autem eadem processio Euangelij ab Australi parte fit in plagam Septentrionalem, declarat Dominum Iesum Christum, qui verbum salutis mundo intulit, à parte meridiana ortum esse. Nam Hierusalem in qua Dominus Iesus Christus primò verbum salutis annunciauit, in meridie habet Bethleem, à quo loco ipse Saluator venit, sicut scriptum est: Deus ab Austro veniet. Cantore incipiente Kyrieeleison, collocantur cerei in ordine à parte Australi in Septentrionem ab Acolyto, ostendente hoc facto, quòd misertus sit Dominus omnipotens mundo, in Meridie & Septentrione. Ideo autem Kyrieeleison, & Latini Græcè, & Græci Latinè proferunt, quia & illorum quædā Græca honestiùs quàm Latina, & quædam Latina meliùs quàm Græca sonant, & vt vnum eius populum nos esse ostendamus, vnumq; Deum vtrunque populū credere, Kyrie Domine, eleison, miserere. Christe eleison, id est, qui es vnctus non oleo visibili, sed plenitudine diuinitatis, miserere. Nam chrisma dicitur vnctio. Incipit deindè Sacerdos: *Gloria in excelsis Deo*, Hymnum in natiuitate Saluatoris ab Angelis decantatum: sed à B. Hilario Pictauiensi posteà auctum & consummatum, & hoc ipsum ad imitationem Angelorum, vt ostendamus nos eundem Dominum colere in terris, quem & Angeli venerantur in cælis. Postea dicit Sacerdos: *Dominus vobiscum*, salutans populum & orans, vt Dominus sit cum eis, sicut dignatus est dicere, per Prophetam: Inhabitabo in illis, & reliqua: & quod Saluator dixit discipulis suis, & in illis omnibus fidelibus: Eccè ego vobiscum sum. Qui salutationis sermo non humano arbitrio compositus, sed ex diuinæ scripturæ auctoritate probatur sumptus, vbi frequenter & singulariter & pluraliter positus legitur: singulariter, sicut Angelus ad B. Mariam: Aue gratia plena, Dominus tecum: & sicut ad Gedeonem similiter Angelus salutando dixit: Dominus tecum virorum fortissime: Pluraliter, sicut in libro Ruth legitur Booz salutādo dixisse messoribus

A

B

C

D

E

Cerei in missa.

Kyrieeleison in missa quare græcè canitur.

Gloria in excelsis Deo.

Dominus vobiscum.

suis: Dominus vobiscum: & sicut in Paralipomenon propheta à Deo missus, inuenitur salutasse Aza Regem Iuda, cum exercitu suo victores de prælio reuertentes: Dominus vobiscum, quia fuistis cum Domino. Ecclesia ergò tam salubri salutatione Sacerdotis accepta, & ipsa resalutando orat, & orando resalutat: postulās, vt sicut ille optauit Dominum esse cum ipsis, ita sit & cum ipso, dicens: Et cum spiritu tuo, id est, cum anima tua sit omnipotens Deus, vt dignè pro nostra salute eum exores: & non dicit, Tecum, sed cum spiritu tuo, vt officium subsecuturum spiritaliter totum fieri intelligatur. Et benè Dominus cū spiritu hominis esse optatur, quia in spiritu & mente rationali creatus est homo ad imaginem & similitudinem Dei, & ibi est capax diuinæ gratiæ & illuminationis. Sed & illa salutatio Episcopalis ad populum, qua dicitur, *Pax vobiscum*, siue *Pax vobis*, simiiter non humano sensu inuenta, sed de scripturæ sanctæ auctoritate sumpta est. Nam & in veteri testamento inuenitur dixisse Angelus Danieli prophetæ: Noli timere, vir desideriorum: pax tibi, confortare, & esto robustus: Et in nouo, id est, in Euangelio, penè semper ita legitur Dominus Apostolos salutasse dicendo: Pax vobis, & eisdem Apostolis eandem salutationis formam commendauit, dicens: In quancunque ciuitatem aut domum intraueritis, salutate eam, dicentes: Pax huic domui. Meritò ergò & Apostolorum successores, id est, Ecclesiarum præsules, hac salutatione vtuntur, domum Dei salutantes, vbi omnes oportet filios esse pacis, vt salutatio pacis super eos requiescens, & salutantibus & salutatis possit esse fructuosa. Deindè dicit, Oremus, inuitans secum populum, vt simul orent. Quapropter acclinis debet esse populus, vsquequò sacerdos incipiat dicere: Per omnia secula seculorum. Sequitur collecta, quæ dicta est à collectione, eo quòd ex auctoritate diuinarum scripturarum sit collecta quæ in Ecclesia leguntur, sicut est illa de tribus pueris: vel quod ex multis sermonibus vna colligatur oratio, siue à collectione vel societate dicitur populi, qui tunc in vnum concurrens colligitur. Ideò autem in omnibus collectis interponitur, *Per Dominum nostrum Iesum Christum*, &c. vt omne quod datur à Patre, intelligamus per Filium eius nos accipere, cuius hæreditas sumus. Per ipsum ergò hostiam laudis atque orationis offerimus, qui per mortem ipsius reconciliati sumus, cùm inimici essemus. Dicens verò sacerdos, *Qui tecum viuit & regnat*, admonet populum, vt credat filium Dei viuere & regnare semper sine initio, & sinè termino, & vnam potestatem habere æqualiter cum Patre & Spiritu sancto, atque vnam substantiam. Amen verò confirmatio est orationis à populo. Interpretatur enim, verè, siue fideliter, tanquàm respondens populus dicat: verè ita fideliter credimus sicut dicis, filiū videlicet Dei ante omnia secula, & in præsenti & in futuro

Et cum spiritu tuo.

Pax vobis Eporum.

Collectę.

Amen.

futuro regnare cum Patre & Spiritu sancto, & regnum ac potestatem eius nullo fine concludi. Deindè sequitur lectio Apostolica ante Euangelium, non causa dignitatis, sed ad morem Apostolorum, qui ante Dominum ibant, sicut narrat Euangelium, quos mittebat Dominus ante se binos & binos. Epistola autem dicitur supermissa, eo quòd super vetus testamentum & Euangelium missa sit, non causa dignitatis, sed vt quisque qui Euangelium fuerit ingressus, ibi inueniat medicinam salutis. Incipiente autem subdiacono Apostolicam lectionem, verso ordine cerei trsāferuntur ab Oriente in Occidentem, vt demonstretur, per vocem & per prædicationem Apostolorum totum mundum gratia fidei illuminatum, non solùm à Meridie in Septentrionem, sed etiàm ab Oriente in Occidentem. Nomine enim Orientis & Occidentis, omnia climata mundi comprehenduntur, & quòd tot diebus Sol sua præsentia ea illustret, sicut ibi: Venient ab Oriente & Occidente. Postmodùm cantatur Responsorium, dictum, quòd à capite repetatur. Deindè cantatur Alleluia, quòd ex Hebræo in Latinum interpretatum sonat, Laudate Deum. nam Alleluia dicitur, Laudate: Ia, nomen Dei est, vnum ex decem nominibus quibus vocatur Deus apud Hebræos. Alleluia autem, primùm in nouo testamento additum est, dicente Ioanne: Audiui vocem in cælo dicentium, Alleluia. & quia hac voce augelos in cælo Deum laudare cognouimus, huiusmodi voce laudationis creditum est Deum delectari. Hoc quoque ideò canimus, vt eundem Deum nos colere in terra ostendamus, qui etiam colitur ab angelis in cælo, & hoc ante lectionem Euangelicam à cantore interponitur, vt laudetur ab omnibus, cuius gratia saluantur omnes, quasi dicat: Quia verba Euangelij salutem conferentia mox audituri estis, laudate Dominum, cuius beneficio hanc gratiam percipere meruistis. Defertur Euangelium ad analogium, præcedentibus cereis: vt ostendatur, gratia ipsius mundum illuminatum. Verba Euangelij Leuita pronunciaturus, contra Septentrionem faciem vertit: vt ostendat verbum Dei & annūciationem Spiritus sancti contra eum dirigi, qui semper Spiritui sancto contrarius existit, & in nullo ei cōmunicat. Quos enim Spiritus sanctus, qui est Deus, ad fidem colligere desiderat, diabolus dispergere ab vnitate Ecclesiæ, & integritate fidei laborat. Sicut enim per Austrum, qui ventus est calidus, & leniter flat, Spiritus sanctus designatur, qui corda quæ tangit, ad amorem dilectionis inflammat: ita & per Aquilonem, qui durus & frigidus est, diabolus intelligitur, qui eos quos possidet, ab amore charitatis atque dilectionis torpentes & frigidos reddit. Quòd enim per Aquilonem diabolus designetur, ostendit Propheta, dicens: O Lucifer, qui dicebas in corde tuo, Sedebo in lateribus Aquilonis, & reliqua. Crucem in fronte ponit diaconus, adnunciaturus verba vitæ, vt ostendat se discipulum illius esse, qui crucem pro totius mundi salute substinuit. Deindè in pectore, vt omnis vana & immunda cogitatio ab eius corde pellatur. Salutat & populum, dicens: *Dominus vobiscum*, quatenus corda illorum à mundanis cogitationibus Dominus emundet, & ad suscipienda verba salutifera aperire dignetur. Ad cuius salutationem populus crucem in frontibus ponit, vt à malis cogitationibus corda sua emundet, vt ad intelligēda verba salutis pura permaneāt. Dicit Diaconus: *Sequentia sancti Euangelij secundum Matthæum*, eo quòd post præcedentia Euangelij sequantur illa. Vndè quando initiū alicuius Euangelistæ legitur, non dicit Sequentia, sed Initium. Idcircò autē secundùm Matthæum, aut Marcum, aut Lucam, vel Ioannē, vt sciatur, secundum quem Euangelistam lectio illa legatur. Potest & ita intelligi, quòd dicit Sequentia, vt ea quæ sequuntur, post salutationem in illa lectione secundùm illum Euangelistam contineantur. Hinc sequitur Euangelium, quod de Græco in Latinum, sonat bonum nuncium. Et quod est melius nuncium, quàm istud, PÆNITENTIAM agite, appropinquabit enim regnum cælorum? quæ in Euangelio dicuntur de incarnatione filij Dei & de eius miraculis, prædicatione, & resurrectione, atque ascensione, de gloria quoque electorum, & damnatione reproborum. Perlecto Euangelio, iterùm se signo Crucis populus munire festinat, vt quod ex diuinis eloquiis ad salutem percepit, signatum sigillo Crucis, atque munitum permaneat, nè à mentibus eorum diabolica fraude euacuari valeat. Post recitatū Euangelium iterùm Sacerdos populum salutat, orans in cordibus eorum verba salutis, quæ perceperunt à Domino confirmari, & inuitat illum secum pariter ad Orationem, dicens: OREMVS. Sed licet apud nos tunc collecta inter Euangelium & offerendam non dicatur, apud Græcos tamen dicitur. Ita autem potest intelligi secundum quod apud nos fit, vt omnis populus oblationi insistere iubeatur, dum oblaturi intentionem suam offerunt, quatenus illorum oblatio accepta sit Domino. Sequitur deindè Offerenda, quę indè hoc nomen accepit, quòd tunc populus sua munera offerat. Sequuntur versus, à vertendo dicti, quòd in offerenda reuertantur, dum repetitur offerenda. Suscipit interìm Sacerdos à populo oblata, vt ipse qui est inter Deum & ipsum populum mediator, preces eorum & vota Domino offerat. In qua oblatione aqua miscetur vino. Per vinum significatur Christus, per aquam autem populus: & si vinum offertur sinè aqua, videtur significare, quòd passio Christi nihil profuerit generi humano: Si autem aqua sinè vino, videtur significare saluari potuisse populū sinè Christi passione: Vtrumq; ergò miscetur simul, vt intelligatur, passione Christi mundum

A

B

C

D

E

Epistolæ lectio in missa.

Responsorij origo.

Alleluia vocis origo.

Libri Euangeliorum delatio.

Sequentia quare dicatur.

salua-

Universidad de Deusto
Biblioteca

saluatum, & sinè ea mundum nō potuisse saluari. Quòd autem sacerdote oblationem suscipiente, clerus Deo laudes interìm persoluit, ad imitationem populi Israel sumptum est, qui oblationes & vota cū laude modulationis Deo offerre consueuerat. Post oblationem ponitur incensum super altare, dicente sacerdote: Dirigatur oratio mea sicut incensum in cōspectu tuo, &c. hoc est dicere, Sicut incensum gratum est & acceptum in conspectu populi, ita fiat oratio mea acceptabilis in conspectu tuo. Quibus expletis, cōuertit se sacerdos ad populum, poscens vt iungant preces suas precibus eius, & mereatur exaudiri pro salute illorum. hoc autem dicendum est à sacerdote cum silentio: Orate pro me fratres, vt meum pariter & vestrum sacrificium acceptum sit Domino. Adclinans ergò se populus, orare debet ita: Sit Dominus in corde tuo & in ore tuo, & suscipiat sacrificium sibi acceptum de ore tuo, & de manibus tuis pro nostra omniumq; salute, Amen. Vel hoc dicant omnes: *Exaudiat te Dominus in die tribulationis, Protegat te nomen Dei Iacob.* vsque, *pingue fiat.* Corporale cui superponitur corpus Dominicum, non aliud quàm lineum esse oportet, quoniam Ioseph linteū mundum legitur emisse, vbi corpus Dominicū inuoluit. Nam & linum, purum germen est terræ: & Dominus purum & verum corpus habuit, non simulatum. Et sicut linum per multos sudores peruenit ad candorem, ita Iesus Christus multis affectus passionibus, migrauit ab hoc seculo, & ad candorem resurrectionis, atque immortalitatis perductus est. Ita ergo, qui corpus Christi in se recipere desiderat, per multos bonorum operum labores, & per castitatē mentis & corporis debet se reddere mundum & candidum. Quod ita plicari debet, vt nec initium, nec finis appareat, sicut etiam sudarium in sepulcro Domini inuentum est. Sudarium est ligamentum capitis. Per caput diuinitas designatur, quia caput Christi Deus. Inuolutio autem hoc significat, quia Christus, qui in humanitate habuit initium nascendo, & finem moriendo, in diuinitate neutrum horum, sed semper esse habuit. Dicit sacerdos collectā super oblata, & in eius fine, *Per omnia secula seculorum*, vt supra. Hucusque præfatio, id est, prælocutio, & allocutio populi, hinc sequitur exhortatio: *Sursùm corda.* hortatur enim sacerdos populum, tamquàm dicat: Iam Apostolicis & Euangelicis præceptis sufficienter instructi & cōfirmati, corda vestra à terrenis curis sursum ad Dñm dirigite, vt sacrificiū, quod Deo offerendū mihi obtulistis, dignè offerre valeā. Respondet populus: *Habemus ad Dominum*; quasi dicat, corda nostra, vt præcipis, erecta habemus ad Dominum, vt suscipere dignetur votum nostrum. Hortatur iterùm: *Gratias agamus Domino Deo nostro*, simul ego & vos. subaudis, de omnibus bonis ab illo præstitis. Respondet populus & affirmat, dicens: *Dignum & iustum est*, vt illi gratias agamus, Domino Deo nostro. Hanc exhortationem quæ sequitur, Gelasius composuisse dicitur. Affirmat sacerdos populi vocē, & conuertit se ad Deum patrem, dicens: *Vere dignum & iustum est*, id est, sicut populus tuus respondet tibi gratias agere, dignum, iustum & æquum idipsum est: Salutare, id est, salute plenum, quoniam ad nostram corporis & animæ salutem pertinet, si dignè illum laudemus. Post confessionem populi, dignum esse & iustum vt Deo gratiæ rependantur, intermisso populo cui loquebatur, iam conuertit se sacerdos ad Deum patrem, & tanquàm ad præsentem incipit loqui, dicens: *Nos tibi gratias agere*, & hoc non ad horam, sed *semper*, id est, omni tempore, & in prosperis & in aduersis, *vbique*, id est, omni loco. *Domine sancte*, qui dominaris omnium quæ in cælis sunt, & quæ in terra, & qui omnia sancta tua benedictione sanctificas vt sancta sint. *Pater* Græcè, Latinè dicitur genitor. Deus enim ineffabiliter genuit filium ante omnia secula: *Omnipotens* dicitur Deus, quia omnia potest, quæ illum decent: Mentiri non potest, quia veritas est: mori non potest, quia immortalis, immò vita est. Mutari non potest, quia immutabilis est. Omnipotens enim dicitur faciendo quod vult, non patiendo quod non vult. Æternus est Deus, quia nec initium habuit, nec terminum habebit, quia nec cœpit nec desinit. Gratiæ autem quas debemus offerre, per Dominum nostrum Iesum Christum offerendæ sunt, qui est mediator inter Deum & nos, & qui est pontifex pontificum. Christus Græcè, Latinè dicitur vnctus. Vnctus est Dei filius secundum humanitatem, non oleo visibili, quo vngebantur reges & sacerdotes, verum regem & sacerdotem præfigurantes, Dominum nostrum Iesum Christum, sed plenitudine diuinitatis & dono gratiæ, quòd visibili signatur vnguento, quo baptizatos ungit Ecclesia. Christus tamen non tunc est vnctus Spiritu sancto, quando super eum baptizatum sicut columba descendit. Tunc enim corpus suum, id est, Ecclesiam præfigurare dignatus est, in qua baptizati accipiunt Spiritum sanctum. Sed mystica vnctione tunc vnctus est, quando veniente * ad Mariam Virginem vterus repletus est Spiritu sancto, hoc est, quando humana natura sinè vllis præcedentibus bonorum operū meritis, Deo vero in vtero virginis est ita vnita, vt cum illo vna fieret persona: vndè & ob hoc confitemur illum natum de spiritu sancto ex Maria Virgine. Vnctione autem olei designatur plenitudo Spiritus sancti, quoniam sicut oleo optimo corpus perfusum recreat illud, atque recreans iocundius reddit: sic & gratia Spiritus sancti, cor, quod repleuerit, in amore & dilectione Dei perfectè reparans, omnem timoris mœstitiam, quam pro peccatis primò contraxerat, ab ore repellit, & in charitatis perfectione confirmans, de spe vitæ æternæ exultationis gaudium

Corporale quale.

Corporalis cōplicatio.

Per omnia secula seculorum.

dium subministrat. *Per quem* Christum *maiestatem tuam laudant Angeli*, quia per illum sunt creati, & non solùm angeli per illum laudant Deum patrem, verùm etiàm illæ virtutes cælorum, quæ super alias dominationem & potestatem habent. Hi ergò tam beati & sublimes spiritus per Christum maiestatem Dei laudant sicut ad eos congratulando dicitur in Psalmo: Laudate Dominum omnes virtutes eius. Adorant quoque eandem diuinam maiestatem, sicut in hymno confessionis Esdræ ad ipsum Dominum dicitur: Exercitus cæli te adorant. Tremūt etiam sicut per figuram de eis in libro Iob dicitur: Columnæ cæli contremiscunt & pauēt ad nutum eius. Qui tamen tremor nè eis pœnalis sit, non timoris est, sed admirationis. Cùm igitur in cælestibus tanta sit deuotio laudantium, veneratio adorantium, tremor admirantium, consideret hoc homo cui dictum est: Quid superbis terra & cinis? audiat Apostolum monentem, Cum metu & timore, & tremore vestram ipsorum salutē operamini. Cæli quoque qui per Christum facti sunt, tunc laudant Deum patrem, quando nos prouocant ad laudem eius. Cælorum quoque virtutes & Seraphim concelebrant, id est, in commune celebrant concordi deuotione, & communi gaudio laudant. Nam celebritas est conuentus populi in laude: & celebrata dicimus, in celebri, id est, frequentissimo conuentu acta. Ideò autem dicitur, quia maiestatem *socia*, id est, iuncta *exultatione concelebrant*, quoniam sine intermissione laudantes, vicissim de illo & de se in illo lætantur. Hunc ergo omnium creatorem & rectorem laudant & concelebrant cæli, sicut eum laudant sol & luna, stellæ & lumen. Vndè in psalmo dicitur: Laudate eum sol & luna: vsque, aquæ quæ super cælos sunt. In hymno quoque trium puerorum, Dei ad laudem elementa omnia prouocantur: non quòd elementa muta habeant sensum laudandi, sed quòd cuncta bene cogitata, laudem pariant, & impletur cor consideratione creaturæ ad erudiendum hymnum creatori. Et quia longum fuit in ista gratiarū actione totos angelorum ordines, qui in scripturis nouem inueniuntur ponere, sigillatim post cælos ponuntur virtutes, quo nomine omnes cælestes spiritus generaliter appellari solent, vt in psalmo: Dominus virtutum ipse est rex gloriæ. Et iterum: Verbo Domini cæli firmati sunt, & spiritu oris eius omnis virtus eorum. Ad vltimum ponuntur Seraphin, qui est summus ordo angelicorum spirituum, & verè beata, quæ ex singulari propinquitate creatoris sui incomparabili ardent amore. Vndè & ardentes vel incendentes interpretantur. Sciendum autem, quòd Cherubim & Seraphim per M litteram prolata, iuxta proprietatem linguæ Hebrææ, masculini sunt generis & pluralis numeri tantùm. Si autem per N literam dicantur, sicut in psalmis & hymnis, & in præsenti gratiarum actione ponitur, Græca declinatione in neutrale genus mutantur. Velut cùm dicimus lucida sidera, speciosa nemora, iucunda littora, sic & beata Seraphin neutro genere, & plurali numero accipiamus. Vt autem ad solum patrem dirigatur oratio, cùm totius sanctæ Trinitatis, sicut vna est diuinitas, ita æqualis honor & glorificatio, id Apostoli sancto per eos ordinante Spiritu sanxerunt, vt qui multorum deorum errores vnius Dei prædicatione nitebantur euellere, sub Trinitatis sacramēto vni personæ in sacrificiorum ritu esse supplicandū decernerent: nè qui vnum Deum prædicabāt, in pluralem diuinitatis numerum incidisse arguerentur, & quia Pater & Filius & Spiritus sanctus, vnius deitatis, vnius naturæ, vnius substantiæ, vnius denique potestatis existunt, vna ex eis persona propter vnitatis mysterium retinendum in sacrificio inuocaretur. Nec alia debuit, nisi quæ prima est, in qua duæ cæteræ naturaliter manentes existunt. *Cum quibus & nostras uoces*, & reliqua. Voces angelorum sunt in laude conditoris, ipsa admiratio intimæ contemplationis. Quales ergò oportet esse voces nostras, quas in conspectu Dei cū angelicis laudibus deprecamur admitti. i. intromitti? vtiq; tales voces nō sunt in sono oris, sed in desiderio cordis. Voces enim apud secretissimas aures Dei non faciunt verba nostra, sed desideria: & quia superna ciuitas ex angelis & hominibus constat, meritò sancta Ecclesia, quæ illis socianda est in cælo, & cum illis in Dei laudibus permansura, iā nūc ipsis vocibus Deum laudant in terris, quibus eum sancti Angeli laudant in cælis. Et hoc non superba præsumptione, sed supplici confessione, id est, humili laude: sic desiderans maiestatem Dei credere & confiteri in mundo, sicut ab angelis videtur & laudatur in cælo. hæc enim confessio non est peccati, sed laudis & gratiarum actionis. Vna igitur confessione, id est, laude & gratiarum actione iam nunc homines cum angelis sociantur, laudantes de cælestibus & terrestribus, tamquam eum qui fecit cælum & terram, & dicentes: *Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus Sabaoth, pleni sunt*, & reliqua. Istę sunt voces angelorū laudantium in cælis. Hunc hymnum gloriæ Dei, & Esaias se audisse testatur, & Ioannes in Apocalypsi. Ergo non humano arbitrio, sed vtriusque scripturæ auctoritate coniuncta, dicimus ter *Sanctus*, & semel *Dominus*, vt ostendamus omnipotentem Deum, & Trinitatem in personis habere, & vnitatem in substantia. Sabaoth autem vnum est ex decem nominibus Dei apud Hebræos, & interpretatur, Exercituum, siue Virtutum, vel Militiarum. Dominus autem Sabaoth, Dominus omnipotens dicitur, quia omnis exercitus & militiæ virtutesq; angelorum illi seruiunt. Angelicos autem spiritus, rectè militiam dicimus, quia decertare eos contra aereas potestates nō ignoramus. Quæ tamen certamina non labore, sed imperio peragunt, quia quod agendum contra

Per omnia secula secu lorum.

Virtutes cælorum quæ.

Seraphin.

Ad solum patrem oratio cur dirigatur.

Sanctus, Sanctus, Sanctus.

Sabaoth.

Universidad de Deusto
Biblioteca

contra immundos spiritus appetunt, ex adiutorio cuncta regentis possunt. Gloria, id est, diuinitate eius pleni sunt cæli & terra, & omnia implet, iuxta quod ipse dicit: Cælum & terram ego implebo. Adiunguntur autem huic hymno angelorum, sumpta ex Euangelio verba turbarum laudantium Deum & regem nostrum venientem Hierosolymam, atque dicentium: *Osanna in excelsis*, & reliqua. Ita enim ex scriptura Prophetica & Euangelica completur plena laudatio, cùm post laudem & gloriam sanctæ Trinitatis adiũgitur etiam gratiarum actio de aduentu Saluatoris, qui vnus ex ipsa Trinitate pro salute nostra homo factus est, & eandem salutem moriendo & resurgendo perfecit. Vndè meritò illi gratias agẽtes, dicimus: Osanna, id est, salus in excelsis. Vndè in psalmo: Domini est salus. Rectè quoquè subiungitur: *Benedictus qui venit in nomine Domini*, iuxta quod ipse ait in Euangelio: Ego veni in nomine patris mei. Assumunt autem laudis versiculum turbæ de Psalmo 117. quem de Domino esse cantatum, manifestum est. quod enim dicunt Osanna, hoc est quod ibi dicitur, O Domine saluum me fac, ò Domine prosperare: & statim eisdem verbis subiungitur, Benedictus qui venit in nomine Domini. Quod verò subiungitur Osanna, id est, salus siue saluifica in excelsis, apertè docet aduentum Domini in carne, non solũ humani generis in terra, sed & angelorum in cælis esse salutem: quia dum nos redempti ad superna perducimur, eorum numerus, qui cadente Satana erat imminutus, impletur. Rectè igitur, Osanna in excelsis, in eius laude canitur, cui tota incarnationis dispensatio pro implenda gloria patriæ cælestis apparuit. Hucusque prefatio & exhortatio, hinc obsecratio sequitur.

Gloria.

Osanna in excelsis.

Benedictus qui venit.

Post has laudes & gratiarũ actiones pro tanta gratia redemptionis nostræ, quæ in illo diuino mysterio agitur & commendatur, facto totius Ecclesię silentio, in quo cessante omni strepitu verborum, sola ad Deum dirigitur intentio, & deuotio cordium, sociatis sibi omnium votis & desideriis, incipit sacerdos orationem fundere, qua ipsum mysterium Dominici corporis & sanguinis consecratur. Sic enim oportet, vt in illa hora tam sacræ & diuinæ actionis tota per Dei gratiam à terrenis cogitationibus mente separata & Ecclesia cum sacerdote, & sacerdos cum Ecclesia spiritali desiderio intret in sanctuarium Dei æternum & supernum: & quoniam spiritus est Deus, & eos qui adorant eum, in spiritu & veritate oportet adorare, sic eundem patrem Deum deprecetur: Te igitur clementissime parer, & reliqua. Idcircò, vt ferunt, consuetudo venit in Ecclesia, vt tacitè ista obsecratio atq; consecratio à sacerdote cantetur. nè verba tam sacra, & ad tantum mysterium pertinentia, vilescerent, dum penè omnes per vsum ea retinentes, per vicos & plateas aliisq; in locis, vbi non conueniret, ea decantarent. Inde fertur, quòd antequàm hæc consuetudo inoleuisset, cùm pastores ea decantarent in agro, diuinitùs sunt percussi. Dicit ergò sacerdos: Supplices rogamus & petimus, & hoc per Iesum Christum, per quem omnis supplicatio & petitio nostra dirigi debet ad Deum, tanquàm per verum mediatorem & æternum sacerdotem, qui sedet ad dexteram patris, & interpellat pro nobis. Quid autem roget & petat, ostendit: videlicet, vt ea quæ offeruntur dona, munera, sancta sacrificia, accepta, id est, placita habeat, & benedicat. Sacerdotum enim est offerre, & maiestatem Dei inuocare: Dei autem, dignanter suscipere, & ea quæ offeruntur, benedicere. Dicit ergò, Vti accepta habeas & benedicas, ac si suppliciter dicat: Petimus, vt hæc spiritu tuo sanctifices, atque ore benedicas, vt quod nostræ humilitatis geritur ministerio, tuæ virtutis impleatur effectu. Quod autem subiungit, hæc dona, hęc munera, hæc sancta sacrificia, non aliud atque aliud dicitur, sed res vna pro sui magnitudine diuersa appellatione laudatur. Quæ enim diuinis offeruntur altaribus, & munera appellantur, sicut Dominus, Si offers munus tuum: & dona vel sacrificia, sicut Apostolus de pontifice, vt offerat dona & sacrificia pro peccatis: sed, vt dictum est, sermonum repetitio, tanti sacramenti est commendatio, & piæ deuotionis excitatio. Quia hęc sunt verè sancta & illibata, i. inuiolata, & incontaminata sacrificia, quę in ministerio Dominici corporis offeruntur. vel illibata dicuntur, i. non pręgustata, sed integra adhuc manentia. Libare enim, sub vno sensu dicitur fundere. Vndè legimus, quòd Dauid libauit aquam Domino sibi oblatam, id est, fudit: Sub alio sensu dicitur libare, gustare: vndè & prælibata res dicitur prægustata. Reddidit autẽ causam sacerdos, pro qua illa offerat sacrificia, & dicit se in primis, i. principaliter ꝓ Ecclesia catholica, id est, vniuersali. Sic enim dignum fuit, vt inciperet sancta oblatio, videlicet pro ecclesia Dei toto orbe diffusa, quæ est vnico sanguine Domini redempta: quã pacificare digneris, vt pacẽ habeat ab hæreticis & paganis: adunare, quæ dispersa est per paganos & hæreticorũ dogmata. Idipsum autem videtur esse adunare, quod pacificare: idipsum custodire, quod & regere. Pacificando nanque adunat, cum omnium fidelium corda in sua pace coniungit, cũ omnium fidelium mentes vnius efficit voluntatis, diffusa charitate per Spiritum sanctum: custodiendo regit, cùm inter omnia pericula clementer eam gubernat & regit. Quòd verò post generalem Ecclesiæ commendationem adiungitur, *Vnà cum famulo tuo Papa nostro*, ipsius Ecclesiastici corporis vnitas fortius commendatur: quia religionis cultum sic Dominus instituit, vt in beatissimo Petro Apostolorum summo principaliter collocaret, atque ab ipso quasi quodam capite dona sua vellet in corpus omne manare. Vndè constat, ab vniuersi orbis communione

Hæc dona.

Adunare verbum.

munione separatos esse, sicut B. Pelagius docet, qui qualibet dissensione inter sacra mysteria Apostolici Pontificis memoriã secundùm consuetudinem non frequẽtant. Papa autem secundùm quosdam dicitur Admirabilis vel coronatus, sed quod melius est, pater patrũ, id est, Episcoporum. Sequitur, & antistite nostro. Sicut. n. vniuersalis Ecclesiæ commemoratio propter vnitatem societatis & pacis coniungitur commemoratione Apostolici Põtificis, ita dignum & religiosum est, vt singulæ Ecclesiæ commemorationem suorum subiungant antistitum, probantes se per illam orationem seruare cum eis vnitatem spiritus in vinculo pacis. Orthodoxi, id est, rectæ gloriæ dicuntur, eo quòd nullo errore deprauati, rectæ fidei confessione Deum glorificent. Idem ergò sunt Catholicę & Apostolicæ fidei cultores. Catholicę, id est, vniuersalis, quam vniuersa vbiq; teruat Ecclesia: Eiusdemq; Apostolicæ, quam in toto mundo doctrina Apostolorum fundauit. Additur, per Christum Dominum nostrum: quia aliter nec oratio Ecclesię, nec oblatio Deo offerri potest, nisi per vnum mediatorẽ Dei & hominũ, quod ipse in Euangelio commendat, dicens: Quicquid petieritis in nomine meo, hoc faciam. Quam petitionis formã in omni oratione sua custodit Ecclesia. Cùm dicitur, Memẽto Domine famulorũ, famularumq; tuarũ: & sic deindè subiungitur, Et omnium circunstantium, manifestum est, quòd quasi quidam locus sit, vbi aliquibus specialiter nominatis, etiam cęterorum qui assistunt in Ecclesia, commemoratio adiungatur. In quo loco liberum est sacerdoti, quos desiderauerit, peculiariter nominare, & nominatim Deo commendare: aut certè illud ab antiquis est obseruatum, vt ibi offerentium nomina recitarẽtur. Prius ergò oblationes sunt commendandæ, ac tunc eorum nomina quorũ sunt edicenda, vt inter sacra mysteria nominentur, non inter alia quæ præmittimus. Quorum tibi fides cognita est, & nota deuotio: id est, quam rectè credant, & quàm deuotè diligant, tu solus vides in conscientiis eorum, qui tibi offerunt. in quibus verbis fideliter considerandum est, quòd tota Ecclesia Deo offerat illud sacrificiũ laudis, quia de omni multitudine circunstantiũ dicitur, qui tibi offerunt. Quod. n. adimpletur propriè ministerio Sacerdotũ, hoc generaliter agitur fide & deuotione cunctorũ. Sacrificiũ dicitur laudis, quia in laude illius offertur. Non. n. nostra illi damus, sed sua reddimus. Pro se suisq; omnibus, i. ad se, vel genere, vel familiaritate, vel qualibet alia cõditione sub eiusdẽ fidei professione pertinentibus, tam viuentibus quàm defunctis. Et hoc qua spe faciãt, subiungitur: quia nõ pro aliquo terreno appetitu, nõ pro tẽporali lucro, sed solũmodo pro redẽptione animarũ suarũ, quia in ipso habemus redemptionẽ per sanguinem eius, remissionem peccatorum. Pro spe salutis, i. pro vita æterna, quæ est vera salus. Spe enim salui facti sumus. Nec solùm pro salute æterna, sed etiam pro temporali incolumitate, id est, corporali sanitate. Incolumitas. n. dicitur, sãitatis integritas. Vtraque autem sanitas ab illo est, & animæ scilicet & corporis, de quo in Psalmo canitur: Domini est salus. Reddunt vota, id est, sacrificia, vel vota fidei & piæ deuotionis. Communicantes, &c. vsque, Et omniũ sanctorum: Se qui offert, & omnes circunstantes qui simul offerunt, dicit communicare & memoriam venerantes Beatæ Dei genetricis & omnium Sanctorũ: quia vt sacrificium Deo possit esse acceptũ, non alibi hoc offerunt, nisi in cõmunione & societate sanctorum, & in eorum memoriæ veneratione tanquàm in vero templo Dei, quia in his voluit omnipotens Deus Ecclesiæ suæ constare fundamentum. Ideò sumus communicantes memorię eorum, tanquam filij patrum & sectatores prędecessorum. Communicantes, id est, participantes fidei illorum, quia eãdem fidem habemus, quam & illi habuerunt: Memoriam venerantes, id est, cum pietate & humilitate vestigia eorum sequentes. In hac autem commemoratione Sanctorum, beata Dei genitrix primũ ponitur, per quam & illi & nos meruimus auctorem vitæ suscipere: & iungitur commemoratio sanctorum Apostolorum & Martyrũ, non solùm eorum qui hìc nominatim exprimuntur, sed & omnium quorum nec numerum, nec nomina scire possumus, & tamẽ per fidem si in his præcipuis piè adhæremus, etiam illis in horum communione copulati sumus. QVORVM MERITIS, &c. Propter merita nanque & intercessionem iustorum Dominus miseretur, vt in omnibus siue prosperis siue aduersis protectionis eius muniamur auxilio. PER CHRISTVM DOMINVM NOSTRVM. Sic & Moyses pro populo peccãte intercedens, patrũ facit memoriam. Exechiæ auxilium petenti dicitur: Ciuitatem hanc protegam propter me, & propter Dauid seruum meum. Nec dubitandum est, fidelium petitiones à spiritibus iustorum sciri: quia qui intùs Dei claritatem vident, non est credendum, quia fit aliquid foris quod ignorent. Postulat ergò Ecclesia suffragia martyrum, nec tamen sacrificat martyribus, sed vni Deo & martyrũ, & nostro. Ad quod sacrificiũ sicut homines Dei, qui mundũ in eius cõfessione vicerũt, suo loco nominãtur, non tamẽ inuocãtur à sacerdote, quia Dei sacerdos est, non illorũ. Ipsum verò sacrificiũ corpus est Christi, quod nõ offertur ipsis, quia hoc non sunt & ipsi. HANC IGITVR OBLATIONEM SERVITVTIS NOSTRÆ. Quia dignũ est vt seruus suo seruiat Dño. SED ET CVNCTÆ FAMILIÆ TVÆ, & reliqua. Et in his verbis vnitas Ecclesię ostẽditur, quando in illa oblatione communis seruitus exhibetur Deo, tam à sacerdotibus, quàm à cũcta familia domus Dei. Oratur itaq; Deus, vt hanc oblationem, quam illi soli debita seruitute defert Ecclesia, placatus accipiat, & sic dies nostros, quibus inter diuersa

Universidad de Deusto
Biblioteca

periçula viuimus, in sua pace disponat, finitoque huius mortalitatis cursu, ab æterna damnatione ereptos, in electorum suorum grege annumerare dignetur. Hæc quidem, id est, exhortationem, obsecrationem, & consecrationem, principaliter Gelasius composuit. Sed B. Gregorius addidit hunc versiculum, ATQVE AB AETERNA DAMNATIONE EREPTOS: vsque PER CHRISTVM DOMINVM NOSTRVM. Hucusquè obsecratio: hinc sequitur cõsecratio, ità incipiens: QVAM OBLATIONEM &c. Oratur Deus, vt oblationem suis altaribus impositam, & tantis precibus commendatam, ipse per virtutem Spiritus sancti ità perfectam Eucharistiam accipiat, vt in omnibus sit BENEDICTA, ASCRIPTA, id est, in numerum placitorũ sibi recepta sit, ET RATA, id est, immobili firmitate perpetua: sit quoquè RATIONABILIS, vt quamuis de simplicibus terræ frugibus sumpta, benedictionis potentia efficiatur corpus & sanguis filij Dei, vt per hunc cibum & potũ impleatur in nobis quod ipse promisit: Sicut misit me viuens pater, & ego viuo propter patrẽ. &, qui mãducat me, & ipse viuet propter me. Hoc corpus, hic sanguis non in spicis, sed in sacramentis colligitur: & consecratione mysticus fit nobis, non nascitur. Et ille quidem panis, & illud vinum per se irrationabile est: sed orat sacerdos, vt ille rationabiliter tractatus, & ab omnipotenti Deo cõsecratus, rationabilis fiat, trãseundo in corpus filij eius, nobis, id est, ad salutem nostrã. Hoc autem, quod sequitur QVI PRIDIE QVAM PATERETVR, vsq;, IN MEMORIAM FACIETIS: Apostoli in vsu habuerunt post ascensionẽ Domini. Vndè ergò Ecclesia iugẽ sui memoriã redẽproris celebret, ipse Dominus Apostolis, & Apostoli generaliter omni ecclesię tradiderũ in his verbis, sinè quibus nulla lingua, nulla regio, nulla ciuitas, id est, nulla pars ecclesiæ potest consecrare hoc sacramentũ, quod Apostolus manifestat, dicens: Ego enim accepi à Domino, quòd & tradidi vobis, quoniam Dominus Iesus qua nocte tradebatur, accepit panem, & reliqua. Christi ergò virtute & verbis iste panis & calix ab initio consecratus est, & semper consecratu, & cõsecrabitur. Ipse enim loquens per sacerdotes sua verba, cælesti benedictione sanctum corpus & sanguinem suum perficit. Quod autem ait, Sumite ex hoc omnes: commendatio est vnitatis, vt per hoc mysterium Christo participantes, vnũ simus omnes in illo, sicut Apostolus ait: Vnus panis, vnũ corpus multi sumus. Tanta est autem ecclesiæ vnitas in Christo, vt vnus vbiquè sit panis corporis Christi, & vnus calix sanguinis eius: Accipiens, inquit, hunc præclarum calicem. Ideò dicit hunc accepit, quòd calix, quem sacerdos Catholicus sacrificat, nõ est alius nisi ipse quẽ Dominus Apostolis tradidit. Quia sicut diuinitas verbi Dei vna est, quæ totum implet mundum: ità licet multis locis & innumerabilibus diebus illud corpus cõsecretur, nõ sunt tamen multa corpora Christi, neq; multi calices, sed vnũ corpus Christi, & vnus sanguis cũ eo, quod sumpsit in vtero Virginis, & quod dedit Apostolis. Diuinitas enim verbi replet illud quod vbique est, & coniungit, ac facit, vt sicut ipsa vna est, ità coniungatur corpori Christi, & vnũ corpus eius sit in veritate. Vndè animaduerten dũ est, quia siue plùs, siue minùs quis indè percipiat, omnes æqualiter corpus Christi ĩtegerrimè sumũt, & generaliter omnes, & specialiter vnusquisq; Ideò autẽ sanguis Christi nouũ testamentum est, quia noua dilectio, qua vsq; ad mortẽ in nouissimis seculorũ temporibus nos dilexit. Et ideò sanguis ille noui & æterni testamenti est, quia quos à vetustate innouat, ad hę reditatẽ æternã perducit. Mysterium fidei est, quia credere debemus, quod ibi salus nostra cõsistat. Prouidẽs enim nobis dedit hoc sacramẽtũ salutis, vt quia nos quotidiè peccamus, & ille iã mori non potest, per istud sacramentũ corporis sui remissionẽ cõsequamur. Quotidiè e ĩ ipse comeditur & bibitur in veritate, & integer viuusq; & immaculatus manet. Mysterium est, quod aliud videtur, & aliud intelligitur Quod videtur, specie habet corporalẽ: quod intelligitur, fructũ habet spiritualẽ. Sed cùm mysteriũ sit, vndè corpus & sanguis Christi dicitur? cõsulens omnipotens DEVS infirmitati nostræ, qui non habemus vsum comedere carnẽ crudã, & sanguinem bibere, facit vt in pristina remaneant forma illa duo munera, & est in veritate corpus Christi & sanguis, sicut ipse dicit. Scindũ verò quòd eundẽ calicem Dñici sanguinis, nisi mixtũ aqua offerre non licet, quia vinum fuit in redemptionis nostræ mysterio, cùm ait: Nõ bibam amodò de hoc genimine vitis, & reliqua: & de latere eius aqua cũ sanguine, vinũ de vera carnis eius vite cũ aqua expressũ ostendit. Hæc enim sunt sacramẽta ecclesiæ, sinè quibus ad vitã nõ intratur. Illius ergò panis & calicis oblatio, mortis Christi est commemoratio, quæ non tã verbis quàm mysteriis peragitur, per quæ nostris mentibus mors illa preciosa arctiùs commendatur. Propterea autem iturus ad passionẽ, & per resurrectionis atq; ascẽsionis gloriã discessurus è mundo, hoc sacramẽtum vltimũ discipulis tradidit, vt memoriã tantæ charitatis arctiùs eorũ mentibus infigeret. Vndè & memores sumus, &c. Idẽ est, quod dicit: Hoc facite in meam commemorationem. Quid digniùs & salubriùs fieri potest, quàm vt hæc mysteria frequentando, memor sit ecclesia beatæ passionis, quæ totius mundi peccata deleuit? & quia non solùm mortuus est pro nobis propter delicta nostra, sed etiàm resurrexit propter iustificationem nostram, ac sic mortem nostram moriendo destruxit, & vitam resurgendo reparauit: memores sumus resurrectionis quoq; eius, per quam spoliauit infernum; & quandò assumptus est in cælum, & viã nobis ascendendi patefecit, simus memores etiàm

etiam glorioſæ Aſcẽſionis. Ideò enim precium redemptionis noſtræ vel ſacramento Dominici corporis & ſanguinis celebramus, vt ſemper illud feliciter meditemur, quod ait Apoſtolus: Empti enim eſtis precio magno. Memores igitur horum tam ſacerdos, quàm plebs fidelis offert præclaræ & præcellenti, & glorioſæ maieſtati Dei non de ſuo, ſed de eius donis, ac datis verè hoſtiam puram, hoſtiam ſanctam, hoſtiam immaculatam: quæ trina repetitio, tanti myſterij eſt laudatio. Quàm verò hoſtiam offert Eccleſia? nonne quam à Deo accepit, id eſt, panem ſanctum vitæ æternæ, & calicem ſalutis perpetuæ? In hoc pane vita æterna eſt, ſicut ipſe panis viuus de ſeipſo ait, Ego ſum panis viuus. Qui manducat hunc panem viuet in æternum. & Quod iſte panis ſit corporis ſui, exponit: Et panis quem ego dabo, caro mea eſt, pro mundi vita: & calix ſalutis perpetuæ, quia ſanguis ille effuſus eſt pro multis in remiſſionem peccatorum. Supra quæ propicio ac ſereno, id eſt, placabili vultu reſpicere digneris, & reliqua. Non quòd vultus Dei aliquandò mutetur: ſed tunc ſuper nos ſerenat & illuminat vultũ ſuum, quando declarat ſuper nos miſericordiã ſuam. Oratur itaq; Deus, vt placabilis ſereno vultu, id eſt, declarata pietatis ſuæ preſentia, reſpiciat Eccleſiæ ſuæ munera: & accepta, id eſt beneplacita habeat, ſicut munera iuſti pueri ſui Abel, cuius fides & iuſtitia & oblationis acceptio, & in lege commendatur, & in Euangelio, & in epiſtolis Apoſtolorũ, qui non ætate, ſed puritate & ſimplicitate puer dicitur: & ſicut ſacrificiũ, inquit, patriarchę noſtri Abrahæ, quòd ſacrificauit in oblatione vnigeniti ſui Iſaac, offerens eum in holocauſtũ, qui eſt patriarcha nõ tantùm Iſraeliticæ plebis ſecũdum carnem, ſed etiam noſter ſecundũ fidem. Adiungitur adhuc, & quod tibi obtulit ſummus ſacerdos tuus Melchiſedech, qui interpretatur rex iuſtitiæ, cuius ſacerdotiũ & ſacrificium tantùm magnificatur, vt de eo dicat Apoſtolus, Aſſimilatur per omnia Dei filio, manens ſacerdos in æternum. Quod verò ſubiungitur, ſanctum ſacrificium, immaculatam hoſtiam, ad complendam petitionẽ ſubiunctum eſt. Hoc autem totum oratur Deus, quia in antiquis ſacrificio Abel, quod de primogenitis ouium, & ſacrificio Caini, quod erat ex terræ fructibus prælatum eſt, noui teſtamenti fides præfigurabatur, quæ ex innocentiæ gratia Dominum laudans, veteris teſtamẽti terrenis operibus anteponitur, & immolatione vnici & dilecti filij Abrahæ, immolatio eius præfigurabatur de quo dicit pater: Hic eſt filius meus dilectus in quo mihi cõplacui. Et Apoſtolus: Qui vnico filio ſuo nõ pepercit, & cætera. Sacrificiũ quoq; Melchiſedech tam vera erat ſignificatio ſacrificij Chriſti, ut indè prædictum ſit, Tu es ſacerdos in æternum ſecundum ordinem Melchiſedech. Supplices te rogamus omnipotens Deus, iube hæc perferri: & reliqua. Hæc verba tam profunda quis comprehendere ſufficiat? quis indè dignè aliqua loquatur? magis veneranda ſunt, quàm diſcutienda. Beatus tamen Gregorius idoneus tanti ſacramenti interpres, quodam loco de eis tanquàm de re ineffabili penè ineffabiliter loquens: Quis, inquit, fidelium habere dubium poſſit, in ipſa immolationis hora ad ſacerdotis vocẽ cælos aperiri? in illo Ieſu Chriſti myſterio angelorum choros adeſſe? ſummis ima ſociari? terrena cæleſtibus iungi? vnum quiddam ex viſibilibus atque inuiſibilibus fieri? Idẽ quoq; alibi: Vno, inquit, eodem tempore ac momento, & in excelſis rapitur miniſterio angelorum conſociandũ corpori Chriſti, & ante oculos ſacerdotis in altari videtur. B. quoque Auguſtinus de eodem ſublimi altari in conſpectu diuinę maieſtatis ſic ait: Eſt quoddam altare Dei inuiſibile, ad quod non accedit iniuſtus. Ille ſolus accedit, qui ad iſtud ſecurus accedit. Illic inuenit vitam ſuam, qui iſto decernit cauſam ſuam. Hæc ex patrum verbis poſita ſunt, ne quis carnaliter eſtimet in cælis eſſe altare corporeum: ſed potius intelligamus ſublime altare Dei, rationale & intelligibile eſſe in electa & rationali creatura, angelica ſcilicet & humana, quæ in ſanctis angelis, ex quo condita eſt, in contemplatione Dei ſublimata, & ſibi inuicèm per Chriſtum vnita, verum & ſublime altare Dei exiſtit, ex quo accipit ſempiternum ſacrificium laudis & hoſtiam iubilationis; ad cuius vnitatẽ adiungitur nunc per fidẽ, & in futuro per diuinæ contẽplationis ſpeciem omnis multitudo electorum. Fit ergò & in iſta oblatione aliquid ineffabile, vt per angelica miniſteria tanquàm de ſublimi altari diuinæ maieſtati offeratur, cùm adſtantibus miniſtris cæleſtibus Chriſtus, vt oblata conſecret, adeſſe credendus eſt. Vndè beatus Ambroſius: Non dubites, inquit, aſſiſtere angelum quando Chriſtus aſſiſtit, Chriſtus immolatur. Per hæc myſteria corda fidelium omni benedictione cęleſti replet & gratia, tribuens corporibus caſtimoniam, mentibus fidẽ, cogitationibus puritatem. Memento etiam Domine famulorum famularumq; tuarum, & reliqua. Orat pia mater eccleſia etiã pro defunctis ſuis, & eos ſacræ oblationis interceſſione commendat, certiſſime credẽs quia ſanguis ille precioſus, qui pro multis effuſus eſt in remiſſionẽ peccatorum, nõ ſolùm ad ſalutem viuentium, ſed etiam ad ſalutem valeat defunctorum. Præcedunt. n. fideles de corpore exeuntes ad Deũ, ſed non præceduntur ab Eccleſia qui pcedunt cũ ſigno fidei, quia aqua & Spiritu ſãcto renati, quia Chriſti cruce ſignati: dormiunt autem, tamq; verè in reſurrectione ſuſcitãdi, in ſomno pacis, quia ab vnitate Chriſti, & Eccleſiæ, nec per hæreſes, nec per mortalia crimina ſeparati ſunt, in quibus & ſi aliquando fuerint, tamen per pænitentiam ſanati, & per orationem Eccleſiæ, cui dictum eſt, Quodcunque ſolueris, erit ſolutum: reconciliati & redemptionis myſterio ſociati, vtiq; in pace obierũt, miſerante illo, qui non vult mortem

Universidad de Deusto
Biblioteca

peccatoris, & reliqua. Neque enim piorum ani
mæ defunctorum separantur ab ecclesia: alio-
quin non ad altare fieret eorũ memoria in con
secratione corporis Christi. Post illa ergò ver-
ba, quibus dicitur, In somno pacis, vsus fuit
antiquorum, sicut etiam vsque hodiè Romana
agit ecclesia, vt statim recitarẽtur ex diptychis,
id est, tabulis nomina defunctorũ: atq; ità post
lectionem nominum, subiungerentur verba se-
quentia, Ipsis, videlicet quorum nomina me-
morantur, & cæteris omnibus in CHRISTO
quiescentibus indulgeas locum refrigerij, vbi
non sentitur ardor pœnarum: & lucis, de qua
Psalmista, Placeam coram Deo, & cætera: &
pacis, in qua sanctorum animæ requiescunt, vt
est: Illi autem sunt in pace. Nobis quoquè pec-
catoribus famulis tuis, & reliqua. Licèt omni
tẽpore peccatores nos esse ex corde cognosce-
re debeamus, tunc quàm maximè confitendum
est, cùm illo sacro mysterio celebratur remissio
nis gratia & indulgentia peccatorum, & cum
humilitate & cõtritione cordis dicendũ DEO:
Nobis quoquè peccatoribus, non de vllis no-
stris meritis, sed de multitudine miserationum
suarum sperantibus, partem aliquam & socie-
tatem donare dignetur cum suis sanctis apostо
lis, & martyribus & omnibus sanctis, vt pro
modulo nostro quibus nunc sociamur per com-
munionem fidei, quorum memoriam venera-
mur, in quorum communione & vnitate hæc
mysteria agimus, cum ipsis societatem beatitu
dinis ẽternæ in futuro accipiamus. Intra quorũ
consortium, vt Dei nos pietas introducat pe-
timus, vt non nostri meriti æstimator, sed ve-
niæ largitor, vt quia sanctorum societati per
meritum non possumus, per indulgentiam con-
iungamur. In fine autem orationis, per quem
hæc omnia nobis speranda & obtinenda sint,
subiungitur, & statim conclusio totius conse-
crationis sequitur, dicendo: Per quẽ hæc om-
nia Domine semper bona creas, & cætera: vsq;,
Amen. Per Christum Deus pater hæc omnia
non solùm in exordio creauit condendo, sed e-
tiam semper creat propagando & reparando:
bona, quia omnia à Deo creata valdè bona.
Creata & suis conspectibus oblata sanctificat,
vt q̃ erant simplex creatura, fiant sacramenta.
Viuificat, vt sint mysteria vitæ. Benedicitq́ue
omni benedictione cœlesti & gratia accumulat.
Præstat nobis per eundem secum sanctificantẽ
qui nobis de corpore ac sanguine suo tam salu-
brem dedit refectionẽ per ipsum tanquàm ve-
rũ mediatorẽ Dei & hominũ, cũ ipso tanquàm
coæquali, in ipso tanquàm verè consubstantia-
li, omnis honor & gloria est Deo patri in vnita-
te spiritus sancti, q̃ ex patre filioq́ue procedẽs,
vnitatem Deitatis possidet cum patre & filio.
Insinuatur itaque nobis in patre auctoritas, in
filio natiuitas, in spiritu sancto patris filijq́; cõ
munitas, in tribus æqualitas. Per omnia secula
seculorũ. Ità dicuntur secula seculorũ, tanquàm
secula in sapientia Dei firma stabilitate manen
tia, istorum, quæ cum tempore transeunt, effi-
cientia secula seculorum. Aut certè simpliciter
accipienda sunt secula seculorum, velut conse-
quentia præcedentium, vt cõtinuata sibi conne
xione copulentur, quæ dicuntur secula seculo-
rũ, donèc præsens, quod ex diuersis temporum
seculis contexitur, perueniat ad finem, & suc-
cedat futurum seculum, quod non habet finem,
vbi Deus videbitur & laudabitur sine fine. Amẽ
autem, quod ab omni ecclesia respondetur, in-
terpretatur verum. Hoc ergò ad tanti mysterij
cõsummationẽ, sicut & in omni legitima oratio-
ne, respondent fideles, & quasi subscribunt re-
spondendo. Adiungit autem adhuc sacerdos,
& dicit: Oremus, & orat Ecclesia cum sacerdo-
te, non voce, sed corde. Silentium est, & cla-
mat pectus ad Deũ in auribus Dei. Præceptis
salutaribus moniti. Hoc enim præceptum nobis
est salutare, id est, ad salutem nostram profi-
ciens, quo nos vnigenitus filius per lauacrũ re-
generationis & spiritum adoptionis Dei filios
effectos, dicere monuit, & non humana, sed di-
uina sua institutione, vt Deo audeamus dicere,
Pater noster, informauit, dicens: Sic vos orabi-
tis, Pater noster, qui es in cœlis, &c. Diuina ergò
institutione informati, non præsumptionis
temeritate, sed obedientię pietate præsumimus
dicere Deo patri, Pater noster, qui es in cœlis,
& cætera. Hæc autem obsecratio, oratio Do-
minica vocatur, quia eam Dominus docuit, &
à Domino oratio Dominica. Discipuli rogaue
runt Dominum, vt eos doceret qualiter orare
deberent, quibus Dominus dixit: Non neces-
sè est, vt multum loquamini in oratione, quia
omnipotens scit quid opus sit antequàm peta-
tis eum. Tunc dixit illis: Cùm oratis, dicite: Pa-
ter noster. Pater dicitur à patrando, id est, per-
ficiendo. Qui ergo patrẽ inuocat Deum, talem
se debet præparare, vt filius eius dignus sit vo-
cari. Quòd si iniustè eũ vocat patrẽ, pro ipsa in-
uocatione iniusta iudicium recipiet. Sicut. n. fi-
lius imitatur bonũ patrẽ, vt Isaac imitatus est
Abraham, & Iacob Isaac; sic nos qui Deum pa-
trem vocamus, vt boni filij sanctitatem illius
imitari debemus, vt simus sancti & immacula-
ti, iuxta quod ipse dicit: Sancti estote, quia
ego sanctus sum Dominus Deus vester. Pri-
mùm fuit omnipotens pater Iudæorum, iuxta
quod ipse dicit per Prophetam, Filius meus pri
mogenitus Israel. &, Filios enutriui & exalta-
ui, ipsi autem spreuerunt me. Sed quid factum
est? Desiit pater eorum esse propter infidelita-
tem: noster autẽ propter suam misericordiam
factus est pater per fidem & dilectionem, cui
supplicamus quotidiè, dicentes, Pater noster.
Pater duobus modis dicitur omnipotens, vel
quia patrauit nos, id est, creauit, & compegit
in vtero matrum nostrarum ex carne & anima,
ex semine viri & fœminæ, cùm non essemus: vel
quia fecit nos renasci ex aqua & Spiritu sancto
cũ perditi essemus. Prima natiuitas fecit nos fi-
lios puaricationis: secunda, reconciliationis, di-
mittendo

mittendò nobis omnia peccata, & originalia &
actualia. Talis est Deus Pater noster. Qui es in
cælis. Psalmista dicit Deo, Si ascendero in cæ-
lum, tu illic es: si descendero in infernum, ades:
etiamsi potuisset fieri, vt haberem pennas & vo
larem in extremas partes maris, illic te inueni-
rem. Et Dominus per Prophetam: Cælum &
terram ego impleo. Altior nanq; est cælo, pro-
fundior abysso, latior terra, longior mari. Et si
vbique per plenitudinem diuinitatis suæ, & nõ
per extensionem, quare specialiter se dicit in
cælis? quia per cælos intelliguntur angeli, & ho
mines iusti, in quibus maximè Deus inhabitat,
iuxta quod scriptum est: Anima iusti, sedes est
sapiẽtiæ. Pater noster, qui es in cęlis, id est, qui
habitas in angelis, quorum habitaculũ sunt cæ-
li, & homines iusti. Sanctificetur nomen tuum.
Nomen Dei per se sanctum est, & quare nos
dicimus, Sanctificetur nomen tuum? Quando
renati sumus ex aqua & Spiritu sancto tempo-
re baptismatis, in nomine Dei omnipotentis
sumus sanctificati, dicente presbytero, Bapti-
zate in nomine Patris & Filij & Spiritus san-
cti: ideò precamur, vt illa sanctitas quæ facta
est in nobis tunc in baptismate per inuocatio-
nem Dei, illa permaneat in nobis in æternũ,
vt nõ polluamus eam, sed semper simus sancti,
vt sicut tunc sancti effecti sumus, ita in perpe-
tuo sancti maneamus. Vel aliter, Sanctificetur
nomen tuum, intelligatur à nobis quantæ san-
ctitatis sit nomen tuum, id est, sanctum habea-
tur in omnibus operibus nostris, ut dum tuam
sanctitatem recolimus, peccare timeamus. Vel
aliter, est modò aliquis Christianus bonus, fa-
cit bona opera: videt hoc aliquis paganus aut
Iudæus, & dicit, Benedictus Deus qui talem ser
uum habet: nomen Dei sanctificatur, id est, lau
datur per illum bonum Christianum. Econtrà
malus, videt eum paganus mala operari, & di-
cit, Certè eccè malus Christianus, nos sumus
meliores: nomẽ blasphematur per illum, iuxta
quod Paulus dicit: Nomen Dei per vos blasphe
matur in gentibus. Nos autem precamur vt san
ctificetur nomen Dei, id est, laudetur & glorifi
cetur in opere nostro. Quicquid boni agimus,
ad eius laudem refertur, quicquid mali ad eius
contumeliam. Adueniat regnum tuum. Deus
omnipotens semper regnat in cęlo & in terra.
& nos nescimus modò qualiter regnat, idcircò
precamur, vt adueniat regnum illius. Quid est
istud regnum Dei? Æterna beatitudo, de qua di
cturus est electis: Venite benedicti patris mei,
&c. Hoc regnum precamur vt adueniat, dies iu
dicij valdè debet esse pparatus. Vel aliter: Deus
omnipotens regnat in electis suis per spem, fi-
dem, & charitatem, & per cætera bona. Econ-
tra diabolus regnat per luxuriam, per ebrieta-
tem, odium, & cætera mala: idcircò precamur
Dominum, vt ipse regnet in nobis per iustitiã,
non diabolus per peccatum. Fiat voluntas tua
sicut in cælo, & in terra. Sicut in cælo, id est, in
angelis, qui nunquam peccauerunt, est volũtas
tua bona, & illorum officium acceptabile ha-
bes: sic fiat voluntas tua bona in hominibus in
terra, vt illorum seruitium placeat tibi. Vel ali
ter: Per cælũ intelligitur Dominus Iesus Chri-
stus: per terram sancta Ecclesia. Scimus quia
sicut vir à muliere, sic cælũ est à terra. Ab ipso
accipit omnem vbertatem: Sic & sancta Eccle
sia quicquid boni habet, à viro suo Christo per-
cipit, iuxta quod scriptum est: Omne datum
optimum, & omne donum perfectum, desur-
sùm est. Fiat voluntas. Ad Deum patrem dici-
tur: Sicut est volũtas tua in cælo, id est, in Chri
sto, ita fiat in terra, id est, in Ecclesia, quæ est
corpus eius. Vel, sicut est voluntas tua in cælo,
id est, in hominibus iustis, ita fiat in terra, id est,
in peccatoribus, ut ipsi valeant tibi placere per
pœnitentiam. Vel, fiat voluntas tua sicut in cęlo,
hoc est, in mẽtibus nostris; ita fiat in terra, hoc
est, in corporibus. Panem nostrum quotidia-
num da nobis hodiè: Pan Græcè, Latinè totum
vel omne: & ab eo quod est pan, deriuatur pa-
nis: & ideò per panẽ intelligere possumus om-
nia necessaria tam in cibo, quàm in potu, & ve-
stimento, omniq́ue subsidio corporali. Panis
quotidianus dicitur, quòd quotidiè nobis est
necessarius. Panem nostrum quotidianum, id
est, omnia quę nobis sunt necessaria tam ad vi-
ctum, quàm ad vestimentum, tribue nobis ho-
diè, id est, omni tempore vitę nostræ. Vel ali-
ter: Panem hic possumus intelligere corpus &
sanguinem Domini, de quo ipse dicit alibi: Ni
si quis manducauerit, & reliqua. Precamur nã-
que, vt det nobis carnem & sanguinem suũ ad
sumendũ, vt per illud quod visibiliter sumimus,
illud quod non videmus in nobis susċipere pos
simus, i. Deum omnipotentem, iuxta quod ipse
dicit: Qui manducat carnem meam, & bibit san
guinem meũ, ipse in me, & ego in eo. Illud quod
dicitur hodie, non possumus generaliter refer-
re ad corpus & sanguinem Domini, quia sunt
tales, qui non possunt quotidiè communicare,
aut aliqua discordia contra proximum comma
culati, aut nocturnali coinquinati pollut one:
homines sunt, non possunt esse semper parati.
Econtrà sunt tales, qui quotidiè possunt com-
municare: illis euenit quod Dominus dixit Za
chęo, hodie in domo tua oportet me manere.
At ille susċepit eum gaudens in domum suam,
quia illi tales cum gaudio debent corpus & san
guinẽ Domini sumere. Illi verò, qui quotidie
non possunt communicare, possunt dicere cum
Cẽturione: Domine, non sum dignus, vt intres
sub tectum meum hodiè: intrabis alia die. Sunt
etiam tales, qui nolunt à sua iniquitate rece-
dere, abstinent se à corpore & sanguine Do-
mini causa humilitatis. Talibus prędicans bea-
tus Augustinus dixit: Placet, fratres, mihi hu-
militas vestra, quòd timetis accedere ad cor-
pus & sanguinem Domini: sed melius esset, vt
ab iniquitatibus vestris recederetis, & mundi
effecti per pœnitẽtiam, corpus & sanguinẽ Do-
mini sumeretis. Quàm diù non acceditis, non

Universidad de Deusto
Biblioteca

mihi placet. Dicamus aliter: Panem nostrum quotidianum. Per panem possumus accipere divina eloquia, scientiam legis & Prophetarum, Psalmorum & Euangelij. Panem nostrum quotidianũ da nobis hodiè, id est, in omni tempore vitæ nostræ refice nos doctrina sanctarum scripturarum, quod sicut corporeo cibo reficitur corpus, sic spirituali cibo reficitur anima ad amorem & agnitionem illius. Et dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris. Debita hìc intelliguntur peccata. Duobus modis sumus debitores Dei: aut faciendo ea quæ ipse prohibuit fieri, aut non faciendo quæ iussit fieri. Ipse dicit in Euangelio: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, tota anima, tota virtute, & proximum tuum sicut teipsum. Non diligimus Deum neque proximum sicut ipse præcipit: debitores sumus, i. peccatores. Ipse dicit, Honora patrem tuum & matrem tuam, vt sis longæuus super terram. Non facimus hoc, debitores sumus. i. peccatores. Hæc sunt quæ Dominus præcipit fieri. Non occides, non adulterabis, non furtum facies, non periurabis. Nos facimus talia quæ Dominus prohibuit fieri: Debitores sumus, id est, peccamus, qui tanta flagitia contra præcepta Dei cõmittimus. Necessarium est ergò, vt, si volumus ea nobis à Domino dimitti, dimittamus ex corde fratri in nobis peccanti, aut mala operanti, contra quẽ etiam dupliciter sumus peccatores, aut faciẽdo quæ Dominus prohibuit fieri, videlicet si flagellauerimus eũ iniustè, aut si sua abstulerimus: aut non faciendo ea, quæ Dominus mandauit fieri, i. si non dilexerimus eum, & illud quod in nos committit, non dimiserimus. Si ergò indulserimus ei, tunc veraciter dicere poterimus Deo, Dimitte nobis debita nostra. Et est sensus: O Deus omnipotens, sicut nos dimittimus his, qui in nobis peccauerunt, ita dimitte. Si autẽ nos non dimittimus eis, nec ille dimittet nobis peccata, quæ contra illius præcepta gessimus, quia ipse dixit: Si vos non dimiseritis, nec pater vester dimittet vobis peccata vestra. Et nè nos inducas in tentationem. Vna est tentatio quæ pertinet ad probationẽ, de qua dicit Moyses ad populum Israeliticum: Tentat, i. probat, vos Dominus Deus vester, vt sciat si diligitis eum. Et Psalmista: Proba me Domine & tenta me. Hac tentatione tentauit Deus Abraham, & inuẽtus fidelis. Altera est quæ pertinet ad deceptionẽ & perditionem, de qua Iacobus Apostolus: Deus neminem tentat, ad hoc scilicet, vt perdat. Hac tentatione tentat diabolus, vt decipiat & perdat, & nos de hac tentatione precamur, vt non dimittat nos tentari, suprà quàm nostra fragilitas possit sufficere. In tentationẽ. n. Deus inducere dicitur, quando à tentatione nõ liberat. Tale est, quod de Pharaone legimus: Indurauit Dominus cor Pharaonis, quod nihil est aliud, nisi non emolliuit cor eius quod induratum erat. Sed libera nos à malo, i. à diabolo & pœnis inferni, & ab omni aduersitate huius seculi. Amen, signaculum est istius orationis, sicut sigillum confirmatio est alicuius codiculi. Quasi dicat Deo ille qui hanc orationẽ decantat: Certè verum est quod hactenus dixi. Si ergò dimisero peccãti in me, tũc dimittes ea quæ contra præceptum tuum egi: Si non dimisero, nec tu dimittes mihi. Septem sunt petitiones in hac oratione. Tres priores pertinent ad animæ, & vitam æternam: Quatuor posteriores, ad corpus & præsens tempus. Sanctificatio nominis Dei & regnum, & voluntas eius bona, in electis in futura vita perficietur. Panis autem & remissio peccatorũ, & non induci in tentationem, & liberatio à Diabolo, & ab omni aduersitate huius seculi, in præsenti sunt nobis necessaria, quia in futura vita non erit vlla fames, sed satietas æterna electorum de contẽplatione Dei omnipotentis. In hac autẽ panis necessarius est, & remissio, quia hìc peccamus, & hìc necesse est, vt liberemur à diaboli tentatione, & huius seculi tribulatione. Post orationẽ verò Dominicam ad completionem tãti mysterij tota ad Deum fundit preces Ecclesia, & sequitur in conclusione eiusdem sacerdos, & dicit: Libera nos, quæsumus Domine, & reliqua. Mala præterita, peccata transacta, intelliguntur, quorum si actio iam cessauit in nobis, tamen reatus manet, nisi Dei indulgẽtia deleatur. Mala verò præsentia, quotidiana peccata intelliguntur in animo, & accedentes sæpè diuersi languores, & afflictiones in corpore, & extrinsecus irruentes innumeræ calamitates, quæ quotiès patimur, eius debemus implorare auxilium, qui solus sua pietate & animas creat & corpora. Futura mala, quæcunque nobis accidere possunt, siue per tẽtationes diaboli, siue per miserias seculi. Orat ergò Ecclesia, vt quod in fine orationis dictum est, libera nos à malo: ità nobis per Dei misericordiã præstetur, vt liberemur ab omnibus malis, quæ nobis vel in præterito acciderunt, vel in præsenti accidunt, vel in futuro accidere posse formidantur. Sequitur, & intercedente pro nobis: &c. vsq; securi. Præcepit Dñs populo Israel, cũ teneretur Babylonica seruitute, vt orarent pro pace ipsius ciuitatis, quòd in pace, inquit, eius erit pax vestra, & Apostolus hortatur fieri orationes pro omnibus hominibus, pro regibus, & his qui in sublimitate sunt, vt quietam & tranquillam vitam agamus. Iuxta hanc formam populus fidelium in huius seculi peregrinatione, tamquàm in Babylone captiuus, & supernæ patriæ inspirans orat etiam pro pace temporali: nè impediatur à spirituali, vt remotis per Dei pietatem omnibus aduersitatibus, quietam & tranquillam vitam agat Ecclesia. Hoc autem paucissimis, sed eminentissimis sanctis nominatis exorat, vt intercedente in primis Dei genitrice, per quam nobis salus exorta est, & beatis Apostolis Petro & Paulo, atque Andrea impetrare mereamur. In qua postulatione non cæterorũ sanctorũ prætermittitur, sed in istorum commemoratione omnia suffragia expetũtur. Quia ità omnes sibi in Deo vniti sunt, ità vnũ desiderant & rogant pro salute hominum, vt in vno omnes habeantur pariter, & in vno omnes pariter negligantur. Quòd autem dicit, Da propitius pacem in diebus nostris, iuxta exemplum Ezechiæ, qui cùm audisset à propheta mala venturæ captiuitatis, respondit: Fiat pax & veritas in diebus meis, futura Dei iudicio reseruans, de præsenti, quod ad suam & ad populi salutem pertinebat, deprecans. Ità & ecclesia deprecatur pacem in diebus nostris, quod & post nos alij, & post ipsos alij, vsq; ad finem seculi similiter orabunt. Cur autem ipsam pacem postulet, subiungit scilicet: vt ope, id est, auxilio & protectione misericordiæ Dei adiuti, quantũ ad interiorẽ religionis deuotionem pertinet, simus semper à peccato liberi: quantùm ad exteriorem pacem, simus & ab omni perturbatione securi. Sequitur, quod & in omnibus ecclesiasticis orationibus subiungi solet, Per Dominum nostrum Iesum Christum, & reliqua. vt suprà iam diximus. Hac oratione expleta, commiscens sacerdos Dominicã oblationem, vt calix Domini totam plenitudinem contineat sacramenti, tanquàm per eiusdem mysterij copulationem imprecatur Ecclesiæ pacem, dicens: Pax Domini sit semper vobiscum. Cui tantum bonum etiam Ecclesia imprecatur, respondens illi: Et cum spiritu tuo. Pax Domini, ipsa est pax Christi, quæ finem non habet, & est omnis piæ actionis perfectio. Vera autem pax vnitatem facit, quomodò qui adhæret Domino, vnus spiritus est. Imprecata igitur pace, incipiens à sacerdote, dat sibi mutuò omnis ecclesia osculum pacis, vt omnibus vera pace vnitis fiat in eis locus Dei, sicut dicitur, Deus in loco sancto suo, Deus qui inhabitare facit vnanimes in domo. Et hoc ex traditione Apostolorũ seruat Ecclesia, cui frequenter ab eis dicitur: Salutate inuicèm in osculo sancto, id est, pacifico, vero, columbino, nõ ficto, non subdolo, quali vtuntur qui loquũtur pacẽ cum proximo suo, mala autem sunt in cordibus illorum. Illi ergò osculo sancto salutant inuicèm, qui non diligunt verbo nec lingua, sed opere & veritate. Inter hæc cantatur ab omnibus, & cantando oratur, dicentibus: Agnus Dei qui tollis peccata mundi, & reliqua. Nullus enim tollit peccata, nisi ille solus cui nullum bonum hominis impossibile est, nullum malum insanabile. Quomodò autem peccata mundi tollat, Ioannes in Apocalypsi demonstrat, qui dilexit nos, inquiens, & lauit nos à peccatis nostris in sanguine suo, quandò ipsum sanguinẽ dedit pro nobis in cruce, vel quandò quisq; nostrum in mysterio sacræ passionis illius, baptismi aquis ablutus est, verùm etiam quotidiè tollit peccata mundi, lauatq; nos à peccatis nostris quotidianis in sanguine suo, cùm eiusdem beatæ passionis ad altare memoria replicatur. Post hæc sumpta cu-

charistia, id est, bona gratia, (gratia enim Dei pro omnibus gustauit mortem) & celebrata gratiarum actione, respondetur ab omnibus, Amen. Hæc enim clara vox sanguinis Christi, quam sanguis iste exprimit ex ore fidelium eodem sanguine redemptorũ. Finitis omnibus, adstanti & obseruanti populo absolutio datur, inclamante Diacono: Ite, Missa est. Missa ergò nihil aliud intelligitur, quàm dimissio, id est, absolutio, quam celebratis omnibus tunc Diaconus esse pronunciat, cùm populus à solenni obseruatione dimittitur. Vndè & Missã catechumenorũ canones dicunt, quoniam post Euangelij lectionem incipiunt celebrari sacra mysteria, quibus nullum nisi baptizatum interesse licet, tunc enim clamante Diacono, ijdẽ catechumeni mittebantur foràs. Missa ergò catechumenorum fiebat ante actionem sacramẽtorum, Missa fideliũ post confectionem & participationem eorundem sacramentorum. Vel Missa est, id est, directa, Siue Missa est, id est, perfecta est pro nobis oblatio & oratio.

De Infirmis.

IAcobus Apostolus dixit: Infirmatur quis in vobis? Inducat presbyteros ecclesiæ, & orẽt super eum, vngentes cum oleo in nomine Domini, & oratio fidei saluabit infirmum: & si in peccatis sit, remittentur ei. Quod non est dubium de fidelibus ægrotantibus accipi vel intelligi debere, qui sancto oleo perungi possunt, quod ab Episcopo confectum est, non solùm sacerdotibus, sed omnibus vtì Christianis in sua aut suorum necessitate ad vngendum. Nã idcircò presbyteris concessum est, quia Episcopi occupationibus alijs impediti, ad omnes languidos ire non possunt. Cæterùm si episcopus potest aut dignum ducit infirmum visitandum & benedicendum, & tangendum chrisma te, sinè cũctatione potest, cuius est ipsum chrisma conficere Nam pœnitentibus istud fundi nõ potest, quia genus est sacramenti. Quibus autẽ reliqua sacramenta negantur, quomodò vnum genus putatur esse concedendum? Hac auctoritate promulgata, quotiescunquè fidelis infirmatur, ingrediuntur fratres ad ægrotum cum aqua benedicta, & cum cereis siue incenso ante oleum sanctum, & peragunt omnia, sicut in sacramentorum libro continetur. Ità ergò talium necessitati auxiliandum est, vt nec ratio illis pœnitentiæ, nec communionis gratia denegetur. Si etiam iam amisso vocis officio, per indicia integri sensus quærere comprobentur. Quod si ità ægritudine fuerint aggrauati, vt quod paulò antè poscebant, sub præsentia significare non possint, testimonia eis fidelium prodesse debebunt, simul tamen & pœnitentiæ & reconciliationis beneficium consequantur.

De his qui in extremis sunt.

DE his qui in exitum veniunt, etiam nunc lex antiqua regularisq; seruabitur, ità vt si quis

Universidad de Deusto
Biblioteca

si quis egreditur de corpore, vltimo & necessario viatico minimè priuetur. Quòd si desperatus & consecutus communionem, oblationisq; factus particeps, iterùm conualuerit, sit inter eos qui communicationem orationis tantummodò consequuntur. Generaliter autem omni in exitu posito, & poscenti sibi communionis gratiam tribui, Episcopus probabiliter ex oblatione dare debebit. Horum verò causa qui sinè communione sunt defuncti, Dei iudicio reseruanda est, in cuius manu fuit, vt talium obitus à communionis remedio differretur: Nos quibus viuentibus non communicauimus, mortuis communicare non possumus.

Qualis esse debeat confessio circa moriturũ.

Quomodò moriturus olim prouidebatur.

VEra ergò ad Dominum conuersio in vltimis positorum, mente potiùs est æstimanda, quàm tempore: propter hoc Domino taliter asserente. Cũ conuersus ingemueris, tũc saluus eris. Cùm ergò Dominus sit cordis inspector, quouis tẽpore non est deneganda pœnitẽtia postulanti, cùm illi se obliget iudici, cui occulta omnia nouerint reuelari. Post istas sacratissimas definitiones, quandò aliquis Christianus articulum mortis persenserit imminere, primitùs renouet confessionem suam cum puritate ac omni fiducia, deindè distribuat omnia quæ possidet, post hæc dimittat omnibus, qui in se peccauerunt, & reconcilietur. Tunc postulet Missas & oblationes seu communionẽ sanctam. Qua percepta, & iam si ipso die comedit, mutet habitum in cilicio & cinere seu viliori indumento. Et tunc ingrediantur fratres cum omni grauitate, vel cæteri fideles cũ aqua benedicta & cruce, & cum cereis seu incenso, dicentes, Kyrieeleison, Christeeleison ter repetendo. Post hęc dicat sacerdos: Ad vitam æternam resuscitet eum Dominus & misertus sit nostri. Tunc canendi sunt septem Psalmi pœnitentiales cum Litaniis, prout tempus permiserit. Interìm verò legantur passiones Dominicæ ante eum, seu aliæ scripturæ sacræ. His finitis, sequitur Antiphona, Antequam nascerer. Psalmus: Domini est terra, cum repetitione, & dicitur ter Kyrieeleison, vt supra: Deindè Sacerdos: In sinu Abrahæ collocet eũ Dominus, & misereatur nostri. Sequuntur orationes ad commendandam animam.

De exequiis mortuorum, & eorum commemoratione.

DE his ità Auguſt. in libro de cura agenda pro mortuis, & in libro Ciuitatis Dei. Qui facit, inquit, exequias mortuorum, ob amorem illius facit, qui promisit corpora resurrectura: neq; enim contemnenda sunt & abiciẽda corpora defunctorum, maximè fidelium, quibus tanquàm organis & vasis ad omnia opera bona vsus est spiritus sanctus. Vndè & antiquorum fidelium funera officiosa pietate curata sunt, & exequiæ celebratæ, ac sepulturæ prouisæ. Ipsique cùm viuerent, de sepeliendis seu transferendis suis corporibus filijs mandauerunt, & Tobias sepeliendis mortuis Deum promeruisse commendatur. Ipse Dominus die tertia resurrecturus, gloriosæ mulieris bonum opus prędicit prædicandum, & Ioseph qui eum sepeliuit, mirè collaudatur. Ac ideò pro nostris defunctis certare debemus, quatenùs possint participes fieri eorum, quos Christus à clausſtris reuocauit inferni. Simili etiam modo celebramus officia pro ipsis, quomodò celebrantur in illis diebus, quandò Christus descẽdit ad inferna, in quibus & creditur mortuus. Denique in aliquibus locis generaliter pro omnibus defunctis omni tempore, exceptis Pentecostes, & festis diebus, oratur in officio Vespertinali, in aliquibus quotidiè pro eis Missa celebratur. In Calendis etiam seu diebus anniuersarijs per nouem psalmos, & responsoria seu lectiones, simili modo officia persoluũtur: & ideò iuxta Augustinum, non prætermittendæ supplicationes pro spiritibus mortuorum, quas faciendas pro omnibus Christianis fidelibus, etiam tacitis nominibus eorum, sub generali commemoratione susceptt Ecclesia, vt quibus ista desunt, parentes, aut filij, aut qualescũque cognati, vel amici, ab vna eis exhibeatur matre communi. Si autem deessent istę supplicationes, quę fiunt recta & pia fide pro mortuis, puto quòd nihil prodesset spiritibus eorum, si quamlibèt locis sanctis exanima corpora ponerentur. Quapropter ritè celebrantur illi tres dies generaliter ab omnibus infra trigesimam, qui vocantur, tertius, septimus, atque trieẽsimus. De tertio enim die seu septimo ità habetur in libro Numerorum: Qui tetigerit cadauer hominis, & propter hoc fuerit immundus, septem diebus adspergatur aqua lustrationis, die tertia & septima, & sic mundabitur. Inimunditia hæc pro tactu cadaueris, animam pollutam significat operibus mortuis: & quia neglexit cultum DEI, in cogitatione, in vita, & in intellectu humiliter confitendo, offerimus sacrificium Deo tertia die, quatenùs ab his peccatis purgetur. In expiatione verò dici tertij commendati defuncti, possumus ad memoriam reducere tertiam diem resurrectionis Domini, in qua deuotiùs est generaliter supplicandum. De septimo verò die habemus auctoritatem in libro Geneseos: mortuo etenim Iacob in Aegypto, & translato à Ioseph trans Iordanem cum comitatu maximo, celebrauerunt ibidèm exequias cum planctu magno, & fecerunt septem dies. & alibi: Luctus mortui septem dierum, fatui autem omnes dies vitæ eius. Quòd autem apud aliquos nonus dies celebratur, & vocabatur Nouendialis, Augustinus in libro Quæstionum redarguit, maximè cùm nullus sanctorũ hoc feciſſe probatur, cùm sit consuetudo Gentilium. Sanè septimus dies in

Anniuersariorũ origo.

Officia pro defunctis Ecclesiæ.

Tertij, septimi & trieẽsimi exequiarũ origo.

in Scripturis auctoritatem habet; quia septenarius numerus propter Sabbati sacramẽtum præcipuè quietis indicium est. Vndè meritò mortuis tanquàm quiescentibus exhibetur. De trieẽsima die scriptum est in libro Numerorũ: Omnis autem multitudo videns occubiſſe Aaron, fleuit super eo triginta diebus, & Moysen fleuerunt filij Israel in campestribus Moab triginta diebus. Dauid & filij Israel ieiunauerũt pro Saul, & planxerunt eum planctu maximo. Et in libro Sapientiæ de tertio, septimo, atq; trigesimo die: Fili, in mortuum produc lachrymas. & post pauca: Propter delaturam autem amarè fer luctum illius. & iterùm: Fac luctum secundùm meritum eius vno die, vel duobus propter detractionẽ. Vbi primò dixit, propter delaturam vno die fieri luctum, & posteà propter detractionem vno vel duobus, tres dies introduxit in luctum. Quapropter & nos pro valdè charissimis ieiunare seu eleemosynas facere, atque interiùs pro eorum reatibus flere debemus, vt quod illi in vita debuerunt facere, & non fecerunt, saltem nos pro illis cum Dei auxilio adimpleamus. Intereà dicunt aliqui, vtrùm pro omnibus Christianis licitum sit Missas celebrare? Hinc Augustinus: Neque negãdum est, defunctorũ animas pietate suorum viuentium releuari, cùm pro illis sacrificium mediatori offertur, vel eleemosynæ in ecclesia fiunt. Sed eis hæc prosunt, qui cùm viuerent, hęc sibi vt posteà prodesse possent, meruerunt. Est enim quidam viuendi modus, nec tam bonus, vt non requirat ista post mortem: nec tam malus, vt ei non prosint ista post mortem. Est verò talis in bono, vt hæc non requirat: & est rursùs talis in malo, vt nec his valeat, cùm ab hac vita transierit, adiuuari. Quapropter oportet pro omnibus regeneratis ista facere, vt nullus eorum prætermittatur, ad quos hæc beneficia possint & debeant peruenire. Præsertim cùm quidam ab hostibus captus, vinculisq; ferreis mancipatus, à quodam seruo Dei, scilicet germano suo vt putabatur mortuus, celebratis pro eo quotidiè Missis more mortuorum, sæpissimè vincula soluerentur, à quibus posteà absolutus est. Sed & hoc notandum, quia quòd Missæ mortuorũ absque gloria & Alleluia seu pacis osculo celebrantur, quod est indicium lętitiæ, ad imitationem agitur officiorum, quæ aguntur in morte Domini. Potest hoc addisci in Homilia Origenis quinta libri Leuitici, vbi dicit: Sacrificium pro peccato non fit in oleo. dicit enim, Non superponit ei oleum, cùm iam pro peccato est. Quod ergò pro peccato est, nec oleũ lætitię, nec thus suauitatis imponitur, ac ideò absq; gloria & Alleluia celebratur, qa sinè oleo & thure. Romani in vespertinis seu vigilijs atque matutinis defunctorum tres tantummodò psalmos recitant, scilicet ob sepulturam triduanam Domini: At hi qui per nouenarium numerum, sicuti est in Calendarum diebus seu anniuersariorum recolunt, figurant illa officia nocturnalia, quæ in passione Domini ritè celebrantur. Anniuersaria dies ideò repetitur defunctis, quoniam nescimus qualiter eorum causa habeatur in alia vita.

Eleemosynæ pro defunctis.

Item breuiter de tertia, septima, & trieẽsima die pro defunctis.

TErtia dies specialiter pro animę absolutione celebratur, quia videlicet triplicis est naturæ, irascibilis, concupiscibilis, & rationalis: & quia ingenio viget, intellectu & memoria. Propter hoc igitur sacrificium die tertia peragitur, vt si quid temulentum ex carnis cohabitatione contraxit, obliteretur, & sanctæ Trinitatis similitudo repararetur. Dies septimus, nihilominùs officijs depuratur eisdem, vt anima suo corpori reconcilietur: septenarius nanque numerus ex ternario constat, & quaternario, & ternarius animę tribuitur, quaternarius corpori deputatur, propter quatuor notissimos, quibus constat, humores. Est ergò quasi quædam rixa corporis & animæ, quæ carne illiciente, eamque suis illecebris attrahente, peccauit. Vt ergò anima suo corpori pacificetur, holocaustum septima die peragitur. Ad hoc fortè pertinet, quod in libro Ecclesiastico dicitur: Luctus mortui, septem dies: luctus autem fatui, omnes dies eius vitæ. Hęc de tertia & septima die, auctoritatiuè quędam breuiter diximus. Cæterum de trigesima die in Dialogorũ libris legimus B. Gregorium præcepisse diebus triginta continuis pro quodam Monacho nomine Iusto, sibique necessario Medico, quem ipse ob scelus rei peculiaris damnauerat, Missas & orationes percelebrari. Quibus expletis, diuina manifestatum est reuelatione, communionem sanctorumque societatem recepisse. Hęc ergò salutifera inoleuit consuetudo, vt trigesima dies defunctorum, deuotis frequententur officiis. Possumus etiàm, & hic auctoritatis aliquid adhibere, nam Aaron primum sacerdotum triginta diebus legitur fleuisse populus. Sunt qui dicunt hoc agi pro perfectione tricenarij numeri: nam Dominus triginta annorum ętate baptizatus est. Et Dauid triginta annorum, regni susceptt gubernaculum. Primum etiam hominem, in triginta annorum ætate creatum Doctores asserunt, & nostra corpora in mensuram ætatis plenitudinis Christi, credimus & speramus resurrectura: multaque extant alia huius rei mysteria. Celebratur ergò dies trieẽsima, vt in anima incorruptionis renouetur iuuentus, & corpus quod in humilitate sepultum fuerat, resurgat in gloria, configuratum corpori claritatis Christi.

FINIS.

EPI-

Universidad de Deusto
Biblioteca

EPISTOLA ALBINI AD CAROLVM MAGNVM.

BEnedictus sit Deus pater omnipotens, qui te creauit & honorauit: & benedictus sit Dominus noster IESVS CHRISTVS filius Dei viui, qui te redemit & elegit: Benedictus sit Spiritus sanctus paracletus, qui te illuminauit, & dilatauit cor tuum in omni sapientia & scientia claritatis, dilectissime D D. & dulcissime Domine, & benedicta sit sancta Trinitas, vnus DEVS omnipotens, Pater & Filius & Spiritus sanctus, qui mihi seruulo suo, licèt indigno, talem concessit Dominum amicum, & adiutorem gratiæ suæ, qui mihi per seruum suum beatæ memoriæ magistrum meum, ministrare clementer dignatus est. Et benedicta sit potestas & regnum tuum, & filij tui, & filij filiorum tuorum vsque in generationes seculi sempiternas, & veniat super te, & super tuam generationē benedictio Sanctorum, in die Domini nostri IESV CHRISTI, vtque sanctissim. voluntas semper vigeat, floreat & crescat in corde tuo, clarissime Ecclesiæ CHRISTI rector & defensor. Repletus sum gaudio vestram audiens prosperitatem & exaltationem, & totus iucunditate exhilaratus, dum vestrę beatitudinis literas accepi, legi & osculatus sum. Vndè & aliquid familiariùs vestrę dilectioni scribere præsumo, & illatas quęstiuculas venerabili affectui vestro præsentare. Sciens autem scholasticæ inquisitionem eruditionis & Ecclesiasticæ disciplinæ solertiam vestræ clarissimæ sapientiæ, & dulcissimæ familiaritati gratam esse & iocundam, & quicquid vrbanitatis sale conditum cognoscitur, vestris intellectualibus fauorabile auribus, & acutissimis scientiæ oculis amabile esse probauimus. Vndè quod scholastica tyronum iuuentus flaccidis ingerere auribus solet, vestræ sanctissimæ prudentiæ dirigeratum duximus, & indè solatia responsionis quærere, vndè sophiæ flumina manare nouimus: tametsi has interrogationes vestrę sanctissimę sapiętię patefieri posse fateor. Et nè meæ aliquis rusticitati præsumptuosè responderet, vestrum laudabile ingenium & præfulgens eruditionis cacumen consulere tutum esse putauimus. Nam velut vermes fenestris inuolant æstiuis, sic auribus meis insident quæstiunculæ, & horum conuenientium nunc temporum excitati de Ecclesiastico munere interrogant, cur septuagesimus, & sexagesimus, vel quiquagesimus ordo per dies Dominicos ante quadragesimum dicatur vel colatur. Si respondero, Ecclesiæ hanc esse consuetudinem, & Romana auctoritate huius religionis ritum esse firmatum, minùs illis videtur auctoritatis: quia dico nihil sinè causa in Ecclesiasticis consuetudinibus à doctoribus constitutum præcipuis. Maximè titubat illorum sensus, quòd numerus prædictus ordini dierum non conueniat, vbi dicunt septuagesimus, ibi non sunt LXX. dies, vsque ad resurrectionem Domini nostri Iesu Christi. Similiter vbi sexagesimus numerus notatur in diebus Dominicis, nullatenùs cōputo dierum conuenit vsq; ad Pascha. Iterùm si duo synecdochicè dictum est, id est, à parte totum, quæ quidem tropica locutio, vt vos optimè nostis, scripturis sanctis vsitatissima esse dinoscitur, sicut in tribus diebus & tribus noctibus, quibus dominus noster IESVS CHRISTVS in sepulcro requieuisse legitur, intelligi necesse est, & multis aliis in locis, quæ omnia si dicantur, libri excedunt, magnitudinem addunt. Quærere tamē cur septuagesima, vel sexagesima, vel quinquagesima in tanto tempore dicantur, Audiui dum Romæ essem, quosdam dicēces Magistros, quòd Orientales populi VIII. hebdomadas, & Græci VIII. & Latini VII. ieiunare soleant, & indè ex consuetudine Romana sumpsisse Ecclesiam LXX. LX. & L. dies nuncupare Dominicos. Hoc quia à talibus non audiui magistris, quorū auctoritati me tradere auderem, omninò confirmare non fui ausus. Quapropter restat adhuc aliquid quærendum quod tempori conueniat, & rationi concordet, & nostro non aduersetur. Videtur septuagesimus dici posse dies propter decē hebdomadas, quæ sunt ab ipso die vsq; clausum Pascha, quo die alba tolluntur vestimenta à nuper baptizatis. Igitur in Apostolo legitur. Regnauit mors ad Adam vsque ad Moysen, & significat vsque ad vltima tempora. Porrò sexagesima indè dici potest, quia LX. sunt dies vsque ad medium Paschæ, quod est feria quarta paschalis hebdomadis. Quinquagesima verò, quia decurrit vsq; in diem sanctum resurrectionis Dominicę. Quadragenarius etiam numerus cum Dominica sua currit ad mysticū Pascha Hebræorum, quod Dominus noster Iesus Christus cum discipulis

discipulis suis celebrauit, & nos dicimus cenam Domini. Nec typica interpretatio his discordare videtur rationibus. Nam septenarius Spiritui sancto cōuenire multis in locis sacrę scripturæ noscitur. Vndè post vij. hebdomadas Spiritus sanctus missus est de cælo in igneis linguis super CXX. nomina credentium, & vij. dona sancti Spiritus, legimus in Prophetis, & tunc maximè cùm alba tolluntur vestimenta à baptizatis, per manus impositionem à Pontifice accipere Spiritum sanctum, conueniens est, qui in baptismo omnium receperunt remissionem peccatorum, & per vij. dies in Euangelico castitatis habitu, & luminibus cęlestis claritatis, sanctis assistere sacrificiis solent. Necnon & senarius numerus perfectioni vitæ nostræ concordat, quia sex diebus omnia opera perfecta fecit Deus Creator omnipotens, & ipse senarius numerus, sicut vestra doctissima sagacitas *, partibus suis est perfectus. Sed & quinarius per decades ductus, ad resurrectionem Christi concurrit, significans nobis remissionem omnium peccatorū esse, & iustificationem vitæ in Christo. Quadragenarium verò per decades ductum quater, pœnitentiæ typū multis in locis tenere constat. Vndè & ipse Dominus noster XL diebus ieiunauit. Vtq; prędicatio prima fuit, Pœnitentiam agite, appropinquabit enim regnum cælorum. Et sicut Moyses legem, Helias prophetiam, ità Dominus noster Euangelicam prædicationē XL. dierum ieiunio dedicauit, & vt vestra nouit ingeniosa & præclara in omnibus philosophorū disciplinis prudentia, quia mirabiliter quadragenarius numerus, qui pœnitentiæ, vt diximus conuenit, si per suas diuisiones partitur, & per partes suas crescit, vsq; ad quinquagesimum peruenit. Quia per pœnitentiam ad remissionem peccatorum nostrorum est nobis festinandum. sed & aliquid adhuc mirabile in hac consideratione de conuenientia senarij numeri inueniri potest, & quodammodò principiū huius repræsentationis mirabili fine cōcordat numerorū regulis. Igitur inter LXX. & LX. reperiūtur dies, similiter iter LX. & L. & iā inter L. & XL. senarius inuenitur numerus, & faciūt xviij. Qui numerus si rationabiliter consideratur, & diuiditur in tres partes, æquales erūt ter sex, & est ratio simpli ad duplum, & significat duplam mortem nostram, ad simplam mortem Christi. Quia nos duabus mortibus fuimus obnoxij, id est animæ & corporis: ille simpla morte sua & innoxia duplam destruxit nostram, & simpla resurrectione sua duplam ostendit nostram, & perdonauit vnam, nunc in anima, alteram in die magno aduętus sui in corpore: vt sit tūc vnus homo glorioſus corpore & anima, qui priùs fuit mortalis anima & corpore, anima peccato, corpore corruptione. Similiter & si finis consideratur calculationis, conuenienter huic rationi videtur concordare. Nam inter quintam feriam cœnæ Dominicæ, in qua quadragenarius numerus decurrit vsque in resurrectionē Domini, id est, Dominicam diem, quò quinquagenarius numerus peruenit, duo sunt dies. Item à Dominica resurrectionis die, vsque in quartam feriam, quo sexagesimus numerus impletus est, duo sunt dies. His verò si iunguntur duo & duo & duo, faciunt sex. Et iste senarius si diuiditur in duo & in quatuor, eadē simpli & dupli ratio inuenitur in eo: ità vt cōcordia pertineat ad resurrectionem Domini nostri Iesu Christi. Illa prior ad passionem, in qua redempti sumus & iustificati, sicut beatus Apostolus ait: Christus passus est propter redemptionem nostram, resurrexit autem propter iustificationem nostram. Potestis ex hac speculatione vestris demonstrare familiaribus, quia iucunda est & vtilis Arithmeticæ disciplinæ cognitio, quam & vestræ diligentiæ benè notam, & per vos aliis cognitam esse credimus. Plurima exhinc dicere potui, sed nolui chartulæ excedere modum: & maximè, quia non ignoranti scripsi, sed ei, qui hæc omnia optimè nouit. Ideò perpaucis hæc prælibaui verbis, quia vobis hæc omnia notissima esse sciebam. Et vt dictum est, Cum sapiente paucis vtendum est verbis. &, Beatus qui loquitur in aurem audientem, id est, intelligentem. Mihi itaque in fine epistolæ cum Regina Saba dicendum est: Beati viri tui, & beati serui tui, hi qui stant coram te semper, & audiunt sapientiam tuā. Sit Dominus Deus tuus benedictus, cui complacuisti, & posuit te super thronum Israel in sempiternum, & constituit te regem, vt faceres iudicium & iustitiam.

INCI-

Universidad de Deusto
Biblioteca

INCIPIT EPISTOLA D. CAROLI GLORIOSISSIMI REGIS AD ALBINVM ABBATEM DE RATIONE SEPTVAGESIMÆ ET Sexagesimæ, & Quinquagesimæ.

CAROLVS GRATIA DEI Rex Francorum, Imperator Longobardorum, ac patritius Romanorum, dilectissimo Magistro, nobisq; cum amore nominando Albino abbati, in Domino nostro Iesu Christo æternam salutem.

A

REuenit ad nos Epistola missa à religione prudentiæ vestræ, quę post laudes & benedictiones omnipotenti Deo debitas, nobis & progeniei nostræ benedictionē optabilē, summamq; beneuolentiam detulit. Post hæc textus illius inquirendo subiectus est, cur Septuagesima & Sexagesima, necnon & Quinquagesima, in ordine per dies Dominicos ante Quadragesimam dicatur, vel scribatur. Indè arrepta ratione per campos Arithmeticę artis quicquid ex hac re vestra sensit industria, se extendendo nobis pleniter significare statuit. Sed dum mens nostra huc illucq; discurreret, solerti indagatione cōsideravimus, non solùm intra præscriptos à vobis dies, sed etiàm per singulas hebdomadas, necnon & per totum anni circuli spatium, per interualla horarum ac punctorum seu momentorum, mysteria numerorum posse ab his, qui huius artis peritia imbuti sunt, reperiri. Vndè quia tuæ charitati placuit, nostram regalem aulam de hac re consulere, quicquid indè sensit nostra serenitas, sermone comatico tibi patefacere non negauimus. Exigente igitur inquisitione, & considerata, cur alij vj. alij vij. alij viij. nonnulli verò nouē abstineant hebdomadas, Argumentum sensus nostri tuę familiaritati per hos apices significare studemus. Qui enim vj. hebdomadas obseruantes, se abstinentiæ tradunt, subtractis vj. diebus Dominicis, in quibus ieiunare minimè licet, decimas dierum dantes corporis sui, xxxvj. dies, sicut B. Gregorius mirabilis doctor edocet, ieiunant: & hoc tempus, licèt in ipso duo supereſſe videantur dies, vsq; ad sanctam Resurrectionē, Quadragesimam

B

C

D

doctoribus sanctæ Dei Ecclesiæ nominari placuit. Religione verò crescente, à Telesphoro pontifice, qui post Petrum Apostolorum principem nonus in sancta Romana Ecclesia claruit, vij. hebdomadæ in abstinentia dedicatæ sunt: & hoc tempus quo alio nomine rectiùs vocari, quàm Quinquagesima in ordine rationabiliter debuit? Exhinc & deincèps collecta ratione, qui octo hebdomadas obseruare studuerunt, Sexagesimam gradatim nominauerunt. Similiter qui nouem, Septuagesimæ iuxta præfatam rationem nomen imposuerunt, & non ordinem numerorum hebdomadarū vel dierum, sed tenorem nominis seruantes, hæc nomina composuerunt. Velut si qui nunc fuissent, qui decimam hebdomadam addere pro aliqua iusta ratione voluissent, & propter numerum hebdomadarum Decagesimam, seu quolibet alio nomine, vel propter numerum dierum, Septuagesimam, vel Octuagesimam, ordine conseruato vocabulorum, tramite recto pergendo nun cupare debuissent. Quia igitur gratia diuina opitulante, prout nobis visum fuit, de nomine Septuagesimæ & Quadragesimæ, ac Quinquagesimę, tuæ charitati scripsimus: nunc stylo percurrente, de obseruantia & cultu harum, iuxta capacitatem sensus nostri, tibi scribere curauimus. Quinquagesima verò ideò dicitur & obseruatur à nonnullis, vt & decimas dierum ieiunando omnipotēti Deo offerre valeant, & imitari Dominum nostrum Iesum Christum, qui quadraginta diebus ieiunium sacratissimum impleuit. A Quinquagesima vsque in Pascha, septem hebdomadæ sunt, quæ faciunt dies quinquaginta, ex quibus si octo dies Dominicos subtraxeris, in quibus ieiunium non licet obseruare, remanent quadraginta duo dies, & hi duo dies, quinta videlicet & septima feriæ, qui quadragenarium numerum excedunt, apud quosdam ieiunio dedicantur, apud quosdam in refectione propter cœnam Dominicam, & sanctum sabbatum habentur. Sexagesima autem, vt æstimamus, propterea à nonnullis obseruatur, vt & decimas dierum corporibus suis omnipotenti Deo dare possint, & Dominum nostrum Iesum Christum, quadragenario particulatim ieiunando imitari, & primam vel quintam feriam

riam à ieiunio vacare debēt. à sexagesima quippe vsque in sanctum diem resurrectionis Dominicæ, octo hebdomadæ sunt: ex quibus singulis hebdomadibus primam & quintā feriam si subtraxeris, & ipsum diem sanctum Paschę, quadraginta tantùm dies remanent in abstinentia. Melciades verò natione Apher, per omnia Apostolicus, tricesimus quartus post sanctum Petrum, cui successit B. Siluester in cathedrā Apostolicæ dignitatis, hic constituit, vt nulla ratione in prima vel quinta feria ieiunium quis de fidelibus agere præsumeret. Nam cur in prima feria ieiunium ipso tradente soluatur, non est necessitas texendo replicare. Quintam verò arbitrati sumus propter magna mysteria, quæ in ea cōtinentur, ab eo solutam. In ipsa nanque sanctum chrisma conficitur, ad abluendam totius mundi primæ originis culpam: in ipsa reconciliatio fit pœnitentium, in ipsa redemptio omnium. Cœnando cum discipulis, panem fregit, & calicem pariter dedit eis in figurā corporis & sanguinis sui, nobisq; profuturum magnum exhibuit sacramentum. Eo videlicet die post multa mysteria, Deus & Dominus noster Iesus Christus sanctis videntibus discipulis suis gloriosa Ascensione cælos penetrauit. Sed nè diutiùs sermo protrahatur, multa te legisse de hac solennitate in sanctorū venerabilium dictis Orthodoxorum Patrum, non ignoramus. Septuagesima deniquè, vt æstimamus, propterea ab aliquibus obseruatur, vt & decimas dierum Domino dare queant, & prima vel quinta, necnon & septima feria ieiuniū soluere possint. A septuagesima verò vsq; in Pascha nouem hebdomadæ sunt, quæ faciūt dies sexagintaquatuor, è quibus si de vnaquaq; hebdomada tres præfatos subtraxeris dies & paschalē sacratissimū, triginta sex in abstinentia remanent dies. Hi verò sabbatū in quo Dominus ab omnibus operibus requieuit, non solùm ob superstitionem Iudęorum, nec propter mandata veteris testamenti legalia, quæ sunt vmbra futurorum. sed nè cùm Iudæi sabbatizēt, ieiuniū soluere conentur. Ea præcipuè causa est, quia vesperascente ipso die, gaudiū sanctæ resurrectionis à fidelibus honorificè celebratur, Sed quia vnusquisque in suo sensu abundat, siue hoc, siue aliud sit, salua fide & religione, nihil præiudicauimus.

C

D

E

Hactenùs epistola Caroli.

A *ALBINVS MAGISTER, filio Charissimo Oduino presbytero salutem.*

QVia diuina donante gratia, ad id diutino te perduxi labore, vt sacerdotali honore dignus habearis. & vti tam eleganter illud in domo Dei ministres officium, quàm te diligenter per donum Dei erudire curaui ad cognoscendum rationabilem sacri baptismatis ordinem: de ministeriis totius officij tibi breuiter scribere volui, vt cognoscas, quàm necessarium sit nihil prætermittere, quod à sanctis patribus sumptū est in illo officio. Primò paganus, catechumenus fit: accedens ad baptismū, renunciat maligno spiritui, & omnibus damnosis eius & pompis: exufflatur etiam, vt fugato diabolo, Christo Domino nostro paretur introitus: exorcizatur, id est, coniuratur malignus spiritus, vt exeat & recedat, dans locū Deo vero. Accipit catechumenorum salem, vt putrida & fluxa eius peccata sapientiæ sale diuino munere mundentur: Deindè symboli Apostolici traditur ei fides, vt vacua domus & à prisco habitatore derelicta, fide ornetur, & vt præparetur habitatio Deo: Tunc fiunt scrutinia, vt exploretur seruus, an post renunciationem satanæ, sacra verba datæ fidei radicitùs corde defixerit: Tanguntur & nares, vt quàm diù spiritum naribus trahat, in fide accepta perduret. Pectus quoq; eidem perungitur oleo, vt signo sanctæ Crucis, diabolo claudatur ingressus. Signantur & scapulæ, vt vndiquè muniatur. Item in pectoris & scapulæ vnctione signatur fidei firmitas & operum bonorum perseuerantia. Et sic in nomine sanctæ Trinitatis trina submersione baptizatur, & rectè homo qui ad imaginē sanctę Trinitatis conditus est, per inuocationem sanctę Trinitatis ad eandem renouatur imaginē, & quia tertio gradu peccati, id est, consensu cecidit in mortem, tertio eleuatus de fonte, per gratiam resurgat ad vitam. Tunc albis induitur vestimentis, propter gaudium regenerationis ac castitatē vitæ, & angelici splendoris decorē: Tunc sacro chrismate caput perungitur, & mystico tegitur velamine, vt intelligat se diadema regni & sacerdotij dignitatem portaturum iuxta Apostolum: Vos estis genus regale & sacerdotale, offerētes vosmet Domino hostiam sanctam & Deo placentem: Sic corpore & sanguine Dominico confirmatur, vt illius sit capitis membrum, qui pro eo passus est, & resurrexit. Nouissimè per impositionē manuum à summo sacerdote septiformis gratiæ spiritum accipit, vt roboretur per Spiritū sanctum ad prędicandum aliis, qui fuit in baptismo per gratiam vitæ donatus æternę.

Universidad de Deusto
Biblioteca

AMALARII FORTVNATI EPISC. TREVERENSIS

AD HLVDOVICVM PIVM IMPERATOREM,* DE ECCLESIASTICO OFFICIO LIBELLI QVATVOR.

*Qui floruit anno Dñi 821. tempore Gregorij IIII. Pont.

GLoriosissime Imperator, & magnificentissime ac centiès inuictissime, à Deo coronate, necnon & conseruate atque conseruande: Seruus ego vester, quamuis minimus omnium, afficiebar olim desiderio, vt scirem rationem aliquã de ordine nostrę Missæ, quam consueto more celebramus, & ampliùs ex diuersitate, quæ solet fieri in ea, hoc est, quòd aliquotiès vna epistola legitur, aliquotiès duæ, & cætera talia: simulque de cęteris officijs. Præterita proxima æstate videbatur mihi quasi in crypta posito, fenestratim lucis scintillas radiare vsque ad nostram paruitatem de re, quam desiderabam longa esurie auidus, non frenum passus sum timoris alicuius magistri, sed ilicò meo gratias agens Deo, scripsi quod sensi. Deindè tractare cœpi, cui sapientum porrigerem ea quæ scripsi: vt eius auctoritate statuerentur ea, quæ ordinatè sunt scripta: seu corrigerentur, quæ inordinatè. Venit in mentem inter omnes spiritales mentes, in hoc seculo degentes, vestram potissimùm pollere, cui inest charitas sinè liuore, sapientia sinè præiudicio sciẽtiæ quę inflat, humilitas cum pietate, quæ nulli rectitudini resistit, quæ vos quotidiè exaltat ante Dominum, & eos qui vestigia vestra intuentur sequendo, ab infimis & caducis ad sublimia & sempiterna erigit. Quapropter arbitratus sum posse meam paruitatem aditum reperire ad vestram excellentissimã præsentiam. Insuper me etiam cognoui debitorem vestri seruitij, quamuis absens degerẽ, & non vacuum redire ad vestram gloriosissimam & piissimam præsentiam debere, dicente Domino in lege: Non apparebis in conspectu meo vacuus. Et iterùm in Euangelio: Reddite quæ sunt Cęsaris, Cæsari. Præsumpsi propter nimiam humilitatem vestram, de qua diximus, vestræ excellentissimæ potestati ea offerre: præsertìm cùm sciamus vos rectorem esse totius Christianæ religionis, quantũ ad homines pertinet. Ardor mihi inerat vt scirẽ quid priores auctores haberent in corde, qui nostra officia statuerunt. Sed quia hoc difficillimum mihi est affirmare, vt identidèm scripsissem quod illi meditabantur, vnum tamen suffugium mihi est, si ea, quæ scripsi, videbuntur vestræ pietati à via charitatis non excedere. Ex libro Augustini de doctrina Christiana, defendar ab illis qui me voluerint carpere, quasi periculosè scripsissem, eo quòd mentes auctorum officij nostri non præsentes haberem. Dicit memoratus Doctor in libro memorato primo: Quisquis verò talem indè sententiam dixerit, quæ huic ædificandæ charitati sit vtilis, nec tamen hoc dixerit, quod ille quem legit, eo loco sensisse probabitur, nõ perniciosè fallitur, nec omninò mentitur. Inest quippe in mentiente voluntas falsa dicendi. Et paulò pòst: Sed quisquis in scripturis aliud sentit, quàm ille qui scripsit, illis non mentientibus, fallitur: Sed tamen, vt dicere cœperam, si ea sententia fallitur, quę ædificet charitatem, quę finis præcepti est, ità fallitur, ac si quisquã errore deserens viam, eò tamen per agrum pergat, quò etiam via illa perducit: corrigendus est tamen, & quàm sit vtilius, viam non deserere, demonstrandum est, nè consuetudine deuiandi etiàm in transuersum aut peruersum ire cogatur: Notandum est etiam, nè videretur paruitas mea quasi furtum interpolare meis verbis sanctorum dicta patrum, interposui in fine eorum & principio signum crucis †. Diuo HLudouico vita. Nouo Dauid perennitas. Da principi Domine vitam. Ipsi nouo Salomoni felicitas. Pax mundi vos estis. Pio principi prosperitas. Domine, vitam ipsi concede. Vestra fides vos seruet. Christus quem vos honoratis, ipse vos seruet. Potestatem vestram Deus conseruet. Deus pacificet regnum vestrũ. Iudith orthodoxæ nobilissimæ atque prudentissimæ Augustæ salus per multos annos. Lumina pacis Domine serua. Lumina mundi Domine serua. Vita vestra, tutela omnium est. Vestra fides ecclesiarum est gloria. Pijssimos Dominos nostros imperiales natos Hlotharium gloriosissimum coronatum & fratres eius Christus conseruet. Ex proauis orthodoxos Domine serua. Custodes fidei Domine serua.

Augustinus de doct. Christia. lib. 1. c. 36.

Acclamationes more veterũ.

Dedicatio scriptorũ.

Excusatio de oblatione huius muneris.

Exod. 23. Matth. 22.

Causa scribendi huius libri.

PRÆ-

PRAEFATIO ALTERA EX AVCTORIS SENTENTIA AD INITIVM HVIVS OPERIS PONENDA.

POstquàm scripsi libellum, qui à paruitate mea vocatur De Ecclesiastico officio, veni Romam, interrogauiq́ue ministros ecclesiæ Sancti Petri, quot orationes soliti essent celebrare ante epistolam Missę per dies festos, in quibus duas solennitates celebramus: sicuti est in Natiuitate Domini ad Missam secundã de nocte, in qua continetur duplex officium in Sacramentario, id est, vnum de eadem Natiuitate Domini, & alterum de sancta Anastasia: Et in Dominicis diebus, in quibus frequenter recolimus solennitates plurimorum sanctorũ. Responsum est mihi, Vnam tantùm. Hoc scisitato, quia vidi apud plerosq; diuerso modo eundem ordinem agere, id est, aliquos tres orationes, aliquos duas iuxta affectũ vniuscuiusq; animi, non me piguit scribere inquisitum meũ super hac re à Romanis, & in fronte ponere memorati libelli meorum deuotorum ad notitiam: necnon etiã & iterare, quod ex scripto S. Ambrosij, & S. Augustini didici de ordine orationum in Missa, & in alijs officijs. Secuti sunt enim ordinem beati Pauli Apostoli ad Timotheum. Insupèr etiam quæ mihi visa sunt rationi eiusdem ordinis congruere iuxta capacitatem ingenioli mei. Sanctus Ambrosius per subiectum ordinem numerat memoratas orationes: Orationes, obsecrationes, postulationes, gratiarum actiones. Orationi supponit, quandò bona nobis postulamus: Obsecrationi, quandò absolutionem à malis: Postulationi, pugnam contra omnia aduersa. Et præscribit sæpè nos debere hoc facere, quandò in vnum cõuenimus. Sanctus Augustinus ità: Precationes, orationes, interpellationes, siue, vt vestri codices habent, postulationes, gratiarũ actiones. Et dicit, Quas omnis, siue penè omnis frequentat ecclesia in solennitate sacramentorũ. Precatio est omnis oratio ante illud quod agitur in Dominica mensa. Oratio est, quicquid posteà agitur vsque ad communionem. Interpellatio, siue postulatio est, quandò populus benedicitur. Gratiarum actio omnia concludit. Vbi sanctus Augustinus dicit precationes, nostri codices habent, obsecrationes. Obsecrationi, vt dictum est, suppositia est postulatio à sancto Ambrosio pro absolutione peccatorũ. Cætera vno modo nominamus, vt prælibatum est de S. Augustino, eandemq; vim obtinent, * quia S. Ambrosius suppositit eis & in celebratione Sacramentorũ, & in cæteris officijs. In omnibus quæ scribo, suspendor virorũ sanctorum atque piorũ patrum iudicio: interìm dico quæ sentio. Quæ aguntur in celebratione Missę, in sacramento Dominicæ passionis agũtur, vt ipse præcepit, dicens: Hæc quotiescunq; feceritis, in mei memoriã facietis. Idcircò presbyter immolans panem, & vinum & aquam in sacramento est Christi: Panis, vinum & aqua in sacramento carnis Christi & eius sanguinis. Sacramenta debent habere similitudinẽ aliquam earũ rerum, quarũ sacramenta sunt. Quapropter similis sit sacerdos Christo, sicut panis & liquor similia sunt corpori Christi. Sic est immolatio sacerdotis in altari quodammodò vt Christi immolatio in cruce. Vt similis sit homo Christi resurrectioni aliquo modo, manducat carnem, & bibit sanguinem eius. Christus resurrexit à mortuis, & iam non moritur: Per corpus Christi quod manducat homo dignè, anima resurrectione accepta per baptismũ, siue per pœnitentiam, viuit, vsquedùm adimpleatur plena resurrectio in octaua die. Qua de re quandò in extremo vitę est homo, vt separetur corpus & anima, sumit anima viaticum sibi corpus Christi, vt propter illud corpus in spe homo viuat, vsque dùm recipiat corpus in resurrectione, quod viuificabat per se, id est, per suam administrationem. Quam diù hic vixit anima, viuebat propter corpus Christi, & proprium corpus propter animam. Christus antequàm pateretur, sæpè orauit solus, & pernoctabat in oratione. Pro nobis, non pro se, orabat. Omne genus humanum subditum erat diabolo: Pro hac absolutione descendit de cęlo, & susceptã dispensationẽ exercuit. Sacerdos enim præsens instàr eius orationis, orationẽ facit pro absolutione peccatorũ antequàm trãseat ad immolationem. Multa vulnera vno medicamine frequẽter sanantur: ità & vna oratione sacerdotis creduntur multa peccata posse absolui eorũ qui obsequũtur. Dicta sint ista de immolatione sacerdotis: dicamus de ordine orationum, quem prętermisimus. Principium habuit idem ordo de Missa in nocte Natiuitatis Domini, vbi duplex oratio est: vna de Natiuitate Domini, & altera de sancta Anastasia. Vbi reliquiæ sunt sanctæ Anastasiæ, vel vbi corpus eius est, dicantur orationes de sancta Anastasia iuxta Romanũ morem: Vbi hoc non reperitur, dicantur de incarnatione Domini. Quando in Dominica die fuerit aliqua festiui-

* quam

Universidad de Deusto
Biblioteca

tus sanctorũ, sufficere potest illa oratio, in qua precatur adesse cum oratione sacerdotis intercessio sancti illius, cuius festiuitas celebratur, ad id quod intenditur, id est, ad memoriam immolationis Christi: præcipuè cùm oratio, quæ in Dominica die statuta est, soleat currere per dies sequentis hebdomadæ. Iuuat multos quãdò tempus vacat lectionis & psalmodiæ, atque cæterarum orationũ, seorsùm sacramenta celebrare de Dominicis diebus, & seorsùm de festiuitatibus sanctorum: Simili modo in cæteris diebus, quandò festiuitas est plurimorũ sanctorum, duas aut tres Missas. Huic ordini congruit Sacramentarium, & Cantatorius, in quibus inueniunt sæpè duo officia sanctorũ in vnò die: necnõ & Domini præceptum dicit: Hæc quotiescunquè feceritis, in mei memoriã facietis. In cæteris orationibus Missæ, quæ p diuersis necessitatibus inscribuntur, sicut sunt, In tẽpore belli, & Pro iter agentibus, ac pro diuersis benedictionibus, vbi non satis est homini oratio communis sinè pane & liquore, quid aliud agit sacerdos, quàm vt Christum quodammodo contendat recordari, qui nunquàm obliuiscitur magni precij sanguinis sui, & iuxta magnitudinem precij, maximũ adiutorium eius precari? Tamen si quis voluerit diligenter attendere ea quæ ibi precantur, reperiet in sequentibus orationibus Missæ. Si propriis conscientiis volnerit intercedere, habet deuotus homo locum vbi pro eis roget. Post salutationem sacerdotis, Euangelio lecto, quandò sacerdos dicit, Oremus, & dein transit ad accipiendas oblationes, congruenter potest multitudo populi pro propriis cõscientiis intercedere, antequã trãseat ad gratias agẽdas in Præfatione: Sacerdos pro propriis, quandò post acceptas oblationes primò transit ad altare. Cantores in eo loco, vbi sacerdos componit hostiam in altari, & facit eam transire per suam secretam orationem ad nomen hostiæ, siue muneris, donìve, vel sacrificij, seu oblationis. Si pro coniunctione sanctorum angelorum, habet in præfatione: Cum quibus & nostras voces vt admitti iubeas deprecamur: Si pro pace certat intercedere, habet in Canone: Quæ tibi offerimus pro ecclesia sancta Catholica, quam pacificare: Si pro custodia sui, habet ibi, Custodire: Si pro vnitate ecclesiæ, habet ibi, Adunare: Si pro directione gressuum mentis siue corporis, habet ibi, Regere digneris toto orbe terrarum. Ecce hic oratũ est pro vniuersali ecclesia. Si voluerit pro singulis amicis intercedere, habet ibi, Memento Domine famulorum famularumq; tuarum: Nominet ibi quoscunq; ei & quas placuerit, singulásve necessitates: dein recordetur eorum qui circũstant, & præsens sacrificium offerunt: Si quis voluerit pro sua defensione clamare, habet ibi, Communicantes & memoriam venerantes multorũ sanctorum, quorum meritis precibusq; concedas, vt in omnibus protectionis tuæ muniamur auxilio. Ecce, hic oratũ est pro ipsis sacerdotibus. Si voluerit pro pace clamare totius temporis vitæ suæ, habet ibi in verbis quæ addidit Sanctus Gregorius, Diesq; nostros in tua pace disponas: & dein ab eterna damnatione eripi, Atque iubeas in electorum tuorum grege numerari. Ecce, hìc oratum est pro æterna vita. Iuxta dicta sancti Ambrosij, in hac oratione, bona nobis necessaria postulamus. In oratione, quã dicit sacerdos post communionem, dicit sanctus Augustinus benedicere sacerdotem populum, & transire populũ ad manus sacerdotis. Hęc consuetudo non obseruatur apud nos vsquequaq; nisì fortè id sit trãsire populum ad manus sacerdotis, quod est, accipere ab eo sacramẽta corporis Domini, quod penè omnis Romana ecclesia & Orientalis per omnes solẽnes dies agit: & id sit benedici, quòd comeditur cibus Dominicus. Sic enim canitur in Canone, Vt quotquot ex hac altaris participatione sacrosanctum filij tui corpus & sanguinem sumpserimus, omni benedictione cælesti & gratia repleamur. Intẽdat diligens auditor, pro quibus sonẽt orationes, quas sacerdos dicit post communionem: reperiet nempè eas sonare pro his, qui refecti sunt pane cælesti. Iuxta ordinem orationum, & expositionẽ memoratorum patrum, precatum est in prima oratione Missæ, pro absolutione peccatorum: Super mensam verò, postulantur bona nobis instar orationis & hymni euangelici, quem Christus cecinit secundùm Ioannem, commendando discipulos suos patri ante passionem suam: In ista nouissima benedicitur populus. Quid vult ista benedictio? pugnare vult vtique contra diabolum & eius insidias. Idipsum meminit sanctus Ambrosius in tertio ordine, vbi postulatio est. Iuxta Augustinum, quartus ordo orationum gratiarũ actione omnia concludit, hoc est, quandò populus respondet, Deo gratias. Quæ si quis digna duxerit ad legendum, latius ea reperiet scripta in sequenti volumine. Hìc notandũ est, quòd in diebus quadragesimę, quandò populus hora nona conuenit ad ecclesiã, celebretur apud nostros oratio benedictionis super populum, & populus se humiliet prostratus ad orationem iuxta dicta sancti Augustini. Et potest videri ab aliquibus duplex oratio in tertio ordine orationum. Quæ duplicitas si diligenter consideretur, non reperietur quasi duplicatio, sed quasi simplicitas ad vnã rem pertinens, id est, benedictionẽ: quæ tamen pro diuersitate populi necessariò duplicatur. Non enim omnis multitudo currit ad sacrificiũ per continuos dies, qui ad ecclesiam conueniunt, (prout faciunt, qui per dies solẽnes cõueniunt) quì non communicant, vt non sint extorres a benedictione, super eos benedictio sacerdotis transit, quę non tangit Sacramenta corporis & sanguinis Domini: qui verò cõmunicant, benedicuntur ipsa communione, & pro eis oratur in priore oratione post communionem, vt tanto sacramento congruenter sint concordes. Hæc in eis

in eis sunt, quæ à Romana sede accepi de his, quæ hìc inserere volo, quanuis iam latiùs explanata sint in sequenti volumine. Prima salutatio ad populum, Pax vobis pronunciatur: nõ, Pax vobiscum. Quandò versus de Alleluia canitur, exuit se planeta diaconus, stolamq; post tergum ducit subtus dextram alam vnà cũ planeta, & parat se ad ministrandum, ac in eo habitu perseuerat vsq; dùm apostolicus recesserit de altari. Post Euangelium non offerunt incensum super altare. Calix inuolutus sudario porrigitur ad altare, quod sudarium ponitur in cornu altaris. Calix in latere oblatæ in altari componitur, non post tergum. Litaniæ ità celebrantur in vigiliis Paschę, vt noster mos olim obtinuit, id est, post baptismum per septenarium, & quinarium & ternarium numerum.

Capitula Primi Libelli.

1 De Septuagesima.
2 De Sexagesima.
3 De quinquagesima.
4 De quadragesima.
5 Cur quadragenarius tẽporali vitæ aptetur Augusti. in libro de cõsensu Euangeliorũ.
6 Cur in tempore tali constituta sit obseruatio Quadragesimæ. Idem ad eundem.
7 De varietatibus officiorum per diem vsq; in resurrectionem Domini.
8 De secunda varietate quartæ hebdomadæ quadragesimæ.
9 De tertia varietate Sabbati ante Palmas.
10 De quarta varietate dici palmarum.
11 De quinta varietate quartæ feriæ maioris hebdomadæ.
12 De sexta varietate cœnæ Domini.
13 De septima varietate Parasceues.
14 De adoratione sanctæ Crucis.
15 De præsentatione corporis Domini in altari, & calicis cum vino non consecrato.
16 De octaua varietate quæ fit die Sabbati.
17 De agnis, de cera factis, benedicendis.
18 De cereo benedicendo.
19 De lectionibus.
20 De duobus cereis.
21 De pronunciatione lectionum in vigiliis Paschæ, & in vigiliis Pentecostes.
22 De canticis.
23 De olei vnctione in sabbato sancto.
24 Comprobatur ex euangelio, posse saluari Catechumenos per confessionem cæterorum fidelium.
25 De consecratione baptisterij.
26 De immissione cereorum in aquam.
27 De vnctione chrismatis à presbytero, & de impositione manus epi super neophytos.
28 De litaniis.
29 De vestimento albatorum, & recapitulatio de septuagesima.
30 De illuminatione cereorum.
31 De Missa in nocte.
32 De octo diebus neophytorum.
33 Item de eisdem octo diebus.
34 De die sancto Paschæ.
35 Demonstratio, quòd informent sex dies paschales cæteros dies Dominicos & iustos homines: & dies quinquaginta à Sabbato Paschæ vsq; ad Sabbatum octauarũ Pẽtecostes, futuram vitam: & quotidiani dies, siue septuagesimæ Dominici, seu quadragesimales, pœnitentes.
36 De diebus Pentecostes.
37 De Litania maiore.
38 De vigilia Pentecostes.
39 De sequentibus septẽ diebus Pentecostes.
40 Quanto tempore debeant esse sub disciplina chrismatis, qui non consequuntur manus impositionem Episcoporum tempore baptisterij, sed post.
41 De Missa Innocentum.

Continentia causæ secuturæ scriptionis.

VBi sanctus Augustinus exponit euãgelicũ illud, Omnia ergò quæcunque vultis vt faciant vobis homines, & vos facite illis: voluntatem separat à cupiditate: voluntatem ponit in bono, cupiditatem in malo. Non enim conuenit, vt quodcunq; vult malus sibi fieri, hoc possit ex auctoritate Euãgelica præsentis loci, in alium liberè perpetrare. Verbi gratia, vt si ego ganeo cupio inebriari, aut nimis saturari ab alio, nõ oportet vt id liberè in cæteris agã: sed quodcunque mihi boni cupio, id in cæteris debeo satagere. Voluntas quasi quidam stipes est, quæ à Domino menti datur, cui inhærent quasi quidam ramusculi, appetitus: quibus cõiungitur res ab auctore omnium rerũ, in qua aliquid operetur voluntas, cui si adsit ratio, aberit error. Ratio dirigit radios appetitus ad verum solem Domini, vt sua luce perspicuè & veraciter sciat, quid vel quale sit quod appetit. Vndè qui suprà: Nemo enim vult, quod omninò, quid vel quale sit, nescit. Qui claro lumine pollent & sanis oculis, his proponitur subtilissima res & dignissima: Qui aliquo neuo peccatorũ fuscãtur, his grossior & manifestior à moderatore æquissimo Deo. Vndè Apostolus: Vni cuiq;, inquit, datur manifestatio spiritùs ad vtilitatẽ. Stomachus est, qui diuersos cibos recipit, de quibus solet ructus fieri ad superiora: Similiter quidã venter est mentis, qui recipit cogitationes. Si his defuerit res, non habent vndè ructũ faciant. Mihi peccatori grossa res data est potiùs ad indagãdũ, quàm exponẽdũ, id est, de officio, quod continetur in sacramẽtario & antiphonario, quæ penè omnibus rusticis nota est. Fiducialiter agã corã DEO, qui vult vt vnusquisq; deuotè in suis datis ministret, p præmio æterno. Humilis humilia de se sentiens, præmiũ expectat humilitatis. Qui aurũ argentũq; & cætera magna dona in domo Dei suscipit, nõ despicit pilos caprarũ. Ardor mihi inest tritæ viæ & abolitæ, ppter antiquita

Universidad de Deusto
Biblioteca

tē vt etiam quid habeat in medulla res memorata, id est, quid in corde esset primorū dictatorum officij nostri, & quem fructum pariat. Itaque mihi prima inquisitio est de septuagesima, cuius finis constat in primo mense.

De Septuagesima. Cap. I.

SEptuagesima computatur, secundùm tituA lationem Sacramentarij & Antiphonarij, nouē hebdomadibus ante Pascha Domini, & finitur post Pascha Domini in septima sabbati. Die Dominico habet initium, & in sabbato finem. Populi DEI tempus captiuitatis signi B ficat, qui peccando recessit à Deo, & per misericordiam eius reuertitur ad requiē. Populus Dei in Babylonia detentus est captiuus sub numero septuagenario. quo numero completo, reuersus est in Hierusalem. De quo populo dicit Hieremias: Cōsiderate & quærite in plateis eius, an inueniatis virum facientem iudicium, & quærentem fidem, & propitius ero ei. Quòd si etiam, viuit Dominus, dixerint, & hoc falsò iurabunt. Domine, oculi tui respiciunt fidem. & iterùm: Indurauerunt facies suas super petram; & noluerunt reuerti: ego autem dixi, forC sitan pauperes sunt & stulti, ignorantes viā Domini, iudicium Dei sui: ibo igitur ad optimates, & loquar eis. Ipsi enim cognouerunt viam Domini, iudicium DEI sui: & ecce magis hi simul confregerunt iugum, ruperunt vincula. Et iterùm: Omnis frater supplantās supplantabit, & omnis amicus fraudulenter incedet, & vir fratrem suum deridebit, & veritatem non loquetur, &c. Et paulò post: Nunquid super his non visitabo, dicit Dñs? Et iterùm: Elice illos à facie mea, & egrediātur. Quòd si dixerint ad te, quō egrediemur? dicis ad eos, Hæc dicit Dñs: Qui ad mortē, ad mortem: & qui ad gladiū, ad gladiū: & qui ad famem, ad famem: & qui ad captiuitatem, ad captiuitatem. Et Esaias: Vę qui consurgitis manè ad ebrietatem sectandam, & potandum vsque ad vesperū, vt vino æstuetis. Cithara, & lyra, & tympanum, & tibia, & vinū in conuiuiis vestris, & opus Domini non respicitis, nec opera manuum eius consideratis: propterea captiuus ductus est populus meus. Quāto tēpore in captiuitate fuerit, Hieremias manifestat, dicens: Perdam ex eis vocem gaudij & lætitiæ, vocem sponsi & sponsæ, vocem molæ & lumen lucernæ, & erit vniuersa terra eius in solitudine & in stupore, & seruient omnes gentes istæ regi Babylonis septuaginta annis: Cumq; impleti fuerint anni septuaginta, visitabo super regem Babylonis, & reliqua †. Forsan dictator septuagesimæ nouit, per Christi gratiam nobis peccata dimissa, septuaginta annos mutauit (quia in aliquibus criminibus communicamus priori populò) septuaginta diebus, vt quod illi inuiti sustinuerunt, quia serui erant: nos voluntariè pro peccatis nostris sustineamus, quia liberi sumus: omittamus cum eis vocem gaudij & lætitię, vocem sponsi & sponsæ, &c. Et Zacharias, In die, inquit, vigesima & quarta vndecimi mensis Sabbath, in anno secundo Darij factum est verbum Domini ad Zachariam filiū Barachię filium Addo Prophetam. Hieronymus in Zacharia: Mēsis autem vndecimus, qui appellatur Sabbath, & lingua nostra in virgam vertitur, austeritatem & correptionem sonat, & est in acerrimo tempore hyemis qui à Romanis Februarius appellatur: quem septuagesima solet tangere. Sequitur post aliqua, Angelus Domini dixit: Domine exercituū, vsq; quo non misereberis Hierusalem, & vrbiū Iuda, quibus iratus es? Iste septuagesimus annus est. Et respōdit Dominus angelo, qui loquebatur in me, verba bona, verba consolatoria. Eiusdem in eodem: Quòd autem plenam misericordiam postulat, vt instāte anno septuagesimo misereatur Deus Hierusalem & vrbiū Iuda, ad illam intelligentiam referunt magistri ecclesiarum, quòd quandiū vera pax veniat & sabbatismus est, & septem decadarum numerus id est, annus septuagesimus impleatur, nec Hierusalem plenam recipiet libertatem, id est, Ecclesia: nec vrbes Iuda, id est, anima Dominum confitens. Denique Dominus respondit verba bona, & verba consolatoria, quòd nunc ex parte cernimus, & ex parte prophetamus. Cùm autē venerit quod perfectum est, destruentur quę ex parte sunt, vt liberati de Babylone huius seculi, clamemus, In cōuertendo Dominus captiuitatē Sion, facti sumus sicut consolati. Dies paschæ verba bona & cōsolatoria dat, erigit ad bona opera. in ea enim iustificamur. Sed requies & liberatio perfecta in sabbatismo datur, quandò animæ sanctorū requiem æternā percipiunt. Babylonem diaboli ciuitatem appellat Ioannes in Apocalypsi: Cecidit, inquiens, cecidit Babylon illa magna. Beda in Apocalysin libro secundo: Superbi tunc à Domino deijciuntur, quandò à diabolo inflantur: Sicut psalmus, Deiecisti, inquit, eos dū alleuarētur. Septuagesimus numerus ad memoriā nobis reducit omne tēpus præsentis seculi, quo alieni sumus à cęlesti Hierusalem. Ideò auctor officij nostri septuagesimam posuit in nostris officiis, vt illo in tēpore à deliciis huius mundi abstinēdo, ostenderemus in nostra cōuersatione, qualiter per tēpus seculi viuere debeāt subiecti, q post baptismum peccatis se alienant à cælesti Hierusalē. Agam⁹ dies septuaginta vt captiuis in peregrinatione, luctus pœnitētię conuertatur in gaudiū in resurrectione Domini, per quam reuertimur ad Hierusalē: Sic tamen, vt sex sequentes dies nō ligemur cupiditate aliqua Babylonicæ ciuitatis, sed iter perābulemus, vt septima die veniente intremus cælestē Hierusalem. Catechumeni qui super hoc alligati sunt originali peccato, illi abluātur aqua baptismatis i resurrectione, & nos pœnitētia: & illi & nos in resurrectione perseueremus vsq; ad plenam septuagesimā, i. vt non moriamur peccatis. Quā uis Persarū rex Cyrus, cognomento Christus, primo

primo anno regni sui laxaret maximam partē, id est, quinquaginta millia fermè hominum captiuitatis Iudaici populi de Babylonia: tamen septuagesimus annus protenditur, vsq; ad secundum Darij annū, vt vult Eusebius, testem adhibens Zachariam prophetam, apud quem secundo Darij anno loquitur Angelus: Domine exercituum, vsquequò tu non misereberis Hierusalem, & vrbium Iuda, quibus iratus es? Iste septuagesimus annus est. De istis septuagin ta annis dicit Augustinus in libro de doctrina Christiana tertio: Possunt & septuaginta anni Hieremiæ prophetæ, pro vniuerso tēpore spiritualiter accipi, quo est apud alienos Ecclesia. Et iterùm idem in duodecimo libro cōtra Faustum: Nam quòd etiam post septuaginta annos secundùm eiusdem Hieremiæ prophetiā, reditur ex captiuitate, & templum renouatur: quis fidelis Christianus non intelligat, post euoluta tempora, quæ septenarij dierum numeri repetitione transcurrunt, etiam nobis, id est, Ecclesiæ Dei, ad illam cælestem Hierusalem ex huius seculi peregrinatione redeundum? per quem, nisi per Iesum Christum, verè sacerdotem magnum, cuius figurā gerebat ille Iesus sacerdos C magnus illius temporis, quo templum ædificatum est post captiuitatem? Nam & numerus præsens à septuagesima die vsque in Pascha, Domini afflictionem & abstinentiam quandam intimat. Sexaginta dies sunt à septuagesima, vsque ad quartam feriam ante cœnam Domini. per hunc numerum viduę, quæ in magna tribulatione sunt, designantur. Quam tribulationem & afflictionem monstrat computus digitorum, qui memoratum numerum exprimit indice superposito pollici. Tres dies qui supersunt vsque ad resurrectionem Domini, triduanum ieD iunium, quòd secundùm Septuaginta interpretes, Niniuitæ exercuerunt, designant. Vt peccata nostra pro quibus affligimur, in clarificatione resurrectionis Domini aboleantur, necesse est triduo compati morti Christi. Post enim iam regenerati in anima per pœnitentiam, siue per baptismum, in Christi resurrectione congratulari oportet vsque ad requiem, quæ post hanc vitam donatur in sabbato. Sexaginta dies viduitatem nostram nobis ad memoriam reducunt, qua peregrinamur à Domino: Tres dies qui supersunt, mortificationem nostræ delectaE tionis, vt non irretiamur retibus huius mundi, quæ solent nos irretire per concupiscentiā carnis, & per concupiscentiam oculorum, & superbiam vitæ. At in sex diebus qui supersunt vsque ad sabbatum, bona opera recoluntur, quę debemus operari, vt non sit vacua domus nostra. In sabbato, id est, in requie animarum, perfectæ libertati reddimur. Hieremias superiùs ostendit velle nos Dñm cessare à voce gaudij quādiu in Babylone fuerimus, dicēs: Et cessare faciā à vobis vocem gaudij, & lætitię. Quapro pter Alleluia in illo tēpore non cantatur apud nos, & dulcissimus hymnus angelorū, Gloria in A excelsis Deo: sed Tractus pro Alleluia. à trahē do dicitur Tractus, quē tractū intimauit Apostolus Paulus, dicens, In longanimitate & suauitate. Et trahitur tractus, & suauis est auribus. Alleluia, propter honorem & latitudinem primę linguę, præclarius est. Hieronymus in Esaiā libro vndecimo: Ad comparationem enim linguæ Hebraicæ, tam Græci quàm Latini sermonis lingua pauper est. Pauperem linguam in supradictis diebus frequentamus, Laus tibi Domine rex æternæ gloriæ. Dicit Psalmus: Quomodò cantabimus canticum Domini in terra B aliena? Alleluia, & Gloria in excelsis, cantica cælestia sunt. Vndè Ioannes in Apocalypsi, Post hæc audiui quasi vocem magnam turbarū multarum in cælo, dicentium Alleluia. De gloria in excelsis Deo, nulli dubiū quin Angelorum cantus sit. Oportet enim nos sedentes, id est, humiliatos, supra flumina Babylonis flere, dum recordamur Sion. Sunt qui primam hebdomadam septuagesimæ sine aliquo articulo nouellæ conuersationis ducunt, excepta mutatione Alleluia, & in aliquibus locis Dalmaticarum & intermissione Gloria in excelsis Deo. Si id vsC quequaq; obseruetur, aut modò, sicuti vidi aliquādò, nescio. Per septuaginta annos captiuitatis, quos nos mutamus septuaginta diebus, Ieiuniū erat apud Iudæos. Vndè Dñs per Zachariā: Cùm ieiunaretis & plangeretis per hos septuaginta annos, nunquid ieiunium ieiunastis mihi? Græci proximam hebdomadam sanctificāt suo ieiunio: Clerici autem nostri, (auctore Telesphoro Papa, qui cōstituit septem hebdomadarum ieiunium ante Paschā) tertiam suo: Præceptor tamen officij nostri ampliorem mutationem requirit, quam agamus: nouitq; Augustinum dicentem in libro Quęstionum Euangelicarum, Ieiunium aut in tribulatione est, aut in gaudio: in tribulatione ad propitiandum Dñm pro peccatis: in gaudio verò, cùm tanto minùs delectant carnalia, quantò spiritualium maior est sagina. Cōstitutione officij sui ipsum ieiunium, quod prius dictum est, intimauit in prima oratione Missę, dicens: vt qui iustè pro peccatis nostris affligimur. Hic enim afflictionem sonat. In introitu dicit, Circūdederunt me gemitus mortis, dolores inferni circundederūt me. Augustinus in Psalmis: In his qui me circunE dederunt, vt perderent, erant dolores inuidentię, qui mortem operantur, perducuntq; ad infernum peccati. Propter hos dolores non possumus lætari, & securi esse: sed prępparare debemus nos ad bellū, vt Apostolus: Omnis autem, inquit, qui in agone contendit, ab omnibus se abstinet. ¶ Dicit Ambrosius: Ab his omnibus, quę vitāda eadem tradit disciplina, cùm sciant vnum coronandū: quanto magis obseruandum nobis est, quia omnibus promissa est salus? Hęc disciplina militibus nota est. Ex multis aliqua nobis proponenda sunt, quæ ad abstinentiam militiæ nostrę pertinent. Dicit Apostolus ad Ephesios: Fornicatio autem, & omnis immunditia

Universidad de Deusto
Biblioteca

ditia, aut auaritia, nec nominetur in vobis, sicut decet sanctos. Contra hęc vitia luctamen nobis est, eodem Apostolo dicente: non est nobis colluctatio aduersus carnem & sanguinem, sed aduersus principes & potestates, & reliqua. In his superantur vitia. Bene se contra hæc præparat, qui ea ita abhorret, & à communione sua pellit, vt etiam apud se non nominentur. Futurum est bellum: abstineamus nos ab his, quæ impediunt pugnam nostram. Sequitur & turpitudo, & stultiloquium, aut scurrilitas, quę ad rem nō pertinet, sed magis gratiarum actio. Ista ad rem capessendæ Hierusalem non pertinent, sed resistunt: quapropter ab his abstineamus. De turpitudine dicit Hieronymus inter aliqua, significare absconditam cogitationem, cùm inflammatur sensus noster ad libidinem, & carnis titillationibus anima ignita succenditur, & nihilominus Dei timore & mentis iudicio refrenatur. Et iterùm de stultiloquio & scurrilitate: Stultiloquium nihil in se sapiens & cordi hominis dignum habet: Scurrilitas verò de prudenti mente descendit, inconsulto appetit quædam vel vrbana verba, vel rustica, vel turpia, vel faceta, quam nos iocularitatē alio verbo possumus appellare, vt risum moueat audientibus. Verùm & hæc à sanctis viris penitùs propellēda sunt, quibus magis conuenit flere atque lugere, vt in Hebraico quoque Euangelio legimus Dominum ad discipulos loquentem: Et nunquam, inquit, læti sitis, nisi cùm fratrem vestrum videritis in charitate. Vndè Ioannes Chrysostomus in sermone decimoquarto super Epistolam ad Hebræos: Nonnè audistis Paulum dicentem: Turpitudo, vaniloquium, & scurrilitas abiiciatur à vobis? Cùm turpitudinem & scurrilitatem posuit, tu autem rides? vaniloquium quidem nullam habet vtilitatem, vel omnino rides, & effundis faciem tuam? qui monachum profiteris, qui crucifixus es, qui luges, rides? Dic mihi, vbi Christus hoc fecit? Audisti hoc alicubi? Nusquam quidem: sed contristatum sæpiùs legisti. Et post aliqua: Lugeamus ergò, dilectissimi, lugeamus, vt re uera rideamus in tempore gaudij sinceriùs. Sic nobis videtur velle præceptorem officij, tempus septuagesimæ tēpus esse luctus, & propterea eum dixisse, Circundederunt me gemitus mortis. & iterùm. Adiutor in opportunitatibus, in tribulatione. Augustinus in Psalmo nono: Non enim conuertitur anima ad Dominum, nisi cum ab hoc seculo auertitur. Nec oportuniùs ab hoc seculo auertitur, nisi nugatoriis eius & noxiis, & perniciosis voluptatibus labores & dolores misceantur. Vbi labor & dolor, ibi iciunium saltem amicitiæ huius mundi: vbi iciunium, ibi humilitas mentis: vbi iciunium septuagenarium, compassio captiuorum. Si compatimur, & conregnabimus.

De Sexagesimâ. Cap. 2.

IN Sexagesima circundati sumus tribulationibus quàmmaximis, ac si non esset locus euadendi. Vendidimus nos sub peccato, in nobis non est virtus soluendi. Vndè dicitur in prima oratione Sexagesimæ: Deus qui conspicis, quia ex nulla nostra virtute subsistimus. Optamus potiùs, quàm præsumimus, vt verus Dominus noster se intromittat ad soluendum. Simili de causa dicit Iohel: Quis scit, si conuertatur & ignoscat Deus, & relinquat post se benedictionem? Quod sic exponit Hieronymus in eodem Iohele: Ego, inquit, hortor, quod meum est, ad pœnitentiam, & Dominum ineffabiliter noui esse clementem. Et paulò post: Sed quia profundum diuitiarum sapientiæ & scientiæ Dei nosse non possumus, sentētiam tempero, & opto potiùs, quàm præsumo, dicens: Quis scit, si conuertatur & ignoscat? Quod ait, quis, aut impossibile, aut difficile sciendum est. Peccata separant inter Deum & hominem, quarè dubitamus in Sexagesima, vtrum Dominus sit nobiscū, & propterea dicimus in Introitu: Exurge, quarè obdormis Domine? exurge, & ne repellas in finem: quare faciē tuam auertis? Obliuisceris inopię & tribulationis nostræ? quoniā humiliata est in puluere anima nostra. Vndè Augustinus in psalmo xliij. Inter manus puluerис huius, inter manus impiorum & persequentium, humiliata est anima nostra ad hoc, vt te inuocaremus, & dares auxilium de tribulatione: Venter autem noster hæsit in terra, id est, consensit impietati puluеris huius. Et iterùm: Exurgę Domine, adiuua nos, & redime nos propter nomen tuum, hoc est, gratis propter nomen tuum, non propter meritum meum: quia tu dignus facere, nō quia ego dignus sum cui facias. Est in epistola bonus athleta, qui nos confortat, vt quæramus viam euadendi de captiuitate, & despiciamus dominos, qui nos ad delendum tenent. Dicit, indignando super eos, qui malis cedunt: Libēter sufferтis insipientes, cùm sitis ipsi sapiētes. Sustinetis enim, si quis vos in seruitutem redigit, si quis deuorat, si quis accipit, &c. Nos captiui obedientes, secundum gradum arripuimus, id est, de tribulatione conscendimus ad inquirendum nostrum proprium Dominum: sciant, dicimus, gentes, quoniam nomē tibi Dns. Vndè August. Cognoscant, inquit, quia nomen tibi Dns, tanquàm nō vero, nec suo nomine nūcupentur, quicunq; alij domini nominātur, quoniā seruiliter dnantur, & vero Domino comparati, nec domini sunt. Tractus, Cōmouisti Domine, ostendit terram commotam conscientia peccatorum. Post terram commotam semen inducitur. In septuagesima increpati sumus, quia ociosi stetimus, inducti sumus ad vineam colendam: in ista Sexagesima semen iacimus. Sexagesima percurrit infra Septuagesimam ad quartam feriā Paschalis hebdomadis. Hæc quarta feria habet conue

nientiam

nientiam eum quarta ætate mundi, in qua Dauid & Salomon regnauerunt. In quarta ætate gens illa cælesti fide inclyta, regnò Dauid & Salomonis gloriosa, templi etiam sanctissimi altitudine, totum nobilitabatur in orbem: In nostra verò quarta feria triumphat Dauid, qui vicit leonem: & Salomon æternus, pacificus regnat, de quo dicit Apostolus: Christus resurgens à mortuis, iam non moritur: mors illi vltra non dominabitur. Templum ædificat nobilissimum Deo patri, qui dicturus est in fine, Venite benedicti patris mei, possidete præparatum vobis regnum ab initio mundi. Ad id regnum per sexagesimam nos oportet currere. Senarius enim numerus partibus suis computatus, primus perfectus est, sexta vnū, tertia duo, medietas tria: vnum enim & duo & tria, sex faciunt. Hic numerus perfectionem demonstrat. Beda in libro de temporibus: vbi notandum, quòd non ideò senarius numerus perfectus est, quia Dominus in eo mundi opera perfecerit: sed, sicut Augustinus ait, Ideò Dominus, qui simul omnia creare valebat, in eo dignatus est operari, quia numerus ille est perfectus. Senarius per denarium ductus sexaginta faciunt. Denarius ad mercedem operum respicit. Si quis per senarium, id est, perfectionem, mercedē operū requirit, ipse percipiet regnum, quod nobis promittitur in quarta feria Palchali.

De Quinquagesimâ. Cap. 3.

QVinquagesima in tertio graducōsistit. Anteà dubitabamus vtrum propiùs Dominus nobiscum esset, an non. Iam tenemus illum, & dicimus, Esto mihi in Deum protectorem, & in locum refugij, vt saluum me facias. Iesum precamur ducem militiæ nostræ, dicendo, Et propter nomen tuum dux mihi eris, & enutries me. Iam in expeditione sumus: aduenit doctissimus athleta, solito more nos hortans docet, quibus munimētis muniri nos oporteat, & dicit: Nunc autem manent fides, spes, charitas, tria hæc. De quibus dicit in alia Epistola, In omnibus sumentes scutum fidei, in quo possitis omnia tela nequissimi ignea extinguere, & galeam salutis assumite, & gladium Spiritus, quod est verbum Dei. Triumphator militiæ nostræ Deus est, cui dicitur: Tu es Deus qui facis mirabilia. Et iterùm, Liberasti in brachio tuo populum tuum. Tractus verò, Domino nobis præcipit seruire, qui nos fecit, non ei, cui nos vendidimus nosmetipsos. In sexagesima seminauimus: in quinquagesima fructum colligimus. Quid quæsiuit cæcus à Domino, qui nos præfigurat? Nihil aliud nisi vt frueretur lumine: fructum quæsiuit, fructum inuenit. Ista Quinquagesima secundùm diem, primùm venerabilis Paschæ tangit. Sicut enim senarius perfectionem operum demonstrat, ita quinquagenarius omnia bona opera, quæ perficiuntur per quinque sensus corporis. Quinquiès decem quinquaginta. Quisquis per exteriorem administrationem decem verba legis compleuerit in Spiritu sancto, non dubitat ad consortium peruenientum esse beatæ resurrectionis, quæ celebratur in Pascha Domini. Per sabbatum venimus ad Dominicum: sic & per septiformem spiritum legem implendo, ad resurrectionem. Tres gradus sunt trium officiorum, quos infiximus vsque ad hunc locum. Primus continet planctum captiuorum, qui esse nolunt sub dominis vitiorum: secundus voluntatem fugæ demonstrat, dummodò propitius Dominus velit eos suscipere, ac nō à se repellere. Tertius consilium agit, quomodò fugiat, præsumens iam de susceptione. Bonum consiliū adipiscitur iuxta verba Introitus, Esto mihi in Deum protectorem. Si quis tacito vel verboso sermone voluerit fari, non vt cætera, quę in memoratis officiis continentur, ita aptari in eis gradibus quomodò excerpta, volabo ad quandam arborem Augustinum, sedeboq; in ramis eius, forsan defendar sua densitate à rapacibus accipitribus. Scribit idem in libro 16. de ciuitate Dei: Non sanè omnia, quæ gesta narrantur, aliquid etiam significare putanda sunt: sed propter illa quæ aliquid significant, etiā ea quæ nihil significant, attexuntur. Non solo enim vomere terra proscinditur: sed vt hoc fieri possit, etiā cætera aratri membra necessaria sunt: Et non soli nerui in citharis atque huiuscemodi vasis musicis aptantur ad cantum: sed vt aptari possint, insunt etiam cætera in compaginibus organorum, quæ non percutiuntur à canentibus: sed ea, quæ percussa resonant, his connectuntur: ita in prophetica historia dicuntur & aliqua, quæ nihil significant, sed quibus adhærent quæ significant, & quodammodò religantur. Diximus tres gradus nitentium ad pugnam: simili modo dicimus tres articulos triumphi, id est, vnem sabbati, quartamque, & septimam. Quia diximus Septuagesimam nostram pendere à septuaginta captiuitatis annis prioris populi in Babylonia, bonum est, vt respiciamus eosdem articulos, quibus populus ille ad plenam libertatem peruenit. Prima reuersio fuit facta sub Zorobabel duce, & Iesu Sacerdote magno, in quinquagesies mille hominibus, quòd iam præscripsimus. Vbi hoc notandum est, quod in libro Esdræ scribitur, Omnis multitudo quasi vir vnus. Vndè Beda in expositione eiusdem: Nota gratiam primitiuæ Ecclesiæ, in qua multitudinis credentium erat cor vnum & anima vna; etiam in hoc transmigrantium cœtu reperiri: ita vt cū tantus esset exercitus, qui propè quinquaginta millium summam compleret, & hic diuersi gradus & conditionis existens, nihilominus omnis multitudo ob eandem fidem & dilectionem quasi vnus esse videretur homo, donāte illo qui habitare facit vnanimes in domo. Secunda reuersio est sub Esdra, sicut ab eodem scriptum est: Promouimus ergò à flumine Aha ua duodecimo die mensis primi, vt pergere-

mus

Universidad de Deusto
Biblioteca

mus Hierusalem, & manus Dei nostri fuit super nos, & liberauit nos de manu inimici & insidiatoris in uia, & venimus Hierusalē, & mansimus ibi diebus tribus: Die autē quarta appensum est argētum & aurum, & reliqua. Sed nondum muri Hierusalem reædificati erant. Vndè & in sequentibus legitur: Et factum est in mense Casleu anno vigesimo, & ego erā (Neemias) in Susis castro, & venit Anani vnus de fratribus meis, ipse & viri Iuda, & interrogaui eos de Iudæis, qui remanserant, & supererant de captiuitate, & de Hierusalem. & dixerunt mihi, Qui remanserūt, & derelicti sunt de captiuitate ibi in prouincia, in afflictione sunt & in opprobrio, & murus Hierusalē dissipatus est, & portę eius combustæ sunt igni. Tertia reuersio sub eodem facta est. sic enim scriptum est: Miserat autem rex principes militum & æquites, & audierunt Sanaballath Oronites & Tobias seruus Amanites, & contristati sunt afflictione magna, quòd venisset homo, qui quæreret prosperitatem filiorum Israel: & veni Hierusalem, & eram ibi diebus tribus. Iste Neemias ædificauit Hierusalem. Hæc propterea prælibauimus, vt nostra coaptaremus priori populo Dei. Hic prætermittamus quartam feriam, quando intrauimus in pugnam, quoniā in altera periocha tractanda est. Dies Dominicos sequimur.

De Quadragesima. Cap. 4.

IN Quadragesima aliqua pars pugnę peracta est. Dicit nobis, quē in Quinquagesima protectorē inuocauimus, Inuocauit me &, ego Exaudiā eum, &c. Epistola ita: Tempore accepto exaudiui te, & in die salutis adiuui te. Et in responsorio: Angeli Domini custodiunt nos. In Tractu, Scuto veritatis cincundati sumus. In Euangelio ad triumphum tēdimus, vt dicamus inimico: Vade Satana in interitum. In genealogia hominis Christi, in quo iste triumphus tripudiat, numerum præsentem Quadragesimæ Matthæus sanctificat, quem quadragenario numero Generationum scribit descendisse ad terras. Vndè Augustinus in libro secundo de cōsensu Euangelistarum: Acutè animaduersum est, Matthæum, qui regiam in Christo instituerat insinuare personā, excepto ipso Christo, quadraginta homines in generationum serie nominasse. Numerus autē ipse illud tempus significat, quo in hoc seculo & in hac vita regi nos oportet à Christo, secundum laboriosam disciplinam, qua flagellat Deus (vt scriptum est) omnem filium quem recipit. De qua dicit Apostolus. Per tribulationē oporter nos intrare in regnum Dei. Ergo numerus iste laboriosi huius temporis sacramentum, quo sub disciplina regis Christi aduersus diabolum dimicamus, etiam illud declarat, quod quadraginta dierum ieiunium, hoc est, humilitatem animæ consecrauit: & Lex & Prophetæ, per Moysen & Heliam, qui quadragenis diebus ieiunarunt: & Euangelium, per ipsius Domini ieiunium. Quibus diebus quadraginta etiam tentabatur à diabolo, quid aliud quàm per omne huius seculi tempus tentationem nostrā in carne sua, quam de nostra mortalitate assumere dignatus est, præfigurans? Iste quadragenarius numerus, qui inchoatur à sequenti Dominica post Quinquagesimam, finitur quinta feria ante Pascha Domini, quæ vocatur cœna Domini. Varietatem diei cœnæ Domini scribemus, si Dominus dederit, in memorata periocha. Hoc enim sufficit hic commemorare, quòd quadraginta à supradicto Dominico duo dies supersunt vsque ad baptismum, & fiunt quadragintaduo. tot enim māsiones habuerūt filij Israel, qui baptizati sunt in mari rubro, quando exierunt de terra Ægypti, de dura seruitute, & peruenerunt ad terram promissionis. Tot enim generationes sunt seriei Christi, cum Iechonia bis computato, & eodem Christo. Meritò qui ad cælestem patriam tendunt, eodē numero mansionum satagūt, quo filij Israel ad terram promissionis venerunt. Et meritò, qui ad Christum transeunt per baptismum, eodem numero ad eum perueniunt, quo Christus ad nos venire dignatus est. Et, sicut Hieronymus in libro mansionum filiorum Israel, Nec mirum, si in illo numeri sacramento perueniamus ad regna cælorum, sub quo Dominus atque Saluator à primo Patriarcha peruenit ad Virginem quasi ad Iordanem, qui pleno gurgite fluens, Spiritus sancti gratiis redundabat.

Cur Quadragenarius numerus temporali vitæ aptetur. Augustin. de consensu Euangelistarum. Cap. 5.

CVr autem iste numerus hanc temporalem vitam terrenamque significet, illa interim causa de proximo occurrit, quamuis sit alia fortasse secretior: quia & tempora annorum quadripartitis vicibus currunt, & mundus iste quatuor partibus terminatur. Quadraginta autem, quater habent decem. Porrò ipsa decem ab vno vsque ad quatuor progrediente numero consummantur. Et iterùm ad Ianuarium: Numero autem quadragenario vitā istam propterea figurari arbitror, quòd denarius in quo perfectio beatitudinis nostræ est, sicut in octonario, qui redit ad primum, ita in hoc creatura, quæ septenario figuratur, adhæret creatori.

Cur in tempore tali constituta sit obseruatio Quadragesimæ. Idem ad eundem. Cap. 6.

IN qua ergò parte anni congruentius obseruatio Quadragesimæ constitueretur, nisi confini atq; contigua Dominicæ passioni? Quia in ea significatur hæc vita laboriosa, cui opus est hæc conuenientia, vt ab ipsius mundi amicitia ieiunetur, quæ vtique fallaciter blandiri, & illecebrarum succos circunspargere atque iacere non cessat.

De varietatibus officiorum per diem, vsque in Resurrectionem Domini. Cap. 7.

QVarta feria inter Quinquagesimam & Quadragesimam ieiunium, quod protenditur in Pascha Domini, inchoamus, vsque ad istum diem in expeditione fuimus, hodie pugnam committimus. Hoc ostendit prima collecta Missæ, dicens: Concede nobis Domine præsidia militiæ Christianæ sanctis inchoare ieiuniis. In eadem die non est altera varietas, nisi quòd vsque ad hanc diē Missam celebrauimus hora tertia, qua & Dominica die: in hac, hora nona, & deinceps mutatam. Quibus armis pugnare debeamus, Iohel ostendit, dicens: In ieiunio & fletu & planctu. &, Egrediatur sponsus de thalamo suo, & spōsa de cubili suo. & Euangelium, Tu autem cùm ieiunas, vnge caput tuum, & faciem tuam laua, & reliqua, opinio est aliquorum, vt propterea hac die inchoetur ieiunium quadragesimale, quia exceptis diebus sex Dominicis infra Quadragesimam quadraginta tantummodò sunt à memorata feria vsq; in sabbato sancto. Illud enim occurrit, quod sanctus Gregorius tantūmodò triginta & sex dies abstinētiæ, nobis insinuat quadragesimalis temporis: forsan, quia nondum erāt additi quatuor dies à supradicta feria quarta vsque ad Dominicam Quadragesimæ. [Vt ergò Quadragesimæ summa compleatur, quatuor dies præcedentis hebdomadæ ad illos xxxvj. dies adduntur: quos simili deuotione venerabiles pari abstinentia, id est, ieiunij obseruatione custodiendos, & sanctorum Patrum auctoritas, & ratio ipsa commendat. Vndè & quarta feria, qua hoc ieiunium inchoamus, caput ieiunij appellari consueuit.] Constat etiam alia ratio, quæ non abhorret à vero ei, cui perspicuum est, capitis & membrorum compaginē vnum corpus esse. A memorata feria vsque in sabbato sancto, quadraginta & sex dies sunt: Totidem numero annorum, templum in Hierusalem ædificatū est. Vndè Beda in expositione Esdræ. Cœpta est autē ædificatio templi primo anno Cyri regis, & sexto Darij anno consummata, qui sunt anni iuxta fidem chronicorum, quadraginta & quinque. Siquidem Cyrus regnauit annos triginta, post quem Cambyses filius eius annos octo, qui in hoc volumine, vt Iosephus autumat, Artaxerxes vocatur: post quem Magi qui illum interfecerunt, anno vno: post quos Darius vsque ad consummationem ac ædificationem templi, annis sex, qui sunt, vt diximus, anni quadragintaquinque. Quæritur autem, quomodò dicente Domino Iudæis sub figura templi de passione ac resurrectione sua, Soluite templū hoc, & in tribus diebus excitabo illud, respondērūt ipsi: Quadraginta & sex annis ædificatum est templū hoc, & in tribus diebus excitabis illud? cùm non amplius quàm quinque & quadraginta anni reperiātur à primo Cyri regis vsque ad sextum Darij regis annum. Sed si historiam Iosephi legamus, in qua post consummationem ac ædificationem templi, tres adhuc annos addit, in quibus peribolus, id est, circumposita templo munitionum constructio, & quędam alia quæ remanserant, perfecta sint, videbimus quia rectè in ædificatione templi, quadraginta & sex annorum poterit summa computari, in quibus eminentiora eius ædificia fuere completa. Templum hoc Domini corpus significat. Augustinus in tractatu super Ioānem libro decimo: Ipsius templi resolutionem, & reædificationem anniuersaria solennitate celebraturi sumus: Ad quam vos exhortamur, vt præparetis vos, si qui estis catechumeni, vt accipiatis gratiam. Iam nunc tempus est, iam parturiatur, quod tunc nascatur. Ergò illud nouimus: sed fortè hoc exigitur à nobis, vtrum habeat aliquod sacramentū, quadragintasex annis ædificatum templum. Sunt quidem multa, quæ hinc dici possint: sed quod breuiter dici potest, & facile intelligi, hoc interìm dicemus. Fratres, diximus iam, nisi fallor, hesterno die: Adam vnum hominem fuisse, & ipsum esse totum genus humanum. Nam ita diximus, si meministis, quasi fractus est, & sparsus colligitur, & quasi conflatur in vnam societatē atque concordiam spiritualem, & gemit vnus pauper modo ipse Adam: sed in Christo innouatur, quia sine peccato venit Adam, vt peccatum Adæ solueret in carne sua, & vt redintegraret sibi Adā imaginem Dei. Adam ergò, caro Christi. De Adam ergò templum, quod destruxerunt Iudæi, & resuscitauit Dominus triduo: resuscitauit enim carnem suam. Et post pauca, Quid ergò sibi vult numerus quadragenarius senarius? Interìm ipse Adam quia per totum orbem terrarū est, audistis iam hesterno die quatuor literis Græcis quatuor verborum Græcorum. Si enim ista verba quatuor scribas sub inuicē, id est, nomina quatuor partium mundi, Orientis, Occidentis, Aquilonis, & Meridiani, quod est totus orbis, vndè dicit Dominus, à quatuor ventis collecturum se electos suos, cùm venerit ad iudicium: Si ergo facias ista quatuor nomina sua,

Ἀνατολή, quod est Oriens,
Δύσις, quod est Occidens,
ἄρκτος, quod est Septentrio,
Μεσημβρία, quod est Meridies:

Ἀνατολή, Δύσις, ἄρκτος, Μεσημβρία, capita verborum Adam habent. Quomodò ergo inuenimus ibi & quadragenarium & senarium numerum? quia caro Christi de Adam erat. Et iterum post pauca: Iam videte, ista litera quem numerum habeant: & ibi inuenietis, quadraginta & sex annis ædificatum templum. Habet enim Adam Αλφα μια, quod est, a vnum: habet & δ, quod sunt quatuor, habes quinque: Habet ite-

Hæc lineis inclusa in vno tantūmodò erāt exemplari.

Universidad de Deusto
Biblioteca

bet iterũ αλφα quod est vnum; habes sex. Habet & μ, quod est quadraginta; habes quadraginta sex. Quo nos cõpaginari oporteat corpori Christi, quod assumpsit, idẽ in sequentibus ostendit: Nos simus, inquiens, in humilitate cordis semper, & gaudiũ nostrũ penès ipsum sit †. Qui ita agit, vt cantores admonent in memorata feria, ipse est in humilitate cordis. Ipsi dicunt: Immutemus habitum cinere & cilicio, ieiunemus & ploremus ante Dñm. Compositor officij nostri iuxta admonitionẽ suam, vult circum nos agi: Si quis intrauit in scholam disciplinæ Christianæ quarta feria, non est bonum vt egrediatur nisi post victoriam. Quia intrauimus quando celebrauimus officia consueta, bonum est, vt cũ capite nostro in die resurrectionis triumphemus. Antequàm sanctus Augustinus de numero memorato disputaret, hortatus est catechumenos, vt se præpararent ad solennitatem Paschalem. Petrus Apostolus ostendit quomodò se debeant prçparare, dicens: Agite pœnitentiam, & baptizetur vnusquisque vestrùm in nomine Domini nostri Iesu Christi, in remissionem omnium peccatorum. Scundus Adam propterea venit, vt per pœnitentiam & baptismum reformetur ad suam imaginem primus Adam, qui est in quatuor partibus mundi. Quia Adã sparsus est per quatuor partes mundi, illo numero ad colligentem Adam recurramus, quem continet totus orbis primis literis suis.

De secunda varietate quartæ hebdomadæ Quadragesimæ. Cap. 8.

SEcunda varietas fit in quarta hebdomada Quadragesimæ, & in quarta feria? Primùm, quæ sit varietas: deindè, quarè: postremò, si Dominus dederit, cur in quarta feria quartæ septimanæ. Varietas est per adiectionem vnius lectionis & vnius responsorij. Prima lectio Ezechielis prophetæ, Sanctificabo nomen meum magnum. GRA. Venite filij. II. lectio Esaiæ prophetę, Hęc dicit Dominus Deus, Lauamini, mundi estote. GRA. Beata gens cuius est Dominus. Causam promemus Domino miserante: Memorata quarta feria, apud cultores ecclesiæ, in apertione aurium, dicitur. Eadem die agitur scrutinium tertium, quod maximum est inter septem scrutinia. Eadem die tanguntur aures & nares catechumenorum digitis presbyterorum. Eadem die instruuntur de auctoribus & initiis quatuor Euãgeliorum. Eadem die percipiunt orationem Dominicam & symbolum, ad reddendum in sabbato sancto Paschæ. Vndè Augustinus in libro de fide & moribus: Cur ergò baptizandi symbolum tradimus reddendumq; reposcimus? Nihil tale enim factum est erga illos, quos per mare rubrum Deus ab Ægyptijs liberauit. Si autem rectè intelligunt, hoc significari præcedentibus mysterijs de sanguine ouis postibus illito, & de azymis sinceritatis & veritatis; cur non etiam illud consequenter intelligunt, ipsam ab Ægyptijs separationem, significare discessionem à peccatis, quam baptizandi profitentur. Scrutiniũ possumus rectè intelligere iter ad baptismum. Scrutinium proprium syntagma habet, & propriam Missam. De Missa, quam publicam vocamus, est modò dicendum. In ea commemoratio celebratur eorum, quæ agũtur in scrutinio. Duo officia ibi aguntur: Imbuitur namque de fide & moribus. Vndè qui supra in libro memorato: Audiant qui baptizandi sunt, non solùm quid credere debeant, sed etiam quemadmodum se ab hoc seculo prauo eripiant. Ibi enim necesse est, vt audiant quemadmodũ credentes viuere debeant. Et iterùm: Quod scriptum est, euangelizasse Philippum spadoni Dominum, nullo modo dubitandum est, & illa in catechismo dicta esse, quæ ad vitam moresq; pertinent eius, qui credit in Dominum Iesum. Hoc est enim euangelizare Christum, non tantùm dicere quę credenda sunt de Christo: sed etiam quæ obseruanda ei, qui accedit ad compagẽ corporis Christi. In prima lectione, quæ secundum Ezechielem legitur, demonstratur, quomodo catechumenos congreget Deus ad compagẽ corporis Christi. Eripit eos à priore vita, & facit credere in Christum: sic enim legitur ibi: Tollam quippe vos de gentibus, & congregabo vos de vniuersis terris, & adducam vos in terram, & effundam super vos aquam mundã, & mundabimini ab omnibus iniquitatibus vestris, & ab vniuersis idolis vestris mũdabo vos, & dabo vobis cor nouũ, & reliq. Quod sic Hieronymus in eodẽ Ezechiele: Creator enim omnium sum. peperci eis, & sanctificaui illos, & gloriæ pristinæ restitui, ita vt super credentes, & ab errore conuersos, effunderem aquam mundam baptismi salutaris, & mundarẽ eos ab abominationibus suis, & ab vniuersis erroribus, quibus fuerant occupati, & darẽ eis cor meum, vt crederent in filium Dei. Eandem rem in responsorio inueniet, qui quærit: Venite filij, audite me: timorem Domini docebo vos. Radix enim sapientiæ est timere Dominũ. Qui primo radicem figit credulitatis, necesse est vt sciat timere Dominum. Vndè iterum scriptum est: Fili mi, accedens ad seruitutẽ Domini, sta in iustitia & timore, & præpara animam tuam ad tentationem. At secunda lectione affatim de moribus disputat, in qua ait: Quiescite agere peruersè, discite benefacere: quęrite iudicium, subuenite oppresso. Et in conclusione ita: Venite & arguite me, dicit Dominus, id est, si ita feceritis, & nõ reddidero vobis mercedem, meritò arguetis me. Sequens responsorium demonstrat, catechumenos ad nomen transire dicens: Beata gens cuius est Dominus Deus eius, populus quem elegit in hæreditatem sibi. Versus, bonos mores electorum demonstrat: Verbo Domini cæli firmati sunt, & spiritu oris eius omnis virtus eorum. Fas est, vt qui se spontè obtu-

tè obtulerunt Deo, post institutionem fidei & morum, ad nomen eius transeant, & eius firmitate muniantur, cuius hæreditate possidentur. Vt opinor, demonstratum est, propter fidem & mores, quibus instruendi sunt catechumeni, duas lectiones lectas esse eadem die. Et gò & Euangelium non dissonat ab hoc officio, dicente Augustino super Ioannem: Lauit ergò oculos in ea piscina, quæ interpretatur Missus: Baptizatus est in Christo. Si ergò quando eum in seipso quodammodò baptizauit, tunc illuminauit: quandò inunxit, fortasse catechumenum fecit. Modò dicendum est, vt promisimus, quarè hoc officium agatur quarta feria quartæ hebdomadis Quadragesimę. Per quadragenarium numerum omne tempus seculi significatur, vt demonstratum est in superioribus ex libro sancti Augustini de cõsensu Euangelistarum: sex dies primi, sex ætates seculi demõstrant, & sex ætates vnius hominis. De quarta tantummodò nunc dicendum est, quarta feria & quarta septimana quadragesimæ, compaginantur quartæ ætati seculi, & æuo vnius hominis. Quarta ætas est à Dauid, dicente Beda in sua chronica, vsq; ad transmigrationem Babylonis. Et post cætera, à qua velut iuuenili ætate, in populo Dei regũ tempora cœperunt. Hæc namque in hominibus ætas, apta gubernando solet existere regno. Item in eadẽ: Quarta ætas mundi non solùm cum inchoato gentis Iudææ imperio, sed & cum innouata promissione, quæ patribus olim data est, imperij Christiani sumit exordium, iurante Domino Dauid veritatem, de fructu ventris eius sedere super sedem eius. Non immeritò eadem die & eadem hebdomada catechumeni ad nomen Christianum accedunt, quę præfigurata est à quarta ætate hominis, i. iuuenili, quæ apta est gubernaculo imperij: & ab eadem ætate seculi, quæ innouata est ex promissione regni Christi. De quo regno Gabriel Archãgelus Mariæ: Hic erit magnus, & filius Altissimi vocabitur: & dabit illi Dominus Deus sedẽ Dauid patris eius, & regnabit in domo Iacob in æternum. Beda in Luca: Accepit autem sedem, siue regnum Dauid Dominus, vt gentẽ, cui Dauid quondam temporalis regni gubernacula simul & exempla iustitiæ præbuit, quamq; modulis hymnorum spiritualium ad fidem atque amorem sui conditoris accendere solebat, hanc ipse factis, verbis, donis, & promissis tantùm mediator Dei & hominum dignis ad regnum cęleste & immortale vocaret, atque ad ipsam Dei patris visionem introduceret.

De tertia varietate sabbati ante Palmas. Cap. 9.

VArietas tertia, est sabbato ante Palmas, hæc est varietas eius. Prætitulatur in Sacramentario nostro & in Antiphonario, Sabbato vacat, Dominus Papa eleemosynam dat. Cogitare oportet, quarè eadẽ die potissimùm eleemosyna Apostolici recitetur, cũ per omne tempus anni eleemosyna tribuenda sit. Vbi notandum, quòd ea quæ recolimus cultibus Ecclesiasticis circa passionẽ Domini & resurrectionem atque ascensionem in cęlos, in memorationem illarum rerum, quæ suo in tẽpore peractæ sunt agimus: vndè quotidiè dicimus in sacrificio Missæ: Quotiescunque hæc feceritis, in mei memoriam facietis. Habemus opus præcedẽs eleemosynæ præsentis sabbati, quod imitemur, & ad memoriam nostri reducamus. Insit symmysta Ioannes: Ante sex dies Paschæ venit Iesus in Bethaniam, vbi fuerat Lazarus mortuus, quem suscitauit: fecerunt autem ei cœnam ibi. & post pauca: Maria ergo accepit libram vnguenti nardi pistici pretiosi, & vnxit pedes Iesu, & extersit capillis suis pedes eius, & domus impleta est ex odore vnguenti. Ad indignationem Iudę proditoris, iuxta Matthęum, ita Dominus testificat opus mulieris: Quid molesti estis huic mulieri? Opus bonum operata est in me. Nam semper pauperes habetis vobiscum, me autem non semper habebitis. Et post pauca: Amen dico vobis, vbicunq; fuerit prędicatum hoc Euangelium in toto mundo, dicetur & quòd hæc fecit, in memoriã eius. Apostolicus vir in memoriam deuotissimę mulieris, membris Christi facit, quod ipsa fecit capiti. Dicit Paulus: Imitatores mei estote filij charissimi, sicut & ego Christi. Identidèm dicit Apostolicus, quamuis non verbis, operibus tamẽ: Imitatores mei estote filij mei, sicut & ego Marię. Vndè Augustinus super Ioannẽ: Factum audiuimus, mysterium requiramus. Quæcunque anima fidelis vis esse Maria, vnge pedes Domini pretiosissimo vnguento. Vnguentum illud iustitia fuit, ideò libra fuit. Et iterùm: Vnge pedes Domini benè viuẽdo, Dominica sectare vestigia, capillis terge: si habes superflua, da pauperibus, & pedes Domini tersisti: Capilli enim superflua corporis videtur. habes quod agas de superfluis tuis. Tibi superflua sunt, sed Domini pedibus necessária: fortè enim in terra Domini pedibus indigent. De quibus enim nisi de mẽbris suis in fine dicturus est, cùm vni ex minimis meis feciſtis, mihi feciſtis? superflua vestra impenditis, sed pedibus meis obsecuti estis. Domus autem impleta est ex odore vnguenti, mundus impletus est fama bona mulieris. Hoc pretiosissimũ exemplum sequitur Apostolicus: vtinam & nos sequamur. Vbicumq; enim officium Romanę Ecclesię agitur, hęc fama personat, Dominus Papa eleemosynam dat. Det Deus, vt & in nobis perseueranter sonet, & acceptum sit, quod agimus, coram angelis Domini in memoriam nostri.

De quarta varietate diei Palmarum. Cap. 10.

QVarta varietas est, quæ dicitur, diei Palmarum. Eadem die Dñs de Bethania descendit Hierusalem, quandò obuiam venit ei

Universidad de Deusto
Biblioteca

turba, vt Ioannes narrat: in crastinum autem turba multa, quæ venerat ad diem festum, cùm audisset quia venit Hierosolymam Iesus, acceperunt ramos palmarum, & processerunt obuiam ei, & clamauerunt, Osanna, benedictus qui venit in nomine Domini rex Israel. In memoriam illius rei, nos per ecclesias nostras solemus portare ramos, & clamare, Osanna. Quare venerit Hierusalem, Beda in Marco ex testimoniis scripturarum promit, dicens: Appropinquãte autem tempore passionis, appropinquare voluit Dominus loco passionis, ibique proximus manere, vbi constituto ac præfinito ante secula tempore inueniri posset ab eis, per quos eadem passio erat complenda. Et post pauca: Vbi non prætereunda silentio est non tantùm concordia in rebus, verùm etiam in temporibus veteris & noui testamenti, vmbræ & veritatis, Legis & Euangelij. Scriptum est namque in Lege, dicẽte Domino ad Moysen & Aaron: Mensis iste vobis principium mensium, primus erit in mensibus anni. Loquimini ad vniuersum cœtum filiorum Israel, & dicite eis: Decima die mensis huius tollat vnusquisque agnũ per familias & domos suas. Et paulò post: Et seruabitis eũ vsque ad quartamdecimam diem mẽsis huius, immolabitq; eum vniuersa multitudo filiorũ Israel ad vesperam. Decima ergò die mensis primi agnus qui in Pascha immolaretur, domũ introduci iussus est, quia & Dominus decima die eiusdem mensis, hoc est, ante quinque dies Paschæ in ciuitatem, in qua pateretur, ingressus est.

De quinta varietate quartæ feriæ maioriæ hebdomadæ. Cap. 11.

QVinta varietas est in quarta feria post palmas, quæ habet varietatẽ & adiectionem vnius lectionis, & vnius responsorij, cum quinq; versibus, ac ex passione Domini, quæ ea die legitur, necnon etiam vt scriptũ habemus in libello qui dicitur, Romanus Ordo, ex genu flexione. Intimat supradictus libellus, ex Romana cõsuetudine debere eadẽ die ante publicũ officiũ orationes, quas solemus in sexta feria agere, recitari. Quid rationis hæ orationes habeãt, siue in quarta feria, siue in sexta, iuxta quod Dominus dederit, demonstrabimus in sexta feria ex dictis sancti Augustini: in præsenti verò parum intimandum est. Libet modò primùm dicere, cur hæc varietas agatur in quarta feria, simulq; intimare mysteriũ varietatis. Dicit Augustinus in libro ad Casulanum presbyterum de ieiunio sabbati: Quarta sabbati, quam vulgò quartam feriam vocant, consilium reperiuntur ad occidendum Dominum fecisse Iudæi. Ex eo demonstratum est, quarè varietas celebrata sit in memorata feria. Consilium enim fecerũt Iudæi, vt occideret Dominum. Sicut actus eorum qui fuit in sexta sabbati, ad memoriam reducitur, sic & consilium eorum. In vtrisque in-

A iuriam fecerunt Christo. Illud mysterium continet præsens officium, vt intelligamus, secundum Adam pro primo Adam mortuum esse, sicut psalmus inquit, Quę non rapui, tunc exoluebam. Vndè Augustinus? Omninò non rapuit, sed quis rapuit? Adam†. Eadem die in memoriam nostri reducitur crudele consilium Iudæorum, & mãsuetudo Christi: de qua mansuetudine dicit qui suprà, in psalmo xliij. Vsq; adeò mansuetus, vt pendẽs in cruce, diceret: Pater, ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt†. Huius exẽplo, id est, capitis nostri, doce
B mur, vt contra omnem iniuriam armemus nos armis orationis & patientiæ, sicut scriptum est in Euangelio: Orate pro persequentibus & calumniantibus vos. Postquàm tetigerimus officij constituta, ipsa dilucidabunt quid in se contineant. Introitus est, In nomine Domini omne genu flectatur, cælestium, terrestrium & infernorum, quia Dominus factus est obediens vsque ad mortem, mortem autem crucis: ideo Dominus Iesus Christus in gloria est Dei patris. Nomen Domini, in loco isto pro re debemus intelligere. Vndè Ambrosius in Epistolam
C ad Philippenses: Nomen euidens est, quomodò non vocabulum, sed rem quandam dicit acquisitam ei, sicut illud quod scriptum est, Et cognoscent quia nomen tibi Dominus, hoc est, quoniam tu Dominus. Interpretatur verò Paulus, quid sit illud nomen, In nomine Iesu omne genu flectatur, & reliqua†. Qua muis ista Ambrosius differat post passionem Domini, tamẽ non abhorret à vero, si dixerimus, in nomine Domini posse intelligi, in præcepto Domini. Omne genu flectatur contra aduersa mundi, vt superiùs dictum est, Orate pro persequentibus &
D calumniantibus vos: Ad quam rem significandam, orationes prælibabimus ex Romano ordine: Intermisit præceptor officij, Et omnis lingua confiteatur. Hoc bonum benè locutus est Apostolus. Bonum nostrum Iudæi loquebantur de Christi morte, quæ interceſſit pro salute nostra: sed malè proferebant linguis. Silẽtio linguæ docet nos præceptor officij vitare malum Iudæorum. Mansuetudo Christi orabat, quam nos imitemur. Sufficit de introitu, qui pertinet ad orationem, quam nos exercere debemus in iniuriis persecutorum. Nunc ad orationẽ Missæ transeamus, in qua sicut in cæteris sequentibus mortẽ Christi celebrabimus, quam erat pro
E nobis passurus. Regnũ mortis nos stimulabat, quod venit Christus reuerberare. Sic.n. dicit, Qui nostris excessibus incessanter affligimur, per vnigeniti tui passionem liberemur. Videamus lectionem, quæ apertè passionem Domini demonstrat, dicendo: Oblatus est, quia ipse voluit, & non aperuit os suũ. Et in sequentibus, cur oblatus sit, aperit: Si posuerit pro peccato animam suam, videbit semen longæuum: & reliqua. Vndè Hieronymus: si posuerit pro peccato animam suam ille, quem Dominus cõterere voluit, siue mundare, videbit semẽ longæuum,

quod

quod seminauit super bonam terram, de quo &
A in Euangelio scriptum est: Exiit, qui seminat, seminare semen bonum†. Audiamus responsorium: Nè auertas faciem tuam à puero tuo. & reliqua. Vndè Augustinus in Psalmis: Et hæc commendatio est à puero tuo, id est, à paruo, qui iam caruit superbia per disciplinam tribulationis†. Versus ità sonat: Saluum me fac Deus, quoniam intrauerunt aquę vsque ad animam meam, infixus sum in limo profundi. Vndè qui supra in eodem. Prefigurans & transformans in se nosipsos, hæc ait: Saluum me fac Deus, quo-
B niam intrauerũt aquæ vsq; ad animam meam. Potuerunt, qui persecuti sunt, etiam occidere: sed amplius quod faciant nõ habebunt. Et paulò pòst: Infixus sum in limo profundi, & non est subsțantia. Quid dicit limum? an ipsos qui persecuti sunt? de limo. n. factus est homo: sed iustificando ad iustitiam. Et paulò pòst: Isti autem cùm limus profundi essent, hæsi in illis, i. tenuerunt me, præualuerunt mihi, occiderunt me†. Primus homo passus est duas mortes: mortem animæ, & mortẽ corporis. In prima lectione & in primo responsorio recolitur mors animæ: In secũda & in secũdo, mors corporis. Pro
C vtrisq; mortuus est Christus. Vndè Ambrosius in Epistola ad Corinthios: Sanguis Domini sanguinem nostrum redemit, id est, totum hominem saluum fecit. Caro enim Saluatoris pro salute corporis, sanguis verò pro anima nostra effusus est†. Primus homo vnam habuit animam, Propterea primũ responsorium vnus versus sequitur. Videamus primò, quomodò secũda oratio congruat intentioni nostræ: deindè, quomodò lectio: postremò, quomodò responsorius qui habet quinq; versus. Oratio
D dicit: Deus, qui pro nobis filium tuum crucis patibulum subire voluisti, vt inimici à nobis expelleres potestatem. Lectio referta est de passione Domini, quæ dicit, Quis est iste, qui venit de Edom, tinctis vestibus de Bosra? & iterùm, Torcular calcaui solus. In quibus verbis nihil aliud redolet, nisi angelorum inquisitio, cur haberet Christus tincta vestimenta sanguine, & eius responsio, quia torcular calcaui solus. Quare hoc ageret, in fine lectionis audituri sumus ex gratiarum actione, quæ dicit, Miserationum Domini recordabor, laudem Do-
E mini super omnibus quæ reddidit nobis. Hieronymus in Esaia: Pressus, inquit, pondere malorũ, in nullo alio nisi in misericordia Dei spẽ habeo, qui facit misericordiam in millia diligẽtibus se. Responsorius secundus quinq; versus habẽs quinq; corporis sensus significat in Adam mortuos, quos Christus moriendo & resurgẽdo reuiuificauit, & pristino reddidit statui†. Responsorius quinque versus habet. Vnus homo per quinq; sensus corporis mortuus erat. Operatorẽ mortis diabolum esse per sensus exteriores Cyprianus demonstrat. Offert, inquit, oculis formas illices, faciles voluptates, vt visu destruat castitatẽ: Aures per canora musica tẽtat,
A vt in soni dulcioris auditu soluat, & molliat Christianum vigorẽ: Linguam conuicio prouocat, manũ iniuriis lacessẽtibus ad petulantiam cædis instigat†. De olfactu silet. Faxit Deus, vt instigator mortis nõ habeat locũ intrandi ad animũ nostrum per odorẽ libidinosum. Quod magis timẽdum est, quàm tractandũ. In aliquibus verbis versuum responsorij, ipse Adam introducitur, à quo nos carnẽ trahimus. Dicit versus: Quia defecerunt sicut fumus dies mei. Augustinus inquit in eodẽ psalmo: Vndè sicut fumus? nisi propter elationẽ superbiæ? Tales dies
B dignus fuit accipere superbus Adam, vndè carnẽ Christus accepit. Ergò in Adam Christus, & Adam in Christo. Et iterùm: Percussum est sicut fœnũ, & aruit cor meũ. Respice ad Adam, vndè genus humanum. Vndè. n. nisi ab illo hæreditaria ista paupertas? Dicat ergò iam cum spe in corpore Christi positus ille aliquando in suo corpore desperatus, Percussus sum sicut fœnum, & aruit cor meum†. Passio quæ legitur, nostra corda confirmat. Ostẽdit Iudæorum consilium præualuisse ad tẽpus, & in mansuetudine Christum perseueraſſe. Proposuimus tantùm dicere
C de varietatibus, quapropter reticemus de sequẽtiis Missæ: quia congruit, vt ad memoriam reduceremus mortẽ Christi cõsilio Iudæorum, quam tamen eodem die per patibulum crucis non subiit, oportet vt morte nostra quæ iam erat, illam recolamus, pro qua ipse dignatus est venire ad passionem.

De sexta varietate Cœnæ Domini. Cap. 12.

SExta varietas est in quinta feria, quam vocamus cœnã Domini. In ea non canitur, Gloria patri & filio & spiritui sancto. In ea consecratur tribus modis oleum trium officiorũ. In ea reseruatur corpus Domini vsque in crastinum, reficiturq; in commemorationẽ refectionis Christi: Lauantur pedes fratrum, & pauimẽta ecclesiæ, nudantur altaria vsq; in sabbato sancto. In ea die pœnitẽtes veniunt ad solutionẽ: & apud quosdam redditur symbolum à catechumenis, vt in canone Laodicen. concilij continetur: tamẽ Romanum ordinẽ sequẽtes hanc redditionem seruamus vsque in sabbato sancto.
E Optamus ex his omnibus primò, si Dominus dederit, aliqua proferre de ratione olei. Vt Isidorus ait, olea ipsa arbor est, fructus oliua, succus oleum. Est autem arbor pacis insigne: Habet & pinguedinẽ, qua lassi atq; infirmi artus recreantur, & gratia præstatur luminis. Illud oportet hoc in loco intimare, vt secundùm Apostolum, ex visibilibus inuisibilia intelligantur. Sinè oleo enim potest Deus sanare infirmos, sanctificareq; suos, & dæmones effugare. Vndè Ambrosius in Epistola ad Corinthios 1. Scimus enim & Spiritum sanctum sinè manus impositione datum à Deo, & non baptizatum consecutum remissionẽ peccatorum. Numquid

Universidad de Deusto
Biblioteca

non hic inuisibiliter baptizatus est, quando do
num baptismatis consecutus est? Olei naturam
audiuimus, quæ habilis est ad recreandos ar-
tus fessorum, & luminis gratiam præstat. Ani-
males enim hæc possunt cognoscere: Credant
etiam quòd non possunt videre, vt fiat quod
de Apostolo prælibauimus: Inuisibilia enim ip
sius, à creatura mundi per ea, quæ facta sunt, in-
tellecta conspiciũtur, sempiterna eius quoq; vir
tus & diuinitas: quod apertè Augustinus in psal. 44.
explanat. Oleum. n. visibile, in signo est: oleum
inuisibile, in sacramẽto: oleũ spirituale, intus est.
Potest Deus per se oleum tribuere spirituale, si-
ne corporali: sed propter animales aguntur vi
sibilia, vt inuisibilia facilius capiantur. Si quis
dixerit, si potest, quare tãto studio obseruatur
cultus consecrationis olei? respondebitur. Non-
nè antiqui iusti potuerunt Deo placere sine cir
cunci sione? Potuerũt vtique: Sed postquàm eis
præceptum est, vt circumciderentur: nisi circun
ciderentur, peccati vinculo tenebantur. Vndè
Augustinus ad Seleuciam: Antiqui iusti si non
circumciderentur, non erat eis peccatum: po-
stea verò quàm iussit Deus, vt circumcideretur
Abraham, eiusq; posteritas, iam nisi fieret, pec
catum graue fuit. Apostoli autem hac arte, i.
olei vtebantur in redintegratione infirmorum:
Apostolici viri in cõsignatione neophytorum.
Quapropter non sine peccato à nobis potest di
mitti, quod eorum auctoritas consecrauit. Sic
enim scriptum est in Euangelio: Exeuntes prę-
dicabant, vt pœnitentiam agerent, & dæmonia
multa eiiciebãt, & vngebãt oleo multos ægros,
& sanabant. Vndè Beda: Dicit Apostolus Iaco
bus, Infirmatur quis in vobis? inducat presby-
teros ecclesiæ, & orent super eum, vngentes
cum oleo in nomine Domini: & si in peccatis
fit, dimittentur ei. Vndè patet, ab ipsis Aposto
lis hunc sanctæ Ecclesiæ morem esse traditum,
vt energumeni, vel alij quilibet ægroti vngan
tur oleo Pontificali benedictione consecrato.
De eo oleo, quod infunditur super neophytos,
nõ tale quid legimus, sed tenemus Apostolicã
consuetudinẽ, & auctoritatem suam accepimus
à Romana Ecclesia, quam pro lege tenere opor
tet, dicente Augustino ad Casulanum presby-
terum de ieiunio sabbati: In his enim rebus, de
quibus nihil certi statuit scriptura diuina, mos
populi Dei vel institutа Maiorum pro lege te-
nẽda sunt. Nũc verò quia demonstratum est de
generali ratione olei, restat vt primò dicamus
de oleo quod consecratur pro infirmo. Conse-
cratur enim in ipso officio consecrationis cor-
poris & sanguinis Domini: Non habet proprũ
officium, id est, nec in capite verba salutatio-
nis, nec Oremus, nec in fine concluditur vt cæte
ræ orationes, Per Dominũ nostrũ Iesum Chri-
stum: Sed tantùm in nomine Domini nostri Ie-
su Christi. In eo loco vbi solemus vuas benedice
re, ibi consecratur oleum pro infirmo, conclu-
dituŕque conclusione, Per quem hæc omnia Do
mine semper bona creas. Vndè intelligimus
embolim esse supradicti officij. Supradictum
officium, immolationem CHRISTI & Ecclesiæ
tantummodò tenet. Qui enim peccato viuit,
non immolatur Domino: qui peccato moritur,
immolatur Domino. Nisi infirmitas accideret
ex peccatis, non diceret Iacobus, Et si in pecca
tis sit, dimittentur ei. In epistola quæ legitur
eadem die, ostendit Paulus, quibus peccatis
accidat infirmitas, dicendo: Probet autem
seipsum homo, & sic de pane illo edat, & de ca-
lice bibat. Qui enim manducat & bibit indi-
gnè, iudicium sibi manducat & bibit, non diiu-
dicans corpus Domini. Ideò inter nos multi
infirmi & imbecilles, & dormiunt multi. Hìc
ostendit vulnera, Iacobus coapostolus eius me
dicinam: Infirmatur quis in vobis? inducat pres
byteros Ecclesiæ, & orent super eum, vngentes
eum oleo in nomine Domini: & oratio fidei sal
uabit infirmum, & alleuiabit eum Dominus;
& si in peccatis sit, dimittentur ei. Quid infir-
mum saluet, hìc manifestat, scilicet oratio fidei,
cuius signum est olei vnctio. Si propterea infir
mantur, quia manducant corpus Domini indi-
gnè, quibus tamen subuenit olei vnctio, i. gra-
tia Dei per orationem presbyteri, meritò con
secratio de qua nunc agitur, consecrationi cor-
poris & sanguinis Domini iungitur, quæ fit in
commemorationẽ passionis Christi, per quam
auctor peccati ęternaliter prostratus est. Passio
Christi, auctorem mortis destruxit: gratia eius
quæ significatur per olei vnctionem, arma eius
quæ sunt peccata quotidiana, destruxit. No-
uissima oratio consecrationis Dominici corpo
ris, ex voto pœnitentium fit, de quibus dicitur:
Sacrificiũ Deo spiritus contribulatus. Congruè
in ea consecratur oleum pro pœnitentibus, vbi
eorum sacrificium Deo offertur. Quoniam de
olei natura, & quid significet, & cur in tali loco
consecretur, summatim perstrinximus: conse-
quens est, vt aliqua tangamus de verbis conse-
crationis. Ait enim: Emitte Spiritum sanctum
tuum paraclꝝtum de cælis in hãc pinguedinem
olei, quam de viridi ligno producere dignatus
es ad refectionem corporis. Paraclꝝtum, est hìc
additum, quod non inuenitur in sequentibus,
vt reor, non sine causa alicuius mysterij. Primò
videndum est, quid operetur Spiritus sanctus in
singulis: indè apparebit, cur addatur in ista. Exor
cismus olei iubet recedere diabolum à catechu-
meno, qui adhuc pro mortuo deputatur,
quia nondum est baptizatus. Chrismalis vn-
ctio sanctificat iam viuentem ex mortuis.
Oleum pro infirmis, medelam præstat sau-
ciatis. Vndè in eadem, ad euacuandos om-
nes dolores, omnes infirmitates, omnem æ-
gritudinem corporis. Ægritudinem sequi-
tur dolor, dolorem consolatio. Paraclꝝtus
consolator interpretatur. Qui mortuus est,
non dolet: quia non sentit, quem non sequitur
consolatio. Qui in Christo sanctificatur per
con resurrectionem, non eget consolatione ex
dolore. Nunc transeundum est ad principalem
con-

Principalis cõsecratio chrismatis.

consecrationem chrismatis. Ipsa enim dicitur
principalis, quia ad eius vnctionem principa-
lis spiritus tribuitur. Habet enim proprium of-
ficium per se. Inchoatur à Sursùm corda: fini-
tur, Per Dominum nostrum Iesum Christum,
qui tecum viuit. Consecratur in eo loco, vbi pa
cem inter nos solemus dare. Hoc est opus gra-
tiæ Domini, vt pax & concordia regnet in no-
bis. vt Isidorus ait, Olea est arbor pacis insignis.
Hæc pax perfigurata est olim in arca Noe, vt
verba eiusdem consecrationis testantur, dicen-
do: Et cùm mundi crimina diluuio quondã ex-
piarentur effuso, similitudinem futuri muneris
columba demonstrans, per oliuę ramum pacem
terris redditam nunciauit. Hìc non solũ oleum,
sed & balsamum cõsecratur. Balsami arbor est
vna aromatum, quæ sunt odoriferæ, vt idem
Isidorus. Aromata sunt quæque fragrantis odo
ris, quæ India vel Arabia mittit, vel Italiæ re-
giones. Nomen autem aromata traxisse viden-
tur, siue quia aris imposita, diuinis inuocatio-
nibus apta videantur, seu quia sese aeri insere-
re ac miscere probãtur†. Odor balsami in oleo,
opinionem bonarum virtutum latè dispersam,
operante gratia Spiritus sancti, demonstrat.
Additur oleo balsamus, quia nitet in vultu Chri
sti cælestis splẽdor. Vnde Hieronymus in Psal-
mo quadragesimoquarto ad Principium virgi-
nẽ: Virgo de virgine, qui non ex voluntate viri,
sed ex Deo natus est. Nisi. n. habuisset in vultu
quiddam oculisq; fidereum, nũquàm eum sta
tim secuti fuissent Apostoli, nec qui ad compre
hendendũ venerant, corruissent. Ipse nitor exhi
larat, operante gratia Dei, vultus electorum,
vt cum magna delectatione actus eorum imite
mur. Vndè præsens oratio: Nam & Dauid pro-
phetico spiritu gratiæ tuæ sacramenta prænos-
cens, vultus nostros in oleo exhilarandos esse
cantauit. Et paulò pòst: Hæc olei vnctio vultus
nostros iucundos efficit ac serenos. Vultus no-
stros, manifestationem operum nostrorum in-
telligimus. De qua re Augustinus in psalmo cẽ
tesimoquarto: Gratia quædam, quæ est homi-
num ad homines, perspicua ad conciliandum
sanctum amorem, oleum dicitur in nitore diui-
no: & quoniam excellentissima in Christo ap-
paruit, totus orbis eum diligit. Et paulò pòst:
Tanta. n. eius est gratia, vt multi qui in eum non
credunt, laudent eum: & propterea dicant nolle
se in eum credere, quia nemo potest hoc, quod
iubet, implere. Laudando impediuntur, qui in
illum vituperando sæuiebant: amatur tamen ab
omnibus, prædicatur ab omnibus: quia excellẽ-
ter vnctus, id est, Christus. Sequitur exorcismus
olei: vt Isidorus, Exorcismus Græcè, Latinè con
iuratio, seu sermo increpationis est aduersus
diabolũ, vt discedat: & concluditur sic, Per Do-
minum nostrum Iesum Christum, qui venturus
est iudicare viuos & mortuos, & seculum per
ignem. Illo inunguntur catechumeni, vt si quæ
maculę inhæserũt corpori aut menti, postquàm
ad scrutiniũ accesserunt, recedant, & munimen-
tum deinceps habeant per hanc vnctionem, vt
nõ possit diabolus repedare. Verba orationis,
hæc demonstrãt, dicendo, vt si quæ illis aduer-
santium spirituũ inhæsere reliquię, ad tactum
sancti olei omnes abscedãt: nullus spiritalibus
nequitiis locus, nulla refugis virtutibus sit fa-
cultas, & reliqua. Hæc increpatio siue coniura
tio ad diabolum, digna est habere iudicium no-
uissimum, in quo iudicandi sunt mortui & viui
& seculum per ignem. Ibì se scit potissimùm
diabolus damnandum, illius tremore vndique
concutitur: At qui iam resurrexerunt & viuunt
cum Christo, illi audiãt bona sibi promitti, per
eundem qui viuit & regnat Deus cum patre in
vnitate Spiritus sancti. Tres cõmemoratę con-
secrationes, ex vna eademq; substantia fiunt, id
est, ex olei liquore: Sic namque Spiritus sancti
substantia vna, qui tamẽ diuiditur multiformi-
ter per gratiam donorũ suorum: Alij datur ser
mo sapientię, alij sermo sciẽtiæ, alteri fides, alij
gratia sanitatum, & reliqua. Hęc videntur nobis
habilia esse ad dilucidandas consecrationes no
stras. Sermo sapientiæ, bonam conuersationem
tenet, eorum scilicet, quibus loquitur præsens
Apostolus: Si consurrexistis cum Christo, quę
sursum sunt, quærite, vbi est Christus in dexte-
ra Dei sedens: quæ sursum sunt, sapite. Hunc, sa
porẽ gustauit, qui ait: Gratia Dei sum id quod
sum. Ecce habes oleum: addatur sermo scien-
tiæ. Scientia ad doctrinam pertinet: quoniam
in illa laborauit Paulus, propterea subiunxit, &
gratia eius in me vacua non fuit: Habes & bal-
samum. Vbì hæc duo coniuncta fuerint, per-
fectum faciunt seruientem. Sequitur, Alteri
fides. fidem in promptu ad duo opera introdu
cimus, ad expulsionem videlicet, vt Apostolus:
Si habuero fidem, ita vt montes transferam; &
ad munimen, de quo dicitur, sumentes scutum
fidei. Habes exorcismum olei, vt ipsa veritas
testatur, dicendo, Si quæ inhæsere reliquiæ ad-
uersantium, ad tactum sanctificati huius olei
abscedant. Et iterum, Nulla refugis virtutibus
sit facultas. Sequitur. Alij gratia sanitatum: ha
bes oleum pro infirmo. Verba huius orationis
demonstrant, non solùm necessariam esse medi
cinam corporalem, sed potiùs spiritualem, di-
cendo, tutamentum mentis & corporis. Pecca-
tis infirmatur mens, gratia Domini sanatur. si-
nè istis, vt reor, nullus aulam cælestis regni in-
trat, id est, nisi habeat conuersationem bonam,
& doctrinam siue verbis siue moribus, qui non
possunt abscondi, dicẽte Apostolo: Similiter au
tẽ & facta bona manifesta sunt, & quæ aliter se
habent, abscondi non possunt: nisi habuerit
fidem, sine qua nemo potest placere Deo: nisi
habuerit quotidianam gratiam curationum,
quia quotidiè peccamus. Quapropter hæc prę-
cipuè imprecantur à sacerdotibus per minist ra
tionem olei, vt omnes generaliter accipiant,
quia nisi ea dederit gratia Dei, non sunt habi-
les regno Dei. Sequentia dona, non omnes om
nia hìc possunt habere, sed per multos diuisa

Universidad de Deusto
Biblioteca

sunt, qui tamen non creduntur diuisi à regno Dei, quamuis non habeant operationem virtutum, id est, vt signa faciant, & dæmones eiiciant: siue nō habeant prophetiam, vt secreta scripturarum reuelent, aut futura prædicent: siue non habeant discretionem spirituum, aut genera linguarum vel interpretationem sermonum, non erunt extorres à regno cælorū, dummodò habeant fidem, quæ per dilectionē operatur. Diximus Deo propitio, quo in loco consecretur oleum, & quid in significatione contineat: restat vt dicamus aliqua de ordine consecrationis iuxta annotationem sacramentarij, & libelli qui dicitur Romanus Ordo. De oleo pro infirmo sic continetur in sacramentario: Antequam dicatur. Per quem hæc omnia Domine semper bona creas, leuantur de ampullis quas offerunt populi, & benedicit tam dominus Papa, quàm omnes episcopi. In Exodo scriptum est, vt populi offerant oleum, dicente Domino: Præcipe filiis Israel, vt offerant tibi oleū de arboribus oliuarum purissimum. Quandò à populis offertur, simplex liquor est: per benedictionem sacerdotum trāsfertur in sacramentum. Hæc administratio significat, debere adesse terrenam administrationem spirituali. Vndè dicit Apostolus: Si nos vobis spiritualia seminauimus, magnum est si vestra carnalia metamus? Benedicit tam dominus Papa, quàm omnes presbyteri. Mos est Romanæ Ecclesiæ, vt in cōfectione immolationis Christi ad sint presbyteri, & simul cum Pontifice verbis & manibus conficiant: At quia in ipsa periocha concluditur consecratio olei huius, oportet vt simili modo sicut & cætera, cum pontifice presbyteri oleū conficiāt. Dicit libellus Romani Ordinis de consecratione chrismatis: Cōtinuò duo acolyti inuolutas ampullas cum sindone alba de serico, ita vt videri possint à medio, teneant in brachio sinistro. Et paulò pòst: Antequàm benedicat, halat ter in ampullam. Et iterùm: Ampulla autem, quæ cum chrismate est, statìm vt benedicta fuerit, operiatur, vt à nemine nuda videatur, sed tenente eam acolyto omnes per ordinem salutent, quam Episcopus & diaconi prius salutent †. Si enim præsens ordo, vt scriptū est, non agitur, frustrauit scriptor laborem operis sui: Si autem agitur, frustra agitur, nisi aliquid contineat in sacramento. Libet primò dicere de hoc quod dicit, Halat ter in ampullā. Halitus ab interioribus & secretis procedit ad publicum, & uocatur spiritus: De quo Esaias, Quiescite ab homine, cuius spiritus in naribus eius est. Pōtifex per spiritū suum subst antiā Spiritus sancti nunciat in corpore assumpto à diuinitate inhabitare, cuius aduentu renouata sunt omnia. Ampulla. n. cum chrismate, quodammodò corpus Domini ex virgine Maria assumptū significat. Quod antequàm transiret ad altare crucis, aliquo tēpore coopertum erat, & aliquo nudū: primæuo tēpore coopertum erat, quandò ita fugit in Ægyptū regem Herodē, quasi non esset Rex regum, & Dominus dominantium: quando ita portatus est ad templū, quasi non esset omnipotens: quando ità regredientibus parentibus ab Hierusalem, requisitus est inter cognatos & notos, quasi non esset vbique: quando ita inuentus est in templo, sedens in medio doctorum, atq; audiens & interrogans, quasi non esset fons sapientiæ: quandò ità subditur parentibus, quasi non esset auctor parentum. In istis omnibus coopertus latebat. Operimentum erat sindon alba, per quam non incongruè possumus intelligere mundissimam specialiter conuersationē eius, qua indutus fuit ab initio. Nudū erat, postquam cœpit miracula facere, quæ vltra hominum opera erāt. Vndè Nicodemus, Nemo potest hæc signa facere quæ tu facis, nisi fuerit Deus cū illo: simulq; prædicare, & Deum se demonstrare. Vt inquit: Ego & pater vnum sumus. Nisi Petrus intelligeret hoc dictum esse de diuina natura, non diceret: Tu es Christus filius Dei viui. At postquàm transiuit ad altare crucis, id est, ad immolationē, quasi ad consecrationē Episcopi, ipse est enim summus Pontifex, qui seipsum obtulit Deo patri, aliqua parte temporis nudum corpus suum demonstrauit. Quæ pars ad memoriam reducitur per ampullę nuditatem, quam episcopus & diaconi salutāt. Thomas qui misit digitos suos in fixuram clauorū, & manus in latus, & dixit, Dominus meus, & Deus meus, nudum salutauit corpus Christi. Nuditatem eius, dicimus manifestatio nē præsentiæ corporalis: Similiter, qui manducauerunt & biberunt cum illo, postquàm resurrexit à mortuis. At postquàm salutata est à Pontifice & ministris altaris ampulla, cooperitur, vt à nemine nuda videatur: cooperta tamen salutatur ampulla. Christus nanque postquàm præsentiam suam eis secūdùm suam dispositionem exhibuit, quos voluit esse testes suæ resurrectionis, ascendit in cælum, & inuisibilis hominibus factus est, vt ipse testatur: Exiui à patre, & veni in mundum: iterùm relinquo mundum, & vado ad patrem. quod est apertè dicere, Visibilis apparui hominibus: rediens ad patrem, inuisibilis ero. Quamuis præsentiam eius corporalem non videamus, tamen venerando eam quotidiè salutamus. Quia tetigimus ad dilucidandum de ratione olei: nunc placet dicere, si Dominus dederit, quarè omittamus, Gloria patri & filio & spiritui sancto. Triduo iacuit Dominus in sepulcro secundùm Euangeliū, quod dicit: Sicut fuit Ionas in ventre ceti tribus diebus & tribus noctibus, sic erit filius hominis in corde terræ tribus diebus & tribus noctibus. Quod ità Augustinus in libro primo quæstionum Euangeliorum: Sextæ feriæ dici partem, qua sepultus est, cum præterita nocte, pro nocte & die accipiens, hoc est, pro tota die, sabbatū nocte & die, & noctē Dominicā cum eodem die illucescente, ac per hoc accipiendo partem pro toto, habes triduum, & tres noctes. Triduanā Domini sepulturā ad memoriā reducimus, quam

quam non recolimus celebrando, nisì addatur cum sexta feria & septima, quinta. Dominica enim nox in magna gloria celebratur, vt liquet omnibus qui morem nostrę ecclesiæ tenent. Vndè Augustinus ex sermone ad populum in vigiliis Paschæ. Deinde sabbati dies à sua nocte incipiens, finitus est vespere incipientis noctis, quæ pertinet ad initium Dominicæ diei, quoniam eam Dominus suę resurrectionis gloria consecrauit. Illius itaq; noctis ad initium diei Dominici pertinentis, nunc istam solenniter memoriam celebramus. Si iuxta Augustinum gloria fuit resurrectio, nempe mors & sepultura, humiliatio eius est. Si se exinaniuit, iuxta Apostolum, postquàm formam serui accepit, quanto magis cùm factus est obediens patri vsque ad mortem, mortem autem crucis? Per tres continuos dies, id est, quinta feria, sexta, septimaque triduanam sepulturà eius celebramus. Ac per hoc vt compaginemur humilitati sepulturæ eius, omittimus excelsa nostra, id est, Gloria patri & filio, & campanarum signa: siue alia, quæ congruentius tractabuntur cùm ad dilucidandum ea peruentum fuerit. Panis cælestis, id est, corpus Domini, reseruatur à feria quinta vsque in Parasceuen. Secundùm Augustinū ad Ianuariū. Sunt qui quotidiè volunt Eucharistiam sumere. Valet etiam, inquit, ad hanc similitudinem, quòd in primo populo vnicuiq; fidelium manna secundùm propriam voluntatem in ore sapiebat: sic vniuscuiusq; in ore Christiani sacramentum illud, per quod saluatus ac subiugatus est mundus. Nam & ille honorando non audet quotidiè sumere, & ille honorando non audet vllo die prætermittere. Contemptum solùm non vult cibus iste, sicut manna fastidium. In Parasceue non conficitur corpus Domini. Necesse est vt hi, quibus est voluntas communicandi, habeant sacrificium ex priori die. Dein transitur ad conuiuium, ex quo Cœna Domini vocatur. Vndè Isidorus: Cœna Domini dicta est, eo quòd in eo die Saluator Pascha cum discipulis suis fecit. Quali modo illud sanctum conuiuium celebratum sit, Ioannes Euangelista narrat. Et cœna facta, inquiens, cùm diabolus iam immisisset in cor, vt traderet eum Iudas Simonis Scariothis, sciens quia omnia dedit ei pater in manus, & quia à Deo exiuit, & ad Deum vadit, surgit à cœna, & ponit vestimenta sua: & cum accepisset linteum, præcinxit se: deindè misit aquam in peluim, & cœpit lauare pedes discipulorum, & extergere linteo, quo erat præcinctus. Et post pauca: Postquàm ergò lauit pedes eorū, accepit vestimenta sua: & cùm recubuisset iterum, dixit eis: Scitis quid fecerim vobis? Quod Augustinus ità in eodem: Non itaque debemus intelligere veluti iam consumptam atq; transactam. adhuc enim cœnabatur, cùm Dominus surrexit, & lauit pedes discipulorum. Nam posteà recubuit, & buccellam suo traditori posteà dedit: vtiquè nondùm finita cœna, hoc est dum adhuc panis in mensa esset. Cœna ergò facta, dictum est iam parata, & ad conuiuantium mensam vsq; perducta: Vidi quendam religiosum ea die primò aliquid sumere de cibo, & posteà lauare pedes peregrinorum, & sic transire ad mensam, Domini nostri exemplo. Lauamus eo die non solùm pedes fratrum, sed etiam pauimenta ecclesiæ. Quamuis ornatui possit congruere lauatio eorum paschalis festiuitatis, tamen non deest aliquid mysticum in eo. Parietes domus, vocabulum habent ecclesiæ, quia continent ecclesiam, non sunt ipsi ecclesia. Quod possumus intelligere ex interpretatione ecclesiæ. Legamus Bedam super Lucam. Eius lingua discernitur, quid inter synagogam & ecclesiam sit, atque interpretationem eorum. Verùm differt, inquit, inter synagogam quæ congregatio, & ecclesiam quæ conuocatio interpretatur, quòd veteris instrumenti populus vtroq; vocabulo, noui autem tantum ecclesia nuncupatur: quia videlicet & pecora & inanimæ quæquæ res congregari in vnum possunt, conuocari autem non nisi ratione vtentia possunt. Ac per hoc quia ecclesia conuocatio dicitur, homines sunt ecclesia non parietes domus: Qui tamen propterea sanctificantur ab episcopo, vt in eis velit esse aduentus angelorum, & homines in eam introeuntes, ab omni turpiloquio & scurrilitate etiam, & inutili cogitatione norint se prohiberi. Audiant qui intrant ecclesiam, quod audiuit Moyses, quandò voluit visere rubum ardentem, & Dominus, Nè appropies, inquit, huc: solue calceamentū de pedibus tuis. locus enim, in quo stas, terra sancta est. Et iterum angelus ad Iosue: Solue, inquit, calceamentum de pedibus tuis. locus enim in quo stas, sanctus est. Calceamenta de mortuis animalibus fiunt. Mortuum animal est Adam, de quo nos mortem traximus. Videamus si aliquo modo mens nostra calceata sit morte eius. Nisì ille fieret mortalis, non haberemus necessitatē dormiendi, non domorum ædificandarum, non necessitatem agriculturę, non esuriremus, non sitiremus, non bella componeremus, quia vnicuique satis esset DEI imaginem sibi reseruare, & gaudere vnione fraternitatis: vt etiam taceam de apertis peccatis, quandò circa hæc mens studet, calceata est pellibus mortui animalis. Intrantes nos ad sancta loca, vbi Dominus & angelus eius est, exuamus nos hìc calceamentis, & cogitemus de conuersatione angelorum, vbi est requies sinè somno, vbi domus, gratia protectionis DEI, vbi opus sinè labore, satietas sinè esuriè, vbi pax perpetua sinè bello. Pauimentum ecclesiæ, auditores magistrorum significat. Lauatio domus, quæ nūcupatiuè ecclesia dicitur, est signum lauationis pedum fratrum: Lauatio pedū fratrum, signum est remissionis peccatorum, siue quandò à Domino remittuntur, siue inuicèm à nobis ipsis. Augustinus de eo in Ioanne: Dominus dicit, veritas loquitur, quòd opùs habeat pedes lauare etiam ille, qui

lotus

Universidad de Deusto
Biblioteca

lotus est. Quid fratres mei, quid putatis? Nisi quia homo in sancto quidem baptismo totus abluitur non propter pedes, sed totus omninò: veruntamen cùm in rebus humanis posteà viui tur, vtiq; terra calcatur. Ipsi enim humani affectus, sinè quibus in hac mortalitate non viuitur, quasi pedes sunt, vbi ex humanis rebus afficimur; & sic afficimur, vt si dixerimus, quia peccatum non habemus, nosipsos decipiamus, & veritas mansit in nobis Quotidiè ergò pedes lauat nobis, qui interpellat pro nobis, & quotidiè opùs habemus vt pedes lauemus, id est, vt vias spiritualium gressuum dirigamus. In ipsa oratione Dominica confitemur, cùm dicimus, Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris. In ipsa die pœnitentes ad remissionem peccatorum redeunt iuxta Decretalia Innocentij Papæ, qui dicit, De pœnitentibus autem, qui siue de grauioribus commissis, siue ex leuioribus pœnitentiam gerunt, si nulla interueniat ægritudo, quinta feria ante Paschæ Domini eis remittendum Romanæ Ecclesiæ consuetudo demonstrat. Innocentius tempus præfigit, Hieronymus modum in epistola ad Oceanum de morte Fabiolæ, cuius, id est, Fabiolæ pœnitentiam laudat de adulterio commisso, dicens: Quid ego in abolitis & antiquis moror, quærens excusare culpam, cuius pœnitentiam ipsa confessa est? Quis hoc crederet, vt post mortem secundi viri in semet reuersa, quo tempore solent vidue negligétes, iugo seruitutis excusso, agere se liberius, adire balneas, volitare per plateas, vultus circumferre meretricios, saccum indueret? errorem publicè fateretur? & tota vrbe spectante Romana, ante diem Paschę, in publica quodàm Laterani, qui Cęsariano truncatus est gladio, staret in ordine pœnitentium? Episcopis & presbyteris & omni populo conlachrymanti, sparso crine, ora lurida, squalidas manus, sordida colla submitteret? Quæ peccata fletus iste nõ purget? Quas inueteratas maculas hęc lamenta non abluant? In istis omnibus cognoscimus valdè, præsentẽ diem eõsecratum esse remissioni peccatorum. Non enim putamus, præsenti quintæ ferię fortuitù hoc aceidere. Nos scioli interìm dicamus quid nobis videatur rationis habere, quòd in ipso die voluit Dominus pedes lauare, cuius exemplo nos pedes & cætera lauamus, quę lauatio remissionem peccatorum significat. Quapropter & pœnitentes eadem die ad manus sacerdotum recurrunt, & cur eadem die oleum consecretur. Dominus noster quinta ætate venit in mundum, sextã consecrauit suo aduentu. De quo Gregorius in libro de ædificatione tẽpli, Qui & in fine synagogæ venit, & ante initium ecclesiæ, quam ex gentibus collegit. Sed primò videamus qualis esset ætas quinta, posteà intelligere poterimus, si eam Dominus inuenisset. Dicit de ea dominus Beda: Quinta die pisces auesque aquis eductæ. Et post pauca, Successit & vespera, quãdò imminente iam Saluatoris aduentu, gens Iudæa propter scelerum magnitudinem Romanis tributaria facta, insupèr & alienis regibus est pressa. Et iterùm in eodem, id est, de temporibus: Quinta quasi senilis ætas à transmigrarione Babylonis vsq; ad aduentũ Domini saluatoris. Et paulò pòst, In qua vt graui senectute fessa malis crebrioribus plebs Hebræa quassatur †. Quomodò quassata sit, Esaias tangit: Calamum quassatum nõ conteret, & linum fumigans non extinguet. Quod ità Gregorius in Moralibus: Quid enim calami nomine nisi Iudaici populi temporale regnum denunciat? nitens quidem exterius, sed interius vacuum? Et quia in eodem populo genus iam regale defecerat, & regnum eius alieni gena possidebat, apertè hoc idem regnum quassatum calamum vocat. Quid verò per linum, nisi eius sacerdotium exprimitur? quod lineis nimirũ vestibus vtebatur, quod quia in aduentũ Domini charitatis ardorem perdidit, quasi amisso iam igne fidei, non ardens, sed fumigans fuit. Incarnatus autem Dominus, calamũ quassatum non confregit, & linum fumigans non extinxit, quia Iudææ regnum, quod penè destructum iam fuerat, eiusq; sacerdotium, quod ignem fidei non tenebat, non potestate iudicij perculit, sed cum patientiæ longanimitate tolerauit. Audiuimus quassationem quintæ ætatis, quam Dominus inuenit, audiamus restaurationem, qua Dominus sextam ętatem suo aduentu reparauit. Qua de re venisset ad nos in fine quintæ ætatis, in fine quintæ ferię hodiernæ festiuitatis demonstrat, in qua & legem finiuit, quod in posterioribus scribemus Deo volente: Nunc dicendum est de his quę secum adduxit. Scribit Daniel: Septuaginta hebdomadę abbreuiatę sunt super populum tuum, & super vrbem sanctam tuam, vt consummetur præuaricatio, & finem accipiat peccatum, & deleatur iniquitas, & adducatur iustitia sempiterna, & impleatur visio & prophetia, & vngatur sanctus sanctorum. Vndè Beda in libro de temporibus: Nulli dubium, quin hæc verba incarnationem Christi designent: qui tulit peccata mundi, legem & prophetas impleuit, vnctus est oleo prę participibus suis †. De qua vnctione dicit Esaias ex persona ipsius Saluatoris: Spiritus Domini super me, propter quod vnxit me, euangelizare pauperibus misit me, prędicare captiuis remissionem, & cęcis visum. Vndè Hieronymus in eodem Esaia: Quandò enim consortes nominantur, naturam carnis intellige, quia Deus consortes substantię suę non habet. Et quia erat vnctio spiritualis, & nequaquàm humani corporis, vt fuit in sacerdotibus Iudęorum, idcircò prę consortibus, id est, prę cęteris sanctis vnctus esse memoratur. Cuius vnctio illo expleta est tempore, quã dò baptizatus est in Iordane, & Spiritus sãctus in specie columbę descendit super eum, & mansit in illo. Secundùm verba pręcedentia propterea venit, vt consortes faceret regni sui.

Hæc

Hæc vnctio conficitur quinta feria, quia ipse venit ad nos quinta ætate mundi. Sed dilatus est quidam modus vnctionis à natiuitate secũdùm Esaiam, & Euãgelium in specie columbæ vsque ad Baptismum, (quamuis ab initio ex quo cœpit homo fieri, credamus vnctionem in Iesu spiritualem manere) non discrepat ab hac ratione, quòd quinta feria consecratur oleum, & vnctio seruatur vsque ad baptismum nostrũ. Quem modum Ambrosius manifestat in libro super Lucam: Rogabo, inquit, patrem, & alium paracl*tum dabit vobis, vt vobiscum sit in æternum spiritum veritatis, quem hic mundus non potest accipere, quia non videt eum, nec scit eum. Meritò ergò se in corpore demonstrauit, quoniam in diuinitatis suę substantia non videtur: Vidimus spiritum, sed in specie corporali. Homo Christus Iesus postquàm cœpit esse homo, semper fuit Deus, cui per incremẽta membrorum non credimus aucta esse charismatum dona. In ipso enim inhabitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter. Vndè Hieronymus in Esaia: Noscamus infantiam humani corporis diuinæ non præiudicasse sapientiæ. & iterùm: Super hunc ergò florem, qui de trunca radice Iessę per Mariam virginem repentè consurget, requiesceret spiritus Domini, quia in ipso complacuit omnem plenitudinem diuinitatis habitare corporaliter, nequaquàm per partes, vt in cæteris sanctis. Et Beda in Luca: Notanda distinctio verborum, quia Dominus Iesus Christus in eo quod puer erat, id est, habitum humanæ fragilitatis induerat, crescere & confortari habebat: In eo verò quod etiam verbum Dei, Deus æternus erat, nec confortari indigebat, nec habebat augeri: Vndè rectissimè plenus sapientia perhibetur & gratia. Sapiẽtia quidem, quia in ipso habitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter: Gratia autem, quia eidem mediatori Dei & hominum homini Iesu Christo magna gratia donatum est, vt ex quo fieri homo cępisset, perfectus esset & Deus. Simile est quod Ioannes scribit eum plenum gratia & veritate, eãdem ipsam diuinitatis excellentiam veritatis, quam Lucas sapientiæ nomine commendãs. Et iterum eiusdem in actibus Apostolorum: Vnctus est ergò Iesus non oleo visibili, sed dono gratię DEI, quod visibili signatur vnguento, quo baptizatos vngit ecclesia. Nec tamen tunc vnctus est spiritu sancto, quado super eum baptizatum velut columba descendit. Tunc enim corpus suum, id est, ecclesiam suam præfigurare dignatus est, in qua præcipuè baptizati accipiunt spiritũ sanctum: sed ista mystica & inuisibili vnctione tũc intelligendus est vnctus, quandò verbum Dei caro factum est, id est, quandò humana natura sinè vllis præcedentibus bonorum operum meritis, Deo verbo est in Virginis vtero copulata, ità vt cũ illo fieret vna persona. Ob hoc eum confitemur natum de spiritu sancto & Maria virgine. Ipse venit tollere peccata mundi, vt memoratus Propheta dimittere confractos in remissionem †. Ipsa die finitur lex veteris Testamenti, quod manifestat ex auctoritate scripturarũ idem in Luca. Moyse quippe mortuo, Iosue Dux ordinatur, quia lege traditionibus Pharisæorum corrupta Christus incarnatur. Iosue trans Iordanem manna pascit & pascitur, quia Dominus vsque ad tempus sui baptismatis cæremonias legis & ipse seruat, & à cunctis seruari desiderat. Transductam plebem Iordanem Iosue petra circuncidit, quia baptismi gratia celebrata, Saluator etiam cogitationum, quod lex nequiuerat, illecebras fidei seueritate præcidit: & tres semis annos quasi solito manna nutriret, sacramenta legis, quamuis ad cælestia promissa paulatìm prouocans, obseruare non cessat: donèc tempore præfixo desideratum Pascha cum discipulis suis mãducans, ità demum manè illucescente, mundissima sui corporis & sanguinis mysteria in crucis altari consecrata quasi azyma terræ repromissionis imbuendis fidelibus afferat. Et iterùm: Et accepto calice gratias egit, & dixit: Accipite & diuidite inter vos. Et hic calix ad vetus illud Pascha, cui finẽ desiderabat imponere, pertinet. Quo accepto, gratias egit, ob hoc nimirùm, quia vetera transitura, & futura fuerant omnia noua. Lex non soluebat peccata, sed puniebat. Christus in quinta feria veteri legi finem dat, peccata absoluit. Idipsum in prima oratione Missæ sonat sacerdos, dicendo: Ita nobis ablato vetustatis errore resurrectionis suæ gratiam largiatur. Affert & oleum quo vngantur sui consortes, de quibus dicit Petrus: Vos estis genus electum, regale sacerdotium. Restat adhuc vnum in Romano ordine, vbi præcipit, vt à quinta feria vsq; in Sabbato sancto nuda sint altaria: Quod aliud non significat, ni fallor, nisi fugam Apostolorum, quã ipse Dominus testatur in Euangelio Ioannis: Modò creditis: Ecce venit hora, vt dispergamini vnusquisque in propria, & me solum relinquatis. Quod Augustinus in eodẽ ità tractat: Tunc ità perturbabimini, vt etiã quod modò creditis, relinquatis †. Altare Christum significat, vt Beda narrat in libro de tabernaculo & vasis eius. Aureum verò altare ipsum Dominum significat, quia miro atque ineffabili ordine ita carnem veram traxit ex Adam, vt à peccato carnis Adæ veraciter esset immunis. Quomodò quidem altare vtrumque ex vnius eiusdemque generis lignis factum, sed non vtrunque erat auro coopertum. Sed & in hoc altari nihil carnale offerebatur, verùm aromata tantùm adolebantur, quia Dominus preces siue lachrymas effundens, non pro suis crãtibus, qui nulli erant, sed pro nostra hoc salute faciebat. Sicut enim arca intra velum posita, hominem Deum sedentem ad dexteram maiestatis in excelsis, significat: ità altare extra velum quidem, sed prope introitum eius positum, eundem mediatorẽ Dei & hominum potest figuraliter exprimere †. Vestimenta altaris,

Universidad de Deusto
Biblioteca

ris, Christi sancti sunt, de quibus scriptum est, Et relicto eo omnes fugerunt.

De septima varietate Parasceue. Cap. 13.

SEptima varietas est in sexta feria, quam Parasceuen vocamus. Parasceue, vt Beda ait, præparatio interpretatur. Quo nomine Iudæi, qui inter Græcos conuersabantur, sextam sabbati, quæ nunc à nobis sexta feria vocatur, appellabant: quod eo videlicet die, quæ in sabbato fuerant necessaria, præpararent, iuxta quod de manna quondàm erat præceptum: Sexta autem die colligetis duplum &c. Qui verò inter Romanos vitam ducut Iudæi, vsitatiùs eam Latinè cœnam cognominant. Hæc sexta feria, sextæ feriæ primæ creationis, & sextæ ætati huius mũdi coaptatur. De sexta feria primæ creationis dicit qui supra in lib. de tẽporibus: Sexta die terra suis animantibus impletur, & homo primus ad imaginem Dei creatur, moxque ex eius latere dormientis sumpta costa, fœmina fabricatur. Et iterùm de sexta ætate: Sexta ætate præconantibus prophetis, filius Dei in carne, qui hominem ad imaginem Dei crearet, apparuit: qui dormiens in cruce, sanguinem & aquam de latere, vndè Ecclesiam sibi consecraret, emanauit. Eadem die legitur lectio libri Exodi, in qua agnus, qui die Dominico Ierusalem ad immolandum intrauit, immolatur. Dicit lectio: Decima die mensis huius tollat vnusquisq; agnum per familias & domos suas, (de quo in posterioribus) & seruabitis eũ vsq; ad quartamdecimam diem mensis huius, immolabitque eum vniuersa multitudo filiorũ Israel ad vesperam. Dominus noster est agnus, qui incipiente quintadecima luna traditus est, & crucem ascendit parasceue. Sequitur Responsorius, cum quatuor versibus: nulliq; dubium, quin Christus homo ex quatuor elementis cõsisteret. Naturale est homini, vt ex terra, & aqua, & aere, & igne consistat. Quandò naturam hominis assumpsit, hęc quatuor elementa assumpsit. Illa pendebãt in cruce inter medios duos latrones. Vndè vnus versus, In medio duorum animaliũ cognosceris. Quod ità Hieronymus in Abacuc: Porrò simplex interpretatio & opinio vulgi de Saluatore intelligit, quòd inter duos latrones crucifixus agnitus sit †. Quamuis de eadem re sit & alter sensus, tamen qui hoc officium constituit, illud intellexit, quod beatus Hieronymus retulit ex vulgi opinione duorum latronum. Oratio sequens memorat: Deus à quo & Iudas reatus sui pœnam, & cõfessionis suæ latro præmium sumpsit Duo genera sunt afflictorum. Vnum non prodest patientibus, quia non corriguntur per pœnas: in quo genere sunt Iudas & latro non conuersus. Alterum prodest his qui fructuosè pœnitent, quorum typum alter latro portat, venerabilis quidem ex confessione. Hi qui non corriguntur ex afflictione, ad corpus pertinent Iudę proditoris, & latronis impij: qui corriguntur, ad latronem, qui meruit audire, Hodiè mecum eris in paradiso. Sequitur lectio Oseæ. Antequàm dicamus de hac lectione, dicendum est cur addatur. In quarta feria quandò consilium Iudæorum de morte Domini ad memoriam reduximus, mortem nostram duplam manifestauimus, pro qua venerat Christus pati, tamen suam passionem vsque in sextam feriam seruauit, qua die primus parens noster conditus est. Hodierna die, hoc est in parasceue ad memoriam reducimus suam passionem ad nostram imitationem, de qua dicit Petrus: Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, vt sequamini vestigia eius. Idipsum apertiùs possumus memorare ex lectione quæ legitur eadem die. Dicit enim: Erit absq; macula masculus anniculus, iuxta quem ritum tolletis hœdũ, & seruabitis eum vsque ad quartamdecimam diem mensis huius. Agnus iste absque macula, Christi corpus significat immaculatum: hœdus corpus suum, quod nos sumus, qui peccatores sumus. Vtrumque animal memoratur in religione Paschæ: Sicut ex scriptura discimus, Pascha nostrum in immolatione esse Christi, ità nostram immolationem in mortificatione vitiorum; & si necesse fuerit, in effusiõne omnium præsentium rerum, etiam & ipsius animæ, & sic traseundum ad patrem. Lectio sequens Oseæ dicit: Venite, & reuertamur ad Dominum, quia ipse cepit & sanabit nos, percutiet & curabit nos. Viuificabit nos post duos dies, in die tertia suscitabit nos, & viuemus in conspectu eius. Quod sic Hieronymus in eodem Oseæ: Percutit ergò Dominus, & curat nos, quia quem diligit corripit, & castigat omnem filium, quem recipit: & non solùm curat, sed viuificat post duos dies, & tertio die resurgens ab inferis, omne humanum secum suscitat genus. Cumque percussos curauerit, & curatos viuificauerit, & viuificatos suscitauerit, tunc viuemus in conspectu eius, qui illo absente mortui iacebamus †. In ista resurrectione demonstratur vtilitas imitationis nostræ, quia si compatimur, & conregnabimus. Sequitur tractus, Qui habitat in adiutorio altissimi. Expositor Augustinus psalmi præsentis, in præfatione eius monstrat quam congruenter per præsentem psalmum imitari debeamus passionem Christi. In quo, inquit, imitaturi sumus vias Christi? Nunquid in ea magnificẽtia, qua Deus erat in carne? Aut ad hoc nos exhortatur, aut hoc à nobis exigit, vt talia miracula qualia fecit, ipsi faciamus? Et paulò post: Non hoc tibi dicit non eris discipulus meus nisi ambulaueris super mare, aut nisi suscitaueris mortuum quatriduanũ, aut nisi aperueris oculos cæci nati. Et paulò pòst: Discite à me, quia mitis sum & humilis corde. Quod factum est propter te, hoc in eo debes attendere, vt imiteris. Et paulò pòst: Nec ad ipsa ergò miracula

hortatur

hortatur, quæ ipse fecit, & antequam esset homo: Sed quò te hortatur? vt imiteris quod non posset nisi factus homo. Tolerare enim passiones nunquid posset nisi homo? Mori & crucifigi & humiliari non posset nisi homo. Si ergò & tu molestias huius seculi pateris, quas fecit diabolus siue apertè per homines, siue occultè sicut Iob, sis fortis, sis tolerans, habitabis in adiutorio altissimi, sicut dicit iste psalmus †. Longus est iste Tractus, quia, quod promissum est nobis in lectione Oseæ, vbi dicit, Post duos dies suscitabit nos, in tertia die resurgere, in spe debemus tenere, non in re. Vndè Gregorius in libro de ædificatione templi. Hinc est quòd Propheta alius per resurrectionem Domini humanum genus vidit in fine suscitari, atque ait: Viuificabit nos post duos dies, in die tertia suscitabit nos, & viuemus in conspectu eius. Ipsa resurrectio in fine Tractus memoratur: Longitudine dierum replebo eum, & ostendam illi salutare meum. Vndè Augustinus in eodem psalmo: Quæ est longitudo dierũ? vita æterna. fratres, nolite putare longitudinẽ dierũ dici hos, vt sunt dies ætatis dies maiores. Tales dies nobis habet dare. Longitudo illa est, quæ non habet finem, æterna vita, quæ nobis promittitur. Et paulò post, Et ostendam illi salutare meum. Nec hoc, fratres, breuiter prętereundum est, Ostendam illi salutare meum. hoc dixit, ostendam illi ipsum Christum. Et paulò pòst: Per fidem adhuc viuimus, & non per speciem. Quãdò erit species? Quandò videbimus facie ad faciem? quod dicit Apostolus, quod nobis promittit Deus, in magno præmio omnium laborum nostrorum: quicquid laboras, in hoc laboras, vt videas. Et post pauca: Ipse qui humilis visus est, ipse videbitur magnus, & certificabit nos. Dehinc sequitur passio. In ea velut [illegible]m Christum in cruce videmus. Refert Romanus libellus, quid posteà agendum sit, dicens: Statim duo diaconi nudãt altare sindone, quę priùs fuerat sub Euangelio posita, in modum furantis. Altare, vt sæpè diximus, Dominũ nostrum significat, in quo nostras oblationes parti offerimus. Vestimenta, Apostolos & omnes sanctos. Congruum est, vt subtus Euangelium aliquid iaceat propter honestatem, quo sublato, rapitur quod subiectum fuit: quia dedito Christo inter manus iniquorum, Apostoli more furum fugerunt & latuerunt. Quod enim significat Altare, hoc & Euangelium. Potest in hac sindone intelligi specialiter Ioannes, qui perseuerauit cum Domino vsque ad crucem, qui & audiuit, Eccè mater tua: & posteà propter metum Iudæorum se occuluit more furũ. Post hoc celebrantur Orationes. Hic enim dicendum est ex Decretalibus Innocentij Papæ, quarè Missa non cantetur in sexta feria & in septima. Nam vtiquè inquit, constat Apostolos biduo isto in tristitia & in mœrore fuisse, & propter metum Iudęorum se occuluisse, quod vtiquè, non dubium est, in tantùm eos ieiunasse biduo memorato, vt traditio ecclesię habeat, isto biduo sacramenta penitùs non celebrari †. Orationes tantùm leguntur. [Ob hoc quoquè non canitur hodiè Missa, quia in hac die Dominus seipsum obtulit, & ipsa oblatio sufficit ad salutem credentium.]

Missa cur nec sexta nec septima ferijs celebretur

Lineis inclusa, i vno erant exẽplari, in cæteris tribus non erant.

Hìc reddemus quod quarta feria promisimus de sancto Augustino: Priùs iterùm ad memoriam reduco, quãdo persequimur ab inimicis, vt semper reuertamur ad orationem, vndè ità memoratum scutum; Pro eo vt me diligerent, detrahebant mihi. Quid ait? Ego autem orabam. Non quidem dixit, quid orabat, sed quid meliùs intelligimus quàm præ eis ipsis? Crucifixo enim maximè detrahebant, quandò velut homini, quem quasi vicerant, illudebant, de qua cruce ille dixit: Pater, ignoşce illis, quia nesciunt quid faciunt. Et paulò pòst: Nobis vtilius erat, quòd patientiæ præbebat exemplum, quàm si suos inimicos sinè vlla dilatione perdendo, ad hoc nos ædificaret, vt impatienter festinaremus de his, quos malos patimur, vindicari: cùm scriptum sit, Melior est patiens, quàm fortis. Docent ergò nos diuina eloquia Dominico exẽplo cũ audimus, Pro eo vt me diligerent, detrahebant mihi: ego autem orabam. vt quandò aliquos sentimus ingratos non solùm non reddentes bona, sed insuper reddentes mala pro bonis, nos oremus, & ipsi quidem pro aliis, vel sęuientibus, vel dolentibus, & in fide periclitantibus. Nos verò etiàm pro nobis primitùs, vt animum nostrum Deo miserante atque opitulante vincamus, quo ferimur in vlciscendi cupiditatẽ cùm detrahitur siue presentibus siue absentibus nobis: Deindè dũ Christi patiẽtiam recordamur, tanquàm ipso excitato, sicut factũ est, dum dormiret in naui, qui perturbationem cordis nostri tepestatemque tranquillat, animo sedato atque pacato, oremus etiam pro ipsis detractoribus nostris, vt securi dicamus, Dimitte nobis, sicut & nos dimittimus: sicut & ille dimittebat, qui peccatum quod ei dimitteretur, vtique non habebat †. Admonitione firmissima sicutì admoniti sumus, & pro nobis oremus, atque pro periculis huius vitæ, & pro hæreticis, perfidisque Iudęis, ac pro paganis. Per omnes orationes genuflexionem facimus, vt per hunc habitum corporis, mentis humilitatem ostendamus, excepto quãdò oramus pro perfidis Iudæis. Illi enim genuflectebant, opus bonum malè operabantur, quia illudendo hoc faciebant. Nos ad demonstrandum quòd fugere debeamus opera, quæ simulando fiunt, vitamus genuflexionem in oratione pro Iudæis. Similiter & à pacis osculo in istis diebus nos abstinemus: non quòd pacis osculum malum sit, vbi ex charitate vera profertur: sed vt demonstretur quam iniuriam passus sit Christus à suo proditore: vt & nos vitemus eandem iniuriam in fratribus. Quod dico, tale est: Locutione &

opere

Universidad de Deusto
Biblioteca

opere debemus ſubditis monſtrare vitandum eſſe malum Iudæ. Signo doloſo traditus eſt Chriſtus: nec mirum, ſi ea intermittamus, vt noſtra diſtinguantur à Iudaiſmo, cùm ſanctus Auguſtinus dicat: Noſtrum diem feſtum paſchalemque ideò tranſire ad Dominicum, vt noſtra feſtiuitas diſtinguatur à feſtiuitate Iudæorum. Dicit ad Ianuarium: Nam Iudæi tantummodò menſem nouorum & lunam obſeruant à quartadecima vſque ad viceſimamprimam: Sed quia illud eorum paſcha, quo paſſus eſt Dominus, ità occurrit, vt inter mortem eius & reſurrectionem medius eſſet ſabbati dies, addendum patres noſtri cenſuerunt, vt & noſtra feſtiuitas à Iudæorum feſtiuitate diſtingueretur.

De adoratione ſanctæ Crucis.
Cap. 14.

POſt hæc monet libellus memoratus, vt præparetur Crux ante altare, quam ſalutant & oſculantur omnes. Crux ab initio, ex quo eam Dominus beauit ſanguine ſuo, ab omnibus fidelibus verbis & operibus glorificata eſt. Ex multis glorificationibus, quibus glorificata eſt, pauca pingam in præſenti opere. Dicit Ioannes Chryſoſtomus in homilia de cruce & latrone: Crux ſpes Chriſtianorum. Crux reſurrectio mortuorum. Crux cęcorum dux. Crux deſperatorum via. Crux claudorum baculus. Crux conſolatio Pauperum. Crux refrenatio diuitum. Crux deſtructio ſuperborũ. Crux malè viuentiũ pœna. Crux aduerſùs dæmones triumphus. Crux deuictio diaboli. Crux adoleſcẽtium pędagogus. Crux ſuſtentatio inopũ. Crux ſpes deſperatorũ. Crux nauigantium gubernator. Crux periclitantium portus. Crux obſeſſorum murus. Crux pater orphanorũ. Crux defenſor viduarum. Crux iuſtorũ conſiliarius. Crux tribulatorum requies. Crux paruulorũ cuſtos. Crux virorum caput. Crux ſenum finis. Crux lumen in tenebris ſedẽtium. Crux Regum magnificentia. Crux ſcutum perpetuum. Crux inſenſatorum ſapientia. Crux libertas ſeruorum. Crux Imperatorum philoſophia. Crux lex piorum. Crux prophetarum præconatio. Crux annunciatio apoſtolorum. Crux martyrum gloriatio. Crux monachorum abſtinentia. Crux virginum caſtitas. Crux gaudium ſacerdotum. Crux eccleſiæ fundamentum. Crux orbis terrę cautela. Crux templorum deſtructio. Crux idolorum repulſio. Crux ſcandalum Iudæorum. Crux perditio impiorum. Crux inualidorum virtus. Crux agrotantium medicus. Crux emundatio leproſorum. Crux paralyticorum requies. Crux eſurientium panis. Crux ſitientium fons. Crux nudorum protectio. Penè omnis hęc glorificatio, qua decorata eſt ſancta Crux, precata eſt orationibus presbyteri poſt Euangelium. Si quis ea voluerit ſcrutari, quæ ibi deprecata ſunt, & mentem referre ad præſentem glorificationem, inueniet ea in virtute ſanctę crucis. De qua & Hieronymus in tractatu Epiſtolę ad Epheſios: Crux itaque Chriſti non ſolùm nobis, ſed & angelis cunctisque in cælo virtutibus profuit, & aperuit ſacramentum quod anteà neſciebant: Et Sedulius in carmine paſchali:

Nève quis ignoret ſpeciem crucis eſſe colendam.
DEI enim filius exinaniuit ſe, vt viſibilis appareret hominibus. Ea die qua crux deoſculatur, humiliatus eſt pro nobis patri vſque ad mortẽ, mortem autem crucis. Si huius mortis imitatores eſſe debemus necnon & humilitatis oportet eſſe. Vndè proſternimur ante crucem, vt fixa humilitas mentis, per habitum corporis demonſtretur. Humilitatem mentis non poſſumus amplius monſtrare, quàm vt totum corpus ad terram proſternatur. Vndè Auguſtinus in pſalmo quadrageſimotertio: Quiſquis enim ità humiliatur, vt genua figat, adhuc habet quo humilietur: Quiſquis autem ſic humiliatur, vt hæreat in terra venter eius, vltrà quo humilietur, non habet. Sic proſternor ante crucem, vt Paula proſtrata eſt, de qua laudator panegyricus eius Hieronymus dicit in libello vitæ eiuſdem Paulæ: Proſtrataque eſt ante crucem, quaſi pendentem Dominum cerneret. Et ego iacens ante crucem, paſſus Chriſtus pro me, proſcriptus eſt in corde meo, virtutem ſanctæ crucis, quam accepit ex Dei filio, adoro. Creaturam nullam colendo vt Deum adoro, ſed venerando: vndè Apoſtolus inquit, Honore inuicem prævenientes. Omnis ſubſtantia, quæ Deus non eſt, creatura eſt: & quæ creatura eſt, Deus non eſt. Crux Chriſti ante me poſita, Chriſtum quaſi pendentem in ea, mente teneo. Ipſa verba noſtræ deprecationis demonſtrant quem adoremus. Dicimus; Crucem tuam adoramus Domine, & ſanctam reſurrectionẽ tuam laudamus & glorificamus. Hìc non ſunt verba precationis, ſed oſtentationis adorandæ crucis, & glorificandæ reſurrectionis Domini: Sed & in alio loco ſolemus dicere: Deus qui vnigeniti filij tui Domini noſtri IESV Chriſti preciоſo ſanguine humanum genus redimere dignatus es; concede propitius, vt qui ad adorandam viuificam crucem aduenium, à peccatorum ſuorum nexibus liberentur. Quem deprecor, ipſum adoro: proſternor corpore ante crucem, mente ante Dominum. veneror crucem, per quam redemptus ſum: ſed illum deprecor, qui redemit. De qua adoratione ſcriptum eſt in tripartita hiſtoria libro primo: Hoc enim ſignum bellicum inter alia preciоſius erateò quòd, Imperatorem prędecedere, & adorari illud à militibus moris eſſet. Item in eodem opere, libro ſecundo: Audiui enim & Probianum virum in palatio habentem militiam medicorum, crudeli podagræ paſſione detentum, ibi doloribus liberatum, eique apparuiſſe ſanctam mirabiliter viſionem. Cùm enim dudùm paganus eſſet, factus poſteà Chriſtianus, aliquatenus dogma ſequeba-

ſequebatur: totius verò ſalutis cauſam, id eſt, ſacratiſſimam crucẽ nolebat adorare. Hanc habenti ſententiam, Diuina virtus appárens ſignum monſtrauit crucis, quod erat poſitum in altario eius eccleſiæ, & apertè palàm fecit, qa ex quo crucifixus eſt Chriſtus, omnia quę ad vtilitatem humani generis facta ſunt, quolibet modo præter virtutem ſanctæ crucis geſta nõ eſſent, neque ab angelis ſanctis, neque ab hominibus pijs †. Fuerunt quidã, qui volebant dicere ſe velle eandem crucem adorare, in qua Dominus crucifixus eſt. Vtinàm in omnibus eccleſijs haberetur, præ cæteris meritò veneraretur. Quamuis omnis eccleſia eam nõ poſſit habere, tamen non deeſt eis virtus ſanctæ crucis in eis crucibus, quę ad ſimilitudinem Dominicæ crucis factæ ſunt: ſicut legitur in libro hiſtoriæ Anglorum de Oſuualdo fideli rege & Chriſtianiſſimo, qui in periculo poſitus, ſubitò fecit crucẽ, & fixit in terrã, eaq; adorata, & deprecato Deo corã illa, dedit eis victoriam. Sic enim ſcriptũ eſt in memorato libro tertio, titulo ſecundo: Oſtenditur autẽ vſq; hodiè & in magna veneratione habetur locus ille, vbi venturus ad hãc pugnã Oſuualdus, ſignum ſanctæ crucis erexit, ac flexis genibus Deum deprecatus eſt, vt in tanta rerum neceſſitate ſuis cultoribus cæleſti ſuccurreret auxilio. Denique fertur, quia facta citato opere cruce, ac fouea prę parata, in qua ſtatui deberet, ipſe fide feruens hãc arripuerit, ac foueæ impoſuerit, atq; vtraque manu erectã tenuerit, donèc aggeſto à militibus puluere terræ, figeretur. & hoc facto, elata in altum voce, cuncto exercitui proclamauerit, Flectamus omnes genua, & Deũ omnipotentem viuum ac verum in cõmune deprecemur, vt nos ab hoſte ſuperbo ac feroce, ſua miſeratione defendat. Scit enim ipſe, qa iuſtè pro ſalute gentis noſtræ bella ſuſcipimus. Fecerunt omnes vt iuſſerat. Et ſic, incipiente dilucu lo, in hoſtẽ progreſſi, iuxta meritũ ſuę fidei victoria potiti ſunt. In cuius loco orationis, innumeræ virtutes ſanitatũ noſcuntur eſſe patratæ, ad indiciũ videlicet & memoriã fidei eius. Nam & vſque hodiè multi de ipſo ligno ſacro ſanctæ crucis haſtulas excidere ſolent, quas cũ in aquas miſerint, eisq; languẽtes aut pecudes potauerint, ſiue adſperſerint, mox ſanitati reſtituuntur. Quoniã cætera dicta domini Bedę accipimus, quarè non & iſta accipiamus, in quibus narratur virtus Dñi, monſtrata per veneratione ſanctæ Crucis? Si quis voluerit dicere, nõ ità eſſe actũ de ligno ſanctę crucis, vt Beda narrat; & ſi ei creditum fuerit, poterit multa teſtimonia ſanctarum ſcripturarũ euellere, quod abſit. Et ſi quis voluerit ſuccenſere præſens factum, Deo rebellis videtur eſſe, qui hanc virtutem præſtitit ligno ſanctę crucis, vt non in præſenti victoriã ſolùm daret ſeruo ſuo, ſed etiam in ſequenti tempore virtutes exerceret per merita ſanctæ Crucis, vt memoratũ eſt in præſenti opere. Quod ſi aliquis dixerit, quarè non adoras aſinum, quia in eo Dominus ſedit, ſiue cætera talia, quæ Dominus tetigit corpore ſuo? ſecundùm paruitatem meam reſpondeo, quia non lego in auctoritate ſanctorum patrum, miracula & ſanitates ex his monſtrari, ſicut virtute ſanctæ crucis, & neque me ſcio per illa redemptum, vt per ſanctam crucem: neq; diaboli artes ità per illa diſſipatas, vt per iſtã: neq; portas per illa inferni fractas, vt per iſtã: neq; animas iuſtorum ductas in Paradiſum, vt per iſtã. Diabolus, & fœmina, & vir, & lignum ſcientiæ boni & mali, fuerũt mucro perditionis noſtrę: Gratia Dei, & virgo quę peperit, & vir, & lignũ ſunt in cauſa reſtaurationis noſtræ: non aſinus, non mulier hæmorrhoiſſa, nõ lapis, non puteus, in quo Samaritana hauriebat aquam, & cætera talia. Sed non proderat naſci, niſi mori profuiſſet. Nõ enim fruſtrà dixit Apoſtolus: Regnauit mors ab Adã vſq; ad Moyſen, etiam in eos qui nõ peccauerũt, in ſimilitudinẽ prævaricationis Adæ, qui eſt forma futuri. formam futuri Adæ ità lego: Sicut primus Adam cauſa fuit mortis noſtrę, etiam nobis, qui non manducauimus de ligno vetito: ita Chriſtus eſt cauſa vitę eternæ. Acceſſit diabolus ad Adam per fœminam, & occidit eum: pulſauit ad oſtium Adæ, quãdò ſuggeſſit Euę. Aperuit oſtium Eua, & per illam intrauit ad Adam, quaſi ſuggeſtio per dilectionem ad conſenſum. Acceſſit gratia Domini ad virginem Mariam, & parauit ſibi habitaculum in homine Chriſto: & reuixit genus humanum, quod occiſum erat in Adam. Inſuper etiam diabolus, qui cœpit regnare per mortem in Adam, acceſſit ad Chriſtum, & tentauit eum per eoſdem aditus introeundi, per quos tẽtauit primũ Adam, & non inuenit oſtium intrandi, excluſus eſt foris. Primus Adã accepit legẽ, vt non manducaret de ligno ſcientiæ boni & mali: Si obediret Domino, in ea lege, præmium obedientiæ poſſideret in vitam æternam, quam ipſe perdidit, & nos per illum. Lignũ ſcientię boni & mali ſecundum ſuam naturam non habuit mortẽ in ſe, ſed fuit in cauſa, vt in eo probaretur obedientia parentis noſtri, ſiue vindicaretur inobedientia. Sicut iſtud lignum fuit in cauſa probationis, ità lignum vitæ in cauſa ſempiternę vitæ. Hoc lignũ attulit nobis Dominus noſter Ieſus Chriſtus per lignum crucis in eccleſia noſtra: vt qui morti debitores eramus per lignum ſcientię boni & mali, faceret nos vitę capaces per lignũ ſanctæ crucis. Sicut enim lignũ ſcientię boni & mali ex ſua natura nõ habuit mortẽ; ità lignũ, vndè nobis vita ſempiterna conceditur, non ex ſe habet hanc virtutẽ, ſed ex illius virtute, q, ſi infirmus fuit ex nobis, viuit ex virtute Dei, cui virtuti nũquàm & nuſquàm poteſt reſiſti. Cœpit regnare mors & diabolus ab inobedientia ligni ſcientię boni & mali: ſuperata eſt eadẽ mors & diabolus per obedientiã ligni ſanctę crucis. Sicut enim Deo placuit genus humanum reſtaurare per eandem naturam, per quam perdita erat, id eſt, per humanam. ità

Universidad de Deusto
Biblioteca

virtutẽ obedientiæ, quæ corrupta erat in Adã propter esum ligni, per abstinentiam illius, qui obediens fuit patri in ligno crucis. Sicut enim illa obedientia primi Adam omnibus profuisset, si permaneret vsque ad præmiũ, quo nõ possit peccare genus humanum; ità ista omnibus respicientibus ad illam, prodest: Primus Adam inobedientiæ mucrone interfectus est à ligno scientiæ boni & mali: secũdus Adã per palmam obedientiæ à cruce transiuit in vitã æternam, & nos secũ duxit. Quod enim erat Adæ primo destinatum per lignũ vitę, vt feliciter viueret, si in obedientia Domini perseueraret; hoc nobis nunc tributũ est per lignũ, quod Christus obediens in nostra ecclesia plantauit. Vndè nõ immeritò crux viuifica vocatur. Adam perditio per quatuor partes mundi dispersa erat: Adam saluatio quatuor partes mundi comprehendit statura corporis sui in ligno. Vndè Sedulius in Paschali carmine:

Quatuor indè plagas quadrati colligit orbis.
Splendidus auctoris de vertice fulget Eous.
Occiduo sacræ lambuntur sidere plantæ.
Arctoo dextra tenet, mediũ læua erigit axem.
Cunctaq́, de membris viuit natura creantis.

Hanc sanctam Crucem totus mundus adoret, qui per eam redemptus est, deprecando illum cui potestas est virtutem suam tribuere secundùm suam voluntatem, iuxta quod disposuit ante secula vnicuique creaturæ.

De præsentatione corporis Domini in altari, & calicis cum vino non consecrato. Cap. 15.

IN superiùs memorato libro inueni scriptũ vt duo presbyteri afferant post salutationẽ crucis corpus Domini, quod pridiè reseruatum fuit, & calicem cum vino nõ consecrato, quod tunc consecretur, & indè cõmunicet populus. De qua obseruatione interrogaui Romanum Archidiaconum, & ille respondit: In ea statione vbi Apostolicus salutat crucem, nemo ibi cõmunicat. Qui iuxta Ordinẽ libelli per commixtionẽ panis & vini consecrat vinũ, non obseruat traditionem ecclesiæ, de qua dicit Innocentius, Isto biduo sacramenta penitus nõ celebrari. Percussus est pastor, oues gregis dissipatæ sunt. Pastores qui videntur esse in Ecclesia, declinatione sui officij demonstrant statum illius temporis, qui tunc agebatur apud discipulos Christi. Dominus enim dixit pridiè, Non bibã de hoc genimine vitis, donec bibã illud vobiscũ nouũ: Quod manifestat actum esse lectio, quæ legitur secunda feria post Pascha Domini, dicente Petro: Nobis qui manducauimus & bibimus cũ illo, postquàm resurrexit à mortuis. Ratus ordo est, vt expectemus vsquedùm Dominus noster consecrat sacramenta corporis & sanguinis sui in cruce, & noua ea faciat p resurrectionẽ suã, & sic tandẽ manducemus & bibamus saluberrimũ illud sacramentum, non iam pransi, quod Apostoli fecerunt in cœna Dñi, sed ieiuni. Et isto ordine post salutationẽ crucis oportet singulos remeare ad sua.

De octaua varietate, quæ fit die sabbati. Cap. 16.

OCtaua varietas est in sabbato sancto. Heri recolimus ex decretalibus Innocentij Papę, hodiè non celebrari Missam: quod ita esse, comperimus ex officio hodierno, quod totum, noctem illustrat futuram. Oportet vt hoc discamus ex prima consecratione cerei, quę dicit: Hæc nox, in qua destructis vinculis mortis. Et iterùm: Hæc nox est, de qua scriptum est, & nox vt dies illuminabitur. Vigiliæ agendæ sunt in nocte, vt ex auctoritate patrum recolimus. Dicit Augustinus ex sermone ad populum in vigiliis Paschę. Dicendũ est, cur tanta celebritate, hodierna potissimùm nocte, vigilias celebremus. Quod die tertio resurrexit à mortuis Dominus Christus, nullus ambigit Christianus. Hac autem nocte hoc factum esse, sanctũ Euangelium contestatur. & paulò pòst: Illam noctem agimus vigilando, qua Dominus resurrexit, & illam vitam, de qua paulò ante dicebamus, meditamur, vbi nec mors vlla nec somnus est, quam in sua carne nobis inchoauit, quam sic excitauit à mortuis, vt iã non moriatur, nec mors ei vltrà dominetur. Et iterùm: Cui resurgẽti paulò diutiùs vigilando cõcinimus præstabit, vt cũ illo sinè fine viuẽdo regnemus. Sed & si fortè his horis, quibus nos ducimus istam vigiliã, illius adhuc corpus in sepulcro erat, nondum q́; resurrexerat, nec sic vigilãdo sumus incõgrui, quia ille dormiuit vt vigilemus, qui est mortuus vt viuẽtemus. Hieronymus horã certam vigiliarũ demonstrat in cõmentariis Matthæi, dicendo: Traditio Iudæorũ est, Christum in media nocte venturum in similitudine Aegyptij temporis: quandò Pascha celebratum est, exterminator venit, & Dominus super tabernacula trãsiit, & sanguine agni postes nostrarum frontium consecrati sunt. Vndè reor & traditionẽ Apostolicam permansisse, vt die vigiliarum Paschæ ante noctis dimidium populos dimittere non liceat, expectantes aduentũ Christi: & postquàm illud tempus transierit, securitate præsumpta, festum cunctis agentibus diẽ.

De Agnis, de cera factis, benedicendis. Cap. 17.

ROmanus libellus narrat, eodem die benedici cerã oleo mixtam, indeq́; fieri agnos, cosque reseruari vsque in octauas Paschæ. In octauis verò post communionem dari populo ex his incensum ad adolendum, & ad suffumigandum domibus suis: & narrat similiter nos facere debere de cereo cõsecrato. Cera namq́; Christi humanitatẽ designat, vt Gregorius in homiliis. Fauus quippe mel in cera est, mel verò in cera, est diuinitas in humanitate †. Agni quos Romani faciunt, agnũ pro nobis factum imma-

immaculatum designant. Omnibus rebus nobis Christus ad memoriam frequentiùs reducendus est, vt Augustinus ad Ianuarium: Non ideò, inquit, tamen putare debent stulti, qui nolunt in melius commutari, adorãda esse ista luminaria, quia ducitur ex eis aliquandò similitudo ad diuina mysteria figuranda. Ex omni enim creatura ducitur †. Quandò agnum de cera videmus, agnus prefiguratus & in Pascha immolatus, ad memoriam reducitur: Cui sanctus Gregorius oleum infudit, quandò mysteria paschalis agni reserauit.

De Cereo benedicendo. Cap. 18.

ROmanis ita agentibus, nobis quoque præceptum est à Papa Zosimo benedicere cereum. Vt diximus, cera humanitatem Christi designat. Vnanimitatem significationis vult habere cereus iste, cum columna ignis, quæ illuminabat populum Israel in nocte. Vnde dicitur in cõsecratione cerei: Hæc igitur nox est, quæ peccatorum tenebras columnæ illuminatione purgauit. Et paulò pòst: Sed iam columnæ huius præconia nouimus, quam in honore Dei rutilans ignis accendit. Columna illa Christum prefigurabat, de qua dicit Hieronymus in libro mansionum: Mouerunt autem castra de Rameſſe mense primo, quintadecima die mensis primi. Altera die post Pascha egressi sunt filij Israel in manu excelsa. Et paulò pòst: In mẽse primo quandò hyems præteriit & abiit sibi, quãdo veris exordiũ est, quãdò cuncta renouãtur, eximus quintadecima die mensis primi in crastinũ paschę, pleno mensis lumine post esum agni immaculati. & iterũ: Et proficiscentes filij Israel de terra Rameſſe, castrametati sunt in Socoth. Et post pauca: Profecti de Socoth, castrametati sunt in Ethan, quæ est in extremo solitudinis. Tertia mãsio offertur post tabernacula, in qua primùm videtur Dominus in nocte in columna ignis, & per diem in colũna nubis, vt præcedat populum, & dux itineris fiat. Ethã, nobis resonat fortitudo atq; perfectio. Et iterùm: Præparemus nobis fortitudinem, assumamus perfectũ robur, vt inter errorũ tenebras, & confusionẽ noctis, scientiæ Christi lumen appareat: dies quoq; noster nubem habeat protegentẽ, vt his ducibus ad sanctam terrã perue nire valeamus. Nam & columna nubis in persona Spiritus sancti accipitur, dicente Gregorio Nazianzeno in sermone de secundis epiphanijs: Baptizauit, inquit, Moyses in mari & in nube, sed in typo & in figura. ità enim Paulus pronunciat. Habuit ergò mare formã aquæ, nubes verò spiritùs sancti. Pars columnę, in qua legitur nubẽ habitasse, protegebat populũ Dei: pars altera illuminabat. Nãq; de Spiritu sancto legitur, Et virtus altissimi obũbrabit tibi: quod enim obũbrat, protegit. Si enim cereus rutilans illã humanitatẽ designat, quę illuminauit omnẽ hominẽ venientẽ in hunc mundũ, p fectò & personã Spiritus sancti in eodẽ cereo debemus intelligere, quæ obumbrat casto corpori, nè inficiatur æstu concupiscentię. Iste cereus, qui præfigurat humanitatẽ Christi, illuminatus benedicitur: Quia humanitas Christi, postquam assumpta est à diuinitate, semp fuit illuminata. Cui semper benedicitur †. Illa colũna præcedebat filios Israel antequàm trãsirent mare rubrũ: nostra colũna, scilicet cereus, præcedat & nostros catechumenos: Lumẽ ipsius, lumen Christi significat, quo & præsens nox illuminatur, gratia scilicet resurrectionis, & catechumeni qui venturi sunt ad baptismũ. Ipsam illuminationem designant lectiones, quæ ante baptismum leguntur, vt in sequentibus monstrabitur. Cereus propterea benedicitur, quia nisi ex benedictione ministri, non potest ex sua simplici natura transire ad mysteria. In mysterio enim erat columna ignis. Quòd à diacono benedicitur morem sequitur Romanum: in eo enim Archidiaconus cõficit agnos. Qui cereus per octo dies neophytorum præcedit pontificẽ, qui est caput populi, quia colũna ignis præcessit populum vsque ad terrã repromissionis.

De Lectionibus. Cap. 19.

DIximus, cerei lumine Christi lumen significari, quo illuminantur catechumeni: Nunc narrandus est, Domino miserante, modus illuminationis, vt ordinatè & illuminato itinere pergatur ad baptismũ. Doctor catechumenorum cõuiua debet esse catechumenorum. Hoc egit Christus, quãdò conuiuabatur cũ publicanis & peccatoribus, vt eos traiiceret in se. Hoc Petro dictum est in Actibus Apostolorũ, quandò ei vas linteum de cęlo missum est: Surge Petre, occide & manduca. quod ità Beda in eisdẽ Actibus: Surge, inquit, ad euangelizandum præparare: occide in gentibus quod fuerant, & fac quod es. Qui enim manducat cibum foris positũ, in suũ corpus traiicit. Præcepit ergò vox diuina, vt nationes per incredulitatem ante fores positæ, interfecta præterita vita, societati ecclesiæ, quam significat Petrus, inserantur. Hãc doctrinã significat mẽsa in tabernaculo Mosaico, quę habet quatuor pedes: quia (vt Beda in libro de tabernaculo) quadriformi ratione omnis diuinorum eloquiorum series distinguitur. Hic, oro, intendatis, quam congruentiã habeant lectiones quatuor, & cantica, & orationes quæ aguntur propter institutionẽ catechumenorũ, cũ quatuor pedibus mensæ. Idem qui suprà in memorato: Mensa tabernaculi quatuor pedes habet, quia verba cęlestis oraculi vel historico intellectu, vel allegorico, vel tropologico, i. morali, vel certè anagogico solẽt accipi. Historia est namq; cũ res aliqua quomodò secundũ literam facta siue dicta sit, plano sermone refertur. Videamus si prima lectio cum isto pede vadat. Nonnè, sicut ibi scriptum est, de generatione hominis tenetur secundùm historiam? Omninò ità credimus, vt ibi scriptũ est: Faciamus hominẽ ad imaginem & similitudinẽ nostrã, & præsit

Universidad de Deusto
Biblioteca

præsit piscibus maris & volatilibus cæli. Et iterùm: Masculum & fœminam creauit eos, & sicut ibi narratur, die sexto credimus hominem factum. Orat sacerdos Deum, qui mirabiliter hominem creauit & redemit, vt homo qui est ad imaginem Dei factus, id est, mentis ratione, resistat catechumenis cõtra oblectamẽta mundi. Doctoris officium est, vt primò instruat catechumenum de sua formatione, dein quomodò cecidisset: dummodò non consentiat carnalibus, vt Adã Euæ, posse restaurari ad primam formationem. A doctore habet doctrinam, à sacerdote verò confirmatio impetratur. Secunda lectio plano sermone refert, quomodò populus Israel ex Aegypto saluatus sit. Quia in superiore lectione audiuit catechumenus suam formationem, in ista audiat redemptionem suam à dominis, quibus se vendidit suis peccatis: & audiat, quòd sicut populum Israel liberauit Dominus de manu Pharaonis, quem deleuit in mari rubro, sic possit & eum liberare de manu diaboli per aquam baptismi. Cui sequitur victorię canticum: Cantemus Domino, gloriosè enim magnificatus est. Canticum magnam deuotionem animi demonstrat, quam solent singulariter deuoti percipere, quibus non generaliter respondetur. Exultat deuotus animus, quia videt catechumenos deuotos per Dei vocationẽ & hoc videt ex affectu doctrinæ. Istas duas lectiones vnum canticum sequitur, quia vtræq; in primo pede mensæ stant, id est, in allegoria. Vel ideò priorem lectionem canticum non sequitur, quia in illa insinuatur parens, in quo omnes peccauerunt. Doctrinam doctoris confirmat sacerdos, ità deprecando, quod vni populo à persecutione Aegyptia liberando, dexteræ tuę potentia contulisti, id in salutem gentium per aquam regenerationis operaris, præsta, vt in Abrahæ filios & in Israeliticam dignitatem totius mundi transeat plenitudo. Transeamus ad secundum pedem mensæ. Idem qui suprà in eodem: Allegoria est, cùm verbis siue rebus mysticis præsentia Christi & Ecclesiæ sacramenta signantur †. Tangamus tertiã lectionem, quæ quamuis tertia sit ordine lectionũ, tamen propter sacramenta, quæ continet, secũdo pedi mensæ coniungitur. In ea habemus sacramenta Christi & Ecclesiæ: Apprehendent septem mulieres virum vnum in die illa, dicentes, panem nostrum comedemus. Secundùm historiam, non legimus illud factũ, sed in Christo scimus completum, quem apprehenderũt septẽ dona spiritus sancti. Vndè Hieronymus in Esaia: In aduentu Domini Saluatoris nostri septem mulieres, id est, septem gratiæ spiritus sancti, de quibus in consequentibus idem propheta dicturus est, Exiet virga de radice Iessæ, & flos de radice eius ascendet, & reliqua. Et paulò pòst: Apprehendent Iesum, quem multo tempore desideraverant, quia nullũ aliũ poterãt inuenire, in quo æterna statione requiescerent †. Eccè habes sacramentũ Christi; audi & sacramentũ Ecclesiæ. Cùm abluerit Dominus sordes filiarũ Sion, & sanguinẽ Hierusalem lauerit de medio eius spiritu iudicij & spiritu cõbustionis. Idẽ qui suprà in eodẽ: Nota quia sordes filiarum Sion lauerit spiritu iudicij, sanguinem autẽ Hierusalẽ, spiritu cõbustionis. Quod enim leue est, lauatur: quod grauius, exuritur. De quo iudicij spiritu & spiritu combustionis, Ioanes Baptista in Euãgelio loquebatur: Ego vos baptizo in aqua: qui autem post me venit, vos baptizabit in spiritu sãcto & igne. Ex quo discimus, quia homo tantùm aquam tribuat: Deus autẽ spiritum sanctum, quo sordes abluuntur, & sanguinis peccata purganturꝛ. Eccè habes hìc sacramenta Ecclesiæ. Hìc demonstratur catechumenis, quid amare debeant, vt septẽ mulieres quæ apprehenderunt virũ vnũ: & quid proficiat eis baptismus, id est, vt per spiritum iudicij & per spiritũ combustionis minora & maxima peccata purgentur. Quam sequitur Canticum, Vinea facta est: in quo continetur sacramentũ synagogæ. Si modò nõ est synagoga cõiuncta viro Christo, erit, cùm plenitudo gentiũ intrauerit. Propter hęc duo sacramẽta, id est, ecclesiæ & synagogę, orat sacerdos, dicens: Deus qui nos ad celebrandum paschale sacramentũ vtriusq; testamenti paginis instruis, da nobis intelligere misericordiã tuã. Quod doctor docuit, id est, remissionem peccatorũ accipere gentes per Christianitatẽ, & Iudaicam plebem, quę vinea dicitur Soreth, quandò fuerit vinea Domini Sabaoth domus Israel, id est, vir videns Dominum. hoc orat sacerdos, vt eandem misericordiam, per quã fit remissio, intelligat Ecclesia, & dicat: Ostẽde nobis Domine misericordiam tuam. Tertium pedẽ meusę requiramus. Dicat Beda in quo & suprà: Tropologica (id est, moralis) locutio ad institutionem & correctionem morum, siue apertis siue figuratis prolata sermonibus, respicit. Fas est vt postquã docti fuerint catechumeni de purgatione baptismi, instruantur de moribus. Dicit lectio quarta: Audite audientes me, & comedite bonum, & delectabitur in crassitudine anima vestra, Inclinate aurẽ vestram, & venite ad me: Audite, & viuet anima vestra, & feriam vobiscum pactum sempiternũ, misericordias Dauid fidelis. Quod ità Hieronymus in eodem Esaia: Sermo diuinus non carnis illis bona, sed animę pollicetur. Si enim audieritis me, bona terrę comedetis, siue bonum, qui dicit, Ego sum pastor bonus. & delectabitur in bonis & in crassitudine anima vestra. Ergo bona quæ animæ repromissa sunt, non diuitiæ & corporis sanitas, & seculi dignitates, quæ etiam philosophi appellãt indifferentia, id est, nec bona nec mala, & pro vtentium qualitate variantur: sed illa credẽda sunt, ad quę hortatur Deus, Declina à malo, & fac bonum: & reliq. Hæc vult docere, qui dicit, Audite audientes me: vt declinet catechumenus à malis moribus, & faciat bonos. & iterũ: Derelinquat impius vias suas, & vir iniquus cogitationes suas, & reuertatur ad Dominum. Sicut primæ duæ lectiones propter historicam narrationem concluduntur vno cantico: sic ista vna dilatatur in duobus, propter duas res sibi coniungentes, scilicet mores bonos, & cælestem patriam. Vnde Propheta: Anima eius in bonis demorabitur, & semen eius hæreditabit terram. Et penè in aliquibus reperiũtur eadem in canticis, quæ in lectione. Dicit lectio: Omnes sitientes, venite ad aquas. Canticum dicit, Sitiuit anima mea ad Deum fontem viuũ. Lectio dicit, Feriam vobiscum pactũ sempiternũ misericordias Dauid fidelis. Canticũ dicit, Deus fidelis in quo non est iniquitas. Lectio dicit, Et quomodò descendit imber, & nix de cælo, & illuc vltrà non reuertitur, sed inebriat terram, & infundit eam: & reliq. Canticum dicit, Audiat terra verba oris mei, expectetur sicut pluuia eloquium meũ, & descendant sicut ros verba mea. Quibus in verbis Euãgelica doctrina monstratur, quam precatur Doctor infundi super catechumenos, posteà admonet vt non sileant, dicantque quid in corde habeant, & dicit: Date magnificentiam DEO nostro, & reliqua. Iã sunt in ipso introitu ostij baptismalis. Orat sacerdos, qui sentit ex deuotione animi vocatos eos esse à Domino, continuam protectionẽ, dicendo: Concede propitius, vt quos aqua baptismatis abluis, cõtinua protectione tuearis. In quarto cantico teneamus quartum pedem mensæ. Beda in eodẽ: Anagoge, id est, sensus ad superiora ducens, locutio est, quę de præmijs futuris, & ea, quæ in cælis est vita futura, siue mysticis siue apertis sermonibus disputat. Audiamus quid dicant catechumeni post admonitionẽ doctoris: Sicut ceruus desiderat ad fontes aquarũ, ità desiderat anima mea ad te Deus. Quod August. ità: Et quidẽ non malè intelligitur, vocẽ esse eorum, qui cùm sint catechumeni, ad gratiã sancti lauacri festinant. Vndè & solenniter cantatur hic psalmus, vt ità desiderent fontem remissionis peccatorum, quemadmodùm desiderat ceruus ad fontes aquarum. Sitiuit anima mea ad Deum viuum. Vndè qui suprà: Quid sitiuit? Quandò veniam, & apparebo ante faciem Dei? Hoc est quod sitio, venire & apparere. Sitio in peregrinatione, sitio in cursu, satiabor in aduentu. Sed quandò veniam? Quod enim citum est Deo, tardũ est desiderio. Quandò veniam & apparebo ante faciem Dei? Ex illo desiderio est & hoc quod clamatur alibi, Vnam petij à Domino, hanc requiram, vt inhabitem in domo Domini per omnes dies vitæ meæ. Totum anagogicum sonat. Idipsum deprecatur sacerdos, vt qui festa paschalia agimus, cælestibus desiderijs accensi, fontem vitę sitiamus. Inter hæc duo cantica nõ est lectio necessaria, quia (vt prædiximus) qui in bonis moribus moratur, restat vt cælestia tantummodò sciat, quamuis propter conuenientia lectionis & duorum canticorum, sinè altera lectione congruè coniungantur.

De duobus cereis. Cap. 20.

DIximus, cereum consecratum, Christi humanitatem designare, quo vtimur pro columna ignis, cui coniunximus lectiones. Etenim illius lumen, Christi doctrinam signat, qui est fons omnis sapientiæ: illo catechumenorum tenebræ expulsæ sunt. Qui cereus ideò nouo igne accenditur, vt designet Christi doctrinam nouam, quæ est in nouo testamento: siue nouam gratiam, qua illustrata est nox singulariter, Dominica, videlicet, Christi resurrectione. Additur etiàm in libello memorato alter cereus, vbi dicitur: Et tunc illuminantur duo cerei tenentibus duobus notariis, & reliq. Nos verò hunc ordinem diligenti cura volumus obseruare, quoniam Christus lux vera, qui illuminat omnem hominẽ venientẽ in hunc mundum, dixit choro Apostolorum, Vos estis lux mundi. Sit cereus consecratus, in Christi persona: sit alter cereus, illuminatus à primo cereo, chorus Apostolorum: Vtrique sint in ecclesia, vtrique præcedãt catechumenos nostros ad baptismũ, præcedant nos ad terram promissionis. Christi Apostolorumque constitutionem diligẽtissima cura debemus obseruare. Per se Christus illuminat Ecclesiam, illuminat & per Apostolos. Vndè Augustinus ad Ianuarium, quãdo ei exponit, cur nos iciuni communicemus, cùm Apostoli non ieiuni cõmunicauerint. Namque Saluator, inquit, quo vehementiùs commendaret mysterij illius altitudinem, vltimum hoc voluit infigere cordibus & memorię discipulorum, à quibus ad passionem digressus erat: & ideò non præcepit, quo deincèps ordine sumeretur, vt Apostolis per quos ecclesias dispositurus erat, seruaret hunc locum. In duabus varietatibus catechumenorum Doctores introduximus, idest, in quarta feria post mediam quadragesimam, in qua docti sunt de fide & moribus: & in hodierna die, qua perfectiùs instruuntur. In his duabus varietatibus non reor doctorem variare doctrinam, cùm ex his duobus vita nostra pendeat. Vndè dicit Beda in libro de tabernaculo: Vita nostra in præsenti fide & operatione recta consistit. Propterea hodierna die repetitur Doctoris opus, vt si fortè per obliuionem dilapsum est, quod olim didicerunt catechumeni, aut si aliqui nondùm interfuerũt, hodiè plenius instruantur.

De pronunciatione lectionum in vigiliis Paschæ & in vigiliis Pentecostes. Cap. 21.

TRibus generibus subditorum debitores sumus loqui in ecclesia, scilicet sapientibus, & insipientibus, & domesticis nostris. De sapiẽtibus & insipientibus loquitur Paulus ad Romanos: Sapientibus, inquit, & insipientibus debitor sum. De domesticis dicit ad Corinthios, Præter illa, quæ extrinsecùs sunt, instãtia mea quotidiana, solicitudo omniũ Ecclesiarũ.

Per ſinſtãtia quotidiana, quæ vocat ſolicitudinem omnium eccleſiarum, illam doctrinã monſtrat, quam quotidiè faciebat ad eos, qui ſecum morabantur. Status noctis, in quo legimus quaſi inſipientibus, monſtrat corda inſipientium: quibus neceſſe eſt, vt extrinſecùs lumen habeant. Vtroſq; habemus in eccleſia noſtra, & ſapientes & inſipientes. Melius enim conuenit, catechumenos comparari inſipientibus, quàm ſapientibus. Propter hanc pronũciationem, quã facimus in vigilliis Paſchæ & Pentecoſtes, iſta tãgimus, vt nouerimus quarè aliter pronuncietur in officio Miſſæ, & aliter iſto officio. Quæ, ſi Dominus dederit, pleniùs dicturi ſumus in officio diurnali & nocturnali: Propter cæcitatem cordis catechumenorũ, qui ſunt inſipientes, comparauimus lectiones eorũ ſtatui noctis: vt in nocte pronunciatur lectio, irà pronuncietur in præſentia catechumenorũ. Dicit libellus, de quo ſæpè memorauimus, qui continet Romanũ ordinem. Non pronunciatur lectio libri Geneſis, nec lectio libri Exodi, ſimiliter & de cæteris. Si enim hoc obſeruatur, hanc nobis videtur poſſe habere rationẽ: Eis, qui cognoſcunt ciues cæleſtis Hieruſalẽ, vt ſapientes, pronunciandi ſunt ijdem ciues: vt amore dulcedinis nominis ciuis ſui, auidiùs lectio bibatur. Hi verò, id eſt, catechumeni, qui nondùm cognouerunt ciues Hieruſalẽ, fruſtrà eis pfertur auctor incognitus, quibus firmiſſima auctoritas vileſcere poteſt per ignorantiam.

De canticis. Cap. 22.

ESto, Catechumeni in proximo futuri ſunt de cœtu centum quadragintaquatuor millium, qui cantant canticum nouũ, quod nemo poteſt dicere, niſi ille. Pro illo precatur à ſacerdote in Sacramentario, vt ab immaculato diuini fontis vtero in nouam renatus creaturam, progenies cæleſtis emergat: Et quos aut ſexus in corpore, aut ætas diſcernit in tempore, omnes in vnam pariat gratia mater infantiam. Et in ſequentibus: Vt omnis homo hoc ſacramẽtum regenerationis ingreſſus, in veræ innocentiæ nouam infantiam renaſcatur. Propter futuram renouationem in veram innocentiam, iã, quaſi factum ſit quod citò eſt venturum, ex perſona ipſorum cantat cantor cantica, quæ cæteri nõ poſſunt cantare, qui maculati ſunt poſt vterum baptiſmi: vt lectio ſit iſta, ſicut nobis videtur, quaſi ſpecies magiſtrorũ: & canticũ, quaſi beneuolentia auditoris: & oratio ſacerdotis atque populi, qui reſpondent, amen, confirmatio præcedentis beneuolentiæ. Cantare ſolius eſt in conſpectu Domini gaudere præ cæteris de innocentia, qua proculdubiò veſtiũtur infantes in baptiſmo. Quamuis propter cantũ cantica dici poſſunt: tamen in libris, vndè iſta excerpta ſunt, carmina aut cantica vocantur. De primo ſcriptũ eſt, Tunc cecinit Moyſes & filij Iſrael carmen hoc Domino, & dixerunt, Cantemus Domino. De ſecundo ità Eſaias: Cantabo dilecto meo canticũ patruelis mei vineę ſuæ, vinea facta eſt. De tertio ità in Deuteronomio: Scripſit Moyſes cãticũ hoc, & docuit filios Iſrael. Quartũ quãuis non prętituletur in pſalterio de cantico, tamen ab Auguſtino viro doctiſſimo habemus illud cãticũ nominatũ. Sic .n. ſcripſit in præfatione cantici, Sicut ceruus: Corpus, inquit, Chriſti Eccleſia eſt, nec in omnibus qui intrãt in eccleſiã, inuenitur tale deſideriũ: Sed tũ quicunq; ſuauitatẽ Domini guſtauerunt, & quod eis ſapit, agnoſcunt in Cantico.

De olei vnctione in ſabbato ſancto. Cap. 23.

SCrutinium habet ſuum proprium opuſculũ, & propterea nos oportet præterire illud, præcipuè quiã iam indè operatum eſt. Sed quia in intinere noſtro chariſſima inuenimus, non poſſumus præterire ea, niſi viſendi gratia oſculum eis præbeamus: Ac per hoc libet nunc dicere de olei vnctione. Dicitur in ſacramẽtario, In ſabbato Paſchæ ad reddẽtes, dicit Dominus Papa poſt πιστεύειτε: Primò dicendum eſt, quid reddãt: & poſteà, quid dicat Papa: Nẽpè, lectionem, quam acceperunt quarta feria poſt medium quadrageſimę, hodiè reddunt. Papa infit: Nec te latet, Satana, imminere tibi pœnas. & poſt paululùm: Da honorẽ Spiritui ſancto paracl†to, & recede ab his famulis & famulabus Dei. iſte eſt exorciſmus Papæ, ipſe præceſſit in olei conſecratione. De quo officio dicit Gregorius in homiliis: Sãcta quippe eccleſia quotidiè ſpiritaliter agit quod tunc per Apoſtolos corporaliter faciebat. Nam ſacerdotes eius cùm per exorciſmi gratiã manum credentibus imponunt, & habitare malignos ſpiritus in eorum mente contra dicunt, quid aliud faciunt, niſi dæmonia eiiciunt? Sequitur in ſacramentario: Poſt hoc tangit ſingulis nares & aures, & dicit eis, Epheta. Iſtud officium prælibatũ eſt in memorata quarta feria, ſed fors ideò reperitur quia aliqui nondùm venerant, ſiue per negligẽtiã perdiderunt quod acceperunt, qui venerãt. Sequitur in eodem Sacramentario: Poſteà tangit de oleo ſancto ſcapulas & pectus. Vt prędiximus iſtud oleum ad donum gratiæ Dei pertinet, de quo dicebat Paulus: Alteri fides in eodẽ ſpiritu. Ad tutamen mentis & corporis imponitur oleum in ſcapulis & pectore. In armis tutaminis locum ſcutum ſolet tenere. Fidem idẽ Apoſtolus inter cæteras virtutes pro ſcuto ponit, dicendo: Sumentes ſcutum fidei. Per cogitationes prauas & opera diabolus nos corrumpit, propterea munimur oleo exorciſmi, id eſt, ſcuto fidei in ſcapulis, quæ ſunt habiles ad portãda onera, per quas intelligere poſſumus opera, vt expulſa opera diaboli nõ habeãt locũ redeũdi. Similiter & in pectore pro munimine cogitationũ. Vnctio forinſeca oſtẽdit, quid intùs operetur Spiritus ſãctus ad inuocationẽ ſacerdotis: Et dicit, Abrenũcias Satanę, id eſt diabolo, quem in ore tenebas per immolationem idolo-

idolorum? Iterum, Et omnibus operibus eius? Quæ aliqua ſunt carnalia, ſicut eſt voluptas carnis, ad quam pertinet cibus ſuperfluus, & potus, & omnis luxuria: & aliqua ſpiritalia, ſicut eſt ſuperbia, inuidia, & cætera. Propter hæc carnalia, vt abſint, vngitur in ſcapulis: & propter ſpiritalia, vt adſint menti, vngitur in pectore. Sequitur: Et omnibus pompis eius. Vt breuiter ſtringam, omnes honores vanos & ſuperfluos hìc intelligo. de multis vnum proferam. Quandò aliquis imperator vel potens feſtis diebus procedit ad Miſſam, ducitur cum eo inter cæteras pompas phaleratus equus auro & argento, ſuper quem nullus ſedet cundo & redeundo. Eccè pompa, eccè fruſtratus honor. Promiſſio facta eſt, vt firma ſit, gratiæ Dei, quaſi quodam oleo, tribuendum eſt. De qua promiſſione dicit, qui ſupra, in memoratis: In die quippe baptiſmatis, omnibus nos antiqui hoſtis operibus, atque omnibus pompis eius, abrenunciare promiſimus. Itaque vnuſquiſque veſtrum ad conſiderationem ſuæ mentis oculos reducat: & ſi ſeruat poſt baptiſmum quod ante baptiſmum ſpopondit, certus, quia iam fidelis eſt, gaudeat. Per præſentem abrenunciationem expulſus eſt prior hoſpes: per confeſſionem credulitatis, introeat ſecundus. Quamuis poſt conſecratam aquam interrogetur credulitas, tamen hic à nobis recitabitur propter continuationem expulſionis prioris hoſpitis, & introductionis ſecundi. Dicit ſacerdos: Credis in Deum patrem omnipotentem? Confitetur interrogatus ſe credere. Eccè aditus iam paratus ſecundi hoſpitis per fidem. Poſteà interrogatus, ſi credat in filium? reſpondet credere ſe. Eccè aditus diuinorum operum. Propterea factus eſt Deus homo, vt nos alloqui poſſet, & opera ſuæ voluntatis monſtrare. Poſt hoc dicitur: Credis in Spiritum ſanctum? Reſpondet ſe credere. Expulſæ pompæ, adoptantur dona vera ſpiritus ſancti, quæ enumerat Eſaias.

Comprobatur ex Euangelio, poſſe ſaluari catechumenos per confeſſionem cæterorum fidelium. Cap. 24.

SCriptum eſt in Euangelio Marci veniſſe Syrophœniſſam mulierem ad Chriſtum rogantem pro filia, quæ habebat ſpiritum immundum. Cui Dominus dixit: Sinc priùs ſaturari filios: non enim eſt bonum, ſumere panem filiorum, & mittere canibus. At illa reſpondet, & dicit ei: Vtiq; Domine. Nam & catelli ſub menſa comedunt de micis puerorum. Et ait illi: Propter hunc ſermonem vade: exiit dæmonium de filia tua. Hæc mulier Syrophœniſſa, typum geſſit Eccleſiæ, quæ quotidiè rogat Dominum pro filia ſua, quæ nondum eſt Chriſtiana, & offert fidem ſuam pro ipſa, quoniam propter infantiã illa adhuc nõ poteſt loqui, quam tamen credimus ſaluari, iuxta illud Euangelij, per ſermonem matris: Vt iſta audiuit, propter hunc ſermonem, id eſt, quem mater protulit humilitatis & fidei, exiuit dæmonium à filia: ita credimus per confeſſionem porrigentiũ infantem ad fontes, expelli dæmones à catechumenis. Quòd fide matris ſaluata ſit filia, apertè Matthæus narrat, dicente Domino: O mulier, magna eſt fides tua, fiat tibi ſicut vis. Et ſanata eſt filia illius ex illa horæ. Vndè habemus in libro Bedę ſcriptum, quem fecit ſuper Marcum: Propter humilem, inquit, matris fidelemque ſermonem, filiam deſeruit dæmonium. Vbi datur exemplum catechizandi & baptizandi infantes, quia videlicet per fidem & confeſſionem parentum, in baptiſmo liberantur à diabolo paruuli, qui necdum per ſe ſapere vel aliquid cogitare boni poſſunt aut mali. Ex hoc datur intelligi, vt adultus, qui poteſt loqui, ore proprio confeſſionem ſuam proferat, quam propterea cæteri offerunt pro paruulis, quia ipſi loqui non poſſunt. De qua re dicit Auguſtinus in epiſtola ad Bonifaciũ epiſcopum de paruulis requirẽtem: Quæris à me, vtrum parẽtes baptizatis paruulis ſuis noceãt, cùm eos dæmoniorum ſacrificiis ſanare conantur? Et ſi non noceant, quomodò eis proſit, cùm baptizantur, parentum fides, quorum eis non poteſt obeſſe perfidia? Vbi reſpondeo, tantam illius ſacramenti, hoc eſt, baptiſmi ſalutaris eſſe virtutem, in ſancta compage corporis Chriſti, vt ſemèl generatus per aliorum carnalem voluntatem, cùm ſemel regeneratus fuerit per aliorum ſpiritalem voluntatem, deincèps non poſſit vinculo alienæ iniquitatis obſtringi, cui nulla ſua voluntate conſenſit. Si enim ſecundùm ſanctum Auguſtinum, alterius voluntate regeneratur paruulus in baptiſmo, nulli incredibile debet eſſe, niſi ſaluetur fide alterius: Nõ enim poteſt, vt omnibus liquet, ſapientiam habere fidei infans, qui nondum ſapit, neque intelligit: & qui non, iuxta quod in promptu video, multùm ſeparatur moribus à pecoribus. Animam habet paruulus, quę viuificat corpus, quam etiam habent pecora: Memoriam habet, ſed illam quam pecora habẽt, i. eam, quæ per ſenſum corporis intrat ad animam: nihilominus in cæteris operibus, quantùm ſegregetur, aut non ſegregetur ab illis, facilè poteſt dinoſci: Neq; hoc mirum, ſi abſoluatur paruulus alterius fide, qui alieno peccato obligatus eſt. Quæ cauſa ſit, vt alterius volũtate regeneretur, memoratus Auguſtinus ad eundem quem ſupra, in ſequentibus monſtrat: Vt autem, inquit, poſſit regenerari per officium voluntatis alienæ, cũ offertur conſecrandus, facit hoc vnus ſpiritus, à quo regeneratur oblatus. Non enim ſcriptum eſt, Niſi quis renatus fuerit ex parentum voluntate, aut ex offerentiũ vel miniſtrantium fide: ſed niſi quis renatus fuerit ex aqua, & ſpiritu. Aqua igitur exhibens forinſecus ſacramentum gratię, & ſpiritus operans intrinſe

cùs

Universidad de Deusto
Biblioteca

cùs beneficium gratiæ. Liquidò hìc monstratur, morem confessionis nostræ tenuisse Ecclesiam sancti Augustini, id est, vt minister fidem suam offerat pro paruulo, quando dicit: Non enim scriptum est, nisi quis renatus fuerit ex parentum voluntate, aut ex offerentium vel ministrantium fide. Quod propterea dicit, vt intelligamus non esse opus liberandi paruulum voluntate siue fide offerentium, sed Spiritu sancto, qui communis est maioribus offerentibus & paruulis renatis: Tamen vt hoc fiat, id est, vt saluetur paruulus per opera Spiritus sancti, valet multùm voluntas & fides offerentium. Et paulò post dicit memoratus Augustinus in memorata epistola: Regenerans ergò spiritus, in maioribus offerentibus, & paruulo oblato, renatoq; communis est: ideò per societatẽ vnius eiusdemq; spiritus, prodest offerentium voluntas paruulo oblato. Dicitur quodammodo paruulus fidem habere propter fidei sacramẽtum, & conuersionem ad Deum habere propter conuersionis sacramentum, quia est in illo celebrata similitudo fidei, & similitudo conuersionis. Vndè eadẽ in epistola idem qui supra: Si enim sacramenta quædam similitudinem rerum earum quarum sacramenta sunt, non haberent, omninò sacramenta non essent. Ex hac autem similitudine plerumque iam ipsarum rerum nomina accipiunt. Sicut ergò secundum quẽdam modum, sacramentum corporis Christi, corpus Christi est: sacramẽtum sanguinis Christi, sanguis Christi est: ita & sacramentum fidei, fides est. Nihil est autem aliud credere, quàm fidem habere: Ac per hoc, cũ respondetur paruulos credere, qui fidei non habent affectum, respondetur, fidem habere propter fidei sacramentum, & conuertere se ad Deum propter cõuersionis sacramentum: quia & ipsa responsio ad celebrationem pertinet sacramenti, sicut de ipso baptismo Apostolus: Consepulti, inquit, sumus Christo per baptismum in mortem. Non ait, sepulturam significauimus: sed prorsus ait, consepulti sumus, Sacramentũ ergò tantæ rei, non nisi eiusdem rei vocabulo nuncupauit†. Ex sacramento quidem habet similitudinem, quasi ipse paruulus respondeat: ex ore offerentium fidem suam, habet quodammodò fidem. Sicut nos propter similitudinem sepulturæ Domini, quam accepimus in baptismo, ipsam rem, id est, sepulturam agimus: ita ex responsione parentum siue offerentium, qui similitudinem credulitatis paruulorum exercent, agitur in infantibus fides. Solemus enim nominare infantem, & dicere ei: Credis in Deum patrem? atq; respondet offerens, Credo. Satis superiùs demonstratum est ex Euangelico testimonio, quòd fides offerentis possit eum saluare. Et ex Augustino possumus intelligere, eundem paruulum respondere voce offerentis, vbi dicit, Facit hoc vnus spiritus, ex quo regeneratur oblatus. & vbi idem Augustinus disputat de similitudine sacramentorum, ad eas res, quarum sacramenta sunt, vbì dicit, cùm respondetur, paruulos credere qui fidei non habent affectum. Ex quo intelligere possumus, ex similitudine responsionis, quasi ipse paruulus respondeat, sacramentum fidei celebrari in paruulo. & in alio loco, vbi dicit: Nam sicut credere respondent, ità etiã fideles vocantur †. Ita credo propter opus vnius Spiritus sancti, quod offerens respondet, hoc esse illius quem offert. Non diceret totiès sanctus Augustinus fidei sacramentum, nisi esset aliquis effectus inter rem ipsam & similitudinem eius, id est, inter sacramentũ fidei, quod potest fides nominari, & ipsam fidem, quam homo profert ex intelligibili animo. Sicut enim distat aliquid inter nostrã sepulturam, quam accepimus in baptismo, & Christi, qua resurrexit à mortuis, vt vltra non moriatur: ita inter sacramentũ fidei, & fidem: Tamẽ ipsa sacramenta ad hoc valent, vt nos perducant ad ipsas res, quarum sacramenta sunt. Sacramento fidei saltem paruulus vsq; ad tempus, quo possit discere fidem suam. Vndè qui supra, in sequentibus ad eundem quem supra, dicit: Itaq; paruulum etsi nondùm fides illa, quæ in credentium voluntate consistit, iam tamen ipsius fidei sacramentum fidelem facit. Nam sicut credere respondentur, ita etiam fideles vocantur, non rẽ ipsam annuendo, sed ipsius rei sacramentum percipiendo. Cùm autem sapere homo cœperit, non illud sacramentum repetit, sed intelligit, eiusq; veritati consona etiã voluntate coaptabitur. Hoc quandiù non potest, valebit sacramentũ ad eius tutelam aduersus contrarias potestates, & tantùm valebit, vt si ante * maioris vsum ex hac vita migrauerit, per ipsum sacramentum commendante Ecclesiæ charitate, ab illa damnatione, quæ per vnum hominem intrauit in mundum, Christiano adiutorio liberetur. Hoc qui non credit, & fieri non posse arbitratur, infidelis est, etsi fidei habeat sacramentum: longèq; melior est illo paruulus, qui etiam si fidem nõdum habeat in cogitatione, non ei tamen obicem contrariæ cogitationis apponit.

* rationis

De consecratione Baptisterij. Cap. 25.

IN prima oratione mundatur & serenatur habitaculum hospitis, qui Deum debet suscipere, & deprecatur eius aduentus, vt ex ipsa oratione possumus cognoscere. Omnipotens, inquit, sempiterne Deus, adesto magnæ pietatis tuæ mysteriis, adesto sacramentis, &c. In sequenti manifestat se iam habere hospitem, cui loquatur. quapropter dicit, Sursum corda. Deindè gratias agit, quia dignatus est tam magnus hospes ad tam humile hospitium descendere, vt in eadem oratione monstratur. Et licèt inquit, nos tantis mysteriis exequẽdis simus indigni, &c. Deindè recolit miracula, quæ iam facta sunt per aquam, id est: In principio creationis Spiritus sanctus ferebatur super aquas

aquas, vt virtutem sanctificationis aquarũ natura conciperet. Refert & aliud, quòd in salutatione arcæ factum est. Vndè ita scriptũ est in memorata oratione: Deus qui nocẽtis mundi crimina per aquas abluens, regenerationis speciem in ipsa diluuij effusione signasti, &c. cætera. Posteà intrat sacerdos ad expulsionẽ diaboli, dicendo: Procùl ergò hinc, iubente te Domino, omnis spiritus immundus abscedat, &c. Quali ignominia dignus sit hospes aquæ expelli, per suam insufflationem sacerdos monstrat, vt illud impleatur quod Dominus dixit: Nunc princeps mũdi huius eiicietur foras. Ejecto illo hospite munitur aqua crucis signaculo, vt non habeat locum redeũdi diabolus. Per inuocationem sanctæ Trinitatis exemplo baptismi Christi, Trinitas adest in nostro baptisterio per inuocationem sacerdotis. Prima benedictio patrem inuocat, quæ dicit: Benedico te creatura aquæ per Deum viuum, per Deũ sanctum, qui te in principio verbo separauit ab arida, & rel. Secundæ benedictioni filius adest: Benedico te & per Iesum Christum filiũ eius vnicum, Dominum nostrum, qui te in Chana Galilææ signo admirabili sua potẽtia conuertit in vinũ, & reliqua. Spiritus sanctus introducitur in nouissimo, & est omnis deprecatio, vt sicut Dominus iussis suis aquam fecit obtemperare in superioribus miraculis; ita & nunc eo iubente efficiatur non solùm habilis ad abluenda corpora: sed etiam ad purificationem mentis, sicut in sequentibus dicitur: vt præter naturalem emundationem, quam lauandis possunt adhibere corporibus, sint etiam purificandis mentibus efficaces. Hoc in loco, id est, postquàm dixerit sacerdos, In nomine patris & filij & spiritus sancti, mutatur vox quasi ad lectionem legendam. In præsenti oratione humilis deprecatio est, seu aliqua præparatio mentis ad impetrandum aduentum sancti Spiritus in aquam, vt sicut in prima oratione deprecatus est Deus venire in mentem sacerdotis: sic & in sequẽtibus deprecetur virtus Spiritus sancti, vt veniat in naturam aquæ. Ita enim dicit sacerdos: Hæc nobis præcepta seruantibus, ac si dicat: Non nostra præsumptione tantam virtutẽ audemus inuocare in naturã aquæ, sed ex præcepto Domini nostri qui iussit baptismum exercere. Atq; deinceps infit: Tu Deus omnipotens clemens adesto, tu benignus adspira, & reliqua quæ sequuntur. Post hanc humilem deprecationem vocat sacerdos Spiritum sanctum, & alta voce, id est, alto mentis affectu deprecatur, vt digne tur aduenire ad ipsam aquam ita dicendo: Descendat in hanc plenitudinem fontis virtus spiritus tui. Quæ deprecanda sunt, vt ibi operetur, sequentia verba monstrant præsentis orationis.

De immissione cereorum in aquam. Cap. 26.

CLamante voce sacerdotis, vt descendat virtus Spiritus sancti in aquam, cerei neophytorum deponuntur in aquam. Quarè hoc? nisi vt demonstretur modò cereus signare Spiritum sanctum? legitur, vnam columnam fuisse in itinere filiorum Israel, quæ vtrumque haberet in ministerio, hoc est, vt lux eis esset in nocte ex vna parte, & ex altera protectio nubis in die. De qua dicit sanctus Augustinus in libro contra Faustũ xij. Cur non ergò & nobis Christus columna, quia & rectus & firmus, & fulciẽs infirmitatem nostram per noctem lucens, per diem non lucens, & vt qui non vident, videant: & qui vident, cæci fiãt. Legunturq; quasi duæ, vt nostra translatio tenet: Dominus autem præcedebat eos ad ostendẽdam viam per diem in columna nubis, & per noctem in columna ignis. Vt enim per cereum illuminatum ad memoriam reducimus columnam ignis, quæ figurabat Christum, à quo illuminati sunt Apostoli, quibus dicitur, Vos estis lux mundi: sicut à benedicto cereo illuminatur alter cereus: ita per cereos extinctos, siue, vt meliùs possumus dicere, cereum propter vnitatem Ecclesiæ, per quem ad memoriam reducimus columnam ignis, Spiritus sancti persona designatur. Vndè Gregorius Nazanzenus in sermone de secundis epiphaniis: Baptizauit, inquit, Moyses in mari & in nube, sed in typo & in figura. ita enim Paulus pronunciat. Habuit ergò mare formam aquæ: nubes verò Spiritus sancti. Sinè lumine est cereus neophytorũ vsq; ad tẽpus, quo cæteri cerei ecclesiæ illuminantur: Tempore, quo cæteri cerei illuminantur, illuminatur & Neophytorum. Postquàm enim Spiritus sanctus purgauerit corda neophytorum, & eos introduxerit in societatem & vnanimitatem Ecclesiæ, tunc illuminabit corda eorum. Sicut enim in sua persona habet, vt sit communicatio patris & filij; ita habet in operatione, vt coniungat sanctam Ecclesiam, & contineat in vnitate. Solemus differre officium illuminandorum cereorum vsque ad Missæ officium: siue propter causam, vt priùs accipiant neophyti impositionem manus episcopi, & sic eos credamus illuminari Spiritu sancto: seu propter noctem, in qua celebramus Missam: vt sicut gloria resurrectionis illustrata est, ita illustretur lumine nostrorum cereorum. Dictum est, vt æstimo, quare cerei deponantur in aquam ad inuocationem Spiritus sancti, quoniam ipsi Spiritus sancti personam aliquo modo demonstrant.

De vnctione chrismatis à presbytero, & de impositione manus Episcopi super neophytum. Cap. 27.

ANtequàm aliquid dicatur de manus impositione episcopi, dicendum est, qua de causa vn-

Universidad de Deusto
Biblioteca

sa vngatur neophytus à presbytero in vertice capitis. Vt in gestis pontificalibus legitur, Silvester Papa instituit, vt à presbytero vngeretur neophytus in cerebro. ita enim scriptū est: Hic constituit, vt baptizatum liniat presbyter chrismate leuatū de aqua propter occasionem transitus mortis †. Quo tempore Siluester regerat Ecclesiam, manifestum est: hoc est, tempore quo Nicænum concilium cōfirmatum est sub Imperatore Constantino. Dein, vt reor, patres sancti constituerunt, vt vngerētur neophyti à presbyteris chrismate consecrato ab episcopo. Vndè vnus eorum doctor egregius Beda dicit in tractatu super actus Apostol. Nam presbyteris, siue extra episcopum, siue præsente episcopo, cum baptizant, chrismate baptizatos vngere licet, sed quod ab episcopo fuerit consecratum: non tamen frontem ex eodem oleo signare, quod solis debetur episcopis, cùm tradunt Spiritum paracl.tum baptizatis. Quod si anteà agebatur, superfluè constitutum à sancto Siluestro, quod iam agebatur. Secundùm hoc constitutum, reor, quòd ad hoc priore tempore de vnctione chrismatis Pontifex expectabatur, vt per manus episcopi omnis vnctio chrismatis ageretur: Vsq; ad illud tempus non generaliter omnes baptizabantur, præcipuè cùm Imperatores & ministri eorum pagani erant, ac ideò non facile neophytis potuit occurrere episcopus, vel ipsi ad episcopum venire. Sacerdos, qui vngit neophytum, verbis suæ orationis solutionem vinculorum & alligationē vulnerum monstrat, dicendo: Deus omnipotēs, pater Domini nostri Iesu Christi, qui te regenerauit ex aqua & Spiritu sancto, quiq; dedit tibi remissionem omnium peccatorum. In istis verbis & curationem intelligimus plagarum, & solutionem vinculorum. Postea addit memoratus sacerdos: Ipse linit te chrismate salutis in vitam æternā. In istis verò intelligimus saluationem quandam, quæ pertinet ad salutem vsq; in vitam æternam. Episcopus verò transilit verba, Ipse te linit chrismate salutis, quasi ditior, non solùm vt saluare possit, sed etiam ditare, & dicit: Emitte in eum septiformem Spiritum sanctum tuum paracl.tū de cælis, spiritum sapientiæ & intellectus, spiritum consilij & fortitudinis, spiritum scientiæ & pietatis, adimple eum spiritu timoris Domini, & consigna eum signo crucis, in vitam propitiatus æternam. Hæc sunt vestimēta, quibus ornari oportet filium regis, vt stare possit in aula cælesti. Qui baptizantur, filij sunt Dei, vt Ioannes Euangelista narrat: Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri, & reliqua. Episcopus deprecatur Deum, vt sicut lauare dignatus est hominem per baptismum, ita dignetur vestire regalibus vestibus, quibus indui oportet filios regis. De quibus filiis dicit Apostolus Paulus, Omnes qui in Christo baptizati estis, Christū induistis. Ibi induunt se neophyti Christum, vbi renouantur in imaginem eius, qui creauit eos. Mens enim vestit se Christo, quādò illo spiritu vestitur, qui requieuit in homine Christo, postquàm cœpit esse homo. Audiui quendam interrogare, si sinè impositione manus episcopi possit neophytus possidere regnū cælorum. Latro qui in cruce confessus est Dominum, & audiuit ab eo, Hodiè mecum eris in paradiso, nō suscepit manus impositionem, quamuis eum baptizatum credamus fuisse in cruce suo sanguine. De quo baptismo dicit Gregorius Nazanzenus in sermone de secundis Epiphaniis: Scio enim & quartum baptismum, quo quis sanguine suo per martyrium baptizatur, quo baptismō etiam Christus baptizatus est, vt & in hoc, sicut in cæteris formam credētibus & sequentibus daret †. De quo baptismo dicit Augustinus in epistola ad Seleucianum: Iam non debemus quærere quādò quisque fuerit baptizatus, sed quoscumque legimus in corpore Christi, quod est Ecclesia, pertinere ad regnum cælorum, non nisi baptizatos intelligere debemus. nisi fortè quos angustia passionis inuenit, & nolentes negare Christum, antequàm baptizarentur, occisi sunt, quibus ipsa passio pro baptismo deputata est. Etiam verba S. Siluestri, qui ob remedium difficultatis episcopum cōsequendi ante exitum animæ, iussit, vt liniretur neophytus à presbytero chrismate salutis in vitam æternam, sic sonant, quasi possit recipi in regno cælorum sinè impositione manus episcopi. Diuersæ enim sunt mansiones in Domo patris. De illis qui per negligentiā amittunt episcopi præsentiā, & non suscipiunt manus impositionem, pensandum est, nè fortè in iustitia illa damnentur, in qua negligenter exercēt iustitiam, quia debuerunt festinare ad manus impositionem. Sicut enim Christus dicit, nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei: similiter dicit, Nisi abundauerit iustitia vestra plus quàm Scribarum & Pharisæorum, non intrabitis in regnum cælorum. Verè in baptismo dimittuntur nostra peccata, & consepelimur Christo, in resurrectione iustificamur, sicut dicit Apostolus Paulus: Mortuus est propter delicta nostra, & resurrexit propter iustificationem nostram. Quis eum suscitasset à mortuis, idem Apostolus manifestat ad Rom. dicens: Quòd si spiritus eius, qui suscitauit Iesum à mortuis, habitat in vobis: qui suscitauit Iesum à mortuis, conuiuificabit etiam mortalia corpora vestra. Ad quod opus viuificet spiritus corpora nostra, superiùs in memorata epistola demōstratum est, vbi idem dicit: Spiritus verò viuit propter iustificationē. De qua iustificatione dicit sanctus Augustinus in libro de ciuitate Dei vigesimoprimo, capitulo vigesimoseptimo: Nam quid cui prodest, quòd baptizatur, si nō iustificatur? Nonne qui dixit, Nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu, non intrabit in regnum Dei: Ipse etiam dixit, Nisi abundauerit iustitia vestra super Scribarum & Pharisæorum, non intrabitis in regnum

gnum cælorum? Christus resurrexit propter iustificationem nostrā, Spiritus eum suscitauit à mortuis: Idē spiritus viuificat, siue viuificabit & mortalia corpora nostra. Liquidò appāret q resurrectio corporis Christi, nobis viuificationem promittat, quæ resurrectio fit propter iustificationem nostram. Iustificatio nostra est in exercitatione bonorum operum, vt Ambrosius ait in tractatu epistolæ ad Romanos: Quāuis & iustus bonus dicendus sit, tamen genera ipsa posuit, iustum in exercitio significans, bonum verò natum, qui simplicitate innocens dicatur. Nostra fides ita tenet, vt sine Spiritu sancto neq; cogitare, neq; agere recti aliquid valeamus. Per manus impositionē intimauit Paulus Apostolus accipere Spiritum sanctū credentes, imponendo manus discipulis, quandò venit Ephesum, & interrogauit eos, dicens: Si Spiritum sanctum accepistis credentes? quos posteà baptizauit, quia Ioannis baptismate erant baptizati, & imposuit eis manus, vt acciperent Spiritum sanctum. Acceperunt olim quidā Spiritum sanctum sinè impositione manus, etiam antequàm baptizarentur, sicut scriptum est in Actibus Apostolorū: Cecidit Spiritus sanctus super omnes, qui audiebant verbum Dei. Vndè Beda in eodem: Nè baptisma gentibus tradere dubiter quin Petrus Spiritus sancti testimonio confirmatur, ipsas lauacri aquas, quas sanctificare solet, nouo ordine præcurrentis: quod semèl in testimonium fidei gentium, nunquā verò in Iudæis euenisse reperitur. De qua re dicit Gregorius Nazanzenus in sermone de secundis Epiphaniis: Non continuò legem ecclesiis dedit, si semèl aliquandò, aut rarò aliquid tale factum est: quoniam quidem neq; si vna alicubi hirundo videatur, veris continuò tempus induxit. Quod miraculi causa fit, siue necessitatis, non est trahendum in consuetudinem. Secundùm Matthæum, modis duobus baptizamur spiritu. Ipse enim, inquit, baptizabit vos Spiritu sancto & igne. Baptizamur Spiritu sancto & igne: Baptizamur Spiritu sancto, quādò abluimur à peccatis, quam ablutionem significāt albæ vestes in baptismate per totum corpus. Baptizamur igne, quandò ardorē spiritus accipimus, vt Apostoli acceperunt in die Pentecostes. Baptismum ignis accipimus per impositionem manus episcoporum, qui consumat ligna, fœnum, stipulam: quia Deus ignis consumens est, & calorem præstat vitæ æternę, atq; lumen videndi ea, quæ mortalibus oculis clausa sunt. Iste modus apparitionis Spiritus sancti, non fuit necessarius in Christi baptismate: quia non venit ostendere necessariò ea operari in homine Christo, quæ commemorauimus: quoniam in eo habitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter: sed in Apostolis & cæteris hominibus: Si quis sine isto baptismate migrauerit de seculo, periculosum iter arripit. Hoc præuidēs Siluester Papa, quantùm potuit, subuenit: & propter absentiā episcoporū, necessitate addidit, vt à presbytero vngerentur. Timendum est, nè illa differentia sit inter illum, qui sine impositione manus moritur, & inter illum qui eam accipit, quæ est inter stellarū claritudinem, hoc est, quamuis non excludantur à regno Dei propter cætera bona opera, tamē non habeant illum locum, quem haberent, si illam acciperent. Non nego, posse hominem accipere Spiritum sanctum sinè impositione manus, si eum Dominus dare voluerit: sed eum oppidò constringit Apostolica obseruatio, quā exercuerunt per manus impositionem, & cura præsens ecclesiastica, qui per negligētiam perdit manus impositionem. Conferamus eadem dona, iuxta Augustinum, cum beatitudinibus demonstratis in monte: & videamus ex verbis Augustini, quantum periculum incurrat, qui negligenter exit de mūdo sine impositione manus. Moratus doctor sapientiam comparat pacificis, in quibus ordinata sunt omnia, nullusque motus aduersus rationem rebellis est †. Secundùm hanc comparationem non est pacificus, qui sapientiam non habet, neque filius Dei. Si non fuerit pacificus: filius Dei nō est: quapropter non intrabit in aulam cælestem. Intellectum comparat mundis corde, qui purgato oculo cernere possunt, quod corporeus oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit. Secundùm hæc, qui non habet intellectum, quò vadat? quia cæcus est, & nescit, quò vadat. Consilium comparat misericordibus, qui dimittunt, vt dimittatur illis: & adiuuant cæteros sicut se volūt adiuuari. Sinè hoc dono nemo peruenit ad regnum Dei, dicente Euangelio: Si non remiseritis vnusquisq; fratri suo de cordibus vestris, nec pater vester cælestis dimittet vobis peccata vestra. Fortitudinem comparat esurientibus, qui laborant desiderando gaudium de veris bonis. Quis potest adipisci regnum cælorum, nisi desiderans gaudia verorum bonorum? Scientiam comparat lugentibus, quia iam cognouerunt in scripturis, quibus malis vincti teneantur, q̄ tamq̄ bona & vtilia ignorātes appetierūt. Nisi. n. homo agnoscat errorem suum, & ab eo se corrigendo, reuertatur, non est aptus regno Dei. Pietatem cōparat mitibus: qui enim piè quærit sanctam scripturam, & non reprehendit, quod nondùm intelligit, & propterea non resistit, quod est, mitem esse, ipse possidebit terram. Timorē comparat humilibus, de quibus Euangelium manifestat, quòd ipsorum sit regnum cælorum. Ad quod præmium hæc dona perducant, in clausula præsentis comparationis, idem, cuius verba intelligere cupimus, explanat, dicendo: Vnum autem præmium, quod est regnum cælorū, pro his gradibus variè nominatum est. Sicut enim his subuenitur à donis Spiritus sancti, quibus tribuit idem Spiritus sanctus, vt piè quærerent, ac salubriter expectarēt baptismalia sacramenta, quamuis ad ea non perueniant: sic timendum est, nè non subueniatur his, qui negligenter

ter hæc Dei dona quærunt. De his autem, qui negligenter ea tribuunt, scriptum est in Euangelio: Serue male & piger, sciebas quia meto vbi non semino, & congrego vbi non spar si: oportuit ergò te mittere pecuniam meã nummulariis. & post pauca: Inutilem seruum eiicite in tenebras exteriores, ibi erit fletus & stridor dentium. Memorata dona sanctus Gregorius per gradus ascendentium enarrat in libro de ædificatione templi, vndè quædam excerpsimus, quæ hìc locum habent. Propheta ergò, inquit, quia de cælestibus ad ima loquebatur, cœpit magìs à sapientia, & descendit ad timorem: Sapit, qui credit in sanctam Trinitatem. Intelligit, qui præcepta diuina sensu percipit, & opere implet. Consilium habet, qui quodcunq; agit, prudenter præuidet. Fortis est, qui resistit diabolo & voluntati eius. Scit, qui inter bonum & malum discernere nouit. Pius est, qui peccata dimittit, & eleemosynas facit. Timet Deum, qui non tantùm benè facit, sed malè facere non audet. Sed nos qui à terrenis ad cælestia tendimus, eosdem gradus ascendendo numeremus, vt à timore ad sapientiam peruenire valeamus. In mente etenim nostra primus ascensionis gradus est timor Domini: secũdus, pietas: tertius, sciẽtia: quartus, fortitudo: quintus, consilium: sextus, intellectus: septimus, sapientia. Est enim timor Domini in mente, sed qualis est iste timor, si cum eo pietas non est? Qui enim misereri proximo ignorat, qui compati tribulationi eius dissimulat, huius timor ante omnipotentis Dei oculos nullus est, qui non subleuatur ad pietatem: Sed sæpè pietas per inordinatam misericordiam errare solet, si fortè pepercerit quę parcenda non sunt. Peccata enim quæ feriri gehennæ ignibus possunt, disciplinæ sunt verbere corrigenda. Sed inordinata pietas, cùm temporaliter parcit, ad æternum supplicium pertrahit. Vt ergò vera & ordinata sit pietas, ad gradum est aliũ subleuanda, id est, ad scientiam: Vt sciat, vel quid ex misericordia puniat, vel quid ex misericordia dimittat. Sed quid, si sciat quid agere quisque debeat: virtutem verò agẽdi non habeat? Scientia ergo nostra crescat ad fortitudinem: vt cùm videt quid agendum sit, hoc agere per mentis fortitudinem possit, nè timore trepidet: & pauore collapsa, non valeat bona defendere quæ sentit. Sed sæpè fortitudo si fuerit improuida, & minus contra vitia circumspecta, ipsa sui præsumptione in casum ruit: Ascẽdat ergò ad consilium, vt præuidendo præmuniat omne quod agere fortiter potest. Sed esse consilium nõ potest, si intellectus deest: quia qui non intelligit malum quod agentem grauat, quomodo potest bonum solidare, quod adiuuat? Itaq; à consilio ascendamus ad intellectum. Sed quid si intellectus magno quidẽ acumine vigilet, & moderari se nesciat per maturitatem? Ab intellectu ergò ascendamus ad sapientiam, vt quod acutè intellectus inuenit, sapientia maturè disponat. Vt per oleum intelligamus rectam cõuersationem, quæ moderatur in mente per maturitatem sapientiæ: & per balsamum, doctrinam, quæ bonum odorẽ præstat foris. Idem in eodem libro, in alio loco dicit de sapientia: Sapientia ad vitam, scientia verò pertinet ad doctrinam. Chrismatis vnctio, vt prętulimus, pertinet ad duo dona Spiritus sancti, i. ad sapiẽtiã & scientiã: oleũ, ad sapientiã: balsamus, odorẽ suũ lõgè latèq; spargẽs, ad scientiã. Hęc duo, i. vita & doctrina, sibi connexa inueniuntur in sapiẽtis donis. Sapientia primùm & intellectus. Sapiẽtia ad vitã, intellectus ad doctrinã: cõsilium ad doctrinã, fortitudo ad vitã: sciẽtia ad doctrinã, pietas ad vitã. Hęc sunt ornamẽta vestis, quę tribuit Deus mẽti per impositionẽ manus, sine quibus periculosum est aliquẽ inueniri in cõuiuio regis, nè audiat vocem terribilem dicentis: Amice, quomodò huc intrasti non habens vestem nuptialem? Solent diuerso modo orationem proferre magistri simul cum cruce, quam faciunt pollice in frontibus infantium, Omnia verba superiùs memorata, orationis verba sũt: quoniam non ab illis datur spiritus, qui manus imponunt, sed deprecantur vt veniat. Vndè Augustinus in libro decimoquinto de Trinitate, titulo vigesimoquarto: Nullus enim aliquis discipulorum eius dedit Spiritum sanctum. Orabant quippe, vt veniret in eos, quibus manus imponebant, non ipsi eum dabãt. Quem morem in suis prępositis etiam nunc seruat Ecclesia. Eum, quem superius precatus est Pontifex, vt mitteret Spiritum sanctum, in sequẽtibus petit, vt suscipientem dignetur consignare in vitam æternam, id est, vt eundem spiritum non amittat suscipiens vsquedùm perducat hospitem suum ad vitam ęternam. De quo signaculo dicit Hieronymus in tract. epistolę ad Ephesios: Signati autem sumus spiritu Dei sancto, vt & spiritus noster, & anima imprimantur signaculo Dei, & illam recipiamus imaginem & similitudinem, ad quam in exordio conditi sumus. Hoc signaculo sancti Spiritus, iuxta eloquium Saluatoris, Deo imprimente signamur. Hunc enim, ait, signauit pater Deus. Signatur ergò etiã Spiritu sancto omnis, qui ex eo, quòd credidit Deo, signauit, quia verus est Deus, qui idcircò signatur, vt seruet signaculum, & ostendat illud in die redemptionis purũ atque sincerum, & nulla ex parte mutilatum, & ob id enumerari cum his valeat qui redempti sunt. Sinè isto signaculo non oportet nos presentari ante Deum, de quo, quasi de aliquo vestimento, dicebat Paulus ad Corinthios: Etenim qui sumus in corpore isto, ingemiscimus grauati, eo quòd nolumus expoliari, sed superuestiri, vt absorbeatur, quod mortale est, à vita. De quo vestimento dicat, in sequentibus mõstrat: Qui autem perficit nos in hoc ipsum, Deus, qui dedit nobis pignus spiritus. Quoniã arrhabonem Dei suscepimus, vt illius simus: signo crucis quo redempti sumus, signamur, vt quandò exterminator signum illud viderit in frontibus nostris pertrãseat domus nostras, & videat, quòd nonsui sumus, sed illius, cuius signũ portamus. Hæc crux chrismate efficitur, quod confectum est ex oleo & balsamo. Opera hospitis nostri, talis liquor monstrat. Charitatẽ, quę signatur per oleũ, cum suis frondẽtibus foliis plantat in mẽte, & odorem bonæ notitiæ è nobis exhalat, sicut ex balsamo bonus odor redolet. Vt ab episcopis solis inũgatur per manus impositionem, ab Apostolis assumptũ est, vt Beda declarat in tractatu super actus Apostolorum.

Notandum autem, quòd Philippus qui Samariæ Euangelizabat, vnus de septem fuerit. Si enim Apostolus esset ipse, vtiq; manum imponere potuisset, vt acciperent Spiritum sanctum. Hoc enim solis pontificibus debetur. Ipsa crux nullo in loco melius figitur, quàm in eo, vbì summus Pontifex laminam auream, in qua sculptum erat nomẽ Dei ineffabile, vigebat. Et vt per manus impositionẽ & orationem detur Spiritus sanctus, similiter ab Apostolica auctoritate sumptum est, vt in Actibus Apostolorum scriptum est: Cum audissent Apostoli qui erant Hierosolymis, quia recepisset Samaria verbum Dei, miserunt ad eos Petrum & Ioannem: qui cùm venissent, orauerunt pro ipsis, vt acciperent Spiritum sanctum. Et paulò post: Tunc imponebant manum super illos, & accipiebant Spiritum sanctum. Iuxta exemplum Petri & Ioannis, occurrant episcopi ad loca vbì sunt, quibus necesse est imponi manus: Occurrant & illi sinè retractatione, qui accepturi sunt vestimentum nuptiale, vt possint, intrante rege, perseuerare in conuiuio. Si aliquis priùs subripitur de præsenti seculo, quàm possit occurrere ministerio tanto, Deus scit, cur eum prius coget exire de præsenti seculo. Nouit Dominus qui sunt eius, & secundùm Ioannem Euangelistam, Oues meæ vocem meam audiunt: & ego cognosco eas, & sequuntur me, & ego vitã æternam do eis, & non peribunt in æternum, & non rapiet eas quisquam de manu mea. Hoc omninò cauendum est, nè torpore securitatis, negligentia ostium apertum inueniat. Dicit Romanus libellus, de quo sæpè commemorauimus: Oratione expleta, facit crucem cum pollice ex chrismate in singulorum frontibus, ita dicẽdo: In nomine Patris & Filij & Spiritus sancti, Pax tibi, & cũ spiritu tuo. Hæc verba sunt salutationis ad nouum hominem, qui secundùm Deum creatus est in iustitia & sanctitate veritatis.

De Litanijs. Cap. 28.

Litaniæ quæ fiunt circa Batisterij consecrationem, intercessiones Sanctorum designãt pro renascentibus, quod possumus discere ex lectione libri Apocalypsis, Vidi ostium apertum in cælo. In ipsa Christus demonstratur sedens super sedem. Ibì Ecclesia, supra quam Dominus sedet, ibì indicium aquę, in colore iaspidis: & ignis, in sardinis. Ibì spiritus Dei in septem lampadibus ardentibus ante thronum, qui sunt septem dona spiritus Dei: Ibi baptismus in mari vitreo, sicut scriptum est, Et in circuitu sedis tamquàm mare vitreum simile crystallo. Vndè Beda super eundem librum†. Propter fidẽ veram, baptisma refertur ad vitrum, in quo non aliud videtur exterius, quàm quod gestat interiùs. Crystallo quoq;, quod de aqua in glaciem & lapidem preciosum efficitur, baptismi gratia figuratur. De Iri tacuimus, quia in ipso volumus designare litanias. Item inter alia dicit eadẽ Apocalypsis: Et iris erat in circuitu sedis, similis visionis smaragdinæ: vndè qui supra in eodem: Iris qui fit sole nubes irradiante, & post diluuium primo propitiationis indicio factus est, intercessu sanctorũ, quos Dominus illustrat, Ecclesiã muniri designat. Qui benè smaragdino lapidi nimiæ viriditatis comparãtur. Quo.n. hæreditatem immarcessibilem fide perfectiore expectant, eo potentiùs etiam cæteros orando protegunt. Quia Iris erat in circuitu sedis, aguntur litaniæ, & ante baptismum, & post baptismum. Litaniæ Græcè, Latinè deprecationes.

De vestimento albatorum, & recapitulatio de Septuagesima. Cap. 29.

Albati propter vestes albas vulgò appellantur. Scio eorumdem vestimentorum significationem diligenter explanatam ab Archiepiscopis, qui fuerunt tempore beatissimæ memoriæ Caroli ad eundem, eius tamẽ admonitione. Igitur nõ expedit in isto opusculo laborare de illa, sed tantũ, vt dicã, iuxta Domini pietatem, quid octo dies insinuẽt, in quibus vestiuntur albæ vestes, & cerei neophytorũ illuminãtur. Sicut.n. septem dies pertinẽt ad vetus testamentũ propter sabbatũ: ita octo dies ad nouũ, propter octauum diẽ resurrectionis. De qua re dicit Salomon: Da partes septẽ, necnon & octo: Iam.n. docebat populum suum, vt nõ semper inhærerẽt veteri testamento, sed trãsirent aliquando ad nouũ. A sabbato enim vsq; ad sabbatum portantur albæ vestes, quę nobis specimen prę-
stant, quales debeamus esse in nouo testamento, & qualia corpora recepturi in octaua die. A sabbato vsq; ad sabbatum portamus illas, i. ex qua die pignus spiritus accipimus: qui propter septenarium numerum sabbato deputatur vsq; ad alteram sabbati, quę est memoria illius sabbati, in qua præsentari nos oportet ante Dominum cum ipso pignore. Ipsa vestimenta sunt stolæ albæ, de quibus scribitur in Apocalypsi, Et datæ sunt illis singulæ stolæ albæ. Singulas modò habãt stolas animę Sanctorũ, de sua beata immortalitate gaudẽtes. Et iterùm in eodẽ: Amicti stolis albis, & palmis in manibus eorũ: Stolis, baptismum: palmis, triumphum crucis insinuat. Et iterùm in eodem: Beati qui lauant stolas suas, vt sit potestas eorũ in ligno vitæ, & reliqua. Dignum præmium stolis cãdidis, id est,

Universidad de Deusto
Biblioteca

vitæ immaculatæ promittit,videlicet,vt Domi A
ni aſpectu, qui eſt vita æterna potiatur. Ex memoratis ſententiis poſſumus dinoſcere duas res, id eſt, vt albæ veſtes ſint in ſignum, qualia corpora noſtra debeant eſſe in nouo teſtamento, (corpora enim ſunt quodammodò veſtes animæ) & qualia nobis promittãtur in futuro. De quibus Salomon ait: Omni tempore ſint veſtimenta tua candida,& oleum de capite tuo non deficiat. Et hìc poſſumus intelligere,quòd talia debeant eſſe opera noſtra omni tempore, qualia ſunt veſtimenta albatorum, tam munda & candida. Et ſicut ab illorum capite oleũ B
non deficit per octo dies,ita nũquam charitas ex mẽte noſtra deficiat. Quòd in ſabbato exuũtur ipſa veſtimẽta, hoc vult demonſtrare,quòd in die exitus animæ quando recedit de corpore inueniat eadem anima ſabbatum,i.requiem, & veſtimenta ſua hìc dimittat,i. corpus, vt recipiat illud iterum in nouiſſimo die. Vndè mihi videtur congruentius eſſe, ſi portanda ſunt poſt dies octo,& vt verè portãda ſunt veſtimẽta albatorũ, vt potiùs ab ipſis portentur à quibus portata ſunt in ſanctificatis diebus: quàm ab illis, qui ſe multis maculis polluerunt poſt C
baptiſmum: quia corpora noſtra non aliæ animæ recipient in futuro, quàm eædem, quæ illa rexerunt in præſenti. Duplicia ſolent eſſe eadem veſtimenta:& duplex remuneratio ſanctis promittitur in æterna vita. Vndè Eſaias, Duplicia in terra ſua poſſidebunt: id eſt,gaudium animæ, & gloriam incorruptibilis corporis.
Quoniam peccatis imminẽtibus polluimus corpora noſtra poſt baptiſmũ, feſtinemus ad priorẽ emundationẽ per ſecundum baptiſmum venire, i. per pœnitentiam: Quis eſt, qui purget nos à peccatis noſtris? Et quis eſt, qui introdu D
cat ad priorem mundationẽ, niſi Spiritus ſanctus? Spiritus ſanctus eſt ſeptiformis. Manifeſtum eſt, ſi decem præcepta eius cuſtodiamus, eidem creatori noſtro,à quo per inobediẽtiam receſſimus,per obedientiam coniunctos nos eſſe. Qua de re in ſeptuagenario numero, qui eſt ſeptempliciter decuplatus, ploremus & deſleamus noſtram miſeriam, vt Spiritus ſanctus expurget nos à noſtris peccatis, & deducat per præcepta ſua vſq; ad denarij remunerationem,vt ipſum regem Dominum noſtrum in decore ſuo mereamur videre. Diximus, quan- E
tum potuimus,in ſuperioribus ſeptuageſimum numerum pertinere ad plorationem captiuorum populi Dei, qui fuerunt ſub Nabuchdonoſor in Babylone. Poſſumus & eandẽ ſeptuageſimã aliquo modo comparare filijs Iſrael, qui fuerunt in Ægypto ſub Pharaone, quaſi prima officia,Circundederunt me gemitus mortis:Et, Exurge,quare obdormis Domine? &, Eſto mihi in Deum protectorem,congruant illi tempori,quãdo filij Iſrael ſe viderunt affligi ab Ægyptiis, & clamauerunt ad Dominũ,vt ſcriptum eſt in Exodo: Poſt multum temporis mortuus eſt rex Ægypti, & ingemiſcẽtes filij Iſrael propter opera, vociferati ſunt, & aſcendit clamor eorum ad Dominum ab operibus,& audiuit gemitum eorum,& recordatus eſt pacti,quod pepigit cũ Abraam & Iſaac & Iacob. Et officium quartæ feriæ, quod eſt caput ieiunij, illi tempori, quando dixit Dominus ad Moyſen: Solue calceamẽtum de pedibus tuis. Epiſtola verò, quæ in eodẽ die legitur,demonſtrat nobis,quid ſit ſoluere calceamẽtum de pedibus, vt ex multis vnum dicã, Egredietur ſpõſus de cubili ſuo, & ſpõſa de thalamo ſuo. Calceamẽtũ à noſtris pedibus ſoluitur,quando opus quod ex neceſſitudinibus concupiſcẽtiæ carnalis percepimus, intermittitur. Et officium Quadrageſimæ illi tẽpori, quãdo affligebatur Pharao vt liberaretur populus Dei:& poſteà perueniẽdum eſt ad mare rubrum, i.ad baptiſmum:ac deindè tranſeundum per deſertum ſub ducibus, ſicut neophyti noſtri p octo dies ſub ducibus presbyteris ſcilicet atq; patronis & matrõnis deducuntur,& ſic tandẽ perueniẽdum in ſabbato ad terram promiſſionis. Illi qui baptizant,patres ſunt baptizatorũ, vt ex multis teſtimoniis ſcripturarum poſſumus coniicere:ſicut Marcus dicitur filius Petri in baptiſmate. De talibus filiis floret affatim ſcripturę Apoſtolorum. Quoniam plures ſunt baptizatorum,quàm deduci poſſint ab his qui baptizant, commẽdantur cæteris patribus ſpiritualibus,vt eis hoc præbeãt,qđ à presbyteris præbẽdum erat. Nec ſic abhorret à vero, q quadragintaduæ manſiones filiorũ Iſrael,quaſi quadragintaduo dies nos perducant ad terram promiſſionis:quoniã propter nos qui iam tranſiuimus mare rubrum, conſtituti ſunt quadragintaduo dies, vt qui in captiuitate peccatorũ noſtrorum redegimus nos, per exẽpla patriarcharum reuertamur ad terram promiſſionis, non per baptiſmum aquæ: Catechumeni noſtri,qui nondum tranſierunt mare rubrum,poſſunt eſſe ſub typo populi Iſrael, qui adorauerunt idola in Ægypto, & per duces optimos Moyſen & Aaron, liberati ſunt de Ægypto,& tranſierunt mare rubrum.

De illuminatione cereorum. Cap. 30.

QVòd illuminatio cereorum ſecundùm libellum Romani Ordinis expectatur vſq; ad Agnus Dei:hoc demonſtrat,quòd per illum agnum qui tollit peccata mundi vnuſquiſq; lumen accipere debet.

De Miſſa in nocte. Cap. 31.

DIcamus modò, Gloria in excelſis Deo, quia tanto lumine illuſtrata eſt præſens nox,ſcilicet, Dominica Reſurrectione: Canamus laudes Deo,quoniam, in quibus habitabat diabolus, iã inhabitat Spiritus ſanctus. Hoc ait Põtifex ore & mẽte, vt nos mẽte teneamus, dicẽdo: Deus qui hanc ſacratiſſimã noctẽ gloria Dominicæ reſurrectionis illuſtras, conſerua in noua

noua familiæ tuæ progenie adoptionis ſpiritũ, A
quem dediſti. Vbi notandum,vocem miniſtrorum ad neophytos eſſe vſque ad Euangelium. Dicit ad eos Lector: Si conſurrexiſtis cum Chriſto, quæ ſurſum ſunt, quærite, vbi Chriſtus eſt in dextra Dei ſedens. Habes lectionem de anagogico pede, in quo catechumeni accenſi per verba cantici, ſicut cerui deſiderabant apparere ante faciem Dei: quod nunc habent in effectu, tunc habebant in deſiderio. Nemo poteſt perfectè ſapere quæ ſurſũ ſunt, niſi interno deſiderio mentis cæleſti ſapore priùs fuerit accenſus. Dicit ad eos Lector. Mortui enim eſtis, B
& vita veſtra abſcondita eſt cũ Chriſto in Deo. Commortui eſtis Chriſto per baptiſmum, vita veſtra futura iam eſt in Chriſto: eſt vobis vita repoſita in ſua vita. Quod in illo ſcitis factum ex reſurrectione, in vobis ſperate futurũ: Cùm enim Chriſtus apparuerit vita veſtra, id eſt, cũ ſe demonſtrauerit ille,qui modò in ſe ſeruat vitam veſtram, & fecerit vos eſſe, quod ipſe iam eſt per immortalitatem: tunc & vos apparebitis cum ipſo in gloria,quæ modò vobis promittitur. Quapropter dicit Officialis, Nolite eſſe ocioſi: offerte Deo ſacrificium. Auguſtinus C
nobis demonſtrat in pſalmo centeſimo ſexto-decimo,quale ſacrificium debeant offerre†: Audiuimus fratres admonentem nos, atq; hortantem Spiritum ſanctum,vt ſacrificium confeſſionis offeramus Deo. & paulò poſt: Per voſipſos poteſtis aduertere, non tantùm in peccatis,ſed & in laudibus Dei confeſſionem diuinis literis ſolere nominari. Quid congruentius in hoc Pſalmo quandò Alleluia cantamus, quod eſt, Laudate Dominũ, nos admoneri intelligimus, cùm audimus: Confitemini Domino, quàm idipſum ſcilicet, vt laudemus Dominum? Non D
potuit laus Dei breuiùs explicari, quàm vt diceretur, quoniam bonus eſt. Quid ſit grandius iſta breuitate, non video. & paulò poſt: Sed quoniam populo dicitur in prænunciatione futurorum liberato ab omni labore & captiuitate peregrinationis, & ab omni permixtione iniquorum, quod ei per gratiam Dei præſtitum eſt, non ſolùm non retribuentis mala pro malis, ſed etiam retribuentis bona pro malis, conuenientiſſimè adiunctum eſt, quoniam in ſeculũ miſericordia eius. Ex vno præcepto pen- E
det Alleluia, & Tractus qui ſequitur, hoc eſt, vt neophyti offerant Deo ſacrificium laudis. Tractus dicit in cauſa neophytorum: Laudate Dominum omnes gentes, laudate eũ omnes populi, quoniã confirmata eſt ſuper nos miſericordia eius,& veritas Dñi manet in ęternum. De quibus duabus virtutibus idẽ qui ſupra dicit in Pſalmo cxiij. Hęc duo, miſericordiam & veritatẽ, aduertite, in ſanctis ſcripturis, quàm ſæpè ſibi iungãtur. In ſua quippe miſericordia vocauit impios,& in veritate iudicat eos, q vocati venire noluerũt. Pręſentes neophyti iter paratũ habẽt intrãdi ad regna cælorũ: porta aperta eſt eis, quam nos, qui inquinati ſumus per A
mũdanum affectum poſt baptiſmũ, pulſare debemus bonis operibus. Idcircò tantùm in cauſa eſt erga eos,vt offerãt Deo ſacrificiũ laudis: Cantatur prius Alleluia,quod eſt Hebræũ. Hebræa. n. mater eſt cæterarum linguarũ, vt credimus, & nobiliſſima cõſtat propter auctoritatẽ diuinæ ſcripturæ: Latina inferior quaſi filia ſiue nurus,quã duxit in vxorem filius ſynagogæ,ac per hoc Alleluia pręponiturus hìc, quod non fit in cęteris officiis:tamen cùm ventum fuerit ad dicendum de prima & octaua die neophytorũ, oportet repedare eandẽ portã, ſiue ſic ſeu alio modo. Eccè finitum eſt ſacrificiũ neophytorũ: Deindè reſurrectio Domini ad memoriã reducitur,& Angelorũ allocutio ad fœminas,& fœminarum affectus. Euangeliũ narrat ſecundum Marcum modum conuentus fœminarum,& dicit: Dum tranſiſſet ſabbatum, Marię Magdalene & Maria Iacobi & Salome emerunt aromata, vt veniẽtes vngerẽt Ieſum. Vt opinor, propter mulierum imitationem dicit Romanus libellus non portari hac nocte ante Euãgelium aliud,niſi thymiama: ſiue, quia dubitat vtrum iam carnẽ ſuam plenã munere lucis reuexiſſet ab inferis Dominus, hoc tantunmodò obtulerunt mulieres. Illis locutus eſt Angelus,dicens: Nolite expaueſcere,Ieſum quæritis Nazarenũ crucifixum:ſurrexit,non eſt hìc. In ſequentibus manifeſtatur affectus mulierum. At illæ exeuntes,fugerunt de monumento. Inuaſerat. n. eas timor & pauor,& nemini quicquam dixerunt,timebant enim. Quod ita Beda ſuper Marcum: Meritò mouet quomodò Marcus ſcribat,Et nemini quicquam dixerunt:cùm dicat Lucas, Et regreſſę à monumento, nunciauerunt hæc omnia illis vndecim & cęteris omnibus. Similiter Matthęus, Et exierunt de monumento cum timore & gaudio magno,currentes nunciare diſcipulis eius:niſi intelligamus, ipſorum Angelorum nemini auſas fuiſſe aliquid dicere,i. reſpondere ad ea,quę ab illis audierant,aut certè cuſtodibus quos iacentes viderunt†. Reducendo ad memoriam ſilentium & ſacrificium mulierum, in tempore ſacrificij ſilent cantores. Et earum ſacrificium erat tunc,q ferebant vngũtum ad vngẽdum corpus Dñi. Sanctus,ſanctus, ſanctus cantant, quod eſt Angelorum cantus, quia Angeli non tacuerunt de eius reſurrectione: ſiue iſte,qui modò locutus eſt in Marco: ſiue illi, quos Ioannes narrat ſedentes, vnum ad caput,& vnũ ad pedes. Vice mulierũ iterũ Agnus Dei reticẽt cantores. Agnus Dei,dico,qui tollis peccata mundi, miſerere nobis. Maria dicebat hortulano: Domine,ſi tu ſuſtuliſti eum, dicito mihi, vbi poſuiſti eum? quẽ credebat, furtim ſublatum,non credebat tollere peccata mundi, ac propterea audiuit,quando voluit Dominum tangere,Noli me tangere. nondum. n. aſcẽdi ad patrem meum. Sacerdos Vicarius Chriſti, implet officium ſuum. Dubitantibus Apoſtolis de ſua reſurrectione, timentibus mulieribus & nihil dicentibus Angelorum concentus clamat

Universidad de Deusto
Biblioteca

Christum resurrexisse à mortuis. Christus ipse per suam gloriosam apparitionem manifestum se facit quibuscunque vult.

De octo diebus neophytorum. Cap. 32.

Dicit Augustinus ad Ianuarium : Hæc de scripturis firmissimè tenentur, id est, Pascha & Pentecoste, vt quadraginta dies illi ante Pascha obseruentur, Ecclesiæ consensio roborauit: sic etiam, vt octo dies neophytorum distinguãtur à cæteris, i. vt octauus primo conueniat †. Octo officia, quæ fiunt in commemoratione neophytorum distinguuntur à cæteris sequentibus vsq; ad Pentecosten. Primum habet duas laudes, i. Alleluia, Confitemini Domino: & tractum, Laudate Dominum omnes gentes. Octauum habet duas, id est, duo Alleluia, Hęc dies, & Laudate pueri Dominum: quod non fit in nullo sabbato alio vsque in Pentecostẽ. Sex medij habent responsorium & Alleluia. Prima ergò vita, vt, qui supra ad eundẽ, non fuit sempiterna peccanti: Requies autem ultima sempiterna est, ac per hoc & octauus sempiternam beatitudinem habebit, quia requies illa, quæ sempiterna est, excipitur ab octauo, non extinguitur. neque enim esset aliter sempiterna. Ita erit octauus qui primus, vt prima vita, sed æterna, reddatur. In memoratione primæ vitæ, quã habuit primò Adam, Alleluia canitur: & quia non fuit sempiterna, tractus sequitur: vt in lingua humiliore, humilitas posterioris vitę recordetur. Adhuc neophyti in peregrinatione sunt, in qua tamen laudare Dominum debent, quia sunt redempti. Requies vltima, quæ redditur in septima die, & perficitur in octaua, ipsa habet sempiternam beatitudinem: ac per hoc in memoriam potissimæ restaurationis in septima die, & in octauo officio duo Alleluia cantantur: primum, quia vita redditur: secundum quia sempiterna. Alleluia. glorioſior omnium linguarum lingua Hebræa est. Atq; in isto loco eadẽ ratione possumus nos absoluere à debito octauarum dierum, id est, Dominicorũ Pentecostes, quando duo alleluia frequentantur. Duo sunt, vndè anima in septima die, id est, in requie, laudat Dominum: vnum de percepta lætitia, alterum de percipienda in resurrectione. & alio modo: Homo in resurrectione constabit ex anima & corpore, quamuis spirituali. In recordatione illius resurrectionis per Dominicos dies Pentecostes duo alleluia celebrantur. Et, quia Dominica resurrectio præcessit in octauo die, quod futurum erit in resurrectione nostra, hoc agimus per Dominicos dies Pentecostes, i. vt & mens & corpus laudet Dominum. Et quia interim sinè corpore anima in requie laudat Deũ, per singulos dies Alleluia celebratur: In festiuitatibus Sanctorum duo alleluia sunt: quia iam de Domini aspectu potius lætantur, quàm hæ quæ sunt tantũ in requie animæ. Vnũ quia requiescunt: alterum, quia vident Dominum. Quãuis memorata sabbati, septima dies sit hebdomadis, tamen octauum officium in ea celebratur pro neophytis. At medij sex responsorium tenent & alleluia. Sicut septenarius numerus requiem significat, ita & senarius opera. Rũsorius, qui nos inuitat per sex dies ad Christi resurrectionẽ, aliquam actionẽ vult nobis intimare in resurrectione corporũ. De qua actione dicit idem, qui supra, ad eundẽ: Inest autem in illa requie non desidiosa segnitia, sed quædã ineffabilis tranquillitas actionis ociosæ. Sic. n. ab huius vitæ operibus in fine requiescetur, vt in alterius vitæ actione gaudeatur. Sed quia talis actio in Dei laude agitur, sinè labore mẽbrorum, sinè angore curarum, non ad eam sic transitur per quietem, vt ipsa labori succedat, i. non sic esse incipiat actio, vt desinat quies. Neque enim reditur ad labores & curas, sed permanetur in actione. Quia ad quietem pertinet nec in opere laborare, nec in cogitatione fluctuare. Quia ergò per requiem ad primam vitam reditur, vndè anima lapsa est in peccatũ, propterea per sabbatum requies significatur. Illa autẽ prima vita, quæ à peregrinatione redeuntibus, & primam stolam accipientibus redditur per vnam sabbati, quem diem Dominicum dicimus, figuratur. Et in alio loco idem ad eundem: Dies Dominicus, non Iudæis, sed Christianis resurrectione Domini declaratus est, & ex illo cœpit habere festiuitatem suam. Animæ quippe omnium Sanctorum ante resurrectionem corporis sunt quidem in requie, sed in ea non sunt actione, qua corpore recepto vegetantur. Talẽ quippe actionem significat dies octauus, qui & primus, qui non aufert illam requiem, sed glorificat. Ex inspiratione sancti Augustini, per responsoriũ intelligimus actionem sanctorum in corpore, quæ erit cum omni lętitia, vt responsorius sonat, Hęc dies quam fecit Dominus, exultemus & lætemur in ea. Quia hęc lętitia exitum habet in glorificatione, Alleluia sequitur: & vt demonstretur eandẽ actionẽ non esse aliud nisi laudem Dei, post sex dies continuatìm Alleluia canitur. Vbi notandum est, versus responsorij omnes esse de Psalmo, Confitemini Domino, qui sonat confessionem laudis, quæ tamen laus Alleluia concluditur propter nobiliorem linguam. Versus sunt, Confitemini Domino, quoniam bonus, quoniam in seculum misericordia eius. Itẽ: Dicat nunc Israel, quoniam bonus. Item, Dicant nunc qui timent Dominum, quoniam in seculum. Seu, Dicãt qui redẽpti sunt à Domino. Vtroſq; vidi scriptos in isto loco, & vtroſq; audiui cantari. Itẽ, Dextera Domini. Item, Lapidem quem reprobauerunt. Itẽ, Benedictus qui venit. In fine enim versuum prępositerus ordo est. Benedictus qui venit in nomine Domini, prępositur in quinta feria versui, Lapidem quem reprobauerunt, qui est in ordine psalmi prior, & quod non est sinè ratione, sexta feria cantatur: Idem inter cęteros pręcipuè sonat de passione Domini, quę

quæ facta est sexta feria: in illa reprobauerunt Iudæi Dominum ædificantes, in illa factus est caput anguli: coniungens duos parietes simul ex aduerso venientes.

De eisdem octo diebus. Cap. 33.

Octo dies neophytorum, cursum præsentis vitæ monstrant. Sicut enim iter filiorum Israel, postquàm transierunt mare rubrũ vsq; ad terram repromissionis, significat omnẽ cursum præsentis vitæ: ità & conuersatio neophytorum omnem cursum præsentis vitæ, in quo nos oportet secundùm resurrectionem Christi viuere. De quo cursu dicit Augustinus in libro contra Faustum duodecimo: Ruber in mari rubro baptismus, vtiq; Christi sanguine consecratus: hostes sequentes à tergo moriuntur, peccata præterita. Ducitur populus per desertum: baptizati omnes nondùm perfruentur promissa patria; sed quod non vident, sperando, & per patientiam expectando, tamquam in deserto sunt: & illic laboriosæ & periculosæ tentationes, nè reuertantur corde in Ægyptum: nec ibi tamen Christus deserit: nam & illa columna non recedit. Secundùm hæc verba, baptizati nostri ducuntur quotidie ad Ecclesiam. columna cerei illuminata præcedẽs eos, illuminata est iam, quia in corpus Christi traiecti sunt baptizati: spiritus Christi illuminat membra Christi. Ex sequẽtibus potest dinosci, quomodò illi octo dies coaptentur cursui status nostri: Prima dies quandò baptizatus descendit de aqua, quæ est sabbatum, i. requies statũ. Adę nobis informat, antequàm peccaret. Nõ Adam ita fuit factus, vt labore aliquo acquireret sibi fructum viuendi, si non peccaret: sed tamen legitur posuisse eum in paradiso Deum vt operaretur. Eandem requiem, quã præstitit Deus Adæ, antequàm peccaret, dat baptizatis in sabbato: ita tamen, vt deinceps operentur bona vsque ad alteram sabbati: Sicut & Adam operi deditus fuit absq; vllo labore. Ipsa requies est innocens vita, quam habuit Adam in septima die, quandò requieuit Deus ab omnibus operibus suis: eandem recipiunt modò baptizati in sabbato. Ac dein quia via restat baptizatis per desertum, quasi post Alleluia, animæ tractus, id est, patientia, per quam expectare debent terram repromissionis, sequuntur sex dies, qui pertinent ad opus bonum, sanctumq; & pium: nè vacua domus inuadatur. Post illos sex dies sequitur sabbatismus, qui eos introducit ad patriam repromissionis, vbi est requies sempiterna, non reuertens ad aliquem laborem, sed de lætitia gloriæ animarum, trãsit ad lætitiam incorruptibilis corporis: ac ideo non subsequitur Alleluia, Hæc dies, Tractus: sed Alleluia, Laudate pueri Dominũ. Sex dies qui inter duo sabbata sunt, vtrumq; nobis tempus ad memoriam reducunt, scilicet Adæ, qui fuit deditus desiderantissimo operi in paradiso: & illud quo filij Israel trãsierunt per desertum sub ducibus, in quo tempore non sunt attrita vestimenta illorum, & sic tandèm peruenerunt ad libertatem in terra repromissionis, quæ significat patriam, in qua recipiuntur sanctę animæ post seculum transactum.

De die sancto Paschæ. Cap. 34.

Die sancto Paschæ in introitu per ora prophetarum præsentat se Christus ex resurrectione patri suo, in ecclesia sua dicens: Resurrexi, & adhuc tecum sum. Oratio prima demonstrat aditum esse apertum sanctæ Ecclesiæ regni cælestis per capitis sui resurrectionem. Epistola admonet nos, vt separati simus à vitiis: In quo certauimus per dies quadragesimales, & neophyti abiecerũt in baptismo. Corinthiis mi sit illam Paulus, vt separarent se iusti ab his, qui tale peccatum fecerunt, quale nec inter gentes audiebatur: & per pœnitentiam nõ reuerteban tur ad cœtum sanctorum. Ipsi erant vetus fermentum, & illi azymi propter nouitatem vitæ. Ita & nos admonemur illa, vt sinè retractatione in die sancto Paschæ alieni simus à vitiis. Det Deus, vt sicut filius eius Dominus no ster, qui hodierna die ità resurrexit à mortuis, vt mors vltra repetitum non habeat in illo: ita nec in membris suis habeãt præterita vitia, neque imminentia. Responsorius monstrat quan tùm lætari oporteat eos, qui purgantur à vitiis In Alleluia monstratur, in quo sit tantæ lætitiæ causa, id est, quia Pascha nostrum immolatus est Christus: itaque epulemur, & cætera. Euangelium exponit perfectiùs causam totius lætitiæ. Quia suo in loco, si Dominus dederit, dictu ri sumus enucleatius de toto officio Missæ: meę paruitati hęc sufficiant, quę propterea tetigi, vt non mihi viderer à tanta lætitia, quantam pręsens continet dies, mente alienus fore. Insuper etiam libet interponere, quod sanctus Augustinus de orationibus Missę dicit in lib. quęstionum. In quęstionibus ad Paulinum Nolanum episcopum: Multa hinc dici possunt, quę improbanda non sunt: sed eligo in his verbis hoc intelligere quod omnis vel penè omnis frequentat Ecclesia: vt precationes accipiamus dictas, quas facimus in celebratione sacramentorum, antequàm illud quod est in mensa Domini, incipiat benedici: Orationes, cùm benedicitur & sanctificatur, & ad distribuendũ comminuitur, quam totam petitionem ferè omnis ecclesia Dominica oratione cõcludit: Interpellationes, siue (vt nostri codices habent) Postulationes fiunt, cùm populus benedicitur. Tunc enim antistites vel aduocati, susceptos suos per manus impositionem misericordissimæ offerunt potestati. Quibus peractis, & participato tanto sacrificio, gratiarum actio cuncta concludit, quam in his etiam verbis vltimam Apostolus commendauit. Hęc autem fuit pręcipuè causa ista dicendi, vt his breuiter præscriptis atq; significatis, non putaretur negligendum esse quod sequitur, Pro omnibus hominibus,

Universidad de Deusto
Biblioteca

pro regibus, & his qui in sublimitate sunt, vt quietam & tranquillam vitam agamus in omni pietate & charitate: nè quisquam, sicut se habet humanæ cogitationis infirmitas, æstimaret nõ esse ista facienda pro his, à quibus persecutionem patiebatur Ecclesia, cùm membra Christi ex omni essent hominum genere colligenda. Vndè adiungit & dicit: Hoc enim bonum est & acceptum coram Saluatore nostro Deo, qui omnes homines vult saluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire. Et nè quisquam diceret, posse esse salutis viam in bona conuersatione, & vnius omnipotentis Dei cultu, sine participatione corporis & sanguinis Christi. vnus enim Deus, inquit, & vnus mediator Dei & hominum homo Christus Iesus: vt illud quod dixerat, omnes homines vult fieri saluos, nullo alio modo intelligatur præstari, nisi per mediatorem, non Deũ, quod semper erat verbũ, sed hominẽ Christum Iesum, cùm Verbũ caro factum est, & habitauit in nobis †. Orationes quatuor quas memorat sanctus Augustinus, ita nominat nostra translatio: Obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones. Vbi etiam notandum est, quòd oratio illa, quę sic inchoatur: Libera nos, quæsumus Domine, ab omnibus malis: conclusio sit tantùm orationis Dominicæ, cùm beatus Augustinus dicat, quam totam petitionem ferè omnis ecclesia Dominica oratione concludit: Simulq; hoc notandum, quòd orationem illam, quam Episcopi siue aduocati solent facere super populum cum signo sanctæ crucis, ille solebat facere eam, postquàm comminuebat corpus Domini ad distribuendum: quam orationem vocat postulationes. Dein sequuntur gratiarum actiones, quandò post auditam vocem Diaconi, quæ dicit, Ite, Missa est: siue, Benedicamus Domino, populus respondet, Deo gratias.

Demonstratio, quòd informent sex dies Paschales cæteros dies Dominicos & iustos homines: & dies quinquaginta à sabbato Paschæ, vsque ad sabbatum octauarum Pentecostes, futuram vitam: & quotidiani dies siue Septuagesimæ Dominici, seu Quadragesimales, pœnitentes. Cap. 35.

ILli sex dies paschales, in quibus responsorium cantamus & Alleluia, informant cæteros dies Dominicos siue festos, quos celebramus ab octauis Pentecostes vsque in Septuagesimam. Responsorius & Alleluia, actum eorum & lętitiam siue laudẽ siue gratiarum actiones, qui perseuerant in sanctitate, quam acceperunt in baptismo, recolunt. Ita enim in spe habent regnum futurum, vt etiam hìc benè operando ad beatitudinẽ perueniant. Siue, vt alio modo dicamus, per responsorium, actiuam vitam intelligimus: per alleluia, cõtemplatiuam. Actus necessè est hìc celebretur, vt quod speramus & per patientiam expectamus, adipisci valeamus per bona opera. Responsorij illi, quos per sex dies cantamus, siue per cæteros Dominicos dies, vel festiuos dies sanctorum, quibus subsequitur Alleluia, tales actus significant, qualis est, prædicatio, lectio, eleemosyna, visitatio viduarũ, pupillorũ & infirmorum. Hæc in præsenti sęculo omni die Dominico agere possumus sinè retractatione. Quibus, i. memoratis responsoriis Alleluia sequitur, quia post talem actionem in laudem Dei trãsfertur anima sanctificata ab omni peccato. Illi dies quinquaginta, qui sequuntur à sabbato Paschali vsque ad octauas Pentecostes, alteram vitam informant, quam nondum percepimus, vbi non erit Responsorius, quia nemini ibi prædicabitur: sed erũt omnes docibiles Dei, neq; aliquis visitabitur, quia nemo ibi vidua, neq; pupillus, neq; infirmus. Eleemosyna nõ erit necessaria, quia nemo ibi indigens, sed tantũ Alleluia ibi celebrabitur, i. lætitia animarũ de percepta immortalitate & receptione corporũ, & gratiarũ actio Deo vsq; in sempiternũ. Eandẽ lætitiam numerus quinquagenarius significat, qui apud Hebræos Iubilæus appellatur, i. iubilatione plenus. Quid cæteri dies informẽt, ex libro sancti Augustini de fide & operibus considerare, vt opinor, valemus. sic.n. dicit: Non quia quisquam ita debet extolli, vt non dicã, apud alios iactare, sed apud seipsum putare audeat, sed in hac vita esse sinè peccato. Sed nisi essent quædam ità grauia, vt etiam excommunicatione plectenda sint: non diceret Apostolus, Congregatis vobis & meo spiritu, tradere huiusmodi Satanæ in interitum carnis, vt spiritus saluus sit in die Domini Iesu. Vndè etiã dicit: Nè lugeam multos ex his, qui ante peccauerũt, & non egerunt pœnitentiã super immũditia & fornicatione quam gesserunt. Item, nisi essent quædã non ea humilitate pœnitentiæ sananda, qualis in Ecclesia datur eis, qui propriè pœnitentes vocantur, sed quibusdã correptionum medicamẽtis, non diceret ipse Dñs, Corripe eũ inter te & ipsum solum: & si te audierit, lucratus es fratrem tuum. Postremò, nisi essent quædam, sine quibus hæc vita non agitur, non quotidianã medelam poneret in oratione quam docuit, vt dicamus: Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris †. Quotidiani dies informant eos, qui solent presbytero confiteri peccata, vt corripiantur ab ipso, & consiliũ accipiãt pœnitẽdi. Ipsi dies sinè Alleluia trãsiguntur, quia nõ est pulchra laus in ore peccatoris. Quãuis citatus sit Deus ad parcendum, tamen non citò potest erubescentia peccatorum transire à corde iusti. Memoratum modũ informat versus qui dicit: Non est sanitas in carne mea à facie iræ tuæ: non est pax ossibus meis à facie peccatorum meorũ. Informãt etiam verba Domini ad Moysen dicẽtis de Maria: Si pater eius spuisset

spuisset in faciem eius, nonne debuerat saltem septem dierum rubore suffundi? Separetur septem diebus extra castra, & postea reuocabitur. Cui enim spuitur in faciem, despectus adhibetur. Quandò nos Deus despicit propter peccata nostra, rubore debemus perfundi vsq; ad complectionem septem dierum, id est, vsq; ad satisfactionem. Per abstinẽtiam alleluia in quotidianis diebus in officio Missæ, rubor ecclesiæ monstratur, quem habet de suis vulneratis, & nondùm sanatis: At Dominici dies à septuagesima vsque in pascha Domini, eos informant, qui his tentationibus tunduntur, sine quibus vita presens non potest transigi. Responsoriis dierum illõrum nõ subministratur alleluia, sed tractus, qui quamuis pertineat ad contemplationem propter suam dulcedinẽ & vnionem, tamen non est in tanta lætitia, in quanta est illa, de quo dicebat Iacobus: Qui autem in verbo non offendit, hic perfectus est vir. In diebus quadragesimalibus ante pascha informat eos sancta ecclesia, qui propriè pœnitentes vocantur, excepto quòd non excomunicatur: & ad manus reconciliationis Episcoporum nõ redit in finem Quadragesimæ: Informat eos in ieiunio, in abstinentia deliciarum, in habitu, in dejectione, in luctu, in vigiliis, in quietudine, in silentio, in obedientia operum, & cęteris bonis, quibus reconciliamur Deo simul cum pœnitentia.

De diebus Pentecostes. Cap. 36.

TEmpus Pentecostes inchoatur à prima die resurrectionis, & currit vsq; ad diem quinquagesimam post pascha. De quo tempore dicit Augustinus in libro ad Ianuarium: Quadragenarius autem partibus suis computatus, addit ipsum denarium: & fiunt quinquaginta, tãquam merces operis & continentiæ. Neque enim frustrà ipse Dominus quadraginta dies post resurrectionem in hac terra, & in hac vita cũ discipulis conuersatus est: & posteaquàm ascendit in cęlum, decem diebus interpositis, promissum spiritum sanctum misit completo die pentecostes. Qui dies quinquagenarius habet alterum sacramentum, quòd septiès septem quadragintanouem fiunt, & cùm reditur ad initiũ, quod est octauus, qui & primus dies, quinquaginta complentur, qui celebrantur post resurrectionem Domini iam in figura non laboris, sed quietis & lætitiæ. Propter hoc ieiunia relaxantur, & stantes oramus, quod est signum resurrectionis. Vndè etiàm diebus Dominicis omnibus ad altare obseruatur, & allelu ia canitur, quod significat actionem nostram non esse nisi laudem Dei, sicut scriptum est, Beati qui habitant in domo tua in secula seculorum laudabũt te. De relaxatione ieiunij Ambrosius dicit in tractatu ad Romanos †: Nam sunt quidam, qui feria quarta carnẽ non edendam statuerunt: sunt, qui sabbatis: sunt iterùm, qui à Pascha vsque ad Pentecosten edunt †. Et Hieronymus ad Marcellam de fide nostra, & dogmate hæretico contra Montani sectatores: Nos vnam quadragesimam secundum traditionem Apostolorum tempore nobis congruo ieiunamus: illi tres in anno faciunt quadragesimas, quasi tres passi sint saluatores: non quo & per totum annum, excepto pentecosten, ieiunare nõ liceat: sed quòd aliud sit necessitate, aliud voluntate munus offerre. Et iterùm ad Lucinum Bæticum: Atque vtinam omni tempore ieiunare possimus, quod in Actibus Apostolorum diebus pentecostes & die Dominico Paulum apostolum, & cum eo credentes fecisse legimus. Et iterùm in eadẽ: Non hoc dico, quòd festis diebus ieiunandum putem, & contextas diebus quinquaginta ferias auferam: sed vnaquęq; prouincia abundet in suo sensu, & præcepta Maiorũ leges Apostolicas arbitretur. Et iterũ eiusdẽ in commentario super Matthęum: Quandò verò transierunt nuptiæ, & passionis ac resurrectionis tempus aduenit, tunc sponsi filij ieiunabunt. Nonnulli putant idcircò post dies quadraginta passionis ieiunia debere omitti, licèt statìm dies Pentecostes & Spiritus sanctus aduenies, indicet nobis festiuitatem, & ex huius occasione testimonij, Montanus, Prisca & Maximilla etiàm post Pẽtecosten faciunt quadragesimam, quòd ablato spõso, filij sponsi debeant ieiunare; Ecclesiæ autem consuetudo ad passionem Domini & resurrectionẽ per humilitatem carnis venit, vt spirituali saginæ ieiunio corporis præparemur. Iuxta leges autem tropologiæ sciendum, quòd quandiù sponsus nobiscum est, & in lætitia sumus, nec ieiunare possumus, nec lugere: Cùm autẽ ille propter peccata nostra à nobis recesserit, & auolarit, tunc indicendum ieiunium est, tunc luctus recipiendus. Duas varietates habemus in ecclesia nostra de ieiunio, quod fit post resurrectionem Domini. Aliqui secundùm nostrum vulgarẽ vsum, statuunt terminum quadragesimalis ieiunij in festiuitate sancti Ioannis. Illi, qui hoc faciunt, non possunt semper dies Pentecostes excludere à ieiunio: Aliqui volunt secundùm traditiones sanctorum patrum, quos prætulimus & in sequentibus habemus ponere, omnes dies Pentecostes habere in lætitia. Qui hoc faciunt, non possunt semper terminum huius quadragesimę facere in festiuitate sancti Ioannis. Et vbi terminus ponatur, non est fixum ex scripturis sacris, neque ex traditionibus patrum. Solet aliquotiès euenire, vt post pentecosten dies abundent ad numerum quadraginta dierum implendum vsque ad festiuitatem sancti Ioannis. hoc est, quandò dies Dominicus Paschæ occurrerit in vndecimo Kalendarum Aprilium, & in decimo suprascriptarum & in nono & in octauo. Quandò in memoratis octauis Kal. Aprilis occurrerit dies Dominicus Paschæ, tunc habendus est dies Pentecostes in III. Idib. Maij. Ab illo die vsque in festiuitatem sancti Ioannis Baptistæ hebdomadæ sex sunt.

Universidad de Deusto
Biblioteca

sunt. Et si quis voluerit Quadraginta tantummodò diebus intẽdere, intendat quãdò Dñicus dies paschæ occurrerit in septimo Kal. Apr. siue sexto suprascriptarũ. & sic poterit adiplere numerum suum inter Pentecosten & festiuitatem S. Ioannis. Vt reor, propter memoratos dies, qui per disiunctos annos conuenientes sunt termino, qui fit in festiuitate sancti Ioannis, prætermissa est diligentia Pentecostes, & inclusi sunt ipsi dies in luctu, qui deberent esse in lætitia, ex auctoritate Dominicę pręsentationis, vt solitus terminus teneatur. Si visum fuerit magistris, vt hoc diffiniant, quandò tempus ieiunij peragatur eorum, qui sponte propter peccata sua ieiunant post resurrectionem Domini, videtur nobis variabilis res auferri de nostra ecclesia. Cur lætari debeamus in diebus Pentecostes, abundant exempla sanctorum patrum: cur ieiunare necesse sit vnusquisque ex corde suo cognoscit. Maior enim festiuitas est aduentus Spiritus sancti, quàm festiuitas beati Ioannis baptistæ. Si includenda est festiuitas infra ieiunium, ampliùs includenda est festiuitas sancti Ioannis, quàm aduentus Spiritus sancti: Et si hoc statuit ieiunans siue indicens ieiunium, vt in festiuitate sancti Ioannis, vel sancti Petri & Pauli absoluatur ieiunium, & postea peragatur, nullum detrimentum facit animæ suę. Non sequimur nos in præsenti ieiunio Montanum & suos sectatores, sed consideramus peccata nostra, & pro eis certamus fructus dignos reddere pœnitentiæ. Ex Hieronymo memorato possumus addiscere, à quibus illa ieiunia vsurpata sint aliquandò, quòd non ex necessitate indicenda sint ieiunia Pentecostes communi ecclesiæ, sed volũtate licere vnicuique ieiunare ob deuotionem suę mentis. Ab ista licentia & ab ista libertate excludũtur, qui propriè pœnitentes in ecclesia nominãtur.

A rãdo quæ sunt aptissima perpetuæ quietis, resurrectionis & laudis prefagia. A quo primo initium præsens ieiunium sumpsit, Gregorius Turonen. manifestat in gestis Francorum, ità dicens: In his temporibus fuit in Vienna vrbe terræmotus maximus, vbi multæ ecclesiæ & domus multorum concussæ fuerunt & subuersæ: vbi bestiæ multę oberrantes, lupi, vrsi acerbi ingressi per portam ciuitatis, deuorantes plurimos, per totum annum hoc faciebant. Nam veniente solẽnitate sancti Paschæ, sanctus Mamertus, qui in ea vrbe erat Episcopus, dum B Missarum solennia ipsa vigilia celebraret, palãtiũ quoquè regale, quod in ea ciuitate erat, diuino igne succensum est. Cumque hæc ageretur, appropinquante Ascensione DOMINI, indixit ieiunium vir sanctus DEI triduanum in populo cum gemitu & contritione. & paulò pòst: Tunc cessauit ipsa tribulatio & subuersio. Deicèps omnes ecclesię Dei & sacerdotes hoc exemplum imitantes vsque ad præsens, ipsas triduanas litanias vbiquè celebriter colũt. Vbi dicit, omnes ecclesiæ Dei, non extra Gallias C possumus eas intelligere: Vbi erant hi, de quibus Ambrosius dixit, qui quotidiè statuissent carnem edendam vsque in Pentecosten, ibi nõ fiebat ieiunium iuxta morem nostrum, neque vbi Hieronymus, neque vbi Augustinus erat. Quod si fieret non tam apertè prędicarent relaxationem ieiunij infra quinquaginta dies. Romana consuetudo vnum diem, id est, septimo Kalendas Maij interponit, quem vocat in litania maiore, non in ieiunio: Litania autem, vt prędiximus, deprecatio est apud nos. Potest enim serena mens & aliena à voluntate mala, deprecari Deum, quãuis manducet sobriè carnem meridie, & lætetur de resurrectione Domini: tamen maiorum patrum, id est, Apostolicorum vsus sequendus est. Forsitan ex ipso officio poterimus intelligere, quid deprecandũ sit tali in tempore. Prima oratio ad Missam dicit: Præsta, quæsumus, omnipotens Deus, vt qui in afflictione nostra de tua pietate confidimus, contra aduersa omnia tua semper protectione muniamur. Huic cõcordat offertorium, dicens: Adiuua me Domine Deus meus, saluum me fac propter misericordiã tuam. Et iterùm: Qui insurgunt in me, confundantur. Eo tempore, id est, septimo calendarum Maij, possunt inimici commouere bellum aduersùs vicina regna. vt reor, cautè prouidit sancta Ecclesia Dominum rogare, vt qui destruxit olim consilium Achitophel, nũc destruat consilia eorum qui volunt irruere super pacẽ eius. Intendit ad hoc, quod dicit epistola: Multùm enim valet deprecatio iusti assidua. Euangelium alteram petitionem sonat, dicens: Quis autem ex vobis patrẽ petit panem? & iterùm, Aut piscem? & iterùm, Aut si petierit ouum? In istis tribus tria temporalia petenda possumus intelligere, & tria spiritualia. Per panem, omnia bona quæ de terris nascuntur: per piscem, quæ de

De Litania maiore. Cap. 37.

SEquitur vna varietas inter octauas Paschę & vigilias Pentecostes, hoc est, ieiunium triduanum in vigilia ascensionis Domini. Miror quomodò inoleuit consuetudo præsentis ieiunij in nostra ecclesia, quę tamen non tenetur per omnes orientales ecclesias, cùm sancti patres quos memorauimus, Ambrosius, Augustinus, Hieronymus dicant relaxanda ieiunia tempore Pentecostes, necnon etiàm venerabilis presbyter Beda de eodem tempore dicit in homiliis suis: Meritò ergò sacrosanctis diebus his nos quoquè maioribus epulis atque hymnis cælestibus vacamus, ob reuerentiam nimirùm Dominicæ resurrectionis, ob memoriam Dominici conuictus cũ discipulis, simul & ob spẽ futuræ nostræ quietis ac vitæ immortalis. Et paulò pòst: Rectè etiam quinquagenario dierũ numero statum futuræ nostrę beatitudinis in imagine veneramur: ieiunia videlicet relaxando, & alleluia canendo, stantes o-

de aquis: per ouum, animalia quæ coeunt simul. Hæc enim memorato tempore in aliquo profectu sunt: Germina messis pullulant, arborum fructus ex flore prodeunt, vineę atq; olei liquor suis ab arboribus se erumpit: pullorum animantia campos tondent. Quoniam hæc necessaria sunt nostris vsibus, petenda sunt à Domino, vt conseruentur. At spiritualia, ità: Per panem, charitatem: per piscem, fidem: per ouum, spem: Quibus tribus colitur à nobis diuinitas. Hæc illo in tempore præcipuè petenda sunt à Domino, quandò resurrectio Christi & Ecclesiæ celebratur, vt his roborati, in iustificatione persistamus. Officium Romanum cantamus, & tempus eius deprecationis prætermittimus. Interest, secundùm Hieronymum, quãdò ex voluntate munus offertur Deo, & quãdò ex necessitate. Voluntate omni tempore munus possumus in abstinentia rerum percipiẽdarũ offerre Deo, sed ex necessitate non oportet.

De vigilia Pentecostes. Cap. 38.

VEniendum est modò ad vigilias Pentecostes. In eis leguntur lectiones quatuor, & C canuntur quatuor cantica ante baptismi consecrationem, sicut in vigilijs Paschæ. Ibi legimus, In principio creauit Deus cælum & terram: In vigilijs Pentecostes, Tentauit Deus Abraham. In illa non sequitur canticum: in ista sequitur. Lectiones ad memoriam nobis adducunt duos patres, vnũ secundùm carnem, alterum secundùm spiritum. Adam qui in prio re lectione memoratur, carnalis est pater, à quo originem omnes ducimus, qui peccauit non obediendo præcepto Dei: Cui non subdi- D tur canticum victoriæ. Abraham pater spiritualis, quia eius fidem imitando filij eius efficimur, & populus Dei vocamur. Iste restituit obediendo in immolatione filij sui, quod primus offendit non obediendo. Cui meritò subditur canticum victoriæ. occidit enim vitium inobedientię. Ipsum sonat oratio sacerdotis: Deus qui in Abrahæ famuli tui opere, humano generi obedientiæ exempla præbuisti, & reliqua. Hæc lectio ad historiam pertinet: vt legitur, ità factum est. Sequitur alia lectio: Scripsit Moyses canticum, De quo cantico dicat, E cantor illic demonstrat, scilicet, Attende cælum. De quo Beda super Lucam: Ad memoriam priscæ religionis canticum Deuteronomij, in quo vniuersus veteris populi status, quid videlicet offenso, quid propitio Deo meruerit, continetur, nonnullis in locis sabbato dicere consueuit. Alioquin esset præposterum vt prioribus septimanæ diebus prophetarum dictis carminibus Moysis vltimum diceretur†. Ac per hoc, quia præcesserunt boni mores in filijs Abrahę, antequàm apprehenderent septem mulieres virum vnum, proponitur lectio, Scripsit Moyses canticum: &, canticum, Attende cælum, (vbi Adam ad memoriam re-

A ducitur, qui est imago totius humani generis, in quo maior pars erat infidelis ante Christi aduentum.) Vinea facta est, scilicet sacramentum Christi & Ecclesiæ, (quod pertinet ad allegoriam) præcedit: quia nisi is venisset, boni mores ad vniuersum orbem non transissent. De tertia lectione iam dictum est, in qua septem dona Spiritus sancti de obedientibus faciunt vnum virum, de quo dicebat Paulus, Donèc occurramus omnes in virum perfectum, & reliqua. Quarta lectio est Hieremię ,pphetæ, quę dicit inter cętera: Discę vbi sit sapientia, vbi virtus, vbi prudentia, vt scias simul vbi sit longiturna vita & victus, vbi sit lumen oculorum B & pax. Præsentibus verbis ad sitim aliquam vocat audientes, scilicet, sapientię, virtutis, prudentię. Quare hoc? Vt sciat audiens, vbi sit longiturna vita, lumen oculorum, & pax. Quod pręcipit discere, ad desiderium pertinet fontis, iuxta quod respondet audiés: Sicut ceruus desiderat ad fontes aquarum, & cætera. Vbi rationem dicit, quarè desiderat fonté, ibi superiorem vitam intimat dicendo, vbi sit longiturna vita & lumen oculorum & pax. quę pertinet ad anagogen. Et sacerdos ita: Omnipotens sempiterne Deus, qui hanc solennitatem aduentus Spiritus sancti cõsecrasti, Da nobis quęsumus, vt cælestibus desideriis accensi, fontem vitæ sitiamus. Vbi dicit, cælestibus desideriis accensi, anagogicum sonat. De litania circa baptismum, & alleluia, & tractu, dictum est. Parum libet de alleluia & Tractu iterum recordari. Alleluia in memoratione primæ vitę innocentis Adę cantatur: sed quia non fuit eadẽ innocentia sempiterna, in tractum conuertitur. Verbi gratia: Fui catechumenus Constantinopoli captus: quęsiuit me dominus meus misericors & piissimus, inuenit me captiuum: occidit illum qui me rapuit propter meam incuriam, & me reddidit libertati, vt reuerterer ad patriã meam. Quàm ingens gloria apud me quia erutus sum à seruitute, & redditus libertati? Tamẽ quia lõga via & laboriosa & periculosa restat, redeundo ad patriam meam, post magnam lętitiã aliquo tædio affectus sum, nescíens, vtrum perueniendum sit ad patriam, quasi de aliquo gradu descendens à maiore lętitia, id est, ab Alleluia, in minorem quasi in tractum. Patienter tamen fero, laudando ereptorem, iter iniunctum, si aliquo modo aliquandò reuerti potero ad patriam. Insuper etiam ereptor meus mittit mecum defensores, qui me defendãt de barbarica rabie, quę vndique circundat iter meum. Ipsi defensores sunt baptismalia sacramenta, & cereus, atque patronus, qui mecum versantur vsque ad septimum diem lauationis albarum. Septima dies, vt sæpè dictum est, illam requiem designat, quam exeuntes de mundo suscipimus, quę sinè vllo periculo manebit. Ad distinctionem alleluia & Tractus, quam volumus hìc demonstrare, hæc parua mihi sufficiunt: insuper etiam placet hìc intimare, quæ

distantia

Universidad de Deusto
Biblioteca

distantia sit inter lectiones, quæ legũtur in Vigilijs Paschæ, & eas quę leguntur in Vigilijs Pentecostes. Quod enim distat inter Adam & Abraham, hoc oportet differre inter doctrinã magistrorum ad catechumenos, qui baptizãtur in Pascha Domini, & in Pentecoste. Deberet eis narrare periclitationem humani generis vsq; ad internecionem propè per inobedientiam Adæ, sicut tunc erat quandò nullus hominum Deum colebat, nisi solus Abraham. Ipsa internecio permansit in vniuerso genere humano, excepris his aliquibus, qui de Abrahæ stirpe prodierant: In illo enim, id est, Adam per aduentum Christi primò occisus est diabolus: posteà per dilectionem septem mulierum, coniunctum est Christo genus humanũ. Deindè ad bona opera directum est. Iste ordo seruatur in vigilijs Paschæ. Alter est in vigiliis Pentecostes. In isto recolitur quomodò Abraham Deo placuit per obedientiam, & sua progenies in bonis moribus delectata sit, cui tamen necesse est in nouo testamento, vt adiũgatur per baptismum Christo, & sic in eo maneat vsquedùm perducatur ad cæleste regnũ.

De sequentibus septem diebus Pentecostes. Cap. 39.

INchoatæ in sequentibus diebus præsentis hebdomadę quid agere debeamus, Dominus Beda manifestat in homilia sua, dicens: Verùm hoc quoque, quòd non statim peracta die quinquagesima, genu ad orandum curuamus, sed & illa adhuc septimana stantes Domino supplicamus, & quamuis intermissa repetentes ieiunia, tamen Alleluia quotidiè personamus, nemo absque discretione apta & congrui ratione mysterii putet actitari. Quia enim spiritus sancti septiformis est gratia, iurè solennitas aduentus eius per septem dies laude hymnorum debita, simul & Missarũ celebratione colitur. Quia tempore Pentecostes Ecclesia toto orbe nouos semper Deo populos per aquam regenerationis aggregare consueuit, meritò saluti eorum congaudentes quousque albis induuntur stolis, & nitorem purificatę mentis, splendore habitus demonstrat, hymnum Deo deuotæ laudis offerimus iuxta præceptũ ipsius piissimi pastoris ac redemptoris nostri, qui ait: Congratulamini mihi, quia inueni ouem meã quæ perierat. Meritò etiam tunc stantes oramus ob significationem, videlicet, liberationis eorundem, qui per donum spiritus sancti de morte animę ad vitam resuscitari atq; resurgere meruerunt. Cuius donante gratia, etiam carnis immortalitate nos in nouissima die vestiendos, atq; ad gaudia beatę resurrectionis perducendos esse speramus,

Quanto tempore debeant esse sub disciplina chrismatis, qui non consequuntur manus impositionẽ episcoporum tempore baptisterij, sed post. Cap. 40.

SOlet quæri inter vulgares, quanto tempore debeant vnctionem chrismatis obseruare in capite, vt non lauentur qui accipiunt manus impositionem absque tempore baptisterii? Quibus potest responderi, quanto tempore generaliter ab Ecclesia celebratur aduentus spiritus sancti super Apostolos, tanto tempore celebretur apud vnumquemq; qui eum accepit, hoc est, septem diebus. Et non immeritò: quia enim Spiritus sanctus in septem mulieribus venit ad hospitem suum, fas est vt vnicuique mulieri conuiuiũ suum paretur per singulos dies, de quibus mulieribus dicit Isaias, Apprehendent septẽ mulieres virũ vnũ. Conuiuiũ illarũ mulierum est, quandò ipsæ de se satiant hospitem suum. Talia conuiuia exercebat Christus apud cõuiuas suos, talia & Spiritus sanctus exercet. Hospes Spiritus sancti, mens est hominis. Mens tanto amplius satiatur à sagina Spiritus sancti, quanto minùs fuerit dedita carnalibus desideriis. Ità accipiens obseruet tempus aduentus Spiritus sancti, vt solet charus amicus circa charum amicum obseruare. Quãdò charus aliquis ad amicum charum venit, in nullo vult ille, qui suscepit, illum offendere, sed quicquid nouit ei placitum esse, hoc ex corde benigno ei adhibet: ità quicquid cognouerit suscipiens Spiritum sanctum, placitum ei esse, hoc illi exhibeat, quandiù cum illo est. Si hoc fecerit, forsan citiùs poterit ei reconciliari, quandò aliqua offensa recesserit ab eo. Quãdò chrismatus recordatur vnctionẽ chrismatis sibi adesse, tunc potissimùm recolit debere se esse sub disciplina Spiritus sancti. Vnctio illa ideò fit, vt sciamus quid inuisibiliter operetur Spiritus sanctus in nobis. Oleum solet fessorum membra fouere, balsamus solet redolere. Fessa sunt membra animæ nostræ, quandò pœnitet se egisse, quod contra voluntatem Dei est. Ad quã solet venire Spiritus sanctus, & ei monstrare dimissa peccata siue dimittenda. Vndè & ipse Spiritus sanctus consolator dicitur. De qua re dicebat Dauid: Secundùm multitudinem dolorũ meorum in corde meo, consolationes tuæ lętificauerunt animam meam. Hunc Spiritum sanctum acceperunt Apostoli in terra, quandò Christus insufflauit eis in faciem, & dixit: Accipite Spiritum sanctum: quorum remiseritis peccata, remittuntur eis. Non solùm hoc operatur Spiritus sanctus, id est, vt remittantur peccata, sed etiam prętiat bona opera, quæ per opinionẽ bonam in alios bonum odorẽ inspirant: ibi est balsamus. Hunc enim modum acceperunt Apostoli die Pentecostes, hoc est, vt virtutum signis odorem notitiæ suę porrigerent populo. Est etiam alia natura

tura olej, id est, vt lumen præstet. Hoc enim Spiritus sanctus operatur in homine, vt lumen habeat intelligentiæ: operatur simul & balsamum, quando per ora loquentium lumen, quod intrinsecus dedit, ad cæterorum notitiam perducit cum dulcedine eloquij. Non enim frustra Spiritus sanctus super Apostolos venit in die Pentecostes in vento & igneis linguis: voluit futuræ ecclesiæ monstrare quod operaturus esset in Apostolis per aduentum suum. venit in vento vehementi, vt ostenderet se excussurum esse ab Apostolorum cordibus omnem cupiditatem terrenam. Sicut enim ventus vehemens proiicit puluerem à facie terræ, sic aduentus Spiritus sancti à corde hominis eiicit omnem terrenam cupiditatem. In igneis linguis apparuit, vt demonstraret quales facturus erat Apostolorum linguas, hoc est, loquentes & ignita verba infundentes in corde credentium. Hæc enim verba ignita, consumunt peccata, & accendunt corda ad amorem æternæ patriæ. Ipsa est charitas quæ diffunditur in cordibus credentium, & facit ea vnum cor esse ad imitationem suæ propriæ substantiæ, hoc est, vt vnum velint, sicut sancta Trinitas vnum vult. Hoc primùm oportet conseruare illum, qui accepit Spiritum sanctum, vt in nullo discordiam habeat ab vnitate ecclesiæ. Demonstratur etiàm per alteram apparitionem Spiritus sancti in columbæ specie, altero modo eadem virtus charitatis, hoc est, per simplicitatem. Simplex est enim animal columba, & à malitia fellis alienum, ac ideò per eam voluit se monstrare, vt innotesceret hospitibus suis, simplices esse debere. Quomodò simplicitas debeat obseruari, Apostolus docet, dicens, prudentes in bono, simplices in malo. Hoc est, sciat sibiipsi homo prodesse & cæteris fratribus, & nesciat sibi officere & aliis. Ille sibi officit, qui in tempore aduentus Spiritus sancti carnali concupiscentia inquinatur. Ac per hoc se contineat à complexu fœminarum, qui non percipitur sinè carnali concupiscentia: abstineat se à crapula & ebrietate, vt mens saginetur spirituali cibo: abstineat se à mendacio & ab omni simulatione, quoniam spiritus, quem suscepit, fugit fictum. Non enim paruum peccatum est mendacium, si comparauerimus luxuriam & castitatem, & mendacium & veritatem: non minus videbitur peccare, qui mentitur, quàm qui polluitur luxu. Non est maior castitas veritate, Ipsam Dei substantiam dicimus veritatem. Qui mentitur, veritatem corrumpit, quantùm in se est. In eo homine vbi duo corda sunt, non habitat ille spiritus qui facit vnanimes in domo. Multi enim loquuntur verbis ad vnum hominem, & ad alterum oculis innuendo. Porrigit ex vno corde dulcedinem verborum cui loquitur, ex altero corde alteri dolum, per quem venenum in corde eius fundit cui loquitur. Qui hoc facit, in eo non est Spiritus sanctus. Est qui rideat ore, & corde machinatur malum aduersus eum cui porrigit risum: & iste habet duo corda, quapropter non in eo habitat Spiritus sanctus. Hoc vestimentum, id est, simplicitatis, perdidit miser Adam, quando se nudum cognouit. De qua re scribit Augustinus in libro Geneseos contra Manichæos: Quòd autem nudi erant Adam & mulier eius, & non confundebantur, simplicitatem animæ castitatemque significat. Nam & Apostolus ità dicit: Aptaui vos vni viro, virginem castam exhibere Christo. Timeo autem, nè sicut serpens Euam fefellit in versutia sua, ità corrumpantur mentes vestræ à simplicitate & castitate, quæ est in Christo. Et post pauca, Quomodò videbant, si clausi erant oculi? Sed hoc dictum est, vt intelligeremus eis oculos esse apertos, postquam de fructu illo acceperunt, quibus se nudos videbant, & displicebant sibi, id est, oculos astutiæ, quibus simplicitas displicet. Cùm enim quisque ceciderit de illa intima & secretissima luce veritatis, nihil est vndè velit placere superbia, nisi fraudulentis simulationibus. Hinc enim & hypocrisis nascitur, in qua multùm sibi videntur cordati, qui potuerunt fallere, & decipere, quem voluerunt †. Quia de conuiuio superiùs fuimus locuti, quod debet hospes parare Spiritui sancto per septem dies, ità tamen vt ab eodem Spiritu sancto petat idem conuiuium & credat se accipere, bonum est, vt demonstremus ei, quid per singulos dies possit ministrare suscepto hospiti suo. Dies singulos dicimus profectus quosdam mentium. Dicit Petrus in epistola sua: Vos autem omnem curam subinferentes, ministrate in fide vestra virtutem, in virtute autem scientiam, in scientia autem abstinentiam, in abstinentia autem patientiam: in patientia pietatem, in pietate autem amorem fraternitatis, in amore fraternitatis charitatem. Qualiter isti cibi parandi sunt, Beda exponit in tractatu super septem epistolas canonicas, dicens: Virtutem hoc loco non pro fortitudine ac miraculis, sed pro conuersatione bona posuit, quæ fidei rectæ iungenda est, nè sinè operibus otiosa sit & mortua. In quo rectè omnem curam subinferre pręcipit, quia qui mollis & dissolutus est in opere suo, frater est suæ operæ destruentis. In virtute autem scientiam, iuxta illud Esaiæ: Discite benè facere, quærite iudicium. In scientia autem abstinentiam, vt cùm bona facere didicerint, mox à malis abstineant, nè in vacuum scientia cælestium cedat, si se ab illecebris terrestribus quis continere neglexerit. In abstinentia autem patientiam. Abstinentiam necesse est semper patientia comitetur, vt quicunque à voluptatibus mundi se continere didicit, eius quoque aduersa, corde firmo sustineat, à dextris videlicet & à sinistris, per arma iustitiæ munitus. In patientia pietatem, vt erga eos,

quos

Universidad de Deusto
Biblioteca

quos patienter tolerat, etiam pius existat, iuxta illud Apostoli Pauli, Charitas patiens est, benigna est. In pietate autem amorem fraternitatis, vt non alterius rei intuitu pietatis opera suis quisque aduersariis impendat, nisi fraternæ tantùm dilectionis, hoc videlicet tota intentione procurans, vt quos docendo solùm vel redarguendo nequit ad effectum pietatis, orando vel benè faciendo conuertat. In amore autem fraternitatis, charitatem. Charitatem hoc loco appellat specialiter eam, qua cõditorem diligimus, quæ proficientibus virtutum gradibus, meritò amori fraternitatis adiungitur, quia nec Deus sinè proximo, nec sinè Deo proximus perfectè valet amari. Et quidem Dei amor excellentior est amore proximorum, quia illos sicut nosmetipsos, Deum verò toto corde, tota anima, tota virtutè diligere iubemur: sed tamen consuetudine nos amoris fraterni oportet ad amorem conditoris ascendere. Qui enim non diligit fratrem suum quem videt quotidiè, Deum quem non videt, quomodò potest diligere? Hæc enim omnia si vobiscum adsint, & superent, non vacuos & sinè fructu vos constituent.

De Missa Innocentum. Cap. 41.

COntigit causa, vt ea primò scriberem atque porrigerem, quæ statui postponere in ordine opusculi nostri, in qua posteriore parte iuxta ordinem status officiorum, debui interponere de Missa Innocentum: sed quia oblitus sum tunc illud introducere, nunc æstimo me inuenisse congruum locum, vt post Spiritum sanctum, qui innocentes facit, veritatem Missę Innocentũ introducerẽ, ac ideo hic habeat locum De Missa Innocentum: prętitulatur in Antiphonario sic: Gloria in excelsis Deo, non cantatur, nec Alleluia, sed quasi in tristitia deducitur dies ille. Cõpositor officij præsentis coniungi nos vult animis deuotarum fœminarũ, quæ in morte innocẽtum doluerunt & planxerunt. Sicut separat nos ab actu malorum Iudæorum in cœna Domini, siue in parasceue, siue in sabbato, omittendo oscula, siue cætera suetа: ità coniungit in præsenti festiuitate dolori deuotarum fœminarum. Causa earum tristitiæ omittimus, Gloria in excelsis Deo, & Allelu ia.

Explicit liber primus.

A

SECVNDVS LIBER INCIPIT.

Capitula Secundi Libelli.

1 DE duodecim lectionibus.
2 De ieiunio annuo quatuor tẽporum.
B 3 De numero lectionum per tres memoratos dies,
4 De clericis, quo nomine generaliter nos vocamur.
5 De tonsura.
6 De ordinibus sacris, quos episcopi nostri consueto more frequentant.
7 De ostiariis.
8 De lectoribus.
9 De exorcistis.
10 De acolytis.
11 De subdiaconibus.
C 12 De diaconis.
13 De presbyteris.
14 De pontifice.
15 De habitu sacrorum ducum.
16 De non vtendis vestibus sacris in quotidiano vsu.
17 De amictu.
18 De alba.
19 De casula.
20 De stola.
21 De dalmatica.
22 De tunica, quam sacerdos induit super camisiam.
D 23 De pallio quo vtuntur archiepiscopi.
24 De sudario.
25 De varietate sandaliorum.
26 Recapitulatio vestimentorum.

De duodecim lectionibus. Cap. 1.

E SEx lectiones ab antiquis Romanis Græcè & Latinè legebantur, (qui mos apud Constantinopolim hodieque seruatur) ni fallor propter duas causas: vnam, quia aderant Græci, quibus incognita erat Latina lingua, aderantq; Latini, quibus incognita erat Græca: alteram, propter vnanimitatem vtriusque populi. Duodecim lectiones, propter duodecim lectores dicuntur, non propter duodecim varietates sententiarũ: Sex lectiones sunt tantummodò in sententiis. Neq; enim si dixerimus amen, verum: propterea duas varietates intelligere debemus, sed vnam in temporibus quando agimus xij. lectiones, solemus ieiunare, etiamsi prouenerint in octauis Pentecostes, quando celebratur festiuitas septiformis spiritus

spiritus & neophytorum. Vndè Dominus Beda dicit in homilia sua: Quòd verò inter hæc ieiuniorum castigatio repetitur, de ipsorum Apostolorum exemplo sumptum credere debemus qui accepto spiritu, quò perfectiùs noua cælestium bonorum suauitate fruebantur, eò altiùs mentem à memoria deliciarum abstulére terrestrium. Iam enim aduenerat tempus illud, de quo Dominus prędixit, quia discipuli, ipso secum conuersante, ieiunare non possent: ablato autẽ eo, ieiunarent. Nam cùm interrogarẽt eũ discipuli Ioannis, dicentes: Quarè nos & Pharisęi ieiunamus frequenter, discipuli autem tui non ieiunant? ait illis, Nũquid possunt filij spõsi ieiunare, quãdiu cum illis est sponsus? Venient autem dies cùm auferetur ab eis sponsus, & tunc ieiunabunt. Quia ergò & ante passionem, & post resurrectionem Dominicam propter ipsius Domini pśentiã lugere ac ieiunare nequierant, constat profectò, quia post ablationem eius, spontaneis sese subdiderunt ieiuniis. Nãq; vbi Spiritus sancti sunt acceptione recreati, sicut à cæteris mundialibus illecebris, sic & ab epularum appetitu mentem prorsus auerterãt, animæ potius quàm corporis alimonia gaudẽtes, & pro memoria patrię cęlestis, orationibus ac lachrymis insistentes salubribus. † De eodẽ ieiunio scribit sanctus Leo homiliam: Vt ieiunium celebretur in ordinatione sacri ordinis, primitiuæ Ecclesię mos obtinuit. Sic enim scriptum est in Act. Apostol. Erant autem in ecclesia, quæ erat Antiochię, prophetæ & doctores, in quibus Barnabas & Symeon, qui vocabatur Niger. Et post pauca: Ministrantibus autem illis Domino & ieiunantibus, dixit Spiritus sanctus: Separate mihi Barnabam & Saulũ in opus quò assumpsi eos. Tunc ieiunantes & orantes, imponentesq; eis manus, dimiserunt illos. Et ipsi quidem missi à Spiritu sancto, abierunt Seleuciam. Et in alio loco: Et cùm constituissent illis per singulas ecclesias presbyteros, & orassent cum ieiuniis, commendauerunt eos Domino, in quem crediderunt. Quamuis & cõtinuatum ieiunium per aliquod spatium possit intelligi in supradictis verbis Domini Bedę, tamen non excluditur ieiuniũ pro ordinandis. Et quia mentio est introducta de xij. lectionibus, oportet eam inchoare à tempore primi mensis. In duodecim lectionibus consecratio sacrorũ ordinũ celebratur. Ipsa enim consecratione hoc agitur, vt homo Deo coniungatur, monstrante hoc sancto Gregorio ad interrogationẽ Augustini Anglorum episcopi, quãdò interrogauit, si solus episcopũ ordinare posset, illo respondente, si difficultas esset aliorum episcoporũ, posse: sin autem, essent tres aut quatuor. Qua de causa ita inquit: Nam in ipsis rebus spiritalibus, vt sapienter & maturè disponantur, exemplũ trahere à rebus carnalibus possumus. Certè enim, dum coniugia in mundo celebrantur, coniugati quiq; vocantur, vt qui in via iam coniugij præcesserunt, in subsequentis quoq; co-

A pulę gaudio misceantur. Cur nõ ergò & in hac spiritali ordinatione, qua per sacrum ministerium homo Deo coniungitur, tales conueniant, qui vel in profectu ordinati episcopi gaudeãt, vel pro eius custodia omnipotenti Deo preces pariter fundant. Primi Apostolici semper in Decembrio mẽse, in quo natiuitas Domini nostri Iesu Christi celebratur, consecrationes ministrabant vsq; ad Simplicium, qui fuit à B. Petro quadragesimus nonus. Ipse primus sacrauit in Februario, ni fallor, nullam ob aliam causam, nisi intimando coniungẽdos propinquiùs B Christi corpori, qui per sacrum ministeriũ prouehuntur. Quod nullo modo satiùs fieri potest quàm si per eos patriarchas, ex qbus Christus, natus est, generentur. Quod impossibile est secundùm carnẽ, secundùm verò spiritũ dignũ & habile hoc est, vt per interpretationes patriarcharum nominum nascantur mente, qui genealogiæ Christi videntur familiarius adsciscit. Et quia incongruum est, sicut vnicuiq; generationi singularis hebdomada deputatur, ità per vnamquamq; hebdomadam consecrationẽ celebrari, causa congruenti per singula tempora C quæ conuenire possunt virtutibus & interpretationibus patriarcharũ, qui in articulis genealogiæ positi sunt, consecratio celebratur. Per tres τεσσαρακοστὰς annuales, fiunt hebdomadæ quadragintaduæ. Tot generationes secundùm Matthęum Christi sunt cũ ipso. Tot etiàm hebdomadæ inueniuntur à primo sabbato primi mensis, vsque ad quartum sabbatum decimi mensis. Cõsecratio prima celebratur primo sabbato primi mensis, quæ quasi in loco Abrahæ generat Christum. Abraham interpretatur pater multarum gentium, cui dictum est: In semine tuo benedicentur omnes gentes. Si quis consecratus stat in semine multorũ conuertentium, per sua exempla ad Dominum, est primo patriarcha Abraham genitus: est ipsum semen Christus, in quo semine promissum est Abrahę benedici omnes gentes. Ipsa consecratio tempore verno celebratur, quod tempus habile est procreationibus. Nam & Abrahã tertia ætate fuit huius mundi, quæ ætas comparatur adolescentiæ, quæ habilis est generationi filiorum. Secunda consecratio est in quarto mẽse secundo sabbato, quod est initium secundi catalogi E quatuordecim hebdomadarum. Hæc deputatur in loco Dauid filiorum. Dauid interpretatur fortis manu, ipse prostrauit Goliam, id est, humilitas superbiam. Qui consecrantur, propterea cõsecrantur, vt fortes sint per humilitatẽ, & superbiam deiiciant. Ipsa celebratur in Iunio mense, quandò feruor magnus solis est super terram. Omnibus notum est, Dauid bellicosum fuisse, & valdè arsisse in Marte. Tẽpus Iunij aptum est bellis. Tertia consecratio celebratur in Septembrio tertio sabbato, quod est initium tertij catalogi. Hæc deputatur generationi Iechoniæ. Iechonias interpretatur præparatio Domini. Nullique dubium si omnes oportet

Universidad de Deusto
Biblioteca

preparari in aduentu Christi,quia potissimùm A
eos qui consecrantur, quæ consecratio habet
finẽ in ipsa natiuitate Christi, quæ aliquando
in tertia hebdomada finitur propter anticipa-
tionem dierum natiuitatis Domini, & habet
tredecim hebdomadas, aliquandò in quarta
propter tarditatem, & habet quatuordecim.
Neque hoc sine ratione est, quia si computa-
tur catalogus nouissimæ tesseradecadis, & se-
mel computetur Iechonias, non amplius inue-
niuntur cum ipso Christo, quàm tredecim ge-
rationes: si ipse bis computetur, quatuorde-
cim inueniuntur.

De Ieiunio annuo Quatuor temporum.
Cap. 2.

DIximus de ieiunio quod fit in duodecim
lectionibus pro his qui ad ordinationem
accedunt; desideramus, si Dominus dederit,
cuius muneri ingratus nullus debet esse, nec
dies, nec pauper, ex demonstratione sancti
Augustini mõstrare medicamina ieiunij Qua-
tuor temporum: quod quamuis ordinatio in
memoratis temporibus non celebretur, sicut
nec à primis episcopis celebrata fuit: tamen
necessariò oportere nostræ religioni quatuor
ieiunia annuatim celebrare. Qua de re cogito,
quia illa præcesserunt, in his duodecim lectio-
nes statutas esse, & nõ ieiunium propter ipsas,
sed ipsas propter ieiunium præcedens. Atque
ipsa quatuor ieiunia opinamur esse initiũ qua-
dragesimalis temporis. Denarius numerus to-
tam disciplinam nostram continet. Nostra di-
sciplina talis est, vt creatura seruiat creatori.
Creator Deus in tribus personis colitur. Coli-
tur ab animo,qui eum diligit ex toto corde, ex
tota anima ex tota virtute: cui subijcit corpus
ad regendũ ex quatuor elemẽtis,id est,calido, D
sicco, frigido, humido. Quod si benè rexerit,id
est,tria & quatuor,quæ fiunt septẽ,deuotissimè
subditur homo creatori, & sunt decem. Qua
tuor temporibus annus voluitur: vere, æsta-
te, autumno, hyeme. Hæc quatuor tempora
solent nos per delectamenta sua reuocare ab
amore Creatoris, qua de re ieiunandum est in
vnoquoque tempore, vt castigentur nostra qua
*dilectione tuor elementa, nè subripiantur à *delectatio-
nibus mundi. Ipsa enim quatuor elementa cõ-
iuncta sunt in sua natura quatuor temporibus
anni: Ver est calidum & humidum, in eo fa- E
cimus vnum ieiunium, vt elementum humo-
ris in nobis castigetur, nè consentiat falsæ pul-
chritudini veris. Ex humore & calore nascitur
pulchritudo terræ. Aestas sicca est & calida,
in qua alterum ieiunium facimus, vt castige-
tur elementum caloris in nobis, nè consentiat
incendio carnali. Tertium ieiunium fit in au-
tumno,qui est humidus & siccus, nè aliquo lan
guore animi arescamus ac defluamus, & inue-
niamur sinè pinguedine oleæ in æterno taber-
naculo. Etenim illo tempore cõgregamus,quo
fruamur in futuro. Quartũ ieiunium fit in hye
me, quę est frigida & humida: nè membra no- A
stra fluxu atq; luxu soluantur in comessationi-
bus & potationibus, ac per hoc negligat amor
Dei. At quia quatuor tempora annorum nos
impediunt ab amore Dei, quatuor ieiunia fa-
cimus, per singula quoq; tempora suum ieiu-
nium,vnumquodq; ieiunium pro suo tempore.
Simili modo diurna curricula quatuor,nos im-
pediunt ab amore cælestium, scilicet, matuti-
num, meridianum, vespertinum, nocturnum:
per hæc etiam quotidiè ab amore æternorum
retrahimur. In vnoquoque ieiunio tres dies
sunt,quia vnumquodq; tempus tres menses ha- B
bet,pro vnoquoq; mẽse singuli dies ieiunio cõ
secrãtur. Ast verò quia quotidiana peccata ag-
grauant,non sufficit vnum ieiunium per vnum-
quodq; tempus,ac per hoc quadragesimale tẽ-
pus inducimus, quo quotidiana peccata affli-
guntur. Denarius,qui pertinet ad disciplinam
nostrã,quatèr ductus,quadraginta facit. In ip-
so denario presidet sancta DEI Trinitas, & re-
git creaturam suam, vt aliena sit à deceptione
primi parentis:quod nos boni facimus, ipse fa-
cit in nobis. Modò ponamus verba Sancti Au-
gustini. Dicit in lib. quæstionũ cap. LXXXIII. C
Omnis sapientia & disciplina est,quę ad homi-
nes eruditos pertinet,creatorẽ creaturamq;
dinoscere,& illum colere dominantẽ, istam su-
biectam fateri. Est autem creator Deus,ex quo
omnia,per quem omnia, in quo omnia:& ideò
Trinitas, Pater & Filius & Spiritus sanctus.
Creatura verò partim est inuisibilis sicut ani-
mus:partim visibilis,sicut corpus. Inuisibiliter
ternarius numerus tribuitur, qua de re diligere
Deum tripliciter iubemur,ex toto corde, & ex
tota anima, & ex tota mente:Corpori quater-
narius, propter euidentissimam naturam eius,
id est,calidam & frigidam,humidam & siccam. D
Vniuersę ergò creaturæ est septenarius nume-
rus. Quaproter omnis disciplina dinoscens &
discernens creatorem atq; creaturam denario
numero insinuatur. Et iterùm in libro de do-
ctrina Christiana secundo: Quaternario nãq;
numero & diurna & annua curricula peragun-
tur:diurna, matutinis & meridianis, vespertinis
nocturnisq; horarũ spatiis:Annua,vernis,æsti-
uis, autumnalibus, hyemalibusq; mensibus. A
temporum autẽ dilectione,dum in temporibus
viuimus, propter æternitatẽ,in quà viuere vo-
lumus,absti nendũ & ieiunandũ est,quamuis tẽ- E
porum cursibus ipsa nobis insinuetur doctrina
contemnendorum temporum, & appetendorũ
æternorum. Porrò autem denarius numerus,
creatoris atquę creaturæ significat scientiam.
Nam trinitas creatoris est, septenarius autem
numerus creaturã indicat propter vitã & cor-
pus:Nã illa tria sunt:vndè etiam toto corde,to-
ta anima,tota mẽte diligendus est Deus:in cor-
pore autẽ manifestissima quatuor apparẽt,qui-
bus constat, elementa. In hoc ergò denario
dum temporaliter nobis insinuatur, id est,qua-
ter ducitur, castè & continenter à temporum

dilectione

dilectione viuere, hoc est, quadraginta diebus A
ieiunare. Quibus diebus eadem ieiunia cele-
brentur, oportet memorari, scilicet quarta fe-
ria,sexta & septima. Quarta,quia in ea fecerũt
Iudæi consilium,vt occiderent Christum:sexta
eum occiderunt:septima, Romanorum more,
ieiunio concluditur propter tristitiam Apostо-
lorum de morte Domini, vt Innocẽtius narrat
in Decretalibus. Sabbato, inquit, ieiunandum
esse ratio euidentissima demonstrat. Nam si
diem Dominicum & venerabilẽ resurrectionẽ
Domini nostri Iesu Christi, non solùm in Pas-
cha celebramus,verùm etiam per singulos cir-
culos hebdomadarum ipsius diei imaginem B
frequentamus, ac si sexta feria propter passio-
nem Domini ieiunamus,sabbatum prætermit-
tere non debemus,qui inter tristitiam atq; læ-
titiam temporis illius videtur inclusus.† Cur in
ea potissimùm die consecratio celebretur, Au-
gustinus scribit ad Ianuarium:Sabbatum com-
mendatum est priori populo in ocio corporali-
ter celebrando, vt figura esset sanctificationis
in requie Spiritus sancti. Nunquàm enim legi-
mus in Genesi sanctificationẽ per omnes prio-
res dies,sed de solo sabbato dictum est, Sancti- C
ficauit Deus diem septimum. Quia ergò chari-
tas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiri-
tũ sanctum, qui datus est nobis,ideò sactifica-
tio in septimo die cõmemorata est,vbi requies
commendatur. † Episcopi consecratio transit
ad Dominicum diem. Ipse est vicarius Apo-
stolorum, immò etiam Christi. Eo die accipit
donum Spiritus sancti,qua die dignatus est il-
lustrare corda Apostolorum.

De numero lectionum per tres memora-tos dies. Cap. 3.

QVarta feria leguntur duæ lectiones, quo- D
niam debent hi qui ad sacrum ordinem
transeunt, admoneri, vt habeant notitiam le-
gis & prophetarum. Quarta ætate mundi, lex
& prophetæ viguerunt. Apostolus admonet de
doctrina,dicens ad Titum: Amplectentẽ eum
qui secundùm doctrinam est, fidelem sermo-
nem,vt potens sit exhortari in doctrina sana,&
eos qui resistunt, redarguere. Quod ita Hiero-
nymus in epistola ad Titum: Obtineat eũ qui
secundùm doctrinam est, fidelem sermonem, E
vt quomodò sermo Dei, fidelis & omni acce-
ptione dignus: sic & ille talem se præbeat, vt
omne quod loquitur, fide dignũ existimetur,
& verba ipsius sint regula veritatis. Potens quo-
que sit eos, qui seculi huius turbinibus exagi-
tantur,consolari,& per suam doctrinam infir-
ma præcepta destruere. Sana autem doctrina
dicitur ad distinctionem languidæ infirmæq;
doctrinæ. Talis quoquè sit, vt contradicentes
arguat hæreticos,siue Iudæos,& seculi istius sa-
pientes. Et superiora quidem quæ in episcopi
virtutibus posuit,ad vitam pertinent: hoc ve-
rò,quod ait,vt potens sit consolari in doctrina
sana, & contradicentes arguere, referendum

est ad scientiam: quia si episcopi tantùm san-
cta sit vita, sibi prodesse potest sic viuens:por-
rò si & doctrina & sermone fuerit eruditus,po-
test cæteros quoq; instruere,& non solùm doce-
re suos,sed & aduersarios repercutere, qui ni-
si confutati fuerint atq; conuicti,facilè queunt
simplicium corda peruertere. Hic locus aduer-
sùs eos facit, qui inertiæ se & ocio somno dan-
tes, putant peccatum esse si scripturas lege-
rint, & eos qui in lege Domini meditantur die
ac nocte,quasi garrulos inutilesq; contemnũt,
non animaduertentes Apostolum post catalo-
gum conuersationis episcopi, etiam doctri-
nam similiter præcepisse. † Hæc præterèa in-
terposui, vt intentum facerem ordinandum
ad notitiam legis & prophetarum. Sexta feria
vna legitur. Apparet,quia lex & prophetia in
vno Euangelio recapitulantur,quod legitur in
sexta ætate mundi. De responsoriis non est ne-
cesse hic aliud dicere, quam quòd singulis le-
ctionibus singuli responsorij respondeant, vt
mos est. In futuro eos reseruamus. In sabbato
quandò benedictio datur, quatuor leguntur.
Quatuor ordines sunt benedicentium Domi-
num,quos Psalmista commemorat,dicens: Do-
mus Israel,benedicite Domino:domus Aaron,
benedicite Domino: domus Leui, benedicite
Domino:qui timetis Dominũ,benedicite Do-
mino. Illas benedictiones ità explanat Augu-
stinus in libro Psalmorũ: Benedicite populi do-
minũ,hoc est,domus Israel generaliter: Benedi-
cite præpositi,hoc est,domus Aaron: Benedici-
te ministri Dei,hoc est,domus Leui: Qui de cę-
teris nationibus timetis Dominum,benedicite
Domino. Omnes ergò vna voce dicamus,quod
sequitur,Benedictus Dominus ex Siõ,qui habi
tat in Ierusalẽ. In istis lectionibus imbuitur or-
dinandi ad exempla sanctorum quatuor ordi-
num patrum, quæ si sequuti fuerint, poterunt
habere partem cum eis benedicendi Domino,
siue quòd benedictio illorum super eos veniat.
Ex lectionibus præsentibus ieiunij primi post
Pentecosten discamus, si quatuor ordines me-
morati, quatuor lectionibus conueniant. Pri-
ma lectio dicit: Effundam spiritum meum su-
per omnẽ carnem, & reliqua. In his verbis &
in sequentibus demonstratur generaliter do-
mus Israel. Sequens lectio dicit, Offeretis sa-
crificium nouum Domino ex omnibus habita-
culis vestris, panes primitiarum duos de duа-
bus decimis, quos eleuabit sacerdos coram
Domino. Sacerdos præpositos demonstrat,
quod est domus Aaron. Tertia lectio dicit,
Accedesque ad sacerdotem qui fuerit in die-
bus illis,& dices ad illum: Profiteor hodiè co-
ram domino Deo tuo qui exaudiuit nos.& post
pauca: Et idcircò nunc offerro primitias frugũ
terrę,quam Dominus dedit mihi. Et dimittes
eas in conspectu Domini Dei tui, & adorato
Domino Deo tuo, epulaberis in omnibus bo-
nis. Hic non refertur de oblatione sacerdotis,
sed de ministro qui eam portauit,quę continet

Universidad de Deusto
Biblioteca

tertius ordo benedicentium. Quarta lectio dicit: Si in præceptis meis ambulaueritis, & mandata mea custodieritis, & reliqua, nulliq; dubiũ, quin hi qui timent Dominum, mandata eius custodiant. Proxima lectio ordinationi de camino ignis legitur. Non potest homo ritè accedere ad consecrationem, nisi priùs transeat per fornacem, atq; in fornace benedicat Domino. Dicit sapientia: Vasa figuli probat fornax, & homines iustos tentatio tribulationis: Secundùm Paulum qui dicit, Et hi probentur primò, & sic ministrent, probati esse debent per fornacem, id est, per multas tribulationes, qui accessuri sunt ad ministerium sacrum. Probationem præsentem Apostolus ostendit ex epistola ad Missam, dicens: Scientes quòd tribulatio patientiam operatur, patientia autem probationem, probatio verò spem, spes autem non confundit, & reliq. Grauitatem quam debet sacratus seruare, tractus demonstrat, Laudate Dominum omnes gentes, Nè in superbiam elatus, in iudicium & in laqueum incidat diaboli. Tractus tempore humilitatis solet celebrari, & semper in causa humilitatis ponitur: per singulas orationes in duodecim lectionibus solemus mentis humilitatem per genuflexionem ostendere, excepto in octauis Pentecostes. In sola de camino ignis non flectimus genua, quandò Nabuchodonosor compellebat populum, vt adorarent statuam quam fecit: vt separata sit nostra oratio, quæ est ad vnum verum Deum, ab errore gentilium. In sola illa oratione qua deprecamur eripi ab incendio vitiorũ, sicut tres pueri erepti sunt de camino ignis, prætermittimus genuflexionem.

De clericis, quo nomine generaliter nos vocamur. Cap. 4.

DIcit Hieronymus ad Nepotianum presbyterum de vita clericorum vel monachorũ: Clericus est, qui Christi seruit ecclesiæ. Interpretetur primùm vocabulum suum, & nominis diffinitione prælata, nitatur esse quod dicitur. Si enim clerus sors Latinè appellatur, propterea vocantur clerici, vel quia de sorte sunt Domini: vel quia Dominus ipse sors, id est, pars clericorum est. Qui autem vel ipse pars Domini est, vel Dominum partem habet, talem se exhibere debet, vt possideat Dominum, & ipse possideatur à Domino. Qui Dominũ possidet, & cũ propheta dicit, Pars mea Dominus, nihil extra Dominum habere potest: Quòd si quippiam aliud habuerit præter Dominũ, pars eius non erit Dominus. Verbi gratia, si aurum, si argentum, si possessiones, & cætera: siue comatus, siue Papa sit, si non habuerit aliquid præter Dominum, clericus est.

De Tonsura. Cap. 5.

CAput nostrum significat principale mentis nostræ, vbi agnitio Dei est, Agnitio Dei est in mente, quod est caput nostrũ. Capilli in capite, significãt cogitationes in mente. Duę sunt partes animi, superior & inferior. Superior est mens, in qua est agnitio Dei, illam radere debemus à superfluis cogitationibus, vt oculus intellectus nostri æterna possit intueri. De qua re dicit Gregorius in Moralibus: Quid verò per caput, nisi ea quæ principale vniuscuiusq; actionis mens ipsa signatur? Et post pauca: Caput ergo tondere, est cogitationes superfluas à mente resecare. Inferior verò pars habet capillos, id est, multifluas cogitationes, in qua solemus de temporalibus sæpè cogitare. Quæ pars non est ad imaginẽ Dei, vt Augustinus in libro de trinitate duodecimo, titulo septimo. Sed quia sexu differt à visu corporis, quin mulier ritè potuit in eius corporali velamẽto figurari pars illa rationis, quę ad tẽporalia gubernanda deflectitur, vt non maneat imago Dei, nisi ex qua parte mẽs hominis æternis rationibus cõspiciendis vel consulendis adhæresci† t. Non enim præcipitur Christiano, nè aliquandò cogitet de tẽporalibus, sinè quibus præsens vita non trãsigitur, sed esse debere partẽ animę, quæ temporalia regit, subditam menti, sicut mulier est viro. Quapropter capilli in inferiori parte capitis manent. Circulus verò, capillorũ virtutẽ, æqualitatis rationi vndiquè cõsentientẽ, significat†. Tunc gubernãtur benè res temporariæ, si rationi conuenerint. De qua re protulit idẽ qui suprà, in libro de quãtitate animæ, versum Horatij, de sapiẽtia loquentẽ:

Fortis, & in seipso totus teres atque rotundus.

Sequitur post versum memoratus Augustinus, dicens: Et rectè: nam neque in animo boni quicquam inuenis, quod magìs sibi ex omni parte consentiat, quàm virtutem: neque in planis figuris, quàm circulum. Superiorem partem capitis rasorio sæpè renouamus, cùm forti solicitudine superfluas temporariasq; cogitationes de superiore parte animi resecamus. In inferiore parte coronam portamus, cùm ea, quæ secundùm mundũ necessariò gubernare debemus, concorditer cum ratione æquamus. Hoc præuidendum est, vt nè ipsi capilli, id est, curæ huius mundi superfluè crescant, nè aures cordis cooperiant, & oculos impediant, quæ solẽt sæpè suffocare verbũ seminantes. Vndè Dominus dicit in Euangelio: Quod autem cecidit in spinis, hi sunt qui audierunt, & à solicitudinibus & diuitiis & voluptatibus vitę eũtes suffocantur, & non referunt fructum. Discamus etiã ex verbis sancti Gregorij, quid illud significet, quòd in tempore ieiunij extra morem solitum capillos occipitij siue barbam permittimus crescere. Idem in eodẽ quo suprà: Quid est enim quòd Nazarei capillos nutriunt? nisi, quòd per vitã magnæ continentiæ, præsumptionum cogitationes crescunt? Sed quid est, quòd deuotione completa, caput Nazaræus radere, capillosque in igne sacrificij ponere iubetur, nisi quòd tunc ad perfectionis summam pertingimus, cùm sic exteriora vitia vincimus, vt etiam cogitationes

cogitationes superfluas mẽte resecemus? Quasnimirùm sacrificij igne concremare, est, flãma eas diuini amoris incendere†. Pias cogitationes quæ solent accrescere tempore abstinẽtiæ, nullus prohibere debet: sed antequã perducant nostram fragilitatem ad aliquam periculosam præsumptionem, radere eas debemus. Interrogatur ab aliquibus, quis primus tõsus sit in nostro more. Legi in epistola cuiusdam viri, Petrus: sed quia nõ tantæ auctoritatis est, vt ex illa firmare valeamus nostrã sententiam, malumus eam silentio præterire. Non tamen ab re est, si dixerimus illum aut aliquem successorẽ eius primò fuisse tonsum nostro more, quoniã ab illa ecclesia sumptus est talis vsus, in qua illi sederunt. Sed quid ad nos, cùm multa agamus ex consuetudine præsentis ecclesię, quorũ auctores non proferuntur specialiter: sicut nec obseruationes quadragesimalis temporis ante Pascha? Scimus tamen ex demonstratione sancti Augustini, consensione Ecclesiæ eam esse roboratam. Sic & nos dicimus, tonsuram nostram ex auctoritate & consuetudine Romanę Ecclesiæ esse roboratã. Dicamus quod Gregorius dicit in Moralibus de scriptore libri Iob: Sed quis hæc scripserit, valdè superuacuè quæritur, cùm tamen auctor libri Spiritus sanctus fideliter credatur: sic & nobis non magnoperè curandum sit, quis primus schema stemmatis capiti imposuisset, cùm scimus magistra ratione compositum esse.

De ordinibus sacris, quos nostri episcopi consueto more frequentant. Cap. 6.

PRimò notandum est, eos ordines qui potissimùm necessarij sunt in Ecclesia, Apostolum Paulum denominasse, & eorum mores depinxisse, sinè quibus non potest ritè immolatio altaris celebrari, scilicet sinè sacerdote & diacono. Vt sinè retractatione sacerdos vigilet circa hostias, necessarius est diaconus, ad ministrandum ea, quę necessaria sunt sacerdoti: Cęteri ordines his adiecti sunt. Crescẽte ecclesia, creuit officium ecclesiasticum: vt multitudini ecclesiæ subueniri posset, adiiciuntur inferiores in adiutorio præpositorum. Vndè Ambrosius in tractatu epistolæ ad Timotheum: illud verò dictis nostris adiici dignum est, quoniam non conuenit demirari, si neque subdiaconorũ, neque lectorum memoriam Apostolus feciſſe videatur: Illis etenim gradibus functionum qui in ecclesia necessariò habentur, isti postea magìs sunt adiecti propter vtilitatem ministerij, quod propter multitudinẽ credentium per alteros postea impleri debere necessitas flagitauit. Vndè nec ordinationem ante altare assequuntur, eo quòd nec mysteriis ministrare statuuntur: sed alij quidem eorum, lectionum officium implent, alij verò intra diaconium illa præparant, quę ad diaconi pertinẽt ministeria, necnon solicitudinem implent luminariorum. Nam mysterij ministerium presbyteri soli implent & diaconi: alij quidem eorum sacerdotale opus implentes, alij verò sacris ministrãtes. Iuxta verba Ambrosij intelligimus subiectos ordines diacono & presbytero nõ debere ordinationem accipere circa altaria: nec quandò episcopus prosternitur ante altare, debere secum prosternere alios, nisi eos qui prouehendi sunt ad sacerdotale ministeriũ, vel ad diaconatus officiũ. Sic sunt inferiores ordines in adiutorio superiorũ, vt tamen non excludant superiores ab officiis sibi commissis: Secundum Augustinum, ipsum summũ pontificem Christum, ostiariũ possumus accipere. Ità scribit in homilia quadragesimatertia super Ioãnis euangeliũ. Non ergò pigeat nos, fratres, secundùm quasdam similitudines ipsum videlicet Christũ accipere ostium, ipsum ostiarium. Quid est enim ostium? Quo intramus. Quid est ostiarius? Qui aperit. Quis ergò se aperit? nisi qui seipsum exponit? Christus dignatus est lector esse, vbi secundũ Lucã aperuit librum, & legit. Exorcistæ officium ad sacerdotis ministeriũ coniũgit sanctus Gregorius, vbi dicit. Nam sacerdotes cùm per exorcismi gratiã manum credentibus imponunt. & reliqua, Acolyti ministerium inuenimus Aaron summum pontificem in lege celebrasse, vbi dicitur in Exodo de lucerna, Et collocabunt eam Aaron & filij eius. De istis sat est ad demonstrandũ vnunquenq; sacerdotem habere in se subiecta ministeria: sed propter multitudinem hominũ non posse illũ omnia adimplere, ac ideò adiectos esse sibi socios, qui minora adimpleant. Nunc ordo deposcit, quantùm Dominus dederit, vt de singulis ordinibus dicamus specialiter.

De Ostiariis. Cap. 7.

OStiarij habent exordium à veteri testamento: hi enim ianitores vocabãtur. Scriptum est in libro Paralipomenon primo: Per quatuor ventos eraut ostiarij, id est, ad Orientem, & ad Occidentem: ad Aquilonem, & ad Austrum: Fratres autem eorum in viculis morabãtur, & veniebant in Sabbatis suis de tempore vsq; ad tẽpus. His quatuor Leuitis, scilicet Sellum & Acub & Elmon & Achimã, creditus est omnis numerus ianitorũ, & erãt super exedras & thesauros domus Domini. Per gyrum quoq; templi Domini morabantur in custodijs suis, & cùm tẽpus fuisset vt ipsi manè aperirent fores: de eorũ grege erãt & super vasa ministerij. Ad numerũ enim inferebantur vasa, & efferebãtur. Iterùm de ministerio eorũ in secũdo: Constituit quoquè ianitores in partes domus Dñi, vt non ingrederetur eam immundus in omni tẽpore. Et iterũ: Ianitores verò per portas singulas obseruabant, ità vt ne puncto quidẽ discederent à ministerio, quamobrem & fratres eorum Leuitæ parauerunt eis cibos. Hi quandò ordinantur, suscipiunt claues ecclesiæ, &

Universidad de Deusto
Biblioteca

audiunt ab episcopo: Ità agite, ac si rationem A
positis Deo reddere pro rebus quę istis clauibus includuntur:& accipiunt ostium. Nos quia generaliter sumus genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, scrutari debemus quali modo ostiarij officium peragamus. Ostiarius aperit ostium ecclesię. Ecclesia, Christi est populus. Si quis per fidem aliquem introduxerit in ecclesiā, ipse ostiarius est. Vndè Augustinus in tractatu super Ioannē quadragesimosecundo: Ego veni vt vitam habeant, hoc est, fidem quę per dilectionem operatur, per quam fidem in ouile ingrediuntur vt viuant, quia iustus ex B
fide viuit. Hoc donū gratię Spiritus sancti dinumerat Apostolus Paulus, vbi dicit: Alij fides in eodem spiritu. Tria habet fides: vnum est, vt sit ostiū, quo vtitur in præsenti ostiarius, & alterū, vt sit expulsio quo vtitur exorcista: & tertium, vt sit munimē, quo vtitur presbyter in olei vnctione, qđ in suo loco, Dño miserāte dictū est.

De Lectoribus. Cap. 8.

Esdram lectorem accipiamus in veteri testamento. Ille nos docebit, qualiter legere debeamus, sicut scriptum est in eodem: Cōgregatusq; est omnis populus quasi vir vnus ad plateā, quæ est ante portam aquarum, vt dixerunt Esdræ scribæ, vt afferret librum legis Moysis. C
Et post pauca: Stetit autē Esdras scriba super gradū ligneum, quē fecerat ad loquendum, & aperuit Esdras librum corā omni populo: super omnem quippe populum eminebat. Leuitæ silentium faciebant in populo ad audiendā legē: populus autem stabat in gradu suo & legerunt in libro legis Dei distinctè & apertè ad intelligendū. Huius sacerdotis & scribæ, scilicet Esdrę, opera replicat episcopus in oratione sua ad lectorem, dicens, vt assiduitate lectionū sit aptus pronunciare verba vitæ, & mētis ac vocis distinctione populo mōstrare intelligibilia. Hoc ministeriū continetur in dono gratiæ Dei, de quo dicit Apostolus: Alij sermo scientię secundùm eundem spiritum. Nos enim spiritualiter lectores sumus, quandò de moribus instruimus aliquem intrantem in Christianum populum.

De Exorcistis. Cap. 9.

Dicit Beda in tractatu super actus Apostolorum: Refert Iosephus regem Solomonē excogitasse, suamque gentem docuisse modos E
exorcismi, id est, coniurationis, quibus immundi spiritus expulsi ab homine, vlteriùs reuerti non sunt ausi: Quandò idem ordinatur, accipit libellum, in quo scripta est exorcizatio, & audit ab episcopo, vt habeat potestatē manum imponendi super energumenū. Hoc donum gratię Dei ad fidem pertinet. Iste est secūdus modus fidei per expulsionem diaboli. Vndè dicit Matthæus: Amen dico vobis, si habueritis fidem, & non hæsitaueritis, non solùm de ficulena facietis, sed & si monti huic dixeritis, tolle te, & iacta te in mare, fiet. Moraliter: Si quis per D
orationes suas vitium diaboli potuerit expellere de homine, exorcista est.

De Acolytis. Cap. 10.

Acolytus ab Aaron & filiis eius sumat exēplum sui ministerij. Scriptum est in Exodo Præcipe filiis Israel, vt afferantū tibi ole de arboribus oliuarū purissimū, piloq; contusum, vt ardeat lucerna semper in tabernaculo testimonij extra velū, quod appensum est testimonio, & collocabit eam Aaron & filij eius. Quod ità Beda in libro tertio de tabernaculo: Dispositio omni ornatu tabernaculi, consequenter etiàm lumen lucernę præuidetur, vt decor eius admirabilis sicut interdiù lumine solari, ità etiā noctù flammis lucernalibus illustretur, neq; vnquam in domo Dei aliquis tenebrarū locus aliqua vmbrarū possit hora suppetere. Ille cū ordinatur, accipit ab archidiacono ceroferariū. Quarè hoc faciat, Isidorus dicit: Acolyti græcè, Latinè ceroferarij dicuntur à deportandis cereis, quandò legendū est Euangeliū, aut sacrificium offerendum. Tunc enim accēduntur luminaria ab eis, & deportantur, non ad effugandas tenebras, dum sol eo tempore rutilet, sed ad signum lętitiæ demonstrandum. Hoc donum ad prophetiam pertinet. Postquàm imbutus fuerit homo de moribus, quod est primum donum scientiæ, necesse est vt frequenter admoneatur sententiis scripturarum sacrarum. Sicut enim ignis incensus extinguitur, si non addiderimus fomēta: sic prima doctrina extinguitur, nisi frequenter eadem reparatur diuersis sententiis. Duo sunt officia Prophetæ: vnum, vt obscuros sensus scripturæ dilucidet: alterum, vt futura nunciet. Ille est enim spiritualiter acolytus, qui ignem verbi cęlestis, quo & illuminentur fratres ad agnoscendum, & inflamentur ad diligendum Deum, prædicando ministrat.

De Subdiaconis. Cap. 11.

Subdiaconi in veteri testamento multis in locis Nathinæi appellātur, quale est illud in Esdra: Nathinęi filij Isai, filij Susan, & reliqua. Et iterùm: Habitabat vnusquisque in possessione & in vrbibus suis, Sacerdotes, Leuitæ, Nathinæi, & filij Salomonis & cęt. Vt Isidorus dicit, Nathinæi interpretantur, in humilitate Domino seruientes. De ministeriis eorū idem dicit: Deniquè isti oblationes in tęplo Domini suscipiunt à populis, isti obediunt officiis leuitarū, isti quoquè vasa corporis & sanguinis Christi diaconis ad altaria Domini offerunt. Ipsi vocantur apud Græcos ὑποδιάκονοι, apud nos subdiaconi. Hi quandò ordinantur, suscipiunt ab Episcopo patenam & calicem. Subdiaconi sequentes qui accipiunt ab archidiacono vrceolum ad ministrandum vinum in Eucharistiam, corporis Christi: Ipsi etiam accipiunt scyphum manile cū manutergio. Meritò ab archidiacono susciipiuntur, qa in eius adiutorio cōsecrati sunt. Subdiaconus regionarius tępore sacrificij stat

stat in facie Pontificis: ideò necesse est, vt subsequentes, necessaria à foris ministrent. Subdiaconus ideò dicitur, quia sub diacono est. A
Ad vnum mysterium consecrātur: subdiaconus vasa altaris ad eum defert, ipse verò ad altare, vt in eo disponat, quę disponenda sunt, atque indè recipiat, vt bonus dispensator de mensa Domini sui. Miror qua de re sumptus vsus, in Ecclesia nostra, vt subdiaconus frequentissimè legat lectionem ad Missam, cùm hoc non reperiatur ex ministerio sibi dato in consecratione commissum, neque ex litteris canonicis, neq; ex nomine suo. Subdiaconus, vt monstratum B
est, dicitur, quia sub diacono est positus. In quibus rebus illi subditus sit, consecratio eius & canonica institutio monstrant, id est, vt in his ministret diacono, quæ aguntur circa altaris officia. Nam primæuo tempore diaconus non legebat Euangelium, quod nondùm erat scriptum: Sed postquàm statutum est à patribus nostris, vt diaconus legeret Euangelium, statuerunt vt & subdiaconus legeret epistolam siue lectionem.

De Diaconis. Cap. 12.

Ordinem vel auctoritatē diaconi & presbyteri atque episcopi, siue differentiam assumendam à veteri testamento sanctus Hieronymus nobis demonstrat ex epistola ad Euagrium presbyterum, dicens: Et vt sciamus traditiones Apostolicas sumptas de veteri testamento, quod Aaron & filij eius atque Leuitæ, in templo fuerunt, hoc sibi episcopi & presbyteri & diaconi in Ecclesia vendicent. Ac per hos recurramus ad vetus testamentum, & inquiramus quale esset ministerium Leuitarum D
in templo: Scriptum est in libro Numerorum, capitulo quinto: Locutusq; est Dominus ad Moysen, dicens: Applica tribū Leui, & fac stare in conspectu Aaron sacerdotis, vt ministrēt ei, & excubent & obseruēt quicquid ad cultum pertinet multitudinis coram tabernaculo testimonij, & custodiant vasa tabernaculi, seruientes in ministerio eius. Ecce ministerium audiuimus Leuitarum, id est, vigilias in templo, & obseruationes rerum, quę pertinent ad cultum tabernaculi siue vasorum. Et paulò post, Cùmq; inuoluerint Aaron & filij eius sanctuarium & omnia vasa eius in commotione castrorum, tunc intrabunt filij Caath, vt portent inuoluta. Et istud ministerium eorum, vt portent in itinere omnem supellectilem tabernaculi, quin & ipsum tabernaculum, sicut in sequentibus demonstrabitur. Hoc est officium familiæ Gersonitarum, vt portent cortinas tabernaculi, & tectum fœderis, operimentū aliud & reliqua. De filiis Caath dicitur, vt sint sub manu Eleazar filij Aaron sacerdotis. Dę istis, vt sint sub manu Ithamar filij Aaron sacerdotis. & dicitur, vt à trigesimo anno vsq; ad quinquagesimum ministrent in tabernaculo fœde- C

ris. Ex isto libro Numerorum & ex verbis sancti Hieronymi, qui nos iubet differētias sacrorum ordinum sumere à veteri testamento, discimus ministerium esse Leuitarum, vt custodiant ecclesiam & vasa eius, atque supellectilem, necnon etiam & quæ necessaria sunt ecclesiæ portare per iter, portent. Quapropter in Sardicensi concilio statutum est, vt qualescunque preces habuerint episcopi ad palatium, diaconi eas perferant. Ità scriptum est in nono capitulo memorati concilij: Quicunque ergò, quales superiùs memorauimus preces habuerint, vel acceperint, per diaconum suum mittant, quia persona ministri inuidiosa non est, & reliqua. Quia audiuimus ministerium diaconi ex veteri testamento, videamus causam consecrationis eius ex nouo. Scriptum est in Actibus Apostolorum: Conuocantes duodecim multitudinem discipulorū, dixerunt: Non est æquum nos derelinquere verbum Dei, & ministrare mensis. Considerate ergò, fratres, viros ex vobis boni testimonij septē, plenos Spiritu sancto & sapientia, quos constituamus super hoc opus: nos verò orationi & ministerio verbi instantes erimus. Vndè Hieronymus ad eundem quem supra: Non est dignum, vt relinquentes verbum Dei, ministremus mensis: Sciant quare diaconi constituti sunt. Legant Acta Apostolorum, recordentur conditionis suę. Et in eadem superius, quid patitur mensarum & viduarum minister? Perspicuum est esse ministerium illorum in nouo testamento, vt afferant quæ ponenda sunt in mensa Domini ad cæleste conuiuium, & disponant ea super illam. Audiamus nunc consecrationem. Scriptū est in libro memorato actus Apostolorum: Et placuit sermo coram omni multitudine, & elegerunt Stephanum virum plenum fide & Spiritu sancto, & Philippum, & paulò post. Hos statuerunt ante conspectum Apostolorum: & orantes, imposuerunt eis manus. Est libellus quidam apud nos de sacris ordinibus, nescio cuius auctoris, qui dicit, solum episcopum debere manus imponere super diaconum: quia non ad sacerdotium consecratur, sed ad ministerium. Nunquid scriptor libelli doctior atq; sanctior Apostolis? qui posuerunt plures manus super diaconos quandò consecrabantur, & E
propterea solus episcopus ponat manum super diaconum, ac si solus possit precari virtutem gratiarum, quam plures Apostoli precabantur? An fortè ideò non imponit sacerdos manū super eum, qui ad diaconatus officium consecratur, vt non fiat quod ipse est, id est sacerdos? Si ità est, nec episcopum oportet ei manum imponere, vt non fiat episcopus. Quòd si propterea oportet ei epm manū imponere quia ipse orat ꝓ eo, nō solus ille orat, sed omnes qui piè intendunt verbis episcopi, ac mente retinent. Imitatio episcoporum, Apostolorum chorus est. Optimum est, bonos duces sequi, qui certauerunt vsque ad plenam victoriam. Quia

de im

Universidad de Deusto
Biblioteca

de impositione manus legimus, quæ assumpta est à veteri testamento, bonum est inquirere quid significet. Mysterium est, qualecunque sit. quæ in veteri testamento agebantur, vmbra erant futurorum. Dicamus breuiter quod sentimus. Deus dabit doctores, qui meliusexplanabunt conatum nostrum. Per manus, opera intelligimus; per digitos, dona Spiritus sancti. In mẽbris humanis non est maior discretio membrorum, quàm in digitis, ac per hoc discreta dona Spiritus sancti per eos monstrantur. Caput enim, principale mentis designat: Scripsimus in presenti opusculo ex dictis sancti Augustini, non dare Apostolos Spiritum sanctum: sed orare vt veniret super eos quibus manus imponebant. Vndè scriptum est in libro Numerorum: Et dixit Dominus ad Moysen: Congrega mihi septuaginta viros de senioribus Israel, quos tu nosti quòd senes populi sint ac magistri, & duces eos ad ostium tabernaculi fœderis, faciesque ibi stare tecum, & descendam & loquar tibi, & auferam de spiritu tuo tradamque eis. Non dixit: Aufer de spiritu tuo, & trade eis; sed, auferam & tradã. Et paulò post: Descenditq; Dominus per nubem, & locutus est ad eũ, Auferens de spiritu qui erat in Moyse, & dans septuaginta viris. Neque hic dixit, quòd Moyses daret, sed Dominus dedit. Per impositionem manuum, opera Spiritus sancti intelligimus. Non enim adhuc est Deus omnia in omnibus. In aliquo est sapientia, in aliquo fides, in aliquo pietas, in aliquo castitas, in aliquo humilitas. Hoc valent plurimæ manus super caput eius, qui consecratur, vt vnusquisque deprecetur Dominum, quatenus partem de spiritu suo det ei. Si enim quis voluerit dicere quid necesse est totiès imponere manus super capita eorum qui consecrantur? Imponuntur enim super diaconum, imponuntur posteà super presbyterum: Quarè hoc? nisi quia per consecrationem de opere ad opus transit, sicut de ministerio diaconi transit ad immolationem sacerdotalem. Quoniam nec illud opus nec illud possumus agere, nisi dono gratiæ Dei adiuti, vt Apostolus, Deus enim est, qui operatur in vobis & velle & operari pro bona voluntate. Repetitur manus impositio, ac sic deprecatio primi opetis transit ad deprecationem secundi. Additur vnum ministerium diacono, id est, vt legat Euangelium quod in primo tempore non legebatur, quandò Stephanus fuit factus diaconus. Vt opinor, nondum erant Euangelia scripta. Diacono Euangelij lectio conuenit, quia minister est. Imitatur eum qui dixit, Non veni ministrari, sed ministrare. Quàmdiù Euangeliũ Christus prædicauit, minister nobis Christus factus est, quod in nouissimo ostendit ante immolationẽ suam, quandò lauit pedes discipulorum. Habet diaconus & donum prophetię. Et meritò, quia eius fungitur officio, de quo dictum est: Prophetam vobis suscitabit Dominus de fratribus vestris tamquàm me, ipsum audite. Et iterùm in Euãgelio: Propheta magnus surrexit in nobis.

De Presbyteris. Cap. 13.

PResbyteri deputantur in loco filiorum Aaron. Scriptum est in libro Numerorum, Hæc nomina filiorum Aaron sacerdotum, qui vncti sunt, quorum repleta est consecratione manus, vt sacerdotio fungerentur. Hunc morem tenent episcopi nostri, manus presbyterorum vngunt de oleo. Manifestum est cur hoc faciant, vt mundæ sint, ad offerendam hostiam Deo, & largę ad cætera officia pietatis. Vtrumque designatur per oleum, & gratia curationis, & charitas dilectionis. Hi præsunt Leuitis, vt idem liber Numerorum demonstrat: Princeps autem principum Eleazar filius Aaron sacerdotis, erit super excubitores custodię sanctuarij. Et paulò post: Hic est cultus familiæ Gersonitarũ in tabernaculo fœderis, eruntque sub manu Ithamar filij Aaron sacerdotis. Ipsi enim quandò consecrantur, manus impositionem accipiunt. Quid illud significet, secundùm quod nobis Dominus dedit, ministrauimus. In quo ordine essent presbyteri tempore Apostolorum, discamus ex auctoritate sanctorum patrum. Dicit Ambrosius in tractatu super Timotheum: Opinabitur quisquis vsum diuinarum non habet scripturarum B. Paulum presbyteros prætermisisse: sed non ita se res habet: Illa enim quæ de episcopo in anterioribus dixit, etiam & de illis dicit, qui nunc nominantur presbyteri, eo quòd antiquis temporibus vtrisque nominibus vocabãtur presbyteri. Et post pauca: Melius autem quis cognoscere poterit illud ex illis quæ ad Titũ scripsit Apostolus: Dixit enim, vt constituas per singulas ciuitates presbyteros, sicut ego præcepi tibi: & dicens, quales debeant ordinari, addidit: Oportet enim episcopum irreprehensibilem esse, sicut Dei dispensatorem: cum conueniret vtique, vt presbyterum eum diceret: sed euidenter eundem & presbyterum & episcopum nominauit. Et Hieronymus in epistola ad Titum: Attendamus verba dicentis, vt constituas per ciuitates presbyteros sicut ego tibi disposui. Qui, qualis presbyter debeat ordinari, in consequentibus differens, hoc est, si quis sine crimine est, vnius vxoris vir, &c. Posteà intulit: Oportet enim episcopum sinè crimine esse tanquàm Dei dispensatorem. Idem ergò est presbyter, qui & episcopus. Et paulò post: Putet non scripturarum, sed nostram esse sententiam, episcopum & presbyterum vnum esse, & aliud ætatis, aliud esse nomen officij, relegat Apostoli ad Philippenses verba, dicentis: Paulus & Timotheus serui Christi Iesu, omnibus sanctis in Christo Iesu qui sunt Philippis, cum episcopis & diaconis, gratia vobis & pax, & reliqua. Philippis, vna est vrbs Macedoniæ, & certè in vna ciuitate plures, vt nuncupantur, episcopos

scopi esse non poterant. Sed quia eosdem episcopos illo tempore quos presbyteros appellabant, propterea indifferẽter de episcopis quasi presbyteris est locutus. Adhuc si alicui hoc videatur ambiguũ, nisi altero testimonio cõprobetur in actibus in Actibus Apostolorũ scriptũ est, quòd cum venisset Apostolus Paulus Miletũ, miserit Ephesũ, & vocauerit presbyteros eiusdem ecclesiæ, quibus posteà inter cætera sit locutus: Attendite vobis & omni gregi, in quo vos Spiritus sanctus posuit episcopos pascere Ecclesiam Domini, quam acquisiuit per sanguinem suum. Et hìc diligentiùs obseruare, quomodò vnius ciuitatis Ephesi presbyteros vocans, posteà eosdem episcopos dixerit. Eiusdem ad Euagrium: Sed & Petrus in prima Epistola, Presbyteros, inquit, in vobis precor compresbyter, & testis passionum Christi, & futuræ gloriæ, quæ reuelanda est, particeps, regere Ecclesiam Christi, & inspicere non ex necessitate, sed voluntariè iuxta Deum: Quod quidẽ Græcè significantiùs dicitur ἐπισκοποῦντες. Vndè & nomen Episcopi tractum est. Parua tibi videntur tantorum virorum testimonia? clangat tuba Euangelica filius tonitrui, quem Iesus amauit plurimùm, qui de pectore Saluatoris doctrinæ fluenta potauit: Presbyter electæ Dominæ & filiis eius, quos ego diligo in veritate. Et in alia Epistola: Presbyter Caio charissimo, quem ego diligo in veritate†. Comites non dedignentur esse, quod duces fuerunt. A ducatu accepit nomen sacerdos, vt Beda exponit in expositione de templo Salomonis. Sacerdos nãq; ab eo nomẽ Latinè accepit, quòd sacrum præbere ducatum minoribus debeat. Qualis esset eorum cõsecratio, Hieronymus in epistola memorata ad Euagrium exponit. Nam & Alexandriæ à Marco Euangelista vsq; ad Eraclam & Dionysium episcopos, presbyterum semper vnum esse electum, & in excelsiori gradu collocatum episcopum nominabant, quomodò si exercitus Imperatorem faciat, aut diaconi eligant de se quem industrium nouerunt, & Archidiaconum vocent†. Archidiaconi consecratio nobis notissima est. Archidiaconus eãdem consecrationem habet, quam cæteri diaconi: sed electione fratrum præponitur. Idem Hieronymus exponit, quarè vnus eligeretur, super Epistolam ad Titum: Antequam diaboli instinctu studia in religione fierẽt, & diceretur in populis, Ego sum Pauli, ego Apollo, ego autem Cephæ, communi presbyterorum consilio ecclesiæ gubernabantur. Postquam verò vnusquisque eos, quos baptizauerat, suos esse putabat, non Christi, in toto decretum est orbe, vt vnus de presbyteris electus superponeretur cæteris, ad quem omnis cura ecclesiæ pertineret, & schismatum semina tollerentur. Idem vndè supra in epistola ad memoratum Euagrium: Quòd autem posteà vnus electus est, qui cæteris præponeretur presbyterorum, in schismatis remedium factum est, nè vnusquisque ad se trahẽs Christi Ecclesiam rumperet. Videamus cur presbyteri nomẽ transeat ad episcopi. Ambrosius dicit in Epistola ad Timotheum: Quæ autem sit causa, non est iustum eam silentio præterire ob illam immutationem nominum, quæ ad præsens esse videtur, & qua ex causa discreta sunt nunc nomina, & neq; episcopus dici potest presbyter, neq; presbyter vnquam episcopi nuncupationẽ poterit sibi vendicare, vsq; dum presbyter esse desistit. Antiquis etenim temporibus quando pietati studebant presbyteri, omni in loco ordinabantur, hoc quidem nomen contemplatione honoris accipientes: sicut & apud Iudæos presbyteri dicebantur, qui populo præerant. Vocabantur autem & Episcopi ab illo opere, quod & implere videbãtur, eo quòd cõsiderare omnia, quæ ad cultum pertinent pietatis, fuerant constituti, ita vt vniuersorum dispẽsationem haberent commissam. Nam & perfectam dispensationem & auctoritatem ecclesiastici ministerij ipsi tunc commissam habebant, & omnia regebantur pro eorum arbitrio. Et in sequentibus: Beatis verò Apostolis decedentibus, illi, qui post illos ordinati sunt vt præessent ecclesiis, illis primis exequari non poterant, neq; miraculorũ testimonium par illis habere, sed & in multis aliis inferiores illis esse videbantur: graue existimauerũt Apostolorum sibi vendicare nuncupationem: diuiserunt ergò nomina ipsa, & ab eisdem, i. presbyteris presbyterij nomen reliquerunt. Alij verò episcopi sunt nuncupati, hi qui & ordinationis præditi potestate, ita vt plenissimè iidem præpositos se ecclesiarum esse cognoscerent†. Hieronymus exponit quòd plus habeat Episcopus quàm presbyteri, dicens in epistola ad Euagrium sæpè repetitum: Quid enim facit excepta ordinatione Episcopus, quod presbyter nõ facit?† Et exponit, cuius constitutione Episcopus sit constitutus, in tractatu super Titum, dicens: Sicut ergò presbyteri sciunt se ex Ecclesiæ consuetudine ei qui sibi præpositus fuerit, esse subiectos: ita Episcopi nouerint se magis cõsuetudine, quàm dispositionis Dominicæ veritate presbyteris esse maiores, & in commune debere Ecclesiam regere, imitantes Moysen, qui cum haberet in potestate solus præesse populo Israel: septuaginta elegit, cum quibus populum iudicaret. De eisdẽ septuaginta mentio facta est in consecratione presbyteri, dicendo, vt cùm pontifices summos regendis populis præfecisset, ad eorum societatis & operis adiumẽtum sequentis ordinis viros & secundæ dignitatis eligeres: sic in eremo per septuaginta virorum prudentium mentem, Moysis spiritum propagasti, & reliqua. Opus presbyteri, ad donum spiritus sapientiæ pertinet, propter bonam conuersationem.

De Pontifice. Cap. 14.

POntificem Aaron præfigurat in sua vnctione, de quo scriptum est in Leuitico: Sanctificauit

Universidad de Deusto
Biblioteca

ficauit oleum Moyses, quod fundēs super caput Aaron, vnxit eum & consecrauit. Et iterum in eodem: Pontifex, id est, sacerdos maximus inter fratres suos, super cuius caput fusum est vnctionis oleum, & cuius manus in sacerdotio cōsecratæ sunt. Et paulò post: Nec egredietur de sanctis. Secundùm auctoritatem patrum, scilicet, Paulum Apostolum, Ambrosium Archiepiscopum, & Hieronymum presbyterum, consecratio ad immolandum facta est Episcopi, in ordinatione presbyteri: Sed quod additur ex canonica auctoritate, vt plures adsint Episcopi: dicendum est, cur addatur. Gregorius Apostolicus interrogationi Augustini respondit, quod iam prætulimus in superioribus præsentis opusculi: Et quidem, inquiens, in Anglorum ecclesia, in qua adhuc solus tu Episcopus inueniris, ordinare Episcopum non aliter nisi sinè Episcopis potes. Et paulò post: Cùm igitur, auctore Deo, ita fuerint Episcopi in propinquis sibi locis ordinati, per omnia Episcoporū ordinatio sinè aggregatis tribus vel quatuor Episcopis fieri non debet: In sequentibus exponit cur aduentus eorum necessarius sit. Cur non ergò & in hac spiritali ordinatione, qua per sacrum ministerium homo Deo coniungitur, tales conueniant, qui vel in profectu ordinati Episcopi gaudeant, vel pro eius custodia omnipotenti Deo preces fundant? Gregorius dicit, quarè debeant conuenire plurimi: frater eius Innocentius monstrat, quarè prohibitum sit vni hoc facere, in decretalibus nono capitulo: Nec vnus Episcopus ordinare præsumat, nè furtiuum beneficium præstitum videatur. Additur etiam ad consecrationē eius infusio olei super caput, Vndè dicit Beda in libro tertio de tabernaculo & vasis eius: Indutus verò sacris vestibus Pontifex, mox oleo vnctionis perfunditur, vt per gratiam Spiritus sancti consecratio perficiatur: non quòd ea quæ præmissa sunt indumenta virtutum, absque gratia Dei possimus habere: sed quia maius necessè est auxilium gratiæ tribuatur à Domino, vbi quis vel maiorem conscenderit gradum, vel plurimorum fuerit regimini prælatus. Mysticè dicit Psalmista: Sicut vnguentum in capite, quod descendit in barbam, barbam Aaron. Augustinus in tractatu Psalmorum: Quis erat sacerdos, nisi vnus sacerdos, qui intrauit in sancta sanctorum? Quis est sacerdos? nisi qui fuit & victima & sacerdos, nisi ille, qui cum in mundo non inueniret quod offerret, seipsum obtulit? Vicarius Christi Pontifex efficitur: ideò in capite vngitur. Caput nostrum Christus. Caput nostrum vnctum est oleo inuisibili: Episcopus, quia Vicarius Christi est, in capite vngitur: ab illo enim significatur se accipere hanc vnctionis gratiam, qui caput est totius corporis. Imitando illum, qui caput est totius Ecclesiæ, per vnctionis gratiā fit & ipse caput ecclesiæ sibi cōmissæ. Christus pro vniuersa Ecclesia interpellat: Episcopus pro sibi commissa. Vice Christi regat ecclesiam sibi commissam, sicut Christus totam Ecclesiam. Hoc sonant verba consecrationis eius: Tribuas ei cathedram episcopalem ad regendam Ecclesiam tuam & plebem vniuersam. Et aliter: Dicit Gregorius in Moralibus, oleum in capite, charitas in mente. Quia Vicarius Christi est, dilectionem quam Christus nobis monstrauit & docuit, in eo debemus inuenire: atque ab eo ad cumulum nostri profectus trahere. Omnia hæc quæ extrinsecus gerūtur, signa sunt rerum intimarum. Si quis in mente habuerit ipsas res, ipse est verus sacerdos: Ac ideò verum, quod Petrus dicit de vniuersis catholicis, Gens sancta, regale, sacerdotium. Dicit libellus, secundùm cuius ordinem celebratur ordinatio apud quosdam, vt duo Episcopi teneant Euangelium super caput eius, quod neq; vetus auctoritas intimat, neq; Apostolica traditio, neq; canonica auctoritas. Potest tamen Euangelij positio super caput, monere tenentes, vt quo Dominus idem Euangelium firmet in corde eius, deprecentur, aut vt moneant eum qui consecratur, recordari se amplius esse sub iugo Euangelij, quàm foret. Generaliter enim de benedictione omniū electorum dicit Beda in expositione de templo Salomonis: Qui enim dixit, Benedixit omnes timentes Dominum, pusillos cum maioribus: ipse dixit: Quia tu reddes singulis secundùm opera eorum. Communis ergò ibi benedictio omnium erit electorum, at tamen pro distincta operum qualitate, multæ sunt mansiones beatorum in vna eademque domo patris æterna in cælis.

De habitu sacrorum Ducum. Cap. 15.

PRimò notandum est, ita esse clericorum habitum constitutum in ecclesiasticis officiis, vt in omnibus Christiano populo possit præbere exemplum bonæ conuersationis. Quod quodammodò significat Hieronymus in libro de veste sacerdotali ad Fabiolam: Legimus, inquiēs in Leuitico, iuxta præceptum Dei Moysen iussisse Aaron & filios eius. Iam tunc purgationem mundi, & rerum omnium sanctitatem baptismi sacramenta signabant. Non accipiunt vestes, nisi loti prius sordibus: nec coronantur ad sacra, nisi in Christo noui homines renascantur†. Ex his verbis intelligimus, vestes sacerdotales ad conuersationem populi Christiani pertinere.

De non vtendis vestibus sacratis in quotidiano vsu. Cap. 16.

STephanus natione Romanus ex patre Iobio, vt legitur in gestis Episcopalibus, constituit sacerdotibus Leuitisque vestes sacratas in vsu quotidiano non vti in ecclesia. Tale quid Dominus per Ezechielem loquitur: Hęc sunt gazophylacia sancta, in quibus vestiuntur sacerdotes, qui appropinquant ante Dominum in sancta sanctorum. Et paulò post: Cùm autem ingressi fuerint sacerdotes, non egredientur de sanctis in atrium exterius, & ibi reponent vestimenta sua, in quibus ministrant, quia sancta sunt, vestientur q; vestimentis aliis, & sic procedent ad populum. Et iterùm: Cùmq; ingrediuntur portas atrii interioris, vestibus lineis induentur, nec ascēdat super eos quicquā laneum, quandò ministrant in portis atrii interioris & intrinsecus. Et post pauca: Cùmq; egredientur atriū exterius ad populum, exuent se vestibus suis, in quibus ministrauerant, & reponent ea in gazophylacia sanctuarij, & vestient se vestimentis aliis. Quamuis hæc spiritaliter intelligere debeamus, tamen admoniti sumus à supra memorato Apostolico, vt mutationem vestimenti iuxta literam compleamus. Nobis enim qui spiritu sumus renati, ante oculos bonum est frequentare, quod in mentem transeat. Per lineam vestem, qua tantummodò vtimur in sanctis, intelligimus subtilem orationem, exutam ab omni carnali cogitatione ante Dominum. Locutio verò ad populum alia debet esse, tamq; grossa, vt intelligi valeat à populo. Vndè & Hieronymus in libro decimotertio super Ezechielem: Et quia semèl præceperat, quibus vestibus vti deberent sacerdotes quando intrinsecus in ministeriis sunt, rursùm iubet, vt egredientes, in gazophylaciis siue in exedris Sāctorum se exuant pristinis vestibus, & induantur aliis, nè si sanctas vestes habuerint, sanctificent populum foris positum, qui necdùm fuerit sanctificatus, nec se præparauerit in sanctificatione templi, vt sit Domini Nazaræus. Per quæ discimus, non quotidianis & quibuslibet pro vsu vitæ communis pollutis vestibus nos ingredi debere in sancta sanctorum: sed munda conscientia & mundis vestibus tenere Domini sacramenta. Et iterùm in eodem: Porrò, religio diuina alterutrum habitum habet in ministerio, alterum in vsu vitaq; communi. Namque & hìc ex verbis Hieronymi admoniti sumus mutatione vestimēti. Sequitur eiusdem in eodem: Hæc vestimenta proprio nobis labore conficimus, quæ texta sunt desuper, qualem & Dominus habebat tunicam, quæ scindi nō potest: quibus induimur, quādo secreta Domini, & arcana cognoscimus, & habemus spiritum qui scrutatur etiam alta & profunda Dei, quæ non sunt monstrāda vulgo, nec proferēda ad populum, qui non est sanctificatus, nec Dei sanctitudini præparatus: nè si maiora se audierint, maiestatem scientiæ ferre non possint: & quasi solido suffocentur cibo, qui adhuc lacte infantiæ nutriendi sunt†. Inter regulas sacræ scripturæ septem hæc vna ex illis constat, vt à litera transeamus ad spiritum, & à spiritu ad literam: Ac ideò non abhorret à vero, quamuis de laneo vestimento accipiamus secundum spiritum, si secundùm literam perfecerimus mutationem vestimenti, quod & secundùm literam & secundùm spiritum ritè possumus intelligere.

De Amictu. Cap. 17.

AMictus est primum vestimentum nostrum, quo collum vndique cingimus: In collo est namque vox, ideoq; per collum loquendi vsus exprimitur. Per amictum intelligimus custodiam vocis, de qua Psalmista dicebat: Dixi, custodiam vias meas, vt non delinquam in lingua mea: posui ori meo custodiam. Et in alio Psalmo: Pone Domine custodiam ori meo. Amictus ideò dicitur, quia circumiicitur. In isto primo vestimento admonetur castigatio vocis.

De Alba. Cap. 18.

POsteà camisiam induimus, quam Albam vocamus, de qua Hieronymus in Epistola memorata de veste sacerdotali ad Fabiolam: Secunda ex lino tunica, est poderis, id est, talaris, & in sequētibus, Hæc adhæret corpori, & ita arcta est & strictis manicis, vt nulla omnino in veste sit ruga, & vsq; ad crura descendat. Volo pro legentis facilitate, abuti sermone vulgato: Solent militantes habere lineas, quas camisias vocant, sic aptas membris & adstrictas corporibus, vt expediti sint vel ad cursum vel ad prælia, dirigendo iaculo, tenendo clypeo, ense librando, & quocumq; necessitas traxerit. Ergò & sacerdotes parati in ministerio Dei vtantur hac tunica, vt habētes pulchritudinem vestimentorum nudorum, celeritate discurrant. In eo distat vestimentum illud à nostro, quòd illud strictum est, nostrum verò largum. Etenim hi, qui in veteri testamento spiritu seruitutis erāt adstricti, de quo dicebat Paulus, Nō enim accepistis spiritum seruitutis in timore. Nos verò quia filius liberauit, liberi sumus, nō accepimus spiritum seruitutis in timore, spiritum adoptionis filiorum. Ac ideò sic illorum strictum, nostrum largum propter libertatem, qua Christus nos liberauit. Quia primum vestimentum diximus esse castigationem vocis, videamus si secundum habeat aliquam castigationem corporis. Dicit Beda in libro de tabernaculo: Hæc etenim linea, manus ac brachia debet stringere sacerdotis, nè quid nisi vtile faciant: pectus, nè quid inane cogitet: ventrem, nè delicias vltra modum appetendo, deum se gulosum facere præsumat: subiecta ventri membra, nè lasciuiendo totam sacerdotalis habitus pulchritudinem corrumpant: genua nè ab orationis instantia torpeant: tibias & pedes, nè ad malum currant. Induatur ergò sacerdos primò linea stricta, vt & corpus ab iniquis operibus, & à prauis cogitationibus mentem compescat. Quod ibì significatur strictura vestimenti, hoc apud nos lini castigatio. Quia vsq; ad pedes Beda peruenit differendo de lineis vestibus, congruum est, vt nosmetipsos absoluamus de sandaliis, siuè vt alio nomine campobis, qui supersunt

Universidad de Deusto
Biblioteca

perfunt in pedibus: Sandaliæ subtus cooperiũt pedem, desuper nudum relinquunt, de quibus dicit idem, qui supra in tractatu super Marcũ: Marcus dicendo calceari eos sandaliis, vel soleis, aliquid hoc calceamentum mysticæ significationis habere admonet, vt pes neq; tectus sit, neq; nudus ad terram, id est, nec occultetur Euangelium, nec terrenis commodis inuitetur. Sicut per linum, quo pedes vestiuntur, castigatio pedum significatur, ita per sandalia profectus ad prædicandum.

De Casula. Cap. 19.

CAsulam, quæ est generale indumentum sacrorum ducum, ante cæteras vestes quæ sequuntur, præponimus. In illis quæ supra prætulimus, castigatio corporis à vitiis designatur, excepto in sandaliis. In sequentibus verò opera iustitiæ demonstrabuntur. Dicit Beda in libro memorato de tabernaculo: Vestes sanctæ Aaron, quas illi fecit Moyses, opera sunt iustitiæ & sanctitatis. Casula verò, quæ pertinet generaliter ad omnes clericos, debet significare opera, quæ pertineant ad omnes: hæc enim sunt fames, sitis, vigiliæ, nuditas, lectio, psalmodia, oratio, labor operandi, doctrina, silentium, & cætera huiusmodi. In istis enim nullus sacrorũ Dux negligens debet esse. Quando istis operibus vestitur, casula indutus est. Hæc in aperto sunt, & tam ad minores gradus pertinet, quàm ad supremos. Casula dupla est, post tergum inter humeros, & ante pectus. Per humeros opera exprimuntur. In eis duplex sit vestimentum, quia sic debemus bona opera foris proximis ostendere, vt eadem intùs coram Domino integra seruemus. In pectore duplex, quia in eo vtrunque debet esse, & doctrina & veritas: veritas interius, doctrina ad homines. Hæc duo duplicia sint coniuncta, quia tunc benè ministratur, cùm opus & ratio in vnum conueniũt. Opus ad humeros, ratio ad pectus.

De Stola. Cap. 20.

STolam accipit diaconus, quando ordinatur ab Episcopo. Ipsa enim semper vtitur in opere ministerij. Per stolam designatur onus leue ac suaue. De quo Dominus dicit: Tollite iugũ meum super vos, iugum enim meum suaue est, & onus meum leue. Per iugum, Euangelium intelligimus. de quo dicit Hieronymus in commentariis Matthæi: Quomodò leuius, lege Euangelium, cum in lege homicidium, in Euangelio ira dãnetur? Et paulò post: In lege multa præcepta sunt, quæ Apostolus non posse compleri plenissimè docet. In lege opera requirũtur, quæ qui fecerit, viuet in eis: In Euangelio voluntas requiritur; quę si etiam effectum non habuerit, tamen præmium non amittet. In eo quòd stola ad genua tendit, quæ solent curuari causa humilitatis, hoc intelligimus, quod Dominus dicit: Discite à me, quia mitis sum & humilis corde. Sciat se diaconus in stola superposita collo, ministrum Euangelij esse, non præpositum. Euangelium Christus est.

De Dalmatica. Cap. 21.

DAlmatica à Siluestro Papa instituta est. per Dalmaticam intelligimus religionem sanctam immaculatam, quæ est apud Deum & patrem, vt visitentur pupilli & viduæ in tribulationibus eorum, & visitatores immaculatos se custodiant ab hoc seculo. Ipsa Dalmatica duas coccineas lineas habet retrò, simil iterq; in anteriori parte: Quia vetus testamentum & nouum rutilant dilectione Dei & proximi. Immaculatum esse, ad Deum pertinet: visitare fratres, ad proximum. Per colorem coccineum opera misericordiæ, quæ ex charitate fiunt in pupillis & viduis, intelligimus: per candorem, visitatorum mũditia designatur. Ipsa est enim vestis, de qua dicitur in Psalmo quadragesimo quarto: Astitit regina à dextris tuis in vestitu deaurato, circumdata varietate. Vndè Augustinus in eodem psalmo: In veste ista varietas sit, scissura non sit. Ecce varietatem intelleximus de diuersitate linguarum, & vestem intellexi-
mus propter vnitatem: Et in sequentibus, Circumamicta varietate, Pulchritudo intrinsecus. In fimbriis autem aureis, varietas linguarum doctrinæ decus. Fimbriæ, quæ procedunt de Dalmatica, verba sunt eius prædicatoris, cuius religio sancta & immaculata est. Sicut verba ab aura aeris raptantur, ita fimbriæ spiramine venti. Profert Paulus candidas fimbrias circa manus ad vtilitatem gentium, quandò dicit, Magis autem laboret operando manibus suis, quod bonum est, vt habeat vndè tribuat necessitatem patienti. Quod Paulus prædicauit, opere complcuit, dicens ad Corinthios de se: In tribulationibus, in laboribus. Quod ita Ambrosius in eadem Epistola: Laborare non destitit manibus suis, nè cui grauis esset. Fert fimbrias candidas in latere, quando dicit: Castigo corpus meum, & in seruitutem redigo. & in alio loco: In castitate, hoc est, castitate corporis, & in vigiliis. Qui hanc custodit, immaculatum se custodit ab hoc seculo. Fert coccineas circa humeros & pectora, quandò dicit: In charitate nõ ficta. Ficta charitas est, quæ dimittit viduas & pupillos in tribulatione, & subuenit in prosperitate. Quæ fimbriæ antè sunt & retrò, quia mandatũ dilectionis & in veteri testamento, & in nouo manet. Vndè Ioannes: Charissimi, non mandatum nouum scribo vobis, sed mandatum vetus, quod habuistis ab initio. Mandatum vetus, est verbum quod audistis. Iterũm mandatum nouum scribo vobis. Quod ita Beda: Eadem charitas. & mandatum vetus est, quòd ab initio commendata: & mandatum nouum, quia tenebris ciectis, desiderium nouæ lucis infundit. Aliquæ Dalmaticæ habent viginti octo fimbrias antè & retrò. Vbi est octiès repetitus septiformis spiritus propter genera hominum,

quos

quos replet, vt laudent Deum, hoc est, reges terræ, & omnes populi, principes & iudices, iuuenes & virgines, senes & iuniores: & aliquæ triginta & triginta, singulæ lineæ altrinsecùs quindecim, quia charitas & in veteri testamento, & in nouo quindecim ramos ex se producit. Quisquis studet prodesse fratribus in aduersitate & in prosperitate, iste habet fimbrias coccineas in vtroque humero. Hæ duæ fortunæ signantur per sinistrum & dextrum humerum. Quindecim ramos charitatis enumerat: Patiẽs est, benigna est: non æmulatur, non agit perperam, non inflatur, non est ambitiosa, non quærit quæ sua sunt, non irritatur, non cogitat malũ, non gaudet super iniquitate, congaudet autem veritati. Omnia suffert, omnia credit, omnia sperat, omnia sustinet. Linea quæ in medio est, est quasi stipes charitatis. Quod enim significant lineæ siue fimbriæ in dextro humero siue sinistro, hoc significant in anteriori parte hominis quæ pertinet ad nouum testamentũ. Sinistrum latus habet fimbrias, quia actualis vita solicita est, & turbatur erga plurima: At dextrũ latus non habet, quia contemplatiua vita quieta est. Per ipsam figuratur regina, quæ stat à dextris. Ipsa est vna columba, perfecta & proxima stat à dextris, & nihil in se sinistrũ habet. Largitas brachiorum, largitatẽ & hilaritatem datoris demonstrat. Diaconus qui non est indutus Dalmatica, casula legit circumcinctus, vt expeditè possit ministrare, vel quia suum est ire ad comitatum propter instantes necessitates. Ipsa habet pertusas subtus alas, quoniam Christum vult imitari, qui lancea perfossus est in latere, & vult vt nos sequamur eius vestigia, quod significat pertusus in latere.

De tunica, quam sacerdos induit super camisiam. Cap. 22.

SIcut in camisia designatur castigatio corporis, ita in tunica virtutes intimæ, quæ ad solos sublimes pertinent, de qua Hieronymus in Epistola ad Fabiolam. Hęc ipsa hyacinthina tunica, subucula nominatur, & propriè pontificis est, significatq; rationem sublimiũ non patére omnibus, sed maioribus, atq; perfectis. Ipsa est interior, ipsaq; designat virtutes animæ, quæ non multis cognitæ sunt, & quas semper debet habere perfectus. Vndè Beda in tractatu super Lucam. Quis etenim nesciat viscera misericordiæ, benignitatem, humilitatẽ, patientiam, modestiam, castitatem, fidem, spem & his similia, sinè vlla tẽporum intercapedine à fidelibus esse seruanda? Ipsa non cingitur, sed camisia. Quæ ita est fabrefacta, vt non impediat cursum nostrum ad ministrationem, quoniam memoratæ virtutes liberum nobis iter prębent ad contemplationem Dei. Camisia cingulo continentiæ constringitur, præcipiente Domino: Sint lumbi vestri præcincti, vt per duas virtutes, id est, obediẽtiam Domini, & naturalem disputationem constringatur omnis voluptas. Hæc sunt vestimẽta, de quibus scribitur in paraboliis Salomonis, Fortitudo & decor indumentum eius. Et in superioribus, Et cingulum tradidit Chananæo. Si quis voluerit vti duabus tunicis, ostendet se esse diaconum & sacerdotẽ, siue ut octo sint vestimenta secundùm numerum vestimentorum summi pontificis Aaron, cuius vestimenta narrantur fuisse circa caput & corpus vsque ad pedes. De vestimento pedum & manuum reticetur. Ad illius normam, vt dixi, habet summus pontifex noster à capite vsque ad pedes octo vestimenta. Primum est amictus, secundum camisia, tertium cingulum, quartum stola, quintum & sextum duę tunicæ, septimum casula, octauum pallium. Porrò vestimentum pedũ potiùs pertinet ad nostros pontifices, quàm ad Aaron. Dicitur nostris pontificibus: Euntes docete omnes gentes: Aaron tantùm in Iudæa versabatur. Sudarium in manu, potiùs ad nostros quàm ad Aaron: quoniam maior munditia est in nouo testamento, quàm esset in veteri: & illa bona habemus, quæ illi habuerunt, & plura per Iesum Christum Dominũ nostrum. Sacerdos in suo officio nõ se exuit casula, quia præcipiente Domino per Moysen non debet exire de sanctis, sicut scriptum est: Nec egredietur de sanctis. vbi intelligi datur, debere eum iugiter in continentia & abstinentia manere.

De pallio quo vtuntur Archiepiscopi. Cap. 23.

PAllium archiepiscoporum super omnia indumenta est, vt lamina in fronte solius pontificis. Illo discernitur Archiepiscopus à cæteris Episcopis. Pallium significat torquẽ, quem solebant legitimè certantes accipere. Quo dono admonentur cæteri ad legitimum certamen Quod habet duas lineas à summo vsque deorsum antè & retrò. Significat enim summæ doctrinæ decorem per disciplinam mandatorum Domini acceptabilem. Circulus circa collum, disciplina est Domini circa sermonem prædicatoris, vt non sit alter sermo prædicationis, & aliud opus, dicente Paulo, Nemini dãtes vllam offensionem, vt non vituperetur ministerium nostrum. Quod ita Ambrorius in tractatu Epistolę ad Corinthios: Vituperatur enim ministerium ipsorum, si ea quæ verbis docebant, operibus suis, vt fierent, exempla non darent. Mandata veteris testamenti, à principio Geneseos vsq; in finem, in humerali linea operando & docendo portet pontifex in pectorali: Noui, à primitiua Ecclesia vsque in finem. De torque dicebat Salomon in Parabolis, Vt addatur gratia capiti tuo, & torques collo tuo. Quod ita Beda in eodem: Mos apud veteres fuit, vt legitimè certantes, coronam in capite, torquem in collo acciperent. Et nobis ergò si disciplinam conditoris nostri, si gratiæ matris scita custo-

Universidad de Deusto
Biblioteca

dimus, maior inde virtutum spiritalium claritas augetur. Additur gratia capiti, cùm charitas quæ principale mentis ornabat, ardétiùs inflammatur. Additur & collo torques, cum fulgore perfectæ operationis sermo prædicationis, qui per collum procedit, confirmatur: ac nè contemni ab auditoribus debeat, indeficienti virtutum connexione ducitur. Sed & his qui Mosaicæ legis decreta Domino veniente seruabant, addita est gratia noui testamenti cũ spe regni cælestis, cuius splendor eximius ad exemplum coronæ, vel torquis nullo vnquam fine claudetur.

De Sudario. Cap. 24.

SVdario solemus tergere pituitam oculorum & narium atque superfluã saliuam decurrentem per labia. Ac ideò sudarium significat isto in loco studium mundandæ cogitationis, quo naturales & velut ingenitas nostras delectationes studemus tergere, siue propter effusionem lachrymarum tergẽdum fertur sudarium, vt in martyrologio Bedæ legitur, quòd pater noster Arsenius propter redundationẽ lachrymarum tergendam, sudarium semper in sinu vel in manu habuerit. In manu sinistra portatur, vt ostẽdatur in temporali vita tædium nos pati superflui humoris, hoc est, carnalis delectationis. Et iterùm: Sudarium ad hoc portamus, vt eo detergamus sudorem, qui fit ex labore proprij corporis, quod legimus vsitatum fuisse circa corpus Christi, Vndè legitur, Et sudarium quod fuit super caput eius. Sudor tædium nostro corpori est; si non esset tædium, non toties tergeretur. Habet aliquoties mens tędium, dicente Psalmista: Dormitauit anima mea præ tędio. Tędium in anima, quasi sudor in corpore. Tędium animi aliquoties solet fieri ex cõscientia peccatorum, aliquotiès ex accidentibus, vt est omne flagellum quod patitur ab alieno corpore: aliquoties ex infirmitate proprij corporis, quæ infirmitas aliquoties solet accidere ex peccatis. Quandò tædium ex infirmitate peccatorum frontem conscientię nostræ tegit, habeamus sudarium ex lino castigatum & mundum, qualia sunt verba Dauid Prophetę, Cor mundum crea in me Deus, & spiritum rectum innoua in viscęribus meis. Et si fuerit infirmitas ex approbatione, sicut in Iob, dicamus quod dixit: Sicut Domino placuit, ità factum est: sit nomen Domini benedictum, Munda cogitatio in Dauid fuit, quandò dixit, Cor mundum crea in me Deus: mundaque in Iob, quandò dixit: Sicut Domino placuit, ita factum est. Sic & nos, quandò tędio aliquo afficimur, ne maiore tristitia absorbeamur, in cõsolationẽ nostri quasi quoddã sudarium exempla prędicta sanctorum patrũ ad corroborandam patientiam, & detergendum tędium sumamus. Per sudarium intelligimus mundos affectus & pios in labore.

De varietate sandaliorum. Cap. 25.

VArietas sandaliorum, varietatem ministrorum pingit. Episcopi & sacerdotis pene vnum est officium: At quia nomine & honore discernuntur, discernuntur etiam varietate sandaliorum, vt visibus nostris error auferatur, qui potest interesse propter similitudinem officij. Episcopus habet ligaturam in suis sandaliis, quam non habet presbyter. Episcopi est, huc illucque discurrere per parochiam ad regendam plebem: nè fortè cadant sandalia de pedibus, ligata sunt. Ex eo potest sciri, quantùm necesse sit ei firmare gressus mentis, qui in turbis populorum versatur. Presbyter qui domi hostias immolat, securiùs incedit. Diaconus quia dissimilis est episcopo ab officio, non est necesse vt habeat dissimilia sandalia, & ipse ligaturam habet, quia suum est ire ad comitatum. Subdiaconus quia in adiutorio est diacono, & penè in eodem officio, necesse est vt habeat dissimilia sandalia, nè fortè æstimetur diaconus. Mysticè, quia sandalia prædicatoris cursum signant, solea quæ subtus est, admonet prædicatorem, vt non se implicet terrenis negociis. Lingua de albo corio, quæ subtus calcaneum est, monstrat, debere esse eandem separationem innocentem & sinè dolo, vt possit de eo dici, Eccè verè Israelita, in quo dolus non est. Non sit talis, quales pseudoapostoli erant, qui prædicabant per inuidiam & contentionem. Lingua quæ indè surgit, & est separata à corio sandaliorum, linguam eorum monstrat, qui prædicatori bonum testimonium debent proferre, de quibus dicebat Paulus: Oportet & eum testimonium bonum habere ab his qui foris sunt. Hi sunt in inferiore parte, & sunt quodammodò separati à conuersatione spiritalium. Lingua superior, spiritalium lingua est, qui prædicatorem introducunt in opus prædicationis. Hæc requiruntur in posteriore vita prædicatoris. At intrinsecus de albo corio circumdata sunt sandalia: Ita oportet esse prædicatoris intentionem candidam coram Deo ex pura conscientia: extrinsecùs verò nigrum apparet, quoniam videtur prędicatorum vita despecta à secularibus propter multitudinem pressurarum præsentis mundi. Superior pars sandaliorum, per quam pes intrat, multis filis consuta est, vt non dissoluantur duo coria. In initio enim debet studere prędicator pluribus virtutibus atq; sententiis scripturarum, vt opera forinseca cum his quæ intrinsecùs nitent coram Deo, non distiungantur. Lingua sandaliorum quę super pedem est, linguam prædicatoris potest figurare. Linea opere sutoris facta procedens à lingua sandalij vsque ad finem eius, Euangelicam perfectionem: lineæ procedentes ex vtraque parte, legem & prophetias, quę in Euangelio recapitulantur. Etenim ipsę recapitulatę sunt ad mędianam lineam, quę vsque ad finem

finem currit. Ligatura mysterium incarnationis Christi, quæ incarnatio, quia in aliquibus aperta est humanis sensibus humano more, sicuti est, poni in præsepio, pannis inuolui, & cætera. Aliqua sandalia sine ligaturis tenet prædicatio. Et aliter: Dicit Dominus in Euangelio: Quodcumque supererogaueris, ego cùm rediero, reddam tibi. Disponit Dominus his qui Euangelium prædicarent, de Euangelio viuere: supererogauit Paulus, quia sinè sumptu exposuit Euangeliũ, operabatur manibus suis victus sibi necessaria. Opus Pauli quod supererogauit Euangelio, possumus intelligere corrigias supererogatas sandaliis, quæ manibus huc illucque ducuntur vt ligentur. Firmo gressu it prædicator, qui nulli onerosus est.

Recapitulatio vestimentorum. Cap. 26.

BReuiter desideramus recapitulare omnem ornatum clericorum. Caput clerici mens est. In superiore parte discopertum, vbi est imago Dei, in inferiore parte circumdatum capillis, quasi aliquibus cogitationibus de præsenti necessitate. Amictus est castigatio vocis. Alba cæterorum inferiorum sensuum, præsidente magistra ratione, interius per disciplinam continentiæ constringente quasi quodam cingulo voluptatem carnis. Calceamenti linea, prohibitio pedum ad malum festinando. Sandalia ornatus, iter prædicatoris, quia cælestia non debet abscondere, neque terrenis inhiare. Secunda tunica, opera mentis sunt: casula, opera corporis pia. Stola, iugum Christi, quod est Euangelium. Dalmatica Diaconi & sui ministri, quæ est itineri habilis, cura proximorum est. Sudarium, piæ & mundæ cogitationes, quibus detergimus molestias animi ex infirmitate corporis. Pallium Archiepiscoporum, torques deuotissimæ prædicationis, & in veteri testamento, & in nouo.

* * *

Explicit libellus secundus.

TERTIVS LIBER INCIPIT.

Capitula Libri Tertij.

1 DE signis, quibus congregamur in idipsum.
2 De situ ecclesiæ.
3 De choro Cantorum.
4 De vestimento Cantorum.
5 De introitu Episcopi ad Missam.
6 De Kyrie eleison.
7 De Cereis.
8 De Gloria in excelsis Deo.
9 De prima oratione Missæ.
10 De sessione Episcopi.
11 De officio lectoris & cantoris.
12 Quid sit inter responsorium & tractum.
13 De Alleluia.
14 Quid sit inter Alleluia & tractum.
15 De expoliatione casularum.
16 De tabulis.
17 De ascensu in pulpitum.
18 De ascensione diaconi in tribunal.
19 De officio quod vocatur Offerenda.
20 De Secreta.
21 De Hymno ante passionem Domini siue prępreparationem.
22 De Hymno, Sanctus sanctus sanctus.
23 De Te igitur.
24 De institutione Dominicæ in conficiendo corpus & sanguinem.
25 De ascensione Christi in crucem.
26 De corpore Domini post emissum spiritum in cruce, & nostra mortificatione in idipsum.
27 De præsentatione patenæ.
28 De officio quod memorat requiem Domini in sepulchro.
29 De oratione Dominica.
30 De præsentatione subdiaconorum, vt suscipiant corpus Domini de altari.
31 De immissione panis in vinum.
32 De osculo pacis.
33 De Agnus Dei.
34 De Eucharistia.
35 De parte oblatæ quæ remanet in altari.
36 De vltima benedictione.
37 De vlteriore vltima benedictione.
38 De Missa in festiuitate S. Ioannis Baptistæ manè prima.
39 De offerenda, vir erat in terris.
40 De Aduentu Domini.
41 De Natiuitate Domini.
42 De consueto tempore Missæ.
43 De hypanti.
44 De Missa pro mortuis.
45 De nomine Domini Iesu.

Universidad de Deusto
Biblioteca

DOmino opitulante, intercedente beato Medardo confessore, cuius festiuitas hodie apud nos celebratur in gaudio Sanctorum, prompti sumus animo ad suscipiendum Dei munus: si tamen ipse dignatur purgare & serenare oculum, in quo discamus de officio Missæ, quid rationis in se contineat diuersitas illa, quæ ibi agitur: cum satis esset, sine cantoribus & lectoribus & cæteris quæ ibi aguntur, sola benedictio Episcoporum, aut presbyterorum ad benedicendum panem & vinum, quo reficeretur populus ad animarum salutem: sicut primæuis temporibus fiebat apud Apostolos. Acideò primum dicendum est de signis.

Qualis fuit Missa apud Apostolos.

De signo, quibus congregamur in idipsum. Cap. 1.

SIgnorum vsus à veteri testamẽto sumptus est: scriptum est in libro Numer. Locutus est Dominus ad Moysen, dicens: Fac tibi duas tubas argenteas ductiles, quibus convocare possis multitudinem. Et paulò post: Quando autem congregandus est populus, simplex tubarum clangor erit, & non concisè vlulabunt. Filij Aaron sacerdotis clangent tubis. Et iterùm: Si quando habebitis epulum, & dies festos & Kalendas, canetis tubis super holocaustis, & pacificis victimis, vt sint vobis in recordationem Dei vestri. Audiuimus clangorem tubarum in recordatione Dei nostri resonare. Detq; nobis Deus, vt quicquid boni facere poterimus, siue singulariter in causa nostra, siue communiter in causa fratrum, vt est signa moueri, in memoriam eius faciamus. Audiamus & tubam vocantem nos ad pœnitentiam, quando in aduersis affligimur, dicente Ioel: Canite tuba in Sion: sanctificate ieiunium, vocate cœtum, congregate populũ, sanctificate ecclesiam coadunate senes, congregate paruulos & sugentes vbera. Quod ita Hieronymus in codẽ: Clangite tuba in Sion: & pœnitentiam populis prædicate. Sanctificate ieiunium, prædicate curationem, siue cœtum, de quibus iam diximus. Congregate populum, vt qui dispersus peccauerat, congregatus peccare desistat. Sanctificate Ecclesiam, vt nullus in ecclesia non sanctus sit: nè forte impediantur orationes vestræ, & modicum fermentum totam massam corrumpat. Et adunate siue eligite senes, vt non ætas in eis, sed sanctitas eligatur. Congregate quoque paruulos & sugẽtes vbera, ne vlla sit ætas, quæ non cõuertatur ad Dominum. Paruulos atq; lactentes, de quibus in Psalmis & in Euãgelio legimus: Ex ore infantium & lactentium perfecisti laudem. Prædicationem quam significat clangor tubarum, Hieronymo exponẽte, signat signum, quod in nostra ecclesia reboat. Signũ nostrum est ex metallo æris. Æs est metallum durabile & sonorum. Habet ideni signum interius pla-

Num. 10. Tubæ duæ ductiles argenteæ.

tuba vocãs nos ad pœnitentiam.

Ioel. 2.

Psal. 8. Matth. 21.

Campana signum, & typus prædicatorum.

A strum ferreum, quo tũditur, vt audiatur. Oraq; prædicatorum significat nouiter testamenti, quæ plus durant quàm tubæ veteris testamenti, atq; altius resonant. Ora prædicatorum nostrorum durabunt vsque in finem, & auditur lõgè sonus eorum vsq; in fines terræ. Tẽpore Iudæorum notus erat tantùm in Iudæa Deus: at nunc in omni terra. Vas metalli æris ora significat, vt diximus, prædicatorum: ferrum interius, linguã eorum: per funem, intelligimus mensuram vitę nostræ. Vndè dicebat Paulus: Sed ipsi in nobis, nosmetipsis metientes & comparantes. Mensura meę cõuersationis nusquã mihi latius ostenditur, quàm in scriptura: ac ideò funem scripturam intelligo. Funis, qui habet initium à ligno, scripturam sacram significat noui testamenti, descendentem à ligno Dominicæ crucis. Quod tamen lignum à superioribus continetur, quia Dominica crux à prophetis & antiquis patribus continetur: qui funis vsquq ad manus sacerdotis pertransit. etenim scriptura ad opera sacerdotum debet transire. De qua dicit Gregorius in libro de ædificatione templi: Quisquis hanc legit, in ea semetipsum metitur, vel quantum in spiritali virtute proficit, vel quantum à bonis quæ præcepta sunt, longè disiunctus remansit: quantum iam assurgat ad bona facienda, quantum adhuc in prauis prostratus iaceat. Hæc verba nouissima valdè congruunt operi presbyteri, qui signum mouet: quando funem sequitur sursum, id agit, vt in seipso recogitet quantũ ad bona opera sit erectus: quando deorsum trahit, id considerat quãtum iaceat adhuc in prauis. Qui secundum verba sancti Gregorij, semetipsum metitur, ipse habilis est, fratres vocare ad vnũ cor & vnam animam. Nè despiciat presbyter hoc opus agere, vt in isto imitator simus filiorum Aaron, sicut & in multis cæteris. Qui se cognoscit debitorem esse prædicationis, non debet se retrahere à mouendis signis, cùm ex eisdem possit prædicare populo. Vinculum, quo plectrum ligatur vasi, quædam moderatio est, quæ scit ad tempus mouere plectrum linguæ, vt labia feriantur. Vinculum ad tactum funis mouet plectrum, quando modestia ad auctoritatem sacrę scripturę linguam prędicatoris mouet.

Psal. 75.

Quid vas plectrũ, & funis campanæ significant.

2. Cor. 10.

Mysterium funis campanæ.

Trahere sursum nẽ sursum ac deorsũ.

Ne despiciat presbyter pulsare campanam

Vinculum plectri qd significet.

De situ Ecclesiæ. Cap. 2.

ECclesia est conuocatus populus per ministros ecclesię ab eo qui facit vnanimes habitare in domo. Ipsa domus vocatur Ecclesia, quia ecclesiam continet. Ipsa vocatur κυριακὴ, quia est Dominicalis. κύριος Græcè, Latinè dominus: ac ideò κυριακὴ dominicalis. Ipsa vocatur βασιλικὴ, id est, regalis. à βασιλεὺω, βασιλεύς rex dicitur, quasi basis populi. λαὸς populus dicitur, βασιλεὺς basis populi. Vndè Isidorus: Basilicę prius vocabantur regum habitacula, vndè & nomen habent. Nam βασιλεὺς rex & basilicę, regię habitationes. Nunc autẽ ideò diuina templa basilicę nominãtur, quia ibi regi Deo cultus

Pfal. 67:

Basilica pro templo accipitur.

&

Iosephus ãtiq. lib 8 cap. 3. & de bel. Iud. l. 6 c. 8. Basilica Salomonis.

& sacrificia offeruntur. Iosephus simili modo nominat domum, quam ædificauit Salomon ad suum opus, dicens: Post templi fabricam, quam septẽ annis prædiximus fuisse perfectam ędificiũ domus regalis constituere cœpit, quod tredecim annis vix impleuit. Non enim huiusmodi feruens studium erat, sicut in templo. Et post pauca: Hæc quidem secundum felicitatem Hebraicæ regionis, ac merito regis ædificata sunt. Quorum totam expositionem & ordinem dicere necessarium est, vt ex hoc omnes coniiciant magnitudinem, cùm legentes viderint huius rei descriptionem. Erat magna basilica nimis & pulchra. Hæc innumera columnarum multitudine portabatur, quam ad iudicia rerumque cognitiones distribuit. Audistis ex auctoritate veteri, ideò conuenisse populum ad basilicam, vt audiret iudicia. Audite Apostolum, cur conueniatur in Ecclesia. Itaque fratres mei, inquit, cùm conuenitis ad manducandum, inuicem expectate. Si quis autem esurit, domi manducet, vt non in iudicium conueniatis. Monstrante Paulo propterea conuenimus ad Ecclesiam, vt manducemus cœnam Domini. Duo autem audistis cur conueniat populus. Vnum ex antiqua traditione, vt iudicia rerum & cognitiones accipiat: alterum ex nouo testamento, vt manducet. Vtraque quærimus ad ecclesiam, scilicet, vt in ea audiamus iudicia nostra, mala siue bona, & cognitionem Dei, & vt manducemus corpus Domini. Idcircò quæ præter ista sunt, postponamus eo tempore, vt iudicia Domini percipere & retinere queamus, & panem Domini mãducare, studentes nosmetipsos probare, si dignè possit à nobis manducari. In conuentu ecclesiastico seorsum masculi, & seorsũ fœminæ stant. Quod accepimus à veteri consuetudine, dicente Beda in tractatu super Lucã: Quærit aliquis, quomodò Dei filius tanta parentum cura nutritus, his abeuntibus, potuerit obliui scẽdo relinqui. Cui respondendum, quia filiis Israel moris fuerit, vt temporibus festis, vel Hierosolymã confluentes, vel ad propria redeũtes, seorsum viri, & seorsum fœminæ choros ducentes incederẽt, infantesq; vel pueri cum quolibet parente indifferenter ire potuerint. Ideòq; beatam Mariam vel Ioseph vicissim putasse puerum Iesum quem secum comitari non cernebant, cum altero parente reuersum. Quamuis & aliud hac in re possimus tenere, quòd caro viri & mulieris, si propiùs accesserint, vnumquodq; ex altero accendatur ad libidinem. qua de re dicit Salomon: Longè fac ab ea viam tuã. Quoniã propterea venimus, vt defleamus carnales delectationes, necesse est vitare fomenta earũ. De habitu mulierũ docet Paulus Corinthios: Decet mulierẽ non velatam orare Deũ? nec ipsa natura docet vos, q̃ vir quidẽ si comã nutriat, ignominia est illi: mulier verò si comã nutriat, gloria est illi, quoniã capilli pro velamine ei dati sunt? Ambrosius in epistola ad Corinthios: Mu-

Duplex cã conueniendi ad ecclesiam.

1. Cor. 11.

In ecclesia seorsum viros & seorsum fœminas stare. To. 2.

Luc. 2.

Cur separatim stãt viri & mulieres.

Prou. 5.

1. Cor. 11.

lier, inquit, idcircò debet velare caput, quia nõ est imago Dei, sed vt ostendatur subiecta: & q̃a præuaricatio per illam inchoata est, hoc signi debet habere, vt in ecclesia propter reuerentiã sacerdotalẽ non habeat caput liberum, sed velamine tectum: nec habeat potestatẽ loquendi, quia sacerdos personã habet Christi. Quasi ergò ante iudicẽ, sic ante sacerdotẽ, quia vicarius Dñi est. propter reatus originẽ subiecta debet videri. Et alio modo: Quia & viri quidã comam nutriebãt, & mulieres nudo capite procedebãt in ecclesiam, gloriantes in crinibus, quod non solùm inhonestum erat, sed etiam concupiscentiæ fomenta præstabat. Masculi stant in Australi parte, & fœminæ in Boreali, vt ostendatur per fortiorem sexum, firmiores sanctos semper constitui in maioribus tentationibus æstus huius mundi: & per fragiliorem sexum, infirmiores sanctos aptiori loco, sicut dicit Paulus Apostolus: fidelis est Deus, qui nõ patietur vos tentari, super id quod potestis. Ad hoc quidẽ pertinet quod Ioannes in Apocalypsi sua vidit angelum fortem, qui posuit pedem suum dextrũ super mare, sinistrum autem super terrã. Fortiora etenim membra in maioribus periculis, & alia in cõpetentibus sistuntur. Locutionẽ quã homines debẽt habere in ecclesia, Paulus manifestat dicens ad Ephesios: Loquentes vobismetipsis in Psalmis & Hymnis & canticis spiritalibus. Quod ita Hierony. in tractatu memoratæ epistolæ: Qui se abstinuerit ab ebrietate vini in quo est luxuria, & pro hoc spiritu fuerit impletus, iste omnia potest accipere spiritaliter, Psalmos, Hymnos, & cantica. Quid autem intersit inter Psalmũ, Hymnũ, & canticũ, in psalterio plenissimè discimus. Hic autem breuiter, Hymnos esse dicendum, qui fortitudinẽ & maiestatem prædicãt Dei, & eiusdem semper vel beneficia vel facta mirãtur. Quod omnes Psalmi cõtinent, quibus Alleluia vel præpositum, vel subiectum est. Psalmi autem propriè ad ethicũ locum pertinent, vt per organũ corporis, quid faciendum & quid vitandum sit nouerimus. Qui verò de superioribus disputat, & conuentum mundi, omniumq; creaturarum ordinẽ atque concordiã subtilis disputator edisserit, iste spiritale canticum canit. Vel certè, vt propter simpliciores manifestiùs, quod volumus, eloquamur, Psalmus ad corpus, canticum refertur ad mentem. Et canere igitur, & psallere, & laudare Deum magis animo, quàm voce debemus. Quod prætermisimus, quis Apostolicorum primus statuerit, vt fœminæ velatæ intrarent in ecclesiam, hìc remur intromittere. Linus natione Italus, vt legitur in gestis Episcopalibus, ex præcepto beati Petri constituit, vt mulier in ecclesiam velato capite introiret.

Cur mulier velato debet esse capite.

Cur viri in Australi, fœminæ in Boreali parte stant.

1. Cor. 10.

Apoc. 10.

Quid in tẽplo loquendum sit. Ephes. 5.

De Choro Cantorum. Cap. 3.

AVgustinus in Psalmo centesimo quadragesimonono: Et chorus quid significet,

Quid chorus ex August. to. 8.

Universidad de Deusto Biblioteca

Cantorum ordo à Dauide institutus. 1. Paral. 16.

mulei norunt. Chorum, quia in ciuitate loquimur, propè omnes norunt. Chorus est consensio cantantium. Si in choro cantamus, corde cantamus. In choro cantantium quisquis voce discreperit, offendit auditum, & perturbat chorum. Isidorus: Chorus est multitudo in sacris collecta: & dictus chorus, quòd initio in modum coronæ circum aras starent, & ita psallerent. Cantorum ordinem suscipimus ex Dauidica institutione. Quandò reportanda erat arca Domini de domo Obededom in ciuitate Dauid, præcepit Dauid (vt verba dierum narrant) constituere Leuitas de fratribus suis cantores in organis Musicorum. Constituerunt Leuitæ Eman, Asaph, Ethan, vt concreparent in cymbalis æneis. Et post reliqua: Asaph autem vt cymbalis personaret, Bananias verò & Aziel sacerdotes canerent tubis iugiter coram arca fœderis Domini. In illo die fecit Dauid principem ad confitendum Domino, Asaph & fratres eius. Et iterùm: Eman quoq; & Idithun canentes tuba: & quatientes cymbala, & omnia musicorum organa ad canendum Deo: Et iterùm: Cantores filij Asaph stabant in ordine suo iuxta præceptum Dauid, & Asaph & Emã & Idithun prophetarum regis. Cantorum primus (vt verba dierum narrant) Eman extitit. Hi verò sunt qui assistebant cum filiis suis, De filiis Caath: Eman cantor filius Iohel, filij Samuel, filij Elcana, filij Geroan, filij Heliel, filij Thohu, filij Suph, filij Elcana, filij Maath, filij Masai, filij Elcana, filij Iohel, filij Azariæ, filij Sophoniæ, filij Thahath, filij Asir, filij Abihasaph, filij Chore, filij Saar, filij Caath, filij Leui, filij Israel, & fratres eius qui stabant à dextris eius. Officij tamen illorum auctor extitit Dauid. De qua re dicit Augustinus in lib. decimoseptimo de ciuitate Dei cap. xiiij. Erat autem Dauid in canticis eruditus, qui harmoniam musicam non vulgari voluptate, sed fideli voluntate dilexerit, ea Deo suo, qui verus est Deus, mystica rei magnæ figuratione seruierit. Diuersorum enim sonorum rationabilis & moderatus concentus, concordi varietate compactam benè ordinatæ ciuitatis significat vnitatem. Hinc tractent cantores quid significet symphonia eorum. Ea admonent plebem, vt in vnitate vnius Dei cultus perseuerẽt. Etiamsi aliquis surdus adfuerit, idipsum statu illorum in choro ordinatissimo insinuant: Vt qui auribus capere non possunt vnitatem, visu capiant. Porrò cantores laudatores Dei sunt. & ad laudem cæteros excitantes. De quo Hieronymus in tractatu Esaiæ libro primo: Et super choros (qui in libro dierum plenius describuntur) Asaph & Idithun & Eman, & filij Chore cõstituti sunt, vt paulatim à sacrificiis victimarũ ad laudẽ Dñi transiret religio. Id frequentissimè reperitur in veteri testamento, vbi eorum officium narratur, opus eorum esse confessionem Domini. Hic versus sæpissimè cantoribus imputatur: Cõfitemini Domino quoniam

Symphonia chori quid.

Cantorum officium. 1 Paral. 6. & 16.

1. Par. 6. Al. Heman & Helcana

A bonus, quoniam in æternum misericordia eius. Nostri cantores non tenent cymbala, neq; lyram, neq; citharam manibus, neq; cætera genera musicorum, sed corde. Quanto cor maius est corpore, tanto Deo deuotius exhibetur quod per cor fit, quàm per corpus. Ipsi cantores sunt tuba, ipsi psalterium, ipsi cithara, ipsi tympanum, ipsi chorus, ipsi chordæ, ipsi organum, ipsi cymbala. Vnde Augustinus in libro Psalmorum nouissimi psalmi: Idem ipsi sancti sunt in omnibus musicis organis. Et paulò post: Laudate Dominum in sanctis eius. Hoc exequitur variè, significans eosdem ipsos sanctos eius: Laudate eum in sono tubæ, propter laudis excellentissimam claritatem. Laudate eum in psalterio & cithara. Psalterium est de superioribus laudans Deum: Cithara de inferioribus laudans Deum, tamquam de cælestibus & terrestribus, tamquàm eum qui fecit cælum & terram. Iam quippe in alio Psalmo exposuimus psalteriũ desuper habere sonorum illud lignum, cui neruorũ series, vt melioré sonum reddat, incumbit, quod lignum cithara inferius habet. Laudate eũ in tympano & choro. Tympanum laudat Dominum, cùm iam in carne mutata, nulla est terrenæ corruptionis infirmitas: De corio quippe fit tympanum exiccato atq; firmato. Chorus laudat Dominũ, quando eum laudat pacata societas. Laudate eum in cordis & organo. Chordas habet & psalteriũ, & cithara, quæ superius commemorata sunt. Organum autem generale nomen est vasorum omnium musicorum. Quamuis iam obtinuerit consuetudo, vt organa propriè dicantur ea, quę inflantur follibus. Quod genus significatũ hìc esse non arbitror. Nam cum organum vocabulum Græcum sit, vt dixi, generale omnibus musicis instrumentis, hoc cui folles adhibentur, alio Græci nomine appellant. Vt autem organum dicatur, magis Latina & ea vulgaris est consuetudo. Quòd ergò ait, in chordis & organo, videtur mihi aliquod organũ quod chordas habeat, significare voluisse. Non.n. psalteria sola & citharæ chordas habent, sed quia in psalterio & cithara propter sonum ab inferioribus & superioribus inuentum est aliquid, qđ secundùm hanc distinctionem possit intelligi, aliud nos in ipsis chordis quærere admonuit: quia ipsæ caro sunt, sed iam corruptione liberata. Quibus ideò fortasse addidit organum, non vt singulæ sonent, sed vt diuersitate concordissima consonent: sicut ordinatur in organo. Habebunt enim etiam hanc sancti differentiam ad suos consonantes, non dissonantes, id est, consentientes, non dissentientes, sicut fit suauissimus cantus ex diuersis quidem, sed non aduersis inter se. Stella enim differt in claritate: sic & resurrectio mortuorum. Laudate eum in cymbalis benè sonantibus, laudate eum in cymbalis iubilationis. Cymbala inuicẽ tanguntur vt sonent: ideò à quibusdam labiis nostris comparata sunt. Sed melius intelligi puto

To. 8.

Differunt psalterium & cithara.

Laudare in tympano & choro.

Quid organum,

1. Cor. 15.

Laudare in cymbalis.

puto in cymbalis quodammodò laudare Dominum, dum quisque honoratur à proximo, non à seipso, & inuicèm honorantes dant laudem Deo.

Rom. 12.

De vestimento Cantorum. Cap. 4.

2. Paral. 5.

PRimi cantores vestiti erant byssinis, vt verba dierum narrant, dicendo: Tam Leuitæ, quàm cantores, id est, qui sub Asaph erant, & qui sub Eman, & qui sub Idithun filij & fratres eorum vestiti byssinis, cymbalis & psalterijs & citharis concrepabant. Ex natura byssi possumus intelligere, quàm proxima sint inter se hæc duo, byssus & linum, quo nostri cantores vtuntur. Dicit Beda in libro de tabernaculo & vasis eius: Byssus namque, vt sæpiùs commoratum est, de terra viridis nascitur: sed eruta de terra, siccatur, * contunditur, coquitur, torquetur, & magno & longo exercitio ad candidum de viridi producitur colorem: Sic & caro nostra, vt ad virtutem decoremque castitatis perueniat, arctis se necessè est ieiuniorũ, orationis, vigiliarum, & totius continentiæ laboribus subigat, quibus naturales & velut ingenitas eius delectationes exiccare, atq; ad eã, quam desideramus, dignitatem virtutis accedere queamus. Et in alio loco eiusdem: Quid per byssum, nisì candens decore mũditiæ corporalis castitas designatur? † In significatione non discrepat nostrum linum, quo nostri cantores vestiuntur à byssо. Ipsi enim labores quos suprà diximus, non sunt candor: sed per eos peruenitur ad candorem: ac ideò, vt prætulimus, per casulã possumus intelligere ipsos labores: in camisia verò ipsam munditiam carnis, quæ splendet ante Dominum. Ex nobis ipsis possumus addiscere, aliud esse ieiunium, orationes, & vigilias, & aliud munditiam carnis. Multi enim ieiunant, & orant, ac vigilant, &, quod grauius est, delinquunt per carnis appetitum. Vndè & Hieronymus in tractatu epistolæ ad Ephesios: Quanti enim diligunt Dominum, parati exilia, parati martyria, parati inopiam & omnia pro eo cõtumeliarum genera sustinere, & nihilominùs carnis passione superantur?

Cur byssinis & lineis vestiũtur cantores. l. 2. cap. 13. *quoque

Byssо & lino castitas designatur.

De Introitu Episcopi ad Missam. Cap. 5.

OFficium quod vocatur Introitus Missę, habet initium à prima antiphona, quæ dicitur Introitus, & finitur in oratione, quæ à sacerdote dicitur ante lectionem. Introitus Episcopi ad Missam, qui vicarius est Christi, ipsius aduentum nobis ad memoriam reducit, & populi adunationem ad eum, siue per suam prædicationem, siue suorum Prędicatorum. Introitus Episcopi celebratur vsq; ad sessionem suam. Tangit enim ex parte officium, quod Christus corporaliter gessit in terra, siue discipuli eius vsquequo ascendit ad sedem paternam. Hoc officium addidit Missæ Cęlestinus.

Introitus quid significet.

A Ille vt in gestis pontificalibus continetur, constituit, vt psalmi Dauid centum quinquaginta ante sacrificium psallerentur antiphonatim ex omnibus, quod ante non fiebat, nisì tantùm epistola beati Apostoli Pauli recitabatur, & sanctum Euangelium, & sic Missa celebrabatur. Quod nos ita intelligimus, vt ex omnibus psalmis excerperet antiphonas, quæ psallerentur in officio Missæ. Nam antea inchoabatur Missa à lectione. Qui mos adhuc retinetur in vigiliis Paschę, & in vigiliis Pẽtecostes: Christus filius Dei, qui elegit suos ante mundi constitutionem, vt essent sancti & immaculati, misit præcones in veteri testamento, vt de aliis taceam, qui suauitate ac modulatione vocis populum suum congregarent ad vnius Dei cultum. Quorum auctor fuit Dauid, de quo Augustinum prætulimus dicentem in superioribus: Erat autem Dauid vir in canticis eruditus, qui harmoniam musicam non vulgari voluptate, sed fideli voluntate dilexerit, & rel. Post eum Eman, Asaph, Ethan & Idithun, de quibus iam prædictum est, & quid significet eorum psalterium, cithara, tympanum, chordæ, organum, & cętera. Hæc omnia sunt in opere & cantu. Vndè mos inoleuit, vt non sedeatur in ecclesia, quamdiù præsens officium agitur, quoniam operarij & laborarij Christi siue prędconum eius deputantur, qui prędestinati ad cultum vnius Dei vocantur. De quo statu dicit libellus, qui inscribitur de Ordine Romano: Pontifex incipit Gloria in excelsis Deo, si tempus fuerit, & non sedet antequã dicat post orationem primam Amen. Quicunque enim Deo attrahitur, delectatione attrahitur, non necessitate. Vndè Augustinus in tractatu super Ioannem, sermone vicesimotertio: Porrò si Poetæ dicere licuit, Trahit sua quemque voluptas: non necessitas, sed voluptas: non obligatio sed delectatio: quanto fortiùs nos dicere debemus trahi hominem ad CHRISTVM qui delectatur veritate, delectatur beatitudine, delectatur iustitia, delectatur sempiterna vita? Ac ideò cãtorum dulcis vox huic operi dedita est, vt sua dulcedine idonea sit hortari populum ad confitendum Domino. Ita enim scriptum est in libro Paralipomenon: Igitur cunctis pariter & tubis & voce, cymbalis & organis, & diuersi generis musicorum concinentibus, & vocem in sublime tollentibus, longè sonitus auditur: vt cùm Dominum laudare cœpissent, & dicerent: Confitemini Domino quoniam bonus, quoniam in ęternum misericordia eius, impleretur domus DEI nube, nec possent sacerdotes stare & ministrare propter caliginẽ. Compleuerat enim gloria Domini domum Domini. Præconibus psallentibus, quandò placuit CHRISTO Domino psallentiũ venire, ascendit super currum suum, & venit in mundum, disponere eundem currum per loca congrua. De quo curru dicit Psalmista: Currus DEI decem millibus multiplex. Vndè iterùm Augustinus

Ephe. 1.

Sup. c. 3. August. de ciuit. Dei l. 17. cap. 14.

Cur non sedetur sub introitus officio.

Quomodo trahimur ad Christũ To. 9.

Vir. in Buc col.

Cantorum vox dulcis.

2. Paral. 5.

Quid currus Christi per quẽ venit.

Psal. 67.

To. 8.

Universidad de Deusto
Biblioteca

stinus in psalmo sexagesimo septimo: Multitudinem sanctorum atque fidelium, qui portando DEVM fiunt quodammodò currus DEI, signauit hoc nomine. Hanc in * manendo & regendo perducit in finem tanquàm currum suũ, velut in locum aliquem destinatum. Multitudo decem millium sanctorum, est in ordinibus ecclesiasticis, & in auditoribus eorum. Septem gradus sunt ordinatorum, octauus cantorum, nonus & decimus auditorum vtriusque sexus. Millium additur, ad insinuandam perfectionẽ eorum. Veniente Domino, ducit secum prophetas & sapientes & scribas. hos in Euangelio promittit se mittere ad inuitandum populũ. Eccè ego, inquit, mittam ad vos prophetas & sapientes & scribas, & reliqua. Diaconi in loco prophetarum sunt, qui annunciant ex Euãgelio futuram vitam. Subdiaconi in loco sapiẽtum, qui sciunt ordinatè vasa Domini disponere, & quod primùm ferendum sit, quodq; posteriùs. Acolyti in loco scribarum, qui accendunt corda fidelium ex scriptura sacra. Præuenit in thuribulo thymiama, quod significat corpus CHRISTI plenum odore bono. Hoc enim corpus primò necesse est prædicari in omnibus gentibus. Vndè Paulus dicebat ad rudes Corinthios: Nihil me iudicaui scire inter vos, nisi CHRISTVM IESVM, & hunc crucifixũ. Dein ferantur candelabra, vt super fundamentum iam positum luceat lux prædicatorum coram hominibus: Iam eos illuminatos sequantur subdiaconi, vt possit Prædicatorum ordo dicere, Sapientiam loquimur inter perfectos. Euangelium illis iungatur, in quo est declarata perfectio. Si vis, inquit, perfectus esse, vade, vende omnia. Episcopus & sibi coniuncti, Euãgelium sequantur, iuxta illud Euangelicum: Si quis vult post me venire, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me. Ante oculos habeat sæpissimè episcopus, quod in mente semper oportet retinere. Septem prophetæ siue diaconi sunt in ministerio, quia septempliciter diuiditur scriptura inter nouum testamentum, & vetus, quæ Euangelio ministrant. Episcopus in medio vicarius Christi quasi Euangelium, habet in Nouo Testamento ministros historiæ, vt Lucam in Actibus Apostolorum: habet ministros in septem epistolis canonicis: habet ministros in quatuordecim Epistolis Pauli: habet ministros in Apocalypsi: In veteri testamento, in lege, prophetis, & psalmis. Vndè scriptum est in Euangelio Lucæ: Quæ scripta sunt in lege Moysis, & prophetis, & psalmis de me. At si quinque fuerint, quinque ministros librorum demonstrant in Euãgelio ministrare. Episcopus in medio quasi Euangeliũ, habet in nouo testamento primum ordinem prædicatorum historiæ, secundum epistolarũ, tertium prophetarum, vt est Apocalypsis: In veteri testamento vnum legis, & alterum prophetiæ. Hæc duo Philippus in Ioannis Euangelio ad medium deducit, dicens: Quem scripsit Moyses in lege, & prophetæ, inuenimus Iesum filium Ioseph à Nazareth. At si fuerint tres, tres ministrationes trium librorum. Fons omnis sapientiæ Euangeliũ, in medio duos libros in nouo testamento, scilicet epistolarum, & prophetarum. Liber Actus Apostolorum, qui mittitur Theophilo, Epistolis cõiungitur, Ex vna re est epistola, quia mittitur alicui homini: ex altera, quia historiam tantùm continet, stat per se: In veteri testamento vnum: Omnis scriptura apud veteres lex nominatur, sicut de psalmis dicitur: Et in lege vestra scriptum est, quia ego dixi, Dij estis. Vndè Augustinus memoratus in tractatu super Ioannem sermone quadragesimoquarto: Legem appellauit Dominus generaliter omnes illas scripturas, quãuis alibi specialiter dicat legem, à prophetis eam distinguens, sicuti est, Lex & prophetæ vsque ad Ioannem prophetauerunt. Et, In his duobus mandatis tota lex pendet & prophetæ. Aliquandò autem in tria diuisit easdem scripturas, vbi ait, Oportebat omnia impleri, quæ scripta sunt in lege & prophetis & psalmis de me. Si vnus fuerit, vnum præceptum dilectionis ostendit, vt Apostolus ad Galatas: Omnis lex in hoc sermone impletur, Diliges proximum tuum sicut teipsum. Ministerium Prophetæ est, ex memoratis libris Euangelicam veritatem approbare. Vt moderatè prophetia disponatur, habeat ante se subdiaconorum sapiẽtiam, scilicet vt congruo tempore prophetẽt, & ità ordinatè, vt possit capi ab auditoribus quod dicitur. Acolytorum lux, doctorum opus expleat, vt in manifestam lucem perducãt memoratos libros. Qui enim Christum præcedit ad aliquem locum, vt Euangelium prædicet, ità sapienter debet præcedere, vt profit auditoribus, & explanet obscuros sensus scripturarum. Postquàm transit vicarius in medio adolescentularum tympanistriarũ, de quibus Augustinus qui suprà: In ministerio, inquit, honorabili, nam ità sunt in medio ministri, præpositi ecclesiarum nouarum, hoc enim sunt adolescentularum, carne edomita DEVM laudãtium: Sapientia, id est, subdiaconi, vadunt in medio adolescentularum tympanistriarum, vt doceant, quem laudare debeant tympanistriæ. Tympanistriæ cantores sunt. Ministerium cãtorum laudem resonat, vt idem in psalmo septuagesimosecundo: Qui enim cantat laudem, non solùm laudat, sed etiam hilariter laudat. Qui cantat laudem, non solùm laudat, sed & amat eum quem cantat. Notum est, quid veteres cantores in lege amabant, de quorũ persona dicebat Dauid, Vt iumentum factus sum apud te. scilicet, vt liberos haberent, opibus abundarent, honore fruerentur, & sanitate gauderent. CHRISTO homine nouo veniente, cor eorum mutari oportebat ad meliora, Sapientia subdiaconorũ innouat eos, vt qui vnum antèà tantum DEVM dicebant, non in tribus personis: dicant nunc, Gloria Patri & Filio & Spiritui

*f. minãdo

Currus dei decem millij mystice. Mysterium processionis

Matth. 23.

Qui sunt prophetæ sapietes & scribæ i nouo Testamento:

Thymiama significat corpꝰ Christi.

1. Cor. 2.

Cãdelabra illuminationem p̃dicatorum.

1. Cor. 2

Matth. 19.

Matth. 16.

Mysterium septem diaconorum.

Luc. 24.

diacõi quique.

Ioan. 1. diacõi tres

Generaliter totũ vetus testamẽtum lex dicitur. Ioan. 10. Psal. 81.

Vetus Testamentum aliquando in duo aliquando in tria diuiditur. Matth. 22. Matth. 22. Gal. 5. Ministeriũ diaconorũ.

Tympanistriæ cantores dicunt.

Cãtare laudẽ quid est.

Psal. 72. Cantores vet. test. vt iumenta erant. Cantores no. test. ignorati sũt. Cur episcopus osculet ministros inclinatus.

Spiritui sancto. Sed expectandũ est vsquedùm id fiat, quod precatur sponsa in Canticis canticorum, Osculetur me osculo oris sui. Scitis, dicente Apostolo, CHRISTVM semetipsum exinaniuisse, & formam serui accepisse. Quapropter postquàm præsentatus est ecclesiæ, inclinatus stat vsque ad implet ionem suę humilitatis, in qua factus est patri obediens vsque ad mortem. In ipsa inclinatione dat pacem ministris, qui à dextris læuaque sunt. Ipse est enim pax, per quem reconciliatur Ecclesia DEO, siue de nouo testamento, siue de veteri: Ipse destruxit medium parietem inimicitiarum, & fecit vtrunque vnum: Pacem dedit his qui longè, & pacem his qui propè. Eandem pacem offert cantoribus, qui retrò stant, adimplens quæ dixit discipulis: Pacem meam do vobis, pacem meam relinquo vobis, præsentibus dat, absentibus, siue veteris testamenti, siue noui, relinquit. Hoc est, quod solemus dicere, Innuit Episcopus cantori. Quo facto sapientia Dei quasi aduentu subdiaconorum, intelligunt cãtores mutati iam de veteri, trinitate DEVM laudare, & dicunt, Gloria patri & filio & spiritui sancto. Diaconi quasi chorus prophetarum, stant cum eo humiliati, & dicunt, Domine doce nos orare: & spiritu prophetiæ, id est, spiritu reuelationis cognoscunt non se posse habere affectum in oratione ad patrem, nisi ab eodem vnigenito filio eius, qui est in sinu patris, edoceantur. Quod separatim diximus de diaconis, & subdiaconis, & acolytis, de vnoquoque discipulo CHRISTI intelligimus: sed propter quosdam profectus affectuum, vnius prædicatoris opus distinguitur per multiplices ordines. Cæterùm propheta, diaconus sapiens, & scriba: Sapiens subdiaconus, propheta & scriba: Scriba acolytus, propheta & sapiens. Docet CHRISTVS orare discipulos. Quapropter cantores, id est, laudatores aduentus Domini, annunciant tempus esse, vt corda patrum conuertantur in filios: Sicut Abraham tres angelos vidit, & tamen vnum Deum adorauit, & credidit trinitatem in vnitate: sic & modò filios Abrahæ oporteat credere. Et dicũt, Sicut erat in principio, & nunc, & semper, & reliqua. Eccè messis multa, de qua dicitur in Euãgelio, Messis quidem multa, operarij autem pauci. rogate ergò Dominum messis, vt mittat operarios in messem suam. Christus Dominus messis, mittit operarios in messem suam, vt scriptũ est in Luca: Post hæc autem designauit Dominus & alios septuagintaduos, & misit illos binos ante faciem suam in omnem ciuitatem & locum, quò erat ipse venturus. Eodem modo vicissim duo & duo diaconi altrinsecùs vadũt osculari latera altaris. Per osculum eorum de monstratur pax, quam eis commendauit Dominus, dicens: In quamcunque domum intraueritis, primùm dicite, Pax huic domui. Altare, vel alio modo mensa quæ osculatur, corda electorum significat, siue in Hierusalẽ, siue extra Hierusalem. Vndè Gregorius in libro de ędificatione templi: Corda itaque sanctorum, mensæ Dei sunt†. Posteà reuertuntur ad episcopum. Sic &, Euangelio dicente, legimus feciſſe missos illo tempore. Et reuersi, inquit, Apostoli, nunciauerunt illa quæ fecerunt. Et in sequentibus, Et factum est, cùm solus esset orans, erant cum illo discipuli eius. Sunt discipuli cum Christo, Christus solus orat. Dein postquàm tempus aduenit præconij Dominicę passionis, cantores vt ad memoriam reducant Christi nouissimam humiliationem, dicunt versum de psalterio. Psalterium ex inferiori parte percutitur, & ex superiore parte habet in quo reboat: sic & opus passionis Christi ab inferiore parte habet pcussurã, à superiore parte dulcedinem resurrectionis, quæ resultat longè lateque per ora prædicatorum. Adimpleto tempore præconatus præconum, vadit Christus ad Hierusalem, in qua est altare quod osculatur in medio: quoniam ipse est de quo dicitur in Canticis canticorum: Media charitate constratum propter filias Hierusalem. Vicarius Christi hæc omnia agit in memoriam primi aduentus Christi. Osculatur altare, vt ostendat aduentum Christi fuisse in Hierusalem: osculatur Euangelium, in quo duo populi ad pacem redeunt, vt & nos eos diligamus, qui disiuncti erant à nobis. Oscula vicarij Christi, osculo Christi congruunt: Sicut Christus primò osculum his præbuit, qui primò crediderunt: sic Episcopus ministris primis: Et, sicut Christus his se offert vltrò, quibus dicit, missus sum ad oues quæ perierant domus Israel, sic episcopus altari per quod recolimus Hierusalem, in qua Dominus suos dilexit vsque in finem secundũ Ioannem: Et sicut Christus adsciuit sibi posteà gentilem populum, qui reconciliatus est Deo in nouo testamento: sic Episcopus Euangeliũ, quod est nouum testamentum. Remanet euangelium in altari ab initio officij vsque dùm à ministro assumatur ad legendum: Quia ab initio aduentus Christi, euangelica doctrina resonuit in Hierusalem, & indè exiuit ad publicum, sicut scriptum est: De Sion exiuit lex, & verbum Domini de Hierusalem. Deindè transit episcopus ad dexteram altaris. Liquet omnibus quòd semper Christus egit dexteram vitam, postquàm resurrexit à mortuis. Diaconi posteà stant in ordine, quibus ille dixit: Si quis vult post me venire, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me. Qui post eũ stant, firmati sunt, vt eum sequantur vsque ad mortem, & cum eo transeant ad æternam vitã. Maior pars in dextera parte stat, & minor in sinistra. Quid numerus illorũ significet, prædictum est. Ad insinuandũ nobis liberè vetus testamentum legere & tenere, vt Apostolus, Omnia autem probate: aliqua pars ministrorum in sinistra parte stat, per quam tẽporalis benedictio

Cant. 1. Philip. 2. Christꝰ pax nostra. Ephe. 2.

Ioan. 14.

Inuitãte episcopo, cãtores dicũt Gloria patri, &c.

Matth. 6. Luc. 11.

Diuersorũ ordinũ vnũ opus.

Gen. 18. Fides trinitatis.

Luc. 10.

Matth. 9. Messis multa operarij pauci.

Luc. 10.

Cur duo Diaconi osculantur latera altaris Matth. 10.

Luc. 10.

Luc. 11.

Cantores introitꝰ versum ex psalterio dicũt

Cantic. 3.

Cur episcopus osculatur altare & Euãgeliũ.

Repræsentatio osculorũ Christi per Episcopum. Matt. 15.

Liber Euãgelij in altari.

Esa. 2.

Matth. 16.

1. Thess. 5.

Universidad de Deusto
Biblioteca

benedictio designatur. Certè & nostra ecclesia vtrumq; petit à Domino, & temporalem benedictionem,& æternam. Temporalem petimus, quandò precamur,vt Deus cõseruet Dominos nostros, filios eorum,fructus terræ, & pacem in terra nostra: At æternam,quandò iustitiam, sapientiam,& charitatem,& cætera. Inter hæc omnia stant acolyti, & tenent cereos in manibus. Quid aliud significat, nisi vnumquemq; doctorem debere habere in manibus doctrinam suam, vt magis studeat opere docere, quàm verbis?

Cerei in manibus acolytorum.

De Kyrie eleison. Cap. 6.

HOc opere completo, id est, adunato per prædicationem Christi populo DEI ex magna parte,in quo cantores magno certamine laborauerunt, nè aliqua præsumptio inutilis subripiat corda eorum,hortatur eos Dominus dicere: Dicite, serui inutiles sumus. Vndè Beda in tractatu super Lucam: Serui inutiles sumus, quia non sunt condignæ passiones huius temporis ad superuenturam gloriam quæ reuelabitur in nobis. & alibi, Qui coronat te in miseratione & misericordia. Non ait,in meritis & operibus tuis, quia cuius misericordia præuenimur, vt Deo seruiamus, eius munere coronamur, vt sublimiter cum illo regnemus. Quod debuimus facere, fecimus. Re vera debuimus: quia qui non venit ministrari,sed ministrare,debitores sibi nos fecit,non nostris videlicet operibus confidentes, sed de eius semper examine pauentes. Ac ideò dicant cantores Kyrie eleison, Dñe pater miserere. Christe eleison, miserere, qui nos redemisti sanguine tuo. & iterùm: Kyrie eleison, Domine Spiritus sancte, miserere. Potest & simpliciter intelligi de Kyrie eleison, necessariò constitutum esse à præceptoribus ecclesię, vt cantores post finitam antiphonam deprecentur Domini misericordiam, quæ deprimat inanem iactantiam,quæ solet sequi cantores. Habent enim quandam exultationem propter egregiam cõpositionem melodiarum, & non humiliationẽ lectionis, qua illuminantur ad studium humilitatis. Qua de re possunt fallaciter decipi per philosophiam & inanem fallaciam secundùm traditionem hominum. Vbi est vera philosophia, non sequitur inanis fallacia: Vbi est põposa doctrina,sequitur iactãtia animi. Et alio modo: Ante omnem orationem specialem sacerdotum necessè est præcedere misericordiã Domini propter tres causas,quæ mihi in prõptu occurrunt. Vna est, vt serenetur mens sacerdotis ad ea intendenda quæ ore dicit: Altera,vt dignus sit loqui Deo, quantùm ad naturam humanam pertinet. Tertia,quòd, si tædio aliquo corporali affectus spiritus sine mente orauerit, Dominus non in furore suo respiciat super illum,sed in iudicio misericordiæ, oportet vt præcedat aliquid tale, quod repellat redundantes cogitationes à mente,quę accidunt visu, auditu, cęterisq; sensibus, vt in oratione mẽs sola inuisibilia cogitet, quoniam inuisibili loquitur. Ac ideò in omnibus peractis officijs sequitur Kyrie eleison ante orationem Dominicam, vt est in matutinali & vespertinali synaxi. Nam quod nos Galli finitis psalmis nocturnalibus solemus cantare orationem Dominicam, Romana ecclesia prętermittit.

Ne quis pſumat de merito operis sui. Luc. 17. Rom. 8. Psal. 102. Matth. 20.

Kyrie eleison ante orationẽ Dominicam in officijs horarum prætermittitur.

De Cereis. Cap. 7.

DIcentibus Kyrie eleison cantoribus, acolyti è manibus ponunt cereos in terram altrinsecùs, & vnum in medio: quoniam post peracta bona opera, ad tantam humilitatem nos deducit Spiritus sanctus, cuius lumen signatur lumine cereorum, qui superbis resistit, & humilibus dat gratiam, vt verè nos cognoscamus esse cinerem & puluerem. Quo lumine illuminatus est patriarcha Abraham, quandò post locutionem Domini ad se factam, dixit: Quia semèl cœpi, loquar ad Dominum meũ, cùm sim puluis & cinis. Cereus in medio stãs, eum designat qui dixit: Vbi duo vel tres congregati fuerint in nomine meo, in medio eorum sum. Numerus cereostatorum non pertransit septenarium numerum, quoniam septiformi spiritu illuminatur omnis ecclesia, qui septiformis spiritus singulariter in Christo habitat. Episcopo ascendente ad sedem, cereostata mutantur de locis suis in ordine vnius lineæ, excepto primo vsq; ad altare. Per cereostata varia dona gratiarũ Spiritus sancti figurantur, per quæ illuminatur ecclesia. In donis memoratis duo debemus memorari, id est, multifaria dona, & vnitatem spiritus. Per cereostata altrinsecùs posita, vsque nunc distributa dona per corda electorum signantur: Per compositionem vnius lineæ, vnitas Spiritus sancti in singulis donis, quę cõpositio examussim habet à primo cereo, quem diximus significare Christum, à quo procedit Spiritus sanctus, & in quo ęternaliter manet. Ab ipso enim missus est die Pentecostes ceu vsque ad altare, id est, vsque ad corda electorum Apostolorum in igneis linguis. Ac ideò quod posteà agitur in officio Missæ, illud tempus figuratè exprimit, quo Apostoli Apostolorumque successores negocia Domini exercent: quod finitur euangelio perlecto. Potest & simpliciter intelligi dispositio cereorum,expeditus cursus circa altare ministrandi.

Humilitas post peracta opera. Iac. 4.

Gen 18.

Matt. 18.

Cereus in medio stãs Christum designat.

Cereostata sunt varia dona Spiritus sancti.

Spiritus sanctus etiam à filio procedit.

Act. 2.

De Gloria in excelsis. Cap. 8.

TElesphorus natione Græcus ex anachorita, constituit, vt hymnus diceretur angelicus, hoc est, Gloria in excelsis Deo ante sacrificium. Symmachus quadragesimus quintus post Telesphorum constituit, vt omni die Dominico & natalitiis martyrum, idem hymnus cantaretur. Hymnus, Gloria in excelsis Deo, laus Dei est,vt in Euangelio legimus: Et subito facta est cum angelo multitudo militiæ cælestis

Hymnus laudis. Luc. 2.

cælestis laudantium Deum, & dicentium,Gloria in excelsis Deo. Sacerdos quando dicit, Gloria in excelsis Deo, Orientis partes solet respicere, in quibus ità solemus Dominum requirere, quasi ibi propria eius sedes sit, cùm potiùs eum sciamus vbiquè esse. Non est ordo, vt qui Dominum laudare voluerit,tergum ad eũ vertat,& pectus ad seruos. Ipsum statum ex qualitate loci, vbi angeli cecinerunt memoratum hymnum possumus conijcere. Dominus qui vbique est, secundũ formam serui in Bethleẽ erat, quæ Bethleem nostram ecclesiam signat, quę est domus panis. Angeli ad Orientem cecinerunt. De quo statu dicit Michæas: Et tu turris gregis nebulosa filia Sion,vsque ad te venient. Turris quippe gregis, quæ Hebraicè dicitur turris Ader, mille circiter passibus à ciuitate Bethleem ad Orientem distat. Diximus superiùs, transitum episcopi de altari in dexteram partem, significare Christi transitum de passione ad æternam vitam: Ac ideò hoc in loco dicimus,Gloria in excelsis Deo cantandum, quoniam gloria ineffabilis in excelsis facta est, quando Christus transitu suo animas Sanctorũ copulauit consortio Angelorum. Hoc gaudium annunciauit angelus in natiuitate eius dicens: Eccè ego euangelizo vobis gaudium magnum, quia natus est vobis hodiè Saluator. Manifestum est, quibus extitit Saluator: Quando gloria resurrectionis eius celebrata est,tũc in terra pax hominibus fuit,quibus dicebat: Pax vobis. Pax magna est, quando sub vno Domino copulantur cęlestia & terrena. Ita factum esse post resurrectionem suam denunciat Saluator, dicens: Data est mihi omnis potestas in cælo & in terra.

Cur ad oriẽtẽ dicitur hic Hymnus.

Bethleem Ecclesiam significat, Mich. 4.

Gloria Christi in transitu de passione ad cælũ.

Luc. 2.

Pax magna per Christum.

Matth. vlt.

De prima Oratione Missæ. Cap. 9.

QVandò dicimus, Pax vobiscum, siue Dominus vobiscum, quod est salutatio, ad populum sumus versi. Quos salutamus eis faciem præsentamus: excepto in vno, quod est in præparatione hymni ante Te igitur. Ibi iam occupati circa altare, ità vt congruentius sit vno modo versos nos esse,quàm retrò aspicere ad insinuandam intentionem deuotissimam, quam habemus in offerendo sacrificio. Nec debet arator dignum opus exercens, vultum in sua terga referre. De istis sat est, reuertamur ad salutationem. Salutauit enim in veteri testamento Angelus Gedeon, dicens: Dominus tecum virorum fortissime,Et iterùm: Dixit Dominus, Pax tecum. Et iterùm in Ruth: Dixit Booz messoribus suis, Dominus vobiscum: Et responderunt ei, Benedicat te Dominus. nulliq; dubium, quin in Booz ipse Christus salutasset, qui in lumbis eius erat. Scriptum est in libro Paralipomenon secundo: Audi me Asa & omnis Iuda & Beniamin: Dominus vobiscũ, quia fuistis cum eo. Nostra responsio, Et cum spiritu tuo, ex Pauli epistola secunda ad Timotheum sumpta est. Sic enim in illa scriptum est: Dominus Iesus Christus eum spiritu tuo. Quandò sacerdos dicit, Pax vobis, secundum euangelicam scripturam, siue Dominus vobiscum, hoc agit quod Paulus quandò dicit,Dominus IESVS Christus cum spiritu tuo. Hac salutatione episcopi & respõsione populi intelligimus, vnum debere esse affectum episcopi & populi, sicut hospitum vnius * Domini. Postquàm Christus resurrexit, manifestum est dixisse discipulis, Pax vobis: Deindè reuertitur Episcopus ad Orientem, & dicit, Oremus: ac dein sequitur benedictio. Sic & Christus antequàm ascenderet in cælum, benedixit eos, sicut scriptum est in Euangelio Lucæ: Eduxit autem eos foras in Bethaniam:& eleuatis manibus suis, benedixit eis. Vtroque nomine, id est, benedictionis & orationis, vocatur oratio sacerdotis. De benedictione dicit Apostolus: Si benedixeris spiritu, qui supplet locum idiotæ, quomodò dicit Amen, super tuam benedictionem, quia nescit quid dicas? Hanc benedictionẽ vocat Ambrosius orationem, dicens: Imperitus enim audiens quod nõ intelligit,nescit finem orationis, & non respondet, Amen, id est verum, vt confirmetur benedictio. Per hos enim impletur confirmatio precis qui respondent, Amen †. Finis præsentis officij noscitur experimento aliorum officiorum. In fine aliorum solemus dicere Kyrieeleison,ac deinceps orationem, & sic tandem vnumquemque remeare ad sua. Eundem ad demonstrandum finem mutantur cerei de loco in locum. Libet hìc proferre auctoritatem sancti Augustini, quarè mos obtinuit ecclesię suas orationes versum Orientem dirigere. Dicit in sermone Domini in monte:Cùm ad orationem stamus,conuertimur ad Orientem, vndè cælum surgit, non tamquam ibi sit Deus & quasi cæteras mũdi partes deseruerit, qui vbiq; præsens est non locorum spatiis,sed maiestatis potentia: sed vt admoneatur animus ad naturam excellentiorem se conuertere, id est, ad Dominum, cùm ipsum corpus eius quod terrenum est, ad corpus excellentius, id est, ad corpus cæleste conuertatur. Ideò dicitur Deus in cælis habitare, quia maior cognitio est in cælis illius summæ maiestatis & essentiæ in angelis vel in animabus sanctorum.quàm in terra habitantibus sanctis, propter grauedinẽ carnalis habitationis, quæ vix permittit animam ad purum veritatis lumen aduolare.

2. Tim. 4.

*domus.

Luc. 24. Oremus.

1. Cor. 14. Collecta dicitur & benedictio & oratio.

To. 4. c. 9.

Cur versus Orientem dicuntur collectę.

Cur Deus in cęlis habitare dicitur.

Cur in præfatione nõ cõuertitur ad populũ sacerdos.

Luc. 9. Exempla salutationis in vet. Test. Iudith. 6. Ruth. 2.

2. Paral. 15.

Et cum spiritu tuo.

De Sessione Episcopi. Cap. 10.

DEindè Christus ascendit in cęlum, vt sedeat ad dexterã patris. Episcopus, quia vicarius est Christi in omnibus memoratis superius, debet & hìc ad memoriã nobis inthronizare Christi ascensionem & sedem. Quapropter ascendit in sedem post opus & laborẽ ministerij commissi. Christus disposito curru suo per conuenientia loca, id est, presbyteros in suo ordine, diaconos in suo, subdiaconos in suo,

Cur Episcopus ascendit in sedẽ post orationem.

Universidad de Deusto
Biblioteca

suo, cæterosq́; gradus in suis, necnon & auditores, vnumquemq; in suo ascendit ad sedem, & sedet. Sedent cum eo quibus promisit: Cùm sederit filius hominis in sede maiestatis suæ, sedebitis & vos super sedes duodecim, iudicantes duodecim tribus Israel. De quibus dicit Paulus Apostolus ad Ephesios: Et conresuscitauit & cõsedere fecit in cælestibus in Christo Iesu. De his qui ascenderunt secum, aliqui sedent, & aliqui stant. Per eos, qui sedent, demonstrantur membra Christi in pace quiescentia: per eos qui stant, in certamine posita. Caput & membra vnum corpus: quomodò Christus in aliquibus sedet, in aliquibus stat, (vt illum vidit Stephanus in certamine positus) aliqui ascendentium sedent, aliqui stant. Dominus in alto cælorum sedens, custodit currum suum, id est, ciuitatem, de qua dicit Psalmista, Nisi Dominus custodierit ciuitatem, frustrà vigilat qui custodit eam. Paulus, quia vice Christi fungebatur, dicente Augustino in psal. 126. dicebat: Timeo nè fortè sicut serpens Euam seduxit astutia sua, sic & vestræ mentes corrumpantur à castitate, quæ est in Christo. Custodiebat custos erat, vigilabat quantùm poterat super eos quibus præerat: Et Episcopi hoc faciunt. Nam ideò altior locus positus est in Episcopis, vt ipsi intendant & tamquam custodiant populum. Nam & Græcè quod dicitur Episcopus, hoc Latinè Superintentor interpretatur, quia superintendat, quia desuper videt. Quomodò enim vinitori altior fit locus ad custodiendam vineam: sic & Episcopis altior locus factus est. Et de isto loco alto periculosa ratio redditur, nisi eo corde stemus nic, vt humilitate sub pedibus vestris simus, & pro vobis oremus.

Matt. 19.

Ephes. 2.

Quidã cum episcopo sedent, quidam stant.

Act. 7.

Psal. 126.

2. Cor. 11.

Cur altior locus debetur episcopo.

De officio Lectoris & Cantoris. Cap. 11.

LEctor dicitur, quia lectione fungitur, vt Isidorus ait. Lectio dicitur, quia non cantatur vt psalmus vel hymnus, sed legitur tantùm. Illic enim modulatio, hic sola pronunciatio quæritur. Cantor multa officia habet. Vnúquodq; officium ex illo quod efficit, nomen habet. Lectionem quæ legitur post sellionem, sequitur cantus, qui vocatur Responsorius. Responsorium, vt idem qui suprà, Itali tradiderunt, Quos indè responsorios cantus vocant, quòd alio desinente, id alter respondeat. Vsus lectionis & cãtus, sumptus est à veteri testamẽto, vt legitur in libro Esdræ, quod ponendum est in nocturnali officio, si Dominus dederit. Possumus etiã officio cantoris, officiũ prophetæ intelligere. Lectio legis & prophetarum frequentabatur à populo antiquo. Vndè scriptum est in Act. Apost. Et ingressi synagogam die sabbatorum, sederunt. Post lectionum autem legis & prophetarum, miserunt principes synagogæ ad eos, id est, ad Paulum & Barnabam, dicentes: Viri fratres, si quis est in vobis sermo exhortationis ad plebem, dicite: Surgens autem Paulus, & manu silentium indicens, ait: & reliq. Quandiù hæc duo clebrantur, id est, lectio & prophetia, solemus sedere more antiquorum. Vndè Ambrosius in tractatu ad Corinthios: Hæc traditio synagogæ est, quam nos vult sectari Apostolus, quia Christianis quidem scribit, sed ex gentibus factis, non ex Iudæis, vt sedentes disputent seniores dignitate in cathedris: sequentes, in subselliis: nouissimi, in pauimento super mattas. Et iterùm: Per lectoris officium & cantoris, possumus intelligere patremfamilias, qui profert de thesauro suo noua & vetera. Vnde Gregorius in suis homiliis, In eo quod veritas dicit: Omnis scriba doctus in regno cælorum, similis est patri familias, intelligi valet, quia non de his, qui fuerant, sed de his qui esse in ecclesia poterant, loquebantur, Qui tunc noua & vetera proferunt, cùm vtriusq; testamenti prædicamenta vocibus & moribus loquuntur. Per lectionem, prædicationem veteris testamenti, quæ humilior est, possumus intelligere: per responsorium, noui testamẽti, quæ excellentior est. Hæc duo prædicamenta, per Ioannis vitam & Christi designantur. Nam, quod ait Lucas Euangelista, Lamentauimus, & non ploraſtis, ad Ioannem pertinet, cuius abstinentia à cibis & potu, luctum pœnitentiæ significabat. Quod autem ait, Cantauimus tibiis, & nõ saltastis, ad ipsum Dominum, qui vtendo cum cæteris cibo & potu, lætitiam regni præfigurabat. At Iudæi nec humiliari cum Ioanne, nec cum Christo gaudere voluerunt. Sicut suauius est nouum testamentũ veteri, ita vulgò suauior cantus lectione. Præsentes lectores & cantores, quibus est surgere, sicut de Paulo legimus superiùs, negocia Domini habent, quibus dicitur, Negociamini dum venio. Lector legem Domini debet tradere auditoribus, quasi incipientibus in schola Domini exerceri. Nuper vocati sunt per officia cãtorum ad nuptias. Neoterici sunt, audiant doctorem necesse est. Doctor & lector vnum sunt. De Esdra enim scriptum est, quod ipse legẽ Domini faceret & doceret in Israel. Eundem Esdram idem liber inducit postea legentem in gradu ligneo. De Doctoribus dicit Ambrosius in epistola ad Corinthios: Illos dicit doctores, inquit, Paulus, qui in ecclesia litteris & lectionibus retinẽdis pueros imbuebant more synagogæ, quia traditio illorum ad nos transitum fecit. Iterùm mihi videtur esse inter lectionem & responsorium, quod est inter elementa & artes ipsas. Ars quoq; Musica habet elementa sua, & Geometria ab elementis incipit linearum, & Dialectica atq; medicina habent Isagogas suas. Sic elementis veteris testamenti, vt ad euangelicam plenitudinem veniat sancti viri eruditur infantia. Elementa, lex Moysis & omne vetus instrumentum intelligendum est, quibus quasi elementis & religionis

Act. 13.

Dũ legitur sedẽdũ est.

Lector scriba doct⁹ in regno cælorum. Matth. 13.

Lectio & responsorius & Cantus quomodo differunt.

Luc. 7.

Lectorũ & cantor ũ est surgere ad opus suum.

Act 13. Luc. 19.

Auditores Neoterici Lector & doctor vnũ sunt.

Differũt lectio & Responsorium quod grada le dicitur.

gionis exordiis Deum discimus. Dent lectores, siue Doctores, precium Domini, id est, verba legis, & recipiant scholasticas mentes, scilicet vacantes ab emptione villæ, ab emptione boum, quinque iugorũ, a ductu vxoris. Schola vacatio dicitur. At si adhuc aliquis surdus obturatis auribus cordis torpescit, veniat cantor cum excelsa tuba more prophetarũ, sonetq́; in aures eius dulcedinem melodię: forsan excitabitur. Fiat in eo, quod de populo narratur factum esse in libro Esdræ. Sic enim scriptum est in eo: Steterunt sacerdotes in ornatu suo cum tubis, & Leuitæ filij Asaph in cymbalis, vt laudarent Deũ per manus Dauid regis Israel, & concinebant hymnis & cõfessione Domini, quoniam bonus, quoniam in æternum misericordia eius super Israel. Omnis quoq; populus vociferabatur clamore magno in laudando Dominũ, in eo quòd fundatum est templum Domini. Et paulò pòst: Multi vociferantes in lætitia leuabant vocem, nec poterat quisquam agnoscere vocẽ clamoris lætantium, & vocem fletus populi. Vndè Beda in tractatu Esdrę: Sacerdotes quidem sanctis ornati vestibus, prout stante adhuc templo consueuerant, tubis personantes, & cor populi ad suauitatem supernæ laudis accendentes: Leuitæ autem in cymbalis benè sonantibus hymnos Domino concinentes: populus verò clamore communi affectũ sui cordis in laudando Dominum ostendens. Cantores qui respondent primo canenti, vocem auditorum proferunt, quos testificantur laudare Dominum. Non immeritò ipsi cãtores agunt causas prophetarum, quia de filiis principis eorum, id est, Asaph scriptum est in Paralipomenon: Filij eius sub manu ipsius erant, prophetantes iuxta regem: Ipsi exaltant vocem vt tuba. ipsis dicitur in psalmo octuagesimo, Tuba canite, hoc est, vt Augustinus, Clarius & fidentiùs prædicate, nè terreamini, sicut ait propheta quodam loco, Exclama & exalta vocem tuam sicut tuba. Lex enim scripta data est in tabulis. Scriptura enim pertinet ad lectoris officium: Prophetia menti inscripta erat, quam voce fidenti prophetæ proferebant, quod pertinet ad cantoris officium. Fidi prædicatoris officium gerit cantor, quẽ oportet post obedientiam auditorum versum cantare. Quid significet versus in officio prędicatoris, ex euãgelica parabola addiscere possumus, quæ narrat de seruo arante, ità dicens: Quis autem vestrum habens seruum arantem, aut pascentem, qui regresso de agro dicit illi statim, transi & recũbe: & non dicit ei, para quod cœnem? Arat, qui aratro compunctionis scindit corda. Nulli dubium quin per modulationis dulcedinem scindantur corda, etiam carnalia, & sese aperiant more sulci in confessione vocis & lachrymarum. Musica habet quandam naturalẽ vim ad flectendum animum, sicut Boethius in suo libro scribit, quem de Musica fecit. Vulgatũ quippe est, quàm sæpè iracundias cantilena represserit, quàm multa vel in corporum vel in animorum affectionibus mirãda perfecerit. Absit vt vigorem Christiani animi in mollitiẽ caducam possit conuertere, quod genus etiam ipsi gentiles vitabant. Vndè scriptum est in memorato libro, superiori loco: Idcircò Timotheo Milesio Spartiatas succensuisse, quòd multiplicem musicam reddens puerorum animis, quos acceperat erudiendos, officeret, & à virtutis modestia præpediret, & quòd harmoniã quam modestam susceperat, in genus chromaticum, quod est mollius, inuertisset. Tanta igitur apud eos musicæ fuit diligentia, vt eam animos quoque obtinere arbitrarentur. Sufficiant hæc pauca de naturali vi Musicæ inseruisse, reuertendum est ad euangelicam parabolam. Seruus qui arat, nõ debet ilicò, de agro reuertens, recumbere, sed parare cœnam Domini. De quo seruo dicit Beda in tractatu super Lucam: Seruus de agro reuertitur, cùm intermisso ad tempus opere prędicandi, ad conscientiam doctor recurrit, atque à publico locutionis, ad curiam cordis rediens, sua secum secretius acta vel dicta retractat. Iuxta disciplinã serui arantis admonetur cantor, vt non ilicò post actum sui officij requiem spectet, & torpore securitatis torpescat. Perfecit enim opus suum, quandò quodammodò sua iubilatione bonos in exercitium aratri induxit, id est, cantores prouocauit, vt scinderent corda aratro cõpunctionis. Ac posteà versus sequitur. In versu necesse est, vt suas cogitationes ad se retrahat, & secum cogitet, quomodò aut quid à magistro didicisset. Versus timore nõ est ausus altè leuare responsoriũ: nescit quomodò finiat versum. Et hìc imitatur aliud exemplum doctrinæ Domini, qua iubetur, vt qui voluerit turrim ædificare, priùs sumptus cogitet, si habet quę necessaria sunt ad perficiendum. Sequitur Beda memoratus: Post pastum atq; agriculturam, domi sibi iubet parare quod cœnet. Hoc est, post laborem apertæ locutionis humilitatem quoq; propriæ considerationis exhibere. Hoc facit ille, qui versum cantat. In repetitione responsorij exaltat vocem fiducialiter, iam non timens versum. Illum qui prædicatorẽ signat, qui cursum suum consummatum habet, qualis erat Paulus cùm diceret, Bonum certamen certaui, cursum consummaui fidẽ seruaui, in reliquo reposita est mihi corona iustitiæ. Diximus, quòd excitentur per responsorium, qui sunt quodammodò surdi ad epistolam: dicamus qualiter obedientes, ilicò proficiant per responsorium. In lectione pascitur auditor, quasi quodammodò bos. Ad hoc enim pascitur bos, vt in eo exerceatur opus agriculturæ. Bos enim prædicator est. Vndè scriptum est in libro legis: Non alligabis os boui trituranti. Pastus est enim bos, exerceatur opus. Cantor enim est quasi bubulcus, qui iubilat bobus, vt hilariùs aratrum trahant. Cantor est de his, de quibus dicit Paulus: Dei adiutores sumus. Boues sunt qui respõdent primo cantori, de quibus iterum dicit: Dei agricultura estis.

Auditores vacẽt a terrenis curis. Luc. 14.

1. Esd. 3. Cantores vet. test. in tubis & cymbalis.

Officium prædicatoris gerit cãtor.

Luc. 17.

cantor modulatione flectit ac scindit corda.

Spartiatæ cur succẽsi erũt Timotheo musico.

Luc. 17.

Tali seruo assimilatur cantor.

Mysterium in cantãdo versum Responsorij.

Luc. 14.

cursus cum summatio fiduciã præbet. 2. Tim. 4.

In lectione pascitur auditor vt bos.

Deut. 25.

primus cantor tamq́ bubulcus. 1. cor. 3.

Universidad de Buenos Aires Biblioteca

Alij cantores vt boues sunt arãtes.

Trahentibus bobus aratrum, scinditur terra, quandò cantores intimos anhelitus cõmouentes, dulcem trahunt vocem, & proferunt ad publicum, qua corda suorum siue cęterorum compungunt ad lachrymas, siue ad confitenda peccata, quasi secreta patefaciendo terræ. Et alio modo: Ideò scribuntur literæ, vt per eas memoriæ reddatur, quod obliuione deletũ est. Simili modo ex pictura recordamur quod interiùs commendari memoriæ potest. Ità & responsorio admonetur prædicator, quomodò doctrinã, quæ præcessit in lectione, exerceat. Primò, vt dulcedine suæ imitationis plurimos sibi adsciscat: Coniuncti, corda multorum excitent ad compunctionem & lachrymas: & nè se extollere debeat de opere prædicationis pulsatur versu, quatenus ad memoriam reducat sibi, de propriis causis iudicandum ante Dominum.

Alia similitudo de litteris & picturis.

Quid sit inter Responsorium & Tractum. Cap. 12.

HOc differt inter Respõsorium cui chorus respondet, & Tractum cui nemo, quod est inter duo sacrificia, scilicet, columbarum, & turturum. Tractus verba congruentia sui officij habent. Illa quæ sunt in septuagesima, tribulationem sonant, vt est illud, De profundis clamaui ad te Domine: Quæ in sexagesima, opportunitatem fugæ quærunt, vt est illud. Vt fugiant à facie arcus, & sic cętera deincèps conijcere possumus. Laudate Dominum omnes gentes, lætitiam Neophytorum & nuper ordinatorum significat, De istis sat est. Reuertendũ est ad volucres, scilicet columbas & turtures, quæ significant responsorium & tractum, de quibus dicit Beda in tractatu super Lucam: Volucres hæ pro cantu gemitus habent. Non immeritò lachrymas humilium designant, quibus plurimùm in ipsis etiam bonis operibus indigemus quia etsi bona esse quæ agimus, nouerimus, qua tamen districtione à Domino examinanda, qua à nobis perseuerantia sint consummanda, nescimus. Et iterùm: Hoc sane inter turturis & columbæ significãtiam distat, quòd columba, quæ gregatim conuersari, volare, & gemere consueuit, actiuæ vitæ frequentiam demonstrat, de qua dicitur: Multitudinis credentium erat cor vnum & anima vna, nec quisquam eorum, quæ possidebant, aliquid suum esse dicebat, sed erant illis omnia communia. Turtur verò, qui singularitate gaudet, adeò, vt si coniugem casu perdiderit, solus exindè permaneat, speculatiuę vitæ culmina denunciat, quia & paucorum est ista virtus. Et post pauca: Item cum intrans cubiculũ clauso ostio oro patrẽ in abscondito, turturem offerro: At cùm eiusdem operis compares quęro, canendo cũ propheta, Venite, adoremus & procidamus ante Deum: ploremus coram Domino, qui fecit nos, columbas ad altare deporto. Moyses quasi tractũ decantat tribulationis, qui solus ascendit ad Domi-

psal. 109.

psal. 59. psal. 116.

Quid mystice significant columbæ & turtures.

columba actiuã, turtur contemplatiuam vitam significat. Act. 4.

Matth. 6. Quid est offerre turturem, quid columbam. Psal. 94.

num, & nè idem populus feriatur, lachrymosis precibus impetrat. Daniel tractum lætitiæ cantat, quãdo solus fugiẽtibus sociis, inter angelos remanet. Solus Ezechiel quadrigas Cherubin & supernæ ciuitatis ędificia celsa miratur.

Exempla contemplationis. Exo. 19. & 32. Dan. 10. Ezech. 40.

De Alleluia. Cap. 13.

ALleluia, quod cantatur per festos dies in recordatione æternæ lętitiæ, tam lętitiam electorum, quàm laudẽ Domini ad memoriam reducit. In quo non oportet aliquid sinistrum sonare, sed totum dextrum, quale est in futura vita. Illi sunt recti versus, per quos reuertimur ad Alleluia, qui lætitiam ecclesiæ & Domini laudem sine tristitia retinent, sicut sunt, Dominus regnauit, decorem induit. Et, Dominus regnauit, exultet terra. Et, Lauda anima mea Dominum. Et, Iubilate Deo omnis terra, & cæteri tales. In responsorio seminauimus, in alleluia metimus. De qua re dicit Psalmista: Qui seminant in lachrymis, in exultatione metent.

Alleluia quid significat.

Lætitiam Ecclesię, & Domini laudem. psal. 29. 96. psal. 145. psal. 99. psal. 125.

Quid sit inter Alleluia & Tractum. Cap. 14.

HOc est inter alleluia & tractum, quód alleluia lætitiam siue laudem Domino, tractus verò aliquandò tribulationem, aliquando lætitiam sonat. Tribulationem, vt, De profundis: vt, Commouisti: vt, Qui habitat; vt, Ad te leuaui oculos meos: vt, Sæpè expugnauerunt me: vt, Deus Deus meus. Lætitiam, vt Iubilate Domino: vt, Qui cõfidunt in Domino: vt, Laudate Dominum. Post duos tribulationis tertius occurrit lętitiæ, quoniam post duos dies sepulturæ, tertius occurrit resurrectionis. Sunt etenim duo genera compunctionis: vnum, timoris: & alterũ, amoris. Timor in duobus diuiditur, de quibus dicit Esaias. Eccè ego venio, cogitationes & opera vt congregem. Verba in cogitationibus cõprehenduntur. Cogitationes verba sunt animi, & radices verborum sonantium. Amor singularis est. Vnum scit amare & petere, vnum illud, de quo propheta dicit: Vnam petij à Domino, hanc requiram, vt in habitem in domo Domini.

tractuũ alij tribulationis alij lætitiæ. psal. 129. 59 90. 122. 62 65. 124. 150

Duo genera compunctionis. Esa. 66.

cogitationes sũt verba animi. psal. 24.

De expoliatione Casularum. Cap. 15.

MInistri casula se exuunt, quando lectoris siue cantoris officium assumunt. In lectoris officio & cantoris, aliquod genus militię exprimitur. soli enim militant in lectione, siue in vocis modulatione. Hæc officia agendo, extra chorum exeunt. Quid hoc aliud significat, nisi iter quod arripuimus pro communi necessitate fratrum? Et iam talia sunt illa opera, quæ signantur per casulam, vt non possint obseruari in itinere. Vndè Beda in tractatu super Lucam: At verò famem, sitim, vigilias, nuditatem, lectionem, psalmodiam, orationem, laborem operandi, doctinam, silentium, & cæ-

Militia lectoris & cãtoris.

Opera quæ in itinere seruari non possunt.

& cætera huiusmodi, si quis semper exequenda putauerit, non modò se horum fructu priuabit, sed & notã indiscretę obstinationis, immò stultitiæ peruicacis, incurret. † Albam sine casula portat lector seu cantor in singulari officio quandò prudenter & strenuè agit contra oblectamenta mundi, & talẽ se prębet fratribus in necessitatibus temporalibus, vt à pluribus possit imitari.

Alba sine casula quid significat.

De Tabulis. Cap. 16.

SCribit Beda in tractatu Esdræ: Laudabunt autem Dominum Leuitæ per manus Dauid siue in organis quę ipse fecit, siue psalmos quos ipse instituit, concinentes. Eorum vice cantor sine aliqua necessitate legendi tenet tabulas in manibus, vt figuret illud Psalmistæ: Laudẽt nomẽ eius in choro & tympano, & psalterio psallãt ei. Vndè Augustinus in eodem Psalmo: Quarè assumit tympanum & psalterium? vt nõ sola voce laudet, sed & opere. Tabulæ quas cantor in manu tenet, solent fieri de osse, quia fortem perseuerantiam signãt bonarum cogitationum & bonorum operum, iuxta Euangelium: Qui autem perseuerauerit vsq; in finem, hic saluus erit: Vel signant dilectionem Dei & proximi: Quæ dilectio nisì opera habeat, vana est. Quapropter tenentur in manu, vt dilectio vocis exerceatur per opus. Vndè idẽ qui suprà in psalmo centesimo quadragesimonono: Quando assumit tympanum & psalterium, mãnus concinunt voci: Sic & tu si quando cantas Alleluia, porrigas & panem esurienti, vestias nudum, suscipias peregrinũ, non sola vox sonat, sed & manus consonant, quia verbis facta concordant. † Versus Alleluia tangit cantorem interius, vt cogitet in quo debeat laudare Dominum, aut in quo lętari. Hęc iubilatio, quam cantores. Sequẽtiam vocant, statum illum ad mentem nostram ducit, quandò non erit necessaria locutio verborum, sed sola cogitatione mens menti monstrabit, quod retinet in se. Finitur hic secunda periocha prędicationis. Vsque ad memoratum statum currit sermo prædicationis: quæ vltrà sunt, velata sunt alis Seraphin.

Tabulæ vice organorum sunt. Psal. 149.

Tabulæ ex osse fiunt.

Matth. 10. & 24.

Dilectio in verbo & opere.

De Ascensu in pulpitum. Cap. 17.

LEctor & cantor in gradum ascendunt more antiquorum, iuxta quod scriptum est in Esdra: Stetit autẽ Esdras scriba super gradum ligneum, quem fecerat ad loquendum. & paulò post, Super vniuersum quippe populum eminebat. Huius loci, vt Beda ait in eodẽ, videtur meminisse scriptura Paralipomenon, vbì dictum est, quia stetit Salomon coram altari Domini exaduersò vniuersæ multitudinis Israel, & extendit manus suas. Siquidem fecerat Salomon basim æneã, & posuerat eam in medio basilicę, habentẽ quinq; cubitos longitudinis, & quinq; cubitos latitudinis, & tres cubitos in altum, stetitq; super eã. In medio namq; basilicæ, in me-

2. Esd. 8.

2. Paral. 6.

salomon stetit super basim æneã

dio dicit atrij sacerdotum, quæ basilica maior atriorum exteriorum omni ex parte tẽpli erat circundata. De quibus superiùs in eodem libro scriptum est: Fecit etiam atrium sacerdotũ, & basilicam grandẽ. Verùm quia Salomon quasi rex, basem fecit æneã, porrò Esdras quasi minoris potentiæ, gradum ad loquendum ligneum cõstituit. Sicut etiàm Salomon siue Moyses altare holocausti fecerunt æneum, pro quo filij transmigrationis reposuerunt lapideum. Sed non est putandum, minoris sacramentum perfectionis ligneũ gradum, quàm basem habere æneam. Quod enim sæpè dictũ est, sicut æs pro diuturnitate perdurandi, vel suauitate sonandi, diuinis competit sacramẽtis, quę nulla seculorũ longitudine deficiunt, & in omnem terrã exiuit sonus eorum: ità etiam lignum eisdẽ aptissimè congruit, propter videlicet trophæum Dominicæ passionis. Super vniuersum ergò populum pontifex eminet, quando is qui gradũ Doctoris accipit, merito vitæ perfectioris actionẽ vulgi transcendit. Stat autem in gradu ligneo, quem fecerat ad loquendum, quando singulari imitatione Dominicæ passionis altiorem se cęteris facit. Vndè meritò fiduciam liberè verbũ Dei prędicandi obtinet. Nam qui passionem Domini pro suo modulo contemnit imitari, necdum gradum ligneũ, vndè infimis superemineat, ascendit. Ideoque necesse est, talis scriba trepidus præcepta Domini prędicet, timens siue erubescens ea, quę ipse non fecit, aliis facienda proponere.

Esdras steterit sup gradũ ligneũ.

psal. 18. Ligneus gradus Dominicę passionis typus.

prædicatorum alius fidit, alius timet.

De Diaconi ascensione in tribunal. Cap. 18.

TRibunal vocat Cyprianus gradum, super quem ascendit diaconus ad legendũ, scribens ad clerum & plebẽ de Celerino cõfessore lectore ordinato. Aestimatum est à mea paruitate, vt sanctior cognoscatur dignitas diaconi, & magnitudo ministerij eius. verba ipsius Cypriani ponenda, ac posteà nostrũ ordinẽ Hunc ad nos, fratres dilectissimi, cum tanta Domini dignatione venientem, testimonio & miraculo eius ipsius, qui se persecutus fuerat, illustrem, quid aliud quàm super pulpitum, id est, super tribunal ecclesię oportebat imponi, vt loci altioris celsitate subnixus, & plebi vniuersæ pro honoris sui claritate cõspicuus, legat præcepta & Euangeliũ Domini, quæ fortiter ac fideliter sequitur? Vox Dominum confessa, in his quæ Dominus locutus est audiatur? Viderit an sit vlterior gradus ad quem* proficiscì in ecclesia possit? Nihil est in quo magis confessor fratribus prosit, quàm vt cum euangelica lectio de ore eius auditur, lectoris fidem quisquis audierit, imitetur. Iungẽdus in lectione Aurelio fuerat, cum quo & diuini honoris societate coniunctus est. Et paulò pòst: Hos tamẽ lectores interim cõstitutos sciatis, quia oportebat lucernã super candelabrum poni, vndè omnibus luceat;

lib. 4. ep. 5. sublimitas officij diaconorum.

*proficì

Luc. 11.

& glorioſos vultus in loco altiore conſtitui, vbi ab omni fraternitate circunſtante conſpecti, incitamentū gloriæ vidētibus præbeant. Nunc reuertamur ad ordinem. Vſque nunc ſedimus more veteris conſuetudinis, vt prætulimus, ſiue ob admonitionē, qua monemur, quomodo Deo cantare debeamus, ſecundùm Apoſtolum dicentem, Canentes & pſallentes in cordibus veſtris. Modò ſurgendum eſt ad verba Euāgelij. Anaſtaſius natione Romanus, ex patre Maximo, vt legitur in geſtis epiſcopalibus: Hic conſtituit, vt quotieſcunq; Euangelia ſancta recitantur, ſacerdotes non ſederent, ſed curui ſtarent. Deindè ponit epiſcopus thymiama in thuribulum ſuper prunas, vt ſuauem odorem excitet. Thuribulum corpus Chriſti ſignificat, in quo eſt ignis, ſcilicet Spiritus ſanctus: ex quo bonus odor procedit, quem vnuſquiſq; electorū ad ſe vult rapere. Idem odor bonam operationem de Chriſto exire demonſtrat, quam, q viuere vult, in ſuū cor traijcit. Poſt hoc diaconus petit à ſacerdote benedictionem: Sacerdos ei dicit: Dñs ſit in corde tuo, & in labiis tuis. Intendat diligenter diaconus, vt cor eius cum Dominicis verbis vadat, & non ſit infructuoſa oratio ſacerdotis. Dominum in mente teneat, quem ſuſcipit per benedictionem ſacerdotis: & vt non exhalēt verba impoſita, nève introeant nociua, ſigno crucis facto manu ſacerdotis ſup caput ipſius, munitur. Deindè vadit ad altare, vt indè ſumat Euangelium ad legendum. Altare Hieruſalem poteſt deſignare, vt prętulimus, de qua exiuit euangelica prædicatio, ſicut ſcriptum eſt: De Sion exiuit lex, & verbum Domini de Hieruſalem: vel ipſius Domini corpus, in quo ſunt verba Euangelij, videlicet bonæ nunciationis. Ipſe præcepit Apoſtolis prędicare Euangeliū omni creaturę. Ipſe dixit, Verba quæ ego loquor vobis, ſpiritus & vita ſunt. Chriſtus vita. Verba quę locutus eſt, in Euangelio cōtinētur. Diaconus qui portat Euangeliū, Chriſti pes eſt. Portat Euangeliū in ſiniſtro brachio, p quod ſignificatur tēporalis vita, vbi neceſsè eſt prædicari Euangelium. Salutante diacono, congruit vt omnis populus ad eum verſus ſit. Poſt hoc ſacerdos & omnis populus vertit ſe ad Orientē, vſquedū diaconus incipiat Dominū loqui & faciunt crucē in frontibus eorum. Neq; hoc fruſtrà accipiendum eſt: Quòd infixit ſacerdos per ſuam deprecationem in corde diaconi: hoc vnuſquiſq; fidelis ſtudeat infigere animo ſuo. Diacono quia non eſt licitū propter verba cōpoſita, ſequentia ſancti Euangelij ſecundùm quemcumq; Euangeliſtam orare, prœuenit eū maior benedicere: hinc, quia maiore benedictione indiget, qui tradit ſemina Euangelij, quàm qui accipit. Sed populus interìm deprecetur Deum, nè diabolus auferat verba Euangelij de corde eius, neq; petroſa ſint corda, nève dumoſa vel ſpinoſa: ſed terra bona, vt fructū bonum poſſit accipere & fructificare. Dicat ſaltē, qui promptior non eſt, vt capiat verba Euangelij,

Iphes. 5. Dum legitur Euangeliū, quæliter ſtandum.

Tymiama in thuribulo.

Benedicit epiſcopus diacono.

Euangelij librum de altari ſumere. Eſa. 2.

Mar. 16. Ioa. 6.

Euangeliū in ſiniſtro brachio portare.

cruce ſe ſignat populus.

Luc. 8.

A Gloria tibi Domine. Hoc orato, muniat ſe ſigno S. Crucis ad confirmanda ea, quæ benè cogitādo & loquēdo plantauerunt in mēte. Quia mentio facta eſt de ſigno crucis in fronte, bonū eſt intimare, cur eam potiſſimū in ea parte corporis faciamus. Sedes verecundiæ in fronte ſolet eſſe. Siquidem Iudæi erubeſcunt credere in illū quē norunt crucifixum: vt Apoſtolus Paulus dicit, Nos autē prædicamus Chriſtum crucifixum, Iudæis quidē ſcandalū. Sed nos credimus per crucifixū ſaluari, de cuius nomine Iudæi erubeſcunt, eiusque nomine nos credimus muniri. Atq; ideò in fronte ſignū facimus, vbi B ſedes verecundiæ eſt, ſicut iam diximus. Vſque ad iſtud officium baculis ſuſtētabamur; modò, vt oportet ſeruos ante Dominū ſtare, humiliter ſtamus, deponentes baculos è manibus. Qđ poteſt nos ſeparare ab opere Iudęorum, qui dabant arumdinē in manu Chriſti: Sed non abhoret à vero, ſi noſtra humilitas per baculorum poſitionē demonſtretur in conſpectu Domini. Duo cerei, qui portantur ante Euangelium, le C gem & prophetas deſignant præceſſiſſe euangelicam doctrinam: thuribulum verò, opinionē bonarum virtutum, procedentem de Chriſto. Ipſum thuribulū in tribunal aſcendit ante Euāgelium, vt ibi ſuauem odorem miniſtret. Chriſti enim bona opera præceſſerunt euangelicā doctrinam, vt Lucas teſtatur in Act. Apoſto. Quæ cœpit Ieſus facere & docere. Priùs fecit, & poſteà docuit. Excellentior locus, in quo Euangeliū legitur, eminentiſſimam doctrinam euangelicæ prædicationis, atq; manifeſtiſſimā auctoritatē iudicandi ſignat. Status cereorum, monſtrat inferiorē eſſe legē & prophetas Euāgelio. Euangelio repoſito poſt lectionē in loco ſuo cerei extinguūtur, quia finita prædicatione Euangelij, lex & prophetia ceſſabunt. Euā- D geliū quod à primo tpe aducūs epiſcopi quieuit in altari vſq; ad nouiſſimā tubam diaconi, illud tempus ſignificat, quo neceſſe eſt illud p̄dicari. Præcedens officium, prædicationē Chriſti vſque ad horam paſſionis demōſtrat, & ſuorum prędicatorū vſq; in finem mundi, & vltra. Sequens opus paſſionis Chriſti, & reſurrectionis, atque in cælos aſcenſionis, ſimiliter ſuorū vel ſacrificium, vel mortificationem, & reſurrectionem per confeſſionem atque ſuſpirium in cælum, vbi audituri ſunt, Venite benedicti pa- E tris mei, poſſidete paratum vobis regnum.

cur frontī ſignum crucis īfigitur.

1. Cor. 1.

cur deponuntur baculi è manibus.

Duo cerei lex & prophetæ. Thuribulum.

Act. 1.

Matth. 25.

Altior locus Euāgelij quam cęreorum.

Euangeliū vſque ad finem mūdi.

De officio, quod vocatur Offerenda. Cap. 19.

FInitis prioribus officijs, ſuperiùs memoratis, officiū introducitur, in quo celebratur oblatio eorū, qui Domino vota ſua perſoluūt. Primùm ad memoriam reducenda eſt oblatio legalis, ac deindè Chriſti, poſtremò noſtra. Oblatio legalis habebat duo altaria: vnum, in introitu tabernaculi: alterum, in tabernaculo. Altare in introitu, præfigurabat præſens officium, de quo ſcriptum eſt in libro Exodi: Poſuit

Oblatio legalis duo habuit altaria. Exo. vlt.

ſuit & tentorium in introitu tabernaculi, & altare holocauſti in veſtibulo teſtimonij, offerēs in eo holocauſtum & ſacrificia, vt Dominus imperarat. Pro quibus cauſis offerebatur, Numerorum liber manifeſtat, dicens in capitulo decimoquinto: Loquere ad filios Iſrael, & dices ad eos: Cùm ingreſſi fueritis terram habitationis veſtræ, quam ego dabo vobis, & feceritis oblationem Domino in holocauſtum, & victimam pacificam, vota ſoluentes, vel ſpontè offerentes munera. Eſt & alterum genus ſacrificij, quia duæ ſunt noſtræ oblationes: Vna eſt per mortificationē carnis, altera in oblatione bonorum operum, quę vtræque offeruntur in introitu tabernaculi: In præſenti vita mortificare carnē oportet, & bona opera reddere. De ſecundo ſacrificio memoratus liber ità memorat: Erit ſacrificium ſimilæ duarum decimarū, quæ conſperſa ſit oleo tertię partis hin, & vinū ad libamentum tertiæ partis eiuſdem mēſuræ offeret in odorē ſuauitatis Domino. Et quòd per ſacerdotis manum debeat offerri, manifeſtatur in Leuitico capitulo decimoſeptimo: Idcò offerre debent ſacerdoti filij Iſrael hoſtias ſuas, quas occìdunt in agro, vt ſanctificentur C Domino ad oſtium tabernaculi teſtimonij, & immolēt eas hoſtias pacificas Domino. Et iterùm in Paralipomenon monſtratur, pro quibus rebus ſit offerendum. Ingreſſi ſunt quoque ſacerdotes ad Ezechiam regem, & dixerunt ei: Sanctificauimus omnē domum Domini, & altare holocauſti. & poſt pauca: Conſurgensq; diluculo Ezechias rex, adunauit omnes principes ciuitatis, & aſcendit domum Domini, obtuleruntque ſimul tauros ſeptem, arietes ſeptem, agnos ſeptem, & hircos ſeptem pro peccato, pro regno, pro ſanctuario, pro Iuda. Dixit quoquè ſacerdotibus filiis Aaron, vt offerrēt ſuper D altare Domino. Docti ſumus veteri teſtamēto, pro quibus offerre debeamus ſacrificia, ſcilicet, pro votis, pro ſpontaneis, pro peccato, pro regno, pro ſanctuario, pro Iuda. Quando adimplemus ea, quæ in tribulatione promiſimus, pro votis facimus: Quandò gratias agimus de perceptis, pro ſpontaneis: Quandò compungimur de commiſſis, pro peccato: Quandò recta corda petimus regibus, pro regno: Quandò ſtabilitatem ſacrorum graduum, pro ſanctuario: Quandò pacem & vnanimitatem populi, pro Iuda. Interìm cantus celebratur in templo Do- E mini, dicēte eodem Paralipomenon: Conſtituit quoquè Leuitas in domo Domini cum cymbalis & pſalteriis & citharis, ſecundùm diſpoſitionem Dauid. Et paulò pòſt, Cumq; offerrentur holocauſta cœperūt laudes canere Domino, & clangere tubis, atque in diuerſis organis, quæ Dauid rex repererat, concrepare. Omni autem turba adorante cantores, qui tenebānt tubas, erant in officio ſuo, donèc cōpleretur holocauſtum. Cumque finita eſſet oblatio, incuruatus eſt rex, & omnes, qui erant cum eo, & adorauerunt. Sed antequam ingrederentur ſacerdotes

Duæ ſunt oblationes noſtræ.

Num. 15.

Offerre p manum ſacerdotis.

2. Par. 29. Pro quibus rebus offerebant ſacerdotes Domino.

Myſtica ſacrificia pro diuerſis.

Cantus inter offerendum. 2. Paral. 29

A ad holocauſta, lauabant manus ſuas, vt ſcriptū eſt in libro Exodi. Locutuſq; eſt Dominus ad Moyſen, dicens: Facies & labrum æneum cum baſi ſua ad lauandum, ponesq; illud in tabernaculo teſtimonij ad altare: & miſſa aqua, lauabunt in ea Aaron & filij eius manus ſuas & pedes, quandò ingreſſuri ſunt tabernaculum teſtimonij, & quandò acceſſuri ad altare. Sufficiant iſta interìm de oblatione veteri: nunc videamus Chriſti oblationem. Officium, quod nos dicimus offerenda, ab illo loco inchoatur, vbi ſacerdos dicit, Dominus vobiſcū: & finitur, B vbi excelſa voce dicit, Per omnia ſecula ſeculorum. Ideò excelſe nouiſſimum profertur, vt audiatur à populo. & populi reſponſione confirmetur oratio. Chriſtus enim venire dignatus eſt Hieruſalem die palmarum, & ibi expectare diem immolationis ſuæ. Omnis retrò immolatio illum prefigurabat: in illo conſummata eſt omnis immolatio. In eo die deſcēdit Dominus de monte olioueti, veniente ei obuiā turba multa. Non eſt dubium, quin ſalutaret eam ſecundùm morem bonum antiquæ traditionis, quē etiā noſtra nō ſolùm perita eccleſia, ſed etiam vulgaris tenet. Solet ſibi obuianti aliquid bonū optare cauſa ſalutationis. Et præcipuè propterèa dicimus Dominum ſalutaſſe turbam venientē ſibi obuiam, quoniam talis erat conſuetudo Iudæorum, vt Auguſtinus in pſalmo, Sæpè expugnauerunt me. Noſtis enim, ait fratres, quandò tranſitur per operantes, eſt cōſuetudo, vt dicatur illis, benedictio Domini ſuper vos. Et magis iſta conſuetudo erat in gente Iudæorum. Nemo tranſibat, & videbat aliquod opus in agro, vel in vinea, vel in meſſe, vel aliquid eiuſmodi, non licebat tranſire ſinè benedictione. Hęc conſuetudo manet vſque hodiè in noſtra eccleſia, quandò tranſitū facimus de vno officio ad alterum, quaſi nuper introeamus ad operarios, ſalutamus eos verbis benedictione plenis. Poſteà dicit ſacerdos, Oremus. Niſi Chriſti virtus repleſſet corda turbarū ad orationē, non ei canerent tam magnificas laudes. Oratione enim ſerenatur cor ad cognoſcendū Dñm. Puritas lintei, quod ponitur in altari, puritatē mentiū eorū ſignat, q. Dño cantabāt. Eandē puritatē, qua repleuerat corda cantantiū, requirebat in templo, quandò eiecit indè vendentes & ementes, dicens: Scriptū eſt, Domus mea domus orationis vocabitur. Dū enim ſacerdos ſuſcipit oblationes, cantores cantant. Quandiù enim turba cantabat, Oſanna in excelſis, Chriſtus vota eorū ſuſcipiebat. Oblatione ſuſcepta, ſacerdos redit ad altare, vt in eo diſponat ſiue ipſe, ſiue diaconus oblationes corā Dño, quas illi immolaturus eſt in ſequentibus Miſſæ. Chriſtus .n. poſt accepta vota cantātiū, Hieruſalē & tēplū Dñi intrauit, in quo erat altare, ibiq; ſe præſentauit ſibi Deoq; patri ad immolationē futurā. Poſteà dicit ſacerdos Secretā, vt ſecreta Chriſti, q̄ illo tēpore agebant, nobis ad memoriā ducantur. Auguſt. legamus

Exo. 30. Labiū æneū in templo ad lauandū

Principiū & finis offerendæ.

Matth. 2. Immolatio Chriſti.

Turba à Chriſto ſalutata.

Pſal. 128. Conſuetudo ſalutandi operantes.

Oremus.

Puritas lintei puritatem mētiū deſignat.

Matth. 21.

Ioa. 2. Eſa. 56.

Sacerdos redit ab oblatis ad altare.

Tract. 28. to. 9.

Secreta qd repræsentat. Aug. tract. 28. to. 9. Vmbræ futurorum in lege.

super Ioannem, vbi exponit Christum venisse ad diem festum scenopegiæ, non manifestè, sed quasi in occulto, ità inquit: Manifestetur ergò, tollatur velum, appareat, quod erat secretum. Omnia quæ dicta sunt antiquo populo Israel in multiplici scriptura sanctæ legis, quæ agerent siue in sacrificijs, siue in sacerdotijs, siue in diebus festis, & omninò in quibuslibet rebus, quibus Deum colebant, quæcunque illis dicta & præcepta sunt, vmbræ fuerunt futurorum, quæ implentur in Christo. Vndè dicit Apostolus: Quotquot enim promissiones Dei, in illo etiam, id est, in Christo impletæ sunt. Ex his dictis intelligere possumus, cuius vice Secretam dicat sacerdos. Agnus paschalis latebat in Christo, qui immolandus erat. Hoc erat secretum Apostolis, erat secretum cæteris fidelibus, qui cum eo erant: erat secretum populo Iudæorum vsque ad diem cœnæ, quo ipse apertiùs manifestare dignatus est passionem suam. Vsque ad illum diem protèditur secreta sacerdotis. Moraliter in præsenti officio altare nostrum præfiguratur ab altari holocausti, quo immolabantur victimę pro peccato, pro regno, pro sanctuario, pro luda, pro votis, pro sponta neis. Has oblationes quotidiè habemus in nostra ecclesia: easdem per manus sacerdotis offerimus. Altare nostrum designat in præsenti generalem vitam iustorum, qui carnem suam crucifigere quotidiè cum vitijs & concupiscentijs, atque in hostiam viuentem Deo offerre solent: Si altare quod præfiguratur ab altari holocausti, significat generalem vitam iustorum, oblationes quæ in eo offeruntur, eorũ cogitationes & bona opera designant. Redeamus ad initium præsentis officij. Salutat episcopus populum, deprecando, vt Dominus sit cum illo. Populus econtrà orat pro sacerdote, vt simul cum suo spiritu sit Dominus cum eis. Hæc salutatio introitũ demonstrat ad aliud officiũ. Posteà dicit, Oremus, admonetq; vt vnusquisque offerentium sese ad suam conscientiam introducat. Si quis habet ad immolandum, immolet, id est, si quis conscius est proprij vitij, roget, vt mucrone inuisibili feriatur: Si quis habet voluntarium sacrificium, siue spontaneum, siue pro quacunq; re sit, precetur antequàm de manu eius exeat, vt acceptabile sit Domino, nec despiciatur, sicut despectum est Cain, quia non rectè offerebat. Interìm ponitur sindon in altare. Sindone, quam solemus corporale nominare, admonetur omnis, scilicet populus & ministri altaris, necnon & sacerdos, vt sicut illud linteum castigatum est ab omni naturali viriditate & humore, ità sit mens offerentium ab omni carnali cupiditate: & sicut illud nitet suo splendore, ità intentio offerentium, simplicitate niteat coram Deo. Dein transit sacerdos ad suscipiendas oblationes: Interìm cantores cantant more antiquorum, vt iam prętulimus, siue turbarum, quæ cantabant Christo venienti Hierusalẽ. Populus dat oblationes suas, id est, panem & vinum secundùm ordinem Melchisedech. Panis quem offert & vinum, exprimunt omnia desideria pia intrinsecùs latentia, siue sint pro immolatione, seu pro hostia viua. Quod foris agitur, signum est illius quod intrinsecùs latet. Vndè Augustinus in libro decimo de ciuitate Dei cap. 19. Qui autẽ putant hęc visibilia sacrificia dijs alijs cõgruere: illiverò tãquã inuisibili inuisibilia, maiora maiori, melioriq; meliora, qualia sunt puræ mentis & bonæ voluntatis officia, profectò nesciunt hæc ità esse signa illorum, sicut verba sonantia, signa sunt rerum. Quocirca sicut orantes atque laudantes ad eum dirigimus sacrificantes voces, cui res ipsas in corde quas signi ficamus, offerimus: ità sacrificantes non alteri visibile sacrificium offerendũ esse nouerimus, quàm illi, cuius in cordibus nostris inuisibile sacrificium nos ipsi esse debemus †. Susceptis oblationibus, reuertitur sacerdos ad altare, disponente diacono oblatas super altare, more primorum septem diaconorum. Lauat sacerdos manus suas more priorum sacerdotum, vt exterſæ sint à tactu communium manuum, atque terreno pane. Quę lauatio manus, mundtiam cordis signat per lachrymas & compunctiones, sicut Beda in libro de tabernaculo & vasis eius refert. Rectè, inquit, * pro altari holocausti labrum ponitur, in quo abluti sacerdotes, ingrediantur tabernaculum, & thymiama Domino incendant. Duobus namque modis lachrymarum & compunctionum status distinguitur. Et post pauca: Neque enim quisquam de plebe ibì lauari, sed ipse Pontifex iussus est, & filij eius, videlicet sacerdotes gradus inferioris: quia magnorum virorum sicut perfectior vita, sic & compunctio solet esse sublimior. Et iterùm: Quòd si in persona Aaron ipsum magnum Pontificem Dominum saluatorem accipere volumus, constat etiàm, eum huius aqua labri priùs, quàm ad altare oblaturus intraret, esse lotum: Quia, priusquàm thymiama sui sacrosancti corporis propter salutem nostram in altari crucis incẽderet, pro nostri amore etiam lachrymas fudit, quod in resurrectione Lazari celeberrimè innotuit. Cantantibus adhuc cantoribus, vadit sacerdos ad altare, & orat, Quod cæteros præmonuit facere, agit. Orat pro suis propriis delictis remissionem, vt dignus sit accedere ad altare, & ad tactum oblatarum: nè fiat illi, quod factum est Bethsamitibus, qui temerè viderunt arcam Domini, de quo scribitur in libro Samuelis: Percussit autẽ de viris Bethsamitibus, eo quòd vidissent arcam Domini, & percussit de populo septuaginta viros, & quinquaginta millia plebis. Deindè susçipit oblationes Sacerdotum & Diaconorum, quibus licitum est accedere ad altare. Accipit etiam ab archidiacono duas: vnam, pro se, & alteram pro diacono. Ex thuribulo quod superimponit post orationem, demonstrat per quem ei propitiari possit Deus, videlicet per Dominum

2. Cor. 1.

Christus agnus qui latebat.

Altare holocausti figura fuit altaris nostri

Gal. 5. Rom. 12.

Expositio officij secretæ.

Offerentes examinent cõscientias suas.

Gen. 4. Mysterium in sindone idest corporali.

Oblationes populi, panis, & vinũ.

To. 5. Visibile sacrificiũ signum est inuisibilis sacrificij, quod nos ipsi sumus.

Lauat Sacerdos manus.

Beda lib. 3. cap. 14 * prope altare.

Labrum æneũ siue labium.

Christus lachrymis lotus est antequam in cruce offeret. Ioan. 11.

Oratio sacerdotis ꝑ seipso.

1. Reg. 6.

Turribulẽ designat corpꝰ Christi.

Dominum nostrum Iesum Christum, cuius corpus designat, thuribulum, de quo scriptum est in Exodo, vt offerãt in ea thymiama Domino, nè fortè moriantur. Vndè Beda memoratus: Mors etenim timenda est animæ spiritalis & æterna, si qui ad ministerium altaris electus, Thymiama orationum Deo reddere negligit. Diaconus aquam miscet vino. Cur hoc faciat, Cyprianus monstrat ad Quirinũ, de sacramento Dominici calicis, dicens: Quandò autem in calice vino aqua miscetur, Christo populus adunatur, & credentium plebs ei, in quem credidit, copulatur & iungitur. Quæ copulatio & coniunctio aquæ & vini sic miscetur in calice Domini, vt commixtio illa ab inuicem non possit separari. Vndè Ecclesiam, id est, plebem in ecclesia constitutam, fideliter & firmiter in eo quod credidit, perseuerantem, nulla res separare poterit à Christo, quo minus hæreat semper & maneat indiuidua dilectio. Sic autem in sanctificando calice Domini offerri aqua sola non potest, quomodò & vinum solum non potest. Nam si vinum tantùm quis offerat, sanguis Christi incipit esse sinè nobis: si verò aqua sit sola, plebs incipit esse sinè Christo. Quandò autem vtrumque miscetur, & adunatione confusa sibi inuicèm copulatur, tunc sacramentum spiritale & cæleste perficitur. Sic verò calix Domini non est aqua sola, aut vinum solum, nisi vtrumque sibi misceatur: quomodò nec corpus Dñi potest esse farina sola, aut aqua sola, nisi vtrumq; adunatum fuerit & copulatum, & panis vnius compage solidatum. Quo & ipso sacramento populus noster ostenditur adunatus: Vt, quemadmodùm grana multa in vnum collecta & commolita & commixta, panem vnum faciũt: sic in Christo, qui est panis cælestis vnũ scimus esse corpus, cui coniunctus sit noster numerus & adunatus. Omnis populus intrans ecclesiam, debet sacrificium Deo offerre: At cantores, qui sunt de genere Leuitarum, propter instantem necessitatem cantandi, non habent licentiam huc illucque discurrendi, vt singuli offerant cum cæteris. Statutum est eis, vt penitus non sint extorres à sacrificio, custodire aquam, & hanc vnum offerre pro cæteris. Populus offert vinum, cantores aquam. Sicut vinum & aqua vnum fiunt in calice, sic populus & cantores in corpore Christi. Cantores more Leuitarum antiquorum, qui omnia necessaria tabernaculi prouidebant, quærant aquam ad fontem, & seruent eam coopertam vsq; ad tempus sacrificij, & tunc mandent eã offerant. Posteà ponit calicẽ in altari diaconus, & sudarium suum in dextro cornu altaris: Est habile ad hoc, vt quicquid accesserit sordidi, illo tergatur, & sacerdotis mundissimum maneat. Si per incuriam sacerdotis ante horam sacrificij aliquæ maculæ inhæserunt variarum tentationum, has suo sudario detergat. Hora sacrificij ita vigilet, vt nullæ possint inhærere, quantùm humana fragilitas sinit, quin illicò repellantur

Exod. 30.

Cypr. lib. 2 epist. 3. Vini & aquæ commixtio in calice.

Ex farina & aqua cõmixtis fit panis.

Populus vinum, cantores aquam offerunt.

Sudaria diaconi & sacerdotis.

Ne inhærent sacerdoti tentationes.

in ostio suggestionis, ac quieta mente pro peccatis aliorum intercedat. Vndè Cyprianus in sermone de oratione Dominica: Quandò autẽ stamus ad orationem, dilectissimi, vigilare & incumbere ad preces toto corde debemus. Cogitatio omnis carnalis & secularis abscedat, nec quicquam tunc animus, quàm id solùm cogitet quod precatur. Ideò & sacerdos ante orationem præfatione præmissa, parat fratrũ mentes, dicendo, Sursum corda: vt dum respondet plebs, Habemus ad Dominum, admoneatur, nihil aliud se quàm Deum cogitare debere. Claudatur contra aduersarium pectus, & soli Deo pateat, nec ad se hostem Dei tempore orationis adire patiatur. Obrepit enim frequenter, & penetrat, & subtiliter fallens, preces nostras à Deo auocat, vt aliud habeamus in corde, & aliud in voce, quando intẽtione sincera Deum debeat nõ vocis sonus, sed animus & sensus orare: quæ autem segnitia est, alienari & capi ineptis cogitationibus & prophanis, cùm Deum deprecaris? quasi sit aliud, quod magis debeas cogitare, quàm id quod cũ Deo loqueris. Quomodò te à Deo audiri postulas, cum te ipse non audias? vis esse Deum tuì memorem, cùm rogas, quandò tu ipse tui memor non sis? Hoc est de eo hoste in totum non cauere, hoc est, quandò oras Deum, maiestatem Dei orationis negligentia offendere: hoc est vigilare oculis, & corde dormire: cum debeat Christianus, & cum dormit oculis, corde vigilare, sicut scriptum est ex persona Ecclesiæ loquentis in Cantico canticorum: Ego dormio, & cor meum vigilat. Quapropter solicitè & cautè Apostolus admonet, dicens: Instantes orationi, vigilantes in ea: docens scilicet, & ostendens, eos impetrare quod postulãt de Deo posse, quos Deus videat in oratione vigilare. Orantes autẽ, non infructuosis & nudis precibus ad Deũ veniant. Inefficax petitio est, cùm precatur Deum sterilis oratio. Nam cùm omnis arbor non faciens fructum, excidatur, & in ignem mittatur: vtiq; & sermo nõ habens fructum, promereri Deum nõ potest, quia nulla operatione fœcundus est. Et idcircò scriptura diuina instruit, dicens: Bona est oratio cum ieiunio & eleemosyna. Quo facto, reuertitur ad populum sacerdos, & precatur, vt orent pro illo, quatenus dignus sit uniuersæ plebis oblationem offerre Domino. Præsentes adorationes prælibatæ sunt in Paralipomenon, vbi orat turba cantantibus Leuitis. Post holocaustũ nempe incuruatus est rex, & omnis populus. Audiui dicere, quòd plebs eadem hora tres versiculos cantet pro sacerdote: Mittat tibi Dominus auxilium de sancto, & duos sequentes.

Ser. 6.

Sursum corda.

Nè sit locus ineptis cogitationibus in oratione.

Vigilare in oratione.

Cant. 5. Coloss. 4.

Nè sit oratio sterilis sine fructibus. Matth. 3. & 7. Tobiæ 12.

Orate pro mepeccatore fratres.

2. Paral. 7.

Psal. 19.

De Secreta. Cap. 20.

SEquitur Secreta. Secreta ideò nominatur, quia secretò dicitur. In hac primò nominatur hostia siue sacrificium, oblatio: in hac precatur

Oratio ꝙ secreta dr.

catur sacerdos per eandem hostiam purgari vsquequaque. Sacerdotis solius est, soli Deo offerre sacrificium, ac ideò quia Deo cogitationibus loquimur, non est necessaria vox reboās, sed verba ad hoc tantùm, vt eisdem admoneatur sacerdos, quid cogitare debeat. In sequenti namq; oratione clamat ad populum, vt quod ipse iam habet, habeat & ille, hoc est, sursum cor: ac deindè, vt gratias agat Deo pro serenitate mentis. Igitur hoc necessariò extollitur voce. Quod omnibus licet simul agere, id est, gratias referre Deo, hoc acclamatur: Quod ad solum sacerdotem pertinet, id est, immolatio panis & vini, secretò agitur. Quantùm enim victima præstabat in veteri testamẽto ad Domini sacrificium, postquàm ducta erat ad ostium tabernaculi: tantùm præstat sacrificium in prima positione altaris. Non potest iam mutari neque in melius neque in deterius.

Cur alte dicẽ Sursum corda.

Leuit. 4.

De Hymno ante passionem Domini, siue Præparatione. Cap. 21.

HYmnus ideò dicitur, qu'a refertus est gratiarũ actione, & laudibus Angelorum. Præparatio, quia parat fratrum mentes ad honestatem decentem conuentui sanctorum Angelorum, qui solent adesse consecrationi corporis Christi, & ad ipsam reuerentiam tantæ consecrationis. Ac ideò excelsa voce cantatur. Officium hoc inchoatur à salutatione quæ dicitur antè Sursum corda, & finitur in hymno, Sãctus, sanctus, sanctus: præsens officium tempus illud nobis ad memoriam reducit, quãdò Christus in cœna ascendit in cœnaculum magnum stratum, & ibi multa locutus est cum discipulis, & hymnum retulit Deo patri, quem Ioannes commemorat, vsquedum exiret in montem Oliueti. Ibi gratias egit Deo, ibi hymnum cantauit, in quo precatus est Patrem, vt seruaret discipulos suos à malo, dicendo: Non rogo vt tollas eos de mundo, sed vt serues eos à malo: Et vt sancti permaneant, subiunxit: Sanctifica eos in veritate. & iterùm: Et pro eis sanctifico meipsum, vt sint & ipsi sanctificati in veritate: Et vt in cęlũ transeant, dicit in sequentibus, Pater, quos dedisti mihi, volo vt vbi ego sum, & illi sint mecum, vt videant claritatem meam, quam dedisti mihi. iuxta hunc sensum, altare est mensa Domini, in qua conuiuabatur cum discipulis suis: Corporale, linteum quo erat ipse præcinctus: Sudarium, labor de Iuda proditore. Hunc ordinem sequitur sacerdos: Cum suis auditoribus ascendit in cœnaculum, quando dicit, Sursum corda: Auditores respondent, Habemus ad Dominum. Quod precatus est pro se in præfatione, vt cor suum esset alienum à vinculis mundanis, hoc nunc monet auditores suos, vt pro tanto dono gratias agant Deo: Auditores confirmant dignum & iustum ita esse, & cætera, vsque, per Christum Dominum nostrum. Per quem reconciliati sumus

Hymnus Angelorũ qui & Præparatio dr.

Præfationis principiũ & finis.

Matth. 26. Ioan. 17.

Hymnus Christi post cœnã in horto.

Altare mẽsa Dñi dr.

Præfationis verba.

Per Christum Dñm

A Deo, per illum nostras gratiarum actiones offerimus: & quia non solùm ea renouata sunt per Christum, quæ sunt in terra, sed etiam quę in cælis, recolit cælestium laudes. Quia enim de sacrificio agitur, restat vt & gratiarũ actiones, quas sacerdos offert, pro sacrificio eius accipiamus: & ministeria Angelorum quæ recoluntur in præsenti hymno, pro eorum sacrificio. Illud intendendum est in omnibus officiis immolationis, tali nomine censendum esse visibile altare, quale est cor offerentium. Tempore quo hymnus ante passionem celebratur, altare nostrum aptatur altare thymiamatum, quod significat specialem quorumdam perfectorum vitam, eorum scilicet, qui maiori mentis perfectione, extinctis prorsus ac sopitis illecebris omnibus carnis, sola Domino orationũ vota offerunt, nihil quidem de carne quod se impugnet, nihil de conscientia peccati, vndè conturbentur ac paueant, habentes: sed dulcium profusione lachrymarum optantes venire & parére ante faciem Domini. Oblatio quę superposita est in priore officio, Deo deputata est, ac per hoc sanctificata, id est, à terrenis separata, & cælestibus deputata: In ista obserua tur, vsquedum ex ea fiat corpus Domini, ac posteà assumatur in cælum. Intimatum est, hanc præparationem quæ celebratur in altari thymiamatis, sacrificium Angelorum ad memoriam nobis reducere, ac ideò quod dicit sacerdos, Quam laudant Angeli, Angelorum sacrificiũ est. In Angelis, Archangelos intelligimus. Dominationum sacrificium, adhortatio, in quibus Principatus intelligimus. Sicut Dominationes subiecta sibi habẽt Angelorum agmina, quibus mira potentia præminent: sic & principatus spiritus bonorum Angelorum, quibus ad explenda diuina ministeria principantur. Qui dominantur, principantur. Potestatũ tremor, cælorumque Virtutumque ac beatorum Seraphin agminum societas sancta. Cælos pro thronis positos intelligimus, quia cælum sedes Dei dicitur: Hisque coniungimus Cherubin. super quæ dicit Deus sedere, sicut Psalmus, Qui sedes, inquit, super Cherubin, appare. His nouem ordinibus prælibatis, ordo decimus cõditionis humanæ adnexus est: ex cuius voce dicit sacerdos, Cum quibus & nostras voces vt admitti iubeas deprecamur. Hymnus sequens, qui additus est primæmo hymno, à Sixto Papa additus est, vt in gestis pontificalibus legitur. Ita enim scriptum est: Hic constituit, vt intra actionem sacerdotis incipiens populus hymnum decantaret: Sanctus, sanctus, sanctus, Dominus Deus Sabaoth. Idem hymnus horum duorum ordinum voces continet: Ordo Angelorum dicit, Sanctus, sanctus, sanctus, Dominus Deus sabaoth, Pleni sunt cæli & terra gloria tua: ordo hominum dicit, Osanna in excelsis, benedictus qui venit in nomine Domini. Quam partem hymni cantauit turba die palmarum præcedens Dominum Hierusalẽ. Iam diximus de altari, quid

Sacrificiũ.

Rhymiama perfectiorũ vitam significat.

Oblatio ex qua fit corpus christi.

Sacrificiũ Angelorũ

Nouẽ chori Angelorum.

Esa. 66. psal. 79.

Decimus chorus ex hominibus est.

Hymnus partim Angelorũ partim hominum est.

Matth. 21.

signifi-

significet: dicẽdum est de sudario. Sudarium iacens in altari, significat laborem, quem habẽt Angeli in ministerio humano, siue perfecti viri, qui non cessant orare pro nostra fragilitate. Corporale verò intentionem non fictam. Stant interim episcopi siue sacerdotes seu diaconi post pontificem: subdiaconi verò in facie eius. Ibi illud adimpletur, quod in memorato cœnaculo dicit Dominus discipulis suis secũdum Lucam: Reges gentium dominantur eorum, & qui potestatem habent super eos, benefici vocantur: vos autem non sic; sed qui maior est in vobis, fiat sicut iunior: & qui præcessor est, sicut ministrator. Nã quis maior est, qui recumbit, an qui ministrat? Nonnè qui recumbit? Ego autem in medio vestri sum, tamquàm qui ministrat. Multos discipulos Christi doctrina habebat, de quibus erant illi centum viginti, qui die Pentecostes simul inuenti sunt in vna domo. De ipsis erat Ioseph ab Arimathia, discipulus Iesu occultus propter metum Iudæorum: & ipse baiulator aquæ, qui suscepit eum in cœnaculo suo, cui Dominus mandauit, Dicit tibi magister. Hi denique siue essent corporali positione in cœnaculo, quandò Dominus cœnauit, seu non forent; tamen eius obsequio non deerant: sicut is non defuit, qui strauit cœnaculum magnum. Hos credimus designari per subdiaconos, qui in facie stant, sicut stetit ille siue per præsentiam suam, seu per ministerium, cuius erat cœnaculum: siue mulieres, quæ perseuerarunt in passione Domini, de quibus Gregorius in Moralibus scribit: Sed cum ad crucis horam ventum est, eius discipulos grauis ex persecutione Iudæorum timor inuasit, fugerunt singuli, mulieres adstiterunt. Quasi ergò consumpta carne, os Domini pelli suæ adhæsit, quia fortitudo eius, passionis tempore, fugientibus discipulis, iuxta se mulieres inuenit. Stetit equidem aliquandiù Petrus: sed post territus, negauit. Stetit etiam Ioannes, cui ipso crucis tempore dictum est, Eccè mater tua: sed perseuerare minimè potuit, quia de ipso quoque scriptum est, quòd adolescens quidam sequebatur illum amictus sindone super nudo, & tenuerunt eum: at ille reiecta sindone, nudus profugit ab eis. Qui etsi posteà vt verba sui Redemptoris audiret, ad horam crucis rediit, prius tamen territus fugit. Mulieres autem non solùm non timuisse neque fugisse, sed etiam vsque ad sepulchrum stetisse memorantur. Dicit ergò, Pelli meæ consumptis carnibus adhæsit os meum, hoc est, Hi qui meæ fortitudini propinquiùs inhærere debuerunt, passionis meæ tempore timore cõsumpti sunt, & eas quas ad exteriora ministeria posui, in passione mea sinè formidine inhærere mihi fideliter inueni.

Sudarium quid significat.

Diuersus status circa altare.

Luc. 22.

Multi discipuli Christi extra xij Apost. Ioan. 19. Luc. 22.

Illi discipuli per subdiaconos representantur.

lib. 14. c. 23

Iob 19.

Petrus & Ioannes in passione Christi. Ioan. 19. Mar. 14.

Mulieres nõ fugerũt sicut Apostoli. Iob 19.

De Hymno, Sanctus, sanctus, sanctus. Cap. 22.

POst hymnum inchoatum, Sanctus, sanctus, sanctus, inclinant se, & qui retrò stant, & qui in facie, venerando scilicet maiestatem diuinam, & incarnationem Domini, quæ introducta sunt per cãtum Angelorum & turbarum. Angelorum concentus, dicendo, Sanctus, sanctus, sanctus, Dominus Deus sabaoth, maiestatẽ diuinam introducit: Turbarum verò, Domini incarnationem, dicendo: Benedictus qui venit in nomine Domini, Osanna in excelsis.

Duę partes Hymni, Angelorũ vna, turbarum altera.

De Te igitur. Cap. 23.

PErseuerant retrò stantes inclinati vsquedũ finiatur omnis præsens oratio, id est, vsquedum dicatur post orationem Dominicam, Sed libera nos à malo. Quod enim sequitur, vsque, Per omnia secula seculorum, expositio est nouissimæ petitionis Dominicæ orationis. Illi. n. sunt, quibus Dominus dixit, vos autem estis, qui permansistis mecum in tentationibus meis, & ego dispono vobis, sicut disposuit mihi pater meus regnum. Vndè Beda in tractatu super Lucam: Non inchoationi patientiæ, sed perseuerantię cęlestis regni gloria donatur, quia nimirum perseuerantia, quæ alio nomine constantia vocatur, robur quoddam & fortitudo mentis, cunctarumque, vt ita dixerim, est columna virtutum, quæ cùm benè recta & firma consistit, nihil est certiùs, nihil tutius bonis moribus †. Ipsi stant inclinati, donèc liberentur à malo. Hi enim sunt Apostoli, qui magna tribulatione erant oppressi: Antequàm audirent Domini resurrectionem nõ se audebant erigere, vt confiterentur se esse Christi discipulos. Hi quamuis in passione non forent præsentes, tamen perseuerãt post Christi resurrectionem in tentationibus. Non enim surgunt ante lucẽ, de qua Psalmista dicit, Vanum est vobis ante lucem surgere, id est, vanum est gloriari antequam resurgatis à mortuis: At qui in facie stãt, signant discipulos occultos propter metum Iudæorum, siue mulieres, quæ Christi poterant in facie persistere. Sua inclinatione subdiaconi mœstitiam eorum signant, de quibus dicit idem qui supra in eodem. Nõ autem ideò solus mulierum planctus eum sequebatur, quia non innumerus etiam virorum præsentium cœtus de eius erat passione mœstissimus: sed quia fœmineus quasi contemptibilior sexus, liberius poterat præsentibus sacerdotibus, & principibus, & magistratibus, quid contra eos senserit, ostentare, qui poterant non dolere, quando eum, quem nimio amore dilexerunt, & nouerunt innocentem, ab impiis comprehendi, ligari, duci ante eos, spui in faciem, flagellari, crucifigi viderunt? Quid significet eorum erectio ante finitam orationem, si Dominus dederit,

congruis

Virtus perseuerantię.

Qui sunt qui stãt inclinati.

Psal. 126.

subdiaconi qui stant in facie epi

Universidad de Deusto
Biblioteca

Te igitur.

Duo altaria. Duo sacrificia.

congruis in locis monstrabitur: Nunc de TE IGITVR, dicendum est: Ab initio orationis vsq; ad locum vbi dicitur, Et in electorum tuorum iubeas grege numerari per Christum Dominum nostrum, celebratur sacrificium electorum, qui non habent in carne quod eis repugnet, neque in conscientia quod conturbet. Sicut enim duo altaria erant in tabernaculo Moysis, siue in templo Salomonis, vnum thymiamatis, alterum, holocausti: ita sunt duo sacrificia sanctæ Ecclesiæ. Vnum est, in quo omnes carnales motus sopiti sunt, de quo commemorauimus, & nunc iterùm commemorandum est. Alterum est, in quo necessè est quotidiè carnales motus mactare: de quo in posterioribus dicendum est. In promptu altare thymiamatis est, ex vtroque officio capitis scilicet & corporis, vsque ad locum de quo superiùs titulatum est. Nunc verò reddendum est, cur oratio præsens & præfatio secretè dicantur, ex sermone Cypriani de Dominica oratione: Sit, inquit, orantibus sermo & precatio cũ disciplina, quietem continens & pudorem. Cogitemus nos sub conspectu Dei stare, placendum est diuinis oculis & habitu corporis, & modo vocis. Nã vt impudentis est clamoribus strepere, ita cõtra congruit verecũdo, modestis precibus orare. Deniq. magisterio suo Dominus secretò nos orare præcepit, in abditis & semotis locis, in cubilibus ipsis. Quod magis conuenit fidei, vt sciamus Dominum vbique esse præsentem, audire omnes & videre, & maiestatis suæ plenitudine in abdita quoque & occulta penetrare, sicut scriptum est: Ego Deus appropinquans, & non Deus de longè: si absconditus fuerit homo in absconditis, ego ergò non videbo eum? Nonné cælum & terram ego impleo? Et iterùm: In omni loco oculi Domini contemplantur bonos & malos. Et quando in vnum cum fratribus cõuenimus, & sacrificia diuina cum Dei sacerdote celebramus, verecundiæ & disciplinæ memores esse debemus, non passim ventilare preces nostras inconditis vocibus, nec petitionẽ commendandam modesto Deo tumultuosa loquacitate iactare, quia Deus non vocis, sed cordis auditor est: nec admonendus est clamoribus, qui cogitationes hominum videt, probante Domino & dicente, Quid cogitatis nequam in cordibus vestris? & alio loco: Et scient omnes Ecclesiæ, quia ego sum scrutator renum & cordis. Quod Anna in primo Regnorum libro, Ecclesiæ typũ portans, custodit & seruat, quæ Deum non clamosa petitione, sed tacitè & modestè intra ipsas pectoris latebras precabatur, & loquebatur prece occulta, sed manifesta fide. Loquebatur non voce, sed corde, quia sic Dominum sciebat audire, & impetrauit efficaciter, quod petiit, quia fideliter postulauit. Declarat scriptura diuina quæ dicit, Loquebatur in corde suo, & labia eius mouebantur, & vox eius non audiebatur, & exaudiuit eam Dominus. Item legimus in Psalmis, Dicite in cordibus vestris, & in cubilibus vestris compungimini. Per Hieremiam quoque hæc eadem Spiritus sanctus suggerit, & docet, dicens: In sensu autem tibi debet adorari Dominus. Adorans autem, fratres dilectissimi, nec illud ignoret, quemadmodùm in templo cum Pharisæo publicanus orauerit, non alleuatis in cælum impudenter oculis, nec manibus insolenter erectis, sed pectus suum pulsans, & peccata intùs inclusa contestans, diuinæ misericordiæ implorabat auxilium: & cum sibi Pharisæus placeret, sanctificari hic magis meruit qui sic rogauit: Qui spẽ salutis non in fiducia innocentię suæ posuit, cũ innocens nemo sit, sed peccata confessus, humiliter rogauit, & exaudiuit orantem, qui humilibus ignoscit. Quia audiuimus ex Cypriano modum orationis, audiamus ex TE IGITVR, orationes. Primò vice Christi sacerdos tres orationes exercet, sicut Dominus fecit postquam exiuit in montem Oliueti ante traditionem suam, id est, pro vniuersali Ecclesia, & pro fratribus specialibus, & pro choro sacerdotum. Prima oratio Christi est: Mi pater, si possibile est, transeat à me calix iste: Verumtamen non sicut ego volo, sed sicut tu. Transferri à se calicem postulat, non quidem timore patiendi, sed misericordia prioris populi, nè ab illo bibat calicem propinatum. Vndè & signanter non dixit, Transfer à me calicem; sed, Calicem istum, hoc est, populi Iudæorum. Secunda oratio Christi est: Pater mi, si non potest hic calix transire, nisi bibam illum, fiat voluntas tua. Quod ita Hieronymus: Secundo orat, vt si Niniue aliter saluari non potest, nisi arserit cucurbita, fiat voluntas patris. Tertiò orauit Christus eundem sermonem, vt ex memorato Hieronymo discimus, qui dicit, Apostolorum timorem sequenti pœnitentia magistrum impetrasse corrigendum: Intelligimus eum pro suo corpore, id est Apostolis nunc orasse. Eodem numero, id est, ternario sacerdos voce electorum complet orationem suam. Sacrificium est electorum ad Deum patrem, per Christũ Dominum nostrum. Hæc dona, hęc munera, hæc sancta sacrificia illibata. Dona & munera vnũ sunt, iuxta quod Daniel respondit Balthasari, quandò ei promisit purpuram & torquem auream. Munera, inquit, tua sint tibi, & dona domus tuæ alteri da. Hoc vnum bis repetitur, quia duæ res offeruntur Deo, id est, panis & vinum. Quæ vtræque non incongruenter possunt plurali numero appellari. Etenim in pane est aqua & farina, in vino aqua & vinũ. Idipsum tertiò repetitur: Hęc sancta sacrificia illibata. Singulari repetitione duo superiora recapitulantur, quoniam in vno corpore Christi hæc sacramenta continentur. Sed quoniam potius requirit Deus sacrificium cordis, quàm hoc, quod extrinsecus ministratur, in corde sacerdotis volumus interpretari dona, & munera, & sacrificia illibata. Vndè dicit Augustinus in lib. decimo de ciuitate Dei, cap. tertio: Dona eius in no-

Oro canonis secreto dicenda. serm. 6.

Matth. 6.

Secreta oratio.

Hier. 23.

Prou. 15. Qualis dẽt esse oro in publico fratrũ cõuẽtu.

Luc. 5.

Hier. 17.

Anna mater samuelis.

1. Reg. 1.

1. Reg 1.

Psal. 4.

Hier. 29.

Oro publicani in templo. Luc. 18.

Triplex oratio in Te igitur.

Triplex oratio Christi in horto Luc. 22.

Ioné 4.

Hæc dona, hæc munera, &c. Dan. 5.

Sacrificia illibata.

in nobis, nos quoque ipsos vouemus & reddimus ei. Beneficiorum eius solennitatibus, festis, & diebus statutis dicamus, sacramusq; memoriam, ne volumine temporum ingrata subrepat obluio, ei sacrificamus hostiam humilitatis & laudis in ara cordis igne feruidam charitatis. Iuxta eumdem August. si quis vult dona offerre Deo, seipsum offerat: si quis munera sæpius memoretur beneficiorum eius: si quis sacrificia illibata, humilitatem laudemq; & charitatem offerat. Dicit idem in libro memorato, cap. quinto: Sacrificium ergò visibile, inuisibilis sacrificij sacramentum, id est, sacrum signũ est. Et in sequentibus in eodem, cap. decimonono: Quocircà, sicut orantes atque laudantes ad eum dirigimus sacrificantes voces, cuius res ipsas in corde quas significamus, offerimus: ita sacrificantes, non alteri visibile sacrificium offerendum esse nouerimus, quàm illi, cuius in cordibus nostris inuisibile sacrificium nosipsi esse debemus. Quia Domino miserante, sacrificium verum inuenimus, sequentia TE IGITVR, prosequamur. Sequitur: In primis quæ tibi offerimus pro Ecclesia tua sancta catholica, & reliq. Memoratum sacrificium pro tribus offertur, id est, pro Ecclesia sancta vniuersali, pro specialibus fratribus, quorum elee mosynas susc epimus aut munus, aut quorum sponsores sumus facti, vel quorum præsentiam intuemur in officio Missæ nostræ, quorum tamen sacrificium est laus: Pro nobis ipsis sacerdotibus, qui communicamus sanctæ Mariæ & Apostolis in vno Domino, vt in omnibus protectione Domini muniamur. Et iterùm: Tria sunt sacrificia iuxta Prophetam, quæ requirit Deus à nobis, scilicet facere iudicium & iustitiam, & diligere misericordiam, & paratum esse ire cum Domino Deo. Facit iudicium, qui se ei vouet & reddit, cuius totus est, & omne quod in eo esse potest ex his quæ sunt. Idem facit, quando indicat primò orandum esse pro pace Ecclesiæ vniuersalis: Dein diligit misericordiam, qui ex præteritis beneficiis gratias agendo, futura sibi acquirit. Ipse sibi multam misericordiam acquirit, qui Deum ad potiora prouocat. Idẽ facit misericordiam circa fratres, quandò specialiter pro eis deprecatur Dominum. Vult paratus esse vt eat cum Domino Deo, qui se dicit consortio vnius Domini communicare cum Maria & choro Apostolorum. Isti vadunt quocunque ierit Dominus. Vt non exorbitet mortalis à recto tramite, propter periculum præsentis vitæ rogat, vt in omnibus protectione Domini muniatur. In hac oratione designat sindon, quantùm ad caput pertinet, humilitatem Christi, quam assumpsit ex terreno habitu, in qua orauit Deum patrem. Sudarium verò quod iacet in cornu altaris, laborem suum, quem sustinuit in oratione, sicut Lucas dicit: Et factus est in agonia, & prolixius orabat, & factus est sudor eius sicut guttæ sanguinis decurrentis in terram. His ità prælibatis, dicit pium cor: Hanc igitur oblationem seruitutis nostræ, quæsumus Domine, vt placi dè accipias. In hac oratione deprecatur Deus, vt dignetur vota electorum suorum suscipere: atque ideò ei præsentantur per pronomen demonstratiuũ, dicendo, Hanc igitur oblationem cui posteà additũ est à sancto Gregorio, Diesque nostros in tua pace disponas, & cætera. Ostendit nullum securum esse posse in præsenti seculo de sua stabilitate, quamuis esse perfectus videatur, ac ideo necesse fore, vt semper deprecetur in pace disponi suos dies in præsenti seculo, & in futuro eripi ab æterna damnatione, & in electorum grege numerari. De corporali & sudario dictum est, quantùm ad corpus pertinet. Christus postquàm orauit pro membris suis, dixit discipulis suis: surgite eamus. eccè appropinquabit qui me traditurus est. Explanatio Hieronymi: Non nos inueniãt quasi timentes & retractantes. vltrò pergamus ad mortem, vt confidentiam & gaudium passuri videãt. Præsentat piũ cor electorũ suorũ, oblationẽ suã Dño: præsentat & pius Dñs seipsum his, per quos immolandus erat Deo patri, In hac oratione significat sindon subsistens, humilitatem maximam, in qua non solùm dignatus est orare pro suis, sed etiam tradi in manus impiorum: Sudarium verò, laborem quem sustinuit ex traditore.

Sacrificiũ in ara cordis.

Sacrificiũ visibile & inuisibile.

Sacrificiũ istud p tribus offert.

Michęæ 6.

Tria requirit à nobis Deus sacrificia.

Facere iudicium.

Diligere misericordiam.

Paratum esse cũ Deo ire.

Apoc. 14.

Quid designat sindõ

Quid sudatium. Luc. 22.

Hãc igitur oblationẽ.

Additio S. Gregorij.

Matth. 26.

Christi pietas dum se vltrò obtulit immolãdum.

De institutione Dominica in conficiendo Corpus & sanguinem. Cap. 24.

IMmolato priore sacrificio perfectorum, quod constat orationibus, & est coniunctũ sacrificio Angelorum, descenditur ad vniuersale sacrificium, immolationem scilicet Christi, quod celebratur ante, Nobis quoque peccatoribus. Etenim Christus pro peccatoribus descendit ad immolandum, dicente Paulo ad Timotheum: Humanus sermo & omni acceptione dignus, quia Christus Iesus venit in hũc mundum peccatores saluos facere. Ipse est, per quem omne sacrificium Deo offertur, quia in eo condita sunt omnia, quæ in cælis sunt, & quæ in terris. Ipse cùm sit Dominus omnium, voluit hostia fieri pro peccatoribus, qui nõ poterant Deo sacrificium offerre, vt sua immolatione reconciliarentur Deo: quatenus & ipsi non forent infructuosi, sed possent offerre sacrificium. Quoniam vna hostia Christus oblatus est pro iustis & iniustis: idem sacrificium permanet in altari, quod ante positum est. Vndè modò dicit sacerdos: Quam oblationem tu Deus in omnibus, quæsumus, benedictam, ascriptam, ratam, rationabilem, acceptabilem facere digneris. Quod sic exponendum arbitror, saluo magistrorum intellectu: Quam oblationem, quæ sic oblata est, vt ista, id est, ea deuotione, in omnibus, hoc est, tota cogitatione, tota vita, toto intellectu: benedictam, sicut hęc benedicta est, sacerdote dicente, Vt accepta

sacrificiũ vniuersale.

1. Tim. 1.

Per Christum oẽ sacrificium offert Deo

Coloss. 1. Rom. 5. Heb. 10. Quã oblationem tu Deus benedictã, &c.

Universidad de Deusto
Biblioteca

ptã habeas & benedicas : ascriptam tibi, vt hæc, de qua dictum est, quæsumus Domine, vt placatus accipias : ratam, id est, fidelem, sicut hæc quæ tibi porrecta est per Christum Dominum nostrum : Tu Deus, quæsumus, rationabilem, acceptabilemque facere digneris, quatenùs hæc nobis fiat corpus & sanguis Domini nostri Iesu Christi. Quo ordine id perficiendum sit, ex Domini institutione addiscitur : Accipit sacerdos panem manibus suis exemplo Christi, de quo dictum est: Accepit panem in sanctas ac venerabiles manus suas, & reliqua. similiter & calicem, dicente Cypriano ad Cæcilium de sacramento Dominici calicis : Inuenimus non obseruari à nobis quod mandatum est, nisi eadem quæ Dominus fecit, nos quoque faciamus, & calicem pari ratione miscentes, à diuino magisterio nõ recedamus. Quamuis hoc ille de cõmixtione vini & aquæ conclusisset, tamen de tota institutione Domi nica intelligere possumus adimplẽdum, in quo suum mandatum est, & Apostolorum obseruatio. Cæterum de crucibus, quas solemus diuerso modo facere super panem & vinum, non est quid dicam, cur tali & in tali loco figantur, vel quare plures in aliquo, vel pauciores in ali quo. Si Dominus quandò benedixit panem, fecisset crucis signaculum, ipsi norunt, qui præsentes fuerunt, præsertim cùm nondum erat erectum vexillum sanctæ Crucis : Ac modò scimus, quia necessaria est, dicente Augustino in expositione Euangelij Ioannis Homilia lxiiij. Quid, inquit, quod omnes nouerunt, signum Christi, nisi crucifixi Christi ? Quod signum nisi adhibeatur siue frontibus credentium, siue ipsi aquæ, ex qua regenerantur, siue oleo quo chrismate vnguntur, siue sacrificio quo aluntur, nihil horum ritè perficitur †. Videtur mihi, si semèl fuerit facta crux super panem & vinum, posse sufficere, quia Dominus semèl crucifixus est. Non ab re est si bis figatur, quia pro duobus populis fixus est Christus. At si figi necesse est in loco vbi dicitur : Accipiens panem, sursum necesse est figuretur super panem, & sursum super vinum, secundùm modum quo Christus vsus est in acceptione panis & calicis. In eo pane commendauit Christus corpus suum, & in calice sanguinem suum, atque subiunxit: Hæc quotiescunque feceritis, in mei memoriam facietis. Hìc concrepant verba Dominicæ mensæ cum toto officio Missæ. Canitur hìc, Accipiens panem, & reliqua quod actitatur à sacerdote, quandò suscipit oblatam in secreta Missæ, aut quandò hìc eam eleuat, Gratias agit in Hymno, Verè dignum & iustum est : benedicit in præsenti loco, frangit circa communionem. Hìc credimus naturam simplicem panis & vini mixti, verti in naturam rationabilem, scilicet corporis & sanguinis Christi. Sindon iacens in altari, signat linteum, quo erat Dominus præcinctus, & sudarium, laborem quem assumpsit in lauatione pedum, siue quem sustinuit pro labore Iudæ. Altare, mensam Domini.

Dñi institutio obseruanda est.

Cypr. lib. 2. epist. 3.

De crucib. cur & quot fiant in sacrificio, nõ est curiosè disceptandum.

sine signo crucis nihil ritè perficitur.

Officium Missę consonat cœnæ Dñicæ.

Transubstãtiario. sindon. Ioan. 13. sudarium.

De ascensione Christi in Crucem. Cap. 25.

In sacramento panis & vini, necnon etiam in memoria mea, passio Christi in promptu est. Dixit ipse : Hæc quotiescunque feceritis, in mei memoriam facietis: id est, quotiescunq; hunc panem & calicem benedixeritis, recordamini meæ natiuitatis secundùm humanitatem passionis & resurrectionis. Quarè subdit sacerdos ex voce sua & plebis: Vndè & memores Domine nos tui serui, sed & plebs tua eiusdẽ Christi filij tui Domini nostri tam beatæ passionis, necnon & ab inferis resurrectionis, sed & in cælos gloriosæ ascensionis, offerimus præclaræ maiestati tuæ de tuis donis ac datis hostiam puram, hostiam sanctam, hostiam immaculatam. Sicut in superioribus Christi corpus est viuum in sacramento panis & vini, atque in memoria mea, ita in præsenti ascendit in crucem. Cordis sacrificio intendit Deus. Vndè Cyprianus in sermone de oratione Dominica. Neq; enim in sacrificiis, quæ Abel & Cain primi obtulerũt, munera eorum Deus respexit, sed corda intuebatur : vt ille placeret in munere, qui placebat in corde. † De donis Dei ac datis hostiam puram, hostiam sanctam, hostiam immaculatam, offerimus, quandò charitate accensi hostiam offerimus de corde puro, & conscientia bona, & fide non ficta. De qua hostia in promptu dicat, institutio sacramenti subdendo manifestat, Panem sanctum vitæ æternæ, & calicem salutis perpetuę. Panis vitæ ęternę, & calix salutis perpetuæ, Christus est. vel, sicut superius dixi, hostia pura est panis: hostia sancta, calix hostia immaculata, vtrumque simul : quia vnum corpus efficiunt. De donis ac datis ita possumus dicere : Dona sunt in re æterna, data in opere temporali. Et quoniam à nobis peccatoribus vult Deus offerri sibi sua ipsa dona, obnixè precandum est, vt dignetur super ea respicere. Vndè subditur : Supra quæ propitio ac sereno vultu respicere digneris, & accepta habere, sicuti accepta habere dignatus es munera pueri tui iusti Abel, & sacrificium Patriarchæ nostri Abrahæ, & quod tibi obtulit summus sacerdos tuus Melchisedech, sanctum sacrificium, & immaculatam hostiam. Rogat sacerdos Deum patrem, vt sicut illo tempore respicere dignatus est super munera Abel, & sacrificium Patriarchæ, necnon & Melchisedech, ita super præsentia vota, quæ initium acceperunt ab immolatione Christi. Dein precatur vt suscipiantur, dicendo, Supplices te rogamus omnipotens Deus, iube hæc perferri per manus sancti Angeli tui in sublime altare tuum, in conspectũ diuinę maiestatis tuæ, vt quotquot ex hac altaris participatione sacrosanctũ filij tui corpus & sanguinẽ sũpserimus, omni benedictione cælesti & gratia repleamur per Christum Dominum nostrum.

In memoriã Christi fit Missa. 1. Cor. 11.

Cordis sacrificio intẽdit Deus Cyp ser. 6. Gen. 4.

1. Tim. 1.

De tuis donis ac datis

Verba canonis.

Pre-

Mira & magna fides Ecclesiæ circa hoc sacramentũ.

Psalmi ad Christo dicti in cruce Psal. 21. psal. 30.

Passio Christi in canone repræsentata.

Humilitas Christi per sindonem significata.

Inclinatio subdiaconorũ quid significat.

Luc. 12.

Cur ibi lauãt manus Diaconi.

Precatur sacerdos, vt præsens oblatio ità sit accepta in conspectu diuinæ maiestatis, quatenus sumpturi eam, simul fiant cælestes, & gratia Dei repleti. Mira & magna fides sanctę Ecclesię, quæ suis oculis videt, quod mortalibus deest : videt, quid credere debeat, quamuis nondum videat, quod in specie est. Credit sacrificium præsens per Angelorum manus deferri ante conspectum Domini, & sentit mandendum esse ab humano ore. Credit namque corpus & sanguinem Domini esse, ac hoc morsu, cęlesti benedictione impleri animas sumentiũ. Nempe Christus orauit in cruce, incipiens à Psalmo, Deus Deus meus, vsque ad versum, In manus tuas commendo spiritum meum. Postèà inclinato capite, emisit spiritum. Sacerdos inclinat se, & hoc quod vice Christi immolatum est, Deo patri commendat. Sancita est passio Christi pro nobis vsque ad istum locum, ab eo loco vbi dicitur, Vndè & memores. Altare præsens, altare est Crucis. In isto nos peccatores qui ex gentibus venimus, reconciliati sumus Deo ad offerenda ei sacrificia. Sindon in isto, humilitatem illam signat, qua humiliatus est patri vsque ad mortem. Non abhorret à vero, si humilitas designetur per sindonem. Augustinus scribit in Psalmo nonagesimo secundo. Qui enim humilis tunc fuit, quando linteo præcinctus est, & lauit pedes discipulorum. Sudarium verò, laborem passionis. Inclinatio subdiaconorum vsquemodò, mœstitiam demonstrat eorum discipulorum, quibus licitum erat perseuerare in præsentia Christi, quandò flagellabatur, & omnia illa agebantur, quæ de eius passione leguntur, tunc potissimùm dolebant qui eius erant sectatores : At postquàm emisit spiritum, scientes non iam habere persecutores, vndè rabiem suam amplius in Christi corpus expleant, vt ipse dicit in Euangelio Lucæ, Nè terreamini ab his qui occidunt corpus, & post hęc non habent ampliùs quid faciant : consolantur aliquo modo, & erigunt se, adspicientes in dilectum sibi corpus quousque pender in cruce : maximè cùm vidẽt multa miracula fieri, vndè conturbari poterant persecutores, & obsequentes solari. In eodem officio lauant diaconi manus, quia omnia opera sordida prioris cõuersationis, Christi passione mundantur. Quòd si nihil aliud voluisset ordo ministerij nostri significare in lauatione manus, quàm vt cautiore cura prius actus suos cogitatusq; diaconi discuterent, cuentilarent, purgarent, ac sic ad participanda fidei sacramenta procederent, quod vnusquisque fidelium debet obseruare, nè manducet & bibat indignè corpus Domini, nullo modo tali in loco manus lauarent, quia aptiùs possent eas lauare erecti quàm inclinati.

De corpore Domini post emissum spiritum in cruce, & nostra mortificatione in idipsum. Cap. 26.

Christus enim prægustauit mortem, vt nos cõmoreremur peccatis. Christus mortuus est peccato semel, vt nos moreremur vitiis. Dicit Paulus : Qui autem sunt Christi, carnem suam crucifixerunt cum vitiis & concupiscentiis. Hęc crucifixio præcipuè agitur per pœnitentiam. Plures sunt, qui per angustum foramen transeunt ad stabilitatem continentiæ, ac ideò quantùm ad moralem sensum pertinet, rectè præsens sacrificium, sacrificium pœnitentiæ dicitur. Et benè aut sacrificium pœnitentium celebratur passio Christi, vt magis infirmos prouocet ad salubrem potionem. Vndè dicit Ioannes Chrysostomus in sermone quarto ad Hebræos : Sicut enim medicus non habens necessitatem ex cibis, qui ægroto præparantur, gustare : sed ille consolans, primus ex illius cibo degustat, vt persuadeat ęgroto promptiùs illos cibos accipere ; sic etiam Dominus, quoniam homines mortem timebant, persuadens eis, vt fiducialiter ad mortem accederent, & ipse gustauit mortem, nullam habens necessitatem. Ex verbis beati Ioannis ostensum est, ideò coniunctim prolatam esse passionem Christi, & nostram confessionem peccatorum, vt non timeremus dura pati pro peccatis nostris : Christus iam emisit spiritum, exiuit ab eius latere sanguis & aqua. Sine his sacramentis nemo intrat in vitam æternam. De his sacramentis dicit Augustinus in sermone Ixv. super Ioannem, Ille sanguis in remissionem fusus est peccatorum : Aqua illa salutare temperat poculum : hæc & lauacrum præstat & potum. Et post pauca : Hic secundus Adam inclinato capite in cruce dormiuit, vt indè formaretur ei coniunx, quod è latere dormientis defluxit. Coniunx ista centurionem illum signat, de quo narratur in Euangelio : Videns autem Centurio quod factum erat, glorificauit Deum, dicens : Verè hic homo iustus erat. Nisi futurum esset, vt sacramento sanguinis & aquæ inficeretur gentilitas, non illicò se Centurio mutaret ad tantam compunctionẽ, vt apertè clamaret ex intimo cordis affectu, Verè hic homo iustus erat. Hanc mutationẽ designat sacerdos per mutationẽ vocis, quandò exaltat vocem suam, dicendo, Nobis quoque peccatoribus. Dicit de eo Beda in tractatu super Lucam : Notanda distantia gentis & gentis. Et gentiles quippe morientę Christo, Deum timentes, aperta confessionis voce glorificant : Iudæi percutientes solùm pectora, domum redeunt. Percussura pectoris, pœnitentiæ est & luctus indiciũ. Interìm stabant autẽ omnes noti eius à lõgè, & mulieres quæ secutæ erat à Galilęa hæc videtes. Hoc est qđ ip se Dñs in Psalmo, explicata suę passionis serie, patri queritur, dicẽs : Elongasti à me amicũ, & proxi-

Christus prægustauit mortẽ. gal. 5.

Sacrificiũ pœnitentię

Tom. 4.

De latere Christi exiuit sanguis & aqua. Tom. 9.

Ecclesia degentibus ex latere Christi credente Centurione. Matth 27. Cur voce altiore dẽs : Nobis quoque peccatoribus. Amici Iesu stabant à longe.

Psal. 87.

P

proximum, & notos meos à miseria. Hos amicos & proximos ad memoriam nobis ducunt subdiaconi erecti, & intuentes in presbyteri opus. His ita intuentibus venit vir nomine Ioseph, qui erat decurio, vir bonus & iustus: hic non consenserat consilio & actibus eorum, ab Arimathia ciuitate Iudææ, qui expectabat & ipse regnum Dei: Hic accessit ad Pilatum, & petiit corpus Iesu, & depositum inuoluit in sindone, & posuit eum in monumento exciso, in quo nondùm quisquam positus fuerat. Qui quamuis ex numero foret occultorum discipulorũ, tamen in promptu omnes transcendit, scilicet & discipulos & Apostolos: Discipulis tantùmodò à longè stantibus, & intuẽtibus, Apostolis latentibus in abditis, Ioseph mercatus est sindonem, vt depositũ corpus Iesu inuolueret. Quantæ dignitatis foret iste Ioseph in tractatu Bedæ legitur super Lucam, ita dicendo: Magnę quidem iste Ioseph dignitatis apud seculũ, sed maioris apud Deum meriti fuisse laudatur: vt per iustitiam meritorum sepeliendo corpori Dominico dignus foret, & per nobilitatem potentiæ secularis, idem corpus accipere posset. Non enim quilibet ignotus ad Præsidem accedere, & crucifixi corpus poterat impetrare. Hunc Ioseph ad memoriam ducit archidiaconus, qui eleuat calicem de altari, & inuoluit sudario, scilicet ab aure calicis vsque ad aurem. Sicut ille diaconus primatum tenet inter cæteros diaconos, qui leuat calicem cum sacerdote: Ita iste Ioseph tenuit inter cæteros discipulos, qui meruit corpus Domini de cruce deponere, & sepelire in monumento suo. Idem deputatur retrò stare cum discipulis, quoniam timore Iudæorũ occultus erat. Sacerdos qui eleuat oblatam, præsentat Nicodemũ, de quo narrat Ioannes dicẽs: Venit autem & Nicodemus, qui venerat ad Iesum nocte primùm, ferens mixturam myrrhæ & aloes quasi libras centum. Acceperunt ergò corpus Iesu, & ligauerunt eũ linteis cũ aromatibus, sicut mos Iudæis est sepelire. Sacerdos facit de oblata duas cruces, iuxta calicẽ, vt doceat eum depositum esse de cruce, qui pro duobus populis crucifixus est. Christi depositione de cruce, mõstrat eleuatio sacerdotis & diaconi. Sudariũ super caput Iesu, notum est fuisse, narrante eodem Ioanne, quòd viderit Petrus linteamina, posita & sudariũ, quod fuerat super caput Iesu. Oblata & calix, Dominicum corpus signant. Quãdò Christus dixit: Hic est calix sanguinis mei, suum sanguinem signauit, qui sanguis sicut vinum est intra calicem, ita erat intra corpus. Hoc peracto quid agerẽt, quos præsentant subdiaconi, Beda in memorato lib. narrat: Supra legimus, inquiens, quia stabãt omnes noti eius à longè, & mulieres quæ secutæ erant eum: His ergò notis Iesu post depositum eius cadauer ad sua remeãtibus, solæ mulieres quæ arctius amabant, funus subsecutæ, quomodò poneretur, inspicere cupiebant. † Hæc oratio, Nobis quoque peccatoribus, tendit vsque, Per omnia secula seculorum. Vsque ad istum locum quantum pertinet ad exequias sepulturæ Christi. Altare crucem præsentat: quantùm ad nostram mortificationem, altare holocausti. Sindon & sudarium sunt, quæ supra memoraui. Moraliter, voce pœnitentium qui confitentur peccata sua, eleuat sacerdos vocem, quasi quodam stimulo pũctus nimij timoris. Talis compunctio vocatur & verè dicitur sacrificium spiritus contribulati. Vox eleuata sacerdotis in sacrificio pœnitentium, signat, clamorem debere magnum esse in corde pœnitentis. Vndè Augustinus in tractatu super Ioannem sermone lxvj. Quarè fremuit, inquit, Iesus, & turbauit seipsum, nisi quia fides hominis sibi immeritò displicentis fremere quo dammodò, debet in accusatione malorum operum, vt violentię pœnitendi, cedat consuetudo peccandi? Et iterùm in eodem: Et cùm hæc dixisset, exclamauit voce magna, fremuit, lachrymauit. Voce magna clamauit, Quàm difficilè surgit, quem moles malæ consuetudinis premit? sed tamen surgit, occulta gratia intùs viuificatus: surgit post vocem magnam. Sat est de eleuatione vocis, dicendum est de sacrificio. Sacrificium pœnitentium, est spiritus contribulatus & cor contritum. Pœnitentia sepeliuntur peccata nostra. Altare pœnitentium, est altare holocausti. Altare holocausti signat cor eorum, quibus necesse est carnales motus consumere feruore Spiritus sancti. Sindon est ipsa castigatio carnis per ieiunia & vigilias, & cæteras virtutes, quibus de genuina carnali delectatione, quasi de humore natiuo perducitur affectus hominis, ceu quoddam linum ad candorem, vt fiat de eo corporale, in quo possit Dominum recipere. Ille in munda sindone inuoluit Iesum, qui pura eum mente susceperit. Sudarium est ipsa intentio, qua festinat omnes venientes motus tentationum prius tergere, antequàm oculos faucient. Postquàm vox pœnitentium prolata est, impetratio succedit, vt partem sibi societatis concedat Dominus cum sanctis suis. Quibus denominatis, sequitur: Intra quorum nos consortium quæsumus admitte tu, qui es largitor veniæ, non æstimator meriti. In cõpletione prioris officij, quod fungebatur tantummodò orationibus, ibi memoratur communio sanctorum, quorum penè conuersatio est æqualis: In isto, quia longè distamus ab eorum conuersatione, venia precamur introduci Per Christũ Dominum nostrum. Per quem hæc omnia semper Domine bona, scilicet quæ retrò memorata sunt, creas, vt sint: sanctificas, tibi ea deputando: viuificas, vt viua sint: benedicis, vt vtilia sint nobis, & præstas ad fruendum, per ipsum eundemque videlicet, per quem superius memorata concedis. Et cum ipso qui tecũ semper viuit, Et in ipso, in quo restaurata sunt oĩa. Est tibi Deo patri in vnitate Spiritus sancti oĩs honor & gloria per omnia secula seculorũ. Hoc ipsum

Luc. 23.

Matth. 27.

Ioseph hic oĩbus Apostolis & discipulis promptior.

Repræsentatio istius Ioseph.

Duæ aures calicis.

Ioan. 19.

Sudarium super caput Christi Ioan. 20.

Mulieres secutę funus Christi

Moralis sẽsus de sacrificio pœnitentium.

To. 9. Ioan. 11. Fremitus pœnitentiũ

Sindon castigatio carnis.

Sudariũ mysticè.

Duplex cõmemoratio sanctorum. Per Christum nobis oĩa bona.

ipsum volendo tibi omni nisu monstrare, tota fide me ita tenere, eleuo præsentia munera ad te, ego indignus sacerdos, & diaconus vice præpositorum & auditorum, quia tibi ab omni ecclesia tua, omnia bona deputantur. Subdiaconi qui stant vsq; modò in facie sacrificij, & nũc recedunt, ministeria fœminarum ad memoriam nobis ducunt, quæ recesserunt de monumento, sepulto Domino. Non enim ita recesserunt à sepulcro, vt abessent ministerio Domini, sed sabbato siluerunt: quo transacto, parauerunt aromata vt vngerent corpus eius. Eo modo præsentes subdiaconi recedunt à præsentia sacrificij, vt sabbato quidem, hoc est, quando septem petitiones Dominicæ orationis dicuntur, sint in silentio, & inclinati, sicut erant Apostoli illo tempore & sanctæ mulieres. Qui posteà satagunt cum patenis ad requirendum corpus Domini circa altare, vt mulieres quæsierunt Domini corpus circa sepulcrum. Moraliter possumus subdiaconos nos peccatores intelligere, qui faciem, id est, conscientiam peccatorum nostrorum sacerdoti ostendimus, vt nostram confessionem offerat Deo: quo peracto, non illicò saltum facimus in locum magistrorum, sed post diutinam humiliationem, feruore crescente Spiritus sancti, dilatãtur corda nostra, quasi patena ad suscipienda sacramenta Ecclesiæ.

Subdiaconi mulieres repræsentant circa sepulcrum Domini.

Modestia Auctoris.

De præsentatione Patenæ. Cap. 27.

Dicit libellus Romanus, quem iam memorauimus. Quandò inchoatur canon, venit Acolytus sub humero habens sindonem in collo ligatam, tenens patenam ante pectus in parte dextera vsque medium canonem. Tunc subdiaconus sequens, suscipit eam super planetam, & venit ante altare, expectans quandò eam suscipiat subdiaconus regionarius: finito verò canone, subdiaconus regionarius stat cum patena post archidiaconum: Quandò dixerit, Et ab omni perturbatione securi: vertit se archidiaconus, & osculatam patenam, dat eam tenendam secundo diacono. Ordo talis est: subdiaconus sequens, non est ausus ostia altaris relinquere secũdùm canones Laodicensis concilij, qui dicunt capitulo quadragesimo tertio, quòd non oporteat subdiaconum saltem paululùm ianuas deserere, & orationibus vacare: ac ideò acolytus educit patenam de exedris quandò dicitur, Sursum corda. Mea humilitas dicit quod sibi videtur rationi congruere, relinquens magistrorum arbitrio, quid potissimùm tenendum sit. Videtur mihi, vt ea hora præsentanda sit patena, qua circa sepulturam Domini satagebant discipuli vel mulieres. Postquàm enim iuit ad mensam, studuerunt circa mysteria passionis. Sequens verò subdiaconus medio canone, id est, cùm dicitur, Te igitur, suscipit illam ab acolyto, & stat ante altare cum patena vsquedùm suscipiatur à subdiacono regionario. suscipitur enim cùm dicitur, Per omnia secula seculorum. Regionarius suscipit illam finito canone, id est, vbi dicitur, Per omnia secula seculorum: & tenet illam vsque ad susceptionem diaconi. Potest etiam intelligi simpliciter recessio subdiaconi de facie Pontificis, accessio ad patenam. Vbi notandum, quòd acolytus inuolutam tenet linteo patenam, subdiaconus nudam. Vndè liquidò apparet, quòd cõsecrata vasa à consecratis clericis meritò debeant tantummodò attingi. Hoc denique Esdras sacerdos expressit, quandò reuersus est de Babylone, & vasa sancta sanctis commendauit, dicens: Separaui de principibus sacerdotum duodecim. Et paulò post, Appendiq; eis argentum & aurum & vasa consecrata domus Dei nostri. Et iterũ, Et dixi, Vos sancti Domini, & vasa sancta, & argentum & aurum, quod sponte oblatum est Domino Deo patrum nostrorum, vigilate & custodite. Vndè in concilio Carthaginensi capit. 25. scribitur: Aurelius episcopus dixit, Addimus fratres charissimi præterea, cũ de quorumdam clericorum, quamuis lectorum, erga vxores proprias incontinentia referretur, placuit quod in diuersis conciliis firmatum est: Subdiaconi qui sacra mysteria contrectant, & diaconi & presbyteri, sed & episcopi, secũdum propria statuta, etiã ab vxoribus se contineant. Necnon & Sixtus Papa natione Romanus ex patre Pastore, constituit, vt ministeria sacrata non tangerentur nisi à ministris. Verùm & in hoc culpauit Daniel Balthasar regem, quia in consecratis vasis bibebat, sicut scriptum est: Tu quoque Balthasar filius eius non humiliasti cor tuum, cùm scires hæc omnia, sed aduersus dominatorem cæli eleuatus es, & vasa domus eius allata sunt coram te. Tu & optimates tui, & vxores tuæ, & concubinæ tuæ vinum bibistis in eis. Patena dicitur eo quòd pateat: Corda ampla charitate significat: sicut alabastrum, in quo portauit vnguentum Maria ad vngendum Dominum, significauit cor eius, in quo erat fides sine impostura: ità & patena potest corda sanctarum fœminarum designare, quæ patebant latitudine charitatis in obsequio Christi. Nam & ipsæ inerant, vt prætuli, non minima executione in ministerio discipulatus Christi, de quibus dicit Matthæus Euangelista Erant autem ibi mulieres multæ à longè, quæ secutæ erant Iesum à Galilæa, ministrantes ei, inter quas erat Maria Magdalenæ & Maria Iacobi, & Ioseph mater, & Mater filiorum Zebedæi. Tamen ipsæ non susceperunt corpus Domini de cruce, sed Ioseph: sicut nec subdiaconi, sed diaconi suscipiunt calicem de altari.

Cæremoniæ circa patenam.

Quibus clericis licet attingere sacra vasa. 1. Esd. 8.

Concil. Carthag.

Continentia sacrisordinibus indicta.

Exemplum Balthasar Regis. Dan. 5.

Patena latitudinẽ charitatis in mulieribus significat. Mar. 14. Matth. 27.

De officio quod memorat requiem Domini in sepulcro. Cap. 28.

Svbdiaconus regionarius accipit patenam finito canone, quia lętitiam Dominicæ resurrectionis mulieres primò audierũt. Illę huc illucque

Universidad de Deusto
Biblioteca

huc illucque discurrebant feruẽti studio circa sepulturam Domini. Stant diaconi, stantque subdiaconi inclinati vsquedùm audiant, Sed libera nos à malo. Ipsa est enim septima petitio de oratione Dominica. Septenario enim numero vniuersitas designatur. Septima petitione Dominicæ orationis, finis signatur totius tristitiæ ac perturbationis Apostolorum, quam habebant de Domini morte. Sequens oratio quæ inchoatur, Libera nos, quæsumus Domine, ab omnibus malis: * embolis est Dominicæ orationis, vt per illud veniatur ad finem consuetę conclusionis, Per Dominum nostrum. Quod apertius in sequentibus demonstrabitur, si Dominus dederit. Quid illo tempore, hoc est, quandò Christus quieuit in sepulcro, Apostoli agerent, non legitur apertè: sed ex Ioannis Euangelio metum eorum cognoscimus, qui dicit, Cùm esset ergò serò die illa vna sabbatorum, & fores essent clausæ, vbi erant discipuli congregati propter metum Iudæorum. Ex quo discimus, tristes fuisse Apostolos timore. Ista tristitia demonstratur per diaconorum inclinationem. Discipulorum verò tristitiam cognoscimus ex Domini sermone, qui dicit secũdùm Lucam, ad duos qui ibant in die resurrectionis in castellum Emaus. Qui sunt hi sermones, quos confertis adinuicem, ambulantes, & estis tristes? Ideò & subdiaconi inclinati manent. Secundùm modulum lucubrationis meæ demõstratum est, quid velit inclinatio diaconorum, excepto quòd oratio interna solet demonstrari per habitum corporis. Vndè Augustinus in libro ad Paulinum de cura agẽda pro mortuis: Nam & orantes de membris sui corporis faciunt, quod supplicantibus congruit, cùm genua figunt, cùm extendunt manus vel etiam prosternuntur solo, & si quid aliud faciunt visibiliter, quamuis eorum inuisibilis voluntas, & cordis intentio Deo nota sit, nec ille indigeat his indiciis, vt animus ei pandatur humanus: sed his magis seipsum excitat homo ad orandum gemendumque humiliùs atque feruentiùs. Et nescio quomodò cùm hi motus corporis fieri nisi motu animi præcedente non possint, eisdẽ rursus exteriùs visibiliter factis, ille interior inuisibilis, qui eos facit, augetur: ac per hoc cordis affectus, qui vt fierent ista, præcessit, quia facta sunt, crescit. Verumtamen si eo modo quisque teneatur, vel etiam ligetur, vt hæc de suis mẽbris facere nequeat, non ideò non orat interior homo, & ante oculos Dei in secretissimo cubili cõpungitur, sternitur. Celebratio huius officij ita currit, vt ostendatur, quid illo in tempore actum sit circa passionem Domini & sepulturam eius, & quomodò nos ad memoriam redu cere debeamus per obsequium nostrum, quod pro nobis factum est.

Septima petitio orationis Dominicæ.

Oẽ super adicta.

* embolion

Quid egerint Apostoli in triduo sepulchri. Ioan. 20.

Discipulorũ tristitia ex morte Domini.

Luc. 24.

Tom. 4.

Animi habitus ex motu corporis cognoscitur.

Augetur deuotio exteriori motu corporis

Repręsentatio passionis Dñi in Missa.

De oratione Dominica. Cap. 29.

DIcendum quarè Dominica oratio dicatur excelsa voce, cùm cæterę secretò dicantur. Dicit Cyprianus in sermone de oratione Dominica: Ante omnia pacis doctor, atque vnitatis magister, singulatim noluit, & priuatim precem fieri. Non, vt quis, cùm precatur, pro se tantùm precetur. Non dicimus, Pater meus, qui es in cælis, nec panem meum da mihi hodiè, nec dimitti sibi tantùm vnusquisque debitum postulat, aut vt in tentationem non inducatur, atque à malo liberetur, pro se solo rogat. Publica est nobis & communis oratio, & quandò oramus, non pro vno oramus, sed pro toto populo, quia totus populus vnum sumus. Deus pacis & concordiæ magister, qui docuit vnitatem, sic orare vnum pro omnibus voluit, quomodò in vno omnes ipse portauit. Hanc orationis legem seruauerunt tres pueri in camino ignis inclusi, consonantes in prece, & spiritu consensionis concordes. Declarat scripturæ diuinæ fides, & cùm docet quomodò orauerint, tale dat exemplum, quod imitari in precibus debeamus, vt tales et se possimus. Tunc, inquit, illi tres quasi ex vno ore hymnũ canebant, & benedicebant Deum. Loquebantur quasi ex vno ore, & nondum illos Christus docuerat orare: & idcircò orantibus fuit impetrabilis & efficax sermo, quia promerebatur Deum pacifica, simplex & spiritalis oratio. Quæ oratio sic inchoatur: Oremus, præceptis salutaribus moniti, & diuina institutione formati audemus dicere. Præcepta salutaria dicimus Euãgelicam doctrinam: Dicimus institutionem, traditionem, quam ipse dignatus est tradere in conficiendo sacramento corporis & sanguinis. Vndè idem qui supra, in sermone de sacramento Dominici calicis, Cæcilio: Quamquam sciam, frater charissime, episcopos plurimos Dominicis ecclesiis in toto mundo diuina dignatione præpositos, Euangelicæ veritatis, ac Dominicæ traditionis tenere rationẽ, nec ab eo quod Christus magister & præcepit & gessit, humanam & nouellam institutionem docere, & reliqua. Et iterum in eodem: Ab Euãgelicis autem præceptis omninò non recedendum esse, & eadẽ quæ Magister docuit & fecit, discipulos quoque obseruare & facere debere. Vbi Cyprianus dicit, Euãgelicę veritatis: & in posterioribus, Ab Euãgelicis autem præceptis omnino non recedendũ esse, Euangelicã doctrinam monstrat: vbi dicit, Ac Dominicę eruditionis tenere rationem. & in sequentibus, Eadem quę magister docuit, & fecit, Dominicam institutionem. Qua audacia intrandum sit ad orationẽ Dominicam, demonstratum est, id est, postquàm præcepta salutaria, id est, Euangelica mundauerint cor nostrum, & formauerint diuina instituta, quę dicimus in loco, vbi scriptum est, Accipiens panẽ in sanctas ac venerabiles manus suas, & reliq. audemus

Ser. 6.

Oramus nõ singulariter, sed cõmuniter.

Dan. 3. Oẽ trium puerorũ in camino ignis.

Diuina institutio.

Cyp. lib. 2. epist. 3. Non est recedendum ab institutione christi.

Audemus dicere Pater noster, &c.

audemus intrare ad orationem Dominicã. Vbi notandum, quòd non est præsumptuosè intrandum ad eum, sed cum reuerentia & sereno corde. In recordatione septimæ diei, quandò Christus quieuit in sepulcro, agitur Dominica oratio, quæ septem petitiones continet, in quo septimo die laborabant Apostoli tristitia ac metu Iudęorum. Et, ni fallor, orabant, vt liberarentur à malo, & consecuti sunt quod orabant, resurrectione Domini. Orat & nunc sancta Ecclesia quasi in septima die, quãdò iam quiescentibus animabus sanctorum, instat ieiunando, vigilando, orando, certãdo in charitate, ne abrũpatur periculis huius mundi à spe cęlestium gaudiorum. Quis est, qui non deprecetur quandiu hìc est in præsenti seculo, vt liberetur à malo? Nec hoc negligenter curandum esse, vt ante participationẽ corporis & sanguinis Domini interueniat oratio, quę nos purget à peccatis, nè indignè manducemus & bibamus corpus & sanguinem Domini. Quomodò compleatur oratio Dominica, in septima petitione, idẽ qui supra, ostendit in libro de oratione Dominica, dicens: Post ista oĩa in consummatione orationis venit clausula, vniuersas petitiones & preces nostras collecta breuitate cõcludens: In nouissimo. n. ponimus: Sed libera nos à malo, cõprehẽdẽtes aduersa cũcta, q̃ cõtra nos in hoc mundo molitur inimicus, à quibus põt esse firma tutela, si nos Deus liberet, si deprecantibus atq; implorantibus opem suam præstet. Quandò autẽ dicimus, libera nos à malo, nihil remanet quod vltrà adhuc debeat postulari, quãdò semel protectionem Dei aduersus malum petimus, qua impetrata, contra omnia quæ diabolus in mundum operatur, securi stamus & tuti. Quis enim ei de seculo metus est, cui Deus tutor est? Quid mirum, fratres dilectissimi, si oratio talis est, quam Deus docuit, qui magisterio suo omnem precẽ nostram salutari sermone breuiauit? Hoc iam per Esaiam propheta m fuerat antè prędictum, cùm plenus Spiritu sancto, de Dei maiestate ac pietate loqueretur: Verbum consummans, inquit, & breuians in iustitia, quoniam sermonem breuiatum faciet Deus in toto orbe terræ. Quando dicit Cyprianus, quòd illa vna petitione cõclusa sit oĩs oratio nostra, ideſt, Sed libera nos à malo, in eo possumus intelligere, posse significari per finem orationis, finem nostrę persecutionis. Sequens oratio, expositio est nouissimę petitionis. Illa dicit, Sed libera nos à malo. Ista dicit, à quibus malis, scilicet prętęritis, præsentibus, & futuris, & vt non sit domus vacans, precatur pax à Deo intercedẽtibus sanctis. Igitur subditur, Et da pacem in diebus nostris. Nulla pax tutior, quàm obedire Domini præceptis, declinare à malo, & facere bonum. Indè dicit Propheta: Declina à malo, & fac bonum. Et Apostolus, Odientes malum, adhærentes bono. Replicat in sequentibus eandẽ orationem. Non se confidit suis meritis hoc posse impetrare apud Deum. Quapropter dicit, vt ope misericordię tuæ adiuti: Ac deindè subdit apertius, à quibus malis precetur erui, videlicet, vt à peccato simus liberi: & quam pacem precetur, subdit iterum, & ab omni perturbatione securi. Quod non potest fieri, nisi studeatur virtutibus. Vt diximus, nihil aliud continet sequens, nisi vt exponat memoratam petitionem. Possunt tres articuli præsentis orationis coaptari tempori triduaue sepulturę Domini. Ac ideò hoc solùm de Missa posse intelligi, celebrari in parasceue pro tribus continentibus diebus sepulturę.

Pater noster dr in memoriam sepulti Dñi

Cyp. ser. 6.

Sed libera nos à malo

Esa. 10.

Oratio canonis. Libera nos quæsumus, &c.

Psal. 36. Rom. 12.

De præsentatione Subdiaconorum, vt suscipiant corpus Domini de altari. Cap. 30.

HOc officium ad memoriam ducit deuotissimas mulieres, quæ seipsas presentauerunt in exequiis sepulturę Domini. Presentantibus se sanctis mulieribus ad sepulcrum Domini, inueniunt spiritum rediisse ad corpus, & Angelorum visionem circa sepulcrum, ac annunciant Apostolis quę viderunt. De quo vtilem admonitionem dat Beda in tractatu super Lucam: Quomodò, inquit, posito in sepulcro corpore Saluatoris, angeli adstitisse leguntur, ita etiam celebrandis eiusdem sanctissimi corporis mysteriis, tempore consecrationis assistere sunt credendi, monente Apostolo, mulieres velamen habere propter Angelos. Cùm timerent autem & declinarent vultum in terram, dixerunt ad illas: Quid quęritis viuentem cum mortuis? Non est hìc, surrexit. Nolite, inquiũt, cum mortuis, hoc est, in monumento, qui locus vtique est propriè mortuorum, quęrere eum, qui ad vitam iam resurrexit à mortuis. Et nos exemplo deuotarum Deo fœminarum quoties ecclesiam intramus, mysteriis cælestibus appropinquamus, siue propter Angelicę presentiam virtutis, seu propter reuerentiam sacrę oblationis, cum omni humilitate & timore debemus ingredi. Ad conspectum quidem Angelorum, vultum declinamus in terram, cum supernorum ciuium, quę sunt gaudia ęterna, contemplantes, humiliter nos cinerem esse terramque recolimus. Post hęc presentat se subdiaconus cum patena sua ad sepulcrũ Domini, quam accepit à subdiacono sequente, qui ad memoriam, vt supra diximus, reducit sanctarum fœminarum studiosissimum affectum circa sepulturam Domini. Non est mirandum, si sanctę fęminę iungantur in officio diaconis, cùm Paulus eas coniungat in ordinatione eis, scribit ad Timotheum post ordinationem diaconi: Mulieres similiter pudicas, & reliqua. In omni admonitione ordinationis, vult eas similes esse diaconis. Qua de causa sint seiunctæ à consortio diaconorum, cùm Paulus eas coniungat ordinationi illorum, & subdiaconi succedant, de quibus nihil dixit Paulus, norunt

Mulieres circa sepulcrum Angelos viderũt

Luc. 24.

Ioan. 20.

1. Cor. 11. Angelorũ præsentia in Missa. Mar. 16.

Fœminæ inunctæ in ordinatione Diaconis. 1. Tim. 3.

Universidad de Deusto
Biblioteca

qui castè volunt viuere. Nã & in choro Apostolorum legimus fuisse fœminas. Vndè Paulus ad Corinthios, Numquid non habemus potestatem mulieres circunducẽdi, sicut & cæteri Apostoli, & fratres Domini, & Cephas? Postquàm sacerdos dicit, Pax domini sit semper vobiscũ, ponuntur oblatæ in patena. Postquam enim Christus sua salutatione lætificauit corda discipulorum, vota fœminarum completa sunt, percepto gaudio resurrectionis.

1. Cor. 9.

Pax vobis.

A

De Immissione panis in vinum. Cap. 31.

Varietas circa immissionem hostiæ in calicem.

IMmissionẽ panis in vinum, cerno apud quosdam variè actitari, ità vt aliqui primò mittãt de sancta in calicem, & posteà dicant, Pax Domini: econtrà aliqui reseruent immissionem, vsquedũ pax celebrata sit, & fractio panis. Ac ideò studet paruitas mea, vt verba libelli Romani de eadem re ponam, & quod à Domino impetrare potero, vt opinor, in indagine memoratę rei promam. Dicit libellus memoratus: Cùm dixerit, Pax Domini sit semper vobiscum, mittit in calicem de sancta: Vt reor, non frustrà. Corporalis vita ex sanguine constat & carne. Quandiù hęc duo vigent in homine, spiritus adest. In isto officio monstratur, sanguinem fusum pro nostra anima, & carnem mortuam pro nostro corpore redire ad propriam substantiã, atq; spiritu viuificante vegetari hominem nouum, vt vltrà non moriatur, qui pro nobis mortuus fuit & resurrexit. Crux quæ formatur super calicẽm particula oblatę, ipsum nobis corpus ante oculos præscribit, quod pro nobis crucifixum est. Ideò tangit quatuor latera calicis, quia per illud, hominum genus quatuor climatum, ad vnitatem vnius corporis accessit, & ad pacem catholicæ ecclesię. Talia verba sacerdos hoc agendo profert: Fiat commixtio corporis & sanguinis Domini accipientibus nobis in vitam æternam. Quæ verba precantur, vt fiat corpus Domini præsens oblatio per resurrectionem, per quam veneranda & æterna pax data est, non solùm in terra, sed etiam in cælo. Tunc cessauerunt murmurare operarij vineæ horæ primæ, tertiæ, & sextæ: Tunc data est pax, quam promiserunt Angeli in sanctissima nocte, dicentes, Gloria in excelsis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis. Eandem sacerdos nunc ad memoriam reuocat, dicens: Pax Domini sit semper vobiscum. Eandẽ populus insequitur per basia blanda. Aestimo secundùm hunc sensum, quòd non erret, si quis primò sancta ponat in calicem, & dein dixerit, Pax Domini sit semper vobiscum, saluo magisterio didascalorum. Sequitur in libello memorato: Sed archidiaconus pacem dat Episcopo prior, deindè cęteri per ordinẽ, & populus. Tùc pontifex rumpit oblatam ex latere dextro, & particulã quam rumpit, sup altare relinquit; reliquas verò oblationes ponit in patenã, quã tenet diaconus. Et post pauca: Tunc Acolyti

B

Crux per particulã oblatæ super calicem.

Fiat hęc cõmixtio corporis & sanguinis.

C

Dare pacẽ per osculũ.

D

vadunt dextera læuaq; per Episcopos circa altare: reliqui descendunt ad presbyteros, vt frãgant hostias. Patena præcedit iuxta sedem, ferentibus eam duobus subdiaconibus regionarijs ad diaconos, vt frangant. Et iterùm post aliqua: Expleta confractione, diaconus minor lęuata de subdiacono patena, fert ad sedem, vt communicet pontifex: Qui dum communicauerit de ipsa, quam momorderat, ponit inter manus archidiaconi in calicem. Si hoc ita agitur in Romana ecclesia, ab illis potest addisci, quid significet bìs positus panis in calicem. Nõ enim vacat à mysterio, quicquid in eo officio agitur iuxta constitutionem patrum. Quid nobis videtur posse significare immissio panis in vinum, & pax populo porrecta per vocem sacerdotis, magistris obtulimus ad dilucidandũ.

Communicatio post fractionẽ.

De Pacis osculo. Cap. 32.

Grat. dist. 11. cap. fin. & de cõsecr. dist. 2. cap. pacem.

COntentum me oportet esse de pace in eo quod Innocentius de ea scribit ad Decentium Episcopum in Decretalibus primo capitulo, propter auctoritatem tanti viri: Pacem igitur asseris ante confecta mysteria quosdam populis imperare, vel sibi inuicèm sacerdotes tradere, cum post omnia, quę aperire non debeo, pax sit necessaria indicenda, per quam cõstet, populum ad omnia quę in mysterijs aguntur, atque in ecclesia celebrantur, præbuisse cõsensum, ac finita esse pacis concludentis signaculo demonstrentur. Interrogatus sum ab aliquibus, quarè non inuicèm porrigant sibi oscula viri & fœminę in officio Missæ? Quibus quãuis, tunc non responderem, respondendũ nunc fore arbitror. Carnales amplexus, quibus iunguntur sæpissimè viri & fœminę, vitandi sunt in ecclesiæ conuentu. Ac ideò sequestrantur viri & fœminæ in ecclesia, non solùm ab osculo carnali, sed etiam situ locali. Ab his personis dãtur oscula mutua in ecclesia, quæ nullã titillationẽ libidinosæ suggestionis cogunt excitare.

Quare nõ osculantur in Missa viri & fœminæ inuicẽ, sed sequestrantur.

De Agnus Dei. Cap. 33.

Deprecatio per Agnus Dei.

SErgius Papa constituit, vt Agnus Dei cantaretur, sicut scriptum est in gestis pontificalibus. Hic statuit, vt tempore confractionis Dominici corporis, Agnus Dei à clero & populo decantetur. Deprecatio est pro populo, q̃ sumpturus est corpus Domini, vt misericordia innocentis agni, peccata subitanea & irruentia auferantur, scilicet cogitationũ verborumq; : &, sicut passione sua totius mundi tulit offensa, ità & nunc ecclesiæ, quæ eum susceptura est per Eucharistiam. Antiphona sequens, id est, vox reciproca, iura fraternitatis ostendit, vt vnusquisque alterius vtilitati studeat, & prouocare curet ad gaudia resurrectionis. Quem typũ gesserunt illi duo, qui Dominum cognouerunt in fractione panis, & ilicò perrexerunt Hierusalem, & inuenerunt congregatos vndecim, & eos qui cum ipsis erant dicentes, quia surrexit Dominus verè, & apparuit Simoni: &

E

Quid repręsentat Antiphona post communionẽ.

Luc. 24.

ipsi

ipsi narrabant quę erant gesta in via, & quomodò cognouerunt eum in fractione panis. Illi nempe cantauerunt antiphonam, vicissìm narrando de resurrectione Domini.

De Eucharistia. Cap. 34.

Vnitas Ecclesię in sũptione Eucharistiæ.

EVcharistia sumenda est post osculum pacis. Sicut vnus panis sumus in Christo, sic & vnum cor debemus habere. Ipsa vnitas vt teneatur, admonetur per oscula pacis. Vndè Beda in Tractatu super Lucam: Nè quisquam se Christum agnouisse arbitretur, si eius corporis particeps non est, id est, Ecclesiæ. Cuius vnitatem in sacramento panis commendat Apostolus, dicens: Vnus panis, vnum corpus multi sumus. Per Eucharistiam Christus in nobis manet, & nos in illo per assumptum hominẽ. Ipse est Deus pacis, per quem pacata sunt cælestia & terrestria. Sunt autem intra sanctam Ecclesiam, qui rarò communicant, & qui quotidiè. quibus vtrisque dat aptum consiliũ sanctus Augustinus ad inquisitionem Ianuarij de eadem re. Rectiùs, inquit, inter eos fortasse quispiã dirimit litem, qui monet, vt præcipuè in Christi pace permaneant. Faciat autem vnusquisque quod secundùm fidem suam piè credit esse faciendum. Neuter enim eorum exhorreat corpus & sanguinem Domini: sed saluberrimum sacramentum certatìm honorare cõtendat. Neque enim litigauerunt inter se, aut quisquam eorum se alteri præposuit, Zachæus & ille centurio, cùm alter eorum gaudens in domum suam susceperit Dominum, alter dixerit, Non sum dignus, vt sub tectum meũ intres. Ambo Saluatorem honorificantes diuerso & quasi contrario modo, ambo peccatis miseri, ambo misericordiam consecuti. Idem exponit Apostoli dictum, Qui enim manducat & bibit indignè, iudicium sibi manducat & bibit, in sequentibus ità: Indè etenim Apostolus indignè dicit acceptum ab eis, qui hoc non discernebant à cæteris cibis veneratione singulariter debita. Continuò quippe, cùm dixisset; iudiciũ sibi & manducat & bibit; addidit, vt diceret, non dijudicans corpus Domini. Vt à ieiunis suscipiatur, idem dicit in eodem libro: Namque Saluator quò vehementiùs commendaret mysterij illius altitudinem, vltimum hoc voluit infigere cordibus & memoriæ discipulorum, à quibus ad passionem digressurus erat. Et ideò non præcepit, quo deincèps ordine sumeretur, vt Apostolis, per quos ecclesias disposturus erat, seruaret hunc locum. Nam si hoc ille monuisset, vt post cibos alios semper acciperetur, credo, quòd eum morem nemo variasset †. Ex quo tempore debeat se sanctificare homo ad perceptionem tanti muneris, vetus historia docet. Dicit in Exodo Dominus Moysi: Vade ad populum, & sanctifica illos hodiè & cràs, lauentq; vestimenta sua, & sint parati ad diem tertium. In die enim tertio descender

1. Cor. 10. Ioa. 6. Ephes. 2.

Aug. ep. 118 De cõsecr. dist. 2. c. Quotidie.

C

Luc. 19.

Matth. 8.

1. Cor. 11.

D

Vt suscipiatur à ieiunis.

Vt sumatur à sanctificatis per triduum. Exod. 19.

E

A Dominus coram omni plebe super montem Sina. Eodẽ numero Dauid se & omnes pueros suos sanctificatum dixit, vt comedat panes propositionis. Ità scriptum est in libro Samuelis: Dixit Abimelech sacerdos, Non habeo panes laicos ad manum, sed tantùm panem sanctum: si mundi sunt pueri, maximè à mulieribus. Et respondit Dauid sacerdoti, & dixit ei: Et quidem si de mulieribus agitur, continuimus nos ab herì & nudiustertiùs, quãdò egrediebamur, & fuerunt vasa puerorum sancta: Porrò via hæc polluta est, sed & ipsa hodiè sanctificabitur in vasis. Dedit ergò ei sacerdos sanctificatum panem.

1. Reg. 21. Exemplum Dauid circa panem sanctum.

B

De parte oblatæ, quæ remanet in altari. Cap. 35.

Tres partes oblatæ secundum triplex corpus Christi.

TRiforme est corpus Christi, eorum scilicet, qui gustauerunt mortem, & morituri sunt. Primum videlicet, sanctum & immaculatum, quod assumptum est ex Maria Virgine: Alterum, quod ambulat in terra: Tertium, quod iacet in sepulcris. Per particulam oblatæ immissæ in calicem, ostenditur Christi corpus, quod iam resurrexit à mortuis: Per comestam à sacerdote vel à populo, ambulãs adhuc super terram: Per relictam in altari, iacens in sepulcris. Idem corpus oblatam ducit secum ad sepulcrum, & vocat illam sancta Ecclesia viaticũ morientis, vt ostendatur, non eos debere, qui in Christo moriuntur, deputari mortuos, sed dormientes. Vndè & locus sepulcrorum Græcè vocatur cœmeterium, id est, dormitorium. Vndè & Paulus ad Corinthios: Mulier alligata est legi, quanto tẽpore vir eius viuit: Quòd si dormierit vir eius, liberata est. Remanetque in altari ipsa particula vsque ad finem Missę: Quia vsque in finem seculi corpora sanctorum quiescent in sepulcris. Munditiam mentis docet corporale, quod remanet in altari post Domini resurrectionem, cui debet vnusquisque semper studere accipiens corpus Domini, sed præcipuè in fine.

Mortui in Christo, dicuntur dormientes. 1. Cor 7.

C

De vltima benedictione. Cap. 36.

ETenim Dominus ante Ascensionem in cælos, duxit discipulos in Bethaniam, ibiq; benedixit eos, & ascendit in cælum. Hunc morem tenet sacerdos, vt post omnia sacramenta consummata, benedicat populo, atq; salutet. Deindè reuertitur ad Orientem, vt se commendet Domini ascensioni: Dicitq; diaconus, Ite, Missa est. Singularis etenim legatio * Christus missa est pro nobis ad patrem, habens indicia suæ secum passionis. Primò, vt per hęc discipulis fidem suæ resurrectionis adstruat: Deindè, vt patri pro nobis supplicans, quale genus mortis pro mortalium vita pertulerit, semper ostẽdat. Tertiò, vt sua morte redemptis, quàm misericorditer sint adiuti, propositis semper

Luc. vlt.

* Christi

eiusdem

eiusdē mortis innouet indicijs: ideoque misericordias Domini in æternum cantare non cessent: sed dicant qui redempti sunt à Domino, quoniam bonus, quoniam in seculum misericordia eius. Postremò, vt etiam perfidis in iudicio quàm iustè damnentur, ostensę inter alia flagitia etiam vulnerum, quæ ab eis susceptit, cicatrices denuncient. De qua legatione dicit Ioannes Apostolus: Sed & si quis peccauerit, aduocatum habemus apud patrē Iesum Christum iustum. ipse Ioannes certè vir iustus erat & magnus, qui de pectore Domini mysteriorū secreta bibebat: Non tamen dixit, aduocatum me habetis apud patrem, sed aduocatum, inquit, habemus: &, habemus, dixit, non habetis. maluit se ponere in numero peccatorum, vt haberet aduocatum Christum, quàm ponere se pro Christo aduocatum, & mueniri inter damnandos superbos. Nec tamen dicendum, quia episcopi vel præpositi non petant pro populo. Orat enim Apostolus pro plebe, orat plebs pro Apostolo, qui dicit, Orantes simul & ꝓ nobis, vt Deus aperiat nobis ostium verbi. Et pro Petro orabat Ecclesia, cùm esset in vinculis Petrus, & exaudita est. Quomodò & Petrus pro Ecclesia, quia omnia pro inuicē membra orant. Caput pro omnibus interpellat, de quo scriptum est, Qui est ad dexteram Dei, qui & interpellat ꝓ nobis. Vnigenito enim filio pro homine interpellare, est, apud coæternum patrem seipsum hominem demonstrare: eique ꝓ humana natura rogasse, est, eandem naturam in diuinitatis suæ celsitudinem suscepisse. Interpellat igitur pro nobis Dominus, non voce, sed miseratione. O vtinàm quandò audiuimus à diacono, Ite Missa est, mens nostra ad illam patriam tendat, quò caput nostrum præcessit, vt ibi simus desiderio, vbi desideratus cunctis gentibus, nos expectat cum suo tropheo, quatenùs sic desiderando, aliquandò ad eum peruenire possimus, qui ità patrem supplicat pronobis: Volo pater, vt vbi ego sum, ibi sit & minister meus. Solet vulgus indoctum requirere, à quo loco totius officij Missa inchoetur, vt si fortè ad totum nō occurrerit, possit scire, quibus officijs se præsentare debeat sinè retractatione. Nobis videtur Missa vocari ab eo loco, quo incipit sacerdos sacrificium offerre Deo, vsque ad vltimam benedictionem, idest, ab Offerenda vsque ad, Ite, Missa est. A tempore sacrificij Isidorus officium Missæ deputat, inquiens in libro Etymologiarum: Missa tempore sacrificij est, quandò Catechumeni mittuntur foràs, clamante Leuita: Si quis catechumenus remansit, exeat foràs. Et indè Missa, quia sacramentis altaris interesse non possunt, qui nondùm regenerati noscuntur. Cōsuetudo nostra tenet, vt catechumenos repellamus ante Euangelium. Non mihi hoc videtur ex ratione incumbere, cùm proculdubiò prædicatoribus gentium præceptum sit, vt Euangelium eis prædicent: sed sacrificio omninò interesse non possunt, nisi renati, quia neque pro eis rogatur à sacerdote in cōsecratione corporis Domini, neque confectum illis porrigitur. Sic orat sacerdos pro circunstantibus: Memento Domine famulorum famularumq; tuarum, & omniū adstantium, quorum tibi fides cognita est, & nota deuotio. Nondum renati, infideles vocātur, non fideles. Igitur non possumus animaduertere pro illis constitutam esse orationem in officio confectionis corporis Christi. Quapropter meritò eo tempore recedunt, quo sacrificium celebratur.

Psal. 117.

1. Ioan. 2. Christus aduocatus noster.

Coloss. 1. & 4.

Act. 12. Rom. 8. Quomodo Christus ꝓ nobis interpellat.

Ioan. 17. A quo loco incipit officium missę.

Emissio catechumenorum.

De vltiore vltima benedictione. Cap. 37.

Est vltima benedictio, de qua nunc agimus, quam potissimùm frequentamus tempore quadragesimali: hoc est, post illam vltimam continuatam, in qua spiritalis refectio commendatur. restat hæc vlterior, de qua nunc, vt diximus, agitur, in qua milites Christi commēdantur pugnæ contra antiquum hostem. Si omni tempore necesse est paratū esse bellicosum aduersùs insidias siue impetus inimicorum: quanto magis in procinctu? Quadragesimali tempore scit aduersarius noster à sancta Ecclesia singulare certamen commissum esse contra se, ac ideò instat fortiùs ad rapiendum atque prosternendum, si fortè aliquem inuenerit negligentem. Sacerdos noster, vt prudens agonotheta & pugnator, quantum in maiore periculo videt milites fore, tantum munit eos ampliùs sua benedictione. Arma nostra cōtra diabolum, sunt humilitas & cæterę virtutes. Vult sacerdos noster, vt nostris armis vestiti simus: propterea iubet per ministrum, vt humiliemus capita nostra Deo, & ità tandem infundit super milites protectionem benedictionis suæ. Benedictio sacerdotis morem antiquū tenet, vt in nouissimo porrigatur. Iacob Patriarcha in nouissimo vitæ suæ benedixit filijs suis. Scriptum est in Genesi, Benedixit singulis benedictionibus proprijs, & præcepit eis, dicens: Ego congregor ad populum meum. sepelite me cū patribus meis. Et iterùm, Finitisque mandatis, quibus filios instituebat, collegit pedes suos super lectum, & obijt. Similiter scriptū est de Moyse in libro Deuteronomij: Hæc benedictio qua benedixit Moyses homo Dei filijs Israel ante mortem suam. Denique & ipse Dominus Saluator, vt superiùs prætulimus, ante ascensionem suam in cælum, benedixit discipulis suis. Et vt cætera prætermittam sanctorum patrum exempla, causa compendij breuiter dico: Quandò familiarem affatum habemus cum seruis Dei, more religionis nostræ, antequam separemur ab illis, in vltimo benedictionem petimus.

Specialis benedictio ꝓ pugnantibus in Quadragesima.

Agonotheta is est, qui agonis est præfectus, & præmia certātibus præponit: vnde latine numerarius appellari potest. Inclinate capita uestra Deo. Exępla vltimę benedictionis. Gen. 49. Deut 33. Luc. 24.

De Missa in festiuitate sancti Ioannis Baptistæ manè prima. Cap. 38.

Luc. 1.

Beatus Ioannes Baptista legitur in Euangelio Lucæ repletus esse Spiritu sancto ex vtero matris. Quapropter in exordio lucis diei quasi in exordio natiuitatis sacrificium Deo offertur in honore eius ad laudem creatoris, q illum dignatus est honorare ex vtero matris. Ideò autem tres Missæ celebrantur in festiuitate beati Ioannis, quia tribus insignibus triumphis excellenter refulsit. Ad hoc enim venit, vt viam Domino præpararet exemplo suæ conuersationis. Qui triumphus celebratur in vigilia eius. Per baptismi ministerium claruit insignis: Huius ministerij triumphus recolitur in prima Missa. Nazaræus verò permansit ex vtero matris: Hoc donum recolitur in secunda Missa in die.

De offerenda, Vir erat in terra. Cap. 39.

Interim occurrit mihi repetitio verborum, quæ est in versibus offertorij, Vir erat. nolui prætermittere quod sensi de illa, quamuis ordo rerum teneat post scriptionem natiuitatis S. Ioannis, natiuitatem Christi scribere. In offertorio non est repetitio verborum, in versibus est. Verba historici continentur in offertorio: verba Iob ægroti & dolentis continentur in versibus. Aegrotus cuius anhelitus non est sanus, neque fortis, solet verba imperfecta sæpiùs repetere. Officij auctor, vt affectanter nobis ad memoriam reduceret ægrotantem Iob, repetiuit sæpiùs verba more ægrotātiū. In offertorio vt dixi, non sunt verba repetita, quia Historicus scribens historiam, non ægrotabat.

De Aduentu Domini. Cap. 40.

In antiquis libris Missalium & lectionariorum reperitur scriptum, Hebdomada quinta ante Natalem Domini. Totidem enim lectiones habentur in lectionario, & totidem Euangelia à tempore memorato per dies Dominicos vsque ad natiuitatem Domini. Antiphonarius habet tria officia diurna, & quartū in die Dominico, qui vacat post lectiones duodecim: Nocturna verò quatuor, vt superiùs dixi, per dies Dominicos. Auctor lectionarij excitat fidem nostram ad recolendum Domini nostri Iesu Christi venturi in mundum præconium per quinque ætates mundi. Auctor Missalis, qui vocatur Gregorialis, & antiphonarij, nos tangit, vt recolamus natiuitatem Domini celebratam per tres ordines librorum, scilicet legis, prophetarum, & psalmorum, necnon & per quartum, id est, principium Euangelij, in quo narratur Gabriel Archangelus missus ad Zachariam, videlicet nuncius natiuitatis precursoris Domini, verū etiam & prophetia Zachariæ de aduentu Domini, & Gabriel missus ad Mariam virginem, narrans ei conceptionem Saluatoris nostri, & cætera talia vsque ad natiuitatem. Nempe & ipsa quarta hebdomada, hoc est, quæ proxima est ante natiuitatem Domini, siue in qua celebratur, singularis est, & habet in matutinali officio per quamq; feriam antiphonas proprias in psalmis. Et alio modo: Auctor lectionarij docet nos, quàm fortis sit Dominus, qui venturus est ad nos, & intraturus domum nostram, vt in ea habitet, quam solemus sordidare quinq; sensibus nostris. Illices formæ intrant per oculos: suspicio mala de fratre, per aures: odor libidinosus, per nares: per os ingluuies polluit, per tactum crudelitas. In sordibus non vult habitare rex venturus: nisi ità purgetur hospitium, vt nec saltem puluis talium phantasmatum remaneat, non dignabitur hospes venturus in illud intrare. Ideò scribit auctor quinque lectiones quinque hebdomadarum, vt nos hortetur circuncidere quinque sensus nostros ab omni vitio, & parare māsionem dignam Regi, & Domino, atque vero prophetæ. De ipso rege dicit prima lectio: Ecce dies venient, dicit Dominus, & suscitabo Dauid germem iustum, & regnabit rex, & sapiens erit. Et iterùm de Domino: Et hoc est nomen quod vocabunt eum, Dominus iustus noster. Et iterùm in Euangelio de propheta, Quia hic est verè propheta, qui venturus est in mundum. Auctor Missalis siue antiphonarij, eandem præparationem hortatur nos facere per quatuor hebdomadas. Sicut enim homo internunciis quinque sensibus ad animam bene aut malè operatur, ità per quatuor elementa aut ruit ad mala corporalia, aut surgit ad bona. Quapropter, vt dixi, hortatur nos auctor memoratus, vt si vsque modò torpuimus negligentia, dehinc surgamus ad mundandam domum nostram, vt qui non excitatus est in quinta hebdomada, saltem surgat in quarta. Ipsum enim sonat lectio, quæ legitur in quarta hebdomada: Scimus quia hora est iam nos de somno surgere, & reliqua. Non dubito propterea, cantorem in memorata hebdomada cum tuba sua exaltare vocem, Ad te leuaui animam meam, vt excitet eos qui in quinta hebdomada sopore negligentię oppressi sunt. Quomodò domum nostram præparare debeamus, in sequentibus memorata lectio mōstrat: Non in commessationibus & ebrietatibus, non in cubilibus & impudicitiis, non in contentione & æmulatione, sed induimini Dominum Iesum Christum. Eandem præparationem inculcat in aures nostras Sacramentarium: Suscipiamus, inquiens, Domine misericordiam tuam in medio templi tui, vt reparationis nostræ ventura solennia congruis honoribus præcedamus. Si quis voluerit nostra dicta infringere, quasi nō sint quatuor hebdomadæ plenè à memorata Dominica vsque in natiuitatem Domini, videtur mihi ignarus esse regulæ sanctę scripturæ, quæ a

Universidad de Deusto
Biblioteca

quæ à parte totũ ſolet implere. Vidi tempore priſco, Gloria in excelſis Deo, prætermitti in diebus aduentus Domini, & in aliquibus locis dalmaticas. Habet enim & iſtud aliquid rationis, ad inſinuandum tempus veteris teſtamenti. Nulli dubium quin maior gloria ſit in eccleſia Dei tempore noui teſtamenti, quàm foret ueteris. Et alio modo: Quicquid enim raro fit, precioſius fit cum fit. Vndè ſcribitur in libro Samuelis: Puer Samuel miniſtrabat ante Dominum coram Heli, & ſermo Domini erat precioſus. Ideò dicitur precioſus, quia illo in tempore erat rarus. Vndè Hieronymus ad Euagrium in epiſtola ſua: O nunc quod rarum eſt, plùs appetitur. Pulegium apud Indos pipere precioſius eſt. Ac ideò quando intermittitur Gloria in excelſis DEO, ſiue alia claritas ſacri ordinis ad tempus, multo auidiùs ſumitur quandò redditur; & clariùs in animis deuotorum reſplendet, quandò ab æruginoſis reparatur. Quaſi nouum canticum redditur, Gloria in excelſis Deo, in nocte natiuitatis Domini, vt eo magis ad memoriam nobis reducatur, tunc primùm celebratum eſſe eundem cãtum hymnis Angelorum.

De Natiuitate Domini. Cap. 41.

MIſſam, quam celebramus in nocte Natiuitatis Domini, Teleſphorus apoſtolicus conſtituit. Ità ſcriptum eſt in geſtis epiſcopalibus: Conſtituit vt natali Domini noctũ Miſſę celebrarentur. Vt opinor, propter recordationem Angelorum, qui nocte illa cecinerunt, Gloria in excelſis Deo. In eadem Natiuitate ſtatuit auctor officij Miſſam celebrari manè ſecundam. Quod ſuperiùs prætulimus de natiuitate Ioannis, quæ habet Miſſam in initio lucis, hoc & in iſta retinemus, quamuis multùm diſtet inter ſeruum & dominum. Nemo dubitat quòd homo Chriſtus Ieſus poſtquàm cępit homo eſſe, ſemper Deus manſit. Vndè dicit Cyrillus Alexandriæ Epiſcopus in epiſtola ad Neſtorium Epiſcopum Conſtantinopolitanæ urbis: Non enim priùs homo cõmunis ex ſancta eſt genitus virgine, & ſic poſteà Verbum ſuperuenit in eo: ſed ex ipſa vulua vnitus, natiuitatẽ carnalẽ creditur & dicitur pertuliſſe.

De conſueto tempore Miſſæ. Cap. 42.

MEmoratus Papa Teleſphorus ſcripſit, quo tempore primo diei liceret Miſſam celebrare. Legitur in geſtis epiſcopalibus dixiſſe memoratum Papam, vt ante horæ tertiæ curſum nullus præſumeret Miſſas celebrare, qua hora Dominus noſter aſcendit in crucem. Si enim propterea aptum eſt, iuxta memoratũ Papam, tempus horæ tertiæ celebrationi Miſſę, quia in eo legitur ſecundùm Marcum crucem Chriſtum aſcendiſſe: & nos poſſumus cõuenienter dicere, aptum eſſe tempus horæ ſextæ, quo ſecundùm Matthæum crucem aſcendit: ſed & tempus horæ nonę, quandò emiſit ſpiritum. Hęc tria tempora ſacrata ſunt Chriſti fixione linguis Iudæorum & ligno. Hi qui ante horam tertiam, ſiue poſt horam nonam neceſſariò offerunt ſacrificium Deo amore diuino infecti, vt non prætereat dies ſinè illorum ſacrificio, vt reor, non hoc agunt, quaſi proteruè contra inſtituta Apoſtolica: ſed habent cauſam ſeriam, qua excuſare probabiliter ſe poſſint, vt Dominus diſcipulos defendit reprehenſos à Iudæis, quòd vellebant ſpicas, quaſi hoc facerent quod non licebat in ſabbatis, exẽplo Dauid, quandò neceſſitate famis tranſgreſſus eſt legem, vt manducaret panes conſecratos. Fames vtiquè in cauſa fuit, vt probabili excuſatione tranſgrederetur legem Dauid. Huic rei aliquid ſimile ſcribit Innocentius Papa cap. lv. Ergò quod neceſſitas pro remedio reperit, ceſſante neceſſitate, debet vtiquè ceſſare pariter quod vrgebat: quia alius eſt ordo legitimus, alia vſurpatio, quam ad præſens fieri tempus impellit. Namque vidi Leonem Apoſtolicum diluculo intrare ad Miſſam, neſcio vtrum cauſa neceſſitatis intercedente hoc ageret, an ſola poteſtate. Quod legimus in geſtis pontificalibus, hoc ſcripſimus. Fulget enim poteſtas ratione decorata. Protulit enim Teleſphorus memoratus rationem de hora Miſſæ, qua de re ſpontè incumbimus ſuæ auctoritati.

De ὑπαντῆ. Cap. 43.

SCriptum eſt in geſtis pontificalibus, quod Sergius Papa præciperet litanias fieri in die præſentationis Domini in templo. Ità enim ſcriptum eſt: Vt diebus annunciationis Domini, dormitionis, & natiuitatis ſanctę Dei genitricis Mariæ, & ſancti Simeonis, quod ὑπαντὴ dicitur græcè, cum litania exeãt à ſancto Adriano, & ad ſanctam Mariam populus occurrat. De qua feſtiuitate dicit Beda ſacerdos & doctor eximius in libro de temporibus: Secũdum menſem Numa dicauit Februo, id eſt, Plutoni, qui luſtrationum potens credebatur, luſtraríque eo menſe ciuitatem neceſsè erat, quo ſtatuit, vt iura diis Manibus ſoluerentur. Sed hanc luſtrandi conſuetudinem benè mutauit Chriſtiana religio, cùm in menſe eodem die ſanctæ Mariæ plebs vniuerſa cum ſacerdotibus ac miniſtris hymnis modulatæ vocis per eccleſias, perque congrua vrbis loca procedit, datosque à pontifice cereos manibus geſtat ardentes, & augeſcente bona conſuetudine, idipſum in cæteris quoquè eiuſdem Matris & ꝑpetuæ Virginis feſtiuitatibus agere didicit, non vtiquè in luſtrationem terreſtris imperij quinquennem, ſed perennem regni cæleſtis memoriam, quandò iuxta parabolam virginum prudentum, omnes electi lucentibus bonorũ actuum lãpadibus obuiam ſponſo ac regi ſuo venientes, mox cum eo ad nuptias ſupernæ ciuitatis intrabunt.

De

De Miſſa pro mortuis. Cap. 44.

Cur Miſſa pro defunctis ſine Gloria, Alleluia, & pacis oſculo celebratur. Orig. To. 1

MIſſa pro mortuis, in hoc differt à conſueta Miſſa, quòd ſinè Gloria & Alleluia & pacis oſculo celebratur. Gloria & Alleluia ſuauitatem & lætitiam noſtris mentibus inculcant. Quid cogitem ex hoc dicere, verbis Origenis explicabo. Scribit enim idem in homilia quinta Leuitici libri: Sacrificium verò pro peccato, non ſit ex oleo. Dicit enim, Non ſuperponit ei oleum cùm iam pro peccato eſt. Quod ergò pro peccato eſt, nec oleum lætitiæ ei, nec thus ſuauitatis imponitur †. Nulli dubium, quin mors ſit vindicta primi peccati, ac ideò ſinè gloria & alleluia celebratur, quaſi ſinè oleo & thure. Notandum eſt etiam, quòd officium pro mortuis ad imitationem agitur officiorum, quæ aguntur in morte Domini. Iam prætulimus, quod nouimus, quarè in officiis paſſionis Domini pacis oſculum non demus: hìc neſcimus aliud proferre, niſi quod ibi prælibauimus, quoniam ibi non agitur oſculum pacis, nec hìc agitur. Recordatio mortuorum, nuncupatiuè agitur ante, NOBIS quoquè peccatoribus. Ibi finitur memoria mortis Domini, & inchoatur mors noſtra, per confeſſionem peccatorum. Ac ideò meritò ibi agitur memoria tranſeuntium, qui in Domino moriũtur. Chriſtus enim præceſſit eos, nos ſequimur. Solemus eorum memorias generaliter celebrare tertia, ac ſeptima, & triceſima die. Vndè talem habemus auctoritatem in veteri teſtamentò: Scriptum eſt in libro Numerorum, capitulo quadrageſimoſeptimo: Qui tetigerit cadauer hominis, & propter hoc fuerit immundus, ſeptem dies adſpergetur ex hac aqua, die tertia & ſeptima, & ſic mundabitur. In celebratione triginta dierum ſuffulti ſumus Moyſis & Aaron celebratione. Ità ſcriptum eſt in eodem libro, capitulo primo: Omnis enim multitudo videns occubuiſſe Aaron, fleuit ſuper eum triginta diebus per cũctas familias ſuas. Et iterùm de Moyſe in Deuteronomio, capitulo trigeſimoquarto: Fleueruntq; ſuper eum filij Iſrael in campeſtribus Moab triginta diebus. Immundus propter cadauer hominis, pollutam animam ſignificat mortuis operibus. Purgatio mortui hominis per ſacrificium ſacerdotis, tertia die & ſeptima cõgruit naturæ humanæ. Conſtat homo ex anima & corpore. Anima tribus quaſi quodammodò columnis erigitur, vt diligat DEVM ex toto corde, & ex tota anima, & ex tota mente. Corpus verò quatuor notiſſimis elementis ſubſiſtit. Peccatum animæ, quæ neglexit cultum Dei in cogitatione, in vita & intellectu, humiliter confitendo, offerimus DEO tertia die, vt ab his peccatis purgetur. Similiter peccatum quod per corpus geſſit, cupimus purgare in quarto die poſt tertium diem, id eſt, ſeptimo poſt mortem ſuam. Duobus modis committitur peccatum, aut faciendo ea, quæ non debuimus facere, aut omittendo ea, quæ debuimus facere. Vſque ad ſeptimum diem, in quo numero deſignatur vniuerſitas, omnia peccata quæ egit, & non debuit agere deflemus, & pro his rogamus, ſeorsùm pro anima, & ſeorsùm pro corpore: deincèps vſq; ad triceſimum: & pro his, quę modò in ſuperioribus memorauimus, & pro illis quæ debuit facere, & non fecit. Triginta enim diebus completur mẽſis. Per menſem deſignatur curriculus præſentis vitæ, vt ex ſtatu lunæ facile dinoſcitur. Vndè Gregorius in Moralibus Iob, libro octauo: Menſium quippe nomine, dierum collectio & ſumma ſignatur. Per diem ergò vnaquæq; actio exprimi poteſt: per menſem autem, actionum finis innuitur. Quandò ſtudemus vt opera amicorum noſtrorum ſint plena coram Deo, triginta diebus pro eis ſacrificamus. Non opinor vt aliquis velit dicere, quòd non liceat nobis orare quotidie & ſacrificare Deo pro mortuis. Sed quod agitur in tertia & ſeptima & triceſima die, publicè agitur, & generaliter ab omnibus amicis, ac conuenitur ſimul ad hoc in precibus Miſſarũ, atque eleemoſynis & cęteris bonis ſtudiis. Legimus in hiſtoria Anglorum, quendam presbyterum opinatum eſſe de fratre ſuo quòd mortuus eſſet in prælio, qui tamen non erat mortuus, ſed vulneratus & vinculatus. Mox memoratus presbyter nõ expectauit tertium diẽ, neque ſeptimum, neque trigeſimum: ſed frequentiſſimè celebrauit pro eo Miſſas. Tempore Miſſæ quotidiè ſoluta ſunt vincula vulnerati. Scriptũ eſt volumine memorato, libri quarti capite viceſimo quarto: Cumq; vidiſſet qui emerat, eum ſe vinculis non potuiſſe cohibere, donauit ei facultatem redeundi, ſi poſſet. A tertia autem hora, quandò Miſſę fieri ſolebant, ſæpiſſimè vincula ſoluebantur. At ille iureiurando promiſit vt rediret, vel pecuniam illi pro ſe mitteret. Et poſt pauca: Qui poſt hæc in patriam reuerſus, atque ad ſuum fratrem perueniens, replicauit ex ordine cuncta, quæ ſibi aduerſa, quæve in aduerſis ſolatia proueniſſent. Cognouitque reuertente eo, illis maximè temporibus ſua fuiſſe vincula ſoluta, quibus pro ſe Miſſarum fuerant celebrata ſolennia. Solet vulgus requirere, ſi pro omnibus Chriſtianis licitum ſit Miſſam celebrare. Quibus Auguſtinus reſpondet in libro Enchiridion: Neque negandum eſt, defunctorum animas pietate ſuorum viuentium poſſe releuari, cùm pro illis ſacrificium mediatori offertur, vel eleemoſynę in Eccleſia fiunt: ſed eis hæc proſunt, qui cùm viuerent, hæc ſibi vt poſteà poſſint prodeſſe, meruerunt. Eſt enim quidam viuendi modus, nec tam bonus, vt non requirat iſta poſt mortem: nec tam malus, vt ei non proſint iſta poſt mortem. Eſt verò talis in bono, vt is hæc non requirat: & eſt rursùs talis in malo, vt nec his valeat, cùm hæc vita trã ſierit, adiuuari. Quocircà hic omne meritũ comparatur, quo poſſit poſt hanc vitam releuari

De die tricesima.

To. 1. Orare quo tidie pro mortuis.

Ex hiſtoria Anglorum.

In Enchir. cap. 110. Quibus ꝓſunt poſt mortẽ exequiæ.

Dies exequiarum ꝓ mortuis. Num. 19.

Num. 20.

Deut. 34.

Senſus myſticus de diebus exequiarum. De die tertia.

De die ſeptima.

Universidad de Deusto
Biblioteca

uari quispiam vel grauari. Et paulò post: Cùm de sacrificio siue altaris, siue quarumcunque eleemosynarum pro baptizatis defunctis omnibus offeruntur, pro valdè bonis, gratiarum actiones sunt: pro non valdè malis, propitiationes sunt: pro valdè malis, etiamsi nulla sint adiumenta mortuorum, qualescũque viuorum consolationes sunt. Quibus autem prosunt, aut ad hoc prosunt, vt sit plena remissio: aut certè, vt eo tolerabilior fiat ipsa damnatio. Vndè iterùm ad Paulinum, de cura pro mortuis gerenda, libro secundo: Quamuis non pro quibus fiunt, omnibus prosint, sed eis tantùm, pro quibus, dum viuunt, comparatur vt prosint. Sed quia non discernimus, qui sint, oportet ea pro regeneratis omnibus facere, vt nullus eorum prætermittatur, ad quos hæc beneficia possint & debeant peruenire. Melius enim supererunt ista eis, quibus nec obsunt, nec prosunt, quàm eis deerunt, quibus prosunt. Anniuersaria dies ideò repetitur pro defunctis, quoniam nescimus qualiter eorum causa habeatur in alia vita. Sicut Sanctorum anniuersaria dies, in eorum honore ad memoriam nobis reducitur super vtilitate nostra: ita defunctorum, ad vtilitatem illorum, & nostram deuotionem implendam, credendo eos aliquandò venturos ad consortium Sanctorum. Alioquin omni tempore bonum est orare pro defunctis, etiam si dies nesciatur defuncti per obliuionem, seu per ignorantiam, vel prætermittatur propter occupationem aliquam terrenam: agatur tamen eorum solennitas iuxta decretum deuotissimarum mentium, credo, apud eum, apud quem non est vicissitudinis obumbratio acceptam esse quasi anniuersaria sit.

Pro oibus fieri sacrificia.

Cur Anniuersaria dies peragitur.

*

Explicit libellus tertius.

QVARTVS LIBELLVS.

IN hoc quarto libello continentur multa ad inuestigandũ, & iuxta facultatẽ quam potui precari à misericordia Domini, scripta de cursibus diurnalibus & nocturnalibus, siue in festis diebus, seu quotidianis. Quatenùs considerato ordine compositionis, & numero psalmorum, & lectionum ac responsoriorum conueni enti quibusque temporibus, dulciùs atq; compunctiùs DEO assistatur in ecclesia, & rogetur atque recordetur tam pro se, qui rogat: quàm pro illis, quibus necessaria est deprecatio: & recordetur illorum, quorum nobis est vtilis recordatio. Necnon etiam aliqua recapitulantur de superioribus libellis, quæ apertiùs inuenta sunt à mea paruitate post scriptos memoratos libellos.

Capitula Quarti Libelli.

1 VT ea quæ Dei sunt, Deo reddamus. Quot horis sol orbem lustrat, totidem repetitionibus nosmetipsos offerimus Deo interdiù noctuque, exceptis Vespertinis, Completoriisque ac Matutinis officiis, de quibus seorsùm dicendum est,
2 De Prima.
3 De Tertia.
4 De oratione, quam conuentus fratrum celebrat per aliquos cursus diurnos nocturnosque.
5 De Sexta.
6 De Nona.
7 De Vespertinali synaxi.
8 De Completorio.
9 De nocturnali officio.
10 De matutinali officio.
11 De nocturnali officio p quotidianas noctes.
12 De Matutinali officio per quotidianas noctes.
13 De tertia feria.
14 De feria quarta.
15 De quinta feria.
16 De sexta feria.
17 De sabbato.
18 De Dominicis noctibus in Matutinali officio à Septuagesima vsque in Pascha.
19 De versibus qui in Quadragesima sunt vsq; in passionem Domini.
20 De passione Domini.
21 De cœna Domini & Parasceue ac Sabbato sancto.

De

22 De extinctione luminum.
23 De tribus Psalmis, qui cantantur in nocturnali officio per septem dies baptismales.
24 Repetitio de Litania maiore.
25 Sequuntur dicta ex epistolis S. Gregorij.
26 Repetitio de Alleluia, quod canitur in Missa, & de vestimento subdiaconorum, & Kyrie eleison, & Dominica oratione ex epistola S. Gregorij.
27 De completione dierum Pentecostes.
28 De hora baptisterij in die sancto sabbato, siue in vigiliis Pentecostes.
29 De octauis Pentecostes.
30 Iterum de aduentu Domini.
31 De Natiuitate Domini.
32 De octauis in Natiuitate Domini.
33 De theophania & ὑπαντῆ.
34 De octauis theophanię.
35 De natalitiis Sanctorum.
36 De octauis natalitiorum Sanctorum.
37 De obseruatione dierum per annum.
38 Qua reuerentia & metu standum sit in ecclesia, quandò celebrantur diuina mysteria.
39 Iterùm de tonsura clericorum.
40 Mentio iterùm, qua hora diei Missa celebranda sit à liberè vacantibus.
41 De exequiis mortuorum.
42 De officiis mortuorum.
43 Repetitio de tribus psalmis baptismalibus.
44 Repetitio de antiphona, Fluminis impetus quæ canitur in Theophania.
45 Repetitio de versu, & de Pentecoste, & de calice.

Vt ea quæ Dei sunt, Deo reddamus: quot horis sol orbem lustrat, totidem repetitionibus nosmetipsos offerimus Deo interdiù noctuq;, exceptis vespertinis, completoriisq; & matutinis officiis, de quibus seorsum dicendum est. Cap. I.

NOs qui censemur nomine Christiano, redempti sumus à seruitute diabolica Christi precioso sanguine. Ideò non sumus nostri, sed redemptoris nostri. De quo precio dicit Apostolus: Empti enim estis precio magno. Et ideo quid agere debeamus, subiungit: Glorificate & portate Deum in corpore vestro. Glorificamus illũ, quando ei gratias referimus de sua redemptione: Portamusque in corpore nostro, quando in anima nostra, quæ portatur à corpore, inhabitat per dilectionem suam in cogitatu, & vita & intellectu. Ac ideò sæpiùs per memoriam nostram, & suam sanctificationem portando illum in mente secundùm suum beneplacitum ei, id est, corpori mens memorata præcipit ad obedientiã, per quam etiam plùs placet redemptori nostro inhærere ei, quæ portatur à corpore. Eidem redemptori, vt fidelis seruus Domino suo, semper debitores sumus seruire, sicut seruitur iustitiæ & sanctificationi, & cæteris bonis moribus per amorem. De qua seruitute dicit Zacharias propheta: Vt sinè timore, de manu inimicorum nostrorum liberati, seruiamus illi in iustitia & sanctitate coram ipso omnibus diebus nostris. Concessit nobis idem Dominus noster duo lumina temporum, scilicet, diei & noctis, vt sol nobis luceret per diem, & luna per noctem. Ex his duobus luminibus profectum nostræ fruges assumunt, vt ad vtilitatem nostram perueniant. Ex luna habent humorẽ vt crescant: ex sole temperati uum ardorem, vt ad maturitatem perueniant. possumus hæc manifestare ex dictis Domini Bedæ, (Sit assumptum ab illo, à quocunq; ipse voluit: mihi sufficit eius auctoritas.) Denique inquit: Cùm serenior nox est, & luna pernox, tunc largior ros refertur arua perfundere, & plerique sub aere quiescẽtes, quò magis sub lumine fuissent lunæ, eò plus humoris se capite collegisse senserunt. Et in alio loco de sole: Tempora sunt anni quatuor, quibus sol per diuersa cœli spatia discurrendo subiectum temperat orbẽ, diuina vtiquè procurante sapientia, vt non semper eisdem commoratus in locis seruoris auiditate mundanum depopuletur ornatum: sed paulatìm per diuersa commigrans terrenis fructibus nascendis maturandisq; temperamenta custodiat. Ex frugibus terræ corpus nostrum sustentatur. Corpus, animæ in obsequio est, vt hìc in præsenti seculo possit seruire Deo manifestum est, postquam anima per nimiam afflictionem corporis recesserit ab eo, non ei deputetur labor ad fructum: sed quandiù in corpore est, oportet operari, vndè placeat Deo. Non enim solùm pro his, quæ nobis ministrantur in præsenti seculo, Deo adstamus in nostris officijs: sed etiam quia debitores nos esse cognoscimus iugis seruitij eius, vt fidelis seruus qui semper vult in seruitio adesse senioris sui. Et ideò duo decim repetitiones de die facimus, per primã, & tertiam, & sextam, & nonam horam, vt per vnamquamque repetitionẽ Deo præsentemur in omni hora: Similiter in nocte per duodecim psalmos. Et quia pater noster audiuit, In sudore vultus tui vescéris pane tuo, conuertimus nos aliquandò ad opera temporalia. Atque vt propter hæc necessaria non omittamus seruitutem, quam Deo debemus in anima exhibere, statuerunt patres nostri, vt tot orationes psalmodiarũ fierent, quot horæ sunt nobis datæ ad laborandum pro sustentatione corporis. Et quia nõ possumus ità semper operari, nisi quies aliquandò subsequatur, sequitur nox, in qua non possumus operari, sed quieti ocium damus, vt & pro ipsa quiete Deo seruitium reddamus, cantamus duodecim psalmos pro duodecim horis noctis. Tendimus

Q ad tale

Universidad de Deusto
Biblioteca

ad tale seruitiũ, quale primus Adam pater noster exhibuit Deo, antequam peccaret, & quale speramus futurum post hanc vitam, hoc est, vt continui simus in Dei præsentia. Non enim necesse est, aliquem in hac discretione mussitare propter disparem longitudinem dierum & noctium: etiam calculatores horarum tempora sic diuidunt dierum & noctium, vt luna per noctem luceat siue æstiuo seu hyemali tempore duodecim horis. Vndè idem qui suprà Beda in libro de temporibus: Verùm longissimis in bruma noctibus, vel item æstate breuissimis, quarum alias duodecim horarum spatium longè transcendere, alias nequaquam ad hoc pertingere posse constat, qua ratione lunam duodecim horas lucere credamus, nisi fortè putemus non æquinoctiales horas intelligendas, sed singulas quasq; noctes pro suę mensura longitudinis aut breuitatis, in duodecim particulas, quas horas vocitamus, æqua distributione findendas.

De Prima. Cap. 2.

MAgnificentissime & gloriosissime atque Cristianissime Imperator, quoniam professus est se seruus vester, quãuis minimus omniũ, aliqua pingere de operariis, qui omni hora volunt assistere in seruitio Dei, videtur parui tati meæ per Dei donum, quod vestrum animum ad se rapit in prosperis & aduersis, vt ab illa hora inchoem, qua paterfamilias conducit operarios in vineam suam. Sancta ecclesia proculdubiò est vinea patrisfamilias, quæ ità operatur per operarios in vinea sua, vt sibi fructificet: Nos sumus vinea, quæ colitur per cultores, scilicet præpositos sanctæ ecclesiæ, aut per nosmetipsos. Præpositi ostẽdunt culturam, nosq; simul cum illis exercemus illam. Fodiunt cultores vineam & stercorant, quandò corda nostra dura per verba increpationis scindunt, & fœtida peccata nostra infundunt: fodimus & nos terram circa vitem, ac facimus fossam, quãdò nostram naturam ad memoriam nobis inducimus, & humiliamur sub potenti manu DEI, adspiciendo nos puluerem & cinerem esse. Insuper etiam quia ipsam naturam corrumpimus peccando, inducimus stercus, vt peccata nostra circa nos sint in præsenti seculo, atq; in futuro desint, & per duas res, id est, per consideration nem nostræ naturæ, & per pœnitentiam nostrorum peccatorũ crescat noster fructus vberiùs, fiatq; vinum per angustiam torcularis, & expoliationem carnalium delectationum, quod quasi per quoddam torcular introeat in cellarium æternæ domus. Vinum quod exprimitur ab vua per pressuram torcularis, desideriũ nostrũ feruens est, quod exuitur à carnali desiderio, vt dignum sit recondi in promptuario Domini. Fructui vineæ, multæ aduersæ feræ insidiantur, vt eum furentur & trafficiant in corpus suum. Eis quidem feris possunt comparari Ziphæi quodammodò apparitores Saul, qui voluerunt rapere Dauid, vt traderent eum in manus Saul ad interficiendum. Non enim desunt nobis iidem Ziphęi, qui interpretantur florentes: Quos intelligimus diaboli membra esse, siue ipsum diabolũ, qui potest dici propterea florens, quia prosperitatem caducam suis ostentat. Ipse enim siue per se, siue per mẽbra sua insidiatur nobis, vel apertè persequitur, vt tradat æternæ morti. Et fieret, nisi vinea Domini, que nos sumus, haberet sepẽ circùm se, atq; cultores infra se. Sepes enim, custodia Dñi est circa electos suos: Cultores enim, vt prędiximus, sunt Doctores & præpositi ecclesiæ. Illa sepe circundatus erat Dauid quando, Ziphæi eum circundederunt: ac ideò saluatus est, & cecinit Psalmũ, Deus in nomine tuo saluum me fac, & cætera. Quia Domino miserante inchoaturi sumus diurnalia officia ab hora, qua paterfamilias vocauit operarios in vineam suam, fas nobis videtur, vt ab eodẽ tempore ea inchoemus, quando illud Euangelium legitur, quod ordinationem operariorum continet per competentes horas, id est, septuagesima, Sicut enim ouibus quæ nocte custodiũtur in ouilibus, & post matutinam custodiam exeuntibus de vico ad pascua in lati tudinẽ camporum, necesse est vt ilico habeant opilionem, qui eas defendat à lupis irruẽtibus: ità nobis necesse est primo diluculo surgẽtibus ad mandata Domini, vt habeamus pastorem & doctorem qui nos introducat ad eadem mandata, & defendat à lupis, de quibus lupis legitur in Euangelio secundùm Ioannem: Et lupus rapit & dispergit oues: ac nihilominùs à leone, qui rugiens circuit quærens quẽ deuoret. Quomodò lupus rapiat, siue leò deuoret, manifestũ est his, qui impugnantur à vitijs. Vnusquisq; enim qui videt quomodò tentatur à concupiscentia sua abstractus & illectus, cognoscit, quem memoratæ feræ per gulam rapiant, quẽ per luxuriam, quem per curiositatem nefariarum artium, quem per contemplationem spectaculorum turpium & superuacuorum, quem per acquisitionem rerum temporalium, quem per curiositatem inquisitionis siue detractionis vitiorum proximorum, quem per superbiã, quem per iactantiam. Hæc sunt vitia, quæ subijciuntur tribus concupiscentijs, quibus totus mundus inuoluitur, dicente Apostolo: Omne quod in mundo est, aut concupiscentia carnis est, aut concupiscentia oculorum aut superbia vitæ. Propter suprascriptas feras dicit opilio noster: Deus in adiutorium meum intende, Domine ad adiuuandum me festina. In officij initio precatur, vt non possint tantum præualere, quatenùs ab eodem conciliabulo aliquem separent per astutiam suam. Simili modo faciebat Moyses, quandò arca eleuabatur ad portandum. Dicebat enim: Surge Domine, & dissipentur inimici tui, & fugiant qui oderunt te, à facie tua. Nos enim spiritaliter sumus illa arca. Sicut enim quotidiè circundabatur illa ab inimicis: sic & sancta Ecclesia

vsque

vsque in finem circundabitur à persecutoribus siue apertis, siue occultis. Sequitur post deprecationem nostri opilionis, Gloria sanctæ Trinitatis, quam deprecamur adesse nostro adiutorio. Recordatur opilio noster sermonis Domini, quem dixit, Sinè me nihil potestis facere. De additione, Gloria patri, per diuersa loca, Hieronymus scripsit in epistola sua ad Damasum Papam. Cur in memorato tempore, id est, septuagesima, alleluia non supponatur gloriæ sanctæ Trinitatis, quę est per omnia secula seculorum: sed Laus tibi Domine rex æternæ gloriæ, diximus in libello quem fecimus de septuagesima, scilicet non ob aliud, nisi vt humiliore lingua Latina, quàm Hebræa, admoneamur nos debere informari ad humiliorem conuersationem in tẽpore septuagesimæ, quàm in alio tẽpore. Posteà sequitur psalmus, quem Dauid cantauit, quandò Ziphæi voluerunt eum rapere, & tradere in manu Saul. Quem nobis necesse est cantare diluculo, iuxta quod scriptum est, Iustus cor suum tradet ad vigilandũ diluculo: vt velit nos Deus saluare, quoniam alieni insurgunt super nos, qui non proponunt Deum ante conspectum suum: atq; vt ex omnibus tribulationibus nos eripiat, & super omnes inimicos nostros despiciat oculus noster, vt Dauid suo in tempore fecit. Posteà sequũtur duę repetitiones Psalmi, Beati immaculati, qui plenus est moribus. Oportet enim, vt quos Deus liberauerit de vĩculis & carcere inimicorũ, moribus bonis & piis ei assistãt in omni deuotione, sicut ex duobus versibus duarum repetitionum possumus coniicere. Vnus dicit, Vtinàm dirigantur viæ meæ ad custodiendas iustificationes tuas: Alter ità, Reuela oculos meos, & considerabo mirabilia de lege tua. Istę tres repetitiones sustẽtant & defendunt arcam Domini vsq; ad plenam tertiam, id est, per horam primam, & secundam, & tertiam. Deindè sequitur versus, Exurge Domine, adiua nos, & libera nos propter nomen tuum. Simile quid dicebat Moyses, quandò arca deponebatur. Sic enim scriptum est in libro Numerorum, capitulo vigesimo sexto: Quandò autem deponeretur, aiebat: Reuertere Domine ad multitudinẽ filiorum Israel. Reuersio Dei ad exercitum Israel, non est aliud, quàm vt reuerti faciat Israel toto corde ad se. Deus non habet quò reuertatur, cui totum præsens est. Ita enim, Exurge Domine, non est aliud intelligendum, quàm, Nos fac exurgere à somno torporis, & fac industrios atq; strenuos in opere mãdatorum tuorum. Ab ipsa reuersione accepit idem cantus nomen Versus. Eandem enim reuersionem, de qua admonemur per versum, exercemus statu corporis nostri. Quandò audimus versum, ilicò vertimus nos ad Orientem. Quarè hoc? nisi vt omnis cogitatio quę foras exiuit, adspiciendo & videdo hæc temporalia, reuertatur infra nos, & dicamus: Domine, da mihi cor, vt orẽ ad te. Postea inchoamus implorare misericordiã Domini per Kyrie eleison & Christe eleison. & iterũ Kyrie eleison. Tres articulos aliquo modo diuinę maiestatis & Trinitatis celebramus in ecclesia. Primus est ante assumptã humanitatem, quandò Trinitas inuocabatur sinè copulatione humanæ naturæ, ac ideo meritò ter dicimus Kyrie eleison, siue semel propter vnã substantiam. Secundus est post assumptum hominẽ, quandò Christus videbatur in terra, & nihilominùs à suis credebatur Deus, & filius Dei: vt Petrus, Tu es, inquit, Christus filius Dei viui. & Paulus de eodẽ filio: Proprio, inquit, filio suo nõ pepercit. Quoniam propter assumptam naturam vocatur Christus, quæ vncta est spirituali oleo, in medio articulorum dicimus, Christe eleison. Quandò semèl dicimus ei, Christe eleison, ostendimus eum solum fuisse inter homines, & neminem habuisse sui similẽ per omnia. Et si tertiò, ostendimus nunquam eum fuisse separatum à substantia sanctæ Trinitatis propter vnitatem personæ. Tertius articulus est ex eo tempore, quo voluit clarificare illum assumptum hominem plùs, quàm esset quãdiù mortalis erat. Vndè ipse dicebat ad patrem: Clarifica me tu pater apud temetipsum claritate quã habui priusquàm mundus fieret. Ac ideò simili modo, vt in primo, pcamur Dominum, vt ignoscat nobis in talibus tentationibus, sinè quibus hæc vita non potest trãsigi. De quibus dicitur in parabolis Salomonis: Septies enim cadit iustus in die, & resurgit, id est, per ignorantiam, per obliuionem, per cogitationem, per sermonem, per subreptionem, per necessitatem, per fragilitatem carnis. Singulis diebus vel inuiti, vel volentes frequenter reatũ incurrimus, & tamen resurgit iustus, videlicet quia iustitiæ eius non prędiudicat lapsus fragilitatis humanæ. Ac deindè sequitur oratio Dominica, quam cũ magna cautela oportet cãtare, vt ipsas res in mente teneamus, quas verbis pronunciamus. Sæpissimè prędecedit Kyrie eleison, per quod reconciliatur primò Deus, vt cũ sua miseratione & dignatione possimus cõgruẽter illũ inuocare patrem nostrum, & intẽdere verbis orationis. Post orationem Dominicam sequitur nostra credulitas, quam sancti Apostoli constituerunt de fide sanctę Trinitatis, atque dispensatione incarnationis Domini, ac statu nostræ ecclesiæ. Modus orationis, quem prætulimus, ad eos adspicit, qui de leuibus peccatis & quotidianis compunguntur. Sunt enim vtriq; in nostra ecclesia, scilicet, & qui in bonitate permanserunt, & qui corruerunt peccãdo: sed festinant quotidiè resurgere per pœnitentiam. Ex persona illorũ dicitur, Viuet anima mea, & laudabit te, & iudicia tua adiuuabunt me. Ac si diceret: Si mortua fuerit anima mea pro erratibus meis, at dein viuet per conuersionem. Et iudicia tua adiuuabunt me. Quia dixisti: Nolo mortem peccatoris, sed magis vt cõuertatur & viuat. Et iterùm: Gaudeo super vno peccatore pœnitentiã agente, quàm super no-

Universidad de Deusto
Biblioteca

nagintanouē iustis, qui non indigent pœnitentia errorem pristinum illius, qui nunc conuersus dicit, Viuet anima mea, & laudabit te: monstrat versus sequens, Erraui sicut ouis quæ periit, require seruum tuum, quia mandata tua non sum oblitus. Ex eadem persona sequitur psalmus, quē Dauid cantauit, postquam pœnitendo conuersus est à malo adulterij & homicidij. Post illum Psalmum commendat se totus grex Deo, pastor simul cum ouibus, & dicit: Respice in seruos tuos, & in opera tua, & dirige filios eorum. Hoc debemus cum his verbis tenere in mente, vt filios nostros cogitemus cogitationes, quæ nascuntur ex mente, quatenùs illas dirigat Deus secūdùm suum beneplacitū: & in sequētibus vbi dicit: Et opera manuū nostrarum dirige super nos, opera procedentia ex cogitationibus. Ac deindè singularis opilio pro toto grege precatur, dicendo: Dirige Domine corda, id est, cogitationes, sensus, scilicet oculos, & aures, & nares, & sermones nostros, qui per os efferuntur, & opera manuum nostrarū, vt possimus placere in conspectu tuo. Et sic tandem securi properamus ad opera necessaria. Suprà scripto versui, Exurge Domine, non præponitur lectio: & ideò non sequitur responsorium, vt in cæteris officiis. Morē sanctę ecclesiæ tenet iste cursus, vt primùm operari studeat, & posteà docere. Hoc exemplum reliquit nobis Christus, de quo dicit Lucas, Quę cœpit Iesus facere & docere. Psalmi pertinēt ad opera, lectio ad doctrinam. Vndè, si Dominus dederit, apertius in sequētibus parati sumus dicere. In præsenti cursu precamur Dei adiutorium ad opera agenda. Operemur primò, & doceamus posteà in cursu tertiæ horæ. Qua de re, vt opinor, mos inoleuit, vt per monasteria Deo deuota legatur lectio in capitulo, quatenus, hi, qui diebus ac noctibus occupati sunt in seruitio Domini, non sint sinè lectione. Auidi sunt cælestis pabuli: non se possunt continere quin omni hora, quantumcumque sit, manducent de cibo scripturarum.

A minum, & confessum esse peccata sua. Ità enim scriptum est in memorato libro: Conuenerunt filij Israel in ieiunio & saccis, & humus super eos, & separatum est semen filiorum Israel ab omni filio alienigenæ, & steterunt, & confitebantur peccata sua & iniquitates patrum suorum, & consurrexerunt ad standum, & legerunt in volumine legis Domini DEI sui, quater in die, & quater in nocte confitebantur & adorabant Dominum Deum suum. Vndè Beda sic in tractatu memorati libri: Quis enim non miretur, tantum populum tam eximiam habuisse curam pietatis, vt quater in die, hoc est, primo manè, tertia hora, sexta & nona, quibus orationi siue psalmodię vacandum erat, auditui se legis diuinæ contraderet, quo innouata in Deum mente, purior ac deuotior ad deprecandā eius misericordiam rediret? Sed & nocte quater excusso torpore somni, ad confitendum peccata sua, & postulandū veniam exurgeret? Quorum exemplo reor in ecclesia morem inoleuisse pulcherrimum, vt per singulas diuinæ psalmodiæ horas, lectio vna de veteri siue nouo testamento, cunctis audientibus ex corde dicatur, & sic apostolicis siue propheticis confirmati verbis, ad instantiā orationis genu flectant: sed & nocturnis horis cùm à laboribus cessatur operum, liberę auditui lectionū diuinarum aures accommodentur. Ex inspiratione qua inspiratus est dominus Beda, nouimus nostrum cursum diei siue noctis, habere exordium à libro Esdræ. Si enim iuxta eorum morem, conuenimus ad rogandum Deum, oportet nos scire, quòd habeamus opera murorum ædificandorum ecclesiæ nostræ, sicut illi habuerūt vrbis Hierusalem, & in circuitū inimicos, sicut illi habuerūt. Murus ecclesiæ nostrę habet in fundamento Christum, super quod fundamentum stabiliti sunt Apostoli, & qui per eos crediderunt, siue credunt, seu credent. Nos sumus hodierna die in structura huius muri, qui semper ædificabitur vsq; in finem mundi. Vnusquisq; sanctorū qui prędestinatus est à Deo ad vitam æternā, lapis est illius muri. Lapis super lapidem ponitur, quando magistri ecclesiæ, iuniores assumunt in proprium studium ad docendum, ad corrigendū, & ad stabiliendum in sancta ecclesia. Habet vnusquisq; super se lapidē, qui laborem fraternum portat. De ipso ędificio dicit Apostolus: Alter alterius onera portate, & sic adimplebitis legem Christi. Grossiores lapides ac politi, seu quadrati, qui ponuntur altrinsecùs foris, quorum in medio iacent lapides minores, perfectiores viri sunt, qui continēt infirmiores discipulos siue fratres in sācta Ecclesia suis monitis atq; orationibus. Stabilitas enim muri sine cęmento nō potest esse. Cæmentum enim construitur calce & sabulo, atq; aqua, Calx enim ferues charitas est, quę sibi coniūgit sabulū, id est, terrenū opus, de quo dicit Apostolus Paulus: Magis autem laboret operando manibus suis quod bonum est, vt habeat vndè tribuat necessitatē patiēti. Charitas enim

De Tertia. Cap. 3.

TRes horæ diei nobis initiatæ sunt ad adorandum DEVM à Daniele propheta, de quibus ità scriptum est in libro eius: Quod cùm Daniel comperisset, id est, constitutam legem, ingressus est in domum suam, & fenestris apertis in cœnaculo suo cōtra Hierusalem, tribus temporibus in die flectebat genua sua. Vndè Hieronymus in explanatione eiusdem libri: Tria autem tempora, quibus Deo flectenda sunt genua, tertiam horam, & sextam, & nonam ecclesiastica traditio intelligit. Denique tertia hora descēdit super apostolos Spiritus sanctus. Sexta volens Petrus comedere, ad orationem ascendit in cœnaculum. Nona Petrus & Ioannes pergebant ad templum. His ità perlectis, inuenimus in libro Esdræ, qui post Danielem fuit, quater in die populum DEI adorasse Do-

enim vera solicitudinem maximam habet pro viduis & confectis ætate atq; ægritudine, siue pupillis, seu debilibus: atque ideò studet operari manibus, vt habeat, vndè eis benè faciat. Recolit dicta Salomonis, Honora Dominum de tua substantia, Et iterùm, Redēptio animę viri propriæ diuitiæ. Vt enim calx & terra valeat ad ædificium muri, aquę commixtione glutinantur. Aqua Spiritus sanctus est, dicente Euāgelista Ioanne: Fluent de ventre eius aquæ viuæ, Hoc autē dicebat de Spiritu sancto, & reliqua. Sicut enim sine cemento lapides muri nō iunguntur simul ad stabilitatē muri: sic nec homines ad ædificiū cælestis Hierusalē possunt simul coniungi sinè charitate, quā Spiritus sanctus operatur. Ædificantibus nobis hunc murum adsunt Sanabalath, & Tobias, & Arabes, & Amanitæ, & Azoti, qui volunt impedire opus nostrum. Per nominatos gentiles videmus diabolū impugnare nos cum armis suis, quæ sunt vitia siue praui homines: Arnos iuxta morem populi Iudaici teneamus arma nostra manibus nostris, & defendamus nos de inimicis nostris ad Deū clamātes. Ità enim scriptū est in libro memorato Esdrę: Et orauimus Dñm Deū nostrū, & posuimus custodes super murum die ac nocte contra eos. Et paulò pòst: Et factū est, à die illa media pars iuuenū eorū faciebat opus, & media parata erat ad bellū, & lanceæ, & scuta, & arcus, & loricæ, & principes post eos in omni domo Iuda, & reliqua. Nostra arma sunt protectio Dei. Per scutū fidei, & galeā salutis & gladiū verbi protegimur. Hæc teneamus in mente, quādò sumus congregati simul, & princeps noster sit nobiscū vice Christi, qui dicat, Deus in adiutoriū meū intende: & doceat nos p lectionem, & muniat nos per orationem suā. Quis scit, si sic poterimus euadere de manibus inimicorum nostrorum? Inerant etiam tam studiosi viri in memorato populo Dei, vt vna manu tenerent arma pro defensione, alteraq; murum facerent: ità sint & manus nostræ, id est, intentiones porrectæ, quatenùs vna resistatur inimicis, & altera agatur bonum opus. Eadem enim resonant aliqui versus de tertia. In prima periocha dicitur versus, Et respondebo exprobrantibus mihi verbum, quia speraui in sermonibus tuis: In secunda dicitur, Superbi iniquè agebant vsquequaque, à lege autem tua non declinaui: in tertia ità, Multiplicata est super me iniquitas superborū, ego autem in toto corde scrutabor mādata tua. Quid velint tres repetitiones in cursu tertiæ, in prima mōstratū est: Hoc est, vt hìc protegamur per tres horas vsquedùm iterùm conueniatur, vna scilicet per quartam & quintam, ac per sextam, ità tamen, vt pertingamus ad sextam cursu horæ tertię, & intrante sexta, inchoemus alterum cursum. Si Dominus voluerit, qui solem suum oriri facit super bonos & malos, dare nobis, vt aliquid dignè possimus hìc dicere de varietate, quæ fit in cursibus, id est, in psalmodia, & lectionibus, & responsoriis, ac versibus; fortè in sequentibus liberè incedemus. Dicit Paulus ad Ephesios, Nolite fieri imprudentes, sed intelligentes quæ sit voluntas Dei. Nolite inebriari vino, in quo est luxuria, sed implemini Spiritu sancto, loquentes vobismetipsis in psalmis & hymnis, & canticis spiritualibus, cantantes & psallentes in cordibus vestris Domino. Vt de expositione sancti Hieronymi mihi mōstratum est, tres mutationes nostri cursus in istis tribus præceptis Apostolicis intelligo compleri, videlicet vt psalmi sint in nostra locutione, quandò psalmos cantamus: & hymni, quandò ex lectione dictorum sanctorum patrum ad laudes Dei compungimur: & cantica, quandò per cantum responsorij nostra mens subleuatur aliqua lætitia ad concentū supernæ patriæ. Cantus enim sæpissimè in lętitia celebratur. Sanctorum mens non habet maiorem lætitiā, quàm vt per anagogen subleuetur ad cæleste regnum. Ipsius memorati summi Doctoris verba ponenda sunt, vt eius auctoritate figatur in mente audientium, quod cupimus differere. Quid, inquit, interfit inter psalmum, hymnū, & canticum, in psalterio plenissimè diximus. hìc autem breuiter hymnos esse dicendum, qui fortitudinem & maiestatem prædicant Dei, & eiusdem semper vel beneficia, vel facta mirātur. Quod omnes Psalmi continent, quibus Alleluia vel præpositum, vel subiectum est. Psalmi autem propriè ad Ethicum locum pertinent, vt per organum vocis quid faciendum, & quid vitandum sit, nouerimus. Qui verò de superioribus disputat, & conuentum mundi, omniumque creaturarū ordinem atq; concordiam, subtilis disputator disserit, iste spirituale canticū canit. Opus psalterij, quod manu percutitur vt resonet, ad opera nostra pertinet. Opera sanctorum sunt mores boni, quos exercemus siue in professione spiritualis itineris, siue in occisione carnalium voluptatum. Hi enim mores sinè labore non possunt exerceri. Quapropter quando cantamus psalmos, solemus stare, vt ex statu corporis demonstremus effectū nostræ mentis, hoc est, paratos nos esse siue ad domandam carnem nostram, seu ad exercitium operis in causa nostra & fratrū. Post istam tropologicam locutionem, id est, quæ de moribus disputat, subsequitur lectio, ī qua illa reperiuntur, quæ sanctus Hieronymus deputauit hymnis, id est, quę ad laudē DEI pertinēt. Ibì maiestatem Domini inuenimus, quomodò incircunscriptus omnia in se contineat. Ibì fortitudinem eius, quomodò creatum populum suum redimat in manu forti & brachio extento. Ibì beneficia eius, quomodò ipsum quē redemit, ditet omnibus bonis. Ibi facta eius, quomodò fecit cælum & terram, & mare, & omnia quæ in eis sunt. In illa non deest historia, non deest allegoria, non deest tropologia, non deest anagoge, quamuis tropologia scorsùm celebretur, vt prætulimus, in psalmis. In

Universidad de Deusto
Biblioteca

tropologia psalmorũ nostra opera recolimus: & in tropologia lectionum aliorum. Non enim in Domini maiestate, siue in sua fortitudine, seu in beneficiis, vel factis laboramus: quapropter solemus sedere in recitatione lectionis, aut silendo stare. In responsoriis namque solemus vocem altiùs leuare, quàm in superioribus, idest, psalmis & hymnis. Per altitudinem vocis altitudinem mentis monstramus, quæ se erigit in gaudium supernæ ciuitatis. Post bona opera & refectionem mentis de sancta scriptura, sequitur gaudium cæleste. Cur responsorius dicatur, in scriptione Missæ dictum est. Responsorium in isto loco canticis spiritualibus comparamus. Cantica sunt, quia cantãtur: spiritualia, quia præcedunt ex iubilatione spiritalis mentis. Alia enim sunt cantica, quæ de singulari munere gaudent, vt sunt ea de quibus scripsimus in baptisterio: vbi gaudium tripudiat neophytorum de singulari innocentia, quibus nemo respondet: & alia sunt ista, quibus vnusquisque alterum incitat ad mansiones cælestes, quę multæ sunt in domo patris. Quid versus responsorij significet, in memorato officio Missæ descripsimus, hoc est, vt duo sint in ecclesiastico viro, scilicet, exhortatio ad fratres, & singularis deprecatio ad Dominum. Gloria subsequitur in anagogico officio. Nulli dubium quòd nullo in loco tanta gloria referatur Deo, quãta in cœtu sanctorũ Angelorum, & eorum Sanctorũ qui in cõspectu Domini sunt. In istis lectionibus, scilicet diurnalibus non petitur benedictio à maiore, quoniam maior cantat eas, qui solet vicem Christi tenere in ecclesia. Hoc interest inter has lectiones, & illam quæ ad Missam celebratur, quod est inter domesticam admonitionem, & illam, quæ ad concionem agitur. Illam enim quam ad Missam agimus, ex gradu solemus proferre, vt omnis populus eam audiat. Quam prætulimus in officio de baptisterio propter statum temporis, id est, dici, ad sapientes fieri, in qua & auctor ad memoriam reducitur, vt si fortè aliquis eorum, qui congregantur ex vniuersis locis propter raritatem lectionis, incognitam habet historiam, audiat auctorem, qui fortè non est incognitus: & ex eius auctoritate firmiùs infigantur verba lectionis in corde, qui tamen sapientes possunt esse propter rectam conuersationem: At hi qui semper in ecclesiasticis rebus insistũt, & in lectione diuina, vt sunt domestici ecclesiæ, non habent necesse audire auctorẽ: quia ex lectione cognoscunt auctorem. Vt legimus in Esdra, quatuor lectiones fiebant in die ab antiquo Dei populo. Et meritò quatuor, quia quatuor elementis constat homo, vt vnumquodque elementum per competentes horas se offerat creatori suo. Primam namq; iuxta morem nostrum prætulimus sinè lectione. Si illa non habuerit lectionem, non erunt nostræ lectiones tot, quot fuerunt in illo antiquo Dei populo. Quapropter procuratũ est à sanctis patribus, vt in capitulo legeretur illa lectio, quæ silentio prætermissa est in Prima. Et nõ frustrà ibi prętermissa est, sed quoniam pastor loci doctorem vult insinuare, ideo ibi prætermittit suam doctrinam, vt doceat vnumquenq; doctorem, primò oportere operari, & posteà docere. De qua dicit Moyses in libro Deuteronomij, Non arabis in primogenito bouis. Potest etiam in istis tribus varietatibus omne genus musicorum accipi, quod antiquus populus exercebat in laudem Dei. Triformis est natura musicæ artis. Aut enim per pulsum digitorum fit, vt in psalterio & cithara, & cæteris vasis, quæ pulsu digitorum tanguntur: aut per vocem, vt est cantus: aut per flatum, sicut est in tubis. Hæc tria memorantur in psalterio. Dicit psalmus tricesimus secundus: Confitemini Domino in cithara, in psalterio decẽ chordarum psallite illi: Cantate ei canticum nouum, benè psallite ei in vociferatione. Et iterùm in psalmo tertio: Voce mea ad Dominum clamaui. Item in psalmo centesimo quinquagesimo: Laudate eum in sono tubæ, laudate eum in psalterio & cithara: Laudate eum in tympano & choro, laudate eum in chordis & organo. Laudate eum in cymbalis bene sonantibus, & reliqua. Quandò enim psalmos cantamus, genus exercemus Musicæ, quod fit per pulsum digitorum. Nam & psalterij volumen, accepit nomen à psalterio Musicæ artis. Quando legimus, genus illud exercemus, quod per vocem fit. Lectionem, voces vocauit Paulus Apostolus in Actibus Apostolorum, Ignorantes, inquit, Iesum & voces prophetarum, quæ per omne sabbatum leguntur. quandò responsoria cantamus, quasi per tubam exaltamus vocem, excitando ad altiora fratres, vsque adeò vt perueniatur ad laudem sanctę Trinitatis, & dicamus, Gloria patri, & Filio, & Spiritui sancto. Quantò enim melius est corpus nostrum vasis musicis, quæ ædificabantur per homines: tantò acceptius est DEO obsequiũ in tẽpore isto, quàm esset in prisco. Et quantò melior est lex libertatis, quæ est per gratiam noui testamenti, lege seruituris: tantò dignius est, vt in proprio corpore habeamus laudes, quas illi semper & vbiquè referamus, quàm in ligneis vasis & æreis. Hic iterùm cupimus dicere de versu. Versus hanc vim habet, vt conuerti chorum totum faciat ad vnum, atque totam intẽtionem illius ad rem, pro qua agitur officium. Sicut est primo mane, Exurge Domine, adiuua nos, & libera nos propter nomen tuum. Ac si dicat: Exurgere nos fac Domine ad opera, & adiuua virtute brachij tui ad operandum, & libera de insidiis, quæ paratæ sunt contra nos. Hãc petitionem intentio mentis debet in se retinere in officio Primæ. At hic in Tertia dicit versus, Adiutor meus esto, nè derelinquas me, neque despicias me DEVS salutaris meus: Ac si dicat, Adiuuisti nos vsque ad præsens tempus, adiuua & deincèps. Nondùm peruenimus

nimus ad id, quò tendimus, id est, ad meridiem, in quo tu pascis, in quo tu accubas, iuxta Cantica Canticorum. Ne derelinquas nos in isto itinere, neque despicias nos DEVS salutaris noster. Deindè sequitur Kyrie eleison, & Christe eleison.

De Oratione, quam conuentus fratrum celebrat per aliquos cursus diurnos, nocturnosq;. Cap. 4.

EST sacerdos in terra, cui necesse est quotidiè pro se & pro populo DEI intercedere: Et est sacerdos in cælo, cui non est necesse intercedere: sed tamen vult, & interpellat quotidiè pro nobis: sacerdos, qui est in terra, non vult neque potest dicere, quòd absque peccato sit, dicente Ioanne: Si dixerimus, quoniam peccatum non habemus, nosipsos seducimus, & veritas in nobis non est. Qui tamen quamuis sit peccator, non debet à conscientia sua morderi, vt tantùm sit peccator, quantùm multos cognoscit esse in populo terræ. Qui populus in aliquibus est minùs obligatus peccatis, in aliquibus magis. Pro his qui minora cõmittunt, & pro se orat sacerdos, quãdò dicit, Kyrie eleison, & orationem Dominicam, in qua nemo potest se excusare, nisi veraciter dicat, Et dimitte nobis debita nostra. Dein prosequitur sacerdos modum orationis, quem Paulus dinumerat, dicens: Obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones, & cætera quæ sequuntur. Vndè dicit Ambrosius in tractatu suo super eandem epistolam: Ante omnia, inquit, illud obsecro, quod vel maximè vos scire operis esse debet, vt conuenientes scire possitis, quid fieri conueniens sit. Dicit autem, Orationes, obsecrationes, postulationes. Et post pauca: Aut enim bona nobis à Deo dari postulamus, quod orationes vocauit; aut malorum solutionem, quod obsecrationes nuncupauit. Et iterùm post pauca: Illa verò quæ ad hoc nobis sunt contraria, multa sunt & assidua. Vnum quidem quia dæmonum subreptio variè nos à bono auertere cupit: alterum verò molestia passionũ, quæ nobis inesse videtur, à quibus & à bonis exclusi contra nostrum propositum sæpè in illis, quæ nobis non conueniunt, concludimur. Sed necessarium est, nos, qui multam super hoc pugnam sustinemus, ad Dominum recurrere, qui potens est suo auxilio sedare vniuersa illa, quæ ad nostram pertinent molestiam. Hoc dixit, postulationes. Et iterùm infrà, Gratiarum verò actio pro his, quæ iam pręstita sunt, efficitur: Et pro quibus hæc fieri conueniant, doceris: Pro omnibus hominibus. In commune pro omnibus hominibus debere eos solicitos esse præcepit. & iterùm infrà, Deindè ad illa quę summa esse videntur inter homines, transit: Pro regibus, inquit, & omnibus qui in sublimitate sunt. Nostri enim codices habent primò obsecrationes, & posteà orationes. Hunc ordinem sequitur nostra oratio. Primus versus post orationem Dominicam est, Ego dixi, Domine miserere mei, sana animã meam, quia peccaui tibi. In hoc versu obsecratio est, per quam precatur absolutio malorum. Quandò dicit, Sana animam meam, quia peccaui tibi, medicinam Domini precatur, vt à languore absoluatur. Sit secundus versus, Ostende nobis Domine misericordiam tuam, & salutare tuum da nobis. In eo versu bona nobis postulamus, quod pertinet ad orationem. Sit tertius, Conuertere Domine vsquequò, & deprecabilis esto super seruos tuos. In eo versu postulamus, vt omnia contraria bonis nostris superentur per Domini auxilium. Hoc pertinet ad postulationem. De quo versu dicit Augustinus in Tractatu super psalmos: Cõuertere Domine vsquequò, & deprecabilis esto super seruos tuos: Vox est eorum, vel pro eis, qui multas persecutiones in isto seculo malas tolerantes innotescunt * compeditos corde in sapientia, vt nec tamen malis coacti refugiant à Domino ad huius seculi bona. Sit quartus, Confiteantur tibi Domine, qui pertinent ad gratiarum actiones. Hucusq; oratum est secũdum Apostolum pro omnibus hominibus. Deindè sequitur, pro regibus & omnibus qui in sublimitate sunt, vt quietam & tranquillam vitam agamus in omni pietate & castitate. Quoniam sunt intra nostram ecclesiam qui minima committunt, pro his tamen necesse est præcedens oratio. Sunt & qui maiora, pro quibus necesse est addere Psalmum: Miserere mei Deus, qui propriè pertinet ad pœnitentes. Alio modo, Oratio præcedens pro minimis peccatis: Psalmus, fit pro maximis. Postremò surgit sacerdos vice illius sacerdotis, qui in cælo est, & quotidiè interpellat pro nobis, & dicit stando orationem. Hæc oratio in omni tempore subsequitur: id est, Paschali, Pentecostes, Dominicis diebus & festis. Vt resurrectionem recolat eius sacerdotis, cuius vicem tenet, surgit ab accubitu, & stando dicit hanc orationem. Qui tamen priùs iacendo orat cum cæteris, quoniam peccator est, cum peccatoribus prostratus est: & quia vicem tenet Christi, stando dicit specialem orationem. Hæc specialis oratio sacerdotum, quæ quodammodò libertatẽ & glorificationem monstrat futuri regni, & tamen semper esse intercessorem ibi pro nobis, per omnes memoratos dies festos currit. Reliqua oratio reticetur, quoniam ibi peccator nullus est, neque erit. Si quis voluerit dicere, quoniam hæc oratio vicem tenet interpellationis Christi, qui interpellat pro nobis quotidiè patrem, quarè dicat, Per Dñm nostrum IESVM Christum: dicatur ei, Christus qui est in patre naturaliter, & per quem assumptus est homo in Deum propter vnam eandemq; personam filij Dei, ostium nobis fieri dignatus est, per quod nos & orationes nostræ, & omnia bona no-

Universidad de Deusto
Biblioteca

na nostra transeant ad patrem. Idcircò meritò sacerdos dicit suam orationem ad Deum patrem per Dominum nostrum Iesum Christum, quia per illum accepit hanc gratiam, vt vicissitudinem suæ interpellationis fratribus atque condiscipulis ministret, & recolat, atq; ad memoriam reducat. Quam orationem præcedit salutatio, & subsequitur Benedictio, quæ & gratiarum actio sequitur. Post resurrectionem suam Dominus salutauit discipulos, salutauit & iterum, benedixitque eos in monte Oliueti, & illi gratias referêdo, adorauerunt in loco vbi steterunt pedes eius. Quòd eædem precum orationes celebrandæ sint vespertina hora, quæ & nona, in Laodicensi concilio, capitulo octauodecimo scriptum est, Quod idipsum officium precum nona & vespera semper debeat exhiberi. Secundùm hoc capitulum in festis & in cæteris diebus vno modo celebretur oratio in vespertino & hora nona. Vt reor, similiter posumus dicere de tertia & sexta. Post vespertinalia & matutinalia officia, quę aguntur pro mortuis, solemus cantare Psalmum in loco, Miserere mei Deus, Domine, nè in furore tuo. Ipse est sextus in ordine Psalmorum, & tamen inscribitur pro octaua. Idcircò, quia nos, qui in sexta ætate mundi sumus, debemus pro septima & octaua ætate rogare Deum per hùc Psalmum, vt euadamus tormenta, quæ malis debentur in memoratis erratibus, de quo dicit Augustinus in prologo eiusdem Psalmi: Veniet octauus iudicij dies, qui meritis tribuens quod debetur, iam non ad opera temporalia, sed ad vitam æternam sanctos transferet, impios verò damnet in æternum. Quam damnationem metuens, orat Ecclesia in hoc Psalmo, dicens: Domine, nè in ira tua arguas me. Et Beda in libro de temporibus: Ipsa est octaua, pro qua sextus Psalmus inscribitur. Credo, quia in sex huius seculi ętatibus pro septima vel octaua huius seculi est ætate supplicandum. In qua quia iusti gaudia, sed reprobi sunt supplicia percepturi, Psalmus iste ingenti pauore incipit, curritque finitur: Domine, nè in furore tuo arguas me.

De Sexta. Cap. 5.

DE tribus repetitionibus sextæ siue nonæ, prout potui, ministraui in cursu primæ, & tertiæ, & de lectionibus atque responsoriis. Præsentes tres repetitiones statuunt nos in famulatu Domini, siue muniunt ab insidiis inimici per septimam horam, & octauã, & nonam, ita tamen, vt in ipsa nona habeant initium reliquæ tres repetitiones, quæ nos perducant vsque ad finem diei. Restat ex statu temporis considerare versum, qui dicitur ad sextam. Status temporis est meridies, quando sol in centro cęli est, & feruentissimum ardorem præstat terris. Idem status perfectionem mentium deuotorum hominum monstrat, quorum feruor ita coniunctus est igni inuisibili, vt ab ipso pascatur delectatione, & illuminetur lumine intelligentiæ. Eadem hora ascendit Petrus in cœnaculum, & voluit comedere. In prima sunt initia virtutum, in tertia profectus, in meridie perfectio. Quam perfectionem denunciant nobis aliqui versus cursus sextę. Prima periocha dicit: Defecit in salutare tuum anima mea, & in verbo tuo supersperaui. Secunda dicit, Quomodò dilexi legem tuam Domine? tota die meditatio mea est. Tertia ita, Oculi mei defecerunt in salutari tuo, & in eloquium iustitiæ tuę. Statum talium mentium versus monstrat, dicens: Dominus regit me, & nihil mihi deerit, in loco pascuæ ibi me collocauit. Vbi nos dicimus, Dominus regit me, translatio quæ assumpta est à sancto Hieronymo ex Hebraica veritate, habet, Dominus pascit me. Quem Dominus pascit aduentu spiritus sui, eundem regit, id est, in illis moribus facit eum spiritus Dei delectari, qui secundum rationem sunt, & deducunt per rectum iter ad ciuitatem munitissimam Hierusalem. Ei nihil deest, sicut Paulus Apostolus dicit, Omnia possum in eo qui me confortat. Omnia illi cooperantur secundùm Deum: Prospera & aduersa æquanimiter tolerat: Ac ideò subsequitur, In loco pascuæ ibi me collocauit, siue in abundantia intellectualium rerum in præsenti, siue in futuro in lætitia & gloria sempiterna, vbi erit satietas omnium gaudiorum sinè fine.

De Nona. Cap. 6.

NOna continet nos per decimam horam & vndecimam & duodecimam. Status temporis, quandò nona celebratur, designat feruorem studiorum, quem exercebat mens in altitudine virtutum, aliquantulùm tepefactum esse propter tentationes accidentes. Vndè Gregorius in Moralibus Iob: Vitia, dum nos tentant, proficientes in * nos virtutes humiliant. Sicut tunc sol descendit à centro ad inferiores partes, ità mens quando tentatur, descendit ab altitudine intimi gaudij ad considerandam suam naturam atque fragilitatẽ, & videt quàm facilis sit ad occasum. Tentabatur Paulus, quãdò dicebat, Nè magnitudo reuelationum extollat me, datus est mihi stimulus carnis meæ, angelus satanæ qui me colaphizet. Qua de causa tentetur electus, præsens noster magister Paulus hic demonstrat. Atque in sequentibus molestiam quam patiebatur ex tentatione, manifestat, dicens: Propter quod ter Dominum rogaui, vt discederet à me. Vt opinor, nisi ei molestiam faceret stimulus satanæ, non Deũ precaretur, vt discederet ab eo. Eandem precationem sonant aliqui versus cursus Nonę. Prima periocha dicit, Tribulationes & angustiæ inuenerunt me, mandata tua meditatio mea est. Quod ità Augustinus in eodem psalmo: Sæuiant, persequantur, dum tamen mandata Dei non relinquantur, & ex ipsis mandatis, etiam qui sæuiunt, diligantur. Secunda dicit,

cit, Multi qui persequuntur me, & tribulant me, à testimoniis tuis non declinaui. Tertia ita, Erraui sicut ouis quę periit, require seruũ tuum, quia mandata tua non sum oblitus. Versus præsentis cursus memorat rẽrationem, quæ designatur per solis declinationem: Ab occultis meis, inquit, munda me Domine, & ab alienis parce seruo tuo. Quod ita memoratus Augustinus in Psalmo decimooctauo: Tolle mihi ex corde malam cogitationem, repelle à me malum suasorem: hoc est, Ab occultis meis munda me, & ab alienis parce seruo tuo.

De vespertinali synaxi. Cap. 7.

LEgimus in Esdra, quod iam memorauimus, quater in die populum Dei confessum esse Domino, & quater in nocte: Et ex verbis domini Bedæ, qui tractat in eodem Esdra: Opinionem esse cognoscimus sanctæ Ecclesiæ, iuxta illum morem se quatuor officia celebrare in die, & quatuor in nocte. Non enim immeritò nos qui militamus Deo, quater in nocte vigilias renouamus, cùm hi qui seculo militabant, per quatuor vigilias findebant noctem in castris, nè irrumperentur castra ab inimicis insidiantibus. Nostras quatuor vigilias, in nocte solemus vocitare, Vespertinum, Completorium, Nocturnum, & Matutinum. Ex etymologia Vespertini nominis addiscere possumus, Vespertinum officium ad noctem pertinere. Dicit Isidorus in libro etymologiarum, Vespertinum officium est in noctis initio, vocatum ab stella vespere, quæ surgit oriente nocte. Et Augustinus in Psalmo vigesimonono, Vespere demorabitur fletus. Quid est vespere demorabitur fletus? Vespera fit quando sol occidit. Hinc possumus coniicere, quando feriatos dies obseruamus, quòd eos obseruare debeamus à vespera vsque ad vesperam, vt à solis occubitu vsq; ad eius iterùm occasum, eos legitimè obseruare, necesse sit. Iste status noctis informat fletum eorum peccatorum, quibus occidit verus sol. Illis necesse est plorare quinque carnales sensus suos, qui obedire solent ad peccandum, vt in matutino, id est, in euasione peccatorum, quandò sol eis iterùm inchoat oriri, quibus occidit vespere, possint lætari. Vndè idem qui supra in memorato Psalmo: Vespere demorabitur fletus, & in matutino exultatio, quandò cœperit oriri fidelibus lux, quæ occiderat peccatoribus †. Informat etiam altero modo statum eorum, qui aliqua infirmitate opprimuntur, per quam appropinquant morti. Hi enim quanto plus timent mori, & sententiam percipere veram peccatorum, tanto plùs ante oculos mentis suæ reducunt carnales motus, qui generati sunt per quinque sensus corporis, & eos deflent. Timor solet occupare mentes hominum, quandò morti appropinquãt, sicut de ipso Domino scriptũ est, (quamuis non timeret infirmitate, sed dispensatiuè) cœpit contristari & mœstus esse. Tamen multi sunt, qui gaudent de matutino, quandò resurgent à mortuis propter consortium resurrectionis Christi. His duobus modis transcursis, debemus venire ad quotidianum vsum nostrum. quotidianus vsus noster tenet, vt quinque Psalmos cantemus in vespertinali synaxi. Quis enim nescit, quamuis per quatuor horas deprecemur Dominum, quanta impedimenta & quot tristitiæ occupent mẽtem iusti per diem? Oculi adducunt ad eã formas illices, quæ quia sinè voluntate iusti animæ intrant ad eam, tædio afficitur. Simili modo per aures intrant verba aut detractionis, aut luxus, quæ nihilominus molestiam ingerunt mẽti. Nares etiam non sunt alienæ ab hoc pestifero internuncio. Os nõ se potest excusare, nisi delinquat. Vnusquisque cognoscit quandò loquatur verba criminalia, quandò verba ociosa, & cætera talia, quibus per os polluitur mens. Manus proculdubiò & pedes sæpè id tangunt, vndè anima fit deterior per cogitationẽ. At quia in istis quinque sensibus tendimus quotidiano affectu ad tenebras, necesse est, vt noctis initio pro eis veniam Deum precemur. Isti sunt quinque sensus, quos mane commendamus Domino dirigendos, dicendo: Dirige Domine corda, sensus, & sermones nostros, & opera manuum nostrarum. Inter sensus, & sermones, & opera, comprehenduntur quinque sensus corporis. De cordibus est seorsum dicendum, postquàm venerimus, si Dominus dederit, ad Hymnum Mariæ. Propter hos videlicet quinque sensus, quia fortè non fuimus digni, vt dirigerentur per omnia secundùm Domini placitum, quinque Psalmi cantantur, vt ignoscatur nobis. Hos quinque Psalmos Antiphonatim cantare solemus. Vt TRIPARTITA narrat historia in libro decimo, cap. nono: ab IGNATIO Epo Antiochię Antiphonarum vsus in Ecclesiis primo cœpit actitari. Ita enim narrat: Dicendum tamen est, vndè sumpsit initium, vt in Ecclesia antiphonæ decantentur. Ignatius Antiochię Syriæ tertius post Apostolum Petrum episcopus, qui etiam cum ipsis degebat Apostolis, vidit Angelorum visionem, quomodò per antiphonas sanctæ Trinitati dicebant Hymnos, isq; modũ visionis Antiochenæ tradidisse probatur Ecclesiæ, & ex hoc ad cunctas transiuit Ecclesias.

Antiphona dicitur vox reciproca. Antiphona inchoatur ab vno vnius chori, & ad eius symphoniam Psalmus cantatur per duos choros. Ipsa enim, id est, antiphona coniunguntur simul duo chori. Quanto enim melior est anima corpore, tanto melior est cantus animæ, quàm corporis. Igitur intendendum est, quæ sit antiphona animæ. Videtur nobis virtus dilectionis esse, quæ coniungit opera duorum fratrum simul. Psalmi ad opera referuntur: Antiphona ad illam dilectionem, qua vnusquisque fratri suo porrigit suum opus. Verbi

gratia

gratia: Vnus legit & discit doctrinam in schola, alter seminat in campo: tempore fructus doctor seminanti porrigit doctrinam, sator doctori panem. Duobus choris alternatur antiphona, quoniam non potest minus esse charitas, quam inter duos. Hanc vicissitudinem charitatis significant cantores, qui alternatim ex vtraque parte antiphonas leuant. Hos duos choros designauerunt pennæ animalium inuicem porrectæ, quas vidit Ezechiel in figura aduentus Christi, & noui testamenti. Coniunctio duarum pennarum antiphona est, quæ vicem tenet charitatis. Vndè Gregorius scribit in homilia septima super eundem Ezechielem. Nam dum ille verbum prædicationis exhibet, & lumine veritatis ex corde meo ignorantiæ tenebras repellit, & dum illi ego quia fortasse à mundi huius potente opprimitur, solatium meę defensionis impertior, atque hanc de violentis manibus euello, vicissim nobis pennas nostras tendimus, vt nos affectu & ope vicaria ex bono quod accepimus, tangamus. Vndè benè primus pastor admonet, dicens: Omnium finis appropinquabit: Estote itaque prudentes, & vigilate in orationibus: ante omnia mutuam in vobismetipsis charitatem continuam habētes: quia charitas operit multitudinem peccatorum. Post hoc sequitur lectio à pastore prolata. Ipsa est lectio, quam pastor debet domestiucis suis solerter administrare. Audiui olim responsorios cantari apud quosdam post lectionem vespertinalem, qui continentur in aliquibus antiphonariis: sed apud nonnullos modò ac penè omnes, post lectionem sequitur coniunctim versus. Sæpè.n. reuoluo apud me, si decātari oportet rñsoriū post lectionē vespertinalē, quarè nō simili modo decantetur post lectionē matutinalē. In hac reuolutione cogitationum occurrit mihi, vt sicut hymnus Zachariæ excludit responsorium post matutinalem lectionem, ita excludat responsorium hymnus sanctæ Mariæ post vespertinalem lectionem. De versu foret hìc dicendum: sed quia nos inchoamus hęc officia à Septuagesima, non possumus hìc referre aliquid de versu, quem solemus dicere in vespertinali officio, antequàm dicamus aliquid de Alleluia, quod cantatur in Septuagesima. In eodem vespere, & in nocte sequenti, Alleluia per omnia officia cantoris currit. Ita agimus de Alleluia, quando illud recondimus in thesauris suis, id est, in cordibus electorum & Angelorum vocibus, Sicut solet dilectus circa dilectum agere, qui porrecturus est iter longinquum, osculatur os eius, collum, oculos, frontem, & cætera. Dictum sit strictim de Alleluia, quod propterea totiès frequentamus, quia diligimus illud, & in propinquo recondēdum sit. Dicendum est de versibus, qui fiunt per Dominicas noctes cæteras, & per sex dies hebdomadis. Per Dominicas noctes solemus dicere: Vespertina oratio ascendat ad te Domine, & descendat super nos misericordia tua. In cæteris autem noctibus solemus dicere, Dirigatur oratio mea sicut incensum in conspectu tuo. Vnam rationem habent isti versus: Dominicalis versus ex suis verbis monstrat actitari vespertinā orationem. Talis namq; debet esse omnis versus, vt vel statum officij ad memoriam reducat, vel statum temporis: sicut illi faciunt, qui circa passionem Domini & resurrectionē cantantur. At quotidianus versus in posterioribus vel bis suis, quàmuis non cantentur, eadem aperit dicēdo, Eleuatio manuum mearum sacrificium vespertinum. Propter hæc verba, versus memoratus, Dirigatur oratio mea, inchoatur, sed nescio cur non cantentur: forsitan, quia cantoribus displicet, quod non conueniunt eorum modulationibus. Cum ipso versu offertur incensum, quod Dominus præcepit offerri, de quo scriptum est in libro Exodi: Ponesq; altare contra velum, quod ante arcam pendet testimonij coram propitiatorio, quo tegitur testimonium, vbi loquar tibi. Et adolebit incensum super eo Aaron suaue fragrās: manè quando componit lucernas, incendet illud, & quandò collocat eas ad vesperam, vret thymiama sempiternum coram Domino, & reliqua. Intendat summus sacerdos, qui vicem tenet Aaron in Ecclesia, quis debeat incensum offerre Domino super altare. Post hoc sequitur hymnus sanctæ Mariæ. Sicut quinque Psalmi deplorant, quod quinq; sensus corporis deliquerant, ita hymnus sanctę Mariæ castigat cogitationes, quæ se inani iactātia extulerunt in prosperitate dici, dicendo, Dispersit superbos mēte cordis sui, deposuit potentes de sede. Vsq; huc, modum eorum hominum diximus, excepto de versu Dominicali, qui aliqua negligentia percutiuntur, vndè habent plangere. At nunc dicendū est de illis, qui in Domino triumphant, & nihilominus ei laudē vespertinalem offerunt per quinq; Psalmos, quos solemus cantare in Dominicis noctibus. Sicut Dominica nox, victrix extitit Dominica resurrectione: ita Psalmi qui in ea cantantur, victoriam electorum Domini, & laudem eius resonant. Primus Psalmus, id est, Benedictus Dominus Deus meus, victoriam continet Dauid contra Goliam. Sequentes Psalmi resonant laudem Dei. De secundo dicit Augustinus in tractatu Psalmorum, Exaltabo te Deus meus rex, & benedicam nomini tuo in seculum, & in seculum seculi: Videtis inchoatam esse Dei laudem, & vsq; in finem Psalmi laus ipsa perducitur. De tertio ita, Eccè Psalmus sonat, Cuius vox est? Quæ, si vultis, vestra est exhortantis animam suam ad laudandum Deum, & dicētis sibi: Lauda ānima mea Dominum. Et de quarto ita: Nobis dicitur, Laudate Dominum. Dicitur hoc omnibus gentibus, non solis nobis. Et istam vocem per loca singula sonantem, à lectoribus singulatim audiunt Ecclesiæ. Vna vox tamen Dei super omnes non tacet, vt laudemus eum, Et quasi quæreremus, quare laudare Deum debeamus

beamus, videte quam causam attulit: Laudate Dominum, inquit, quoniam bonus est psalmus. Quintus continet laudē Hierusalem, quæ restaurata est post peregrinationem. De quo idem qui supra, in eodem: Quid enim factura es ò Hierusalem? Transiit enim labor & gemitus. quid factura es? Aratura es? seminatura? nouellatura? nauigatura es? negociatura es? quid factura es? An in illis operibus, quamuis bonis, & de misericordia veniētibus, exerceri adhuc te oportet? Considera numerum tuum. considera vndique societatē tuam: vide, vtrū aliquis esuriat, cui porrigas panem: vide si aliquis sitiat, cui des calicem aquæ frigidæ: vide vtrum aliquis apud te modò peregrinus est, quem hospitio recipias: vide vtrum aliquis æger, quem visites: vide, vtrum aliquis litiget, quem concordes: vide, vtrum aliquis moriatur, quem sepelias. Quid ergò factura es? Collauda Hierusalem Dominum. De hymno sanctæ Mariæ ita tractat dominus Beda in homiliis suis: Verba igitur Euangelicæ lectionis frequenti meditatione reuoluamus, exempla beatæ Dei genitricis semper animo retineamus, vt in conspectu Dei humiles inuenti, & proximis quoque debito honore submissi, mereamur vnà cum ipsa perpetuo sublimari gaudio. Studeamus solicitè, ne nos indebitè laudantium fauor extollat, cùm illam videamus inter verba veræ laudationis inconcussam humilitatis tenuisse constantiam: Si immoderatus tēporalium rerum nos appetitus delectat, reminiscamur quia iudex noster diuites dimittit inanes: Si temporalis afflictio fortè mētem conturbat, recogitemus, quia & humiles exaltat: Numquàm de impetranda admissorum venia desperemus, quia misericordia eius à progenie in progenies timentibus eum: Nulli inter mala quæ fecit, grauior impœnitendi culpa subrepat, quia Deus superbis resistit, eosq; beatorum sorte secernens, per varia pœnarum loca pro peccatorum varietate dispergit. Fit autem, largiente Domino, vt si beatæ Mariæ semper acta & dicta recolamus, semper in nobis & obseruantia castitatis, & virtutis opera perseuerent. Nam & optimus ac saluberrimus in sancta Ecclesia mos inoleuit, vt hymnus ipsius quotidiè cum psalmodia vespertinæ laudis ab omnibus canatur: quatenus ex hoc animos fidelium & frequentior Dominicæ incarnationis memoria, ad affectum deuotionis accēdat, & recogitata sæpiùs exempla genitricis illius in virtutum soliditate confirment. Et hoc opportunè ad vesperas fieri complacuit, vt videlicet fatigata per diem ac distenta diuersis cogitationibus mens nostra, incumbente tempore quietis, ad vnionem se suæ considerationis colligeret, iamq; salubriter admonita, quicquid superfluum vel nociuum diurna vagatione contraxisset, totum hoc nocturnis denuò precibus & lachrymis ex tempore mundaret. Post hunc hymnum per noctes Dominicas aliquibus in locis dicitur Kyrie eleison, vt audiui Romæ, & posteà Collecta: aliquibus in locis Collecta tantummodò sequitur. Sicut genuflexionem omittimus, recolēdo resurrectionem nostram: ita & preces flebiles præsentis vitæ, quas solemus cum genuflexione promere, in eis noctibus omittimus. Vt superiùs demonstratum est ex verbis Augustini, in illa cælesti Hierusalem, vbi resurrectio est vera & in re, nulla precatio pro miseriis exercebitur. Quapropter tantùm sequitur Collecta, quam solet presbyter stādo proferre ob recordationem futuræ resurrectionis per Dominicas noctes. Quoniam in præsenti seculo sumus, necesse est nobis, vt muniamur orationibus sanctorum presbyterorum. Et quia quodammodò recolimus festiuitatem ciuium cælestis Hierusalem, oportet nos celebrare illam maiori lętitia & securitate, quàm cùm celebramus nostram peregrinationem. Quoniam in Septuagesima inchoauimus hanc * constitutionem, volumus subiungere dicta sancti Augustini de Septuagesima, quæ dicit in tractatu Psalmi, Lauda Hierusalem Dominum: Post septuaginta ergò annos cùm prophetat Hieremias reparari ciuitatem Hierusalem, & factum est, vt ibi significaretur imago futurorum, significatum est nobis post omnem istam volubilitatem temporis, quæ septenario numero voluitur, futuram illam ciuitatem nostram in æternitate in vno die. In illa quippe habitatione tempus non voluitur quia habitatoribus non labitur. Ex verbis beati Augustini docemur, per Septuagesimam designari præsens tempus, quod voluitur septenario numero: & per paschales dies, qui sequuntur Septuagesimam, futuram patriam.

*cautionē

De Completorio. Cap. 8.

COmpletorium ideò dicitur, quia in eo completur quotidianus vsus cibi siue potus, qui necessariò sumitur ad sustentationem corporis, seu locutio communis. Vnde & apud monachos tenetur vsus ex regula sancti Benedicti, vt ab eo officio claustra oris muniant, & ea aliena faciant à communi colloquio, vsquedùm iterùm ad opera redeāt. Non enim immeritò potest hæc pars noctis conticinium vocari, in qua conticescunt omnia. Apud eos qui noctem diuidunt in septē partes, prima pars vocatur crepusculum, secunda, vesperum, tertia conticinium, de qua nunc agimus, quam ideo sic posse vocari arbitror, quia in eo conticescunt omnia. In eo officio quatuor psalmi recoluntur vsq; ad versum. In quatuor psalmis quatuor elementa corporis nostri commendamus Domino. Quod versus apertè dilucidat, dicens: Custodi me Domine vt pupillam oculi sub vmbra alarum tuarum protege me. Quot pericula possint hominem inuadere, dormiendo extrinsecùs plusquàm vigilando, vnusquisque recognoscit, qui vel tenuiter sapit. Aptatur

tur quodammodò hoc officium commendationi, qua se commẽdat homo Deo, quandò transit de seculo. Somnus est imago mortis. Sicut enim alienatur mens mortui hominis ab istis mortalibus, & miseriæ huius seculi obliuioni traduntur: ita quodammodò animus dormientis alienatur à cogitationibus consuetis, & ab omni officio temporali. Quod monstrat Augustinus in vno versu Psalmi primi, qui canitur in Completorio, dicens: In pace in idipsum dormiam & requiescam. Rectè enim à talibus speratur omnimodò mentis abalienatio à mortalibus rebus, & miseriarum seculi huius obliuio, quæ nomine obdormitionis & somni decenter & propheticè significatur, vbi summa pax nullo tumultu interpolari potest: sed hoc iam non tenetur in hac vita, sed post hanc vitam sperandum est. Secundus Psalmus transit vsq; ad illum versum, in quo Christus spiritum suum posuit in cruce. In quo cupimus conformari dormitioni eius, hoc est, vt membra quiescant, & cor vigilet. Tertius Psalmus, Qui habitat in adiutorio, plenus est verbis orationum, quæ deprecantur Domini protectionem. Qui & secundùm Romanum vsum cantatur in Paraseeue post lectionem, in qua secundùm Osee, nostra mortificatio ad exemplum Christi demonstratur, & resurrectio post duos dies. Admonet nos per hunc Psalmum compositor officij, vt in omnibus periculis & tribulationibus secundùm verba eius, mens nostra intenta sit ad deprecandum Deum. Ac ideò quia somnus noster aliquam similitudinẽ habet dormitionis eorum, qui sub protectione Domini transierunt de præsenti seculo, idem Psalmus cãtatur in Cõpletorio nostro. Necnon & quartus Psalmus aliquo modo recolit intentionem illorum, qui in tribulatione sunt, & tamẽ de tribulatione transeunt in pace, dicendo: In noctibus extollite manus vestras in sancta. Vndè Augustinus in tractatu eiusdẽ Psalmi: Nox enim tristis res est, dies læta res est. Et paulò post: Benedicite ergò Dominum. Quãdò? in noctibus. Quandò benedixit Iob, quàm tristis nox erat? Ablata sunt omnia quæ possidebantur, ablati filij quibus seruabantur: Quàm tristis nox? Sed vidcamus, si non in noctibus benedicit: Dominus dedit, Dominus abstulit: sicut Domino placuit, ita factum est: sit nomen Domini benedictum. Versus qui sequitur, vt prętulimus, totum opus officij monstrat, hoc est, postulationem custodiæ Domini circa pericula noctis. Et quam pacé desiderat anima orantis, sequens Hymnus sancti Simeonis monstrat, hoc est, vt ab omni tumultu huius seculi quiescat. Hoc precabatur Simeon, quando cupiebat transire de hac vita ad alteram vitam, & dicebat: Nunc dimittis seruum tuum Domine, secundùm verbum tuum in pace. Ex præsenti hymno manifestè edocemur, quòd in præsenti commendatione conformemur illis, qui in Domino mortui sunt. Igitur non est congruum, post hanc commendationem bibere aut comedere, aut tale ali quid agere, quod nõ pertineat ad quietẽ membrorum, & abalienationem status quieti corporis. Et quia non est deinceps collatio habilis inuicèm referentium & disputatio, quæ necessaria est post lectionem dormiẽtibus palpebris oculisq; somnum trahentibus, cessat lectio. Tẽpus illud significat, de quo scriptum est: Et erunt omnes docibiles Dei. & illud Apostoli, Siue prophetiæ euacuabuntur, siue linguæ cessabunt, siue scientia destruetur. Et quia ex ordine Esdræ necessaria est lectio in isto officio, vt quater in nocte legatur, solent religiosi viri ante præsens officium lectionem legere. Sicut Maria quæ vnxit Dominum vnguento, præuenit facere quod faciẽdum erat in sepulcro eius, si inueniretur corpus eius. ita lectio sua doctrina vngit animas deuotas ante commendationem dormitionis.

De nocturnali officio. Cap. 9.

IN nocturnali officio dicimus primò, Domine labia mea aperies, & os meum annunciabit laudẽ tuam: Deindè sequitur Gloria. Quandò pridèm in nocte conuenti fuimus, commendauimus nos Domino, & conclusimus ora, atque post singuli quasi quodãmodò in singulis sepulcris quieuimus, & soli Domino mente adstitimus, cui non sunt verba necessaria, quia omnes cogitationes nouit: At nunc quia iterùm conuenimus ad confitendum Domino, precamur eum, vt sua directione labia nostra aperiat, & ad suam laudem os nostrum fatiscat. Dein sequitur Inuitatorium: In eo communis cœtus fratrum cõuocat omnes degentes vndique, vt excitentur, & veniant ad confitendum Domino, iuxta quod versus secundus sonat inuitatorij, Præoccupemus faciem eius, inquiẽs, in confessione, & in Psalmis iubilemus ei. Deindè sequuntur duodecim Psalmi, sine antipona, cum tribus glorificationibus sanctæ Trinitatis, per ternas diuisiones quatuor Psalmorum. Dominica nox Dominicam resurrectionem ad memoriam nostram reducit. Quæ ideò vocatur Dominica, quia Dominus eam clarificauit sua resurrectione. Non enim solus resurrexit à mortuis, sed omnes sui electi, siue qui fuerunt ab initio mundi ante suam incarnationem, siue qui futuri sunt vsque ad finem mundi. Quapropter dicit Apostolus Paulus: Qui prædestinatus est filius Dei in virtute secundùm spiritum sanctificationis ex resurrectione mortuorum Iesu Christi Domini nostri. Quoniam in sua resurrectione voluit resurrectionem omnium electorum designare, propterea dixit, Ex resurrectione mortuorum. Horum omnium resurrectionem recolimus in Dominicis noctibus. Status Ecclesiæ nostrę tribus articulis distinguitur, id est, sub lege naturali, & sub lege Mosaica, & sub lege Euangelicæ gratiæ. Quamuis multi sancti essent sub naturali lege, tamen maximè

mè duodecim patriarchæ viguerunt, scilicet intantùm, vt ab his duodecim Tribus postea fierent. Sicut ex duodecim Apostolis in nouo testamento propagatus est Christianus populus, ità in veteri testamento populus peculiaris Deo ex duodecim patriarchis. Isti duodecim psalmi recolunt annum primum visitationis vineæ, in quo ficus inutilis stetit. Vt nos inutiles non simus, recolimus duodecim psalmos instar bonorum morum sanctorum patriarcharum. Quos diuisos cantamus per quaternarium numerum, quia quatuor virtutes sunt, quibus credimus sanctos patriarchas coluisse sanctam Trinitatem, scilicet, prudentia, fortitudo, iustitia, & temperantia. Istæ virtutes non separantur ab inuicèm: sed vbi vna ex illis est, tres semper oportet adesse. Vndè Augustinus in epistola ad Hieronymum. Porrò si prudentia tunc erit, si & fortis, & iusta, & temperans sit, profectò vbi fuerit, secum habet cæteras: Sic & fortitudo imprudens esse non potest, vel intemperans vel iniusta: Sic & temperantia necesse est vt prudens, fortis & iusta sit: Sic iustitia non est, si non sit prudens, fortis, & temperans: Ità vt vbi vera est aliqua eorum, & aliæ similiter sint: vbi autem alię desunt, vera illa non est, etiamsi aliquo modo similes esse videantur. † Sequentes tres psalmi cum antiphonis recolunt secundum annum, in quo Dominus per legem visitauit vineam suam, permanente adhuc ficu inutili: Vt non simus inutiles, cantamus tres psalmos, quatenùs consortes simus ordini trium electorum, qui fuerunt sub lege Mosaica, scilicet legislatorum, psalmistarum, & prophetarum. Hoc est inter duodecim psalmos, qui sine antiphona cãtantur, & tres qui cum antiphona, quod erat inter duodecim patriarchas, qui peregrini erant, & sperabant hæreditatem, quam posteri eorum possederunt, & eosdem posteros, qui hęreditauerunt terram promissam patribus eorum. Gloriati sunt duodecim patriarchæ de promissis, sed posteri eorum magis de perceptis. Tres nouissimi psalmi cum Alleluia, recolunt annum tertium in nouo testamento, sicu inutili manente, coruscante iam Euangelica gratia. Laudamus Dominum in primitiua Ecclesia ex Iudaico populo: Laudamus in sequenti ex gentilitate: Simili modo in reuocatione populi Iudaici, vt nostra ficus fructum pariat, noster videlicet populus, verbis & moribus colimus illam per exempla sanctorum patrum. Hoc enim distat inter illos tres psalmos, qui cum antiphonis cantantur, & istos tres, qui cum Alleluia, quod est inter illos, qui habuerunt testamentum mutandum: & eos, qui habent testamentum non mutandum. Maior clarificatio est in nouo testamento, quàm in veteri. Horum omnium resurrectionem celebramus in Dominica nostra: horum participes nos credimus futuros. Tres articulos memoratorum temporum dicit Gregorius in homilia sua significatos esse in tribus annis, quibus Dominus quæsuit fructum siculneæ, & non inuenit. Quandò eorum recordamur, qui migrauerunt de mundo, fodimus fossam circa siculneam, quia humiliamus nos vsque ad puluerem mortis: & stercus addimus, quandò peccata nostra recolimus. Hìc dicendum est, quid sit inter statum præsentium lectionum, & earum quæ per pastores domesticis administrantur. Lectiones quæ per pastores cantantur, domesticos & scientes admonent, vt non deficiant. Sicut ligna in focis adduntur lignis, vt non deficiat ignis, ità ignitis sensibus domesticorum, adduntur verba ignita pastorum, vt non deficiant. Lectiones in nocturnali officio, typum gerunt earum lectionum, quæ solebant fieri in scholis patrum, in quibus nescientes imbuebantur, & licitum erat eis interrogare in quibus dubitabant. Quarum exempla prætulimus in libello de officio Missæ, & hic vnum proferimus. Scriptum est in Actibus Apostolorum: Hi autem erant nobiliores eorum qui sunt Thessalonicæ, qui susceperunt verbum cum omni auiditate, quotidiè scrutantes scripturas, si hæc ità se haberent. Ipsa enim dubitatio, quæ est in mentibus audientium, antequàm ad plenam cognitionem veniant, designatur per statum noctis. Est varietas vna de versu, qui fit altero ordine in isto officio, quàm in cæteris officijs. In cęteris officijs post lectionem sequitur versus: in isto præcedit. Versus causa est, vt ostendat totam intentionem, quam gerit chorus in officio suo. Igitur, quia finis continet futurum effectum siue in malo seu in bono, meritò post completum officium ante specialem orationem versus ponitur: At in isto officio quoniam sedetur ad lectionem post psalmos, precedit versus lectionem. Nulli dubium, quin aliqua quies sit sessis, sessio, & quasi aliqua præsumptio de ocio. Ac ideò quia DEVS non spernit preces afflictorum, constitutum est, vt ilicò pòst afflictionem corporum sequatur oratio versus. Coniungunt nos nouem lectiones conuersationi nouem ordinum Angelorum: Coniungunt nos nouę respõsorij gaudijs eorundem nouem ordinum Angelorum. Et quoniam orandum est, antequàm ad illorum societatem perueniamus, celebratur versus orationis communis chori ante lectionẽ. Primus versus dicit, Memor fui nocte nominis tui, & cætera. Ipsa verba ostendunt, cur surrexerimus de statu nostro. Secundus versus, Media nocte surgebam. Iste ostendit, qua hora noctis oportet surgere: sed quoniam negligentes sumus de tempore quo soliti erant surgere patres nostri, non audemus mentiri, mutamus versum istum, & dicimus alterum, Quoniam tu illuminas lucernam meam. Tertius versus dicit: Exaltare Domine. Iste apertè nouum testamentum

Universidad de Deusto
Biblioteca

recolit, in quo CHRISTVS exaltauit hominem assumptum ad cælos in virtute sua. Quia diximus quòd media nocte surgendum esset in nocturnali officio, ex verbis sancti Augustini & Hieronymi, oportet nos confirmare nostra. Dauid dicit in Psalmo, Beati immaculati, quo tempore ipse solitus esset surgere ad confitendum Domino, Media nocte surgebam. Et in alio loco, Præuéni in maturitate, & clamaui. Quod ità Augustinus, Præuéni intempesta nocte, & clamaui. Plures codices non habent, intempesta nocte, sed, in matutitate: vix autem vnus inuentus est, qui haberet geminata IN præpositione, id est, in immaturitate. Immaturitas itaque hoc loco nocturnũ tempus est, quod non est maturum, id est, opportunum, vt agatur aliquid vigilando, quod etiam vulgò dici solet hora importuna: nox quoque intempesta, id est, media, quandò quiescendum est. Hinc procul dubio nuncupata est, quia importuna est actionibus vigilantium. Tempestiuũ enim dixerunt veteres opportunum, & intempestiuum importunum, à tempore ducto vocabulo, non ab illa tempestate, quæ consuetudine Latinæ linguæ cæli perturbatio iam vocatur; quamquàm isto verbo libenter vtantur historici, vt dicant, Ea tempestate, quod volunt, Eo tempore, intelligi. Vndè & Hieronymus in libro de vita Paulæ, Post alleluia cantatum, quo signo vocabantur ad collectam, nulli rendere licitum erat, sed prima vel inter primas veniens, cæteras operiebatur, pudore & exemplo ad laborem eas prouocans, non terrore. Mane, hora tertia, sexta, nona, vespere, noctis medio, per ordinem psalterium canebant. Itẽ eiusdem ad Demetriadem virginem: Nunc tãtùm ad virginem loquar, id est, non ea, quæ extra te, sed in te sunt, tantùm considerans. Præter psalmorum & orationis ordinem, quod tibi hora tertia, sexta, nona, ad vesperum, noctis medio, & manè semper est exercendum: statue quot horis sanctam scripturam ediscere debeas, quanto tempore lugere, non ad laborem, sed ad delectationem, & instructionem animæ, cumque hæc finieris spatia, & frequenter te ad figenda genua solicitudo animi suscitauerit, habeto lanam semper in manibus, vel staminis pollice fila deducito, vel ad torquenda subtegmina, in alueolis fusa vertantur, aliarumque neta aut in globum collige, aut texenda compone, & reliqua. Et iterùm eiusdem ad aliam de institutione filiæ. Præponatur ei probæ fidei, morum, ac pudicitiæ virgo veterana, quę illam doceat, & assuescat exemplo ad orationes & psalmos nocte cõsurgere, manè hymnos canere, tertia, sexta, nona hora stare in acie quasi bellatricẽ CHRISTI, accensaque lucerna reddere sacrificium vespertinum. Sic dies transeat, sic nox inueniat laborantem, Oratio lectioni, lectio succedat orationi. Sufficiant nobis hęc exempla ad demonstrandum, qua hora surgendum sit in nocturnali officio, & hìc habeant finem trés stationes vigiliarum, quę per ternas horas diuisæ exercitę sunt, & in quarta oriente iam Lucifero, excussis torporibus tædij nostri, sobriè & strenuè prestolemur aduentum Domini nostri IESV CHRISTI, qui sua resurrectione nos lętificauit, & informauit ad resurrectionem nostram, quam desiderauerunt patres, sed in nobis impleta est, in quos fines seculorum deuenerunt. Quos fines recolimus in matutinali officio vsque ad resurrectionem corporum.

De Matutinali officio. Cap. 10.

MAtutinale officium, tempus noui testamenti mentibus nostris intimat, hoc est, ab initio baptismi vsque ad plenam remunerationem, quam promisit Deus cum iureiurando Abrahę, & filijs suis in ęternum. Eo enim tempore, id est, matutinali, baptizati sunt filij Israel in mari rubro, vt Exodus narrat: Factum est, inquiens, in vigilia matutina, & eccè respiciens Dominus super castra Aegyptiorum per columnam ignis & nubis, & interfecit exercitum eorum, & subuertit rotas curruum, & reliqua. Quandò isti sunt interfecti, tunc baptizati sunt filij Israel. Quę sit vigilia matutina, Beda in tractatu super Marcum monstrat, vbi disputat de quarta vigilia noctis. Et circa, inquit, vigiliam quartam noctis, venit ad eos, ambulans super mare. Stationes & vigiliæ militares, in terna horarum spatia diuiduntur. Quandò ergò dicit, quarta vigilia noctis venisse ad eos Dominum, ostendit tota nocte periclitatos, & extremo noctis tempore eis auxilium præbitum. & paulò pòst, Cùm verò mentem quis nisì iustus ad superni lumen prędij & perpetuę dona retributionis erexerit, quasi inter noctis vmbras repentè exortum Luciferi conspicit, quod diem proximũ nunciat. Lucifer nanque cumplurimùm tres horas noctis, id est, totam vigiliam matutinam illuminare perhibetur. Aderitque Dominus, qui sopitis tentationum periculis, plenam libertatis fiduciam suę protectionis attribuat. Quod tẽpus, id est, baptismi, prefiguratum est in arca Noe, in qua pauci, id est, octo animę saluę factę sunt. Docet Petrus Apostolus hoc præcessisse in forma nostri baptismatis, dicens: In qua pauci, id est, octo animę saluæ factæ sunt per aquam: quod & nos nunc similis formę salvos baptisma facit. & reliqua †. Sicut tunc octo animę fuerunt in arca, ità possumus inuenire octo ordines electorum sub tempore baptismi. Primus ordo est primitiuæ Ecclesię versantis in populo Iudaico: secundus, eiusdem primitiuæ Ecclesię intrantis ad gentes: tertius, credentis gentilitatis: quartus, resipiscentis populi Iudaici: quintus, eorum, qui futuri sub tempore Antichristi: sextus & septimus & octauus, eorum, qui vniuersaliter colligendi sunt

sunt ex Asia, & Europa, & Africa, & fruentur maiori pace, quàm nunc fruatur Ecclesia. Vndè Gregorius: Quæ sagena scilicet vniuersaliter tunc repletur, cùm in fine suo humani generis summa concluditur. Primus psalmus monstrat primitiuam Ecclesiam, quæ reformata & ædificata est Christi prædicatione, ed iam regnante, sicut ipse dicit, Data est mihi omnis potestas in cælo & in terra. Quod primus & secundus versus dilucidãt, Dominus regnauit, decorẽ induit, induit Dominus fortitudinem, & præcinxit se. Iste regnantem Christum monstrat: At secundus ædificationem membrorum suorum, dicens: Etenim firmauit orbem terræ, qui non commouebitur. Quid iste psalmus in se contineat, addiscimus verbis sancti Augustini in expositione tituli ipsius. Ità enim infit: In titulo enim tamquàm admonemur in limine, quid intùs quæramus. Inscriptus ergò est ità: Laus cantici ipsi Dauid in die ante sabbatum, quandò fundata est terra. & post aliqua, Cùm omnes qui credunt per vniuersam terram, immobiles sunt in fide, fundata est terra: tunc fit homo ad imaginẽ Dei, quod significat sextus ille dies de Genesi. Sed quomodò illum fecit Deus? Quomodò fundata est terra? Christus venit vt fundaret terram. Fundamentum enim aliud nemo potest ponere præter id, quod positum est, quod est Christus Iesus †. Super hoc fundamentum Apostolica Ecclesia primò fundata est. Ipsa venit ad cæteras nationes, annuncians eis Christi aduentum, & præcipiens, vt ei iubilarent & seruirent. Vndè idem, qui suprà, dicit in tractatu psalmi nonagesimino ni. Iubilate ergò Domino vniuersa terra. Nunquid modò vocem meam audit vniuersa terra? Et tamen hanc vocem audiuit vniuersa terra: Iam iubilat Domino vniuersa terra: & quod adhuc non iubilat, iubilabit. Prætendens enim benedictio incipiente Ecclesia ab Hierusalem per omnes gentes, & reliqua. Ex his verbis nostram vocationem sentimus in secundo psalmo per prædicationem Apostolorum, Ac in tertio nostram beneuolentiam offerimus Apostolorum vocationi, & dicimus: Deus Deus meus, ad te de luce vigilo: Sitiuit in te anima mea, quàm multipliciter tibi & caro mea. Titulus psalmi monstrat præsentem psalmum cantatum esse ex persona gentilitatis. Titulum habet iste Psalmus, Ipsius Dauid, cùm esset in deserto Idumææ. Quod ità idem Augustinus in tractatu psalmi eiusdem: Per Idumææ nomen intelligitur seculum istud. Idumęa enim gens erat quædam errantium hominum, vbi idola colebantur. Arca enim Noe, quæ octo animas continebat, bicamerata erat. De qua re scribit idem qui suprà, in libro quintodecimo de ciuitate Dei: Et fieri quidem potest, vt & nobis quispiam, & alius alio modo exponat hæc aptiùs, dum tamen ea quæ dicuntur, ad hanc de qua loquimur, Dei ciuitatẽ in hoc seculo maligno tamquàm in diluuio peregrinantem omnia referantur, si ab eius sensu, qui ista conscripsit, non vult longè aberrare, qui exponit. Exempli gratia, velut si quispiam quod hìc scriptum est, inferiora bicamerata, & tricamerata facies ea, non quod ego in illo opere dixi velit intelligi, quia ex omnibus gentibus Ecclesia congregatur: bicameratam dictam, propter duo genera hominum, circuncisionem scilicet, & præputiũ, quos Apostolus & alio modo dicit Iudæos & Græcos, & reliqua. Quia futurum est ante persecutionem Antichristi, vt populus ex præputio & circũcisione vnum sint in fide, ideò duo psalmi in tertio ordine continentur sub vna antiphona. Quæ cõtinentur in psalmo, Deus misereatur nostri, vtrunque populum designant, scilicet Iudæum, & gentilem. Postquàm hi fuerint coniuncti, veniet tribulatio Antichristi, in cuius figuram præcessit Nabuchodonosor, & mittet in caminũ tribulationis tres filios Noe, quasi tres pueros, quos non solùm liberabit DEVS de eius malignitate, quia electi sunt: sed & benedicent Dño in similitudinẽ trium puerorum. Quapropter cùm ĩ cęteris psalmis solemus dicere Alleluia, in ista benedictione Latinis verbis vtimur, ad commendandam tribulationem, quam passuri sunt sancti in diebus memorati Antichristi, siue modò patiuntur à membris eius. Et non est necesse ibi cantare, Gloria patri & Filio, quia in ipsa benedictione commemoramus eandem sanctam Trinitatem, dicendo: Benedicamus Deo patri & Filio & Spiritui sancto. Diximus de Gloria patri, quòd eius vsum scripserit beatus Hieronymus ad Papam Damasum. Post hoc secundùm Danielem erit quies aliqua, qui ità dicit: Beatus qui expectat, & peruenit vsque ad dies mille trecentos trigintaquinque. Quod beatus Hieronymus sic exponit, Beatus, inquit, qui interfecto Antichristo supra mille ducentos nonaginta dies, id est, tres semis annos, dies quadragintaquinque præstolatur, quibus est Dominus atque Saluator in sua maiestate venturus. In qua quiete celebrabitur laus Dei, quæ continetur in tribus psalmis, scilicet, Laudate Dominum de cælis. &, Cantate Domino canticum nouum. &, Laudate Dominum in sanctis eius, ab vniuerso genere humano, quod euadet de tribulatione, quod genus humanum à tribus filijs Noe propagatum est. Vndè Augustinus in memorato libro quintodecimo de ciuitate DEI: Tricamerata verò, quæ in arca erat, eò quòd omnes gentes de tribus filijs Noe post diluuium reparatæ sunt: Siue alio modo, vt idem Augustinus in libro quæstionum Euangeliorum titulo quadragesimoseptimo, Ad ipsa tria genera quę assumuntur, arbitror pertinere etiam illa tria nomina sanctorum virorum, quos solos liberatos Ezechiel propheta prænunciat, Noe, Daniel, & Iob. Videtur enim Noe pertinere ad eos, per quos Ecclesia regitur, sicut per illũ in aquis arca gubernata est, quæ figurã gestabat

Universidad de Deusto
Biblioteca

Ecclesiæ: Daniel autem, quia cælibem elegit vi A
tam, id est, nuptias terrenas contempsit, vt, sicut dicit Apostolus, sinè solicitudine viueret cogitans quæ sunt Dei, genus eorũ significat, qui sunt in ocio, sed tamen fortissimi in tentationibus vt possint assumi: Iob autem quia & vxorem habuit, & filios, & amplas terrenarũ rerum copias, ad illud genus pertinet, cui molendinum deputatum est: sed tamen vt sint fortissimi in tentationibus, sicut ille fuit. nõ enim aliter assumi poterunt: nec puto alia esse genera hominũ quibus constat Ecclesia, quàm ista tria. Quoniam futura sunt hęc vnius virtutis, B
scilicet patientiæ consortia, & communia, sub vna antiphona siue Alleluia canuntur tres psalmi, qui nos inuitant ad eorũ societatem. Dein sequitur lectio, quæ pro admonitione fraterna recitatur in choro, quę semper placita erit quãdiù in præsenti seculo deget Ecclesia. Post eà sequitur versus aptus tẽpori tali. dicit enim, Dominus regnauit, & cætera. Tunc fiet illud quod Apostolus dicit, Cùm tradiderit regnũ Deo & patri. Quandò regnum DEO tradit, sibi ipsi qui DEVS est, coniungit illud ad perpetuum regnum suum. At hymnus Zachariæ C
prophetæ recolit remunerationem promissam Abrahæ, id est, vt seruiamus Domino sine timore in sanctitate & iustitia omnibus diebus. Tale seruitium reperitur modò in raris, qui sunt iam perfecti: Sed tunc ab electis omnibus celebrabitur, quia omnes erunt perfecti.

De nocturnali officio per quotidianas noctes. Cap. 11.

VT enim Dominica nox recolit ciues Hierusalem ab initio mundi vsque in finem, D
ità quotidianæ noctes peregrinationem mortalium, & abalienationem à patria inter inimicos degentem. Et quia duodecim horæ sunt noctis, in quibus necesse habemus custodia Domini muniri, duodecim psalmos cantamus. Et quia hæc custodia seria est per sex ætates mundi, sex antiphonis coniungimus psalmos. Et quia sex ætates mundi tribus temporibus concluduntur, scilicet naturalis legis, literæ, & legis gratiæ, tres lectiones leguntur, & tres responsorij canuntur.

E

De Matutinali officio per quotidianas noctes. Cap. 12.

IN Dominicis noctibus per quinq; antiphonas recolimus statũ Ecclesiæ ab initio Apostolicæ stabilitatis vsque ad perfectionem electorum, qui in fine mundi venturi sunt: At quotidianis noctibus altero modo eundem statum recolimus per mutationem psalmorum, & canticorum à secunda feria vsque in sabbato. Primus psalmus, Miserere mei Deus, continet pœnitentum conuersionem. Iudæi conuersi, qui deputantur in primitiua Ecclesia, istius psalmi vigorem frequentabant, quandò ad prædicationem Petri pœnitentiam egérunt, & compuncti sunt corde. De quibus scriptum est in Actibus Apostolorum: His auditis, compuncti sunt corde, & dixerunt ad Petrum & ad reliquos Apostolos, Quid faciemus viri fratres? Petrus verò ait illis: Pœnitentiã, inquit, agite, & baptizetur vnusquisq; vestrum in nomine Iesu Christi. Simili modo per sequentes noctes idẽ psalmus nos, qui de gentili conuersatione conuersi sumus, ad pœnitentiã prouocat. Sufficit de præsenti psalmo. De cæteris, id est, Deus Deus meus ad te de luce vigilio. &, Deus misereatur nostri. &, Laudate Dominũ de cælis, ac, Cantate Domino, atque, Laudate Dominũ in sanctis eius, iam dictum est: restat ordo vt ad secundã feriam reuertamur, & transeamus per mutationem psalmorum & canticorum. Illud primò oportet intueri, vt psalmus & canticum sicut sunt in officio deputata vnius noctis, ità sint in rebus similia & significationibus. Psalmus, Verba mea, habet hunc titulum, Pro ea, quę hæreditatẽ accepit. Quem ità exponit Augustinus: Intelligitur ergò Ecclesia, quæ accepit hæreditatem, vitam æternam per Dominum nostrum IESVM CHRISTVM, vt possideat ipsum Deum, cui adhærens, beata sit secundùm illud, Beati mites, quoniam ipsi hæreditate possidebunt terram. Hanc hæreditatem primitiua Ecclesia accepit, quæ simul cum Apostolis in præsenti seculo vixit. Ex eius persona cantatur canticum Esaiæ prophetæ, Confitebor tibi Domine, quoniam iratus es mihi: conuersus est furor tuus, & consolatus es me. & cætera. Canticum istud, illud tempus recolit, quandò primũ vexillum sanctæ crucis erectum est. Vndè in superioribus partibus in eodẽ propheta scriptũ est, Et leuabit signum in nationes, & congregabit profugos Israel, & reliqua. Quod sic Hieronymus in eodem exponit, In die illa, hoc est, in illo tempore, de quo & supradictum est, cùm resurrexerit radix Iesse in signum populorum, siue vt dominetur gentium, apponet Dominus secundò manũ suam, vt nequa quàm iuxta eos nostros Iudaizantes in finem mundi, cùm intrauerit plenitudo gentium, tunc omnis Israel saluus fiat: sed omnia hæc in primo intelligamus aduentu. Et paulò pòst: Leuabit igitur signum crucis in nationes vniuersas, & de synagogis Iudæorum primùm Israel populos congregabit, vt Apostoli præceptum Saluatoris implerent, qui dixerat: Ite ad oues perditas domus Israel. Idem in sequentibus in memorato libro monstrat, de quibus canticum narret, dicens: Qui priùs in solitudine dixeratis, quandò ascendistis de terra Aegypti, & mare siccatum est rubrum: Cantemus Domino, gloriosè enim magnificatus est: & nunc percussa lingua maris Aegypti, & flumine illius arefacto, atq; cõfisso & humiliato, glorificate Dominum, & dicite: Confitebor tibi Domine, quoniam iram merui & furorem. Tuam misericordiam cõsecutus sum, Tu es. n. Saluator meus, id est, Iesus:

& nequa-

& nequaquàm fiduciam habebo in idolis, nec A
timebo quæ non sunt timenda: sed tu es fortitudo mea, & laus mea. Hoc est inter psalmum & canticum, quod est inter opera iusti, & gratiarum actionem: vt psalmus demonstret, opera iusti post conuersionem, vt est in præsenti psalmo: Quoniam ad te orabo Domine, manè exaudies vocem meam: Manè adstabo tibi & videbo, & cætera: & canticum, Laudem Dei pro eodem opere. Versus post lectionem per quotidianas noctes, illud tempus ad memoriam reducit, quandò merces recompensabitur post laborem præsentis seculi iustis à B
Domino. Versus dicit, Repleti sumus manè misericordia tua, & reliqua. Quem ita exponit Augustinus in eodem psalmo, vndè sumptus est: Deindè, inquit, illa bona quæ futura sunt, spe anticipans, & velut facta iam deputans, repleti sumus, inquit, manè misericordia tua. Et gò in his velut nocturnis laboribus & doloribus prophetia nobis accensa est. sicut lucerna in obscuro loco, donec dies illucescat, & Lucifer oriatur in cordibus nostris. Beati enim mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt. Tunc replebuntur eo bono iusti, quod nunc esuriunt C
& sitiunt, cùm per fidem ambulantes peregrinantur à Domino. Vndè & illud dicitur, Replebis me lætitia cum vultu tuo: manè adstabunt & contemplabuntur. Et, sicut alij dixerunt interprętes, Satiati sumus manè misericordia tua. Tunc satiabuntur: Sicut enim alibi ait, Satiabor cùm apparuerit gloria tua. Vndè dicitur, Ostende nobis patrem, & sufficit nobis. Atq; ipse Dominus, Ostendam meipsum illi. Quod donèc fiat, nihil boni nobis sufficit, nec sufficere debet: nè desiderium nostrum in via remaneat. Et post pauca: Repleti sumus manè misericordia tua, & exultauimus, & *delectati sumus in omnibus diebus nostris. Dies ille, dies est sine fine, simul sunt omnes illi dies †. Quod per quotidianas noctes sequitur post hymnum Zachariæ, qui nos introducit post resurrectionem corporum in æternam vitam, oratio consueta hoc innuit, quòd illa omnia bona peccatores per pœnitentiam sperant.

*lætati

D

De tertia feria. Cap. 13.

TErtia feria illud tempus recolit, quandò E
ab impiis Imperatoribus persequebatur Ecclesia, qui conabantur auferre lucrum Apostolorum, nè filios spiritales generarent. Tempus illud præcipuè fuit à prima persecutione Neronis, vsque ad tempora Diocletiani, & Maximiani. Qui sancti eo tempore passi sunt, psalmus monstrat, dicens: Iudica me Deus, & discerne causam meam de gente non sancta, &c. Sequentia non minùs demonstrant tristitiam sanctæ Ecclesiæ, quam habebat, quia non ei apertè licebat Christum generare in cordibus electorum. Euasit sancta Ecclesia de hac tribulatione, & cantat canticum, quod cantauit Ezechias postquàm liberatus est de Sẽnacherib, & postquàm eum Deus visitauit per flagellum infirmitatis, nè eleuaretur cor eius de victoria concessa. Vndè & dicit, Viuens viuens ipse confitebitur tibi, sicut & ego hodie: pater filiis notam faciet veritatẽ tuam. Nam & ipse ideò flebat, quia dolebat orbitatem filiorum.

De quarta feria. Cap. 14.

FEria quarta tempus illud recolit, in quo sancta Ecclesia exaltata est super omnes inimicos suos. Quod ex titulo psalmi qui in ea cantatur, cognoscere possumus. Titulus talis est, In finem psalmus Dauid, Canticum Hieremiæ, & Ezechiel ex populo transmigrationis cùm inciperent exire. Iste psalmus ex persona eorum cantatur, qui intuentur reditum ad Hierusalem, & libertatem populi Dei. Sicut Iudæi quondam liberati sunt de Babylonia, & trãsducti Hierusalem: ita & Ecclesia nostra liberata est de manu impiorum Imperatorum, & donata libertati tempore Constantini Imperatoris. Vndè exultat in cantico, quod cantauit Anna Samuelis mater, postquàm liberata est de afflictione Phenennę æmulæ suæ: Exultauit, inquit, cor meum in Domino, & exaltatum est cornu meum in Deo meo. Ab illo enim tẽpore postquàm respublica & potestas Romanorum subdita est Apostolicis viris & Christianis Imperatoribus, dilatatum est os Ecclesiæ super inimicos suos, scilicet & Paganos & perfidos Iudæos. Ista dilatatio hodierna die permanet: det Deus, vt diù permaneat & impleatur illud Apostoli, Donec plenitudo gentium introierit, & sic omnis Israel saluus fiet.

De quinta feria. Cap. 15.

ISte articulus sub vna virga, id est, sub vno re- D
gimine suscipit populum Iudaicum, & populum gentilem. Quia in isto articulo recipiendus est populus Iudaicus, cantatur psalmus in quinta feria, qui prætitulatur ex oratione Moysis. Talis est titulus, Oratio Moysis hominis Dei. Sequitur canticum, Cantemus Domino. Quod olim cantauere in figura futuræ victorię percipient quandò implebitur quod Dominus in Euãgelio dixit, Amodò nõ me videbitis, donec dicatis, Benedictus qui venit in noïe Dñi.

De sexta feria. Cap. 16.

SExta feria celebratur in memoriam passio- E
nis Saluatoris nostri. Psalmus qui in ea cantatur, hunc titulum habet, Ipsi Dauid, quandò eum filius eius persequebatur. De quo titulo ita dicit Augustinus in prologo eiusdem psalmi: Agnoscamus ergò quemadmodùm Christum persequebatur filius suus: Habebat enim filios de quibus dicebat, Non ieiunant filij sponsi quamdiu cum illis est sponsus, cum autem ablatus fuerit sponsus, tunc ieiunabunt filij sponsi. Ergò filij sponsi Apostoli, & inter hos persecutor diabolus Iudas. Passionem itaque

Universidad de Deusto
Biblioteca

suã in hoc psalmo prædicaturus est Christus. Canticum passionem eius nihilominùs sonat, dicens: Cornua in manibus eius, ibi abscondita est fortitudo eius. Quod sic Hieronymus exponit: Vexilla & trophęa crucis, & ī ipsis cornibus abscondita est fortitudo eius. & Paulò pòst in cruce ergò pauliſpèr fortitudo eius abscondita est, quando dicebat ad patrem: Tristis est anima mea vsque ad mortem: &, Pater, si possibile est transeat à me calix iste. & in ipsa cruce, Pater, in manus tuas commendo spiritum meum. Ista est quinta nox à secunda feria. Sicut in quinto psalmo per Dominicas noctes celebratur contemptus Nabuchodonosoris, & victoria trium puerorum, inter quos erat quartus adspectus filij hominis: ita & nunc in quinto loco contemptus totius mundi, & victoria summi & solius triumphatoris illius, cuius adspectus olim videbatur inter tres pueros. Dignęq; in sexta feria memoratur eius passio pręcæteris noctibus, quia in ea peracta est.

De Sabbato. Cap. 17.

SAbbatum recolit memoriam electorum Iudæorum, qui iuncti erunt ecclesiæ in fine mundi. Sabbatum quod fingebant & fingunt Iudęi carnales se obseruare, Iudæi fideles in veritate custodient in fine. Psalmus qui in eo cantatur, talem titulum habet: Psalmus cantici in die sabbati. Ex titulo psalmi conueniens est psalmus sabbato. Quomodò congruat populo Iudaico, versus quidam demonstrat, dicens: In decachordo psalterio cum cantico & cithara. Quod ità Augustinus, Decachordum psalteriũ modò audistis: Dechachordum psalterium significat decem præcepta legis. Sed cantare in illo opùs est, non portare psalterium. Nã & Iudæi habent legem: portant, non psallunt. Qui sunt qui psallunt? Qui operantur. Qui operantur cum tristitia, nondùm psallunt, Qui sunt qui psallunt? Qui cũ hilaritate faciunt benè, & reliqua. Hoc credimus futurum esse in populo Iudaico, quandò populus vnus erit cum sancta Ecclesia, quod modo beatus Augustinus narrat de sancta Ecclesia. Canticũ quod sequitur, Audite cęli, quomodò sabbato conueniat & populo Iudaico, dominus Beda explanat in secundo libro tractatus super Lucam: Confluebant autẽ die sabbati in synagogis, vt iuxta quod Dominus præcipit, Vacate & videte, quoniã ego sum Deus, feriatis mundi negociis, ad meditanda legis monita quieto corde residerent, Cuius quotidie deuotionis agendæ hactenus in ecclesia perdurat indicium: quia ad memoriam priscæ religionis canticum Deuteronomij, in quo vniuersus veteris populi status, quid videlicet offenso, quid propitio Deo meruerit, continetur, nonnullis in locis sabbato dicere cõsueuit: Alioquin esset præposterum, vt in prioribus septimanæ diebus prophetarum dictis carminibus, Moysis vltimum diceretur. Valet enim ad opusculum huiusce fabricationis, si consideremus ex sensibus & intellectu psalmorum Dominicę noctis in matutinali officio, quomodò eis colligentur psalmi & cantica, quæ sunt per sex dies hebdomadis. Primus psalmus, Dominus regnauit, Domini regnum demonstrat post eius resurrectionem, de quo ipse dicit: Data est mihi omnis potestas in cælo & in terra: econtra, Miserere mei Deus, pœnitentiam mortui hominis peccato, sed etiam respirantis per bonum odorem, quem accepit à nunciis verborum Dei. Pro illo enim venit Christus mori & resurgere à mortuis, vt ipse in Euãgelio manifestat, dicens: Non veni vocare iustos, sed peccatores. & iterùm: Veni enim saluare quod perierat, & vt manifestius dicam, propterea surrexit, vt nos resurgeremus. Sua resurrectio extitit per corpus immortale, nostra extat per pœnitentiam. Vndè non immeritò sicut vice resurrectionis suæ, Dominus regnauit, cantamus in Dominicis, & in festiuis noctibus: ità congruit vice nostræ resurrectionis in sequentibus noctibus, Miserere mei Deus, cantare. Quoniam duo continet memoratus psalmus, Dominus regnauit, Christi regnum acceptum per triumphum crucis, & firmationem sanctæ ecclesiæ non commouendam à statu suo, psalmus de secunda feria & canticum huic, id est, psalmo, Dominus regnauit, propter constructionem Ecclesiæ, adnectuntur. Psalmus, Verba mea, vocem Ecclesię continet, quæ in primo tempore coniuncta est Apostolis. De qua dicit Augustinus in psalmo quinto: Vox ecclesiæ est in hoc psalmo, * vocatæ ad hęreditatem Domini, Verba mea, Exaudi me Domine: vocata inuocat Dominum, vt eodem opitulante, pertranseat nequitiam seculi huius, & ad eum perueniat. Canticum. Confitebor tibi Domine, vt superiùs demonstratum est, eãdem Ecclesiam præsentat. Psalmus, Iubilate Domino omnis terra, chorum prędicatorum continet, qui non timentes minas principum, exciuerunt Ecclesiam de Babylone ad seruiendũ Domino soli: Quid idem chorus passus sit à ciuibus Babyloniæ ciuitatis, psalmus, Iudica me Deus & discerne causam meam de gente non sancta, dilucidat. Cãticum minimè latet angustiam Ezechiæ regis, qui dixit, Ego dixi, in dimidio dierum meorum vadam ad portas inferi, & cætera quę sequntur. Ezechias bonus & iustus rex annumeratur in corpore prędicantium. Satìs indicat præsens canticum angustiam præsentis Ecclesię, de qua angustia dicit versus, Recogitabo omnes annos meos in amaritudine animę meę. Psalmus, Deus Deus meus, continet vocem gentilis populi, qui à somno animæ euigilat post introductam illuminationem prædicatorum. Quis sit somnus, de quo euigilat, quandò dicit, Deus Deus meus ad te de luce vigilo, Augustinus memoratus dilucidat in tractatu eiusdẽ psalmi: Illud autẽ, inquiens, cauere debemus, nè ipsa anima nostra dormiat. Malus .n. est

*vocat te

est somnus animæ, bonus somnus corporis, quo reparatur valetudo corporis. Somnus autem animæ, est obliuiſci Deum suum. Quæcũque anima oblita fuerit Deum suum, dormit. Et infrà: Deus Deus meus, ad te de luce vigilo: sitiuit in te anima mea. Eccè illud desertũ Idumææ videte quomodò hic sitit. Et paulò pòst, Quandò anima sitit, fontem sapientiæ sitit. De ipso fonte sapientiæ inebriabuntur animæ nostræ, sicut alius psalmus dicit, Inebriabuntur ab vbertate domus tuæ, & torrente deliciarum tuarum potabis eos. Sitienda est ergò sapientia, sitienda iustitia. Eandem reuersionem sonat psalmus in quarta feria, id est, de obliuione DEI ad eius recordationem, quasi, de Babylone ad Hierusalem. In eodem psalmo aliqua sitis memoratur similis de psalmo, Deus Deus meus. Infit iste psalmus, Sulcos eius inebria, multiplica generationes eius. Vndè idem qui suprà in tractatu psalmi, Te decet hymnus Deus, videmus, credunt, & ex credẽtibus alij credunt, & ex illis alij credunt, & nõ sufficit vni homini vt factus ipse fidelis vnum lucretur. Canticum, Exultauit cor meum in Domino, liquidò monstrat, sanctam Ecclesiã superiorem esse Babylonia. Psalmus, Deus misereatur nostri, in quo per voces prædicantiũ colligitur populus Iudaicus, dicentium: Confiteantur tibi populi Deus, conuenit cum psalmo de quinta feria, Domine refugium factus es nobis, qui habet titulum, Oratio Moysis hominis Dei: Cui aptè respondet canticum, Cantemus Domino. Hymnus trium puerorum, Benedicite, passionem Domini ac triumphum eius ad memoriam nobis reducit. Nabuchodonosor diabolum significat: ministri eius, qui accenderunt flammam ignis in fornace, Iudæos clamantes, Crucifige crucifige. Missi sunt tres pueri in caminum ignis. futurũ enim erat, vt furorem incendij Iudęorum sustineret Christus. Tres fuerunt pueri, qui vna voce confitebantur Domino. Tria pura sacramenta exierũt de homine Christo in passione eius, spiritus, aqua & sanguis, quæ tria vnum monstrant Christum. Erat in fornace adspectus quarti, quasi similitudo filij Dei: Etenim pendebat siue sepeliebatur corpus Christi assumptum ex Maria Virgine. Puerorum corpora non sunt corrupta in fornace: futurum erat vt Christi corpus non corrumperetur putredine mortis. Liberati sunt tres pueri de camino: Liberatus Christus de ore leonis. Propter hoc sacramentum, vt opinor, audiui cantari in vigilijs Paschæ in ecclesia Turonensi post lectiones, Benedicite. Omnes qui piè volunt viuere, persecutionem patiuntur, & pertinent ad corpus triũ puerorum, qui missi sunt in caminum, cuius corporis caput est Christus: At hi qui persecutiones ingerunt, ad corpus diaboli, cuius membrum extitit Nabuchodonosor, & omnes persecutores vsque ad maximum membrum Anti christum. Et meritò in quintò ordine recolitur euasio electorum de persecutoribus, quia corpus, quod quinque sensibus regitur, possunt occidere: ampliùs autem quid faciant, non habent. Psalmus de sexta feria, vt prætulimus, & canticum, Christi passionem detinent. Laudate Dominum de cælis, &, Cantate Domino, &, Laudate Dominum in sanctis eius, actum sanctę Ecclesię monstrant post transactam persecutionem, quem continet versus, Bonum est confiteri Domino, & psallere nomini tuo altissime. At canticum, Audite cæli quæ loquor, quamuis duo in se contineat, id est, remunerationem Domini pro bonis, & retributionem pro offensis: tamen propter sabbati quietem, in qua cantatur, ad eos illud dirigimus, qui bona pace vtuntur post persecutionẽ in ecclesia nostra. De quibus dicit versus, Pars autem Domini populus eius, Iacob funiculus hæreditatis eius.

De Dominicis noctibus in Matutinali officio à Septuagesima vsque in Pascha. Cap. 18.

PEr Dominicas noctes à Septuagesima vsq; in Pascha Domini, in Matutinali officio duo psalmi mutantur, Miserere mei Deus. &, Confitemini Domino. Per hos duos psalmos informantur hi, qui nondùm sunt perfecti, etiam illo modo quo homines hìc perfecti esse possunt. De quibus dicebat Paulus: Quicunque perfecti, hoc sapite. Quibus non congruit præceptoribus & doctoribus auferre timorem & spem. Timorem, quem oportet nobis peccatoribus habere in præsenti peregrinatione de vindicta Dei inculcat psalmus, Miserere mei DEVS, qui resultat vocem peccatoris pœnitentis. Plangamus peccata in psalmo, Miserere mei Deus: Post planctum aderit charitas, quæ foras mittit timorem per spiritum, qui consolatur corda lugentium. Ac ideò quia post dolorem cordis, & indignationem reatus solet charitas præbere fiduciam accedendi ad Dominũ, ascendamus spe sortis electorum ad bona opera laudandi Deum, & dicamus ad alterutrum, Confitemini Domino quoniam bonus. De his duobus gradibus scribitur in Deuteronomio: Non accipies loco pignoris inferiorem & superiorem molam, quia animam suam apposuit tibi: Quod sic sanctus Gregorius exponit: Accipere namque aliquandò dicimus auferre. vndè & aues illę, quæ rapiendi sunt auidæ, Accipitres vocantur. Et paulò pòst: Pignus verò debitoris, est confessio peccatoris. A debitore enim pignus accipitur, cùm à peccatore iam peccati confessio tenetur. Superior autem & inferior mola, est spes & timor. Et iterùm post pauca: In peccatoris itaque confessione incessanter debet spes & formido coniungi, quia incassùm misericordiam sperat, si non etiam timeat: & incassùm iustitiã metuit, si non etiam de

Universidad de Deusto
Biblioteca

de misericordia cõfidit. Et iterũm: Tollit enim superiorem, si flenti peccatum, dicat, Non habebis veniam de commissis: Tollit inferiorẽ, si peccantem palpet, & dicat, Age mala inquantùm vis: Nam Deus pius est, & ad iudulgentiam paratus, & reliqua. Psalmus, Dominus regnauit, perfectos informat, quales fuerunt Apostoli: Miserere mei Deus, fragiles & infirmos, quos oportet plorare & plangere, quod significat tempus Septuagesimæ. Videtur paruitati nostræ congruere propter numerum Septuagesimæ, qui tenet peregrinationẽ nostram, vt cũ Alleluia & cum altitudine psalmi, Dominus regnauit, Gloria in excelsis DEO introducatur in thesauros suos vsque ad diem exultationis Ecclesiæ per resurrectionem capitis nostri.

De versibus, qui in Quadragesima sunt, vsque in passionem Domini. Cap. 19.

SAepè dictum est quòd psalmus, Qui habitat in adiutorio altissimi, mentionem eorum informet, qui in certamine positi, in Domino pónunt spem suam, & omne adiutorium ab eo deprecantur. Est enim sancta Ecclesia in maiori certamine cõstituta diebus Quadragesimę, quàm in alio tempore. Ideò hunc psalmum eo tempore frequentat in versibus, qui Domini protectionem insinuat & adiutorium.

De Passione Domini. Cap. 20.

DIes passionis Domini computantur duabus hebdomadibus ante pascha Domini. Neque enim ab re est, quòd in duabus hebdomadibus recolitur eius passio: quoniam in duobus temporibus huius mundi scribitur & informatur eadem passio. quale est illud primi temporis de Noe, qui inebriatus est vino, & denudatus iacuit, & ab vno filio dehonestatus, & à duobus veneratus: & illud iam sub lege, Et erit vita tua quasi pendens ante te, timebis nocte & die, & non credes vitæ tuæ. In illis diebus amittimus per vndecim dies in solis respõsoriis gloriam sanctæ Trinitatis, quoniam per humilitatẽ veniendum est ad passionẽ CHRISTI. Passio & persecutio humiliant, quantùm ad præsens cernitur, massam, quæ ex Adam sumpta est. Hanc immutationem humilitatis designant turbæ, quæ obuiam venerunt Domino die Palmarum ad descensum montis Olueti. Hymnus scilicet, Gloria Patri & Filio & Spiritui sancto, gloriam sanctæ Trinitatis recolit. Quoniam vna est persona filij D E I & filij hominis, qui pati venerat, conformat se sancta Ecclesia capiti suo, & de glorificatione eius reticet vsquedùm exaltetur per triumphum victoriæ. Hæc humiliatio priùs, & iterùm exaltatio per vnum versum psalmi centesimononi monstratur, qui dicit, De torrente in bibet, propterea exaltabit caput. De hoc torrente Dominus in via bibit, quoniam mortẽ in transitu gustauit, atq; ideò exaltauit caput, quia hoc quod moriendo in sepulcro posuit, surgendo super angelos eleuauit. Quamuis ritè congruat, vt propter humiliationem capitis nostri proximam, omittamus glorificationem sanctæ Trinitatis, in qua honoratur filius hominis propter vnitatem personæ filij Dei. Vndè & ipse præcepit Apostolis, nè alicui dicerẽt transfigurationem suam in monte, antequàm resurgeret à mortuis: potest tamen & simpliciter intelligi, quatenùs ad memoriam nobis reducat, quòd aliquandò esset tempus, quando memoratus hymnus non dicebatur in Ecclesia nostra. A sancto Hieronymo scriptum est de eodem hymno ad Damasum Papam. Simile est & illud, quod Innocentius Papa scripsit, non Missam celebrari in Parasceue, & in sabbato sancto: tamen celebratur Missa, quæ celebrabatur ab Apostolis, scilicet, per solam orationem Dominicam. Si hoc voluit monstrare verbis suis, vbi dicit, sacramenta penitùs non celebrari, vt nullo modo celebrarẽtur, nemo id seruat apud nos. Sed vt populus qui reficiendus erat ipso die haberet in fundamentum corpus Dominicum, & nihilominùs reducatur nobis ad memoriam Missa Apostolorum, celebratur eadem: Quod non est necesse fieri in sabbato sancto, quia expectant omnes ieiuni vsque ad noctem, quandò Missa celebratur resurrectionis Domini. Ab illo die quandò omisimus Gloria patri, duæ hebdomadæ sunt, hoc est, quatuordecim dies vsque in Pascha Domini, Dies Paschę iam de tertia hebdomada est, in qua restauratur omnis amissa glorificatio. In tertio tempore legis gratię omnia beneficia redduntur ecclesiæ, quę expectauerunt patres nostri, qui tenebãtur in claustris inferni, tempore naturalis legis, & tempore legis literæ. Neque abhorret a vero, si dies passionis Domini, qui per duas hebdomadas celebrantur, quasi per duo tempora eorum murmurationem ad memoriam nobis reducant, qui meritis suis cęleste regnum promerebantur, & tamen humiliati erant in claustris inferni vsque ad tertiam hebdomadam legis gratiæ.

De Cœna Domini, & Parasceue, ac Sabbato sancto. Cap. 21.

QVantùm potuit, institutor officij conformari nos voluit sua admonitione Christi passioni, & causis Apostolorum, qui obstricti erãt tempore passionis, necnon & disiungi moribus persecutorum. Primò dicendũ est, quòd omnis doctrina pastoris taceatur in ecclesia his diebus, id est, cœna Domini, & parasceue, ac sabbato sancto. Non dicitur, Domine labia mea aperies: non datur benedictio legentibus, admonitio lectionis non ministratur in matutinali officio: post hymnum Zachariæ non gubernatur

gubernatur oratio solito more à pastore. Ideò hæc non fiunt, quia pastor noster Christus recessit, & arietes gregis, qui iam prædestinati erant, vt pastores forent ecclesiæ, dispersi sunt. Minores quique faciunt suum officium typo discipulorum, qui forsan minùs cogniti erant discipuli esse Christi, & typo mulierum, quæ præsentes adesse poterant humiliationi Christi. Solent enim aliqui cantores omittere versum ante, Benedictus dominus DEVS Israel, quia non præcedit lectio, quod non oportet illis facere. Suum officium illi celebrant, sed pastoris officium reticetur. Inuitatorium non cantant, vt doceant malum conuentum vitare suos qualis fuit apud Iudæos de nece Christi. Quanto propius instant passioni, tanto se plùs humiliant in officio suo. Igitur in istis noctibus siue diebus penitus omittunt, Gloria patri & Filio & Spiritui sancto. Omnis salutatio deest in istis tribus diebus, siue noctibus, ad vitandam salutationem pestiferam, qualem diabolus Iudas exercuit. Necnon etiam altitudo signorum, quæ fiebat per vasa ærea, deponitur, & lignorum sonus vsquequaquè humilior ęris sono, necessariò pulsatur, vt conueniat populus ad ecclesiam. Potest & in hoc humilior vsus Ecclesiæ Romanæ designari antiquis temporibus, quàm nunc sit, & præcipuè tunc, quandò latitabat per cryptas propter persecutores: Nã adhuc iunior Roma, quæ antiquis temporibus sub vno Domino cum antiqua Roma regebatur, vsum lignorum tenet, non propter æris penuriam, sed propter vetustatem. Et quia Saluatoris nostri humiliatio per sepulturam, triduo celebratur, conuenit vt per tres dies, id est, quintam feriam & sextam & septimam, humiliatio nostri officij subsequatur. Nouem psalmi, & nouem lectiones, & nouem responsorij, qui celebrãtur per tres noctes, insinuant, quòd Dominus descendens ad inferiora loca terræ, indè tria hominum genera rapuit, & transuexit ad societatem nouem ordinum Angelorũ. Hæc tria genera distinguuntur in Euangelio per eos, qui in agro sunt, & per eos, qui in molendino sunt, atque per eos qui in lecto sunt. Et quia hæc tria genera creduntur fuisse in naturali lege, & in tempore legis literæ, seu tempore prophetarum, meritò per tres noctes recoluntur: & propter nouem ordines Angelorũ, quorum nomina legimus per nouenarium numerum, eorum reductio colitur ad societatem eorundem Angelorum. Memorata tria genera electorũ Augustinus ità dilucidat in libro quæstionum Euangeliorum, titulo quadragesimoseptimo: Qui sunt in illa nocte duo in lecto, & duæ molentes in vnum, & duo in agro, de quibus omnibus binis singuli assumentur, & singuli relinquentur? Tria genera hominum hìc videntur significari. Vnum eorum qui ocium & quietem eligunt, neque in negociis secularibus neque negociis ecclesiasticis occupati, quę illorum quies lecti nomine significata est. Alterum eorum qui in plebibus constituti, reguntur à Doctoribus, agentes ea, quæ sunt huius seculi, quos & fœminarum nomine significauit, quia consiliis (vt dixi) peritorum eis expedit, & molentes dixit, propter temporum aliunegociorum orbem atque circuitum: quas tamen in vno molentes dixit, inquantum de ipsis rebus & negociis suis prębent vsibus Ecclesiæ: Tertium eorum, qui operantur in Ecclesiæ ministerio, tam, quam in agro Dei, de qua agricultura Apostolus loquitur. Quoniam ista tria genera non abfuisse credimus in omnibus articulis tẽporum, quæ tamen quamuis electa essent, descẽdebant ad inferni claustra, & ea in istis diebus descendit Dominus indè auferre, & sociare actioni & cognitioni & gaudio scilicet Angelorum, non immeritò per nouem psalmos, qui pertinent ad actionem, & nouem lectiones, quæ pertinent ad cognitionem operum Dei, & nouem respõsorios, qui pertinent ad cantica sanctorum Angelorum, nocturnalia officia celebrantur.

De Extinctione luminum. Cap. 22.

QVod lumẽ Ecclesiæ extinguitur in his noctibus, videtur nobis aptari ipsi soli iustitiæ, qui extinctus est, & sepultus tribus diebus & tribus noctibus. Sol enim Christus illuminauit Ecclesiam suam per diem & noctem, vt in prosperitate diei sciret se moderatè exaltare, & in aduersitate noctis æquanimiter subsistere. Sol qui præsentẽ mundum illuminat per diem & noctem vigintiquatuor horis perlustrat orbẽ suum, & sunt simul inter tres dies & noctes septuagintaduæ horæ: Tot enim discipulos misit Christus binos & binos prædicare ante faciem suam. Igitur per singulas noctes memoratarum Feriarum vigintiquatuor lumina accenduntur. Et quia ipse sol significat solem nostrum, qui occubuit vespere passionis, per lumen, quod nos possumus accendere & extinguere, instar ortus solis & occasus demonstramus ortum & occubitum veri solis aliquo modo. Illuminatur nostra Ecclesia vigintiquatuor luminibus, & per singula cantica, in quibus nos oportet exultare, decidimus mœstitia, quia verus sol noster occubuit, & sic quasi per singulas horas defectus solis augetur, vsque ad plenam extinctionem. Hoc enim fit ter, quia triduo recolitur sepultura Domini. In die enim renouatur iste ignis. Non enim aliter potest recuperari ad vtilitatẽ nostræ Ecclesiæ nisì extrinsecùs accipiat fomentum. De qua re dicit Gregorius in Moralibus, Ignis namque corporeus, vt esse ignis valeat, corporeis indiget fomentis. Qui, cum necesse est vt seruetur, per congesta ligna proculdubio nutritur, nec valet nisì succensus esse, & nisì refotus, subsistere. † Propter nostram infirmitatem reaccenditur, quia sinè lumine non possumus nostra officia peragere in Ecclesia. Alioquin conueniret potiùs, vt post primam extinctionem extinctus

esset

Universidad de Deusto
Biblioteca

esset vsque ad gloriam resurrectionis & renouationis noui testamenti.

De tribus Psalmis, qui cantantur in nocturnali officio per septem dies Baptismales. Cap. 23.

TRes psalmi, qui cantãtur in Dominica nocte resurrectionis Domini, opera triũ dierum monstrant, quæ Dominus secundùm Lucam promisit se perficere in præsenti seculo. Dicit Lucas: In ipso autem die accesserunt quidam pharisæorum, dicentes illi: Exi, & vade hinc, quia Herodes vult te occidere. Et ait illis: Ite, dicite vulpi illi, ecce dæmonia eiicio, & sanitates perficio hodiè & cras, & tertia die consummor: Veruntamen oportet me hodiè & cras & sequenti die ambulare, quia non capit prophetam perire extra Hierusalem. Hæc tria opera, id est, dæmonia eiicere, & sanitates perficere, & tertia die consummari, promisit se acturum, & statim subiicit de sua passione, quæ futura erat in Hierusalem. De dæmonibus eiiciendis dicit secundùm Ioannem: Nunc iudicium mundi est. Quod sic exponit sanctus Augustinus in sermone quadragesimonono super eundem Ioannem: Seruato illo in fine iudicio: vbi nouissimè viui & mortui iudicandi sunt. Possidebat ergò diabolus genus humanũ, & reos suppliciorum tenebat chirographo peccatorum, Dominabatur in cordibus infideliũ, ad creaturam colendam deserto creatore deceptos captiuosque pertrahebat. Per Christi autem fidem, quæ morte eius & resurrectione firmata est, per sanguinem eius, qui in remissionem peccatorum fusus est, millia credentium à dominatu diaboli liberantur, Christi corpori copulantur, & sub vno capite vno eius spiritu fidelia membra vegetantur: hoc vocabat iudicium, discretionem hanc, à suis redemptis diaboli expulsionem. De eadem expulsione dicit idem Ioannes Euangelista in sequentibus: Nunc princeps mundi huius eiicietur foràs. Ipsa est prima dies, de qua Dominus dicit secundùm Lucam, Eccè dæmonia eiicio hodiè. Ipsam diem monstrat prima antiphona, quæ dicit, Ego sum qui sum, & consilium meum non est cum impiis. Hoc est iudicium, id est, discretio de qua dicit Ioannes, vt separati sint fideles, cum quibus est consilium Domini, ab impiis. Eandem monstrat primus Psalmus, Beatus vir, qui describit primò, quid beatitudo debeat fugere, & quid appetere: ac postea expulsionẽ impiorum nihilominùs describit, dicendo, Non sic impij, non sic, sed tamquam puluis, quem proiicit ventus à facie terræ, & cætera quæ sequuntur. Secunda antiphona monstrat, quòd in crastino dixit Dominus se perficere secundùm Lucam hoc est, sanitates. Quæ sint istæ sanitates, Ioannes continuatim posti quam dixit, Eccè princeps mundi eiicietur foràs, subiunxit, dicens: Et ego si exaltatus fuero à terra, omnia traham post me. Quod ità Augustinus in sermone memorato: Nõ itaque hoc ad diuersitatem hominum retulit, sed ad creaturæ integritatem, aut certè omnia hominum genera, siue in linguis omnibus, siue in ætatibus omnibus, siue in gradibus bonorum omnibus. Et post paululùm: Vt sit caput eorum, & illi membra eius. De qua re dicit antiphona secunda, Postulaui patrem meum, dedit mihi gentes in hæreditatem. Quæ traxit post se, sunt gentes, quas pater dedit filio in hæreditatem. Tertia antiphona tangit consummationem, quam Dominus se promisit perfecturum in tertia die. Tertia dies est, quando eos de quibus diabolum eiecit, & sanitati restituit, per coniunctionem corporis sui perduxit ad societatem sanctorum Angelorum. Antiphona dicit, Ego dormiui, & somnum cepi, & resurrexi. Resurrexit Christus, sed non solus. Hoc testificati sunt illi, qui in die resurrectionis eius per resurrectionem apparuerunt multis in sancta ciuitate. Caput surrexit: necesse est vt membra sequantur. Propterea non dixit Paulus, Qui prædestinatus est filius Dei in virtute secundum spiritum sanctificationis ex resurrectione mortui IESV Christi Domini nostri: sed dixit, Ex resurrectione mortuorum. Institutor officij congruentius non potuit singula opera trium dierum monstrare, quàm per tres psalmos, & tres antiphonas. In resurrectione Domini omnia hæc impleta sunt: Diabolus eiectus est à fidelibus, ipsi coniuncti sunt capiti, caput surrexit: humana natura in sua resurrectione coniuncta est naturę Angelorũ, quamuis nimis exaltata sit super omnes angelos. Angeli vbiquè esse possunt citato transitu, & in cælo & in terra: & illa humana natura à sua ipsa persona, iuxta quod ipsa eademque persona disposuit, potuit, quando voluit, esse in terra & sublimari in cælum per immortalitatis triumphum. Angelorum natura non eget cibo, nec eget potu, nec vestimento, neque vehiculo aliquo quo discurrat, neq; eguit ista, postea illa humana natura. Quapropter dixit Apostolus, Et si nouerамus Christum secundum carnem, sed nunc iam non nouimus. Per istos tres dies informantur catechumeni nostri in membris Christi. Primò quando per exorcizationem & abrenunciationem expellitur diabolus: deindè, per fidem perficitur sanitas in eis: postremò per manus impositionem Episcoporum iustificantur. Resurrectio Christi, nostra iustificatio est. Ibi resurgimus cum Christo, vbi iustificamur. Nempe per istos tres dies quasi per tres antiphonas, scilicet primam, quæ nos disiungit ab impiis, & posteà alteram, quæ coniungit capiti Christo, atque tertiam, quæ nos facit surgere per iustificationem ingressi sumus in Ecclesiã. Ex persona Neophytorum dico: Sequentes dies & noctes baptismales ostendunt, qualiter in ipsa Ecclesia secundùm Christi doctrinã viuere debeamus. Dies ostendunt

dunt resurrectionem Christi. Igitur quia vnà die resurrexit Christus, sic currũt nostra officia per illos septem dies quasi adhuc sit dies Dominica. In Sacramentario cantamus, Verè dignum & iustum est, æquum & salutare, te quidem omni tempore, sed in hac potissimùm die gloriosiùs prædicare: Cãtores quotidiè cantãt, Hæc dies quam fecit Dominus. Vnam eandemque diem per sacramenta baptismalia septem dierum celebramus, quandò electi per omne curriculum huius vitę non declinant per opera tenebrarum à capite suo, quòd ità surrexit, vt vltra non moriatur. Sicut dies recolit resurrectionem Domini, ità nos sepulturam eius. Si fecimus de septem diebus vnum diem propter iugem resurrectionem bonorum operum, debemus noctes præcedentes quasi vni diei aptare. Triduana sepultura præcessit resurrectionem Domini, & triduana sepultura præcedit iustificationem nostram. Consepulti enim sumus cum illo, Dicit Apostolus, per baptismum in mortem, vt quomodò surrexit CHRISTVS à mortuis per gloriam patris, ità & nos in nouitate vitę ambulemus. Qui enim moritur ac sepelitur, nullum peccatum potest operari. Per noctem enim designatur tempus quietis, vt Dominus in Euangelio: Veniet autem nox, quando nemo potest operari. Quamuis hìc dicatur mixtim de bonis & malis operibus, possumus tamen noctem intelligere, quando quiescit homo à prauis operibus. Hanc quietem in qua cessamus à malis, & vigilamus in bonis, recolimus per tres psalmos, qui fiunt in nocturnali officio per dies baptismales. Quãdo mergimur ter in aqua consepelimur Christo triduano sepulcro. Ille enim cantat tres psalmos in nocte, qui mente retinet consepultum se esse Christo, & idcircò mortuum esse peccato. Ille mortuus est peccato, qui non operatur peccatum, Ille enim cantat in die, Hæc est dies quam fecit Dominus, exultemus & lætemur in ea, qui perseuerat in innocentia & in bonis operibus. Et quia hæc certatìm debemus meditari, & satagere quamdiù in præsenti seculo sumus, id est, vsquedùm veniat septima dies, in qua separatur anima à corpore, cantemus in die, Hęc est dies quam fecit Dominus, & in nocte celebremus sepulturam Domini. Et si in nobis pluribus non recolimus hanc mortificationem carnis, quę designatur per tres psalmos, & iustificationem, quæ designatur per vnius coloris officium, saltem in his, qui nuper baptizati sunt, recolamus. Aliter: Qui baptizantur simplici corde, septiformem spiritum percipiunt, quem Isaias propheta decantat super Dominum nostrum IESVM CHRISTVM singulariter requiescere. Nisì crederetur percipi posse ab eis idem spiritus, qui baptizantur, non deprecaretur ab Episcopis, qui manus impositionem exercent, mitti in Neophytos. Vt eidem septiformi spiritui concinamus, per septem dies religiosiùs, & cum maiori cautela solito, nostros conuentus celebramus. Per singulos dies singulis donis satagimus concinere. Vitamus pigritiã, ne iuxta Domini vocem corripiamur, qui dixit: Cantauimus vobis, & non saltastis. Aduenit Spiritus sanctus nouus hospes, exercet canticum lætitię inenarrabilis, scilicet sapientiæ & intellectus, consilij & fortitudinis, scientiæ & pietatis, ac timoris Domini. Hospes suscipiens debet saltare huic cantico fide, spe & charitate. Propter hanc vicissitudinem per singulos dies cãtamus aliquid siue in responsorio, seu in alleluia de Psalmo Confitemini Domino, qui recolit bonitatem & misericodiam Dei in seculum: & in nocte, tres antiphonas siue alleluia cum tribus psalmis. Vnusquisq; Christianus Spiritum sanctum debet colere fide, spe & charitate. Has tres sorores habet vnumquodq; donum Spiritus sancti: & omnium septem sunt tres hę sorores, & singulorum. Quod in nostro vsu possumus experiri, si septem fratres habuerint tres sorores, & omnium sunt, & singulorum. Vt recolamus vnum spiritum, qui hæc omnia operatur, vnum diem ducimus in religione per septem dies: & vt recolamus septem dona eius, dies multiplicantur per septenarium numerũ: &, vt recolamus nostram fidem, spem & charitatem, quæ vsque in finem mundi nobiscum manere debent secundùm Apostolum, qui dicit: Nunc autem manet fides, spes, charitas, vsque in septimum diem tres psalmos in nocte cantamus. Baptismalia sacramenta vsque ad completionem dierum septem tendunt, quia septiformi spiritu ditantur nuper baptizati: siue, quia vniuersitas temporis, quæ fine septem dierum voluitur, significatur per septem dies, in qua necesse est satagere, vt nullus Christianus à fide, & spe, ac charitate alienus sit, quamuis cætera omnia bona opera non possit capere: seu, quia vnaquæque anima electa recedens à corpore, ilico inuenit sabbatum, & habet suum opus completum, quia Deus die septimo compleuit opus suum. Deinceps in sequenti tempore quasi crescentium arborũ frondes multiplicantur, & recoluntur mores boni diuersorum operum per plures psalmos. Agimus DEO gratias, qui dedit in corde seruorum suorum, vt eo ordine statuerent officia nostra, quo possit populus Dei ex eo ꝑdicari propemodùm, sicut ex lectione. Habemus scriptum in Romano ordine, vt non dicatur Kyrie eleison, siue Christe eleison ad vllum cursum in memoratis diebus, sed sine retractatione cantemus, Hæc dies quam fecit Dominus: exultemus & lætemur in ea. Collectam solam solet sacerdos dicere in fine officij. Si esset iam in re quod agimus, non ea diceretur: Quoniam est in spe oratio sacerdotis, subsequitur, vt firmetur quod tenetur: & quod nondùm tenetur, accipiatur. De qua re dicit Augustinus in tractatu psalmi cẽtesimi quadragesimioctaui: Laus nostra lætitiam habet, oratio gemitum.

Pro-

Universidad de Deusto
Biblioteca

Promissum est nobis aliquid quod nondùm habemus; & quia verax est qui promittit, in spe gaudemus: quia tamen nondùm habemus, in desiderio gemimus. Bonum est perseuerare in desiderio, donec veniat quod promissum est, & transeat gemitus, succedat sola laudatio. Quicquid orationis fit ab his, qui veraciter Pascha celebrant, siue in collecta, seu in cubiculo cordis, propterea fit, vt quòd promissum est, & nondùm tenetur, aduenial vice desiderij, quod sanctus Augustinus memorat, celebratur oratio sacerdotis. Idem in sequentibus ostendit, quam lætitiam recolat sancta Ecclesia in diebus omnibus Pentecostes. Propter hæc, inquit, duo tempora vnum, quod nunc est in tribulationibus & tentationibus huius vitæ, alterum quod tunc erit in securitate & exultatione perpetua, instituta est nobis etiam celebratio duorum temporum ante pascha & post pascha. Illud, quod est ante pascha significat tribulationem, in qua modò sumus: Quod verò nunc agimus post pascha, significat beatitudinem in qua posteà erimus. Ante Pascha ergò quod celebramus, hoc & agimus: Post Pascha autem quod celebramus, significamus quod nondùm tenemus. Propterea illud tempus in ieiuniis & orationibus exercemus: Hoc vero tempus, relaxatis ieiuniis, in laudibus agimus. Hoc est enim Alleluia, quod cantamus, quod Latinè interpretatur, vt nostis, Laudate Dominum. Ideò illud tempus ante resurrectionem, Hoc tempus post resurrectionem Domini est, quo tempore significatur vita futura, quam nondùm tenemus. Quia quod significamus post resurrectionem Domini, tenebimus post resurrectionem nostram. In capite enim nostro vtrumque nobis figuratum est, vtrumque demonstratum est. Passio Domini ostendit nobis vitam præsentis necessitatis, quia oportet & laborare & tribulari, & ad extremum mori: Resurrectio verò & clarificatio Domini ostendit nobis vitam, quam accepturi sumus cùm venerit retribuere digna dignis, mala malis, bona bonis. Et quidem modò mali omnes nobiscum cantare possunt Alleluia. Si autem in malitia sua perseuerauerint, canticum vitæ nostræ futuræ labiis poterunt dicere: ipsam verò vitam quæ tunc erit in ea veritate, quæ nunc significatur, obtinere non possunt: quia noluerunt meditari antequam veniret, tenere quod venturum erat. Nunc ergò fratres exhortamur vos vt laudetis Dominum, & hoc est, quod omnes dicimus, quandò dicimus Alleluia, Laudate Deum.

Repetitio de Litania maiore Cap. 24.

QVando scripsi de litania maiore in superioribus, id est in primo libello huiusce operis, nondùm legeram illam statutam esse à sancto Gregorio. Dixi illam statutam esse ob duas causas, scilicet, propter imminentia bella, quæ eo tempore excitari possunt, & propter fruges conseruandas: At postquam legi statutum sancti Gregorij, curaui illud hìc interponere eodem modo, vt legitur in volumine Epistolarum eius. Post quod similiter curaui Epistolam quandam ad Phocam Imperatorem subnectere, in qua demonstratur, à Longobardorum gente eo tempore debacchari terminos Romanorum.

Sequuntur dicta ex Epistolis Gregorij. Cap. 25.

IN nomine Dei Saluatoris nostri IESV Christi per indictionem sextam, die vicesima tertia mensis Nouembris, temporibus Domini & beatissimi papæ Gregorij, coronatus est Phocas & Leontia Augusta in septimo, in palatio quod dicitur Secundianas. Et occisus est Mauritius Imperator cũ omnibus filiis suis masculis, id est, Theodosio iam coronato, Tiberio, Petro, Paulo, & Iustiniano, simul & Petro fratre suprascripti Mauritij Augusti, sed & aliqui procerum qui ei cohærebant, id est, Constantinus patricius, & curator de Placidias, sed & Gregorius notarius principis. Venit autem Icona suprascriptorum Phocæ & Leontiæ Augustæ Romæ septimo Kalendarum Maiarum, & acclamatum est eis in Lateranis in basilica Iuliana ab omni clero vel senatu, Exaudi Christe, Phocæ Augusto & Leontiæ Augustæ vita. Tunc iussit ipsam Iconam Dominus beatissimus & Apostolicus Gregorius Papa reponi in oratorio sancti Cesarij intra Palatium. Oportet fratres charissimi, vt flagella Dei, quæ metuere ventura debuimus, saltem presentia & experta timeamus. Conuersionis nobis aditum dolor aperiat, & nostri cordis duritiam ipsa iam, quam patimur, pœna dissoluat. Vt enim, Propheta teste prædictum est, peruenit gladius vsque ad animam. Ecce etenim cuncta plebs cælestis iræ mucrone percutitur, & repentina singuli cęde vastantur, nec languor mortem præuenit, sed lãguoris moras, vt cernitis, mors præcurrit. Percussus quisq; antè rapitur, quàm ad lamenta pœnitentiæ conuertatur. Pensate ergò qualis ante conspectum districti iudicis peruenit, cui non vacat flere quod fecit. Habitatores quique non ex parte subtrahuntur, sed pariter corruunt: Domus vacuæ relinquntur, filiorum funera parentes adspiciunt, & sui eos ad interitum hæredes præcedunt. Vnusquisque ergò nostrum ad pœnitentię lamenta confugiat. dum flere ante percussionem vacat. Reuocęmus ante oculos mentis quicquid errando commisimus, & quod nequiter egimus, flendo puniamus. Pręueniamus faciem eius in confessione, & sicut Propheta admonet, leuemus corda nostra cum manibus ad Deum. Ad Deum quippe corda cum manibus leuare, est orationis nostræ studium cum merito bonæ operationis erigere. Dat profectò, dat tremori nostro

nostro fiduciam, qui per prophetam clamat, Nolo mortem peccatoris, sed conuertatur & viuat. Nullus autem de iniquitatum suarum immanitate desperet. Veternosas namque Niniuitarum culpas triduana pœnitentia adspersit, & conuersus latro, vitæ præmia etiam in ipsa sententia suæ mortis emeruit. Mutemus igitur corda, & præsumamus nos iam percepisse quod petimus. Citiùs ad precem iudex flectitur, si à prauitate sua petitor corrigatur. Imminente ergò tantæ animaduersionis gladio, nos importunis fletibus insistamus. Ea namque, quę ingrata esse hominibus importunitas solet, iudicio veritatis placet. Quia pius ac misericors Deus vult à se precibus veniã exigi, qui quantùm metuitur, non vult irasci. Hinc etenim per psalmistã dicit: Inuoca me in die tribulationis tuæ, & eruam te, & magnificabis me. Ipse ergò sibi testis est, quia inuocantibus misereri desiderat, qui admonet vt inuocetur. Proindè fratres charissimi, cõtrito corde & correctis operibus crastina die primo diluculo ad septiformem litaniam iuxta distributionem inferiùs designatã, deuota cũ lachrymis mente ueniamus. Nullus vestrũ ad terrena opera in agro exeat, nullus quodlibet negociũ agere præsumat, quatenùs ad sanctæ genitricis Domini Ecclesiam conuenientes, qui simul omnes peccauimus: simul omnes mala quæ facimus, deploremus, vt districtus iudex dum culpas nostras nos punire considerat, ipse à sententia propositæ damnationis parcat. Sequitur Litania clericorũ exeat ab ecclesia B. Ioannis baptistæ. Litania virorum, ab Ecclesia sancti martyris Marcelli. Litania monachorũ, ab Ecclesia martyrum Ioannis & Pauli. Litania ancillarum Dei, ab ecclesia beatorũ martyrũ Cosmę & Damiani. Litania fœminarũ coniugatarum, ab ecclesia beati Petri & Martyris Stephani. Litania viduarũ, ab ecclesia beati martyris Vitalis. Litania pauperũ & infantũ, ab ecclesia beatæ martyris Cæciliæ. In sequẽti epistola monstrabitur, quòd importunitate bellorum potest proculdubiò videri litania instituta esse. Et ex qualitate temporis colligimus eam necessariam esse ad fruges conseruandas.

Gregorius Phocæ Augusto.

COnsiderare cum gaudijs & magnis actionibus gratiarum libet, quantas omnipotenti Domino laudes debemus, quòd remoto iugo tristitiæ ad libertatis tempora sub imperiali benignitatis vestræ pietate peruenimus. Nam qđ permanere in palatio, iuxta antiquam consuetudinem Apostolicæ sedis, diaconem vestra serenitas non inuenit, non hoc meæ negligentię, sed grauissimæ necessitatis fuit. Quia dum ministri omnes huius vestræ ecclesiæ tam contrita asperaque tempora cum formidine declinarent, atque refugerent, nulli eorum poterat imponi, vt ad vrbem regiam in palatio permãsurus accederet: At postquàm vestram clemẽtiam, omnipotentis Dei gratia disponente, ad culmẽ imperij peruenisse cognouerũt, ipsi quoquè succedente lætitia ad vestra vestigia venire festinabant: quia illuc priùs accedere valdè timuerant. Sed quia eorum quidam ità senectute sunt debiles, vt laborem ferre vix possint, quidã verò ecclesiasticis curis vehementer implicantur: & lator præsentium, qui primus omnium defensorum fuit: benè mihi ex longa assiduitate compertus est vita, fide, ac moribus approbatus, hunc aptum pietatis vestræ vestigijs esse iudicaui. Vndè eum, auctore Domino, diaconem feci, & sub celeritate stans mittere studui, qui cuncta quę in ijs partibus aguntur, inuẽto opportuno tẽpore, valeat clementiæ vestræ suggerere. Cui rogo vt serenitas vestra pias aures inclinare dignetur: vt tanto nobis celeriùs valeat misereri, quanto adflictionem nostram veriùs eius relatione cognouerit. Qualiter .n. quotidianis gladijs & quantis Longobardorũ incursionibus, eccè iam per triginta & quinque annorum longitudinem premimur, nullis explere suggestionum vocibus valemus, sed in omnipotenti Deo confidimus, quia ea quæ cœpit, consolationis suæ nobis bona perficiet, & qui suscitauit in re publica pios dominos, extinguet crudeles tyrannos. Sancta itaq; Trinitas vitam vestram per tempora longa custodiat, vt de bono vestræ pietatis, quod tardè suscepimus, diutiùs gaudeamus.

Repetitio de Alleluia quod cantatur in Missa, & de vestimento subdiaconorum, & Kyrie eleison ac Daminica oratione, ex epistola sancti Gregorij. Cap. 26.

QVandò scripsit nostra paruitas de officio Missæ, simili modo me latebant, quæ sequuntur vt ea quæ superiùs dixi de Litania maiore. Nondùm legeram quod posteà inueni in epistola sancti Gregorij, quo tẽpore Alleluia in Missa primo cantatum esset in Ecclesia Romana, & cætera quæ manifestabuntur verbis ipsius epistolæ ad Ioannem Syracusanum. Quibus inuentis non potui præterire, nisì ea hìc introducerem, quamuis non in competenti loco, quia magis competebat ea scribi in officio Missę, quàm in officio nocturnali. sequitur textus epistolæ.

Gregorius Ioanni Episcopo Syracusano.

VEniens quidã de Sicilia, dixit mihi quòd aliqui amici eius, vel Græci vel Latini nescio, quasi sub zelo sanctæ Romanæ Ecclesiæ de meis dispositionibus murmurarent, dicentes: Quomodò Ecclesiam Constantinopolitanam disponit comprimere, qui eius consuetudines per omnia sequitur? Cùm dicerent, quas consuetudines sequitur, responsum est, qa Alleluia dici ad Missas extra Pentecostes tẽpus fecistis,

Universidad de Deusto
Biblioteca

quia ſubdiaconos ſpoliatos procedere, quia
Kyrie eleſon dici, quia orationem Dominicã
mox poſt canonem dici ſtatuiſtis. Cui ego reſ-
pondi: Quia in nullo eorum aliam Eccleſiã ſe-
cuti ſumus. Nam vt Alleluia hìc diceretur, de
Hieroſolymorũ Eccleſia ex beati Hieronymi
traditione tẽpore beatæ memoriæ Damaſi Pa-
pæ traditur tractum. Et paulò pòſt, Subdiaco-
nos autẽ vt ſpoliatos ꝓcedere facerẽ, antiqua
conſuetudo Eccleſiæ fuit. ſed quid placuit cui-
dã noſtro pontifici, neſcio qui eos veſtitos pro-
cedere præcepit. Nã noſtræ Eccleſiæ nunquìd
traditionẽ à Græcis acceperũt? vndè habent ergò hodiè, vt ſubdiaconi in eis in tunicis procedãt, niſì quia hoc à matre ſua Romana Eccleſia perceperunt? Kyrie eleſon autem, nos neq; diximus, neq; dicimus, ſicut à Græcis dicitur: Quia in Græcis ſimul omnes dicunt, apud nos autem à clericis dicitur, à populo reſpondetur, & totidem vocibus etiam Chriſte eleſon dicitur, quod apud Græcos nullo modo dicitur. In quotidianis autem Miſſis alia quæ dici ſolent, tacemus. Tantummodò Kyrie eleſon & Chriſte eleſon dicimus, vt in his deprecantibus vocibus paulò diutiùs occupemur. Orationem verò Dominicam idcirco mox poſt precem dicimus, quia mos Apoſtolorum fuit, vt ad ipſam ſolummodò orationem oblationis hoſtiam cõſecrarent. Et valdè mihi inconueniens viſum eſt, vt precem, quam ſcholaſticus compoſuerat, ſuper oblationem diceremus, & ipſam traditionẽ, quam redemptor noſter compoſuit, ſuper eius corpus & ſanguinẽ non diceremus. Sed & Dominica oratio apud Græcos ab omni populo dicitur, apud nos verò à ſolo ſacerdote: In quo ergò Græcorũ conſuetudines ſecuti ſumus? Quia aut veteres noſtras reparauimus, aut nouas & vtiles cõſtituimus, in quibus tamẽ alios non probamur imitari. Ergò veſtra charitas cùm occaſio dederit, vt ad Catanenſium ciuitatem pergat, vel in Syracuſana Eccleſia eos, quos credit aut intelligit, quia de hac re murmurare potuerunt, facta collocutione doceat, & quaſi alia ex occaſione eos inſtruere non deſiſtat. Nam de Conſtantinopolitana Eccleſia quod dicunt, quis eam dubitet ſedi Apoſtolicæ eſſe ſubiectã? Quod & piiſſimus Dominus Imperator, & frater noſter eiuſdẽ ciuitatis Epiſcopus aſſiduè profitentur. Tamen ſi quid boni vel ipſa, vel altera Eccleſia habet, ego & minores meos, quos ab illicitis ꝓhibeo, in bono imitari paratus ſum. Stultus eſt enim, qui in eo ſe primum exiſtimat, vt bona quæ viderit, diſcere contemnat. Ex præſenti Epiſtola docemur, quicquid boni ab alijs Eccleſijs diſcere poſſumus, non ea cõtemnamus. Simulq; & docemur quòd aliquo tempore cantabatur Miſſa in Romana Eccleſia abſq; Alleluia. Si eo tempore cãtabantur tractus per omnes Dominicos dies, & poſt Alleluia aſſumptum in ſolis Dominicis diebus de Septuageſima reſeruarentur, neſcio. Vnum habeo notũ, ex eo quòd Alleluia diuulgatum ſit, cantatum eſſe apud S. Auguſtinum, & apud Romanam Eccleſiã atq; Conſtantinopolitanam priſcis temporibus, per dies Pentecoſtes debere Alleluia decantari, ad recordandum de lætitia reſurrectionis ſanctorũ. Reſtat adhuc quod pulſat intẽtionem ad requirendũ, hoc eſt, vt ſicut per Dominicos dies & feſtos cantatur Alleluia ad Miſſam, ità debeat cãtari per communes dies, an non. Niſì fortè imbui poſſimus ex præſenti ſcriptura ſancti Gregorij ex eo. Nam ex eo, vbì ſanctus Gregorius dicit, alia quæ dici ſolent in quotidianis Miſſis, tacemus, tantummodò Kyrie eleſon, & Chriſte eleſon dicimus, poſſumus intelligere, quòd non Alleluia cantabatur apud illum per quotidianos dies in officio Miſſæ.

De completione dierum Pentecoſtes.

Cap. 27.

PRæcepit Dominus diſcipulis ſuis quandò aſcendit in cælum, nè ab Hieroſolymis diſcederent, ſed expectarent promiſſionẽ patris, quam audierunt per os eius: Quia Ioannes quidem baptizauit aqua, vos autẽ baptizabimini Spiritu ſancto, non poſt multos hos dies: id eſt, poſt decem dies. Meritò expectant decem dies, quia futurum erat, vt myſterium denarij numeri, poſt decem dies perfectiùs, Spiritu ſancto veniente, perceperint. Ità Lucas narrat: Vos autem ſedete hìc in ciuitate quoaduſquè induamini virtute ex alto. Eduxit autem eos foràs vſq; in Bethaniam, & eleuatis manibus ſuis, benedixit eis. Et factum eſt, dum benediceret illis, receſſit ab eis, & ferebatur in cælum, & ipſi adorantes eũ, regreſſi ſunt in Hieruſalẽ cũ gaudio magno, & erant ſemper in templo laudantes Deum, & benedicentes Dominum. In ciuitate ſedere eſt, aliqua tacita mente & quieta cogitare de promiſſis Domini, & à ſtatu perpetuæ pacis non recedere: Firmare ſenſus corporis, nè mors per eos introeat: Et cogitare quòd ſe ipſum debeat totum integrum reddere Deo. Hoc eſt, habere integra quatuor elementa in ſe, qualia illi Deus ea præſtitit, totũ ſe verſum eſſe in dilectionem Dei, ex toto corde & ex tota anima, & ex tota mente, & ſcire imaginem ſanctæ Trinitatis ſignatam in ſe. Si quis iſtum denariũ deſiderat in ſe habere, & cognoſcit ſe minùs aliquid habere ab eo, debet adorare Dominum, & precari, vt ſibi concedat illum. Et ſi ſenſerit per charitatem, quę foràs mittit timorem, poſſe eum impetrare, maneat in templo, laudans & benedicens Deum. Hoc eſt, expectare per decem dies promiſſum patris, deſiderare iugiter integritatem ſuæ creationis, & creatoris ſui cognitionem. Hunc denarium perceperunt Apoſtoli ampliùs & perfectiùs, quàm priùs haberent in die Pentecoſtes. Eodem præcepto admonitus eſt ſanctus Auguſtinus à Spiritu ſancto antequàm tranſiret de corpore, qui poſtulauit vt ſpatium ei daretur per decẽ dies meditandi ſe & ſua. Ità ſcriptũ eſt in eius vita:

Nam

Nam ſibi iuſſerat pſalmos Dauidicos, qui ſunt
pauciſſimi, de pœnitentia ſcribi, ipſos quaterniones iacens in lecto contra parietem poſitos, diebus ſuæ infirmitatis intuebatur & legebat, & vbertim ac iugiter flebat. Et nè intentio eius à quoquam impediretur, ante dies fermè decẽ quàm exiret de corpore, à nobis poſtulauit præſentibus, nè quis ad eum ingrederetur, niſi his tantùm horis, quibus medici ad inſpiciendum intrabant, vel cùm ei refectio inferretur. Vſque huc de vita ſancti Auguſtini. †Aliter: Scribit idem ſanctus Auguſtinus in ſermone ſeptimodecimo ſuper Ioannem: Ieiunium autẽ magnum & generale eſt, abſtinere ab iniquitatibus & illicitis voluptatibus ſeculi, quod eſt perfectum ieiunium, vt abnegantes impietates, & ſeculares cupiditates, temperanter & iuſtè viuamus in hoc ſeculo. Huic ieiunio quam mercedem addit Apoſtolus, ſequitur & dicit: Expectantes illam beatam ſpem & manifeſtationem gloriæ beati Dei & Saluatoris noſtri Ieſu Chriſti. In hoc ergò ſeculo quaſi quadrageſimam abſtinẽtiæ celebramus, cùm benè viuimus, cùm ab iniquitatibus & illicitis voluptatibus abſtinemus. Sed quia hæc abſtinentia ſinẽ mercede non erit, expectamus beatam illam ſpem, & reuelationem gloriæ magni Dei & Saluatoris noſtri Ieſu Chriſti. In illa ſpe cũ fuerit de ſpefacta res, accepturi ſumus mercedem denarium. Et paulò pòſt: Denarius ergò qui accepit nomen à numero decem, redditur: & coniunctus quadragenario, fit quinquagenarius. Vndè cum labore celebramus Quadrageſimã ante Paſcha, cum lætitia verò tamquàm acceptã mercedẽ, quinquageſimã poſt Paſcha. Nã huic tãquàm ſalutari labori boni operis, qui pertinet ad quadragenarium numerum, additur quietis & felicitatis denarius, vt quinquagenarius fiat: ſignificauit hoc ipſe Dominus Ieſus multo apertiùs, quandò poſt reſurrectionẽ quadraginta diebus conuerſatus eſt in terra cum diſcipulis ſuis: quadrageſima autẽ die cum aſcendiſſet in cælum, peractis decem diebus, miſit mercedẽ Spiritus ſancti †. Nã in decima die poſt Aſcẽſionem Dñi, hoc eſt, in vigilijs Pentecoſtes, celebrat ſancta Eccleſia baptiſterium, & Litaniã exercet ante ſolennia Miſſarum. Orat. n. ſiue vt ipſa mereatur frui aduẽtu Spiritus ſancti, ſicut Apoſtoli fructi ſunt, qui baptizati ſunt ab eo in Pentecoſte, ſeu vt neophyti perſeuerent in vnitate Eccleſię. Cãtat poſteà memorata Eccleſia, Gloria in excelſis Deo, more Apoſtolorũ, qui priuſquàm acciperẽt Spiritũ ſanctum, in rẽplo erãt, ſemper laudantes Deum & benedicẽtes Dñm. Quamuis dimiſſo Eccleſiæ officio, nõ proponerem aliquid dicere in iſtis literis, tamẽ qa occurrit in hac feſtiuitate de Baptiſmo ſcribere, deſideraui voluntarium me demonſtrare de his quę circa baptiſteria aguntur, ſcire aliquid. Nunc tranſeo ad tres pſalmos, qui cantãtur in nocte Pentecoſtes. Vt mihi videtur, hoc differt inter iſtos tres pſalmos, q in Pentecoſte cantantur, & inter tres qui in Paſcha Domini, quod eſt inter baptiſmũ, quem acceperũt Apoſtoli per aquam, & baptiſmum, quem acceperunt per Spiritum ſanctum in die Pentecoſtes, de quo eis dixit Dominus, Vos autem baptizabimini Spiritu ſancto. Iam baptizati erãt aqua, iam acceperant Spiritum ſanctũ: tamen dicitur eis poſteà, Vos autẽ baptizabimini Spiritu ſancto. De baptiſmo aquę dicit Auguſtinus in Epiſtola ad Seleucianum. Tunc ergò quandò Hieroſolymis exijt cum diſcipulis ſuis in Iudæam, & illic morabatur cum eis, baptizabat non per ſe ipſum, ſed per diſcipulos ſuos. Quos intelligimus iam fuiſſe baptizatos ſiue baptiſmo Ioãnis, ſicut nonnulli arbitrantur, ſiue, quod magis credibile eſt, baptiſmo Chriſti. Neq; enim miniſterium baptizandi defugeret, vt haberet baptizatos ſeruos, per quos cęteros baptizaret, qui nõ defugit memorabilis illius humilitatis miniſterium, quandò eis lauit pedes. Quòd ante diẽ Pentecoſtes acceperint Spiritũ ſanctum, Ioannes manifeſtat, dicens: Cùm ergò eſſet ſerò die illa vna ſabbatorũ, & fores eſſent clauſæ. & poſt pauca, Hoc cùm dixiſſet, inſuffla uit, & dicit eis, Accipite Spiritum ſanctũ: Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis, & reliqua. Iam acceperunt Spiritũ ſanctũ in remiſſionẽ peccatorũ: ſed adhuc reſtabat donum, qđ nondùm acceperant, ſed accepturi erant in die Pentecoſtes, id eſt, vt prædicationem ſuam firmarent ſignis miraculorum, & vt non timerent rabiem perſequentium, neque irretiri poſſent vinculo terreni deſiderij, neque labefactari errore aliquo. Credimus Petrũ iam baptizatum fuiſſe, quando negauit ad vocem ancillæ. Simili modo & Thomam, qui dubitauit de Domini reſurrectione. Sicut tunc duo baptiſteria legũtur in Apoſtolis, vnum per aquam, & alterum per baptiſmũ Spiritus ſancti: ità ſunt hodiè in noſtra Eccleſia duo genera electorum, qui baptizati ſunt. Vnum genus eſt in actiua vita, alterũ in contẽplatiua. Quæ duo genera Martha & Maria ſoror eius ſignificabant. Optima pars Mariæ deputata eſt à Dño, ſed Marthæ non eſt reprehenſa, quia bona eſt. Hęc diſtinctio poteſt inueniri in antiphonis, quæ dicuntur in Paſcha Domini, & in Pentecoſte. In Paſcha Dñi dicit prima antiphona, Conſiliũ meum non eſt cum impijs: prima de Pentecoſte dicit, Factus eſt repentè de cælo ſonus tãquàm aduenientis Spiritus vehementis. ſpiritus vehemens puluerẽ terræ ſolet diſpergere. Diſtat multum inter donũ Dei, quod ſeparat fideles ab impijs, & illud donum, quod terrenas cogitationes expurgat de pectore. Ibì dicit ſecunda antiphona, Poſtulaui patrem meum: hìc dicit: Confirma hoc Deus quod operatus es in nobis, à templo ſancto tuo quod eſt in Hieruſalẽ, Alleluia Alleluia. Simili modo diſtat inter eos qui in hæreditate Dñi deputantur, qa fideles ſunt, & tamen in actuali vita, & inter eos qui omnia terrena reſpuerunt, & precãtur Deũ, vt ad hæc non reuertantur, ſed

Universidad de Deusto
Biblioteca

confirmet donum suum in eis, vt possint Deo A
semper à templo quod est in Hierusalem, Alleluia cãtare. Ibì dicit tertia antiphona, Ego dormiui & somnum cepi, & resurrexi: hìc dicit tertia, Emitte spiritum tuum, & creabuntur, & renouabis faciem terræ. Christus enim resurrexit à morte, & nos quotidiè possumus resurgere à vitijs, & potest nobis veraciter dici, Nolite contristare spiritum Dei. Hæc antiphona, quæ dicit, Emitte spiritum tuum, & creabuntur, spiritum Dei precatur obnixè aduenire, vt neq; in cogitationibus, neq; in verbis regnet spiritus superbiæ, sed spiritus Dei vtrinq; deducat per suã B
creationẽ, vt scriptum est in Euangelio, Cũ vos ceperint, & adduxerint, nolite cogitare quomodò aut quid loquamini: non enim vos estis qui loquimini, sed spiritus patris vestri qui loquitur in vobis. Precatur renouari faciem terræ, vt nouus homo sit confitens se iustificatum non à se, sed gratia Dei. Sicut in Pascha Domini tres psalmi recolunt opera Christi triũ dierum, sic & in aduentu Spiritus sancti eadẽ opera. Vt demonstretur vnũ opus esse in potentia miraculorũ totius S. Trinitatis, vnus ordo psalmorũ continetur & in resurrectione Domini, C
& in aduentu Spiritus sancti. Sed in aliquibus minus operatur Christus, & in aliquibus plus. Stella .n. à stella differt in claritate. Quod in Pascha diximus de sequentibus baptismalibus noctibus, hoc & hìc dicimus, vt tres psalmi recolant sepulturã Dñi triduanã in his præcipuè, qui nuper cõsepulti sunt Dño. Hoc agitur per septẽ dies propter sacramentũ præsentis vitæ, & propter septimã diẽ, quam animæ sanctorum recipiunt exutæ à corporibus, vel septiformẽ Spiritum sanctum, qui per vnumquenq; diẽ diuerso cibo alit suos. Possunt & tres psalmi re- D
colere tres virtutes, id est, fidẽ, spem, & charitatem, sine quibus nemo potest placere Deo. Adnectimus etiã conuiuiũ, quod vnumquodq; donum quasi vnusquisq; frater parat suis conuiuis per dies septẽ, & tres virtutes, quasi tres sorores conuiuantes, ex libro sancti Gregorij primo de Moralibus: Vt enim, inquit, hæc ipsa dona breuiter septiformis spiritus replicẽ, alium diẽ habet sapientia, alium intellectus, aliũ consiliũ, alium fortitudo, alium scientia, alium pietas, alium timor. Neq; enim hoc est sapere, & E
intelligere, quia multi æterna quidẽ sapiunt, sed hæc intelligere nequaquam possunt. Sapiẽtia ergò in die suo conuiuiũ facit, quia mentẽ ab æternorum spe & certitudine reficit. Intellectus in die suo conuiuium parat, quia in eo, quòd audita penetrat, reficiendo cor, tenebras eius illustrat. Consilium in die suo conuiuium exhibet, quia dum esse præcipitem prohibet, ratione animum replet. Fortitudo in die suo conuiuium facit, quia dum aduersa nõ metuit, trepidanti menti cibos confidentiæ apponit. Scientia in die suo conuiuium parat, quia in ventre mentis, ignorantiæ iciunium superat. Pietas in die suo conuiuium exhibet, quia cordis viscera misericordiæ operibus replet. Timor in die suo conuiuium facit, quia dum premit mentem, nè de præsentibus superbiat, de futuris illam spei cibo confortat. Sed in hoc filiorum conuiuio illud perscrutandum video, & semetipsos inuicèm pascunt. Valdè enim singula quælibet destituitur, si non vna alij virtus virtuti suffragetur. Minor quippe est sapientia, si intellectu careat: & valdè inutilis intellectus est, si ex sapientia non subsistat. Quia cùm altiora sinè sapientiæ pondere penetrat, sua illũ leuitas grauiùs ruliturum leuat. Vile est cõsilium, cui robur fortitudinis deest, quia quod tractando inuenit, carens viribus vsque ad perfectionem operis non perducit: Et valdè fortitudo destruitur, nisì per consilium fulciatur: quia quo plus se posse conspicit, eo virtus sinè rationis moderamine deteriùs in præceps ruit. Nulla est scientia, si vtilitatẽ pietatis nõ habet: quia dum bona cognita exequi negligit, sese ad iudicium arctiùs stringit: Et valdè inutilis est pietas, si scientię discretione caret: quia dum nulla hanc scientia illuminat, quomodò misereatur, ignorat. Timor quoq; ipse si non has etiam virtutes habuerit, ad nullum opus procul dubiò bonæ actionis surgit: quia dum ad cũcta trepidat, ipsa sua formidine à bonis omnibus torpens vacat. Quia ergò alternato ministerio virtus à virtute reficitur, rectè dicitur, & apud se vicissìm filij conuiuantur. Cumq; vnã alia subleuandã subleuat, quasi per dies suos numerosa soboles pascenda conuiuium parat. Sequitur: Et mittebãt & vocabant tres sorores suas, vt comederent & biberent cum eis. Cùm virtutes nostræ in omni, quod agunt, spem, fidem, & charitatem sciunt, quasi operatores filij tres ad conuiuium sorores vocant, vt fides, spes & charitas gaudeant in opus bonum, quod vnaquæq; virtus administrat. Quæ quasi ex cibo vires accipiũt, dum bonis operibus fidentiores fiunt: Et dum post cibum contemplationis rore infundi appetunt, quasi ex poculo ebriantur. Non abhorret à vero, si siue propter sepulturã Domini, vt memorauimus, tres psalmi in nocte cantentur in diebus neophytorum, seu propter fidem, spẽ & charitatẽ, quæ vnusquisq; Christianus debet tenere ab ipso initio intellectus sui.

De hora baptisterij in sabbato, siue in vigilia Pentecostes. Cap. 28.

NOtandum est, quòd ea hora diei nunc celebret sancta Ecclesia baptismum, qua hora Angelus Domini venit ad Cornelium, annuncians ei, quòd orationes eius & eleemosynæ ascenderant in memoriam in conspectu Dei, & vt mitteret ad Petrum, qui eum baptizaret. Eadẽ hora venit baptista Petrus ad eundẽ Corneliũ baptizandũ. Ità .n. interrogauit Petrus Cornelium, vt in Actibus Apostolorum scriptũ est: Interrogo ergò, ob quã causam accersisti me: Et Cornelius ait, Anudiusquartana die vsq; ad hanc horã, orans erã hora nona in domo mea, & reliqua. Quem continuò imbuit Petrus sym- A
bolo fidei, vt in memoratis Actibus cõtinetur, moxq; cecidit Spiritus sanctus super omnes q audiebant verbum. Quo peracto, respondit Petrus, Nunquìd aquam quis prohibere potest, vt non baptizentur hi, qui Spiritũ sanctum acceperunt sicut & nos? Et iussit eos in nomine Iesu Christi baptizari. Igitur eo in tempore circà primitiuam Ecclesiã hora nona baptismus celebratus est, vt & ipsa, & imitatrix eius, quæ hodierna die est, retineret in mente, quòd in morte Christi, qui hora nona emisit spiritum, oportet eam baptizare. Hunc morẽ tenet nunc nos- B
tra Ecclesia in vigilia Pentecostes, quem præsignauit Cornelius, qui vt mereretur accipere baptismum, hora nona erat orans & ieiunans in domo sua.

De octauis Pentecostes. Cap. 29.

QVinquaginta dies post Pascha Domini, hoc est, totum tempus Pentecostes, figurant illam lætitiam, quæ erit in alia vita: siue, quia quadragenarius numerus partibus suis multiplicatus, quinquaginta facit, seu, quòd quadraginta habent in se perfectionẽ operum C
bonorum: cui numero si addatur denarius, qui tenet remunerationem operum, quinquaginta facit: seu quæcunq; alia ratio sit, hoc procul dubio tenetur, quòd presentes quinquaginta dies futuram quietem & securitatem atq; lætitiam significãt. Septem dies qui sequuntur, recolũt aduentum septiformis spiritus, siue nostram lætitiam, in qua congratulamur nupèr baptizatis, qui nimirùm informantur in corpore Christi. Habemus in nostris libris officialibus scriptum, Post octauas Pentecostes. Ideò de eodẽ scripto tractare debemus. Satìs manifestum D
est, pentecosten exprimere numerum quinquagesimũ: Non enim mea simplicitas nouit, quas octauas habeat pentecoste, sed quoniam hæc festiuitas, quæ (vt diximus) recolit aduentum Spiritus sancti, & remunerationẽ nuper baptizatorũ nomen obtinuit Pentecostes, ipsę octauæ quæ huic mysterio possunt congruere, retinuerant nomen, quod habet prima dies hujus festiuitatis. Quomodò aduentui Spiritus sancti octauæ conueniant, vel regenerationi noui hominis, ex verbis sancti Augustini de sermone Domini in monte, aliquam scintillam luminis carpimus. Post enumeratas sententias octo E
beatitudinũ, dicit inter cætera. Octaua tãquàm in caput redit, quia consummatũ perfectumq; ostendit & probat. Et paulò pòst: Septem sunt ergò quæ perficiunt. nam octaua clarificat, & quod perfectum est, demonstrat, vt per hos gradus perficiantur, & cæteri tãquàm à capite rursùs exordiens. Videtur ergò mihi etiã septiformis operatio Spiritus sancti, de quo Esaias loquitur, his gradibus sententijsq; congruere. Et iterùm: Hæc octaua sententia, quæ ad caput redit, perfectumq; hominem declarat, significat fortasse & circuncisionem octaua die in veteri

testamento, & Domini resurrectionẽ post sab- A
batum, qui est vtiq; octauus idem qui primus dies, & celebrationem octauarum feriarum, quas in regeneratione noui hominis celebramus. Hucusquè Augustini. Octauus dies est, qui & primus secundùm formã octo beatitudinũ. Prima beatitudo dicit, Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cælorum. Octaua, Beati qui persecutionẽ patiuntur propter iustitiam, quoniã ipsorum est regnum cælorũ. Ad regeneratos pertinent hæ sententiæ, vt qui pauperes sunt, in hac vita propter regnum cælorum vsq; ad finem vitæ perseuerantes sint, & accipiant regnum pro quo laborauerunt hìc. Baptismus Neophytorum quamuis in sabbato agitur, ad illum baptismum pertinet, quem Apostoli acceperunt in die Pentecostes, cuius octauus dies, est dies Dominica sequens, quam solemus appellare octauas Pẽtecostes. Istæ sunt feriæ, quas B. Augustinus memorat superiùs octauarum feriarum regenerati hominis. Hoc est inter nostrũ baptisma, & Apostolorũ, quòd illi primò aqua baptizati sunt, deindè acceperunt semèl per insufflationem Christi Spiritũ sanctum adhuc in terra Christo sistente, postmò de cælo in die Pentecostes. Nos verò præsente Episcopo simul baptizamur, & per impositionem manus Episcopi Spiritum sanctũ accipimus. Imitando Christi mortem & eius resurrectionẽ, debemus consummationem nostri baptismatis in die Dominica cogitare, nè præcedant membra caput. Et secundùm modum primitiuæ Ecclesiæ donationem Spiritus sancti in eadem die hora tertia. Quamuis non eisdem diebus vel horis propter aliquas occasiones fluctuantis mũdi celebretur aliquãdò baptismus D
vel impositio manus: tamen propter sacramentum quod in se continet, eisdem diebus & horis deputantur. Si enim propterea acceperunt Apostoli Spiritum sanctũ hora tertia, quia fidẽ sanctæ Trinitatis prædicaturi erant, voluamus & nos in mente eadem hora percepisse eundẽ spiritum, in quo copulatur Trinitas, quæ monstrat eandem Trinitatem. Propiùs pertinet nostrũ baptisma aliquo modo ad baptismũ Apostolorum, quàm ad baptismũ Christi. Non propter sua abluenda peccata baptizatus est Christus, sed propter formam membrorum suorũ, quia esse in futuro poterant aliqui, qui sibi placerent de sua innocentia, & cogitarent nõ sibi esse necessarium baptisma: ac idèo præcessit Christi baptismus, qui sinè peccato fuit, vt nemo deceptus per stultam securitatem, periret sinè baptismo. Non propterea aduenit Spiritus sanctus in columbæ specie super Christi baptismum, vt daret tunc ei donũ, quod nõ habebat: sed vt nobis nostro in baptismate suam præsentiam monstraret adesse, & per colũbæ simplicitatem demonstraret Christi simplicitatẽ & puritatem. Apostoli propterea baptizati sunt, vt peccata eorum delerentur in baptismo, sicut & nostra delẽtur: & ideò venit Spiritus sanctus

Universidad de Deusto
Biblioteca

per ignem ad eos, quia rubigo peccati ex eorũ fragilitate potuit eis inhærere, & hanc voluit vis Spiritus sancti in perpetuũ consumere. Vis enim ignis vnam materiam consumit, & alterã reficit & fouet: Ligna consumit, & materiã nostri corporis reficit. Ità & ignis Spiritus sancti rubiginem peccatorum consumit, & animã nostram calefacit ad amorẽ Dei & proximi. Isti duo effectus sunt duo denarij, quos Dñs dedit stabulario iuxta Lucã Euangelistam altera die, id est, secunda die, postquàm alligauit vulnera semiuiui quasi secunda die post baptismũ. Benè duo sunt, qui significãt ordinem dilectionis, quia Deum nõ potest diligere, qui non diligit proximum: neq; rectè diligit proximum, qui non eum propter Deũ diligit. Sicut in baptismate cõformamur Christi morti & sepulturæ, ità in acceptione Spiritus sancti spiritui viuificanti, qui operatur in nobis rectũ ordinẽ dilectionis. Propter mortẽ Christi, quæ memoratur hora nona esse peracta, hora nona baptizãtur, qui in Christi morte baptizãtur, propterq; mysterium consepulturæ Christi, quæ recolitur in sabbato, baptizatur Christi corpus in sabbato, vt post hanc sepulturam in die Dominica resurgat. Initiũ enim resurrectionis à Dominica die debemus celebrare. Sit illa Dominica dies initium noui hominis, qui resurrexit à mortuis: & iterùm sepultura eius, quandò anima transit in requiem sinè corpore in sabbato die, quandò vestimenta mutantur baptizatorũ: & receptio eorum corporũ celebretur in octauis Pentecostes. Vel ideò celebretur octaua Pentecostes, quia septiformis spiritus opus tunc perficitur, quandò perfectum hominem monstrat, de quo dicebat Apostolus: Si quis autẽ in verbo non offendit, hic perfectus est vir. Celebretur per septem dies opus septiformis spiritus, & in octaua die consũmatio, & declaratio, atq; glorificatio eiusdem operis. Quod si ità est, merito eandem glorificationem in nostris officijs recolit octaua dies, quæ redit ad caput, quam & prima dies. Itaque sicut celebrauimus maiestatem Spiritus sancti in Pentecoste, celebramus & in octauis eiusdem festiuitatis, quatenùs sæpissimè recolendo eius dona, dignetur eius charitas se profusiùs infundere cordibus nostris, vsquedùm, secundùm Euangelicum sensum, tria sata farinæ fermententur in vnum, & totum quod cogitamus, aut intelligimus, aut viuimus, ad eius dilectionem referatur. In commemoratione harum trium mensurarum farinæ, cantamus in eadem nocte tres psalmos in nocturnis, & vsque ad finem diei præsentis Dominici, Alleluia cantamus. Sic enim celebratur auctoritate diuinæ legis festiuitas à vespera vsque ad vesperam, id est, à solis occubitu vsque ad solis occubitum.

A Domini, inchoari præparationẽ aduentus Domini: In quinta hebdomada propter quinque ætates mundi, in quibus fuerunt tales electi, qui crediderunt, & sperauerunt, & dilexerunt aduẽtum Domini: In quarta, propter quatuor ordines librorum scilicet legis, psalmorum, prophetarum, & initium Euangelij. Quamuis liber Moysis narret electos viros extitisse in prima & secunda & tertia ætate mundi, tamen eo tẽpore scripsit illum Moyses totum, in quo deputatur legislatio. Addidimus etiam alterum sensum, posse initiari aduentũ Domini in quinta seu quarta hebdomada, sequendo auctores lectionarij & antiphonarij, ac Missalis, cuius auctorem credimus esse beatum Papã Gregorium. Quæ vtraq; tempora intimant nobis rationabilem præparationem propter quinque sensus hominis, qui insunt corpori nostro, & quatuor elementa quibus constat corpus nostrũ: Ac nunc tertiũ intellectum addimus, qui non minùs conuenit præparationi aduentus Dñi. Dicimus duos ordines esse iustorum in Ecclesia nostra, qui student se præparare ad recipiendum Dominum venturum. Vnus ordo in seculari conuersatione studet, alter in spirituali. De ordine secularium possumus intelligere, quod lectio dicit in quinta hebdomada ante natiuitatem Domini. Propter hoc eccè dies veniunt, dicit Dominus, & non dicent vltrà, Viuit Dominus qui eduxit filios Israel de terra Aegyptii sed, Viuit Dominus, qui eduxit & adduxit semen domus Israel de terra Aquilonis. † Adduxit Dñs filios Israel de terra Aquilonis, quandò de Babylonia reuersi sunt in Iudæam: Sed meliùs adducit nostros bonos seculares Dñs ad Iudæam, id est, ad veram confessionem de confusione Babyloniæ, quandò eos liberat depotestate diaboli & de corpore eius. Hoc fit per baptismum, quem habent seculares fideles & spirituales communem. Qui in animo patiuntur Aquilonis rigiditatẽ, mẽbra diaboli sunt. Quanto peior est diabolus totus cum capite in suo corpore, quàm vnum membrum eius: tanto meliùs nos liberati sumus à diaboli potestate, quàm essent filij Israel à regibus Chaldæorum. De ipsis secularibus memorat Euangeliũ, quod ĩ quinta memorata hebdomada legitur. Narrat enim quinq; millia hominũ Dñm pauisse ex quinque panibus. Quod ità Beda exponit in Euangelio super Lucam: Erant autem ferè viri quinq; milla, quia quinque sunt exteriora hominis sensus. Quinque millia viri Domini num sequuti designant eos, qui seculari adhuc habitu positi, exterioribus quæ possident, benè vti nouerunt. Qui rectè quinq; panibus alũtur, quia tales necesse est legalibus adhuc præceptis institui. † Officia cantorum & presbyterorũ, quæ celebrantur in sacramentario, & habent initiũ in quarta hebdomada ante natiuitatẽ Domini, spiritales per quatuor Euangelia ad potiorem perfectionem excitant. Vnde dicit epistola, quæ eodem die legitur, Scientes quia

De Aduentu Domini. Cap 30.

SCripsimus in superioribus libellis, in quinta hebdomada ac quarta ante natiuitatem

quia hora est iam nos de somno surgere: Nunc autem propior est nostra salus, quàm cum credidimus. De eisdem spiritalibus dicit memoratus Beda in memorato libro. Nam qui mundo ad integrum renunciant, & quatuor sunt millia, & septem panibus refecti, hoc est, euangelica refectione sublimes, & spiritali sunt gratia docti: Cuius significandæ distantiæ causa mysticè reor in introitu quidem tabernaculi quinque columnas deauratas, ante oraculum verò, id est, sancta sanctorum, quatuor fieri iussas: quia videlicet incipientes per legem castigantur, nè peccent: perfecti autem, per gratiam vt deuotius Deo viuant, admonentur. Typicè per cantum qui renouatur in quarta hebdomada ante natiuitatem Domini, gaudium mentium perfectorum intelligimus. Si per quinque hebdomadas illi intelliguntur, qui adhuc per pœnitentiã deplorant recentia peccata, meritò per quatuor hebdomadas eos intelligimus, qui gaudio spiritali proficiunt de virtute in virtutem, in qua videbitur Deus deorum in Sion. Isti duo ordines fuerunt in veteri testamento, isti sunt modò. Renouatio cantus significat gaudium electorum, qui plurimùm gaudent in aduentu dilecti Domini. Ad eos dicit versus, qui canitur in vespertinali officio: Rorate cæli desupèr, & nubes pluant iustum: aperiatur terra, & germinet saluatorem. Ipsi perfecti sunt cæli, ipsi sunt nubes, ipsi subtilia annunciant instãr roris de incarnatione Domini, quando exponunt, Verbum caro factum est, & habitauit in nobis. Ipsi pluunt grossiora, quando narrant, quomodò Ioseph desponsauit Mariam, & Christus natus est in Bethlehem & inuentus est in præsepio, & cætera talia. Aperta est terra, vterus scilicet sanctæ Mariæ virginis sinè damno virginitatis, & protulit germen totius mundi odoris, qui bonus odor redolet per vniuersum mundum. At nunc multa corda fidelium ad vocem prædicatorum calefiunt, & germinant fidem rectam in Christo: proferunt gaudium, pacem, longanimitatem, & cætera germina, quæ fœcundat Spiritus sanctus. Alter versus in matutinali officio, dicit, Vox clamantis in deserto, parate viam Domino, rectas facite semitas eius. Quod est dicere, Et bona opera satagite, & cogitationes pias. Hoc ministerium, quod prædicatores debent satagere in diebus aduentus Domini, memorati versus recolunt. Quamuis cum gaudio boni serui expectent aduentum Domini sui, tamen maximum gaudiũ recolunt in præsentia eius. Idcirco aliqua de nostro officio reseruamus vsque ad præsentiam natiuitatis Domini, hoc est Gloria in excelsis Deo, & clarum vestimentum Dalmaticarum: si fortè nunc ità agitur, vt vidi actitari in aliquibus locis. Præparationem nobis necessariam insinuat Paulus Apostolus in memorata Epistola, quæ legitur quarta hebdomada ante natiuitatem Domini. Nox, in quiens, præcessit, dies autem appropinquauit. Abiiciamus ergò opera tenebrarum, & induamur arma lucis, sicut in die honestè ambulemus, non in comessationibus & ebrietatibus, non in cubilibus & impudicitiis, non in contentione & æmulatione: sed induimini Dominum Iesum Christum. Sicut per plures & frequentiores nũcios mouetur magìs ac magìs animus subditi ad solicitudinem suscipiendi prælatum: ità renouatione cantus mouemur magis ac magìs ad curã nostræ præparationis in susceptionem Domini. Ideò octo dies ante Natiuitatem Domini renouantur fermè tota nocte responsorij & Antiphonę, vt per hoc frequentiùs nos excitemur ad purgandas omnes quisquilias turpium cogitationum ac terrenarum, & dignum habitaculum, ornatum videlicet piis cogitationibus, paremus regi regum & Domino dominantium.

De Natiuitate Domini. Cap. 31.

DEI filius, cùm esset vnigenitus filius, voluit sibi fratres adiungere. Descendit ad humanum genus, & assumpsit hominem, vt faceret sibi fratres, nullum despiciens in fraterno loco suscipere, quem cognouit obedientem in mandatis præceptorum suorum. Vt sæpè dictum est, tempus præsentis seculi tribus temporibus distinguitur, videlicet naturalis legis, & legis literæ, & noui testamenti, Præcipui viri in naturali lege extiterunt tres, Abraham, Isaac, & Iacob. Quamquàm multi forent similes illis, tamen eorum se esse Deum specialiter Deus idem sæpissimè memorat per scripturam, dicens: Ego sum Deus Abraham, & Deus Isaac, & Deus Iacob. Istis tribus tres psalmos primę periochæ nocturnalis officij deputamus: præcipuè cum hi tres primi ponantur in genealogia Christi, & per hos ad memoriam reducimus omnes electos patres, qui in naturali lege fuerunt, & per Christi aduentum sociati sunt choro sanctorum Angelorum, vt sicut Angeli sanctæ Trinitati congaudent, ità & illi congaudeant. Secunda periocha recolit eos, quos sibi Christus fratres fecit ex lege Mosaica, qui exercebantur per legem & psalmos & prophetas. Eos nihilominùs perduxit ad societatem sanctorum Angelorum, vt & illi congaudeant sanctæ Trinitati. Adsciuit sibi etiam fratres in nouo testamento per primitiuam Ecclesiam, & per gentilitatis obedientiam, & Iudaicam recognitionem. Quoniam istos plùs honorauit suus aduentus, quàm præcedentes patres, ità vt si digni habeantur, quandò transeunt de mundo, ilicò, transferantur in cælum, & cõiungantur societati sanctorum Angelorum, quod longo tempore expectauerunt patres, murmurantes infra claustra inferni; ideò in illis antiphonis, quæ eos recolunt, Alleluia celebratur, sicuti est: Ipse inuocauit me, Alleluia: & iterùm, Notum fecit Dominus *, Alleluia.

De

Universidad de Deusto
Biblioteca

De octauis in Natiuitate Domini. Cap. 32.

OCtauæ ideò celebrantur, quia primis diebus concurrunt, sicut vnus Dominicus dies ad alterum, qui eodem ritu celebrantur. Quandò sequentia bona opera ad prima recurrunt, aliquo modo octauas exercemus. Tanta miseria fuit in hominibus ante Christi aduẽtum, vt nemo ad eandem innocentiam peruenire, quam habuit primus homo antequàm peccaret. Nam & circuncisio, quæ octaua die celebratur, in recordatione primæ innocentiæ agebatur, id est, vt mens circuncisa esset ab omni cogitatione carnali, quamuis sit & ipsa figura futurorum verorũ. Christus per baptismum restituit in genere humano eandem innocentiam, ideoque octaua die, id est, Dominica ex baptismo resurrectio recolitur. Hoc est inter istos, qui primi innocentiam hominis imitantur, & illos qui in veteri testamento erant, quòd quamuis illi iusti essent, tamen detinebantur infra claustra inferni ante Christi aduentum: isti penetrant regna cęlorum. Et quoniam ad meliorem statum vult nos redemptor noster perducere, quàm haberet primus Adã, adhuc expectatur octaua dies, quę erit in resurrectione corporum. Primus Adam ità erat innocens, vt posset peccare, si vellet: Et nos ità accipimus innocentiam per baptismum, vt possimus peccare, & possimus velle: sed post receptionem corporum nemo poterit, nemo volet peccare. Igitur quia ad hoc institutæ sunt octauæ, vt redeant ad primum, oportet considerare quid in octauis Domini redeat ad primum diem natiuitatis. Primo die natiuitatis exiuit de vtero virginis, & inuentus est in præsepio pannis inuolutus: Numquid octaua die exiuit iterùm de vtero virginis, & inuentus est in præsepio, & celebrata sunt ea quę de Angelorum affatu leguntur prima die acta? Possumus tamen inuenire, in quo congruenter octaua dies congruat primæ. Duas causas intelligimus in Christi natiuitate. scilicet primam, Christum aduenisse ad homines: secundam, homines venisse ad Christum. De qua re dicit Augustinus in libro primo de doctrina Christiana: Non enim ad eum, qui vbiquè præsens est, locis mouemur, sed bono studio bonisque moribus. Quod non possemus, nisi ipsa sapientia tantæ etiam nostræ infirmitati congruere dignaretur, vt viuendi nobis præberet exemplum. Non enim aliter, quàm in homine, quoniam & nos homines sumus. Sed quia nos cùm ad illam venimus, sapienter facimus, ipsa cùm ad nos venit, ab hominibus superbis quasi stultè fecisse putata est. Et quoniam nos cùm ad illam venimus, conualescimus, ipsa cùm ad nos venit, quasi infirma existimata est. Sed quod stultum est Dei, sapientius est hominibus: & quod infirmum est DEI, fortius est, quàm hominis. Cùm ergò ipsa sit patria, viam se quoque nobis fecit ad patriam. Et cùm sano & puro interiori oculo vbiquè sit præsens, eorum qui oculum illum infirmum immundumq; habent, oculis etiam carneis apparere dignata est. Quia enim in sapientia Dei non poterat mundus per sapientiam cognoscere Deum, placuit Deo per stultitiam prædicationis saluos facere credentes. Non igitur per locorum spatia veniendo, sed in carne mortali mortalibus apparendo, venisse ad nos dicitur. Illuc ergò venit vbi erat: Quia in hoc mundo erat & mundus per eum factus est, Christi aduentum ad homines colimus in die natiuitatis eius: hominum aduentum ad Christum, colimus in octauis eius. Quod facile dinoscitur ex antiphonis, quæ cantantur in matutinali officio. Prima antiphona in natiuitate Domini, Genuit puerpera regem, de pura natiuitate Domini narrat: prima in octauis Domini, dicit, O admirabile commercium. Quando dicit, commercium, ostendit aliud dari, & aliud accipi. Dedit CHRISTVS suam Deitatem, & accepit nostram humanitatem. Quod dedit, colimus in natiuitate eius; & quod accepit, in octauis. Membra iuncta capiti, congratulantur in præsenti festiuitate. De sequentibus antiphonis si quis cõsiderare voluerit, potest agnoscere, quòd antiphonæ de natiuitate Domini suam natiuitatem specialiter monstrant, & de octauis Domini, membrorum suorum copulationem. In antiphona, Quandò natus es, ex persona hominis Dominus appellatur: & in nouissimo homo loquitur ad DEVM, TE laudamus DEVS noster. Tertia, Rubum quem viderat Moyses sic loquitur ex persona membrorum ad DEI Genitricem, intercede pro nobis. Quarta habet iterùm in fine, TE laudamus DEVS noster. Quinta tenet verba Ioannis Baptistæ, quibus demonstrauit vtilitatem nostram, quæ data est nobis ex aduẽtu CHRISTI, dicentis: Eccè agnus DEI, eccè qui tollit peccata mundi. Antiphona, quæ in Euangelio dicitur, & Domini præsentiam ad homines monstrat, & hominis assumptionem ad eum. Sic enim dicit: Mirabile mysterium declaratur, hodiè innouantur naturæ. Quomodò innouantur naturæ Gregorius Nazianzenus manifestat in libro de secundis Epiphaniis, dicens: Quid de nobis agitur, vel pro nobis? Noua quędam & inaudita efficitur permutatio naturarum, Et DEVS homo fit, & paulò pòst, DEI filius cœpit esse filius hominis, non conuersus ex eo quod erat, sed assumens quod non erat, vt capi possit qui capi non poterat, & per mediantem carnem sicut velamine quodam interposito, alloqui nos possit. Quoniam quidem ferre sincerã diuinitatis eius naturam non erat corruptibilis huius nostræ fragilisque naturæ, idcircò ergò incommixta miscentur, & non solùm natiuitati nostræ Deus vel carni superna mens, vel tempori illud quod ante omne tempus

pus est, verùm etiam virginitati partus imponitur, & impassibili passio cõciliatur, & immortali mortis poculum propinatur. Sequitur in Antiphona: id quod fuit, permansit: hoc est, verbum quod se nobis voluit demonstrare per materiam carnis, vt fuit incommutabile lumen & DEVS æternus, sic permansit, non mutatum in aliquam creaturam. Sequitur: Et quod non erat, assumpsit. His verbis monstratur assumptio hominis: Quoniam CHRISTVS hominem dignatus est assumere in vnam eandemq; personam DEI, merito membra capitis dicuntur transisse in DEVM. Vndè Augustinus in sermone vicesimosexto super Ioannem: Quid est ergò credere in eum? Credendo amare, credendo diligere, credendo in eum ire, & eius membris incorporari. Sequitur: Non commixtionem passus, neque diuisionem, scilicet non est passus illam commixtionem, quam dicit Sabellius in vnam personam Patris & Filij, neque illam diuisionem, quam blaterat Arrius. De circũcisione Domini me abundè facit securum lucubratio sanctorum interpretum.

De Theophania & ὑπαντῆ. Cap. 33.

VNũ omittimus in theophania ex his quæ celebramus in natiuitate Domini, id est, Inuitatorium. Sæpè dictum est, quod institutor officij, inquantùm potuit, actionem omnẽ illius temporis quandò illa agebantur, quæ recolimus in vsitato officio, voluit ad memoriam nobis reducere. Igitur quia voluit in isto distinguere nostram bonam inuitationem, qua inuitantur & excitantur fideles ad Deum deprecandum ab inuitatione Herodis, qui propterea congregauit scribas & principes Iudæorum, vt sciret vbi Christus nasceretur, quem cogitabat interficere, Inuitatorium officij prę sentis omisit. Præsens officiũ nocturnale certat intimare tria insignia nobis manifestata per aduentum Christi, id est, Aduentum Magorum, & baptismum Christi, & miraculum ex aqua factum à Christo. De secundo & tertio summatìm memoratur in tertia nocturna, & in Antiphona, Hodiè cælesti spõso iuncta est Ecclesia. Apertè verò & plenè de aduentu Magorum canit in duabus superioribus nocturnis. Nam & hoc videtur ordini potissimùm congruere cæterorum officiorum. Verùm officium, quod in nocte natiuitatis eius canitur, de infantia eius resonat. Memoria quæ recolit per officia Cantorum de octauis Domini, & circuncisione eius scintillas mittit de infantia, similique modo quod agitur in ὑπαντῆ. Idcircò congruebat, vt prę sens officium plurimùm illa tangeret, quæ circa infantiam eius gesta sunt. Necnon & Apostolici viri satagebant baptismum generalem transferre de præsenti festiuitate in festiuitatem Paschæ & Pentecostes: Quem propterea multi certabant frequentare in ista festiuitate, quia in ipsa à multis creditur Dominus baptizatus esse à Ioanne. Vndè potest videri ab officio* præsentis summatìm dictũ esse de baptismo eius, & plenè de aduentu Magorum. Vt pleniùs hæc clarescant, infero quod S. Leo Papa scripsit de memoratis festiuitatibus, dicens in capitulo octauo Decretalium: Ordo rerum per Iesum Christum Dominum nostrum temporaliter gerendarum in incarnatione verbi sumpsit exordium. Vndè aliud tempus est, quo, adnunciãte Angelo, beata virgo Maria fœcundandam se per Spiritum sanctum credidit & concepit: Aliud, quo, salua integritate virginea, puer editus, exultante gaudio cælestium ministrorum, pastoribus indicatur: Aliud, quo infans circunciditur: Aliud, quo hostia pro eo legalis offertur: Aliud, cùm tres Magi, claritate noui sideris incitati, in Bethlehem ab Oriente peruenium, & adorant paruulum, mystica munerum oblatione venerantur. Nec iidẽ sunt dies, quibus impio Herodi ordinata diuinitùs in Aegyptum translatione subtractus est, vel quibus ab Aegypto in Galilæam, mortuo persecutore, vocatus est. Inter has autem dispensationum varietates accedunt augmenta corporea. Crescit Dominus sicut Euangelista testatur, profectibus & ætatis & gratię. Tertia nocturna præsentis festiuitatis recolit tres terminos credentium, id est, populi Iudaici ante receptionem gentilium, gentilis populi post repulsionem Iudaicæ plebis, iterùm populi Iudaici in finem mundi. In prima nocturna recolitur intellectus Magorum, qui Christum intellexerunt Deum esse. In secunda nocturna idem intellectus, qui conspicit Christum regem esse: In tertia qui conspicit Christum ad hoc venisse, vt doceret homines suo baptismo, necessarium eis esse baptizari, & per baptismum mori patri diabolo & operibus eius, & pompis eius. In baptismo Christi mors & sepultura eius recolitur. Hanc tertiam periocham recolimus per Introitus Missę ab octauis Theophaniæ vsque in prę sentationem Domini, nisi fortè anticipet nos tempus Septuagesimæ. Primus introitus est post octauas Theophaniæ, iuxta ordinem Antiphonarij nostri, In excelso throno vidi sedere virum, quem adorat multitudo Angelorum. Apostolorum & Apostolicorum virorum est ista visio, hoc est, vt mente intelligant eundem Dominum, qui à Magis adoratus est quasi infans, & cuius præsentatio isto in tempore expectatur vsque ad quadragesimam diem natiuitatis gubernare virtutes cælorum, & ab his adorari. Secundus est, Omnis terra adoret te Deus, qui pertinet ad multitudinem credentium, vt quę primò adorauerunt tres Magi, posteà adorent omnes credentes ex Asia, & Africa, & Europa. Iam circa hebdomadam, in qua celebratur præsentatio Domini, cantatur, Adorate eum omnes Angeli eius. vndè dicit Apostolus, vt in nomine Iesu omne genu flectatur, cælestium, terrestrium, & infernorum. Quod ita exponit Ambrosius in Epistola ad Philippenses: Hoc enim illi

Universidad de Deusto
Biblioteca

illi donauit, vt omnes illud adorent, & vt omnes Deum confiteantur Iesum Christum in gloria Dei patris effectum, hoc est, talem potitum gloriam qualem fas est illum qui sibi patrem adscribitur Deum, potiri, propter illam copulationē quam habet ad vnigenitum. Et post pauca: Cœlestium quidem dicit inuisibilium virtutum. Et Petrus de eodem filio Dei dicit: Profectus, inquit, in cœlum subiectis sibi angelis & potestatibus & virtutibus. Vndè Beda in tractatu epistolæ eiusdem Petri: Nulli dubium quin filio DEI semper erant Angeli & omnes patris cœlestis virtutes ac potestates subiectæ, quem cū Patre & Spiritu sancto vnum sinè initio Deum laudant, tremunt, adorant. Sed necessariò admonendum beatus Petrus æstimauit, quòd assumpta humanitas in tātam sit gloriam resurgendo sublimata, vt incomparabili culmine omni angelicę dignitatis potentiæ præferatur. † Iste introitus aut intra se habet ὑπαντὴ, aut initium possidet infra octo dies eiusdem ὑπαντὴ, nisi per anticipationem Paschæ præcurrat Septuagesima. Memorati introitus beneficia Christi insinuant præstita nobis ad lætificanda corda nostra. Idcirco cum duobus cantamus offertoria, Iubilate. Lætari enim nos oportet, quia non solùm de inferno inferiori beneficia Christi nos liberant, sed etiam de claustris inferni, & perducunt vsque ad visionem sempiternæ glorię. Vndè versus respōsorii, qui cantatur in hebdomada ὑπαντὴ, dicit, Quoniam ædificauit Dominus Sion, & videbitur in gloria sua. De quo ita Augustinus in tractatu psalmorum: At verò cùm venerit iudicare cum Angelis suis, quandò congregabuntur ante eum omnes gentes. Et post pauca: Aedificauit Dominus Sion, & videbitur in gloria sua, qui in illa primò visus est i infirmitate sua. Ex hoc vertu possumus coniicere institutorem officiorum insinuare voluisse præsentationem Domini in templo excitare nos ad præsentationem sibi & patri. Quadraginta dies, in quibus expectatur Domini præsentatio, omnem statum sanctæ Ecclesiæ demonstrant hìc in præsenti seculo, quandiù necesse est ei per quatuor partes mundi satagere, vt impleat decem præcepta legis, hoc est, vt iustè & piè viuat in hoc seculo, expectans beatam spem, quadò videat Dominum in gloria sua & choros Angelorum adorantes Deum. Eandem perseuerantiam in bono studio figurat tunica talaris, quam induit Ioseph in præfiguratione corporis Christi, & nos clerici eam portamus siue in quotidiano vsu, siue in ecclesiastico. Ex ea nempe admonemus populum Dei vt vsque ad finem mundi satagat se operire bonis operibus. Vndè Gregorius in primo libro de Moralibus: Nam quid est talaris tunica, nisi actio consummata? Quasi enim propensa tunica talum corporis operit, cùm bona actio ante DEI oculos vsque ad vitæ terminum tegit. Hoc est cereos accensos manibus portare in

ὑπαντὴ, quod est in præsentatione sui vnumquemque secum habere opera sua, in quibus clarus & lucidus appareat in cœtu sanctorum Angelorum, in quorum commemoratione celebratur in nocturnali officio ὑπαντὴ, nouenarius numerus. Post commemorata officia, veniente Septuagesima, mutamus cantum lætitię in tribulationem, vt ex eo trahamus ad nostrā memoriam, cui affectui debitores simus ex nostris meritis, & vt è ducatu humilitatis perueniamus ad passionem Domini.

De octauis Theophaniæ. Cap. 34.

NAtus est Christus ex Maria virgine temporaliter non propter se, vt tunc inciperet esse, quasi non antea esset: ante omnia tempora fuit cum Patre, per quem hęc omnia tempora creata sunt: sed vt mentibus nostris noua lux appareret, per quam reuerteremur ad creatorem nostrum, qui eramus, in tenebris. Simili modo baptizatus est, non quòd eguerit baptisterio, vt in eo ablueret sua peccata, quę nulla erant: sed vt formam daret suę Ecclesiæ, quomodò quæreret ablui sua peccata: Vndè ipse dicebat in Euangelio: Sic enim decet nos implere omnem iustitiam. Mortuus est Christus, vt suum corpus quod est sancta Ecclesia, morti moreretur. Erat priùs genus humanum Deo mortuum, quia morti obediebat. Viuebamus morti, cùm ei seruiebamus: morimur morti, cùm ei renunciamus. Vt ad memoriam reducamus, quòd CHRISTVS propterea passus sit, vt nos moreremur peccato, in quarta feria ante cœnam Domini & nostra mortificatio recolitur in aliquibus officiis, & Domini passio legitur. Vndè dictum est in iam scripto libello de quinta varietate. Si sequerentur dies post sextam feriam, in quibus oporteret tristari, fortè octauas passionis Domini celebrassemus, hoc est, per celebrationem officij ad memoriam reduceremus morti obnixè mori nos debere. Moritur homo luxuriæ, qui castitatem seruat: moritur inuidiæ, qui charitate pollet: moritur incredulitati, cuius cor fide mūdatur.

In duabus lectionibus quę leguntur in sexta feria passionis Domini, animaduertimus duas mortes in eodē die celebratas. Lectio de Exodo, CHRISTI mortem manifestat: de Osee verò, membrorum suorum, de quibus dicit Paulus: Qui autem sunt Christi, carnem suam crucifixerunt cum vitiis & concupiscētiis. Tractus qui sequitur post lectiones, Qui habitat in adiutorio altissimi, informat omne præsidiū quo adiuuantur à Domino sancti in certamine positi. Hunc psalmum congruit potissimùm meditari, cùm quis periculis appropinquat, & circundatur insidiis aut angustiis, velut bestia multis laqueis irretita, vt possit audiri à Domino: Inuocabit me, & ego exaudiam eum: cum ipso sum in tribulatione. Idcirco nunc cātatur ex persona membrorum, quia affectum illorum

illorum non dedignatus est Dominus in se assumere. Cantatur & per singulas noctes propter timores nocturnos, vel quia somnus habet imaginem mortis. In passione Saluatoris nostri paries inimicitiarum ruptus est, & coniuncti sunt duo populi in vno lapide angulari, quod non potuit fieri, nisi gentilitas priùs moreretur morti vitiorum. Quoniam ista non proposuimus hìc inquirere, sed precamur supplices, vt ab eo spiritu inserta sint, qui vbì vult spirat: nunc ad propositum redeundum est. In Theophania celebramus, quomodò Dominus à Magis sit inquisitus, & inuentus, ac adoratus: quomodò lætati sint conuiuæ in nuptiis: quomodò sit baptizatus. Quæ omnia possumus dinoscere ex antiphonis, quæ cantantur in matutino. In octauis eius celebratur res pro qua CHRISTVS baptizatus est, hoc est, nostrum lauacrum, per quod nostra peccata abluuntur, quale est illud de prima antiphona in octauis Theophaniæ. Veterem hominem renouans Saluator & in secunda Te qui in spiritu & igne purificas humana contagia. Idipsum poterit reperire diligens inquisitor in sequentibus. Quia duo præcepta sunt dilectionis, DEI scilicet, & proximi, sicut honorando baptismū CHRISTI DEI & saluatoris nostri celebrauimus in Theophania, celebremus & nostrum initiatum iam in capite nostro, in octauis Epiphaniæ, hoc est, ad memoriam reducamus, qua de causa CHRISTVS baptizatus sit, scilicet, quia necesse erat vt baptizaremur. Et quid profit baptismus, Antiphonæ monstrant in octauis Theophaniæ. Vndè dicit vna ex illis, Baptizato Domino, facta est peccatorum nostrorum remissio. ὑπαντὴ, non habet octauas, quoniam legaliter præsentatus est in tēplo CHRISTVS. Ad quod nullus doctor nos coarctat, vt infantes nostri quadragesima die natiuitatis suæ præsententur in templo.

De Natalitiis Sanctorum. Cap. 35.

QVæ sint natalitia Sanctorum, ex vno responsorio, qui cantatur in festiuitate beati Stephani, cognoscere possumus. Dicit responsorius: Hesterna die natus est Dominus in terris, vt Stephanus nasceretur in cælis. Natalitia sanctorum, natiuitates eorū monstrant, quibus nascuntur in societatem noue ordinum Angelorum, & in societatē sanctorum patrum naturalis legis, & legis literæ, & noui testamenti. Propter gloriam noui testamenti continent antiphonæ de tertia periocha Alleluia, velut sunt: Exaltabuntur cornua iusti, Alleluia. Lux orta est iusto, Alleluia. Custodiebant testimonia eius & præcepta eius, Alleluia. In festiuitatibus, quas recolimus per nouenarium numerum, stantes oramus, recolendo sanctam societatem Angelorum, & patrum sanctorum, qui iam sunt in lætitia sempiterna.

De octauis Natalitiorum Sanctorum. Cap. 36.

SOlemus octauas natalitiorum aliquorum Sanctorum celebrare, eorum scilicet, quorum festiuitas apud nos clarior habetur, velut est, in octauis Apostolorum Petri & Pauli, & cæterorum Sanctorum, quorum consuetudo diuersarum ecclesiarum octauas celebrat. Si non valemus omnium Sanctorum natalitia celebrare, quanto minùs octauas eorum? Non est nobis differendum, quæ ecclesiæ illas vel illas colant octauas, sed quid nobis innuant ipsę octauæ. In natalitiis Sanctorū frequentamus receptiones illas, in quibus animæ Sanctorum recipiuntur, quandò exeunt de corpore. De his receptionibus dicit Augustinus in sermone quadragesimosexto super Ioannem: Sicut ergò diuersæ custodiæ agentium in * officia, sic diuersæ custodiæ mortuorum, & diuersa merita resurgentium. Receptus est pauper, receptus est diues: sed ille in sinu Abrahæ, ille vbì sitiret, & aquæ guttam non inueniret. Habent ergò omnes animę (vt ex hac occasione instruā charitatē vestram) habent omnes animę cum de seculo exierint, diuersas receptationes suas: habent gaudium bonæ, & malæ tormenta. Sed cùm facta fuerit resurrectio, & bonorum gaudium amplius erit, & malorum tormenta grauiora, quandò cum corpore torquebuntur. Recepti sunt in pace sancti patriarchæ, prophetæ, Apostoli, martyres, boni fideles, omnes tamen adhuc in fine accepturi sunt quod promisit Deus. Promissa est enim resurrectio etiam carnis, mortis consumptio, vita æterna cum Angelis: hoc omnes simul accepturi sumus. Nam requiem, quæ continuò post mortem datur, si ea dignus est, tunc accipit quisque cum moritur. Priores acceperunt patriarchę, videte ex quo requiescunt: posteriores prophetæ, recentiùs Apostoli, multò recentius martyres sancti, quotidiè boni fideles. Et alij in ista requie tam diù sunt, alij non tam diù, alij annis paucioribus, alij nec recenti tempore. Cùm verò ab hoc somno euigilabunt simul omnes, quod promissum est, accepturi sunt †. In natalitiis Sanctorum memoratę requiei congratulamur: in octauis verò eorū, resurrectioni corporum. Quo honore digna sit octaua dies, liber Leuiticus monstrat: & quid habeat in mysterio, Esychius presbyter tractat super eundem Leuiticum in libro sexto. Dicit Leuiticus, & locutus est Dominus ad Moysen, dicens: Loquere filiis Israel: A quintodecimo die mensis huius septimi erunt feriæ tabernaculorum septē diebus Domini, dies primus vocabitur celeberrimus atq; sanctissimus: Omne opus seruile non facietis, & septem diebus offeretis holocausta Domino, dies quoquè octauus erit celeberrimus atq; sanctissimus. Vndè dicit memoratus Esychius: Et primam autem septem dierum

celeber-

Universidad de Deusto
Biblioteca

celeberrimam atque sanctissimam appellauit. Qui enim scit præsentibus tamquàm tabernaculo vti, prima dies, id est, initium & principium à sanctificatione vacationis incipit. Propterea & nimis consequenter ait, Omne opus seruile non facietis: quia nulli in seculo seruiunt qui tamquàm tabernaculum & transitoria ea quæ in eo sunt, intendunt. Sed & septem diebus holocausta offerri præcepit, ostendens oportere per omne tempus perfectam conuersationem sequi. Quando ergò istam præsentem vitam percurrerimus, tunc celeberrimum atque sanctissimum octauum diem, seculum videlicet futurum, habebimus. Et infrà: Die autem primo requies, & in octaua die requies, non iam septimo, cùm numero septem dierum festiuitatem agi proposuisset, sed octauo. Primùm quidem, quia his, qui secundùm literam legem tenent, festiuitatem celebrare non licet. A nouo enim segregatus est populo qui scit legem secundùm spiritum accipere, & octauum honorare, quem diximus significare mortuorum resurrectionem.

De obseruatione dierum per annum. Cap. 37.

VBi sanctus Hieronymus exponit illud ad Galatas, Dies obseruatis, & menses, & tempora, & annos, Timeo vobis, nè fortè finè causa laborauerim in vobis, ibi sententiam Christianorum subnectit contra eos, volunt nobis opponere, quòd obseruemus dies & tempora, vndè arguti sunt à Paulo neoterici Christiani. Dicit inter alia ità: Dicat aliquis, si dies obseruare non licet, & menses, & tempora, & annos: nos quoquè similiter crimen incurrimus. quartam sabbati obseruantes, & parasceuen, & diē Dominicam, & ieiunium quadragesimæ, & paschæ festiuitatem, & pentecostes lætitiam, & pro varietate regionum diuersa in honore martyrum tempora constituta. Ad quod qui simpliciter respondebit, dicit: Non eosdem Iudaicæ obseruationis dies esse, quos nostros. Nos enim nō azymorum paschа celebramus, sed resurrectionis & crucis: nec septem iuxta morē Israel numeramus hebdomadas in pentecosten, sed Spiritus sancti veneramur aduentum: & ne mordinatè congregati populi fides minueretur in Christo, propterea dies aliqui constituti sunt, vt in vnum omnes pariter veniremus: non quòd celebrior sit dies illa, qua conuenimus, sed quacumque die conueniendum sit, ex conspectu mutuo lætitia maior oriatur. Qui verò oppositæ quæstioni acutiùs respondere conatur, ille affirmat, omnes dies æquales esse: nec parasceuen tantùm Christum crucifigi, die Dominica resurgere: sed semper sanctum resurrectionis esse diē, & semper eum carne vesci Dominica: Ieiunia autem, & congregationes inter dies propter eos à viris prudentibus constituta sunt, qui magis seculo vacant quàm Deo: nec possunt, immo nolunt toto in Ecclesiam vitæ suæ tempore congregari, & ante humanos actus Deo orationum suarum offerre sacrificium. Quotus enim quisque est qui saltem hæc pauca, quæ statuta sunt vel orandi tempora, vel ieiunandi, semper exerceat? Itaque sicut nobis licet vel ieiunare semper, vel semper orare, & diem Dominicam accepto Domini corpore indesinenter celebrare gaudentibus: non ità & Iudæis fas est omni tempore immolare agnum, pentecosten agere, tabernacula figere, ieiunare quotidiè. Post enumerationem temporum, quæ obseruabantur tempore illo, quandò Beatus Hieronymus hæc scripsit, illata est causa, quarè Christiani tempora memorata obseruantes, crimen non incurrant. hoc est, qui simpliciter respondebit, dicit, Non eosdem Iudaicæ obseruationis dies esse, quos nostros, & cætera quæ sequuntur. Et iterùm infrà: Qui verò oppositæ quæstioni acutiùs respondere conatur, illud affirmat, omnes dies æquales esse, nec parasceue tantùm Christum crucifigi, & die Dominica resurgere, sed semper sanctum resurrectionis esse diem, & semper eum carne vesci Dominica. Superior excusatio, in qua dicitur, non eosdem dies esse in obseruatione apud nos, qui apud Iudæos obseruantur, aliquod nobis supplementum accomodat, qui propterea tempore passionis Domini omittimus salutationem solitam, quia Iudas salutauit Dominum falsò, & genuflexionem in oratione die parasceues, quę fit pro Iudæis, quia Iesu illudendo genuflectebant, & in orationeduodecim lectionum, quandò memoratur passio trium puerorum in fornace, quia nolebant poplite flexo adorare statuam Nabuchodonosoris cum perfidis, & Inuitatorium in diebus passionis Domini, quandò videlicet congregabantur ad pessima consilia de nece Domini. Similiter in Theophania inuitatoriū omittimus, quandò Herodes congregauit sapientes Iudæorum prauo animo ad inquirendum, vbi Christus nasceretur. Quartam feriam & parasceuen, & diem Dominicam, & ieiunium quadragesimę, & paschæ festiuitatem, & pentecostes lętitiam, & pro varietate regionum diuersa in honore martyrum tempora constituta obseruamus. Quartam feriam obseruamus quia, vt ait Augustinus ad Casulanum, in ea die congregati sunt Iudæi, & consiliati sunt de nece saluatoris. Parasceuen, quia in eo passus est idem saluator. Quoniam isti dies antiquitùs erant in obseruatione, ritus Romanæ Ecclesię obtinuit, vt iisdem diebus mutaret officia, & Missam celebraret hora nona: per quod forinsecùs populus congregaretur in vnum, quandò aliqua causa noua imminebat ad deprecandum in quibus obseruatio celebrabatur. Vndè dicit Hieronymus memoratus in superioribus: Ieiunia autem & congregationes inter dies propter eos sunt à viris prudentibus in-

stituta,

stituta, qui magis seculo vacant, quàm Deo, nec possunt, immò nec volunt toto in Ecclesiam vitæ suæ tempore congregari, & ante humanos actus Deo orationum suarum offerre sacrificium. Quotus enim quisque est, qui saltem hęc pauca, quæ statuta sunt vel orandi tempora, vel ieiunandi, semper exerceat? & reliq. Habemus ex Romano Ordine sabbati diem in obseruatione, quem non computauit Hieronymus in ordine dierū obseruationis. Nouimus enim ex multis auctoribus, quòd dies sabbati sicut quarta sabbati, & sexta inclusa erat ieiunio apud Romanos, & in eo officium mutatū sæpè habemus, sicut in quarta & sexta sabbati, & præcipuè in ea benedictio datur, quia ipsa est, quā benedixit Dominus. & propriè significatio ad Spiritum sanctum pertinet, qui est septiformis. Vndè cùm & pater spiritus sit, & filius spiritus sit, quoniam Deus spiritus est: & pater sanctus, & filius sanctus sit, proprio tamen nomine amborum spiritus vocatur Spiritus sanctus. De eodem sabbato diuerso modo obseruatum est apud orientes, & apud aliquos occidentes, necnon & apud Romanam vrbem. De qua re sufficienter à S. Augustino tractatum est in epistola ad Casulanum presbyterum, de quibus pauca hìc inferam: De varietate, inquit, ad Casulanum de Vrbico: Non tibi persuadeat vrbem Christianam sic laudare sabbato ieiunantem, vt cogaris orbē Christianum damnare prandentem. Et iterùm ex responsione sancti Ambrosij in eadē epistola, qui inquit: Quandò hìc sum, non ieiuno sabbato: quādò Romæ sum, ieiuno sabbato. Et ad quamcumq; Ecclesiā veneritis, eius morē seruate, si pati scandalū non vultis, aut facere. Scriptū est in vita beati Ambrosij, qđ ipse Ambrosius ieiunaret cæteros dies hebdomadæ, sabbato & Dominico pranderet. Quare prandio vteretur in sabbato aut in Dñica, memoratus Augustinus mōstrat ī memorata Epistola, scribens de sabbato sic: Quibus autē diebus non oportet ieiunare, & quibus oporteat: precepto Dñi vel Apostolorū, nō inuenio definitū: Ac per hoc sentio quidē non ad obtinendam veritatem, quam fides obtinet, atq; iustitiam, in qua est pulchritudo filiæ regis intrinsecùs: sed tamen ad significandam requiē sempiternam, vbi est verum sabbatum, relaxationē quàm constrictionem ieiunij aptiùs cōuenire. Et infrà: Duo quippe sunt, quę iustorum beatitudinem, & omnis miseriæ finem sperare faciunt, mors, & resurrectio mortuorum. In morte requies est, de qua dicitur per prophetam: Plebs mea, intra in cellaria tua: abscōdere pusillùm, donec pertranseat ira Domini: In resurrectione autem in homine toto, id est, in carne & spiritu, perfecta felicitas. Hinc factum est, vt horum duorum vtrumque ad significandū non putaretur labore ieiunij, sed potiùs refectionis hilaritate, excepto vno paschali sabbato, quo discipulorum, sicut diximus, luctus propter rei gestæ memoriam fuerat ieiunio prolixiore

significādus. Huic enim sensui potest congruere, quandò festiuitates Sanctorum celebramus, vt in prioribus festiuitatibus cōgratulemur animabus Sanctorum, & in octauis eorundē Sanctorum, resurrectioni corporum. Pro hac re solebāt omnes Romani omnia sabbata ieiunare, quam modò dixit Augustinus in vno sabbato obseruari. Propterea dico præteritum, quia nescio quomodò nunc agunt. Si quis voluerit Episcoporum Ambrosium imitari vsquequaquè, non erit extorris à consortio Sanctorum. Ponatur populus in doctrina sancti Augustini, vbi dicit in memorata Epistola: Libenter acquiescas Episcopo tuo in hac re, noli resistere: & quod facit ipse, sinè vllo scrupulo vel disceptatione sectare †. Vt omnis disceptatio dyscolis absit propter diuersa hæc ieiunia, dummodò teneatur fides, spes, & charitas in idipsum, quibus omnis doctrina prophetarum & scientia scripturarum seruit, repetit versum sæpè sanctus Augustinus in memorata Epistola, Adstitit regina à dextris tuis in vestitu deaurato, circumamicta varietate. Obseruatur etiam apud nos in aliquibus locis vnus dies, id est, secunda feria, qui non est deputatus in obseruatione à memoratis auctoribus, id est, à sancto Innocentio, & sancto Ambrosio, & sancto Augustino, necnon & beato Hieronymo, quē adhuc solent nostri principes in ieiunio libare, quandò indicitur triduanum ieiunium instàr Niniuitarum. Quod, vt reor, potest habere normam à prædicatione Pauli, qui dixit, Alius iudicat diem inter diem, alius iudicat omnem diem. Tamen exponens illud Ambrosius, de cæteris silet, quartā & sextam sabbati introducit, iuxta morē quē tenebat populus, qui ei tunc notus erat. Verius tamen implent, quod dicit Paulus, qui inter Dominicum diē & tertiam sabbati refectionis, medium ieiunabant secundam sabbati: Iterùm inter tertiam sabbati & quintā refectionis ieiunant quartam: & iterùm inter quintam sabbati & septimā refectionis ieiunant sextam. dies Dominicus interdictus est ad ieiunandum in libro qui propriè vocatur Canones. Rationē interdictionis S. Augustinus aperit in memorata Epistola ad Casulanum: Die, inquit, Dominico ieiunare scandalum magnum est, maximè, posteaquàm innotuit detestabilis multumque fidei Catholicæ scripturisque diuinis apertissimè contraria hæresis Manichæorum, qui suis auditoribus ad ieiunandum istum, tamquàm legitimum constituerunt diem. per quod factum est, vt ieiuniū dici Dominici horribilius haberetur. Sanctus Hieronymus vnam quadragesimam ponit in obseruatione: nos obseruamus tres quadragesimas, id est, ante paschа Domini, circaque festiuitatem sancti Ioannis, & ante natiuitatem Domini. Sit à piis mentibus frequentatum apud nos: apud sanctum Hieronymum manifestum est, quòd Montanus hæreticus illam obseruationem trium quadragesimarum statuerit apud suos, id est, trēs

Universidad de Deusto
Biblioteca

quadragesimas per annum: Apud nos quoquènon est dubium,quin præparare nos debeamus in aduentu Domini multis piis operibus. Natalitia Sanctorum obseruantur apud nos,de quibus dicit Augustinus in memorata epistola: Diebus Dominicis omnibus, & quinquaginta post pascha,& per diuersa loca diebus solennibus martyrum, & festis quibusque prandetur. solemus post octauas natiuitatis Domini octauas celebrare S. Stephani, & S. Ioannis Euangelistæ, atque Innocentum,vt earũ octauarum cãtu perueniamus fermè vsq; ad vigilias Theophaniç.De ieiunio quod facimus ante Ascensionem Domini, manifestum est, à quo auctore habeat exordium,de quo nihil mihi dicendum est,quoniam dicit idem beatus Augustinus: In his enim rebus,de quibus nihil certi statuit scriptura diuina, mos populi Dei, & instituta Maiorum pro lege tenenda sunt. Tamen non possumus dicere,quòd de lætitia dierum Pentecostes non sit scriptum à sanctis auctoribus.

Quando celebrantur diuina mysteria, qua reuerentia & metu standum sit in Ecclesia. Cap. 38.

QVoniam de natalitiis Sanctorum pauca prælibauimus, iuuat subnectere verba S. Ioannis Chrysostomi, vt his admoneat, quomodò meipsum debeam coercere à superfluis verbis & risu, quandò coram sancto altari adstitero. Dicit idẽ in tractatu duodecimo super epistolam ad Hebræos: Stat sacerdos Dei, orationem offerens cunctorum: tu autem rides,nihil timens? Et ille quidem tremens pro te orationem offert,tu autem contemnis? Non auertis scripturam dicentem, Væ contemptoribus? Non contremiscis? Non colligis temetipsum? Et in aulam quidem regiam intraturus, & habitu,& oculis,& incessu,& cunctis aliis componis & ornas temetipsum: huc autẽ ingressurus, vbi verè est aula regia, & talis, qualis cælestis est, rides? Et tu quidem nescis, quia non vides, audi tamen quia Angeli præsentes sunt vbiq; & maximè in domo Dei adstãt regi, & omnia plena sunt incorporeis illis virtutibus. Iste mihi sermo etiam ad mulieres dicitur. Et ante viros quidẽ non citiùs hoc audẽt facere,ac si faciunt, non tamen semper,sed in tempore remissionis. Hic autem & velas & obnubis caput tuum. Dic mihi,rides o mulier,in Ecclesia sedẽs? Ingressa es confiteri peccata tua,procidere Deo, postulare, & deprecari pro delictis tuis, & cum risu hoc facis? Quomodò ergò cum propitiare poteris? Et quid malum est risus,inquit? Nõ est malus risus. Ità ne non est malum, sed valdè malum, importuno tempore immoderatè? Risus enim inest nobis,vt quandò amicos viderimus, post multum temporis hoc facimus; quandò aliquos delinquentes & timentes, vt foueamus eos risu, non vt cogamus nos ipsos, & semper rideamus. Risus inest animæ nostræ, vt remissionem habeat aliquandò anima, non vt diffundatur.

Iterùm de Tonsura clericorum. Cap. 39.

MEmini me dixisse in superioribus dubitãdo, Vtrùm corona clericorum nostrorum formã primò acciperet à sancto Petro,an à successoribus eius,scilicet Episcopis vrbis Romę. Reperi postea auctoritatem huiusce rei Bedæ famuli Dei in historia Anglorum, capitulo vigesimoprimo, ex Epistola Ceolfrid abbatis ad Aycanum regẽ Pictorum. Verùm etsi proficeri nobis liberum est,quia tonsuræ discrimen non noceat, quibus pura in Deum fides & charitas in proximũ syncera est, maximè cum numquàm patribus catholicis sicut de Paschæ vel fidei diuersitate conflictus,ità etiam de tonsuræ differentia legatur aliqua fuisse controuersia. Inter omnes tamen,quas vel in Ecclesia, vel in vniuerso hominũ genere reperimus tonsuras,nullam magìs sequendam nobis amplectendamque iure dixerim, quam in capite suo gestabat ille,cui se confitenti Dominus ait,Tu es Petrus: nullam magis abominandam detestandamq; meritò cũctis fidelibus credideram ea,quam habebat ille cui gratiam Spiritus sancti comparare volenti idem Petrus ait: Pecunia tua tecum sit in perditione: quoniam donum Dei existimasti per pecuniam possideri,non est tibi pars neq; sors in sermone hoc. Neque verò ob id tamen in coronam attondemur, quia Petrus ità attonsus est: sed quia Petrus in memoriam Dominicę passionis ità attonsus est,Idcircò & nos qui per eandem passionem saluari desideramus, ipsius passionis signum cum illo in vertice,summa videlicet corporis nostri parte,gestamus. Sicut enim omnis Ecclesia quia p mortẽ sui viuificatoris Ecclesia facta est, signũ sanctæ Crucis eius in fronte portare cõsueuit, vt crebrò vexili huius munimine à malignorũ spirituũ defendatur incursibus,crebra huius admonitione doceatur, se quoquè carnem suam cũ vitiis & concupiscentiis crucifigere debere: ità etiam oportet eos,qui vel monachi votum, vel gradũ clericatus habentes altioribus se necesse habẽt pro Domino continentiæ frenis adstringere: formã quoq; coronæ,quã ipse in passione spineã portauit,in capite,vt spinas & tribulos peccatorum nostrorum portaret, id est, exportaret & auferret à nobis,suo quemque in capite per tonsuram proferre, vt se etiã irrisiones & opprobria pro illo libenter ac promptè omnia sufferre ex ipso etiã frontis picio doceãt, vt coronam vitæ æternæ, quã repromisit Deus diligentibus se, se semper expectare, proque huius perceptione & aduersa mundi se & prospera contemnere designent. Dicit idem Beda de tonsura in vita venerabilis & sanctissimi Cuthberti Episcopi; Postquam seruitutis Christi iugum tonsuręque Petri formã in modum coronæ spineæ caput Christi cingentis, Domino adiuuante, susceperat. Sufficiant hæc ad demonstrandum, quid memoratus Dei famulus Beda de auctore coronæ nostrę sentiret.

Mentio iterùm, qua hora diei Missa sit celebranda à liberè vacantibus. Cap. 40.

REtulimus in huiusce operis verbis, prohibitum esse ab Apostolicis viris celebrari ante horam tertiam, & Missam tamen indidi quod vidi, hoc est, Leonem nuper Missam celebrare diluculo. Additum est in gestis pontificalibus, qua de re Missa celebranda sit circa horam tertiam, scilicet, quia eadem hora Dominicus crucifixus est linguis Iudæorum. Addidimus etiam propter nostram consuetudinem inolitam, sexta hora rationabiliter posse Missam celebrari, quia sexta hora diei Dominus crucifixus est manibus persecutorum: similiter & hora nona, quia tunc emisit spiritum. Manifestum est, Missam celebrari præcipuè in recordatione passionis Domini nostri Iesu Christi: In cuius commemoratione agatur, ex ipsis verbis quæ in canone legũtur,manifestè liquet. Hæc, inquit, quotiescunquè feceritis, in mei memoriam facietis, Vnde & memores sumus Domine nos tui serui, sed & plebs tua sancta Christi filij tui Domini Dei nostri, tam beatæ passionis, necnon & ab inferis resurrectionis, sed & in cęlos gloriosæ Ascensionis. Quæ aguntur in celebratione Missæ post initiatum canonem, Domini passionem & resurrectionem, ac in cælos Ascensionem recolunt. de quibus omnibus quæ mihi occurrerunt,tetigi, quandò de officio Missæ scripsi. Posteà recordatus sum sanctum Gregorium insinuasse nobis Cassiũ Narniensem episcopũ accedere hora tertia ad Missarum solennia. quod diligenti cura studui hìc inserere, vt meipsum admonerem,quamuis vidissem Apostolicum Leonem diluculo Missam celebrasse,seu cæteros presbyteros in Romana Ecclesia, non tamen excidisse à S. Gregorio, quòd hora tertia celebrãda esset Missa,præsertim cùm idem Papa referat in homilia sua habita in basilica S. Sebastiani die festiuitatis ipsius,memorato Cassio Episcopo mandatũ esse, vt instaret operi quod operabatur,per presbyterũ quendam Domino nostro Iesu Christo dicente: Age quod agis, operare quod operaris. non cesset manus tua, non cesset pes tuus, natali Apostolorum venies ad me, & reddam tibi mercedẽ tuam†. Quid idem Episcopus ageret, idẽ S. Gregorius manifestat in eadem homilia, scilicet,Missam quotidiè celebrauit. Et qua hora ad Missam iret,in sequentibus aperit,dicẽs. Quibus auditis, Episcopus in oratione se cum magna cordis cõtritione ,pstrauit: Et qui oblaturus sacrificium ad horam tertiã venerat, hoc pro extensę orationis magnitudine ad horam nonam vsq; protelauit. Vt opinor, S. Gregorius eandẽ horam voluit celebrare in celebratione Missæ,quam cognouit acceptabilem esse Domino per exhortationem factam ab eo ad illum Episcopum, quẽ dixit ad horam tertiam venisse ad Missarum solemnia,saluo tamen cõstituto circa horam nonam per dies abstinentiæ. Si enim in cæteris horis ex constituto agitur Missa, ratio quædam adest, qua defendatur eadem hora: Velutì est in natiuitate Domini,in qua in nocte celebratur Missa propter natiuitatem panis,qui nunc quotidiè manditur ex altari,siue propter concentum Angelorum,quod iam retulimus. In eodem manè celebratur Missa propter exortum nouæ lucis,seu propter visitationem pastorũ ad præsepe Domini,in quo inuenerũt pabulum, vndè quotidiè sanctorum animæ reficiuntur. Similiter habemus officia constituta in festiuitate Ioannis Euangelistę,& Ioannis Baptistæ primo diluculo, qui vtrique ex vtero matris,id est,ab accepto lumine huius mundi,in semetipsis sacrificiũ singulare quoddam Deo obtulerunt: Ioannes euangelista obtulit ab initio huius lucis virginitatis sacrificiũ Ioannes Baptista sacrificiũ abstinentię qui nec vinum bibit nec siceram, & Nazaræus permansit omni tempore. In nocte sancta resurrectionis Domini Missam celebramus propter eandem resurrectionem, quæ in ea completa est, & propter visitationem sanctarum mulierum ad sepulcrum Domini.

De Exequiis mortuorum. Cap. 41.

APertè Dominus Beda declarat in exequiis sancti Cuthberti, quomodò vestiri oporteat sacerdotẽ defunctum. Ità enim scribit de eius exequiis: Postquàm ergò sanctæ memoriæ Cuthbertus Episcopus peracta communione, eleuatis oculis & manibus ad Deum,commendans ei animam suam,& emittens spiritum,sedensq; sinè gemitu obiit in via patrum, à nauigantibus ad insulã nostram delatus,toto corpore leuato,capite sudario circundato,oblata super pectus sanctum posita,vestimento sacerdotali indutus,in obuiàm Christi calceamẽtis suis præparatus,in sindone cereata inuolutus, animam habens cũ Christo gaudentem†. Non est dubitandum, quin ipse mos esset apud Romanam Ecclesiam in hac re,qui apud Anglos fuit, præsertìm cùm ex illa primum Episcopum Augustinũ haberent anglisaxones, & eo tempore quãdò celeberrima fuit Romana Ecclesia propter auctoritatẽ doctissimi eius Episcopi Gregorij,& posteà ex eadem Ecclesia habuerũt archiepiscopum Theodorum in vtraq; lingua,scilicet Græca & Latina peritissimũ. Sed mirari cępi,quid vellet dominus Beda dicere, vbi dixit,in obuiàm Christi calceamẽtis suis prępara tus,vtrùm vellet dicere,quòd cũ eodẽ vestimẽto resurrecturus esset Cuthbertus, an moribus bonis, qui designantur per vestimenta. Interim

Universidad de Deusto
Biblioteca

rum occurrit mihi cogitare de Christo, vtrum A
ille vestitus esset vestimentis aliquibus post-
quàm resurrexit à mortuis;& si fuit,vtrùm cum
ipsis ascenderet in cœlum, an solo naturali cor-
pore,quod spiritale erat.Cœpi cogitare,vtrùm
illis duobus qui eum in via conspexerunt, ap-
paruit vestitus, quandò eum cogitabant pere-
grinum esse:etiàm & Marię Magdalenæ,quan-
dò eum credidit hortulanum esse: similiter &
discipulis,quandò cum eis comedit & bibit,vel
vbicúquè apparuit eis.Similiter cogitaui quòd
Angeli apparuissent vestiti.Vndè legitur de il-
lis secundùm Ioannem, Vidit Angelos in albis B
sedentes. Et in die Assumptionis eius ad cælos
legitur, Ecce duo viri adstiterunt iuxta illos in
vestibus albis,qui & dixerunt:Hic Iesus qui as-
sumptus est à vobis in cęlũ sic veniet,quemad-
modum vidistis eum euntem in cælum. Et hìc
nescio, vtrùm vestitus tunc esset, an non. Sci-
mus enim dixisse Angelos eum in ea forma ven
turum esse ad iudicium,qua tunc ascẽdit ad cę-
los.Simili modo cogitaui, quãdò transfigura-
tus est in monte, non amisisse eũ vestimẽta sua,
sed ea facta esse alba sicut nix. Post hoc occur-
rit quòd primi homines Adam & Eua, nudi C
erant antequàm peccarent:Ad quorum condi-
tionem nos venit reuocare redemptor noster,
sed multo meliorem.Quibus,postquàm pecca-
uerunt,fecit Deus tunicas pelliceas.Salua fide,
quamuis nesciam,vtrùm ità vestiti venturi sint
homines,vt Christus apparuit post resurrectio
nem,& Angeli visi sunt:an ità nudi vt primi ho-
mines fuerunt,credo tamen nullam deformita-
tem fieri in spiritalibus corporibus, quæ possit
offendere vel nauseã facere spiritalibus oculis.
Inter has ambiguitates occurrit mihi, vt lege- D
rem Augustinũ de ciuitate Dei,& ad Paulinum
de cura pro mortuis gerenda.Pauca indè excer-
psi,quibus tamen intelligi potest,exequias nos
debere facere circa mortuos nostros potiùs ꝓ
nostra salute, quàm pro illorum. & si non fue-
rint exequiæ,ipsis, qui in Christo mortui sunt,
nihil obesse.& quòd qui eis facit exequias, ob
amorem illius facit, qui promisit corpora re-
surrectura. Dicit idem in primo libro de ciui-
tate Dei, capitulo duodecimo: Multa itaque
corpora Christianorũ terra non texit: sed nul-
lum eorum quisquam à cęlo & terra separauit,
quam totam implet præsentia sui,qui nouit vn-
dè resuscitet quod creauit. Dicitur quidem in
psalmo: Posuerunt morticina seruorum tuorũ
escas volatilibus cęli, carnes Sanctorũ tuorum
bestiis terræ:Effuderunt sanguinẽ eorum tam-
quàm aquam in circuitu Hierusalem,& nõ erat
qui sepeliret. Et paulò pòst: Quamuis enim
hæc in conspectu hominũ dura & dira videan-
tur,sed preciosa est in conspectu Domini mors
Sanctorum eius.Proindè omnia ista,curatio fu-
neris, conditio sepulturæ,pompa exequiarum,
magis sunt viuorũ solatia,quàm subsidia mor-
tuorum. Iterùm in eodem libro, cap. decimo-
tertio: Nec ideò tamen contemnenda & abii-
cienda sunt corpora defunctorum,maximè iu-
storum atque fidelium,quibus tamquàm orga-
nis & vasis ad omnia bona, opera sanctus vtus
est spiritus.Si enim paterna vestis & anulus,ac
si quid huiusmodi, tanto charius est posteris,
quanto erga parentes maior affectus,nullo mo
do ipsa spernenda sunt corpora,quæ vtiq; mul-
to familiariùs atque coniunctiùs,quàm quæli-
bet indumenta gestamus. Hæc enim non ad or-
namentum vel adiutorium,quod adhibetur ex-
trinsecùs,sed ad ipsam naturam hominis perti-
nent. Vndè & antiquorum iustorum funera of-
ficiosa pietate curata sunt,exequiæ celebratæ,
& sepultura prouisa,ipsiq; cùm viuerent, de se-
peliendis vel etiã transferẽdis suis corporibus
suis mandauerunt, Et Tobias sepeliendo mor-
tuos Deum promeruisse,teste Angelo,commẽ-
datur. Ipse quoquè Dominus die tertio resur-
recturus,religiosæ mulieris bonum opus prędi
cat,prædicandumq; commendat,quòd vnguẽ-
tum precioſum super mẽbra eius effuderit,atq;
hoc ad eum sepeliendum fecerit. Et laudabili-
ter commemorantur in Euangelio, qui corpus
eius de cruce acceptum, diligenter atque ho-
norificè tegendum sepeliendumque curarunt.
Verùm iste auctoritates non hoc admonent,
quòd insit vllus cadaueribus sensus:sed ad Dei
prouidentiam, cui placent etiam talia pietatis
officia,corpora quoquè mortuorum pertinere
significant propter hdẽ resurrectionis adstruẽ-
dam.Vbi& illud salubriter dicitur,quãta pos-
sit esse remuneratio pro eleemosynis, quas vi-
uentibus & scientibus exhibemus,si neque hoc
perit apud Deum, quòd exanimis hominum
membris officia diligentięq; persoluuntur. Ex
istis verbis sancti Augustini apparet,quòd pro
pterea debeamus exequias celebrare circa mor
tuorum hominum corpora, quia Deus vult ea
resuscitare.Eccè manifestæ sunt exequiæ mor-
tuorum, manifestatusq; est affectus hominis,
qui debet esse circa exequias mortuorum:Nũc
dicendum est de officiis vespertinalibus,& no-
cturnalibus, atque matutinalibus.

De officiis mortuorum. Cap. 42.

HAbemus scriptum in quodam Sacramen- E
tario, quòd officia mortuorum agenda
sunt circa tertiam diem, & septimam,& trice-
simam.Quod nõ ità intelligo,quasi ille,qui ter-
tia die agere vult officia mortuorum, debeat
prætermittere priores duos dies sinè supplica-
tionibus: aut qui in septima die,sex superiori-
bus debeat tenere in ocio:aut qui in tricesima,
viginti & nouem vacare ocio: Sed quòd tertia
die dicũtur celebrari officia mortuorum, duo-
bus modis possit, id est, vt tertia die infra se-
ptem, septima infra triginta celebriùs aguntur
circa officia mortuorum, quàm in cæteris die-
bus siue vt tertia die consumet illa. Simili mo-
do dicimus de septima & trigesima. De his
tribus terminis ponemus auctoritatem san-

ctarum scripturarum. Dicitur in libro sa- A
pientiæ de exequiis: Fili,in mortuum produc
lachrymas,& quasi dira passus,incipe plorare,
& secundùm iudicium contege corpus illius,
& non despicias sepulturam illius. Propter
delaturam autem amarè fer luctum illius vna
die, & consolare propter tristitiam. & fac lu-
ctum secundùm meritũ illius vno die, vel duo-
bus propter detractionem. Vbì primò dixit,
propter delaturam vno die ferre luctum, & po-
steà, propter detractionẽ vno vel duobus die-
bus, tres dies introducit in luctum. Possumus
per tertiam diem commendati defuncti, ter- B
tiam diẽ resurrectionis Domini ad memoriam
reducere: vt eo dierum numero deprecemur
pro nostro defuncto, quatenùs mereatur per
remissionem peccatorum, particeps fieri resur-
rectionis Christi. Pro qua re triduanum ieiu-
nium Niniuitæ fecerunt secundùm septuagin-
ta,vt in Christi glorificatione per resurrectio-
nem ex mortuis,delerentur peccata eorum.Vn-
dè dicit Augustinus in libro quæstionum Gene
sis: Nec septuaginta interpretes, quos legere
consueuit Ecclesia,errasse credendi sunt, vt nõ
dicerent quadraginta dies,sed triduum, & Ni- C
niue euertetur. Et post pauca:Triduum posue-
runt, quamuis non ignorarent,quòd dies qua-
draginta in Hebręis codicibus legerentur,vt in
Domini Nostri Iesu Christi clarificatione in-
telligerentur dissolui aboleriq;peccata.De quo
dictum est,Qui traditus est propter delicta no-
stra,& resurrexit propter iustificationẽ nostrã.
Clarificatio autẽ Domini & in resurrectione,
& in cęlos Ascensione cognoscitur.Secunda igi
tur celebratio pro defunctis in septimo die,ha-
bet auctoritatem in Genesi memorato.Habuit
quoquè, inquit, Ioseph in comitatu currus & D
equites, & facta est turba non modica. Vene-
runtque ad aream quę sita est trans Iordanem,
vbì celebrantes exequias planctu magno atq;
vehementi, impleuerunt septem dies. Vndè
memoratus Augustinus in memorato libro quę
stionum scribit: Et fecit luctum patri suo septẽ
dies.Nescio vtrùm inueniatur alicui Sanctorũ
in scripturis celebratum esse luctum nouẽ dies,
quod apud Latinos nouendia appellant. Vndè
mihi videntur ab hac consuetudine prohibẽdi,
si qui Christianorum istum in mortuis suis nu-
merum seruant,qui magìs est in gentilium con- E
suetudine. Septimus verò dies auctoritatem in
scripturis habet. Vndè alio loco scriptum est,
Luctus mortui, septem dierum: Fatui autem,
omnes dies vitę eius.Septenarius autem nume-
rus propter Sabbati sacramentum, præcipuè
quietis indiciũ est. Vndè meritò mortuis tam-
quàm requiescentibus exhibetur†. Tertia agi-
tur tricesimo die,quam nobis Aaron & Moyses
in auctoritatem ducunt, de quo dictum est in
scriptione de Missa:Quoniam sic certamus pro
nostris defunctis, quatenùs possint participes
fieri eorũ, quos CHRISTVS reuocauit à clau-
stris inferni,in ea commemoratione simili mo-

do celebramus officia pro ipsis, quomodò ce- A
lebrantur in illis diebus, quando CHRISTVS
descendit ad inferna,& in quibus creditur mor
tuus. Non enim possumus intelligere de omni-
bus,qui sint, qui ilicò postquàm recesserint de
corpore, penetrent regna cælorum, aut qui in
aliis custodiis recipiantur.Igitur vno modo fa-
cimus mortuorum officia. Sunt etiàm loca,in
quibus generaliter pro omnibus defunctis om-
ni tempore, excepto Pentecostes & festis die-
bus,in officio vespertinali & matutinali oratur.
Sunt & alia, in quibus Missa pro iisdem quoti-
diè celebratur: Sunt etiam & alia, in quibus in B
initio mensis nouem psalmi, & nouem lectio-
nes totidemq; responsorij pro eis cantantur.
Quid hoc valeat,Augustinus in libro ad Pauli-
num de cura gerenda pro mortuis, monstrat:
Non sunt,inquit,prætermittendæ supplicatio-
nes pro spiritibus mortuorum, quas faciendas
pro omnibus in Christiana societate defunctis
etiam tacitis nominibus, quorum sub generali
commemoratione suscepit Ecclesia:vt quibus
in ista vita desunt parentes,aut filij, aut quale-
scunq; cognati,vel amici,ab vna eis exhibeatur
pia matre communi.Si autem deessent istæ sup-
plicationes,quæ fiunt recta & pia fide ac pieta-
te pro mortuis,puto quòd nihil prodesset spi-
ritibus eorum, si quamlibèt locis sanctis exani-
ma corpora ponerentur.

Repetitio de tribus Psalmis baptismalibus. Cap. 43.

DIximus in superioribus, tres psalmos ba-
ptismales per noctes nobis ad memoriam
reducere tria opera Christi, hoc est,repulsio-
nem dæmonum, effectum sanitatum, & resur-
rectionem nostram, simulq; triduanam sepul-
turam Domini: Atq; alio modo, Officia die-
rum baptismalium, Spiritus sancti deductionẽ
in terra recta, & tres psalmos noctium,fidem,
spem,& charitatem:At nunc addimus,in operi-
bus tenebrarum ceu in nocte,tria esse vitia ori-
ginalia,id est,suggestionem diaboli, carnis de-
lectationem,& consensum animi. Propter hæc
tria vitia vice trium virtutũ, scilicet fidei,spei,
& charitatis, tres psalmos cantamus, quibus
memorata vitia repellantur de nostris catechu-
menis.Qualiter celebrandũ sit officium in Do-
minica nocte, quę est octaua post pascha Do-
mini,ex superioribus verbis monstratur:In qui
bus narratur de octo beatitudinibus,& de ope-
re septiformis spiritus,atque eius perfectione,
ac de octo feriis regenerati hominis.

Repetitio de Antiphona, Fluminis impetus,quæ cantatur in Theophania. Cap. 44.

SOlent mussitare de psalmo, Deus noster re-
fugiũ, quarè præpostero ordine ponatur in
tertia periocha.De qua re ita dicimus,sequen-

Universidad de Deusto
Biblioteca

tes ordinem Euangelij: Priùs venerunt Magi adorare Dominũ, quàm baptizatus esset: ideò officia quæ celebrantur in prima periocha, designant Christianos, & quodammodò imitantur munera & obsequia Magorum. Magi obtulerunt aurum, thus, & myrrham. Sicut enim præcipuum metallum est aurum, ita hoc munus mancipatur præcipuo officio, id est, regali. Per hoc munus Christo oblatum, potest designari regalis potestas cum omnibus suis subditis vẽtura ad Christum. Hæc enim signant secundæ periochæ Antiphonæ. Thus igne adustum, redolet suauiter, & pertinet ad ministerium sacerdotum. Thus quod tunc fuit oblatum Christo, potest signare sacerdotes & religiosos ministros ecclesiæ, qui ex igne cordis thus orationum oblaturi erant Christo. Per myrrham potest designari omnis summa electorum. Myrrha est pigmentum feruens. Quicunque parati sunt animo ad commoriendum pro Christi nomine, myrrham offerunt: In qua summa colligitur plebs & populus, qui notati sunt in Antiphonis: Afferte Domino filij Dei: &, Omnes gentes quæcunq; fecisti: ac, Venite, adoremus. Porrò tertia periocha Christi baptismũ celebrat: Vndè & responsorium, In columbæ specie: &, Hodiè in Iordane, in ea cantamus. Antiphona, Fluminis impetus, Apostolorum corda repleta de Spiritu sancto in die Pentecostes, monstrat, qui posteà semper & vbique baptismum prædicauerunt. Tertia periocha per suos psalmos continet eúctum illum, qui fuit eo tempore, quandò Apostoli prædicauerunt baptismum, cui euentui congruit psalmus, Deus noster refugium. Antiphona monstrat, quomodò Spiritus sanctus lætificauit Apostolos, vt sanctificarent tabernaculum Domini per baptismum. Cæteri versus sonant, quòd homines mundi contra hoc agerent, sicuti sunt isti, Propterea non timebimus dum turbabitur terra, & transferentur montes in cor maris: Sonuerunt & turbatæ sunt aquæ eorum, conturbati sunt montes in fortitudine eius. Psalmus, Cantate Domino, monstrat, quòd omnes dij gentium sunt dæmonia, Et iterùm de atrocitate gentilium infidelium, & lætitia credentium dicit, Commoueatur mare & plenitudo eius: gaudebunt campi, & omnia quæ in eis sunt, & reliqua. Dominus regnauit, exultet terra, lętentur insulæ multæ, prædicationem Apostolorum monstrant, nihilominus & subuersionem idolorum. Ita inquit versus:

Alluxerunt fulgura eius orbi terrę, vidit & commota est. Montes sicut cera fluxerunt a facie Domini, à facie Domini omnis terra. & in sequentibus, Confundãtur omnes qui adorãt sculptilia.

De versu repetitio, & de Pentecoste, & de Calice. Cap. 45.

VErsus hoc habet singulare, vt excitet corda cantantium ad requirendum faciem Domini in oratione. Idcircò sæpissimè ante orationem præcedit. Versus, qui dicitur in nocturnali officio ante orationem, quę præcedit lectionem, intenta vult facere corda præsentium ad lectionem. Notum est quòd sessio plùs pertinet ad securitatem, quàm statio. Securitas enim parit negligentiam inter ignauos. Ideò præcedit oratio ante sessionem, vt Domini pro rectio nostra corda eripiat ab omni securitate fallaci. Ante hymnos, Magnificat, & Benedictus Dominus Deus Israel, præcedit Versus, quoniam sic debemus esse vigilantes & intenti ad verba hymnorum memoratorum, vt in oratione. In cæteris cursibus ante nouissimam orationem præcedit. Oratio & benedictio semper in fine sunt, antequàm disiungantur fratres singuli ad propria. Morem tenet iste vsus antiquæ Ecclesiæ. Ità legitur in Actibus Apostolorum de Paulo, quandò recessit ab Epheso, & Ephesiis prędixit, iam faciem suam non visuros eos ampliùs: Et cùm hęc dixisset, positis genibus suis, cum omnibus illis orauit. Similiter quandò de Tyro recessit, Deducentibus nos omnibus cum vxoribus & filiis vsque foras ciuitatem, & positis genibus in littore orabamus: & cùm valefecissemus inuicem, ascendimus in nauim: illi autem redierunt ad sua. Oratio nouissima ideò communiter celebratur in nouissimo, vt vnusquisque tali scuto, id est, communi oratione rediens ad sua, muniatur contra omnia aduersa. Hanc orationem vocauit Sanctus Ambrosius postulationem. Postulationem namq; Augustinus deputat in oratione Missę, quam solet sacerdos dicere post communionem. Quam orationem vbiq; subsequitur benedictio & gratiarum actio: hoc enim sonant verba, Benedicamus Domino: & Deo gratias. Hæc enim vtraq; ad gratiarum actionem referenda sunt, qua oratione Paulus concludit cæteras orationes.

Repetitio de Pentecoste. Cap. 46.

POst superiora descripta inuẽni iterum authenticum perspicuum Ambrosianum de quinquaginta diebus post Pascha. Quod malui hìc introducere, quãuis non in suo locò, quàm pigritia præterire. Dicit Ambrosius in tractatu super Lucam: Maiores nobis tradidere, Pentecostes omnes quinquaginta dies vt paschæ celebrandos. & post pauca: Ergò per hos quinquaginta dies ieiunium nescit Ecclesia; sicut Dominica, qua Dominus resurrexit, & sunt omnes dies tamquàm Dominica.

Repetitio de Pentecoste. Cap. 47.

NVperrimè monstratum est mihi, vt puto ab eo, qui quod aperit, nemo claudit, quid rationabiliter possit dici de corpore Domini posito in altari, & de calice ex latere eius, saluo magisterio eorum qui aliàs & meliùs mihi volunt aperire, quomodò & quarè aliter panis ponẽdus sit in altari, & calix iuxta eum. Altare, crux Christi est, ab eo loco, vbi scriptum est in canone, Vndè & memores sumus, vsquedùm inuoluitur calix de sudario diaconi vice Ioseph, qui inuoluit corpus Domini sindone & sudario. De quo altari dicit Beda secundo libro super Apocalypsin: Alia editio habet, super aram, eo quòd super altare crucis thuribulum suum aureum, id est, corpus immaculatum & spiritu sancto conceptum obtulerit patri pro nobis. Panis extensus super altare, corpus Domini monstrat extensum in cruce, quod nos manducamus. Vinum & aqua in calice, monstrant sacramenta, quæ de latere Domini in cruce fluxerunt, id est, sanguinem & aquã, quibus nos potat Dominus noster. De quo potu mysticè dicit memoratus Ambrosius in libro memorato. Quæro etiam, cur ante mortem non inueniamus esse percussum, post mortem inueniamus, nisi forte vt potus eius fuisse doceatur, & ordinem mysticum nouerimus: quia non antè altaris sacramenta, pòst baptismum: sed baptismum antè, & sic poculum. Et paulò pòst: Aqua enim & sanguis exiuit, Illa, quæ diluat: iste, qui redimat. Bibamus ergò preciũ nostrum, vt bibẽdo redimamur.

Explicit liber quartus Amalarij de diuinis officijs.

AMALARII FORTVNATI TREVIRENSIS EPISCOPI DE ORDINE ANTIPHONARII LIBER.

Incipit Prologus de ordine Antiphonarij.

QVM longo tempore tædio affectus essem propter Antiphonarios discordantes inter se in nostra prouincia, moderni enim alio ordine currebant, quàm vetusti: & quid plùs retinendum esset, nesciebam: placuit ei qui omnibus tribuit affluenter, ab hoc scrupulo liberare me, inuenta copia Antiphonariorum in monasterio Corbiẽ, id est, tria volumina de nocturnali officio, & quartum, quod solummodò continebat diurnale: certaui à pelago curiositatis, carbasa tendere ad portum tranquillitatis: Nam quandò fui missus Romam à sancto & Christianiss. Imperatore Hludouico ad sanctum & Reuerẽdissimum Papam Gregorium de memoratis voluminibus, retulit mihi ità idem Papa: Antiphonarium non habeo, quem possim mittere filio meo Domino Imperatori, quoniam hos quos habuimus, Vuala quandò functus est huc legatione aliqua, abduxit eos hinc secum in Franciam. Quæ memorata volumina contuli cum nostris antiphonarijs, inueniq́ue ea discrepare à nostris non solùm in ordine, verùm etiã in verbis & multitudine Responsoriorũ & Antiphonarum, quas nos non cantamus. Nam in multis rationabiliùs statuta reperi nostra volumina, quàm essent illa. Mirabar quomodò factum sit, quòd mater & filia tantum à se discreparent. Inuẽni in vno volumine memoratorum Antiphonariorum ex his quæ infrà continebantur, esse illud ordinatum prisco tempore ab Adriano Apostolico. Cognoui nostra volumina antiquiora esse aliquanto tempore volumine illo Romanæ vrbis. In quibus tamen alicubì cognoui corrigi posse nostra ab illis, & in aliquibus nostra esse rationabiliùs & satiùs statuta, vt prætuli: arripui medium inter vtraque, vt à nostris, vbì meliùs erant ordinata, nõ discederem: & vbì poterant corrigi à voluminibus Vrbis, non negligerem, seu in ordine, seu in verbis. Vbì nostri moderni cantores rationabiliùs authenticis verbis statuerunt officia sua, diuidendo antiphonas per ferias, necnon & responsorios, & in festiuitatibus Sanctorum antiphonas distribuendo singulis vigilijs suas, scripsi primò ordinem Romanum, deinde nostrorum cantorum. Et vbì talem ordinem reperi

Universidad de Deusto
Biblioteca

reperi deficere, addidimus illum ex vtrisque voluminibus, vt se demonstrabunt feriæ & hebdomadæ ante natiuitatem Domini, & hebdomada Paschalis. Vbi ordo responsoriorum & antiphonarum in perspectis voluminibus dissonare videbatur ab ordine librorum, de quibus sumpta sunt, & à consonantia quę ratione adsti pulatur, non dubitaui sequi in nostro Antipho nario ea potiùs, quæ historiæ & rationi istius vel illius festiuitatis visa sunt congruere. Vbi ordinabiliùs visum est mihi scriptum haberi in Antiphonario Romano, quàm in nostro, ibi scripsi in margine, R. propter nomen Vrbis Romæ: Et vbi in nostro, M. propter Metensē ciuitatem: Vbi nostrum ingenium cogitauit aliquid posse rationabiliùs illis ordinare, I.C. propter indulgentiam & charitatem. Idcircò precor Cantores, vt non priùs despiciant nostra, quàm discutiant ea, iuxta ordinem librorum & rotunditatem rationis. Et si inuenerint minùs congruè ea ordini librorum & rationi alicui, dent indulgentiam meæ imperitiæ: Sin autem, non despiciant edere nostra olera, quæ rubra testa illis ministrat. In versibus, quos penè mutatos reperiet, si fortè quis dignum duxerit præsens volumen frequentare, laborauit & sudauit sacerdos Dei Elisagarus apprimè eruditus, & studiosissimus in lectione & diuino cultu, necnon & inter priores primus palatij excellentissimi Hludouici Imperatoris. Non solùm ille, sed & quoscunque de eruditis viris ad se potuit conuocare, in præsenti negocio su dauerunt. Quamùis enucleatissimè mutati versus coniuncti sint responsorijs suis: tamen quos aptos reperi, transcurrendo in prioribus Antiphonarijs, non dubitaui inferere in nostro Antiphonario, vt inuéni insertos. Notandum est, necessarium nobis esse, vt alteros versus habeat noster Antiphonarius, quàm Romanus: quoniam altero ordine cantamus nostros responsorios, quàm Romani. Illi à capite incipiunt responsorium, finito versu: nos versum finitum informamus in responsorium per latera eius, ac sic facimus de duobus corporibus vnum corpus. Ideò necesse est, vt hos versus quæramus, quorum sensus cum medijs responsoriorum cõueniat, vt fiat vnus sensus ex verbis responsorij, & verbis versus. Hoc prospexit memoratus vir & gloriosus presbyter Elisagarus: qua de re certauit, vt ex diuersis libris congregaret versus conuenientes responsorijs, quos nos & alij multi cupiunt frequentare in nocturnali officio. In omnibus istis assensus me adiuuat summi ac sanctissimi Apostolici Gregorij, qui interrogationi sancti Augustini satisfecit, vt vndecunque vellet colligere Ecclesiastica officia, & addere seu inserere Romano ordini, licenter colligeret, & vsui suorum tribueret. Vndè scriptum est in historia Anglorum libro primo, capite quinto. Interrogatio Augustini: Cum vna sit fides, sunt Ecclesiarum diuersæ consuetudines, & altera consuetudo Missarum in Romana Ecclesia, atque altera in Gallia tenetur. Respondit Gregorius Papa: Nouit fraternitas tua Romanæ Ecclesię consuetudinem, in qua se meminit nutritam: sed mihi placet, vt siue in Romana, siue in Galliarum, seu in qualibet Ecclesia aliquid inuenisti, quod plùs omnipotenti Deo possit placere, solicitè eligas, & in Anglorum Ecclesia, quæ adhuc ad fidem noua est, institutione præcipua, quæ de multis Ecclesijs colligere potuisti, infundas. Non enim pro locis res, sed pro bonis rebus loca amanda sunt. Ex singulis ergò quibusq; Ecclesijs quę pia, quę religiosa, quę recta sunt elige, & hæc quasi in fasciculum collecta, apud Anglorum mentes in consuetudinẽ depone. Huculquè beati Gregorij. In multis locis prænotaui in primo ordine nomina Responsoriorum & Antiphonarum iuxta ordinem Antiphonarij Vrbis, & coniunctim in secundo iuxta ordinem nostrę consuetudinis: vt vtraq; haberet psalta prę oculis, & illud caneret, quod iudicio mentis potiùs eligeret. Notandum est, volumen, quod nos vocamus Antiphonarium, tria habere nomina apud Romanos. Quod dicimus Gradale, illi vocant Cantatorium: qui adhuc iuxta morem antiquum apud illos in aliquibus Ecclesijs in vno volumine continetur. Sequentem partem diuidunt in duobus nominibus: Pars quæ continet responsorios, vocatur Responsoriale: Et pars quę continet antiphonas, vocatur Antiphonarius. Ego secutus sum nostrum vsum, & posui mixtim responsoria & antiphonas secundùm ordinem temporum, in quibus solennitates nostræ celebrantur.

De his quæ meo interrogatui responsa sunt à Magistris Romanæ Ecclesiæ.

INterrogaui Archidiaconum Theodorum sanctæ Romanæ Ecclesię, quem rogauit Dominus Apostolicus, vt me instrueret iuxta interrogationem meam de ordine Romani officij, quot versus cantaret Romana Ecclesia in responsorio, *Adspiciens à longè*, respondit, Duos. Scisitatus sum, cur duos cantasset extra solitum morem in illo responsorio: Respondit, Propter honorem magnæ festiuitatis. Reperi postea non solùm in isto, id est, *Adspiciens à longè*, tres versus, vt in nostro Antiphonario continetur: sed etiam in alijs multis in Romano Antiphonario aut duos, aut tres scriptos. Visum est mihi, vt ratio talis reddi possit de tot versibus. Quandò contingit bis aut ter vnũ responsorium cantari in vna hebdomada, aut in hebdomadis, cui subnexi sunt tres versus aut duo conuenientes, vt vnus cantetur in vna nocte, alter in altera, tertius in tertia. Interrogaui, quotus ordo responsoriorum celebraretur in Dominica nocte, quam solemus nominare Octauas Paschæ. Responsum est, Nouenarius, in ea cantamus de auctoritate. Similiter interrogaui de officio Pentecostes. Responsum est, Nouem cantamus, vt in cæteris Dominicis noctibus. Interrogaui memoratum Archidiaconum, quo ordine responsorios cantarent post octauas Pentecostes vsque in Aduentum Domini. Responsum est, In octauis Pentecostes incipimus legere librum Regum: In eadem prima hebdomada cantamus responsorios de psalmis. In sequentibus hebdomadis vsque in Augustum mensem, de historia Regum. In prima hebdomada Augusti, legimus Salomonem, & responsorios cantamus de Psalmis. In sequẽtibus vsq; in Septembrem mensem de Salomone. In prima hebdomada Septembris legimus Iob, & cantamus responsorios de psalmis: In duabus sequentibus de Iob, In nouissima hebdomada mensis memorati, de Tobia. In primis duabus hebdomadis mẽsis Octobris, de Iudith & de Hester & Esdra, in duabus nouissimis mẽsis suprascripti de Machabæis. In prima hebdomada mensis Nouembris, legimus de Prophetis, responsorios cantamus de psalmis. In cæteris sequentibus vsq; in Aduentum Domini de Prophetis. Interrogaui si aliquid dicerent, Magistri Romanorum inter interstitium nocturnalis officij, & matutinalis. Responsum est mihi, Nihil, sed continuò post nocturnale officium dicunt, *Deus in adiutorium meum intende*. Orationem Dominicam non cantant post psalmos nocturnales: sed dicunt aliquod capitulum tale, quale istud est: *Intercedente* Beato principe Apostolorum Petro, saluet, & custodiat nos Dominus. Sæpè in octo responsorijs & nouem lectionibus finiunt nocturnale officium. Interrogaui si canerent per Dominicas noctes, *Te Deum laudamus*. Responsum est, Tantùm in natalitijs pontificum, TE Deum laudamus, canimus. Hic inserimus, quomodò inuenimus scriptum de auctoritate Adriani Apostolici: In nomine Domini nostri Iesu Christi incipit responsoriale de circulo anni temporibus ter beatissimi & Apostolici Domini Adriani Papæ per Indictionem septimam. Item in fine: Hoc opus summus reparat Pontifex dominus Adrianus sibi memoriale per secla.

Prænotaui obelo Alleluia, quod sequitur psalmum, Confitebor tibi Domine, in Pascha Domini ad vesperum. Scripsi illud, vt inuéni in Romano Ordine, quod tamen apud nostrũ ordinem videtur superfluum esse. Scripsi olim in libello qui vocatur Officialis, de tempore Septuagesimæ, & de mysterio eiusdem numeri, & de cæteris officijs, quæ aguntur in Ecclesia per annum, siue sint nocturnalia, siue diurnalia: Nunc dicturus, Deo miserante, de ordine Antiphonarij, cupio summatim aliquid scribere, quasi quoddam manuale de solis nocturnalibus officijs, & de his, quæ vocantur vulgò Cursus. Quo ad memoriam reducto, renouetur mens ad desiderium cælestis patriæ, recorderurq; quomodò ad eam reuocata sit, & quomodò quotidiè reuocetur, & quod per singulas horas noctis & diei possit seruire Domino per eosdem cursus, atque in nouissimo diei vota sua reddere pro eo, quòd quinque sensus virginitatis suæ, suam pulchritudinem seruauerint, & suum habitum sponso suo: Quandò affectibus his attingitur animus meus, quos subtèr notare cupio per singulos cursus, afficior nempe dulcedine dilectionis Dei, & dilectionis proximi, æternæq; patriæ, & præsentiæ saluatoris nostri: Simulq; notandum, quòd deficit animus meus ab adiutorio humano, & cofirmat se in adiutorium Domini, separaturque à terrenis & caducis, & coniungitur cælestibus & spiritalibus.

Explicit Prologus.

Incipit adnotatio de nocturnalibus officijs & Diurnalibus, quæ vulgò Cursus vocantur. Cap. 1.

REstauratio & renouatio status nostræ innocentiæ, in Christi Resurrectione reddita est nobis. Idcircò locuturi, quod Dominus dederit, de nocturnalibus & diurnalibus officijs à Dominica nocte, quam Dominus sua resurrectione prætulit cæteris noctibus, incipiẽdum est. In Dominica nocte congruè iuxta cõsuetudinem Romanæ Ecclesiæ à somno surgẽtes, dicimus primò, [*Domine labia mea aperies*] & post hunc versum glorificamus S. Trinitatẽ, quę glorificanda est & de præteritis, & de præsentibus, & de futuris. Posteà dat tuba cãtoris signum per antiphonam inuitatoriam, vt excitentur Christiani circunquaque, & concurrant ad scholam doctorum & pastorum ecclesiarum. Vndè Dominus Beda in tractatu suo super Lucam de quodam versu psalmi inuitatorij sic: At, inquit, cùm eisdem operis cõpares quæro canendo cum Propheta, Venite, adoremus & procidamus ante Dominum, ploremus coram Domino, qui fecit nos, columbas ad altare deporto. Post hanc antiphonam, canuntur duodecim psalmi ante lectiones & responsorios. Duodenarius numerus vniuersitatem temporis & rerum continet in se. In duodecim psalmis imbuitur apud ecclesiasticos viros memoria sanctorum Patrum, qui ante legem excoluerunt vineam Domini. Per hunc numerum instruuntur, qui ad nocturnale officium occurrunt de eo, quod Dominus ab initio mundi habuit prædicatores in sua Ecclesia, qui populum Dei coluerunt suis laboribus, vt reditum quæreret ad propriam patriam per Christi resurrectionem. Primus psalmus, *Beatus vir*, concinit quodammodò Abel iusto homini, cuius sanguis effusus est in typo sanguinis Christi. Et Psal. [Domine Deus meus in te speraui] Noe & filijs eius, atque vxoribus eorum, quæ saluę factæ sunt per aquam. Et, [Saluum me fac Domine, quoniam defecit sanctus] Abrahę, qui solus restitit, nè adoraret idola,

Universidad de Deusto
Biblioteca

idola, cæteris corruentibus in ea. Dehinc sequitur versus. Versus dicitur ille cantus, per quem reuertitur intentio mentis in aliam intentionem, quasi quædam compositio officialis, disponens iter mentis suaui cantilena de vno affectu ad alterum. Verbi gratia, De psalmodia ad lectionem: de solicitudine omnium Ecclesiarum ad propriam conscientiam, quæ conuersio ad discitur in responsorijs: Iterùm de psalmodia ad Euangelicum hymnum, siue ad orationem Dominicam, cuius prologus solet esse [Kyrie eleison & Christe eleison] seu ad orationem, quam solet proferre solus sacerdos. Iste status mentis in multis Ecclesijs demõstratur per statum membrorum. In multis Ecclesijs in principio cantus, qui vocatur Versus, vertit se chorus ad altare. Post versum sequuntur tres lectiones cum suis responsorijs. Meritò nostra Ecclesia post cultum Abrahę, transit ad scholam disciplinæ. Abel & Enoch sancti & iusti viri fuerunt: sed non sunt vocati patres gẽtium, neque patres Christi, neque in signo positi sunt fidei gentilis populi: Abraham à Matthæo Euangelista ponitur in primo ordine genealogię Christi: Abraham dicitur pater multarum gentium: Abraham accepit signũ fidei, quæ est in præputio. Talis agricolæ excipienda est doctrina, & tenenda. Nam & status tẽporis admonet nos, ab Abraham lectiones & responsorios celebrare. Sexta diei hora legitur in Euangelio Matthæi Abraham intrasse ad agriculturam: Nos verò mediæ noctis tempore admonemur procedere ante Dominum exẽplo psalmographi, dicentis: Præuéni in maturitate, hoc est, in media nocte. Quod aliquandò nostra infirmitas solet protrahere vsque ad gallicinium. Meritò memoria eorum mortuorum, qui in Christo mortui sunt, recolitur per noctem, quoniam eorum transitus & quies nocti comparatur, dicente Euangelio: Veniet autem nox quandò nemo poterit operari. Per psalmos opus prædicatorum monstratur, per lectiones doctrina. In isto ordine sequimur textum Lucę Euangelistæ, dicentis: Primum quidẽ sermonem feci de omnibus, ò Theophile, quæ cœpit Iesus facere & docere. Doctrina namque prędicatorum querit imitatores. Ad hoc enim surgit cantor à sede, & exaltat vocẽ in responsorio, vt excitet mentes quæ audierunt doctrinam ad actiones bonas. Surgunt nãque deuotæ mentes per deuotionem bonorum operum in responsorio, vt respondeant exhortatori. Ordo postulat exhortatoriæ functionis, vt tale aliquid præcedat exhortationem quod intentum faciat audientem, & afficiat ad sequẽdum: vt in promptu monstratur, vbi vtilitas lectionis diuinarum scripturarum præcedit exhortatoriam vocem cantoris. Et vt nullatenùs mens exhortatoris possit per aliquam arrogantiam propter citatam responsionem subiectorum eleuari, constringitur versu, in quo solus debet laborare. Quo facto admonetur ex prijs laboribus & ex propria conscientia, se scire esse mensurandum ante tribunal Christi, nõ ex opinione populi & discipulorum. Priscis tẽporibus non cantabatur Gloria post Versum, sed repetebatur responsorius. Ordo rationi cõgruus, vt qui cœpit exhortator fieri propter reditum ad cælestem patriam, perseueret in eo vsque in finem. A modernis verò Apostolicis additus est hymnus, [Gloria Patri & Filio & Spiritui sancto] post versum, quo admonemur, vt ex omnibus donis atque datis semper laudemus creatorem. Ad quam patriam & societatem nos intentet exhortari chorus sanctorum prædicatorum per Christi resurrectionem, numerus lectionum & responsoriorum, qui celebratur in Dominica nocte, euidenter manifestat, scilicet ad cęlestem Hierusalem & nouem ordines Angelorum. Qui rectiùs & equiùs nõ possunt diuidi, quàm ternario numero per interstitia psalmorum trium vigiliarum, in quibus recoluntur tria tempora nominata in Euangelio, id est, prima vigilia, & secunda vigilia, & tertia vigilia. Nam in prima vigilia recolitur eorum resurrectio futura in Christo, qui ante legem coluerunt vineam Domini: In secũda, eorum qui post legem datam vsque in aduentum Christi: In tertia, Christi discipulorũ. Huius enim excellentia in tribus nouissimis psalmis canitur Alleluia. Horum psalmorum diuisio sic se habet: [Conserua me Domine] memorat quiescentes in Christo de Leuitico genere. [Exaudi Domine iustitiam meam] requiem iudicum: [Diligam te Domine] regum veteris testamenti palmam. [Cęli enarrant] prędicatorum noui Testamenti. [Exaudiat te Dominus in die tribulationis,] martyrũ Christianorum triumphum. [Domine, in virtute tua,] regnum manens spiritualium regum. Hæ personæ membra sunt capitis illius, cuius regnum memoratur in psalmo, Dominus regnauit, decorem induit. Hoc differt inter tres nocturnas Dominicales, & tres quæ per cæteras noctes canuntur, quandò festiuitas est sanctorum, quòd illæ recolunt resurrectionem corporum, istæ autem beatitudinem animarum sanctarum, quam tunc percipiunt, quandò fiunt ciues spirituum cælestium & bonorum.

De Matutinali officio per Dominicas noctes. Cap. 2.

OFficium matutinale Dominicalium noctium admonet Ecclesiasticos viros prospicere, quomodò primò post Christi resurrectionem fugatis tenebris errorum & vitiorum, primitiua Ecclesia surrexerit ad lucem veræ fidei, quæ est in nouo testamento, & quomodò in posteriore tempore adiungeret sibi Ecclesiã de gentibus, atque iterùm in vnum coniunctas duas ecclesias oporteat eam tribulationibus probari, & per patientiam probatam inueniri, necnon & per probationem ad supernam beatitudinem

dinem peruenire. Primus versus primi psalmi matutinalis officij, demonstrat Christum regnasse post resurrectionem suam, & induisse se decorem & fortitudinem. Secundus versus mõstrat firmatum esse orbem terræ, videlicet Apostolos roboratos Christi resurrectione atque ascensione ad cælos, necnon & effusione Spiritus sancti. Secundus psalmus monstrat eorum intentionem, quam habuerunt, vt multos sibi coniungerent ex Iudæa, & vt vna eademq; fides esset in magistris & subditis, & vna salutio atque vna glorificatio. Tertius psalmus admonet, vt intendatur quòd post Iudæorum salutem eadẽ salus peruueniret ad gentes. Ex persona gentium cantatur psalmus, [Deus Deus meus, ad te de luce vigilo.] Interim repulsa Iudæa, colligetur & ipsa iterùm per prædicationem Enoch & Heliæ, & fiet vna ecclesia ex duobus populis. Idcircò præsentes duo psalmi, id est, [Deus Deus meus ad te de luce vigilo:] &, [Deus misereatur nostri,] non diuiduntur, vt sint in signum illius temporis, quando nulla distantia erit inter fidem gentilis populi & Iudaici: Adunata Ecclesia ex duobus populis, psperabitur per patientiam, vt scriptura dicit, Vasa figuli probat fornax, & homines iustos tentatio tribulationis. Tribulatio enim patientiam operatur. Tres pueri in caminum missi, quorum hymnus canitur in quinto ordine Psalmorum, in tribulatione extiterunt patientes, & non cesserũt minis Nabuchodonosor regis, & ministrorum eius. In sua constantia præfigurant constantiam illorum sanctorum, qui in tempore Antichristi non cedent insidijs & minis eius, sed perseuerabunt in fide catholica. Ipsi erunt patientes in tribulatione, & per patientiam probati inuenientur, & per probationẽ spe beati, De quibus scriptum est: Beati qui expectant & perueniunt vsque ad dies mille trecentos trigintaquinque. Spes autem nõ est sine fide & charitate. Idcircò in nostra ecclesia tres Psalmi canuntur coniunctim, qui referti sunt laude Dei. Docent enim isti tres psalmi, sanctos victuros post interfectionem Antichristi in firmitate fidei, & beatitudine spei, & lætitia dilectionis, atque vnanimitate inseparabili. Post hos psalmos canitur aliqua lectio. Non deerit enim illo tempore cibus spiritalis in Ecclesia, qui augeat lætitiam seruẽ cœptã. Post quam lectionem dicitur versus, [Dominus regnauit, decorem induit.] Iste versus nos docet iterùm electos recitaturos triumphum Christi: post interfectionem Antichristi, qui eius tempore quasi in latibulis silebant. Sicut post tristitiam discipulorũ Christi de eius morte, renouata est mens eorum lætitia de resurrectione eius, vt ruminarent versum, [Dominus regnauit] ità & post tristitiam Christianorum de persecutione Antichristi, renouabitur mens eorum lætitia de eius interfectione, vt canant, [Dominus regnauit, decorem induit.] Post hoc tempus sequitur vt hymnus dicatur, [Benedictus Dominus Deus Israel, quia visitauit & fecit redemptionem plebis suæ.] Sicut eo tempore, quandò hunc cantauit Zacharias, in proximo erat Christi aduentus primus: ità & in nouissimo tempore, de quo superiùs dixi, in proximo erit secundus aduentus eius, in quo sancti seruient Domino sine timore, de manu inimicorum liberati, in sanctitate & iustitia coram ipso omnibus diebus, & cætera bona attribuentur electis Dei, quæ in præsenti hymno canuntur. Vsque ad versus, qui propriè resultant de Ioanne, id est, Tu puer propheta, & deincèps.

De nocturnali officio quotidianarum noctium. Cap. 3.

NVmerus psalmorum qui currit per quotidianas noctes in nocturnali officio, id est, duodenarius, certat per clerum Ecclesiasticum orare pro proprijs peccatis, & pro eorum, quorum oblationibus sustentatur Ecclesia. Scriptũ est in Euangelio Ioannis: Nonne duodecim horæ sunt dicit? Si quis ambulauerit in die, non offendit, quia lucem huius mundi videt: Qui autem ambulauerit in nocte, offendit, quia lux non est in eo. Per 12. psalmos comprehenditur vniuersalis admonitio ad clerũ, vt intercedant pro offensis populorum, quæ in nocte operantur. Et per statum noctis, comprehenditur qualitas peccatorum, dicente Paulo in epist. ad Thessalonicẽs. Omnes enim vos filij lucis estis, & filii diei: non estis noctis neque tenebrarum. Igitur non dormiamus sicut & cæteri, sed vigilemus & sobrij simus. Qui enim dormiunt, nocte dormiunt: & qui ebrij sunt, nocte ebrij sunt. Nos autem qui diei sumus, sobrii simus. Debitores enim sumus nos, qui ex oblationibus fidelium viuimus, tam pro eorum peccatis intercedere, quàm pro nostris. De qua re scribit sanctus Gregorius in homilia sua: Pensemus cuius damnationis sit, sine labore hìc percipere mercedem laboris. Eccè ex oblatione fidelium viuimus: Sed nunquid pro animabus fidelium laboramus? Illa in nostrum stipendiũ sumimus, quæ pro redimendis peccatis suis fideles obtulerunt, nec tamen contra peccata eadem vel orationis studio, vel prædicationis, vt dignum est, insudamus. Nos fratres cantemus in nocturnali officio totidem psalmos, quot horæ sunt in nocte æquinoctiali: & ex statu temporis, discamus, debitores nos esse pro peccatis eorum intercedere, quorum oblationibus sustentamur. Et ex senis antiphonis, quas vicissim chori per singulos versus repetunt, admonemur, vt nostra intentio tendat ad perfectionem bonorum operum, qui pro aliorum peccatis debitores sumus intercedere. Si fecerimus, non erit periculosa & reprehensibilis susceptа oblatio fidelium à nobis, dicente Euangelio: Dignus est enim operarius cibo suo. Recordemurq; sententiæ Iacobi Apostoli, dicentis: Con-

Universidad de Deusto
Biblioteca

tis: Confitemini alterutrum peccata vestra,& orate pro inuicèm, vt saluemini: Multũ enim valet deprecatio iusti assidua. Qualitatem peccatorum,quæ tam facilè remittitur,ex scriptis sancti patris nostri Bedę hìc inserimus. In hac autem sententia debet esse discretio, vt quotidiana leuiaque peccata alterutrùm cœqualibus confiteamur, eaq; quotidiana credamus oratione saluari. Et S. Augustinus in libro Enchiridion: De quotidianis autem breuibus leuibusque peccatis,sine quibus hæc vita non ducitur, quotidiana oratio fidelium satisfaciat.

De numero Lectionum & Responsoriorũ suprascriptarum noctium. Cap. 4.

SAepè inculcatum est, responsorios sequi lectiones propter disciplinam ecclesiasticam, quæ non vult auditores legis tantum habere in sua schola, sed factores, scribente S. Gregorio in suis responsis, ad Augustinum ità: Nam in ipsis rebus spiritalibus, vt sapienter & maturè disponantur,exemplum trahere à rebus etiã carnalibus possumus. Addiscimus ex vigilijs militaribus, ad quid instruamur ex tribus lectionibus & responsorijs. Dicit S. Ambrosius: Imitare milites istius seculi, & te militem esse Christi existima. Armiductores constituerunt in militia sua dormientibus militibus castra tueri per tres vigilias in nocte. Quarta autem est in matutinali tempore, quando nos matutinos cantamus. In memoratis tribus vigilijs vigiles constituti sunt, qui custodiunt militum dormientium corpora, & supellectilem eorum. In militia seculari vicissìm dormiunt milites, & vicissìm vigilant. In Christianorum verò militia dictum est in Euangelio Marci: Quod autem vobis dico, omnibus dico, Vigilate. Tres lectiones & tres responsorij per quotidianas noctes insinuant sanctæ plebi, clerum Ecclesiæ Dei ad hoc esse intentum, vt admoneat per lectionem,hoc est, suam doctrinam;& per responsorium, hoc est, clamorem non paruum mentis prædicando & exhortando populũ Dei ad vigilias, si Dominus domus repentè venerit,serò an media nocte, an galli cantu,an manè, nè inueniat eum dormientem. Si enim venerit Dominus domus secundùm Lucam,in secunda vigilia, & si in tertia vigilia venerit, & pulsanti confestìm aperitur,beati sunt serui illi. Hæc est intentio cleri Dei, vt si quis graui somno addictus, in prima vigilia negligens extiterit, in secunda vigilia solerti cura expectet Dominum reuertentem à nuptijs: Quòd si etiã in secunda vigilia negligens extiterit, saltem in tertia vigilans inueniatur. Notandum est, quòd sicut vnaquęque anima fidelis quacunq; die exuta fuerit corpore, septimã sabbati recipit, & resurrectio sanctorum corporũ octauã diem expectat: ità quæcunque anima cuigilauerit à graui somno negligentię per curam ecclesiasticam, siue in prima vigilia,siue in secũda,siue in tertia, statìm attingit matutinum tẽpus in quarta vigilia. Vt reor, S. Romana Ecclesia hoc speciatìm nobis insinuat per suam cõsuetudinem. Ipsa enim quotocunque ordine vel numero lectionum viderit * maturam procedere, vt audiui, dimittit nocturnale officiũ, & incipit matutinale, Periculosum est enim transgredi terminos patrum;hoc est,nisì aut in maturitate, iuxta auctoritatem prophetæ Dauid surgamus, aut iuxta consuetudinem nostrę fragilitatis, in gallicinio.

* matucam

De Matutinali officio quotidianarum noctium. Cap. 5.

QVoniam homo pars est mundi, apud Græcos appellatur μικρόκοσμος, id est, minor mundus: & ideò non immeritò statui temporũ cõparatur rota natiuitatis humanę. Nox enim dicta est,quòd noceat adspectibus vel negocijs humanis,siue quia fures latronesq; in ea nocẽdi aliis occasionem nanciscantur. Ignorantia mentis, quę solet euenire ex tenebris peccatorum, comparatur nocti. De quo peccato dicit S. Augustinus in libro Enchiridion: Duabus ex causis peccamus, aut nondùm videndo quid facere debeamus: aut non faciendo quod debere fieri iam videmus. Quorum duorum illud ignorantiæ malum est, hoc infirmitatis. Pro his enim, quorum mens obcæcata est ignorãtia peccatorum, orant ecclesiastici viri, vt & ipsi resipiscant, & cognoscant sua peccata. Talìũ mentes solet Christus propter suam misericordiam interuenientibus meritis sanctorũ, visitare quodammodò hora matutina. Matutinum est, secessus tenebrarum, & aduentus aurorę. Eo tempore sol appropinquat ad superiora, vt expellat tenebras à superficie terrę. Adueniente sole vero, expellitur caligo ignorantiæ à mente humana, sicut factum est super Petrum quandò fleuit amarè, & quandò misit Deus Nathan prophetam ad Dauid, vt recognosceret peccatum suum. Iam enim aduentãte aurora dixit Dauid, Peccaui Domino. pro tali statu mentium conuersarum, cantat sancta Ecclesia in matutinali tempore psalmum, [Miserere mei Deus,] quem cantauit Dauid, postquam cognouit peccatum suum. In isto psalmo fides purificans corda, innuit menti remissionem peccatorum, per symbolum, dicens: Credo in Spiritum sanctum, sanctam Ecclesiã Catholicam, sanctorum communionem, remissionem peccatorum. Sicut in psalmo, [Dominus regnauit] qui cantatur in libera nocte, recolitur status eorum qui post baptismum in cursu cœpto perseuerant: ità in psalmo, [Miserere mei Deus] qui cantatur in seruilibus noctibus eorum, qui post baptismum declinant à cursu suo, & postèà per orationes fidelium corrigun tur, & illuminantur. Post matutinum tempus sequitur diluculum. Diluculum est quasi iam incipiens parua lux diei. Nisì hæc pars pertineat ad noctẽ,non erunt septem partes noctis, quas Doctores enumerant, id est, crepusculũ, vesperũ, conticiniũ,intempesta,gallicinìũ,matutinũ,diluculũ. De eadẽ hora dicitur in Euangelio,Vna sabbati valdè diluculo veniũt ad monumentũ. Eadẽ hora vocatur & manè. Scribit & Ioãnes de eadẽ hora,Maria venit manè cùm adhuc tenebræ essent. Et Marcus,quod iã prætulit, Serò an media nocte, an galli cantu, an manè. Oẽs psalmi qui sunt positi in secundo ordine per quotidianas noctes, aliquid de manè resonant. Primus dicit, [Quoniã ad te orabo Dñe, manè exaudies vocem meã: manè adstabo tibi.] Secundus, [Emitte lucem tuã & veritatẽ tuã.] Tertius, [Exitus matutini,& vespere delectabis.] Quartus, [Manè sicut herba transeat,manè floreat.] Et iterùm, [Repleti sumus manè.] Quintus, [Auditam fac mihi manè.] Sextus, [Ad annunciandũ manè misericordiã tuã.] In isto psalmo operatur spes,In primo vi tantur mala. in secundo appetuntur bona per spem. Quamuis pœnitens spẽ habeat,tamen ex nocte, id est, ex peccato habet vndè tristetur. De qua tristitia dicit Apostolus: Tristitia autẽ quę secundùm Deum est, pœnitentiã in salutẽ stabilẽ operatur. Ipsa tristitia pars est noctis. In tertio ordine sũt duo psalmi cõiuncti simul. In istis duobus celebratur præceptũ dilectionis, quod est geminũ. In primo psalmo dicit homo imbutus dilectione Dei, [Deus Deus meus ad te de luce vigilo,] id est, postquàm secesserunt tenebræ,& aurora venit fidei, atq; diluculũ restaurationis per spẽ bonã mihi illuxit, ad te vigilo,& per amorẽ,quo rapior ad te: sitiuit in te aia mea, quàm multipliciter tibi & caro mea. In isto psalmo dilectio Dei memoratur, in secundo psalmo dilectio proximi. Ista duo præcepta nulla interpositione disiunguntur. Quapropter nõ inuenitur vlla disiunctio inter præsentes duos psalmos. Dicit diuina scriptura, Flagellat Deus omnem filiũ quem recipit. Iste homo,cuius status nunc recolitur, fuit primò tẽtatus & victus. Vult iterùm Deus, vt tentetur & vincat,atq; possideat triumphũ victoriæ. Huius documenti causa & admonitionis sequũtur cantica, quę cantauerunt patres nostri, postquàm tentati sunt, & Deus triumphũ præstitit illis. Primum canticum dicit: [Confitebor tibi Dñe,quoniã iratus es mihi] Audistis flagellũ: audi triumphum. Conuersus est furor tuus, & consolatus es me. Et iterùm: Fiducialiter agã, & non timebo. Et iterùm: Exulta & lauda habitatio Sion. Secundum canticum cantatum est ab Ezechia, postquàm conualuit de infirmitate. Tertium ab Anna, postquàm æmula eius humiliata est,& illa exaltata partu filij. Quartum celebratum est postquàm pstrati sunt Aegyptij, qui persequebantur populũ Dei. Quintum ab Abacuc propheta, de quo dicit Hieronymus, Interìm secundũ literã causatur aduersus Dñm propheta,cur Nabuchodonosor templum vastet & Iudam, cur Hierusalem quondàm vrbs Domini destruatur,quarè clamet populus & non audiatur, vociferetur ad Dominũ oppressus à Chaldæis, & non saluetur: quarè etiam ipse propheta,vel populus, ex cuius persona nunc loquitur, adhuc vixerit,vt hucusquè perductus sit, vt iniquitatem hostium,& suum videat laborem: cur in iustitia prævaleat aduersùm se. Et hoc dicit præmentis angustia, nesciens aurũ in igne conflari,& tres pueros de camino puriores exisse, quàm intrauerant. Et infrà: Dñs noster sciens clementię suæ pondera atque mensuras, interdùm non exaudit clamãtem,vt eum probet,& magis prouocet ad rogãdum, & quasi igne excoctu, iustiorẽ & puriorẽ facit. Sextũ à Moyse,qui vexatus est ,ppter Iudæos, qui exacerbauerunt spiritum eius,& tali fine concluditur: Laudate gentes populũ eius, quia sanguinem seruorum suorum vlciscetur. Et vindictam retribuet in hostes eorum,& propitius erit terræ populi sui. Post hæc Epinicia introducitur persona exhortantis ad laudem Dei iuxta psalmistæ vocem,dicentis: In Domino laudabitur anima mea, audiant mansueti & lætentur. Magnificate Dominũ mecum,& exaltemus nomen eius in inuicèm. In isto ordine incipit exhortari consortes,& conciues suos ad laudem sanctæ Trinitatis, quę separata est tribus personis, & coniuncta in vna eademq; substantia. Ideò tres psalmi q laude diuina pleni, huius exhortationis vice canuntur, canuntur sine aliqua defunctione apud nostrã Ecclesiã. Post hos psalmos,qui finem faciunt psalterij,& perfectè restauratum hominẽ monstrant,sequitur lectio. Etenim perfectum hominẽ oppidò delectat docere & admonere negligentes more Dauid, qui tribus versibus memorat renouationem mentis suæ,id est,Cor mundum crea in me Deus. &, Nè proijcias me à facie tua. &, Redde mihi lætitiam salutaris tui,& ilicò subiungit: Doceam iniquos vias tuas,impij ad te conuertentur. Post lectionem sequitur versus. Nostra prouincia solita est p omnes quotidianas noctes canere in isto ordine *super versum, Repleti sumus manè misericordia tua. In Romano verò antiponario inuẽni plures. Idcircò cœpi ex hoc canere versum in matutinis, Dñe meditabor in te, per secundã feriã & tertiam. Repleti sumus misericordia tua,] per quartam & quintam feriã. [Auditã fac mihi manè,] per sextã & septimam. Omnes isti versus precantur bona Dñi,quę necessaria sunt in mente conuersum retinere in matutina hora vnumquemque, siue pro præsenti cõuersione,siue pro futuro manè,quod expectatur in resurrectione. Post hos gradus ascẽditur ad ipsum Dñm nostrũ Iesum Christũ,q visitauit & fecit redemptionẽ plebis suæ. A postropha fit de conuerso homine per pœnitentiã ad Euangelicum virum, qui exhortatus est laudare sanctam Trinitatem pro beneficijs præstitis conuerso,& dicit: Benedictus Dñs Deus Israel,quia visitauit misericordiam humanam, & fecit redemptionem illius,sicut locutus

* forte,semper

Universidad de Deusto
Biblioteca

est per os sanctorum. Per eorum os promisit, in quacunque die impius cõuersus esset ab impietate sua, quòd omnes iniustitię eius obliuioni traderentur. Reddidicq; iusiurandũ, quod iurauit Abraham patri nostro daturũ se nobis, hoc est, vt sine timore de manu inimicorũ nostrorum liberati, seruiremus Dño in iustitia & sanctitate. ac si dicat ecclesiasticus vir: Iste, qui infirmus fuit, profectò sanitati redditus est. Omnes partes noctis cuius caligine iste obscuratus erat, repulsæ sunt. Agamus Deo gratias, quoniam nunc poterit deincèps seruire Dño, & honestè ambulare, sicut decet in die. Dona Dei, quæ in isto hymno memorantur, partim percipit sancta Ecclesia in primo aduentu Domini, sed pleniùs accipiet in secundo.

De cursibus diei. Cap. 6.

PRopriè vulgus omnem diem, solis præsentiam supra terras, appellat. Ex hac definitione datur intelligi, diem duodecim horarum inchoari debere ab ortu solis, & finiri in eius occasu. Manè est quidam angulus noctis & diei. Diluculum & exortus solis, manè vocantur, vt prætuli, in Euangelio. Iam dictum est de manè in superioribus, Cùm adhuc tenebræ essent. Et iterùm dicitur, Et valdè manè vna sabbatorum veniunt ad monumentum, orto iam sole. Et iterùm: Simile est regnum cælorum homini patrifamilias, qui exiit primo mane conducere operarios in vineam suam: Conuentione autem facta cũ operariis ex denario diurno. Ex isto diurno intelligitur in isto loco manè pertinere ad diem. Scriptũ est in altero Euangelio: Si quis ambulauerit in die, non offendit. Conuẽ tus sanctorum fratrum, qui congregatur prima hora, tertia, ac sexta, atq; nona, illorum statũ in suo officio recolit, qui post ablutionẽ aquæ, siue post sanitatẽ receptã per pœnitentiã, sine retractatione currunt per viã Domini, hoc est, per legẽ eius, scilicet vsq; ad vesperũ, id est, vsq; ad finẽ vitæ suæ. De quo cursu Paulus dicebat in nouissimis suis diebus: Certamẽ certaui, cursum cõsummaui, fidẽ seruaui. Et enim psalmus *Beati immaculati*, plenus est sanctis moribus, p quos oportet ambulare vnumquenque, qui legem Domini certat implere. Psalmus, Deus in nomine tuo saluum me fac,] qui præponitur cẽ tesimo octauodecimo, non est ità præpositus, quasi necessarius sit tantùm vni parti diei, quæ vocatur prima, sed toti spatio diei. Homo qui incipit ambulare in lege Dñi, sciat se ex vna parte habere leonẽ, & ex altera parte draconẽ: Leonẽ in apertis persecutionibus, draconem in insidiis. Quandò insidiati sunt Dauid Ziphęi, vt eũ cõprehenderent, & traderẽt in manus Saul, qui eum volebat occidere, cantauit psalmum istum: Et nos quandò inchoamus in prima hora diei vitare persecutiones & insidias diaboli, cantemus psalmum pro toto itinere diei, Deus in nomine tuo saluum me fac, & in virtute tua libera me. Quarè hoc? quoniã alieni insurrexerunt aduersùm mè. Et cætera. Quid enim volũt precari ambulantes per viã, nisi quod sequens versus monstrat, dicens: Auerte mala inimicis meis, & in veritate tua disperde illos. In isto psalmo oratum est pro custodia vtriusq; partis viæ. In prima parte psalmi, Beati immaculati, intramus in viã Dñi. Quæ sit intentio ambulãdi, per istum psalmũ ex verbis S. Augustini edocemur. Dicit inter cætera in tractatu præsentis psalmi: Nam profectò qui exhortatur, id agit, vt excitetur voluntas eius cũ quo agit, ad illud ppter quod exhortationis adhibetur alloquiũ. Vt quid ergò nobiscum agitur, vt velimus qđ velle non possumus, nisi quia omnes quidem beatitudinem concupiscunt: sed quonam modo ad eam perueniatur, plurimi nesciunt? Ideoque hoc docet iste, qui dicit, Beati immaculati in via, qui ambulant in lege Domini. Tamquàm diceret: Scio quid velis, beatitudinem quæris: si ergò esse vis beatus, esto immaculatus. Illud enim omnes, hoc autem pauci volunt, sine quo non peruenitur ad illud, quod omnes volunt. Sed vbi erit quisq; immaculatus, nisi in viа? In qua via, nisi in lege Dñi? Sermocinationi huius legis cõmissimus nos per primã partem psalmi octauidecimi in prima hora diei. Per secundã partẽ anticipamus secundã partem diei. Sicut in prima parte, ità in ea facimus mentionẽ de lege Domini. Reuela oculos meos, & considerabo mirabilia de lege tua. Et iterùm: Viam iniquitatis amoue à me, & *lege tua miserere mei. Versus qui sequitur, Exurge Dñe, adiuua nos, sicut & psalmus, Deus in nomine tuo saluũ me fac, pertinet ad spatium totius diurni itineris, sic & iste versus pertinet ad orationem, vt Dominus sit sui gregis per totũ cursum itineris adiutor & liberator propter suam misericordiam. Tertia pars memorati psalmi, celebratur in hora tertia diei, necnon & ibi mentio fit de lege Dei, dicendo: Legẽ pone mihi Dñe viam iustificationum tuarum. Et iterùm: Da mihi intellectum, & scrutabor legem tuã. Et cætera. Quarta pars psalmi cantatur proquarta hora diei. Et ibi mentio fit de lege Domini: Portio mea Domine, dixi custodire legẽ tuã. Quinta pars psalmi canitur pro quinta hora diei. Et ibi mentio fit de lege Dñi: Coagulatum est sicut lac cor eorum, ego verò legem tuam meditatus sum. Et iterùm: Bonum mihi lex oris tui. Lectio quæ legitur per singulos cursus, hoc docet, vt quandocunq; congregati fuerint sancti viri, exceptis bonis operibus, quæ secũ singuli studeant agere, paulùm diuino colloquio reficiãtur. In sexta parte psalmi, intratur ad sextã horam diei. Et ibi mentio fit de lege Dñi. Narrauerunt mihi iniqui fabulationes, sed non vt lex tua. Et iterùm: Nisi quòd lex tua meditatio mea est, & cætera. Septima pars psalmi canitur pro septima hora diei. Et ibi mentio est de lege Domini. Quomodo dilexi legem tuam Domine, tota die meditatio mea est. Octaua pars

psalmi, pro octaua hora diei canitur. Est & ibi mentio de lege Domini: Iniquos odio habui, & legem tuam dilexi. In nona hora diei canitur nona pars psalmi. ibi habemus legem Domini: Iustitia tua iustitia in æternum, & lex tua veritas. Decima pars psalmi, canitur pro decima parte diei. Ibi est mentio de lege Domini: Vide humilitatẽ meam, & eripe me, quia legem tuã nõ sum oblitus. Vndecima pars psalmi canitur pro vndecima hora diei. Et ibi habemus de lege Domini: Iniquitatem odio habui & abominatus sum, legẽ autem tuam dilexi. Et iterùm: Pax multa diligentibus legem tuam Domine. In duodecima hora diei reddit Dominus operarijs suis denarium promissum. Scripsi nuperrimè in libello officiali de vespertina hora iuxta etymologiam eiusdem nominis, id est, vespera. vespertina hora iuxta suam etymologiam est post solis occubitum, & pertinet ad noctẽ. Si quis vespertinale officiũ in ea hora celebrauerit, vndè etymologiam habet, id est, quando stella, quæ vesper nuncupatur, appáret, habet in libello officiali de eo scriptũ quod potui sentire: Nos verò sæpissimè solemus vespertinale officium celebrare ante solis occubitũ. Vt ordo ille in nostra Ecclesia celebretur, q̃ descriptus est in lib. Esdræ, Quater in die confitebantur Dño peccata sua, oportet vespertinũ officium computare ad partem diei. Dñs Beda ex scripto huius historiæ dicit, inoleuisse consuetudinem in nostra Ecclesia, vt quatuor lectiones recitentur fratribus in die, quod non fit nisi lectio vespertinalis computetur parti diei, cum lectionibus de nona, & sexta, & tertia. In prima non recitatur lectio. Officium primum diei inchoamus ab ortu solis. Vespertinalem synaxin agimus circa duodecimam horam, quę hora est circa finem diei. Finis diei, potest vniuscuiusq; hominis finem designare. dies enim ponitur pro toto tempore vnius hominis. Vndè dicit Dominus in Euangelio: Me oportet operari opera eius, qui misit me, donèc dies est: Veniet hora quandò nemo poterit operari. Dicit sic sanctus Augustinus, vbi exponit sententiã Euangelij de quinque virginibus sapientibus, quarum deuotioni optabam comparare eorũ, qui quinque psalmos cantant vesperæ. Nam interrogatus Dominus secretò à discipulis de consummatione seculi, inter multa quæ locutus est, hoc quoquè dixit: Tunc simile æstimabitur regnum cælorum decem virginibus. Et cætera. Et infrà: Videntur itaque mihi quinque virgines significare quinquepartitam continentiam à carnis illecebris. continendus est enim animæ appetitus, hoc est, à voluptate oculorum, à voluptate aurium, à voluptate olfaciendi, gustandi, tangendi. Sed quia ista continentia partim corã Deo fit, vt illi placeatur interioris gaudio conscientiæ, partim coram hominibus, tantùm vt gloria humana capiatur, quinque dicuntur sapientes, & quinque stultæ: Vtræque tamen virgines, quia vtraque cõtinentia est, quàmuis aduerso fomite gaudeant. Qui coram Deo gaudent gloriari de suis operibus, illi ambulauerunt per diem in lege sua, ipsi vocantur sapientes virgines. Istæ sapiẽtes virgines habebunt veniente sponso lampades in manibus cum oleo in fine mundi. Per lãpades designantur bona opera, quæ secum quisque habet, qui ea operatus est, & non quęsiuit retributionem pro illis fallacem. Simili modo per psalmos designantur bona opera. Quinque virginum vice in nouissima parte diei quinque psalmos canit chorus, ac si teneat vnusquisque secum sua bona opera, quæ operatus est per quinque sensus corporis, cum quibus quasi quibusdam lampadibus habentibus oleũ in se, festinãt venire obuiàm sponso. Qui enim contendit obuiàm sponso venire, gradus ascensionis disponit in corde suo. Idcircò non absq; prouidentia psalmi quindecim graduum includuntur in vespertinali officio. Et quoniam si non sufficiunt ad numerum dierum septem, altrinsecùs assumuntur qui derelicti sunt à cæteris officijs. Post hos psalmos sequitur confabulatio Sanctorũ mutua per lectionem, vt ea ad moneantur, quomodò ornatum animi sui renouent, & componant se sicut oportet onari singulos, qui intrant præsentiam regis. Versus qui sequuntur, id est, Vespertina oratio: Et, Dirigatur oratio mea sicut incensum in conspectu tuo, pulsant ostium conclauis, vbi rex sedet. Nam in Romano antiphonario inuẽni versus, Exaltabo te Deus meus rex meus: Et, Magnus Dominus noster: Sed quos prætuli, ipsi euidẽter demonstrant, quantùm fieri potest, totam deuotionem vespertinalis officii. Post hoc in hymno Euangelico, quem cantauit sancta Maria, chorus virginum secum recolit illuc se oportere contendere, quò præcessit virgo virginum, hoc est, in præsentiam Saluatoris. Sancta Maria, postquàm audiuit salutationem Archãgeli, & illius verba retinuit in corde suo, cantauit præsentem hymnum, id est, Magnificat anima mea Dominum. Ideò enim dixit de se, Quia respexit humilitatem ancillæ suæ, eccè enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes. Nam & chorus virginum si postquàm audierit verba Euãgelii, dicentis, Attendite nè faciatis iustitiam vestram coram hominibus, vt videamini ab eis, retinuerit in corde suo, beatus vocabitur apud omnes. De eadem re scriptum est in Euangelio Lucę: Extollens quædam mulier vocem de turba, dixit illi: Beatus venter qui te portauit, & vbera quæ suxisti: At Iesus dixit ei: Quinimmò, beati qui audiunt verbum Dei, & custodiunt illud. Beata dicitur sancta Maria, quia audiuit salutationem Angeli: Beatus dicitur chorus virginum, quia audiuit à Domino sententiam Euangelicam suprà scriptam, & custodiuit illam. Cantet chorus virginum hymnum, quem cantauit Virgo virginũ, & omni nisu illuc contendat intrare, quò peruenit sancta Maria.

Universidad de Deusto
Biblioteca

De Completorio. Cap. 7.

SEptem officiis commemoratis, de quibus dicit Propheta, Septiès in die laudem dixi tibi, & in alio loco, Benedicam Dominũ in omni tẽpore, semper laus eius in ore meo: Et alia scriptura, septiès cadit iustus in die, & resurgit: remanet octauũ, quod vocatur Completoriũ. In eo summa perfectio est cæterorum officiorum. Quæ enim septem officiorum gradus proficiscendo operantur, hæc octauus demonstrat perfectum, id est, consummatum. Istud officiũ ad noctem pertinet: sed propter effectum sui nominis, in fine cæterorum officiorũ ponitur. In isto consumitur esus, potus, & collatio, & omne commune opus, omnia membra derelinquuntur à suffugio humano: soli Deo, qui nõ dormit, neque dormitat, committuntur. Somnus enim est imago mortis. Idcircò aliquos psalmos in isto officio cantamus, quos solemus cantare in nocte sabbati, quandò Dominus requieuit in sepulcro: & quos ipse cãtauit in cruce, & nostra Ecclesia canit in officio mortuorum, Psalmus, Cùm inuocarem, exaudiuit me Deus iusticiæ meæ, cantatur in nocte sabbati memorata. Ipse cantatur in completorio ꝓpter orationem, quam in se continet, In pace in idipsum dormiã & requiescam. Psalmus, In te Domine speraui, cantatus est à Christo in cruce, & in eo loco vbi se commendauit patri, dicens, In manus tuas commendo spiritum meum, finitur in isto officio. Psalmus, Qui habitat in adiutorio altissimi, scutum est contra insidias diaboli. Quot latẽtes insidiæ possunt ingruere super dormientes per ipsum diabolũ, & per sua membra, & pericula vermium ac bestiarũ, non valeo explanare. Contra quas præsens psalmus habet congrua verba in oratione, dicentia: Scuto circundabit te veritas eius, non timebis à timore nocturno. Etenim veraciter dicimus Saluatori nostro: Super aspidem & basiliscum ambulabis, & conculcabis leonem & draconem. Non recolo vtrùm scripsissem in libello officiali aut in altero De ordine cantatorii sensum, quem mihi misericordia Domini ministrauit, si verus est, eo tempore quandò deprecatus sum pro officio completorii, ideò nõ me piget illud scribere in isto loco: quamuis proprius sit temporibus illis, quandò tractus, Qui habitat in adiutorio altissimi, cantatur: Admonet nos tractus, Qui habitat in adiutorio altissimi, vt quotiescunque diabolus nobis persuadere voluerit, linguis hominũ succumbere sibi per gulam & inanem gloriam, atque auaritiã, toties in corde nostro versentur verba psalmi præsentis, in quo scriptum est, Susceptor meus es tu, & refugium meum Deus meus: sperabo in eum, quoniam ipse liberauit me de laqueo venantium, & à verbo aspero. In initio quadragesimę legitur Euangelium, in quo DOMINVS tentatus est, qui sua tentatione nostram tentationem deuicit: vt admoneamus ex eo, A quòd præcipuè in illo tempore se infert diabolus ad tentandos Christi seruos: Tractus verò monstrat nobis, quem murum debeamus opponere contra eius tentationem. Post quadragin ta dies, id est, in Paraſceue canitur idem Tractus iuxta morẽ antiquum Romanæ Ecclesiæ. Qui status recolit ordinem temporum & rerũ. Postquàm enim Dominus ieiunauit quadragin ta diebus, cœpit eum diabolus tentare, & cantauit ei versus de præsenti tractu. Et secessit victus ad tẽpus, vsquedùm iterùm reuerteretur, non iam ad tentandum, sed ad persequendum B per membra sua, sicut legitur in passione fecisse, quæ sequitur post tractum. Nos verò quandò ꝙ persequimur à mẽbris diaboli vsq; ad martyrium, nihilominùs frequentare oportet verba Tractus, quę dicunt, Ipse liberauit me de laqueo venantium, & à verbo aspero, à sagitta volante per diem, à negocio perambulante in tenebris, à ruina & dæmonio meridiano. Cantatur etiam quartus psalmus in Completorio, propter verba in quibus continetur, In noctibus extollite manus vestras in sancta, & benedicite Dominum. Quatuor elementa sunt, pro C quibus custodia postulatur: Quamobrem quatuor psalmos canimus, siue quia quatuor vigiliæ celebrabantur apud antiquos in nocte. Petionem nostram in præsenti cõpletorio eliquat versus, Custodi me Domine vt pupillam oculi, sub vmbra alarum tuarum protege me. Vt festa membra quiete potiantur, credit se hoc sancta Ecclesia profusiùs percipere, si euangelici viri Simeonis memoriam fecerit: cantat ideò hymnum quem Simeon cantauit, postquàm Christum vidit & susceptit, atque deprecatus est pacem sempiternam. In isto officio & in Prima, nõ est confabulatio lectionis. Habet tamen consuetudinem nostra Ecclesia, vt post officiũ Primæ, conueniant in vnum fratres ad lectionem, & ante istud officium similiter. Lectio est quædam refectio mentis. In Prima dirigatur grex Domini in via, vt veniat ad pascua. Operetur primò, vt posteà impleatur refectione in hora tertia. In isto verò officio consummantur omnia sicut prędixi. Hoc incipit fieri à primo psalmo vbi dicitur, In pace in idipsum dormiam & requiescam: Et in secundo, In manus tuas cõmendo spiritum meum. Post istam commendationem non est ordo, vt sequatur collatio consueta: sed tantummodò postulatio pro custodia deprecetur.

De officio, Adspiciens à longè. Cap. 8.

PRopter versum, qui præponitur in vespertinali synaxi, Rorate cæli desuper, officiis cantorum de aduentu Domini, sequentes versus simili modo præpono, qui currunt per omne tẽpus aduentus Domini in nocturnali officio, & matutinali, ac vespertinali. Non de singulis responsoriis proposui dicere, sed de singulis officiis Dominicalium noctium. Prima duo respon-

responsoria, id est, Adspiciens à longè. &, Adspiciebam in visu noctis, * figunt in capite libri personam illius Christi, qui est Deus & homo & rex vniuersalis. Huius aduentum certat nũc sancta Ecclesia diuulgare longè lateq; . In primo responsorio introducit cantor dicta seu facta Ioannis præcursoris. Ex persona Ioannis potest dici, Adspiciens à longè, scilicet tantum à longè, quantum distat cælum à terra. Ipse enim Ioannes dicit de se: Qui de terra est, de terra loquitur: De Christo, sic: Qui de cælo venit, super omnes est. Quid adspiciendo videB rit, subinfertur: Ecce video Dei potentiam venientem. De eadem potentia dicit S. Gregorius in homilia sua vice præcursoris: Qui & humilitatem suam, & diuinitatis potentiam cõsiderans, dicit: Qui de terra est, de terra loquitur. Et cætera. Sequitur, Et nebulam totam terram tegentem, id est, video caliginem ignorantiæ tegentem terrena corda Iudæorũ, qui præsentem Deum non cognoscunt in homine Christo. Iste responsorius diuinam naturã in Christo recolit. Dicit Ioannes, Dirigite viã Domini. Quod sic exponit S. Gregorius: Via Domini ad cor dirigitur, cùm veritatis sermo C humiliter auditur. Hucusquè Gregorij. Quãdò veritatis sermo ad cor vadit, Christus vadit ad mentem hominis: Cùm idem sermo humiliter auditur, cor hominis Christo obuiàm vadit. Iste sensus recolitur in responsorio, dicente: Ite obuiàm ei. Sequitur, Et dicite, nuncia nobis si tu es ipse qui regnaturus es in populo Israel. Nẽpe præcursor mittit discipulos suos ad Christum, vt dicant ei: Tu es qui venturus es, an aliũ expectamus? vndè sic B. Gregorius: Sicut pro hominibus nasci dignatus es, an etiàm pro ho- D minibus mori digneris insinua. Non immeritò interrogatio præposita in responsorio, Ioannis interrogationi comparatur. Qui enim nesciuit vtrum mori dignaretur Christus pro populo Israel, aut per se ad claustra inferni descẽdere, * nescire, ipse poterat * vtrùm Christus per se vellet regnare in populo Israel, an per alios, sicut p multos fecit. In secundo responsorio manifestatur humana natiuitas, dicendo: Et eccè in nubibus cæli filius hominis venit, atq; indè respondetur superiori respõsorio, quod interrogat, si Christus debeat regnare in populo Israel. Iste respõ E sorius dicit: Et datum est ei regnum & honor, & non solùm vt regnet in populo Israel, sed vt tribus Iudaica & populus Israel & omnes linguę seruiant ei. Signo posito in eminenti loco, id est, manifestato rege, qui Deus & homo est, sequentes responsorii currant per ordinẽ libro rum & historiarum, vbi hoc perspicere occurrerit nobis. Hìc notandum, ꝙ indifferenter in antiphonario posita sunt verba secundi aduentus Saluatoris & primi. Multa enim ꝓphetata sunt de primo aduentu Dñi, & multa de secundo, ex his quæ in aduẽtu Dñi canuntur. Post præscriptos duos responsorios sequitur, Obsecro Domine, mitte quem missurus es, de nostro. Ipse est A enim primus in contextu librorum. Post hunc sequitur, Audite verbũ Domini. Qui quàmuis posterior sit in contextu responsorio, Eccè virgo concipiet, tamen conuenientiam habet aliquam vt præponatur. In ipso enim respondetur Moysis deprecationi, dicentis: Obsecro Domine, mitte quem missurus es: cum dicit, Audite verbum Domini gentes. Et infrà, Saluator noster aduenier. Et iterùm, Conuenit rationi, vt responsorii, qui conceptum sanctę Mariæ pnunciant, coniunctim ponantur. Responsorius, Eccè virgo concipiet, apertè de conceptu sanctæ Mariæ prophetat: Sequens verò, Missus est Gabriel angelus, ea quæ prophetata sunt, præ sentia monstrat. Aue gratia plena, ordinem contextus tenet. Compositus verò responsorius, Suscipe verbum virgo Maria, superioribus concinens, de Romano in nostrum translatus est. Sequitur ordo, vt post euangelicos respõsorios sequatur Apostolicus, Saluatorẽ expectamus Dominum Iesum Christũ. Propter cœptũ ordinem responsoriorum sequuntur responsorii ad tertiam, & sextã, ac nonã. Idẽ prologus q stat in capite tertii voluminis, quod vocatur apud Romanos Antiphonarius, præponitur primis antiphonis, id est. In illa die stillabunt montes dulcedinem, &, Iocundare, atq; cæteris sequentibus in nostro antiphonario. Currit idem ordo antiphonarum in nostro antiphonario, qui continetur in Romano vsque ad antiphonam, Angelus Domini nunciauit Mariæ. Dein ordo, quem accepimus de Metensi antiphonario. In isto officio antiphonas mutauit de vrbis Metensis antiphonario in nostrum antiphonarium de quarta feria. Inuenimus in memorato Antiphonario in quarta feria antipho nam, Veniet fortior me post me, de verbis sancti Ioannis Baptistę. Et in sequenti hebdomada antiphonam de Esaia propheta, Vox clamãtis. Reseruaui eas vsque ad illud tempus quandò legitur Euangelium de Ioanne, vndè ipsæ Antiphonę assumptę sunt. Et posui de Esaia ꝓpheta, Egredietur virga de radice Iessæ, in feria quarta primi officii. & præcipuè in feria quarta & in feria sexta de aduentu Domini posui antiphonas de Prophetis, quoniam ipsæ feriæ in prophetia Christi & Ecclesię extiterunt ab initio. Feria quarta sol & luna collocata sunt in cælo, quæ sunt in prophetia Christi & Ecclesiæ. Sexta feria, homo qui fuit forma futuri Adam, creatus est.

De Responsorijs, Hierusalem, citò veniet salus tua. Cap. 9.

PRiores responsorii ex persona familiarum Dei cantati sunt, hoc est, ex persona ecclesiasticorum virorum. Ideò aliqui responsorii de collato sibi beneficio sibimet congratulado, propriæ personæ loquũtur. Sicuti est in primo responsorio: Eccè video Dei potentiam venientem. & in secundo, Adspiciebam in visu noctis, & eccè in nubibus cęli filius hominis venit: &,

Universidad de Deusto
Biblioteca

Saluatorem expectamus Dominum IESVM Christum: Et Moyses ipse per se loquitur, Domino dicens: Obsecro Domine, mitte quem missurus es. At in præsenti hebdomada loquitur aut ecclesiasticus chorus, aut propheticus aliquis sermo internuncius ad Hierusalem, quæ quondàm erat metropolis & ciuitas regis magni, & per Hierusalē ad primates totius Dei famosæ congregationis. Absentia enim Christi nequaquàm sine tristitia potest recordari. Illo modo loquuntur præsentes responsorij, quasi consolantes sint populum de aduentu Regis & defensoris sui: Hierusalē, citò veniet salus tua, B hoc loquitur. Ciuitas Hierusalem, idipsum simili modo: Eccè Dominus veniet, & omnes sancti eius cum eo. Quartus, Sicut mater consolatur filios suos, consolatur ciues & vicinos Hierosolymitanos. Quintus, Hierusalem plantabis vineam in montibus tuis: de Hieremia, consolatur captiuos, qui erāt in Babylone. Sextus, Virgo Israel, iterūm de Hieremia, consolatur decē tribus, sup quas regnauit domus Effraim. Iuxta ordinem prophetiæ Hieremiæ, stant isti duo in supradicto ordine. Respōsorius, Egredietur C Dominus de Samaria, mentionē facit Bethlehem, de qua reges oriundi sunt, qui regebant populum Dei, scilicet, Dauid & Christus rex regum. Responsorius, Bethlehem ciuitas Dei summi, declarat Dominum regis regum. Ideoque subiunxi illum priori. Responsorius, Eccè veniet Dominus protector noster, habet in se stemma regum, ideoque sequitur, Bethlehem responsorium. Antiphonæ vadunt per ordinē iuxta Romanum antiphonarium, vsquequò, Benedicta tu inter mulieres. Deindè sequitur ordo Metensis antiphonarij. Vbicunque potui, inserui antiphonas, quæ præconium habent declarationē & consolationē Hierusalem, id est, primatu qui desiderat aduentum Domini.

De Responsorijs, Gaudete in Domino semper. &, Ecce apparebit Dominus. Cap. 10.

IN Metensi antiphonario quem legi, non cōtinetur responsorius, Gaudete in Domino: sed de Romano transtuli illum in nostrum. Per præsentes responsorios loquitur nuncius Dei ad pauperes & plebem, quæ facilè opprimitur à potentibus. Sicut in prioribus responsorijs cōsolatus est dignitatem potestatis, ità in istis consolatur subiectam plebem. Responsorius, Gaudete in Domino, plenus est consolatorijs verbis. Eccè apparebit Dominus, ipse configit in capite regem regū, qui venturus est liberare pauperes & afflictos de manu potentiæ secularis. Vtrunq; demonstrant præsentes responsorij, & liberatorem venturum pauperum, & eundem proximo tempore venturum. Hoc certat facere secūdus respōsorius, Prope est vt veniat tēpus eius. & tertius, Qui vēturus est: hoc etiā quartus, Aegypte noli flere. Orietur stella, trā stuli de aliis responsoriis hìc in quintum ordinem, vt ex eo eliquetur, qui sit ille qui in superiori respōsorio dictus est dominator, ante cuius conspectum mouentur abyssi. Sequentes responsorij sunt iidem, qui in cæteris antiphonariis continētur. Excipitur, Lætētur cæli & exultet terra, qui præ omnibus corda pauperum cōsolatur. Antiphonæ ordinem Romani antiphonarii sequuntur vsque ad antiphonam, Hoc est testimonium. Dein Metensis antiphonarii, Certaui in ista hebdomada antiphonas inserere de proprio Euangelio, & de prophetis ea quæ plurimùm consolantur pusillanimes.

De Responsorijs, Canite tuba in Sion. Cap. 11.

IN hac hebdomada continentur mixtìm in Romanis voluminibus Responsorij, quos solemus cantare in Dominica, quę habet primū responsorium, [Canite tuba,] & illi, quos per sequentes noctes infra hebdomadam distinctè canimus. Prætermisi ordinem confusum, & conatus sum ordinare numerum responsoriorū. qui distinctus est à nostris à Dominica nocte p ferias singulas, vt in sequentibus continetur. Præsentes responsorij & sequentis hebdomadæ, certant multitudinem populi congregare, vt præstò sint & parati ad suscipiendum Dominum Dominorū. Idcircò plurimi [Eccè] quod est aduerbium demonstratiuum, continent in se, sicut est in responsorio, [Canite tuba in Siō, Eccè Deus saluator noster.] Et in responsorio, [Clama in fortitudine, eccè Deus noster quem expectabamus.] & in responsorio, [Ecce iam veniet plenitudo temporis.] Primus responsorius, [Canite tuba in Sion,] cōmonet ciues, vt sciant regis aduentum, & annuncient illum vicinis. Secundus responsorius, [Intuemini quantus sit gloriosus iste,] admonet considerare ciues, quòd vltra reges sit iste, qui ingreditur ad saluandas gentes. Tertius responsorius, [Non auferetur sceptrū de Iuda,] docet reges Iudæorum suo in tempore deficere. Quartus, [Clama in fortitudine,] nunciat ciuitati Hierusalem, regem longo tempore expectatum, in foribus esse. Quintus admonet ciues, vt se vestiāt dignis vestimentis ad suscipiendum tantum regem, id est, vt vicesimaquarta die ieiunent. Notandum quòd iste responsorius canebatur in Gallijs octauadecima die decimi mensis. Pro quo inueni scriptum in Romano, vicesimaquarta die decimi mensis, necnon & de ipso interrogaui Apostolicum Gregorium. Qui respondit: Non cantamus octauadecima die decimi mensis, sed vicesimaquarta die. Sextus responsorius, [Eccè iam veniet plenitudo temporis,] ostendit modum ingressus maximi regis. Tres enim responsorios sequentes aptaui conuenientiæ Euangelij, quod in propria Dominica legitur. Euangelium dicit ex persona Ioannis Baptistæ: Ego vox clamantis in deserto,

deserto, parate viam Domini, sicut dicit Esaias propheta. Responsorius septimus dicit, [Rex noster aduenit Christus,] quem Ioannes prædicauit sponsum esse venturum. Euangelium dicit, Qui post me venit, ante me factus est, cuius ego non sum dignus vt soluam eius corrigiam calceamenti. Respōsorius octauus dicit, [Eccè agnus Dei, eccè qui tollit peccata mundi, eccè de quo dicebam vobis, qui post me venit, ante me factus est.] Nonus responsorius dicit, [Me oportet minui, illum autem crescere: qui post me venit, ante me factus est, cuius non sum dignus corrigiam calceamēti eius soluere.] Antiphonæ vadunt per ordinem iuxta Romanum antiphonarium, vsq; ad Antiphonam, Eccè apparebit Dominus.

De Antiphonis feriarum in proxima hebdomada ante Natiuitatem Domini. Cap 12.

PEr septem dies renouantur Antiphonæ de matutinis in omnibus Antiphonarijs ante Natiuitatem Domini, id est, à prima Antiphona, Canite tuba in Sion, de Dominica nocte vsq; ad primam Antiphonam. [Iudæa & Hierusalem,] de sabbati nocte, Septiformis spiritus, cuius opus est conceptio S. Mariæ & partus nobis ad memoriam reducitur per septenariū numerum. Vndè & in eadem hebdomada legitur Esaias propheta, qui numerat septem dona Spiritus sancti in sexta feria quandò primus homo creatus est, quē modò venit secundus homo reformare. Cōgruit enim itineri nostro, quo pergendum est obuiàm Christo infanti, frequentatio septenarij numeri, quatenùs eo discamus necesse nobis esse precari dona septiformis spiritūs, quibus renouati & ornati, possumus dignè præsentari mysteriis natiuitatis Christi. Etenim sanctę Mariæ, vt potuisset ipsa eum, id est, Christum Dominum nostrum, susciperе & portare, & fieri eius habitaculum, idem Spiritus sanctus obumbrabit. Responsorios, vt dixi non inueni distinctos ab antiquis patribus per ferias memoratas, ideò fileo de eis. [Nascetur nobis paruulus,] inueni inter responsorios, qui habent initiū à [Canite tuba in Sion,] in Romano Antiphonario, & in Metensi Antiphonario inter ferias positū, vt reor, quia de futuro scriptum est in Antiphonario, [Nascetur nobis paruulus.] Nos enim legimus Esaiam prophetam, vndè iste responsorius assumptus est, & inuentum est in illo, & in Hebraica translatione, & septuaginta, de præterito ibi dictum esse, [Natus est nobis.] Secuti sumus prophetam, & scripsimus illum in nocte natiuitatis Domini, quandò leguntur verba responsorij in nocturnali officio, & in lectione ad Missam: Præcipuè cùm audirem illum priùs in natiuitate Domini cantare, sic tamen, vt vsq; modò cantatus est, [Nascetur nobis,] quem nos mutauimus iuxta Esaiam prophetam, [Natus est nobis.]

De Antiphonis quæ in principio habent, O. Cap. 13.

ANtiphonę quæ canuntur per præsentē hebdomadam, cum hymno S. Mariæ, & habent omnes O, in capite, signum quoddam admirabile & inuestigabile ostēdunt nobis in his diebus celebrari, De quo signo dicit Esaias propheta: Propter hoc vobis dabit Dominus B signum, Eccè virgo concipiet & pariet filium. De quo partu dicit Ioannes Baptista, Cuius non sum dignus soluere corrigiam calceamenti. O, interiectio est admirantis. Per illud O, voluit cantor intimare verba sequentia pertinere ad aliquam mirabilem visionem, quę plùs pertinet ad mentis ruminationē, quàm ad concionatoris narrationem. Et quoniam per conceptionem & partum sanctæ Mariæ, facta est hæc admiratio, amplius congruunt memoratæ Antiphonę hymno sanctæ Mariæ quàm Zachariæ. Et si quis voluerit octauam addere propter summā pfectionis, habet rationē apertam, quam sanctus Augustinus scribit de sermone Domini in monte, dicens: Beati ergò qui persecutionē patiuntur propter iustitiam, quoniam ipsorum est regnum cælorum. Hæc octaua sententia, quæ ad caput redit, perfectumq; hominem declarat. Antiphona quæ prima est ex octo præsentibus in contextu Antiphonarij, & inscribitur, [O sapientia, quæ ex ore altissimi prodisti,] partìm assumpta est ex libro Iesu filij Sirach, partìm ex Sapientia, quæ vulgò inscribitur Salomonis. Ipsa enim mirabiliter laudat sapientiam. Ità enim scriptum est in libro Iesu filij Sirach de laude sapientię: Ego ex ore altissimi prodij, primogenita ante omnem creaturam. Non enim cogitare debemus membra & lineamenta corporis humani Dominum habere, sicut homo habet: sed propter diuersa opera, quæ operatur in singulis hominibus, membra humana nominantur in eo: quia non desinit quotidiè operari, quæ simul creauit: manus ei inscribuntur, vt est illud, Manus tuæ fecerunt me, & plasmauerunt me: Quia generat perpetualiter filium ex sua substantia, vterus: vt est, Ante Luciferum genui te. Quandò tri- E buit sapientiam & sermonem rectum ad manifestationem hominum, Os ei inscribitur, vt hìc est, Ex ore altissimi prodij. Et iterùm de Esaia: Tunc delectaberis super Dominum, & sustollam te super altitudinem terræ, & cibabo te hereditate Iacob patris tui. Os enim Domini locutum est. De fine huius capituli ità scripsit S. Hieronymus in tractatu super Esaiam sextodecimo libro, dicens: Os Domini locutum est, vt quomodò in manibus opus, & in pedibus incessum, & in ventre generationem, & in auribus oculisque auditum atque intuitum, sic in ore Dei sermonem intelligimus. Cæterùm simplex

& in-

Universidad de Deusto
Biblioteca

& incõmutabilis Dei natura, semper & vbiq; est. Sequitur, [Attingis à fine vsque ad finem fortiter, & disponis omnia suauiter : Quod ità continetur in memorato libro : Sapientia vincit malitiam, attingit ergò à fine vsq; ad finem fortiter, & disponit omnia suauiter. Hanc amaui, & exquisiui à iuuentute mea, Iuxta superiora præsentis libri, possunt hæc verba historialiter intelligi. Ità enim scriptum est : Ipse enim mihi dedit horum, quæ sunt, scientiam veram, vt sciam dispositionem terrarum, & virtutes elementorum, initium & consummationem, & medietatem temporum, & meditationem omnium, & cætera quæ sequuntur. Et paulò pòst : Et quæcunque sunt abscondita & improuisa, didici. Omnium enim artifex docuit me sapientia. Et infrà : Omnibus mutabilibus melior est sapientia. Attingit autem vbique propter suam munditiam, Quæ attingit vbique propter suam munditiam, attingit vbiq; à fine vniuscuiusque operis, cuius ipsa artifex est vsque ad finem alterius perfecti operis. De qua sapiẽtia sanctus Augustinus dicit in opere suo contra Arrianos : Vbi autem non est sapientia Dei * quod est Christus, de qua legitur, Attingit à fine vsque ad finem fortiter, & disponit omnia suauiter? Cùm ergò vbique sit etiam filius, quo mittẽdus erat? Fortiter attingit à fine vsq; ad finẽ, quia numquã & nusquàm & à nullo resistitur. Disponit omnia suauiter, scilicet sine lite, sine clamore, sine angore, sine tædio: Hæc interim. De cæterò tentemus cantoris affectum depingere circa natiuitatem Christi. O quàm mira es apud homines tu sapientia, quæ ex ore altissimi prodisti, vsque ad humanam confabulationem. Attingis à fine vsque ad finem fortiter, quoniam es æterna, & vbique regnas & insuperabilis. Ex ore altissimi prodisti, quandò visibiliter apparuisti hominibus. Vndè tu ipsa dixisti, Exiui à patre, & veni in mundum. De te enim dicit Apostolus Paulus, Finis enim legis Christus ad iustitiam omni credenti. In Christo apparuisti, in eo finisti legem & implesti : Non solùm in illo, sed & in omnibus credentibus in se: Attingis tu ab homine Christo, qui est finis legis, vsque ad finem credentium in se, ità fortiter, vt fortis armatus non inueniat rupturam & scissuram, quo introeat in ouile electi gregis sui. Adimpletum est quod longè prædixit prophera Dauid: Tu Domine seruabis nos, & custodies nos à generatione hac in æternum, in circuitu impij ambulant. Iterùm tu sapientia attingis à fine vsque ad finem fortiter, quãdò à Christo qui in fine mundi venit, & impleuit legem, vsque ad consummationem seculi es cum discipulis tuis intãtùm, vt omnes aduersarij non possint resistere & contradicere ori & rationi eorum quam dedisti, Et disponis illis omnia dona Spiritus sancti in vno eodemque spiritu suauiter. Quoniam præsentes Antiphonæ dulcedine sua decorant septem ferias vel octo, in quibus recolitur septiformis spiritus, qui in Christo homine semper habitauit ex quo cœpit homo esse, & Verbũ caro factum est vt habitaret in nobis, fas est vt demonstrem inquantùm possum, quàm consonantiam habeant singulæ cum singulis gradibus Spiritus sancti. Licèt alter ordo scriptus inueniatur præsentium Antiphonarum in Romano Antiphonario & in Metensi. Prima Antiphona, O sapientia, congruit primo gradui spiritus sapientiæ. Aliud est enim sapere, & aliud intelligere. Multi enim æterna sapiunt: sed hæc intelligere nequaquàm possunt. Sapientia enim quæ in Christo est, mentem de æternorum certitudine & spe fortiter reficit, & maturè disponit omnia. Sapientia summa est in Christo. Sapientia, quæ in cæteris hominibus est, scintilla est summæ sapientiæ. Secunda Antiphona mirabilem ostiarium demonstrat Christum. quod ipse claudit, non est qui aperiat : & quod aperit, non est qui claudat. Ità scriptum est in Apocalypsi de eo : Hoc dicit sanctus & verus, qui habet clauem Dauid : qui aperit, & nemo claudit : claudit, & nemo aperit. Quod ita intelligitur : Qui habet clauẽ Dauid, id est, regiam potestatem quasi ex Dauid stirpe natus, siuè quia prophetia Dauid Christi est dispensatione patefacta. Qui aperit, & nemo claudit: claudit, & nemo aperit. Legis diuinæ secreta, solius Christi potestate panduntur fidelibus, claudunt incredulis. Hęc Antiphona aptat gradui, spiritus intellectus, Spiritus intellectus q in Christo est, acumine luminis sui abdita penetrat, & tenebras cordis illustrat. Hoc, n. agit, qui quando vult aperit, qđ nemo potest claudere. Christus est lux vera, quæ illuminat omnẽ hominẽ. Tertia Antiphona dicit. O Emamnuel rex & legifer noster. Quod est mirabile dictu, vt Deus sit cum hominibus, manducet cum illis, & bibat, & ad eorum interrogata, quotiescunque voluerint, respondeat : Ipse rex Dauid, non temporaliter, sed ęternaliter : Ipse est, quodammodò alter Moyses, qui legem nobis dat permanentem in secula seculorum. Illum nos qui de gentibus sumus, expectauimus : Ipse saluabit nos in æternum : Hęc Antiphona conuenit tertio gradui spiritus consilij. Spiritus consilij, qui in Christo est, prouidendo præmunit membra sua, ne in præceps ruant. Hoc est regis ministerium & legiferi, vt secundùm rationem regat sibi populum subiectum, & prouideat quid agere eum oporteat, & quid vitare. Christus est consiliarius, Deus fortis. Quarta, mira laude & quodammodo ineffabili se profert, quæ dicit radicem Iessæ stare in signum populorum, & in præsentia eius silere reges, & eum gentes deprecaturas. Ità enim canit, [O radix Iessę, qui stas in cruce, in cuius manibus cornua sunt, & es in signum populorum, quandò sol obscuratus est, & terræmotus factus est, & petræ scissę sunt, & monumenta aperta sunt. Super quẽ continebunt reges os suum, id est, principes huius seculi, qui cũ rhetorica & dialectica sua

sua silebunt adueniente prædicatione sanctæ crucis & sancti Euangelij : Vndè hodierna die gẽtes excitatę sunt ad prędicandũ Crucifixum. Hæc Antiphona quarto gradui, spiritus fortitudinis, aptatur. Spiritus fortitudinis, qui in Christo est, facit aduersa non metuere, & trepidanti menti fiduciã præstat. De radice enim Iessæ Dauid rex ortus est, id est, fortis manu. Qui rex fortis manu, ipse stat in signum populorum, scilicet Dominus Iesus Christus in cruce crucifixus, vt ad eum multi respiciant, & velint sub eius fortitudine tueri. Super quẽ continent, qui sunt nominetenùs reges, os suum, quia non possunt, neque audent contra fortitudinem eius inire certamen. Idcircò multæ gentes ad eum confluunt, deprecantes eius protectionem. Quinta nempe miratur inauditum Orientem, qui non more vicissitudinum temporum mutatur de die in diem, sed est ęternus : Cuius sol non solùm corporis oculos illuminat, sed etiam mentis. Iustitia enim ad aspectum mentis pertinet. Hæc Antiphona congruit quinto gradui, spiritus scientiæ. Spiritus enim scientiæ, qui in Christo est, scit quid misericorditer puniat, & quid misericorditer dimittat. Ortus enim scientiæ, quæ charitate radicata est, Christus est. Est opus solius iustitiæ, vt scientes reddat oculos se intuentes mentis. Sexta Antiphona mirũ quid narrat, id est, quòd Dominus in igne flammæ rubi apparuisset Moysi, & rubus non combureretur. Hæc Antiphona congruit sexto gradui, spiritus pietatis. Spiritus pietatis, qui in Christo est, parcit misericorditer eis, qui sibi mala ingerunt. Illo enim spiritu repletus erat Moyses, de quo legitur quòd mitissimus fuisset super omnes homines : Sed nullus mitior Christo. Christus qui versatus est inter populum Iudaicum, resplenduit in flamma ignis. Miracula fecit, peccata dimisit humilibus, & quietis, & trementibus verbum Domini: Sed superbi cordis Iudęorum spineta non sunt cõbusta, qui contra Christum insidias & persecutiones parabant : Tamen pietas Christi omnia hæc tolerauit, adeò scilicet, vt pro persecutoribus suis orarit in cruce. Septima verò regem gentium memorat, & miro modo ponit lapidẽ in capite anguli. Quẽ lapidem nos credimus viuere, & vult esse opus suum sicut Antiphona dicit, vt vtraque vnum faciat, id est, duos parietes ex diuerso venientes, scilicet, de populo Iudaico & populo gentili simul coniungat, & vnam Ecclesiam faciat. Hæc Antiphona conuenit septimo gradui, spiritus timoris. Spiritus timoris, qui in Christo est, timere facit gentes, sicut scriptum est: Timebunt gentes nomen tuum Domine, & omnes reges terræ gloriam tuam. Octaua, O virgo virginum, insinuat mirabilem partum Ecclesiam mirari, dicens; Filię Hierusalem, quid me admiramini? diuinum est mysterium hoc quod cernitis. Hæc Antiphona monstrat illum hominem, qui ex Maria carnem assumpsit, solum & perfectum esse inter cęteros homines, quia in ipso solo habitat septiformis spiritus, qui superiùs memoratus est. De qua re scribit sanctus Augustinus in libro primo de sermone Domini in monte. Septem sunt ergo quæ perficiunt, nam octaua clarificat, & quod perfectum est, demonstrat. Si quem delectat ordo præsentium Antiphonarum, qui in Romano Antiphonario continetur, reperiet illum in nostro Antiphonario prętitulatum in sequentibus.

De officio, Sanctificamini. Cap. 14.

PRæsens officium certat hoc, vt diem certum monstret Natiuitatis Domini, & salutẽ nostrã quam adfert secũ ipsa natiuitas, instar admonitionis Moysis, qui præcepit populo se sanctificare antequam Dominus descenderet in montem. Vndè ità scriptum est in Exodo, capitulò decimo nono, Vade ad populum, dixit Dominus Moysi, & sanctifica illum hodiè & cràs, Lauentque vestimenta sua, & sint parati in die tertio. In die enim tertio descendet Dominus coram omni plebe super montem Sina. Et infrà: Descenditq; Moyses de monte ad populum, & sanctificauit eos. Cumque lauissent vestimenta sua, ait ad eos : Estote parati in die tertio, nè appropinquetis vxoribus vestris. Iftam sanctificationem multi sequuntur in nostra Ecclesia: Sed qui spiritualiter sunt renati, spiritualiter debent vestimenta lauare, id est, lachrymis & compunctionibus abluere mala perpetrata, vt possint descensui Domini occurrere sinè offensione.

De Natiuitate Domini. Cap. 15.

REperi in Romano Antiphonario duo officia nocturnalia in vna eademque nocte posita. Primum officium post Antiphonã [Dominus dixit ad me,] habebat Antiphonas [Tamquam sponsus,] &, [Diffusa est gratia.] Secundum, [In sole posuit tabernaculum suum,] &, [Eleuamini portæ æternales.] Vndè interrogaui quendam clericum educatum ab incunabulis in sancta Romana Ecclesia, cur essent hęc duo officia in vna nocte posita, id est, vnum quod currit per Antiphonas, Dominus dixit ad me, &, [Tamquam sponsus,] & [Diffusa est gratia :] & alterum quod habet primam Antiphonam, Dominus dixit ad me : secundam, [In sole posuit :] tertiam, [Eleuamini portæ æternales.] Qui respondit: Illud quod habet secundam Antiphonam, [In sole posuit : & tertiam, Eleuamini, solet Apostolicus canere in vigiliis & in Ecclesia S. Mariæ ad præsepe sine Inuitatorio. Alterum quod habet secundã Antiphonam, [Tamquam sponsus,] solent clerici canere in Ecclesia S. Petri, cum Inuitatorio, [Christus natus est nobis,] nocturnali tempore quando populus solet ad officium surgere. Propterea primò posuimus Antiphonas in nostro

Universidad de Deusto
Biblioteca

stro Antiphonario, quæ habent cursum per secundam Antiphonam: [In sole posuit,] quoniam illud officium priùs celebratur ab Apostolico in vigiliis, & posteà quod habet in secundo loco, Tamquam sponsus, in Ecclesia S. Petri nocturnali tempore. Iuxta ordinem psalmorum & pulchritudinem soni cõueniunt Antiphonę ipsi nocti natiuitatis Domini, quas solemus canere in octauis Domini, & Apostolicus vir canit ad primas vigilias in Ecclesia S. Mariæ Maiore. Antiphona, [In sole posuit tabernaculum suum,] pręponitur in eodem psalmo & in eodem versu Antiphonæ, [Tamquàm sponsus.] Antiphona [Speciosus forma,] præponitur in eodem psalmo, & in eodem versu Antiphonæ, Diffusa est gratia. Melodiaque pulchriores sunt sequentibus se. Sic & cæteræ sequentes iuxta ordinem illum, vbi secunda est, IN sole posuit tabernaculum suum. Sed interest, qđ Antiphonę de tertia nocturna, non habẽt alleluia in fine, neque in medio. Notandum est quòd tres nocturnæ ttia tempora totius mundi recolant, id est, tempus legis naturalis, tempus datę legis per Moysen, tempus gratiæ. Tertiam nocturnam, quæ recolit gratiam noui Testamenti, oportet habere Antiphonas cum Alleluia, si eo tempore cantatæ fuerint, quo resurrectio Domini frequentatur à fidelibus, id est, circa matutinale tempus: Nocturnæ verò quæ in primis vigiliis celebrãtur, frequenter habent finẽ ante mediũ noctis, in qua parte nõ celebratur resurrectio Dñi, nisi in Pascha propter conueniens sibi mysteriũ: Idcircò solent hæ esse sine Alleluia, sicuti in isto loco sunt, quæ cantantur in vigiliis primis. Sed neque ipsa quę canuntur in matutinis memorata hora, Alleluia habent, vt perspici potest in Antiphonario nostro, qui habet Antiphonas iuxta Romanum Antiphonarium in primis vigiliis, & in matutinis, nisi vna in Euangelio, Facta est cum Angelo. Dixit mihi memoratus clericus sactę Romanę Ecclesię, quod in hymno Zachariæ cãtaretur in ipsa natiuitate Domini à S. Romana Ecclesia Antiphona, Dum ortus fuerit sol, quam tamen scriptã reperi in Romano Antiphonario cũ hymno Zachariæ, ea nocte, quando canitur responsorius, Sanctificamini hodie, quã nos solemus canere cum hymno sanctæ Mariæ prædecedente nocte natiuitatis Domini secundùm carnem. Antiphonæ verò, quæ celebrantur in eadẽ nocte circa pullorum cantum, & deinceps, habent in tertia nocturna Alleluia, vt est, [Ipse inuocauit me, Alleluia,] & [Lætentur cæli, & exultet terra ante faciem Domini, Alleluia Alleluia. Notum fecit Dominus, Alleluia: necnon & omnes Antiphonæ habent Alleluia, quæ canuntur in matutinis. Responsorij de eadem nocte, morem illum sequuntur, quem frequẽtant domestici regales & imperiales, quandò conueniunt in præsentiam regis, vnusquisq; quod valet offert regi. Diuersa dona offerunt: sed animos regis æqualiter cupiunt sibi reconciliare, & blandiri. Ità & responsorij multarum mentium cogitationes vario colore & multipli ci gratiarũ actione depictas offerunt regi Christo: Agunt gratias laudando S. Mariam, quia quem cæli capere non possunt, suo gremio protulit: Agunt gratias, quia dignatus est cęlorum rex carnem assumere ex virgine, vt perditum hominem reuocaret ad cælum, vndè gaudet exercitus Angelorum: Agunt gratias, eo quòd per suam natiuitatem cæli, id est, prędicatores, mellifluì facti sunt per dulcedinem spiritualis sensùs. Nì fallor, hunc affectum, qui quęsierit, reperiet per multos responsorios de præsenti natiuitate Domini. Numerus lectionum & responsoriorum, necnon & Antiphonarũ nocturnalis officij, admonet nos benedicere Dominum, & laudare, atque gratias agere, qui propterea voluit verbum suum carnem fieri, vt perditum hominem ad societatem colligeret nouem ordinum Angelorum: Antiphonas in matutinali hora ità ordinaui, vt prima ostenderet, id est, Genuit puerpera regem, Christi natiuitatem de virgine Maria, & virginitatem perpetuam eiusdem sanctę Marię: sequentes de Euangelio ità, similiterq; & de ratione festiuitatum Sanctorum.

Sed & hìc notandum est, quòd sicut per nouenarium numerum, qui celebratur in natiuitate Domini, gratias agimus de Dei descensione vsque ad nostram humiliationem: ità per eundem numerum gratias agimus in festiuitatibus Sanctorum quoniam illi digni sunt ascendere vsq; ad altitudinẽ cæli, in quo habitant Angeli.

De officiis vespertinis in Natiuitate Domini, & in natalitiis Sanctorum. Cap. 16.

QVandò iuuenis fui, vidi cantores prędecedentem vespertinalẽ synaxim ante diem aic uius solennitatis celebriore cantu & gloriosiore celebrare, quàm sequentem vesperã diei festiuitatis: intantùm, vt aliquotie s in prędecedente vespera celebraretur cantus de festiuitatibus Sanctorum, & in sequente de feriis communibus. Habuimus tamen scriptum in Antiphonariis de die natiuitatis Domini, & Natalitiis Apostolorum Petri & Pauli atque Andreæ, Antiphonas aptas & congruas memoratis diebus in vespere sequente ea die, quando Missa de natalitiis eorum celebratur, & ibì decinimus eos sicut adhuc facimus. Ego imbutus prisca consuetudine, cœpi cogitare, quare non essent memoratę Antiphonæ de natalitiis Sanctorum in prędecedentibus vesperis constitutæ, in quibus audiebã per cęteras festiuitates Sanctorum gloriosiorem sonum, & videbam maiorem conuentum populorum, atque celebrius officium luminũ, quàm in sequentibus. Inueni, Deo miserante, rationabiliùs inuentum esse cultum solennitatum vespertinaliũ apud scriptores

ptores antiquos, qui Antiphonas scripserunt, quàm apud cantores modernos. Adhuc solent dicere interrogati de vespertinali synaxi, Benedictus Dominus Deus meus, pertinere illam ad diem Dominicum. Si enim voluissent intendere, quòd psalmi huius vesperi in fine psalmorum vespertinalium essent positi, numquàm hoc dicerent: quoniam ille, qui psalmos vespertinales constituit, proculdubio à Dominica die cœpit initium psalmorum vespertinaliũ componere, & non à fine hebdomadis. Idcirco, [Dixit Dominus Domino meo,] ad Dominicam diem pertinet: [Dilexi quoniã exaudiet Dominus vocem orationis meę.] ad secundam feriam: [Lætatus sum in his quæ dicta sunt mihi,] ad tertiam: [Nisì Dominus ædificauerit domum,] ad quartam: [Memento Domine Dauid,] ad quintam: [Confitebor tibi Domine in toto corde meo,] ad sextam: [Benedictus Dominus Deus meus,] ad septimam. Nisì iste ordo seruetur, non erit verum, iuxta expositionẽ Domini Bedæ, quod in Esdra scribitur, Quater in die confitebantur Domino, id est, hora tertia, sexta, & nona & vespere. Qui enim Antiphonas volunt celebrare de Euangeliis, quæ leguntur per Dominicos dies, ritè celebrant eas in matutinali, officio pertinente ad Dominicam diem, & ad vesperum, in quo canitur psalmus, [Dixit Dominus Domino meo.] Quòd si superabundauerint Antiphonæ, indifferenter dici possunt per singulas quasq; ferias quamdiù idem Euangelium legitur. In festiuitatibus Sanctorum & aliis solennitatibus, si serò fuerint vespertinalia officia celebrata, ita vt sol ad occasum transierit, ritè possunt dici Antiphonæ festi diei in præcedẽtibus vesperis: quia scriptum habemus, Festa vestra celebrabitis à vespera vsque ad vesperam, id est, à solis occasu vsq; ad solis occasum. Quòd si voluerit dicere cantor, quamuis sol ad occasum nondum transierit, tamen quia officium agimus in memoriam istius & illius solennitatis, in mente nostra iam illa solennitas agitur, idcircò officium illius ritè peragimus, cuius solennitas in mente nostra agitur: Agimus Deo gratias de amore mentium illarum, quia charitas quæ omnia credit, omnia accepta facit apud Deum. Compositor Antiphonarij, qui posuit Antiphonam vespertinalem, [Tecum principium,] & cæteras sequentes in fine diei Natiuitatis Domini, post celebrata cętera officia hoc intendit, quòd ipsa vespera magìs pertineat ad festa Natiuitatis Domini, quàm præcedens ante solis occasum. Hæccine ratio est per festiuitates Apostolorum, & cæterorum Sanctorum, quòd magìs pertineat ad diem natalitium eorum vespera in fine diei post celebrata cætera officia, quàm præcedens vespera ante solis occasum. De duodecim noctibus scripsi in prologo lectionarij, & cogito scribere in commentario diurnalis officij.

De festiuitate S. Stephani protomartyris. Cap. 17.

DIxi in superioribus, more antiquo ratione ministrante, quoniam præscripsi, habere Antiphonas de tertia nocturna, quæ canitur circa quartam vigiliam noctis, Alleluia. similiter & Antiphonas matutinales magnarum festiuitatum: quòd non inuenitur in festiuitate sancti Stephani, & sancti Ioannis, & Innocentium. Sunt festiuitates, quarum officia celebrãtur nocturnalia circa vespertinam horam, quæ vulgò appellãtur propria: & in posteriore parte noctis canitur alterum officium siue de propria feria, seu de communibus sanctis. Ità enim reor actitatum esse apud antiquos de illis festiuitatibus, quarum Antiphonæ in matutino officio non habent Alleluia. Antiphonæ, quas solemus canere in nocturnali officio in festiuitatibus Sanctorũ, & habẽt initiũ in Antiphona IN lege Domini fuit voluntas eius die ac nocte, exceptæ sunt, vt reor, à * mordis de multitudine Antiphonarum, quas habemus scriptas in nostro Antiphonario de Romano. Si qs voluerit eas legere, reperiet eas non à principio ità esse statutas, vt cantantur apud nos, Responsorios ità ordinaui, vt ratio docuit historiæ & gestorum ordo. Vbì verba mutaui de Romano Antiphonario, in margine eiusdem paginæ eregione R. posui.

* modernie

De festiuitate sancti Ioãnis. Cap. 18.

IN festiuitate sancti Ioannis sex responsorios reperi, quibus præponimus tres, id est, Iustus germinabit sicut lilium: &, Iste est qui ante Deũ magnas virtutes operatus est: &, Iste homo perfecit omnia quæ locutus est ei Deus; vt tres nocturnas faciamus. In nouissimo responsorio, id est, In medio Ecclesiæ contra consuetudinem cæterorũ responsoriorum cantatur neuma triplex, & Versus eius atque gloria, extra morem neumate protelantur. Non enim frustrà hoc actum est à prioribus. Voluerunt nobis per hoc aliquam doctrinam insinuare, quæ fortè poterat excedere mentem cantorum, quorum pars aliqua sępè mutatur à transitoriis ad æterna, & lętatur potiùs in æternis, quàm in transitoriis. Fit enim neuma memoratum inter cætera verba circa verbum intellectus. Quando veneris cantor ad intellectum, celebra neuma, id est, fige gradum in stantibus & manentibus rebus. Quid hoc vult? Vult nempe te docere, si aliquandò veneris ad intellectum, in quo cõspicitur diuinitas & ęternitas, vt desiderio mentis preceris moras in eo. Si enim intellexeris illa, ibì te delectabit morari in his, quæ iubilabis, id est, lætaberis sine verbis transitoriis. intellectus verò erat intra viscera Ioannis, qui ei præstabat ructum quendam, quandò dixit: In principio erat verbum

Universidad de Deusto
Biblioteca

bum,& verbum erat apud Deum. Versus, [Misit Dominus manum suam,& tetigit os meum,] sic fatur, quasi respondeat Ioannes interroganti. Vnde tibi Ioannes hic intellectus, in quo cantores neuma faciunt? Respondet inquiens: Misit Dominus manū suā & tetigit os meum. Cur inquam in isto versu neuma facis cantor? Inquit, Quia hæc missio manus & tactus oris, per intellectum debent conspici. Cantus gloriæ Patris & Filij & Spiritus sancti, ipsa virtute debet sanctā Trinitatem laudare, qua Deus vtcumque conspicitur, id est, intellectu. Non enim Romanos versus debemus ad hoc constringere, vt sensus qui in fine versus est, conueniat sensu lateri responsorij. Non enim sancta Romana, & nostra regio vno ordine canūt responsorios & versus. Apud eam præcentor in primo ordine finit responsorium. Succentores verò eodem modo respondent. Dein præcētor canit versum. Finito versu, succentores verò secundò incipiunt responsorium à capite, & vsque ad finem perducunt. Deinde præcentor canit gloriam Patri & Filio & Spiritui sancto. Quo finito, succentores circa mediam partem intrant in responsorium, & perducunt vsque in finem. Postremò præcentor incipit responsorium à capite, & perducit illum ad finem. Quo finito, succentores tertiò repetunt responsorium à capite, & perducunt illum vsque ad finem. Idcirco quoniam succētores tercanunt responsorium, trifarium neuma est circa verbum intellectus. Succentorum est, neuma canere propter fortitudinem coniunctarum vocum. Ab initio tertiò cantabantur responsorij à cantoribus, quem ordinem monstrāt responsorij de passione Domini. Non enim ab initio cum responsoriis cantabatur Gloria. Habemus & alium Versum in nostro Antiphonario scriptum, cuius sensus conueniens est cum latere responsorij, vt si alicui superfluum videatur neuma canere, habeat nostro more Versum aptum ad cantandum. Potest & altero modo intelligi neuma pertinere ad cātores circa verbum intellectus. Maxima pars cantorum studet sono placere auribus hominum,& in eo toto studio & ingenio laborat,& inuigilat. Eorū pars quanto plùs certat sono placere, tanto minùs imbuitur de intellectualibus rebus. Eorum insciti am potest neuma eliquare circa verbum intellectus. Neuma Græcum est, & interpretatur mutus, vt Comminianus Grammaticus dicit. In fronte enim percutit neuma cantores stolidos in verbo intellectus, quando eos monstrat solo sono delectari, circa intellectum scripturarum. Canunt etiam moderni cantores præsens neuma in responsorio. [Descendit de cælis, & in verbo,[Fabricæ mundi.] In quo verbo potest neuma aptè conuenire. Eo neumate monstrant difficultatem magnam inesse in schola cantorū verbis explicare, quomodò idem qui natus est hodierna die ex Maria virgine, fabricasset mundum & ornasset,& quomodò ipse sit lux & decus vniuersæ fabricæ mundi. Eadem sententia est in versu, [Tamquàm sponsus Dominus processit de thalamo suo. Impossibile est apud scholam cantorum de ordine processionis CHRISTI de vtero virginis narrare, quæ comparatur sponso procedenti de thalamo.

De Octauis Domini. Cap. 19.

NOs enim non solemus canere, nisi vnum officium nocturnale in natiuitate Domini: Idcircò vnum de duobus quæ celebrantur à Romana Ecclesia,& scripta sunt in Antiphonario Romano, & nostro in nocte natiuitatis Domini, cantamus in octauis Domini. Antiphonas in matutinis, de eadem nocte scripsimus, vt reperimus in Antiphonario Romano. Quid de octauis Domini & sanctorum audierim à Romanis clericis, & quid nostra regio frequentent ex eis, partim scripsi in libello Officiali, partim conor scribere in libello de diurnali officio.

De Dominica prima post Natiuitatem Domini. Cap. 20.

ANtiphona, [Puer Iesus,] est assumpta de contextu Euangelij, qui continet locum post officium Simeonis. Quod omninò peractū est ante aduentū Magorum: ideoque teneat locum in Dominica ante Epiphaniam, quandò legitur Euangelium, Vnde assumpta est.

De Epiphania, id est, apparitione siue manifestatione. Cap. 21.

ANtiphonam, [Christo datus est principatus,] inuéni in Romano Antiphonario inter Antiphonas de natiuitate Domini, & in Metensi inter Antiphonas de Epiphania, Etenim in suo sensu vtrique festiuitati congrua est: & Antiphonam [Ecce aduenit] inter illas de natiuitate Domini. Quæ huic festiuitati congrua est, quod potest dinosci ex Introitu ipsius diei. Idcircò inscribo eam ad primam vespertinalem synaxim: Et, [Christo datus est principatus,] ad vesperum ipsius diei Epiphaniæ. Nostra regio in præsenti officio solita est vnū omittere de consueto more, id est, Inuitatorium. Inuitatorius est psalmus, [Venite, exultemus Domino.] Illo conuocantur fratres in vnum,& docentur quid agere eos oporteat postquam conuenerint. Venite, inquit, exultemus Domino, iubilemus Deo salutari nostro: præoccupemus faciem eius in confessione, quandiù tempus est acceptabile. Dein reddit causas, qua de re oporteat præoccupari faciem eius in confessione. Quoniam Deus magnus Dominus,& in manu eius omnes fines sunt terræ,& altitudines montiū ipse conspicit. Iterùm docet psalmus quid agamus. Venite, inquiens, adoremus & procidamus, & ploremus

mus ante Dominum, qui fecit nos. Atque forti instinctu nos pulsat, dicens: Hodiè si vocem eius audieritis, nolite obdurare corda vestra, sicut fecerunt filij Israel, qui opera Domini viderunt per quadraginta annos,& propter duritiam cordis eorum non intrauerunt in requiē Domini. Hunc psalmum audiui Constantinopoli in Ecclesia sanctæ Sophiæ in principio Missæ celebrari. Mentio dualis facta est in præsenti solennitate verborum adorandi Dominum: Vna est Magorum, qui in veritate quærebant Dominum, vt eum adorarent & salutarent muneribus: Altera est Herodis, qui dolosè dicebat Magis: Ite,& interrogate diligenter de puero: & cùm inueneritis, renunciate mihi, vt & ego veniens adorem eum. Magorum beneuolentia, qui communes erant homines, nobis imitāda est: Versutia Herodis, qui videbatur princeps & rex esse in populo Iudaico, vitanda est. Propter hanc admonitionem & castigationem potest rationi congruere, vt omittatur in præsenti officio in primo ordine psalmorum, [Venite, exultemus Domino:] & ponatur in sexto ordine. Antiphonæ sex per duas nocturnas, magorum obsequia recolunt circa Christi natiuitatem. Tres magi, qui venerunt in ista nocte ad Dominum, legati exiterunt mysticis suis muneribus gentilis populi, qui in terra insulisque habitat. Tria munera eorum, triplicem personam Christi præfigurabant, id est, regis, & sacerdotis,& mortalis hominis: necnon & tres functiones membrorum CHRISTI, id est, sapientiam, virtutem orationis, & mortificationem carnis. Harum trium functionum legationem munera Magorum portauerunt. Ex munere thuris dicunt per primam antiphonam, [Afferte Domino filij Dei: ad insulas sacerdotum, qui inhabitant terram: Afferte Domino filij Dei, qui propterea potestis dici filii Dei, quia sacerdotes estis. Quid debeant afferre, subauditur, Thura. Ac si dicatur, Virtutem orationis vestræ Christo afferte, quoniam vestræ preces per illum diriguntur DEO patri. Thus enim sacerdotio congruit. Ex munere auri dicitur sapientibus & intelligentibus per secundam antiphonam, [Psallite DEO nostro, psallite: psallite regi nostro, psallite sapienter.] Per aurum sapientia offertur. Scriptum est enim, Thesaurus desiderabilis requiescit in ore sapientis. Aurū DEO & regi congruit. Ex munere myrrhæ dicitur de omni populo mortali & studium habenti ad meliora per tertiam antiphonā, Omnis terra adoret te, & psallat tibi, psalmum dicat nomini tuo Domine: Ac si dicat præsens antiphona, Omnis terra adoret te, & psallat tibi per mortificationem carnis: dicatque tibi, Propter te mortificamur tota die. Myrrha enim condimento conuenit mortuorum corporum. Ista vigilia mentionem facit de gentibus, quæ habitant in terra: Secunda vigilia de eis, quæ habitant in insulis, dicit, per primam antiphonam de sapientibus, [Reges Tharsis & insulę munera offerent. Reges enim qui propterea vocātur reges, quia semetipsos regunt & cęteros, sapientes vocantur. Per secundam antiphonā dicitur de omni populo. [Omnes gentes quascunque fecisti, venient,& adorabunt coram te Domine. Per tertiam antiphonam hortantur se inuicèm sacerdotes,& dicunt: [Venite, adoremus eū, quia ipse est Dominus Deus noster. Ast tertia vigilia, de baptismo Christi mentionem facit. Tertia vigilia solet nobis ad memoriam reducere nouum Testamentum. Nouum verò testamentum, fundatum est per baptismum. In tertia vigilia, legatio Magorum completur. In prioribus vigiliis dicitur allegationibus Magorum de futuro. [Omnis terra adoret te.] Et iterùm: [Reges Tharsis & Insulæ munera offerent: At in ista, in qua recolitur nouum Testamentum, per frequentationem alleluia cātat in præsenti omnis terra Domino, dicitque suis subditis, [Adorate Dominum:] & iterùm, Lætentur insulæ multæ: dicunt, Adorate Dominum. Psalmus, [Deus noster refugium] propterea in ista vigilia ponitur, quoniam in eo memoratur perturbatio hominum, qui conturbabantur propter prædicationē noui testamenti,& voluerunt resistere prædicationi Apostolorum: & tamen, DEO disponente, fluminis impetus, qui ministratus est ab Apostolis per officia baptisterii, superauit commotionē terrenorum hominum, & lætificauit ciuitatem Dei. Nam & hæc Dei ciuitas constat ex incolis terræ & insularum. Ecclesia in nouo testamento dicit ad eos qui in Christo baptizati sunt, & in terra habitant, per secundum psalmum, [Cātate Domino canticum nouum, cantate Domino omnis terra:] & per antiphonam, [Adorate Dominū in aula sancta eius.] Dicit ad eos, qui habitant in insulis, per tertium Psalmum, [Dominus regnauit, exultet terra, lętentur insulę multæ:] & per antiphonam, [Adorate Dominum omnes angeli eius.

De Responsoriis. Cap. 22.

IN ordine responsoriorum habemus scriptū primum responsorium, [Dies sanctificatus:] dein, [Illuminare Hierusalem.] Ipse enim de translatione LXX. scriptus est. In Hebraica verò legitur, [Surge, illuminare, quia venit lumen tuū.] Assumptus est enim de Esaia propheta, narratq; illuminationem sanctę Ecclesię per Christi aduentum. Si ità oportet dicere, vt verè oportet, de Magis, sicut sanctus Ambrosius dicit: qui enim viderant Christū, Christum intellexerant, debemus intelligere Magos factos Hierusalem. Non enim intelligerēt Christum, nisi illuminati essent ab eo. Post illum sequitur responsorius tertius de memorato propheta, iuxta ordinem contextus historiæ, [Omnes de Saba venient, aurum & thus

Universidad de Deusto
Biblioteca

thus deferentes.] In memoratis Magis, quos credimus fuisse legatos totius mundi, omnes de Saba venientes possumus intelligere. Per eos qui de Saba, id est, de captiuitate veniunt ad Dominum, intelligimus multitudinem gentium conuertentium ad Dominum. Saba, vt sanctus Hieronymus dicit in tractatu suo super Esaiam prophetam libro decimoseptimo, tota prouincia est, in qua sunt regiones Madian & Epha. Saba interpretatur conuersio, vel captiuitas, Et omnes de captiuitate venientes, & conuersione sua aurum fidei deferentes & thus sacrificij, & per hæc munera nequaquàm propria salute contenti, proficient vt cæteris prædicent salutare Dei. Hucusquè Hieronymi.
Post hos duos sequuntur responsorij de Euangelio iuxta ordinem Euangelii, quod narrat ordinem aduentus Magorum, & oblationem munerum suorum, necnon & declarat incitamentum eorum itineris fore apparitionem nouæ stellæ. Et post recessum ab Herode, eandē præuiam constare vsq; ad domum, in qua erat Christus. Post hanc historiam posui responsorios in tertia nocturna de baptismo Christi, & nouissimo loco de miraculo ex aqua vino facto, iuxta ordinem rerum gestarum.

De Antiphonis in Matutinis. Cap. 23.

PRimò notandum est, intentionem esse cantorum, vt in ista nocte præcipuè celebrent, quod primò actum est, de præsenti solennitate, id est, aduentum Magorum. Ideò in præsentibus antiphonis certaui, iuxta tenorem responsoriorum antiphonas ordinare de aduentu Magorum. Et vbi ratio constrinxit ad hoc, vt de cæteris solennitatibus cantaretur, quæ in ista nocte recoluntur, non distuli scribere. Prima antiphona, [Ante Luciferum genitus,] demonstrat præsentem solennitatem, id est, apparitionem Domini. Secunda, [Venit lumen tuū Hierusalem,] monstrat ex prophetia sua, quem fructum perciperet sancta Ecclesia ex apparitione DOMINI. Tertia ex prophetia eadē, [Venient ad te, qui detrahebant tibi,] recolit lucrum sanctæ Ecclesiæ. Quarta, [Maria & flumina,] quæ ex hymno trium puerorum assumpta est, de baptismo Dñi resonat. In quinto loco ponitur antiphona, [Magi viderunt stellā,] quæ prima est in contextu Euangelij de aduentu Magorum. Antiphona, [Hodie cęlesti sponso,] tres solennitates præsentes recolit. Sequētes antiphonę, vt prætuli, manifestant Magorum aduentum, & seruant textum Euangelij, quę ex eo assumptę sunt.

De Dominica prima post Epiphaniam. Cap. 24.

ANtiphonas duas, id est, [Tolle puerum & matrem eius,] &, [Reuertere in terram Iuda.] scribo in isto loco. Sunt enim assumptę de Euangelio, [Defuncto Herode,] quod legitur in eadem Dominica. Continetur in eo Euāgelio reuersio Christi de Aegypto post Magorum aduentum antequàm baptizaretur.

De Octauis Theophaniæ. Cap. 25.

SIcut certauit schola cantorum in Epiphania frequentare aduentum Magorum, simili modo certat in octauis Epiphaniæ frequentare baptismum Christi, quasi ipsa die baptizatus esset. Qua de re non dubitaui scribere antiphonam de Euangelio, vt primò audiui illam canere, hoc est, [Hodiè Ioannes exultat.] Notandum est, quòd vbi deficiunt antiphonę de solēnitate Magorum, ibi cœpi scribere de antiphonis, quę baptismum Christi resultant, & deindè tendunt ad octauas Epiphaniæ. Plures enim sunt, quàm sit necesse celebrare, in vna nocte octauarum. Neque enim tot sunt scriptę de aduentu Magorum, vt illis ordinatim cantando possimus peruenire ad octauas Epiphanię.

De Dominica prima post octauas Epiphaniæ. Cap. 26.

IN Dominica prima post octauas Epiphanię celebratur miraculum, quod Dominus fecit de aqua in ipsa Epiphania: Ideoque hìc scribimus antiphonas de eodem Euangelio.

De Responsorijs, qui à psalterio sunt excerpti. Cap. 27.

DE responsoriis psalmorum non debet nos pigere, neque audientibus fastidium fore, si eos recitauero in suo ordine. Manifestū est, quòd castigatio corporis per ieiunium, & humiliatio mentis, & amor Christi excludat Diabolum de peribolo sanctæ Ecclesię. Exclusus est diabolus ante natiuitatem Domini per hæc obstacula: Excluditur & tempore natiuitatis Christi per ipsam Christi præsentiam. Tristatur diabolus, quia exclusus est lætatur Ecclesia, quia Christus intrauit in mūdū. Sic enim cecinit Angelus pastoribus: Eccè enim Euangelizo vobis gaudiū magnū, quia natus est vobis hodiè Saluator. De pace Ecclesię tristatur diabolus, Angelorum chorus gaudendo canit, Gloria in altissimis Deo, & in terra pax hominibus bonę voluntatis. Omnes sancti admonent Ecclesiā, vt gaudeat in præsenti festiuitate, quam celebrant solenniter: sicut Angelus pastoribus cecinit, vt gauderent de videndo oculis corporeis nato Saluatore. Ex quibus vnus, id est, Gregorius Nazanzenus ordinē gaudij in homilia de secundis Epiphaniis exponit. Nos, inquiens, exultemus in Christi baptismo, & diē festum celebremus, non ventri indulgentes, sed spiritu exultātes. De qua re quidam Magister Grecorū dicit in homilia secunda super librum Numerorum:

Paulus

Paulus dicit, Omnia honestè & secundùm ordinem fiant: Paulus verò tamquàm Euangelij minister non solùm in actibus, sed in ipso habitu ordinatum vult esse Christianum. Et paulò pòst: Vnusquisq; nostrum si de cibo & potu solicitus sit, & omnē curam in rebus secularibus gerat, vnam verò aut duas horas ex integro die etiam Deo deputet, & ad orationem veniat in Ecclesiam, vel in transitu verbum Dei audiat, præcipuam verò curam erga solicitudinem seculi & ventris expendat, iste non complet mandatum, quod dicit, vt homo secundùm ordinem suum incedat. Hucusquè Magister Græcorum. Transgrediendo præsens mandatū plērique, insistendo seruitio ventris, delinquunt in festiuis diebus Natiuitatis & Epiphanię Domini. Diabolus semper est paratus, vt recedente parumper pastore, ouem rapiat incautam. Credimus enim Christū semper adesse, vbi duo vel tres congregati fuerint in nomine eius: Ità & in Ecclesia per memoratas festiuitates, quæ de suo aduentu lætatur. Idcircò, eo quòd lætitia est suscepta festiuitatum in nomine suo, præcipuè id ipsis præcinente angelo, Christus est in circuitu populi sui, & custodit eum. Festiuitatibus celebratis, necesse est vt Ecclesia curam sui adhibeat altero modo: siue quia in peregrinatione est adhuc: seu quia in diebus festiuis spiritum gaudij fragilitate humana & genuino vsu declinauit ad curam & solicitudinem & lætitiam ventris. Contra hoc oportet nos pugnare, & ideò subsequuntur responsorii de psalmis, qui continent in se plurimā orationem, & habent initium à psalmo primo pœnitentum, id est, Domine nè in ira tua arguas me. Et iterùm: Tempus enim præsens, id est, à festiuitate Theophaniæ, vsque in septuagesimam, recolit deuotionem & ministerium prædicatorum à primis prædicatoribus Ecclesię, vsque ad nouissimos noui testamenti. Idipsum insinuant nobis epistolæ summi prædicatoris Pauli, quę eodem tēpore leguntur. Prædicatoribus enim congruit oratio, vt apertum ostium habeat prędicatio eorum. De ordine psalmorum per cōmunes Dominicas noctes & ferias in diurnali officio & in nocturnali, scripsi ī libello officiali.

De officio sancti Marcelli. Cap. 28.

DE sancto Marcello vnum responsorium reperi in Romano antiphonario, id est, Hic est verè famulus Dei. Qui responsorius cātatur sæpè in festiuitatibus cæterorum summorum pontificum. In eo loco vbi Metensis antiphonarius habet, Ideoq; in stadio positus: in Romano verò continetur, ideoq; in oratione positus. Legens ergò sermonem sancti Augustini de pœnitentia, inuéni, Sanctos in stadio positos. Itaq; non mutaui hoc quod dudùm nostra Ecclesia cœpit canere, id est, Ideoq; in stadio positus, Domini Iesu Christi confessor effectus est. Vt enim scriptum reperi, ità scribo hìc: vtrunque, inquit, verissimè scriptum est. Et qui natus est ex Deo, non peccat: &, quod in eadem Ioannis Epistola legimus, Si dixerimus quia peccatum non habemus, nosmetipsos seducimus, & veritas in nobis non est: Illud enim ex primitijs nouæ hominis, hoc ex reliquijs veteris dictum est. Vtrunque enim agimus in hac vita. Paulatìm autem nouitas accedit, & paulatìm vetustate cedente succedit. Cùm verò vtrumque agitur, in stadio sumus. In præsenti responsorio de festiuitate sancti Marcelli inscribitur, [Ideoq; in stabulo positus.] Quare responsorius, [Hic est verè famulus Dei,] hoc propriū habeat in festiuitate sancti Marcelli, scribam ex verbis Domini Bedæ, quæ excerpsit de vita sancti Marcelli in Martyrologio suo: Decimoseptimo Kalendas Februarij natale sāncti Marcelli Papæ, qui iubente * Maximino Imperatore primò fustibus cæsus, & à facie eius, quē corripiebat, expulsus est. Deindè audiens quòd domum sanctę Lucinę, quam ipse damnauerat proscriptione, eo quòd de facultatibus suis Christianis donauerit, Ecclesiam faceret, atque in ea Missam celebraret, in media ciuitate iussit in eadē Ecclesia plancas extrui ad animalia catabuli publici, & eundem stabulo episcopum ad seruitium animalium deputauit cū custodia publica. Multa officia sanctorum indidi in nostro Antiphonario ex Romano, quę nō habet Metensis antiphonarius. Cogitaui cur ea omitterem, cùm eadem auctoritate fulciantur, qua & illa, quæ scripta inuenimus in Metensi antiphonario, scilicet sanctæ matris nostræ Romanæ Ecclesiæ. Addidimus etiam pauca, quæ nostra regio sola continet, vt sunt antiphonæ de sancto Medardo, & de sancto Mauritio. Vtraq; enim designantur ex signis præscriptis in prologo antiphonarii. *Maxentio

De Matutinis. Cap. 29.

OLìm quandò solus Antiphonarius Metensis erat mihi notus, in quo reperi antiphonas super psalmos nocturnales de cōmunibus virginibus, quę non videbantur mihi congruere festiuitati præsentationis Domini in templo, cœpi inquirere antiphonas de diuersis locis, quę congruerent memoratæ festiuitati, atque eas cœpi canere cū meis fratribus in choro. Postèà reperi in Romano antiphonario proprias, quas vtrasque posui in nostro antiphonario. Si quis tenet Romanas, cantet illas: Si quis eas non tenuerit, videat, si possint aptari in suis locis quas scripsi. Responsorios scripsi ex Romano antiphonario. addidi, [Hic qui aduenit, nemo scit nomen eius.] Antiphonas in matutinis diuerso ordine positas inueni inter Metensem antiphonarium & Romanum. Ipse enim scriptus est in nostro antiphonario. In secundo ordine scripsi easdem antiphonas, iuxta ordinem historiæ Euangelij.

Universidad de Deusto
Biblioteca

De officio Septuagesimæ. Cap. 30.

PRimò notandum est, quorum hominum status celebratus sit à natiuitate Domini vsq; in septuagesimam, & à septuagesima vsque in mediam quadragesimam: Scilicet, Christi generatio & sanctorum prædicatorum liberalitas celebrata est à natiuitate Christi vsq; in septuagesimam, & à septuagesima generatio eorum, qui de captiuitate emergi desiderant, & de angustijs præsentis peregrinationis vsquedùm iterùm renascatur Christi generatio circa paschalia sacramenta. Christi generatio, & suorum prædicatorũ liberalitas, maxima ex parte migrauit de præsenti seculo, vt regnet cum angelis coram Deo. Tempus talis demigrationis vocatur nox, dicente Domino in Euangelio, Venit nox quandò nemo potest operari. Præsens Ecclesia, quæ in ista peregrinatione est, septuagesimæ in nocte recolit gloriam, quæ celebratur apud ciues, qui demigrauerunt: In die verò eorum, qui detinentur in captiuitate, & suspirant, vt ad libertatem redeant: Apud illos verò non celebratur claritas Alleluia, quia tristitia captiuitatis constringuntur: Apud eos verò qui demigrauerunt, celebratur Alleluia, quoniã ipsi non recedunt de laude Dei. In antiphonarijs est primus responsorius, Alleluia, dũ præsens est, imitantur illam. Quantùm ad nomen alleluia pertinet, non possumus dicere, dũ præsens est, imitantur illam. Alleluia, neutri generis est. Potest enim fieri, vt pro aliqua re intelligatur Alleluia, & indicatur, dum præsens est, imitantur illam. Historia enim vndè præsens responsorius assumptus est, docet cui rei respondeat persona pronominis. Ità enim in illa scriptum est, O quàm pulchra est casta generatio cum claritate. Immortalis est enim memoria illius, quoniam & apud Deum nota est, & apud homines: Cùm præsens est, imitantur illam: & desiderant illam, dum se subduxerit: & in perpetuum coronata triumphat. Ordo verborum ratus est, si præponatur nomen rei, & supponatur posteà persona pronominis. Ideò proposui in isto ordine responsoriũ, Alleluia: Nomen bonum melius est quàm diuitiæ multæ, vt aliquod nomen præcederet, cui subderetur, imitantur illam. De hoc nomine bono scribit Dominus Beda in expositione super parabolas Salomonis: Nomen ergò bonum, est nomen religionis, quod diuitiis mundialibus iure præfertur. Nam etsi mundum quis lucraretur vniuersum, meritò hunc contemneret tantùm, vt nomen eius scriberetur in cælo, eius memoria inter angelos & inter homines sanctos figeretur æterna. Hæc est generatio pulchra & casta, cuius memoria figitur inter angelos & inter homines sanctos. De ipsa generatione dicit responsorius, Dum præsens est, imitantur illam. Vsque ad noctem septuagesimam, videbatur nobis illam habere præsentem, quia illam frequentabamus cum Alleluia per plura officia à Natiuitate Domini vsq; ad illud tempus. Primus responsorius, Alleluia, Nomen bonum, sic præponitur, quasi signũ aliquod in monte positum, ad quod viatores oportet intendere. Tota intentio est in ista nocte cantorum, vt magnificent nomen Alleluia. Secundus responsorius habet in capite Alleluia, dum præsens est, imitantur illam. Hoc nomen Alleluia pro ipsa re accipiendum est, hoc est, pro verbis historiæ, dicentis: O quàm pulchra & clara & casta est generatio spiritalis: dum præsens est, imitantur illã; & dum se subduxerit, desiderant illã. Qui, nisi filij & filiæ remanentes in præsenti seculo? Tertius responsorius in suo Alleluia, laudem sapientiæ recolit. Ac si dicatur: O laus sapientiæ, sola tenes principatũ in cõspectu Domini. Per ipsam omnia facta sunt, Diciturq; rebus in eo responsorio à matre, quæ hìc relicta est in seculo ad perficiendum corpus Christi. Mihi congruit, vt declinem ad eam prolem nostram, quæ in angustiis posita est, & celebrem pro ea laudem Latinè compatiendo eius tribulationi. Tu laus sapientiæ, reuertere in thesauros tuos, id est, in frequentationem prolis nostræ cum Hebręa lingua, quæ triumphat ante Dominũ: ibì enim te benedicent angeli. Quartus responsorius ex eodem corpore est, vt plures responsorii sunt. Quintus responsorius, MANE APVD NOS HODIE, est assumptus de libro Iudicum. Ità enim scriptũ est in illo, capitulo decimonono: Fuit quidam vir Leuites, habitans in latere mõtis Effraim, qui accepit vxorem de Bethleem Iuda, quę reliquit eum, & reuersa est in domum patris sui Bethleem, mansitq; apud eum quatuor mẽsibus, secutusq; est eam vir suus. Et infrà: Die autẽ quarto de nocte consurgens, haud dubium quin vir mulieris voluit proficiscei. Quem tenuit socer. Et iterùm infrà: Cui rursùm locutus est socer: Considera quòd dies ad occasum declinior sit, & propinquat ad vesperã: mane apud me etiam hodiè, & duc lætum diem, & crãs proficiscéris, vt vadas in domum tuam. Ille habet in suo Alleluia laudem charitatis. Gener iste in quinta die recessit à lætitia communi, quã habuit cũ socero suo. Responsorius, Mane apud nos hodiè, quintam regionem tenet. Ex isto ordine residui responsorii frequẽtant in sua oratione, vt Alleluia iterùm reuertatur ad præsentem Ecclesiam, cùm sponsus dignatus fuerit resurgere à mortuis. Sextus responsorius assumptus est de Tobia. Ità enim ibì scriptum est: Dixit autem illi angelus: Ego saluum ducam, & sanum tibi reducam filium tuum. Respondens autem Tobias, dixit. Benè ambuletis, & sit Dominus in itinere vestro, & angelus eius comitetur vobiscũ. Et iterùm: Credo enim quòd angelus Dei bonus comitetur ei, & benè disponat omnia, quæ circa ipsum geruntur, ità, vt cum gaudio reuertatur ad nos. Iste tangit aliquam consolationem, quam non audiuimus in superioribus, id est, vt iterùm reuertaris cum gaudio ad nos.

ac si

ac si dicatur, Cum gloriosa frequentatione Alleluia comitetur angelus Domini bonus, & benè disponat itinera tua. & cùm iterùm aduenerit tempore resurrectionis Domini nostri Iesu Christi, & natiuitas pulchra & clara & casta per baptismalia sacramenta: cum gaudio reuertatur ad nos, & ex ore nostro per omnes Ecclesias audiatur Alleluia. Septimus responsorius, Multiplicentur à Domino anni tui, penè eundem sensum habet. Potest conuenienter subdi responsoriis istis, Narrabo nomen tuum fratribus meis: ac si dicat mater nostra, quæ commendauit Alleluia apud ciues cęlestes, & iterùm deprecatur eius aduentum: Cùm * reuersum fueris ad me, Alleluia, narrabo nomen tuũ fratribus meis. Hunc sequitur responsorius, Bonum est confiteri. In eo declaratur, quid sit narrare & laudare nomen Alleluia.

De Sexagesima. Cap. 31.

PRæsentes responsorii cõueniunt & præsenti celebrationi, id est, septuagesimæ, & statui temporum, id est, principio anni. In istis enim reuelatur miseria hominis, quali modo cõmeruisset captiuitatẽ: & primordia creaturarum decantantur. Vernum tempus principiũ est anni. In eo cantantur responsorii, qui assumpti sunt de historiis primorum sanctorum patrum, per quos sancta religio primæuis temporibus reformata est post damnationem primæ massæ. Responsorij de Sexagesima, admonent nos de sat felice creatione primi hominis, & satis misera mutatione eius, id est, de luce in tenebras, de felicitate in miseriam. Quod potest admoneri ex duobus responsorijs, scilicet, Dum deambularet Dominus in paradiso: &, In sudore vultus tui vescęris pane tuo. Responsorios huius conclusionis ordinaui iuxta tenorem historiæ, de qua assumpti sunt.

De Antiphonis matutinalibus in Sexagesima. Cap. 32.

SExagesimæ nomen per obliquum descendit à septuagesima. Sexagesima creuit ex senario numero & denario. In supputatione numerorum sunt decem inter septuagesimã & sexagesimã. In hac consueta denominatione librorum nostrorũ, non sunt plus quàm septem dies inter septuagesimã & sexagesimam. Quod non est ità denominatum absq; prouidentia. Quisquis enim mysticos sensus voluerit scrutari, reperiet in septenario numero denariũ, hoc est, in septem donis Spiritus sancti perceptionem decem præceptorum legis. Septuagesima perficitur, vt sępè dictum est, in sabbato, quod vocatur, clausum Pascha. Et sexagesima in quarta feria, quæ nominatur, medium Pascha. Tres enim dies sunt integri à feria quarta vsque in sabbatum. Vbì datur intelligi, quòd si quis peccatorum remissionem dignè & ordinatè quęsierit in primordio suæ conuersionis, ad contemplationem perueniet sanctę Trinitatis. Septuaginta annis fuerunt patres nostri in captiuitate, circa terminum septuagesimæ supputationis meruerunt reuocari de captiuitate. Illa captiuitas præfigurabat captiuitatẽ Christiani populi, quam patitur sub diabolo & ministris eius. Ipsa deploratur in psalmo, Miserere mei Deus. Psalmus, Miserere mei Deus, continetur numero quinquagesimo: Qui numerus orditur ex qnario numero. Quinario enim sensu nostrum peccatum colligitur. Psalmus, Confitemini Domino, continetur numero centesimo septimodecimo. Per hunc numerum designatur regnum Dei perpetuũ. Qui in psalmo, Miserere mei Deus, satisfacit pœnitendo, & publicè confitendo peccata sua in terra aliena, hic meretur reuocari & restitui regno Christi per psalmum, Confitemini Domino. Satisfactionẽ memorãt pœnitentis primæ antiphonæ de psalmo, Miserere mei Deus. Duabus ex causis peccamus: aut quandò dimittimus quod facere debuimus: aut quandò facimus, quod non debuimus facere: contra quæ quidem pugnare nos conuenit. Pro peccato delicti clamat prima antiphona, Miserere mei Deus, & à delicto meo mũda me: quia tibi soli peccaui. Postquàm mens hanc scintillam lucis perceperit ex dono Spiritus sancti, & perseuerauerit clamare verba antiphonę, iam initium capit redeundi ex captiuitate. Post præsentem psalmum, id est, Miserere mei Deus, sequitur psalmus, Confitemini Domino quoniã bonus. Huius psalmi, id est, cẽtesimi septimidecimi, initia, & conclusio quinquagesimi psalmi, conueniunt: Vtræq; partes beneficia Dei recolunt. Initia verò quinquagesimi psalmi, & termini centesimi septimidecimi psalmi, mutuò respõdent. In initiis psalmi quinquagesimi, est confessio peccatorum ad abluenda peccata: in terminis centesimi septimidecimi, est confessio lætitiæ ꝓperceptis beneficiis & gratiarum actio. Tanta est Dei misericordia erga pœnitentes, vt à gradu timoris suscipiantur gradu pietatis, & à gradu humilitatis suscipiantur gradu exaltationis. Antiphonæ primę de psalmo, Miserere mei Deus, recolunt sententiam dicentẽ: Iustus in principio accusator est sui: Et antiphonæ de psalmo, Confitemini Domino, tenent ordinẽ Euangelii, dicentis: Cùm vocatus fueris, vade, recumbe in nouissimo loco, vt cùm venerit, qui te inuitauit, dicat tibi: Amice, ascende superiùs: tunc erit tibi gloria coram simul discumbentibus. Iuxta hanc sententiam versus, sursùm tendunt antiphonæ præsentis psalmi: Qui per pœnitentiam reuocãtur ad Ecclesiam, per gradus humilitatis debent ascendere. Antiphona, Confitebor tibi, ad lætitiam pertinet, dicente Cassiodoro in tractatu eiusdem psalmi: Breuiter edicimus, vt hanc confessionem lætissimam, post percepta beneficia fusam intelligere debeamus: At cæteræ antiphonæ sequentium psalmorum, vadunt per

Universidad de Deusto
Biblioteca

ordinem contextus singulorum psalmorum. A Cùm enim venerimus, Deo miserante, ad loca, vbì ordo se commutauerit, dicemus ibì quod Dominus dederit.

De Quinquagesima. Cap. 33.

QVinquagesima per obliquum descendens, stat à septuagesima in tertio gradu. Nam & Abraham tertia ętate mundi extitit. Quinquagesima habet denominationem à quinario numero. Quinarius enim numerus congruit exteriori homini, qui quinq; sensibus vegetatur, B siue ad bonum, siue ad malum. Quinquagesimus psalmus habet vocem pœnitentis. Quinquagesimus annus ponitur in iubileo. Quinquagesima habet responsum in ipsa die resurrectionis Domini. Nam à quinquagesima sunt quinquaginta dies vsque ad Pascha Domini. Qui in quinquagesima orat pro peccato, consequitur lætitiam in Pascha Domini. Responsorios de Noe, qui in isto ordine habent locum, inuéni coniunctos in Romanis antiphonarijs cum antiquis responsoriis de Quadragesima. De qua coniunctione non est mihi aliquid dicendum, C præsertim cùm in ipso sequar modernos in nostra Ecclesia, qui cum responsoriis de quinquagesima ante Abraham posuerunt eos. Iuxta contextum scilicet historiæ ordo est, vt inter responsorios de Adam & Abraham, inserti sint de Noe. Quomodò conueniens sit numeri sacramentum quadraginta dierum & noctium, quibus cæli aperti sunt, cum hebdomada præsenti, occasionem intelligendi ponam ex dictis sancti Augustini, vt inuéni in volumine Eugypij, capitulo sexagesimoprimo: Quadraginta diebus & quadraginta noctibus pluit, quia omD nis reatus peccatorum in decem præceptis legis amittitur per vniuersum orbem terrarum, qui quatuor partibus continetur. Decem quippe quater ducta, quadraginta faciunt. Siue ergò ille reatus, qui ad dies pertinet ex rerum prosperitate, siue qui ad noctes ex rerum aduersitate contractus sit, sacramento baptismi cælestis abluitur. Hi enim qui reformandi sunt per baptismum, oportet rimas tangere quadragenarii & senarii numeri. Per baptismum recolligitur dispersus primus homo Adam per quatuor partes mundi ad vnum corpus ChriE sti: Corpus Christi legitur fabricatum per quadraginta & sex annos. De quo mysterio ex dictis Augustini habemus scriptum in libello officiali, in loco vbì scribitur de feria quarta, quæ vocatur caput ieiunii. A præsenti feria quarta sunt quadragintasex dies vsque ad publicum baptismum. Quamuis ordo non teneat, vt in eadem feria quarta primò cantetur responsorius, Quadraginta dies & noctes: tamen iuxta ordinem Historiæ primus cantatur in ea Dominica nocte, cui subditur in sua hebdomada feria quarta caput ieiunii. Et iuxta ordinem historiæ & iuxta sacramentum, quod cuditur de ratiocinatione quadragesimi numeri, congruum locũ habent responsorii de Noe in quinquagesima ante Abraham. Responsorios de Abraham, vt priores ordinaui, iuxta ordinem historiæ, & in nouissimo posui duo de Euangeliis, quæ in eadẽ hebdomada leguntur.

De Antiphonis in matutinis in Quinquagesima. Cap. 34.

IN isto ordine dicit antiphona: Secundùm multitudinẽ miserationum tuarum dele iniquitatem meam. In ista oratur venia pro his, quę operati sumus contra legem Domini. In priore Dominica deprecati sumus pro his, quia ea quę debuimus facere, non fecimus: in ista deprecamur pro his, quia fecimus quæ non debueramus facere. Post has duas antiphonas datur gratiarum actio in antiphona de psalmo secundo, ac si se credat mens adeptam esse qđ deprecata est. Vndè dicit Cassiodorus in tractatu memorato: Deus meus es tu, & confitebor tibi: Deus meus es tu, & exaltabo te. In primo enim commate dicit, Confitebor tibi: quod ad gratiarum pertinet actionem: in secũdo, Exaltabo te: quia prædicationibus beatorum per cunctas gentes exaltatur Dominus Christus, qui reddit bonum pro malo.

De Quadragesima. Cap. 35.

METenses solent canere inuitatoriũ in media quadragesima, Non sit vobis vanum manè surgere ante lucem, quia promisit Dominus coronam vigilantibus. Hæc enim antiphona continet quandam exhortationem congruam ad præsens tempus. Idcircò visum est mihi, vt in capite quadragesimalis temporis prępona illam. Responsorii de quadragesima, sunt claues & tituli de conuersatione & statu totius quadragesimæ. In his enim diebus oportet corrigere mores nostros, ieiunare, plorare, orare, patientes esse, vigilare, pœnitere, eleemosynam dare prę cæteris temporibus anni. In isto catalogo spurcitia hominum abstergitur, & lauatur homo ab omnibus inquinamentis. Respõsorios de ieiunio sic mihi visum fuit scribendos, vt primus statueretur, Emendemus in melius, quę ignorãtes peccauimus. Ordo est, E si quis voluerit conuersionis iter arripere, vt primò dimittat vitia. Quid postea agendũ sit, secundus responsorius monstrat, In ieiunio & fletu. Quid per hanc castigationẽ consequatur pia mens, tertius responsorius monstrat, Para disi portas aperiet nobis ieiunii tẽpus. Prępositis enim responsoriis, qui de ieiunio prædicant, sequitur alter modus ablutionis, id est, per cor pœnitens: Necnon & tertius, id est, eleemosynarũ. Propterea de ieiunio præponuntur, quia præcipuè quadragesimale tempus ieiunio consecratum est. Responsoriũ, [Pater peccaui in cęlum, Iabstuli de isto loco, & posui illum in ea hebdomada quandò id Euangelium legitur, vndè

vndè assumptus est. More nostro subdidi post A hos responsorios, responsorios ad tertiam & sextam & nonam, Quos scripsi duobus ordinibus. Nostra regio solita est ad tertiã canere p duas hebdomadas, Participem me fac Deus, & cæteros qui inscribuntur in Metensi Antiphonario. De memorato responsorio facta est mẽtio in vita S. Ambrosij. Ipse de se narrat, quid sensus memorati versus apud se recoleretur in sua oratione, id est, vt participem eum faceret Deus in quadragesimali tempore omniũ timentium se, quandò ei reuelatum fuit de sanB ctis martyribus Geruasio & Protasio. Etenim inuéni alteros responsorios breuiores in Romano Antiphonario. Scripsi vtrumque ordinem in nostro Antiphonario. Aliquoties enim istos cantamus, aliquoties illos. Quadragesima denominatur à quatuor. Hæc denominatio in quarto loco stat à suo authentico, id est, à septuagesima, & habet suam perfectionem in cęna Domini, quandò lauentur pedes fratrum, & pauimenta Ecclesiarum. Verè qui quadraginta dies studuerit sub disciplina constringi, quæ ostensa est in responsoriis de Quadragesima, C nõ est dubium quin in cœna Domini possit notari cultui munditiæ.

De Antiphonis matutinalibus in Quadragesima. Cap. 36.

PRima Antiphona in matutinis dicit, Cor mundum crea in me Deus, spiritum rectũ innoua in visceribus meis. Nam & præsentes Antiphonæ, sicut & cætera officia, quæ pertinent ad istum diem, instruunt, qualem intentionem abstinentes debeant exhibere suam coram Deo in tempore emundationis suæ. AnD tiphona, Cor mundũ crea in me Deus, postulat rectam cogitationẽ in abstinente. Quod enim est, Cor mundum crea in me Deus: idipsum repetitur, Spiritum rectum innoua in viscęribus meis. Spiritus rectus ad cor mundum pertinet: Crea, & innoua, vnum postulant. Antiphona, O Domine saluum me fac, O Domine benè prosperare, postulat, per interiectionem, O, id est, per magnum desiderium, vt Dominus abstinentẽ saluum faciat à peccatis, & quod aspE rum videtur & naufragosum in diebus abstinẽtiæ, Dominus faciat illud traquillum & portabile atque serenum. Quod est alio modo dicere, Hanc prosperitatem tribuat Dominus abstinetibus, vt in abstinentia, quam inchoauerunt in isto tempore, perseuerent vsque in finem. Tertia Antiphona, Sic benedicam te in vita mea: rogat, vt sic se firmato in his, quæ superiùs dixi, de in insistat bonis operibus: hoc est enim benedicere Dominum, vigilanter insistere in bonis operibus. Et deinceps, Leuabo manus meas, in oratione in modum crucis. Nè ventus elationis destituat tale ædificium, postulatur in quarta Antiphona spiritus humilitatis & anima contrita, & in his oblationibus & holocaustis suscipi militem à Domino. Antiphona quinta, Laudate Dominum cæli cælorum, tenet ordinem psalmi. Excipitur sol & luna, quæ reseruantur ad historiam Ioseph.

De Responsoriis, qui canuntur de Isaac & Iacob. Cap. 37.

REsponsorij de Isaac & Iacob, iuxta ordinem historiæ, stant post Abraham patrem illorum. Nam & hos iuxta ordinem historiæ statui. In nouissimo loco præsentium responsoriorũ stat responsorius, Pater peccaui in cælum, ptopter Euangelium quod legitur in sabbato præsentis hebdomadę, vndè assumptus est. Rato ordine stat iste responsorius post responsorios de Iacob, qui memorat exulẽ reuersum de exilio. Vtique Iacob reuersus est de exilio ad patriam. potuit institutor officiorum, denominationem tricesimam ponere in isto ordine iuxta quantitatem numerorum: sed quia denominatio septuagesimę & sexagesimę & quinquagesimę præfationes sunt quadragesimæ, quę denominatio currit per totum tempus ieiunij vsque in pascha Domini, ab illa, id est, quadragesima cessant sequentes denominationes.

De Antiphonis in Matutinis. Cap. 38.

PRima Antiphona dicit: [Domine, labia mea aperies, & os meum annunciabit laudem tuam.] In ista hebdomada memoratur consolatio illa, quam populus Dei audiuit per os Aggæi & Zacharię prophetarum post tribulationem, quam passi sunt sub Assuero rege. Renouatio mentis illius populi ad gaudia ædificandi templi, memoratur per præsentes Antiphonas. Post intermissum opus, & iterùm inceptum, dicitur Antiphona, [Domine, labia mea aperies.] Iste mos adhuc seruatur in Ecclesia. Post intermissum colloquium tempore noctis per præsentem versum repetitur iterùm colloquium. Sequitur Antiphona, Dextera Domini fecit virtutem, Dextera Domini fecit hanc virtutem, vt inciperetur reædificari domus Domini, & ad hoc factus est Dominus adiutor. Ereptus populus de camino, quem præparauit ei Assuerus, alius scilicet Nabuchodonosor, meritò Antiphonam cantat Deo, [Trium puerorum cantemus hymnum.] Multi aduersarij voluerũt turbare populum Dei, ne ædificaret domum Dei: sed quia à Domino erat hoc statutum, nõ valebant destruere opus illud: hoc memorat Antiphona, [Statuit ea in æternum, & in seculum seculi]

De Responsoriis Ioseph. Cap. 39.

FRatres Ioseph adorauerunt Ioseph: quoniam venturum erat vt Ecclesia adoraret Christum. Idcircò suis responsoriis præponitur Antiphona inuitatoria, [Adoremus Deum. Responsorios verò de eodem Ioseph, ordinaui iuxta contextum historiæ

De

Universidad de Deusto
Biblioteca

De Antiphonis in Matutinis. Cap. 40.

PRima Antiphona est, Benignè fac: vel, vt quidam dicunt, Fac benignè: quod non continetur in translatione propria, vndè Antiphonarius assumptus est, sed, Benignè fac in bona voluntate tua. In ista hebdomada recolitur consummatio murorum Hierusalem, quæ facta est sub Neemia. Pro qua consummatione præuenit precatio in præsenti Antiphona, dicente: Benignè fac in bona voluntate tua Domine, vt ædificentur muri Hierusalem. Impedimentum aduersariorum Neemiæ, qui volebant infatuare opus illud, explanatur in libro Esdræ: Sed Dominus resistebat illis, hortante Neemia sic: Nolite timere à facie eorum, Domini magni & terribilis memētote. Vice istius sententiæ cantatur Antiphona, Dominus mihi adiutor est, non timebo quid faciat mihi homo. In ista nocte mutantur de suo ordine duæ Antiphonæ, id est, ista, quæ iuxta ordinem, versùs caput psalmi post Antiphonam, Bonum est sperare in Domino, deberet stare, Et, sol & luna, quæ descendendo à capite psalmi, deberet stare ante Antiphonā, Statuit ea in æternum: verso ordine, ista stat in priore loco, & illa in posteriore. Ista consolatur fratres in magna tribulatione, quam patiebantur ab insurgentibus in se, quibus conuenit Dei solius recordari, & non timere hominem. Idcirco iuxta versum, De tribulatione inuocaui Dominū, stat Antiphona maximæ consolationis, Dominus mihi adiutor est. Spes enim tepidis solet arridere. Qui cogitant se defendere contra imminentem hostem necesse habent dicere Antiphonam: Deus misereatur & benedicat nobis. Legitur in inferioribus partibus historiæ memoratæ. Factum est autem cùm audissent omnes inimici nostri vt timerent vniuersæ gentes, quæ erant in circuitu nostro, & conciderent inter semetipsos. Hæc sententia potest non inconuenienter aptari Antiphonæ, [Vim virtutis suæ oblitus est ignis, vt pueri tui liberarentur illæsi.] Furor ignis, qui erat contra Neemiam, & pueros suos in vniuersis gentibus, quę erant in circuitu Hierusalem, sopitus est, cùm consummatus fuit murus Hierusalem. Potest hæc Antiphona, [Vim virtutis suæ oblitus est ignis,] specialiter accipi de castitate Ioseph inuiolabili: Quandò domina sua exarsit libidine in eum, vis ignis libidinosi extincta est in Ioseph, vt ipse puer innocens permaneret. Antiphonæ de psalmo, Laudate Dominum de cælis, ceperunt currere per ordinem: Sed iste ordo mutatur in versu, Laudate, eū sol & luna. Nēpe hoc factum est propter hanc cōuenientiam, quam habent inter se responsorij de Ioseph, & ista Antiphona, quę facit aliquam mentionem de somnio Ioseph, in quo vidit solem & lunam se adorare, quæ est prophetia de Christo. Reseruata ea de suo ordine vsque ad hanc nocte, propter dictam causam, ordo postulabat post laudem Angelorum, sequi laudem cæli cælorum & omnium aquarum: iuxta ordinem sequitur tunc Antiphona, [Statuit ea,] quæ iuxta congruentiam suæ interpretationis, stat in conuenienti loco.

De media Quadragesima. Cap. 41.

REsponsorij de Moyse, vadunt per contextum historiæ, vsque ad responsorios de Iosue. Inter responsorios de Iosue, inuéni vnū de Michęa propheta, id est, populę meus, quid feci tibi, quem prænotaui ex auctore proprio, de quo assumptus est. Qui idcircò conueniens est præsenti loco, quoniam superiorem historiam depingit.

De Antiphonis Matutinalibus. Cap. 42.

ANtiphonæ presentes, temporibus Moysis & Iosuę coaptantur, & temporibus Neemiæ. In nocte quandò istæ Antiphonæ cantantur, cantantur responsorij de Moyse & Iosue. Moyses docuit sacrificium offerre Deo. De sacrificio nempe dicit prima Antiphona, Tunc aceptabis sacrificium iustitiæ. Tempora patrū antiquorum replicantur in historia Neemiæ. Inter cætera sic in ea scribitur de tempore Iosuę: Dedisti eis regna & populos, & partitus es eis sortes, vt possiderent terram Seon. Et cætera. Vbi sors intercedit, humanum consilium abscedit: Vbi humanum consilium aut refugium abest, ibi est spes sola in Domino, de qua Antiphona dicit: Bonum est sperare in Domino. Et infrà: Et venerunt filij, & possederunt terram, & humiliasti coram eis habitatores terrę. Huius sententiæ proximus est sensus nouissimi psalmi, DEVS misereatur nostri, Vndè Antiphona est, Benedicat nos DEVS Deus noster, & benedicat nobis. In benedictione enim possederunt filij terram. Tunc metuebant Dominum omnes habitatores terrę, quos Deus humiliauit ante filios Israel. Et infrà, vndè suprà: In tempore tribulationis suę clamauerunt ad te, & tu de cælo exaudisti, & secundum miserationes tuas multas dedisti eis saluatores, qui saluauerunt eos de manu hostiū suorum. Verbis huius sententię arridet verba antiphonæ, dicentis: Potens es Domine eripere nos, & de manu mortis liberare. In subsequentibus historię memoratæ, sequitur catalogus regum Iudęorum, qui peccauerunt in Dominum. Pro quo, versa vice, cantatur Antiphona in isto ordine: Reges terrę & omnes populi, laudate Deum. Tēporibus Neemię conueniunt memoratę Antiphonę sic: Scriptū est in inferioribus partibus historię: Statuemus super nos præcepta, vt demus tertiam partem sicli per annum ad opus DEI nostri domus, ad panes propositionis, & ad sacrificium sempiternum

num in sabbatis & Kalendis, in solennitatibus & in sanctificatis, & pro peccato, vt exoretur pro Israel. Huic sententiæ congruit Antiphona, [Tunc acceptabis sacrificium iustitiæ.] Sequitur: Reliqua verò plebs misit sortē, vt tollerent vnam partem de decem, qui habituri sunt in Hierusalem. Notum est his qui historiam Esdræ legunt, plebem istam, quæ nunc sortem mittit pro his qui habituri sunt Hierusalem, & Neemiam confisos esse in sola spe cælesti & in via & in patria: ideò ex eorum persona non inmeritò cantatur Antiphona, Bonum est sperare in DOMINO. Et sequitur infrà: Benedixit autem populus omnibus viris, qui se sponte obtulerant, vt habitarent in Hierusalem. Pro istis verbis stat Antiphona [Benedicat nos DEVS DEVS noster.] Sequitur in fine libri,] De filiis Ioiadæ filij Eliasib, gener erat Sanaballath Oronites, quem fugaui à me: Recordare Domine DEVS meus aduersus eos, qui polluunt sacerdotium. Et cætera: Mente canebat Neemias Antiphonam, [Potens es Domine, eripe nos,] qui effugauit generum ducis. Non timuit mortem ab homine, sibi inferri, qui contra potentiam seculorum certabat, nè polluereturr sacerdotium. Post hoc sequitur in historia, constituisse eundem Neemiam ordinem totum ministrorum DEI. Huius, id est, Neemiæ intentionis vice, potest Antiphona decantari. [Reges terræ & omnes populi laudate Deum, quia exaltatum est nomen eius solius. Repetam quod in superioribus partibus omisi de ratione Antiphonarum quę sunt de benedictione. Ab illa Dominica die quandò iā ab Alleluia se cōtinet os Ecclesię, id est, à sexagesima vsq; ad responsorios de Ioseph, tres Antiphonæ sunt, de memorata benedictione, videlicet, [Benedictus es in firmamento cæli:] &, [Hymnum dicite, & superexaltate:] &, [Trium puerorum cantemus hymnum.] Hæ tres Antiphonæ memorant tres pueros, laudantes sanctam Trinitatem in camino. Antiphona, [In spiritu humilitatis,] quæ cantatur in quadragesima, est quædam prædicatio ad totam Ecclesiam pro toto tempore quadragesimæ afflictionis. Antiphona verò in septuagesima, [Benedicat terra Dominum, & omnia nascentia in ea, hymnum dicant ei,] humiliter coniungit humanam laudem cum laude Angelorum. Alleluia, cantus est Angelorum in cælo. Monstratur hoc in Apocalypsi Ioannis Apostoli: Benedictio, vndè Antiphona assumpta est, [Benedicat terra Dominum.] Laus est hominum in tribulatione positorum, ad significandum, societatem sanctorum Angelorum esse cum his qui pro Deo patiuntur. Cum tribus pueris in camino ignis visus est vir similis filio DEI, & pro hac significatione in septuagesima cū continuo Alleluia miscetur Antiphona, [Benedicat terra Dominum, & omnia nascentia in ea, hymnum ei dicant.]

De Passione Domini. Cap. 43.

DE numero noctium, quæ ad celebrandam passionem Domini pertinent, & de amissione Gloriæ, dictum est in libello suprascripto officiali. In duabus hebdomadibus ante pascha Domini vndecumque potuit colligere cō positor Antiphonarij sermones conuenientes passioni Domini, super eos fecit sonum cantùs habilem ad id tempus, id est, lugubrem, iuxta numerum necessariū responsoriorum & Antiphonarum. Antiphonas de vnguento Mariæ mutaui de prima feria Metensis Antiphonarij in septimam feriam. Illa enim die celebrata est eadem vnctio, id est, pridiè ante Palmas. In die Palmarum inuéni Antiphonam, [Cum Angelis & pueris in benedictione,] & in aliquibus, [Videns Dominus:] ad laudes, [Confundantur.] Visum est mihi, [Confundantur] congruere Chaldæis & Iudæis, qui succēderunt igneum iræ: [Cum Angelis & pueris,] his, qui laudant Dominum de cælis.] In cœna Domini congregaui illos responsorios, in quibus Dominus prędixit discipulis suis de sua traditione, & quid egerit orando, & quid Iudas econtrà insidiando & tradendo. Eos quos reperi de Euangelio, excerptos iuxta ordinem Euangeliorum posui: Cæteros conatus sum iuxta consequentiam rerum gestarum ponere. In nocte paraseues mutaui de cœna Domini responsorium de Esaia propheta, [Ecce vidimus eum,] qui propriè pertinet ad tempus crucis. Illum sequitur de Hieremia propheta, [Animā meam dilectam tradidi in manus iniquorum.] Hos duos de prophetis præmisi. In contextu sequentium Responsoriorū inscribitur responsorius de Esaia propheta, [Expandi manus meas,] quem non cantamus in istis noctibus, sed in festiuitate sancti Andreæ. Idcircò posui illum in isto ordine, quia inuentus est in Romano Antiphonario. Cæteri compositi sunt à magistris sanctæ Romanę Ecclesiæ, in quibus compunctio traditionis eius frequentatur, & dolor crucifixionis eius stimulat corda fideliū. In nouissimis duobus de Euangelio celebrantur ea, quæ in nouissimo peracta sunt circa passionem eius, vsque ad celebrationem sepulturę in die paraseues. In sabbato sancto recolitur sepultura eius in aliquibus responsoriis, in aliquibus verò planctus & fletus dolentium de nece iniusta.

De Extinctione luminum circa sepulturam Domini. Cap. 44.

MOs Ecclesię nostrę obtinet per tres noctes, id est, per feriam quintam, quę vocatur Cœna Domini, & per sextam, quę vocatur Parasceue, & per septimam, quę vocatur Sabbatum sanctum, vt extinguantur luminaria Ecclesiæ in nocte. De more sanctæ matris nostrę Romanę Ecclesię interrogaui Archidiaconum

Universidad de Deusto
Biblioteca

num Theodorum memoratæ Ecclesiæ, scilicet Romanæ: Qui respondit: Soleo esse cum Apostolico in Lateranis, quando officium celebratur de cœna Domini. Nihil enim ibi in eadem nocte obseruatur de extinctione luminum. In feria sexta nullum lumen habetur lampadum siue cereorum in Ecclesia in Hierusalem, quam diù dominus Apostolicus ibi orationes solennes facit, aut quamdiù crux salutatur: Sed tamen in ipsa die nouus ignis accenditur, de quo reseruatur vsq; ad nocturnale officium. Vtriq; mores per rationabile iter gradiuntur. Nostermos qui extinguit lumina cereorum aut lampadum per tres noctes, docet nos apostrophamfacere de lætitia in tristitiam, de gaudio in mœstitiam. Cognitum est omnibus, significari Ecclesiæ lætitiam per lumen cereorum & lampadum. Simili modo cantus magis pertinet ad delectationem & lætitiam mentium, quàm ad luctum & mœstitiam. Per tres enim noctes extinguuntur lumina, quæ continent in se cum suis diebus septuagintaduas horas. Per præsentem extinctionem designatur extinctio lætitiæ, quæ recolitur facta esse in cordibus discipulorum Christi, quamdiù Christus iacuit in sepulcro. Siue illa extinctio lætitiæ, quæ facta est in cordibus Apostolorum post traditionẽ Domini vsquedùm intrauit ad eos ianuis clausis, & ostendit eis manus & pedes, atque manducauit coram eis. Et benè in eo loco extinguuntur, vbi cantus renouatur, vt innotescat in vnoquoque articulo alicuius improuisę lętitiæ affuisse semper obicem tristitiæ. De hac re & numero cereorum habemus scriptum in libello officiali. Vt enim in sexta feria iuxta Romanum morem redaccẽditur lumen nouum, hanc habet rationem: In eadem die sol obscuratus est à sexta hora vsque ad horam nonam: Instar eius obscurationis extinguuntur lumina consueta in Ecclesia, & iterùm renouantur, quoniam circa horam nonam reuersum est lumen solis ad orbem illuminandum. Per tres enim horas non dedit lumen suum, vt prædicaret orbi, tribus diebus & tribus noctibus creatorem suum & operatorem obscuraturum se in sepulcro. Et propter necessitatem communem redaccẽditur in sancta Romana Ecclesia eodem die, vt ex illo cibi coquantur, & reseruetur ad vsum noctis necessarium. In eadem verò nocte, id est, Dominica quæ pertinet ad resurrectionem Christi, causa significandi mysterij omnia lumina renouãntur. Propter sacramentum Dominicæ sepulturæ & resurrectionis in Dominica nocte, liquet ratum esse ordinem, vt cùm ventum fuerit ad officium, quod pertinet ad resurrectionem Christi, nouus ignis & permansurus exurgat, qui illuminet totam Ecclesiam. Hoc est quod dico: Reseruetur ignis de sexta feria, vt illuminetur cereus, qui ponitur in vice columnæ ignis ad benedicendum, qui ab initio benedictionis illuminatus est. Et cùm benedictus est, ab eo illuminetur secundus cereus. Cætera luminaria extincta permaneant vsque ad nouissimam litaniam, quæ pertinet ad officium Missæ de resurrectione Domini. Tunc accendantur luminaria Ecclesiæ & neophytorum, vt significetur, resurrectione CHRISTI de terra, illuminandum orbem terrarum.

De Resurrectione Domini. Cap. 45.

DE numero psalmorum per paschales noctes, scripsimus quod potuimus, in memorato libello, qui vocatur officialis. In nostro Antiphonario reperitur ordo, qui in Romano Antiphonario est, Antiphonarum & responsoriorum de Paschalibus diebus. In eo ordine non inueniuntur Antiphonæ, quas solemus canere in nocte resurrectionis Domini super nocturnales psalmos, id est, [Ego sum qui sum:] &, [Postulaui patrem meum:] &, [Ego dormiui.] Nescio vndè eas collegissent Metenses. Vnum scio, quia verba habent consonantia resurrectioni Christi. Prima Antiphona, [Ego sum qui sum, ostendit CHRISTVM crucifixũ, Deum esse, & Dei voluntatẽ non esse cum impiis qui Christum voluerunt extinguere: sed cum illis Iudæis, qui in lege DEI veraciter perseuerauerunt, sicut Petrus & Paulus fecerunt. Antiphona, [Postulaui patrem meum,] docet gentilẽ populum additum esse gregi Christi per passionem suam. Tertia verò, [Ego dormiui,] Christi resurrectionem monstrat. Responsorios distinctos reperi in Antiphonario Metensi per singulas quasque ferias vsque ad quintam feriam. Visum mihi fuit rationi congruere, vt quia quinque feriæ deputatos responsorios habuerunt, sextę & septimæ non deesset hęc proprietas, iuxta ordinem Euangelij in capite debui responsorium depingere, [Dum transisset sabbatum:] Sed propter nobilitatem cantus, & manifestam explanationẽ resurrectionis Domini iuxta tenorem plurimorum Antiphonariorum posui in capite. [Angelus Domini descendit de cęlo,] Quem tequuntur duo iuxta textum Euangelij, id est, [Dum transisset Sabbatum,] Et, [Angelus Domini locutus est mulieribus.]

De Feria secunda. Cap. 46.

MAria Magdalene resurrectionem Domini declarat. Introduxit vos Dominus,] competentibus Iudæis loquitur. [De ore prudentis,] conuenit superioribus verbis, scilicet melli & legi Domini.

De Feria tertia. Cap. 47.

SVrgens IESVS Dominus noster,] de resurrectione Domini sonat: [Virtute magna,] constantiam primorum prædicatorum decantat.

tat. [Si consurrexistis cum Christo,] attrahit ministros ad locum, vbi victor certaminis est.

De Feria quarta. Cap. 48.

IN feria quarta est adhuc allocutio ad Iudæos, qui iam inuitantur ad regnum Christi. Christus est leo de tribu Iuda, & radice Dauid, qui vicit & aperuit suis portas cæli. Respõsorius, [Expurgate vetus fermentum,] continet in se hęc verba, [Pascha nostrum immolatus est Christus, itaque epulemur in Domino.] De hac epulatione dicit offertorium, quòd ea die canitur, Panem Angelorum manducauit homo. Responsorius, [Christus resurgens à mortuis,] consummatam victoriam Christi & primitiuæ Ecclesię manifestat.

De Feria quinta. Cap. 49.

TVlerunt Dominum meum,] assumptus est de Euangelio, quod legitur in quinta feria. In responsorio [Congratulamini mihi omnes qui diligitis Dominum:] Maria circa monumentum quærit Dominum, & inuenit. In monumento sepultus est Dominus. In responsorio, [Populus acquisitionis,] monstratur in hac feria mentionem eius populi fieri, qui de præputio acquisitus est Christi sanguine.

De Feria sexta. Cap. 50.

REsponsorius [Surrexit pastor bonus,] ostẽdit eum resurrexisse, qui in sexta die animam posuit pro ouibus suis. In hac sexta die memoratur baptismus gẽtium: In responsorio, [Dignus es Domine,] prædicatores præcipui laudes dignas dant Christo. Etenim, cuius sanguis effusus est pro nostra redemptione, dignus est reuelare arcana scripturæ, quæ de eadem redemptione prælibata sunt. Responsorius, [Data est mihi,] de proprio Euangelio excerptus est.

De Sabbato. Cap. 51.

OStendit mihi Angelus fontẽ aquæ viuę,] sic loquitur, quasi hi loquantur ad Ecclesiam, qui in Christo baptizati sunt, & sunt agni nouelli, & hodiè reuertuntur ad fontes, vt exuant se albis. Quibus subditur responsorius: [Omnes qui in Christo baptizati estis, Christum induistis.]

De glorioso Officio, quod fit circa vespertinales terminos in Paschali hebdomada in Romana Ecclesia. Cap. 52.

NOtum solenniter est, canere matrem nostram Romanam Ecclesiam tres psalmos ante hymnum Euangelij, & post hymnum duos per diuersa altaria diuersorum locorum. Sępissimè tamen ad crucem & ad fontes, vt ex scriptis discimus, quę continent per diuersos libellos ordinem Romanum. Simili modò notum est, quòd in fine psalmorum versum solemus dicere ante orationem, quam solemus facere genua flectendo, siue, vultum declinando in terram. Versu enim commonemur ad aliquam mutationem, & renouationem mentis, continentem habitũ orationis. De eodem versu scriptum habemus in libello officiali, & in prologo istius. Ea enim hic oportet dicere de illo, quibus intelligatur, qua de re consuetudo S. Romanę Ecclesię amittat versum in Paschalibus diebus, & alter cantus constituatur pro eo. Paschalis enim dies, qui per septẽ dies quasi vnus dies celebratur, apud nos ordine officij sui prædicat nobis illud tempus, de quo Iesus Christus dixit in Euangelio Ioannis: Iterùm autem videbo vos, & gaudebit cor vestrũ, &, gaudium vestrum nemo tollet à vobis: &, in illo die me non rogabitis quicquam. Orando enim rogamus quod nondùm habemus. Quod non erit necessarium, quandò cor electorum gaudebit, & gaudium eorum nemo tollet ab illis, & non erit necesse vt aliquid rogent. Vt iam gaudeamus in spe ex eo, quod expectamus futurum in re, versus qui solet animum nostrum reuocare ad aliquam introducendam orationem, auferetur in paschalibus diebus, & cantatur pro eo ad aliquos cursus diurnales responsorius, [Hęc dies quam fecit Dominus, exultemus & lætemur in ea,] Exultatio & lętitia vndè responsorius prępens dicit, clariores efficiuntur in mente nostra, si clariore lingua, id est, Hebręa, pronunciatę apud nos fuerint. Ideò in ea statione, in qua Apostolicus celebrat vespertinale officium, Alleluia canitur cum omni supplemento & excellentia Versuum & Sequentiarum. In cęteris officiis diurnalibus pro versibus canitur responsorius, Hęc dies. In vespertinali post tres psalmos canitur vnum Alleluia ante hymnum sanctę Marię, post quartum vnum, post quintum vnum, quę pertinent ad crucem & ad fontes. In Romano enim ordine inuenitur in ipsa die resurrectionis Domini repetitus psalmus, [In exitu Israel.] Hoc enim fit propter multiplicia altaria illius loci, vbi illa dilatatio fit, Inuenitur etiam à quarta feria responsorius inditus, [Hęc dies quam fecit Dominus] post duo Alleluia, vt demonstretur, illum fuisse primo statutum pro versibus, sed dignitate Apostolica Alleluia mutatũ est pro eis. Eadem enim re factum est, vt multi versus Alleluia, greca lingua in memorato officio canantur. In sexta feria interponitur responsorius, [Hæc dies quam fecit Dominus,] inter duo Alleluia, vt opinor, propter loca stationum, quę priùs designantur per loca vilia, & posteà nobilia. De quibus scribitur in Romano ordine: Vsque ad diem octauum paschę, iuxta Romanam consuetudinem, memoratum

cursum

Universidad de Deusto
Biblioteca

cursum celebramus. In nocte enim solemus versus canere. Scimus duo curricula temporum, diei scilicet & noctis, distincta esse à Domino in Euãgelio Ioannis: Si quis ambulauerit in die, nõ offendit, quia lucẽ huius mũdi videt: Si autẽ ambulauerit in nocte, offendit, quia lux non est in eo. Præsumimus. n. in die, id est, in meliore parte huius mundi, in spe lætari de futura re: pertimescimus verò in nocte, id est, in deteriore parte huius mundi, dicẽdo versum: Nè forte offendamus præsumendo de spe, quę potest in nobis corrumpi ex nostra fragilitate, nisì Dominus custodierit nos. Eosdem psalmos cãtamus per singulos vesperos, quia vna eademq; dies celebratur. In nocturnali officio eos recolimus, quos solemus in singulis quibusq; Dominicis noctibus celebrare.

De responsoriis, qui prætitulantur de auctoritate ex persona synagogæ credentis. Cap. 53.

REsponsorij qui prætitulantur de auctoritate, memorant introitum Apostolorum ad Ecclesiam, quæ ex Iudæis collecta est ad fidem noui testamenti. Propterea iidem prætitulantur de auctoritate, quoniam, Apostoli, quorum habitus præsentibus responsoriis decantatur, vice Christi auctores extiterunt Iudaicæ Ecclesiæ & gentilis. Primus responsorius, [Ego sicut vitis fructificaui,] blandè colligit partem Iudaicæ plebis ad vnitatem fidei. Sapiẽtia enim illa loquitur in præsenti responsorio, de qua dicit Dominus Apostolis: Ego enim dabo vobis os & sapientiam. Ipsa sapientia blandè & suauiter alloquitur populum Iudaicum per ora Apostolorum, dicens: Transite ad me omnes qui concupiscitis me, hoc est, qui concupiscitis sapientiam, & à generationibus meis adimplemini, id est, à mysteriis, quæ reuelantur per nos Apostolos in tempore hoc. In multis antiphonariis inuenitur responsorius in secundo loco, [Speciosa facta es & suauis, altitudo tua similis palmæ indeficienti:] Quem nos ponimus in tertio loco propter responsorij conuenientiam: [Delectatio bona] cum primo. Iste responsorius secundus, per laudem sapientiæ hortatur auditores trahere ad doctores sapientiæ. Sapientia est delectatio bona: in operibus manuũ illius, diuitiæ multæ. Responsorius tertius, [Speciosa facta es,] quodammodò potest concinere formidanti animo auditorum, qui non fidunt se posse ascendere ad altitudinẽ palmæ, neque vitiditati eius indeficienti comparari. Cuius altitudini & pulchritudini altitudo sapientiæ Apostolorum assimilata est. Ex eorum cœtu fuit aliquando Petrus qui dixit Domino: Exi à me, quia homo peccator sum. Tali querimoniæ subuenit quartus responsorius, dicens: Veniens à Libano quàm pulcra facta es, & odor vestimentorum tuorum super omnia aromata: Ac si dicatur rudi auditori: Noli timere: Cùm véneris à Libano baptismi, pulchra eris, & odor vestimentorũ tuorũ erit super omnia aromata veteris testamẽti. Post hos sequitur quintus respõsorius de Apocalypsi, [Audiui vocem in cælo tamquàm vocem tornitrui magni, Regnabit Deus noster, & cætera.] In isto responsorio est locutio ad baptizatos, & memoratur victoria Christi, qui dixit, Confidite, ego vici mundum. Sequitur sextus: [Audiui vocem in cęlo Angelorum multorum, dicentium: Timete Dominum, & date claritatem illi.] Ac si dicatur, Illum timete, & illi date claritatem, cuius victoria vobis intonuit in superiore responsorio, quia ipse Christus, qui vos eripuit de regno diaboli, & fecit esse suum regnum; ipse est, qui fecit cælum & terram, mare & fontes aquarum. In primis responsoriis narratur adunatio ad vnam fidem auditorum & præpositorum: In sequentibus responsoriis monstratur Ecclesiæ, quæ nunc collecta est, mysterium sponsi & sponsæ de quibus ipsa procreata est. Ipsa sponsa est Hierusalem, & idcircò frequenter præsens sponsa memoratur per Hierusalem, vt per hoc mens vertatur cantorum in istis responsoriis ad primitiuam Ecclesiam, quæ primò cœpit crescere in Hierusalem. Septimus responsorius, [Locutus est ad me vnus ex septem Angelis,] profert personam alicuius eximij auditoris, dicẽtis ad ciues suos, Locutus est ad me vnus ex septem, id est, ex perfectis prædicatoribus: Veni, ostendam tibi nouam nuptam sponsam agni. Quòd est aperte dicere, Mysterium illud ostendam tibi, quod est in Christo & in Ecclesia. Narratur in octauo responsorio, quid vidisset adspiciens, [Vidi Hierusalem descendentem de cælo, ornatam auro mundo, & cætera.] Ideò vidi Hierusalem descendentem de cælo, quia sic mihi dixit vnus ex Angelis, Omne datum optimum, & omne donum perfectum, de sursùm est, descendens à patre luminum. In cęteris responsoriis narratur pulchritudo structuræ Hierusalem, quæ omnia oportet intelligi mysticè de spiritualibus ædificiis, & cælesti Hierusalem. In nono describitur porta eius: in decimo, plateæ eius: in vndecimo aperitur, quòd ipsa Hierusalem sit ciuitas magna cęlestis, quæ tamen adhuc in seculo retinetur pro tabernaculo Dei. In duodecimo eliquatur, quòd populus Israel credens in Deum, Deo laudes decantet in eadem ciuitate, in qua priùs Dauid regnauit & cũ suis cantoribus D E O laudes canebat. In tertiodecimo, more Moysis, qui per verba responsorij, [Docete filios vestros,] admonuit populum antequàm moreretur, vt memoriter teneret legem DOMINI, admonetur populus Christianus ex circuncisione, vt doceat posteritatem suam legem Christianam memoriter tenere. Iuxta tenorem officiorũ, quę continẽt in se personã primitiuæ Ecclesię, oportet præsentes respõsorios p tres hebdomadas decãtari.

De

De Responsorijs Psalmorum cum Alleluia ex persona filiæ. Cap. 54.

PRæsentes responsorii, qui prætitulantur de psalmis, conantur monstrare intentionem eorum, qui olìm habitauerunt in Babylone, id est, in confusione istius mundi, & postea desiderium habuerũt indè reuocari per prædicationem, & orationem, & doctrinam eorũ prædicatorum, qui de Hierusalem descenderunt visere eos. Idcircò primus responsorius est de psalmo, [Super flumina Babylonis, illic sedimus & fleuimus dum recordaremur Sion.] Ipse responsorius nominatus, [Si oblìtus fuero tui Hierusalem, obliuiscatur me dextera mea:] Iste responsorius feruens studium gentilitatis monstrat post conuersionem eius, adeò, vt mala sibi optet, si deincèps oblìtus fuerit matris suæ Hierusalem. Secundus responsorius, [In toto corde meo exquisiui te,] iuxta sensum verborum suorum præponi potuisset, quia exponit cuiusdam cor gentilis tale, quale fuit Cornelij. Sed, vt prędixi, ad manifestandam totã seriem præsentium responsoriorum, de memorato psalmo primus responsorius sumptus est, in quo plurimùm queritur propter repagula Babyloniæ captiuitatis. In tertio responsorio, id est, [Deduc me in semita mandatorum tuorum] postulatur via exeundi de Babylone, & intrandi Hierusalem. Ipse qui fuit Babylon, profitetur errorem suũ in quinto responsorio, [Viderunt te aquæ Deus, viderunt te aquę, & timuerunt.] Ac si dicat, Quàm diù meritò bruto animali comparatus fui, non potui te videre: Nunc rationabili sensu deditus ego & populus meus, videmus te DEVM esse, & timemus. Quomodò hoc sit factum, in sequentibus eliquatur: Vocem dederunt nubes, Hanc vocẽ audiuit populus iste primò in Effrata, vt respõsorius sextus dicit, quoniam ibì natus est Christus, Ipsa inuenta est in campis gentium. Qui descenderunt de Hierusalẽ, adorauerunt Deũ cum populo, qui de Babylone reuocatus est, in sua ecclesia. In ipsa ecclesia persueuerant pedes Domini, id est,* visiones Euangelicæ. Post quàm pedes Domini steterunt in gentili populo, cœperunt habitatores Babyloniæ ciuitatis irridere eum, & conari euellere eum de statione sua, dicuntque ei in septimo responsorio, [Hymnum cantate nobis.] Superbus Babylonius & arrogans, vult sibi lusus & delicias de Dei canticis exhiberi. Quibus respondendum est, Quomodò cantabimus canticum Domini in terra aliena? Miror cur subiunctum sit Alleluia prauæ irrisioni, id est, [Hymnum cantate nobis Alleluia,] pro quo mutaui, [Alleluia, ait Babylon.] Ob defensionem contra istos Babylonios cantatur responsorius octauus, [Iudica iudicium meum,] & iterùm nouus, [Fac cum seruo tuo.] Post hanc persecutionem sequitur liberatio Domini. Pro qua liberatione dicit responsorius decimus: [Dicant nunc qui redẽpti sunt à Domino.] Quid habeant dicere, vndecimus responsorius manifestat: [Bonum est confiteri Domino, & psallere.] Quarè? quia ex omnibus tribulationibus nostris liberauit nos Dominus. Sequitur duodecimus responsorius, [Deus canticum nouum cantabo tibi. De quo Cassiodorus in tractatu psalmi, Benedictus Dominus D E V S meus, ità: Venit, inquit, ad ordinem secundum, in quo se post liberationem spiritalium nequitiarum & immaniũ populorum per nouum canticum propheta gratias agere Deo pollicetur. Et infrà: Nouum enim meritò dicitur, quia dum non sit à Iudęis receptus, quibus promissus fuerat vt veniret, transiuit ad gentes. Sequitur, In psalterio decem chordarum psallam tibi. Et infrà: Psalterium decem chordarum est decalogus, qui datus est tribubus Hebræorum. Et, vt ambo testamenta vnum habere manifestaret auctorẽ, in vtrisq; se Christo Domino psallere compromisit. Præsens Ecclesia nõ est contenta, vt ipsa sola cantet Deo: Mauult diuulgare nomen eius toto orbe per responsorium tertiumdecimum, [Narrabo nomen tuum fratribus meis. Quid dicat fratribus suis quartusdecimus responsorius monstrat, dicens: [In Ecclesijs benedicite Dominum.] In isto responsorio separat fideles à conuenticulis hæreticorum, & prauorum, ac rogat Deũ laudare in Ecclesijs, in quibus vna fides est, & doctrina Apostolorum. Et iterùm decimusquintus,] Cantate Deo, psalmum dicite ei,] hortatur populos, vt in his quæ audierant, fideli mente præsumentes, laudes DEO hymnica exultatione concelebrent: Idcircòa sumuntur præsentes responsorij de psalterio, quod est decem chordarum, in quibus dilectio Dei propter tria, & dilectio proximi propter septem designatur, vt ex responsorijs psalterij proles se insinuet diligere sponsum matris suæ, & matrem suam, & loqui se, ac respondere ciuitati Hierusalẽ, quæ in cælo habitat. Tria enim officia diurnalia, id est, [Cantate Domino,] &, [Vocem iocunditatis,] &, [Exaudi Domine vocem meam,] recolunt eadem tempora, quæ memorantur per præsentes responsorios. Idcircò nil delinquit qui præsentes responsorios cantauerit per tres hebdomadas, id est, ab officio [Cantate Domino,] vsque ad Pentecostẽ, salua & celebrata festiuitate Ascensionis Christi. Neq; reprehendo consuetudinem Ecclesiæ nostræ, quæ ob amorem exaltationis Christi in cælis, & desiderium illius regni, quò iam ipse præcessit, cantat responsorios de Ascensione per decem dies. Habeant finem responsorii de psalmis in quocunque tempore, cantor rationabiliter iudicauerit: initium ratum non possunt habere ante Dominicam, in qua cantatur Introitus, [Cantate Domino canticum nouum.]

De festiuitatibus Sanctorum. Cap. 55.

OFficia Sanctorum, quæ celebrantur infra dies Pentecostes, in nostro antiphonario

Universidad de Deusto
Biblioteca

interui inter responsorios de auctoritate,& responsorios de psalmis, de quibus nunc scripsi. Etenim aliqua tempora illa, in quibus celebrãtur festiuitates sanctorũ, de quibus suprà memorani, solent occurrere, priusquàm cantentur responsorii de psalmis.

De vigilys in Ascensione Domini. Cap. 56.

REsponsorios de Ascensione Domini,notaui iuxta hanc consequentiam,quam tenet, vt nobis videtur, ordo rerum gestarum de eadem ascensione. Notaui in principio illos, qui continent quandam prælocutionem CHRISTI ad discipulos de sua ascensione, qui continentur ordine subscripto. Primus est, [Tẽpus est vt reuertar ad eum qui me misit:] secundus, [Non turbetur cor vestrum:] tertius,[Non relinquam vos orphanos.] Per istos tres consolãtur corda discipulorũ, nè conturbentur de eius ascensione,cùm eius aduentus procul dubio iterùm promittatur post decem dies. In quarto responsorio, id est, [Exaltare Domine in virtute tua,] est allocutio discipulorum ad Christum illo genere locutionis, quo mater Ecclesia prælocuta est in canticis canticorum, Fuge dilecte mi,assimilare capreę hinnuloque ceruorum super montes aromatum: Ac si dicat,Quoniam docente te credimus, quia existi à patre, & venisti in mundum, vbi pro nobis multa flagella passus es à perfidis, qui sunt mundi amatores,& non fuisti honoratus in mundo vt decuit,nunc præsertim cùm audiuimus abs te nobis necesse esse, vt eas,& mittas nobis paraclytum tuum, cùm te deceat hymnus in Sion, relinquę mundum, & vade ad patrem: Tu exaltaberis in virtute tua, paraclytus tuus veniet,& docebit nos de tua clarificatione, quam habes apud patrem tuum:interìm cantabimus & psallemus Alleluia. Post hanc concordiam magistri & discipulorum, Magister discipulos commendat patri in responsorio quinto,[Pater, inquiens, cùm essem cum eis, ego seruabam eos, quos dedisti mihi. In quatuor sequentibus narratur ipsa Ascensio Domini ad cęlos. In responsorio, [Post passionem suam,loquitur persona cantorum ad concionem, narrans ei ordinem CHRISTI Ascensionis. In Romano antiphonario reperi responsorium scriptum, Viri Galilæi,quem nos non piguit notare in nostro antiphonario. Si quis voluerit eum cantare inter nocturnales responsorios, habet eum præstò. In nouissimo ordine positus est,[Omnis pulchritudo Domini, exaltata est super sidera.] CHRISTI corpus iam in re exaltatum est super sidera: membra videlicet eius ibi sunt in spe, vbi caput est in re. Et ideò non frustrà ponitur responsorius,[Omnis pulchritudo Domini] in nouissimo loco, in quo narratur perfecta & summa receptio pulchritudinis Domini super sidera. Antiphonæ super psalmos matutinales, tenorem historiæ, qui scriptus est in Euangelistis & in Actibus Apostolorũ, seruãt.

Officium nocturnale de festiuitate Pentecostes. Cap. 57.

PRimò notandũ est, antiphonas tres, id est, [Factus est repentè de cælo sonus] &, [Cõfirma hoc Deus,] &, [Emitte spiritum tuum,] quas nostra regio canit, Romanos non canere. ex Metensi Antiphonario scripsimus eas in nostro. De ordine huius officij, id est, nocturnalis in festiuitate Pentecostes, quomodò apud Romanos celebretur, scriptum habeo in prologo huiusce opusculi. Numerum Psalmorum & Responsoriorum totum adimplet Romana Ecclesia, quem solemus canere per cęteras Dominicales noctes. De numero verò, quem nostra regio tenet per aliqua loca, scriptum habemus in libello officiali.

Propter sacramenta baptismalia, numerotrium psalmorum complemus nocturnalia officia per octo dies vltimæ hebdomadis Pentecostes. Vndè,quod potui, vt memoraui, scriptum habeo in libello officiali. Restat solummodò hìc scribere ordinem responsoriorum, quę noster antiphonarius tenet. Primus responsorius, [Dum complerentur dies Pentecostes, monstrat chorum discipulorum simul fuisse in quodam cœnaculo, & expectasse promissionẽ CHRISTI. Monstrat etiam figuratè, qualiter promissio CHRISTI aduenirет,instàr videlicet sonitus vehementis spiritus. Secundus,[Spiritus sanctus procedens à throno,] exponit cui rei ministraret sonus spiritùs vehementis, id est, Spiritui sancto procedenti à throno. Hic sonus spiritùs vehementis excitat corda, vt intendant operi Spiritus sancti, qui inuisibiliter pectora Apostolorum penetrauit. Tertius responsorius, [Factus est repentè de cælo sonus aduenientis spiritus vehementis, vbì erant sedentes, & repleti sunt omnes Spiritu sancto,] hoc habet amplìùs in sua doctrina præ cæteris superioribus duobus, vt demonstret Apostolos repletos esse Spiritu sancto. Quartus,[Spiritus Domini replcuit orbem terrarum, & hoc quod continet omnia,scientiam habet vocis.] Hoc iste præ cęteris habet amplius, vt demonstret scientiam vocis diuersarum linguarum,datam esse discipulis per aduẽtum Spiritus sancti. Quintus, [Apparuerunt Apostolis dispartitæ linguæ tamquàm ignis,] monstrat, quod in superioribus nõ audiuimus, hoc est, vt linguæ igneę federint super Apostolos. Sextus responsorius, [Repleti sunt omnes Spiritu sancto, & cœperunt loqui prout Spiritus sanctus dabat eloqui illis.] Hìc monstrat quandã fabricam peractam esse: Fabricã dico, quam fabricauit Spiritus sanctus per suum aduentum in Apostolis, id est, vt prædicatores existerẽt suæ operationis.Hoc ostendit præsens

Respon-

Responsorius in verbis suis, dicens: Et cœperunt loqui prout Spiritus sanctus dabat eloqui illis. Hucusquè historia præsentis festiuitatis declarata est: Cæteri responsorii qui supersunt, id est, [Vltimo festiuitatis die] Et, [Iam non dico vos seruos,] de dictis verbis Domini in aliis locis sumpti sunt: Qui tamen in suo textu aliqua verba habent de præsenti festiuitate, vt in [Vltimo festiuitatis die] continetur inter alia: Hoc autem dixit de spiritu, quẽ accepturi erant. Et, [Iam non dico vos seruos, Accipite Spiritum sanctum in vobis paraclytum. Et idcircò hæc tenẽt loca,id est, septimũ & octauum in nostro antiphonario: Responsorius, [Disciplinam & sapientiam docebat eos Dominus,] non minimam partem operis Spiritus sancti declarat. Tria enim declarat maxima, id est,primò docuisse eos Dominum disciplinam & sapientiam: Secundò gratiam spiritus sui firmasse in illis: Tertiò implesse corda eorũ intellectu. De disciplina exponit sanctus Augustinus in tractatu super psalmũ octauũdecimũ in sermone decimoseptimo ita: Addidit autem & eruditionem: vel,sicut plures codices habent, disciplinam,sed disciplinã, quam Græci appellant pædiam, ibì scripturæ nostræ ponere consueuerunt, vbì intelligenda est per molestias eruditio, secundùm illud: Quem enim diligit Dominus, corripit: flagellat autẽ omnem filium, quem recipit. Hæc apud ecclesiasticas literas dici assolet disciplina, interpretata de Græco, vbì legitur pædia. Hoc enim verbum in Græco positum, est in epistola ad Hebręos, vbi Latinus interpres ait: Omnis enim disciplina ad præsens, non gaudij videtur esse, sed tristitiæ, posteà autem fructum pacificum his, qui per eam certarunt,reddet iustitiæ. Cũ quo ergò facit Deus suauitatem, id est, cui spiritius inspirat boni delectationem, atque, vt apertiùs id explicem,cui donatur à DEO charitas DEI,& propter Deum charitas proximi, profectò instanter orare debet, quo tantũ sibi augeatur hoc donum,vt non solùm pro illo cõtemnat delectationes cæteras, sed etiã pro illo quaslibet perferat passiones. Hucusquè Augustinus: In responsorio sequitur post disciplinam sapientia. Sapientia est quę facit sapere æterna, & pro eis instanter laborare & operari. Tenet enim iste ordo morem nostræ scholę, vt primò erudiantur nostri scholastici per disciplinam, & posteà sapientes fiant per sapientiam. Neque enim iste mos deest doctrinæ Christi, dicentis: Nónne hæc oportuit pati Christum, & ità intrare in gloriam suam? Dixit superiùs sanctus Augustinus, disciplinam pertinere ad flagella salubria, quę perducunt hominem ad receptionem Dei. Quæ nobis initiauit Christus,vt superiùs audiuimus, Nónne hæc oportuit pati CHRISTVM? Sapientiam dicimus verò iuxta affectum eorum,qui æterna sapiunt. Qui æterna sapiunt, certant & inter prospera & inter aduersa aditum arripere,quo perueniant ad gloriam cælestem. Eundem ordinem sequitur responsorius,vt dicat Dominũ docuisse disciplinam primò discipulos, & posteà cibasse eos per sapientiam de spe æternorum. Gratiam sanitatum & curationũ, & operationem virtutum,quam tribuit illis ante passionem suam, firmauit in illis per aduentũ spiritus sui,& intellectu, quem illis primò dedit, quando aperuit sensum eis,vt intelligerẽt scripturas,impleuit perfectius corda eorum. Quoniam in isto responsorio quodammodò summa operatio Spiritus sancti declaratur, teneat & iste nouissimum locum responsoriorum in præsenti festiuitate. Antiphonę super matutinas, ordinem historiæ sequuntur. Antiphona, in benedictione fontes, & omnia quę mouentur in aquis,consonat fontibus baptisterij. Hic notandum est, quòd consueti simus per principia festorum dierum, vt est in Pascha Domini, & in Ascensione eius, & in præsenti festiuitate antiphonas canere super Psalmos in matutinis & in cęteris sequentibus noctibus Alleluia, excepto in benedictione. Quare hoc nisi quia in his noctibus in quibus celebratur ipsa res gesta, certant cantores historiã præsentis festiuitatis declarare: At in cęteris nostram deuotionem, quam semper & vbiq; debemus recolere pro beneficiis Dei, quę accepimus ex sua resurrectione, & Ascensione, & ex aduentu Spiritus sancti. Quarè nostro more Antiphonę in benedictione cantentur,scriptum habemus in libello officiali, scilicet, quia in eo hymno, id est, [Benedicite:] memoratur tempus maximę tribulationis,quę futura est: Et Latina lingua est humilior Hebræa & Græca,ideò humiliore illa tempus humilitatis & afflictionis maximæ rememoratur per antiphonam suæ linguæ,[In benedictione.]

De Responsoriis Psalmorum. Cap. 58.

DE Responsoriis Psalmorũ, scripsi in prologo huius somatis,quod tunc fuit mihi visum scribere. Vndè iterùm non piget me scribere aliqua ex illis, quoniam véni ad ordinem temporum,in quo solemus illos canere. Ecclesiæ nostræ regionis,cõsueto & vsitatissimo more canunt illos ab octauis Epiphaniæ vsque in sexagesimã. Mos verò nostrę humilitatis apud nostros obtinet, vt canamus illos ibì,& hic, id est, ab octauis Pentecostes vsque in Kalendas Iulij. Audiui illos canere in isto ordine, quandò videbar puer esse ante ALBINVM doctissimum Magistrum totius regionis nostrę. Cuius auctoritate delectatus ac fretus, postquàm libertate vsus sum canendi quæ congrua mihi videbantur, cępi illos canere tempore suprascripto, id est, ab octauis Pentecostes vsque in Kalendas Iulij. Post hoc veniens Romam, anno ab incarnatione DOMINI octingentesimo tricesimo primo, indictione nona, sub imperio DOMINI, &

Universidad de Deusto
Biblioteca

pissimi Imperatoris Lodouici, & Apostolatu gloriosissimi Apostolici Gregorii, interrogaui de ordine responsoriorum à festiuitate Pentecostes vsque in aduentum DOMINI. Responsum est mihi à viris eruditis sanctæ matris nostræ Ecclesiæ: Prima hebdomada ante responsorios Regum, responsorios de Psalmis canimus: Similiter ante responsorios de Sapientia, similiter ante responsorios de Iob, similiter ante Responsorios de prophetis. Si istum ordinē à præterito tempore audirem, nō cantarem alterum, neque scriberem de altero. Talis enim ratio potest reddi de ordine psalmorum ante septuagesimam, qualis sequitur. Simili modo & de responsoriis, qui canuntur inter octauas Pentecostes, & aduentum Domini. Dies enim à natiuitate Domini vsque ad octauas Epiphaniæ, memorant præsentiam sponsi cum sponsa: Simili modo dies à resurrectione Domini vsq; ad octauas Pentecostes. De his enim diebus videtur scriptum esse, Nunquid possunt filii sponsi ieiunare quandiù cum illis est sponsus? Dies verò ab octauis Epiphaniæ vsq; in septuagesimā, & à festiuitate Pentecostes vsque in aduentum Domini, recolunt dies de quibus iterùm scribitur in Euangelio: Venient autem dies, cùm auferetur ab eis sponsus, & tunc ieiunabunt. In septuagesima verò renouatur alter ordo dierum, qui videtur maiorem afflictionem inferre in Ecclesiam. Maiorem afflictionem sustinet homo, qui captiuus est & exul, quàm ille, qui infra patriam expectat sponsi aduentum. Tempus ab octauis Pentecostes vsque in aduentum Domini, humiliationem illam insinuat, quam solet sustinere sancta Ecclesia à propria dominatione propter absentiam sponsi sui. Vt sapiēter & maturè agamus circa tale tempus, frequenter repetimus responsorios de psalmis, quibus admonemur, vt in eo tempore humiliemus nos sub manu potentis Dei, & ieiunemus, & oremus, quatenùs eruamur de periculis instantibus, & reseruemur sobriè vsque ad aduētum Domini. Ieiunandum est eo tempore, quoniā oblatus est nobis sponsus, & lætitia vultùs eius. Ieiunium & oratio vnum medicamentum præstant: immundorum spirituum vel hominū tentamenta superant. His duabus virtutibus monstrat sponsus nobis medelam præstari contra quendam morbum, dicens: Hoc genus in nullo potest exire, nisi in ieiunio & oratione. His diebus, de quibus suprà dixi, qui recolunt præsentiam sponsi esse cum sponsa, maioribus epulis dedita est sancta Ecclesia ex consuetudine Maiorum, quàm in cæteris: Idcircò in his diebus non habet occasionem diabolus tantam quantam vult habere, per Cererem & Liberum maculandi honestorum hominum animas. Expletis his diebus, consuetudine vetere & voluptate carnali imbuta humanitas, attrahitur appetitu suo ad epulas licitas dierum festorum: Cui non oportet obedire, quoniam ablatus est sponsus, sed atteri & ieiunare. Vt hoc possit fieri, necesse est adiungatur oratio. Hæccine causa est, quę nos docet responsorios de psalmis, quę continent orationes plures, quàm cæteri libri, canere in memoratis temporibus? Et vt ampliùs instruamur, pertinere eos ad tempus pœnitentię, primus responsorius assumptus est de psalmo, qui primus deputatus est in ordine eorū qui vocantur psalmi pœnitentię.

De festiuitate Sancti Ioannis Baptistæ. Cap. 59.

PRęsens festiuitas Antiphonas & Responsorios habet de prophetia Hieremiæ, & Esaiæ, & de Euangelio. Hieremias & Ioannes vtrique sanctificati sunt in vtero matris, vtrique fortissimi prædicatores extiterunt contra duelles. Ideò verba quæ facta sunt Hieremiæ, congruenter deputantur Ioanni Baptistæ. Antiphonæ quæ excerptæ sunt in præsenti festiuitate de Esaia propheta, CHRISTI IESV propriæ personæ conueniunt: Sed quia Ioannes Baptista præcursor eius meruit fieri, & ex ventre matris sanctificari, conueniunt quodammodò ei antiphonæ, Dominus ab vtero vocauit me, &, Posuit os meum, formansque me ex vtero, atque, Reges videbunt, & consurgent principes. Responsorios & antiphonas in matutinis, iuxta ordinem Euangelij, vt reor, notaui. Sed & hoc inquirendum est, cùm antiphonæ de festiuitatibus Apostolorum in tertia nocturna, & antiphonæ de matutino habent Alleluia in fine, quarè & istæ non habeant. Duas causas hìc possumus inspicere. Prima est, quòd antiphonæ de tertia nocturna, & antiphonæ de matutino, pulsent animum audientem, vt intēdat cogitare, quòd maior sit gloria sub tempore gratiæ noui testamenti, quàm foret sub tempore legis naturæ, & legis literę. Ioannis enim natiuitas extitit ante resurrectionem Domini: Apostolorū verò natiuitas in cælo extitit post clarificationem Ecclesię per nouum donū Spiritus sancti. Ideò istæ antiphonæ non decorantur Alleluia, illæque decorantur. Altera est, quam comperio ex Romano Antiphonario, qui ad nos peruenit. In præclarissimis festiuitatibus Sanctorum, consuetudo est sanctæ matris nostrę Romanę Ecclesię, duo officia peragere in nocte, quorum officia prętitulantur, De vigiliis. Primum eorum, quod canitur in initio noctis, sine Alleluia peragitur: Alterū verò, quod habet initium circa medium noctis, & finitur in die, habet in tertia nocturna in suis antiphonis Alleluia, & in antiphonis de matutino: quasi primùm recolat illa tempora, quandò circa Apostolicum chorum legalis mos obseruabatur, & sabbata celebrabantur: Alterum verò, quandò penitùs illa postposita sunt, & resurrectio Dñi cœpit celebrari per Dominicos dies, vt hodiè cernitur. Officia primitiuę Ecclesię non solùm ea procurabant, quę tantummodò necessaria

necessaria erant ad nouum testamentum: sed & ea, quæ poterant subuenire infirmitati rudis Ecclesię, & obsistere falsitati Iudaicæ subintroductionis. Idcircò ea, quæ nunc aguntur in nostra Ecclesia in commemoratione illius temporis, quandò mixta erant noua cum veteribus, quæ vt stercora deputata sunt à Paulo in Epistola ad Philippenses, non tam præclara sunt, quantùm illa, quæ recolunt illa tempora, quandò ea tantùm cœperunt obseruari, quæ pertinent ad nouum testamentum. Ideò illa sine Alleluia peraguntur: Ista, quæ transeunt vsque ad consortia sanctorum Angelorum, habent in suis antiphonis prope finem positis Alleluia. Quę sententia in initio apud perfectos semper teneretur, manifestatur ex dictis Bedæ presbyteri in tractatu super Lucam: Prudentia verò, inquit, iustorum est, non de legis operibus iustitiā præsumere, sed ex fide salutē quærere, vt quamuis in lege positi, legis iussa perficiant, gratia se tamen Dei per CHRISTVM saluandos intelligant. De ordine nocturnalis & matutinalis officii scripsi in libello officiali.

De vigiliis Apostolorum Petri & Pauli. Cap. 60.

DE numero psalmorum & antiphonarū & responsoriorum, quod potui, scripsi in libello officiali: Nunc verò quia scripsi in nostro antiphonario duas vigilias, quę non continentur in Metensi antiphonario, & ordinem mutaui responsoriorum, hinc dicenda sunt pauca. Ex Romano Antiphonario posui duas vigilias in nostro Antiphonario. Primam solet Apostolicus facere in initio noctis, quæ fit sine inuitatorio, quoniam ea hora non inuitatur populus ad vigilias. Populus enim inuitatur ad vigilias ea hora noctis, de qua dicebat Dauid propheta: Præueni in maturitate, & clamaui. Si quis vult discere, quę sit illa hora, legat sanctum Augustinum super psalmum decimumoctauū, inuenietq; ibi maturitatem esse positā pro media nocte. Ea hora ingreditur clerus & populus ad secundam vigiliam, & cantatur inuitatoriū. Responsorios more nostro scripsi iuxta consequentiam rerum gestarum, & ordinem historiæ, vndè sumpti sunt. In antiphonis secutus sum ordinem Romani antiphonarij tam in vigilijs S. Petri, quàm in vigiliis sancti Pauli: Quarè antiphonæ canantur super psalmos vespertinales in fine diei festi, scriptum habemus in officio de Natiuitate Domini.

De vigilia sancti Laurentij. Cap. 61.

IN vigilia sancti Laurentij inueni in Romano antiphonario duo nocturnalia officia. Eū dem ordinem inserui in nostro antiphonario.

De vigilia sanctæ Mariæ in die Assumptionis eius. Cap. 62.

SImili modo vt superiùs, duo nocturnalia officia inueni in Romano antiphonario in vigilia sanctę Mariæ de Assumptione eius: Idcircò & nos duplicia officia posuimus in ea festiuitate in nostro antiphonario.

De vigilia S. Andreæ. Cap. 63.

IN vigilia sancti Andreæ inueni, vt supra, duplicia nocturnalia, quod secutus sum in nostro antiphonario. Responsorios & antiphonas proprias sanctorum plures scripsi de antiphonario Romano, quas non inueni in Metensi antiphonario.

De Responsorijs communibus Sanctorum. Cap. 64.

REsponsorios communes omnium Sanctorum, iuxta Romanum antiphonarium prętitulaui. Post hæc scripsi seorsùm de Apostolis, de Martyribus, de Confessoribus, Iterum de eo sancto, qui non fuit vocatus episcopus.

De officio pro mortuis. Cap. 65.

POst officia Sanctorum inserui officium pro mortuis. Multi enim transeunt de præsenti seculo, qui ilicò Sanctis coniunguntur. Pro quibus solito more officium agitur. Qui autem minor est in illo regno, maior est isto Sancto, qui in prętenti seculo est.

De Natalitijs Pontificum. Cap. 66.

RAtio reddita est, quarè subiūgatur officiis Sanctorum, officium pro mortuis. Scilicet quoniam iusti defuncti absq; periculo insidiarū antiqui hostis liberè viuunt, & meliora sperant: Pro quibus tamen agitur officium, quod pro mortuis statutum est, vt superiùs intimatū est. Iusti verò viuentes in carne, quamuis religiosissimè viuant, semper possunt esse soliciti & ìù specti, nè aliqua fraude diaboli, aut sua ipsius negligentia torpētes, debilitētur à recto cursu.

De officio in Dedicatione Ecclesiæ. Cap. 67.

POst officium Pontificum inseritur officium quo dedicantur loca, quæ vocantur propriè Ecclesię. Nisi priùs fuerit Episcopus, non sequitur dedicatio Ecclesiæ. Episcopus perficit officium, quo dedicantur loca Ecclesiæ. Maior est enim Pontifex, qui benedicit, quàm domus quæ benedicitur. Quia mentionem feci de dedicatione Ecclesiæ, congruum est, vt dicam de officio, quod canitur in dedicatione Ecclesiæ sancti Michaelis, quod officium stat in suo ordine, id est, tertio Kalendas Octobris. Confiteor me in nocturnali officio posuisse ibi antiphonas, quæ propriè positæ iunt in dedicatione communium Ecclesiarum: Et hoc non ex me. Audiui illas in ea festiuitate canere Albinum doctissimum Magistrum nostræ regionis, de quo sæpè mentionem facio. Responsorios quosdam qui in ea festiuitate scribebantur in plurimis antiphonarijs, & cantabantur à multis stultis cantoribus, audiui illum

Universidad de Deusto
Biblioteca

respuere. Quos non scripsi in nostro antiphonario, sed pro eis statui de diuersis officijs responsorios, in quibus tamen aliqua mentio recolitur de ministerijs Angelorum. Quos ità ordinaui, vt ratio & historia librorum docet.

De Antiphonis, quæ sunt ex Euangelijs quotidianis. Cap. 68.

POst officiū quo dedicatur Ecclesia, scripsi antiphonas de Euangelijs, de quibus interrogaui magistros Romanę Ecclesię, si illas canerent, Respondерunt, nequaquàm: Nostri tamen magistri dicunt se eas ab eis percepisse, p primos magistros quos melodiam cantus Romani docuerunt infra terminos Francorum. Deus scit si isti fallant, aut si ipsi fefellissent, q gloriati sunt se eas percepisse à magistris Romanę Ecclesię, aut Romani propter incuriam & negligentiam eas amisissent, aut si nunquàm cantassent eas, tamen nos cantamus illas, propter verba saluberrima, & auctoritatem nostrorum cantorum, qui gloriantur magisterio se vti cantilenæ exercitationis.

De Inuitatorijs Antiphonis. Cap. 69.

POst hoc scripsi inuitatorias antiphonas, quę currunt per Dominicas noctes, Et scripsi eas per ordinem iuxta contextum psalmi, [Venite, exultemus Domino.] Nam de quotidianis noctibus scripsi ante septuagesimam.

De Antiphonis trium puerorū. Cap. 70.

POst inuitatorias antiphonas sequitur ordo vt scribantur antiphonę Trium puerorum. Eas non aliter ordinaui, nisi iuxta ordinem cæterorum antiphonariorum. Quamuis hæc omnia initium habeant ab octauis Pentecostes, necnon & responsorij de psalmis, & regum, & Salomonis, & Iob, & sequentes. Nolui his interpolare officia sanctorum, vt expeditè in nostro antiphonario possint inueniri officia sanctorum & officia de quotidianis diebus. Nam & Romani in omnibus suis libris officialibus quotidiana officia in fine ponunt, præter capitula de Euangeliis. Vbi notandum, quòd maximè per dominicas noctes ab octauis Pentecostes vsque in aduentum Domini, Romani canant antiphonas de historijs librorum, vndè responsorij assumpti sunt, aut Alleluia cum hymnis Zachariæ & sanctę Mariæ. Easdem antiphonas præposui in capite responsoriorum. Eo tępore non fui recordatus, quòd illa hora diei septimæ feriæ, quandò canitur psalmus ad vesperos, Benedictus Dominus Deus meus, qui docet manus meas ad prælium, frequentiùs pertineat ad præteritam hebdomadam, quàm ad sequentem. Manifestum est, à Christi resurrectione haberi initium diei ac noctis. Nox enim sequentis diei non potest dici priusquàm sol præteriti diei ad occasum redactus sit, ante cuius occasum frequentissimè celebratur synaxis vespertina, in quo canitur psalmus, Benedictus Dominus Deus meus, & cæteri sequentes. Ideò conuenit scribere antiphonas, quæ pertinent ad Dominicam noctem illius noctis, quandò cantantur responsorii Regum post responsorios. Simili modo dico de responsoriis cæteris & antiphonis. Vndè precor, si aliquis dignatus fuerit nostra opuscula scribere, in fine responsoriorum dignetur eas scribere.

De Responsorijs, qui prætitulantur Regum. Cap. 71.

VT prædixi, ità audiui à Magistris Ecclesiæ Romanæ, hoc est, vt in prima hebdomada ante responsorios Regum canerentur responsorii de psalmis: Quibus commendatur iterùm inchoari tempus ieiunii & orationis. Quid impedit ordini, si contigerit per septem hebdomadas, aut per sex, aut per quinque decantari responsorios regum ante Augustū mensem, aut per duas vel tres cantari de psalmis, & quatuor Regum, cùm necesse sit in isto tempore, vt fiat admonitio & doctrina humilitatis & subiectionis? Admonitione hac perfuncta, restat aptū tempus quatuor hebdomadarum ad recordandum exemplorum sanctorum patrum, id est, Samuelis, Dauid, Heliæ & Helisæi. Horum omnium personæ, iuxta contextum historię, reperiuntur in responsoriis & antiphonis, quæ prætitulantur Regum. Iuxta ordinem historiæ conatus sum ordinare respōsorios & antiphonas, quas cantamus in nostro antiphonario. Eo præcipuè tempore cantamus illas, quo habile est ire ad pugnam. Vir bellicosus fuit Dauid.

De Responsorijs, qui prætitulantur de Salomone, siue de sapientia. Cap. 72.

REsponsorios de Salomone & sapientia, vt superiores, iuxta ordinem historię certaui ordinare. Hic contextus officiorum iuxta ordinem canonicum currit. Tempus Salomonis concluditur in libris regum: coniunguntur ei de Sapientia responsorii, quoniā sapientissimus fuit. Dauid strenuus in bellicis rebus, Salomon strenuus præ cæteris in sapientia: Nā & sapiens vir, fortis dicitur, Vndè Horatius Poeta:

Fortis, & in seipso totus teres atque rotundus.

Meritò qui sapientia pollet, fortis dicitur. De qua scriptum est, Sapientia vincit malitiam. Hi duo menses fortissimi sunt calore, vt quidam versus referunt:

Solstitio ardentis cancri fert Iulius æstrum,
Augustum mensem leo feruidus igne perurit.

Ex traditione sanctorum patrum discimus proprium esse sapientię, vt feruorem præstet suis executoribus. Vt de pluribus vnum dicā, dicit Hieronymus in epistola ad Nepotianū de Monachorum & clericorum vita. Porrò Sunamitis in lingua nostra coccinea dicitur, vt significet calere sapientia, & diuina lectione feruere. Idcircò cōgruere videtur Augusto mensi feruido, vt in eo cantentur responsorii de sapientia, quatenùs

quatenùs eorū cātu instruamur, opottere illos qui aliquam scintillam sapientiæ perceperint, precari augmentum eius à summa sapientia & perfecta, quæ in cælo habitat, iuxta præsentiū responsoriorū verba: Emitte Domine sapientiam de sede magnitudinis tuæ. Et iterum, Da mihi Domine sedium tuarū assistricem sapientiam. Feruor mēsis nos admonet & instruit per suos responsorios feruorē & amorem sapientiæ sitire. In prę sentibus duobus mensibus finitur fortitudo, decorq; & altitudo sapientię, quantum ad historiam pertinet veteris Testamenti Israeliticæ plebis. Quod manifestiùs demōstrabitur ex historijs Esdræ, & libro primo Machabæorum, cùm per ordinem venero ad illos.

De Responsoriis Iob & Tobiæ. Cap. 73.

IN Septembri mense iuxta doctrinam Romanę Ecclesię, canimus propter admonitionem necessariam de afflictione, quam debemus recolere in diebus incolatus nostri, responsorios de psalmis in prima hebdomada, secunda & tertia de Iob, in quarta de Tobia. Iob de gentili populo electus est: Tobias in captiuitate meruit probari, & probatus inueniri: Vtrique propter coronam patientiæ flagellati, vtrique probati inuenti per patientiam. Idcircò memoria eorum coniunctim & in vno mēse celebratur. Quibus deficit numerus responsoriorum, id est, nouenarius, his potest addi ad perfectionem nouenarij numeri sufficientia de responsoriis Iob, in quibus dolor & planctus continetur. Neuter enim eorum apice regni sublimatus erat. Quamobrē non possident singuli singulos mēses, sed in vno, in quo Assyriorum regnum memoramus, concluduntur. Vt comperi ab his: qui in plaga Orientali degunt, oppidò infirmus est Septembris mēsis: Idcircò responsorij de Iob & Tobia infirmis in Septembri mense canuntur, vt ęgrotantes in eo discāt iuxta exemplum beatorum patrum Iob & Tobiæ, flagella Dei patienter tolerare. Narrant enim Orientales propter abundantiam nouarum frugum & musti nouitatem, mutari in infirmitatem corpora sumentia, vt quidam versificator canit, abundantia musti repletus est September:

Sidere virgo tuo Bacchum September opimat.

Quantùm pertinet ad historiā, quę per responsorios prę sentis temporis eliquatur, finitur regnum Assyriorū in responsoriis de Tobia. Responsorij de Iudith, Esdra & de Hester, vsque ad responsorios Machabæorum, sub tempore Persarum & Medorum iacent.

De Responsoriis Iudith, Esdræ & Hester. Cap. 74.

LIber Tobiæ & Iudith & Hester non recipiuntur in canone apud Hebræos: Tamen quia nos legimus illos in Ecclesia, cantamus ex illis responsorios. Ità scribit Eusebius in Chronica sua de Iudith: Cambyses Persarū Rex secundus annis octo. Hunc aiunt ab Hebræis secundū Nabuchodonosor vocari, sub quo Iudith historia conscribitur. De Hester sic: Septimus Artaxerxes annis quadraginta. Ea, quę de Hester & Mardochęo scripta sunt, quidā affirmant sub hoc rege gesta, quod ego non puto. Numquàm enim Esdras de Hester siluisset, qui scribit hoc tępore Esdrā & Neemiam reuersos ex Babylone, & ea deinceps consecutā, quæ ab his gesta referuntur. Hucusq; diuina scriptura tēporum seriem continet. Memorat memoratus Eusebius ea, quæ sunt scripta de Mardochęo & Hester, cōtineri tempore Artaxerxis regis, qui fuit vndecimus Persarum, sic dicens: Persarum vndecimus Artaxerxes, qui cognominatus est Mnemon, Darij & Parisatidis filius, annis quadraginta. Sub hoc rege mihi videtur historia, q̄ in Hester libro continetur, expleta. Ipse quippe est, qui ab Hebræis Assuerus, & à Septuaginta interpretibus Artaxerxes vocatur. De quo rege scribit S. Hieronymus in expositione Ezechielis, sic: Artaxerxes cognomento Mnemon, Darij & Parysatidis filius, regnauit annis quadraginta, qui ab Hebræis Assuerus appellatur, sub quo Mardochęi & Hester narratur historia, quandò omnis populus Iudæorum de mortis periculo liberatus, recepit pristinam libertatē. Fiuntq; à secūdo anno Darij vsq; ad extremum Assueri, anni centum quinquagintaquinq;, mēses quatuor, qui additi superioribus annis ducentis trigintaquatuor, faciunt annos trecētos octuaginta nouē, menses quatuor. Idcircò iuxta ordinem historiæ post Iudith ordinādus est responsorius de Esdra, & post hunc responsorij de Hester. Hos & superiores responsorios more solito iuxta contextum historię studui ordinare. In istis responsoriis consummatur regnum Persarum & Medorum. Hos enim respōsorios, id est, de Iudith, Esdra & Hester, catamus in priore parte Octobris mensis.

De Responsoriis Machabæorū. Cap. 75.

MAchabęorum historia tempora & regna Græcorū memorat. Nam & hos responsorios curaui, prout potui, statuere iuxta ordinem historiæ. Responsoriū, [Disrumpā vincula populi mei,] non reperi in libro Machabæorum. Ideò posui illum inter responsorios, de quacumque tribulatione sit necesse clamare. Regnum Medorum præcessit regnum Græcorum, Quod superiùs memoraui defeciſſe in officio Augusti mensis fortitudinem & decorem in populo Israel, ex historia Esdrę, ex libro Machabæorum in isto loco monstrabitur. Scriptū est in primo libro Esdræ, Plurimi etiam de sacerdotibus & Leuitis, & principes patrum, & seniores, qui viderant templum priusquàm fundatum esset, & hoc tęplum in oculis eorum flebant voce magna. Et multi vociferantes in lætitia leuabant vocem, nec poterat quisquā agnoscere vocem clamoris lætantium, & vocē fletus populi. Et iterùm in libro primo Machabæorum: Væ mihi, vt quid natus sum videre contritionem

Universidad de Deusto
Biblioteca

tionem populi mei,& contritionẽ ciuitatis sanctæ,& sedere illic cum datur inimicorũ in manibus,sancta in manus extraneorum? Factũ est templũ eius,sicut homo ignobilis. Vasa gloriæ eius captiua abducta sunt: trucidati sunt iuuenes eius in plateis, & iuuenes eius ceciderunt gladio inimicorum. Quæ gens non hæreditauit regnum eius? Omnis compositio eius ablata est. Responsorij de Iudith & Esdra & Hester, qui subiacent temporibus Persarũ & Medorum,& responsotij de Machabæis, qui subiacent temporibus Græcorum, vno mense concludũtur ob significationem minoris potestatis regnorũ Medorum & Græcorum,quàm fuisset Assyriorum & Romanorum. Quanto enim humiliora & viliora fuissent hæc duo regna, id est, Medorum & Græcorum,quàm Assyriorum & Romanorum,Orosius in primo libro historiarum ità manifestat, dicens: Ineffabili ordinatione per quatuor mundi cardines quatuor regnorũ principatus distinctis gradibus eminentes,& vt Babylonium regnum ab Oriente, à Meridie Carthaginense, à Septentrione Macedonicum, ab Occidente Romanum. Quorum inter primum & nouissimum,id est,inter Babylonium & Romanũ,quasi inter patrẽ senẽ,ac filium paruum, Africanũ ac Macedonicũ breuia ac media,quasi tutor curatorq; venerũt,potestate tẽporis nõ iure hereditatis admissi. Vt opinor, satis monstratum est ex historia suprascripta, quarè vno mense cõcludantur responsorij de tot historiis,

De responsoriis Prophetarum. Cap. 76.

IN Nouembri mense iuxta morem Romanæ Ecclesiæ, in prima hebdomada cantamus responsorios de psalmis,in tribus sequentibus de prophetis. Non requiratur in prophetis ordo historiæ:nec enim mos est prophetarum,vt ordinem historiarum sequantur:sed tactum Spiritus sancti,qui vbicumque vult, spirat, & cùm vocem eius audieris,nescis vndè veniat,& quò vadat. Isti .n. responsorij vice diuersorum missorum Spiritus sancti,præmittuntur ante aduẽtum Christi. In nullis libris veteris testamenti totiès reperitur admonitio Spiritus sancti ad populum, vt conuertatur ad Deum, quotiès in prophetis. Et ideo quia in proximo est, vt veniat salus mundi,id est, in mense Decembri,vt eadem admonitio in nouembri mense frequẽter celebretur,necesse est. Adueniente tempore, quod nominatur, Aduentus Domini,ea quę lucidiùs narrãt de Christi natiuitate leguntur & cantantur. Nemo prophetarum tam lucidè & apertè prophetat de Christi natiuitate, quantùm Esaias. Propterea ipse legitur in aduentu Domini. Quem statum sequuntur & responsorij,qui euidẽtissimè reboãt de natiuitate Christi. Omnes prophetæ de Christo prophetauerunt: idcircò in Nouembri mense & eorum libri leguntur,& de ipsis sumpti sunt responsorij. Hieremias qui plurimũ narrat de passione Domini,reseruatur vsque ad tempus passionis: Tamen vna lectio legitur de eo quinta Dominica ante natiuitatem Domini. Nouẽber mensis regno Romanorum quodammodò respondet. Assyriorum regnum quoddã præsagiũ fuit regni Christiani populi,quamuis à longè. Istud est .n. æternum,& illud temporale. Prophetæ seminauerũt tẽporibus regnorũ Assyriorũ, & Affricanorum, atque Græcorum,quod Christiani colligunt tẽpore Romani imperij. Idcircò fas est vt mentionem faciamus eorum sacrorum nos, qui Christiani sumus, & à Christo ità vocati tẽpore memorati imperij,qui ad opus nostrum seminauerunt messem, quã colligimus, de qua nutrimur. Et hoc nullo in tẽpore satiùs, quàm in Nouembri mense, quietè coniunctus & affinis Decembri, in quo Christus natus est, qui ad maturitatẽ perduxit sationẽ prophetarum, & nobis dedit potestatem colligendi eam. Finitis responsoriis superiorum regnorum, ordo est vt sequantur responsorij prophetarũ,qui nobis laborauerunt in quos fines seculorum deuenerunt. Vt liquidius monstretur quod cupio intimare,scribatur pars historiæ memorati Orosij presbyteri de eadem re. A primo anno imperij Nini vsquequò Babylõ à Semiramide instaurari cœpta est,interueniũt anni sexaginta & quatuor: Et à primo anno Procæ,cùm regnare cœpit,vsq; ad conditionẽ vrbis factam à Romulo, intersunt anni ęque sexagintaquatuor. Ita regnante Proca,futuræ Romæ sementis iactã est, etsi nondùm germen appareret. Eodem anno regni ipsius Procæ,Babylonis regnum defecit. Et infrà: Babylon nouissimè eo tepore à Cyro Rege subuersa, quo primùm Roma à Tarquiniorũ regum Dominatione liberata est. Siquidem sub vna eademq; conuenientia tẽporum illa cecidit,ista surrexit: Illa tunc primùm alienigenarum perpessa Dominatum,hæc tunc primùm etiam suorũ aspernata fastigiũ. Illa tunc moriens,quasi dimisit hereditatẽ: hæc verò pubescens,tunc se agnouit hæredem. Tunc Orientis occidit,& ortum est Occidentis imperiũ. Et iterùm infra: Babylon post annos mille cẽtum sexagintaquatuor,quàm condita erat à Medis & Arbato rege eorum,præfecto autem suo spoliata,opibus & regno atque ipso rege priuata est: ipsa tamen posteà aliquamdiù mansit incolumis: Similiter & Roma post annos totidem, hoc est,mille centum sexagintaquatuor,à Gothis & Alarico rege eorũ,comite autẽ suo irrupta & opibus spoliata, nũc regno manet adhuc & regnat incolumis. Quamuis intãtùm arcanis statutis inter vtranque vrbem conuenientiæ totius ordo seruatus sit,vt & ibi pfectus eius Arbatus regnũ inuaserit,& hic præfectus eius Artalus regnare tentauerit,tametsi apud hanc solam meritò Christiani imperatoris attentatio prophana vacuata sit: itaq; hæc ad hoc pcipuè commemoranda credidi,vt tanto arcano ineffabilium iudiciorum Dei ex parte patefacto, intelligant hi,qui insipienter vtique de temporibus christianis murmurant, vnum Deum dispoſuiſſe

spoſuiſſe tempora, & in principio Babylonis,& in fine Romani imperij, illius clementię esse quòd viuimus: quòd autẽ miserè viuimus,intemperantiæ nostrę. Eccè similis Babyloniæ ortus & Romæ,similis potentia,similis magnitudo,similia tẽpora,similia bona,similia mala: tamen non similis exitus,similisve defectus. Illa enim regnũ amisit,hæc retinet: Illa interfectione regis orbata, hæc incolumi Imperatore secura est. Et hoc quarè? Quoniam ibi in rege libidinum turpitudo punita, hìc Christianæ religionis cõtinentissima æquitas in rege seruata est. Ibi absq; religionis reuerentia auiditatem voluntatis licentia furoris impleuit: hìc & Christiani fuere,qui parcerent: & Christiani,quibus parcerẽt: & Christiani,propter quorum memoriã,& in quorũ memoria parceretur. Regnum Christiani populi sine fine perseuerabit. Hoc enim certauit regnum Romanorũ,vt totus orbis in vnum concurreret, & conueniret, vt vni Augusto census totius orbis describeretur. Hoc Deo auctore,pręstitum est Christiano populo. Ipse nominatur per vniuersum orbẽ terrarum, ipse vni Christo verè & perpetualiter describitur. Non erit inane quod propheta dixit: In omnẽ terrã exiuit sonus eorũ,& in fines orbis terrę verba eorũ. Et in Euãgelio Marci: Et in omnes gentes primũ oportet prędicari Euangeliũ.

De Responsoriis de diuersis officiis collectis. Cap. 77.

INuéni quosdam responsorios dispersè positos per diuersa officia nocturnalia,qui non conueniebant cũ cęteris,quales sunt: [Distrumpam vincula populi mei,] quem inuèni inter responsorios de Machabæis: & tamen in historia Machabæorum non inuenitur. &,[Peccata mea sicut sagittę infixæ sunt in me,] reperi inter eos qui de psalmis sunt: & tamen ipse nõ est assumptus de psalmis. Eadem ratio est de cæteris sequentibus, qui simul in vnum collecti, positi sunt in nostro Antiphonario post responsorios de prophetis. Collegiq; simul quasdã Antiphonas,quæ consonant tempori exomologeseos,& solemus eos & eas canere per noctes, quando obseruatur ieiunium indictum, & ieiunium quatuor temporum anni.

De Antiphonis conuersis per conuenientiam soni in Alleluia Cap. 78.

ANtiphonę aliquæ sunt post responsorios collectę,quarum sonus redactus est in sola Alleluia sibi inuicem cõiuncta,vt per Dominicas noctes super psalmos matutinales solùm Alleluia audiatur, ad memorandam lætitiam futurę resurrectionis, quæ restat in octaua die. Excipitur hymnus trium puerorũ, de quo scriptum habemus in libello officiali.

De ordine Sepulturæ cuiuscunque Christianæ. Cap. 79.

INuéni in Romano & in Metensi Antiphonariis ordinem scriptum, quomodò fungi officio conueniat circa fines hominum,& circa sepulturam eorum. Ex vtrisq; collegi ea,quæ recta mihi videbantur & rationabili cursui congruere,atque ea redacta in vnum corpus,posui sub vno textu in fine Antiphonarij nostri.

De Responsoriis, quæ cantabantur ab antiquis ante hymnum sanctæ Mariæ. Cap. 80.

INuéni in vetusto Romano Antiphonario responsoria ad vesperos, quæ ego subindè audiui canere,& cantaui: Sed quoniã maxima pars regionis nostræ non ea cantabat,neq; potui rationem inuenire cantandi ea ante hymnũ sanctæ Marię,cùm ante hymnum Zachariæ nõ cantarẽtur,prætermisi ea: At nunc quia inuéni ea in Romano Antphonario,hìc subiungo illa. In aduẽtu Dñi Responsorius, Tu exurgẽs Domine misereberis Sion,quia tẽpus miserendi eius, quia venit tempus. In natiuitate Domini,Responsorius,Benedictus qui venit in nomine Domini,Alleluia. Versus, Deus Dominus & illuxit nobis. In Epiphania Responsorius,Dies sanctificatus illuxit nobis,Alleluia Alleluia. Versus, Venite gentes,& adorate Dominum, Alleluia Alleluia. In Dominicis noctibus,Responsorius Quàm magnificata sunt opera tua Domine. Versus, Omnia in sapientia fecisti, repleta est terra opera tua Deus. Et iterùm: Responsorius, Vsq; ad vesperũ, Quàm magnificata sunt opera tua Domine. Versus, Omnia in sapientia, vt suprà. Infra hebdomadã Responsorius, Adiutorium nostrum in nomine Domini. Versus, Qui fecit cælum & terrã. Per duas hebdomadas infra Quadragesimã, Responsorius: Educ de carcere animam meam, vt confiteatur nomini tuo Domine. Versus, Periit fuga à me,& nõ est qui requirat animã meam. In sequentibus duabus hebdomadibus Responsorius, Esto nobis Domine turris fortitudinis à facie inimici. In nouissimis duabus hebdomadibus Responsorius, Vsquequò exaltabitur inimicus meus super me? respice & exaudi me Domine Deus meus. Versus, Qui tribulant me, exultabunt si motus fuero, ego autem in misericordia tua speraui. In paschalibus diebus, Responsorius, Alleluia Alleluia. Versus, Cantate Domino canticum nouum, cantate Domino omnis terra. In Ascensione Domini, Alleluia Alleluia. Versus, Ascendit Deus in iubilatione,& Dominus in voce tubæ. In diebus Pentecostes Responsorius, Alleluia Alleluia. Versus Repleti sunt omnes Spiritu sancto,& cœperunt loqui Alleluia Alleluia. In festiuitatibus Sanctorum de responsoriis propriis quę in nocte cantantur.

FINIS.

HRA-

Universidad de Deusto
Biblioteca

HRABANI MAVRI
DE INSTITVTIONE CLERICORVM,
AD HEISTVLPHVM ARCHIEPISCOPVM, LIBRI III.

PRAEFATIO.

Rabanus cum hæc scriberet, nondùm erat Archiepiscopus Mogutin. ideoque nō miraberis illū hic ità nō vocari.

DOMINO REVERENDISSIMO ac Religiosissimo Heistulpho Archiepiscopo, Rabanus minimus seruorum Dei, æternā in Christo optat salutem.

Quāquam H litera hoc loco ociosa videtur, tamen exemplaria vetera eam sic habent: & apparet usū eius apud veteres eum fuisse, vt aut herum Latinè, aut **herrn** Teutonice significaret, quē admodum apud nos hodiè D.

A

CVM te sancte pater pro merito summæ pietatis plurimi venerentur, & omnibus fidelibus causa magnæ fidei & sanæ doctrinę honorabilis atque amabilis existas: cōgruum esse iudicaui, vt ego, in quem plurimum tuorum beneficiorum contulisti, aliquod munusculum, licet non condignum, tamen, vt credo, non ingratum, tuę venerationi deferrem, nihil verens de precio, quia animus in bonitate diues, magìs æstimat deuotionem offerentis, quàm donum: & hac fiducia ausus sum partem laboris mei, quam in studio sacræ lectionis elaboraui, tibi, quem benignissimum atq; æquissimum esse scio, vice muneris dirigere, vt à te, qualiscumque sit, reciperetur, ac tuo sacro iudicio probaretur: atque ad purum examinaretur. Quęstionibus ergo diuersis fratrum nostrorum, & maximè eorum, qui in sacris ordinibus pollebant, respondere compellebar, qui me de officio suo, & variis obseruationibus, quæ in Ecclesia Dei decentissimè obseruātur, sæpissimè interrogabant, & aliquibus eorū tunc dictis, aliquibus verò, scriptis, prout opportunitas loci ac tēporis erat, secundū auctoritatem & stylum Maiorum ad interrogata respondi: sed non in hoc satis eis facere potui, qui me instantissimè postulabant, immò cogebant, vt omnia hæc in vnum volumen congererem, vt haberent quo aliquo modo inquisitionibus suis facerent satis, & in vno codice simul scriptum reperirent, quæ anteà non simul, sed speciatim singuli, prout interrogabant, in foliis scripta habuerant. Quibus consensi, & quod rogabant, feci quantùm potui. Nam de hoc tres libros edidi. Quorum primus de Ecclesiasticis ordinibus, & de veste sacerdotali continet. Item, de quatuor charismatibus Ecclesię, id est, Baptismo & Chrismate, Corpore & sanguine Domini, & de officio Missæ secundùm morem Romanæ Ecclesiæ. Secundus autem liber continet de officio canonicarum horarum, & de ieiunio, confessione, ac pœnitentia: de legitimis quoquè ieiuniis, & festiuitatibus variis, de lectionibus & cantu ecclesiastico: de fide catholica, & è contrario de variis hęresibus. Tertiusverò liber edocet, quomodo omnia quę in diuinis libris scripta sunt, inuestiganda atq; discenda sunt: necnon & ea quæ in gentilium studiis & artibus ecclesiastico viro scrutari vtilia sunt: Nouissimè verò liber ipse exponit, quomodo oportet eos, qui docendi officium gerunt, diuersos auditores diuersis allocutionibus admonere, & in doctrina ecclesiastica fideliter erudire. Et quia hæc omnia, quę diximus, ad clericorum officium maximè pertinēt, qui locum regiminis in Ecclesia tenent, & de vniuersis legitimis Dei populum instruere debent, placuit ipsos libros de institutione clericorum nuncupari, id est, cum qua se vel sibi subditos ad seruitiū diuinum instruere debent. Proindè obsecro te, sancte pater, vt oblatum tibi opus suscipias, ac piè relegens, diligenter illud examines: & ita quę in eo rationabiliter inueneris dictata, ei hoc tribuas, à quo est omnis ratio creata: si qua verò inconsideratè repereris prolata, tuo studio citiùs reddas illa emēdata, & (sic credo) legentibus erunt vtilia. Tuo enim magisterio semper me libens subdam, à quo recordor me accepisse dignitatē ecclesiasticam. Confido tamen omnipotētis Dei gratię, quòd fidem & sensum catholicum in omnibus tenuerim, nec per me quasi ex me ea protuli, sed auctoritati innitens Maiorum, per omnia illorum vestigia sum secutus: Cyprianum dico atque Hilarium, Ambrosium, Hieronymum, Augustinum, Gregorium, Ioannem Damascenum, Cassiodorum atque Isidorum, & cæteros nonnullos, quorum dicta alicubi in ipso opere (ità vt ab eis scripta sunt) pro conuenientia posui: alicubì quoq; eorum sensum meis verbis propter breuitatem operis strictim enunciaui: Interdùm verò, vbì necesse fuit, secundū exemplar eorum quędam sensu meo protuli: In omnibus tamen (nì fallor) catholicā imitatus sum veritatem, à qua (si Dominus adiuuerit) nō patiar vllo modo diuelli, quam & te præ omnibus habere atque amare confido: & ideò tua suffragia supplex peto, vt ipsa veritas, omnium creatrix atque gubernatrix, licet non meis meritis, tamen propter tuam sacratissimam orationem me in se sine vllo deuio erroris in æternum conseruare dignetur. Beatitudinem tuam opto semper bene valere in omnibus, sancte pater, memorem nostri.

B

C

D

EPI-

A

EPICEDION
RABANI MAVRI
IN SVAM VITAM.

LEctor honeste, meam si vis cognoscere vitam
Tempore mortali, discere sic poteris:
Vrbe quidè hac genitus sum, ac sacro fonte renatus
In Fulda, post hæc dogma sacrum didici.
Quo monachus factus, seniorum iussa sequebar,
Norma mihi vitæ regula sancta fuit.
Sed licèt incautè hanc, nec fixè semper haberem,
Cella tamen mihimet mansio grata fuit.
Ast vbì iam plures transissent temporis anni,
Conuenere viri, vertere facta loci.
Me abstraxere domo inualidum, regiq; tulere,
Poscentes fungi præsulis officio.
In quo nec meritum vitæ, nec dogma repertum est,
Nec pastoris opus iure benè placitum,
Promptus erat animus, sed tardus: debile corpus:
Feci quod poteram, quodq; Deus dederat.
Nunc rogo te ex tumulo, frater dilecte, iuuando,
Commendes Christo me vt precibus Domino.
Iudicis æterni mè vt gratia saluet in æuum,
Non meritum adspiciens, sed pietatis opus.
Raban nempè mihi nomen, & lectio dulcis
Diuinæ legis semper vbique fuit.
Cui Deus omnipotens tribuas cœlestia regna,
Et veram requiem semper in arce poli.

B

C

FINIS,

EIVSDEM AD FRATRES FVLDENSES EPIGRAMMA.

CErnite quid voluit, fratres, sententia legis,
Quæ mandat ritè noscere verba Dei.
Aures quisquis habet, hic audiat, inquit, apertas,
Quid dicat sanctus Spiritus Ecclesiis.
Cui Psalmista pari concordat grammate, plebem
In legem Domini cernere ritè iubens.
Sic quoque nos semper oculis atque auribus est fas,
Intentis fratres discere verba Dei.
Quid mandet dictis, quid factis indicet ipsis,
Quæ codex geminus continet ille suus:
Quid celebrando piis signet charissima Christi
Sponsa sacramentis, & studiis variis.
Namque poposcistis hæc vobis reddere scriptis,
Exhibui paruis hæc tribus ipse libris.
Quid cultura velit, gradibus quid nunciet almis,
Quid prece, quid festis sancta Dei Ecclesia.
Dogmata quæ cunctis pia discere, quæ ve docere,
Condecet ordinibus mystica dicta Dei.
Sed licèt hæc tota non possum carpere scriptis,
Plurima complexus hìc tamen arte dedi.
Hæc ego peccator HRabanus dona tonantis,
Vobiscum capiens, nunc pia participo.

D

Supplex vos posco, testans per sceptra tonantis,
Me vt commendetis vos precibus Domino.
Quatenùs ipse pius concedat dona salutis,
Vobiscum mihimet regna beata poli.
Christus dux vester, Christus rex, Christus amator,
Semper vos saluet summus in arce Deus.

Libri Primi Capita.

DE vna Dei Ecclesia catholica.	Cap.	1
De tribus ordinibus Ecclesię.		2
De tonsura clericorum.		3
De gradibus ecclesiasticis.		4
De ordine tripartito episcoporum.		5
De presbyteris.		6
De diaconis.		7
De subdiaconis.		8
De acolytis.		9
De exorcistis.		10
De lectoribus ac psalmistis.		11
De ostiariis.		12
Quos oporteat ad sacrum ordinem accedere, & quo ordine.		13
De vestimentis sacerdotalibus.		14
De superhumerali.		15
De podére, id est, tunica linea.		16
De cingulo.		17
De fanone.		18
De orario.		19
De Dalmatica.		20
De casula.		21
De sandaliis.		22
De pallio.		23
De sacramentis Ecclesiæ.		24
De baptismatis sacramento.		25
De catechumenis.		26
De catechizandi ordine.		27
De tinctione baptismi, & vnctione chrismatis.		28
De indumento baptizati, & Eucharistia.		29
De impositione manus Episcopalis, & chrismatis sacramento.		30
De sacramento corporis & sanguinis Dñi.		31
De officio Missæ.		32
De ordine Missæ.		33

Secundi Libri Capita.

De officiis atque orationibus canonicarum horarum.		1
De matutina celebratione.		2
De officio primæ Horę.		3
De tertiæ Horæ celebratione.		4
De officio sextæ Horę.		5
De officio nonę Horæ.		6
De vespertina celebratione.		7
De completorio.		8
De nocturna vigiliarum celebratione.		9
De cæteris legitimis orationibus.		10
De peculiaribus orationibus.		11
De quadripartita specie orationum.		12
Quomodò ex his speciebus compunctio nascatur.		13

E

De

Universidad de Deusto
Biblioteca

De exomologesi, id est, confessione. 14
De litaniis. 15
De discretione orationis Dominicæ. 16
De ieiunio. 17
Quid sit inter ieiunium & stationem. 18
De ieiunio quarti, v. vij. & x. mensis. 19
De quadragesimali ieiunio. 20
De ieiunio Pentecostes. 21
De ieiunio ante natiuitatem Domini, quod fit in nono & decimo mense. 22
De cæteris legitimis ieiuniis. 23
De ieiunio quatuor sabatorũ, in quibus duodecim lectiones fiunt & sacræ ordinationes. 24
De priuatis ieiuniis. 25
De origine biduanæ siue triduanę. 26
De esu carnium, & de potione vini. 27
De eleemosynarum differentia. 28
De pœnitentia. 29
De satisfactione & reconciliatione. 30
De natiuitate Domini. 31
De epiphania Domini. 32
De σταυρῷ. 33
De septuagesima, & sexagesima, & quinquagesima, & quadragesima. 34
De die Palmarum. 35
De cœna Domini. 36
De Parasceue. 37
De sabbato sancto Paschæ. 38
De Pascha Domini. 39
De Ascensione Domini. 40
De Pentecoste. 41
De die Dominica. 42
De festiuitatibus Sanctorum. 43
De sacrificiis pro defunctis offerendis. 44
De encæniis, & vndè omnis ille ordo originem duxerit. 45
De festiuitatibus veterum, & vndè festa vel feriæ sint dictæ. 46
De cantico. 47
De psalmis. 48
De hymnis. 49
De antiphonis. 50
De responsoriis. 51
De lectionibus. 52
De libris duorum testamentorum. 53
De scriptoribus sacrorum librorum. 54
De benedictionibus. 55
De symbolo. 56
De regula fidei. 57
De hæresibus variis. 58

Libri Tertij Capita.

Quid eos scire & habere conueniat, qui ad sacrum ordinem accedere volunt. 1
De eminentia sanctarum scripturarum, & ad quid omnis scientia referenda sit. 2
Quibus obscuritatibus scriptura sacra sit inuoluta, & quòd eam temerè alicui legere non liceat. 3
De gradibus sapientiæ & charitatis. 4
Quod is qui ad sapientiæ integritatẽ peruenit, ad charitatis perfectionem peruenit. 5
De modo legendi sacras scripturas. 6
De Canone Hebræorum, quomodò apud eos tripartitus est ordo diuinarũ scripturarũ. 7
Vndè sit quòd non intelliguntur quæ scripta sunt. 8
De ingnotis signis. 9
De traslatis signis. 10
De ambiguis signis quomodò constant. 11
De ambiguis propriis. 12
Modus inueniendi, vtrum locutio propria sit, an translata. 13
De varia significatione verborum, quæ constat in contrarietate & diuersitate. 14
Quòd non sit periculum varius intellectus in eisdem scripturæ verbis, si sensus ipse congruat veritati. 15
De duobus generibus doctrinarũ gentilium, & quæ sunt illa quæ instituerunt homines. 16
Quæ diuinitùs instituta inuestigauerunt. 17
De arte grammatica & speciebus eius. 18
De Rhetorica. 19
De Dialectica. 20
De Mathematica. 21
De Arithmetica. 22
De Geometria. 23
De Musica. 24
De Astronomia. 25
De Philosophorum libris. 26
De acquisitione & exercitio virtutum. 27
Quid debeat doctor catholicus in dicendo agere. 28
Quòd auctores canonicorum librorum, & sapientes & eloquentes fuerunt. 29
Quòd facili locutione vulgus debeat doceri. 30
De optimo modo dicendi, & quid oporteat prædicatorem in dicendo obseruare. 31
De triplici genere locutionis, quod Romani auctor eloquij ita distinxit. 32
Quando submisso genere, & quãdo temperato, quandoq; grandi vtendum sit dicenti. 33
Exempla in Apostolo de prædictis generibus tribus. 34
Quomodò debeant inter se hæc tria permisceri. 35
Quid sit sapienter & eloquẽter dicere, & quòd alienum non dicat, qui ab alio prolata, benè viuens prædicat. 36
De discretione dogmatum iuxta qualitatem auditorum. 37
Quæ virtutum species contrariæ sint singulis speciebus vitiorum. 38
Quòd oporteat postulari à Domino possibilitas prædicationis. 39

FINIS.

HRABANI MAVRI
DE INSTITVTIONE CLERICORVM
LIBER PRIMVS.

De vna Dei Ecclesia Catholica. Cap. 1.

ECCLESIA ergò Dei Catholica, quæ per totum orbem dilatata diffunditur, Christi nomine nobilitata glorificatur. Omnis enim homo qui rectę fidei existit particeps, & sacro baptismate regeneratur, à Christo Christianus vocatur, & Dei patris atque Ecclesiæ matris nosci-
B tur esse filius. ἐκκλησία Græcum est, quod in Latinum vertitur Conuocatio siue Conuentus, eo quòd omnes conuocat ad se. Catholica autem dicitur, id est, vniuersalis: quia in toto mundo vna est Ecclesia Christi, quæ & sponsa & corpus eius est.

De tribus ordinibus Ecclesiæ. Cap. 2.

SVnt tamen tres ordines in Ecclesia: Conuersantium, id est, Laicorũ, Monachorum, &
C Clericorum. Quorum primus, id est, laicus ordo, popularis interpretatur. λαὸς enim Græcè, populus Latinè dicitur. Secundus est Monachus, id est, singulariter conuersans, hoc est, à seculari cõuersatione remotus. μονὰς enim Græcè singularitas dicitur, & monachus singularis vel solitarius. Tertius est ordo clericalis. κλῆρος quippe Græcè, sors vel hęreditas dicitur. Cleros autem vel clericos hinc appellatos doctores nostri dicunt, quia Matthias sorte electus est, quem primum ab Apostolis legimus
D ordinatum: sic & eos quos illis temporibus ecclesiarum principes ordinabant, sorte legebãt. Nam & hæreditas Græcè κληρονομία appellatur, & hæres cleronomos. Propterea *ergò* dicti sunt clerici, quia de sorte sunt Domini, vel quia Dominum partem habent, sicut de eis scriptum est loquente Domino: Ego, hæreditas eorum. Vndè oportet vt qui Deũ hęreditate possident, absque vllo impedimento seculi, Deo seruire studeant, vt congruè illud Psalmistæ dicere possint: Dominus pars hæreditatis meæ. Iste au-
E tem ordo iure pręponitur in Ecclesia, quia in sanctis deseruit, & sacramenta populis dispensat. Sicut enim in veteri testamento tribus Leui prę cæteris tribubus peculiariter à Domino electa est ad seruiendum illi per diuersa officia in tabernaculo, quod est Ecclesia præsens, vt seruiant ei die ac nocte in templo sancto eius, vt sint populo in his quę ad Deum pertinent, doceãtque populum Dei omnia pręcepta eius, & offerant Deo dona & sacrificia pro sua & populi ignorantia, & iudicent inter iustum & iniustum, & discernant inter sanctum & prophanum, inter pollutum & mundum.

Hęc sunt Isid. lib. 2. cap. 1.

Act. 1.

Ezec. 44.

Psal. 15.

De Tonsura Clericorum. Cap. 3.

TOnsuræ ecclesiasticæ vsus à Nazaræis (ni fallor) exortus est, qui prius crine seruato, denuò post vitę magnæ continentiam deuotione completa, caput radebant, & capillos in ignem sacrificij ponere iubebantur, scilicet vt perfectionem deuotionis suæ Domino consecrarent. Huius ergò exempli vsus ab Apostolis introductus est, vt hi qui in diuinis cultibus mancipati Domino consecrantur: quasi Nazaræi, id est, sancti Dei crine præciso innouentur. Hoc quippe & Ezechieli prophetæ iubetur dicente Domino. Tu fili hominis sume tibi gladium acutum, & duces per caput tuum & barbam: videlicet quia & ipse ex sacerdotali genere Deo in ministerio sanctificationis deseruiebat. Hoc & Nazaręos illos Priscillam & Aquilam in Actibus Apostolorum primos fecisse legimus, Paulum quoque Apostolum, & quosdam discipulorum Christi, qui in huiusmodi cultu imitandi exiterunt. Est autem in clericis tonsura signum quoddam, quod in corpore figuratur, sed in animo agitur: scilicet vt hoc signo vitia in religione resecentur, & criminibus carnis nostræ quasi crinibus exuamur, atque indè innouatis sensibus vt comis rudibus eniteſcamus, expoliantes nos, iuxta Apostolum, veterem hominem cum actibus eius, & induentes nouum, qui renouatur in agnitionem Dei. Quam renouationem in mente oportet fieri, sed in capite demonstrari, vbi ipsa mens noscitur habitare. Quòd verò detonso superiùs capite, inferiùs circuli corona relinquitur, sacerdotium, regnumque Ecclesię in eis existimo figurari. Tiara enim apud veteres cõstituebatur in capite sacerdotũ. Hæc ex byſſo confecta, rotunda erat quasi sphæra media, & hoc significatur in parte capitis tonsa. Corona autem aurea, latitudo est circuli, quę regum capita cingit. Vtrumque itaque signum exprimitur in capite clericorum, vt impleatur etiam corporis quadam similitudine, quod scriptum est, Petro Apostolo dicente: Vos estis genus electum, regale sacerdotium. Queritur autem, cur modò (sicut apud antiquos Nazaręos) non ante coma nutritur, & sic tondetur? Sed qui hæc exquirunt, aduertant quid sit inter illud propheticum velamentum, & hãc

Isid. lib. 2. cap. 4.

Ezec. 9.

Act. 18.

Act. 21.

Coloss. 3.

1. Pet. 2.

Universidad de Deusto
Biblioteca

2. cor. 3. Euangelij reuelationem, de qua dicit Apostolus, Cùm transieris ad Christum, auferetur velame. Quod autem significabat velamen interpositum inter faciem Moysis, & adspectum filiorum Israel, hoc significabat illis temporibus etiam coma Sanctorum. Nam & Apostolus comam pro velamento esse dicit. Proindè iã non oportet, vt velentur crinibus capita eorũ, qui Domino consecrantur, sed tantùm vt reuelentur: quia quod erat occultum in sacramento prophetiæ, iam in Euangelio declaratum est. Sunt quoque quidam doctorum, qui asserunt, diuersas ob causas Petrum Apostolum hunc ritum primum sumpsisse primitùs, vt formam & similitudinem Christi in capite gestaret, dum pro redemptione nostra crucis patibulum subiturus, à nefanda Iudæorum gente acutis spinarum aculeis crudeliter coronaretur. Deindè, vt sacerdotes veteris & noui testamenti, in tonsura & habitu discernerentur. Postremò, vt idẽ Apostolus suique successores, & sequipedes ridiculosum* gannaturæ ludibriũ in populo Romano portarent: quia & horum barones, hostes exercitus superatos sub corona vendere solebant. Sed de his quid suscipiatur, lectoris iudicio derelinquimus. Veniamus ergò nunc ad sacratissimos ordines clericorum, eorumque originem, & gradus singulariter demonstremus.

De Gradibus Ecclesiasticis. Cap. 4.

SVnt autem gradus Ecclesiastici octo, quorum nomina hæc sunt: Ostiarius, Psalmista siue Lector, Exorcista, Acolytus, Subdiaconus, Diaconus, Presbyter atque Episcopus. Initium quidem sacerdotij in veteri testamento Aaron fuit: quamquàm & Melchisedech prior obtulerit sacrificium, & post hunc Abraham, Isaac, & Iacob, legitur & Noe altare ædificasse, & super illud Domino holocaustum obtulisse: Sed isti spontanea voluntate, non sacerdotali auctoritate, ista fecerunt. Cæterùm Aaron primus in lege sacerdotale nomen accepit, primusque pontificali stola infulatus victimas obtulit, iubente Domino ac loquente ad Moysen: Accipe, inquit, Aaron & filios eius, & applicabis ad ostium tabernaculi testimonij: cũque laueris patrem cum filiis aqua, indues Aaron vestimentis suis id est, linea & tunica, & Superhumerali, & Rationali quod cõstringes balteo, & pones tiaram in capite eius, & laminam sanctam super tiaram, & oleum vnctionis fundes super caput eius, atque hoc ritu consecrabitur. filios quoque illius applicabis, & indues tunicis lineis, cingesq; balteo, Aaron scilicet & liberos eius, & impones eis mitras, eruntque sacerdotes mei religione perpetua. Quo loco contemplari oportet Aaron sacerdotẽ summum, id est, episcopum fuisse, nam filios eius presbyterorum figuram præmonstrasse. Fuerunt enim filij Aaron & ipsi sacerdotes, quibus meritò adstare debuissent Leuitæ sicut summo sacerdoti. Moyses verò huius facti mediator Christum significat. In nouo autem testamento post Christũ sacerdotalis ordo à Petro cœpit. Ipsi enim primùm datus est Pontificatus in Ecclesia Christi. Sic enim loquitur ad eum Christus Dominus: Tu es, inquit, Petrus, & Matt. 16. super hanc petram ædificabo Ecclesiã meam, & portæ inferorum non vincent eam: & tibi dabo claues regni cælorum. Hic ergò ligandi, atque soluendi potestatem primus accepit, primusque ad fidem populum virtute suæ prædicationis adduxit. Siquidem cæteri Apostoli cũ Petro par consortium honoris & potestatis acceperunt, qui etiam in toto orbe dispersi, Euangelium prædicauerunt, quibus decedentibus successerunt Episcopi, qui sunt constituti per totum mundum in sedibus Apostolorum, qui iam non genere carnis & sanguinis eliguntur, sicut primùm secundùm ordinem Aaron, sed pro vniuscuiusque merito, fide & doctrina, quæ in eum gratia diuina contulerit. Quòd verò per manus impositionem à prædecessoribus Dei sacerdotibus episcopi ordinantur, antiqua est institutio. Isaac enim patriarcha sanctus, ponens manum suam super caput Iacob benedixit ei, & Iacob filiis. Sed & Moyses super caput Iesu Naue manum suam imponens, dedit ei spiritum virtutis & ducatus in populo Israel: sic & impletor legis & prophetarũ Dominus noster Iesus Christus, per manus impositionem Apostolis suis benedixit, sicut in Euangelio Lucæ scriptum est: Et produxit illos foras in Bethaniam, & eleuauit manus suas, & benedixit eis. Factumque est cùm benedixisset illis, discessit ab eis, & ipsi reuersi sunt in Hierusalem cũ gaudio magno. Et in Actibus Apostolorũ ex præcepto Spiritus sancti Paulo & Barnabę ab Apostolis manus imposita est in episcopatum, & sic missi sunt ad euangelizandum. Porrò quòd episcopus non ab vno, sed à cunctis comprouincialibus episcopis ordinatur, id propter hæreses agnoscitur institutum, nè aliquid contra fidem Ecclesiæ, vnius tyrannica auctoritas molireturIdeoque ab omnibus conuenientibus instituitur, aut non minùs, quàm à tribus præsentibus, cæteris tamen consentientibus testimonio literarum. Huic autem dum consecratur, datur baculus, vt eius indicio subditam plebem vel regat, vel corrigat, vel infirmitates infirmorũ sustineat, Datur & annulus, propter signum pontificalis honoris, vel signaculum secretorum. Nam multa sunt, quæ ante carnalium minusque intelligentium sensus occultãtes sacerdotes, quasi sub signaculo condunt, nè indignis quibusque Dei sacramenta aperiantur.

Exo. 29.

De ordine tripartito Episcoporum. Cap. 5.

ORdo autem episcoporum tripartitus est, id est, in Patriarchis, Archiepiscopis, qui

qui & metropolitani sunt, & in Episcopis. πατριάρχοι Græca lingua, pater principũ siue summus patrum interpretatur, quia primum, id est, Apostolicum retinet locum: & ideò quod summo honore fungitur, tali nomine censetur, sicut archiepiscopus* Antiochenus Episcopus, atque Alexandrinus antistes. ἀρχιεπίσκοποι Græco vocabulo dicitur, quòd sit summus vel princeps episcoporum. tenet enim vicem Apostolicam, & præsidet Episcopis cæteris. Singulis enim prouincijs præminet, quorum auctoritate & doctrina cęteri sacerdotes subiecti sunt, sine quibus reliquis Episcopis nihil agere licet, nisi quod singulis in propria parochia cõmendatum est. Solicitudo enim totius prouinciæ ipsi commissa est, & omnes superiùs designati ordines, vno eodemque vocabulo Episcopi nominantur, sed priuato nomine quidem vtuntur propter distinctionẽ potestatum, quã singulariter acceperunt. Metropolitanus autẽ idem vocatur, eò quòd præsideat illi ciuitati, quæ cæteris ciuitatibus in eadem prouincia cõstitutis quodammodò mater sit. μητρόπολις ergò Græcè, mater ciuitatum interpretatur. Episcopatùs autem vocabulum indè dictum, quòd ille qui superefficitur, superintendat, curam scilicet subditorum gerens. σκοπεῖν enim, Latinè intendere dicitur. ἐπίσκοποι autem Græcè, Latinè speculatores siue Superintendentes interpretantur. Nam speculator est præpositus in Ecclesia dictus, eò quòd speculetur atq; prospiciat populorum infra se positorum mores & vitam: intimet vnicuique actus suos, sicut Dominus ad Ezechielem dixit prophetã: Et tu, inquit, fili hominis, speculatorem dedi te domui Israel. Audiens ergò ex ore meo sermonem, annunciabis eis ex me. Si me dicente ad impium, morte morieris, non fueris locutus, vt se custodiat impius à via sua, ipse impius in iniquitate sua morietur, sanguinem autem eius de manu tua requiram. & reliqua. Pontifex princeps sacerdotum est, quasi via sequentium: ipse & summus sacerdos, ipse pontifex maximus nuncupatur. Ipse enim efficit sacerdotes atque Leuitas, ipse omnes ordines ecclesiasticos disponit, ipse quid vnusquisque facere debeat, ostendit. Antistes autem idem dictus est, eò quòd antestet. primus enim est in ordine ecclesiæ, & supra se nullum habet sacerdotem. Sacerdos quidem nomen habet compositum ex Græco & Latino, quasi sacrũ dans. Dispensat ergò mysteria cęlestia, fidelibus baptismum tradit, corpus & sanguinem Christi distribuit, & verbum Dei prædicat. Sacerdos autem vocari potest, siue Episcopus sit, siue presbyter. Episcopi autem Apostolorum vicem in Ecclesia tenent, sicut suprà diximus. Et chorepiscopi, qui vicarij sunt episcoporum, ad exemplum LXX. seniorum constituti sunt: nec aliquid eis magis licet in Ecclesia ordinare aut constituere, nisi quantùm eis conceditur à legitimis Episcopis, qui sedem & regimen integrum in Ecclesijs obtinent. Ordinati sunt autem chorepiscopi propter pauperum curam, qui in agris & villis consistunt, nè eis solatium confirmationis deesset. Dicti sunt autem chorepiscopi, quia de choro sunt sacerdotum: hi autem à solo Episcopo ciuitatis cui adiacent, ordinantur, sicut presbyteri.

Tor. *Ro.

Ezec. 33.

De Presbyteris. Cap. 6.

PResbyterorum ordo exordium sumpsit à filiis, vt dictum est, Aaron. Qui enim sacerdotes in veteri testamento vocabantur, hi sunt qui nunc appellantur presbyteri: & qui tunc princeps sacerdotum, nunc Episcopus vocatur. πρεσβύτερος enim Græcè, Latinè senior interpretatur. Non pro ætate autem vel decrepita senectute, sed propter honorem & dignitatem & doctrinam sapientiæ quam acceperunt, presbyteri nominantur, sicut per Sapientiam dicitur: Gloria senum canities. & item: Canities hominum prudentia eius. Vndè & apud veteres idem & Episcopi & presbyteri fuerunt. quia illud nomen dignitatis est, hoc ętatis. Et Paulus Apostolus ad Titum scribens: Huius, inquit, rei gratia reliqui te Cretæ, vt ea quæ deerant corrigas, & constituas per ciuitates presbyteros, sicut ego tibi disposui, si quis sine crimine est, vnius vxoris vir, filios habens fideles, non in accusatione luxurię, aut non subditos. & statim subiungit: Oportet enim Episcopum sine crimine esse, sicut Dei dispensatorẽ, non superbum, non iracundum, non vinolentum, non percussorem, & reliqua. Et ad Philippenses, Episcopis & diaconibus scribit, cùm vna ciuitas plures episcopos habere non possit, sed sub episcoporum nomine presbyteros cõplexus est. Ideò autem presbyteri sacerdotes vocantur, quia sacrum dant, sicut Episcopi, id est, in confectione diuini corporis & sanguinis, & in baptismate, & in officio prædicandi. Sed licèt sint sacerdotes, tamen pontificatus apicem non habent, quòd nec chrismate frontem signant, nec paraclatum spiritum dant, quod solis Episcopis deberi, lectio Actus Apostolorum demonstrat: nec ordinare clericos in sacris ordinibus possunt, quod Episcopis propter vnitatem & concordiam reseruatur. Secũdi verò ordinis viri, presbyteri sunt, quorum typum præferebant septuaginta viri in veteri testamento, in quibus Dominus spiritum Moysis propagauit, vt talibus adiutoribus vsus in populo, innumeras multitudines facilè gubernaret. Sic & paternæ plenitudinis abundantia transfusa est in Eleazaro & Ithamaro, vt ad hostias salutares & frequentioris officij sacramentum, ministerium sufficeret sacerdotum. Sic & Apostolis Christi, doctoribus, fidei comites additi sunt, quibus illi orbem totum secundis prædicatoribus impleuerunt, & per euangelicam doctrinam dilatauerunt.

Pro. 20.

Tit. 1.

Ibid.

Universidad de Deusto
Biblioteca

De Diaconis. Cap. 7.

LEuitæ ex nomine auctoris vocati, de nomine Leui Leuitæ exorti sunt, à quibus in templo Dei, mystici sacramenti mysteria explebantur. Præcepit enim Dominus, & dixit ad Mosen, vt post ordinationem Aaron sacerdotis & filiorum eius, rursùs Leui tribus in diuini cultus mysterio ordinaretur, & consecrarentur Domino pro omnibus primogenitis, & seruirent pro Israel coram Aaron & filijs eius in tabernaculo Domini, excubantes in templo die ac nocte, ipsíque gestarent arcam & tabernaculum, & omnia vasa eius, & in circuitu tabernaculi castra ipsi constituerent, & in promouendo tabernaculo ipsi deponerent, & rursùs ipsi deponerent, & rursùs ipsi componerent. Hi Græcè διάκονοι, Latinè ministri dicuntur, quòd sicut in sacerdote consecratio, ità & in diacono ministerij dispensatio habetur. In veteri testamento excubabant in tabernaculo testimonii ad præcepta Aaron, & ad cuncta opera tabernaculi: veruntamen ad vasa sanctuarii & ad altare non accedebant, sicut mandauerat Dominus Aarõ, dicens: Eccè dedi vobis fratres vestros Leuitas de medio filiorum Israel, & tradidi donum Domino, vt seruiant in ministeriis tabernaculi eius: tu autem & filii tui custodite sacerdotium vestrum, & omnia quæ ad cultum altaris pertinent, & intra velum sunt, per sacerdotes administrabuntur. & reliqua. Hi à viginti quinque annis & supra ingrediebantur, vt ministrarent in tabernaculo fœderis: cumque quinquagesimum annum ætatis explebant, seruire cessabant, & erant ministri fratrum suorũ in tabernaculo fœderis, vt custodirent quæ sibi fuerant commendata. In nouo autem testamẽto Apostoli septem diaconos, propter sacramentum eiusdem numeri, ordinauerunt ad ministerium sacrum & officium altaris, qui legun tur etiam & prædicasse, & baptizasse non paucos, sicut sanctus Stephanus disputauit contra Iudæos, & Philippus baptizato eunucho euangelizauit ciuitatibus cunctis donèc veniret Cæsaream, & in Samaria prædicabat, & baptizabat eos qui ab Apostolis Petro & Ioanne postmodùm confirmabantur. Sed baptizare eis modò coram Episcopis siue presbyteris licitum est. Cæteris autem non licet, nisi prędictis fortasis officijs longiùs constitutis, necessitas extrema compellat. Hi enim sunt (quos in Apocalypsi legimus) septem Angeli, tubis canentes: Hi sunt septem candelabra aurea. Hi sunt voces tonitruorum septem. Ipsi enim clara voce in modum pręconis admonent cunctos, siue in psalledo, siue in lectionibus audiendis. Ipsi enim, vt aures habeamus ad Deum, acclamant. Ipsi quoquè euangelizant. Sine his sacerdos nomen habet, officium non habet. Nam sicut in sacerdote consecratio, ità in ministro dispensatio sacramenti est. Ille oblata sanctificat, hic sanctificata dispensat. Ipsis etiàm sacerdotibus, propter pręsumptionem non licet de mensa Domini collere calicem, nisi eis traditus fuerit à diacono. Leuitæ offerunt oblationes in altaria. Leuitæ componunt mensam Domini. Leuitæ operiunt arcam testamenti: Non enim omnes vident altare mysteriorum, quæ operiuntur à Leuitis, nè videant, qui videre non debent, & sumant qui seruare non possunt: quíque propterea altari albis induti assistunt, vt hinc admoniti, cælestem vitam habeant, cãdidíque ad hostias & immaculati accedant. Quos primus fecit Syluester Papa, tricesimus quartus Pontifex in Romana Ecclesia post Petrum Dalmaticis vti, & constituit vt pallio linostimo eorum læua tegeretur, sicut in gestis pontificalibus continetur.

Exod. 29.

Num. 18.

Apoc. 8.

De Subdiaconis. Cap. 8.

HYpodiacones Græcè, quos nos subdiacones dicimus, qui ideò sic appellantur, qa subiacent pręceptis & officijs Leuitarum. Oblationes in templo DEI à fidelibus ipsi suscipiunt, & Leuitis superponendas altaribus deferunt. Hi apud Hebræos Nathinnęi vocantur, vt liber Paralipomẽnõ & Esdræ testatur, quod interpretatur, in humilitate Domino seruientes. Ex eorum ordine fuit ille Nathanael, qui in Euangelio Ioannis diuina proditione commonitus, Saluatorem meruit conficeri, quíq; etiam ad primum diuinitatis indicium fidelis enituit, protestante Domino ac dicente: Eccè verè Israelita, in quo dolus non est. Isti quoquè vasa corporis & sanguinis Domini diaconibus ad altare offerunt. De quibus quidem placuit patribus, vt quia sacra mysteria contrectant, casti & continentes ab vxoribus sint, & ab omni carnali immunditia liberi, iuxta quod illis, Propheta docente, iubetur: Mundamini qui fertis vasa Domini. Hi ergò cùm ordinantur, non suscipiunt manùs impositionem sicut sacerdotes & Leuitę, sed patenam tantùm & calicem de manu Episcopi, & ab archidiocono scyphum aquæ cum aquamanili & manutergium.

ὑποδιάκονοι

Ioan. 1.

Esa. 52.

De Acolytis. Cap. 9.

Ἀκόλουθοι Græcè, Latinè ceroferarii dicuntur, à deportandis cereis, quandò legendum est Euangelium, aut sacrificium offerendum: tunc enim accenduntur luminaria ab eis & deportantur, non ad fugandas tenebras dũ sol eodem tempore rutilet, sed ad signum lætitię demonstrandum, vt sub typo luminis corporalis illa lux ostendatur, de qua in Euangelio legitur: Erat lux vera quæ illuminat omnẽ hominem venientem in hunc mundum, quorum typum præferebant illi, qui Domini mãdato in tabernaculo lucernas quotidiè accendebant super candelabrum positas.

Ioan. 1.

De

De Exorcistis. Cap. 10.

Ἐξορκίσται, ex Græco in Latinum adiurantes seu increpantes vocantur. Inuocant. n. super catechumenos, vel super eos qui habent spiritum immundum, nomen Domini Iesu, adiurantes per eũ vt egrediatur ab eis. Refert Iosephus, regem Salomonem excogitasse, suãque gentem docuisse modos exorcismi, id est, adiurationis, quibus immundi spiritus expulsi ab homine, vlteriùs reuerti non sunt ausi. Testatur & de eis liber Actus Apostolorum, ità dicens: Tentauerunt autem quidam & de circumeuntibus Iudæis exorcistis inuocare nomẽ Domini IESV, & cęt. Inuenimus eos quos Esdras actores memorat templi, eos nunc esse exorcistas in Ecclesia Dei. fuerunt enim sub Esdra actores templi, seruorum Salomonis filij, qui actum templi totius sub cura sua haberent, non tamen sacerdotalibus officijs ministrarent, aut sacris oblationibus deseruirent. Nullam ergò aliam curam habebant actores templi, nisi ad sarta tecta reficienda, vt quæcũque fuissent veterata in ædificio templi aut delapsaper, eosdem actores de thesauris Dominicis reficerentur atque excolerentur. Ergò exactores templi, exorcistæ sunt in populo Dei. Quomodò enim actor prudens & bonus scit, quis sit Domini sui census, & omnis substantiæ modus, & redigit apud se totius possessionis instrumẽta originalia, sic exorcista redigit in sua diligentia totius regni Domini secreta, vt memorię mandet de scripturarum sacramentis, vnde exerceat scilicet donum, quod illi est à Spiritu sancto concessum secundùm Apostoli præconiũ. Exorcistas enim memorat Apostolus cùm dicit: Nunquid omnes donationes habent sanationum? Hi enim cùm ordinantur, accipiunt de manu Episcopi libellum, in quo scripti sunt exorcismi, dicente eis Episcopo: Accipite & commendate memoriæ, & habete potestatem imponendi manus super energumenos siue catechumenos, vt imperetis immundis spiritibus, & abijciatis.

Act. 19.

1. cor. 12.

Esa. 58.

De Lectoribus. Cap. 11

LEctores à legendo, Psalmistę à psalmis canendis vocati. Illi prędicant populis quid sequantur: isti canunt, vt excitent ad compũctiones animos audientium. Licèt & quidam lectores ità miseranter pronuncient, vt quosdam ad luctum lamentationemq; compellant. Ijdem etiam & pronũciatores vocantur, quòd porrò adnunciant. tanta enim & tam clara eorum erit vox, vt quantumuis longè positorum aures adimpleant. Lectorum ordo formam & initium à prophetis sumpsit. Sunt ergò lectores, qui verbum DEI prædicant, quibus dicitur: Clama, nè cesses: quasi tuba exalta vocẽ tuam. Isti quippe dum ordinantur, primùm de eorum conuersatione Episcopus verbum facit ad populum, deindè coram plebe tradit eis codicẽ apicum diuinorum ad Dei verbum adnunciandum. Iste ergò doctrina & libris debet esse imbutus, sensuumque ac verborum scientia perornatus, vt distinctè & apertè sonans, audientium corda possit instruere. Psalmistarum, id est, cantatorum principes siue auctores, fuere Dauid siue Asaph. Isti enim post Moysen psalmos primi composuere & cantauere. Mortuo Asaph, filij eius in hunc ordinẽ subrogati sunt à Dauid, erantq; psalmistæ per successionem generis, sicut & ordo sacerdotalis, ipsíque soli continuis diebus in templo canebant, candidis induti stolis, ad vocem vnius respondente choro. Ex hoc veteri more Ecclesia sumpsit exemplum nutriendi psalmistas, quorum cantibus ad affectum Dei, mentes audientium excitentur. Psalmistam autem & voce & arte præclarum, illustremque esse oportet, ità vt ad delectamentum dulcedinis animos inciteat auditoru. Solent autem ad hoc officium etiam absque scientia Episcopi, sola iussione presbyteri eligi quique, quos in cantandi arte probabiles esse constiterit.

De Ostiarijs. Cap. 12.

OStiarii sunt, qui & ædituí & ianitores in lege dicebantur. Hi apud Hebræos in veteri testamento electi sunt ad custodiam templi, quíque ordinati per vices suas, omnia interiora templi vel exteriora custodiebant, vt nõ ingrederetur in illud immundus in omni re. Dicti autem ostiarii, quòd pręsint ostijs templi. ipsi enim tenentes clauem, omnia intùs ex vtraque parte custodiunt, atque inter bonos & malos habentes iudicium, fideles recipiunt, respuunt infideles.

Quos oporteat ad sacrum ordinem accedere, & quo ordine. Cap. 13.

CAnones & decreta Zosimi Papæ decernũt vt clericus, qui ad sacrum ordinem accedit, inter lectores siue exorcistas quinque annos exoluat, exindè acolytus vel subdiaconus quatuor annis fiat. Ad benedictionem quoq; diaconatùs non minoris ætatis quàm xxv. annorum accedat, in quo ordine quinque annis expletis, si inculpabiliter ministrauerit, ad presbyteratùs honorem promoueri poterit, non tamen ante triginta annos ętatis, licèt valdè dignus sit: quia & Dominus noster non ante tricesimũ annũ prędicare exorsus est. De quo gradu si eũ auctior ad bonos mores vita perduxerit, summũ pontificatũ accipere poterit: hac tamẽ lege seruata, vt neq; bigamus pœnitens, nec neophytus ad hos gradus possit admitti.

De Vestibus sacerdotalibus. Cap. 14.

DE veste ergò sacerdotali moderna, ad antiquum veteris testamenti habitum, cõpara

Universidad de Deusto
Biblioteca

tionē facientes, ſecundùm Maiorum ſenſum, quid myſticè ſignificet, proſequamur.

De Superhumerali. Cap. 15.

PRimum ergò eorum indumentū eſt Ephod Bad, quod interpretatur ſuperhumerale lineum, quod ſignificat munditiam bonorum operum. Hinc benè in lege, cùm Dominus de veſte ſacerdotali Moyſen inſtituit, primùm de Superhumerali faciendo præcepit: quia quiſquis ad ſacerdotium magiſteriumque populi Dei promouendus eſt, primùm eius debent opera cognoſci, vt dum hoc, quod foris omnibus patet, inreprehenſibile patuerit, conuenienter ex tempore & integritas cordis eius, & fidei ſyncericas ſcrutetur.

De Podere, id eſt, tunica linea. Cap. 16.

SEcundum eſt linea tunica, quę Græcè ποδήρης, Latinè talaris dicitur, eò quòd ad talos vſque deſcendat. Hanc Ioſephus byſſinam vocat, cuius ſignificatio myſtica in promptu eſt. Cùm enim conſtet, lino vel byſſo continentiam & caſtitatem ſignificari, ſtrictam habent lineam ſacerdotes, cùm propoſitum continentiæ non eneruiter, ſed ſtudioſè cōſeruāt. Hæc ad talos vſque deſcendit, quia vſque ad finem vitę huius bonis operibus inſiſtere debet ſacerdos, præcipiēte ac promittente Dño, Eſto fidelis vſq; ad mortē, & dabo tibi coronā vitæ. Apoc. 2.

De Cingulo. Cap. 17.

TErtium veſtimentū eſt cingulum ſiue balteum, quo vtuntur, nè tunica ipſa defluat, & greſſum impediat, hoc nimirùm cuſtodiam mentis ſignificat. Qui enim tunica talari indutus abſque cingulo incedit, defluit tunica, ac relicto corpore, ventis & frigoribus intrandi ſpatium tribuit: quin & præpeditis greſſibus, incedendi vſum retardat, vel etiam calcantibus ſe, cauſa efficitur ruinæ. Ergò lineas induunt ſacerdotes, vt caſtitatem habeant: accinguntur balteis, nè ipſa caſtitas ſit remiſſa & negligens, nè vento elationis animum perflandi aditum impendat, nè creſcente iniquitate refrigeſcere faciat charitatem ipſorum, nè bonorum greſſus operum iactantia ſuæ præſumptionis impediat, nè præpedito virtutum curſu ipſa etiam terreſtris concupiſcentiæ ſordibus polluta vileſcat, & ad vltimum, auctorem ſuum ad ruinam ſuperbiendo impellat.

De Phanone. Cap. 18.

QVartum verò, mappula ſiue mantile, ſacerdotis indumentum eſt, quod vulgò phanonem vocant, quod ob hoc eorum tunc manibus tenetur, quandò Miſſæ officium agitur, vt paratos ad miniſterium menſæ Domini populus conſpiciat. Mappæ ergò, conuiuij & epularum appoſitarum linteamina ſunt, vndè diminutiuum mappula, ſicut & mantilia, nunc pro operiendis menſis ſunt: quæ, vt nomen ipſorum indicat, olim tergendis manibus præbebantur. Oportet ergò ſacerdotes & miniſtros altaris mappulas manibus tenere, quorū officium eſt, diuina ſacramenta conficere, vt cum deuotione mentis opus ſpontaneum concordet: dignè exerceatur officium, quod piè diuino eſt munere collatum.

De Orario, id eſt, ſtola. Cap. 19.

QVintum quoquè eſt, quod orarium dicitur, licèt hoc quidam ſtolam vocent. Hoc enim genere veſtis ſolummodò eis perſonis vtì eſt conceſſum, quibus prędicandi officium eſt delegatum. Bene etiam oratoribus Chriſti, orarium habere conuenit, quia cùm indumentum eorum officio proprio concinat, & ipſi ſedulò ad verbi miniſterium cohortentur, & plebs ipſis commiſſa, indicium ſalutare conſpiciens, ad meditationem legis concurrere feruentiùs admonetur. Aptè ergò orarium collum ſimul & pectus tegit ſacerdotis, vt indè inſtruatur, quòd quicquid ore proferat, tractatu ſummæ rationis attendat, vt illud Apoſtoli ſemper in eo impleatur quo dicit: Orabo ſpiritu, orabo & mente: pſallam ſpiritu, pſallam & mente. & iterùm: Os noſtrum ad vos ò Corinthij, cor noſtrum dilatatum eſt: Nè fortè ſi improuiſè & irrationabiliter loquatur, damnum patiatur, Salomone atteſtante, qui ait: Cor ſapientis erudiet os eius, & labijs illius addet gratiam. item, Qui cuſtodit os ſuum, cuſtodit animam ſuam: qui inconſideratus eſt ad loquendum, ſentiet mala. 1. cor. 14. 2. cor. 6. Pro. 16. Pro. 21.

De Dalmatica. Cap. 20.

SExtum namque eſt, quòd dalmatica à Dalmatia Græciæ prouincia, in qua primū texta eſt, nuncupatur. Hæc veſtis in modum eſt crucis facta, & paſſionis Domini indicium eſt. Habet quoquè & purpureos tramites ipſa tunica, à ſummo vſque ad ima, antè ac retrò deſcendens, necnon & per vtranque manicam: vt admoneatur miniſter Domini per habitus ſui ſpeciem, cuius muneris particeps eſt, vt cùm per myſticam oblationem paſſionis Dominicæ commemorationem agit, ipſe in eo fiat hoſtia Deo acceptabilis.

De Caſula. Cap. 21.

SEptimum ſacerdotale indumentū eſt, quod caſulam vocant. dicta eſt autem per diminutionem à caſa, eò quòd totum hominem tegat, quaſi minor caſa. hanc Græci planetam nominant. Hęc ſupremum omnium indumentorum eſt, & cætera omnia interiùs per ſuū minimè tegit

tegit & ſeruat. Hanc ergò veſtem poſſumus intelligere charitatem, quę cunctis virtutibus ſupereminet, & earum decorem ſuo tutamine protegit & illuſtrat. Nec enim vllus iam erit virtutum ſplendor, ſi non eas charitatis irradiauerit fulgor, quod oſtendit Apoſtolus, dicēs: Si linguis hominum loquar & Angelorum, charitatem autem non habeam, factus ſum ſicut æs ſonans, aut cymbalum tinniēs: Et ſi habuero ꝓphetiam, & nouerim myſteria omnia, & omnē ſcientiam: & ſi habuero omnē fidem, ità vt montes trāsferam, charitatem autē non habuero nihil mihi prodeſt. Charitas patiens eſt, benigna eſt: Charitas non æmulatur, non agit perperam, non inflatur, non eſt ambitioſa, non quærit quę ſua ſunt, non irritatur, non cogitat malum, non gaudet ſuper iniquitate, congaudet autem veritati. Omnia ſuffert, omnia credit, omnia ſperat, omnia ſuſtinet. Charitas numquàm excidit, & reliqua. Sine hac, nec ſacerdos ipſe ad altare appropinquare debet, nec munus offerre, nec preces fundere. Vndè veritas ipſa dicit: Si offers munus tuum ad altare, & ibì recordatus fueris, quia frater tuus habet aliquid aduerſum te, relinque ibi munus tuum ante altare, & vade prius reconciliari fratri tuo, & tunc veniens offeres munus tuum. Et item: Cùm ſtabitis ad orandum, dimittite ſi quid habetis aduerſùm aliquem, & reliqua. De hoc itaque ſpiritali virtutum indumento, Apoſtolus ad Coloſſenſes ità ſcripſit: Induite, inquit, vos ſicut electi Dei, ſancti & dilecti, viſcera miſericordiæ, benignitatem, humilitatem, modeſtiā, patientiam, & cætera: Et de charitatis eminentia paulò pòſt ſubiunxit, dicens: Super omnia autem hæc charitatem habentes, quod eſt vinculum perfectionis. 1. Cor. 13. Matt. 6. Mar. 11. coloſſ. 3.

De Sandaliis. Cap. 22.

INduunt quoquè ſacerdotes pedes ſandaliis ſiue ſoleis, quod genus calceamenti euangelica auctoritate eis eſt conceſſum vt Marci euangelium teſtatur: quia hoc calceamentum myſticam ſignificationem habet, vt pes neque tectus ſit, neque nudus ad terram, id eſt, vt nec occultetur Euāgelium, nec terrenis commodis innitatur. Nam ſcriptum eſt in Apoſtolo: Et calceati pedes in præparatione Euangelij pacis. Sicut ergò ſandalia partem pedis tegunt, partem inopertam relinquunt: ità & Euangelij doctores partim Euangelium operire, partimque aperire debent: ità videlicet, vt fidelis & deuotus ſufficientem habeat doctrinam, & infidelis & contēptor non inueniat blaſphemandi materiam. Admonet etiam & nos hoc genus calceamenti, vt carni noſtræ & corpori in neceſſitatibus cōſulamus, non in libidinis laſciuiā defluamus, de quibus vtriſq; nos diuina lex inſtruit. Scriptum eſt enim, Carnem tuam nè deſpexeris. & item: Carnis curam nè feceritis in concupiſcentiis. Mar. 6. Ephe. 6. Eſa. 58. Rom. 13.

De Pallio. Cap. 23.

SVper hæc autem omnia ſummo pontifici (qui Archiepiſcopus vocatur) propter Apoſtolicam vicem pallij honor decernitur, quod genus indumenti crucis ſignaculum purpureo colore exprimit, vt ipſo indutus pontifex, à tergo & pectore crucem habeat, ſuaque mente piè & dignè de paſſione redemptoris cogitet, ac populo, pro quo Dominum deprecatur, redemptionis ſuæ ſignaculum demonſtret. Condecet quoque benè, vt ipſa Apoſtolica dignitas Apoſtolicum virum faciat, vt plena deuotione, ſano ſermone, & digna operatione poſſit dicere cum Apoſtolo: Mihi autem abſit gloriari niſì in cruce Domini noſtri Ieſu Chriſti, per quem mihi mundus crucifixus eſt, & ego mundo. Hęc quæque de habitu ſacerdotali ad ſenſum ſecundùm modulum ingenioli noſtri breuiter diximus, non præiudicantes his, qui congruentiùs & digniùs de eadem re poſſint ſcribere, & pleniùs diſputare. Gal. 6.

De Sacramentis Eccleſiæ. Cap. 24.

DE ſacramētis autem quę in Eccleſia fiunt, oportet vt ſequens ſermo exponat, atque declaret ritum ſacerdotalem. Sunt autem ſacramenta, Baptiſmum & Chriſma, Corpus & ſanguis, quæ ob id ſacramenta dicuntur, quia ſub tegumento corporalium rerum, virtus diuina ſecretiùs ſalutem eorundem ſacramentorum operatur: vndè & à ſecretis virtutibus vel ſacris, ſacramenta dicuntur. Quæ ideò fructuosè penès Eccleſiam fiunt, quia ſanctus in ea manens ſpiritus, eundem ſacramentorum latēter operatur effectū. Vndè ſeu per bonos, ſeu per malos miniſtros intra Eccleſiam Dei diſpenſentur, nec bonorum meritis diſpenſatorum amplificantur hæc dona, nec malorum attenuantur: quia neque qui plantat, eſt aliquid, neque qui rigat, ſed qui incrementum dat Deus, vndè & Græcè μυστήριον dicitur, quod ſecretam & reconditam habeat repoſitionem. 1. cor. 3.

De Baptiſmatis ſacramento. Cap. 25.

PRimum autem ſacramentorum eſt Baptiſmum, quia antequàm ſancto chriſmate vngatur aliquis, aut corporis & ſanguinis CHRISTI particeps exiſtat, ſacra regeneratione purgari debet, ac deindè ad cętera ritè accedere. βάπτισμα Græcè, Latinè tinctio interpretatur, quæ nō tantùm ob hoc, qđ homo in aquā mergitur, tinctio dicitur: ſed quia ſpiritu gratię ibì in melius immutatur, & longè aliud quàm erat, efficitur. Primùm homines fœdi eramus deformitate peccatorum: in ipſa tiuctione pulchri dealbatione virtutum efficimur. Vnde & in Canticis ſcribitur Canticorum: Quę eſt iſta quæ aſcendit quaſi dealbata? Cuius myſterium cant. 8. iuxta lxx.

non

Universidad de Deusto
Biblioteca

non aliter nisi sub Trinitatis designatione, id A
est, Patris & Filij & Spiritus sancti cognitione,
Matt. vlt. completur. dicente Domino ad Apostolos: Ite,
docete omnes gentes, baptizantes eos in nomi-
ne Patris & Filij & Spiritus sancti. Sicut enim
in tribus testibus stat omne verbum, ità sacra-
mentum cõfirmat ternarius numerus nominũ
diuinorum. Quòd autem per aquam baptis-
mum datur, hæc ratio est: Voluit enim Domi-
nus, vt res illa inuisibilis per congruentiam, sed
profectò incontrectabile & inuisibile impende-
retur elementum, super quod etiam in princi-
pio ferebatur Spiritus sanctus. Nã sicut oleum
naturali pondere superfertur omni liquori, ità B
in principio superferebatur Spiritus sanctus
aquis. Sicut aqua expurgat exteriùs corpus, ità
latenter eius mysterio per Spiritum sanctum
purificatur & animus; cuius sanctificatio ità
est: Inuocato enim Deo, descendit Spiritus
sanctus de cælis, & medicatis aquis, sanctificat
eas de semetipso, & accipiunt vim purgatio-
nis, vt in eis caro & anima delictis inquinata
mundetur. Vtrumque enim baptizando neces-
se est adhiberi, & baptismi lauacrum, & Spiri-
Ioan. 3. tus sancti purgatio, quia ait Saluator: Nisi quis C
renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non
potest introire in regnum Dei. Sed ante ba-
ptismum, catechizandi debet in hominem per-
uenire officium, vt fidei primum catechume-
Matt. 28. nus accipiat rudimentum. Nam in Euangelio
secundùm Matthæum legitur, quòd post resur-
rectionem Dominus Apostolis præceperit, vt
in nomine Patris & Filij & Spiritus sancti doce
rent, & baptizarent omnes gentes, id est, priùs
fidem Dei illis insinuarent, & sic credentes in
remissionem peccatorum baptizarent. Hinc est
Mar. 16. quòd secundùm Marcũ idem Dominus legitur D
præposuisse fidẽ baptismati, cùm ità dixit: Qui
crediderit & baptizatus fuerit, saluus erit: qui
Ioann. 9. verò non crediderit, condemnabitur. & Ioan-
ne teste, priùs ipse Iesus cæci nati oculos luto
ex sputo facto superliniuit, & sic ad aquas Si-
loæ misit: quia priùs debet baptizandus fide
incarnationis Christi instrui, & sic ad baptis-
mum iam credulus admitti, vt sciat cuius gra-
tiæ in eo est particeps, & cui iam debitor fiat
deincèps.

De Catechumenis. Cap. 26.

E
Isid. lib. 2. c. 20. & 21. CAtechumenus autem dicitur, pro eo quòd
adhuc doctrinam fidei audit, necdùm ta-
men baptismum recepit. Nam κατηχουμένου,
Græcè, latinè auditor interpretatur, & quia pri
mum exhortationis præceptũ in lege est, Audi
Deut. 6. Israel, Dominus Deus tuus Deus vnus est, in-
dè est, vt is cui per sacerdotem quasi per Moy-
sen Deus loquitur, catechumenus, id est, au-
diens nominetur: scilicet vt verum agnoscens
Dominum, relinquat errores varios idolorum.
Puto autem omnes à Ioanne in pœnitentiam
baptizatos, catechumenorum prætulisse figu-
ram. Post catechumenos autem, secundus gra-
dus est Competentium. Competentes autem
sunt, qui iam post doctrinam fidei, post conti-
nentiam vitę, ad gratiã Christi percipiendam
festinant: ideoque appellantur competentes,
id est, gratiam Christi petentes. Nam cate-
chumeni tantùm audiunt, necdùm petunt. Sunt
enim quasi hospites & vicini fidelium, deforis
audiunt mysteria, audiunt gratiam, sed adhuc
non appellantur fideles. Competentes autem
iam petunt, iam accipiunt, iam catechizantur,
id est, imbuuntur instructione fidei & sacramẽ-
torum. Istis enim traditur salutare symbolum:
quasi commonitorium fidei, & sanctæ cõfessio-
nis indicium, quo instructi agnoscant, quales
iam ad gratiam Christi exhibere se debeãt. No
tandum autẽ quòd in Ecclesia Saluatoris, par-
uulorum, qui per ætatem adhuc abrenunciare
diabolo, nec credere in Deum possunt, per cor-
da & ora gestantium salus adimpleatur: quia
& in Euangelio legitur, quòd Iesus fidem illo-
rum intuens, qui paralyticum ad sanandum si-
bi adferebant, dixerit ipsi: Homo, remittun-
tur tibi peccata tua: & quòd filium viduæ à
C mortuis suscitauit, misericordia motus super
ea. Manifestum enim, quòd paruuli sicut ex Matt. 9.
aliis ea, quę illis remittuntur in baptismo, pec- Luc. 7.
cata traxerunt: sic & per alios ad salutem cre-
dunt. Necnon si quidam muti & surdi, qui nec
audire, neque profiteri fidem possunt, ab ali-
quibus Christianis ad baptizandum offeruntur,
per credulitatem offerentium saluari credun-
tur: quia non obstitit omnipotentis Dei gratię,
naturę infirmitas humanæ.

De Catechizandi ordine. Cap. 27.

CAtechizandi enim ordo hic est: Primùm
interrogatur paganus, si abrenunciat dia-
bolo & omnibus damnosis eius operibus, atque
fallacibus pompis: vt primùm respuat errorem
& sic appropinquet ad veritatem, possitque
iuxta Apostolum deponere veterem homi- 2. Tim. 2.
nem secundum pristinam conuersationem, qui
corrumpitur secundùm desideria erroris, abne-
gans impietatem & secularia desideria.

Deindè Apostolicæ fidei ostenditur ei sym-
bolum, & exquiritur ab eo, si credat in Deum
E patrem omnipotentem, & in Iesum Christum
filium eius vnicum Dominum nostrum, & in
Spiritum sanctum vnum Deum in Trinitate &
vnitate: si confiteatur vnam esse sanctam Ec-
clesiam catholicam, & si credat remissionem
peccatorum, & carnis resurrectionem. Hæc
ergò omnia si se verè profitetur credere, iam
incipit per fidẽ induere nouum hominẽ, qui se-
cundũ Deũ creatus est, in iustitia & sanctitate
veritatis: quo tamen plenè induitur, quando
per baptismi lauacrum regeneratur. At post-
quàm se per confessionem verę fidei in alterius
commendauerit dominium, & per abrenuncia-
tionẽ à prioris possessoris se alienauerit serui-
tio,

tio, exuffiatur ab eo sæua potestas, vt per pium A
sacerdotis ministerium Spiritui sancto cedat
fugiens spiritus malignus: signaturque in se ho-
mo signaculo sanctæ crucis tã in fronte quàm
in corde, vt ipse apostata diabolus, in vase suo
pristino suæ interẽptionis cognoscens signum,
iam sibi deincèps sciat illud esse alienum. Exin-
dè iam dicuntur super eum orationes, vt fiat ca-
techumenus. Tunc datur ei sal benedictũ in os,
vt per sal typicum, sapientiæ sale conditus, fœ-
tore careat iniquitatis, & nec à vermibus pec-
catorũ vltra putrefiat: sed magìs illęsus seruetur ad maiorem gratiam percipiendã. Dehinc B
iterùm exorcizatur diabolus, vt suam nequitiã
agnoscens, & iustum super se iudicium Dei ti-
mens, recedat ab homine, nec iam contendat
eum arte sua subuertere, nè baptismum conse-
quatur: sed magìs honorẽ Deo creatori suo ex-
hibens, reddat opus factori suo. Postea tanguntur ei nares & aures cum saliua, & dicitur ei il-
lud verbum euangelicum, quòd Iesus quandò
surdum & mutum sanauit, tangens cum sputo
linguam eius, & mittens digitos suos in auricu- Marc. 7.
las eius, dixit: Epheta, quod est, adaperire.
Hoc enim sacramentum hìc agitur, vt per sali- C
uam typicam sacerdotis & tactum, sapientia &
virtus diuina salutẽ eiusdem catechumeni ope-
retur, vt aperiantur ei nares ad accipiendum
odorem notitię Dei, vt aperiantur illi & au-
res ad audiendum mandata Dei, sensuq́; intimo cordis reponendum. Deindè benedictione
sacerdotali munitur, vt ad sacrum baptismum
cum fide accepta custodiatur. Vngetur illius
tunc pectus de oleo sanctificato cũ inuocatione
sanctę Trinitatis, vt nullæ reliquię latentis
inimici in eo resideant, sed in fide sanctę Tri-
nitatis mens eius confortetur: Vngetur & in-
ter scapulas de eodem oleo, vt vndiquè muniatur, & ad bona opera facienda per Dei gloriam
roboretur.

De tinctione Baptismi, & vnctione Chrismatis. Cap. 28.

POst hæc igitur consecratur fons, & ad ip-
sum baptismum catechumenus accedit, &
sic in nomine sanctę Trinitatis trina submersio-
ne baptizatur. Et rectè homo, qui ad imagi-
nem sanctæ Trinitatis conditus est, per inuo-
cationem sanctæ Trinitatis ad eandem renoua- E
tur imaginem, & qui tertio gradu peccati, id
est, consensu cecidit in mortem, tertiò eleuatus
de fonte, per gratiam resurget ad vitam. Potest
& hæc trina mersio triduanam Domini sepul-
turam significare, maximè cùm dicit Apostolus: Quicunque baptizati sumus in Christo Ie-
su, in morte ipsius baptizati sumus: consepulti
enim sumus cum illo per baptismum in morte,
vt quomodò surrexit Christus à mortuis per
gloriam patris, ità & nos in nouitate vitę am-
bulemus. Si enim complantati facti sumus simi-
litudini mortis eius, simul & resurrectionis eri-
mus, & reliqua. Oportet ergò cum inuocatio-
ne sanctæ Trinitatis sub trina mersione baptis-
mum confici, vt secundùm personarũ differen-
tiam mysterium Baptismi celebretur, & secun-
dùm vnitatem substantiæ vnum baptisma fiat, Eph. 4.
vndè dicit Apostolus: Vnus Dominus, vna fi-
des, vnum baptisma, & reliqua. Postquàm
enim ascenderit baptizatus de fonte, statim
signatur in cerebro à presbytero cũ sacro chris-
mate, sequente simul & oratione, vt regni Chri-
sti particeps fiat, & à CHRISTO Christianus
possit vocari. Scriptum est in Euangelio ità: Matth. 3.
Baptizatus autem Iesus, confestim ascendit de
aqua, & eccè aperti sunt cæli, & vidit spiritum
Dei descendentem sicut columbam, & venien-
tem supra se. Benè quidem baptismo continua-
tur chrismatis vnctio: quia Spiritus sanctus,
qui per illud Chrisma suæ virtutis admixtione
sanctificat credentes, baptizato Iesu, statim
super illum in columbæ specie descendit: cuius
videlicet typum præferebat columba illa, quæ
in diluuio ad arcam reportauit ramum oliuę vi-
rentibus foliis, significãs vtiquè quòd Spiritus
sanctus per chrismatis vnctionem in baptismate virorem confert fidelibus cælestis gratię. Sed
de hoc pleniùs in sequentibus dicemus. Legi-
mus & in Gestis patrum, quòd Syluester Papa
in Ecclesia Romana constituerit, vt sicut po-
testas & priuilegium apud solum Episcopum
constat, quòd sacrum chrisma ipse conficiat,
& baptizatum per manus impositionem cũ ip-
so chrismate cõsignet propter hæreticam sua-
sionem: ità presbyter eodem chrismate liniat
baptizatum leuatum ex aqua propter occasio-
nem transitus mortis, quia scriptum est in
Apostolo: Vos autem fratres in carne nõ estis, Rom. 8.
sed in spiritu, si tamen spiritus Dei habitat in
vobis. Si quis autem spiritum Christi non ha-
bet, hic non est eius, &c. Ac deindè profectò pa-
tet, quia quicunque non est Christi, regni sui
particeps fieri nequit. Ideoq; necessarium est,
vt statim succurratur baptizato cũ chrismatis
vnctione, vt Spiritus sancti participationem ac
cipiens, alienus à Christo non existat.

De inlumento baptizati & Eucharistia. Cap. 29.

POst baptismum autem traditur Christiano
vestis candida designans innocentiam &
puritatem Christianam, quam post ablutas ve-
teres maculas, studio sanctæ conuersationis
immaculatam seruare debet, ad præsentãdum
ante tribunal Christi: Cuncti verò renati albis
induuntur vestibus, ad mysterium resurgentis
Ecclesiæ, sicut ipse Dominus coram discipulis
transfiguratus est, vt diceretur, Resplenduit
facies eius sicut sol, vestimenta eius facta sunt
candida sicut nix: quo facto splendorem, vt di
ctum est, resurgentis in futurum figurauit Ec-
clesię. Vtuntur ergò albis vestibus, vt quorum
primæ natiuitatis infantia vetusti erroris pan-
nus

Universidad de Deusto
Biblioteca

nus fuscauerat, habitus secundæ generationis gloriæ præferat indumentum. Tegitur enim post sacram vnctionem caput eius mystico velamine, vt intelligat se diadematis regni & sacerdotalis dignitatis portitorem, iuxta Apostolum: Vos estis, inquit, genus regale & sacerdotale, offerentes vosmetipsos Deo hostiam viuam, sanctam, Deo placentem, & reliqua. 1. Pet. 2.
Nam sacerdotes in veteri testamento quodam mystico velamine caput semper ornabãt. Deinde corpore & sanguine Dominico omne præcedens sacramentum in eo confirmatur, quia hęc ideo accipere debet, vt Deum habere mereatur in se habitatorem, & illius sit capitis membrum, qui passus est & resurrexit pro nobis. Dicit enim ipsa veritas: Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem: ipse in me manet, & ego in eo. Et item: Nisi manducaueritis, inquit, carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis. Ioan. 6. Ibid.

De impositione manus Episcopalis, & chrismatis sacramento. Cap. 30.

NOuissimè autem à summo sacerdote per impositionem manus, paracl*i*tus traditur illi Spiritus sanctus, vt roboretur per Spiritum sanctum ad prædicandum aliis idem donum, quod ipse in baptismate consecutus est, per gratiam vitæ donatus æternæ. Signatur enim baptizatus cum chrismate per sacerdotem in capitis summitate: per pontificem verò in fronte, vt priori vnctione significetur Spiritus sancti super ipsum descẽsio ad habitationem DEO consecrandam: in secunda quoquè vt eiusdem Spiritus sancti septiformis gratia cum omni plenitudine sanctitatis & scientiæ & virtutis, venire in hominem declaretur. Tunc enim ipse Spiritus sanctus post mundata & benedicta corpora atque animas, libens à patre descendit, vt vas suũ sua visitatione sanctificaret, & illustraret: & nunc in hominem ad hoc venit, vt signaculum fidei quod in fronte susceperit, faciat eum donis cælestibus repletum, & sua gratia confortatum, intrepidè & audacter coram regibus & potestatibus huius seculi portare, ac nomen Christi libera voce prædicare. Nec mirum, si homo bis eodẽ chrismate ad accipiendum Spiritum sanctum vngatur, cùm idem spiritus bis sit ipsis Apostolis datus, id est, in terra semel, quandò post resurrectionem suam Dominus insufflauit in eos, & dixit: Accipite Spiritum sanctum: quorum remiseritis peccata, remittuntur eis: & quorum retinueritis, retẽta sunt. & de cælis semel, quandò post Ascensionem Domini in die Pentecostes in linguis igneis super Apostolos venit, & omnium gentiũ linguis eis loqui concessit. Ergò Spiritus sanctus digitus Dei in Euangelio nominatur, & digito Dei scripta est lex. Ideò autem digitus Dei dicitur, vt eis operatoria virtus simul cũ Patre & Filio significetur. Sicut autem per baptismum in Christo morimur & renascimur, ità Spiritu sancto signamur, qui est digitus Dei, & spiritale signaculum. Benè quippe conuenit, vt per sacrum chrisma & per pinguedinem oliuę gratia Spiritus sancti tribuatur: quia in psalmo scriptum est de ipso Saluatore, quòd vnxerit eum Deus parer oleo lætitiæ præ consortibus suis. & item de nobis, quòd exhilaret facié nostram in oleo. χρίσμα Græcè, Latinè vnctio nominatur, ex cuius nomine & Christus dicitur, & ex ipso homo post lauacrum sanctificatur. Nam sicut in baptismate peccatorum remissio datur ad veniã, ità per vnctionem * sanctificatio spiritus adhibetur ad gloriam. Et hoc de pristina vnctione tractum est exemplum, qua vngi in sacerdotium & regnum solebant antiqui, vndè & Aaron & filij eius post lauacrum à Moyse vncti sunt, vt sacerdotes Domini fierent. Et Dauid, & Salomon & cæteri reges per prophetas & sacerdotes perfusi sunt cornu olei, vt regni gubernacula tenerent. Quod dum carnaliter fit, spiritaliter proficit, quomodò & ipsa baptismi gratia visibilis actus est, quòd in aqua mergimur: sed spiritalis effectus, quòd à delictis mudamur. Videamus ergò & ipsam olei naturam si quid in ea huic significationi conueniens possit intelligi. Oleum namque ardens illuminat, & medicans sanat, & aquis infusum perspicuas eas reddit, quod benè gratiam Spiritus sancti potest demonstrare. ipse enim flamma charitatis & splendore sapientiæ, animas illuminat. Ipse medicamine clementiæ suæ per veniam peccatorum vulnera sanat. ipse admixtione virtutis suę, aquas baptismi ad effugandas peccatorum tenebras veraciter illustrat. Testatur etiam hoc sacra scriptura. ait enim Paulus: Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis. Et Ioannes: Qui diligit, inquit, fratrem suum, in lumine manet. Et item: Vos inquit, vnctionem habetis à Spiritu sancto, & nostis omnia. Eccè Apostolorum sententiæ manifestant, per vnctionem Spiritus sancti lumen charitatis & scientiæ nos habere. Namque Saluator in Euangelio Spiritum sanctum medicinã esse peccatorum ostendit, cùm per ipsum potestatem Apostolis dedit peccata remittere, dicens: Accipite spiritum sanctum: quorum remiseritis peccata remittuntur eis. & rel. Quòd autẽ gratia Spiritus sancti aquas baptismi fœcundãs illustret insinuat Ioannes baptista, cùm ipsum Dominum in Spiritu sancto baptizare testatus est, dicens: Sed qui misit me baptizare in aqua, ille mihi dixit: Super quem vìderis spiritum descendentem, & manentem super eum, hic est qui baptizat in Spiritu sancto. Numquàm enim aqua baptismatis filios lucis generare posset, nisi ipsa priùs dono eiusdem Spiritus sancti illuminata esset, vt in ipsa mirabiliter partum spiritalis lucis efficeret idẽ spiritus, qui in primordio simul cum Patre & Filio illam purgationi aptam creauit. Abluit ergo

Pſal. 44. al. sanctificato. Rom. 5. 1. Ioa. 2. Ioa. 20. Ioan. 1.

ergo nos Dominus à peccatis in baptismate, & vnxit nos & consignauit nos spiritu promissionis sancto, & dedit pignus spiritus in cordibus nostris, qui est vtiquè pignus hęreditatis nostræ in redemptionem acquisitionis in laudem gloriæ ipsius, vt adoptionẽ filiorum reciperemus. Quoniam autem estis, ait Apostolus, filij Dei, misit spiritum filij sui in corda nostra clamantem, abba pater. Nam confirmatio totius sanctitatis & virtutis & iustitiæ in ipso cõstat: ipse est remissio omniu peccatorum, ipse filios Dei à filiis diaboli secernit. quicumque enim spiritu Dei aguntur, hi filij sunt Dei. Ipse iustificat sanctos & illuminat, ipse est Deus, ipse Dei donum, eo quòd datur à Deo. Vnicuique datur manifestatio spiritus ad vtilitatem per ipsum: Alij datur sermo sapientiæ, alij sermo scientiæ secundùm eundem spiritum, alteri fides in eodem spiritu, alij gratia sanitatum in vno spiritu, alij operatio virtutum, alij prophetia, alij discretio spirituum, alij genera linguarum, alij interpretatio sermonum. Hæc autem omnia operatur vnus atque idem spiritus, diuidens singulis prout vult. Sicut enim corpus vnum est, & membra habet multa: omnia autem membra corporis, cùm sint multa, vnum corpus sunt, ità & Christus. Etenim in vno spiritu omnes nos in vnum corpus baptizati sumus, siue Iudæi, siue gentiles, siue serui, siue liberi, & omnes nos vno spiritu potati sumus. Spiritum enim sanctum aquæ nomine appellatum in Euangelio legimus, ipso Domino clamante & dicente: Si quis sitit, veniat ad me, & bibat. qui credit in me, flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ. Hoc Euangelista exposuit vndè diceret, secutus enim ait, Hoc enim dicebat de spiritu, quem accepturi erant credentes in eum. Sed aliud est aqua sacramenti, aliud aqua quæ significat Spiritum sanctum. Aquà enim sacramenti, visibilis est: aqua spiritus, inuisibilis est. Illa abluit corpus, & significat quod fit in anima: per istam autem, id est, per Spiritum sanctum, ipsa anima mundatur. Sicut etiam aqua corporalis corpus lauat & potat, ità spiritalis spiritum abluit & pascit. Ideò autem Spiritus sanctus septiformis nuncupatur, propter dona, quæ diuinitatis eius plenitudine particulatim quique, vt digni sunt, consequi promerentur. Ipse enim spiritus sapientię & intellectus, spiritus consilij & fortitudinis, spiritus scientiæ & pietatis, atque spiritus timoris Domini appellatur. Gal. 4. Rom. 8. Ioann. 7.

De Sacramento Corporis & Sanguinis Domini. Cap. 31.

SEd quia de duobus sacramentis, id est, baptismo & chrismate, iam, quantum nobis Dominus dedit, suprà disseruimus; supereſt, vt de reliquis duobus, id est, Corpore & Sanguine Domini, etiam nunc, quantùm Dominus annuerit, diligentiùs * inuestigemus. Ac prius nobis quærendum est, cur Dominus corporis & sanguinis sui mysteria in his rebus sanciri voluisset, quæ comedi & consumi possunt? & nõ potiùs in his quæ maiore honore seruata diutiùs integra haberi potuissent: deindè, cùm in cibo & potu idem sacramentum fieri voluisset, cur ex terrenis fructibus, quibus communi vsu terrestres vterentur, & non magis ex alia aliqua re illud traderet, quæ similiter percipientes reficeret? Sed tamen aliquatenus res inusitata pro maiori miraculo etiam ab imperitis veneraretur, sicut manna cibus cælestis panis in deserto populum Israeliticum, & omnibus admirandus de cælo pluit. Deindè illud etiam quæri potest, cur inter omnes fructus terræ potissimùm ad hoc elegerit frumentum atque vinum, quasi ipsa cunctos fructus terrę dignitate præcellant, & preciosiores omnibus fiant: quæ videlicet omnia ità solui posse credimus. Maluit enim Dominus corporis & sanguinis sui sacramenta fidelium ore percipi, & in pastum eorum redigi, vt per visibile opus, inuisibilis ostenderetur effectus. Sicut enim cibus materialis forinsecùs nutrit corpus & vegetat, ità etiam verbum Dei intùs animam nutrit & roborat: quia non in solo pane viuit homo, sed in omni verbo quod procedit de ore DEI: &, Verbum caro factum est, & habitauit in nobis. Ait ergò veritas: Caro enim mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus. Verè scilicet caro CHRISTI est cibus, quia verè pascit, & ad æternam vitam hominem nutrit: & sanguis eius verè est potus, quia esurientem & sitientẽ animam iustitiam, in ęternum veraciter satiat. Temporalem quippe vitam sine isto cibo & potu habere possunt homines, æternam omninò non possunt, quia iste cibus & potus æternam * societatem capitis membrorumque suorum significat. Qui manducat, inquit, carnem meam, & bibit sanguinem meum, ipse in me manet, & ego in eo. quapropter necesse habemus sumere corpus & sanguinẽ eius, vt in ipso maneamus, & eius corporis membra simus: quia nemo ascendit in cælum, nisi qui descendit de cælo, filius hominis qui est in cælo. Quòd autem ex terræ fructibus voluit hęc sacramenta confici, hæc ratio est: Quia *ergo* ipse filius Dei homo in terra inter homines factus est, & ex terrenis parentibus, scilicet ex stirpe Adam progenitus, veritas de terra orta est, vt ex terrigenis cælicolas faceret, de terrenis fructibus cibum cælestem homo cælestis fecit, vt sicut ipse Deus inuisibilis in carne visibili ad saluandos mortales mortalis apparuit, ità etiàm ex materia visibili rem inuisibilem congruè ipsis demonstraret, vt in eadem re simul ediscerent, & quid Deus propter nos factus est, & quid nos per ipsum futuri sumus. Ait enim Apostolus Ioannes: Charissimi, nunc filij Dei sumus, & nondùm apparuit quid erimus: scimus quoniam cùm apparuerit, similes ei erimus. Cur autem panem & vinum in hanc dignitatem Matt. 4. Ioan 1. Ioan. 6. Ioan 3. Pſal. 84. 1. Ioan. 3. * pandamus * satietatẽ Ioan. 6.

Universidad de Deusto
Biblioteca

dignitatem potissimùm elegerit, exponit scriptura, quæ testatur Spiritum sanctum prænunciasse secundum ordinem Melchisedech Christum sacerdotem esse futurum. Melchisedech ergò Genesis narrat, panem & vinum obtulisse. Oportebat enim, vt qui secundum ordinem Melchisedech sacerdos factus fuerat, oblationem eiusdem pontificis ipse pontifex factus imitaretur, vt scriptura de eo prænuncians, veridica esse probaretur: quia Iesus non venit soluere legem, sed adimplere, sicut ipsa veritas testatur: Quoniam necesse est, inquit, impleri omnia, quæ scripta sunt in lege & prophetis & psalmis de me. Propterea quippe Dominus noster corpus & sanguinem suum in eis rebus commendauit, quæ ad vnum aliquid redigúntur ex multis siue granis siue acinis, vt sanctorum charitatis vnitatem significaret, & intelligi daret corporis membrorumq; suorum vnitatem, quod est sancta Ecclesia in prædestinatis & vocatis & iustificatis atque glorificatis, sanctis & fidelibus eius: quorum primum iam factum est, id est, in prædestinatione, secundum & tertium & factum est, & fit, & fiet, id est, vocatio & iustificatio: quartum autem in re futurum est, id est, glorificatio. Huius rei sacramentum, id est, vnitatis corporis & sanguinis Christi, de mensa Dominica assumitur quibusdam ad vitam, quibusdam ad exitium: res verò ipsa, omni homini ad vitam, nulli ad exitium, quicumque eius particeps fuerit, id est, Christo capiti membrum adsociatus fuerit in regno cœlesti, quia aliud est sacramẽtum, aliud virtus sacramenti. Sacramentum enim ore percipitur, virtute sacramenti interior homo satiatur: Sacramentum inalimentum corporis redigitur, virtute autem sacramenti, æterna vita adipiscitur. In sacramento fideles quique communicantes, pactum societatis & pacis ineunt: In virtute autem sacramẽti omnia membra capiti suo coniuncta & coadunata, in æterna claritate gaudebunt. Sicut ergò in nos id conuertitur, cùm id manducamus & bibimus, sic & nos in corpus Christi cõuertimur, dum obedienter & piè viuimus. Sed tamen ipsius sacramenti (sicut suprà diximus) tanta est dignitas & tanta potentia, vt quicunque illud indignè perceperit, magis sibi damnationem quàm salutẽ acquirat, quod ostendit Apostolus, dicens: Quicumque enim manducauerit panem hunc, vel biberit calicem Domini indignè, reus erit corporis & sanguinis Domini. Probet autem seipsum homo, & sic de pane illo edat, & de calice bibat. Qui enim manducat & bibit indignè, iudicium sibi manducat & bibit, non dijudicans corpus Domini. Tunc enim verè & salubriter corpus & sanguinem CHRISTI percipimus, si non tantùm volumus, vt in sacramento carnem & sanguinem Christi edamus, sed vsque ad spiritùs participationem manducemus & bibamus, vt in Domini corpore tamquàm membra maneamus, vt eius spiritu vegetemur. Sumũt ergò fideles benè & veraciter corpus Christi, si corpus Christi nõ negligant esse. fiunt corpus Christi, si volũt viuere de spiritu Christi. De spiritu Christi nõ viuit nisi corpus Christi. Indè est quòd exponẽs nobis Apostolus hunc panẽ vnum, vnũ corpus Christi significare intelligi voluit: Calix, inquit, benedictionis, cui benedicimus, nonne cõmunicatio sanguinis Christi est? Et panis quẽ frangimus, nonne participatio corporis Domini est? Quoniam vnus panis & vnum corpus multi sumus, omnesque de vno pane & de vno calice participamus. Nec enim in sacramentis aliud offerri licet, nisi quod Dominus ipse constituit, & suo exemplo facere nos docuit. Quoniam Dominus Iesus, in qua nocte tradebatur, accepit panem, & gratias agens, fregit & dixit: Hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur: hoc facite in meam commemorationem. Similiter & calicem, postquam cœnauit, dicens; Hic calix noui testamenti est in meo sanguine: hoc facite quotiescunque; bibetis, in meam commemorationem. Ergò panem infermentatum, & vinum aqua mixtum, in sacramentum corporis & sanguinis Christi sanctificari oportet: quia ipsas res de se Dominum testificare Euangelium narrat. Ait enim ipse Dominus: Ego sum panis viuus qui de cælo descendi: si quis manducauerit ex hoc pane, viuet in æternum: Et panis quem ego dabo, caro mea est, pro mundi vita. Et item: Ego sum, inquit, vitis vera. Panis enim Dei descendit de cælo, & dat vitam mundo, quem pater signauit Deus, & misit in mundum. Hic est panis vitæ: hunc qui manducat, non esuriet in æternũ. Iste panis cor hominis confirmat: iste quidem de terra naturę nostræ productus est. Istudque vinum lætificat cor hominis, quod ex vite vera processit. Nec enim aliud ex vite quàm vinum nasci potest. Ergo quia panis corpus confirmat, ideò ille corpus Christi congruenter nuncupatur. Vinum autem, quia sanguinem operatur in carne, ideò ad sanguinem Christi refertur: Hęc autem dum sunt visibilia, sanctificata tamen per Spiritum sanctum, in sacramentum diuini corporis transeunt. Quod autem panem sacrificij sine fermento esse oporteat, testatur liber Leuiticus, vbi commemoratur, Dominũ per Moysen filiis Israel ità præcepisse: Omnis, inquit, oblatio quæ offertur Domino, absque fermento fiat, nec quicquam fermenti ac mellis adolebitur in sacrificio Domini. Credimus ergò & panem illum, quem primum Dominus in cœna mystica in mysterium corporis sui cõsecrauit, infermentatum esse, maximè cùm in tempore paschę nullum fermẽtum cuiquam vesci, sed nec in domo habere vlli minimè liceat, Domino illud in lege præcipiente ac dicente, sicut Exodus testatur: Primo mense (inquit) quartadecima die mensis ad vesperam, comedetis azyma vsq; ad diem vicesimam eiusdem mensis ad vesperam. Septem diebus non inue-

Gen. 14. Matth. 5. Luc. 24. 1. Cor. 10. Ioan. 6. Ioan. 15. Ioan. 6. Leuit. 8. Exod. 12. 1. cor. 11.

nietur

nietur fermentatum in domibus vestris, qui comederit fermentatum, peribit anima sua de cœtu filiorum Israel tam de aduenis, quàm de indigenis terrę. Et paulò pòst: Azyma (inquit) comedetis septem diebus: non apparebit apud te aliquid fermentatum, nec in cunctis finibus tuis, & reliqua. Quod ergò neq; in domo, neq; in finibus cunctis eorum populo Dei habere licebat, superfluum est arbitrari id Dominum foris exquisisse. Quid autem fermentum illud significet, quod in Pascha comedi vetitum erat, ostendit Apostolus, & paschę & azymorum rationem manifestissima narratione exponens: Etenim (inquit) Pascha nostrum immolatus est Christus: itaque epulemur, non in fermento malitię & nequitię, sed in azymis synceritatis & veritatis. Quicumque ergò ad mensam Domini, vbi agni immaculati & incontaminati caro mactatur, & vbi venerãda mysteria passionis & resurrectionis eius à fidelibus celebrãtur, plenus dolo atq; malitia accedit, & aut odij aut inuidiæ, aut auaritię, aut luxuriæ facibus accẽsus corpus Domini percipere nõ metuit, verendũ est, nè vbi vitam accipere debuit, iudicium damnationis inueniat: & magis incitetur ad pœnam, quàm retrahatur ad veniam. Scriptum est enim de Iuda proditore, qui malignus ad mensam Domini accessit, & sacri conuiuij particeps esse non timuit, quòd post bucellam statìm introisset in eum satanas, Dominusque ei dixerit: Quod facis, fac citiùs, qui mox id, quod priùs latendo machinabatur, continuò exiens, insaniæ suæ manifestũ effudit virus, ità vt cùm turba multa gladiis & fustibus, facibus & armis instructa, ad eum tamquam ad latronem capiendum veniret, qui mori vltrò venerat. Qui ergò infidiis mente conditis, qui præcordiis aliquo scelere pollutis mysteriorũ Christi oblationibus sacrosanctis participare nõ metuit: ille in exemplum Iudæ, filium hominis tradit, non quidẽ Iudæis peccatoribus, sed tamen peccatoribus, membris videlicet suis, quibus illud inęstimabile & inuiolabile Dominici corporis ac sanguinis sacramentum temerare præsumit. Ille Dominũ vendit, qui eius timore atq; amore neglecto, terrena pro illo & caduca, immò etiam criminosa diligere & curare cõuincitur. Sed in sacramento vinum aqua mixtum offerri debet, quia in Euangelio legitur, quòd cùm aperuisset vnus militum lancea latus IESV, continuò exierit sanguis & aqua. Ille enim sanguis in remissionem fusus est peccatorum, aqua illa salutare temperat poculum, hæc & lauacrum præstat & potum. Neuter ergò horum sine altero in sacrificio debet offerri, nec vinũ sine aqua, nec aqua sine vino: quia & nos in Christo, & in nobis CHRISTVM manere oportet, quod ostendit sanctus Cyprianus, ità dicens: Calix, inquit, Dominicus vino mixtus offertur, quia videmus in aqua populum intelligi, in vino verò ostendi sanguinem CHRISTI. Quandò autem in calice aqua vino miscetur, CHRISTO populus adunatur, & credentium plebs ei, in quem credit, copulatur & iungitur. Quæ copulatio & coniunctio aquæ & vini, sic miscetur in calice Domini, vt commixtio illa ab inuicem non possit separari, sicut nec Ecclesia à Christo potest diuidi & separari, & reliqua. Attestante enim Ioanne, aquæ populi sunt: & neque aquam solam neq; vinum solum, sicut nec granum frumenti solum sine aquę admixtione & confectione in panem cuiquã licet offerre, ne videlicet talis oblatio caput à membris secernendum esse significet, & vel CHRISTVM sine nostrę redemptionis amore potuisse pati, vel nos sine illius passione saluari, ac patri offerri posse confingat. Neque enim illi audiendi sunt, qui aquam sine vino in calice Dominico offerunt, contra quos etiam partem capituli de libro prędicti martyris Cypriani, in quo de sacramento calicis disputat, ponamus. Soluitur quippe ibi quæstio in qua quæritur, vtrum calix Dominicus aquam solam, an eam in vino mixtam debeat habere. Post principium ergò Epistolæ idem martyr iam soluere incipiens præpositam quæstionem, ità loquitur: Admonitos autem nos scias, inquit, vt in calice offerendo Dominica traditio seruetur. neque enim aliud fiat à nobis, quàm quod pro nobis Dominus prior fecit, Vt calix qui in commemorationem eius offertur, mixtus vino offeratur. Nam cùm dicat CHRISTVS, Ego sum vitis vera, Sanguis Christi non aqua est vtiquè, sed vinum: Nec potest videri sanguis eius, quo redempti & iustificati sumus, esse in calice, quandò vinum desit calici, quo Christi sanguis ostenditur, qui scripturarum omnium sacramento ac testimonio prædicetur. Inuenimus enim in Genesi circa sacramentum Noe hoc idem præcucurrisse, & figuram Dominicæ passionis illic extitisse, quòd vinum bibit, quòd inebriatus est, quòd in domo sua nudatus est, quòd fuit recumbens nudis & patẽtibus femoribus, quòd nuditas illa patris à medio filio nudata est, à maiore verò & minore contecta, & cætera quæ non est necesse nunc exequi, cùm satìs sit hoc solum complecti, quòd Noe typum futuræ veritatis ostendens, non aquam, sed vinum biberit, & sic imaginem Dominicæ passionis expresserit. Item in sacerdote Melchisedech, hoc Dominici sacramenti præfiguratum videmus mysterium, secundum quod scriptura diuina testatur, & dicit: Et Melchisedech rex Salẽ protulit panem & vinum: fuit autem sacerdos Dei summi, & benedixit Abraham. Quòd autem Melchisedech typum Christi portaret, declarat in psalmis Spiritus sanctus, ex persona patris ad filium dicens, Ante luciferum genui te, Tu es sacerdos in æternum secundùm ordinẽ Melchisedech. Dicunt aliqui, nisi aliquo intercedente peccato, Eucharistiam quotidie accipiendam. Hunc enim panẽ quotidiè dari nobis (iubente Domino) postulamus, dicentes: Panẽ

1. cor. 11. Ioan. 19. Apoc. 17. Gen. 9. Gen. 14. Psal. 109. Matth. 6.

Universidad de Deusto
Biblioteca

nostrum quotidianum da nobis hodiè, Quod quidem benè dicunt, si hoc cum religione & deuotione & humilitate suscipiunt, nè fidendo de iustitia, superba præsumptione id faciant. Cæterùm si talia sunt crimina, quę quasi mortuum ab altari remoueant, priùs agenda pœnitentia est, ac sic indè salutiferum medicamentum suscipiendum. Qui enim manducauerit indignè, iudicium sibi mãducat & bibit. Hoc enim indignè accipere est, si eotempore quis accipiat, quo debet agere pœnitentiam. Cęterùm si tanta sint peccata, vt excommunicandus quisque iudicetur, non se debet à medicina Dominici corporis separare, nè, dum quis prohibetur, à Christi corpore separetur. Manifestum est enim eos viuere, qui corpus eius attingunt: vndè timendum est, nè, dum diù quis separatur à Christi corpore, alienus remaneat à salute, ipso dicente: Nisi comederitis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis. Qui enim iam peccare quicuit, communicare non desinat.

1. Cor. 11.

Ioan. 6.

De officio Missæ. Cap. 32.

DE sacramentis (vt reor) satis superiùs diximus: nunc de officio Missæ, quo ipsa sacramenta corporis & sanguinis Christi conficiuntur, quia ordo postulat, breuiter dicamus. Officiorum autem plurima licèt sint genera, tamen illud præcipuè, quod in sacris diuinisque rebus habetur, officij nomine censebitur esse nuncupandum: quia quanto ipsa res maioris dignitatis est, tanto paratiorem & promptiorem ipsius ministerij quærit effectum. Officium autem dicitur ab efficiendo, quasi efficium, propter decorem sermonis, vna mutata litera. Sacrificium dictum, quasi sacrum factum, quia prece mystica cõsecratur in memoriam Dominicæ passionis, vndè hæc, eo iubente, in corpus Christi & sanguinem Domini, quod dum sit ex fructibus terræ, sanctificatur, & fit sacramentum, operante inuisibiliter spiritu Dei, cuius panis & calicis sacramentum, Græci εὐχαριστιαν dicunt, quod Latinè bona gratia interpretatur. Et quid melius corpore & sanguine Christi? Sacramentum est in aliqua celebratione cum re gesta: ità fit, vt aliquid significare intelligatur, quod sanctè accipiendum est.

Missa est tempore sacrificij, quãdò catechumeni foras mittuntur, clamante Leuita: Si quis catechumenus remansit, exeat foràs: & indè Missa, quia sacramẽtis altaris interesse nõ possunt, qui nondùm regenerati noscuntur. Missa autem, est legatio inter Deum & homines, cuius legationis officio fungitur sacerdos, cũ populi vota per preces & supplicationes ad Deũ offert. Et benè hoc tempore sacrificij fit, quandò illius passionis memoria celebratur, Christi videlicet, mediatoris Dei & hominum: qui semetipsum obtulit patri pro nobis. Hunc autem morem sacrificij primùm Dominus noster Iesus Christus & magister instituit, quandò commendauit Apostolis suis corpus & sanguinem suum, priusquàm traderetur, sicut legitur in Euangelio: Accepit, inquit, panẽ IESVS, & benedicens fregit & dedit eis, & ait: Sumite, Hoc est corpus meum. Et accepto calice, gratias agens, dedit eis: & biberunt omnes ex illo. & reliqua. Cum benedictione enim & gratiarum actione primùm Dominus corporis & sanguinis sui sacramenta dedicauit, & Apostolis tradidit, quod exindè Apostoli imitati fecere, & successores suos facere docuerũt, quod & nunc per totum orbem terrarum generaliter tota custodit Ecclesia. Sed enim in initio mos iste cãtandi non erat, qui nunc in Ecclesia ante sacrificium celebratur, sed tamen Epistolæ Pauli recitabantur, & sanctum Euangelium. Cælestinus autem XLV. Episcopus post Petrum Romanæ Ecclesiæ, traditur primus statuisse, vt psalmi CL. ante sacrificium psallerentur Antiphonarùm ex omnibus. Fertur etiam & longè antè Telesphorus Papa constituisse, id est, IX. post Petrum, vt ante sacrificium hymnus Gloria in excelsis Deo, diceretur: quod tamen modò non semper agitur, sed in diebus tantùm Dominicis, & in sanctorum festiuitatibus, quod Symmachus Papa LIII. post Petrum ità fieri mandauit. Verùm quia de sacrificij celebratione sermonem facere incipiebamus, secundùm quam conuenientiam omnis ordo ille institutus sit, persequamur.

Matth. 26.

Mar. 14.

De ordine Missæ. Cap. 33.

PRimùm autem in celebratione Missæ ad introitum sacerdotis ad altare Antiphona cãtatur à clero, vt audiatur sonitus, quandò ingreditur sanctuarium in conspectu Domini, sicut in veteri testamento per tintinnabulorum sonitum ingressus innotuit Pontificis. Bene ergò in ingressu sacerdotis, concrepantibus choris, auditur modulatio Diuinæ laudis, vt Dominicę celebrationis mysteria ministrorum piè præcedat consonantia, & corporis & sanguinis Christi venerabile sacramentum antecedat dignæ laudis sacrificium. Namq; chorus est multitudo in sacris collecta: & dictus chorus, quòd in initio in modum coronæ circùm aras starẽt, & ità psallerent. Vnde & Ecclesiasticus liber scribit stantem sacerdotem ante aram, & in circuitu eius coronam fratrum. Alij chorum dixerunt a concordia, quę in caritate consistat, siue de concinentia soni. Cùm autem vnus canit, Græcè μονωδία, Latinè sicinium dicitur: & cùm duo canunt, bicinium dicitur: cùm autem multi, chorus vocatur. ἀντιφωνὴ Græcè, vox reciproca, ex duobus scilicet Choris alternatim psallẽtibus dicitur. Post introitum autẽ sacerdotis ad altare, litanię aguntur à clero, vt generalis oratio præueniat specialẽ sacerdotis: subsequitur autẽ oratio sacerdotis, & pacifica primùm salutatione populũ salutans, pacis responsum ab illo accipiet, vt vera concordia & charitatis pura deuotio

deuotio facilius postulata impetret ab eo, qui corda adspicit & interna diiudicat. Tunc lector legit lectionem canonicam, vt animus auditorum per hanc instructus, ad cætera intentior adsurgat. Post hanc ergò cantor dicit responsorium: vt ad compunctionem prouocet, & lenes animos audientium faciat. Responsorius ergò cãtus indè dicitur, quod alio desinente, id alter respondeat. Inter responsoria quoq; & Antiphonas hoc differt, quòd in responsoriis vnus dicat versum, in Antiphonis autem alternent versibus chori. Antiphonas Græci, responsoria verò Itali traduntur primùm inuenisse. Responsorium enim istud quidam gradale vocãt, eo quòd iuxta gradus pulpiti cantatur. Post responsorium cantatur Alleluia, scilicet vt ad cælestia mentẽ populi subleuet, & ad diuinam contemplationem erigat. Alleluia enim duorum verborum interpretatio est, hoc est, laus Dei, & est Hebræum. Ia enim, de decẽ nominibus, quibus apud Hebræos Deus vocatur, vnum est. Similiter & Amen Hebręum est, quod ad omnem sacerdotis orationẽ seu benedictionem respondet populus fidelium. Interpretari quoquè potest Amen in Latinum, verè, siue fideliter, seu fiat, Hieronymo teste in Psalterio, vbi ait, Fiat fiat, in Hebraico legitur, Amen amen. Hæc duo tamen verba, id est, Amen & Alleluia, nec Græcis, nec Latinis, nec Barbaris licet in suam linguam omninò trãsferre, vel alia lingua annunciare. Nã quãuis interpretari possunt, propter sanctiorem tamen auctoritatem, seruata est ab Apostolis in his proprię linguę antiquitas. Tãtùm enim sacra sunt nomina, vt etiam Ioannes in Apocalypsi referat, spiritu reuelãte se vidisse & audisse vocẽ cælestis exercitus, tamquàm vocẽ aquarum multarum, & tonitruum validorum dicentium, Amen & Alleluia: ac per hoc sic oportet in terris vtraque dici sicut in cælo resonant. Deindè à diacono cum summa auctoritate in auribus populi recitatur Euangelium, vt ipsius ibidẽ audiatur doctrina, ad quem feruet intentio tota, ipsiusque virtus intelligatur per Euangeliũ, cuius tunc corporis sacrosanctũ celebratur mysteriũ. Per hoc oblationes offeruntur à populo, & offertorium cantatur à clero, quod ex ipsa causa vocabulũ sumpsit, quasi offerentium canticum: immittiturq; super altare corporalis pallium, quod significat linteũ, quo corpus Saluatoris inuoluebatur. Quod ex lino puro textum esse debet, & nõ ex serico vel purpura, neq; ex pãno tincto, sicut à Sylueſtro Papa institutum inuenimus, quia in Euangelio legitur, Sindone mũda inuolutũ esse à Ioseph corpus Saluatoris, & sudarium capitis eius post resurrectionẽ Domini nõ cum linteaminibus positum, sed seorsùm inuolutum inueniri. Ponuntur quoque tunc vasa sancta (quod calix est & patena) super altare, quæ quodammodò Dominici sepulcri typum habent: quia sicut tunc corpus Christi aromatibus vnctum in sepulcro nouo per piorum officiũ condebatur, ità modò in Ecclesia mysticum corpus illius cũ vnguentis sacræ orationis conditum, in sacris vasis ad percipiendum fidelibus per sacerdotum officiũ administratur. Posteà cantatur Missa à sacerdote, qui postquàm loquitur ad populũ de eleuatione cordis ad Deũ, exhortaturq; eos ad gratias agendas Domino, laudibus os implet, rogatq; vt ipse omnipotens Deus pater, cui deseruiunt cælestes potestates, sua gratia illorũ vocibus iubeat humanas associare confessiones: quam deprecationẽ mox subsequitur laus, ex angelicis & humanis cãtibus confecta: Sanctus, sanctus, sanctus Dominus Deus sabaoth, pleni sunt cæli & terra gloria tua, &c. Dehinc iã consecratio corporis & sanguinis Domini fit, & deprecatio valida ad Deũ, inter quæ & Dominica oratio decantatur. Postquàm enim ad cõmunicandũ, & ad percipiendum corpus peruentum fuerit, pacis osculum sibi inuicèm tradunt, cantantes: Agnus Dei qui tollis peccata mundi, miserere nobis: vt pacifici sacramentum percipiẽtes, in filiorum Dei numero (remissis delictis omnibus) mereantur copulari. Post cõmunionem ergò, & post eiusdem nominis canticum, data benedictione à sacerdote ad plebem, diaconus prædicat Missæ officium esse peractum, dans licentiã abeundi. Istum ergò ordinem ab Apostolis, & ab Apostolicis viris traditum Romana tenet Ecclesia, & per totũ penè occidentẽ, omnes Ecclesię eandẽ traditionẽ seruãt. Sed qa de ordinib⁹ sacris, & de quatuor sacramẽtis necnõ & de officio Missę sermonem explicauimus, huic libro terminũ hìc ponendũ esse censemus, in sequẽtibus, de cæteris officiis atq; obseruationibus (si Dñus annuerit) plura relaturi.

Apoc. 19.

Additio quæ sequitur, in duobus quibus nos vsi sumus exemplaribus, non erat. Quod te monere Lector volui, vt impressum hactenùs secutos, nos, hoc loco eam reliquisse non ignorares.

Additio de Missa.

ANastasius natione Romanus, ex patre Maximo, (vt legitur in gestis Episcopalibus) hic constituit, vt quotiescunquè sancta recitarentur Euangelia, sacerdotes & reliquũ vulgus non sederent, sed starent. Deindè orationem pro suis propriis delictis & plebis remissione, vt dignus sit accedere ad altare, & ad tactũ oblatarum, nè fiat illi quod factum est Bethsamitis, qui temerè arcam Domini tangebant. Susceptis oblationibus, reuertitur sacerdos ad altare, & lauat manus suas, & extergit ab actu communium manuum atque terreno pane, sacerdos facit de oblata duas cruces iuxta calicem, vt doceat Christum depositum esse de cruce, pro duobus populis & crucifixum. Eleuatio sacerdotis & diaconi corporis & sanguinis Christi, eleuationem eius ad crucẽ insinuat pro totius mũdi salute. Pãnus extẽsus super altare, corpus Domini monstrat extensum in cruce, & super

Universidad de Deusto
Biblioteca

eo corpus & sanguis Domini consecratum, A quòd nos manducamus, aqua & vinum in Calice monstrant sacramenta, quæ de latere Domini in cruce fluxerunt, quibus nos potati sumus. Immissio panis in vinum, variè apud quosdam habetur & agitur. Itali quoq; primò mittunt de sancto pane in calicem, & posteà dicũt, Pax Domini. aliqui verò seruant immissionem vsquedùm pax celebrata sit, & fractio panis. Romani verò cùm dicunt, Pax Domini sit semper vobiscum, mittunt corpus Domini in calicem oblatæ particulæ. Ipsum corpus nobis ante oculos ostendit, quod pro nobis est cru- B cifixum. ideò verò tangit quatuor latera calicis: quia per illud humanum genus per quatuor climata mundi ad vnitatem vnius corporis coniungit, & ad pacem Ecclesiæ catholicæ & Apostolicæ producit. talibus namque verbis mittit in calicem corpus Domini: Fiat commixtio corporis & sanguinis Domini accipientibus nobis ad salutem mentis & corporis in vitam æternam. tunc populus facit pacem, vt ostendatur quòd nos membra eius sumus, qui pro nobis crucifixus est & resurrexit. facta pace, sacerdos rumpat oblatam ex latere dextro, vna particula relicta super altari, & reliquas oblationes ponat in patenam, tenente eam diacono. Per particulam oblatæ immissæ in calicem, ostendit Christi corpus, quod iam resurrexit à mortuis. Per comestam à sacerdote & populo, quod post resurrectionem adhuc cum discipulis ambulans in terra & seipsum viuum præbens. Per relictam in altari, insinuat eum iacere in sepulcro, & à discipulis in passione derelictum. Quæritur, in quo loco inchoatur officium Missę, & si fortè ad totum officium non occurrerit, vbi præsentare debeat in initio Missæ? Nobis videtur, Missam vocari ab eo loco, vbi incipit sacerdos sacrificium Deo offerre vsque ad vltimam benedictionem, qua, clamante Leuita, dicit: Ite, Missa est.

Primi libri finis.

HRABANI MAVRI DE INSTITVTIONE CLERICORVM LIBER SECVNDVS.

De Officiis & orationibus Canonicarum horarum. Cap. 1.

OFficium ergò Missę, quod in superiori libro contexuimus, maxima ex parte ad solũ pertinet sacerdotem, cui sacrificandi data licentia est, & veneranda mysteria cõsecrare. Sed quia istud pro sua reuerentia & dignitate primo loco positum est, de cæteris officiis diurnalium siue nocturnalium horarum, quibus certis spatiorum terminis, preces & orationes generaliter sine differentia vniuersæ Domino offerre decet Ecclesiæ, consequenter exponamus. Oratio enim petitio dicitur: Nam orare est petere, sicut exorare impetrare. Constat autem oratio loco & tempore. Loco quoniam vbiquè & in publico siue in plateis more Pharisæorum orare à CHRISTO prohibemur: sed vbi opportunitas dederit, aut necessitas imp tauerit. Neque enim huic illud Apostoli contrarium est, quod dicit, ad Timotheum scribẽs: Volo, inquit, viros orare in omni loco, leuantes puras manus sine ira & disceptatione. & reliqua. Et neque illud Psalmistę, quod dicit: In omni loco Dominationis eius, benedic anima mea Dominum. Sed hęc ad interna respectant, quibus semper D E V M orare & benedicere oportet: Ille ergò in omni loco orat DEVM, qui per charitatis officia & bona opera vbiquè C manus cordis mundas eleuare ad Deum satagit. Tempore autem, quoniam canonicas horas ad orandum à patribus constitutas incessanter seruat Ecclesia, quas quasi pro debito exorandi officio statutas, nullo modo negligere fas est vt sunt Prima, Tertia, Sexta, Nona, Vespera, & cæterę quæ similiter obseruantur. Nec enim illud hanc constitutionem confundit, quod Psalmista dicit: Benedicam Dominum in omni tempore, semper laus eius in ore meo. & Apostolus, Sine intermissione, inquit, orate. & reliqua. Benedicere enim Deum in omni tempore, est, semper illum digna conuersatione laudare: & sine intermissione orare, est, omnia in gloriam Dei agere, sicut dicit idẽ Apostolus. Siue enim manducatis, siue bibitis, siue aliud quid facitis, omnia in gloriam D E I facite. Supradictę enim horæ ideò specialiter ad orandum discretæ sunt, vt si fortè aliquo opere fuerimus detenti, ipsum nos ad officium tempus admoneat. Quæ tempora in scripturis diuinis præstituta inueniuntur. Nam in veteri testamento præceptum est, quotidiè, manè & vespere Domino adolere incensum. Et Dauid dicit: Vespere, mane, & meridie narrabo, & annunciabo, & exaudiet vocem meam. Et item: Septies in die laudem dixi tibi. Sed & sanctus Daniel propheta tertia, & sexta, & nona hora diei ad deprecandum Dominum ascendit in solarium suum, expansis manibus ad cęlum, Deũ deprecabatur pro se & pro populo Israel.

1. Tim. 2. Psal. 102. Psal. 33. 1. Thes. 5. 1. Cor. 10. Leu. 24. Psal. 54. Psal. 118.

De

De Matutina celebratione. Cap. 2.

PRimùm ergo de matutinorum antiquitate Dauid propheta testatus est, dicens: DEVS Deus meus, ad te de luce vigilo. & item: In matutinis meditabor in te. & item: Preuenerunt oculi mei ad te diluculo, vt meditarer eloquia tua. Diluculo autem proindè oratur, vt resurrectio CHRISTI celebretur. In vigilia ergò matutina Dominus Israel ducens per mare rubrum, Pharaonem & Aegyptios in ipso dimersit: & matutina hora CHRISTVS à morte resurgens, populum suum saluans, diabolum & satellites eius æterna captiuitate damnauit. Matutina enim luce radiante, Dominus & saluator noster ab inferis resurrexit, quandò cœpit oriri fidelibus lux, quæ moriente CHRISTO occiderat peccatoribus, Si quidem & eodem tempore cũctis spes futurę resurrectionis creditur, cùm iusti & omnes ab hac temporali morte, quasi à sopore somni resurgentes euigilabunt.

Psal. 62. Psal. 118.

De Officio primæ horæ. Cap. 3.

PRimę autem horę celebratio proindè fit, quia in exortu diei quandò sol ab Oriente primùm apparet, oportet vt solem iustitiæ oriri nobis postulemus, vt in illius lumine ambulantes, peccatorum tenebras & laqueos mortis euadamus, iuxta illud, quòd ipsa veritas nos admonet, dicens: Ambulate dum lucẽ habetis, ne fortè tenebræ vos comprehendant. Et item Qui ambulat in die, non offendit.

Ioa. 12. Ioan. 10.

De Tertiæ horæ celebratione. Cap. 4.

TErtię horę officium ideò fit, quia tertia hora CHRISTI passio cœpit, cum per Iudęorum linguas iam tunc Dominus crucifixus est: & post resurrectionem eius in die Pentecostes, tertia hora Spiritus sanctus super Apostolos descendit. Suo Vtique loco & numero ad probationem venerabilis Trinitatis, spiritus paracletus descendit ad terras, impleturus gratiam quam Christus promisit.

De Officio sextæ horæ. Cap. 5.

SExta autem hora Christus in aram crucis ascendit, æterno patri seipsum offerens, vt nos à potestate inimici & à perpetua morte liberaret: atque ideò conuenit, vt ea nos hora orantes & deprecantes in laudibus eius inueniat, qua ipse nos per suam passionem ad vitam æternam restaurauit.

De Officio nonæ horæ. Cap. 6.

NOna vtiquè hora indè consecratur, quia in ea Dominus pro inimicis postulans, in manus Patris spiritum commendauit, quã videlicet fideles quosque oportet vt se Deo commendent cum deuota oratione, qua caput suũ cognoscunt propriam animam patri suo commendasse, vt in eius corpus coadunati, cum ipso regnum possint intrare perpetuum. Hocq; consideratione dignum est, quòd per cuncta hęc temporum spatia ternarius numerus satis venerabilis emicat, nos admonens, vt post triũ horarum curricula vnumquodquè horum officiorum peragentes, sanctam Trinitatem sacris laudibus celebremus. Horum quoquè officiorum statuta obseruasse ipsi Apostoli legũtur, sicut in Actibus Apostolorũ legitur, quòd Petrus qua die visionem communicationis in illo vasculo expertus est, sexta hora orãdi gratia ascenderit. Et item Petrus, inquit, & Ioannes ascendebant in templum ad horam orationis nonam.

Act. 10. Act. 3.

De Vespertina celebratione. Cap. 7.

VEspertinum officium in diurnę lucis occasu est, cuius ex veteri testamento solennis est celebratio. Deniquè hoc tempore veterum sacrificia offerri adolerique altario aromata & thura (sicut suprà diximus) mos erat, cuius rei testis est hymnidicus ille regio ac sacerdotali functus officio, dicens: Dirigatur oratio mea sicut incensum, in conspectu tuo eleuatio manuum mearum sacrificium vespertinum. in nouo quoquè testamẽto eo tempore Dominus & Saluator noster cœnantibus Apostolis mysterium sui corporis & sanguinis in initio tradidit, vt tempus ipsum sacrificij, vesperũ ostenderet seculi. Proindè in honorẽ ac memoriam tantorum sacramentorum in his temporibus adesse nos decet Dei conspectibus, & personare in eius cultibus, orationum nostrarum illi sacrificium offerentes, atque in eius laudibus pariter exultantes. Vesperum autem nominatur à fidere, quod vesper vocatur, & decidente sole exoritur, de quo propheta dicit: Et vesperum super filios hominum producere facit.

Psal. 140. Iob. 38.

De Completorio. Cap. 8.

DE completis autem celebrandis, etiam in patrum inuenimus exẽplis, Dauid prophe- Psal. 131.
ta dicẽte: Si ascẽdero in lectum strati mei, si dedero somnũ oculis meis, & palpebris meis dormitationẽ, aut requiem temporibus meis, donèc inueniam locum Domino, tabernaculum Deo Iacob. Quis non stupeat tantam in amore Dei deuotionem animi, vt summum sibi, sine quo vtiquè corpora humana deficiunt, penitùs interdixerit, donec locum ac templũ Domino fabricandum, in pectore suo rex & propheta reperiret: Quę res nos debet fortiter admonere, vt si ipsi locus Domini esse volumus, & tabernaculum eius, ac templum cupimus haberi, inquantùm possumus exempla sanctorũ imitemur, nè de nobis dicatur quod legitur:

Universidad de Deusto
Biblioteca

Psal.75. Dormierunt somnum suum, & nihil inuenerũt. & reliqua. Circa vndecimam autem horam, id est, in fine diei, quando huius officij tempus est, credimus Saluatoris corpus positum esse in sepulcro, ac perindè istius quoquè cursus solennis debet esse celebratio: atque magnopere postulare debemus, vt ipse qui hac hora quietem sepulcri intrauit, nobis æternam requiem in cælis concedere dignetur.

De Nocturna Vigiliarũ celebratione. Cap. 9.

DE vigiliarum quoquè nocturnalium celebratione antiqua est institutio. Vigiliarũ deuotio, familiare bonum est omnibus sanctis.
Esa.26 Esaias quoq; propheta exclamat ad Deum, dicens: De nocte vigilat spiritus meus ad te Domine: quia lux præcepta tua sunt super terram.
Psal.118. Itẽ Dauid & regio & prophetico sanctificatus vnguento, ità canit: Media nocte surgebam ad confitendum tibi super iudicia iustitiæ tuæ. Hoc
Exo.12. namque tempore vastator Angelus trantiens, primogenita Aegyptiorum percussit. Vndè & nos euigilare oportet, nè periculo Aegyptiorũ admisceamur. Eisdem etiam horis venturum se esse in Euangelio Saluator adstruxit, vndè &
Luc.12. ad vigilandum auditores suos excitans, dixit: Beati serui illi, quos, cùm venerit Dominus inuenerit vigilantes. Vigilate ergò, nescitis enim quando Dominus veniat: serò, an media nocte, an gallicantu, an manè; nè, cùm venerit, inueniat vos dormiẽtes. Et nè solis Apostolis illud præceptum esse crederetur, mox
Mar.13. subiunxit: Quod autem, inquit, vobis dico, omnibus dico, Vigilate. siquidem nec verbis solùm docuit vigilias, sed etiã confirmauit exẽplo. Namque testatur Euangelium, quia erat Iesus pernoctans in oratione Dei. Paulus quoq; &
Luc.6. Silas in custodia publica circa mediũ noctis orãtes, hymnũ (audientibus cunctis) vincti dixisse
Act.16. memorantur, vbi terræmotu repentè facto, & concussis carceris fundamentis, & ianuę sponte apertæ, & omnium vincula sunt soluta. Vndè oportet his horis psallendi orandique frequentiam nos in sanctis habere officiis, finemq; nostrũ, vel si aduenerit, sub tali actu expectare securos. Est autẽ quoddam genus hæreticorum, superfluas existimantium sacras vigilias, & spiritali opere infructuosas, dicentes: Iura temerari diuina, qui noctẽ fecit ad requiem, sicut diẽ ad laborem. Qui hæretici Græco sermone κοιτανεῖς, hoc est, somniculosi vocantur. Iste autem est catholicus ordo diuinarum celebrationum, qui ab vniuersa Ecclesia Christi incommutabiliter seruatur.

De cæteris legitimis Orationibus. Ca.10.

SVnt & alię orationes legitimæ, quę sine vlla admonitione debentur, vt est illa, quam dicimus ante inceptionem alicuius operis, Domini adiutorium postulantes. Nec enim decet Christianum, aliquod opus sua præsumptione incipere, antequam studeat Dominum in auxiliũ aduocare; quia ipse dixit: Sine me nihil potestis facere. Humiliter ergò aduocatus, dignatur nos adiuuare, sicut de ipso scriptum est: Inuocabit me, inquit, & ego exaudiam eum: cum ipso sum in tribulatione; eripiam eum, & glorificabo eum. & reliqua. Sed & cibum non priùs sumere licet, quàm interposita oratione. priora enim habenda sunt spiritus refrigeria quàm carnis, quia priora sunt cælestia quàm terrena. Similiter autem & post cibum orare cõuenit, vt Domino pro suis donis gratię referantur, vt illud in hoc compleatur Psalmistæ, quo dixit: Edent pauperes & saturabuntur, & laudabunt Dominum qui requirunt eum.

Ioan.15.
Psal.90.
Psal.21.

De peculiaribus Orationibus. Cap. 11.

PEculiares autem orationes purè & frequenter facere, & bonum & laudabile est: quia multorum patrum exempla id nos facere suadent, & ipse Dominus etiam suo magisterio hoc docere nos dignatus est, dicens: Tu autem
Matt.6. cùm oraueris, intra in cubiculũ, & clauso ostio, ora patrem tuum: & pater tuus, qui videt in abscondito, reddet tibi. Sed & hoc non in clamosa voce faciendum est, sed cum intentione cordis, & compunctione lachrymarũ, quia hoc modo nos exaudiri à Domino credimus, dicente Psalmista: Exaudiuit Dominus vocem fletus mei, & reliqua. Et item: Sacrificium Deo
Psalm.6. spiritus contribulatus: cor contritum & humiliatũ Deus non spernit. Nam assiduè & instanter orare ipsa veritas nos docuit, cùm dixit: Pe-
Psalm.50. Matt.7. tite, & dabitur vobis: quærite, & inuenietis: pulsate, & aperietur vobis: omnis enim qui petit, accipit: & qui quærit, inuenit: & pulsanti aperietur. Et vt exemplo aliquo eandemrem magìs suaderet, parabolã de homine protulit in mediũ, qui amicum suum in conclaui positum de
Lucæ 11. tribus panibus postulauit, & panis & lapidis piscis & serpentis, oui & scorpionis comparationem faciens, nouissimè ità narrationem conclusit: Si ergò vos, inquit, cùm sitis mali, nostis bona data dare filiis vestris, quanto magìs pater
Ibidem. vester de cælo, dabit spiritũ bonũ petẽtibus se?

De quadripartita specie Orationum. Cap. 12

ORationum ergò speciem Apostolus quadripartita ratione distinxit, dicens: Deprecor itaque primò omnium fieri obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones: quę non inaniter ab Apostolo ita fuisse diuisa minimè dubitandum est. Non enim credendum, est aliquid transitoriè ac sine ratione Spiritum sanctum per Apostolum protulisse: ac ideò primitùs indagandũ est, quid obsecratione, quid oratione, quid postulatione, quid gratiarũ actione signetur: deinde perquirendum,
1.Tim.2. vtrùm

vtrùm hæ quatuor species ab vnoquoq. orante sint pariter assumendæ: an alius quidem obsecrationes, alius orationes, alius verò postulationes, aliusque gratiarũ actiones Deo debeat exhibere. Sed mensuram scilicet ætatis suæ, in qua vnaquæque mens per intẽtionem proficit, & industriam vnumquemque oportet intendere. Obsecrationes itaque sunt, imploratione seu petitiones pro peccatis, quibus vel pro præsentibus, vel pro præteritis admissis suis vnusquisque compunctus veniam deprecatur: Orationes sunt, quibus aliquid offerimus seu vouemus Deo, verbi gratia: Oramus, cùm renunciantes huic mundo & actibus, atque conuersationi mundanæ, spondemus nos tota intentione cordis Domino seruituros. Oramus, cùm promittimus nos purissimam corporis castitatem, seu immobilem patientiam exhibituros esse perpetuò, vel cùm de corde nostro radices iræ siue tristitiæ, mortem operantes, vouemus nos funditus eruere. Tertio loco ponuntur postulationes, quas pro aliis quoque, dum sumus in feruore spiritus constituti, solemus emittere, vel pro charis scilicet nostris, vel pro totius mundi pace poscentes, vt ipsius Apostoli
1.Tim.2. verbis eloquar, cùm pro omnibus hominibus, pro regibus, & pro his qui in sublimitate sunt, supplicamus. Quarto deindè loco gratiarum actiones ponuntur, quas mens vel cùm præterita Dei recolit beneficia, vel cùm præsentia complectitur, seu cùm in futurum, quæ & quanta præparauerit Deus his qui diligunt eũ, prospicit, per ineffabiles excessus Domino refert. Qua intentione nonnumquàm preces vberiores emitti solent, dum illa, quæ posita sunt in futuro præmia, purissimis oculis intuendo, gratias cum immenso gaudio spiritus noster instigatur infundere.

Quomodò ex his speciebus Compunctio nascatur. Cap. 13.

EX his quoque quatuor speciebus solent occasiones supplicationum pinguium generari. Nam & de obsecrationis specie, quæ compunctione nascitur peccatorum: & de orationis statu, quæ de fiducia oblationum, & consummatione futurorum pro conscientię profluit puritate, & de postulatione, quæ de charitatis ardore procedit, & de gratiarum actione, quæ beneficiorum ac magnitudinis ac pietatis eius consideratione generatur, feruentissimas sępissimè nouimus preces, ignitasque prodire. Ita & constat omnes has, quas prædiximus species omnibus hominibus vtiles ac necessarias inuenire, vt in vno eodemq; viro, nunc quidẽ obsecrationum, nunc autem orationum, nunc postulationum, & nunc gratiarum actionum puras ac feruentissimas supplicationes variatos emittat affectus. Prima ad illos peculiariùs videtur pertinere, qui adhuc vitiorũ suorum aculeis ac memoria remordentur. Secũda ad illos, qui in profectu iam spiritali appetitu virtutum quadam mentis sublimitate consistunt. Tertia ad eos, qui perfectionem votorum suorum operibus adimplentes, intercedere pro aliis quoque consideratione fragilitatis eorum charitatis studio prouocantur. Quarta ad illos, qui iã pœnali conscientiæ spina de cordibus pulsa, singulares iam munificentias Domini ac miserationes, quas vel in præterito tribuit, vel in præsenti largitur, vel præparat in futuro, mente purissima retractantes ad illã ignitam, & quæ ore hominum nec comprehendi, nec exprimi potest, orationem feruentissimo corde raptantur. Nonnumquàm tamen mens, quæ in illum verũ puritatis proficit affectum, atque in eo iam cœperit radicari, solet hæc omnia simul pariterq; concipiens, atque in modum cuiusdam incomprehensibilis, atque rapacissimæ flammæ cuncta peruolitans, ineffabiles ad Deum preces purissimi vigoris effundere, quas ipse spiritus interpellans gemitibus inenarrabilibus ignorantibus nobis immittit ad Deum, tanta scilicet in illius horæ momento concipiens, & ineffabiliter in supplicatione profundens, quanta non dicam ore percurrere, sed ne ipsa quidem mente valeat alio tempore recordari.

De Exomologesi, id est, confessione. Cap. 14.

ἘΞΟΜΟΛΟΓΗΣΙΣ Græco vocabulo dicitur, quod Latinè confessio interpretatur. Cuius nominis duplex significatio est: aut enim in laude intelligitur confessio, sicut est: Confiteor tibi Domine pater cæli & terræ, aut denudatione peccatorum, cùm quisque Deo confitetur
Luc.10. sua peccata ab eo indulgenda, cuius indeficiens est misericoedia. Ex hoc igitur Græco vocabulo exprimitur, & frequentatur Exomologesis, quòd delictum nostrum Domino confitemur, non quidem vt ignaro, cuius cognitioni nihil
Pro.28. occultum est. Vndè per Sapiẽtiam dicitur: Qui abscondit scelera sua, non dirigetur: qui autem confessus fuerit, & reliquerit ea, misericordiã consequetur. Confessio est rei scilicet eius quæ ignoratur, professa cognitio. Vtile enim ac iocundum quisquam esse existimauerat rapere, adulterare, furari: Sed vbi hæc æternæ damnationis obnoxia cognouit, cognitis his, confitetur errorem. Confessio autem erroris, professio est desinendi. Desinendum ergò est à peccatis, dum confessio est: confessio autem antecedit, remissio sequitur. Cæterum autem extra viam qui est peccatum cognoscit, nec cognitum confitetur, de quo instruxit nos Psalmista, dicens: Reuela Domino viam tuam,
Psal.36. & cæt. Nam idem & se feciss̃e testatur, dicens:
Psal.31. Dixi, pronunciabo aduersum me iniustitias meas Domino, &c. Apostolus verò Iacobus
Iaco.15. idem nos facere exhortatur, dicens: Confitemini alterutrùm peccata vestra, & orate pro inuicem, vt saluemini. Itaque exomologesis, prosper-

Universidad de Deusto
Biblioteca

prosternendi & humile faciendi hominibus disciplina, est, habitu vili atque victu gracili, sacco & cinere corpus incuruare, ac sordibus obscurare, animum mœroribus deijcere, illa quæ peccauit, tristi tractatione mutare.

De Litaniis. Cap. 15.

Litaniæ autem Græco nomine appellantur, quæ Latinè dicuntur Rogationes. Inter litanias verò & exomologesin hoc differt, quòd exomologesis ex sola confessione peccatorum agitur: litanię verò, quæ indicuntur propter rogandum Dominum, & impetrandâ aliquam eius misericordiâ. Supplicationis nomen quodammodò nunc ex gentilitate retinetur. Nam feriæ, aut legitimæ erant apud eos, aut indictæ. Indictæ autem, quia paupertas antiqua Romanorum ex collatione sacrificabat, aut certè de bonis damnatorum. Vndè supplicia dicuntur, supplicationes, quæ fiebant de bonis ex passorum supplicio. Sacræ enim res, de rebus execrandorum fiebant.

De discretione orationis Dominicæ. Cap. 16.

APud Euangelistam Matthæum septem petitiones Dominica continere videtur oratio, quarum tribus æterna poscuntur, reliquis quatuor temporalia, quæ tamen propter æterna consequenda sunt necessaria. Nam quod
Matt. 6. dicimus, Sanctificetur nomen tuum, adueniat regnum tuum, fiat voluntas tua sicut in cælo & in terra: quod non absurdè quidam intellexerunt, in spiritu & corpore, omninò sinè fine retinenda sunt: quæ hìc quidem inchoantur, & quantumcumque proficimus, augętur in nobis: perfectè verò, quod in alia vita sperandum est, semper possidebuntur. Quòd verò dicimus, Panem nostrum quotidianum da nobis hodiè, & dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris, & nè inferas nos in tentationẽ, sed libera nos à malo: Quis non videat ad præsentis vitæ indigentiam pertinere? In illa itaque vita æterna, vbi nos speramus semper futuros & nominis Dei sanctificatio, & regnum eius & voluntas eius in nostro spiritu & corpore perfectè atque immortaliter permanebunt. Panis verò quotidianus ideò dictus est, quia hìc est necessarius, quantus animæ carnique tribuendus est, siue spiritualiter, siue corporaliter, siue vtroque intelligatur modo. Hìc est etiam, quam poscimus, remissio, vbì est, omnis commissio peccatorum. Hìc tentationes, quæ nos ad peccandum vel alliciunt, vel impellunt, hìc denique malum vnde cupimus liberari: illic autem nihil horum est. Euãgelista verò Lucas in oratione Dominica petitiones non septem, sed quinque complexus est, nec ab ipso vtique discrepauit, sed quomodo ista septem sunt intelligenda, ipse sub breuitate commonuit. Nomen quippe Dei sanctificatur in spiritu, Dei autem regnum in carnis resurrectione venturum est. Ostendens ergò Lucas, tertiam petitionem duarum superiorum esse quodammodò repetitionem, magìs eã præmittendo fecit intelligi: deindè tres alias adiungit de pane quotidiano, de remissione peccatorum, de tentatione vitanda. At verò quod ille in vltimo posuit, Sed libera nos à malo, iste non posuit, vt intelligeremus ad illud superius, quod de tentatione dictum est, pertinere. Ideò quippe ait, Sed libera: non ait, Et libera, tamquam vnam petitionem esse demonstrans: moli hoc, sed hoc: vt sciat vnusquisque in eo se liberari à malo, quo non infertur in tentationẽ. Hæc igitur oratio licet omnem videatur perfectionis plenitudinem continere, vtpotè quæ ipsius Domini auctoritate vel initiata sit vel statuta, prouehit tamen domesticos suos ad illum præcelsiorem quẽ superius commemorauimus statum, eosq, ad illam igneam ac perpaucis cognitam vel expertam, immò (vt prius dixerã) ineffabilem orationem gradu eminẽtiore perducit, quem statum Dominus quoque noster illarum supplicationum formula, quas vel solus in monte secedens, vel tacitè fudisse describitur, similiter figurauit, cum in orationis agonia constitutus, etiam guttas sanguinis, inimitabili intentionis profudit exẽplo. Qui enim vult orationem suam ad Dominum volare, faciat illi duas alas, ieiunium & eleemosynam, & ascendet celeriter & exaudietur. Ieiunium ergò cum orationeẽ, omn virtutem inimici superat, & cunctam proteruitatem eius expellit: quod ostendit in Euangelio Dominus, cum Apostoli conquesti fuerant, quòd lunaticum curare non poterant, ità respondens eis: Hoc autem genus non eiicitur nisì per orationem & ieiunium. Eleemosynas autem orationem adiuuare, confirmat liber Actus Apostolorum, cùm narrat Angelum Cornelio Centurioni ità dixisse: Corneli orationes tuæ & eleemosynę tuę ascenderunt in memoriam in conspectu Domini. Sed priùs de ieiunio, posteà de eleemosynis dicemus. Quis enim parsimoniam nõ laudet, qui recolit primi hominis lapsum per gulæ appetitum accidisse? quis ieiuniũ non prædicet, qui nouit protoplastum parentem nostrum per esum victum, & Saluatorem per ieiunium diabolum vicisse?

Luc. 6. Luc. 22. Matt. 17. Act. 10.

De Ieiunio. Cap. 17.

IEiunium res est sancta, opus cæleste, ianua regni, forma futuri. Quod qui sanctè agit, Deo iungitur, alienatur mundo, spiritalis efficitur. Per hoc enim prosternuntur vitia, humiliatur caro, diaboli tentamenta vincuntur.

Quid sit inter ieiunium & stationem. Cap. 18.

IEiunium est & parsimonia victus, abstinentiaque ciborum, cui nomen inditum est ex quadam parte viscerum tenui semper & vacua, quod vulgò ieiunium vocatur. Vndè ieiunio nomen creditur deriuatum, quòd sui inedia viscera vacua & exinanita existant. Ieiunium autem & statio dicitur: Statio autem de militari exemplo nomen accepit, pro eo quòd nulla lætitia obueniens castris, stationem militum rescindit. Nam lætitia libentiùs, tristitia solicitiùs administrat disciplinam. Discernunt autẽ quidam inter ieiunium & stationem. Nam ieiunium indifferenter cuiuslibet diei est abstinentia, non per legem, sed secundum propriam voluntatẽ: Statio obseruatio statutorum dierũ vel tẽporũ: dierũ, vt quartę ferię & sextæ ferię ieiuniũ, ex vetere lege præceptum, de qua statione in Euangelio dixit ille: Ieiuno bis in sabbato, id est, in quarta & sexta sabbati: temporum autem, quæ legalibus aut propheticis institutionibus terminatis temporibus statuta sunt, vt ieiunium quarti, ieiunium quinti, ieiunium septimi, & ieiunium decimi: vel sicut in Euangelio dies illi, in quibus ablatus est sponsus: vel sicut obseruatio Quadragesimæ, quæ in vniuerso orbe institutione Apostolica obseruatur circa confinium Dominicæ passionis.

Luc. 18.

De Ieiunio quarti, quinti, septimi, & decimi mensis. Cap. 19.

IEiunium ergò quarti est in mense Iulio, septimadecima die mensis eiusdem, quando descendens Moyses de monte, tabulas legis confregit. in eo etiam die Nabuchodonosor vrbis Hierusalem primùm muros destruxit. Dies ieiunij quinti in mense Augusto est, quando pro speculatoribus ad terram sanctam missis, seditio in castris Hebræorum exorta est, & factum est, vt per desertum quadraginta annos discurrerent laboriosè, & in annis quadraginta in eremo omnes perirent. Siquidem & in eo mense à Nabuchodonosor, & multo post tempore à Cæsare Tito templum euersum est, atque succensum, & in opprobrium gentis perditæ exaratum. Dies ieiunij septimi, in septimo mense est, qui appellatur September, in quo occisus est Godolias, & reliqui qui erant in Hierusalem, interfecti sunt, iuxta quod loquitur Ieremias. Dies ieiunij decimi, est in mense decimo, qui apud nos vocatur December, quandò cognouerunt cuncti Babylonij capti, quinto mense templum fuisse destructum, & fecerunt planctum atque ieiunium. Hæc beatissimus Hieronymus in commentariis Zachariæ scripsit. Sed quia hæc ieiunia magis in veteri testamento, quàm in nouo celebrata sunt, nè penitùs illa prętermisisse videremur (quia in propheta Zacharia commemorata sunt) breuiter adnotauimus, ad noui testamenti ieiunia exponenda transeuntes.

4. Reg. 25. Hier. 40. & 41.

De Quadragesimali ieiunio. Cap. 20.

PRimum enim ieiunium Quadragesimæ est, quod à veteribus libris cœpit ex ieiunio Moysis & Heliæ, & ex Euangelio, quia totidẽ diebus Dominus ieiunauit, demonstrãs Euangelium non dissentire à Lege & Prophetis. In persona quippe Moysis, lex: in persona Heliæ, prophetæ accipiuntur, inter quos in monte Christus gloriosus apparuit, vt euidentius emineret, quod de illo dicit Apostolus, Testimonium habens à lege & prophetis. In qua ergò parte anni congruẽtiùs obseruatio Quadragesimæ constitueretur, nisi confinis atque contigua Dominicę passionis, quia in ea significatur hæc vita laboriosa? Cui etiam opus est continentia, vt ab ipsius mundi illecebris ieiunemus, viuentes in sola manna, id est, in cælestibus spiritualibusq; præceptis. Numero autem quadragenario vita ista propterea figuratur, quia denarius est perfectio beatitudinis nostræ. Creatura autem septenario figuratur, quę adhæret creatori, in quo declaratur vnitas Trinitatis per vniuersum mundum temporaliter annunciata. Et quia mundus quatuor ventis describitur, & à quatuor elementis erigitur, & à quatuor anni temporum vicibus variatur, decem quater ducta, in quadraginta consummantur: quo numero ostenditur ab omni temporum delectatione abstinendum & ieiunandũ esse, & castè continenterque viuendum, licèt & aliud sacramenti mysterium exprimitur in hoc, quòd quadraginta diebus eadem ieiunia celebrantur. Lege enim Mosaica generaliter vniuerso populo est præceptum, decimas & primitias offerre Domino Deo. Itaque cum in hac sententia principia voluptatum, consummationesq. operum nostrorum referre ad Dei gratiam admonemur, in supputatione tamen Quadragesimę summa ista legaliũ decimarum expletur. Totum enim anni tempus trigintasex dierum numero decimatur: subtractis enim à Quadragesima diebus Dominicis, quibus ieiunia resoluuntur, his diebus quasi pro totius anni decimis ad Ecclesiam concurrimus, actuumque nostrorum operationem Deo in hostiam iubilationis offerimus, cuius quidem Quadragesimæ lege (sicut ait noster Cassianus) quique perfecti sunt, non tenentur, nec exigui huius canonis subiectione contenti sunt. Quem profectò illis, qui per totum anni spacium deliciis ac negociis secularibus implicantur, ecclesiarum principes statuerunt, vt vel hac legali quodammodo necessitate constricti, his saltem diebus vacare Domino cogerentur, ac dierum vitæ suę, quos totos quasi fructus quosdam fuerant voraturi, velut decimas Domino dedicarent.

Act. 22.

De Ieiunio Pentecostes. Cap. 21.

SEcundum ieiunium est, quod iuxta canones post Pentecosten alia die inchoatur, secundum

Universidad de Deusto
Biblioteca

Exo.34. dùm quod & Moyses ait: In initio mensis ordinarie facietis vobis hebdomadas septem. Hoc ieiunium à plerisque ex auctoritate Euangelij post Domini Ascensionem completur, testimonium illud Dominicum historialiter accipientes, vbi dicit: Numquid possunt filij sponsi lugere, quàm diù cum illis est sponsus? Venient autem dies cùm auferetur ab eis sponsus, & tunc ieiunabunt. Dicunt enim post resurrectionem Domini quadraginta illis diebus, quibus cum discipulis posteà legitur conuersatus, non oportere nec ieiunare, nec lugere, quia in lætitia sumus: Posteà verò quàm tempus illud expletur, quo Christus aduolans ad cælos, præsentia corporali recessit, tunc indicendum esse ieiunium, vt per cordis humilitatem & abstinentiam carnis mereamur è cælis promissum suscipere Spiritù sanctum: sed sicut diximus, benè & regulariter hoc post Pentecosten à patribus constitutum est inchoare, vt gaudio promissi Spiritus sancti exultantes in laudibus Dei aduentum ipsius expectemus, & tunc per eius gratiam innouati, ac zelo spirituali inflammati, abstinentię & ieiunio operam demus. Cui rei concordant verba Lucę, quibus Dominum ascensurum in cælos discipulis præcepisse narrauit: Vos autē, inquit, sedete in ciuitate, quoadusque induamini virtute ex alto. Tamen si qui Monachorum vel Clericorum ieiunare cupiunt, non sunt prohibendi, quia & Antonius, & Paulus, & cæteri patres antiqui his diebus in eremo leguntur abstinuisse, nec soluisse abstinentiam, nisi tantùm Dominico die.

Mar.2.

Luc.24.

De ieiunio ante Natiuitatem Domini, quod fit in nono, & decimo mense. Cap. 22.

TErtium ieiunium est, quod constat in mense Nouembrio, quod diuina auctoritate institutum vel initiatum, Hieremię prophetæ testimonio declaratur, dicente ad eum Domino: Tolle volumen libri, & scribes in eo omnia verba quę locutus sum tibi aduersus Israel & Iudam, & aduersus omnem gentem: si fortè reuertatur vnusquisque à via sua pessima, propitius ero iniquitati eorum. Vocauit ergò Hieremias Baruch filium Neriæ, & scripsit Baruch ex ore Hieremiæ omnes sermones Domini, quos locutus est ad eum, in volumine libri. Et præcepit Hieremias Baruch, dicens: Ingredere & lege de volumine, quod scripsisti ex ore meo, verba Domini audiente populo in domo Domini in die ieiunij legis, si fortè cadat oratio eorum in conspectum Domini, & reuertatur vnusquisq; à via sua mala, quoniā magnus furor & indignatio, quam locutus est Dominus aduersum populum hunc. Et fecit Baruch filius Neriæ iuxta omnia quæ præceperat Hieremias propheta, legens ex volumine sermones in domo Domini. Et factum est in mense nono, prædicauerunt ieiunium in conspectu Domini omni populo in Hierusalem. Hac ergò auctoritate diuinæ scripturæ Ecclesia morem obtinuit, & vniuersale ieiunium hac obseruatione celebrat: quod tamen ieiunium incipiens in nono mense, in decimum extenditur, id est, vsque ad diem Natalis Domini pertingit. Congrua itaque dispositione à magistris Ecclesiæ hoc loco ieiunium quadragesimale fieri constitutum est, vt ante diem Natalis Domini ieiunio & abstinētia nosmetipsos castigemus, quatenus venientem Redemptorem digna conuersatione suscipere possimus, sicut ante tempus resurrectionis eius carnē nostram affligimus, vt resurrectionis gratiam, quæ per ipsum fit, consequi mereamur. Sed hæc de tribus quadragesimis dicta sufficiant.

Hier.36.

Hier.4.

De cæteris legitimis ieiuniis. Cap. 23.

PRæter hæc autem & alia legitima tempora ieiuniorum sunt: sicut est omnis sexta feria, in qua propter passionem Domini à fidelibus ieiunatur: & Sabbati dies, qui à plerisque, * propter quod in eo Christus iacuit in sepulcro, ieiunio consecratus habetur, sicut in decretis Innocentij Papæ cōstitutum inuenimus: scilicet nè Iudęis exultando prębeatur, quod Christus sustulit moriendo. Nam vtique constat, Apostolos biduo isto & in mœrore fuisse, & propter metum Iudęorū se occuluisse, quod vtique non dubium est & ieiunasse eos biduo memorato, quæ forma vtique per singulas tenenda est hebdomadas, propter id quòd commemoratio illius diei semper est celebranda. Quòd si putant semèl, atque vno tantùm sabbato ieiunandum, ergò & Dominicum, & sexta feria semèl in Pascha erit vtiq; celebrandum

* propterea q

De ieiunio quatuor sabbatorum, in quibus duodecim lectiones fiunt, & sacræ ordinationes. Cap. 24.

SVnt quoque & quatuor sabbata, in quatuor mensibus, singula per singulos, in quibus specialia Ieiunia sunt constituta, & officia his diebus maiora orationum & lectionum in Ecclesia celebrantur, id est, in Martio mense, primo sabbato, & in secundo sabbato quarti mensis, id est, Iunij. In septimi quoque mensis, id est, Septembris tertio Sabbato, & in quarto sabbato decimi mensis, id est, Decembris. Quorum primum iuxta obseruationem Quadragesimæ verno tempore celebratur, quando mensis nouorum apud Iudæos habebatur.

Secundum autem in ieiunio post Pētecosten ęstatis tempore, quandò apud Iudęos dies primitiarum ex legis prębepto custodiebantur, id est, de frugibus primi panes Deo offerebantur: & ocium legitimum ipsius diei colebatur.

Tertium

Lev.23. Tertium est in septimo mense, Autumni videlicet tempore, qui totus in lege variis solennitatibus Deo dicatus erat, in quo dies expiationum erat, dicente Domino ad Moysen: Decima die mensis huius septimi, dies expiationum erit, ac celeberrimus, & vocabitur sanctus, affligetisq; animas vestras in eo, & offeretis holocaustum Domino. Omne opus non facietis in tempore diei huius, quia dies propitiationis est, vt propitietur vobis Dominus Deus vester. Omnis anima q̄ afflicta nō fuerit die hoc, peribit de populis suis, & reliqua. In quo & dies scenopegiæ fuerant, i. tabernaculorum. Nam quintadecima die mensis huius veteres solennitates tabernaculorū celebrabant, septem diebus eandem solennitatem exigētes, quo quidem ieiunio vsos fuisse antiquos Esdrę liber meminit. Postquàm enim redierunt, inquit, filij Israel in Hierusalem, & fecerunt sibi tabernaculorum lætitiam magnam, dehinc conuenerunt in ieiunio in saccis, & humus super eos, & steterunt, & confitebantur peccata sua & iniquitates patrum suorum, & consurrexerunt ad standum, & legerunt in volumine legis Domini Dei sui quater in die, & quater in nocte confitebantur, & adorabant Dominum Deum suum.

Quartum verò est ieiuniū sabbati in decimo mense ante diem Natalis Domini, quādò venturi Saluatoris salubris in sacris lectionibus prædicatur aduentus, vt fideles quique hac religione instructi, & medicamine sanctarū orationum simul cū sacro ieiunio confirmati, Natiuitatem Redemptoris læti expectent. Ante hæc videlicet quatuor sabbata in eadem hebdomada, semper quarta & sexta feria legitima ieiunia fieri, & canon orationum & lectionum in eisdem feriis ad sacra Missarum solennia cōstitutus indicat, & exempla præcedentium patrum confirmant. Sacras autem ordinationes his diebus oportere fieri, decreta Gelasij Papę testantur, in quibus ita scriptum continetur: Ordinationes autem presbyterorum, diaconorumq; nisi certis temporibus & diebus exercere non debeant, id est, in quarti mensis ieiunio, septimi & decimi, sed etiam Quadragesimalis: ac mediana in initio Quadragesimæ die sabbati ieiunio circa vesperā nouerint celebrandas. Officia autem horum quatuor sabbatorum, vulgò duodecim lectiones vocantur, eo quòd cum lectionibus quæ leguntur, & cum psalmis qui canuntur, duodenarius numerus adimpletur, qui benè lectiones possunt vocari, eo quòd inter canonicas scripturas annumerātur.

De priuatis ieiuniis. Cap. 25.

PRæterea vnicuique licet, vt libet, ieiuniorum modum habere, seu inediam extendere, seruata præ omnibus constitutione legitimorum ieiuniorum, quæ supra memorauimus, quę generaliter sancta & Apostolica seruat Ecclesia. Necnon & illa omnimodò custodire oportet vnumquemque, quæ communiter omnibus facere siue pro tribulatione, siue pro gratiarum actione proprius Ecclesiæ mandat episcopus: quia qui constituta atque demandata ieiunia seruare neglexerit, peccat: qui autem expletis legitimis, priuata superexpenderit, propriam mercedem habebit. Nam leguntur aliqui sanctorum per biduanas, siue per triduanas, siue etiam per totam hebdomadam ieiunium extendere: plerique quòd nec vinum nec siceram biberint, nec aliquid manducauerint, præter panem siccum & olera: alij, quòd ab omni carne se abstinuerint: alij quòd in tantum se a bstinuerint, quòd nec pane in cibo vsi sunt, sed paucis carycis corpus suum sustentauerint. Et alia plurima sunt genera abstinentiæ: Sed ante omnia cauere debet, qui se abstinere vult ab aliquo cibo vel potu, nè mens eius occulta cogitatione polluatur, ita vt aliquam creaturam Dei damnet, Iudaica superstitione seductus, dicens, hoc licere, illud autem non: hoc mundum, illud autem immundum esse cogitet: quem huiusmodi cogitatio pulsat, Apostolum dixisse: Omnis creatura Dei munda est, & nihil reiiciendum, quod cum gratiarum actione percipitur. &, Malum est homini qui per offendiculum manducat.

1.Tim 4.

Rom.14.

De origine biduanæ siue triduanæ. Cap. 26.

BIduanum autem morem ieiunij reor indè sumptum, quòd Apostoli ieiunauerunt illo biduo, quo Dominus passus ac sepultus est. Triduanis ergò ieiunare, ab exemplo ductum est Niniuitarum, qui damnatis pristinis vitiis, totos se tribus diebus ieiunio ac pœnitētiæ contulerunt, & operti saccis, Deum ad misericordiam prouocauerunt. Sed illius solummodò, ieiunium Deo acceptabile est, qui sic ieiunat à cibis, vt abstineat à peccatis: cæterum qui ventre tantùm ieiunat, reprobatum erit eius ieiunium coram Deo, qui dixit per Prophetam: Ecce in diebus ieiunij vestri inuenietur voluntas vestra, & omnes debitores vestros repetitis. Eccè ad lites & contentiones ieiunatis, & percutitis pugno impiè. Nolite ieiunare, sicut vsque ad hanc diem, vt audiatur in excelsis clamor vester. Numquid tale est ieiunium quod elegi, per diem affligere hominem animā suam? Et deindè, Nonnè hoc est magis ieiuniū quod elegi? Dissolue colligationes impietatis, solue fasciculos deprimentes, dimitte eos qui confracti sunt, liberos, & omne onus distrumpe: Frange esurienti panem tuum, & egenos vagosq; induc in domum tuam: Cùm videris nudum, operi eum, & carnem tuam nè despexeris: tunc erumpet quasi mane lumen tuum, & sanitas tua citiùs orietur, & reliqua.

Esa.58.

Ibid.

De

Universidad de Deusto
Biblioteca

De esu carnium, & potione vini. Cap. 27.

CArnes autem & vinum post diluuium sunt hominibus in vsum concessa, nam in initio permissum non fuerat, nisi tantùm illud, vt scriptum est: Lignum fructiferum & herbam seminalem dedi vobis in escam. Postea verò per Noe data sunt in esum cuncta animalia, viniq́ue attributa licẽtia est. Sed postquàm Christus (qui est principium & finis) apparuit, hoc quod in principio suspenderat, etiam in temporum fine retraxit, loquens per Apostolum suum, Bonum est non manducare carnem, & non bibere vinum. Et iterùm: Qui infirmus est, olera manducet. Non ergò quia carnes malæ sunt, ideo prohibentur, sed quia eorum epulæ carnis luxuriam gignunt. Fomes enim ac nutrimentum est omnium vitiorum, Esca ventri, & venter escis, Deus autem (vt scriptum est) & hunc & hanc destruet. Piscé sanè (quia eum post resurrectionem accepit Dominus) possumus manducare. hoc enim nec Saluator, nec Apostoli vetuerunt. Auium quoque esum credo indè à patribus permissum esse, eo quòd ex eodem elemento, de quo & pisces, creatæ sunt. Nam in regula monachorum non inuenimus aliarum carnium esum eis contraditum esse, ni si quadrupedum.

Rom. 14.
Ibid.
2. cor. 6.

De Eleemosynarum differentia. Cap. 28.

Ἐλεημοσύνη ergò Græcum vocabulum, Latinè interpretatur opus misericordiæ, siue miserationis: indè, vt reor, dicta, quòd miseria humanæ infirmitatis, cor siue animum pulset. Sed hæc apud homines, quibus varij animo accidunt affectus. Cæterum apud Deum, qui secundùm naturam semper est benignus & misericors, non est huiusce modi credenda esse affectio. Neque enim temporaliter illic aliquid accidere valet, vbi æternitas sine vlla sui mutatione fixa manet: sed cùm dicitur misericors, intelligi debet esse pius & clemens, quæ magis nomina proprietatem ipsius naturæ videntur ostendere. Sunt & eleemosynarum species plurimæ, quamquàm in dispensationibus pauperum hoc vocabulum quidam haberi debere arbitrentur. Eleemosynam facit, qui fratri suo in se delinquenti, peccata dimittit. Eleemosynam facit, qui peccantem & prauis operibus insistentem, aliquo modo siue per admonitionem, siue per disciplinam corrigit. Nec enim sine misericordia esse credendus est, qui regulariter, siue per excommunicationem, seu per verbera hominem à peccatis & vitiis coercere studet, quia non secundùm eius voluntatem, sed secundùm vtilitatem ipsius miseretur. Eleemosynam facit, qui errantem in viam veritatis deducit. Eleemosynam facit, qui indoctum docet, qui verbum Dei proximis suis predicat. Eleemosynam facit, qui bona temporalia cum fratribus suis, id est, cæteris hominibus participare non desinit. Eleemosynam facit, qui victum & vestitum indigẽtibus præbet, qui hospitio suscipit, qui infirmos visitat, qui in carcere & in tribulationibus constitutis, de bonis suis subministrat, qui ad mortem & ad supplicia destinatos eruere nõ cessat. Omnia enim bona opera, quæ in hac præsenti vita iustus quisque operatur, hoc vno nomine comprehendi possunt: nec solùm vtique in aliis hominibus, sed etiam in nobismetipsis eleemosynas facere possumus, sicut scriptum est: Miserere animæ tuæ placens Deo. Cùm ergò nos à peccatis ad bona opera conuertimus, à superbia ad humilitatem, à luxuria ad continentiam, à liuore & inuidia ad charitatem & dilectionem, ab ira & disceptatione ab mansuetudinem & patientiam, à gula ad sobrietatem, ab auaritia ad largitatem, à tristitia seculari ad spiritualem lætitiam, ab acedia temporali ad studium bonum: quid aliud facimus, quàm eleemosynas in nosmetipsos impendimus, cùm nostrimet miseremur, nè per inobedientiam mandatorum Dei suppliciis æternis deputemur? Quid enim (ait ipse Saluator) proderit homini, si vniuersum mundum lucretur, animæ verò suæ detrimentum patiatur, aut quam commutationem dabit homo pro anima sua? & reliqua. Benè ergò & ordinatè artem misericordiæ exercet, qui primùm semetipsum bonis operibus, & sancta conuersatione, ac virtutum fructibus egére non sinit, & deindè in quoeumque potest, siue in spiritalibus rebus, siue in corporalibus proximos suos adiuuare non desistit.

Eccli 30.
Mat. 16.

De Pœnitentia. Cap. 29.

PÆnitentibus exemplum Iob primus exhibuit, quando post funera vel flagella adhuc in sui redargutione, etiam in cilicio & cinere lamenta pœnitudinis sumpsit, dicens: Idcircò ago pœnitentiam in fauilla & cinere. Post hunc Dauid nobis pœnitentię magisterium præbuit, quando graui vulnere lapsus, dum audisset à Propheta peccatum suum, confestim pœnituit, & culpam suam pœnitentię confessione sanauit. Sic Niniuitæ & alij multi peccata sua confessi sunt, pœnitentiam egérunt, displicuerunt sibi quales fuerunt, & quales per Deum facti sunt, illi placuerunt. Est autem pœnitentia medicamentum vulneris, spes salutis per quam peccatores saluantur, per quam Dominus ad misericordiam prouocatur, quæ non tempore pensatur, sed profunditate luctus & lachrymarum. Pœnitentia autem nomen sumpsit à pœna, qua anima cruciatur, & mortificatur caro. Dicta est autem pœnitentia quasi punientia, eo quòd ipse homo puniendo puniat, quod malè admisit. Hi verò qui pœnitentiam gerunt, proindè capillos & barbam

Iob. 42.
2. Reg. 12.
Ion. 3.

barbam nutriunt, vt demonstrent abundantiam criminum, quibus caput peccatoris grauatur. Capilli enim pro vitijs accipiuntur, sicut scriptum est, Et crinibus peccatorum suorum vnusquisq; constringitur. Vir quippe si comã nutriat, vt ait Apostolus, ignominia est illi. Ipsam ergò ignominiam suscipiunt pœnitentes pro merito peccatorum. Quòd verò in cilicio prosternuntur, memoriam peccatorum suorũ eos habere significat. Per ciliciũ quippe est recordatio peccatorum, propter hœdos ad sinistram futuros. Indè ergò pœnitentes in cilicio prosternimur, tamquàm dicentes: Et peccatũ meum coram me est semper. Quòd autem cinere adsperguntur, vel, vt sint memores, quia cinis & puluis sunt, vel quia puluis facti sunt, id est, impij facti sunt: vndè & illi præuaricatores, primi homines recedentes à Deo, malisq́; factis offendentes creatorem, in puluerẽ, vndè sumpti sunt, redierunt. Benè ergò in cilicio & cinere pœnitens deplorat peccatum, quia in cilicio asperitas & punctio peccatorũ, in cinere autem puluis ostenditur mortuorũ, & idcircò in vtroq; pœnitentiam agimus, vt & in pũctione ciliciĩ, cognoscamus vitia quę per culpam commisimus, & per fauillam cineris, perpendamus mortis sententiam, ad quam peccando* peruenimus. Pœnitentię autem remedium Ecclesia catholica in spe indulgentiæ fideliter alligat exercendum, & post vnum baptismi sacramentum, quod singulari traditione commendatum, solicitè prohibet iterandum, medicinali remedio pœnitentiæ subrogat adiumentum: cuius remedio egére se cuncti agnoscere debent, pro quotidianis humanæ fragilitatis excessibus, sine quibus in hac vita esse non possumus, honorum duntaxàt dignitate seruata, ità vt à sacerdotibus & Leuitis Deo tantùm teste fiat: à cæteris verò, adstante corã Deo solenniter sacerdote, vt hìc tegat fructuosa confessio, quod temerarius appetitus, aut ignorantiæ notatur contraxisse neglectus: vt sicut in baptismo omnes iniquitates remitti, vel per martyrium nulli peccatum credimus imputari: ità pœnitentię compunctione fructuosa, vniuersa fateamur deleri peccata. Lachrymæ enim pœnitentium apud Deum pro baptismo reputantur: vndè & quamlibèt sint magna delicta, quamuis grauia, non est tamen in illis Dei misericordia desperanda. In actione autem pœnitudinis (vt suprà dictum est) non tam consideranda est mensura temporis, quàm doloris. Cor enim contritum & humiliatum Deus non spernit. Veruntamen quãta in peccato fuit ad malum abruptæ mentis intentio, tanta necesse est in lamentatione deuotio. Duplex autem est pœnitentiæ gemitus, vel dum plangimus quod malè gessimus, vel dũ non agimus quod agere debeamus. Ille autem verè pœnitentiam agit, qui nec pœnitere præterita negligit, nec adhuc pœnitenda committit. Qui verò lachrymas indesinenter fundit, & tamen peccare non desinit, hic lamentum habet, sed mundationem non habet. Si qui autem per gratiam Dei ad pœnitentiam conuertuntur, perturbari non debent, si rursùs post emendationem relicta vitia cor pulsent, dum non possint bonę conuersationi nocere, si talis cogitatio non erumpat in consensu vel opere. Ferre enim sine perfectione vitiorum cogitationes, non est ad damnationem, sed ad probationem, nec est occasio subeundi discriminis, sed potiùs augendę virtutis. Nam & si quis circa finem suum per pœnitentiam desinet esse malus, non ideò debet desperare, quia in termino est vltimo vitæ, quoniam Deus non respicit quales anteà fuimus, sed quales circa finem vitæ existimus. Ex fine enim suo vnumquenq; aut iustificat, aut condemnat, sicut scriptum est: Ipse iudicat extrema terrę. & alibi: Vniuersorum finem ipse considerat. Proindè non dubitamus circa finem iustificari hominẽ per pœnitentię compunctionem: sed quia rarò id fieri solet, metuendum est, nè, dum ad finem differtur confessio sperata, antè occupet mors, quàm subueniat pœnitentia. Pro qua re & si bona est ad extremum conuersio, melior tamen est, quæ longè ante finem agitur, vt ab hac vita securiùs transeatur.

Pro. 5.
1. cor. 11.
*peruenimus.
Psalm. 50.
Hier. 12.

De Satisfactione & reconciliatione. Cap. 30.

SAtisfactio autem est, causas peccatorum & suggestionem excludere, & vltrà peccatum non iterare. Reconciliatio verò est, quę post complementum pœnitentiæ adhibetur. Nam sicut conciliamur Deo, quandò primùm à gẽtilitate conuertimur, ità reconciliamur, quandò post peccatũ pœnitendo regredimur. Quorum autem peccata in publico sunt, in publico debet esse pœnitentia per tempora, quæ Episcopi arbitrio pœnitentibus secundùm differẽtiam peccatorum decernuntur: eorumq́ue reconciliatio in publico esse debet ab Episcopo, siue à presbyteris, iussu tamen Episcoporum, sicut canones Africani concilij testantur, vbì ità scriptum est: Cuiuscunque autem pœnitẽtis publicum & vulgatissimũ crimen est, quod vniuersam Ecclesiam commouerit, ante absidam manus ei imponatur. Quorum ergò peccata occulta sunt, & spontanea confessione soli tantummodò presbytero, siue Episcopo ab eis fuerint reuelata, horum occulta debet esse pœnitentia, secundùm iudicium presbyteri, siue Episcopi cui confessi sunt: nè infirmi in Ecclesia scandalizentur, videntes eorum pœnas, quorum penitùs ignorant causas. Quali autẽ tempore pœnitentium reconciliatio fieri debeat, ostendunt decreta Innocentij Papæ, vbì ità scriptum reperitur: De pœnitentibus autem, qui siue ex grauioribus commissis, siue ex leuioribus pœnitentiam gerunt, si nulla interuenit ægritudo, quinta feria ante Pascha

Universidad de Deusto
Biblioteca

eis remittendum, Romanæ Ecclesiæ consuetudo demonstrat. Cæterùm de pondere æstimando delictorum, sacerdotis est iudicare, vt attendat ad confessionē pœnitentis, & ad fletus atq; ad lachrymas corrigentis: ac tum iubere dimitti, cùm viderit congruam satisfactionē. Sanè si quis ægritudinem inciderit, atq; vsque ad desperationem deuenerit, ei est ante tempus Paschę relaxandum, nè de seculo absque communione discedat. Hoc ergò ante omnia cauendum est, nè in extremis pœnitenti pœnitentia & reconciliatio denegetur, nè in desperatione pereat: quia pietas omnipotentis Dei ad se quouis tempore concurrenti succurrere valet, & periclitantem sub onere peccatorum potest subleuare. Perdidisset latro in cruce præmium ad Christi dexteram pendens, si illam vnius horæ pœnitentia non iuuisset: cùm esset in pœna, pœnituit: & per vnius sermonis professionē, habitaculū paradisi (Deo promittente) promeruit. Vera ergò ad Deum conuersio in vltimis positorum, mente potiùs est æstimanda, quàm tempore, propheta hoc taliter asserente: Cùm conuersus, inquit, ingemueris, tunc saluus eris.

Luc. 23.

Eze. 18. iuxta lxx.

De Natiuitate Domini. Cap. 31.

NAtalis Domini dies ea de causa à patribus votiuæ solennitatis institutus est, quia in ea Christus pro redemptione mundi nasci corporaliter voluit, prodiens ex Virginis vtero, qui erat in Patris imperio: cuius susceptæ carnis causa hæc est: Postquàm enim inuidia diaboli parens ille primus spe ductus inani cecidit, confestim exul & perditus in omni genere suo, radicem malitiæ & peccati transduxit, crescebatq; in malum vehementius omne genus mortaliū, diffusis vbiquè sceleribus, & quod est nequius, oīm cultibus idolorum. Volens ergò Deus terminare peccatum, consuluit verbo, lege, prophetis, signis, prodigijs: Sed cùm sic quidem errores suos admonitus agnosceret mundus, misit Deus filium suum, vt carnem induceret, & omnibus appareret, & peccatores sanaret. Qui ideò in homine venit, quia p seipsum ab hominibus cognosci non potuit: Vt autem videretur, Verbum caro factū est, assumendo carnem, non mutatū in carnē. Assumpsit enim humanitatē, nō amisit diuinitatem: ità idem Deus & idē homo, in natura Dei æqualis Patri, in natura hominis factus mortalis, in nobis, p nobis, de nobis, manens quod erat, suscipiens quod non erat, vt liberaret quod fecerat. Hæc est ergò Dominicæ natiuitatis magna solennitas. Hęc est diei huius noua & gloriosa festiuitas, aduētus Dei factus ad homines. Itaq; dies iste pro eo q in eo Christus natus est, natalis dicitur: quemq; ideò obseruare per reuolutū circulū anni festiua solennitate solemus, vt in memoriam reuocetur, Christus q natus est. In Bethleem quoquè Christus natus est, & in Nazareth nutritus: vt lex locorum vocabulis, rerum ipsarū apparéret euentus. Ergò quod in Bethlehē nasceretur, oportuit: quia cibus cęlestis, de cælis ad terras venit. Bethlehē quippe domus panis dicitur. Et Saluator de seipso dixit: Ego sum panis viuus, qui de cælo descendi, Ergò Bethlehē verè domus panis est, quia Christus homo in ea nasci dignatus est: panis videlicet vitæ, de quo qui manducauerit, viuet in æternū. Et hac etiam causa credimus in Ecclesia hunc morē inoleuisse, vt in ea nocte qua Christus creditur esse natus, sacra Missarum solennia celebrentur: vt ea hora fideles quique sacramentū corporis & sanguinis Christi perciperent, qua eū inter homines misericorditer natū scirent. Cuius tamen celebrationis Telesphorus Papa apud Romanos, primus auctor legitur extitisse. Nā quòd in Nazareth nutritus erat, ea causa fuit, vt quia Nazareth flos siue munditia interpretatur, æternæ puritatis eius index existeret, cùm foret floris ipsius nutrix, q de virga radicis Iessę ascendens, septiformē spiritū haberet, & perpetua puritate insignis, meritò Nazaræus, quod est mundus, vocaretur.

Ioan. 6.

De Epiphania Domini. Cap. 32.

EPiphaniorum proindè festa solennitati veri Apostolici signauerunt, quia in eo est proditus stella Saluator, quandò inuenerunt Magi Christum in præsepi iacentem, adorauerunt eum, offerentes ei competentia munera Trinitatis, aurum, thus, & myrrham, regi, Deo, atq; passuro. Ideò ergò diem hunc annua celebritate sacrauerunt, vt mundus agnoscat Dominum, quem elementa cælitùs prodiderunt. Siquidem eodem die idem Iesus etiam Iordanis lauacro tingitur, diuisoque cælo Spiritus sancti descendentis testimonio, Dei esse filius declaratur. Cuius diei nomen ex eo q apparuit gentibus, Epiphania nuncupatur. ἐπιφάνεια enim Græcè, apparitio vel ostensio dicitur. Tribus ergò ex causis hic dies hoc vocabulum sumpsit: siue quòd tunc in baptismo suo Christus populis fuerit ostensus, siue q ea die sideris ortu Magis est proditus: siue quòd primo signo per aquā in vinum conuersam, multis est manifestatus. Illud tamen sciendum, quòd licet ea die baptismus Christi ab Ioanne fieri credatur, vniuersale tamen baptisma celebrari in ea, canonica contradicit auctoritas. Paschæ ergò tempus tantummodò & Pentecostes, ad hoc ab Apostolis & apostolicis viris decretum, Romana custodit Ecclesia; quæ videlicet duo tempora ad hoc opportuna esse, Christi Domini nostri à mortuis resurrectio, & Spiritus sancti super primitiuam Ecclesiam declarat aduētus. Quicunque ergò (ait Apostolus) baptizati sumus in Christo Iesu, in morte ipsius baptizati sumus. & reliqua. Et Saluator ascensurus in cælum, Apostolis dixit: Ioannes quidē baptizauit aqua, vos autem baptizabimini Spiritu sancto, non post multos hos dies.

Rom. 6.

Act. 1.

De

De Hypanti. Cap. 33.

PVrificationis ergò matris Domini tempus, post dies quadraginta à natiuitate eius celebratur: quia ex legis præcepto hoc tempus statutum est parentibus fœminis, quo purificari deberent. Scriptum est enim in libro Leuitico, quòd Dominus per Moysen mandauerit Israel, vt mulier quæ in suscepto semine pareret masculum, immunda esset septem diebus, & die octaua circumcideretur infantulus: ipsa verò trigintatribus diebus maneret in sanguine purificationis suę, omne sanctum non tangeret, nec ingrederetur sanctuarium, donèc implerentur dies purgationis eius: Sin autem fœminam pareret, immunda esset duabus hebdomadibus, & sexaginta & sex diebus maneret in sanguine purificationis suæ. Cumque impleti essent dies purgationis eius, pro filio siue filia, deferret agnum anniculum in holocaustum, & pullum columbæ, siue turturem pro peccato. Quòd si non potuerit agnum offerre, sumeret duos turtures vel duos pullos columbæ, vnum in holocaustum, & alterum pro peccato, oraretque pro ea sacerdos, & sic mundaretur. Hac ergò de causa statuta est in Ecclesia Festiuitas hæc, quia matrem Domini secundùm legem in hac die constabat purgari: sed non ideò, quòd aliqua legali purgatione indiguerit, quæ Dominum gestabat legis: sed quia Iesus non vénit legem soluere, sed adimplere. Venit ergò mater Domini ad templum secundùm legem, ducens secum puerum, ac deferens hostias, quæ lex præcepit, vt in nullo patribus fieret dissimilis, ac illud in se prima ostenderet, quod scriptum est: Quanto magnus es, humilia te in omnibus. Obuios habuit grandęuum Simeonem, & Annam multorum annorum viduam, & cæteras personas, quas necesse erat in hoc sacro ministerio affuisse, quæ benedixerunt & glorificauerunt DEVM, & multa de eo vaticinauerunt, vt sacer Euangelij textus luculento sermone demonstrat. Ob hanc quippe causam ea dem festiuitas ὑπαντὴ nuncupatur, quia prædictæ personę ad templum obuiàm Christo aduenerunt, deuoto corde & obsequio. ὑπαντάω enim Græco sermone dicitur, quod obuio Latinè interpretatur. Est quoquè festiuitas hæc purificationis incipiente Februario mense, qui à Februo, id est, Plutone, qui lustrationum potens à gentibus credebatur, ità vocatus est, lustrarique eo mense apud Romanos ciuitatem consuetudo erat, vt iusta dijs mánibus soluerētur: Sed hanc lustrandi consuetudinem benè mutauit Christiana religio, cùm in mense eodem, die sanctę Mariæ plebs vniuersa cū sacerdotibus ac ministris, hymnis & modulationibus deuotis, per ecclesias, perque congrua vrbis loca procedit, datosque à Pontifice cuncti cereos in manibus gestant ardentes: non vtiq; in lustrationē terrestris imperij quinquennē, sed in perennem regni cęlestis memoriam, quandò iuxta parabolam virginum prudentium omnes electi lucentibus bonorum operum lampadibus, obuiàm sponso ac regi suo venientes, mox cum eo ad nuptias supernæ ciuitatis intrabunt.

Leui. 12.

Matt. 5.

Eccl. 3.

Mat. 25.

De Septuagesima, & Sexagesima, & Quinquagesima, & Quadragesima. Cap. 34.

DE Septuagesima quoquè & Sexagesima, Quinquagesima atque Quadragesima, cur Dominici dies ante quadragesimale ieiunium sic appelleutur, diuersa multorum opinio est: & ideò maximè, quia nec ipsa Dominica, quæ Septuagesima dicitur, septuagesima dies ante Pascha esse reperitur: nec ea quæ Sexagesima, sexagenarium numerum plenum habet vsque in Pascha. Nam alij simpliciter narrant hanc ecclesiæ esse consuetudinem, & Romana auctoritate ritum huius religionis esse firmatum: Alij dicunt quòd synecdochicè totum habendum sit dictum, id est, vbì maior denominatio numero dierū inuenitur: vt est Septuagesima, ac sexagesima, à toto partem intelligi debere: Vbì verò minor, vt est Quadragesima, à parte totum intelligi oportere. Alij quoquè nescio quorum ore ducti asseuerant, quòd Orientales populi nouem hebdomadas, & Græci octo, & Latini septem ieiunare soleant, & ob hoc his omnibus diebus Alleluia minimè in Ecclesia debere cantari. Alij etiam, quorum ratio præ cęteris laudabilior mihi esse videtur, dicunt, Septuagesimam dictam esse propter decē hebdomadas, quę sunt ab ipso die vsque ad clausum Pascha, quo die alba tolluntur vestimenta à nuper baptizatis. igitur in Apostolo legimus, Regnauit mors ab Adam vsque ad Moysen, & significat vsque ad vltima tempora legis, quæ per Moysen data decurrit in Christi Dei nostri tempora. Porrò Sexagesimam indè dici posse, quia sexaginta dies sunt vsq; ad medium Paschæ, quod erit feria quarta paschalis hebdomadis. Quinquagesimam verò ritè dictā esse, eò *quòd tali numero peruenit vsque in diem sanctum resurrectionis. Quadragenariū etiam numerum ità ibì positum, quòd cum Dominica sua concurrat ad mysticum Pascha Hebræorum, quod Dominus noster IESVS CHRISTVS cum discipulis suis celebrauit, & nos dicimus Cœnam Domini: Sed hæc omnia nos ità hìc posuimus, sicut in aliorū dictis, vel scriptis comperimus, Lectori viam dantes, si quæ veraciùs & rationabiliùs exquisita inuenerit, obtinere. Notandum tamen est, quòd à Quinquagesima ieiuniū incipere apud Romanos, Telesphorus sæpè memoratus Papa constituit, vt per septem hebdomadas ante Pascha corpus ieiunijs castigemus, qui alias septem post Pascha vsque in Pentecosten in lætitia à ieiunijs relaxare volumus: vt priorem

Rom. 5.

*quòd æquali

Universidad de Deusto
Biblioteca

quinquagesimam in pœnitudine peccatorum A
nostrorum exigamus ad promerendam misericordiam: & in secunda laudibus & orationibus operam dantes, studeamus peruenire ad promissam Spiritus sancti gratiam.

De die Palmarum. Cap. 35.

Dies Palmarum ideò celebratur, quia in eo Dominus & Saluator noster, sicut propheta cecinit, Hierusalem tendens, super asellum sedisse perhibetur. Tunc gradiens cum ramis palmarum multitudo plebium obuiàm B
Matt. 21. ei, clamauerunt: Osanna, benedictus qui venit in nomine Domini rex Israel. In ramis enim palmarũ significabatur victoria, qua erat Dominus mortẽ moriendo superaturus, & trophæo crucis, de diabolo mortis principe triumphaturus. In asello autem, super quem sedendo Hierosolymam venit, indicabat simplicia corda gentilitatis, quam præsidendo atque regendo, perducebat ad visionem pacis. Hoc autem die symbolũ competentibus traditur, propter confinem Dominicæ Paschæ solennitatẽ: vt qui iam ad Dei gratiam percipiendam festinant, fidem, quam confitetur, agnoscant. Vulgus autem ideò eum diẽ capitulauium vocat, quia tunc moris est lauandi capita infantium, qui vngendi sunt, nè fortè obseruatione Quadragesimæ sordidata, ad vnctionem accederẽt.

De Cœna Domini. Cap. 36.

Coena Domini hæc, est feria quinta vltimæ hebdomadis Quadragesimæ, quandò Dominus & Saluator noster post typicum illud Pascha completum, ad verum Pascha trã- D
siens, mysterium corporis & sanguinis sui primùm Apostolis tradidit: quãdò post sacramẽta cælestia discipulus fallax & proditor preciũ à Iudęis accepit, & Christi sanguinẽ vendidit. Eo etiàm die Saluator surgens à cœna, pedes discipulorum lauit, propter humilitatis formã commendandam, quam docendam venerat, sicut & ipse consequenter exposuit: quod etiã decebat potissimùm, vt facto doceret, quod obseruare discipulos præmoneret. Hinc est q eodem die altaria templi, parietes & pauimẽta lauantur, vasaq; purificantur, quæ sunt Domino consecrata. Quo die proindè etiam san- E
ctũ chrisma conficitur, quia ante biduum Paschæ, Maria caput ac pedes Domini vnguento perfudisse perhibetur. Vndè & Dominus discipulis suis dixit: Scitis quia post biduum Pas-
Matt. 26. cha fiet, & filius hominis tradetur vt crucifigatur. Eodem etiam die (sicut suprà ostendimus) pœnitentes reconciliantur: quia scilicet ipsa die, qua sacramenta corporis & sanguinis sui Dominus primùm confecit, ac discipulis suis percipienda tradidit, oportebat ad hæc resumenda pœnitentes restaurarentur: eo videlicet tempore, quo sanguis Christi in remissionem omnium fusus est peccatorum.

De Parasceue. Cap. 37.

Parasceue, id est, sexta sabbati, ideò in solẽnitate habetur, quia in eo die Christus mysterium crucis expleuit, propter quod venerat in hunc mundum: vt qui ligno percussi fueramus in Adam, rursùs per ligni mysterium sanaremur. Huius enim causa triumphi, humana pusillitas Christo per omnem mundũ celebritatem annuam præbet, pro eo quòd dignatus est sanguine passionis suæ seculum redimere, & peccatũ mundi per crucem morte deuicta absoluere: cuius quidem crucis iniuriam non pertulit illa diuinitatis substãtia, sed sola susceptæ humanitatis natura. Passio enim corporis fuit: diuinitas verò exors iniurię mansit. Tripartita autem ratio Dominicæ Passionis ostenditur. Prima itaque causa est, vt Christus pro reatu mundi redemptio daretur: scilicet, vt quos serpens absorbuerat, euomeret, & prædam quam tenebat, amitteret, non potentia victus, sed iustitia, non dominatione, sed ratione. Secunda causa est, vt secuturis hominibus vitę magisterium præberetur. Ascendit enim in crucem C
Christus, vt nobis passionis & resurrectionis præberet exemplum: passionis, ad firmandam patientiam: resurrectionis, ad excitandã spem: vt duas vitas nobis ostenderet in carne: vnam laboriosam, alteram beatam: Laboriosam, quã tolerare debemus: beatam, quam sperare debemus. Tertia causa est susceptæ crucis, vt superba seculi & inflata sapientia, per crucis stultam, vt putatur, prædicationem humiliata, corrueret: vt pateret id quod stultũ Dei est, quanto sit hominibus sapientius: & quod infirmum Dei est, quanto sit fortius tota hominum fortitudine. Docet autem Apostolus Paulus illuminatos nos debere oculos cordis habere, ad intelligendum quæ sit latitudo crucis, & longitudo, & altitudo, & profundum. Crucis latitudo, est transuersum lignum quo extenduntur manus. Longitudo, à latitudine deorsùm vsq; ad terram. Altitudo, à latitudine sursùm vsque ad caput. Profundum verò, quod terræ infixum absconditur. Dicitur enim homini: Matt. 16.
Tolle crucem tuam, & sequere me. Dum enim Mar. 8.
cruciatur caro, cùm mortificantur mẽbra nostra super terram, fornicatio, immunditia, luxuria & cætera, dumque exterior homo corrumpitur, vt interior renouetur de die in diem, passio est crucis. Et hæc quidem dum sint bona opera, tamen adhuc laboriosa, quorum merces requies est. Ideoque dicitur, Spe gaudentes: Rom. 12.
vt cogitantes scilicet requiem futuram, cũ hilaritate & laboribus operemur. Hanc hilaritatem significat crucis latitudo in transuerso ligno, vbi figuntur manus: per manus enim opus intelligitur: per latitudinem, hilaritas operantis, quia tristitia facit angustias. Porrò per altitudinem crucis, cui caput adiungitur, expectatio supernæ retributionis de sublimi iustitia Dei significatur: vt & ipsa opera bona

non

nõ propter beneficia Dei terrena ac tẽporalia A
facienda credantur, sed potiùs propter illud quod desupèr sperat fides, quæ per dilectionẽ operatur. Iam verò per longitudinem, qua totum corpus extenditur, ipsa tolerantia significatur, vt longanimes permaneamus. Vndè longanimes dicuntur, qui tolerant. Per profundum autem, hoc est, partem illam ligni, quæ in terræ abdito defixa latet, sed indè cõsurget omne quod eminet, inscrutabilia indicantur iudicia Dei: de quibus occulta eius voluntate vocatur homo ad participationẽ tantæ gratiæ Dei: Hac ergò die Ecclesię altaria indumentis suis B
spoliata denudantur, quia in ea Christus suis
Matt. 27. vestimentis exutus esse legitur, & velum templi scissum esse, occiso Christo, per Euangeliũ prędicatur. Hac die in Ecclesia luminaria non accenduntur, quia in ipso, Redemptore crucifixo, sidera obscurabantur. In hac die sanctarum plebium pręsules, qui mandata sibimet legatione funguntur, apud diuinam clementiam humani generis agunt causam, & tota secum Ecclesia congemiscente, postulant & precantur: primum, pro statu totius Ecclesię Christi: Deindè, vt infidelibus donetur fides, & idolo- C
latrę ab impietatis suæ liberentur erroribus: vt Iudęis ablato cordis velamine, lux veritatis appareat: vt hęretici catholicę fidei receptione resipiscant: vt schismatici spiritũ rediuiuę charitatis accipiant: vt lapsis pœnitentię remedia cõferantur: vt deniq; catechumenis ad regenerationis sacramenta perductis, cęlestis misericordię aula reseretur: quia pro horum omnium redemptione, in hac die sanguis effusus est Christi. Hęc autem non inaniter à Domino peti, rerum ipsarum monstrat effectus: quomodo quidem ex omni errorum genere plurimos Deus D
dignatur attrahere, quos erutos de potestate tenebrarum transferat in regnum filij charitatis: ex vasis irę, faciat vasa misericordiæ. Quod adeò totum diuini operis esse sentitur, vt hęc efficienti Deo semper gratiarum actio, laudisque confessio pro illuminatione talium vel correctione referatur. Ipsa die à Pontifice & à clero & ab omni Populo species sanctæ Crucis salutatur: quia passio Redemptoris à fidelibus in hora redemptionis suę digna laude veneratur. In hac die sacramenta penitus non celebrantur: sed Eucharistiam in cœna Domini consecratam, peracto officio lectionũ & orationum, E
& sanctę Crucis salutatione, resumunt: quia vt Innocentius Papa testis est, ex eo quòd Apostoli & amatores Christi eo biduo quo crucifixus & sepultus Saluator est, in mœrore constituti, ab omni cibo abstinuerunt se; hinc traditio Ecclesiæ habet, biduo memorato sacramenta non celebrari: sed magis sanctam resurrectionis noctem expectari, & in ipsa cum lętitia & gaudio speciali sacrificium offerri. In hac die vespera cum silentio celebratur, vt quieti Dominicę sepulturę veneratio exhibeatur.

De Sabbato sancto Paschæ. Cap. 38.

Sabbati Paschalis veneratio hinc celebratur, pro eo quòd eadem die Dominus in sepulcro quieuit: vndè & benè in Hebręo sermone sabbatũ requies interpretatur: siue, quòd Deus in eo requieuit die, mundo perfecto: siue, quòd in eo Dominus & Redemptor noster requieuit in sepulchro. Hic autem dies inter mortem Domini & Resurrectionem medius est, significans requiem quandam animarum ab omni labore, omniumque molestiarum post mortem, per quam fit transitus per resurrectionem carnis ad illam vitam, quam Dominus noster Iesus Christus sua resurrectione pręmõstrasse dignatus est. In hac die cum omni silentio & tranquillitate oportet nos manere, & cum oratione & psalmodia sanctam resurrectionis horam expectare: nè nos magis cura secularis infestet, & terrena negocia inquietent, quàm spiritalia studia, & cura salutaris animarum nostrarum occupent. Hac autẽ die inclinante ad vesperam, statuta celebratio noctis Dominicæ in Ecclesia incipitur: & primùm, secundùm institutionem Zosimi Papę, archidiacono cereum benedicente, aptè quidem fit, vt in consecratione luminis, Paschalis celebratio incipiat, quæ æternæ lucis nobis contulit claritatem. Deindè lectionum veteris testamenti & orationum ordo peragitur, vt innotescat quanta expectatione à primordio mundi, per patriarchas & prophetas salus nostra prælagiebatur, quæ in Saluatoris nostri passione & resurrectione cõpleta est. Deindè litaniæ aguntur, vt communicatio & memoria & oratio sanctorum, nos ad ventura gaudia consequenda adiuuet, quas sequitur baptismi sacramentum, & ascendit grex de lauacro. Quicumque autem scire desiderat, quanta auctoritate & ratione baptismus istius temporis nobis commendatur, legat decreta Leonis Papæ, & inueniet. Post baptismum verò & litanias, sequitur sancta Missarũ celebratio, & cõmunicatio corporis & sanguinis Domini: cuius participatione quicumque fidelium se hac nocte abstinuerit, nescio quomodò dicam illum Christianum, exceptis his qui pro capitalibus criminibus excommunicati pœnitentiam gerunt. Notandum verò quòd apud Hieronymum legimus, quòd in orientalibus ecclesiis mos sit in hac nocte, ante mediã noctem fideles ab Ecclesia nõ recedere, horam illam expectantes in sacris vigiliis, de qua scriptum est, Media nocte clamor factus est, & Matt. 25.
reliqua.

De Pascha Domini. Cap. 39.

Iam verò Paschale sacramentum, quòd nũc in Saluatoris nostri mysterium manifestissimè celebratur, in veteri testamento figuraliter primũ gestũ est, quandò agno occiso Pascha celebrauit populus Dei in Ægypto: cuius figura

Universidad de Deusto
Biblioteca

in veritate cõpleta est in Christo, qui sicut ouis A
ad immolandum ductus est: cuius sanguine inlinitis postibus nostris, id est, cuius signo crucis signatis frontibus nostris, à periclitatione huius seculi, tamquàm à captiuitate Aegyptia liberamur. Cuius quidem diem Paschalis resurrectionis non solùm pro eo celebramus, quòd in eodem à mortuis resurrexit, sed etiam & pro aliis sacramentis quæ per eumdem significantur. Quia enim, sicut dicit Apostolus, mortuus est propter delicta nostra, & resurrexit propter iustificationem nostram, transitus quidem de morte ad vitam, in illa passione Domi B
ni & resurrectione sacratus est. Nam & vocabulum ipsum, quod Pascha dicitur, non Græcum, sed Hebræum est. Neque enim à passione (quoniam πάσχειν Græcè pati dicitur) sed à transitu Hebræo verbo Pascha, appellatum est: quod & maximè Euangelista expressit, cùm celebraretur à Domino Pascha cum discipulis: Ioan. 13. Cùm vidisset, inquit, Iesus quia venit hora vt transiret de mundo ad Patrem. Transitus ergò de hac vita mortali in aliam vitã immortalem, hoc est, de morte ad vitam, in passione & resurrectione Domini commendatur. Hic transitus C
à nobis modò agitur per fidem, quæ nobis datur in remissionem peccatorum, quandò consepelimur cum Christo per baptismum, quasi à mortuis transeuntes de peioribus ad meliora, de corporalibus ad spiritualia, de conuersatione huius vitæ, ad spem futuræ resurrectionis & gloriæ. Propter ipsum ergò initium nouæ vitæ ad quam transimus, & propter nouum hominem quem iubemur induere, & exuere veterẽ, 2. Cor. 5. expurgantes vetus fermentum, vt simus noua conspersio, quoniam Pascha nostrum immolatus est Christus, propter hanc vitæ nouitatem, primus mensis in anni mensibus celebrationi D
huic attributus est: Nam ipse dicitur & mensis nouorum. Quia verò in toto tempore seculi nũc tertium tempus apparuit, ideò resurrectio Domini triduana est. Primum enim tempus est ante legem, secundum sub lege, tertiũ sub gratia: vbi iam manifestatum est sacramẽtum, quod erat in prophetico ænigmate occultum. Hoc ergò & in lunari numero significatur: quia enim numerus septenarius solet in scripturis ad quandam perfectionem mysticus apparere, in tertia hebdomada lunæ Pascha celebratur, E
id est, qui dies occurrerit à decimoquinto in vigesimum primum, sed nec solùm propter tempus tertium, quia inde incipit hebdomada tertia, sed etiam propter illam conuersionem lunæ, (tunc enim illa ab inferioribus ad superiora conuertitur) & hæc nobis de luna similitudo assumitur, de visibilibus ad inuisibilia, de corporalibus ad spiritualia sacramenta transire, vt magis magisque huic seculo moriamur, & vita nostra abscondatur cum Christo, omnemque lucem studij nostri, quę ad inferiora vergebat, ad superiora conuertamus, ad illam scilicet æternam contẽplationem immutabilis veritatis. Vsque ad vicesimam verò & primam ideò Pascha obseruatur, propter numerum septenariũ, quo vniuersitatis significatio sæpè figuratur, qui etiã ipsi Ecclesiæ tribuitur, propter instar vniuersitatis: ideoq; & Ioãnes Apostolus in Apocalypsi septem scripsit ecclesiis. Ecclesia verò adhuc in ista mortalitatis carne constituta, propter istam mutabilitatem, lunæ nomine in scripturis sæpè vocatur. Quòd verò anniuersarius dies Paschalis nõ ad eumdem redit anni diem, sicut putà dies quo creditur Dominus natus, hoc fit propter Dominicum diem & lunam. Manifestum est enim, quo die Dominus crucifixus sit, & in sepulcro fuerit, & resurrexerit. Adiuncta est enim ipsorum dierum obseruatio per Nicænum concilium, & orbi vniuerso Christiano persuasum, eo modo Pascha celebrari oportere, vt non solùm lunam paschalem, sed & diẽ Dominicum, in quo resurrexit à mortuis, expectare debeamus. Indè est, quòd ad eundẽ anni diem non reuertatur Pascha. Nam Iudęi tantumdẽ mensem nouorum & lunam obseruant: diẽ autem addendum patres nostri censuerunt, vt & nostra festiuitas à Iudæorũ festiuitate distingueretur. Initium videlicet primi mensis obseruandum est, ab octauo Iduum Martiarum, vsq; in Nonarum Aprilium diem. Quartadecima verò luna Paschæ, à duodecima Kalendas Aprilis, vsque in decimamquartã Kalendas Maij, quærenda est. Porrò dies Paschæ Dominica, ab vndecima Kalendas Aprilis vsque in septimã Kalendas Maij: & hoc à luna quintadecima, vsque ad vicesimamprimam. Nunquàm ergò contingere potest, vt luna xiiij. primi mensis, ante vernale æquinoctium, quod fit in xij. Kalendas Aprilis eueniat: quia luminare minus, luminare maius sequi in plenitudine sua, non præcedere debet. Nam cum in veteri testamento tribus argumentorum indiciis paschale tempus obseruari sit præceptum, videlicet, vt post æquinoctium, vt mense primo, vt tertia eius septimana, id est, à vespera xiiij. lunæ, quod est initium xv. vsque in vesperam, id est, terminum * vicesimæprimę celebretur: quarta in eiusdem obseruatione regula est nobis à tẽpore Dominicæ resurrectionis impositа, vt cum æquinoctio transcenso, lunam primi mensis quartamdecimam vespere ortum facere viderimus, non statim ad faciendum Pascha prosiliamus, sed Dominicum diem expectantes, in ipso congruè Pascha celebremus. Et si fieri posset, vt eadem omnibus annis sabbati die luna quartadecima cõtigisset, nihil nostrę paschalis obseruantię tempus à legali di screparet. Nam & nos ipsi iuxta legis edicta, semper quartadecima luna primi mensis ad vesperã, immolantes & comedentes agni immaculati carnem, sanguinemque illius ad repellendum exterminatorẽ nostris postibus adspergentes, id est, baptismi, & Paschalium celebrantes solennia Missarum, spiritalem superamus Ægyptum: atque illucescente mane in luna xv. mensis

*al. vicesimæ

mensis eiusdem, primum azymorum diem intraremus, septemque dies eiusdem celebritatis legitimos à manè xv. diei, vsque in vesperam vicesimiprimi mensis ipsius, id est à Dominico Paschæ, vsque in Dominicum octauum Paschæ, debita veneratione compleremus: Sed quoniam lunæ dies eadem diuersas septimanæ deuoluitur in ferias, inde fit, vt qui propter resurrectionem redemptoris nostri Dominicum diem, Paschæ initium seruare docemur aliquoties nostra festiuitas septimo post legaliũ azymorum exordium die umat ingressum: non tamen vnquam contingat, vt non nostra solennitas paschalis, aliquem legalium paschæ dierũ, sæpè autem omnes intra se complectatur. Notandum tamen quòd inter pascha & azyma legis hoc distat, quòd illa vna dies, qua agnum occidi necesse erat, & nocte sequenti transiens Exo. 12. Dominus primogenita Aegyptiorum percussit, liberans domus filiorũ Israel signatas agni sanguine, Pascha dicebatur: Sequentes verò dies vij. id est, à xv. vsque ad vicesimam primam mensis eiusdem, azymorum propriè vocabantur. Quem legalium morem Ecclesia non ignobiliter etiam nunc imitatur: vnam videlicet noctem transitus Dominicæ resurrectionis à mortuis, qua impios triumphando, fideles saluare dignatus est, principaliter obseruans, ac deindè alios septẽ dies in memoriam eiusdem Dominicæ resurrectionis congrua festiuitate subiungens, quos vij. dies Albas vocitamus, propter eos qui in sancta nocte baptizati, albis per totam hebdomadam vtuntur vestibus: & tunc maximè dum alba tolluntur à baptizatis vestimenta, per manus impositionem D
à Pontifice Spiritum sanctum accipere conueniens est, qui in baptismo omnium receperunt remissionem peccatorum, & per vij. dies in angelico castitatis habitu, & luminibus cælestis claritatis, sanctis assistere sacrificiis solent,

De Ascensione Domini. Cap. 40.

ASCensionis Dominicæ solennitas ideò celebratur, quia eodem die post mundi victoriã post inferni regressum, ascendere Christus memoratur ad cælos, sicut scriptum est, E
Psal. 67. Ascendens in altum, cepit captiuitatem, dedit dona hominibus. Quæ festiuitas ideò per reuolutum circulum annorum celebratur, vt humanitas assumptæ carnis ascendẽtis ad dexteram patris in memoriã reuocetur: cuius corpus ità in cælo esse credimus, vt erat quandò ascendit: quod & vox angelica protestatur, dicens: Sic Act. 1. veniet quemadmodùm vidistis eum euntem in cælum, id est, in eadem carnis specie atq; substantia, cui profectò carni immortalitatem dedit, naturam non abstulit. Dextera autem patris, ad quam idem filius sedere creditur, non est corporea, quod nefas est de Deo sentire: sed dextera patris, est beatitudo perpetua, quæ sanctis in resurrectione promittitur, id est, vniuersæ Ecclesię quæ est corpus Christi: sicut & sinistra eius rectè intelligitur miseria & pœna perpetua, quæ impijs dabitur. Ante hanc ergò diẽ Ascensionis Domini, mos est Ecclesiarum Occidentis, per tres dies proximos ieiunium exercere, & litanias agere: & hoc congruè. Nam si credimus Christum in hoc tempore ad cælos ascendisse, dignum est etiam, vt ante Ascensionis diem operam demus ieiuniis & orationibus castigantes carnem nostram, & crucem eius in nobismetipsis gestantes: quatenùs illum sequi mereamur. Qui enim inquit, vult post me Luc. 9. venire, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me. Sicut ergò portamus in manibus nostris speciem crucis eius, ità portemus & in carne nostra similitudinem passionis Gal. 5. eius, Qui autem sunt Christi, dixit Apostolus, carnem suam crucifixerunt cum vitiis & concupiscentis. Et ità fiet, vt vbi Christus post resurrectionem suam cũ gloria ascendit, illuc & nos resurgentes à mortuis, in carne incorruptibili per eius gratiam ascendere valeamus, C
sicut dicit idem Apostolus: Si enim, inquit, Rom. 6. complantati facti sumus similitudini mortis eius, simul & resurrectionis erimus.

De Pentecoste. Cap. 41.

INitium sanè & causa festiuitatis Pẽtecostes, id est, quinquagesimæ, Paulo altiùs repetenda est. Pentecostes, enim dies hinc cepit exordium, quandò Dei vox in Sina monte desuper intonans audita est, & lex data est Moysi: In nouo autem testamento Pentecostes cœpit, quandò aduentum sancti Spiritus quem Christus promisit, exhibuit: quem ait non esse venturum, nisi ipse ascendisset in cælum. Denique dum portam cæli Christus intrasset, decem diebus interpositis, intremuit subitò orantibus Apostolis locus, & descendente Spiritu sancto super eos, inflammati sunt, ità vt linguis omnium gentium, DEI magnalia loquerentur. Aduentus itaque Spiritus sancti de cælo super Apostolos in varietate linguarũ diffusa, solennitatem transmisit in posteros, eaque de causa Pentecoste celebratur, & dies ipse proindè insignis habetur. Cõcordat autem hæc festiuitas Euangelij, cum festiuitate legis. Illic enim posteaquàm agnus immolatus est, interpositis quinquaginta diebus, data est lex Moysi scripta digito Dei: Hic postquàm occisus est Christus, qui tamquam ouis ad immolandum ductus est celebratur verum Pascha, & interpositis quinquaginta diebus, Spiritus sanctus datur qui est digitus Dei, super CXX. discipulos, Mosaicæ ætatis numero constitutos. Siquidem & hæc festiuitas aliud obtinet sacramentum. Constat enim ex vij. septimanis. Sed dierum quidem septimanæ generant eandem Pentecosten, in quo fit peccati remissio per Spiritum sanctum: Annorum verò septimanæ, quinquagesimum annum faciunt, qui apud Hebræos Exo. 22. & 20.

iubileus

Universidad de Deusto
Biblioteca

Iubileus nominatur, in quo similiter terræ fit remissio, & seruorum libertas, & possessionum restitutio, quę precio fuerãt comparata. Septẽ etenim septies multiplicati, quinquagenarium ex se generant numerum, assumpta monade, quam ex futuri seculi figura præsumptam esse, Maiorum auctoritas tradit. Fit enim ipsa & octaua semper, & prima: immo ipsa est semper vna, quæ est omnis dies. Necesse est enim sabbatismum animarum populi Dei, illic occurrere, atque ibi compleri, vbi datur pars his qui octo: sicut quidam differens, Salomonis dicta sapienter exposuit: idcircò autem totius quinquagesimæ dies post Domini resurrectionem resoluta abstinentia in sola lętitia celebrantur, propter figuram futuræ resurrectionis, vbi iam non labor, sed requies erit lætitię. Ideò his diebus nec genua in oratione flectuntur, quia sicut quidam sapientum ait, Inflexio genuum, pœnitentiæ & luctus indicium est. Vndè etiam per omnia eandem in illis solennitatem, quam Dominico die custodimus, in qua Maiores nostri nec ieiunium agendum, nec genua esse flectenda, ob reuerentiam Dominicę resurrectionis, tradiderunt. His diebus sanctis Alleluia propter gaudium resurrectionis assiduè esse cantandum in Ecclesia, magistri sanciuerũt Ecclesię. Quia verò à Dominica Septuagesimę toto tempore ieiunij vsque in Pascha, quo pœnitentię & corporis nostri mortificationi instare debemus, ab ista laude abstinendum est, licet nullo tempore in Ecclesia laus Dei desit: ita in diebus solennitatis Paschalis, immò per totam Quinquagesimam vsq; in Pentecosten, atque in Dominicis diebus, quando lętari nos conuenit, & ieiunio relaxari, sine cessatione illam in cantu frequentare debemus. Ante Pascha ergò tempus ieiunij, præsentis vitę significationem tenet, quia propter peccata nostra pœnis çrumnisque quotidiè affligimur: Tempus verò Quinquagesimę paschalis, futuram resurrectionem corporum nostrorum, & æternam in cęlis vitam, eò quòd caput nostrum eo tempore resurrexerit, demonstrat, ac ideò cæleste canticum Alleluia, quod Ioannes Apostolus in cęlis sanctorum turbam multam canere in Apocalypsi commemorat, eo tempore frequentandum est, quo immortalitatem nostram desideramus. Saluatoris nostri glorificationem celebrantes: & hoc optandum, vt qui in terra aliena positi, canticum Domini cantare dignè non possumus, ad terram viuentium perueniamus, quò sine fine gaudentes, canticum nouũ Domino sine cessatione in æternum decantemus. In sabbato autem sancto Pentecostes, sicut in sabbato sancto Paschę, baptismum celebratur, lectionibus veteris testamenti antè recitatis, & orationibus atq; litaniis antè peractis, subsequente sancta Missarũ celebratione. Benè quoquè sabbatum sanctum Pentecostes simili celebratione sabbato sancto Paschę veneratur, quia ipse vnigenitus Dei filius in fide credentium, & in virtute operum, nullam inter se & Spiritum sanctum voluit esse distantiam, quia nulla est diuersitas in natura, dicẽs: Ego rogabo Patrem, & alium paracl*tum dabit vobis, vt vobiscum sit in ętternum, spiritum veritatis. & iterum: Paracl*tus autem Spiritus sanctus, quem mittet pater meus in nomine meo, ille vos docebit omnia, & suggeret vniuersa quęcumque dixero vobis. & iterum: Cùm venerit ille Spiritus veritatis, diriget vos in omnem veritatem. cùm itaq; veritas Christus sit, & Spiritus sanctus spiritus veritatis, nomenq; paracl*ti vtriq; sit proprium, non dissimile est festum, vbi vnum est sacramentum.

Ioan. 14.

De die Dominico. Cap. 42.

DOminicum diem Apostoli ideò religiosa solennitate sanxerunt, quia in eodem Redemptor noster à mortuis resurrexit. Ideò Dominicus appellatur, vt in eo à terrenis operibus, vel mundi illecebris abstinentes, tantũ diuinis cultibus seruiamus, dantes scilicet diei huic honorẽ & reuerentiam, propter spem resurrectionis nostrę, quam habemus in illa. Nã sicut ipse Dominus Iesus Christus & Saluator noster tertia die resurrexit à mortuis, ita & nos resurrecturos in nouissimo die speramus. Vndè etiam in Dominico die stantes oramus, quod est signum futurę resurrectionis. Hoc agit Ecclesia vniuersa, quę in peregrinatione mortalitatis inuenta est, expectans in fine seculi, quod in Domini nostri Iesu Christi corpore prœmonstratum est, qui est primogenitus à mortuis. Sabbatum autem à priore populo inocio corporaliter celebratum legimus, vt figura esset in requié: vndè & sabbatum requies interpretatur: Dies autẽ Dominicus, non Iudęis, sed Christianis per resurrectionẽ Domini declaratus est: & ex illo cœpit habere festiuitatẽ suam. Ipse est enim dies primus, qui post septimum reperitur octauus. vndè & in Ecclesiaste ad duorum testamentorum significationem dicitur: Illi septem, eidẽ illi octo. Primo enim solum celebrandum sabbatum traditũ est, quia erat antea requies mortuorum: resurrectio autẽ nullius erat vsq; ad Christum Dominum, qui resurgẽs à mortuis non moritur, mors illi vltra non dominabitur. Iam postquàm facta est talis resurrectio in corpore Dñi, vt præiret in capite Ecclesię, quod corpus Ecclesię sperare in fine, dies Dñicus octauus, qui & primus, in festiuitate succesſit. Appáret autẽ hũc diẽ etiam in scripturis sanctis esse solẽnem. Ipse enim est dies primus seculi: in ipso formata sunt elementa mundi: in ipso creati sunt Angeli, in ipso quoque à mortuis resurrexit Christus: in ipso de cęlis Spiritus sanctus super Apostolos descendit: manna in eo die in eremo primò de cęlo datum est. Sic enim dicit Dominus: Sex diebus colligetis manna: in die autẽ sexto duplum colligetis. Sextus enim dies est parasceue, qui ante sabbatum ponitur: sabbatum autem septimus dies est, quem sequitur Dominicus, in quo primùm manna de cælo venit. Vndè intelligãt Iudæi, iam tunc prælatam esse Iudaico sabbato Dominicam nostram: iam tunc indicatũ, quòd in sabbato ipsorum, gratia Dei de cælo ad eos nulla descenderit: sed in nostra Dominica, in qua primum Dominus eam pluit.

Eccles 11.

Rom. 6.

Exo. 16.

De festiuitatibus Sanctorum. Cap. 43.

FEstiuitates Apostolorum siue in honorem martyrum solennitates, antiqui patres in veneratione mysterio celebrare sanxerunt: vel ad excitandam imitationem, vel, vt meritis eorum consociemur, atq; orationibus adiuuemur, ita tamen, vt nulli martyrum, sed ipsi Deo martyrum, quamuis in memoriis martyrum constituamus altaria. Quis enim antistitum in locis sanctorum corporum assistens altari, aliquando dixit, Offerimus tibi Petre, aut Paule, aut Cypriane? Sed quod offertur, Deo offertur, qui martyres coronauit, apud memorias eorũ quos coronauit, quòd ex ipsorum locorum admonitione maior affectus exurgat ad acuendam charitatem, & in illos quos imitari possumus, & in *illo quo adiuuãte possimus. Colimus ergò martyres eo cultu dilectionis & societatis, quo & in hac vita coluntur sancti homines Dei: quorum cor ad talem pro Euangelica veritate passionem paratum esse sentimus: sed illos tanto deuotiùs, quanto securiùs post incerta omnia superata, quanto etiam fidentiori laude prædicamus, iam in vita feliciore victores, quàm in ista adhucusq; pugnantes. At verò illo cultu, qui Græcè λατρεία dicitur, Latinè vno verbo dici non potest, cùm propriè sit quædam diuinitati debita seruitus: nec colimus, nec colendum docemus, nisi vnum Deum. Cùm autem ad hũc cultum pertineat oblatio sacrificij, vndè Idololatria dicitur eorum, qui hoc etiam idolis exhibent, nullo modo aliquid tale offerimus aut offerendum præcipimus, vel cuiquã martyri, vel cuiquam sanctæ animæ, vel cuiquam angelo: & quisquis in hunc errorem dilabitur, corripiatur per sanam doctrinam: siue vt corrigatur, siue vt caueatur, dum etiam ipsi sancti vel homines, vel angeli, exhiberi sibi nolint, quod vni Deo deberi norint. Apparuit hoc in Paulo & Barnaba, cùm moti miraculis, quæ per eos facta sunt, Lycaonij, tamquam deis immolare voluérunt. Conscissis enim vestimẽtis suis confitentes & persuadentes se deos non esse, ista sibi fieri vetuerunt. Apparuit & in Angelis sicut & in Apocalypsi legimus, Angelũ se adorari prohibentẽ, ac dicentẽ adoratori suo: Cõseruus tuus sum, & fratrum tuorũ, Deũ adora. Rectè itaque scribitur, homini ab angelo prohibitum esse adorare se: sed vnum Deum, sub quo ei esset & ille conseruus. Non ergo sit nobis ille diuinæ religionis cultus in angelos aut martyres, quia non sic habẽtur, vt tales quærant honores vt Deus: quia nec ipsi volũt se coli pro Deo: sed illum à nobis coli volunt, quo illuminante lætantur. Honorandi ergò sunt martyres propter imitationem, non adorandi propter religionem; honorandi charitate, non seruitute. Notandum verò, quòd Felix Papa Romanus vigesimus septimus post sanctum Petrum, primus legitur constituisse, supra memorias martyrum, Missas celebrari. Attamen beatus Gregorius Papa sexagesimus sextus Romanæ vrbis constituit supra corpus Missas celebrari. Dicuntur quidem sanctorum festiuitates natalitia, & meritò. Quomodò enim nasci dicitur, cũ quis de vtero matris procedens in lucẽ egreditur: ità rectissimè potest natus dici, q. à vinculis carnis solutus, ad lucem sublimatur æternam: & indè mos obtinuit ecclesiasticus, vt dies beatorum martyrum siue confessorum Christi, qui de seculo transierunt, natales vocitemus, eorumque solennia, non funebria, sed natalitia dicantur.

Aug. de ciuit Dei.

Act. 14.

Apoc. 19.

De Sacrificiis pro defunctis offerendis. Cap. 44.

SAcrificium pro defunctorum fideliũ requie offerre, vel pro eis orare, quia per totum orbem hoc custoditur credimus, quòd ab ipsis Apostolis traditum sit. Hoc enim vbique catholica tenet Ecclesia: quæ nisi crederet fidelibus defunctis dimitti peccata, non pro eorum spiritibus vel eleemosynam faceret, vel sacrificiũ Deo offerret. Nam & cum Dominus dicit, Qui peccauerit in Spiritum sanctum, non remittetur ei in hoc seculo, neque in futuro, demõstrat quibusdam illic dimittẽda peccata, & quodam purgatorio igne purganda. Ergò vt in libris dialog. S. Gregorius narrat, & Beda magister in gestis Anglorum, frequenter exemplo ostensum seu visione reuelatum est, animabus defunctorum multum prodesse oblata pro eis sacrificia. Et in quodam loco dictum est à S. Augustino, defunctorum animas sine dubio pietate suorum viuentium releuari, cùm pro illis sacrificium offertur, vel eleemosynæ fiunt: si tamen aliquod quisq; sibi meritum præparauit, dum adhuc in corpore viueret, pro quo ista prosint, quæcumque pro illo fiunt. Nam non omnibus prosunt, nisi propter differentiam vitæ, quam quisque gessit in corpore. Nam pro valde bonis gratiarum actiones sunt: pro non valdè bonis, & non valdè malis, propitiationes sunt: pro valdè malis, etiamsi nulla sunt adiumenta mortuorum, qualescunque tamen viuorum consolationes sunt. Quibus autem prosunt, aut ad hoc prosunt, vt sit plena remissio: aut certè vt tolerabilior fiat ipsa damnatio.

Matth. 12.

* * *

De

Universidad de Deusto
Biblioteca

De Encæniis, & vnde omnis ordo ille originem duxerit. Cap. 45.

FEstiuitates annuas dedicationis ecclesiarũ ex more veterum celebrari in Euãgelio legimus, vbi dicitur, Facta sunt autem encænia Hierosolymis. Encænia quippe festiuitates erãt dedicationis tẽpli. Græcè enim καινὸν, dicitur nouum. Quandocunque enim aliquid nouum fuerit dedicatum, encænia vocatur. Illum enim diem quo dedicatum est tẽplum à Salomone, sicut Regum liber & Paralipomenon narrat, Iudæi solenniter celebrabant, & ipse dies apud eos festus habebatur: qui vsus videlicet in illis exoleuit, qui caruerunt & cultu & templo. Christiani autem seruant morẽ illum patrum, in quibus gloria translata videtur. Nam quod in dedicatione templi in nocte præcedente diẽ dedicationis, reliquiæ sanctorum feretro conditæ in tentorio vigiliis custodiuntur: quid aliud demonstrat, quàm quòd arca testamenti cum sanctis quæ in ea erant, in tabernaculo Mosaico ante ædificationem templi per excubias Leuitarum seruabatur? Et quòd in tempore dedicationis multitudine vndique conuocata, feretrum cum reliquiis sanctorum per sacerdotes de tentorio ad templum defertur, quid aliud intimat, quàm quod liber Paralipomenon narrat, quòd venerunt omnes viri Israel ad regem Salomonem in die solenni, & portauerunt Leuitæ arcam fœderis Domini cum omni apparatu tabernaculi, & intulerunt eam sacerdotes in locum suum, id est, oraculum templi in sancta sanctorum? Quòd verò Pontifex simul cum sacerdotibus feretrum portantibus, & omni clero ac cætero populo laudes & litanias canendo antequàm ingrediatur in templum, ter foris illud circumit: quid aliud significat, quàm quòd in aduentu Domini & sanctorum eius, qui fit per inuocationẽ nominis eius, sicut ipse dixit: Vbi duo vel tres congregati fuerint in nomine meo, in medio eorum sum, omnis superbia & virtus diaboli, si qua in domo latitauerat, coruat & dissipetur, & quod secundum Prophetam, exaltabitur Dominus solus in die illa, & vocabitur deincèps nomen loci illius, Dominus ibidem? Legimus etiã in Iesu Naue, quòd sacerdotes & Leuitæ, atque vniuersus Israel simul cum arca Domini circumierint vrbem Iericho, & sacerdotibus clangentibus buccinis, & conclamãte vniuerso populo, subitò corruerint muri ciuitatis: quod vtiq; significat, ad vocem prædicationis & laudis Domini, post Saluatoris aduentum, superbiam mundanam corruisse, & regnum diaboli destructum esse. Quòd verò duodecim lucernæ intùs iuxta parietes templi, ponũtur, duodenariũ numerũ exprimit Apostolorum & Patriarcharum: quem etiam Ioannes Apostolus in Apocalypsi commemorat in ędificio cælestis Hierusalem esse insignem. Quòd verò altare post aspersionem aquę chrismate perungitur, ad imitationem Patriarchæ Iacob factum est, qui post visionem illam terribilem, erexit lapidem in titulum, fundens oleum desuper, vocans locum, domus Dei. Legitur in Exodo, quòd Moyses faceret sanctum vnctionis oleum, vngeretq; ex eo tabernaculum testimonij, & arcam testamenti, mensamq; cum vasis suis, candelabrum & vtensilia eius, altare thymiamatis & holocausti, & vniuersam supellectilem, quæ ad cultum eorum pertinet. Aaron quoque & filios eius, vt sacerdotio Domini fungerentur. Et benè decet, vt res sacrificandæ, sacro chrismatis liniantur vnguento, vt demonstretur, quòd omnis sanctificatio constat in Spiritu sancto, cuius virtus inuisibilis sancto chrismati ad sanctificationem præbendam permixta est. Quòd verò tunc incensum à Pontifice super altare ponitur, significat sacerdotis puram super illud orationem esse debere, vt possit dicere Domino cum Propheta, Dirigatur oratio mea sicut incensum in conspectu tuo. Quòd autem subtus tabulam altaris reliquiæ sanctorũ ponuntur, significat sanctos sub throno Dei sedes & requiẽ habere. Testatur etiam hoc Ioannes in Apocal. cum dicit: Vidi subtus altare animas interfectorum propter verbum Dei, & propter testimonium quod habebant: & clamabant voce magna, dicentes, Vsquequò Domine sanctus & verus, non vindicas & iudicas sanguinem nostrum de his qui habitant in terra? Et datæ sunt his singulæ stolæ albæ, & dictum est illis, vt requiescerent tempus adhuc modicum, donec impleantur cõserui eorum & fratres eorum, qui interficiendi sunt sicut & illi. Perfecta verò dedicatione templi & altaris, induit se Pontifex & clerus vestimentis aliis, & celebrant solenniter sanctam Missarum celebrationem. Et hoc ex veteri vsu seruatum est: quia legitur in Paralipomenõ, quòd postquàm collocata sit arca in loco suo, id est, in sanctis sanctorum, & egressis sacerdotibus de sanctuario, omnes sacerdotes sanctificati sint, & tam Leuitæ quàm cantores, id est, & qui sub Asaph erant, & qui sub Eman, & qui sub Idithun, filij & fratres vestiti byssinis, cymbalis & psalteriis & citharis concrepabant, stantes ad orientalẽ plagam altaris, & reliq. & item: Rex autem & omnis populus, immolabant victimas coram Domino. Et paulò post: Et dedicauit domum Dei rex & vniuersus populus. Sacerdotes autẽ stabant in officiis suis, & Leuitæ in organis carminum Domini, quæ fecit Dauid rex ad laudandum Dominum, quoniam in æternum misericordia eius. In hoc autem istud præstantius est veteri illa dedicatione, quòd illic mactabantur boum & ouium multa millia: hìc verò immolatur agni illius corpus, qui abstulit peccata mundi: illic concrepabat multitudo tubarum & cymbalorum, & cætera instrumenta musicorum: hìc autem iubilus ex deuoto pectore prolatus, suauiter sonat per voces hominum. Quantum autẽ distat ab vmbra veritas, tantum distat à legali victima nostrum sacrificium: & quantum præstat insensibili sensibile, tantum præstat laus vocis humanæ ex puro corde prolata inani flatui tubarum & percussioni cymbalorum. Sed quia omnia in figuram contingebant illis, & nos reuelata facie gloriã Dñi contemplamur, morem illum veterũ translatum in nostra religione tanto congruentius, quanto verùs obseruamus. Omnes autem festiuitates pro varietate regionum, diuersaq; in honorem martyrum tempora, ideò à viris prudentibus instituta sunt, nè fortè rara congregatio populi fidem minueret in Christo. Propterea ergò dies aliqui constituti sunt, vt in vnum omnes pariter conuenirent, & ex conspectu mutuo & fides crescat, & lætitia maior oriatur.

Ioan 10.
Matt. 18.
Esa. 2.
Ioſ. 6.
2. paral. 5.
Gen. 28.
Exo. 30.
Pſal. 140.
Apoc. 6.
2. paral. 5.

De Festiuitatibus veterum, & vnde vel festa vel feriæ sint dictæ. Cap. 46.

FEsti autem dies in veteri lege isti fuerunt, dies azymorum & Phasę, quando luna plenissima abiecto fermento agnus immolabatur: dies Pentecostes, in qua in vertice montis Sina lex data est Moysi, in quo de frugibus primi panes offerebantur propositionis: dies sabbatorum est, in quo ocia celebrabantur, & in quo manna in deserto non licebat colligere: dies Neomeniorũ, celebratio nouæ lunæ. Semper autem Iudæi in mensium principio, hoc est, prima luna, diem festum agebant. Sed idcircò in principio mensis hoc faciebant, quia deficiente luna, tempus finitur, & iterùm nascente, incipitur. Dies autẽ tubarum, septimi mensis principium est, quandò Iudæi solennitatem agentes, amplius tuba canebant, & plura offerebant in eo sacrificia, quàm per singulos menses. In hoc mense, id est, decimo die mensis huius, dies propitiationum, siue expiationũ erat, quãdo Pontifex semèl in anno introibat in sancta sanctorum, & expiabat aspersione sanguinis sancta sanctorum, & populo foris orante, ipse solus intus orabat: tam pro sua quàm populi ignorantia offerens incensum Domino super altare thymiamatis. In quo mense & dies erant celeberrimi scenopegiæ, id est, tabernaculorum, quando à quintodecimo die mensis huius, per septem dies in umbraculis habitabant, sumentes sibi spatulas palmarum, & ramos ligni densarum frondium, & salices de torrente, & lętabantur coram Domino Deo suo, in commemoratione exitus illorum de Ægypto, quia Dominus eos in tabernaculis habitare fecerit, cùm educeret eos de terra Ægypti. Dies Ieiunij, primi, quarti, septimi, & decimi mensis ob eas causas celebres apud eos fuerunt, ob quas supra commemorauimus, cùm de ieiunio disputabamus. Festi autem dies inde vocantur, quòd ius in eis fatur, id est, dicitur: Vt nefasti quibus non dicitur. Similiter & feriæ à fando dicuntur, ob quam causam Siluester Papa primus apud Romanos constituit, vt dierum nomina, quæ anteà secundùm nomina deorum suorum vocabant, id est, Solis, Lunæ, Martis, Mercurij, Veneris, Saturni, ferias deinceps vocarent, id est, prima feria, secunda feria, tertia feria, quarta feria, quinta feria, sexta feria: quia in principio Genesis scriptum est, quòd Deus per singulos dies dixerit, id est prima, fiat lux: secunda, fiat firmamẽtum: tertia producat terra herbam virentem, similiter & cętera. Sabbatum autem antiquo legis vocabulo vocari præcepit, & primam feriam diem Dominicam, eò quòd Dominus in illa resurrexit. Statuit autem idem Papa, vt ocium sabbati magis in diem Dominicam transferretur, vt ea die à terrenis operibus ad laudãdum Deum vacaremus, iuxta illud quod scriptũ est: Vacate & videte, quoniam ego sum Deus. Secundùm hunc autem morem in natalitiis sanctorum vacare, id est, ad laudes Dei celebrandas, sancta nos iubet Ecclesia. Cæterum qui his diebus ad hoc vacare vult ab agri cultura, vt crapulæ & ebrietati deseruiat, vel iocis inanibus operam det, agnoscat se magis peccare per tale ocium, quàm si alicui vtili operi insisteret, Salomone teste, qui ait: Væ illis qui morantur in vino, & studeant calicibus eporandis. & item: Acceptus, inquit, regi ministet est intelligens. iracundiam eius inutilis sustinebit. Sed quia de festiuitatibus celebrioribus, ad institutionem eorum qui in Ecclesia Deo seruiunt, & populo præsunt, secundùm sensum maiorum iam supra diximus, de origine quoque cantus & lectionum, & auctoritate Symboli, adhuc in præsenti libro dicamus.

Gen. 1.
Pſal. 45.
Pro. 23.
pro. 14.

De Cantico. Cap. 47.

CAnticum enim primus omnium Moyses legitur instituisse, quando percussa Ægypto decem plagis, & Pharaone submerso, cum populo per insueta maris itinera, ad desertum gratulabundus egressus est, dicens: Cantemus Domino, gloriosè enim honorificatus est. Itẽ, idem auctor in Deuteronomio canticum præsagum futurorum conscripsit. Deindè quoque Debbora non ignobilis fœmina, in libro Iudicum hoc ministerio functa reperitur: postea multos non solùm viros, sed etiam fœminas spiritu diuino completas, Dei cecinisse mysteria. Canticum autem, vox humana est: psalmus autem, qui canitur ad psalterium.

Exod. 15.
Deut. 32.
Iudic. 5.

De Psalmis. Cap. 48.

PSallere autem vsum esse primum post Moysen, Dauid Prophetam in magno mysterio prodit Ecclesia. Hic enim à pueritia in hoc munus à Domino specialiter electus, & cantorum princeps, Psalmorumq; thesaurus esse promeruit. Cuius Psalterium idcircò cum melodia cantilenarum suauium ab Ecclesia frequentatur,

Universidad de Deusto
Biblioteca

tur, quo faciliùs animi ad compunctionem fle-
A ctantur. Primitiua autem Ecclesia ita psallebat, vt modico flexu vocis faceret resonare psalentem: ita vt pronũcianti vicinior esset quàm canenti. Propter carnales autem in Ecclesia, non propter spiritales, consuetudo cantandi est instituta: vt quia verbis non compunguntur, suauitate modulaminis moueantur. Sic namq; & beatissimus Augustinus in libris cõfessionum suarum, consuetudinẽ canendi approbat in Ecclesia, vt per oblectamenta, inquit, aurium, infirmior animus ad affectum pietatis exurgat. Nam in ipsis sanctis dictis, religiosiùs & ardenB tiùs mouentur animi nostri ad flammam pietatis cùm cantatur, quàm si non cantetur. Omnes enim affectus nostri præ sonorum diuersitate vel nouitate, nescio qua occulta familiaritate excitantur magis, cùm suaui & attificiosa voce cantatur. Psalmistam autem & voce & arte præclarum illustremque esse oportet, ità vt oblectamento dulcedinis, animos incitet auditorum. Vox autem eius non aspera vel rauca, vel dissona, sed canora erit, suauis, liquida, atque acuta, habens sonum & melodiam sanctæ religionis congruentem, non quæ tragicam exC clamet artem, sed quæ Christianam simplicitatẽ in ipsa modulatione demonstret: neque quę musico gestu, vel theatrali arte redoleat, sed quæ compunctionem magis audiẽtibus faciat. Perfecta autem vox est, alta, clara, & suauis. alta, vt in sublime sufficiat: clara, vt aures adimpleat: suauis, vt animis audientium blandiatur. Si autem ex his aliquid defuerit, perfecta vox non erit. Antiqui enim pridiè quàm cantandũ erat, cibis abstinebant: pallentia tãtùm legumina causa vocis sumebant: vndé & vulgò cantores fabarij dicti sunt. Si ergò hoc apud GentiD les tãtùm seruãdæ vocis causa agebatur, quanto magis apud Christianos, quos non tam vocis quàm virtutis ipsius tenet cura, ab omni illecebra voluptatum abstinere oportet?

De Hymnis. Cap. 49.

HYmnos primum eumdem Dauid Prophetam condidisse ac cecinisse, manifestum est: deinde & alios Prophetas. Posteà quidem & tres pueri in fornace positi, conuocata omni creatura, creatori omnium hymnum canenE tes dixerunt. Itaque & in Hymnis & Psalmis canendis, non solùm Prophetarum, sed etiam ipsius Domini & Apostolorum habemus exemplum: & præcepta de hac re vtilia ad mouendum piè animum, & inflammandum diuinæ dilectionis affectum. Sunt autem diuini Hymni, sunt & ingenio humano compositi. Hilarius autem Gallus Episcopus, Pictauis genitus, eloquentia conspicuus, Hymnorum carmine floruit primus: post quem Ambrosius Episcopus, vir magnæ gloriæ in Christo, & in Ecclesia clarissimus doctor, copiosus in huiusmodi carmine floruisse cognoscitur, atq; indè Hymni ex eius nomine Ambrosiani vocantur, quia eius tempore primùm in Ecclesia Mediolanẽsi celebrari cœperunt, cuius celebritatis deuotio, dehinc per totius occidentis Ecclesias obseruatur. Carmina autem quæcumque in laudem Dei dicuntur, Hymni vocantur.

De Antiphonis. Cap. 50.

ANtiphonas Græci primi composuerunt, duobus choris alternatim concinentibus, quasi duo Seraphim, duoque testamenta inuicèm sibi conclamantia. Apud Latinos autẽ primus idem beatissimus Ambrosius Antiphonas instituit, Græcorum exemplum imitatus: ex hinc in cunctis occiduis regionibus, earũ vsus increbruit.

De Responsoriis. Cap. 51.

REsponsoria ab Italis longo tempore antè sunt reperta & vocata hoc nomine, quòd vno canente, chorus consonando respondeat. Anteà autem id solus quisque agebat: nunc interdum duo vel tres communiter canunt, choro in plurimis respondente.

De Lectionibus. Cap. 52.

LEctiones pronunciare, antiquæ institutionis esse, Iudæorum traditio habet. Nam & ipsi legitimis præfinitisque diebus, ex lege & Prophetis, lectionibus in Synagogis vtuntur: & hoc de veteri patrum institutione seruantes. Est autem lectio non parua audientium ædificatio: vndè oportet, vt quandò psallitur, psallatur ab omnibus: cùm oratur, oretur ab omnibus: cùm lectio legitur, facto silentio æquè audiatur à cunctis. Nam & si tunc superueniat quisq; cùm lectio celebratur, adoret tantùm Deum: & præsignata fronte, aurem solicitè accommodet. Patet tempus orandi, cùm omnes oramus: patet, cùm voluerit orare priuatim. Obtentu orationis nè perdideris lectionem, quia non semper eam quilibet paratam potest habere, cùm orandi potestas in promptu sit, nec putes paruam nasci vtilitatem ex lectionis auditu: siquidem oratio ipsa fit pinguior, dum mens recenti lectione sagi-
E nata, per diuinarum rerum, quas nuper audiuit, imagines currit. Nam & Maria soror Mar- Luc. 10.
thæ, quæ sedens ad pedes Iesu, sorore neglecta, verbum intentiùs audiebat, bonam partem sibi elegisse Domini voce firmatur. Ideò & diaconus clara voce silentium admonet, vt siue dum psallitur, siue dum lectio pronunciatur, ab omnibus vnitas conseruetur: vt quod omnibus prædicatur, æqualiter ab omnibus audiatur. Quicumque enim legendi officium decenter & ritè peragere vult, doctrina & libris debet esse imbutus, sensuumque ac verborum scientia perornatus: ita vt in distinctionibus sententiarum intelligat, vbi finiatur iunctura, vbi adhuc pendeat oratio, vbi sententia extrema claudatur: sicq; expeditus, vim pronunciationis obtinebit, vt ad intellectum mentes omnium, sensusq; permoueat discernendo genera pronunciationum, atq; exprimendo proprios sententiarum affectus, modò voce indicantis simpliciter, modò dolentis, modò indignantis, modò increpantis, modò exhortantis, modò miserantis, modò percontantis, & his similia secundùm genus propriæ pronunciationis, expromenda sunt. Multa sunt enim in scripturis, quæ nisi proprio modo pronuncientur, in contrariam recedunt sententiam, sicut
Rom. 8. est illud Apostoli. Quis accusabit aduersùs electos Dei? Deus qui iustificat. Quod si quasi confitmatiuè non seruato genere pronũciationis suæ dicatur, magna peruersitas oritur. Sic ergò pronnnciandum est, vt præcedat percontatio, sequatur interrogatio. Inter percontationem autem & interrogationem, hoc veteres interesse dixerunt, quòd ad percontationem multa responderi possunt, ad interrogationem verò, aut non, aut etiam. Pronunciabitur ergò ità, vt post percontationem qua dicimus, Quis accusabit aduersus electos Dei, Illud quod sequitur, sono interrogantis enuncietur, Deus qui iustificat? vt tacitè respondeatur nõ. Et item percontemur: Quis est qui condemnat? rursusque interrogemus, Christus Iesus qui mortuus est? magis autem qui resurrexit? qui est in dextera Dei? qui & interpellat pro nobis? vt vbique tacitè respondeatur, non. At
Rom. 9. verò in illo loco vbi ait: Quid ergò dicemus? quia gentes quæ non sectabantur iustitiam, apprehenderunt iustitiam, nisi post percontationem qua dictum est, Quid ergò dicemus? item responsio subiiciatur, quia gentes quæ non sectabantur iustitiam, apprehenderunt iustitiam, textus consequens non cohærebit. Et alia multa sunt, quæ propriam similiter vim pronunciationis quærunt. Præterea & accentuum vim oportet lectorem scire, vt nouerit, in qua syllaba vox protendatur pronunciantis: quia multæ sunt dictiones, quæ solummodo accentu discerni debent à pronunciante, nè in sensu earum erretur. Sed hæc à Grammaticis discere oportet. Portò vox lectoris simplex esse debet & clara, & ad omne pronunciationis genus accommodata, plena succo virili, agrestem & subrusticum effugiens sonum: non humilis, nec adeò sublimis: non fracta, non tenera, nihilque fœmineum sonans: non habens inflata, vel anhelantia verba, non in fucibus frendentia, nec oris inanitate resonantia: nec aspera frendentibus dentibus, non hiantibus labris prolata, sed presìm & æqualiter & leniter & clarè pronunciata: vt suis quæque literæ sonis enuncientur, & vnumquodque verbum legitimo accentu decoretur, nec ostentationis causa frangatur oratio. Corporis quoque motum impudentem habere non debet, sed grauitatis spe-

A ciem: auribus enim & cordi consulere debet lector, non oculis: nè potiùs ex seipso spectatores magis, quàm auditores faciat. Vetus opinio est, lectores pronunciandi causa præcipuam curam vocis habuisse, vt exaudiri in tumultu possint: vnde & dudum lectores præcones vel proclamatores vocabantur.

De libris duorum Testamentorum. Cap. 53.

B PRonunciantur autem lectiones in Christi Ecclesiis, de scripturis sanctis. Constat autem eadem sacra scriptura ex veteri lege & noua. Vetus lex illa est, quæ data est primùm Iudæis per Moysen & Prophetas: quæ dicitur vetus testamentum. Testamentum autem dicitur, quia idoneis testibus, vtique à prophetis, scriptum est atque signatum. Noua verò lex est Euangelium, quod dicitur nouum testamentum: quod per ipsum filium Dei Christum & suos Apostolos dedit. Illa lex vetus velut radix est: hæc noua velut fructus ex radice. Ex lege enim venitur ad Euangelium. Si-
C quidem Christus, qui hìc manifestatus est, antè in lege prædictus est, immò ipse locutus in Prophetis, sicut scriptum est: Qui loquebar, eccè adsum: legem præmittens velut infantibus pędagogum, Euangelium verò, perfectum vitæ magisterium, iam adultis omnibus præstans: ideò in illa operantibus, bona terrę promittebantur: hìc verò sub gratia ex fide viuentibus regnum cęleste tribuitur. Euangelium autem dicitur bonum nuncium, & reuerà bonum nuncium, vt qui id susceperint, filij Dei vocentur.

D

HI SVNT ERGO LIBRI VETERIS TESTAmenti, quos ob amorem doctrinę & pietatis legendos recipiendosq; Ecclesiarum Principes tradiderunt.

PRimi namq; legis, id est, Moysis, libri, quinque sunt: Genesis, Exodus, Leuiticus, Numeri, Deuteronomium. Hos sequuntur Historici libri quindecim, Iesu Naue scilicet, & Iudicum libri singuli, siue Ruth, Regum etiam libri quatuor, Paralipomenon duo: Tobię quoque & Hester & Iudith, singuli: Esdræ duo, & duo Machabęorum. Super hos prophetici libri sedecim sunt, Esaias, Hieremias, Ezechiel & Daniel, libri singuli. Duodecim quoque prophetarum libri singuli, & hęc quidè prophetica sunt. Post hęc versuum octo libri habentur, qui diuersò apud Hebræos metro scribuntur, id est, Iob liber, & liber Psalmorum, & Prouerbiorum, & Ecclesiastes, & Cantica canticorum, Sapientię, & Ecclesiasticus, Lamentationesque Hieremię. Sic cõplentur libri veteris testamẽti

Universidad de Deusto
Biblioteca

quadragintaquinque. Noui autem testamenti primùm quatuor Euangelia sunt, Matthæi, Marci, Lucę, Ioannis. Hos quatuordecim Pauli Apostoli Epistolæ sequuntur: quibus etiam subiunctæ sunt septem Catholicę epistolę, Iacobi, Petri, Ioannis & Iudæ. Actus quoq; duodecim Apostolorum: quorum omnium signaculum est Apocalypsis Ioannis, quod est reuelatio Iesu Christi, qui omnes libros & tempore concludit & ordine. Hi sunt libri canonici septuaginta duo, & ob hoc Moyses septuaginta elegit presbyteros, qui prophetarent: Ob hoc
Luc. 10. & Iesus Dominus noster septuaginta duos discipulos prædicare mandauit. Et quoniam septuagintaduæ linguę in hoc mundo erant diffusę, congruè prouidit Spiritus sanctus, vt tot libri essent, quot nationes, quibus populi & gentes ad perficiendam fidei gratiam ędificarentur.

De Scriptoribus sacrorum librorum.
Cap. 54.

VEteris autem testamenti secundùm Hebręorum traditionem, hi scriptores habentur. Primũ Moyses scripsit Pentateuchũ. Iesus Naue edidit librũ suũ. Iudicũ autẽ & Ruth, & Samuelis primã partẽ scripsit Samuel: sequẽtia Samuelis vsq; ad calcẽ, scripsit Dauid. Malachim totũ edidit Hieremias: Nam ante sparsus erat per singulorum regum historias. Iob librum Hebręi Moysen scripsisse putant: alij vnum ex prophetis. Psalterium verò scripserunt decem prophetę: id est, Moyses, Dauid, Salomon, Asaph, Ethan, Idithun, Eman, & filij Chorę: id est, Asir, Elchana, Ephiasab. Sunt qui & Esdram, & Aggęum, & Zachariam
D scripsisse dicant. Salomon scripsit Prouerbia, & Ecclesiasten, & Cantica canticorum. Esaias scripsit librum suum: Hieremias librũ suũ cum lamentationibus eius. Viri Synagogę sapientes scripserunt Ezechielem, Danielem, & Paralipomenon, & Hester. Esdra scripsit librũ suum. Omnes autem hos libros idẽ Esdra scriba post incensam legem à Chaldęis, dum Iudęi ingressi fuissent in Hierusalem diuino afflatus spiritu reparauit: cunctaque Prophetarum volumina, quæ fuerant à gentibus corrupta, correxit: totumque testamẽtum in vigintiduos libros constituit, vt tot libri essent in lege, quot habentur & literæ. Primam post Esdram editionem
E de Hebręo in Gręcum, Septuaginta interpretes ediderunt, sub Ptolemæo Ægyptiorum rege, successore Alexandri, qui in legendo studiosus fuit, omniumque gentium libros congregauit. Iste enim ab Eleazaro, qui erat princeps sacerdotum, multa dona mittens ad templum. petiit vt senes de duodecim tribubus Israel transmitterentur, qui interpretarentur omnes libros & vt fidem interpretationis aduerteret, singulis eorum qui fuerant destinati, singulas cellulas dedit: & assignans omnibus omnes scripturas iussit interpretari. Qui cũ per LXX. dies istius rei negociũ adimplessent, omnium simul interpretationes, quas per diuersas cellas segregati, nullo ad nullum propinquante, fecerunt, congregauit in vnum: atque ita omnes libri interpretati per Spiritum sanctum inuenti sunt, vt non solùm intellectu, verùm etiam & in sermonibus consonantes inuenirentur. Hæc fuit prima interpretatio vera ac diuina. Hos libros meditari omnium gentium Ecclesię primùm cœperunt: eosdemq; de Gręco in Latinum interpretantes, primi Ecclesiarum prouisores
B tradiderunt. Post hæc secundam editionem Aquila, tertiam & quartam Theodotion & Symmachus ediderunt, ambo Iudęi Proselyti: quintam verò & sextam editionem Origenes reperit, & cum cęteris supradictis editionibus comparauit. Hi sunt itaque tantùm, qui scripturas sacras de Hebręo in Gręcum sermonem verterunt: quique etiam & numerantur. Nam Latinorum interpretum, qui de Gręco in nostrum eloquium transtulerunt, vt meminit sanctus Augustinus, infinitus numerus est. Si cui
C enim, inquit, primis fidei temporibus ad manus venit codex Gręcus, atque aliquantulum esse sibi vtriusque linguę peritiam sensit, ausus est statim interpretari, atque indè accidit, tam innumerabiles apud Latinos extitisse interpretes. De Hebręo autem in Latinum eloquium, tantummodò Hieronymus Presbyter sacras Scripturas conuertit: cuius editione generaliter omnes Ecclesię vsquequaque vtuntur, pro eo quòd veracior sit in sententiis, & clarior in verbis. Librum Sapientię Salomon scripsisse probatur, testimoniis illis quibus ibi legitur: Tu me, inquit, elegisti regem populo tuo, & Sap. 9.
dixisti mihi ædificare templum in nomine sancto tuo, in ciuitate sanctę habitationis tuæ. Hoc opus Hebręi (vt quidam sapientum meminit) inter canonicas scripturas recipiebant. Sed postquàm comprehendentes Christum interfecerunt, memorantes in eodem libro tam euidentissima de Christo testimonia, quibus dicitur, Dixerunt inter se impij, Comprehendamus iustum, quia inutilis est nobis, & contrarius est operibus nostris, & promittit se scientiam Dei habere, & filium Dei se nominat. & Sap. 2.
infra: Si enim est verè filius Dei, suscipiet il- Ibidem.
lum, & liberabit illum de manu contrariorum. ac deindè: Vt sciamus reuerentiam illius, & probemus patientiam eius, morte turpissima condemnemus eum: collatione facta, nè nostri eos pro tam aperto sacrilegio derogarent, à propheticis eum voluminibus reciderunt, legendumque suis prohibuerunt. Librum autem Ecclesiasticum cõposuit Iesus filius Sirach Hierosolymitanus, nepos Iesu sacerdotis, de quo meminit Zacharias. Qui liber apud Latinos propter eloquij similitudinem, Salomonis titulo prænotatur. Præterea Iudith & Tobię, siue Machabęorum libros, qui auctores scripserint, minimè constat.

Nouum

Nouum autem testamentum, quatuor libros Euangeliorum, quatuor Euangelistæ singulos scripserunt: quorum solus Matthæus Hebræo scripsisse perhibetur eloquio, cæteri Grę
A co. Paulus Apostolus suas scripsit Epistolas: ex quibus nouem, septem Ecclesiis scripsit, reliquas discipulis suis, Timotheo, Tito, & Philemoni. Ad Hebræos autem epistola plerisq; Latinis eius esse incerta est, propter dissonãtiam sermonis, eandemq; alij Barnabam conscripsisse, alij à Clemente scriptam fuisse suspicentur. Petrus scripsit duas nomine suo epistolas, quæ
B Catholicę nominantur: quarum secunda à quibusdam eius esse non creditur, propter stili, sermonisque distantiam. Iacobus suam scripsit epistolam, quæ & ipsa à nonnullis eius esse negatur: sed sub nomine eius ab alio dictata existimatur. Ioannis epistolas idem Ioannes edidit: quarum tantùm prima à quibusdam eius esse asseritur, reliquæ duæ Ioannis cuiusdã presbyteri existimantur: cuius iuxta Hieronymi sententiam, alterum sepulcrum apud Ephesum demonstratur. Iudas suam edidit epistolam.
C Actus Apostolorum Lucas composuit, sicut audiuit vel vidit. Apocalypsin Ioannes Euangelista scripsit, eodem tempore, quo ob Euãgelij prædicationem in insulam Patmos traditur relegatus. Hi sunt scriptores sacrorum librorum, diuina inspiratione loquentes, atque ad eruditionem nostram præcepta cælestia in Ecclesia dispensantes. Auctor autem earumdem scripturarum Spiritus sanctus esse creditur. Ipse enim scripsit, qui per prophetas suos scribenda dictauit.

De Benedictionibus. Cap. 55.

Deut. 28.
BEnedictionem autem dari à sacerdotibus
D populo, antiqua per Moysen benedictio pandit & comprobat, qua benedicere populo suo, sub sacramẽto trinæ inuocationis iubetur. Ait enim ad Moysen Dominus: Sic benedices populum meum, & ego benedicam illos. Benedicat te Dominus, & custodiat te: illuminet Dominus faciem suam super te, & misereatur tui: conuertatque Dominus vultum suum ad te, & det tibi pacem. Hinc quoquè vsus Ecclesiæ multiplices benedictiones in diuersis rebus habet. Benedicitur oleum ex Apostolica auctoritate, ad infirmorum medicamentum. Iacobo
Iac. 5.
E Apostolo hoc ita præcipiente: Infirmatur, inquit, quis in vobis? inducat presbyteros Ecclesiæ, vt orent super eum, vngentes eum oleo in nomine Domini nostri Iesu Christi. Benedicitur sal & aqua in diuersos vsus fidelium ad homines infirmos, contra phantasiam inimici, ad pecorum sanitatem, ad morbos auferendos, & cætera: sicut legitur, Alexander septimus post Petrum Romanæ vrbis Episcopus, & martyr constituisse, aquam sparsionis cum sale benedici in habitaculis hominũ. Nam nullum est aliud elementum, quod in hoc mundo purget vniuersa, quàm aqua: quodq; viuificet cuncta: ideoq;
A cùm baptizamur in Christo, per ipsum renascimur, vt purificati viuificemur: quod in tempore passionis vnà cùm sanguine de latere Christi profluxit, ad ostendendum vtiq; omnis sanctificationis & munditiæ validum se indè habere sacramentum. Quòd autem sal sanctificatum aquæ immiscetur, ex diuina auctoritate processit: quia illud per Elisæum in fontẽ mitti iussit, vt sanaretur sterilitas aquarũ Iericho. Ergò natura salis naturæ aquæ vicina & coniunctissima est: quia eiusdem elementi ambo
B sunt, & idem officium & significationẽ habent. Nam aqua à sordibus mundat: sal putredinem. * fugat: aqua nitorem præbet: sal synceritatem adhibet: aqua potum sapientiæ significat, & sal gustum prudentiæ indicat: quod scilicet sacrorum librorum satis testatur auctoritas, & multiplicia eorum produnt testimonia. Fit enim hic mirabilis operationis diuinæ effectus, vt per sacerdotum ora Deus ipse benedicat, & per sensibile eorum ministerium, virtus diuina inuisibiliter efficiat sacramentum. Deprecatur quidem pro salute hominum pia sacerdotis intentio, & præstat eam diuinæ pietatis deuotio:
C sicq; fit, vt charitas quæ exhibet in sacerdote deprecationem, ipsa præstet à Domino integram sanitatem. * al. purgat:

De Symbolo. Cap. 56.

SYmbolum tali ratione institutum, Maiores nostri tradunt, quòd post Ascensionẽ Domini & Saluatoris nostri ad Patrem, cùm post aduentum sancti Spiritus discipuli eius inflammati, linguis omnium gentium loquerentur, quod præsagium consecutum est, vt nulla illis gens extera, nulla lingua barbaris inaccessa, vel inuia videretur, præceptum eis est à Domino datum ad prædicãdum Dei verbum, ad singulas quasque nationes adire. Discessuri itaque ab inuicẽ, normam prius sibi futuræ prędicationis in communi constituunt: nè localiter ab inuicẽm discedentes, diuersum aliquod vel dissonum prędicaretur his, qui ad fidem Christi inuitabantur. Omnes ergò in vno positi, & Spiritu sancto repleti, breue sibi prædicationis indicium, conferẽdo in vnum quæ sentiebant, componũt: atque hanc credentibus dandam esse regulam statuunt. Symbolum autem, hoc multis & iustissimis causis appellare voluerunt. σύμβολον enim Græcè, & indicium dici potest, & collatio: hoc est, quod plures in vnum conferunt. Id enim fecerunt Apostoli, in his sermonibus in vnum conferendo vnusquisque quod sensit. Indicium autem vel signum idcircò dicitur, quòd illo in tempore sicut Paulus Apostolus dicit, & 2 Cor. 11.
in Actibus Apostolorum refertur, multi simu- Act. 19.
labant se esse Apostolos Christi, nominantes quidem Christum, sed nõ integris traditionum lineis nunciantes. Idcircò ergò istud indiciũ posuére, per quod agnosceretur is, qui Christum verũ secũdum Apostolicas litteras prędicaret.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Est autem symbolum signum, per quod agnoscitur Deus: quodq; proindè credentes accipiunt, vt nouerint qualiter contra diabolum fidei certamina præparent: in quo quidem pauca sunt verba, sed omnia continentur sacramenta. De totis enim scripturis, hæc breuiatim collecta sunt ab Apostolis, vt quoniã plures credentiũ literas nesciunt, vel qui sciunt, præ occupatione seculi scripturas legere non possunt, hæc corde retinentes, habeant sufficientẽ sibi scientiam salutarem. Est enim breue fidei verbum, & olim à propheta prædictũ: Quoniam verbũ breuiatum faciet Dominus super terrã. Rom. 9.

De Regula fidei. Cap. 57.

HÆc est autem post Apostolicum symbolum certissima fides, quam doctores nostri tradiderũt, vt profiteamur Patrẽ, & Filiũ, & Spiritum sanctum vnius esse essentiæ, eiusdẽque potestatis & sempiternitatis: vnum inuisibilem, ità vt in singulis personarum proprietate seruata, nec substantialiter Trinitas diuidi, nec personaliter debeat omninò confundi: Patrem quoquè confiteri ingenitum, filium vnigenitum, Spiritum autem sanctum nec genitũ, nec ingenitum, sed ex patre & filio procedentem. Filium à Patre nascendo procedere, Spiritum verò sanctum procedendo non nasci: ipsum quoquè filium perfectum ex virgine, sine peccato hominem suscepisse, vt quem sola bonitate creauerat, spontè lapsum misericorditer repararet: quem veraciter crucifixũ, & tertia die resurrexisse, & cum eadem ipsa carne glorificata ascendisse in cælum, in qua & ad iudicium viuorum & mortuorum expectatur venturus: & quòd diuinam humanamque substantiam in vtroque perfectus vna Christus persona gestauerit: quia nec geminauit vtriusque substantiæ integritas personam, nec confudit geminam vnitas personæ substantiam: altero quippe neutrum exclusit, quia vtrunque vnus intemerato iure seruauit. Quod noui & veteris testamenti salubris commendat auctoritas; illa per prophetiam, ista per historiam veraciter persoluta. Et quòd neque de Deo, neque de creatura seculi sit cum paganis aut cum hæreticis aliquid sentiendum in his rebus, in quibus à veritate dissentiunt: Sed quod in vtroque testamento diuina protestantur eloquia, hoc tantummodò sentiendum, quòd siue hominem siue vniuersa, nulla Deus necessitate creauerit, nec vllum esse omninò visibilem inuisibilemque substantiam, nisi aut quæ Deus sit, aut à bono Deo bona creata sit: sed Deus summè & incommutabiliter bonus, creatura verò inferiùs & mutabiliter bona. Et quòd animæ origo incerta sit: & quòd angelorum natura vel animæ, non sit pars diuinæ substantiæ: sed Dei creatura ex nihilo condita, ideoq; incorporea, quia ad imaginem Dei creata est. De pietate morum sine qua fides diuini cultùs otiosa torpescit, & cum qua integritas diuini cultùs perficitur, & vt vnusquisq; Deum propter Deum, & proximum in Deo diligat, vsq; ad dilectionem quoquè inimicorum pertendẽdo proficiat, vt proficiendo perueniat. Alterũ quoquè alterius non pollui posse peccato, vbi par voluntatis non tenetur consensio. Legitimas nuptias non credi damnandas, licèt ex eis quoquè originali peccato obnoxia credatur nasci posteritas, eisque iure fidelium virginũ & continentium præferenda doceatur integritas. Nè vnum baptismum Trinitatis (quod nefas est) iteretur: neque pro diuersitate tradẽtium ministrorum singulis putetur quibusque conferri: sed ab eo singulari potestate donari, de quo dictum legimus: Super quem videris spiritum descendentem, & manentem super eum, hic est qui baptizat in Spiritu sancto. & ego vidi, & testimonium perhibui, quia hic est Filius Dei. Et nè pœnitentiæ remedijs nos egére non putemus, pro quotidianis humanæ fragilitatis excessibus, sine quibus in hac vita esse non possumus: ità vt pœnitentiæ compunctione fructuosa, vniuersa fateamur deleri peccata, sicut scriptum est: Beati quorum remissæ sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata. Beatus vir cui non imputauit Dominus peccatum. Nullum quoquè suis viribus, sed per diuinam gratiam capiti Christo subiungi, atq; indiruptę pacis perseuerantia in vnitate Ecclesiæ ipsius solidari. Nec humanę voluntatis arbitrio boni quidquam deputandũ existimari: sed secundùm propositum voluntatis Dei, omnem numerum electorum acquiri. Bona quoq; temporalia, bonis malisq; communia, à Deo creari: ciusque dispensatione singulis quibusque vel tribui, vel negari: quorum bonorum in vnoquoque fidelium non habitus, sed vsus aut improbandus est, aut probandus. Certa verò æternaq; bona, solos posse bonos in futuro consequi: quorum pignore Ecclesiam nunc informatam credimus detineri, hìc habentem primitias spiritus, in futuro perfectionem: hìc sustentari in spe, posteà pasci in re: hìc videri per speculum in ænigmate, in futuro autem facie ad faciem, cùm ad speciem fuerit perducta per fidem. Quod donèc perficiatur, vt summi Dei bonis fruamur æternis, fruendum, indè nõ oberimus & proximis. Eam quoq; nos spem resurrectionis habere, vt eodem ordine eadéque forma, qua ipse Dominus resurrexit à mortuis, nos quoquè resurrecturos esse credamus, in eodem corpore in quo sumus vel viuimus, non naturam aut sexum mutantes, sed tantùm fragilitatem & vitia deponentes. Ipsum quoquè satanã cum angelis suis atque cultoribus æterno incendio condemnandum: neque secũdùm quorundam sacrilegam disputationem, ad pristinam, id est, angelicam dignitatem, ex qua propria malignitate cecidit, reducendũ. Hæc est catholicę traditionis fidei vera integritas, de qua si vnum quodlibet respuatur, tota fidei credulitas amittitur.

Ioan. 1.

Psal. 31.

1. cor. 13.

De

De Hæresibus variis. Cap. 58.

HOc ergò cauẽdum est omni animæ timenti Deum, vt non à fide catholica décidés, & relinquens doctrinam veritatis, in errores hæreticorum cadat: quia hic certissimum mortis est genus. Sed vt hoc faciliùs possit præcauere, quæcunque sectas de erroribus hæreticorum atq; schismaticorum, denotatas à Catholicis doctoribus inuenimus, simul cum earum auctoribus siue sectatoribus, in hoc libro determinamus.

Αἵρεσις Græcè ab electione vocatur, quòd scilicet vnusquisque id sibi eligat, quod melius illi esse videtur, vt Philosophi, Peripatetici, Academici, Epicurei, & Stoici: vel sicut alij, qui peruersum dogma cogitantes, arbitrio suo de Ecclesia recesserunt. Indè ergò hæreses sunt dictæ Græca voce ex interpretatione electionis, quas quisque arbitrio suo ad instituenda siue ad suscipienda quælibet, ipse elegit. Nobis verò nihil ex nostro arbitrio inducere licet, sed nec eligere quod aliquis de arbitrio suo induxerit. Apostolos Dei habemus auctores, qui nec ipsi quiquam ex suo arbitrio, quod inducerent, elegerunt: sed acceptam à Christo disciplinam, fideliter nationibus assignauerunt. Secta, à sectando & tenendo nominata: nam sectas dicimus habitus animorum ac instituta, circa disciplinam fideliter propositam, quæ tenendo sequuntur, longè alia in religionis cultu opinantes, quàm cæteri.

Schisma à scissura animorum nomen accepit: eodem enim cultu vt cæteri, solo congregationis delectatur dissidio. Fit autem schisma cùm dicunt omnes, Nos iusti sumus, Nos sanctificamus immundos, & cætera similia.

Superstitio dicta, eo quòd sit superflua aut superinstituta obseruatio. Alij dicunt à senibus quia multis annis superstites, per ætatem delirant & errant.

Apud Iudæos autẽ hæ fuerunt hæreses: Pharisæorum, Saducæorum, * Esneistarum, Marbonensium, Genistarum, Meristæorum.

Pharisęi ergò & Saducæi inter se contrarij sunt. Nam Pharisęi ex Hebræo, in Latinum interpretantur, diuisi: eò quod traditionum & obseruationum, quas illi deuteroses vocant, iustitiam præferunt. Vndè & diuisi vocantur à populo quasi per iustitiam.

Saducæi interpretantur iusti: vendicãt enim sibi quod non sunt. corporis resurrectionem negant, & animam interire cum corpore prædicant. Sed nec spiritus esse, nec angelos credunt. Hi quinque tantùm libros legis recipiũt: Prophetarum vaticinia respuunt.

* for. Essæi

* Esnęi dicunt ipsum esse Christum, qui docuit illos omnem abstinentiam.

Marbonęi dicunt ipsum esse Christum, qui docuit illos in omni re sabbatizare.

Genistę dicti, eò quòd de genere Abrahę esse gloriantur. Nam cùm in Babyloniam venisset populus Dei, plerique relinquentes vxores suas, Babylonicis mulieribus adhęserunt: quidam Israeliticis tantùm coniugibus contenti, vel ex eis geniti, dum reuersi essent de Babylonia, diuiserunt se ab omni populo, & assumpserunt sibi hoc nomen iactantię.

Merisęi appellati, eò quòd separant scripturas, non credentes omnibus Prophetis, dicentes aliis & aliis spiritibus prophetasse. μέρος enim Græcè, Latinè pars dicitur.

Samaritę dicti, quòd legẽ solam custodiunt: nam prophetas non recipiunt.

Hemerobaptistæ, eò quòd quotidiè vestimenta sua & corpora lauent.

Quidam hęretici qui de Ecclesia recesserũt, ex nominibus suorum auctorum nuncupantur: quidam verò ex causis quas eligentes instituerunt.

Simoniani dicti à Simone magicę disciplinę perito, cui Petrus in Actibus Apostolorum maledixit, pro eò quòd ab Apostolis Spiritus sancti gratiam pecunia emere voluisset. Hi dicunt creaturam non à Deo, sed à virtute quadam superna creatam. Act. 8.

Menandrini à Menandrò mago discipulo Simonis nuncupati, qui mundum non à Deo, sed ab angelis factum esse asserunt.

Basilidiani à Basilide appellati, qui inter reliquas blasphemias, passum Iesum abnegauit.

Nicolaitæ dicti à Nicolao diacono Ecclesię Hierosolymorum, qui cum Stephano & cęteris constitutus est à Petro: qui propter pulchritudinem relinquens vxorem, dixerat, vt qui vellet, ea vteretur: Versaq; est in stuprum talis consuetudo, vt inuicem coniugia commutarentur.

Gnostici propter excellentiam scięntię, se ita appellare voluerunt: animam, naturam Dei esse dicunt: bonum & malum Deum suis dogmatibus fingunt.

Carpocratiani à Carpocrate quodam vocantur, qui dixit Christum hominem fuisse tantùm, & de vtroque sexu progenitum.

Cerinthiani à Cerintho quodam nuncupati hi, qui inter cętera circumcisionem obseruant, mille annos post resurrectionem in voluptate carnis futuros prędicant. Vndè & Græcè χιλιασταί, Latinè Millennarij sunt appellati.

Nazarei dicti, qui dum Christum qui à vico Nazaręus est appellatus, filium Dei confiteantur, omnia tamen veteris legis custodiunt.

Ophitę à colubro nominati sunt. Coluber enim Græcè ὄφις dicitur. Colunt enim serpentem, dicentes ipsum in paradiso induxisse virtutis cognitionem.

Valentiniani à Valentino quodam Platonico sectatore vocati: qui ἰόνιος, id est, secula quędam in originem Dei creatoris induxit. Christum quoque de virgine nihil corporis assumpsisse, sed per eam quasi per fistulam transisse asseruit.

Apellitę, quorum Apelles princeps fuit: qui

Universidad de Deusto
Biblioteca

creatorem, angelum nescio quem gloriosum superioris Dei faciens, Deum legis Israel, illum igneum affirmans. Apellitæ, quorum auctor Apelles, qui dixit Christum non Deum in veritate, sed hominem in phantasia apparuisse.

Archontiaci à principibus appellantur: qui vniuersitatem quam Deus condidit, opera esse Archangelorum defendunt.

Adamiani vocati, quòd Adæ imitantur nuditatem: vndè & nudi orant, & nudi inter se mares, fœminæq; conueniunt.

Cainani proindè sic appellati, quoniã Cain adorant.

Sethiani nomen acceperunt à filio Adam, qui vocatus est Seth, dicentes eum esse Christum.

Melchisedechiani vocati pro eo, quòd Melchisedech sacerdotem Dei, non hominem fuisse, sed virtutem Dei esse arbitrantur.

* Angelici

* Angeli vocati, quia angelos colunt.

Apostolici, hoc sibi nomen ideò sumpserunt, quòd nihil possidentes proprium, nequaquam recipiunt eos, qui aliquo in hoc mundo vtuntur.

Cerdoniani à Cerdone quodam nominati, qui duo contraria principia asseruit.

Marcionistæ à Marcione Stoico Philosopho appellati, qui Cerdonis dogma secutus, alterum bonum, alterum iustum Deum asseruit, tamquàm duo principia creatoris & bonitatis.

Artotyritę, ab oblatione vocati: panè enim & caseum offerunt, dicentes, primis hominibus oblationem à fructibus terræ, & à fructibus ouium fuisse celebratam.

Aquarij appellati, eo quòd aquam solam offerunt in calice sacramenti.

Seueriani à Seuero exorti, vinum non bibunt, & vetus testamentum, & resurrectionem non recipiunt.

Tatiani, à Tatiano quodam vocati, qui & Encratitę dicti, quia carnes abominantur.

Alogij vocantur tamquàm sine verbo. λόγος enim Græcè, verbum dicitur: Deum enim verbum non credunt, respuentes Ioannis Euangelium & Apocalypsin.

Cataphrygis nomen prouincia Phrygia dedit, quia ibi extiterunt. auctores eorum Montanus, Prisca & Maximilla fuerunt: ij aduentum Spiritus sancti non Apostolis, sed in se traditum asserunt.

Cathari propter munditiam ita se nominauerunt gloriantes enim de suis meritis, negant pœnitentibus veniam peccatorum: viduas, si nupserint, tamquàm adulteras damnant: mundiores se cæteris prædicant: qui nomen suum si cognoscere vellent, mundanos se potiùs, quàm mundos, vocarent.

Pauliani à Paulo Samosateno exorti sunt, qui dixit non semper fuisse Christum, sed à Maria sumpsisse initium.

Hermogeniani, ab Hermogene quodam vocati, qui materiam non natam introducens, Deo non nato eam comparauit, matremq; elementorum & deam asseruit, quos Apostolus improbat elementis seruientes.

Manichæi à quodam Persa extiterunt, qui vocatus est Manes. Hic duas naturas & substãtias introduxit, id est, bonam & malam, & animas ex Deo quasi ex aliquo fonte manare asseruit. vetus testamentum respuit, nouum ex parte recipit.

Antropomorphitę dicti, pro eo quòd simplicitate rustica Deum humana membra habere, quę in diuinis libris scripta sunt, arbitrantur, (ἄνθρωπος enim Græcè, Latinè homo interpretatur) ignorantes vocem Domini, qui ait, Spiritus Deus est. Incorporeus est enim, nec mẽbris distinguitur, nec corporis mole cẽsetur. Ioan. 4.

Hierachitę ab Hieracha auctore exorti, Monachos tantùm recipiunt, coniugia respuunt, regna cælorum paruulos habere non credunt.

Nouatiani, à Nouato Romanæ vrbis presbytero exorti, qui aduersus Cornelium cathedrã sacerdotalẽ conatus inuadere hęresim instituit, nolens apostatas susc ipere, & rebaptizans baptizatos.

Montani hæretici dicti, quòd tempore persecutionis in montibus latuerunt, qua occasione se à corpore catholicæ Ecclesię diuiserunt.

Ebionitę ab Ebione dicti, siue à paupertate. Christum enim per prouectum solùm iustum putant effectum. Vndè competenter Ebionęi, pro paupertate intelligentiæ appellati sunt. Hi semiudęi sunt, & ita tenent Euangelium, vt legem carnaliter seruent, aduersus quos ad Galatas Apostolus scribens *inuenitur.

*for. inuenitur.

Photiniani, à Photino Gallogrecię Syrmiæ Episcopo nuncupati, qui Ebionitarum hęresim suscitãs, asseruit Christum à Maria per Ioseph nuptiali coitu fuisse conceptum.

Aëriani ab Aërio quodam nuncupati sunt, hi offerre sacrificium pro defunctis spernunt.

* Aëtiani.

* Ethiani ab Ethio sunt vocati, idemq; Eunomiani ab Eunomio quodã dialectico Ethij discipulo, ex cuius nomine magis innotuerunt, dissimilem Patri asserentes Filium, & Filio Spiritum sanctum: dicunt etiam nullum imputari peccatum in fide *manentium.

* manentibus

Origeniani, ab Origene auctore exorti sunt, dicentes, quòd non possit Filius videre Patrẽ, nec Spiritus sanctus Filium. animas quoque in mundi principio dicunt peccasse, & pro diuersitate peccatorum è cęlis vsq; ad terram diuersa corpora quasi vincula meruisse, eaq; de causa factum fuisse mundum.

Noëtiani à quodam Noëto vocati, qui dicebant Christum eumdem esse Patrem & Spiritum sanctum, ipsamque Trinitatem in officiorum nominibus, non in personis accipiunt: vndè & Patripassiani vocantur, quia Patrem passum dicunt.

Sabelliani ab eodem Noëto pullulasse dicũtur, cuius discipulũ perhibent fuisse Sabellium, ex

ex cuius nomine maximè innotuerunt, vndè & Sabelliani vocati sunt. hi vnam personam Patris & Filij & Spiritus sancti adstruunt.

Ariani ab Ario Alexandrino presbytero orti sunt, qui coæternũ Patri Filium non agnoscens, diuersas in Trinitate substantias asseruit, contra illud quod ait Dominus, Ego & Pater vnum sumus. Ioan. 10.

Macedoniani à Macedonio Constantinopolitano Episcopo dicti sunt, negantes Deum esse Spiritum sanctum.

Apollinaristæ ab Apollinare vocati sunt, dicentes Christum corpus tantummodò sine animã suscepisse.

Antidicomaritæ appellati sunt, pro eo quòd Mariæ virginitati contradicunt, asserentes eã post Christũ natum viro suo fuisse commixtã.

Metangismonitæ ideò tale nomen acceperunt, quia ἔγγυον Græcè vas dicitur. Asserunt enim sic esse in Patre Filium, tamquàm vas minus intra vas maius.

Patritiani à quodã patricio nuncupati sunt, qui substantiam humanæ carnis à diabolo conditam esse dicunt.

*colutho

Colithiani à quodam * Colitho nominati, qui dicunt Deum non facere malum, contra illud quod scriptum est, Ego Dominus creans mala. Esa. 45

Floriani à Floriano, qui è contrario dicunt Deum creasse mala, contra id quod scriptum est: Fecit Deus omnia bona. Gen. 1. Mat. 7.

Donatistæ à Donato quodam Afro nuncupati, qui de Numidia veniens, totam penè Africam sua persuasione decepit: asserens minorem Patre Filium, & minorem Filio Spiritum sanctum, & rebaptizans catholicos.

Bonosiani à Bonoso quodam Episcopo exorti proditur, qui Christum filium Dei adoptiuum, non proprium, asserunt.

Circumcelliones, dicti eò quòd agrestes sũt, quos Cothopitas vocant, supradictæ hæresis habentes doctrinam: hi amore martyrij semetipsos perimunt, vt violenter de hac vita discedentes, martyres nominentur.

Priscillianistæ à Priscilliano vocati, qui in Hispania ex errore Gnosticorum, & Manichæorum permixtum dogma composuit.

* Sirmiæ.

Luciferiani, à Lucifero * Caralitano episcopo orti, qui eos episcopos catholicos, qui in Constantiana persecutione perfidiæ Arianorum consentientes erant, & postea correcti, redire in Ecclesiam catholicam delegerunt, dãnantes siue quod credideranr, siue quod credidisse se simulauerant, quos Ecclesia catholica materno recepit sinu, tamquàm Petrum post fletum negationis: Hanc illi matris charitatẽ superbè accipientes, eosque recipere nolentes, ab Ecclesiæ communione recesserunt, & cum ipso Lucifero auctore suo, qui manè oriebatur, cadere meruerunt.

Iouinianistæ à Iouiniano quodam monacho dicti, asserentes nullam nuptiarum & virginũ esse distantiam, nullumque inter abstinentes & simpliciter ambulantes esse discrimen.

Eluidiani ab Eluidio nominati, qui dicunt, post natum Christum alios Mariam filios de viro Ioseph peperisse.

Paterniani à Paterno quodam exorti, qui inferiores corporis partes à diabolo factas opinantur.

Arabici, nuncupati eò quòd in Arabia exorti sunt, dicentes animam cum corpore mori, atque in nouissimo vtrunque resurgere.

Tertullianistæ dicti à Tertulliano, presbytero Africanæ prouinciæ & ciuitatis Carthaginen, animam immortalem esse, sed corporeã prædicantes, & animas hominũ peccatorũ, post mortem in dęmones conuerti putantes.

Tessarescæ decatitæ dicti, quòd quartadecima luna Pascha cum Iudæis obseruandũ contẽdunt: nã tessares quatuor, deca decẽ significat.

Nyctages à somno nuncupati, quòd vigilias noctis respuant, superstitionem esse dicentes, iura temerare diuina, qui noctem ad requiem tribuit.

Pelagiani à Pelagio monacho exorti. Hi libertum arbitrium diuinæ gratiæ anteponunt, dicẽtes, sufficere voluntatem ad implenda diuina iussa.

Nestoriani à Nestorio Constantinopolitano episcopo nuncupati, qui beatam virginem Mariam non Dei, sed hominis tantummodò asseruit genitricem, vt aliam personam carnis, aliam faceret Deitatis: nec vnum Christum in verbo Dei & carne credidit, sed separatim atque seiunctim, alterum filium Dei, alterum filium hominis prædicauit.

Eutychiani ab Eutyche Constantinopolitano abbate, qui Christum post humanam assumptionem negauit existere duabus naturis, sed sola in eo diuinam asseruit esse naturam.

Acephali dicti, id est, sine capite, quem sequuntur hęretici: nullus enim eorum reperitur auctor, à quo exorti sint: hi trium Chalcedonensium capitulorum impugnatores, duarum in Christo substantiarũ proprietatem negant, & vnam in eius persona naturam prædicant.

Theodosiani, & Gaianitæ appellati à Theodosio & Gaiano, qui tẽporibus Iustiniani principis in Alexandria, populi peruersi electione, vno die sunt ordinati episcopi. Hi errores Eutychetis & Dioscori sequentes, Chalcedonense conciliũ respuunt: ex duabus vnam in Christo naturam asserunt, quam Theodosiani corruptam, Gaianitæ incorruptam contendunt.

Agnoitæ & Tritheitæ à Theodosianis exorti sunt, ex quibus Gnoitæ ab ignorantia dicti, quia peruersitati à qua exorti sunt, id adiiciunt, quòd Christi diuinitas ignoret futura, quæ sunt scripta de die & hora nouissima, non recordantes Christi personam in Esaia loquẽtis: Dies iudicij in corde meo. Esa. 63.

Tritheitæ verò vocati, quòd sicut tres personas in Trinitate, ità quoquè tres adstruunt

deos

Universidad de Deusto
Biblioteca

deos esse, contra illud quod scriptum est: Audi Israel, Dominus Deus tuus, Deus vnus est. Sunt & aliæ hæreses sine auctore, & sine nominibus, ex quibus alij triformem putant Deum esse, alij Christi diuinitatem passibilem esse dicunt, alij Christi de patre natiuitati initium tẽporis dant, alij liberationem hominum, apud inferos factam Christi descensione, non credunt, alij animam Dei negant, alij animas conuerti in dæmones, & in quæcunq; animalia existimant: alij de mundi statu dissentiunt, alij innumerabiles mundos opinantur: alij aquam Deo cœternam faciunt: alij nudis pedibus ambulant, alij cum hominibus non manducant. Deut. 6.

Hæ sunt hæreses aduersùs catholicam fidẽ exortæ, & ab Apostolis & sanctis patribus, vel concilijs prædamnatæ, quæ dum in se multis erroribus diuisæ inuicèm sibi dissentiunt, communi tamen nomine aduersùs Ecclesiam Dei conspirant. Sed & quicunque aliter scripturam sacram intelligit, quàm sensus Spiritus sancti flagitat, à quo conscripta est, licèt de Ecclesia non recesserit, tamen hæreticus appellari potest.

Secundi libri finis.

HRABANI MAVRI DE INSTITVTIONE CLERICORVM LIBER TERTIVS.

Quid eos scire & habere conueniat, qui sacrum ordinem accedere volunt. Cap. I.

INstitutio ergò Ecclesiastica, qualiter ad diuinum officium instrui oporteat sanctissimum ordinem clericorum, multimoda narratione declarat, quia & scientiæ plenitudinem, & vitæ rectitudinem, & eruditionis perfectionem maximè eos habere decet, qui in quodã culmine constituti, gubernaculum regiminis in Ecclesia tenent. Nec enim eis aliqua eorum ignorare licet, cum quibus vel se, vel subiectos instruere debent, id est, scientiam sanctarum scripturarum, puram veritatem historiarum, modos tropicarum locutionum, significationem rerum mysticarum vtilitatem omnium disciplinarum, honestatem vitæ in probitate morum, elegantiam in prolatione sermonum, discretionem in exhibitione dogmatum, differentiam medicaminum, contra varietatem egritudinum. Hæc ergò qui nescit, non dico aliorum, sed nec suam benè potest disponere vtilitatem: ac ideò necesse est, vt futurus populi rector dum vacat, paret sibi antè arma, in quibus postmodùm hostes fortiter superet, & gregem sibi cõmissum opportunè defendat. Turpe est enim, tunc primùm quemlibet velle discere, dum debet (pastor constitutus) docere: & periculosum est, cum magisterij pondus subire, qui non scientiæ præsidio suffultus, potens est illud sufferre. Nulla ars doceri præsumitur, nisi priùs intẽta meditatione discatur: ab imperitis ergò pastorale magisterium qua temeritate suscipitur, quandò ars est artium, regimen animarum? Quis autem cogitationum vulnera, occultiora esse nesciat vulneribus viscerum? Et tamen sæpè, qui nequaquàm spiritualia præcepta cognouerunt, cordis se medicos profiteri non metuunt, dum qui pigmentorum vim nesciunt, videri medici carnis erubescunt. Nam sunt nonnulli, qui intra sanctam Ecclesiam sola ambitione honoris culmen appetunt regiminis, atque attestante veritate primas salutationes in foro, primos in cœnis recubitus, primas in conuentionibus cathedras quærunt: qui susceptum curæ pastoralis officium, ministrare dignè tanto magis nequeunt, quanto ad humilitatis magisteriũ ex sola elatione peruenerunt. Quos contra Dñs per prophetam queritur, dicẽs: Ipsi regnauerũt, & non ex me: principes extiterunt, & ego ignoraui. Ex se nanque, & non ex arbitrio sũmi rectoris regnant, qui nullis fulti virtutibus, nequaquam diuinitùs vocati, sed sua cupiditate accensi, culmen regiminis rapiunt plùs, quàm assequuntur, quos tamen internus iudex prouehit, & nescit, quia quos permittendo tolerat, profectò per iudicium reprobationis ignorat. Pastorũ ergò imperitia, voce veritatis increpatur, cùm per prophetam dicitur: Ipsi pastores ignorauerunt intelligentiam, & tenentes legem, nescierunt me. Nescire ergò si ab eis quæritur veritas, & nescire se principatum nescientium protestatur, quia profectò hi, qui ea quæ sunt Domini, nesciunt, à Domino nescientur, Paulo attestante qui ait: Si quis autem ignorat, ignorabitur. Quæ nimirum pastorum sæpè imperitia meritis congruit subiectorum, qui quamuis lumen scientiæ sua culpa exigente non habeant, districto tamen iudicio agitur, vt per eorum ignorantiam hi etiam qui sequuntur, offendant. Hinc nanq; in Euangelio per semetipsam veritas dicit: Si cæcus cæco ducatum præstat, ambo in foueam cadunt. Et sunt nonnulli, qui solerti curaspiritaliã præcepta perscrutantur, sed quę intelligendo

Ose. 8.

1. Cor. 4.

Mat. 15.

penetrant, viuendo conculcant: repentè docent, quæ non opere, sed meditatione didicerunt; & quod verbis prędicant, moribus impugnant. Vndè fit, vt cùm pastor per abrupta graditur, ad præcipitium grex sequatur. Hinc nanque per prophetam Dominus contra contemptibilem pastorum scientiam queritur, dicens: Cùm ipsi limpidissimam aquam biberitis, reliquam pedibus vestris turbabatis, & oues meæ quę conculcata pedibus vestris fuerant, pascebantur: & quæ pedes vestri turbauerunt, hæc bibebant. Aquam quippe limpidissimam pastores habent, cùm fluenta veritatis rectè intelligentes hauriunt: sed eandem aquam pedibus turbare, est sanctæ meditationis studia malè viuendo corrumpere. Aquam scilicet eorũ pedibus turbatam oues bibunt, cùm subiecti quique non sectantur verba quæ audiunt, sed ea sola quæ conspiciunt, exempla praui tatis imitantur. Hinc rursùs Dominus per prophetam dicit: Facti sunt domui Israel in offendiculũ iniquitatis. Nemo quippe ampliùs in Ecclesia nocet, quàm qui peruersè agens, nomen vel ordinem sanctitatis habet. Refugerent autem indigni quique tanti reatùs pondera, si veritatis sententiam solicita cordis aure pensarent, qui ait: Qui scandalizauerit vnum de pusillis istis, melius erat ei vt ligaretur mola asinaria in collo eius, & proijceretur in profundum maris. Per molam quippe asinariam, secularis vitę circuitus, & labor exprimitur: & per profundum maris, extrema damnatio designatur. Qui ergò ad sanctitatis speciem deductus, vel verbo, vel exemplo cæteros destruit, meliùs profectò fuerat, vt hunc ad mortem sub exteriori habitu terrena acta constringerent, quàm hunc sacra officia in culpa cęteris imitabilem demonstrarent, quia nimirùm si solus caderet, vtcunquè hunc tolerabilior inferni pœna cruciaret: Sed quia vtrunque necesse est, & vt bonam vitam sapientia illustret, & sapientiam bona vita commendet, vtrunq; in hoc libro (si Dominus annuerit) digeremus, id est, vt sciant hi qui in sacris ordinibus Ecclesię, aut iam Domino deseruiunt, aut deseruituri erunt, quantæ eruditionis eis opùs sit in animo, & quàm sobriæ vitæ in exemplo, quantæq; virtutis & discretionis in docendo, vt nec discordet vita prudentiæ, neque sermo dissentiat disciplinæ.

Ezec. 34.

Exe. 28.

Matt. 18.

De eminentia sacrarum Scripturarum, & ad quid omnis scientia referenda sit. Cap. 2.

FVndamentum autem, status, & perfectio prudentiæ, scientia est sanctarum scripturarum, quæ ab illa incommutabili æternaque sapientia profluens, quæ ex ore altissimi prodijt, primogenita scilicet ante omnem creaturam Spiritus sancti distributionis, p vasa scripturæ lumen indeficiens, quasi per laternas orbi lucet vniuerso, ac si quid aliud est, quod sapientiæ nomine ritè censeri possit, ab vno sapientiæ fonte deriuatum, ad eius respectat originem. Quidquid enim veri à quocunque reperitur, à veritate verum esse per ipsam veritatem dinoscitur: & quicquid vbiquè boni inuenitur, à bonitate bonum esse deprehẽditur: sic & quicquid sapientiæ à quoquam inuestigatur, à sapientia sapiens esse intelligitur. Nec enim illa quæ in libris prudentium huius seculi, vera & sapientia reperiuntur, alij quàm veritati & sapientię attribuenda sunt, quia non ab illis hæc primùm statuta sunt, in quorum dictis hæc leguntur, sed ab æterno manentia magis inuestigata sunt, quantum ipsa doctrix & illuminatrix omnium veritas, & sapientia eis inuestigare posse concessit: ac ideò ad vnum terminum cuncta referenda sunt, & quæ in libris gentilium vtilia, & quæ in scripturis sacris salubria inueniuntur, vt ad cognitionem perfectam veritatis, & sapientiæ perueniamus, qua cernitur & tenetur summum bonum. Summo autem bono assecuto & adepto, verè beatus quisque fit, cùm summa sapientia plenè & perfectè in æternum perfruitur: quia sine hac sapientia nemo fieri beatus potest, sicut ipsa veritas & sapientia CHRISTVS ad patrẽ loquens, testatur: Hæc est autem, inquit, vita æterna, vt cognoscant te solum verũ DEVM, & quem misisti Iesum Christum. Consequenter autem hic intelligitur Spiritus sanctus, qui est patris filijq; tanquàm charitas consubstantialis amborum. Tunc ergò cognitio Dei erit perfecta, quandò mors erit nulla. Tunc & beatitudo erit plena, quandò Dei clarificatio erit summa. Sed priùs hìc quodammodò clarificatur Deus, dum per fidem credentium, & sanctarum scripturarum manifestationem in tota mundi latitudine prædicatur. Nunc enim videmus eum per speculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem: nunc cognoscimus ex parte, tunc autem cognoscemus, sicut & cogniti sumus.

Ioan. 17.

1. cor. 13.

Quibus obscuritatibus Scriptura sacra sit inuoluta, & quòd eam temerè alicui legere non liceat. Cap. 3.

IGitur scriptura diuina, qua tantis morbis humanarum voluntatũ subuenitur, ab vna lingua profecta, qua opportunè potuit per orbem terrarum disseminari, per varias interpretum linguas longè lateque diffusa est, vt innotesceret gentibus ad salutem. Quam legentes, nihil appetunt aliud, quàm cogitationes volũtatemq; illorum, à quibus conscripta est, inuenire, & per illas voluntatẽ Dei secundùm quã tales homines locutos credimus. Sed multis & multiplicibus obscuritatibus & ambiguitatibus decipiuntur, qui temerè legunt, aliud pro alio

Universidad de Deusto
Biblioteca

alio sentientes, quibusdam autem locis quid vel falsò suspicentur, non inueniunt, ità obscurè dicta quædam, densissimam caliginem obducunt. Quod totum prouisum esse diuinitùs non dubito, ad edomandam labore superbiam, & intellectum à fastidio renouandum, cui facilè inuestigata plerunque vilescunt. Sūt enim in diuinis libris plurima loca tropicis locutionibus difficilia: sunt quoquè multa rerū magnitudine eximia, atque ideò necesse est, vt & sensus & ingenij sagacitate inuestigētur, & secundùm suam significantiam inuestigata intelligantur, & pro suì dignitate intellecta venerentur. Nemo enim ambigit, per similitudines libentius quæque cognosci, & cùm aliqua difficultate quæsita, multo gratiùs inueniri. Qui enim prorsùs non inueniunt quod quęrunt, fame laborant: qui autem non quęrunt, quia in promptu habent, fastidiosè permarcescunt. In vtroque autem languor cauendus est. Magnificè ergò & salubriter Spiritus sanctus ità scripturas sanctas modificauit, vt locis apertioribus fami occurreret, obscurioribus autem fastidia detergeret. Nihil autem ferè de illis obscuritatibus eruitur, quod non planissimè dictum alibì reperiatur.

De Gradibus Sapientiæ & Charitatis. Cap. 4.

ANte omnia enim opùs est ei qui desiderat ad sapientiæ peruenire culmen, Dei timore conuerti, ad cognoscendam eius voluntatē, quid nobis appetendum fugiendumq; præcipiat. Timor autē iste cogitationem de nostra mortalitate, & de futura morte necessè est incutiat, & quasi clauatis carnibus, omnes superbiæ motus ligno crucis affigat. Deindè mitescere opùs est pietate, neq; contradicere diuinæ scripturæ siue intellectæ, si aliqua vitia nostra percutit, siue non intellectæ, quasi nos meliùs sapere, meliusq; percipere possimus. Sed cogitare potiùs, & credere id esse melius & verius, quod ibì scriptum est, etiàm si lateat, quàm id quod nos per nosipsos sapere possumus. Post istos duos gradus timoris atq; pietatis, ad tertium venitur scientiæ gradum, de quo nunc agere constituì. Nam in eo se exercet omnis diuinarum scripturarum studiosus, nihil in eis aliud inuenturus, quàm diligendum esse Deū propter Deum, & proximum propter Deum: & illum quidem ex toto corde, ex tota anima, ex tota mente, proximum verò tamquàm seipsum, id est, vt tota proximi dilectio, sicut etiā nostri, referatur in Deum. Quisquis ergò scripturas sacras vel quamlibet partem earum intellexisse sibi videtur, ità vt eo intellectu non ædificet istam geminam charitatē Dei & proximi, nondùm intellexit quemadmodùm oportebat eum scire. Itaq; tria hæc sunt, quibus & scientia omnis, & prophetia militat, fides, spes, charitas: sed fidei succedit spes, & spei succedit beatitudo, charitas autem etiam istis decedentibus augebitur potius. Cùm ergò quatuor diligenda sunt, vnum quod super nos, id est, Deus: alterum, quod nos sumus, id est, anima ad imaginem Dei creata: tertium quod iuxta nos est, id est, alter homo: quartum quod infra nos, id est, corpus, de secundo & quarto nulla præcepta danda erant. Quantumlibèt enim homo excidat à charitate, remanet illi tamen dilectio sui, & dilectio corporis sui, restabat vt de illo quod supra nos est, & de illo quod iuxta nos est, præcepta sumeremus: Diliges (inquit) Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & reliqua. Omnis quippe homo, inquantùm homo est, diligendus est propter Deum: Deus verò propter seipsum. Ampliùs quisque Deum debet diligere quàm seipsum: item ampliùs alius homo diligendus est quàm corpus nostrum, quia propter Deum omnia ista diligenda sunt, & potest nobiscum alius homo Deo perfrui, quod non potest corpus, quia corpus per animam viuit, qua fruimur Deo. Omnes autem homines æquè diligendi sunt: sed cùm omnibus prodesse non possimus, his potissimùm consulendum est, qui locorum & temporum vel quarumlibet rerum opportunitatibus constrictiùs nobis, quasi quadam sorte, iunguntur. Velle tamen debemus, vt omnes homines nobiscum diligant Deum, & totum quòd eos vel adiuuamus, vel adiuuamur ab eis, ad vnum illum finē referendum est. Iure enim continuatur scientiæ charitas, quia solummodò scientiæ fructus in charitate consistit. Scientia (ait Apostolus) inflat, charitas verò ędificat. Si ergò appetendū est quod inflat, multo magis quod ædificat, vt cùm sciamus voluntatem Dei, diligamus obedire Deo, vt perueniamus ad Deū. Nam ista scientia bonæ spei, non se hominem iactantem, sed lamentantem facit, quo affectu impetrat sedulis precibus cō solationem diuini adiutorij, nè desperatione frangatur, & esse incipit in quarto gradu, hoc est, fortitudinis, quæritur & sititur iustitia: hoc enim affectu ab omni mortifera iocunditate rerum transeuntium sese extrahit, & indè se auertens, conuertit ad dilectionem æternorum, immutabilem scilicet vnitatem, eandemque trinitatem, quam vbì adspexerit quantùm potest, in longinquo radiantem, suiq; adspectùs infirmitate sustinere se illam lucem non posse persenserit, inquinto gradu, hoc est, in consilio misericordiæ purgat animam tumultuantem quodammodò atque obstrepentem sibi de appetitu inferiorum conceptis sordibus. Hic verò se in dilectione proximi non ignauiter exercet, in eaq; perficitur, & spe iam plenus atque integer viribus, cùm peruenerit vsque ad inimici dilectionem, ascendit in sextū gradum, vbì iam ipsum oculum purgat, quo videri Deus potest ab eis, qui huic seculo moriuntur: nam intantùm vident, inquantùm moriuntur huic seculo: inquantùm autem huic viuunt, non vident: & ideò quamuis iā certior, & non solùm tolerabilior, sed etiam iocundior species lucis illius incipit apparere in ænigmate: adhuc tamen & per speculū videri dicitur, quia magis p fidē quàm per speciē ambulatur, cùm in hac vita peregrinamur, quamuis conuersationem habeamus in cælis. In hoc autem gradu ità purgat oculū cordis, vt veritati nec seipsum quidem præferat, vt conferat proximum, ergò nec seipsum, quia nec illum quem diligit sicut seipsum. Erit ergò iste sanctus tam simplici corde, atq; mundato, vt neq; hominibus, placendi studio detorqueatur à vero, nec respectu deuitandorum quorumlibet incommodorum suorum quæ aduersantur huic vitæ. Talis filius ad sapientiam ascendit, quæ vltima & septima est, qua pacatur tranquillusque perfruitur. Initium enim sapientiæ, timor Domini. ab illo enim vsque ad ipsam, per hos gradus ascenditur & venitur.

1.cor.8.

Quòd is qui ad sapientiæ integritatem peruenit, ad charitatis perfectionem perueniat. Cap. 5.

QVicunq; igitur ad sapientię culmen peruenit, ad fastigium charitatis perueniat necesse est, quia nemo perfectè sapit, nisì is qui perfectè diligit. Quīdò enim quis per gradus suprà dictos ad sapientiæ plenitudinē studet peruenire, nihil aliud agit, nisì vt a perfectionem charitatis perueniat; & quantum proficit in sapientia, tantum proficit in charitate. Prędiximus enim quòd in *cognitione perfecta sapientiæ, beatitudo vera consisteret: hoc idem dicimus & de charitate, quia in dilectione perfecta charitatis, beatitudo summa consistit. Nam creator omnium Deus, qui beatitudo nostra est, vtrorumque nomine æqualiter nuncupatur, sicut in libro Sapientiæ de eo scriptum est: Omnium, inquit, artifex docuit me sapientia. Est enim illa spiritus intellectus, sanctus, vnicus, & reliqua. Et Apostolus Ioannes: Deus, inquit, charitas est: & qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo. Nā Saluator in Euangelio sapientiam & charitatem vnum esse intelligi volens, ad Patrem dixit: Pater iuste, mundus te non cognouit, ego autem te cognoui, & hi cognouerunt, quia me misisti, & notum feci eis nomen tuum, & notū faciam, vt dilectio qua dilexisti me, in ipsis sit, & ego in ipsis. Quisquis ergò percipit plenam notitiam Dei, simul habet in se perfectam dilectionem Dei: & his ambobus fruens, æternā beatitudinem adepto summo bono tenebit.

* cogitatione.

Sap.7.

1.Ioan.4.

Ioan.17.

De modo legendi sacras Scripturas. Cap. 6.

SEd nos his ità prælibatis, ad tertium illum gradum, id est, scientiam, considerationē referamus: de quo disserere quod Dominus suggesserit, atq; tractare instituimus. Erit igitur diuinarum scripturarum solertissimus indagator, qui primò totas legerit, norasq; habuerit, & si nondùm intellectu, iam tamen lectione, dumtaxàt eas, quæ appellantur Canonicæ: nam cęteras securiùs legat, fide veritatis instructus, nè præoccupent imbecillum animum, & periculosis mendacijs atque phantasmatibus eludentes, præiudicent aliquid contra sanam intelligentiam. In Canonicis autem scripturis Ecclesiarū catholicarum quàm plurium auctoritatem sequatur, inter quas sanè illæ sunt, quæ Apostolicas sedes habere, & Epistolas accipere meruerunt. Tenebit igitur hūc modum in scripturis canonicis, vt eas quæ ab omnibus accipiuntur Ecclesijs Catholicis, præponat eis, quas quidam non accipiunt: in eis verò quæ non accipiuntur ab omnibus, præponat eas quas plures grauioresq; accipiunt, eis, quas pauciores minorisq; auctoritatis Ecclesiæ tenent. Si autē alias inuenerit à pluribus, alias à grauioribus haberi, quanquàm hoc inuenire non possit, æqualis tamen auctoritatis eas habendas puto: totus autem canon scripturarum, in quo istam considerationem versandam dicimus, his libris continetur (vt breuiter dicam) veteris testamenti, 45. noui autē, 27. qui sunt 72. Quorum omnium nomina & seriem & auctoritatem, quia in superiori libro, quantùm potui, descripsi, non necesse credimus iterare.

De Canone Hebræorum, quomodò apud eos tripartitus est ordo diuinarum scripturarum. Cap. 7.

NOtandum tamen, quòd Hebræi vetus testamentum, Esdra auctore, iuxta numerum literarum suarum in 21. libris accipiunt, diuidentes eos in tres ordines, legis scilicet, prophetarum, & hagiographorum. Primus ordo legis in quinq; libris accipitur, quorum primus est Beresith, qui est Genesis. Secundus Veelleſemoth, qui est Exodus. Tertius Vaijcra, qui est Leuiticus. Quartus Vaiedabber, qui est Numerus. Quintus Ellehadebarim, quod est Deuteronomium. Hi sunt quinq; libri Moysis, quos Hebræi Thorath, Latini legē appellant: propriè autem lex appellatur, quę per Moysen data est. Secundus ordo prophetarum, in quo continentur libri octo, quorum primus Iosue Ben Nun, qui Latinè, Iesu Naue dicitur. Secundus Sophthim, qui est Iudicum. Tertius Samuel, qui est Regum primus. Quartus Melachim, qui est Regum secundus, Quintus Esaias. Sextus Hieremias. Septimus Ezechiel. Octauus Thereasar, qui dicitur duodecim prophetarum, qui libri quia sibi pro paruitate adiuncti sunt, pro vno accipiuntur. Tertius ordo hagiographorum, id est, sancta scriben-

Universidad de Deusto
Biblioteca

scribentium, in quo sunt libri nouem, quorum primus Iob, secundus Psalterium, qui in quinque incisionibus diuiditur: tertius * Misseleth, quod est Prouerbia Salomonis: quartus Choëleth, qui est Ecclesiastes: quintus Sirasirim, quod est Canticum Canticorum: sextus Daniel, septimus Dibrehaiamim, quod est verba dierū. id est, Paralipomenon: octauus Esdras: nonus est Hester, qui simul omnes 5. & 8. & 9. fiunt 22. sicut superiùs sunt cōprehensi. Quidam autem Ruth, & Cinoth, quod Latinè dicitur lamentatio Hieremiæ, hagiographis adiiciunt, & vigintiquatuor volumina veteris testamenti faciunt, iuxta 24. seniores, qui ante conspectum Dei assistunt. Isti sunt libri, qui apud Hebræos canonicam auctoritatem habent. Quartus est apud nos ordo veteris testamenti, eorum librorum qui in Canone Hebraico non sunt, quorum primus, Sapientiæ liber est: secundus, Ecclesiasticus: tertius, Tobiæ: quartus, Iudith: quintus & sextus, Machabæorum, quos licèt Iudæi inter apocrypha separent, Ecclesia tanem Christi inter diuinos libros honorat & prædicat. In nouo autem testamento duo sunt ordines: primus Euangelicus, in quo sunt Matthæus, Marcus, Lucas, Ioannes: secundus Apostolicus, in quo sunt Epistolæ Apostolorum Petri, Iacobi, Ioannis, Iudæ & Pauli: & liber Actus Apostolorum, & Apocalypsis. In his omnibus libris timentes Deum & pietate mansueti, quærunt voluntatem Dei, cuius operis & laboris prima obseruatio est, vt diximus, nosse istos libros, & si nondùm ad intellectum, legendo tamen vel mandare memoriæ, vel omninò incognitos non habere. Deindè illa, quæ in eis apertè posita sunt, vel præcepta viuendi, vel regulæ credendi; solertiùs diligentiusque inuestiganda sunt: quæ tanto quisque plura inuenit, quanto est intelligentia capacior. In his enim quæ apertè in scripturis posita sunt, inueniuntur illa omnia quæ continent fidem, mores viuendi, spem scilicet atq; charitatem: cùm verò facta quadam familiaritate cum ipsa lingua diuinarum scripturarū, in ea quæ obscura sunt, aperienda & discutienda pergendum est, vt ad obscuriores locutiones illustrandas, de manifestioribus sumantur exempla, & quædam certarum sententiarum testimonia, dubitationem incertis auferant: in qua re memoria valet plurimùm, quæ si defuerit, non potest his præceptis dari.

* Misse.

Vndè sit, quòd non intelliguntur quæ scripta sunt. Cap. 8.

DVabus autem causis nō intelliguntur quæ scripta sunt, si aut ignotis, aut ambiguis signis obteguntur. Sunt autem signa propria vel translata: Propria dicuntur, cùm his rebus significandis adhibentur, propter quas sunt instituta, sicut dicimus bouem, cùm intelligimus pecus, quod omnes nobiscum Latinæ linguæ homines hoc nomine vocant: Translata sunt, cùm & ipsæ res, quas proprijs verbis significamus, ad aliquid aliud significandum vsurpantur, sicut dicimus bouem, & per has duas syllabas intelligimus pecus, quod isto nomine appellari solet: sed rursùs per illud pecus intelligimus Euangelistam, quem significauit scriptura, interpretante Apostolo & dicente: Bouē triturantem non infrenabis. Ad propria autē signa pertinent verba, quæ prorsùs inter homines obtinuerunt principatum significandi, quæcunque animo concipiuntur, si ea quisq; prodere velit. Sed quia verberato aere statim trāseunt, nec diutiùs manent, quàm sonant, instituta sunt per literas signa verborum, & ità voces oculis ostenduntur, nō per seipsas, sed per signa quædam sua. Ista signa ergò non potuerunt communia esse omnibus gentibus, peccato quodā dissensionis humanæ, cùm ad se quisque principatum rapit, cuius superbiæ signum est erecta illa turris in cælum, vbi homines impij non solùm animos, sed etiam voces dissonas habere meruerunt. Sed gratia Dei misericorditer prouisum est, vt scriptura diuina quę in prima illa lingua, qua homines primi locuti sunt, primitùs conscripta est, ab ipsa per varia interpretum officia ad notitiam hominum deferretur, nè humana miseria fame verbi Dei deficiens, sine remedio in æternum periret, seruato tamen ordine, quia maximè canon cōuenit harum scripturarū illis tribus linguis, quæ in cruce redemptoris & saluatoris nostri dedicatæ sunt, Hebræa videlicet, Græca & Latina, ad insinuandam sanctæ Trinitatis fidem, in tribus mundi partibus tripertito humano generi principaliter commendari: vt ex his vna quæq; gens & natio propriæ linguæ adminiculo, intellectum sibi salubrem attraheret, interpretando ac colloquendo sensum eundem canonicum proprijs verbis. Sed quia prædiximus, quòd aut in ignotis signis, aut in ambiguis hæreret intellectus, vt non facilè intelligerentur quæ scripta sunt de ambiguis signis pòst loquemur: nūc de incognitis agimus. Agere enim decreuimus vt si Dominus vellet, quæcunq; in prædictis duobus signis necessaria essent ad discendum nobis, distributo ordine modoque disposito, quantùm possemus, conscriberemus: vndè oportebat, vt de ignotis proprijs signis priùs ageremus, in quibus radix & initium discendi consistit. Deindè de ignotis translatis, in quibus subtilitas & vtilitas lectionis habetur, postea verò de ambiguis signis proprijs atq; trāslatis, quibus ad purum elicitis, & secundùm veritatem inuentis, firmitas & integritas lectionis generatur.

1. Cor. 9.

De ignotis signis proprijs. Cap. 9.

IGnotorum autem signorum duæ formę sūt, quantùm ad verba pertinet: nanq; aut ignotum verbum facit hęrere lectorem, aut ignota locutio, quæ si ex alienis linguis veniunt, aut quærenda sunt ab earum linguarum hominibus, aut linguæ eædem, si aut ocium est, aut ingenium, ediscendæ; aut plurium interpretū consulenda collatio est. Si autem ipsius linguæ nostræ, id est, Latinæ, aliqua verba locutionesque ignoramus, legendi consuetudine audiendiq; innotescunt. Nulla sanè sunt magìs mandanda memoriæ, quàm illa verborum locutionumque genera, quæ ignoramus, vt cùm peritior occurrerit, de eo quæri possint: vel talis lectio, quæ vel præcedentibus, vel consequentibus, vel vtrisque ostendat, quam vim habeat, quidve significet quod ignoramus, facilè adiuuante memoria possimus aduertere & discere. Debet autem studere is qui propriorum signorum peritus esse vult, id est, quantùm ad sermones pertinet, vt & certam cognoscat vim verborum, & proprium sciat modum locutionum, quod à Grammaticis & Rhetoribus non mediocriter discere, qui vult, valet.

De Translatis ignotis. Cap. 10.

IN translatis verò signis, si qua fortè ignota cogunt hærere lectorem, partìm linguarum notitia, partim rerum inuestiganda sunt: aliquid enim ad similitudinem valet, & proculdubiò secretum quiddam insinuat. Siloa piscina vbì faciem lauare iussus est, cui oculos Dñs luto de sputo facto inunxerat, quod tamen nōmen linguæ incognitæ nisi Euangelista interpretatus esset, tam magnus intellectus lateret: sic etiam multa quæ ab auctoribus eorundem librorū interpretata non sunt nomina Hebræa, non est dubitandum habere non paruam vim atq; adiutorium ad soluenda ænigmata scripturarum, si quis ea possit interpretari. Quod nō, nulli eiusdem linguę periti viri, non sanè parnum beneficium posteris cōtulerunt, qui separata de scripturis eadē omnia verba interpretati sunt, & quid sit Adam, quid Eua, quid Abraham, quid Moyses: siue etiam locorum nomina, quid sit Hierusalē, vel Sion, vel Iericho, vel Libanus, vel Iordanis, & quæcunq; alia in illa nobis sunt incognita nomina: quibus apertis & interpretatis, multæ in scripturis figuratæ locutiones manifestantur. Rerum autem ignorātia facit obscuras figuratas locutiones, cum ignoramus vel animaliū, vel lapidum, vel herbarum naturas, aliarùmve rerum, quæ plerunq; in scripturis similitudinis alicuius gratia ponuntur. Nam & de serpente, quod notū est, totum corpus eum pro capite obijcere ferientibus, quantùm illustrat sensum illum, quòd Dominus iubet astutos nos esse sicut serpentes, vt scilicet pro capite nostro, quod est Christus, corpus potiùs persequentibus offeramus, nè fides Christiana tamquàm necetur in nobis, si parcentes corpori, negemus Deum. Vel illud quod per cauernæ angustias coarctatus, deposita veteri tunica, vestes nouas accipere dicitur, quantùm concinit ad imitandam ipsam serpentis astutiam, exuendumque veterem hominem, sicut Apostolus dicit, vt induamur nouo: & exeundum per angustias, dicente Domino, Intrate per angustam portā. Vt ergò notitia naturę serpētis illustrat multas similitudines, quas de hoc animante scriptura dare consueuit, sic ignorantia nonnullorū animalium, quæ non minùs per similitudines cōmemorat, impedit plurimùm intellectorem: sic lapidum, sic herbarum, vel quæque tenentur radicibus. Nam & carbūculi notitia, quòd lucet in tenebris, multa illuminat, etiam obscura librorum, vbicunquè propter similitudinem ponitur: & ignorantia berylli vel adamātis, claudit plerunquè intelligentiæ fores: nec aliam ob causam facile est intelligere, pacem perpetuam significari oleæ ramulo, quem rediens ad arcam columba pertulit, nisi quia nouimus & olei lenem contactum, non facilè alienō humore corrumpi, & arborem ipsam frondere perenniter. Multi autem per ignorantiā hyssopi, dum nesciunt quam vim habeat, vel ad purgandum pulmonem, vel ad saxa radicibus penetranda, cùm sit herba breuis atque humilis, omninò inuenire non possunt dictum: Asperges me hyssopo, & mundabor. Numerorum etiam imperitia, & musicarum rerum ignorantia, multa faciunt non intelligi translatè ac mysticè posita in scripturis: de quibus quandò de singulis disciplinis disputabimus, apertiùs edisseremus, de ambiguis signis nunc dicturi.

Ioan. 9.

Matth. 10.

coloss. 3.

Matt. 7.

Psal. 50.

De Ambiguis signis quomodò constant. Cap. 11.

AMbiguitas autem scripturæ, aut in verbis propriis est, aut in translatis: sed cum verba propria faciunt ambiguam scripturam, primò videndum est, nè malè distinxerimus, aut pronunciauerimus. Cùm ergò adhibita intentio incertum esse præuiderit, quomodò distinguendum aut quomodò pronunciandū sit, consulat regulam fidei, quam de scripturarum plurioribus locis & Ecclesię auctoritate percepit. Quòd si ambæ vel etiam omnes, si plures fuerint partes ambiguitatis, secundùm fidem sonuerint, textus ipse sermonis à præcedentibus & consequentibus partibus, quæ ambiguitatē illam in medio posuerunt, restat consulendus: vt videamus cuinā sententiæ de pluribus quę se ostendunt, ferat suffragium, eamque sibi cōtexi patiatur. Iam nunc exempla considera: Illa hęretica distinctio: In principio erat verbū, & verbū erat apud Deum, & Deus erat: Vt alius sit sensus, Verbū hoc erat in principio apud Deum, non vult verbum Deum confiteri: sed hoc regula fidei refellendum est, qua nobis de Trinitatis æqualitate præscribitur, vt dicamus, Et Deus erat verbum. Deindè subiungamus, Hoc erat in principio apud Deum. Illa verò distinctionis ambiguitas, neutra parte

Aug. cap. 2. lib 3. de Doctrina Chri.

Ioan. 1.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Philip. 1.

resistit fidei: & ideò textu ipso sermonis dijudicanda est, vbi ait Apostolus: Et quid eligam ignoro. Compellor autem ex duobus, concupiscentiã habens dissolui, & esse cum Christo. multo enim magis optimum Manere in carne, necessarium propter vos. Incertũ enim, vtrùm ex duobus, concupiscentiam habens, an, compellor autem ex duobus, vt illud adiungatur, concupiscentiam habens dissolui, & esse cum Christo. Sed quoniã ità sequitur, multò enim magis optimum, appáret eum eius optimi dicere se habere concupiscentiam, vt cùm ex duobus compellatur, alterius tamen habeat concupiscentiam, alterius necessitatem: concupiscentiam scilicet, esse cum Christo: ne cessitatẽ, manere in carne. Quę ambiguitas vno consequenti verbo diiudicatur, quod positum est, enim. Quam particulam qui abstulerunt interpretes, illa potiùs sententia ducti sunt, vt non solùm compelli ex duobus, sed etiam duorum habere concupiscentiã videretur. Sic ergò distinguendum est: Et quid eligam, ignoro. Compellor autem ex duobus: quam dictionem sequitur, concupiscentiam habens dissolui, & esse cũ Christo: & tamquàm quęreretur, quarè huius rei potiùs habeat concupiscentiã, multo enim magis optimum, inquit. Cur autem è duobus compellitur? quia manendi est necessitas, quã ità subiecit: Manere in carne, necessarium propter vos. Vbi neque scripto fidei, neq; ipsius sermonis textu, ambiguitas explicari potest, nihil obest secundùm quamlibet carum, quæ ostenduntur, sententiam distinguere curet, veluti est illa ad Corinthios: Has ergò habentes promissiones, charissimi, mundemus nos ab omni coinquinatione carnis & spiritùs, perficientes sanctificationem in timore Dei. Dubium est quippe, vtrum mundemus nos ab omni coinquinatione carnis & spiritus, secundùm illam sententiam, vt fit sancta corpore & spiritu: an, mundemus ab omni coinquinatione carnis: vt alius sit sensus, & spiritùs perficientes sanctificationem in timore Dei. Tales ergò distinctionum ambiguitates, in potestate legentis sunt. Quæcunq; autem de ambiguis distinctionibus diximus, eadem obseruanda sunt, & in ambiguis pronunciationibus: quæ si lectoris perturbantur incuria, aut regulis fidei corrigantur, aut præcedentis vel consequentis cõtextione sermonis. Quòd si neutrum horum adhibetur ad correctionẽ, nihilominùs dubiæ remanebunt: vt quolibet modo lector pronunciauerit, non sit in culpa. Quali autem voce pronuncietur illud, quod Nathanael dixit, A Nazareth potest aliquid boni esse, siue affirmantis, vt illud solùm ad interrogationem pertineat quod ait, A Nazareth? siue totum cum dubitatione interrogantis, non video quomodò discernatur. Vterque autem sensus fidem non impedit.

2.cor.7.

Ioan 1.

De ambiguis propriis siue translatis. Cap. 12.

RAriſſimè ergò & difficillimè inueniri potest ambiguitas in proprijs verbis, quantùm ad libros diuinarum scripturarũ spectat, quam nõ aut circunstantia ipsa sermonis qua cognoscitur scriptorum intentio, aut interpretum collatio, aut præcedentis linguæ soluat inspectio. Nam quod scriptum est, Non est absconditum os meum, quod fecisti in abscondito, non elucet legenti, vtrùm correpta litera os pronunciet, an producta. Si enim corripiat, ab eo quod sunt ossa: si autem producat, ab eo quod sunt ora, intelligitur numerus singularis. Sed talia linguæ præcedentis inspectione dijudicantur. Nam in Græco non στόμα, sed ὀστέον positum est. Item illud Apostoli. Quæ prædico vobis, sicut prædixi: quoniam qui talia agunt, regnum Dei non possidebunt. Si tantummodò dixisset, quæ prędico vobis: neque subiunxisset, prædixi: dubiũ esset, vtrùm in eo quod dixit, prædico, producenda an corripienda esset syllaba media: nunc autem manifestum est, producendam esse: non enim ait, sicut prædicaui, sed, sicut prædixi. Sed quia hæc rarò (vt prædiximus) verba inueniuntur, quæ non facilem habeant solutionem, ad verborum translatorum ambiguitates stylum vertamus, quæ nõ mediocrem curam industriamq; desiderant. Nam in principio cauendum est, nè figuratam locutionem ad literam accipias. Ad hoc enim pertinet quod ait Apostolus: Litera occìdit, spiritus autem viuificat. Neque vlla mors animę congruentius appellatur, quàm cùm id etiam quod in ea bestias antecellit, hoc est, intelligentia carni subijcitur, sequendo literã. Qui enim sequitur literam, translata verba sicut propria tenet, neq; illud quod proprio verbo significatur, refert ad aliam significationem. Et ea est miserabilis animæ seruitus, signa pro rebus accipere, & supra creaturam corpoream oculum mentis ad hauriendum æternum lumẽ leuare non posse. Quæ tamen seruitus in Iudaico populo longè à cæterarum gentium more distabat: quandoquidem rebus temporalibus ità subiugati erant, vt vnus eis in omnibus cõmendaretur Deus. Gentes autẽ simulacra manufacta deos habebant: & si quandò aliqui eorum illa tamquàm signa interpretari conabantur, ad creaturam colendam venerandamque referebant. Sed ab hac vtraq; seruitute, veniens Christus veritatis suæ luce mundũ illuminans, omnes in se credẽtes veraciter liberauit.

Pſal. 138.

2.cor.13.

2.cor.3.

Modus inueniendi, vtrùm locutio propria sit, an translata. Cap. 13.

HVic autem obseruationi, qua cauemus figuratam locutionem, id est, translatam quasi propriã sequi, adiungenda etiam illa est, nè propriam quasi figuratã velimus accipere.

Demon-

Demonstrandus est igitur priùs modus inueniendæ locutionis, propriáne an figurata sit: & iste omninò modus est, vt quicquid in sermone diuino neque ad morum honestatem, neq; ad fidei veritatem propriè referri potest, figuratum esse cognoscas. Morum honestas, ad diligendum Deum & proximum: fidei veritas, ad cognoscendum Deum & proximum pertinet: spes autem sua cuique est in conscientia propria, quemadmodùm se sentit ad dilectionem Dei & proximi cognitionemq; proficere. Non enim præcipit scriptura nisì charitatem: nec culpat nisì cupiditatem: & eo modo informat mores hominum. Charitatem voco motũ animi ad fruendum Deo propter ipsum, & se atque proximum propter Deum. Cupiditatẽ autem, motum animi ad fruendum se & proximo, & quolibet corpore non propter Deum. Quod autem agit indomita cupiditas ad corrumpendum animum & corpus suum, flagitiũ vocatur: quod autem agit vt alteri noceat, facinus dicitur. Et hæc sunt duo genera omnium peccatorũ: sed flagitia priora sunt: quæ cùm exinaniuerint animum, & ad quandam egestatẽ perduxerint, in facinora prosilitur: quibus remoueantur impedimenta flagitiorũ, aut adiumenta quærantur. Itẽ quod agit charitas, quòd sibi prosit, vtilitas est: quod autem agit vt prosit proximo, beneficentia nominatur. Et hìc præcedit vtilitas: quia nemo potest ex eo quod nõ habet, prodesse alteri. Quanto autem magìs regnũ cupiditatis destruitur, tanto charitatis augetur. Quicquid ergò asperũ & quasi seuũ factu dictuq; in sanctis scripturis legitur, ex persona Dei vel sanctorũ eius, ad cupiditatis regnũ destruendũ valet. Quod si perspicuè sonat, non est ad aliud referendum, quasi figuratè dictũ sit, sicuti est illud Apostoli: Thesaurizasti tibi, inquit, iram in die iræ, & reuelationis iusti iudicij Dei, qui reddet vnicuiq; secundùm opera sua: & reliqua. Ergò in locutionibus figuratis regula sit huiusmodi, vt tam diù versetur diligenti cõsideratione quod legitur, donèc ad regnum charitatis interpretatio perducatur: Si autem hoc iam propriè sonat, nulla putetur figurata locutio. Si præceptiua locutio est, *aut* flagitiũ aut facinus vetans, vtilitatem aut beneficentiam iubens, non est figurata. Si autẽ flagitium aut facinus videtur iubere, aut vtilitatem & beneficentiã vetare, figurata est. Nisì manducaueritis, inquit, carnem filij hominis, & sanguinẽ eius biberitis, non habebitis vitam in vobis. Facinus vel flagitiũ videtur iubere. Figurata ergò est, præcipiens passioni Domini esse communicandum: & suauiter atq; vtiliter recolendum in memoria, quòd pro nobis caro eius crucifixa & vulnerata sit. Ait scriptura: Si esurierit inimicus tuus, ciba illum: si sitit, potum da illi. Hìc nullo dubitante beneficentiã præcipit: sed quod sequitur, Hoc enim faciens, carbones ignis congeres super caput eius, maleuolentię facinus putes iuberi. Nè igitur putaueris figuratè dictum & cùm possit dupliciter interpretari, vno modo ad nocendum, altero ad præstandum, ad beneficentiam te potiùs charitas reuocet, vt intelligas carbones ignis, esse vrentes pœnitentię gemitus, quibus superbia sanatur eius, qui dolet se inimicũ fuisse hominis, à quo eius miseriæ subuenitur. Itẽ cùm ait Dominus: Qui amat animam suam, perdat eam: non vtilitatem vetare putandus est, qua debet quisq; conseruare animã suam: sed figuratè dictum, perdat animam, id est, perimat, atq; amittat vsum eius, quem nunc habet, peruersum scilicet atq; præposterum, quo inclinatur tẽporalibus, vt æterna non quærat. Scriptum est: Da misericordiam, & nè suscipias peccatorem. Posterior pars huius sententiæ videtur vetare beneficentiam. Intelligas ergò figuratè positum, pro peccato peccatorem: vt peccatum eius non suscipias.

Mat. 10.

Eccl. 12.

De varia significatione verborum, quæ constat in contrarietate & diuersitate. Cap. 14.

SEd quoniam multis modis res similes apparent, non putemus ità esse scriptum, vt quod in aliquo loco res aliqua per similitudinem significaueric, hoc eam semper significare credamus. Nam & in vituperatione posuit fermentum Dominus, cùm diceret: Cauete à fermento Pharisæorum: & in laude cùm diceret: Simile est regnũ cælorum mulieri, quæ abscondit fermentũ in tribus mensuris farinæ, donèc totum fermentaretur. Huius igitur varietatis obseruatio, duas habet formas: sic enim aliud atq; aliud res quæ significant, vt aut contraria, aut diuersa significẽt. Contraria scilicet, cùm aliàs in bono, aliàs in malo res eadẽ per similitudinem ponitur: sicut hoc est, quod de fermẽto suprà diximus. Tale est etiam, quòd leo significat Christum, vbi dicitur: Vicit leo de tribu Iuda. Significat & diabolum, vbi scriptum est: Aduersarius vester diabolus tamquàm leo rugiens circuit, quærens quem deuoret. Serpens in bono: Estote astuti vt serpentes: in malo autem: Serpens Euam seduxit astutia sua. In bono, panis: Ego sum panis viuus, qui de cælo descendi: in malo, panis: Panis occultus libenter editur. Sic & alia plurima. Et hæc quidẽ quæ cõmemoraui, minimè dubiam significationem gerunt: quia exempli gratia, non nisì manifesta commemorari debuerunt. Sunt autem, quæ incertũ est, in quam partẽ accipi debeant: sicut, Calix in manu Dñi vini meri plenus est mixto: incertum est enim, vtrùm iram Dñi significet non vsq; ad nouissimã pœnã, id est, vlq; ad fæcem, an potiùs gratiã scripturarũ à Iudæis ad gentẽ transeuntẽ, quia inclinauit ex hoc in hoc, remanentibus apud Iudæos obseruationibus, quas carnaliter sapiunt: qa fex eius non est exinanita. Cùm verò res eadẽ nõ in contraria,

Mat. 8.

Luc. 12. Luc. 13.

Apoc. 5.

1. pet. 5.

Matt. 10. 1. cor. 11. Ioan. 6.

pro. 9.

pſal. 74.

Rom. 2.

Ioan 6.

Rom. 12.

Universidad de Deusto
Biblioteca

sed tamen in significatione ponitur diuersa, illud est in exemplo, quòd aqua & populum significet: sicut in Apocalypsi legimus, & Spiritũ sanctum: vndè est illud: Flumina de ventre eius fluẽt aquæ viuæ: & si quid aliud atq; aliud pro locis in quibus ponitur aqua, significare intelligitur. Vbi autem apertiùs pronuntur, ibi dicendum est, quomodò in locis intelligatur obscuris. Neque enim meliùs potest intelligi quod dictum est Deo: Apprehende arma & scutum, & exurge in adiutorium mihi, quàm ex hoc loco vbi legitur: Domine, vt scuto bonæ voluntatis tuæ coronasti nos.

Ioan. 7.

Psal. 34.

Psal. 5.

Quòd non sit periculum varius intellectus in eisdem scripturæ verbis, si sensus ipse cõgruat veritati. Cap. 15.

QVandò autem ex eisdem scripturę verbis non vnum aliquid, sed duo, vel plura sentiuntur, etiam si latet quid senserit ille, qui scripsit; nihil periculi est, si quodlibet eorum congruere veritati, ex alijs locis sanctarũ scripturarum doceri potest: id tamen eo conante, qui diuina scrutatur eloquia, vt ad voluntatẽ perueniatur auctoris, per quem scripturam illam sanctus operatus est spiritus: siue hoc assequatur, siue aliam sententiam de illis verbis, quæ fidei rectæ non refragatur, exculpat, testimonium habens à quocunque alio loco diuinorum eloquiorum. Ille quippe auctor in eisdem verbis quæ intelligere volumus, & ipsam sententiam forsitan vidit, & certè Dei spiritus qui per hæc operatus est, etiam ipsam occursuram lectori vel auditori sine dubitatione præuidit, immò vt occurreret, quia & ipsa est veritate subnixa, præuidit. Nam quid in diuinis eloquijs largiùs & vberiùs potuit diuinitùs prouideri, quàm vt eadem verba pluribus intelligantur modis? quos alia non minùs diuina cõtestantia faciant approbari. Vbi autem talis sensus eruitur, cuius incertum certis sanctarum scripturarum testimonijs non possit aperiri, restat vt ratione reddita manifestus appareat, etiam si ille cuius verba intelligere quærimus, eum fortè non sensit. Sed hæc consuetudo periculosa est. Per scripturas enim diuinas ità multo tutiùs ambulatur, si hoc exhibemus, vt cùm aliqua verbis translatis opaca scrutari volumus, aut hoc indè exeat, quod non habeat cõtrouersiam: aut si habeat, ex eadem scriptura vbicunq; eius inuentis atq; adhibitis testibus, terminetur. Sed hæc in præsẽti de signis dicta sufficiant. Cæterùm qui plenius de his scire desiderat, in libris sancti Augustini de doctrina Christiana, vndè hæc excerpsimus, quærat & inueniet. Nunc de his quæ in gentilibus doctrinis exercentur, & quæ liberales dicũtur artes, quid conferant vtilitatis, si perscrutentur, his qui Canonicas scripturas legunt, quantùm valeo, explicabo.

De duobus generibus doctrinarum gentilium: & quæ sint illa, quæ instituerunt homines. Cap. 16.

DVo sunt genera doctrinarum, quæ in gentilibus etiam moribus exercentur: vnum earum rerum, quas instituerunt homines: alterum earũ, quas animaduerterũt iam peractas, aut diuinitùs institutas. Illud quod est secundùm institutiones hominũ, partim superstitiosum est, partìm non est. Superstitiosum est, quicquid institutum est ab hominibus, ad facienda & colenda idola pertinens, vel ad colendum, sicut Deum, creaturam, partémve vllam creaturæ: vel ad consultationes & pacta quædam significationũ cũ dæmonibus placita atq; fœderata: qualia sunt molimina magicarũ artium, quæ quidem cõmemorare potiùs, quàm docere assolent poẽtę, ex quo genere sunt, sed quasi licentiore vanitate, aruspicum & augurũ libri. Ad hoc genus pertinent omnes etiam ligaturæ atque remedia, quæ medicorum quoq; disciplina contemnit, siue in prædicationibus, siue in quibusdam notis, quas characteres vocant: siue in quibusque rebus suspendendis atque inligandis, non propter vim naturæ quodã modò ad temperationem corporum, sed ad quasdam significationes occultas aut manifestas. Neque illi ab hoc genere pernicioſæ superstitionis segregandi sunt, qui genethliaci propter nataliũ dierum considerationes, nunc autẽ vulgò mathematici vocantur. Nam & ipsi quãuis verã stellarum positionẽ, cùm quisq; nascitur, consectentur, & aliquandò etiam perue stigent, tamen quòd indè conantur, vel actiones nostras, vel actionum euenta prædicere, nimìs errant, & vendunt imperitis hominibus miserabilem seruitutem. Cõmoda verò & necessaria hominum cum hominibus instituta sunt, quęcunque in habitu & cultu corporis ad sexus vel honores discernendos differentia placuit, & in numerabilia genera significationũ, sine quibus humana societas, aut non omninò, aut minùs commodè geritur, quæque in ponderibus atq; mensuris, & nummorum impressionibus vel æstimationibus, sua cuique ciuitati & populo sunt propria, & cætera huiusmodi: quæ nisi hominum instituta essent, non per diuersos populos variæ essent: nec in ipsis populis singulis, pro arbitrio suorum principũ mutarentur: sed hæc tota pars humanorum institutorum, quæ ad vsum vitę necessarium proficiunt, nequaquàm est fugienda Christiano: immò etiã quantùm satis est intuenda, memoriaq; retinẽda. Ad hanc partem etiam pertinent literarũ figuræ, quæ pro libito hominũ constitutæ sunt: nec tamen omnibus gentibus communes, sed alias Hebræa, alias Græca, alias Latina gens habet: & cæterę quædam gentes similiter ad proprietatem linguæ suę, literas sibi secundùm suum placitum formauerunt.

Quæ

Quæ diuinitùs instituta inuestigauerunt. Cap. 17.

IAm verò illa, quæ non instituendo, sed aut transacta temporibus, aut diuinitùs institu ta inuestigando homines prodiderunt, vbicunque discantur, nõ sunt hominum instituta existimanda: quorum sunt alia ad sensus corporis, alia verò ad rationem animi pertinentia. Sed illa quæ ad sensus corporis attinguntur, vel narrata credimus, vel demonstrata sentimus, vel experta conijcimus. Quicquid ergò de ordine temporum transactorum indicat ea quæ appellatur historia, plurimùm nos adiuuat ad libros sanctos intelligendos, etiã si præter Ecclesiam puerili eruditione discatur. Nã & per Olympiadas, & per Consulum nomina, multa sæpè quæruntur à nobis. Et ignorantia consulatus quo natus est Dominus, & quo passus est, nonnullos coegit errare, vt putarent quadragesimasexta annorũ ætate passum esse Dominũ: quia per tot annos ædificatũ templũ esse, dictum est à Iudæis, quod imaginem Dominici corporis habebat. Sed annorum fere triginta baptizatum esse retinemus auctoritate Euangelica: sed posteà quot annos in hac vita egerit, quamquàm textu ipso actionum eius animaduerti possit, tamẽ nè aliundè caligo dubitationis oriatur, de historia gentium collata cum Euangelio, liquidiùs certiusq; colligitur. Tunc enim videbitur non frustrà esse dictum, quòd quadraginta annis templum ædificatum sit, vt cùm referri iste numerus ad ætatem Domini non potuerit, ad secretiorẽ instructionẽ humani corporis referatur, quòd indui propter nos non dedignatus est vnicus Dei filius, per quem facta sunt omnia. Aliud est enim facta narrare, aliud docere facienda. Historia, facta narrat fideliter atque vtiliter: libri autẽ aruspicũ & quæq; similes literæ, facienda vel obseruanda intendunt docere, monitoris audacia, non indicis fide. Est etiam narratio similis demonstrationi, qua non præterita, sed præsentia indicantur ignaris, in quo genere sunt, quę de locorum situ, natutisq; animaliũ, lignorum, herbarũ, lapidum, aliorũm ve corporũ scripta sunt: de quo genere superiùs egimus: camq; cognitionem valere ad ænigmata scripturarum soluenda, docuimus: non vt pro quibusdam signis adhibeantur, tanquam ad remedia, vel machinamenta superstitionis alicuius. Siderũ autem cognoscendorũ non narratio, sed demõstratio est, quorũ perpauca scriptura commemorat. Habet autem præter demonstrationẽ præsentium, etiam præteritorum narrationi simile aliquid, quod à præsenti positione, motuque siderum ad præterita eorum vestigia regulariter licet recurrere. Habet etiam futurorum regulares coniecturas non suspiciosas & ominosas, sed ratas & certas: non vt ex eis aliquid trahere in nostra fata & euenta tentemus, qua lia genethliacorum deliramenta sunt: sed quãtùm ad ipsa pertinet sidera. Nam sicut is qui computat lunam cùm hodiè inspexerit, quota sit, & ante quotlibet ãnos quota fuerit, & post quotlibet annos, quota futura sit, potest dicere: sic de vnoquoque siderum, qui ea peritè cõputant, respondere consueuerunt. Artium etiam cæterarum, quibus aliquid fabricatur, vel quod remaneat post operationem artificis ab illo effectum, sicut domus & scamnum, vel quę ministerium quoddã exhibent operanti Deo, sicut medicina & agricultura & gubernatio. Harum ergò cũctarum artiũ de præteritis faciunt experimenta, etiam futura conijcienda. Nullus earum artifex membra mouet in operando, nisi præteritorum memoriam cum futurorum expectatione contexat. Sed hæc non ob aliud commemorauimus, nisi vt non omninò nesciamus, quid scriptura velit insinuare, cùm de his artibus aliquas figuratas locutiones inserit. Restant ea quæ non ad corporis sensus, sed ad rationem animi pertinent, vbi disciplina regnat disputationis & numeri: sed disputationis disciplina ad omnia genera quæstionum, quæ in literis sanctis sunt penetranda & dissoluenda, plurimùm valet: tantùm ibi cauenda est libido rixandi, & puerilis quædam ostensio decipiendi aduersarium. Sed de hoc pleniùs dicemus, cùm de dialectica atq; rhetorica disputabimus. Iam verò numeri disciplina cuilibet tardissimo clarum est, quòd non sit ab hominibus instituta, sed potiùs indagata & inuenta. Non enim sicut primam syllabam Italię, quam breuem pronunciauerunt veteres, voluit Virgilius, & longa facta est, ità quisquã potest efficere cùm voluerit, vt ter terna aut non sint nouem, aut non possint efficere quadratam figuram, aut non ad ternarium numerum tripla sint, ad senarium sescupla, ad nullũ dupla: quia intelligibiles numeri semissem nõ habent. Siue ergò in scipsis considerentur, siue ad figurarum, aut ad sonorum aliarùmue motionum leges numeri adhibeantur, incommutabiles regulas habent: neque vllo modo ab hominibus instituti, sed ingeniosorum sagacitate compertas. Quæ tamen omnia quisquis ità dilexerit, vt iactare se inter imperitos velit, & non potiùs quærere vndè sint vera, quę tantũmodò vera esse persenserit, & vndè quædã nõ solùm vera, sed etiam incommutabilia, quæ incommutabilia esse comprehenderit, ac sic ab specie corporum vsque ad humanam mentem perueniens, cùm & ipsam mutabilem inuenerit, quòd nunc docta, nunc indocta sit, constituta tamen inter incommutabilem supra se veritatem, & mutabilia infra se cætera, ad vnius Dei laudem atque dilectionem cuncta conuertere, à quo cuncta esse cognoscit, doctus videri potest, esse autem sapiens nullo modo. Hucusquè generaliter atque permixtìm dixi de disciplinis gentilium, deincèps seorsùm de singulis dicturus.

Universidad de Deusto
Biblioteca

De arte Grammatica, & speciebus eius. Cap. 18.

PRima ergò liberalium artium est Grammatica: secunda Rhetorica, tertia Dialectica, quarta Arithmetica, quinta Geometria, sexta Musica, septima Astronomia. Gramatica enim à literis nomen accepit, sicut vocabuli illius deriuatus sonus ostendit. Diffinitio autem eius talis est: Grammatica est scientia interpretandi poëtas atque historicos, & rectè scribendi loquendique ratio. Hæc & origo & fundamentum est artium liberalium. Hanc itaque scholam Dominicam legere conuenit, quia scientia rectè loquendi, & scribendi ratio, in ipsa consistit. Quomodò ergò quis vim vocis articulatæ seu literarum & syllabarum potestatem cognoscit, si non priùs per eam id didicit? Aut quomodò pedum, accentuum & posiurarum discretionem scit, si non per hâc disciplinam eius scientiam antè percepit? Aut quomodò partium orationis iura, schematum decorem, troporum virtutem, etymologiarũ rationem, & orthographiæ rectitudinem nouit, si non Grammaticam artem antè sibi notã fecit? Inculpabiliter enim, immò laudabiliter hanc artem discit, quisquis in ea non inanem pugnam verborum facere diligit, sed rectæ locutionis scientiam & scribendi peritiam habere appetit. Ipsa est enim omnium iudex librariorum: quia vbicunquè errorem perspexerit, reprehendit: & vbi benè dicta sunt, suo iudicio comprobabit. Schemata autem omnia, quotquot secularis disciplina conscripsit, in sanctis libris sæpiùs posita reperiuntur. Necnon & tropis auctores nostros vsos fuisse, & multipliciùs atque copiosiùs quàm possit existimare vel credere, quisquis libros diuinos diligenter legit, inueniet. Istorum autem troporum non solùm exempla sicut omniũ, sed quorundam etiam nomina in diuinis libris leguntur: sicut allegoria, ænigma, parabola. Quorum omnium cognitio propterea scripturarũ ambiguitati dissoluendæ est necessaria, quia sensus ad proprietatẽ verborum si accipiatur, absurdus est. Quærendum est vtiquè, nè fortè illo vel illo tropo dictum sit: quod non intelligimus, & sic pleraque inuenta sunt quæ latebant. Metricam autem rationem, quæ per artem grammaticam discitur, non ignobile est scire: quia apud Hebræos Psalterium (vt beatus Hieronymus testatur) nunc iambo currit, nunc alchaico personat, nunc sapphico tumet, nunc semipede ingreditur. Deuteronomium verò, & Esaiæ canticum, necnon & Salomon & Iob, hexametris & pentametris versibus (vt Iosephus & Origenes scribunt) apud suos composita decurrunt. Quamobrem non est spernenda hæc, quasi gentilibus communis ratio, sed quantùm satis est perdiscenda: quia vtiq; multi Euangelici viri insignes libros hac arte condiderunt, & Deo placere per id fategerũt. vt fuit Iuuencus, Sedulius, Arator,* Alcimus, Clemens, Paulinus & Fortunatus, & cæteri multi. Poëmata autem & libros gentilium si velimus propter florem eloquentiæ legere, typus mulieris captiuæ tenendus est, quam Deuteronomium describit, & Dominum ità præcepisse commemorat, vt si Israelites eam habere vellet vxorem, caluitium ei faciat, vngues præsecet, pilos auferat: & cùm munda fuerit effecta, tunc transeat in victoris amplexus. Hæc si secundùm literam intelligimus, nònne ridicula sunt? Itaq; & nos hoc facere solemus; hocque facere debemus, quandò poëtas gentiles legimus, quandò in manus nostras libri veniunt sapientiæ secularis: si quid in eis vtile reperimus, ad nostrum dogma conuertimus: si quid verò superfluum de idolis, de amore, de cura secularium rerum, hæc radamus, his caluitium inducamus, hæc in vnguium more ferro acutissimo desecemus. Hoc tamen præ omnibus cauere debemus, nè hæc licentia nostra offendiculum fiat infirmis: nè pereat qui infirmus est, in scientia nostra frater, propter quẽ Christus mortuus est, si viderit in idolio nos recumbentes.

* Alchimus

Deut. 21.

1. cor. 8.

De Rhetorica. Cap. 19.

RHetorica est (sicut magistri tradunt) secularium literarum benè dicendi scientia in ciuilibus quæstionibus. Sed hęc diffinitio licèt ad mundanam sapientiam videatur pertinere, tamen non est extranea ab Ecclesiastica disciplina. Quidquid enim Orator & prędicator diuinę legis, disertè & decenter profert in docendo, vel quicquid aptè & eleganter depromit in dictando, ad huius artis congruit peritiam: nec vtiquè peccare debet arbitrari, qui hanc artem in congrua ætate legit: quique eius præcepta seruat in dictando, ac proloquendo sermonem: immò bonum opus facit, qui eam ad hoc pleniter discit, vt ad prædicandum verbum Dei idoneus sit. Nam cùm per artem Rhetoricam & vera suadeantur & falsa, quis audeat dicere aduersùs mendacium, in defensoribus suis inermem debere consistere veritatẽ? vt videlicet illi qui res falsas persuadere conatur, nouerint auditorem vel beneuolum, vel intentum, vel facere docilem prooemio, isti autem non nouerint? Illi falsa breuiter, apertè, verisimiliter, & isti vera sic narrent, vt audire tędeat, intelligere non pateat, credere postremò non libeat? illi fallacibus argumentis veritatem oppugnent, asserant falsitatem: isti nec vera defendere, nec falsa valeant refutare? illi animos audientium in errorem mouentes, impellentesque dicendo terreant, contristent, exhilarent; exhortentur ardenter: isti pro veritate lenti, frigidi dormitent? Quis ità desipiat, vt hoc sapiat? Cùm ergò sit in medio posita facultas eloquij, quæ ad persuadenda seu praua seu recta valeat plurimùm, cur non bonorum

norum studio comparatur, vt militet veritati, si eam mali ad obtinendas peruersas vanasque causas in vsus iniquitatis & erroris vsurpant? Sed quæcumque sunt de hac re obseruationes, atque præcepta, quibus cùm accedit in pluribus verbis ornamentisque verborum, præexercitationis, linguæ solertissima consuetudo, fit illa, quæ facundia vel eloquentia nominatur: hæcque, reposito ad hoc cõgruo temporis spatio, apta & conuenienti ætate discẽda sunt eis, qui hoc celeriter possunt. Nam & ipsos Romanæ principes eloquẽtiæ nõ piguit dicere, quòd hanc artem, nisi qui citò possit perdiscere, nunquàm omninò possit. Sed nos non ea tanti pendimus, vt eis discendis iam maturas, vel etiã graues hominum ætates velimus impendi. Satis est, vt adolescentulorum ista sit cura, nec ipsorum omnium, quos vtilitati Ecclesiasticæ cupimus erudiri: sed eorum, quos nondùm magis vrgens, vt huic rei sine dubio præponenda necessitas occupauit: quoniam si acutum & feruens adsit ingenium, facilius adhæret eloquentia legentibus, & audientibus eloquentes, quàm eloquentiæ præcepta sectantibus. Nec desunt Ecclesiasticæ literæ, etiam præter canonem in auctoritatis arce salubriter collocatæ, quas legendo homo capax, etsi id non agat, sed tantùmodo rebus quæ ibi dicũtur, intentus sit, etiã eloquio quo dicuntur, dum in his versatur, imbuitur, accedente vel maximè exercitatione siue scribendi, siue dictãdi: postremò etiam dicendi, quæ secundùm pietatis ac fidei regulam sentit. Sed hæc de Rhetorica nunc dicta sufficiant, cùm reseruamus paulò post iura eiusdem in dicendi genere planiùs demonstranda.

A

B

C

D

De dialectica. Cap. 20.

DIalectica est disciplina rationalis quærendi, diffiniendi & disserendi, etiam & vera a falsis discernendi potens. Hæc ergò disciplina disciplinarum est: hæc docet docere, hæc docet discere: in hac se ipsa ratio demonstrat, atque aperit, quæ sit, quid velit, quid valeat. Scit scire sola, & scientes facere nõ solùm vult, sed etiam potest. In hac ratiocinantes cognoscimus, quid sumus & vndè sumus: per hanc intelligimus quid sit faciens bonum, & quid sit factum bonum, quid creator, & quid creatura: per hanc inuestigamus veritatem, & deprehendimus falsitatem: per hanc argumentamur & inuenimus quid sit consequens, quid non consequens, & quid repugnans in rerum natura, quid verum, quid verisimile: & quid penitus falsum in disputationibus. in hac etiam disciplina vnamquamque rẽ quærimus sagaciter, & diffinimus veraciter, & disserimus prudenter. Quapropter oportet clericos hanc artem nobilissimam scire, eiusq; iura in assiduis meditationibus habere, vt subtilem hæreticorum versutiam hac possint dinoscere: corumq; dicta venefica, veris syllogismorum conclusionibus confutare. Sunt enim multa quæ appellantur sophismata, falsæ conclusiones rationum, & plerumque ita veras imitantes, vt non solùm tardos, sed ingeniosos etiam minus diligenter attentos decipiant. Proposuit enim quidam, dicens ei cum quo loquebatur: Quod ego sum, tu non es. At ille consensit. Verùm enim erat ex parte, vel eo ipso, quòd iste insidiosus, ille simplex erat. Tum iste addidit, Ego autem homo sum: hoc quoque cum ille accepisset, conclusit dicens: tu igitur non es homo. Quod genus captiosarum conclusionum scriptura, quantùm existimo, detestatur illo loco, vbi dictũ est: Qui sophisticè loquitur, odibilis est. Quamquàm etiam sermo non captiosus, sed tamen abundantiùs quàm grauitatem decet, verborum ornamenta consectans, sophisticus dicatur. Sunt etiam veræ connexiones ratiocinationum, falsas habentes sententias, quæ consequuntur errorem illius cum quo agitur: Quæ tamen ad hoc inferuntur à bono & docto homine, vt in his erubescens ille, cuius errorem sequitur, eumdem relinquat errorem, qui si in eodem manere voluerit, necesse est vt etiam illa quæ damnat, tenere cogatur. Non enim vera inferebat Apostolus cùm diceret, Neque Christus resurrexit. Et illa alia, Inanis est fides nostra, inanis est & prædicatio nostra. Quæ omnino falsa sunt, quia & Christus resurrexit, & non erat inanis prædicatio eorum qui hoc annunciabant, nec fides eorum qui hoc crediderant. At quia falsum est quod consequitur, necesse est vt falsum sit quod præcedit. Præcedit enim, non esse resurrectionem mortuorum, quod dicebant illi, quorum errorem destruere volebat Apostolus. Porrò illam sententiam præcedentem, qua dicebant, non esse resurrectionem mortuorum, necessariò sequitur, Neque Christus resurrexit. Hoc autem quod sequitur, falsum est. Christus enim resurrexit. Falsum est ergò & quod præcedit: Præcedit autem, non esse resurrectionem mortuorum. Est igitur resurrectio mortuorum. Quod totum breuiter ita dicitur: Si non est resurrectio mortuorum, neque Christus resurrexit: Christus autem resurrexit, est igitur resurrectio mortuorum. Cùm ergò sint veræ connexiones, non solum verarum, sed etiam falsarum sententiarum, facile est, veritatem connexionum etiã in scholis illis discere, quæ præter Ecclesiam sunt: sententiarum autem veritas in sanctis libris Ecclesiasticis inuestiganda est. Ipsa tamen veritas connexionum non instituta, sed animaduersa est ab hominibus & notata, vt eã possint vel discere, vel docere. Nam est in rerum ratione perpetua & diuinitùs instituta, quę à Deo auctore sunt facta. Sed quia de Logica iam diximus, de Mathematica consequenter dicemus.

Ecclés 37.

1. cor. 15. Ibid.

E

De

Universidad de Deusto
Biblioteca

De Mathematica. Cap. 21.

MAthematica est, quam Latinè possumus dicere doctrinalem scientiam, quæ abstractam considerat quantitatem. Abstracta enim quantitas dicitur, quam intellectu à materia separantes, vel ab aliis accidentibus, vt est par, impar, vel ab aliis huiuscemodi, quæ in sola ratiocinatione tractamus. Hæc diuiditur in Arithmeticam, Musicam, Geometriam, Astronomiam: de quibus singulis secundùm ordinem disseremus.

De Arithmetica. Cap. 22.

ARithmetica est disciplina quatitatis numerabilis secundùm se. Ipsa est enim disciplina numerorum. Græci enim numerum ἀριθμὸν vocant: quam scriptores litterarũ secularium inter disciplinas Mathematicas ideò primam esse voluerunt, quoniam ipsa vt sit, nulla alia indiget disciplina: Musica autem & Geometria & Astronomia quæ sequuntur, vt sint, atque subsistant, istius egent auxilio. Scire autem debemus, Iosephum Hebræorum doctissimum, in primo libro antiquitatum, titulo nono dicere, Arithmeticam & Astronomiam Abraham primùm Ægyptiis tradidisse: vndè semina suscipientes, vt sunt homines acerrimi ingenij, excoluisse sibi reliquas latiùs disciplinas. Quas meritò sancti patres nostri legendas studiosissimis persuadent, quoniam ex magna parte per eas à carnalibus rebus appetitus abstrahitur, & faciunt desiderare, quæ præstante Domino solo possumus corde respicere. Vndè ratio numeri contemnenda non est, quæ in multis sanctarum scripturarum locis quàm magni existimanda sit, lucet diligenter intuentibus. Nec frustrà in laudibus Dei dictum est: Omnia in mensura & numero & pondere disposuisti. Ità verò suis quisque numerus proprietatibus terminatur, vt nullus eorum par esse cuique alteri possit. Ergò & dispares inter se atque diuersi sunt, & singuli quique diuersi sunt, & singuli quique finiti sunt, & omnes infiniti sunt. Nec audebũt isti contemnere numeros, & eos ad scientiam Dei non pertinere, apud quos Plato Deũ magnaauctoritate commendat, mundum numeris fabricantem. Et apud nos propheta de Deo dicit: Qui profert numerosè seculum. & Saluator in Euangelio: Capilli, inquit, vestri omnes numerati sunt. Quàmuis enim se obiectẽt mentis adspectui, quasi corpusculorum quædam simulacra, cum senarij numeri compositio vel ordo vel partitio cogitatur, tamẽ validior & prępotentior desuper ratio, nõ eis annuit interiùs quæ vim numeri continet, per quem contuitum fidenter dicit, id quod dicitur vnum in numeris, in nullas partes diuidi posse: nulla autem corpora nisi in partes innumerabiles diuidi, & faciliùs cælum & terram transire, quæ secundùm senarium numerum fabricata sunt, quàm effici posse, vt senarius numerus non suis partibus compleatur. Quamobrem non possumus dicere propterea senarium numerum esse perfectum, quòd sex diebus perfecit Deus omnia opera sua. sed propterea Deum sex diebus perfecisse opera sua, quia senarius numerus perfectus est. Itaque etiam si ista non essent, perfectus ille esset: nisi autem ille perfectus esset, ista secundùm eum perfecta non essent. Numerorum etiam imperitia, multa facit non intelligi, translatè ac mysticè posita in scripturis. Ingenium quippe, vt ità dixerim, ingenium non potest nisi mouere, quid sibi velit, quòd & Moyses & Helias, & ipse Dominus xl. diebus ieiunauerunt: cuius actionis figuratus quidam modus nisi huius numeri cognitione & cõsideratione non soluitur. Habet enim denarium quater, tamquàm cognitionem omnium rerum intextam temporibus. Quaternario nanque numero, & diurna & annua curricula peraguntur: diurna matutinis, meridianis, vespertinis, nocturnisq; horarum spatijs: Annua vernis, æstiuis, autumnalibus, hyemalibusq; mensibus. A temporum autem delectatione dum in temporibus viuimus, propter æternitatem, in qua viuere volumus, abstinendum & ieiunandum est: quamuis temporum cursibus ipsa infinuetur nobis doctrina contemnendorum temporum, & appetendorũ æternorum. Porrò autem denarius numerus, creatoris atque creaturæ significat scientiam: nam trinitas, creatoris est: septenarius autem numerus creaturam indicat, propter vitam & corpus. Nam in illa tria sunt: vndè etiam toto corde, tota anima, tota mente diligendus est Deus: in corpore autẽ manifestissima quatuor apparent, quibus constant, elementa. In hoc ergò denario, dũ temporaliter nobis insinuatur, id est, quater ducatur, castè & continenter à tẽporum delectatione viuere, hoc est, quadraginta diebus ieiunare, hoc lex, cuius persona est in Moyse, hoc prophetia, cuius personam gerit Helias, hoc ipse Dominus monet, qui tanquàm testimonium habens à lege & prophetis, medius inter illos in monte, tribus discipulis videntibus atque stupentibus, claruit. Deindè ità quæritur, quomodò quinquagenarius de quadragenario numero existat, qui non mediocriter in nostra religione sacratus est propter Pentecosten: & quomodò ter ductus propter tria tempora, ante legem, sub lege, sub gratia: vel propter nomen Patris, & Filij, & Spiritus sancti, adiuncta eminentius ipsa Trinitate ad purgatissimę Ecclesię mysteriũ referatur, perueniatque ad centũ vel tres pisces, quos retia, post resurrectionem Domini in dexteram partem missa, ceperunt. Ità multis aliis atque aliis numerorum formis, quędam similitudinum in sanctis libris secreta ponuntur, quæ propter numerorum imperitiam legentibus clausa sunt. Quapropter necesse est eis, qui volunt ad sacræ scripturæ notitiam peruenire, vt hanc atté intentè

Sapi. 11.

Matt. 17.

Matt. 10.

Ioan. vlt.

intentè discant: & cùm didicerint, mysticos numeros in diuinis libris faciliùs hinc intelligãt.

De Geometria. Cap. 23.

NVnc ad Geometriam veniamus, quæ est descriptio contemplatiua formarum: documentum etiam vsuale philosophorum: quod, vt præconijs celebertimis referant Iouem suũ, in operibus proprijs geometriare testantur. Quod nescio vtrùm laudibus, an vituperationibus applicetur: quandò quod illi pingunt in puluere coloreo, Iouem facere mentiuntur in cælo. Quod si vero creatori & omnipotenti Deo salubriter applicetur, potest ex sententia forsitan conuenire veritati. Geometriat enim, si fas est dicere, sancta Diuinitas, quandò creaturæ suæ, quam vsque hodiè facit existere, diuersas species formulasq; concedit: quandò cursus stellarũ potentia veneranda distribuit, & statutis lineis fecit currere quæ mouentur: certaque sede, quæ sunt, fixa constituit. Quicquid enim benè disponitur atque completur, potest disciplinæ huius qualitatibus applicari. Geometria Latinè dicitur terræ dimensio, sicq; diffinitur: Geometria est disciplina magnitudinis immobilis & formarum, quod per diuersas formas ipsius disciplinæ, vt nonnulli dicunt, primùm Aegyptus dominis proprijs fertur esse *partitus. Cuius disciplinæ magistri, mensores antè dicebantur: sed Varro peritissimus Latinorum, huius nominis causam sic extitisse commemorat, dicens, priùs quidem homines per dimensiones terrarum terminis positis, vagantibus populis, pacis vtilia præstitisse: deindè totius anni circulũ menstruali numero fuisse partitos: vndè & ipsi menses, quòd annum metiantur, edicti sunt. Verùm postquàm ità reperta sunt, prouocati studiosi ad illa inuisibilia cognoscenda, cœperunt quętere, quanto spatio à terra luna, à luna sol ipse distaret: & vsque ad verticem cæli quanta se mensura distenderet, quod peritissimos geometras assecutos esse cõmemorat. Tunc & dimensionem vniuersæ terræ probabili refert ratione collectam: ideoque factum, vt disciplina ipsa Geometriæ nomen acceperit, quod per secula longa custodit. Hęc igitur disciplina in tabernaculi templique ędificatione seruata est: vbi linealis mensuræ vsus & circuli ac sphęræ atque hemisphęrion, qua drangulę quoque formę, & cęterarum figurarum dispositio habita est: quorum omnium notitia, ad spiritalem intellectum non parùm adiuuat tractatorem.

De Musica. Cap. 24.

MVsica est disciplina, quę de numeris loquitur, qui ad aliquid sunt: id est, his, qui inueniuntur in sonis: vt duplum, triplum, quadruplum, & his similia, quę dicuntur ad aliquid. Hęc ergò disciplina tam nobilis est, tamque vtilis, vt qui ea caruerit, Ecclesiasticum officium congruè implere non possit. Quicquid enim in lectionibus decenter pronunciatur, ac quicquid de psalmis suauiter in Ecclesia modulatur, huius disciplinæ scientia ità temperatur, & non solùm per hanc legimus & psallimus in Ecclesia, immò omne seruitium Dei ritè implemus. Musica autem disciplina per omnes actus vitæ nostræ hac ratione diffunditur, primùm, si Creatoris mandata faciamus, & puris mentibus, statutis ab eo regulis, seruiamus. Quicquid enim loquimur vel intrinsecùs venarum pulsibus commouemur, per musicos rhythmos harmoniæ virtutibus probatur esse sociatum. Musica quippe scientia est benè modulandi. Quod si nos bona conuersatione tractamus, tali disciplinę probamur semper esse sociati: quando verò iniquitates gerimus, Musicam non habemus. Cælum quoque & terra, vel omnia quæ in eis superna dispensatione peraguntur, non sunt nisi Musica disciplina: tum Pythagoras hunc mundũ per Musicam conditum, & per eam gubernari posse, testatur. Hæc & in ipsa quoque religione Christiana valdè permixta est: ac indè fit, vt non pauca etiam claudat atque obtegat nonnullarum rerum musicarum ignorantia. Nam & de Psalterij & citharę differentia, quidam non inconcinnè aliquas rerum figuras aperuit: & decem chordarum psalterium non importunè inter doctos quæritur, vtrum habeat aliquam Musicę legem, quæ ad tantum neruorum numerum cogat, an verò si non habet, eo ipso magis sacratè accipiendus sit ipse numerus, vel propter decalogum legis. de quo item numero si quæratur, non nisi ad creatorem creaturamque referendus est, vel propter expositum ipsum denarium. Et ille numerus ędificationis templi, qui commemoratur in Euangelio, xl. scilicet & vj. annorũ, nescio quid Musicum sonat: & relatus ad fabricam Dominici corporis, propter quam templi mentio facta est, cogit nonnullos hęreticos confiteri filium Dei, non falso, sed vero & humano corpore indutum. Itaque & numerum & Musicam plerisque locis in sanctis scripturis honorabiliter posita, inuenimus. Non enim audiendi sunt errores gentilium superstitionum, qui nouẽ Musas, & Iouis & Memorię filias esse finxerunt. Refellit eos Varro: quo nescio vtrùm apud eos quibusdam talium rerum doctior vel curiosior esse possit. Dicit enim ciuitatem nescio quam (non enim nomen recolo) locasse apud tres artifices terna simulacra Musarum, quod in templo Apollinis donum poneret: vt quisquis artificum pulchriora formasset, ab illo potissimùm electa emeret, ita contigisse, vt opera sua illi quoque artifices ęquè pulchrè explicarent, & placuisse ciuitati omnes nouem, & omnes esse emptas, vt in Apollinis templo dedicarentur: quibus postea dicit Hesiodum poetam imposuisse vocabula. Non ergò Iupiter nouem Musas genuit, sed tres fabri ternas creauerunt.

Varronis laus.

Universidad de Deusto
Biblioteca

runt. Tres autem non propterea illa ciuitas lo A
cauerat, quia in somnis eas viderat, aut tot se
cuiusquam illorum oculis demonstrauerãt: sed
quia facilè erat animaduertere, omnem sonum
quæ materies cantilenarum est, triformem es-
se natura. Aut enim voce editur, sicuti eorum
est qui faucibus siue organo canunt: aut flatu,
sicut tubarum & tibiarum: aut pulsu, sicut in ci
tharis & tympanis, & quibuslibet aliis, quæ
percutiendo canora sunt. Sed siue se ita habeat
quod Varro retulit, siue non ita, nos tamen nõ
debemus propter superstitionem profanorum
musicam fugere, si quid indè vtile ad intelligen B
das sanctas scripturas rapere poterimus: nec
ad illorum theatricas nugas conuerti, si aliquid
de citharis & de organis, quod ad spiritalia ca
pienda valeat, disputemus. Neque enim &
litteras discere non debemus, quia earũ Deum
dicunt esse Mercurium: aut quia Iustitiæ Vir-
tutiq; templa dedicarunt, & quæ corde gestan
da sunt, in lapidibus adorare maluerunt, pro-
pterea nobis iustitia virtusq; fugienda est. Im-
mò verò quisquis bonus verusque Christianus
est, Deum suum intelligat esse vbicumque inue
nerit veritatem.

De Astronomia. Cap. 25.

ASTronomia ergò supereſt, quæ (vt quidam
dixit) dignum est religiosis argumentum,
magnumque curiosis tormentum. Hanc ergò si
casta ac moderata mente perquirimus, sensus
quoque nostros (vt & veteres dicunt) magna
claritate perfundit. Quale est enim ad cælos
animo subire, totamq; illam machinam su-
pernam indagabili ratione discutere, & inspe-
ctiua mentis sublimitate ex aliqua parte colli- D
gere, quod tantę magnitudinis arcana velauc-
runt? Nam mundus ipse (vt quidam dicunt)
sphærica fertur rotunditate collectus, vt diuer
sas rerum formas, ambitus sui circuitione con
cluderet. Vndè librum Seneca consentanea
philosophis disputatione formauit, cui titulus
est, De forma mundi. Astronomia itaq; dicitur
(vndè nobis sermo est) astrorum lex: quia ne-
sciunt vllo modo aliter, quàm à suo creatore
disposita sunt, vel consistere, vel moueri: nisi
fortè quando aliquo miraculo facto diuinitatis
arbitrio commutantur: sicuti Iesus Naue Soli E
Ios. 10. in Gabaon, vt staret, legitur imperasse: & tem
4 Reg. 20. poribus Ezechiæ regis, retrorsum decem gra-
Luc. 23. dibus reuersum fuisse: & in passione Domini
Christi tribus horis sol tenebrosus effectus est,
& his similia. Ideò enim miracula dicũtur, quo-
niam contra consuetudinem rerum admiran-
da contingunt. Feruntur enim (sicut dicunt
Astronomi) quæ cælo fixa sunt: mouentur ve-
rò planetæ, id est, erraticæ, quæ cursus suos cer
ta tamen diffinitione conficiunt. Astronomia
est itaque (sicut iam dictum est) disciplina, quę
cursus cælestium siderum & figuras contempla
tur: omnes & habitudines stellarum circa se, &

circa terram, indagabili ratione percurrit. Inter Astronomiam autem & Astrologiam aliquid differt, licèt ad vnam disciplinam ambæ pertineant. Nam Astronomia cæli conuersionem, ortus, obitus, motusq; siderum continet, vel ex qua causa ita vocentur: Astrologia verò partim naturalis, partim superstitiosa est. Naturalis, dum exequitur solis lunæq; cursus vel stellarum, certas temporum quæstiones. Superstitiosa verò est illa, quam Mathematici sequuntur, qui stellis augurantur: quique etiam duodecim cæli signa per singula animæ vel corporis membra disponunt, siderumq; cursu natiuitates hominum & mores prædicare conantur. Hanc quidem partem Astrologiæ, quæ naturali inquisitione exequitur solis lunæq; cursus atque stellarum, & certas temporum distinctiones cautè rimatur, oportet à clero Domini solerti medicamine disci: vt per certas regularum coniecturas, & ratas ac veras argumentorum æstimationes, non solùm præterita annorum curricula veraciter inuestiget, sed & de futuris nouerit fideliter ratiocinari tèporibus: vtque Paschalis festi exordia, & certa loca om C
nium solennitatum atque celebrationum, sibi sciat intimare obseruanda, & populo Dei ritè valeat indicare celebranda.

De Philosophorum libris. Cap. 26.

ECcè de septem liberalibus artibus Philoso
phorum, ad quam vtilitatem discendæ sint
catholicis, satis (vt reor) superius diximus: illud adhuc adiicimus, quæ Philosophi ipsi qui vocantur, si qua fortè vera & fidei nostræ accommodata in dispẽsationibus suis seu scriptis dixerunt, maximè Platonici, non solùm formidanda non sunt, sed ab eis etiam tamquàm iniustis possessoribus in vsum nostrum vendicanda. Sicut enim Ægyptij non tantùm idola habebant, & onera grauia quæ populus Israel detestaretur & fugeret, sed etiam vasa atque ornamenta de auro & argento & veste, quæ ille populus exiens de Ægypto sibi tamquàm ad vsum meliorem clanculo vendicauit, non auctoritate propria, sed præcepto & mandato Dei, ipsis Ægyptiis nescienter commodantibus ea, quibus non benè vtebantur: sic doctrinæ omnes gentilium, non solùm simulata & superstitiosa figmenta, grauesq; sarcinas superuaca nei laboris habent, quæ vnusquisque nostrum, duce Christo, societatem gentilium exiens, debet abominari atque deuitare: sed etiam liberales disciplinas, de quibus paulò antè egimus, vsui veritatis aptiores, & quædam morum præcepta vtilissima continent: de quo ipso vno Deo colendo nonnulla vera inueniuntur apud eos, quòd eorum tamquàm aurum & argentum, quod non ipsi instituerunt, sed de quibusdam quasi metallis diuinæ prouidentiæ, quæ vbiquè infusa est, eruerunt: & quo peruersè atque iniuriosè ad obsequia dęmonũ abutuntur, cùm

Exo. 3. & 12.

cùm ab eorum misera societate se se animo se- A
parat, debet ab eis auferre Christianus ad vsum
iustum prædicandi Euangelij: vestem quoque
illorum, id est, hominum quidem institutа,
sed tamen accommodata humanæ societati,
quibus in hac vita carere non possumus, accipere atque habere licuerit, in vsum conuerten
da Christianum. Nam quid aliud fecerunt bo
ni multi fideles nostri? Nonnè adspicimus,
quanto auro & argento & veste suffarcinati
exierunt de Ægypto, Cyprianus & doctor
suauissimus, & martyr beatissimus? quan-
to Lactantius? quanto Victorinus? Opta-
tus? Hilarius? quanto innumerabiles Græci?
Quod prior ipse fidelissimus Dei famulus Moy
ses fecerat, de quo scriptum est, quòd eruditus fuerit omni sapientia Ægyptiorum. Qui-
bus omnibus viris superstitiosa Gentium con-
suetudo, & maximè illis temporibus cùm Chri
sti recutiens iugum, Christianos persequeba-
tur, disciplinas quas vtiles habebat, nunquàm
commodaret, si eas in vsum colendi vnius Dei,
quo vanus idolorum cultus excinderetur, con
uersum suspicaretur. Sed dederunt aurum &
argentum & vestem suam exeunti de Ægypto
populo Dei, nescientes quemadmodùm illa
quæ dabant, in Christi obsequium redderen-
tur. Illud enim in Exodo factum sine dubio fi-
guratum est, vt hoc præsignaret, quod sine præ-
iudicio alterius aut paris aut melioris intelli-
gentiæ dixerim. Sed hoc modo instructus divi-
narũ scripturarum studiosus, cùm ad eas scru-
tandas accedere cœperit, illud Apostolicum
1. cor. 8. cogitare non cesset: Scientia inflat, charitas
ædificat. Ita enim sentit, quamuis de Ægypto
diues exeat, tamen nisi Pascha egerit, saluum
2. Cor. 5. se esse non posse. Pascha autem nostrum immo- D
latus est Christus: nihilque magis immolatio
Christi nos docet, quàm illud, quod ipse cla-
Matt. 11. mat, tamquàm ad eos, quos in Ægypto sub-
Pharaone laborare videt: Venite ad me om-
nes qui laboratis & onerati estis, & ego vos re
ficiam. Tollite iugum meum super vos, & di-
scite à me, quia mitis sum & humilis corde, &
inuenietis requiem animabus vestris. Iugum
enim meum suaue est, & sarcina mea leuis.

De acquisitione & exercitio virtutum. Cap. 27. E

INterea quippe dum intenta meditatione
scientiam spiritualem optat adipisci, neces-
se est, vt iugi exercitio virtutum sibi quærat
opulentiam: ne, dum in vno diues esse cupit,
& alterius opes quærere negligit, veræ opulen
tiæ fructus perdat: ac non solum ipsi eueniat,
quia quæsitarum rerum vtilitatem nõ habeat,
Lucæ. 12. immò pœnas iniustus possessor pro eis Domi-
no soluat. Ait enim ipsa veritas seruis: Qui
scit voluntatem Domini sui, & non facit, va-
pulabit multis: qui autem nescit & non facit,
vapulabit paucis. Quid ergò proderit homini

ingentes diuitias congregare, & earum vsum
minimè habere, cùm multo melior sit ille, qui
paupertate sua contentus est, & lætabitur de
labore suo, * ei, qui totam vitam suam, diui- *eo
tias habens in egestate consumit, Salomone at-
testante qui ait: Melior est pauper & sufficiẽs Pro. 12.
sibi, quàm glorioſus & indigens pane. Sancta Hierony.
rusticitas solum sibi prodest, & quantum ædi-
ficat ex vitę merito, tantum nocet, si non & va
let contradicentibus resistere. Sed ex duobus
imperfectis, magis eligo sanctam rusticitatem,
quàm eloquentiam peccatricem: quia Sapien
tia dicit: Melior est pauper ambulans in simpli- B pro. 19.
citate sua, quàm diues prauis itineribus: qui
autem custodit legem, filius sapiens est. Opor
tet quidem eum qui sapientiæ studet, virtuti
studere: vt id quod sapienter intelligit in men
te, vtiliter exerceat in opere: & quodcumque
boni verbis aliis facere præcipit, suis operibus
faciendum esse priùs doceat; vt faciens & do-
cens mandata Dei, maior vocetur in regno cæ- Matt. 5.
lorum, non minimus, si docuerit ore, & solue-
rit actione vnum de mandatis Dei minimis.
Omnis enim (inquit Saluator) qui venit ad me, Lucæ 6.
& audit sermones meos, & facit eos, similis est C
homini ædificanti domum, qui fodit in altum,
& posuit fundamenta supra petram: Inunda-
tione autem facta, illisum est flumen domui il
li, & non potuit eã mouere fundata enim erat
super petram. Qui autem audit, & non facit,
similis est homini ædificanti domum suam su-
pra arenam sine fundamento, in quam illisus
est fluuius, & continuò cecidit: & facta est rui-
na domus illius magna. Debet autem vnus-
quisque catholicus vniuersis virtutibus æquali-
ter operam dare: vt & intùs & foris nobiliter
ornatus, æterni regis conuiuio dignus existat:
& quadriga spiritali vectus, ad æternã patriam
conscendat. Debet autem prudentiæ intende-
re, vt prudenter prouideat, veraciter intelli-
gat, intellectaque memoriter retineat. Debet
iustitiæ, vt religiosus, pius, humilisque fiat: vt
gratiam & vindicationem, obseruantiam & ve
ritatem conseruet: pactumq; & par, iudicatum
& legem custodiat. Debet fortitudini studium
impendere, vt magnificentiam & fidentiam, pa
tientiam & perseuerantiam habeat. Debet tem
perantiæ, vt continens, clemens & moderatus
fiat: & super hęc omnia, vt pacis & charitatis
fidus executor existat, quæ scilicet est vincu-
lum perfectionis. His autem speciebus virtu-
tum perfectè adornatus, & sapientiæ lumine
illustratus homo Dei, ritè & cõgruè seruitium
eius potest agere: atque oratoris officium di-
gne potest in Ecclesia implere: quem antiquæ
diffinitio affirmat, virum bonum & dicendi pe- Oratoris
ritũ esse debere. Si ergò hæc diffinitio in orato definitio.
ribus gẽtiliũ obseruabatur, multò magis in ora
toribus Christi, obseruari conuenit, quorum
non solùm sermo, immò etiam tota vita, do-
ctrina virtutùm debet esse. Sed quia de modo
inueniendi ea, quæ intelligenda sunt in scriptu

ris

Universidad de Deusto
Biblioteca

ris, multa iam diximus, adiuuante Domino, de proferendo ea, quę intellecta sunt, pauca dicemus, vt hoc nouissimo libro totum hoc opus claudamus.

Quid debeat doctor catholicus in dicendo agere. Cap. 28.

DEbet igitur diuinarum scripturarum tractator & doctor, defensor rectæ fidei, ac debellator erroris, & bona docere, & mala dedocere: atque in hoc opere, sermone conciliare auersos, remissos erigere, nescientibus, quę agere, quid expectare debeant, intimare. Vbi autem benuolos, intentos, dociles aut inuenerit, aut ipse fecerit, cætera peragenda sunt sicut postulat causa. Si docendi sunt, qui audiũt, narratione faciendum est, si tamen indigeat, vt res de qua agitur, innotescat: vt autem quæ dubia sunt, certa fiant, documentis adhibitis ratiocinandum est. Qui verò audiunt, monendi sunt potius quàm docendi, vt in eo quod iam sciunt, agendo non torpeant, & rebus quas veras esse fatentur, assensum accommodent. Maioribus dicendi viribus opus est, vbi obsecrationes & increpationes, concitationes & exercitationes, & quęcumque alia valent ad commouendos animos, sunt necessaria. Et hæc quidẽ cuncta quæ dixi, omnes ferè homines in his quæ loquẽdo agunt, facere non quiescunt, sed cùm alij faciant obtusè, deformiter, frigidè, alij acutè, ornatè, vehementer, illum ad hoc opus vndè agimus, oportet accedere: iam qui potest disputare vel dicere sapienter, etiam si non potest eloquenter, vt prosit audientibus etiam sapienter, si minùs quàm prodesset, eloquẽter posset dicere. Qui verò affluit insipienti eloquentia, tanto magis cauendus est, quanto magis ab eo in his quæ audire inutile est, delectatur auditor, & eum quem disertè dicere audit, etiam verè dicere existimat. Hęc autem scientia nec illos fugit, qui artem rhetoricam docendam putauerunt. Fassi sunt enim sapientiam sine eloquentia parum prodesse ciuitatibus: eloquentiam verò sine sapientia, nimium obesse plerumque, prodesse numquàm. Sapienter autem dicit homo tanto magis vel minus, quanto in scripturis sanctis maius minusve proficit, non dico in eis multum legendis memoriæque mandandis, sed benè intelligendis, & diligenter earum sensibus indagandis. Sunt enim qui eas & legunt, & negligunt: legunt, vt teneant: negligunt, nè intelligant: quibus longè sine dubio præferendi sunt, qui verba eorum minus tenent, & cor eorum sui cordis oculis vident: sed vtrisque qui & cùm volet eas dicit, & sicut oportet, intelligit. Huic ergò qui sapienter debet dicere, etiam quod non potest eloquenter, verba scripturarum tenere maximè necessarium est. Quanto enim se pauperiorem cernit in suis, tanto in istis oportet eum esse ditiorem, vt quod dixerit suis verbis, præbeat & illis. Porrò qui non solùm sapienter, verùm etiam eloquenter vult dicere, quo profectò plus proderit, si vtrumque potuerit, ad legendos vel audiendos & exercitatione imitandos eloquenter, eum multo magis, quàm magistris artis Rhetoricæ vacare præcipio, si tunc hi qui legunt & audiuntur, non solùm eloquenter, sed etiam sapienter dixisse, vel dicere veraci prędicatione laudantur. Qui enim eloquenter dicunt, suauiter: qui sapienter, salubriter audiuntur. Sunt ergò Ecclesiastici viri, qui diuina eloquentia non solùm sapienter, sed & eloquenter tractauerunt, quibus legendis, magis non sufficit tempus, quàm deesse ipsi studentibus & vacantibus possunt.

Quòd auctores Canonicorum librorum, & sapientes & eloquentes fuerunt. Cap. 29.

HIc aliquis forsitan quęrit, vtrum auctores nostri, quorum scripta diuinitus inspirata, canonem nobis saluberrima auctoritate fecerunt, sapientes tantummodò, an eloquentes etiam nuncupandi sint. Quæ quidem quæstio apud meipsum, & apud eos, qui mecum quod dico, sentiunt, facillimè soluitur. Videri potest, & audeo dicere, omnes qui rectè intelligunt, quod illi loquuntur, simul intelligere non eos aliter loqui debuisse. Sicut autem est quędam eloquentia, quę magis ętatem iuuenilem decet, est quę senilem, nec iam dicenda eloquentia, si personę non congruat eloquentis. Vbi verò non eos intelligo, minus quidem appáret mihi eorum eloquentia: sed eam non dubito esse talem, qualis est, vbi intelligo. Sic quippe illi locuti sunt, vt posteriores, qui eos rectè intelligerent & exponerent, alteram gratiam, disparem quidem, verumtamen subsequentem, in Dei Ecclesia reperirent. Non ergò expositores eorum ita loqui debent, tãquàm seipsos exponendos simili auctoritate proponant, sed in omnibus sermonibus suis, primitus ac maximè vt intelligantur elaborent, ea quantum possunt perspicuitate dicendi, vt aut multum tardus sit qui non intelligat, aut in rerum (quas explicare atq; ostendere volumus) difficultate ac subtilitate, non in nostra locutione sit causa, quo minùs tardiùsve quæ dicimus, possint intelligi. Sunt enim quędam, quę vi sua non intelliguntur, aut vix intelliguntur, quamuis planissimè dicentis verſentur eloquio, quę in populi audientiam vel tarò, si aliquid vrget, vel numquàm omnino mittenda sunt.

Quòd facili locutione vulgus debeat doceri. Cap. 30.

QVamuis in bonis doctoribus tanta docendi cura sit vel esse debeat, vt verbum quod nimis

nimis obscurum sit vel ambiguum, Latinum esse non possit: vulgi autem more sic dicatur, vt ambiguitas obscuritasq; vitetur, non sic dicatur, vt à doctis, sed potiùs vt ab indoctis dici solet. Quid enim prodest locutionis integritas, quam non sequitur intellectus audientis, cùm loquendi omnino multa sit causa, si quæ loquimur, non intelligũt, propter quos vt intelligant, loquimur. Qui ergò docet, vitabit verba omnia quæ non docent: & si pro eis aliqua quæ intelligãtur, integra potest dicere, id magis eliget: si autem non potest, siue quia non sunt, siue quia in præsentia non occurrunt, vtetur etiam verbis minus integris, dum tamen res ipsa doceatur, atque discatur integrè: & hoc quidem non solùm in collocutionibus, siue fiant cum aliquo vno, siue cùm pluribus, verùm etiàm multo magis in populis, quandò sermo promitur, vt intelligamur, instandum est. Quia in collocutionibus est cuique interrogandi potestas: vbi autem omnes tacent vt audiatur vnus, & in eum intenta ora conuertunt, ibi vt requirat vnusquisque quæ non intellexerit, nec moris est, nec decoris: ac per hoc debet maximè tacenti subuenire cura dicẽtis. Solet autem motu suo significare, vtrùm intellexerit cognoscendi auida multitudo, quæ donèc significet, versandum est quod agitur multimoda varietate dicendi, quæ in potestate nõ habent, qui præparata, & ad verbum memoriter retenta, pronunciant. Mox autem vt intellectum esse constiterit, aut sermo finiendus est, aut in alia transeundum. Sicut enim gratus est qui agnoscenda enubilat, sic onerosus, qui cognita inculcat.

De optimo modo dicendi, & quid oporteat prædicatorem in dicendo obseruare. Cap. 31.

EST autem optimus modus dicendi, quo fit vt qui audit, verum audiat: & quæ audit, intelligat, bonorumque ingeniorum insignis est indoles, in verbis verum amare, non verba. Quid enim prodest clauis aurea, si aperire quæ volumus non potest? aut quid obest lignea, si hoc potest, quando nihil quærimus, nisi vt pateat quod clausum est? Dixit ergò quidam eloquens, & verum dixit, ita debere eloquentem loqui, vt doceat, vt delectet, vt flectat. Deindè addidit: Docere necessitatis est, delectare suauitatis, & flectere victoriæ. Horũ trium quod primo loco positum est, hoc est, docendi necessitas, in rebus est constituta, quas dicimus: reliqua duo, in modo quo dicimus. Prorsus hæc sit in docendo eloquentia, non vt libeat quod horrebat, aut vt fiat quod pigebat: sed vt appareat quod latebat. Quòd si etiam delectare vult eum, cui dicit, aut flectere, non quocunque modo hoc dixerit, faciet, sed interest, quomodò dicat, vt faciat. Sicut est autem vt tenea-

Auguſt.

tur ad audiendum, delectandus auditor, ità flectendus, vt moueatur ad agendũ: & sicut delectatur, si suauiter loqueris, ita flectetur, si amet quod polliceris, timeat qđ minaris, oderit, quod arguis: quod commendas, amplectitur: quod dolendum exaggeras, doleat: cùm quid lætandũ prædicas, gaudeat: miserearur eorum, quos miserandos ante oculos dicendo cõstituis: fugiat eos, quos cauendos terrendo proponis, & quicquid aliud grandi eloquentia fieri potest, ad commouendos animos auditorum, non quid agendum sit, vt sciant, sed vt agant, quæ agendum esse iam sciunt. Oportet ergò eloquentem ecclesiasticũ, quando suadet aliquid quod agendum est, non solùm docere vt instruat, & delectare vt vniat, verũ etiã flectere vt vincat.

De triplici genere locutionis, quæ Romani doctor eloquij ita distinxit. Cap. 32.

AD hæc enim tria, i. vt doceat, vt delectet, vt flectat, etiam illa tria videtur pertinere voluisse idem ipse Romani auctor eloquij, cùm totidem dicit: Is erit igitur eloquens, qui potest parua summisè, modica temperatè, magna grãditer dicere: tamquàm si adderet illa etiam tria, & sic explicaret unam eandemque sententiam, dicens: Is erit ergò eloquens, qui vt doceat, poterit parua summisè: ut delectet, modica temperatè: ut flectat, magna dicere granditer. Hæc autem tria ille sicut ab eo dicta sunt, in causis forensibus posset ostendere, non autẽ hìc, hoc est, in Ecclesiasticis quæstionibus, in quibus huius quem uolumus informare, sermo uersatur. In illis enim ea parua dicuntur, ubi de rebus pecuniariis iudicandum est: ea magna, ubì de salute ac capite omniũ. Ea verò ubi horum nihil iudicandum est, nihilq; agitur, ut agat siue discernat, sed tantummodò ut delectetur auditor, inter utrumque, quorum media, & ob hoc modica, hoc est, moderata dixerunt: modicis enim modus nomen imposuit: nam modica, pro paruis abusiuè, non propriè, dicimus. In istis autem nostris quãdoquidem omnia, maximè quæ de loco superiore populis dicimus, ad hominũ salutem, nec temporariam, sed æternam, referre debemus: ubì etiam cauendus est æternus interitus, omnia sunt magna quę dicimus: usqueadeò, ut nec de ipsis pecuniariis rebus uel acquirendis uel amittendis, parua uideri debeant, quæ doctor Ecclesiasticus dicit: siue sit illa magna, siue parua pecunia. Neque enim parua est iustitia, quam profectò & in parua pecunia custodire debemus, dicente Domino:

Qui in minimo fidelis est, & in magno fidelis est. Quod ergò minimum est, minimum est: sed in minimo fidelem esse, magnum est

Lucæ 16.

Universidad de Deusto
Biblioteca
August.

Quandò summisso genere, & quando temperato, quandoque grandi vtendum sit dicenti. Cap. 33.

ATtamen cùm doctor iste debeat rerum dictor esse magnarum, non semper eas debet granditer dicere: sed summisè, cùm aliquid docetur: temperatè, cùm aliquid vituperatur siue laudatur. Cùm verò aliquid agendum est, & ad eos loquimur, qui hoc agere debent, nec tamen volunt, tunc ea quæ magna sunt, dicenda sunt granditer: & ad flectendos animos congruenter: & aliquando de vna eademque re magna & summisè dicitur, si docetur: & temperatè, si prædicatur: & granditer, si auersus indè animus, vt conuertatur, impellitur. Quid enim Deo ipso maius est? Numquid ideò non dicitur? aut qui docet vnitatem Trinitatis, debet nisi summissa disputatione agere, vt res ad dinoscendum difficilis quantùm datur, possit intelligi? Numquid hìc ornamenta, & non documenta quæruntur? Numquid vt aliquid agat, est flectendus vel auditor, & non vt discat, potius instruendus? Porrò cùm laudatur Deus siue de ipso, siue de operibus suis, quanta facies pulchræ ac splendidæ dictionis suboritur ei, qui potest, quantum potest, laudare, quem nemo conuenienter laudat, nemo quomodocumque laudat? At si non colatur, aut cum illo vel etiam pro illo colantur idola siue dæmonia, siue quæcumque creatura, quantum hoc malum sit, atque vt ab hoc malo auertantur homines, debet vtique granditer dici.

Exempla in Apostolo, de prædictis generibus tribus. Cap. 34.

August. SVmmissæ dictionis exemplum est apud Gal. 4. Apostolum Paulum, (vt planius aliquid commemorem) vbi ait ad Galatas: Dicite mihi sub lege volentes esse, legem non legistis? Scriptum est enim, quoniam Abraham duos filios habuit, vnum de ancilla, & vnum de libera: Sed qui de ancilla, secundùm carnem natus est: qui autem de libera, per repromissionem: quæ sunt per allegoriam dicta: Hæc enim sunt duo testamenta, &c. Item ibi ratiocinatur & dicit: Fratres secundùm hominem dico: Tamen hominis confirmatum testamentum nemo irritum facit aut superordinat. Gal. 3. Abrahæ dictę sunt promissiones & semini eius. Non dicit, & seminibus, quasi in multis, sed tamquàm in vno, & semini tuo qui est Christus. Hoc autem dico testamentum confirmatum à Deo, quæ post quadringentos & triginta annos facta est lex, nō infirmat ad euacuandas promissiones. Si enim ex lege hæreditas, iam non ex promissione. Abrahæ autem per repromissionem donauit Deus. Et quia occurrere poterat audientis cogitationi, vt quid ergò lex data est, si ex illa non est hæreditas? ipse sibi hoc obiecit, atque ait velut interrogans: Quid ergò lex? Deindè respondit: Tranigressionis gratia posita est, donèc veniret semen, cui promissum est, dispositа per angelos in manu mediatoris, &c. Pertinet ergò ad docendi curam non solùm aperire clausa, & nodos soluere quæstionum, sed etiam dum hoc agitur, aliis quæstionibus, quæ fortassis inciderint, nè id quod dicimus, improbetur per illas, aut refellatur, occurrere: si tamen ipsa eorum solutio pariter occurrerit, nè moueamus quod auferre non possumus. Fit autem, vt cùm incidentes quæstioni aliæ quæstiones, & aliæ rursus incidentibus incidentes, pertractantur atque soluuntur, in eam longitudinem ratiocinationis extendatur intentio, vt nisi memoria plurimùm valeat atque vigeat, ad caput vndè agebatur, disputator redire non possit. Valdè autem bonum est, vt quicquid contradici potest, si occurrerit, refutetur: nè ibi occurrat vbi non est qui respondeat, aut præsenti quidem, sed tacenti occurrat, & minus sanatus abscedat. In illis autem Apostolicis verbis dictio est temperata: Seniorem ne increpaueris, sed 1. Tim. 5. obsecra vt patrem: iuniores vt fratres, anus vt matres, adolescentulas vt sorores. & in illis: Obsecro autem vos fratres per misericordiam Rom. 12. Dei, vt exhibeatis corpora vestra hostiam viuam, sanctam, Deo placentem, & totus ferè ipsius exhortationis locus, temperatum habet locutionis genus: vbi illa pulchriora sunt, vbi propria propriis tamquam debita reddita, decenter excurrunt, sicuti est: Habentes dona di Rom. 12. uersa secundùm gratiam, quæ dataest nobis, siue prophetiam secundùm regulam fidei, siue ministerium in ministrando, siue qui docet in doctrina, siue qui exhortatur in exhortatione, qui tribuit in simplicitate, qui præest in solicitudine, qui miseretur in hilaritate, &c. & aliquanto post: Reddite, inquit, omnibus debita: cui tributum, tributum: cui vectigal, vectigal: cui timorem, timorem: cui honorem, honorem. Quæ membratim fusa clauduntur etiam ipso circuitu, quem duo membra contexunt: Nemini quicquam debeatis, nisi vt inuicem diligatis. Grande autem dicendi genus, hoc maximè distat ab isto genere temperato, quòd non tantùm verborum ornatibus cœptum est, quàm violentum est animi affectibus. Nam capit etiam illa ornamenta penè omnia: sed ea si non habuerit, non requirit. Fertur enim impetu suo, & elocutionis pulchritudinem, si occurrerit, vi rerum rapit. non cura decoris assumit. Satìs est enim ei propter quod agitur, vt verba congruentia non oris elegantur industria, sed pectoris sequantur ardorem. Nam si aurato gemmatoq; ferro vir fortis armetur intentissimus pugnæ, agit quidem illis armis quod agit, non quia preciosa, sed quia arma

arma sunt. Ait Apostolus, vt pro Euangelico ministerio patiēter mala huius temporis cum solatio donorum Dei omnia tolerentur. Magna res est, & granditer agitur, nec desunt ornamenta dicendi, Ecce nunc, inquit, tempus 2. cor. 6. acceptabile, eccè nunc dies salutis, nullam in quoquam dantes offensionē, vt non reprehendatur ministerium nostrum, sed in omnibus commendantes nosmetipsos vt Dei ministros, in multa patientia, in tribulationibus, in necessitatibus, & cætera, quę persequi longum est. Itemque ad Romanos ait: Vt persecutiones huius mundi charitate vincantur, spe certa in adiutorio Dei. Ait autem & granditer & ornatè: Scimus quoniam diligentibus Deum Rom. 8. omnia cooperantur in bonum his, qui secundum propositum vocati sunt sancti: quoniam quos ante præsciuit, & prædestinauit conformes fieri imaginis filij sui, vt sit ipse primogenitus in multis frattribus. Et reliqua quæ in eodem capitulo sequuntur.

Quomodò debeant inter se hæc tria genera permisceri. Cap. 35.

INterest enim quod genus cui generi interponatur vel adhibeatur, certis & necessariis locis. Nam quando prolixa est in vno genere, minus detinet auditorem: cùm verò sit in aliud ab alio transitus, etiam si longius eat, decentius procedit oratio. In grandi ergò genere semper aut penè semper, temperata decet esse principia: & in potestate est eloquentis, vt dicantur nonnulla submissè etiàm quæ possent granditer dici, vt ea quæ dicuntur granditer, ex illorum fiant comparatione grandiora, & eorum tamquàm vmbris luminosiora reddantur. In quocumque autem genere aliqua quęstionum vincula soluenda sunt, acumine opus est, quod sibi summissum genus propriè vendicat, ac per hoc eo genere vtendum est: & aliis duobus generibus, quando eis ista incidunt, sicut est laudandum aliquid vel vituperandum. Vbi nec damnatio cuiusquam, nec liberatio, nec ad actionem quālibet assensio requiritur, in quocumque alio genere occurrit, genus adhibendum & interponendum est temperatum. In grādi ergò genere inueniunt locos suos duo cætera: & in summisso similiter, sicut dixi, quèstio cuius nodus soluendus est, incurrat: vel quando nonnulla quæ ornari possent, ideò non ornantur, vt quibusdam quorum toris ornamentorum prębeant eminentiorem locum. Summissum genus dicendi silentes docet: & temperatum genus delectatione sua acclamationes audientium excitat: grande autem genus plerumque pondere suo voces premit, sed lachrymas exprimit: & hoc vndè, nisi quia veritas sic demonstrata, sic defensa, sic inuicta delectat? Iste ergò doctor noster & dictor magnoperè curare debet, vt non solùm intelligen ter, verùm etiam libenter & obedienter audiatur: idque verbis agat, vt veritas pateat, veritas placeat, veritas moueat: quoniam nec ipsa, quæ præcepti finis & plenitudo legis est, charitas ullo modo recta esse potest, si ea quæ diliguntur, non vera, sed falsa sunt. Sicut autem cuius est pulchrum corpus, & deformis est animus, magis est dolendus, quàm si deforme haberet corpus: ita qui eloquenter ea, quæ falsa, dicunt, magis miserandi sunt, quàm si talia deformiter dicerent.

Quid sit sapienter & eloquenter dicere: & quòd alienum non dicat, qui ab alio prolata, bene viuens prædicat. Cap. 36.

QVid ergò est nō solùm eloquenter, verùm etiam sapienter dicere, nisi verba in summisso genere sufficientia, in temperato splendentia, in grandi vehementia, veris tamen rebus quibus audiri oporteat, adhibere? Sed qui vtrumque non potest, dicat sapienter, quod non dicit eloquenter, potiùs quàm dicat eloquenter, quod dicit insipienter. Si autem nec hoc quidem potest, ità conuersetur, vt non solùm sibi præmium comparet, sed & præbeat aliis exemplum: & sit eius quasi copia dicendi, forma viuendi. Sunt sanè quidam, qui benè pronunciare possunt: quid autem pronuncient, excogitare non possunt. Quòd si ab aliis sumant eloquenter sapienterque conscriptum, memorięque commendent, atque ad populum proferant, si eam personam gerunt, non impropriè faciunt etiam. Sic enim quod profecto vtile est, multi prædicatores veritatis fiūt: nec multi magistri, si vnius verè magistri, idipsum dicant omnes, & non sint in eis schismata: nec deterrendi sunt isti, voce Hieremiæ prophetę, per quem Deus arguit eos, qui furan- Hier. 24. tur verba eius, vnusquisque à proximo suo. Qui enim furantur, alienum auferunt: verbum autem Dei non est alienum ab eis, qui obtemperant ei: potiusque dicit ille aliena, qui cùm dicit benè, viuit malè. Quicumque enim bona dicit, eius videntur excogitari ingenio: sed ab eius moribus aliena sunt. Eos itaque dixit Deus furari verba sua, qui boni volunt videri loquendo quæ Dei sunt, quum mali sunt, faciendo quæ sua sunt. Cùm verò boni fideles bonis fidelibus hanc operam accommodant, vtrique sua dicunt: quòd & Deus ipsorum est, cuius sunt illa quæ dicunt: & ea sua faciunt, quæ ipsi componere non potuerunt, qui secundùm illa composite viuunt.

***

Universidad de Deusto
Biblioteca

De discretione dogmatum, iuxta qualitatem auditorum.
Cap. 37.

HOc quoque nósse conuenit vnumquemque catholicum doctorem, quomodò sibi conciliet sui sermonis auditorem, vt dum sciat per supradictam rationem modos locutionum & species, benè dispensando fructus inueniat suæ prædicationis & laudes. Cùm enim oratio in se exhibet perfectionem, necesse est vt perpendat auditorum qualitatẽ: quia vt reuerendæ memoriæ Gregorius Nazianzenus edocuit, non vna eademque cunctis exhortatio congruit, quia nec cunctos par morum qualitas adstringit. Sæpè namque alios offendunt, quæ aliis prosunt, quia & plerumq; herbæ, quæ hæc animalia nutriunt, alia occidunt, & lenis sibilus equos mitigat, catulos instigat: & medicamentum quod hunc morbum imminuit, alteri vires iungit: & panis qui vitam fortium roborat, paruulorum necat. Pro qualitate ergò audientium, formari debet sermo doctorum, vt per singula singulis congruat, & à communis ædificationis arte nunquàm recedat. Quid enim sunt intentæ mentes auditorum, nisi (vt ita dixerim) quædam in cithara tensiones stratæ chordarum? Quas artifex tangendo, vt non sibimetipsis dissimile canticum faciant, dissimiliter pulsat, & idcircò chordæ consonam modulationem reddunt, quia vno quidem plectro, sed non vno impulsu feriuntur. Vndè & doctor quisque vt in vna cunctos virtute charitatis ædificet, examinata doctrina non vna eadem exhortatione, corda audientium tangere debet. Aliter namque admonendi sunt viri, aliter fœminæ: quia illis secundũ sexũ suũ grauia, istis verò iniungẽda sunt leuiora: vt illos magna exerceant, istas verò leuia demulcendo conuertant: Aliter iuuenes, atque aliter senes: quia illos plerumque seueritas commonitionis ad perfectum dirigit, istos verò ad meliora opera deprecatio blanda componit: Aliter inopes, atq; aliter locupletes: illis namque conferre consolationis solatium contra tribulationem, istis verò inferre metum contra elationem debemus. Plerumque tamen habitum personarum permutat qualitas morum, vt sit diues humilis, pauper elatus: vndè mox prædicantis lingua cum audientis debet vita opponi, vt tanto districtiùs in paupere elationem feriat, quanto eum nec illata paupertas inclinat: & tanto leniùs humilitatem diuitum mulceat, quanto eos nec abundantia quæ subleuat, exaltat. Aliter admonendi sunt læti, atque aliter tristes. Lætis videlicet inferẽda sunt tristia, quæ sequuntur ex supplicio: tristibus verò inferenda sunt læta, quæ promittuntur ex regno. Aliter subditi, atque aliter prælati: illos nè subiectio conterat, istos nè locus superior extollat: illi nè minùs impleãt quàm iubentur, isti nè plus iusto iubeant, quàm compleant. Aliter serui, atque aliter domini: serui quidem, vt semper humilitatem conditionis adspiciant: domini verò, vt naturæ suæ, qua æqualiter sint cum seruis conditi, memoriam non amittant. Isti admonendi sunt, vt sciant se seruos esse dominorum: illi admonendi sunt, vt cognoscant se conseruos esse seruorum. Aliter admonendi sunt sapientes huius seculi, atque aliter hebetes. Sapientes quippe admonendi sunt, vt non omittant scire quæ sciunt: hebetes quoque, vt appetant scire quę nesciunt: illi vt stultam sapientiam deserant, & sapientiam Dei non stultam discant: isti verò vt ab ea quæ putatur stultitia, ad veram sapientiam vicinius currant. Aliter impudentes admonendi sunt, atque aliter verecundi: illos namque ab impudicitiæ vitio non nisi increpatio dura compescit: istos autem plerumque ad melius exortatio modesta componit: illi se delinquere nesciũt, nisi etiam à pluribus increpentur, istis plerumque ad conuersionem sufficit, quia eis doctor mala sua sal tem leniter ad memoriam reducit. Aliter admonendi sunt proterui, atque aliter pusillanimes. Illi enim dum valde de se præsumunt, exprobrando cæteros dedignantur: isti autem dùm nimis infirmitatis suæ sunt conscij, plerunque in desperationem cadunt. Aliter admonendi sunt impatientes, atque aliter patientes. Dicendum namque est impatientibus, quia dum frenare spiritum negligunt, per mulca etiam quæ non appetunt, in iniquitatum abrupta rapiuntur: quia videlicet mentẽ impellit furor, quò non trahit desiderium, & agit commota velut nesciens, vndè post doleat sciens. Dicendum itaque est patientibus, vt studeant diligere, quod sibi necesse est tolerare: ne si patientiam dilectio non sequitur, in deteriorem culpam odij virtus ostensa vertatur. Aliter admonendi beneuoli, atque aliter inuidi. Admonendi namque sunt beneuoli, vt sic alienis bonis gaudeant, quatenus habere propria concupiscant: sic proximorũ facta diligendo laudent, vt ea etiam imitando multiplicent: quia nihil mercedis sibi agunt, si ea quæ diligunt, inquantum possunt, non imitantur. Admonendi sunt inuidi, vt perpendant quantę cæcitatis & infelicitatis sunt, quia alieno profectu deficiũt, aliena exultatione contabescunt: qui melioratione proximi, deteriores sunt. Aliter admonendi sunt simplices, atque aliter impuri. Laudandi sunt simplices, vt studeant numquam falsa dicere: sed admonendi sunt, vt nouerint nonnunquam vera reticere: vt simplicitatis bono prudentiam adiungãt, quatenus sic securitatem de simplicitate possideant, vt circumspectionem prudentię non amittant. At contra admonendi sunt impuri, vt quàm grauis sit culpa quam sustinent, duplicitatis laborem agnoscant. Dum enim deprehendi metuunt, semper improbas defensiones quærunt. Aliter admonẽdi sunt incolumes, atq; aliter ægri. Admonendi sunt

Gregor. pastoral. curæ lib. 3.

sunt incolumes, nè opportunitatem salutis in perpetuum promerendæ despiciant, nè placere Deo, si cùm possint, noluerint, cùm voluerint serò, non possint. At contra admonendi sunt ægri, vt & se filios Dei sentiant, quoniam illos disciplinæ flagella castigant. Nisi enim correctis hæreditatem dare disponeret, erudire eos per molestias non curaret. Aliter admonendi sunt qui flagella metuunt, & propterea innocenter viuunt: atque aliter qui sic in iniquitate durauerunt, vt neque per flagella corrigantur. Dicendum namque est his, qui propterea bona faciunt, quia tormentorum mala metuunt: quia nullam spiritus libertatem tenent. Nam nisi pœnam non metuerent, culpam proculdubiò perpetrarent. Vndè luce clariùs constat, quia coram Deo innocentia amittitur, ante cuius oculos desiderio peccatur: atque ab iniquitatibus contra hi, quos nec flagella compescunt, tanto acriore inuectione feriendi sunt, quanto maiore insensibilitate durauerunt. Aliter admonendi sunt nimis taciti, aliter multiloquio vacantes. Insinuari namque nimis tacitis debet, quia dum quædam vitia incautè fugiunt, occultè deterioribus implicentur. Nam sæpè linguam quia immoderatiùs frenant, in corde grauius multiloquium tolerant. At contra admonendi sunt multiloquio vacantes, vt vigilanter inspiciant, à quanto rectitudinis statu depereunt, dum per multiplicia verba dilabuntur. Reliqua vide apud Gregorium loco quo supra dictum est.

Quæ virtutum species contrariæ sint singulis speciebus vitiorum.
Cap. 38.

HÆc igitur tanto congruentius vnusquisque prædicator valet exprimere, quanto veraciùs species virtutum, & econtra vitiorum nouit discernere: vt cùm singula singulis nouit opponere, cuique vulneri aptum possit medicamentum inuenire. Sunt autem in virtutibus quædam species, quæ quodammodo ex aliis speciebus quasi ex arboribus rami procedunt: quæ quia ab vna virtutis radice generantur, in vno eiusdem radicis stipite frondes pulcherrimi gestantur. Sunt & econtrariò in vitiis quædam virulenta germina, de quibus omnis illa multitudo pestifera nequitiarum generatur: & sicut in virtutibus aliæ ex aliis procedunt, quasi ex genitricibus proles preciosæ, sic & in istis quædam quasi nequissimæ soboles, ex spurcissimis matribus prodeunt. Sed quia cum virtutibus vitiorum diuturna sunt bella, vtriusque malitiæ qui sunt duces, quique eorum sint comites, specialiter quantum possumus, exponamus: ita tamen, vt quæ virtus cum quo vitio propriè pugnam gerat, pariter ostendamus. Nec enim aliter possumus ignita vitiorum iacula deuitare, nisi sciamus opportuna virtutum tegmina illis opponere: vt ex ipsis defensi, proteruum illum exercitum simul cum eius ducibus, Christo super nos regnante, possimus superare. Tentantia quippe vitia, quæ inuisibili contra nos prælio regnanti super se superbiæ militant, alia more ducum præeunt, alia more exercitus subsequuntur. Nec enim culpæ omnes pari accessu cor occupant: sed dum maiores & paucæ neglectam menẽt præueniunt, minores innumeræ ad illã se cateruatim fundũt. Ipsa namque vitiorum regina superbia, cùm deuictum cor plenè ceperit, mox illud septem principalibus vitiis, quasi quibusdam suis ducibus deuastandum trahit: quos videlicet duces exercitus sequitur: quia ex eis proculdubiò importunæ vitiorum multitudines oriuntur. Radix quippe cuncti mali, superbia est, de qua scriptura attestante dicitur: Initium omnis peccati superbia est. Primæ autem eius soboles, septem nimirum principalia vitia, de hac virulenta radice proferuntur: scilicet inanis gloria, inuidia, ira, tristitia, auaritia, ventris ingluuies, luxuria. Nam quia his septem vitiis superbiæ nos captos doluit, idcircò Redemptor noster ad spiritale liberationis prælium spiritu septiformis gratiæ plenus uenit. Sed habent contra nos hæc singula exercitum suum. Nam de inani gloria, inobedientia, iactantia, hypocrisis, contentiones, pertinaciæ, discordię & nouitatum præsumptiones oriuntur. De inuidia odium, susurratio, detractio, exultatio in aduersis proximi, afflictio autem in prosperis nascitur. De ira, rixa, & tumor mentis, contumeliæ, clamor, indignatio, blasphemię proferuntur. De tristitia, malitia, rancor, pusillanimitas, desperatio, torpor circa præcepta, vagatio mentis erga illicita nascitur. De auaritia, proditio, fraus, fallacia, periuria, inquietudo, violentię, & contra misericordiam obdurationes cordis oriuntur. De ventris ingluuie, inepta lętitia, scurrilitas, immunditia, multiloquium, hebetudo sensus circa intelligentiam propagatur. De luxuria, cęcitas mentis, inconsideratio, inconstantia, precipitatio, amor sui, odium Dei, affectus seculi presentis, horror autem vel desperatio futuri generantur. Sed enumeratis septem superbię sobolibus, quę vitiorum exercitum contra nos ducunt, videamus quę sint virtutum duces, & agmina exercitus, quę humilitatis auctor Christus nobis præstat, ad pugnandum contra vitiorum cohortes: & opponamus singulis ducibus vitiorum, duces contrarios virtutum, exercitibusque exercitus. Duci igitur inani gloriæ contra statuenda est dux humilitas, quę maximè generat in homine despectionem sui, & contemptum caducarum rerum: comitibusque eius comites contrarij, id est, inobedientię obedientia: iactantię, humilis professio: hypocrisi, simplicitas: con-

Ecclesiastici 10.

Universidad de Deusto
Biblioteca

centioni, innocentia : pertinaciæ, subiectio : discordiæ, pax : nouitatum præsumptioni, timor Dei, & honoratio patrum . Duci quoquè inuidiæ, opponenda est dux beneuolentia : comitibus eius contrarij comites, id est, odio, dilectio vera : susurrationi, locutio vera : detractioni, pia laudatio : exultationi in aduersis proximi, compassio infirmitati eius : afflictioni in prosperis ipsius, lætitia in sospitate eius. Irę duci, contraria est dux mansuetudo : comitibusq; illius, eius comites . Istius tumori mentis, placiditas animi : contumeliæ, benignitas: clamori, grauitas verborum : indignationi, suauitas morum : blasphemiæ, puritas oris. Tristitiæ namque duci, obsistit dux spiritalis lætitia : exercituiq; eius, exercitus istius, id est, malitiæ bonitas : rancori, lenitas : pusillanimitati, longanimitas : desperationi, perseuerantia : torpori circa præcepta, studium spirituale : vagationi mentis erga illicita, intentio diuinæ lectionis . Auaritiæ duci, aduersa est dux largitas: agminibusque eius agmina istius, id est, proditioni, fides non ficta : fraudi sinceritas : fallaciæ, veritas : periuriis, non iurare : inquietudini, tranquillitas : violentiæ, patientia : duritiæ, misericordia. Duci quippe gastrimargiæ, id est, horrendæ voracitati, contraria est dux abstinentia : cohortibusque illius, cohortes istius, id est, ineptæ lætitię, modestia : scurrilitati, ratio sermonum: immunditię, sobrietas : multiloquio, taciturnitas : hebetudini sensus circa intelligentiam, feruor discendi sapientiam : somnolentiæ, vigilantia. Luxuriæque duci ac plebi eius, reluctatur dux castitas cum plebe sua : id est, cęcitati mentis, contemplatio Dei : inconsiderationi, prouisio: inconstantiæ, constantia : præcipitationi, continentia: amori sui, mortificatio desideriorum carnis suæ: odio Dei, charitas perfecta Dei. Eccè hæc sunt, quę prælulem animarum oportet scire : & quę debet in prædicationis diuersitate custodire, vt solicitus infirmitates singulorum perpendat, & congrua eorum vulneribus medicamina opponat. Sed cum magni studij sit, vt exhortandis singulis seruiatur ad singula, cùm valdè laboriosum sit, vnumquemque de propriis sub dispensatione debitæ considerationis instruere, longè tamen est laboriosius, auditores innumeros, ac diuersis passionibus laborantes, vno eodemque tempore, voce vnius & communis exhortationis admonere. Ibi quippe tanta arte vox temperanda est, vt cùm diuersa sint auditorum vitia, & singulis inueniantur congrua, & tamen sibimetipsis non sint diuersa, vt inter medias passiones vno quidem ductu transeat, sed more ancipitis gladij, tumores cogitationum carnalium, ex diuerso latere incidat, quatenus sic superbis prædicetur humilitas, vt tamen timidis non augeatur metus : sic timidis infundatur auctoritas, vt tamen superbis nō crescat effrenatio: ociosis ac torpentibus prędicetur sollicitudo boni operis, vt tamen inquietis immoderatę licentia non augeatur actionis : sic inquietis ponatur modus, vt tamen ociosis non fiat torpor securus : sic ab impatientibus extinguatur ira, vt tamen remissis ac lenibus non crescat negligentia : sic lenes accendantur ad ęlum, vt tamen iracundis non addatur incendium : sic tenacibus infundatur tribuendi largitas, vt tamen prodigis effusionis frena minimè laxentur : sic prodigis prędicetur parcitas, vt tamen tenacibus peritura rerum custodia non augeatur. Sic incontinentibus laudetur coniugium, vt tamen continentes non reuocentur ad luxum : sic continętibus laudetur virginitas, vt tamen in coniugibus despecta non fiat fœcūditas carnis. Sic prędicanda sunt bona, nè ex latere iubeantur & mala : sic laudanda sunt bona summa, nè desperentur vltima : sic nutrienda sunt vltima, nè dum creduntur sufficere, nequaquam tendatur ad summa . Curandum est itaque prędicatori, quatenus sic tergatur tristitia, quę venit ex tempore, vt non augeatur lętitia, quę venit ex consperſione: & sic frenetur lętitia, quæ ex consperſione est, vt tamen non crescat tristitia quę venit ex tempore : sic itaque in isto reprimatur subitò oborta formido, vt tamen non excrescat enutrita diù pręcipitatio : sic in illo reprimatur diù oborta pręcipitatio, vt tamen non valescat impressa ex consperſione formido.

Quòd oporteat postulari à Domino possibilitas prædicandi.
Cap. 39.

ET hęc se posse, si potuerit, & inquantum potuerit, pietate magis orationum, quàm Oratorum facultate non dubitet, vt orando pro se ac pro illis, quos est allocuturus, sit Orator antequàm dictor. Ipsa hora iam vt dicat accedens, priusquàm exerat proferentem linguam, ad Deum leuet animam sitientem: vt ructet quod biberit, vel quod impleuerit fundat. Cùm enim de vnaquaque re, quę secundùm fidem delectationemque tractanda sunt, multa sint quę dicantur, & multi modi quibus dicantur, ab eis qui hęc sciunt, quis nouit quid ad prędens tempus vel nobis dicere, vel per nos expediat audiri, nisi qui corda omnium videt? & quis facit, vt quod oportet, & quemadmodum oportet, dicatur à nobis, nisi in cuius manu sunt & nos, & sermones nostri? Ac per hoc discat quid est * omnia quę docenda sunt, qui & nosse vult & docere, facultatemque dicendi, vt decet virum ecclesiasticum comparet. Ad horam verò ipsius dictionis illud potius bonę menti cogitet conuenire, quod Dominus ait: Nolite cogitare quomodò aut quid loquamini : dabitur enim vobis in illa hora quid loquamini . Non enim vos estis qui loquimini, sed spiritus patris vestri qui loquitur in vobis. Si ergò loquitur in eis Spiritus sanctus, qui persequentibus tradūtur pro Christo, cur non & in eis, qui tradunt discentibus Christum? Qui autem dicit, hominibus non esse præcipiendum, quid vel quemadmodùm doceant, si doctores efficit Spiritus sanctus, potest dicere, nec orandum esse nobis, quòd Dominus ait: Scit pater vester, quid vobis necessarium sit, priusquàm petatis ab eo. Siue autem apud populum vel apud quoslibet iamiamque dicturus, siue quod apud populum dicendum, vel ab eis qui voluerint aut potuerint, legendum est dicturus, oret vt Deus sermonem bonum det in os eius. Si enim regina orauit Hester pro suæ gentis temporali salute locutura apud regem, vt in os eius Deus congruum sermonem daret; quanto magis orare debet, vt tale munus accipiat, qui pro æterna hominum salute in doctrina & verbo laborat. Illi verò qui ea dicturi sunt, quæ ab alijs acceperunt, & antequàm accipiant, orent pro ipsis à quibus accipiunt, vt eis detur, quod per eos accipere volunt : & cùm acceperint, orent vt bene & ipsi proferant : & illi ad quos proferant, sumant : & prospero exitu dictionis, eidem gratias agant, à quo id se accepisse non dubitant : vt qui gloriatur, in illo gloriatur, in cuius manu sunt & nos, & sermones nostri.

Matt. 6.

Matt. 10.

Hac tibi sancte pater deuoto munera trado,
Quæ tu dignanter qualiacunque cape.
Tu decus es nostrum, doctor, summusq; sacerdos,
Dux sacer, & princeps, lux, via, pastor, honor.
Nam quia tu templum dedicasti martyris almi,
Per seruum donum hoc martyr & ipse dedit.
Nam est nonus & decimus octingentesimus annus,
Ex quo Saluator venit in arua pius.
Qui te præfectum tribuat, faciatq; beatum,
Inserat & latum cœtibus angelicis.
Abbas nanq; meus, vesterq; fidelis amicus,
Egil hac voluit reddere dona tibi.
Se totū atq; offert, suaq; omnia sponte ministrat,
Quem tecum summus saluet in arce Deus.

Rabani Mauri De institutione clericorum libri tertij & vltimi, Finis.

Universidad de Deusto
Biblioteca

VVALAFRIDI STRABONIS DE EXORDIIS ET INCREMENTIS RERVM ECCLESIASTICARVM, LIBER VNVS.

PRAEFATIO AVCTORIS ad Reginbertum.

IN nomine Dei Patris & Filij & Spiritùs sancti. De ministris Ecclesiæ & ministerijs ipsorum, necnon & de multiplicibus Sacramentorum, officiorum, & obseruationũ rationibus, multi multa dixerunt: ità vt pauca vel penè nulla remãserint, quæ non iam per illuminationem Spiritus sancti sint demonstrata: non solùm qualiter debeant fieri, verùm etiam quomodò singula mysticè debeant vel possint intelligi, diligenti examinatione excussa. Quorum omniũ copiam, cùm secundùm solertissimũ in rebus Ecclesiasticis studium tuum, & libris habeas & memoria comprehensam, ò venerande in Christo pater Reginberte, salubri curiositate ardens, quædam non à prioribus penitùs omissa, sed breuiùs quàm volueras tacta, à me addi desideras: quasi aliquid illos aufugerit, quod nos possimus inspicere: cùm potius verè fateri debeamus, omnia quę illi inuenta, nobis scriptis suis reliquerunt, nec ipsa discendi instantia nos assequi posse. Sed est quod huiusce modi in cœptis sensus sui viuacitate videbantur perspicua. Scribam igitur, ìnquantùm Dominus dederit facultatem, sicut ex authenticorũ dictis, quæ adhuc attigimus, addiscere potui, de quarundam Ecclesiasticarum exordijs & causis rerum, & vndè hoc vel illud in consuetudinem venerit, & quomodò processu temporis auctũ sit, indicabo: habiturus & si non pro scientia laudem, tamen pro obedientia certam mercedem. Et primùm de sacris ædibus, in quibus ipsa celebrantur sacra, dicendum videtur.

A

Spiritus humilitatis in auctore.

Argumentum libri.

B

C

D

Carmen auctoris, ad lectorem.

Hoc opus exiguum Vualafridus pauper hebesq́.
Collegit, Patrum dogmata lata sequens.
Sed non sponte sua tam magnos venit in ausus.
Dura Reginberti iussio adegit eum.
Si quid in hoc Lector placet, assignare memento,
Id Domino: Quicquid displicet, hocce mihi.

Elenchus Capitulorum.

1 DE Exordijs templorum & altarium.
2 Qualiter religiones diuersę se inuicèm imitatæ sint, & quid commune habuerint, quid diuersum.
3 De profectu Religionis Christianæ.
4 In quas plagas cęli, orationes vertantur.
5 De vasis quæ simpliciter signa dicuntur.
6 Expositio Nominum quorundam, sacris rebus adiacentium.
7 Quomodò Theotiscè domus Dei dicatur.
8 De imaginibus & picturis.
9 De templis & altaribus dedicandis.
10 Quid fieri debeat in locis Deo cõsecratis.
11 Quid item fieri non debeat.
12 De orandi modis ac distantia vocum.
13 Quibus prosit cultus diuinus, & quibus non.
14 Iustas oblationes, & magìs virtutes, quàm corporalia munera Deum desiderare.
15 De oblationibus veterum.
16 De sacrificijs Noui testamenti, & cur mutata sint per Christum sacrificia.
17 De virtute sacramentorum, & cur ab eis criminosi suspendantur.
18 Quid offerendum sit in altari.
19 Non ab alijs quàm ieiunis communicandum.
20 Quòd alij rariùs, alij crebriùs, alij quotidiè communicandum dicant.
21 Vtrùm semèl vel sæpiùs in die offerre conueniat & communicare.
22 De ordine Missæ & offerendi ratione.
23 De tempore Missæ.
24 De vasis & vestibus sacris.
25 De horis canonicis & genuum flexione, De hymnis item & Cantilenis, & incrementis eorum.
26 De Baptismi incremento, & mersione & causis Baptizandorum.
27 De decimis dandis.
28 De litanijs agendis.
29 De aqua sparsionis.
30 De benedictione cerei.
31 Comparatio Ecclesiasticorum ordinum & secularium.

De

De Exordijs templorum & altarium. Cap. 1.

Gen. 8. 12. 26. 33. Altaria antiquiora tabernaculo & templo.

ALtaria quidem, Noe, Abraham, Isaac, & Iacob, Domino (vt legitur) extruxerunt. Moyses verò primus tabernaculum, iuxta exẽplar diuinitus sibi demonstratum, in deserto Sinai, filijs Israel de seruitute Aegyptia liberatis erexit. Salomon quoquè longo iam tempore eodẽ populo in terra repromissionis degente, & regiæ dignitatis apice, gentibus circumpositis præminente, templum illud mirificum, in Hierusalem (quam Dauid Pater caput eius regni instituit) magnis ædificauit sumptibus, & diuersis dotauit ornatibus. In quorum vtroque, tabernaculo videlicet ac tẽplo, & arca testamenti, & altaria cum vtensilibus suis, aliæque speciebus religioni illius temporis congruæ fuisse leguntur: tam multiplices & tã consulta ratione prouisæ, vt quicquid modò spiritalibus Ecclesiæ celebratur in studijs, totum in illis constructionum figuris pleniter & (vt ità dicam) consignanter delineatum atque constructum videatur. Paganos etiàm templa fecisse dijs suis, vel potiùs dæmonibus, seducto ribus suis, nõ solùm ex ipsorum libris, sed etiã ex diuinæ scripturæ testimonijs agnoscimus: Quia & templum Dagon in Samuele legimus, & Regem Sennacherib in templo Neserach trucidatum: Danielem quoquè in templo Belis, sacerdotum eius strophas deprehendisse: Et Antiochum reliquiarum populi Dei persecutorem grauissimum, & templi, quod post reuersionem de captiuitate reædificatum est, violatorem: in templo Naneæ corruisse cognoscimus. Et multa alia, quibus approbatur quod dicimus. Nolumus autem de libris Paganorũ eiusdem rei testes adsciscere, nè inter ecclesiasticę ędificationis eloquia, lectoris animum inutilibus fabulis occupemus.

Quid in tabernaculo & templo fuerit.

1. Reg 5. 4. Reg. 19. Dan. 14.

2. Mach. 1.

Causa instituendi templa & sacrificia.

A

B

C

D

Qualiter religiones diuersæ, se inuicèm imitatæ sint, & quid commune habuerint, quid diuersum. Cap. 2.

ET primis quidem temporibus, tam veros Dei cultores, quàm etiàm dæmonum veneratores, in locis congruis, suæ religionis cultum, sub diuo celebrasse credendum est. Sed quia dæmones hominibus persuaserunt, in cumeliam creatoris, imaginem incorruptibilis Dei, in similitudinem corruptibilis hominis, & volucrum, & quadrupedum, & serpentum cõmutare, & seruire creaturæ potiùs, quàm creatori: consequenter etiam ædificationem templorum, & sanguinis non solùm animalis, sed etiam humani immolationem, ad maiorem persuasi erroris vindictam, sibi fieri exposcebant. Ideoque omnipotens & patiens creator, facturę suæ volens vndecunq; consulere, (quia A verò propter fragilitatem carnalium, omnes consuetudines pariter tolli non posse sciebat) permisit & iussit quædam sibi obedienter à pijs exhiberi, quę dæmonibus dãnabiliter ab impijs soluebantur: sicutì sunt ædium constructiones, & diuersorum genera sacrificiorum. Et factũ est, vt quæ prioribus propter infirmitatem cõcessa sunt, ad exclusionem erroris: nobis sequẽtibus per Christi passionem patefacta, proficerent ad causam perfectionis, dum & in illis materialibus structuris ædificium Ecclesiæ spirituale, & in carnalibus victimis ac solennitatibus, passionem Christi & virtutum documenta sentimus. Sicut autem quædam præcepta moralia nobis & veteribus voluit Deus esse communia: vt sunt ea, quæ ad morum honestatem, & ad ius inter homines pertinent conseruandũ: ità quędam fugitiosa, quę dæmonum voluptate instituta, & illis & nobis statuit omnimodìs fugienda, maleficia videlicet ac mendacia, stupra, & superstitiosos errores, & similia. Hæc cùm ità sint dicta, sciendum est, quædam esse omni religioni communia, vt est: Quod tibi non vis fieri, alij nè feceris: & quicquid ex naturali lege, diuinis congruum inuenitur mandatis. Hoc tamen in illis distat, quòd quidam illa propter honestatem, vt philosophi: quidã propter timorem, vt Iudæi: alij propter dilectionem, vt Christiani, obseruant. Vt autem ad proposita reuertamur, sicut Deus, vt destrueret opera diaboli, quædam sibi exhiberi voluit à cultoribus suis, quæ dæmones priùs persuaserunt errantibus: ità cultum à Deo institutum, maximè in sacrificiorum & cæremoniarũ multiplicitate, sibi deincèps dæmones exposcebant, sicut scriptum est de libris legis Dei: de quibus scrutabantur gentes, similitudinem simulacrorum suorum, vt scilicet, quomodò lex Domino seruire præcepit, eisdem ritibus, deceptores suos dæmones, deceptæ gentes venerarentur. Nam & temporibus Tiberij & Caij Cæsarum, Idola in templo Domini legimus collocata. Et Iulianus Apostata totum Ecclesiastici ordinem ritùs, ad diabolorum honorẽ detorquere conatus est. Et ipse diabolus, à Christo se pro Deo voluit adorari.

Legis naturalis præcepta. Matt. 7. Tob. 4.

Imitatio gentilium in cultu deorum suorũ

Iosephus de bello iud. lib. 2. ca. 3.

Iulianus Imper.

Matt. 4.

Idololatria per dæmones introducta.

Rom. 1.

De profectu religionis Christianæ. Cap. 3.

POstquàm itaque venit tempus, quandò veri adoratores in spiritu & veritate, non in Hierusalem tantùm vel monte Samariæ, id est, non localiter, sed spiritualiter cœperunt adorare patrem, & in omnes gentes secundùm Domini iussionem doctrina salutaris emissa est: cœperunt fideles loca munda quærere, & à tumultibus ac negocijs carnaliter cõuersantium semota: in quibus orationes mundas, & sacrosancta mysteria, & mutuę ædificationis solatia celebrarent. Quanuis enim secundùm Euangelistam, erant discipuli cum credẽtibus semper in

Ioan 4.

Loca oranti in primitiua Eccles.

Lucæ vlt.

Universidad de Deusto
Biblioteca

in templo vel cœnaculo laudantes Deum, & orationi ac ieiunio insistentes: tamen post aduentum Spiritûs sancti, legimus eos circa domos orationes & fractiones panis celebrasse. Et non solùm inter vrbium ædificia', verùm & extra in locis secretis conueniſſe. Nam & Paulus proceſſiſſe legitur in Philippis extra portam, iuxta flumen, vbi videbatur oratio esse, & ipse cum Epheſijs orauit in littore. Cùm autem multiplicaretur numerus credentium, cœperunt domos suas facere Eccleſias, vt in geſtis sanctorum creberrimè legitur & priuatas habitationes, ad publicas fideliũ contulerunt vtilitates. Sæpè etiam perſecutorũ rabiem declinantes, in cryptis & in cœmeterijs, & spelũcis, atque deſertis montibus & vallibus conuenticula faciebant. Deindè magìs magisque proficiente Chriſtianę religionis miraculo, & per lucra Chriſti, damno ſuccedente diaboli: non solùm nouę ad orandum domus conſtructę sunt, ſed etiam templa deorum, abiectis & exterminatis idolis cum ſpurciſſimis cultibus suis, in Dei mutabantur Eccleſias.

Act. 1. & 2.

Act. 16. 20.

Diuerſa olim loca orandi.

In quas plagas cæli, Orantes vertantur. Cap. 4.

ET quia diuerſitas idololatrię, diuerſis modis templa conſtruxerat, non magnoperè curabant illius temporis iuſti, quam in partẽ orationis loca conuerterent, dum tantùm viderẽtur, vbi eliminatæ sunt dęmonum ſordes, ibi Deum creatorem omnium, qui vbiquè est, coli & adorari. Quanquàm itaque ſapiens dicat, nos ad Orientem lucis adorare Deum, & reuerà congruum est, & ſalubri more inſtitutum, vt Orientem versùs, facies orando vertamus: quia ſicut ab Oriente lucis aduentum ſuſcipimus corporeę, ſic in orationibus illũminari ſuper nos vultum illius depoſcimus, de quo ſcriptum est: Eccè vir, Oriens nomen eius: Et, Viſitauit nos Oriens ex alto. Tamen quia & templi & tabernaculi introitus ab Oriẽte fuit, vbi altare & labrum erat, & omnes victimarum & ſacrificiorum ritus fiebant: certũ est in vtroq; ab Oriente multos oraſſe contra Occidentem. Siquidẽ & Salomon dedicans tẽplũ, ſterit ante altare & extendit manus in cælum, & effudit orationẽ tam deuotione, quàm prolixitate mirabilẽ. Priora autẽ & anteriora tẽpli vel altaris, Orientẽ reſpiciebant. Vndè & apud veteres, Orientales templorũ *, antica: Occidẽtales, poſtica: Aquilonares, ſiniſtra: Meridianæ, dextra dicebantur. Quod & de tẽpli Domini latere meridiano ſic ſcribitur: Oſtium lateris medij, erat in parte domus dextræ. Quia ergò portę trium atriorum vna contra alteram poſitæ, recta linea ad Orientem patebant, ità & ſol æquinoctialis exoriens, radios ſuos per illas æqualiter contra medietatem tẽpli dirigeret, eodemq; modo per oſtia porticus & ipſius templi, in oſtia ſancti ſanctorum altrinſecùs poſita, pertenderet: ſicut traditur à Maioribus, illi qui in exterioribus atrijs poſiti, ab introitu interioris, quibuſdam quaſi rationabilibus cauſis prohibebantur: per portarum contra ſe poſitarum, patulum proſpectũ, oculos vſque ad introitum templi dirigentes: quò pedibus non audebant, precibus & votis, & ſalutationibus accedebant. Sed & ipſe Salomon, in illa celebri oratione de populo, in peregrinationem propter peccata ſua venturo, dixit ad Deum: Si orauerit contra ciuitatem quã elegiſti, & templi quod ædificaui nomini tuo, & reliqua. Quod Daniel quoquè Propheta, & talis in quo ſuſpicio nulla potuit reperiri, legitur feciſſe. Apertis enim feneſtris cœnaculi ſui contra Hieruſalem, tribus vicibus orauit per ſingulos dies. His & alijs exemplis edocti cognoſcimus, non erraſſe illos vel errare, qui tẽplis vel nouiter Deo conſtructis, vel ab idolorum ſqualore mundatis, propter aliquam locorum opportunitatem, in diuerſas plagas altaria ſtatuerunt: Quia non est locus, vbi non ſit Deus. Veriſſima enim relatione didicimus, in Eccleſia quam apud Æliam Conſtantinus Imperator cum matre Helena, ſuper ſepulcrũ Dominj mirę magnitudinis in rotunditate cõſtituit: Itemque Romæ in templo, quod ab antiquis Pantheon dictum, à beato Bonifacio Papa, permittente Foca Imperatore, in honorem omnium Sanctorum conſecratum est. In Eccleſia quoquè beati Petri principis Apoſtolorum, altaria non tantùm ad Orientem, ſed etiam in alias partes eſſe diſtributa. Hæc cùm ſecundùm voluntatem vel neceſſitatem fuerint ità diſpoſita, improbare non audemus. Sed tamen vſus frequentior (ſecundùm quod & ſuprà memoranimus) & rationi vicinior habet, in Orientem orantes conuerti, & pluralitatem maximam eccleſiarum eo tenore conſtitui.

Orare versùs Orientem.

Zach. 6. Lucę 1.

Iudæi orauerunt versus occidẽtem.

3. Reg. 8.

Orare versùs templũ

1. Par. 6. Dan. 6.

Altaria in diuerſas plagas reſpicientia.

for' partes, Antica & poſtica tẽpli

3. Reg. 6.

Ælia ab Ælio Hadriano Imp. dicta fuit Hieruſalem rædificata.

Pantheon Romæ.

Eccleſia S. Petri tẽplũ

Vnuſquiſque in ſenſu ſuo abundet. Propè est Dominus omnibus inuocantibus eum in veritate, & longè à peccatoribus ſalus: Appropinquemus Domino, & appropinquabit nobis. Alioquin peccator, etiam ſi fugerit, eum qui vbiquè est, euitare non poterit. Quia neque ab Oriente, nec ab Occidente, neque à deſertis montibus, ſubaudi, patet locus fugiendi, quoniam Deus iudex est, hunc humiliat, & hunc exaltat. Cui etiam Propheta dicit: Quò ibo à ſpiritu tuo? & quò à facie tua fugiam? Si aſcendero in cęlum, tu ibi es: ſi deſcendero in infernum, ades.

Deus vbique est. Pſal. 144. Pſal. 118. Iac. 4.

Pſal. 74. Pſal. 138.

De Vaſis quæ ſimpliciter ſigna dicuntur. Cap. 5.

DE vaſis verò fuſilibus vel etiam productilibus, quæ ſimpliciter ſigna vocantur, quia eorum ſonoritate quibuſdam pulſibus excitata, ſignificantur horę, quibus in domo Dei ſtatuta celebrantur officia: de his, inquam, hic dicendum

Varia olim ſigna conuocandi ad Eccleſiam.

dicendum videtur, quòd eorum vſus non adeò apud antiquos habitus proditur: quia nec tam multiplex apud eos conuentuum aſſiduitas, vt modò est, habebatur. Apud alios enim deuotio ſola cogebat ad ſtatutas horas concurrere. Alij prænunciationibus publicis inuitabantur, & in vna ſolennitate proximè futuras diſcebant. Apud quoſdam tabulis, apud nonnullos cornibus horæ prodebantur. Vaſorum autem, de quibus ſermo ortus est, vſum primò apud Italos affirmant inuentum. Vndè & à Cãpania, quæ est Italia prouincia, eadem vaſa maiora quidem campanæ dicuntur: Minora verò, quæ & à ſono tintinnabula vocantur, nolas appellant, à Nola eiuſdem ciuitate Campaniæ, vbi eadem vaſa primò ſunt commentata. Quia verò tubas æreas & argenteas in lege habemus, & Propheta quaſi tuba vocem prędicationis exaltare iubet: congruè his vaſis vtimur in conuocatione fidelium, vt prædicatio noſtra in Eccleſia, pura in argento, in ære ſignificetur durabilis & ſonora, id est, vt nec hęretica fœdetur rubigine, nec negligentiæ laſſe tur pigritudine, nec humana ſupprimatur formidine.

Campanæ & nolæ.

Num. 10. Eſa. 58.

Quid ſignificent tubæ æreæ & argenteæ.

Expoſitio nominum quorundam, ſacris rebus adiacentium. Cap. 6.

HÆc à nobis, vt potuimus, dicta ſunt: Nunc de nominibus, quæ ipſis ſacris locis vel ædificijs, non fortuitò, ſed rationabiliter impoſita ſunt, pauca dicamus: vt lector dum cauſas ædificiorum & exordia didicerit, cur etiam ità vel ità dicta ſint, poſſit aduertere. Eccleſia quidem Græcum nomen est, & interpretatur conuocatio vel conuentus: cùm ſit vel generalis ſanctorum vnitas, in vna fide & dilectione coniuncta, vndè vna & Catholica dicitur Eccleſia: vel ſingulorum ſocietas ſancta locorum, vndè & multę dicuntur Eccleſię. Tamen etiam ipſa domus, in qua ad diuina vel diſcenda vel celebranda, conuenit multitudo fidelium, Eccleſia vocatur: à re quę ibi geritur, illud vocabulum mutuamus. Horum exẽpla Apoſtolus inſinuat, dicens: Vt exhiberet ſibi gloriosam Eccleſiam, non habentem maculam neque rugam: Et, Sicut in omnibus Eccleſijs ſanctorum doceo. Et, Mulieres in Eccleſia taceant, & multa his ſimilia. Vnuſquiſque etiam electorum, domus & templum Dei dicitur, ſicut Apoſtolus & in ſuo, & Propheticò confirmat exemplo: Templum, inquiens, Dei ſanctum est, quod eſtis vos: ſicut dicit Dominus, quia inhabitabo & inambulabo in vobis, & reliqua. Et Petrus, Vos tamquàm lapides viui, ſuperædificamini domus ſpiritales, & reliqua. Sicut ergò Eccleſia in Eccleſia, ſic multæ domus & tẽpla in domo Dei & tẽplo cõueniunt. Domus autẽ dicta est à domate, quod Græcè tectum vocatur. Dicitur etiam domus, familię totius ſub vno tecto commorantis consortium, ſicut vrbs totius populi, & orbis totius generis humani est domicilium.

Eccleſia variè accipitur.

Ephe. 5. 1. Cor. 4. 1. Tim. 2.

1. Cor. 3. 2. Cor. 6.

1. pet. 2.

Domus.

Templum eſt dictum quaſi tectum amplũ. Vndè & excellentioribus ędificijs, hoc congruit nomen: Sicut Rex Salomon ſapientiſſimus in regia vrbe, templum: Moyſes verò in itinere dicitur tabernaculum condidiſſe. Dictum est autem tabernaculum, à tabulis & cortinis, eò quòd interſtantibus tabulis, cortinæ deſuper tenderentur. Vndè & militum tentoria, quibus in itinere Solis ardores, tempeſtates imbrium, frigorisque iniurias vitant, tabernacula dicuntur. Aedes & ædificia, ab edendo putant dicta, quaſi primitùs ad edendum facta. Vndè Plautus dicit: Si vocaſſem vos in ędem ad prandium. Poteſt enim fieri, vt ædes ad edendum in eis, ſicut cœnacula ad cœnandum, primò ſint facta, & poſteà longò vſu in aliud verterentur. Sicut tabernę primitùs plebeiorum domunculæ, quòd ſex tabulis ligneis fierent, dicebantur: vndè & tabernaculum deriuari quidam volunt. Nunc autem cauponũ Eccleſię ſic vocantur.

Templum.

Tabernaculum.

Aedes.

Basilica Græcè, Latinè regalis vel regia dicitur, à Baſileo, id est, rege. Nam & carnaliũ regum palatia ità dicuntur, ſicut ſcriptum est de Heſter: Stetit in atrio domùs regię, quod erat interius contra Baſilicam regis: Noſtra autem domus orationis, ideò regia dicitur, quia regi regum in ea ſeruitur, vel quia reges & ſacerdotes, id est, ſummi regis & ſacerdotis membra, qui motibus corporis imperant, & ſpiritales hoſtias immolant Deo: ibi regenerantur ex aqua & ſpiritu, & ſalutari nutriuntur doctrina. Abſida Græcè, Latinè lucida dicitur, quia lumen acceptum per arcum intromittit. Exedra, est abſida quædam, ſeparata modicùm quidem à templo vel palatio. Et dicta indè, quòd extrà hęreat: Græcè autem cyclon vocatur. Aram quidam vocatam dixerunt, quòd ibi incenſę victimæ arderent: Alij à precationibus, quas Græci aras vocant. Vndè & imprecationes * antara dicuntur. Altare autem, quaſi altæ arę nominatur. Porticus à porta, vel quòd ſit aperta, dicitur. Ad hoc maximè fit, vt per eam intretur & tranſeatur. Cœmeterium recubitorium vel dormitorium est mortuorum, qui & ideò ab Eccleſia dormientes dicuntur, quia reſurrecturi non dubitantur. Cryptæ, ſunt ſpecus ſubterranei, dictę à profunditate abrupta, ſicut & crepidines dicimus abruptas ſummitates quorumlibet corporum. Martyria vocabantur Eccleſiæ, quæ in honore aliquorum martyrum fiebant. Quorum ſepulcris & Eccleſijs, honor congruus exhibendus in Canonibus decernitur. Qui & loca, quę ſub incertis nominibus & reliquijs, vel tantùm mortuorum appellatione conſtruuntur, nullo honore colenda conſtituunt. Quod beatus Martinus & Germanus Pariſienſis ſuis leguntur confirmaſſe exemplis. Sacrarium dicitur, quia ibi ſacra reponuntur & ſeruantur. Analogium,

Basilice.

Heſter. 5.

Abſida.

Exedra.

Ara.

Altare. porticus.

Cœmeterium.

cryptæ.

Martyria.

Sacrarium.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Analogiũ; gium, quòd in eo verbum DEI legatur & annuncietur. Logos enim Græcè, verbum vel ratio dicitur. Pulpitum, quòd sit in publico statutum, vt qui ibi stant, ab omnibus videantur.

Pulpitum.

Ambo cancelli

Ambo, ab ambiendo dicitur, quia intrantem ambit & cingit. Cancelli videntur dici, quia minoribus columnis fiunt. Cancri enim vocantur maiores columnæ, & * maximę quadrę: vel Cancelli dicuntur à cubito, qui Græcè Ancos dicitur. Solent enim plurimi non altiùs cõstrui, quàm vt stantes desuper, inniti cubitis possint. Ianuę à Iano quodam dictę, cui gentiles omnem introitum & exitum consecrârunt.

*maxime

Ianuæ

Ostia Valuæ Fores portæ

Ostia ab obstando extrà positis, vel ostendendo aditum vocãtur. Valuæ, à voluendo: Fores, quòd forinsecùs sint positę. Portę, quia per eas portantur quęque & feruntur. Sunt autem ianuæ propriè, primi ingressus in domum: ostia, intra ianuam aditus ad loca quęlibet: Valuę, quę introrsùm voluuntur, id est, verruntur & complicantur, sicut fores quæ foràs vertuntur. Portæ autem propriè sunt murorum & atriorum. Camera dicitur à curuitate, quæ solet in his ædificijs fieri, quę cœmentitio opere desuper concluduntur. Hæc etiam à concaui tate superiori, ad similitudinem cuiusdam animalis, testudo nominatur. Græcè enim * camyron curuum dicitur. Lacunaria vel laquearia, pendentia sunt templorũ ornamenta, indè dicta, quòd luceant in aëre. Quia verò longum est, singulas sacrarum ædium partes exponendo percurrere, multiplex est in eis, æquè vt in cęteris structuris, nominum & specierum diuersitas: sufficiant hęc de eminentioribus earum partibus dicta. Ad cętera quæ restant, per hæc signa ingressuum, facilior studiosis patebit introitus.

camera:

Laquearia.

D

Quomodò Theotiscè domus Dei dicatur. Cap. 7.

Theotisca, id est, Teutonica.

DIcam tamen etiam secundùm nostram barbariem, quæ est Theotisca, quo nomine eadem domus Dei appellatur: ridiculo futurus Latinis, si qui fortè hæc legerint, qui velint simiarum informes natos, inter augustorum liberos computare. Scimus tamen & Salomoni (qui in multis typum gessit Domini saluatoris) inter pauones, simias fuisse delatas. Et Dominus qui pascit columbas, dat escam pullis coruorum inuocantibus eum. Legant ergò nostri, & sicut religione, sic quoq; rationabili locutione, nos in multis veram imitari Græcorum & Romanorũ intelligant philosophiam. Multæ res sunt apud singulas gentes, quorum nomina, ante cognitionem ipsarum rerum, apud alias incognita sunt. Sicq; fit sepissimè, vt rerum intellectus, alij ab alijs addiscentes, nomina quoquè & appellationes earum vel integrè, vel corruptè, cum noua intelligentia in suam propietatem trahãt. Vt ab

3.Reg. 10.

psalm.145.

Nomina ab Hebræis Gręci, Latini, & Barbari, Amen, Aleluia, & Osanna mutuati sunt. A Græcis, Latini & omnes qui libris Latinorum & lingua vtũtur, Ecclesiam, Baptismum, Chrisma, & omnium penè radices dictorum acceperunt. A Latinis autem Theotisci multa & in communi locutione, vt *schamel fenster lectar*: in rebus autem diuino seruitio adiacentibus penè omnia: Item à Græcis sequẽtes Latinos, vt *Kylch* calicem *Vatter* Pater, mater *Mutter*, genez à gynæceo, quę Græcè dicuntur κύλιξ, πατὴρ, μήτηρ, & γυναικῶν. Cùm in quibusdam horũ non solùm Latini, vt genitor & genitrix, sed etiam Theotisci proprias habeant voces, vt *atto* & *amatodo* & *toda* Ab ipsis autem Græcis *Kyrch* à Kyrios, & *Papst* à Papa, quod cuiusdã paternitatis nomen est, & Clericorum cõgruit dignitati: & *herr* ab eo quod est heros, & *monn* & *monath*, à μήν, & alia multa accepimus. Sicut itaque domus Dei, Basilica, id est, Regia, à Rege: sic etiam * Kyrica, id est, Dominica, à Domino nuncupatur: quia Domino dominãtium, & Regi regum in illa seruitur. Si autem quęritur, qua occasione ad nos, vestigia hęc Gręcitatis aduenerint, dicendum & Barbaros in Romana Republica militasse, & multos prædicatorum Gręcę & Latinę locutionis peritos, inter has bestias cum erroribus pugnaturos venisse: & eis pro causis, multa nostros, quæ prius non nouerant, vtilia didicisse, præcipueque à Gothis, qui & Getę, cùm eo tempore, quo ad fidem CHRISTI, licèt non recto itinere, perducti sunt, in Gręcorum prouincijs commorantes, nostrum, id est, Theotiscum sermonem habuerint. Et (vt historiæ testantur) postmodum studiosi illius gentis, diuinos libros in suę locutionis proprietatẽ transtulerint, quorum adhuc monumenta apud nonnullos habẽtur. Et fidelium fratrum relatione didicimus, apud quasdam Scytharum gentes, maximè Tomitanos, eadem locutione, diuina hactenùs celebrari officia. Hę autem permixtiones & translationes verborum, in omnibus linguis tam multiplices sunt, vt propria singularum iam non sint penè plura, quàm cum alijs communia, vel ab alijs transłata.

alijs linguis mutuata.

A

B

* Kyriaca

C

Translatio nes sacrarum literarum.

De Imaginibus & picturis. Cap. 8.

E NVnc iam de imaginibus & picturis, quibus decus Ecclesiarum augetur, dicenda sunt aliqua. Quia & earum varietas nec quodam cultu immoderato colenda est, vt quibusdam stultis videtur: nec iterùm speciositas ità est quodam despectu calcanda, vt quidam vanitatis assertores existimant. Quis enim sanũ sapiens, contra id quod scriptum est: Dominũ Deum tuum adorabis, & illi soli seruies. Et iterùm, Non facies tibi omnem similitudinem eorum, quę in cælo, vel in terra, vel in aquis sub terra sunt: putabit in tabernaculi vel templi constructione, feciſſe Moysen & Salomonem? Cùm & ille secundùm diuinam iussionẽ, cortinarum

Culeus imaginum

Deut. 6.

Exodi 20.

Exo. 26. 3.Reg. 6.

cortinarum varietatem & indumentum sacerdotale, diuersis ornauerit figuris: & iste secundùm sapientiam diuinitùs sibi attributam, picturis & sculpturis non tantùm animaliũ, sed etiam arborum & herbarum, penè omne opus templi distinxerit? Vterque insuper Cherubin similitudinem super Arcam & Propiciatoriũ statuerit? Cùm certum sit & illos ità sensisse, & nos ità sentire debere, quòd videlicet non sint Deo debitis cultibus & honoribus colẽda, quæ ab illis vel nobis facta sint vel fuerint, aut significandi alicuius mysterij causa: vt tabernaculi & templi structura omnis, aut ob commemorationem rerum gestarum, vt picturę historiarum: aut ob amorẽ eorum, quorum similitudines sunt, animis videntium arctius imprimendę, vt imagines Domini & Sanctorũ eius. Neque enim frustrà superiori sententiæ subiunctum est, Non adorabis, neq; coles ea. Vndè videlicet intelligamus, in his faciendis deuotionem & vtilitatem, qua commoueri vel instrui appetimus, non esse culpandum: sed in his colendis, superstitionem & hebetudinem, qua spiritalem cultum ad corporalia traducere erronei nituntur, esse damnandam. Sanè, si cui videtur ars pictorum vel fabrorum ob hoc culpanda, quasi ea quę ab ipsis fiunt, propter artis decorem & conuenientiam, ad cultum sui illiciant insipientes: poterit consequenter & DEI obtrectare facturis, quarè ipse vel luminaria cæli tanti splendoris, vel herbas & olera tantę creauerit venustatis & odoris: cùm ipsa sicut & aliæ creaturæ, à quibusdam errantibus, diuinis honoribus adorata sint & culta. qui error nõ auctori bonorũ ascribendus est, sed dæmonum persuasioni, & hominum consensui iniquo, qui bonis in malum abuti didicerunt. Notandum verò, quòd sicut quidam easdem imagines, vltrà quàm satis est, venerantur: ità alij, dum volunt cautiores cæteris in religione videri, illas vt quasdam idololatrię species respuunt, & præsumptionis fastu, simplicium corda scandalizant. Huius rei quæstio, apud Græcos sæpè tantas contentiones excitauit, vt sub Gregorio Papa iuniore, Constantinus Imperator apud Constantinopolim omnes imagines deposuerit: & sub Gregorio tertio Romæ Synodus sit facta contra supradictam (vt dixerunt) hæresim: in qua firmatum est, vt Sanctorum imagines, secundùm priscum Catholicæ Ecclesiæ ritum, restituerentur. Ipsa deniquè querela Græcorum, temporibus bonæ memorię Ludouici Imperatoris, in Franciã perlata, eiusdem Principis prouidẽtia scriptis Synodalibus est confutata. Quam etiam Claudius qui dam, Taurinensis Episcopus, sed in veritatis itinere, nominis sui similitudine nutabundus, inter cęteras vanitatum suarum ineptias, cupiens renouare, ante quàm diuersorum contra eum scribentium iaculis perfoderetur, suo iudicio damnatus interijt: & fortasse qui Imperatoris, fidelium veluti in numero contempsit ima-

Abusus cul pandus est, nõ res ipsa

Grego. 2.

Grego. 3.

Claudius Episcopus Taurinensis hæreticus.

A

B

C

D

E

ginem, ante tribunal ipsius, proteruitatis suæ pariter & inquietudinis pœnas exoluit. Non enim leuem iniuriam seculi potentes sibi putabant illatam, si imaginem suam vel nomen in quolibet numismate, à subiectis despici cognouerint & calcari. Non autem (quia populus Israel in deserto, vel Ieroboam Rex vitulorum fabricatione Deũ offenderant) serpens æneus, quem ex iussu Domini Moyses fecit, contemnẽdus erat: quippe cùm percussi à veris serpentibus, imaginarij serpentis contemplatione, sanarentur: Quem quia populus, semper ad idololatriam procliuis, postmodùm quadam superstitiosa veneratus est religione, Ezechias Rex Iuda religiosissimus legitur fregisse. Ergò cùm Christianus populus tanta sit in diuinis rebus docilitate, in interiora sapientiæ spiritalis inductus cellaria, vt non dicam picturã & imagines, sed ne ipsos quidẽ sanctos homines viuos vel mortuos, diuinis credat colendos honoribus, vel adorandos: Rogamus. n. Sanctos, non vt ipsi prestent per se, quę saluti nostrę necessaria sunt: sed vt ab auctore bonorũ, à quo est omne datũ optimũ, & omne donum perfectum, vtpotè illi proximiores meritis, & ideò certiùs audiendi, impetrent quę saluti petentiũ opportuna nõ nesciunt. Deum autem oramus, vt sua bonitate gratuita, meritis & intercessionibus sanctorum, quæ nobis iudicat cõmoda, largiatur. Et huic quidem vt Deo, Domino, iudici, creatori, omnipotenti, & saluatori, supplicamus: Illos verò, vt Dei amicos, Domini famulos, patronos, verè honoratos, & pleniter saluatos, in adiutoriũ vocamus. Tales esse preces fidelium, qui publicas Ecclesiæ orationes considerare norunt, dubitare non poterunt. Cũ itaq; talis sit Christiani perfectio sensus, non sunt omnimodis honesti & moderati imaginũ honores abijciẽdi. Si enim ideò, quia nouimus non adorandas nec colendas iconas, conculcãdę sunt & delendæ picturæ, quasi non necessariæ vel nociuæ: Ergò & quia credimus, quòd creator omnium, qui vbiquè est, & cælum & terram implet, non habitat in manufactis, destruẽda sunt templa, nè videamur parietibus & tectis inclusum credere creatorem: Sicq; poterit euenire, vt dum cauemus, nè vspiàm sit aliquid, vbi insipientium mens possit errare, nihil penè habeamus, quo vel deuotionẽ nostrã exerceamus, vel simplices & ignaros ad amorem inuisibilium trahere valeamus. Quantum autem vtilitatis ex picturę ratione proueniat, multipliciter patet. Primùm quidem, quia pictura est quædam literatura illiterato, adeò vt quidam priorum, legatur ex picturis didicisse antiquorum historias. Deindè (vt breuitatis causa prætermittã plurima) in gestis Syluestri Papæ legitur, Constantinũ Imperatorem, per* thoracidas Apostolorum, quòd ipsos in visione viderit, cognouisse. Et videmus aliquandò simplices & idiotas, qui verbis vix ad fidem gestorum possunt perduci, ex pictura passionis

Exod. 32. 3.Reg. 12. Num. 21.

4.Reg. 18.

Iac. 1.

Non sunt imagines delendæ.

Vtilitas ex picturis.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Dominicę, vel aliorum mirabiliũ ità compungi, vt lachrymis testentur, exteriores figuras cordi suo quasi * lituris impressas. Ergo sicut omnia munda mundis, coinquinatis autem & infidelibus nihil mundum, quia inquinatę sunt eorum & mens & conscientia: ità malis, omnes viæ offensionis plenę sunt. Et sicut boni etiam malis benè, sic mali etiam bonis malè vtuntur. Sic itaque imagines & picturę habendæ sunt & amandę, vt nec despectu vtilitas adnulletur, & hæc irreuerentia in ipsorum, quorum similitudines sunt, redundet iniuriam: Nec cultu immoderato fidei sanitas vulneretur, & corporalibus rebus honor nimiè impensus arguat nos minus spiritualia contemplari.

* literis

Tit. 1.

Conclusio de imaginibus.

De Templis & Altaribus dedicandis. Cap. 9.

Antiquissima exẽpla dedicandi Ecclesias.

QVòd templa DEI, dedicatione solenni consecranda sint, exemplis antiquorum & congrua ratione docemur: Quia & Iacob Patriarcha erexisse lapidem legitur, & oleo de supèr fuso vnxisse eum, & vocasse domum Dei: Idemq; super altare erectum inuocasse fortissimum Deum Israel. Tabernaculum autẽ Moyses & Salomon templum, celeberrimis dedicationibus consecrasse leguntur. Vndè in testimonium diuinæ ostensionis & visitationis, ignis de cęlo descendens, oblata consumpsit, & supra vtranque domum fumus ac nebula diuinæ protectionis apparuit.

Gen. 28.

Exod. 40. 3. Reg. 8.

Reiterata templi dedicatio.

Notandum verò, quòd nõ tantùm in prima constructione templi dedicatio est celebrata, sed etiam secundò vel tertiò, post euersionem & profanationem eiusdem templi, propter peccata populi perpetratam à Gentibus, cum reædificatum sub Zorobabel, siue sub Machabęis fuisset purificatum, iterata dedicatione subsecuta. Vndè ea, quæ nouissimè facta est hyemis tempore, vsque ad tempora passionis Christi obseruata cognoscitur, sicut scriptum est in Euangelio Ioannis: Facta sunt Encænia in Hierosolymis, & hyems erat, & reliqua. Nam cæteræ duæ alijs anni temporibus factæ, septimo videlicet & primo mense, narrantur.

Agg. 2.

1. Macah. 4

Ioan. 10.

De cons. dist. 1. cap. si motum

Inuenitur etiam Concilio Agathensi statutũ, vt altare vngatur & benedicatur. Hęc quidem & alia exempla dedicandorum habemus templorum & altarium, non minus ad hanc obseruantiam probabili ratione perducti. Si enim Pagani templa & statuas, erroris sui testimonia, dæmonijs deceptoribus suis, per quædam execramenta magis, quàm Sacramenta, deuouére & dedicare noscuntur, vt & suam deuotionem dijs, quibus placere desiderant, arctius insinuent, & ad se inuisendos dæmonum gratiam hac familiaritate sibi concilient: sicut legitur Nabuchodonosor Rex Babylonis fecisse dedicationem statuæ, quam erexerat in campo Duran. Quarè non potius nos, templa & altaria, nostræ religiositatis indicia, Deo saluatori nostro per illibata & vera Sacramenta dedicare curemus, vt & cum nostræ deuotionis officijs diuinæ maiestati placeamus: & ipse nos semper inuisere, & mansionem sibi in nobis facere dignetur, qui per Prophetam dicit: Pauete ad sanctuarium meum, & reliqua.

Dedicationes à Paganis factæ,

Dan. 3.

Ratio dedicandi tẽpla

Ioan. 14.

Leuit. 26.

Quid fieri debeat in locis Deo consecratis. Cap. 10.

QVid autem fieri debeat in locis Deo consecratis, Dominus per Prophetam & per seipsum manifestat, dicens: Domus mea, domus orationis vocabitur cunctis gentibus. Et Psalmista: Introibo in domum tuam, adorabo ad templum sanctum tuum, & multa his similia. Angelorum etiam præsentiam in locis talibus haberi, & Iacob agnouit, quandò scala in Bethel erecta, vidit Angelos ascendentes & descendentes. Et Dauid testatur, dicens: In conspectu Angelorum psallam tibi, & adorabo ad templum sanctum tuum.

Matt. 21. Esa. 56. Psalm. 5.

Gen. 28.

Psal. 137.

Vota etiam & sacrificia in his Deo offerri debere, & lex Moysis pleniter docet, & psalmista commemorat: Vota mea (inquiens) Domino reddam in conspectu omnis populi eius, &c. Doctrinæ quoquè verbum populo in Ecclesia dispensari, & Moyses ostendit, cùm ad ostium tabernaculi mandata Domini populo exposuit: & ipse Dominus in templo duodennis inuentus est, in medio doctorum sedens: Et creberrimè in Euangelio reperitur, in templo sermonem fecisse, sicut & in passione sua fatetur, se palàm in Synagogis docuisse & in templo, quò omnes Iudæi conueniunt. Sed & Petrus cũ Ioanne in templo orauit, & Paulus vota persoluit, & omnes Apostoli docuerũt. Vndè cùm eadem domus DEI, Oratoriũ dicatur, potest & à deprecationibus in ea faciendis, & à locutione doctrinę, ità dicta putari, quia oratio, id est, oris ratio, & nõ tãtùm humilis postulatio, verùm & rationabilis intelligitur hoc nomine locutio. Indè est quòd primi ordines in Ecclesia vtuntur orarijs, quia ad ipsos pertinet docendi officium. Et publici declamatores, ac sapientes dictionum compositores, Oratores vocantur. Baptismum quoquè ibi conuenientissimè celebratur, quia ante tabernaculum labrum, & ante templum mare ac decem lutheres positos legimus, in quibus & oblaturi sacerdotes, & victimarum carnes lauarentur. Et dignum profectò est, vt in Christi templo Christiani regenerentur.

Deut. 12. Psal. 115.

Deut. 5.

Luc. 2.

Ioann. 18.

Act. 3. Act. 21.

Exo. 30. 3. Reg. 7.

Quid item fieri non debeat. Cap. 11.

ALia verò negociorum carnalium, in Deo consecratis ędificijs opera, fieri non debere, vt non dicam, quæ nusquàm licent: sed & quædã alia, quæ alibi interdùm venialiter exercentur, indè esse mouenda, Dominus ipse ostendit, cùm zelo domùs Dei ductus, vendẽtes & emen-

Abusus in templis.

Ioan. 2. Hier. 11.

& ementes eiecit de templo. Et per Prophetã quodam loco queritur, dicens: Dilectus meus in domo mea fecit scelera multa. Apostolus quoq; Corinthios in Ecclesia dissensiones habentes, itemq; conuiuantes increpat, dicens: Primùm quidem conuenientibus vobis audio scissuras esse, & reliqua. & in consequentibus, Conuenientibus vobis in vnum, iam nõ est Dominicam cœnã manducare. Vnusquisq, enim suam cœnam præsumit ad manducandum. Et alius quidem esurit, alius autem ebrius est. Nũ quìd domos non habetis ad manducandum & bibendum? aut Ecclesiam Dei contemnitis, & confunditis eos, qui non habent? Et post multa subiungit: Itaque fratres mei, cùm conuenitis ad manducandum, inuicèm expectate. Si quis esurit, domi manducet, vt non in iudiciũ conueniatis. Et superius de inordinatis orantium gestibus prẽmittit: Hoc autem præcipio, non laudans, quòd non in melius, sed in deterius conuenitis. Vndè beatus pater Benedictus in regula Monachorum prẽcipit, vt Oratoriũ hoc fit quod dicitur, nec ibì quicquam aliud geratur aut condatur. Vbì ostenditur, eos culpabiles esse, qui nulla necessitate coacti, indigna ibì committunt, vel loca sancta in horrea & apothecas conuertunt: Cùm in Canonibus quoquè sępiùs sit interdictum, nè in Ecclesijs conuiuia vel prandia fiant, nisi quis itineris necessitate cogatur.

1. Cor. 11.

Regula S. Benedicti de Oratio.

De orandi modis ac distantia vocum. Cap. 12.

Qualis debet esse oratio.

QValiter autem orandum sit, idem pater breuibus verbis, & maximè istis concludit, dicens: Breuis & pura debet esse oratio, & non in multiloquio, sed in puritate cordis, & compunctione lachrymarum, nos exaudiri sciamus, & non in clamosa voce, sed in lachrymis & intentione cordis. Et item: Consideremus, qualiter in conspectu Diuinitatis & sanctorum Angelorum esse oporteat, & sic stemus ad psallendum, vt mens nostra concordet voci nostrę. Intelligamus ergò his exemplis, quid Dominus in templis suis fieri velit, vel quid prohibeat. Qui & filios Heli, propter scelera circa tabernaculum commissa, puniuit: & Annam matrem beati Samuelis, in secreto cordis, motu tantùm labiorũ sine strepitu vocis orantem, in filij petitione exaudiuit, ipsumq; Samuelem, quia fideliter in domo Domini ministrauit, reprobato sene, in Prophetam, sacerdotem, & ducem elegit. De cuius matre modestissima, & in oratione discenda est instantia humilis, & post orationem perseuerantia salutaris. Legitur siquidẽ de illa, quia vultus illius non sunt ampliùs in diuersa mutati. Qui enim aut in oratione aliud, quàm debet, petit: aut alio modo, quã magister humilitatis insinuat, deprecatur: vel orare nescit, vel minùs quàm potuit, proficit. Qui verò peracta oratione, vel ad malam consuetudinem, vel ad noua facinora, sine respectu mox prosilit, fructum orationis perdit. Nam quidam in oratione pectus pugnis pauimentant, caput contundunt, voces muliebri gracilitate submittunt: & in proximo vel verbis vel factis alios conturbare, & semetipsos non metuunt culpabiles exhibere. Hi nimirùm contra iudicem, quem orando honorant, moribus pugnant. De vocum autem differentia dicendum, illam esse diuinis laudibus aptam, quę qualitercunque sonuerit, ex bono thesauro cordis profecta, internę intentioni concordat. Nam & in bono legitur vox alta, dum dicitur in dedicatione templi Salomonis, vox Sacerdotum & Leuitarum in tubis, & hymnis exclamantium, longiùs sonuisse. & sancti martyres sub ara Dei, voce magna clamasse leguntur. Vbì quãuis intelligi possit, sicut & in alijs multis locis, illam esse magnã vocem, quæ quamuis sit sono humilis, ex bona deuotione procedit, sicut ad Moysen dicit Deus, Quid clamas ad me, cùm non legatur ibì aliquid clamasse: Tamen bonum est, & omni quiete præferendum, in laudem Dei decenter & simpliciter laborare. Cumq; omne genus laudationis diuinę, secundùm rationem exhibitæ, sit laudãdum: illud probabilius est dicendum, quod habuerit vanitatis & iactantiæ minimum. Lege libros confessionum sancti Augustini, & inuenies, quantum ille iudicauerit esse periculi in cantilenarum cum melodia dulcedine.

Vox apud Deũ valida

3. Reg. 8.

Apoc. 6.

Quõ clamatur ad Deum. Exo. 14.

Quibus prosit cultus diuinus, & quibus non. Cap. 13.

Quorũ cultus Deo gratus est.

SCiendum sanè, ità demùm templorũ & officiorũ sacrorum Deo vniuersorũ creatori, cultus esse acceptos, si hominum pectora, quorũ ob causã hæc sibi exhiberi permittit vel iubet, ipsius inhabitatione fuerint digna. In vanum enim ligna & lapides poliunt, qui mores non cõponunt. Frustrà dona & pecunias cõportãt, qui interiùs diuinæ subtilitatis oculũ non placant. Nam quia Iudæi Dominũ interiùs non audierunt, exteriora eorum cõtempsit & abiecit, per prophetam dicens: Reliqui domum meã, dimisi hæreditatem meam. Et per seipsum: Relinquetur vobis domus vestra deserta. Ergò ꝓpter peccata hominum loca sacrata à Deo negligi, testis est arca ab Allophylis capta, templũ totiès euersum vel ꝓfanatũ, & multę Christianorum Ecclesię nunc à barbaris vastatæ vel subuersæ, nunc ignibus vel fulminibus desolatæ, nunc terræmotibus vel turbinibus diruę. Vndè & Dñs per Hieremiam peccatori populo confidentiam vel maximam aufert, dicens: Nolite confidere in verbis mendacii, dicentes: Templum Domini, templum Domini, &c. Nõ solum autem Dei ꝓtectionem, sed etiã angelorum custodiam, & sanctorũ curam à locis quõdam sanctis discedere, cum prius habitatores vel cultores locorum à Deo discesserint: ex eo

Hier. 12. Matt. 23.

1. Reg. 4.

Loca sacra ꝓpter peccata deseruntur à Deo.

Hiere. 7

Universidad de Deusto
Biblioteca

certum est, quòd omnis militia sanctorum solio Dei assistit: & vbi Deus non fuerit, ibi esse non possunt. Secundùm gratiæ ostensionem dico, non secundùm diuinæ potentiæ immensitatem: quia neque infernalibus deest, qui cælum implet ac terram. Scribit enim Iosephus, imminente propter peccata vrbis excidio, auditam fuisse custodum inuisibilium vocem de interioribus templi, Transeamus ex his sedibus. Neque verò sacra loca illis prosunt, qui sanctitatem proiiciunt: sicut nec loca horrida obsunt his, qui Domini gratia proteguntur. Nam & in prædicta Hierusalem subuersione, omnibus malis attriti, suffusos lachrymis oculos retorquentes ad templum, liberari non meruerunt, sicut scriptum est: Clamauerunt, nec erat qui saluos faceret, ad Dominum: nec exaudiuit eos. Subiungitur enim in eodem Psalmo, quo merito: Filii alieni mentiti sunt mihi, & reliqua. Præsumptores enim & negligentes in locis sanctis mulctantur, vt Nadab & * Abiud, offerentes ignem alienum. Item Core cum seditiosis, ante tabernaculum igne Dei deuoratur. Heli sacerdos in loco sancto, fractis ceruicibus expirauit, Bethsamitæ in cõspectu Arcæ damnantur. Iuxta arcam permittitur Ioab, iuxta altare trucidatur. Ozias sacerdotium indignè vsurpans, lepra perfunditur. Econtrà humiles & Deum timentes, in locis infimis & exitialibus, iustitia tuente, saluantur. Ioseph in cisterna non perit, in carcere nõ dimittitur. Moyses in fluuio non necatur, Iob de sterquilinio erigitur, Hieremias de lacu cœnoso sustollitur, Daniel inter leones, Tres pueri inter ignem illæsi seruantur. Petrus liberatur de carcere, Paulus euadit de mari. Et quid ampliùs dicam? Iniquitas de cælo Angelos deiecit, Iustitia de inferno homines liberauit.

Iosephus de bello Iudaico lib. 7. c. 17.

Psal. 17. Percussi in loco sancto

Leui. 10. Num. 16.

1. Reg. 4. 1. Reg. 6. 3. Reg. 2. 2. Para. 26.

Gen. 37. & 41. Exod. 2. Iob. 42. Hier. 38. Dan. 6. & 3 Act. 12. Act. 27. Apoc. 12.

Iustas oblationes et magis virtutes quàm corporalia munera Deum desiderare. Cap. 14.

POstremò admonendi sacrarum structores ædium vel ornatores, vt suæ deuotionis affectum rebus iustè acquisitis ostendant: Quia Dominus per Prophetam testatur, se odio habere rapinam in holocausto. Et alibi scriptũ est: Qui offert victimam de rapina pauperis, quasi qui macter filium ante patrem. Et in Prouerbijs: Hostiæ impiorum abominabiles, quia offeruntur à scelere. Itemque, Honora Dominum de tuis iustis laboribus, & reliqua. Meminerit etiam Dauid Regem noluisse accipere aream Areuna Iebusæi, ad ædificandum altare Dño, ipso gratis dare volẽte nisi primùm iusti precij rependeret quantitatem. Et reuerà non est remediũ peccati, si contẽpto salutis præcepto, ipsius signa contemptus obijcias præcepto ri. Deindè qui iustè quidem offert, sed maiora & vtiliora legis mandata postponit, audit cum Cain: Nonne si rectè offeras, rectè autem non diuidas, peccasti? quiesce. Qualibus Saluator dicit: Vę vobis qui decimatis mentham & rutam, & omne olus: & quæ grauiora sunt legis, prætеritis misericordiam, iudicium, & veritatem. Hęc autem dicimus, non quò ædificantium & ornantium loca sancta deuotionem cul pemus, sed quò doceamus, eleemosynam in pauperes, huic præferendam. Quia vt beatus Hieronymus ait, Superstitiosum est, parietes auro fulgere, Christumq; ante ianuas fame & nuditate torqueri. Ipse enim ibi nos iubet thesaurizare, vbi neque ærugo, nec tinea demolitur: vbi fures non effodiunt, nec furantur. Et in iudicio veniens, non vtrùm Ecclesias ædificassemus, sed vtrùm membris eius minimis profuissemus, inquisiturus est.

Eleemosyna præferenda templorum ornatui.

Matt. 6.

Matt. 25.

Hæc quidem ornamenta, sanctum seculare Apostolus nominat: quia sunt alia quasi sancta cælestia, sicuti sunt ornamenta animarum: Quæ quo minùs apud homines habent splendoris, tantò plus apud Dominum habent meriti & mercedis. Legitur enim de B. Gregorio Papa, quòd, non sicut alij in extructione Ecclesiarum laborauerit, sed in doctrina & eleemosynarum largitate: quam non solùm apud suos, verùm etiam apud longè & in exteris principiis positos, exercere curauit. Si ergò in condendis vel ornandis sacris ædificijs, summa sanctitas esset, debuerunt earundem studiosissimi rerum, aliis qui minùs his faciendis insiterunt, meritorum præminere distantia. Sed quia legimus Moysen tabernaculi structorem, ad aquam contradictionis Dominum offendisse, & idcircò ad terram repromissionis non peruenisse: Salomonem quoque post singularem templi mirabilis extructionẽ, mulierum seductum amore, Domini incurrisse offensam. Vndè & regni eatenùs vniti potentia, à semine eius discissa, in aliam tribum pernicio sa diuisione partim concessit. Intelligimus, & omni postposita dubietate fatemur, ità cõstructionem sacrarũ ædium ex religiosa deuotione laudandam, vt tamen virtutes, quæ sunt spiritales structurę, & animarum in quibus Deus habitat, ornamenta perennia, his multùm prælatas. Quia terrena ornamenta, quantalibet formositate fingantur, sine virtutibus Deo vilescunt. Virtutes verò, quas & in Angelis suis diligit, etiam sinè materiali cõpositione semper ibi placere demonstrat, dicens per Michęam Prophetam: Indicabo tibi ò homo quid sit bonum, & quid Dominus quęrat à te: Vtiquè facere iudicium, & diligere misericordiam, & solicitum ambulare cum Deo tuo. Vndè multos sanctorum & ante vsum templorũ sacrorũ placuisse DEO. Alios verò, postquàm Deo per loca diuersa sanctuaria sunt constituta, in desertis & squalentibus locis commorãtes, scimus Omnipotenti Domino solis virtutibus militasse.

Greg. pauperum studiosior q̃ templorũ.

Num. 20.

3. Reg. 11.

Mich. 6.

Esa. 61.

Eccle. 34.

Pro. 21. pro. 3.

2. Reg vlt.

De

De Oblationibus veterum. Cap. 15.

HÆc de sacrorum fabricis & vsibus locorum, nos pro modulo tarditatis & ignauiæ nostrę commemorasse sufficiat. Nunc de sacrificijs & oblationibus, quę in eis Deo exhibentur, quod ipse dederit, adiungamus. Abel & Cain, primi Domino munera obtulisse leguntur: Ille quidem de naturalibus ouium, quas pascebat, fœtibus: de terrenis iste, quas arte & labore acquisuit, frugibus. Sed dona amborum non vna dignatione susceptа, quia dispari fuerant ratione oblata, testis est diuini censura respectus, & inuidentis fraternæ felicitati Cain vsque ad homicidij reatum prolapsa dementia. Noë quoque post diluuium, de mũdis animatibus obtulit Domino in odorem suauitatis. Abraham etiam & Iacob, & patientię Iob exemplar, sacrificia & holocausta Domino immolasse leguntur, Iam verò in lege quàm multiplicia sint oblationum præcepta, ex ipsis libris discendum est. Vbi quadrupedum & volucrum carnes & sanguis, terrę fruges, & fructus arborum, diuersis modis offerri iubentur. Quæ omnia, cum legalium obseruationũ vmbris, licèt Euangelij veritatem sua præfigurauerint exhibitione: tamen infirmo, & quasi carnem & sanguinem sapienti populo, imposita sunt eatenus obseruanda, donèc veniret Dominus legis & Prophetarum, & omnia quæ de se fuerant apertis vel mysticis dictis prænunciata, vel imaginarijs victimarum, sacrificiorum, & solennitatum ritibus præsignata, compleret: ità sanè, vt illucescente Euangelij veritate: nec credentes ex Iudæis ab illis obseruandis, quasi rebus sacrilegis & prophanis prohiberentur: nec de gentibus ad fidem venientes, ad ea suscipienda, quasi saluti Christianorum necessaria, cogerentur.

Gen 4.

Gen. 8.

Legalia ante aduentũ Christi, figuræ fuerunt.

De sacrificijs Noui testamenti, & cur mutata sunt per Christum sacrificia. Cap. 16.

ITaque Christus, qui credentibus finis est legis, carnis dispensationem subiens, legis statuta vt potè à Deo non respuit, quin potiùs in se, vt terminaret, expleuit. Noui verò testamenti, noua mysteria ad instruendum nouum hominem tradidit: Et morte sua vetera perficiens, resurrectione sua, noua firmauit. In cœna siquidem, quam ante traditionem suã vltimam cum discipulis habuit, post Paschæ veteris solennia, corporis & sanguinis sui Sacramenta in panis & vini substantia eisdem discipulis tradidit, & ea in commemorationem sanctissimę suæ passionis celebrare perdocuit. Nihil ergò congruentius his speciebus, ad significandam capitis atque membrorum vnitatem, potuit inueniri: Quia videlicet, sicut panis de multis granis aquæ coagulo in vnũ corpus redigitur, & vinum ex multis acinis exprimitur: sic & corpus Christi, ex multitudine Sanctorum coadunata, completur. Vnde consultè à prioribus statutum est, nè vinum in sacrificio sine aquę admixtione offeratur, vt videlicet per hoc indicetur, populos, qui secũdùm Ioannem aquę sunt, à Christo, cuius sanguis in calice est, diuidi non debere. Ergò nec vinum sine aqua, nec aqua sine vino offertur: quia nec Christus aliter, quàm pro populo suo passus est, nec aliter populus, quàm per passionem Christi potest saluari. Quia verò Christus sacerdos esse dicitur secundùm ordinem Melchisedech, quod Apostolus Paulus copiosissimè adstruit, salua multiplicium ratione figurarum, quibus idem sacerdos Dei summi, Iesus Christus filius Dei, qui semetipsum patri pro nobis obtulit, pnunciasse cognoscitur: congruum genus sacrificij Dominus noster, sacerdos verus, in corporis & sanguinis sui mysterium prouidere dignatus est, vt videlicet sicut Melchisedech ante circuncisionem & legis cęremonias, viuens ex fide, panem & vinum legitur obtulisse: ità ipse Dominus, Pontifex factus secundùm ordinem, non Aaron, sed Melchisedech, iustus, & iustificans eum, qui ex fide est, post expletionem legis, easdem species sacrificij fidelibus suis tradidit. Nec dubitemus, nos sine operibus legis, iustificari per fidem: dum illos imitamur libertate fidei & deuotionis, quos sine seruitute legis coactua, Deo cognoscimus placuisse per fidem. Ergò dum notus esset in Iudæa Deus, dumq; in vno tabernaculi vel templi loco sacrificia deberẽt offerri, præceptum est, vel potiùs permissum carnalibus, varias & sumptuosas oblationes exhibere, vt seruilis religio grauibus desudaret obsequijs. At verò postquàm super omnẽ terram laudabile nomen Domini illuxit, dumque in omnibus locis & gentibus, nõ speciale, sed generale sacerdotium geritur, tota fidelium vnitate, non in vnum corporaliter locũ, sed in vnam spiritaliter fidem concurrente, statutum est fidelibus, oblationes simplices Domino consecrare, quæ & veritatem mysterij continerent, & filios adoptionis nulla sumptuum difficultate comprimerent.

Aquæ admixtio.

Apoc. 17.

Heb. 9.

Grauiora & sumptuosiora fuerunt legis sacrificia, q̃ nostra.

Nouũ Test. sacrificiũ, in cœna ã Christo institutum.

Non est autem discutiendum ratione mortalium, cur hæc vel illa, isto vel illo tempore, quasi diuersa & discrepantia, ille, qui semper idem est, & mutari non potest, statuerit vel iusserit: cùm ipsorum conditor & ordinator temporum, quicquid in tempore fit, non temporali sapientiæ suæ ratione, sed æterna, iustè, conuenienter & vtiliter, quamùis sæpiùs occultè, disponat. Notandum tamen, quòd non de maioribus, fortioribus, sanctioribus, vtilioribus, ad minora, infirmiora, viliora, inutiliora genus humanum vocauerit: sed sicut persona filij seruis præmissis, vel angelis videlicet vel hominibus, naturæ suæ præminet maiestate: sic ipse in carne aduenies, illis maiora instituit,

Non scrutandum curiosè de factis Dei. Psalm. 101.

Ad meliora vocati sumus sacrificia.

Universidad de Deusto
Biblioteca

& à carnalibus ad spiritalia, à terrenis ad cæ- A lestia, à temporalibus ad æterna, ab imperfectis ad perfecta, ab vmbra ad corpus, ab imaginibus ad veritatem docuit transeundum.

De virtute Sacramentorum, & cur ab eis criminosi suspendantur.
Cap. 17.

Ioan.6. Vnio nostra ad christũ per Sacramentum.

IGitur cùm ipse filius Dei dicat, Caro mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus: ità intelligendum est, eadem redemptionis nostræ mysteria, & verè esse corpus & sanguinem Domini, vt illius vnitatis perfectæ, quam cum capite nostro, iam spe, posteà re, tenebimus, pignora credere debemus. Indè & Sacramenta, à sanctificatione vel secreta virtute, dicuntur. Vndè etiam criminum fœditate capitalium, à membris Christi deuiantes, ab ipsis sacramentis Ecclesiastico suspenduntur iudicio. Qui enim corpus & sanguinẽ Domini dignè manducat & bibit, designat se esse in Deo, & Deum in eo: Qui verò medicinam vel non habet, vel ea indignè vtitur, longè se à medico esse, languendo testatur. Non enim mentitur qui dicit, Nisi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis, & reliqua. Sciendum enim à sanctis patribus ob hoc vel maximè constitutum, vt mortaliter peccantes, à Sacramentis Dominicis arceantur, nè indignè ea percipientes, vel maiori reatu inuoluantur, vt Iudas, quem post panem temerè à Magistro susceptum, diabolus dicitur pleniùs inuasisse: vt crimen quod priùs scelerata præmeditatione conceperat, iam scelleratissimo consummaret effectu. Vel nè (quod Apostolus de Corinthijs dicit) infirmitatem corporis & imbecillitatem, ipsamq; mortem præsumptores incurrant. Et vt à communione suspensi, terrore eius exclusionis, & quodam condemnationis anathemate compellantur, studiosiùs pœnitẽtię medicamentum appetere, & auidiùs recuperandæ salutis desideriis inhiare.

criminosi non debẽt communicare.

Nè quis eõ municet indignè.

Excõmunicatio medicinalis.

Quid offerendum sit in altari.
Cap. 18.

QVamuis autem eorundem Sacramentorũ vsus, ab ipso Domino traditus, & ab Apostolis, Apostolicisque viris in totam Ecclesię Catholicę latitudinem sit transmissus: tamen primis temporibus, quosdam alia quędam genera oblationum offerre solitos, intelligimus ex Canonibus, & maximè Apostolorum, in quorum tertio capitulo ità scribitur: Si quis Episcopus aut presbyter, præter ordinationẽ Domini, alia quædam in sacrificio offerat super altare, id est, aut mel, aut lac, aut pro vino siceram, confectaq; quædam, aut volatilia, aut animalia aliqua, aut legumina, contra

canones Apostolorum.

constitutionem Domini faciens, congruo tẽpore deponatur. Et in quarto, Offerri non liceat aliquid ad altare, præter nouas spicas & vuas, & oleum ad luminaria, & thymiama, id est, incensum, tempore quo sancta celebratur oblatio.

Dum ergò quædam prohibentur offerri, ostenditur, ea à quibusdam (licèt extraordinariè) oblationibus adhibita. Vndè Eutychianus xxviij. sedis Romanæ præsul constituit, fruges super altare tantùm fabæ & vuę benedici. Et hæc idcircò fortasse, quia vino, sanguinis B Dominici mysterium celebratur: faba verò, abstinentium cibus est: Alias autem diuersarum species rerum statutum est vbilibèt benedici à sacerdotibus: vel si ad altare benedicenda quęlibet deferantur, speciali benedictione à consecratione Dominicorum Sacramentorũ omnimodis discernenda: vt sicut pro innumeris legis mandatis, breuiatum Euangelij verbum Dominus fecit super terram, ità pro diuersis sacrificiorum ritibus, simplex oblatio panis & vini fidelibus sufficiat, qui non in multitudine vmbrarum apparituram quærunt veritatem, sed eam in manifestatione factorum tenent perspicuam. C Vndè quorundam simpliciũ error de Iudaicarum superstitionum seminario natus, & ad nostra vsque tempora quędã vetustatis extendens vestigia, iam ex magna parte sapientium studio compressus est. Et sicubi adhuc pernicioſum huius pestis germen reuirescere fuerit comprobatum, mucrone spiritali radicitùs est amputandum: Illum dico errorem, quo quidam agni carnes in Pascha, iuxta vel sub altari eas ponentes, benedictione propria cõsecrabant, & in ipsa resurrectionis die, ante cæteros corporales cibos de ipsis carnibus percipiebant. Cuius benedictionis series adhuc à multis habetur. Quod quàm sit superuacuum, & à Sacramentis Christianæ perfectionis abhorrens, facilè perspicit, qui veraciter intelligit, quòd Pascha nostrum immolatus est Christus, & vult epulari non in fermento veteri, sed in azymis synceritatis & veritatis.

Benedictiones rerum corporalium.

Esa. 10.

Error de 2gno Paschali superstitiosus.

1. cor. 5.

Non ab alijs, quàm à ieiunis, communicandum. *Cap.* 19.

HOc quoque commemorandum videtur, quòd ipsa sacramenta quidam interdùm ieiuni, interdùm pransi percepisse leguntur, vt legitur in Canonibus Concilij Africani capitulo octauo, his verbis: Vt Sacramenta altaris non nisi à ieiunis hominibus celebrentur, excepto vno die Anniuersario, quo cœna Domini celebratur, & reliqua. Isti quidem eo die post prandium cõmunicandum esse censebant, quia Dominus post legalis paschæ cœnam, noui testamenti Sacramẽta legitur discipulis tradidisse. Alij verò, secta quadam singulari, nõ semèl in anno sicut superiores, sed crebriùs ante

Olim á nõ ieiunis cõmunicatio celebrata fuit.

ante Sacramentorum perceptionem cibis corporalibus refici debere iudicantes: post prandia & plenitudinem stomachi, quasi confirmati, sacris rebus necessitate corporea communicabant, vt testatur Socrates in historia sua Ecclesiastica, vbi de diuersis Ecclesiarum consuetudinibus faciens mentionem, post multas ieiuniorum & solennitatũ varietates, hæc inter cætera ponit: Sed etiam circa celebritatem collectarum, quædam diuersitas inuenitur. Nam dum per Ecclesias in vniuerso terrarum orbe constitutas, die sabbatorum per singulas hebdomadas sacrificia celebrentur, hoc B in Alexandria & Roma quidem prisca traditione non faciunt. Aegyptij verò Alexandriæ vicini, & Thebaidis habitatores sabbato quidem collectas agunt, sed non, sicut moris est, Sacramenta percipiunt. Nam postquàm fuerint epulati, & cibis omnibus adimpleti, circa vesperam oblatione facta communicant. Et paulò inferiùs: In Antiochia verò Syrię, altare non ad Orientem Ecclesiæ, sed magis ad Occidentem habent. De qua re etiam nos quidẽ superiùs disseruimus. Et hi quidem, inquit, singulis sabbatis, isti post prandium vel cœnã communicabant: Qua auctoritate id facere voluerint, non adeò liquet. Illud verò, quòd superiores in Anniuersario cœnæ Dominicæ pransi, communicare permissi sunt, ex occasione suprà expositа, emersisse videtur. Sed à sequentibus honesta & rationabili deliberatione statutum esse cognoscitur, vt omni tempore à ieiunis sacrosancta celebrentur mysteria. Non enim ideò priùs prandere, & posteà cõmunicare debemus, quia Dominus completor legis, auctor gratię, priùs legale Pascha perfecit, deindè Sacramenta Euangelica instituit: D Sicut nec priùs corporaliter cogimur circunci di, & postmodùm baptizari, cùm sciamus Dominum nostrum factum ex muliere, factũ sub lege, primò secundùm legis statuta circũcisum, ac deincèps ad expletionem omnis iustitiæ, lauacri salutaris subisse, nobisque consecrasse primordia.

Hist. Trip. lib. 9. ca. 38

Suprà c. 14.

Non licet ampliùs celebrari mysteria á nõ ieiunis.

Ergò à ieiunis semper celebrari debere eadem Sacramenta, & generalis totius iam cõprobat vsus Ecclesiæ, & dicta Synodi Bracarensis ostendunt. Vbi etiam suprà memorata in die cœnæ Dominicæ communicatio, post solutum ieiunium, anathematis interpositione abscinditur. Si itaque illo die, post prandium communicare non licet, cui & exemplum Domini, & quorundam assensus suffragari videbatur: multo minùs alijs temporibus licet, quibus horum neutrum cognoscitur attributum. Rationabile decretũ. Hoc autem ità fieri, non solùm honestas sobrietatis, per quam receptacula pectorum tãtæ sanctitati percipiendæ præparari conuenit, nè si indignè sumatur, in iudicium transeat medicina: sed etiam ratio necessitatis magna poscebat, quia videlicet prandentes ante cõmunicationem, proficiente (vt adsolet) in pe-

Omnia honestè & secũdùm ordinem fiãt in nobis. 1. cor. 14.

ius mala consuetudine, de paruis refectionibus, vsque ad ebrietatis ingluuiem, interdùm prolapsos credibile est. Et quid tam absurdũ, quàm tunc spiritalem atque vitalem percipere victum, cùm ex nimietate ingestorum, nec corporalia alimenta potest crapulatus honestè tractare? Apostolus autem præcipit, dicens: Omnia vestra honestè & secundum ordinẽ fiant. Quæ moderationes, quamuis in singulis sanctorum operibus necessariæ sint, tamen etiam atque etiam in sanctissimi sanguinis & corporis Dómini veneratione debent seruari, vt videlicet honestè, hoc est, humiliter pacem & charitatem in corde tenentes, ieiuni & sobrij, cum munditia corporis & cordis, quantùm fieri potest, ipsa sacramenta cõtingamus. Secundùm ordinem autem, vt sanctificationem eorum à cibis cæteris, vtpotè animæ vitã significantium, longè distare sciamus. Et primò horum consolatione refecti, deindè corporis sustentacula capiamus. Quòd autem neq; ante, neque post communicationem in Ecclesijs sit conuiuandum: & Canones discretè & manifestè loquuntur, & nos superiùs commemorauimus.

Sup. cap. xi.

Quòd alij rariùs, alij crebriùs, alij quotidiè communicandum dicant.
Cap. 20.

QVia verò de ratione Sacramentorum pauca perstrinximus, videtur subnectendum, qualiter ad quotidianam celebrationem corũdem mysteriorum vsus peruenerit. Et quoniã multiplex est eius rei apud doctores relatio, colligamus summatim, quæ possumus, ità vt nomina singulorum auctorum propter prolixitatem non ponamus. Nihil verò conemur adstruere, quod non vel ità legimus, vel ex lectione coniectauimus, vel veracium verbis percepimus, vel vsu insinuante cognouimus. Alij, vt ex patrum collationibus discimus, semèl in anno communicandum censebant, vt videlicet diuturna præparatione corpus & animam purificantes, tandem ad communionem mensæ cælestis dignè pertingerent. Et quidem horũ alij ipsam celebrationem annuam, in die cœnæ Dominicæ faciebant, vt ibi solùm Sacramẽtorum gratia iteraretur illorum, vbi primitùs est offensa. Vndè & ipsa die soluebant ieiunium, sicut in festis actitare solemus: & ante meridiem collectas explebant. Quod in Canonibus partim ostenditur, & penitùs prohibetur. Sed alijs cautioribus visum est, istos eo indigniores ad annuam suæ obseruationis celebritatem peruenire, quo se putabant longa dilatione defæcatos, quandoq; ad sacrorum perceptionem satis dignos accedere: meliusq; credebant, quamuis animus indignus sit, crebriùs iterari quę sancta sunt: Quia talis est illa spiritalis medicina, vt & sanos adiuuet ad perseue-

communicarunt alij semel in anno ex humilitate.

Spiritalis medicina.

Universidad de Deusto
Biblioteca

perseuerantiam sanitatis, & vulneratis subueniat ad redintegrationem virtutis. Et eo digniùs percipitur, quo percipientes per humilitatis custodiam substrati, nùquam se ad eius peceptionẽ satis dignos arbitrantur. Qui autẽ tardiùs secundùm iudicium spiritalium medicorum ipsi admitruntur medelæ, ideò ad tempus abstinere debent, nè præpropere incõgrua suis valetudinibus ingerẽtes medicamina, graviùs ægrotent: & quod aliis est reparatio, illis fiat damnatio. Alij omni Dominica vel omni sabbato apud Orientem & Hispanias Missas facientes, commemorationem passionis Dominicę omni septimana si facerent, sufficere credebant. Vndè etiam orationem Dominicam, quæ ab ipsis (vt credimus) Apostolis, vel Apostolorum temporibus, ante communicationem & panis fractionem dicebatur: quidam illo tantùm tempore recitandam crediderunt, quo sacrificia celebrabant. Quia panem illum, qui in eadem oratione petitur, supersubstantialem intelligi, non quotidianum, voluerunt. Et sic fiebat, ut qui semel per hebdomadam communicabant, semèl etiam orationem Dominicam recensèrent. Cyprianus autem quotidiè dicendam esse ostendit, dicens: Itaque in oratione Dominica panem nostrum, id est, Christum dari nobis quotidiè petimus, vt qui in Christo manemus & viuimus, à sanctificatione & corpore eius non recedamus. Item Hilarius: Et quia quotidiana oratio est, quotidiè quoquè panis vitæ, vt detur, oratur. S. Augustinus dicit: De quotidianis paruisq; peccatis, sine quibus vita hæc non ducitur, quotidiana oratio fidelium, satisfacit errori. Superioribus qui dem, ita vt prædictum est, complacuit: Aliis verò non solùm in Dominicis & festis generalibus, vt sunt Natiuitas, Epiphania, Pascha, Ascensio Domini, & Pentecoste: verùm etiam in Natalitiis Sanctorum, diuinorum munerum celebranda esse mysteria. Legitur enim Felix xxvij. Papa constituisse, vt super memorias Martyrum Missæ celebrarentur. Sed B. Gregor. Papa in ordine lxvj. præcepit, super corpus B. Petri Apostoli fieri Missas. His ita obseruatis, cœperunt iuniores tempore sequenti ferias ieiuniorum augere, veraciter intelligentes, panem illum quotidianum & quotidiè petendum, & quotidiè ab illis, quibus competit, offerendum & accipiendum. Quia verò Melchiades xxxiij. ordine, Romæ præsulatum agens, statuit, vt nulla ratione Dominico aut v. feria ieiunium quis fidelium ageret. Pagani enim his diebus quasi ieiunia frequentabant, ideò B. Gregorius supradictus, in dispositione officiorum anni, infra Quadragesimam, v. feriam vacantem dimisit, vt quia festiua erat veluti Dominica, etiã officio diei Dominicę celebris haberetur. Quæ v. feria, quoniam postmodum cœpit vt cæterę ieiuniis applicari, Gregorius Iunior statuit, eam Missis & orationibus esse solennem, & vndecumq; colligens, eiusdem diei augmen-

Alij nõ die Dñica communicarũt.

Panis noster quotidianus.

Quotidiana oratio.

Missæ in sanctorum Natalitiis.

Diuinorum offic. dispositio á Gregor facta.

tauit officia. Cùm ergò Hebræi carnales suas oblationes quotidiè ex iussione Domini celebrasse legantur, quarè non Christiani hostias suas spiritales quotidiè offerant, & in monimentum suæ salutis frequentent? Legimus etenim, B. Gregorio (cuius supra fecimus mentionem) testante, Cassium Narnien. Episcopum, post ordinationem suam, omni die sacræ oblationis hostiam Domino immolasse, & diuina dignatione, vt solitis instaret operibus, commonitum, ac magna promissionis gratia, ad perseuerantiam confortatum.

Quotidie celebrare Missam.

Gennadius autem Massilien. presbyter, in dogmate Ecclesiastico, quasi inter veteres & iuniores medius existens, id est, cum adhuc alij Dominicis tantùm, iam quoque nonnulli quotidianis communicarent diebus huiusmodi libramine sententiam suam temperat, vt quotidianam Eucharistię perceptionẽ nec laudare, nec vituperare se dicat: Omni verò Dominica communicare, si capitalia peccata non prohibeant, & mens in delectatione peccandi posita non sit, hortatur. Apud Græcos quoque, illi qui duas Dominicas vel tres sine communione transiérint, excommunicari dicuntur. Quia verò venerabilis Papa Siluester xxxiiij. à beato Petro, ferias Clerum habere docuit, vt sicut apud Paganos feriæ tantùm dies aliquibus festis insigniti dicebantur: (sic enim per Moysen dicitur, Hæ sunt feriæ Domini) ità Christianis & maximè clericis, omnes dies in ferias deputentur: videtur ratione plenissimum, vt per singulos dies, sacris occupemur officiis. Et* quantum mentis vel corporis grauiores maculæ non obsistunt, panem & sanguinẽ Dominicum, quibus sine uiuere non possumus, iugiter ambiamus, & desiderio illius tuitionis potiùs, quàm præsumptione nostræ puritatis, sumamus, imitantes primitiuæ Ecclesiæ studiũ salutare, de quo in Actibus Apostolorum ita scriptum est, Erant autem perseuerantes in doctrina Apostolorum, & communicatione fractionis panis, & orationibus. Et infra: Quotidiè quoque perdurantes vnanimiter in templo, & frangentes circa domos panem, sumebant cibum cum exultatione, & simplicitate cordis, laudantes Deum. Et iterùm, Omni autẽ die in templo & circa domos non cessabant, docentes & Euangelizantes Christum Iesum. Nota quòd dicit, priùs eos fregisse panem, ac deindè sumpsisse cibum.

Siluester ferias instituit.

Leuit. 23.

*quandò

Cõmunio quotidiana in primitiua Ecclesia

Act. 2.

Ibid.

Act. 5.

Vtrùm semèl vel sæpiùs in die offerre conueniat, & communicare.
Cap. 21.

Semel in die celebrare Missam.

Diuersitas autem quædam inter sacerdotes oboriri solet, Quia est talis, qui semèl tantum in die Missam celebrare velit, nimirùm credentes, idem mysterium passionis Christi, cũctarum necessitatũ esse generale subsidium: quia

quia vnus, qui dominator & iudex est viuorum ac mortuorum, semèl pro peccatis nostris mortuus est, ad multorum exhaurienda peccata. Alius verò bis, ter, vel quotiès liber, eadem mysteria in die iterare congruum putat, credentes tanto ampliùs Deum ad misericordiam flecti, quanto crebriùs passio Christi commemoratur. Et fortasse consuetudinem suam indè confirmandam existimat, quia Romanorum vsus habet, duas vel tres interdum vniùs solennitatis facere Missas: vt in Natiuitate Domini Saluatoris, & aliquorum festis Sanctorum. Siquidem Telesphorus nonus in ordine Romanæ sedis Episcopus, in Natali Domini noctù tres Missas celebrari constituit. Et reuera non esse absurdum crediderim, si dum plures in vna die faciendę sunt Missæ, vnus sacerdos duas vel tres necessitate, vel voluntate persuadente, celebret potiùs, quàm quasdam dimittat. Ad hoc accedit, quòd totius vsus Ecclesiæ habet, sæpius Missas agere pro viuis, pro defunctis, pro eleemosynis, & aliis diuersis causis, quod etiam officia his attributa testantur. In diebus itaque publica celebritate conspicuis, aut illæ diuersarum rerum necessitates sunt intermittendæ, aut concurrentibus sibimet, publica obseruatione & priuata necessitate, vtriusque expletio suis est discernenda officiis, vel (quod superius commemorauimus) vna oblatione diuersæ causæ sunt explendæ. Fidelium relatione virorum in nostram vsq; peruenit notitiam, Leonem Papam (sicut ipse fatebatur) vna die vii. vel ix. Missarum solennia sępius celebrasse. Bonifacium verò Archiepiscopum & martyrem, semèl tantùm per diem Missas feciſſe: Qui & non longè ante nostra fuerũt tempora, & ambo tam scięcia quàm gradu præcipui. Itaque vnusquisque in suo sensu abundet, dum fides concordet, vt nec sæpius offerentes, æstiment Deum aliter petitiones non posse discernere: nec semèl hostias per diẽ immolantes, putent suæ fidei subtilitatem potius quàm superiorum deuotionem diuinis acceptam conspectibus.

Plures vno die celebrare Missas.

Leo Papa sæpius, Bonifacius martyr semel in die celebrauit.

Rom. 14.

De ordine Missæ, & offerendi ratione.
Cap. 22.

QVoniam igitur, qualiter ad celebrationẽ quotidianam Missarum solennia peruenerint, qualitercumque monstrauimus, hinc de officio Missæ, quid, quando, & à quibus statutum sit, quantùm inuenire potuimus, exponamus. Quod nunc agimus multiplici orationum, lectionum, cantilenarum, & consecrationum officio, totum hoc Apostoli, & post ipsos proximi, (vt creditur) orationibus, & commemoratione passionis Dominicæ, sicut ipse præcepit, agebant simpliciter. Vndè circa domos, secundùm superius commemorata testimonia frangebant panem. Quod etiam alia sententia Lucas declarat, dicens: Vna autem sabbati, cùm conueniſſemus ad frangendum panem, & reliqua. Et relatio Maiorum est, ita primis tẽporibus Missas fieri solitas, sicut modò in Parasceue Paschæ (in quo die apud Romanos Missæ non aguntur) communicationem facere solemus, id est, præmissa oratione Dominica, & sicut ipse Dominus noster præcepit, commemoratione passionis eius adhibita eos corpori Dñico cõmunicasse & sanguini, quos ratio permittebat. Proficiente dehinc religione, amplius aucta sunt à Christi cultoribus officia Missarum, quòd vel pax præstita latius terminos propagauit Ecclesiæ, vel Sanctorum copia, vsu facta est conualescente frequentior. Quod & in sacrarum ædium constructione vel ornatibus ita prouenisse, iam diximus: non quòd aliqui sequentium, Apostolis fuerint scientia vel religiositate maiores: sed quia illi maximè curabant, ab infidelitate ad fidem, à tenebris homines ad lucem vocare; & in veritate stabiles reddere, ipsa facilitate religionis, meliùs quod volebant, rudibus persuadere potuerunt. Vndè etiam (sicut legitur) credentes primi de gentibus, legalium pondere mandatorum deprimi voluerunt. Multi itaque apud Græcos & Latinos Missæ ordinem, vt sibi visum est, statuerunt. Et Romani quidem vsum obseruationum à beato Petro principe Apostolorum accipientes, suis quique temporibus, quæ congrua iudicata sunt, addiderunt. quorum morem ideò in sacris rebus tam multæ gentes imitantur, quia & tanti magisterij ex apice Apostolico primordiis clarent, & nulla per orbem Ecclesia, æquè vt Romana, ab omni fæce hæreseon cunctis retrò temporibus pura permansit. Ambrosius quoque Mediolanensis Episcopus, tam Missæ quàm cæterorum dispositionem officiorum, suæ Ecclesiæ* & aliis Ligu ribus ordinauit. Quæ & vsque hodiè in Mediolanensi tenẽtur Ecclesia. Igitur ordinem Missæ Romanæ, vt possumus, exequamur. Antiphonas ad introitum dicere, Cælestinus Papa xlv. instituit, sicut legitur in gestis Pontificum Romanorum, cùm ad eius vsque tempora, ante sacrificiũ lectio vna Apostoli tantùm, & Euangelium legeretur. Litanię autem quæ sequuntur, id est, Kyrieleison & Christe eleison, à Græcorum vsu sumptæ creduntur: quia & Græca sunt verba, & ea ipsi Græci sæpius in suis iterant Missis. Hymnum autem Angelicum, in quo paucis verbis, quædam ab Angelis circa Natiuitatem Dominicam, in laudem Dei sunt prolata, sequentes sancti patres ad communem sanctæ & individuę Trinitatis laudationem, dulcissimas & congruentissimas dictiones addiderunt, vt sicut eius principium à cælestibus est ministris, ità etiam tota eius series diuinis esset plena mysteriis. Illum, inquam, hymnum ante sacrificium dici, Telesphorus ix. Romanorum præsul cõstituit, vt ad tãtæ sanctitatis celebrationem, congregatorum animi Angelicæ modulationis dulcedine

Quid fuit Missa tempore Apostolorum.

Act. 20.

Aucta cum tẽpore Missarũ officia

Act. 15.

Romani á Petro recepterunt ordinẽ Missę.

*aliis legibus

Introitus Missæ á Cęlestino.

Hymnus Angelicus á Telespharo.

Universidad de Deusto
Biblioteca

dine mulcerentur. Sed in hoc loco quæri po- A
test, Si idem hymnus huius Papę temporibus
ante sacrificium cœpit dici: cur longo tempore
post sub Cælestino legatur, tantùm ante sacri-
ficium lectionem Apostoli & Euangelium prę-
cessisse, vt ille necessariò de Psalmis Dauid an-
tiphonas, quæ ante ipsas lectiones cantarétur,
præposuisse videatur? Vbi respondendum est,
vel constitutum quidem fuisse à Thelesphoro,
vt idem hymnus in capite Missę diceretur, sed
apud posteros ipsam eius cõstitutionem inter-
missam, donec à sequentibus pleniùs totus or-
do Missæ componeretur: vel ita statutum ab B
eo, vt ipse hymnus in summis festiuitatibus &
à solis Episcopis vsurparetur, quod etiam in
capite libri Sacramentorum designatum vide-
tur, & ideò scriptum esse, vsque ad tempora
Cælestini ante sacrificium lectiones tãtùm ha-
bitas: vt subintelligatur, quàmuis ille hymnus
interdum ante missas diceretur, vt prædiximus,
non fuisse tamen, quòd iugiter in omnibus Mis
sis ab omnibus sacerdotibus ante lectiones po-
neretur, antequàm idem Cęlestinus antipho-
nas ad introitum dicendas instituit: vel ita po-
tuit euenire, vt idem Cælestinus, Sanctus, san- C
Alius hymnus angelicus. ctus, sanctus Dominus Deus, & reliqua ante sa-
crificium docuerit dicere, quòd nihilominus
hymnus Angelicus dici possit, quia principiũ
Esa. 6. eius Esaias Propheta Seraphim pronunciasse
commemorat: sed ab imperitis quibuslibet in
eodem loco, vbi Telesphorus dicitur hymnum
Angelicum ante sacrificium posuisse, additum
sit, Gloria in excelsis Deo, putantibus nullum
alium intelligi hymnum Angelicum, nisi quem
Angeli nato Domino cecinerunt. Quæ verba,
id est, Gloria in excelsis Deo, si non essent posi-
ta in capitulo Telesphori, non nasceretur quæ- D
stio suprascripta, & intelligeretur hymnus An
gelicus ille, qui ante actionem cantatur. Huic
assertioni videtur illud suffragari, quòd legi-
tur, Symmachum Iiij. Romanorum præsulem
constituisse, vt omni Dominica, vel Natalitiis
Gloria in excelsis, à Symmacho Sanctorum, Gloria in excelsis Deo, diceretur.
Aut enim (sicut prædiximus) illum hymnum
Telesphorus non apposuit, aut si fecit, statu-
tum illius longo tempore imperfectum reman
Collectæ, à diuersis. sit. Orationes, quas Collectas dicimus, quia
necessarias earum petitiones compendiosa bre
uitate colligimus, id est, concludimus, diuersi E
auctores, vtcumque videbatur congruum, con-
fecerunt. Solebant enim non solùm inter offi-
cia Missæ, verùm etiã in aliis orationibus con-
uenientibus, & collocutionibus, quo cæteris
aderant eminentiores, breui oratione opus cõ-
cludere. Quod & in Sanctorum patrum exem-
plis agnoscimus, dum alij alios honorificentię
causa, orationes colligere postulabant. Et ve
nerabilis doctor Augustinus in quibusdam ser
monibus suis ad populum, ita terminauit lo-
cutionem, vt diceret extremò, Conuersi ad
Dominum. Vbi intelligitur, oratione subiun-
cta, communem petitionem ad Dominum di-

rexisse: Sicut etiam nunc solent sacerdotes in
conclusionibus nocturnę vel diurnæ synaxeos,
orationes breues, id est, Collectas subiungere.
Sunt enim tales, vt non alibì quàm circa sacri
ficij celebrationem, sint dicendę. Sunt verò alię, Diuersitas Collectarũ
quibus & in officio Missæ, & non minus in aliis
locis possumus vti. Crescente autem (sicut prę-
diximus) religionis cultu diuinæ, crescebat etiã
paulatìm orationum & officiorũ Ecclesiæ com-
positio, multis & ex summa scientia, & ex me-
diocri, & ex minima addentibus, quæ congrua
rebus explicandis videbantur. Ideòque credi-
mus Concilis, Carthaginensi & Mileuitano
statutum, vt preces & orationes à quibuslibet
compositæ, nisi probatæ fuissent in Concilio,
non dicerentur. Nam & Gelasius Papa in or-
dine L I. ita tam à se, quàm ab aliis composi-
tas preces, dicitur ordinasse. Et Galliarum Ec
clesiæ suis orationibus vtebantur, quæ & adhuc
à multis habentur. Et quia tam incertis auc-
toribus multa videbantur * incerta, & sensus in- * inserta,
tegritatem non habentia, curauit beatus Gre-
gorius rationabilia quæque coadunare, & se-
clusis his, quæ vel nimia vel inconcinna vide-
bantur, composuit librũ qui dicitur Sacramen- Liber sa-
torum, sicut ex titulo eius manifestissimè de- cramentorũ à Greg.
claratur: In quo si aliqua inueniuntur ad hunc
sensum claudicantia, non ab illo inserta, sed
ab aliis minus diligentibus posteà credenda Epistola & Euangelij cur legun-
sunt superaddita. Lectiones Apostolicas, vel tur.
Euangelicas, quis ante celebrationem sacrifi-
cij primùm statuerit, non adeò certum est.
Creditur tamen à primis successoribus Aposto
lorum eandem dispensationem factam, ea præ-
cipuè causa, quia in Euangeliis eadem sacrifi-
cia celebrari iubentur: & in Apostolo, quali-
ter celebrari debeant, docetur: Et vt ante san- id est, ca-
ctissimæ * actionis mysterium, ex Euangelio nonis.
salutis, & fidei suæ recognoscerent fundamen-
tum: & ex Apostolo, eiusdem fidei & morum
Deo placentium caperent instrumentum. An-
teponitur autem in ordine, quod inferius est
dignitate, vt ex minoribus animus audientium
ad maiora sentienda proficiat, & gradatim ab
imis ad summa conscendat. Statuit autem Ana
stasius xlj. Papa, vt quotiescunque sanctum
Euangelium recitaretur, sacerdotes non recti,
sed curui starent, vt videlicet humilitatem, quę
à Domino docetur, etiam corpore demonstrarent.
Videtur autem, non alias lectiones ante
Euangeliũ fuisse tunc positas, nisi tantùm Apo
stoli Pauli, quas solùm nominauit, qui gesta
Pontificum scripsit, cùm Antiphonarum men-
tionem subiunxit, Quod ante non fiebat, nisi
tantùm Epistola beati Pauli Apostoli legeba-
tur, & sanctum Euangelium. Quod etiam san
ctus Damasus Papa ad Hieronymum scribens,
penè eisdem verbis ostendit. Et fortassè impri
mis solius Pauli lectiones eo loco legebantur.
Posteà autem omnibus latius augmentatis, alię
lectiones, non tantùm de nouo, verùm etiam
de veteri (prout festorum ratio poscebat) in-

termixtæ

Paulatim aucta officia. termixtæ sunt Testamento. Nec mirum videri A
debet, quòd paulatim aucta narrantur officia,
dum adhuc multa in rebus necessariis defuis-
sent: Cùm videamus vsque hodiè, & lectiones
& collectas, & diuersas laudum species, iam
penè abundantibus omnibus, superaddi, vt &
Dan. 12. in hoc illud Propheticum videatur impleri:
Pertransibunt plurimi, & multiplex erit scien-
tia. Sed videndum est (sicut beatus Augusti-
nus ait) vt ea cantentur, quæ scripta sunt vt
Graduale & Alleluia. cantentur: Responsoria, & Alleluia, quæ ante
Euangelium cantantur, deinde adiuncta viden
tur, postquàm antiphonæ ad ingressum dici ex- B
pirarunt, quæ & videntur prohibita Canoni-
bus Hispanorum, qui longo post tempore sunt
constituti. In illis enim iubetur, nè aliquis hym
nus inter lectionem Apostolicam, & Euange-
lium in ordine Missæ ponatur. Ex quo intelli-
gitur, id aliquos tentasse tunc temporis, sed
propter nouitatem rei, studiũ eorum nondum
fuisse à quibusdam receptum. Quod tamen po
steà vsu Romano commendatum, ad omnes La
tinorum peruenit Ecclesias. Symbolum quoq;
Symbolũ, non Nicæ nũ, sed Cõ stantinopo litanum est fidei catholicæ, rectè in Missarum solẽniis post
Euangelium recensetur, vt per sanctum Euan- C
gelium corde credatur ad iustitiam: per Sym-
bolum autem, ore confessio fiat ad salutem.
Et notandum, Græcos illud Symbolum, quod
nos ad imitationem eorum intra Missas adsu-
mimus, potiùs quàm alia, in cantilenæ dulce-
dinem ideò transtulisse, quia Constantinopo-
litani Concilij proprium est, & fortassè aptius
videbatur modulis sonorum, quàm Nicænum,
quod tempore prius est. Et vt contra hæreti-
corum venena, in ipsis etiam Sacramentorum
celebrationibus, medicamenta apud regiæ suę
vrbis sedẽ confecta, fideliũ deuotio replicaret. D
Felix ẽps sub Carolo Magno de hæresi damnatus Francfordiæ. Ab ipsis ergò ad Romanos ille vsus creditur p
uenisse. Sed apud Gallos & Germanos, post
deiectionem Felicis hæretici, sub glorioſissimo
Carolo Francorum Rectore damnati, idem
Symbolum latiùs & crebriùs in Missarum cœ-
pit officiis iterari. Concilio quoque Toletano
statutum est, omni Dominica idem Symbolum
secundùm morem Orientalium Ecclesiarum re
citari: vt priusquàm Dominica dicatur oratio,
fides vera manifestius testimonium habeat, &
ad corpus Christi ac sanguinem prælibandum,
Hymnus trium puerorum. pectora populorũ purificata accedant. In eius- E
dem loci Concilio statutum est, vt etiam hym-
nus trium puerorum, ad Missam omni Domi-
nica in pulpito cantaretur. Quod Romani, pro-
pter multiplicitatem officiorum, non faciunt,
Offertoriũ & antipho na cõienis. nisi quatuor per annum diebus, quibus lectio-
num XII. numerus adimpletur. Offertorium,
quod inter offerendum cantatur, quàmuis à
prioris populi consuetudine in vsum Christia-
norum venisse dicatur: tamen quis specialiter
addiderit officiis nostris, apertè non legimus,
sicut & de antiphona, quæ ad communionem
dicitur, possumus fateri: cùm verè credamus,
Priscis temporibus patres sanctos silentio obtu

lisse vel communicasse, quod etiam hactenus
in sabbato sancto Paschæ obseruamus. Sed si-
cut supradictum est, diuersis modis & partibus
per tempora decus processit Ecclesiæ, & vsque
in finem augeri non desinet. Traditur denique, Cãtus Gre gorianus.
beatum Gregorium, sicut ordinationem Missa-
rum & Consecrationum, ita etiam cantilenæ di
sciplinam, maxima ex parte in eam, quæ ha-
ctenus quasi decentissima obseruatur, dispositi-
onem perduxisse, sicut & in capite Antipho-
narij commemoratur. Sciendum autem, quos-
dam inordinatè offerre, qui attendentes nume Offerẽtes non debẽt abire ante Missę actio nem.
rum oblationum potiùs, quàm virtutem Sa-
cramentorum, sæpè in illis transeunter offerũt
Missis, ad quas persistere nolunt. Rationabi-
lius si quidem est ibi offerre, vbi velis persiste-
re, vt qui munus Domino obtulisti, offeras pa
riter pro eodem munere suscipiendo postula-
tionem deuotam. Non enim frustra in actio-
ne dicitur, Qui tibi offerunt: non dicit, Qui
obtulerunt, vt intelligamus eos persistere debe
re in offerendo, donèc oblata ad hoc perue-
niant, ad quod oblata sunt. Sed & in hoc er- Vna oblatio Missæ pro multis fieri potest
ror non modicus videtur, quòd quidam se non
posse aliter plenã commemorationem eorum C
facere, pro quibus offerunt, nisi singulas obla
tiones, pro singulis offerant, vel pro viuis &
defunctis non simul ęstimant immolandũ, cùm
verè sciamus, vnum pro omnibus mortuum, &
vnum panem esse & sanguinem, quem vniuer-
salis Ecclesia offert. Quòd si cui placet, pro sin Offerre singulatim ꝓ singulis quõ liceat.
gulis singulatim offerre: pro solius deuotionis
amplitudine, & orationum augendarum dele-
ctatione id faciat, non autem pro stulta opina-
tione, qua putet vnum Dei Sacramentum non
esse generale medicamentum. Quodam modò
enim in fide imperfectus est, qui putat Domi-
num non discernere, quãdo vna petitione pro
multis rogatur, quid cui sit necessè: vel fasti-
dire eum ęstimat, cùm eadem oblatio nũc pro
vno, nunc pro alio exhibetur. Præfationem
actionis, qua populi affectus ad gratiarum a-
ctiones incitatur, ac deindè humanæ vocis sup
plicatio, cælestium virtutum laudibus admitti
deposcitur, vel ipsam actionem, qua confici-
tur sacrosanctum corporis & sanguinis Domi-
nici mysterium, (quam quoque Romani Ca-
nonem, vt in Pontificalibus sæpiùs inuenitur,
appellant) quis primus ordinauerit, nobis igno E
tum est: Auctam tamen fuisse, non semèl, sed
sæpiùs, ex partibus additis intelligimus: quia
& præfatio in quibusdam festis aliter, quàm
diebus quotidianis dicitur: Et interdùm non ip
sa mutatur, sed inseruntur in medio speciales
quarumdam rerum commemorationes. Actio Actio seu canon Mis sæ.
verò siue Canon ex eo cognoscitur maximè per
partes compositus, quòd nomina sanctorum,
quorum ibi communio & societas flagitatur,
duobus in locis posita reperiuntur. Non enim Duo ordi nes sancto rum nomi num in ca none.
verum est, quod quidam dicunt, Ideò duos or
dines nominum ibi factos, quia posteriùs po-
siti nondùm coronati fuissent, cùm priores in

illo

Universidad de Deusto
Biblioteca

illo Canone ponerẽtur, cùm sciamus Ioannem Baptistam, ipsis Apostolis non tantùm parem tempore, verùm & priorem: Stephanum verò parem, & vtrumq; ante Apostolos coronatum. Cæteros quoque, qui in sequenti ordine numerantur, eisdem fuisse temporibus, quibus fuére, qui priùs sunt positi. Vndè constat, sequentes Ecclesiæ Doctores, antiquis Patrum statutis, quæ congrua visa sunt, addidisse, vt sicut religiosorum aucta est multitudo, ità & religionis crescerent instituta. Primam verò partem Canonis prædicti, ex eo vel maximè antiquam esse cognoscimus, quia in eo ordo Apostolorum non ita est positus, sicut in emendatioribus Euangeliis inuenitur. Quod ideò fortassè euenit, quia pars illa prius composita est, quàm Euangelia ad eam veritatem, quæ nunc habetur apud Latinos, corrigerentur. In prioribus enim editionibus (vt Hieronymus testis est) non solùm Euangelistarum mutatus est ordo, sed etiam verborum & sententiarum erat confusa commixtio. Alexander, septimus Papa in numero, miscuit passionem Domini in precatione sacerdotum, quando Missæ celebrantur. Quod cum ita de eo in Pontificalibus scriptum sit, dubium videtur, vtrùm ille eam tantùm partem actionis, qua passio Domini commemoratur, ordinauerit, vel totam à capite vsque ad ipsum locum. Sed huic secundæ æstimationi videtur contrarium, quòd in ea parte sancti nominantur, qui & ante illum, & qui post illius tempora longè fuerunt: nisi dicamus, ab illo eos tantùm, qui ante illum fuerunt, commemoratos: Cæterorum verò nomina, suis quæque temporibus, ab aliis superim mista. Vndè & ipsius nomen Alexandri in sequenti ordine reperitur. Gregorius verò (de quo superiùs sæpiùs fecimus mentionem) augmentauit in precatione Canonis, Diesque nostros in tua pace disponas: Vbì quidam volunt intelligi, totam ab eo loco canonis consequentiam, vsque in finem, per illum fuisse compositam. Cui sensui repugnare videtur, quòd passio Domini, quam Alexander eidem precationi inseruit, post hos versus habetur. Vndè nonnulli credunt, non ampliùs Gregorium, quàm illas tres petitiones, id est, pro pace temporum, & ereptione ab æternis suppliciis, & consortio sanctorum obtinendo, prioribus superaddidisse statutis. Leo quoque xlvij. loco apud Romanos Pontificatum agens, constituit, vt intra Actionem sacrificij diceretur, Sãctum sacrificium, & reliqua. De hoc etiam quæri potest, vtrum ab eo loco, quæ sequuntur addiderit, vel ipsa tantùm verba, id est, Sanctum sacrificium, immaculatam hostiam, eo loco intermiscuerit. Quod quia manifestè non legimus, nolumus diffinire. Ex hoc tamen appáret, Gregorium, qui longè post Leonem fuit, non totum Canonem, ab eo loco quo sua inseruit, vsque in finem composuisse. Gregorius deindè iij. eiusdem nominis Papa, facieus oratorium in Basilica beati Petri in honorem omnium Sanctorum, & quotidiana ibidem officia, ac Missas in eorum veneratione constituẽs celebrari, pariter instituit in Canone à sacerdote dicendũ: Quorum solẽnitas hodiè in conspectu tuæ maiestatis celebratur, Domine Deus noster, toto in orbe terrarum: quod quia specialiter ad illam pertinet celebritatem, non est Canoni, qui generaliter dicitur, adnotatum. Actio dicitur ipse Canon, quia in eo sacramenta conficiuntur Dominica. Canon verò eadem actio nominatur, quia in ea est legitima & regularis Sacramentorum confectio. Sequitur oratio Dominica, cum appositionibus cõgruis. Vna enim præcedens, eam fiduciam prædicat, qua Dominum creatorem, patrem dicere præsumamus: altera subsequens explicat, quo modo, & à quibus malis, per Dominum nos liberari petamus. Quæ oratio Dominica, quia priùs quàm cætera, in cõsecratione sacrificiorum assumpta est, in expletione eiusdem sacratissimę actionis dignè ponitur: vt per hanc purificati, qui communicaturi sunt, quæ sanctè confecta sunt, dignè ad salutem veram percipiant. Pacem ante communionem dari, Innocentius Papa decretis suis instituit: scilicet, vt quod in oratione sancta sub sponsione remissionis permittimus, pacatos nos ipso opere demonstremus. Agnus Dei in confractione corporis Domini, à clero & populo decantari Sergius lxxxvj. Romanorum Antistes constituit, vt dum præparatur ad dispensandum corpus Dominicum, rogent accepturi, quatenus ille, qui pro eis oblatus est innocens, faciat eos salubriter pignora salutis æternę percipere. Porro quòd Canones præcipiunt, eum ad pacem non accedere, qui non communicat, quidam sic intelligunt: Quòd non debeat pacem accipere quis in aliis Missis, nisi in quibus communicat. Alij verò volunt, illum tantùm à pace prohiberi, qui iudicio sacerdotali à cõmunione suspensus est. Illum autem, qui quadam ratione* illo tempore differt communicationem, cùm tamen non sit extra communionem, non debere à pacis gratia separari, nè humilitas eius, grauiorum criminum suspicione notetur. Et quia de communicandi varietate quædam præmisimus, hoc addendum videtur: Esse quosdam, qui semèl in die communicare, etiam si pluribus interfuerint Missis, pro dignitate Sacramentorum sufficere credãt: Esse verò alios, qui sicut in vna, sic in omnibus quibus affuerint Missis, in die communicare velint. Quorũ neutros culpandos existimo, quia sicut Augustinus ait de his, qui quotidiè communicant, & illis qui rariùs, Istos reuerentia sanctarum retrahit rerum, illos verò amor salubrium inuitat sacramentorum. Nam & ipse sacerdos, quoties in die Missas facit, communicare non omittit. Quod si non faciat, Canonico est feriendus iudicio. Et hoc non est mirum, ita de sacerdote Cæsarauguſtano & Toletano, communiter

Antiquitas sacri Canonis.

Additio Alexandri papæ I.

Additio Gregorij I.

Additio Leonis I.

Additio Gregor. iij.

Oratio Dominica in Canone.

Oſculum pacis. Innoc. I.

Agnus Dei

Pacem accipere possunt etiam ij, qui non cõicant, ni si fuerint excõicati.

* tempore

An vno die sæpius cõicare liceat. Supra c. 19.

De cons. d. 2. c. Relatũ

municer sit statutum de omnibus, vt qui acceperit Eucharistiam, & non sumpserit, quasi sacrilegus repellatur. Est autem legitimum tempus communicandi, ante vltimam orationem, quæ dicitur ad complendum: Quia eius petitio maximè pro eis est, qui communicant. Vndè etiam eorum, qui per singulas Missas communicare volunt, accendi videtur voluntas. Quia per totã Missam pro eis quàm maximè, & quasi nominatim oratur, qui ibi offerunt atq; communicant. Possumus autem & debemus (vt eadem sancta Missarũ celebratio, non paucis, sed multis prodesse credatur) dicere: cæteros in fide & in deuotione offerẽtium & communicantium persistentes, eiusdem oblationis & communionis dici & esse participes. Quamuis autem, cùm soli sacerdotes Missas celebrant, intelligi possit, illos eiusdem actionis esse cooperatores, pro quibus tunc ipsa celebrantur officia, & quorum personam in quibusdã Responsionibus sacerdos exequitur: tamen fatendum est, illam esse legitimam Missam, cui interstant sacerdos, respondens, offerens, atque communicans, sicut ipsa compositio precum, euidenti ratione demonstrat. Statutum est autem Aurelianensi Concilio, vt populus ante benedictionem sacerdotis non egrediatur de Missa. Quæ benedictio intelligitur illa vltima sacerdotis oratio.

Quandò in Missa communicari solet.

si non oẽs cõicant.

si solus sacerdos cõicat.

De tempore Missæ. Cap. 23.

TEmpus autem Missæ faciendæ, secundùm rationem solennitatum, diuersum est. Interdũ enim ante Meridiem, interdum circa nonam: aliquando ad vesperam, interdum noctu celebratur. Nam Telesphorus Papa constituit, vt nullo tempore ante horæ tertiæ cursum, vllus præsumeret Missam celebrare: qua hora Dominus noster, secundùm Marci Euangelium crucifixus asseritur. Inter hæc notandum, neque ieiunandum in Dominicis & festis maioribus, vti non cogit necessitas, sicut & canones ostendunt: nec in diebus ieiuniorum, vel vnquã post meridiem, Hymnum Angelicum, id est, Gloria in excelsis Deo, * vel Alleluia dicendum, nisi in duobus sabbatis Paschæ & Pentecostes, quæ specialibus mysteriis adornantur.

Quo tẽpore celebrãda est Missa.

Marc. 16. Alia est observatio in diebus festis, quàm est in diebus ieiunij. * &

De Vasis & Vestibus sacris. Cap. 24.

VAsa quoque, quibus præcipuè nostra Sacramenta imponuntur & consecrantur. Calices sunt & Patenæ. Calix dicitur à Græco nomine κύλιξ. Patena à patendo, quod patula sit. Ampulla, quasi parum ampla. Zepherinus Rom. Pontifex xvj. patenis vitreis Missas celebrare constituit. Tum deindè Vrbanus xviij. Papa, omnia ministeria sacrata, fecit argentea, & patenas * 25. In hoc sicut & in reliquis cultibus, magis & magis per incrementa temporum, decus succreuit Ecclesiæ. Bonifacius martyr & Episcopus interrogatus, Si liceret in vasis ligneis sacramenta conficere, respondit: Quondam sacerdotes aurei, ligneis calicibus vtebantur: Nunc ècontra, lignei sacerdotes aureis vtuntur calicibus. Syluester Papa cõstituit, Sacrificiũ altaris non in serico, nõ in panno tincto celebrari, nisi tantùm lineo è terra procreato: sicut corpus Domini Iesu Christi in sindone munda sepultũ est. Vestes etiã sacerdotales per incrementa ad eum, qui nunc habetur, auctæ sunt ornatum. Nam primis tẽporibus communi indumento vestiti, Missas agebant, sicut & hactenus quidam Orientalium facere perhibentur. Stephanus autem xxiiij. constituit, sacerdotes & Leuitas vestibus sacratis in vsu quotidiano non vti, nisi in Ecclesia tantùm. Et Syluester ordinauit, vt diaconi Dalmaticis in Ecclesia vterentur, & pallio linostimo eorum læua tegeretur. Et primo quidem sacerdotes Dalmaticis ante casularum vsum induebãtur: posteà verò cum Casulis, vti cœpissent, Dalmaticas diaconibus concesserunt. Ipsos tamen Pontifices eis vti debere, ex eo clarum est, quòd Gregorius vel alij Romanorum præsules, aliis Episcopis earum vsum permiserunt, aliis interdixerunt. Vbì intelligitur non omnibus tunc fuisse concessum, quod nunc penè omnes Episcopi, & nonnulli presbyterorũ sibi licere existimant, id est, vt sub Casula, Dalmatica vestiantur.

Statutum est autem Concilio Bracarensi, Nè sacerdos sine orario celebret Missam. Addiderunt in vestibus sacris alij alia, vel ad imitationem eorum, quibus veteres vtebantur sacerdotes, vel ad mysticæ significationis expressionẽ. Quid enim singula designent, quibus vtimur nunc, à prioribus nostris satis expositũ est. Numero autẽ suo antiquis respõdẽt: Quia sicut ibì tunica, superhumeralis linea, superhumerale, rationale, balteus, feminalia, tiara, & lamina, sic hìc dalmatica, alba, mappula, orarium, cingulum, sandalia, casula, & pallium. Vndè sicut illorum extremo soli Pontifices, sic horũ vltimo summi tantùm pastores vtuntur.

Calix & patena.

* for. 4. &c.

Dictum celebre Boni facij marr.

sacrarum vestiũ vsus.

Dalmaticæ

Additio in vestibus sacris.

Numerus vestiũ vete. & noui Testamenti.

De horis Canonicis, & genuum flexione. De Hymnis item & Cantilenis, & incrementis eorum. Cap. 25.

PRæmissis his, quæ de ordine Missæ videbantur dicenda, de Canonicarum statutis horarum, quæ Dominus dederit, adiungamus. Sciendum est, multa post reuelationem Euangelij, tempora transisse, antequam ita ordinarentur quarumdam per diem & noctem horarum solennia, sicuti nunc habentur. In veteri autem testamento legimus, quasdam certas orationis horas, vt tempus matutini & vespertini sacrificij. Et quod Daniel legitur ter in die genu in oratione flexisse, nõ absq; ratione

Institutio horarũ Canonicarum

Exod. 29.

Dan. 6.

Universidad de Deusto
Biblioteca

tione feciſſe credendum eſt. In nouo quoque, non tantùm orandi, ſed etiam genua flectendi, copioſa reperiuntur exempla. Nam Dominus Ieſus Chriſtus ante paſſionem ſuam, procidens in faciem ſuam, adorauit Patrẽ. Et Stephanus, poſitis genibus, pro lapidantibus exorauit. De Bartholomæo etiã legitur Apoſtolo, quòd centiès in die, centiès in nocte flexerit genua. Quãuis autẽ geniculationis moré tota ſeruet Eccleſia, tamen præcipuè huic operi Scotorũ inſiſtit Natio: quorum multi pluribus, multi pauciori-bus, ſed tamen certis vicibus, & dinumeratis per diem vel noctem genuflectentes, non ſolùm pro peccatis deplorandis, ſed etiam pro quotidianæ deuotionis expletione, ſtudium iſtud frequentare videntur. Quibus autem horis vel temporibus inter publica officia ſine genuum flexione orandum ſit, Canones loquuntur, id eſt, in Dominicis & feſtis maioribus, & Quinquageſima, iuxta quos Canones, publicè pœnitentes, ſemper genua flectere debent. Horæ igitur Canonicæ, quamuis omnes rationali auctoritate celebrentur, & nihil in eis obſeruetur, quod non exempla vel dicta Sanctorum patrum confirment, tamen quædam manifeſtioribus ſunt dedicatæ documentis, vt ipſum Dominum noſtrum in oratione legimus pernoctaſſe: Paulum quoque & Silam noctis medio oraſſe in carcere, terræmotus oſtendit. Circa tertiam in Apoſtolos orantes Spiritus ſanctus deſcendit. Hora ſexta Petrus aſcendit in cœnaculum, vt oraret: itemque cum Ioanne in templum ad horam orationis nonam, in qua etiam oranti Cornelio Angelus apparuit. Teſtis enim etiam Philo, primitiuam apud Alexandrinos Eccleſiam inter alia bona, hymnos ante Gallicantus lucanos celebraſſe. Ex his itaque & ſimilibus intelligimus, apud multos horas, quæ & nunc celeberrimæ ſunt, obſeruatas: ſed nõ ea diſtributione Pſalmorum vel orationum, qua nunc vtimur. Quam & circa tempora Theodoſij ſenioris inchoatã, ac deinceps exple tam multis animaduertimus cauſis. Ambroſius enim Mediolanenſis (vt in libris confeſſionum ſuarum, beatus Auguſtinus teſtatur) hymnos diuinæ laudationis populo componens, perſecutionem Iuſtinæ Auguſtæ, rerum nouitate leniuit. Quo in tempore (ſicut etiam in vita ipſius Ambroſij ſcribitur) Antiphonæ, Hymni & Vigiliæ, in Eccleſia Mediolanenſi celebrari cœperunt. Hilarius quoque Pictauienſis hymnos compoſuit. Et de Gelaſio Papa ſcribitur, quòd tractatus & hymnos in morẽ B. Ambroſij compoſuerit. Damaſus verò conſtituit, vt pſalmi die noctuq; canerentur per omnes Eccleſias vel Monaſteria: & præcepit hoc Epiſcopis & preſbyteris. Deindè Ioannes Conſtantinopolitanus primus auxit in nocturnis hymnis orationes, ob hanc vel maximè cauſam: Arriani extra ciuitatem collectas agebant. Sabbato autem atque Dominica intra portas & porticus congregati, hymnos & antiphonas ex Arriano dogmate compoſitas, decantabant: Et hoc maxima noctis parte facientes, diluculo cum ipſis Antiphonis, per mediam ciuitatem egreſſi portam, ad ſuam Eccleſiam concurrebant. Cumque hoc crebrò, quaſi ad vituperationem Orthodoxorum, facere non ceſſarent, (Frequenter enim etiam hoc cantabant: Vbi ſunt, qui dicunt tria virtute vnum?) tunc Ioannes, nè ſimplices huiuſmodi cantibus traherentur, inſtituit ſuum populũ, vt & ipſi nocturnis occuparentur hymnis: quatenus & illorum obſcuraretur opus, & fidelium profeſſio firmaretur. Studium ergò Ioannis nimis vtile, cum turba periculisque finitum eſt. Hæc in decimo libro Hiſtorię Eccleſiaſticę, quæ Tripartita dicitur, ità inſeruntur: in quibus & hoc ſubnectitur paulò inferius: Dicendum tamen eſt, vndè ſumpſit initium, vt in Eccleſia Antiphonæ decantentur. Ignatius Antiochiæ Syriæ, tertius poſt Apoſtolum Petrum Epiſcopus, qui etiam cum ipſis degebat Apoſtolis, vidit Angelorum viſionem quomodò Antiphonas ſanctæ Trinitati dicebant & Hymnos: Isque modum viſionis Antiochenę tradidiſſe probatur Eccleſiæ, & ex hoc ad cunctas tranſiuit Eccleſias. Notandum autem, Hymnos dici non tantum qui metris, vel rhythmis decurrunt, quales compoſuerunt Ambroſius, Hilarius & Beda Anglorum pater, & Prudentius Hiſpaniarum Scholaſticus, & alij multi: verùm etiam cæteras laudationes, quæ verbis conuenientibus, & ſonis dulcibus proferuntur. Vndè & liber Pſalmorum, apud Hebræos liber hymnorum vocatur. Et quamuis in quibuſdam Eccleſiis hymni metrici non cantentur, tamen in omnibus generales Hymni, id eſt, laudes dicuntur. Cantandos etiam illos, qui legitimè componuntur, Toletani auctoritas Concilij oſtendit, inter alia ſic dicens: Et quia à nonnullis magno ſtudio, in laudem Dei atque Apoſtolorum, & martyrum triumphos, compoſiti eſſe noſcuntur, ſicut ſunt hi, quos beatiſſimi Doctores Hilarius atque Ambroſius ediderunt: Quos tamen quidam ſpecialiter reprobant, eo quòd de ſcripturis ſanctorum Canonum, vel Apoſtolica traditione non exiſtunt. Reſpuant ergò & illum Hymnũ ab omnibus *compoſitum, quem quotidiè publico priuatoque officio, in fine omnium Pſalmorum dicimus: Gloria & honor patri & filio & ſpiritui ſancto, in ſecula ſeculorum, Amen. Sed & ille Hymnus, quem nato in carne Chriſto, Angeli cecinerunt, Gloria in excelſis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis: reliqua quæ ibi ſequuntur, Eccleſiaſtici Doctores compoſuerunt. Ergò nec ipſi in Eccleſiis canendi ſunt, quia in ſanctarum ſcripturarum libris non inueniuntur. Componuntur Miſſæ ſiue preces vel orationes, ſiue cõmendationes, ſeu manus impoſitiones, ex quibus, ſi nulla decantantur in Eccleſia, vacant omnia officia Eccleſiaſtica. His verbis oſtenditur, multa in Eccleſia nouiter componi, quæ non ſint

Lucæ 22. Act. 7.

Natio Scotorũ in geniculationibus præcellit.

Quibus diebus geniculari non licet.

Exempla Chriſti & Sanctorũ.

Luc. 6. Act. 16.

Act. 2. 10. & 3.

Vide Euſe. lib. 2 c. 17. in hiſt. Ecc.

Hymni S. Ambroſij.

Hilarij. Gelaſij.

Damaſi.

Io. Chryſo.

Hymni Arrianorum.

Antiphonæ ab Ignatio inſtitutæ.

Compoſitores hymnorum metricorum.

Multa in eccleſiis cãtantur quæ non ſunt ex ſacra ſcriptura. *comprobatum.

ſint (ſi à fide veritatis nõ abhorreant) abijciendа. Porrò hymni metrici ac rhythmici, in Ambroſianis officijs dicũtur, quos etiam aliqui in Miſſarum ſolennijs, propter cõpunctionis gratiã, quæ ex dulcedine concinna augetur, interdùm aſſumere cõſueuerunt. Traditur ſiquidẽ, Paulinum Foriulienſem Patriarchã, ſæpiùs & maximè in priuatis Miſſis, circa immolationem Sacramentorum, hymnos vel ab alijs, vel à ſe compoſitos, celebráſſe. Egò verò crediderim tantum tantæque ſcientiæ virum, hoc nec ſine auctoritate, nec ſine rationis ponderatione feciſſe. In officijs quoquè, quę beatus Benedictus Abbas, omni ſanctitate præcipuus, ordinauit, hymni dicuntur per horas Canonicas, quos Ambroſianos ipſe nominans, vel illos vult intelligi, quos confecit Ambroſius, vel alios ad imitationẽ Ambroſianorum cõpoſitos. Scindũ tamen, multos putari ab Ambroſio factos, qui nequaquàm ab illo ſunt editi. Incredibile enim videtur, illum tales aliquos feciſſe, quales multi inueniuntur, id eſt, qui nullam ſenſus cõſequentiã habentes, inſolitam Ambroſio in ipſis dictionibus ruſticitatẽ demonſtraut. Dicendum verò de hymno, qui ob honorem ſanctæ & vnicæ Trinitatis officijs omnibus interſeritur, eum à ſanctis patribus aliter atque aliter ordinatum. Nam Hiſpani (ſicut ſuperiùs commemorauimus) ità cũ dici omnimodis voluerunt. Græci autẽ, Gloria patri & filio & ſpiritui ſancto, & nunc & ſemper, & in ſecula ſeculorũ, Amen. Latini verò, eodem ordine & eiſdẽ verbis hunc hymnum decantant, addentes tãtùm in medio, Sicut erat in principio. Pro quibus etiam particulis, quidã Græci minùs ſapiẽtes, Latinos, proximis ante nos temporibus, calumnijs impetere conati ſunt. Intelligimus tamen nos in hoc non errare, credita conſempiternitate gloriæ patris & filij & ſpiritus ſancti: pariterq; ſcientes, q̃ Romani firmiſſimi fidei ſeruatores, remotis cæteris compoſitionibus, hunc huius hymni tenorem non aliter ſuſcepiſſent, nisì eum purum ab omni errore cognouerint: Affirmant ſiquidẽ multi, hymnum iſtũ Niceni concilij ſacratiſſima ſanctione prolatũ, vt omnibus officijs, & orationibus intermixtus, & fidẽ coæternæ Trinitatis inculcet, & in ſingulis petitionibus ipſa confeſſio meliùs fauorẽ diuinæ exauditionis obtineat. Hunc itaq; hymnũ, nonnulli omnibus penè Pſalmis, & interdùm inciſionibus Pſalmorũ coaptant: Reſponſorijs verò paucioribus, vt illi qui ſtatuta patris Benedicti in horis ſequuntur Canonicis. Romani eum in Pſalmis rariùs, in reſponſorijs crebriùs iterãt. Sanè verſum, qui in capite omniũ (prẽter Miſſas) officiorum, quæ horis Canonicis exhibentur, dici ſolet, id eſt, Deus in adiutoriũ meũ intende, & reliqua, Patres antiqui ſuis collationibus inueniũtur ſtatuiſſe omnibus, nõ tantùm officijs, ſed etiam operibus præmittendum, vt inuocatio diuinæ opitulationis, initio cuiuslibet actionis aſſumpta, faciliorem faciat & poſtulandi conſtantiã, & obtinendi virtutẽ. In Agendis autẽ mortuorum, & circa paſſionis Dominicæ ſolennitatẽ, inchoationes & expletiones officiorũ, nõ vt in cæteris fiunt: triſtitiæ videlicet ſignificãdæ cauſa, nisì aliquo grauiori decreto. Quia verò tanta eſt in ipſis diuerſitas officijs, non ſolùm pro varietate gentiũ ac linguarũ, verùm etiam in vna gente vel lingua, pro temporũ mutatione, vel magiſtrorum ſtudioſa inſtitutione: vt ſi velim cũcta replicare, quæ de hac multiplicitate iam legimus, magis oneroſius, quàm profructuoſius, videar auditoris: Omittã igitur quę infinita ſunt, hoc tãtùm affirmãs, q̃ plenarius officiorũ ordo, qui nunc per Romanum orbẽ ſeruatur, poſt antiquitatẽ multis tẽporibus euolutã, inſtitutus, & ad omnem eminentiã ſanctæ religionis eſt dilatatus. Creſcente enim fidelium numero, & hæreſum peſtilentia multipliciùs pacẽ maculãre Catholicã, neceſsè erat augeri cultũ veræ obſeruationis: vt & clarior religio accedentium ad fidem animos inuitaret, & auctior cultus veritatis cõſtantiã Catholicorũ aduersùs inimicos oſtenderet. Intantùm deniq; vel cantilenæ, vel Pſalmodiæ memoriter exercendæ vſus erat rarus apud priores, vt de nouiſſimis penè Romanorum Præſulibus, & qui nec ducentis annis noſtra tempora præceſſerunt, quaſi memorabile quiddã & ſingulare ſcribatur, ſi qui eorum in rebus prædictis eminentiores cæteris viderentur. Hormiſda enim in ordine LIIII. Clerum compoſuit, & Pſalmis eruditit. Leo LXXXII. & Benedictus poſt eum proximus, itemq; Sergius LXXXVI. Pſalmodia & cantilenæ ſciẽtia floruiſſe dicuntur. De Gregorio autẽ III. velut in auditum quiddã & nouum refertur, q̃ omnes Pſalmos memoriter tenuerit. Vbì intelligi datur, paucos priorũ ità Pſalterium didiciſſe. Solebant enim Pſalmos, æquè vt cæteras ſcripturas, partim etiam lectitando, ſuis officijs inſerere. Quod ſi diligenter aduertas, multis ſcripturarum documentis appáret. Ordinem autem cantilenæ, diurnis ſeu nocturnis horis dicẽdæ, B. Gregorius plenaria creditur ordinatione diſtribuiſſe, ſicut & ſuprà de Sacramentorũ diximus libro: cùm multi ante, ſiue poſt eũ Orationes, Antiphonas, vel Reſpõſoria cõpoſuerint. Nam & de Antiphonarũ inchoatione ſuperiùs diximus: & Reſponſoria ab Italis primùm inuenta traduntur, vel Ambroſio videlicet, vel alij noua diuinarum laudum augmentatione gaudenti. Et quia Gallicana Eccleſia, viris non minùs peritiſſimis inſtructa, ſacrorum officiorum inſtrumenta habebat non minima, ex eis aliqua Romanorum officijs immixta dicuntur, quæ plerique & verbis & ſono ſe à cæteris cantibus diſcernere poſſe fateantur. Sed priuilegio Romanæ ſedis obſeruato, & congruentia rationabili diſpoſitionum apud eam factarũ perſuadente, factum eſt, vt in omnibus penè Latinorum eccleſijs, conſuetudo & magiſterium eiuſdem Sedis prævaleret: Quia non

Hymni à S. Benedicto inſtituti in regula.

Hymnus, Gloria patri, &c.

Calumnia Græcorũ, de Sicut erat.

Vſus huius hymni in Pſalmis & Reſponſor.

Deus in adiutorium meum &c.

Magna in diuinis officijs diuerſitas.

Ordo officiorum Rõ. Eccleſię cæteris præfe tendus.

Cultus Dei in Pſalmis & alijs Cãticis auct⁹.

Hic eſt Leo II.

Grego. III.

Ordo cantandi à Gregor. I.

sup. c. 22.

Ritus eccleſiæ Gallicanæ.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Ordo officiorũ diuini cultus á S. Benedicto datus.

est alia traditio æquè sequenda, vel in fidei regula, vel in obseruationum doctrina. Est etiam ille ordo officiorum laudabilis, quẽ beatus Pater Benedictus monachis constituit obseruandum, scilicet, vt qui proposito à cæteris discernuntur, etiam continuæ seruitutis penso, aliquid amplius cæteris persoluere studeant. Quam dispositionem ideò à pastoribus Ecclesiarum non interdici putamus, quia & vicina est auctoritati Romanæ: Et quia B. Gregorius vitam egregiè patris Benedicti describens, regulam ab eo conscriptam, in qua idem officiorum ordo habetur, collaudans sua auctoritate, statutis eius fauere videtur. Sunt tamen, qui nescio qua præsumptione, non ea velint constitutione vti, volentes pigritiam vel proteruitatem suam illo excusare permissu, quo sanctissimus vir per humilitatis suæ magnitudinem videtur concedere, vt si cui displicuerit distributio eius, quam fecit, Psalmorum, ordinet: si aliter melius iudicauerit, quasi quiddam melius possint, suoque ordini congruentius inuenire, quàm ille, qui spiritu omnium Sanctorum dicitur plenus fuisse. Psalmos autem, cùm secundùm lxx. Interpretes Romani adhuc habeant, Galli & Germanorum aliqui, secundùm emendationem, quam Hieronymus pater de lxx. editione composuit, Psalterium cantant. Quam Gregorius Turonẽsis Episcopus à patribus Romanis mutuatam, in Galliarum dicitur Ecclesias transtulisse. Cantilenæ verò perfectiorem scientiam, quam penè iam tota Francia diligit, Stephanus Papa, cùm ad Pipinum patrem Caroli Magni (in primis in Franciam) pro iustitia sancti Petri à Longobardis expetẽda, venisset, per suos clericos, petente eodem Pipino, inuexit, indèq; vsus eius longè latèq; conualuit.

Præsũptio contra S. Benedictũ.

Psalterium Gallicanũ.

De Baptismi incremento & mersione, et causis baptizandorum. Cap. 26.

Exo. 14. Ios. 3.

DE Baptismo etiam dicenda sunt aliqua, quod præfiguratum in transitu maris rubri vel Iordanis manifestè, secretius autẽ aliis multis figuris præfiguratum cognoscitur. Hoc Ioannes primus initio nouæ gratię ad fidẽ Christi conuersis ostendit, non sua adinuentione, sed diuina constitutione prouisum, sicut ipse testatur, dicens: Qui misit me baptizare in aqua, & reliqua. Baptizauit autem non in remissionem peccatorum, quod Christi baptismo agi consueuit: sed in pœnitentiam, dicens in eum, qui venturus erat, vt crederent, hoc est, in Iesum. De quo etiam testimonium perhibuit, dicens: Ego quidem vos baptizo in aqua in pœnitentiam. Qui autem post me venturus est, fortior me est: cuius non sum dignus calceamenta portare, ipse vos baptizabit in Spiritu sancto & igne. Et planè dignum erat, vt in noua generis humani, per aduentum filij Dei in carne, saluatione, nouum panderetur purificationis mysterium: quatenus sicut sacerdotes Leuitici

Baptismus Ioannis.

Ioan. 1.

Matt. 3.

A generis, lauari consueuerant ante oblationem carnalium hostiarum: ita omnes Christiani nominis hæredes, (qui dicuntur regale sacerdotium) lauacro spirituali à peccatorum labe mundati, offerant Deo hostias spirituales in odorem suauitatis. Sciendũ autem, primò simpliciter in fluuiis vel fontibus baptizatos credentes. Ipse enim Dominus noster Iesus Christus, vt in nobis idem consecraret lauacrum, in Iordane baptizatus est à Ioanne, & sicut alibi legitur: Erat Ioannes baptizans in Aenon iuxta Salim, quia aquæ multæ erant ibi. Et Philippus Euangelista eunuchum baptizauit in fonte, quem reperit in via. Sicut autem supra ostendimus, crescente processu temporum, religionis honore, institutionum Ecclesiasticarum vsque ad plenitudinem decus creuisse: ita & huius mystici lauacri, gradatim per temporum augmenta, in maius celebratio creuit. Addiderunt alij Chrismatis vnctionẽ, quam ex veteri sumptam consuetudine, nemo qui dubitet: cùm primis temporibus impositione manuum, baptismum confirmari soleret, quod in Samariafecisse Petrũ legitur & Ioannem. Quæ confirmatio & tunc ad primos Ecclesiæ pastores pertinuit, & nunc pertinere non dubitatur. Vndè in Canonibus læpè interdicitur presbyteris, nè Chrisma conficiant, neque baptizatos in fronte consignent: quod solis debetur Episcopis. Testantur hoc decreta Innocentij Papæ, & statuta Siluestri: quia & ipse instituit, vt presbyter baptizatum Chrismate liniat, propter occasionem transitus mortis. Quòd si à Diacono, vel quolibet alio homine baptizatus, casu ante confirmationem transierit, credendum non est perire propter hoc, quia sub fide qua credidit, poterit esse saluus, si eum post commissa peccata non perimant. Lege Concilij Eliberitani decreta. Alij addiderunt in Baptismatis Sacramento Exorcismos, alij consecrationem fontis, alij salis vel saliuæ infusionem, alij Catechumenorum ordinabilem instructionem, alij scrutinia diligentissimè ad tantum mysterium præparationis statuerunt. Sed & multa alia, quæ & exemplis diuinorum actuum, vel dictorum inuenta sunt, & congruentissimis spiritalium profectuum significationibus plena noscuntur: sicut copiosa priorum de eisdem rebus documenta demonstrant. Celebratur autem ipsum baptisma verum, non nisi in nomine summæ Trinitatis, quod & Dominus ipse ostendit, & Canones Apostolorum docent. Vndè quicumque vel ab hæreticis in Trinitate baptizantibus, vel ab alio quolibet homine, sub appellatione legitima eiusdem sanctæ Trinitatis fuerit baptizatus, rebaptizari non debet, nè inuocatio summæ diuinitatis adnullari videatur: sed Chrismate & manus impositione, quod imperfectum erat, perfici debet. Hoc in Canonibus & decretis patrum frequens habetur. Legitur quoque in vltimo Ecclesiasticę historiæ libro, quòd Athanasius adhuc puer, inter cœuos baptisma-

Lauacrum regenerationis. 1. Pet. 2.

simplex olim baptismus.

Ioan 3.

Act. 8.

chrismatis vnctio.

Act. 8.

Multa ad baptismi solemnitatẽ addita.

Baptizati in nomine Trinitatis, non rebaptizantur.

Athanasij baptismum per lusum puerorum.

baptismatis similitudinem per ludum exercuerit. Alexandrum etiã Alexandriæ præsulem, cognita interrogatione Baptistæ & responsione baptizatorum, & cæteris, quæ quamuis per ludum, tandem iuxta nostram religionem gesta sunt, non rebaptizandos iudicasse, sed visitatis Ecclesiæ confirmandos mysteriis. Concilio quoque Eliberitano, fidelibus plenum baptisma habẽtibus, in necessitate baptizare permittitur. Victor etiam xv. Romanorum Pontifex constituit, vt necessitate faciente, liceat vbi inuentum fuisset, siue in flumine, siue in mari, siue in fontibus, Christianæ credulitatis confessione clarificata, quicumque ex gentilitate veniens, baptizaretur. In hoc tamen & similibus nõ tribuitur quibuscumq; baptizandi indiscreta licentia, cùm Concilio Carthaginen. mulieres prohibeantur baptizare: sed demonstratur per hæc vbi ineuitabilis necessitas poscit, meliùs baptizari vbicumque & à quocumq; in nomine Trinitatis, quàm periclitantem, sine remedio deperire. Vndè etiam tẽpora baptizandi legitima in talibus necessitatibus obseruanda non sunt: sed iuxta decreta Leonis, ægritudine, persecutione, obsidione & naufragio periclitantibus, semper est succurrendum: Et Concilio Gerundensi, vnius diei infans, si in discrimine sit, baptizari iubetur. Eos autem, de quibus incertum est, id est, qui nullo testimonio probare possunt, se esse baptizatos, ex Concilio Carthaginen. & decretis Leonis discimus, baptizari debere. Illos verò, qui baptizatos se quidem nouerunt, sed in qua professione ignorant, eiusdem Leonis Papæ decreta, sub manus impositione suscipiendos constituunt. Tempora autem baptizandi legitima, Pascha & Pentecoste præfiguntur, secundùm decreta Siricij, Leonis vel Gelasij Episcoporum, quamuis concilio Gerundensi Natalis Domini & Pascha ponantur. Alij quoque in Epiphania Domini baptizare voluerunt, quia eo tempore Dominum nostrum traditur baptizatum, quod & ipsum ab aliis probibetur. Quia verò secundùm Apostolum in morte Saluatoris baptizamur, & ipse Dominus intraturos regnum cælorum, ex aqua & Spiritu renasci debere præmonstrat, congruè à præsulibus Romanorum, hæc duo tempora sola ad celebrationẽ præfixa sunt baptizatis, i. Pascha & Pentecoste: quorum vno, Passio Domini & Resurrectio: altero, Aduentus celebratur Spiritus sancti. Alij trinam immersionem volunt, in similitudinem triduanæ sepulturæ, vt in Canonibus Apostolorum statutũ habetur, & Romanorum consuetudo obseruat. Alij vnã, propter diuinitatis vnitatẽ contendunt, vt in concilio Toletano plenissimè habetur: vbi etiã commemoratur, quòd B. Gregorius interroganti super hoc Leandro, inter cætera ita responderit, quia in vna fide nihil officit Ecclesiæ consuetudo diuersa. Nos autem quòd tertiò mergimus, triduanæ sepulturæ Sacramenta signamus, vt dum tertiò ab aquis infans educitur, resurrectio triduani temporis exprimatur. Quod si quis fortè etiam pro summæ Trinitatis veneratione existimet fieri, neque ob hoc aliquid obsistit, baptizandum semèl in aquis mergere: quia dum in tribus subsistentiis vna substantia est, reprehensibile esse nullatenus poterit, infantem baptismate ter, vel semel mergere, quando & in tribus mersionibus personarum Trinitas, & in vna potest diuinitatis singularitas designari. Quæ singularis mersio quamuis tunc ita Hispanis complacuit, dicentibus, Trinam mersionem ideò vitandam, quia hæretici quidam dissimiles in Trinitate substantias dogmatizare ausi sint, ad consubstantialitatem S. Trinitatis negandam: tamen antiquior vsus prævaluit, & ratio supradicta. Si enim omnia deserimus, quæ hæretici in suã peruersitatem traxerunt, nihil nobis restabit: cùm illi in ipso Deo errantes, omnia quæ ad eius cultum pertinere visa sunt, suis erroribus quasi propria applicárint. Notandum autem, non solum mergendo, verùm etiam desuper fundendo, multos baptizatos fuisse, & adhuc posse ita baptizari, si necessitas sit, sicut in passione B. Laurentij quendã vrceo allato legimus baptizatũ. Hoc etiam solet euenire, cùm proiectiorum granditas corporum in minoribus vasis hominem tingi non patitur. Notandum deindè, primis temporibus, illis solummodo baptismi gratiam dari solitam, qui & corporis & mentis integritate iam ad hoc peruenerant, vt scire & intelligere possent, quid emolumenti in baptismo consequendũ, quid confitendum atque credendũ, quid postremò renatis in Christo esset seruandum. Refert siquidem venerabilis pater Augustinus de seipso in libris confessionum suarum, quòd penè vsq; ad xxv. annorum ætatem catechumenus perdurarit: & ea vidilicet intentione, vt per hanc tẽporis moram, de singulis edoctus, ad eligendum quodlibet libero duceretur arbitrio: & deferuescentibus lubricæ ætatis incendiis, melius quod sequẽdum erat, seruare potuisset. Sed augescente diuinæ religionis diligentia, intelligentes Christiani dogmatis amatores, peccatum Adæ originale non solos eos tenere obnoxios, qui suis operibus præuaricationem auxerunt, sed etiam eos, qui sine suis commissis: quia secundùm Psalmistam, in iniquitatibus concepti & nati sunt, immunes à peccato esse non possunt, dum de pollu ta radice procedunt: vt meritò de omnibus dicatur per Apostolum, Omnes peccauerunt, & egẽt gloria Dei, iustificati gratis per gratiã ipsius. Et de Adã, In quo omnes peccauerunt. Hoc ergò sentientes sanè fidei sectatores, nè perirẽt paruuli, si sine remedio regenerationis gratiæ defungerentur, statuerunt eos baptizari in remissionem peccatorum. Non sicut hæretici quidã gratię Dei repugnantes, contendebant, nulla necessitate paruulos baptizari, quia nondùm peccassent. Quod si verũ esset, vel non baptizandi erant, vel si extra necessitatem baptizarẽtur,

Licẽtia baptizandi in necessitate

Legitima temporaba ptizãdi Pascha & Pẽtecoste.

Rom. 6.

Ioan. 3.

Trina immersio.

Mergere aut superfundere.

Catechumenorum olim instructio.

Baptismus paruulorũ.

Psalm. 50.

Rom. 3.

Error Pelagianorum.

Universidad de Deusto
Biblioteca

imperfectum & non verum in eis erat baptismi sacramentum, quod in Symbolo confitemur dari in remissionem peccatorum. Ergò quia omnes quos gratia Dei non liberat, pereunt in originali delicto, etiam qui sui sceleris non adiecerunt augmenta, necessariò paruuli baptizantur. Quod & S. Augustinus in lib. de Baptismo paruulorum ostendit, & Africana testantur Concilia, & aliorum patrum documenta quàm plurima. Ex hac igitur occasione inuentum est, vt Patrini vel Matrinæ adhibeantur, suscepturi paruulos de lauacro: & pro eis respondeant omnia, quæ ipsi per ætatis infirmitatem confiteri non possunt: Pariterq; debet spiritalis pater vel mater ei, quem de fonte regenerationis suscepit, cum ad intelligibilem peruenerit ætatē, insinuare confessionem, quam pro eo fecit, vt qui aliena confessione, sicut paralyticus fide portantium meruit à peccatorum solui languore, studeat saluti præstitę viuere non indignè, & sua impleat executione quod illorum confessus est ore, si non vult saluatione carere, quam illorum meruit fide.

Patrini & matrinæ.

Luc. 5.

Non autem Pater debet vel Mater de fonte, suam suscipere sobolem, vt sit discretio inter spiritalem generationem, atq; carnalem. Quod si casu euenerit, non habebunt carnalis copulæ deinceps adinuicèm consortium, qui in communi filio, compaternitatis spiritale vinculum susceperunt. Baptizandi sunt itaque, non solùm per ætatē loquētes, & intelligentes quę agūtur, sed etiam nondum per se vel pro se loquentes. Sicut etiā Synodus Carthaginēsis baptizandos statuit ægrotos, qui iā loqui non possunt, cùm voluntatis eorum testimonium, sui dixerint, aut ipsi aliquibus signis cōprobare potuerint. Mortuis verò Baptisma vel Eucharistiam dari, supradicti loci prohibetur Concilio: quamuis primis prædicationis Euangelicæ temporibus, tanti feruoris quidam in diuina credulitate referuntur fuisse, vt pro quibusdam charissimis, ante annunciationem veritatis, vel baptismi perceptionem defunctis, baptizari studerent. Quod Apostolus Paulus ad adstruendam resurrectionis fidem commemorat: Quia nisi crederentur resurrecturi, stultum erat pro eis qui iam non existerent laborare.

Nè pater aut mater suum baptizet filium.

Ne quis p mortuis baptizetur.

1. Cor. 15.

De Decimis dandis. Cap. 27.

DEcimas Deo & sacerdotibus Dei dandas, Abraham factis, Iacob promissis insinuat, deindè lex statuit, & omnes doctores sancti commemorant. Et profectò dignum erat, vt Israelitæ decimas pecorum & frugum, & omnium pecuniarū Domino darent: qui vt eos liberaret, decem plagis percussit Ægyptios, & in nouissima plaga primogenita cunctorū dispertidit, gratiamq; suis præstitit, vt imperatis pecuniis spoliarēt Ægyptum. De quibus decimis Augustinus Doctor mirabilis dicit: Decimæ ex debito requiruntur. Quid si diceret Deus? nem pe, Meus es ò homo, mea est terra quam colis, mea sunt semina quæ spargis, mea animalia quæ fatigas, meus est calor solis, & cùm omnia mea sint, tu qui minus accomodas, solam decimam merebaris: Sed reseruo tibi nomen, da mihi decimam. Si non dederis decimam mihi, auferam nouem. Si dederis mihi decimam, multiplicabo nouem. Cùm itaque Iudaicus populus, præceptum decimarum tanta diligentia obseruaret, vt de minimis quibusque oluscula, ruta videlicet, mentha & cymino (vt ipse Dominus testatur) decimas daret: cur non maiori studio plebs Euangelica eādem impleat iussionem? cui & maior est numerus sacerdotum, & syncerior cultus sacramentorum? Ideò ergò dandæ sunt decimæ, vt hac deuotione Deus placatus, largiùs præstet quæ necessaria sunt, sicut superiùs ostendimus. Ac vt sacerdotes & ministri Ecclesiæ cura & solicitudine necessitatum corporalium, quibus sine hæc vita transigi non potest, releuati, liberiores fiant ad meditationem diuinæ legis, & doctrinæ administrationem, atque spiritalis seruitij voluntariam expletionem: & vt munus populi, in quotidianam oblationem Domino immoletur, necnon secundùm statuta Canonica, in sustentationem pauperum, & restaurationem Ecclesiarum proficiat. Quatuor enim partes iuxta canones fieri, de fideliū oblationibus debēt: vt vna sit Episcopi, altera clericorū, tertia pauperum, quarta restaurationi Ecclesiarum seruetur.

Gen. 14 & 28. Leuit. 27. Num. 18. Rationes, cur dandæ sint Decimæ.

Verba August.

Mat. 23.

Cur sacerdotibus debentur decimę.

Quatuor partes ex oblationibus.

De Luaniis agendis. Cap. 28.

LItanias, id est, Rogationes publicas (quas Maiores vocamus) Romani vna die denominata, id est, vij. Calend. Maij annuatim facere solent: Quas Gregorius Papa initio ordinationis suæ instituit, dum post aquarum inundationem insolita, inguinaria & insolitam lues, primò Pelagio Papa extincto, populum vastaret Romanum. Quia tunc eo modo septenā ordinauit Litaniam, sicut Paulus in gestis Longobardorum commemorat, vt precaturos Dominum, in septem turmas distribueret: quo pietatē Domini multipliciùs implorarent. In primo choro fuit Clerus, In secundo Abbates omnes cum monachis suis, In tertio omnes Abbatissæ cum congregationibus suis, In quarto omnes pueri, In quinto omnes Laici, In sexto omnes Viduæ, In septimo omnes mulieres coniugatæ. Triduanæ autem Litaniæ, quæ proximis diebus ante Ascensionem Domini, annuè per omnes Galliarum vel Germaniæ Ecclesias celebrantur, in Galliis sunt constitutæ. Temporibus siquidem Clodouei Regis Francorum, qui cum gente sua primus Christianus effectus est, dū ciuitas Viennensiū crebro terremotu subruerētur, & bestiarū desolaretur incursu, Sanctus Mamertus eiusdem ciuitatis Episcopus, eas legitur pro malis, quæ præmisimus, ordinasse. Quas Aurelianensis Synodus & eo tempore inbet fieri, & ab opere seruili, vt plenius celebrentur,

Litania maior.

Septena processio. Paulus Diaconus in Mauritio Imp.

Litania minor iij. diebus Rogationum.

Mamertus Eps Viennensis in Gallia.

Hispani.

Matt. 9.

tur, omnes vacare. Hispani autem, propter hoc quod scriptum est, Non possunt filij sponsi lugere, quàm diù cùm illis est sponsus, infra Quinquagesimā Paschę recusantes ieiunare, litanias suas post Pentecosten posuerunt, quinta, sexta & septima feriis eiusdem hebdomadis, eas facientes. Alij eorum Idibus Decembribus triduanum statuerunt ieiunium. Alij Calendis * Decembribus. Notandum autem, Litanias non tantùm dici illam recitationem nominum, qua Sancti in adiutorium vocantur infirmitatis humanę: sed etiam cuncta quæ supplicationibus fiunt, * orationes appellari. Litania autem sanctorum nominum, postèa creditur in vsum assumpta, quàm Hieronymus Martyrologium, secutus Eusebium Cæsareensem, per anni circulum conscripsit, ea occasione ab Episcopis Chromatio & Eliodoro, illud opus rogatus componere, Quia Theodosius religiosus Imperator, in Concilio Episcoporū laudauit Gregorium Cordubensem Episcopū, quòd omni die Missas explicans, eorum martyrum, quorum natalitia essent, nomina plurima commemorarer.

* Nouemb. Inuocario sanctorū in Litanijs.

* rogatiões

De Aqua sparsionis. Cap. 29.

AQuam sparsionis cum sale benedici, & in habitaculis fidelium spargi, Alexander Papa constituit. Sicut enim populus prior legalibus institutis deseruiens, sanguine lustrabatur: ità nouus Christianorum populus, Baptismi Sacramento renatus, dignè aqua benedicta adspergitur, vt sicut sanguis agni in postibus ad repellendum percussorem ponebatur, ità mysterium aquę, corpora & loca muniat renatorum.

Exod. 12. & 24.

De benedictione Cerei. Cap. 30

CEreum autem benedici, nō solùm in principalibus Ecclesijs, sed etiam in parochijs Zosimus Papa constituit. Quod ipsum Concilio Toletano ostenditur, quosdam Hispanorū obseruasse, quosdam neglexisse.

Comparatio Ecclesiasticorum ordinum & secularium. Cap. 31.

CIrca harum calcem rerum, placet inserere quandam secularium atque Ecclesiasticarum comparationem dignitatum: quamuis non nesciam, ordinationes potestatum & officiorum, tanta diuersitate pro varietate gentium, locorum & temporum perplexas, vt de eis vix aliqd certi possit exponi. Quotus enim quisque est, qui se scire fateatur, quibus, (nō dico Assyriorum, Medorum & Macedonum, sed vel Romanorum, quod notius & proximius nobis est) Imperium distributum fuerit & ordinatum administrationibus & officijs: cùm per longitudinem temporum, aliæ potestates alijs mutatæ sint, aliæ subditæ, aliæ additæ, vt ipsa instabilitate rerum, humanum esse & tēporarium comprobetur, quod quadam inconstantia, & in maius extenditur, & in minus cō trahitur? Omissis ergò incertis, quæ notiora sunt, inuicèm comparemus: vt ostendamus ordinationes mundanæ sapientiæ, in spiritalem Ecclesiæ vniuersalis rempublicam sacris distinctionibus commutatas, in similitudinem antiquę historiæ, qua vel pecuniæ Aegyptiorum, in vsum tabernaculi, vel Cedri de Libano cæsi, in templi ædificationem profecisse. Raab quoque & Ruth & Achior, in numerum populi Dei translati narrantur. Sicut autem gens Romanorum, totius orbis monarchiam tenuisse fertur: ità summus Pontifex in sede Romana, vicem B. Petri gerens, totius Ecclesiæ apice sublimatur. De quo Sardicensi Concilio statui tur, cunctorum statuta ad eum referri debere, idq; obseruandum, quod ipse statuerit. Sicut verò summus seculi principatus, non tantùm apud Romanos, verùm etiam apud aliarum partium gentes interdùm fuit: ità & aliæ Ecclesiæ, dignitati sedis Romanæ consociantur, id est, Antiochensis in Asia, Alexandrina in Africa. In Concilio enim Niceno, harum trium ptiuilegium Ecclesiarum, cæteris omnibus anteferendum ostenditur: sed potest triū locorum eminentia, ad vnam dignitatem referri: Quia in duobus horum ipse Petrus sedit, Tertium nihilominùs, id est, Alexandriā, per Marcum filium suum & Euangelium, quod ex ore eius ipse Marcus descripserat, suam effecerat sedem. Similiter intelligēdum de Principatibus seculi, quòd quamuis in diuersis orbis partibus, per tempora sua fulserint, tamen ad ius Romanum, quasi vnum apicem postremò omnes penè relati sunt. Comparetur ergò Papa Romanus Augustis & Cæsaribus. Patriarchæ verò Patricijs, qui primi post Cæsares, in Imperijs fuisse videntur: Ità & isti, qui satis pauci sunt, primi post trium sedium præsules habentur. Deindè Archiepiscopos, qui ipsis Metropolitanis præminent, Regibus conferamus. Metropolitanos autem ducibus comparemus, Quia sicut duces singularum sunt prouinciarum, ità & illi in singulis prouincijs singuli ponuntur. Vndè in Chalcedonensi Concilio iubetur, Nè vna prouincia in duos Metropolitanos diuidatur. Quod Comites vel præfecti in seculo, hoc Episcopi cæteri in Ecclesia explent. Fertur enim in Orientis partibus, per singulas vrbes & præfecturas, singulas esse Episcoporum gubernationes. Sicut Tribuni militibus præerant, ità Abbates Monachis, athletis spiritalibus præesse noscuntur. Quemadmodùm sunt in palatijs præceptores vel comites palatij, qui secularium causas ventilant, ità sunt & illi, quos summos Cappellanos Franci appellant, Clericorum causis prælati. Cappellani minores ità sunt, sicut hi, quos Vassos Dominicos Gallica consuetudine nominamus.

Ro. Pontifex in Ecclesia supremus monarcha.

Exod. 11. 3. Reg. 5. Iosu. 2. Ruth. 4. Iudit. 6. Alij Patriarchæ.

Magna seculariū potestatū diuersitas.

Cōparatio inter seculares & Ecclesiasticas potestates.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Cappellani vndè dicti.

namus. Dicti sunt autem primitùs Cappellani, à cappa beati Martini, quam Reges Francorum, ob adiutorium victorię, in pręlijs solebant secum habere: quam ferentes & custodientes, cum cæteris Sanctorum reliquijs Clerici, cappellani cœperunt vocari. Porrò sicut Comites quidam missos suos præponunt popularibus, qui minores causas determinent, ipsis maiora reseruent: ità quidam episcopi coepiscopos habent, qui in rebus sibi congruentibus, quæ iniunguntur, efficiunt. Centenarij, qui & centenariones, vel vicarij, qui per pagos statuti sunt, Presbyteris plebium, qui Baptismales Ecclesias tenent, & minoribus presbyteris prę-

Coepiscopi.

B

Presbyteri titulorum.

sunt, conferti queunt. Decuriones vel Decani, qui sub ipsis vicarijs quædam minora exercent, minoribus presbyteris titulorum possunt comparari. Sub ipsis ministris centenariorum, sunt adhuc minores, qui Collectarij quaterniones, vel duumuiri possunt appellari: quia colligunt populum, & ipso numero ostendunt se Decanis esse minores. Sunt autem ipsa vocabula, ab antiqua consuetudine mutuata, in qua officia prælatorum, dicebantur ex numero subiectorum: Vt sunt Chiliarchi Grecè, Latinè millenarij, centenarij vel centuriones.

Grecarum potestatũ nomina.

C

Pentacontarchi, vel quinquagenarij: Decani, vel decuriones, Quaterniones, duumuiri. Ad horum similitudinem sunt Diaconi & subdiaconi, presbyterorum adiutores in verbo, Baptismo & quotidiano officio. Sunt etiam archi presbyteri, in Episcopijs Canonicorum curam gerentes. Habent & potestates seculi consiliarios in domesticis, & liberorum Pædagogos suorum, habent ipsi procuratores rei familiaris: Similiter in quibusdam Ecclesijs Archidiaconos, quos familiæ respicit gubernatio. Sunt in secularibus quæstionarij, id est, qui reos examinant: Sunt in Ecclesia Exorcistæ, dæ-

Archipresbyteri.

A monum exclusores. Habent aulæ potentium ianitores, habet & domus Dei ostiarios: Habet mundus veredarios, commentarienses, ludorum exhibitores, carminum pompaticos relatores: habet Ecclesia acolytos, lectores, cantores, atque Psalmistas. Cæterùm ex vtriusque ordinis coniunctione & dilectione, vna domus Dei construitur, vnum corpus Christi efficitur, cunctis membris officiorum suorum fructus mutuę vtilitati conferentibus, dum oculus est in sapientibus, qui veram lucem & percipiunt & insinuant: os in doctoribus, auris in beneuolis auditoribus, nasus in discretionis amatoribus, manus in operatoribus, pedes in proficientibus, venter in compatientibus, humeri in labrorum toleratoribus, & cuncta in cęteris: vt non sit schisma in corpore, sed si gloriatur vnum membrum, congaudeant omnia membra: si contristatur vnum, cuncta condoleant. Ista conuenientia eousque tenenda est, donèc occurramus omnes in virum perfectum, vt sit Deus omnia in omnibus.

Vtriusque potestatis membra in vnum Ecclesiæ corpus coniũcta.

1. Cor. 12.

CONCLVSIO LIBELLI.

GRaui pondere tandèm solutus, & vtinàm tam profectuoso quàm magno, in fine cõclusionis lecturos obtestor, nè quod obedientia subij, isti tribuant temerarię præsumptioni. Fateor enim, me nec repressse cuncta, quę dilucidare cupiui, nec cuncta posuisse, quæ reperi: cùm & rerum magnitudo sciendi cupiditatem succenderet, & diuersitatum confusio fastidij nimietatem pręberet. Habebit tamen in his lectoris mei curiosa vestigatio, & si non copiam satietatis qua delectetur, qualemcunque tamen causam inquisitionis, qua mẽliùs exerceatur.

Modestia auctoris.

Explicit Vualafridi Strabonis liber de Ecclesiasticarum rerum exordijs & incrementis.



BERNO-

BERNONIS AVGIENSIS ABBATIS,

DE QVIBVSDAM REBVS AD MISSAE OFFICIVM PERTINENTIBVS LIBELLVS, CVIVS HÆC SVNT CAPITA.

1 QValiter priscis Apostolorum temporibus Missarum celebritas ageretur.
2 De Gloria in excelsis Deo.
3 De Octaua Pentecostes.
4 Quarè auctor officiorum, in Aduentu Domini quatuor tantùm hebdomadas numeret, cùm ordinator lectionarij quinque numeret.
5 De Missa, *Deprecationem nostram*, & concordia Euangeliorum & Apostolicarum lectionum cum cęteris officijs, ac pręcipuè cum Missis, & de officio, *Exultate Deo.*
6 Quarè auctor officiorum ab octaua Pentecostes vsque ad Aduentum Domini, vigintitria solũmodò posuerit officia, cùm Ordinator Lectionarij vigintiquinque lectiones constituerit, exceptis his lectionibus & Euangelijs, quę leguntur in hebdomada octauæ Pentecostes, & in Dominica quinta ante Natiuitatem Domini, & de S. Trinitate, quę superioribus vigintiquinque coniunctę, videntur vigesimumoctauum numerum implere.
7 De ieiunio quatuor temporum.

Qualiter priscis Apostolorum temporibus Missarum celebritas ageretur. Cap. I.

IGITVR in exordio nascentis Ecclesię non eo, quo nũc, modo vel ordine sacra celebrabantur Missarum solennia, teste etiam beatissimo Gregorio Papa, qui inter multa quę cõstituit vtilia, cùm in celebratione Missarum, tum etiam in vario Ecclesiasticarum rerum vsu, ad conficiendum corpus & sanguinem Christi, orationem Dominicam fecit decantari, sicut de eo scriptum est: Orationem Dominicam mox post Canonem super hostiam censuit recitari. De hoc & de alijs cum quosdam murmurare sentiret, pijssimus Pater inter alia non dedignatus est huiusmodi rationem reddere, dicens: Orationem Dominicam idcircò mox post precem dicimus, quia mos Apostolorum fuit, vt ad ipsam solummodò orationem, oblationis hostiã consecrarent. Et valdè mihi inconueniens visum est, vt precem, quam Scholasticus composuerat, super oblationem diceremus, & ipsam traditionem, quam Redemptor noster composuit, super eius corpus & sanguinem non diceremus. Sed crescente statu religionis, simul accreuit decus Ecclesiastici honoris. Attamen ipsum canonem non vnus solus totum composuit, sed per tempora aliud alius interposuit vel adiecit, sicut de hoc sanctissimo Papa legimus: In Canone apposuit, Diesque nostros in tua pace dispone, atque ab ęterna damnatione nos eripi, & in electorum tuorum iubeas grege numerari. De Alexandro quoque Papa, qui à B. Petro septimus erat in ordine, ità legimus: Hic passionem Domini misscuit in precatione sacerdotum, quandò Missæ celebrantur. Leo Papa constituit, vt intra actionem sacrificii diceretur, Sanctum sacrificium, & cętera. Deindè Gregorius tertius eiusdem nominis Papa, faciens oratorium in basilica sancti Petri Apostoli in honorem omnium Sanctorum, quotidiana Missarum solennia ibidèm celebrare constituit, pariterq; in Canone à Sacerdote dicendum ordinauit: Quorum solennitas hodiè in conspectu tuæ maiestatis celebratur, Domine Deus noster, toto in orbe terrarum. Quod quia specialiter ad illam pertinet celebritatem, non est canoni, qui generaliter dicitur, adnotatum. Hęc de canone, qui & actio dicitur, dicta sunt: nunc de cęteris quę Dominus dederit, videamus. Cęlestinus Papa constituit, vt Psalmi Dauid centum quinquaginta ante sacrificium psallerentur in ordine Antiphonarum ex omnibus, quod anteà non fiebat, nisi tantùm epistola B. Pauli recitabatur, & sanctum Euangelium. Litanię, id est, kyrie eleison, Christe eleison, quæ sequuntur, à Grecorum vsu sumptę creduntur. Orationes autẽ, quas Collectas dicimus, à diuersis auctoribus compositę creduntur, à Gelasio prętule Romano, & beato Gregorio Papa. Vndè & in vita ipsius legimus: Sed & Gelasianum codicem de Missarum solennijs, multa subtrahens, pauca conuertens, nonnulla superadijciens, in vnius libelli volumine coarctauit. Quod volumen librum Sacramentorũ prętitulauit. Et fortasse primis temporibus solius Pauli Epistolę legebantur, postmodum intermixtę alię lectiones sunt, non tantùm de nouo, verùm etiam de veteri,

Universidad de Deusto
Biblioteca

ceri, prout solennitatum ordo poscebat, testamento. Vbi notandum, vt sicut sanctum Gregorium, quicunque has vel has cantilenas cõposuisset libri Sacramentorum & Antiphonarum: ità & beatum Hieronymum credimus ordinatorem lectionarij, vt ipsius testatur prologus appositus in capite eiusdem Comitis: (sic eum appellauit.) Posteà cùm Gradalia & Alleluia inter Apostolicam & Euangelicam lectionem cœperunt frequentari, Hispani quasi nouitate rei perculsi, multùm restiterunt, dicentes: In quibusdam Hispaniarum Ecclesijs laudes post Apostolum decantantur, priusquàm Euangelium prædicetur, dum Canones præcipiant, post Apostolum non laudes, sed Euangelium annunciare. Præsumptio enim est, vt anteponant ea, quæ sequi debent. Nam laudes ideò Euangelium sequuntur, propter gloriam Christi, quę per idem Euangelium prędicatur. Verumtamen ex auctoritate sanctæ Romanæ Ecclesiæ, posteà est constitutum, vt responsoria & Alleluia canantur ante sanctum Euangelium. Ijdem etiàm in Toletano statuerunt cõcilio, vt hymnus trium puerorum omni Dominico die, & in solennitatibus martyrum in pulpito decantetur: quod tamen Romani minimè faciunt, nisi quater in anno, his sabbatorũ diebus, qui prætitulantur, In duodecim lectionibus. Symbolum quoque fidei catholicæ post Euangelium recitatur, vt per sanctum Euangelium corde credatur ad iustitiam, per Symbolum autem ore confessio fiat in salutem. Quod tamen non secundum Nicenum concilium, sed secundùm Constantinopolitanũ canimus trãslatum. Concilio quoque Toletano statutum est, id omni die Dominico secundùm morem Orientalium ecclesiarum decantari.

Con. Tole. 4. cap. 11.

Rom. 10.

Conc. Tole. 3. cap. 11.

Agnus Dei, in confractione corporis Domini, à clero & à populo Sergius Papa dici constituit. Offertorium, quod inter offerendum cantatur, quanuis à prioris populi consuetudine in vsum Christianorum venisse dicatur, tamen quis specialiter addiderit, apertè non legimus, quemadmodùm de illo Angelico hymno, Sanctus, Sanctus, Sanctus: vel de illa antiphona, quæ post communionem dicitur, fateri possumus, cùm veraciter credi possit, priores Sanctos silentiò obtulisse vel communicásse, quod etiàm hactenùs in sabbato S. Paschæ solemus obseruare. Quanquàm non desint, qui affirment * Xistum Papam, supradictum hymnum, Sanctus, Sanctus, Sanctus, ad Missam addidisse. Verùm in his omnibus est attendendũ, quia sicut sapientissimus Papa Gregorius librum Sacramentorum diligentissimè ad veritatis lineam correxit, ità musicæ quoque modulationis harmoniam satis vtiliter composuit ac ordinauit.

De Gloria in excelsis. Cap. 2.

NVnc stylus ad mouendam quæstionem se se vertat, ad quam totus hactenùs sermo habitus intendebat, videlicet, cur non liceat omni die Dominico vel natalitijs Sanctorum, presbyteros illum hymnum canere, quem nato in carne Domino Angeli cecinére, dicentes: *Gloria in excelsis Deo*. Quòd si concessum est illum cantare in Pascha secundùm prætitulationem Missalis, non multo minùs licitum puto in natiuitate Domini, quando primùm cœpit audiri ab hominibus in terris, qualiter ab Angelis canebatur in cœlis. Proferant contradictores in medium, vbinam sit à sanctis Patribus, vel ab ipso sanctissimo Papa Gregorio interdictum, & si ad hæc respondere non valemus, meritò manus damus. Quisquis enim vult ex sacræ scripturæ auctoritate aliquid confirmare, debet ex prophetarum oraculis, Apostolorum dictis, antiquorũ Patrum concilijs, necnon & eorum scriptis vel gestis, & quod omnibus his maius est, ex sancti Euangelij veritate locum ostendere, vndè velit sententiam suam corroborare. Vndè solemus dicere, Scriptum est in illo, & in illo loco: & legimus in decretis Pontificum, vel in tali concilio, in illo capitulo: Sed cùm sanctum Gregorium nusquàm legamus ipsum hymnum interdixisse, liceat nostros quoquè testes idoneos introducere, quo eorũ testimonio possit probari, vt trumnàm iurè debeat decantari. Nam cùm scriptũ sit, In ore duorum aut trium testium stat omne verbum, priùs proferam duos, deindè multos. Deniquè Telesphor⁹ Papa à beato Petro octauus, constituit, vt ante sacrificium hymnus diceretur Angelicus, hoc est, Gloria in excelsis Deo. Qualiter eius debeat credi testimonio, testatur martyrium quod sustinuit pro Domino. De Symmacho quoquè Papa ità legimus: Hic constituit, vt omni die Dominica vel natalitijs martyrum, Gloria in excelsis, hymnus diceretur. Cuius sanctitatis vir iste fuerit, de bonis eius operibus, quæ fecit, ex libro Dialogorum legere volentibus, satis liquebit: Vbi beatus Papa Gregorius narrat, quòd quidam Paschasius sanctæ Romanę Ecclesię diaconus, cùm tanti meriti apud Deum esset, vt quidam dæmoniacus tacta eius post mortem Dalmatica, à dæmone sit liberatus: tamen quia tanti Pontificis ordinationi restitit, cuidam religioso viro in purgatorijs pœnis constitutus, non per somnium, sed visibiliter apparuit, ac pro qua culpa hęc pateretur, innotuit. Eccè de hoc hymno Angelico duo testes inuenti sunt idonei, qui à nemine, vt puto, posśũt refelli. Quòd si adhuc tertius quæritur, non iam vnius, sed sexaginta episcoporum in medium profero testimonium, qui in quarto Toletano concilio, in nomine Domini congregati, tam super hoc, quàm super alijs huiusmodi hymnis promulgauerunt decretum cap. 12. De hymnis, inquiunt, etiàm canendis & saluatoris & Apostolorum habemus exemplum. Nam & ipse Dominus hymnum dixisse perhibetur, Matthæo Euangelista testante: Et hymno dicto, exierunt

Matt. 5.

Tol. con. 2. pa. 730.

Matt. 26

Eph. 5:

runt in montem oliueti. Et Paulus Apostolus ad Ephesios subscripsit, dicens: Implemini spiritu sancto, loquentes vobis in psalmis & hymnis & canticis spiritualibus. Et quia cernebant nonnullos in Ecclesia eos hymnos spernere, qui humano ingenio videbantur in laudẽ Apostolorum & martyrum triumphos compositi esse, vehementer arguebant eos huiusmodi verbis, dicentes: Respuant & illum ergò ab hominibus compositum, quem quotidiè publico priuatóq; officio in fine omnium psalmorũ dicimus: Gloria, honor patri & filio & spiritui sancto in secula seculorũ, Amen. Pro quo nos canimus, Gloria patri & filio & spiritui sancto vsque in finẽ. Et post hæc inferunt: Nam & ille hymnus quem nato in carne Christo angeli cecinerũt, Gloria in excelsis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis, angelicus est: Reliqua quæ ibi sequuntur ecclesiastici doctores composuerunt. Ergò nec ipsi in ecclesijs canẽdi sunt, quia in sanctarum scripturarum locis non inueniuntur. Cõponuntur Missæ siue preces, vel orationes siue commendationes, seu manus impositiones, ex quibus si nulla decantantur in ecclesia, vacant officia omnia ecclesiastica. Et paulò pòst: Sicut igitur orationes, ità & hymnos in laudem Dei compositos, nullus nostrorum vlteriùs improbet, sed pari modo ⁹ Gallia Hispaniaque celebrent, sintque excommunicatione plectendi, qui hymnos reijcere fuerint ausi. Vndè sanctus Pater Benedictus iubet nos monachos ad omnes regulares cursus celebrare hymnos, quos ille vocat Ambrosianos. Ad hæc potest aliquis dicere, tunc temporis Gallos & Hispanos in Missarum suarum celebritate nondùm habuisse vsum sanctæ Rom. Ecclesiæ. Quod & nos nõ negamus. Testatur hoc Abbas Hilduuinus, vir in diuina legẽ adprimè eruditus, in ea epistola quam ad * Ludeuuicum Imperatorem direxit pro passione sanctorum martyrum Dionysij & sociorum eius. vbi inter alia, quæ suæ narrationi videbantur congrua, hæc adiecit: Cui adstipulari videntur antiquissimi & nimia vetustate penè consumpti Missales libri, continentes Missæ ordinem more Gallico, qui ab initio receptæ fidei vsus in hac Occidentali plaga est habitus, vsquequò tenorem, quo nunc vtitur, Romanũ susćepit. In nostri quoquè monasterij archiuo habetur Missalis longè aliter ordinatus, quàm Romanæ Ecclesiæ se habeat vsus. Et quod ijs omnibus maius est, cùm vna sit fides, cur super Missarum celebratione, Galliarum Ecclesiæ à Romana discordent, Augustino requirenti, Gregorius respondit: Nouit fraternitas tua Romanæ Ecclesiæ consuetudinem, in qua se meminit enutritam. Sed mihi placet, vt siue in Romana, siue in qualibet ecclesia aliquid inuenisti, quod plùs omnipotenti Deo possit placere, solicitè eligas, & Anglorum Ecclesiæ, quæ adhuc noua est, ad fidem institutione præcipua, quæ de multis Ecclesijs colligere potuisti, infundas. Non enim pro locis res, sed pro bonis rebus loca amanda sunt. Ex singulis ergò quibusque ecclesijs, quæ pia, quæ religiosa, quę recta sunt, eligas, & hæc quasi vasculo collecta, apud Anglorum mentes in consuetudinem vertas. His satis instruimur exemplis, nil nos delinquere, si ea, quæ ex auctoritate Pontificũ, qui illum sanctũ virum tempore præcesserunt, instituta susćepimus, & vel ex Gallicanarũ Ecclesiarum, aut Hispanicarum vsu mutuauimus, fideli deuotione seruamus, imitãtes ipsius beatissimi Pape prædicandam humilitatem. Qui cùm reprehenderetur à quibusdã, quòd aliarũ ecclesiarũ morẽ sequeretur, inter alia fatetur, dicens: Si quid boni vel ipsa, videlicet Constãtinopolitana, vel altera Ecclesia habet, ego & minores meos, quos ab illicitis prohibebo, in bono imitari paratus sum. Stultus est enim, q in eo se primũ existimat, vt bona, quæ viderit, discere contemnat. Nam si ideò, vt sæpè dictũ, illũ Angelicum hymnum prohibemur in festiuis diebus canere, eò quòd Romanorum presbyteri non solent eum canere, possumus simili modo post Euangelium Symbolum reticere, quod Romani vsque ad hæc tempora diuæ memoriæ Henrici Imperatoris, nullo modo cecinerunt. Sed ab eodem interrogati, cur ità agerent, me coram assistente, audiui eos huiusmodi responsum reddere, videlicet, quòd Romana ecclesia non fuisset aliquando vlla hęreseos fæce infecta, sed secundùm sancti Petri doctrinam, in soliditate Catholicæ fidei permaneret inconcussa: & ideò magis his necessarium esse illud Symbolum sæpiùs cantando frequentare, qui aliquandò vlla hæresi potuerunt maculari. At dominus Imperator non anteà desijt, quàm omnium consensu id domino Benedicto Apostolico persuasit, vt ad publicã Missam illud decantarent. Sed vtrùm hanc consuetudinem seruent adhuc, affirmare non possumus, quia certum nõ tenemus. Eo etiàm modo possunt abijci multa, quæ post Sancti Gregorij tempora causa decoris videntur * adducta, cùm econtrariò psalmista dicat: Adijciam super omnem laudem tuam. Et mirum valdè videtur, cùm certa sit ratione discretum, quid soli liceat episcopo, non autem presbytero: videlicet, vt ad Episcopum pertineant ordinationes clericorum, dedicationes ecclesiarum, sacri Chrismatis confectio, ad dandum Spiritum paraclatum sacra impositio manuum, quid aliud esse possit in sacramẽtis diuinis, quod nõ sit presbyteris commune cum episcopis, præcipuè cum id quod excellentissimum est in omnibus sacramentis, sanctum videlicet corpus & sanguinem Christi, quotidiè sicut Episcopi, ità & consecrent presbyteri, nec sanctius sit illorum, quàm istorum. Vndè sanctus Hieronymus dicit de ijsdem presbyteris: Hi nanque in benedictione cum episcopis consortes sunt mysteriorũ, ac nulla in conficiendo corpore Christi ac sanguine inter vos & episcopos credenda distan-

⁹ in Gallicia.

* extat hæc epistola.

* for. adiecta. Psal. 70.

Universidad de Deusto
Biblioteca

distantia est, quia & Eucharistiam pridèm per presbyteros benedictam, si necessitas exegerit, accipere debent. Et post pauca: Nam si quis ad iniuriam reuocat, vt putet non debere se accipere Eucharistiam, quam presbyter benedicit, is profectò peruersus est, credens Deum duo corpora habuisse, vnum maius, aliud minus: quòd episcopus conficit maius, quòd presbyteri minus: qui Christum ità diuidit, Deo iniuriam facit, Super hæc omnia cùm in capite libri Missalis, quandò presbyteri Romani Gloria in excelsis Deo, canere & non canere soleant, legimus solummodò prætitulatum: nusquàm autè vel à beato Papa Gregorio, vel aliquo sanctorum patrum nobis interdictum puto, quin omni die Dominica vel in sanctorum natalitijs liceat nobis sæpè dictum hymnum canere ad augmentum laudis diuinæ.

De octaua Pentecostes. Cap. 3.

His ità vt cunquè digestis, non absimile videtur, si quid de octauis Pẽtecostes loquamur. Nam dum adhuc apud Gallos essem constitutus, non modicam super hac re quæstionẽ cognoui exortam in illis regionibus, alijs adfirmantibus, quòd sicut Dominicę Natiuitatis ac Resurrectionis, ità oporteret celebrare & octauas Pentecostes, præcipuè cùm sæpiùs in nostris officialibus libris scriptum legamus, post octauam Pentecostes. Alijs è regione contendentibus, in hac solennitate, qua spiritus sanctus super Apostolos in linguis igneis apparuit, non plus quàm septem dies debere expendi, iuxta dona eiusdem spiritus sancti. Sed ad hanc litem inter vtrasque partes dirimendam, ipso sancto Spiritu adiuuante, ostendamus cui parti meritò fauere debeamus. Nã cùm S. Augustinus doctor egregius de sermone Domini in monte habito disputaret, & singulas beatitudines septem donis Spiritus sancti compararet: nam prima beatitudo incepit, Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum, cùm ad octauam peruenisset, ità intulit: Octaua tanquam ad caput redit, quia consummatum perfectumq; ostendit & probat. Itaq; in prima & octaua nominatum est regnum cẽlorum. Cùm dicitur autẽ, Quis nos separabit à charitate? tribulatio? an angustia? an persecutio? an fames? an nuditas? an periculum? an gladius? Septem sunt ergò quæ perficiunt. nam octaua clarificat, & quod perfectũ est demonstrat, vt per hos gradus perficiantur & cæteri, tanquàm à capite rursum exordiens: Videtur ergò mihi etiam septiformis operatio Spiritus sancti, de qua Esaias loquitur, his gradibus sententijsque congruere. Et post aliquanta: Hæc octaua sententia, quæ ad caput redit, perfectũque hominẽ declarat, significat fortassè & circumcisionem octaua die in veteri testamento, & Domini resurrectionem post Sabbatum, qui est vtiquè octauus dies, idemque primus dies, & celebrationem octauarum feriarum, quas in regeneratione noui hominis celebramus & numero ipso Pentecostes. Nam septenario numero septiès multiplicato, quo fiunt 49. quasi octauus additur, vt 50. cõpleantur, & tanquàm redeatur ad caput, quo die missus est Spiritus sanctus, quo in regnum cælorum inducimur, & hæreditatem accipimus & consolamur, & pascimur, & misericordiam consequimur, & mũdamur, & pacificamur, atque ità perfecti omnes extrinsecus illatas molestias pro veritate & iustitia sustinemus. Ex his S. Augustini verbis liquidò potest intelligi, qd de octauis Pentecostes possit sentiri. Sed interìm vel breuiter de Sacramento nostri baptismatis aliquid loquamur, quod in similitudinem mortis, sepulturæ, resurrectionis Christi regitur, Apostolo teste qui ait: Quicunque baptizati sumus in Christo Iesu, in morte ipsius baptizati sumus. Consepulti enim sumus cum illo per baptismũ in mortẽ, vt quomodò surrexit Christus à mortuis per gloriam patris, ità & nos in nouitate vitæ ambulemus. Si enim complantati facti sumus similitudini mortis eius, simul & resurrectionis erimus, & cætera. Vndè & beatus Papa Leo: In baptismatis, inquit, regula & mors interuenit interfectione peccati: sepulturam triduanam imitatur dimersio, & ab aquis eleuatio, resurgentis instar est de sepulcro. Vndè rectissimè sancti patres duo tantùm legitima tempora ad baptizandum, si nulla necessitas interuenit, constituerunt, sabbatum videlicet Paschæ, & sabbatum Pentecostes. Quæ vtraque per octo dies celebrantur. Meritò cõsepeliuntur CHRISTO baptizati in sabbato, vt cum ipso valeant resurgere die Dominico. Sicut enim sabbatum requiem animarum, sic Dominicus dies, qui est primus & octauus, significat resurrectionem corporum. Si enim certi gratia mysterij per octo dies noster baptismus colitur, ità vt octaua die vestimenta mutentur baptizatorum, cur non magìs celebratur per octo dies baptismus Apostolorũ? Quòd enim Apostoli per aduentum Spiritus sancti, qui in igne apparuit, baptizati sunt in die sancto Pentecostes, testatur in Euangelio Ioannes Baptista, qui confluentibus ad se turbis, ait: Ego quidẽ vos baptizo in aqua in pœnitentiam. Qui autẽ post me venturus est, fortior me est, cuius non sum dignus calceamenta portare. Ipse vos baptizabit in Spiritu sancto & igne. Et ipse Dominus ad Apostolos ait: Ioannes quidem baptizauit aqua, vos autem baptizabimi spiritu sancto non post multos hos dies. De qua quidem octauæ Pentecostes solennitate dicit quidam doctor egregiè: Octauus dies est, qui & primꝰ, secundùm formam octo beatitudinum. Prima beatitudo dicit: Beati pauperes spiritu, quoniã ipsorum est regnum cælorum. Octaua ità, Beati qui persecutionem patiuntur propter iustitiam, quoniam ipsorum est regnum cælorũ. Ad regeneratos pertinent hæ sententiæ, vt qui pauperes

Matt. 5.

Rom. 8.

Esa. 11.

Rom. 6.

Matt. 3.

Act. 1.

Matt. 5.

pauperes sunt, in hac vita propter regnum cælorum vsque ad finem vitæ perseuerantes sint, vt accipiant regnũ, pro quo hìc laborauerunt. Baptismus verò Neophytorũ, quamuis in sabbato agatur, ad illum baptismum pertinet, quem Apostoli acceperunt in die sancto Pentecostes, cuius octaua est dies Dominica sequens, quam solemus appellare octauas Pentecostes. Et iterùm post aliqua: Celebratur per septem dies opus septiformis spiritus, & octaua die consummatio & declaratio & glorificatio eiusdẽ operis. Quod si ità est, meritò eandẽ glorificationẽ in nostris officijs recolit octaua dies, quæ redit ad caput, q̃ & prima dies. Itaq; sicut celebrauimus maiestatem Spiritus sancti in Pentecoste, celebremus & in octauis eiusdẽ festiuitatis, quatenùs sæpissimè recolendo eius dona, dignetur charitas eius se profusiùs infundere cordibus nostris. Ex his omnibus manifesta ratio patet, quòd hi qui octauã Pentecostes celebrant, rectiùs agunt, quàm qui hoc agere nolunt. Igitur iustissimè & rectissimè, à sancta matre Catholica Ecclesia toto orbe terrarum diffusa, octauæ Pẽtecostes solẽnitas celebratur, veneratur, & colitur. Si quis verò huic sanę diffinitioni contradicit, eiusdẽ matris Ecclesiæ vnitatẽ scindit. Finito tãdèm eo, quo hactenus vtebamur, sermone, libet aliã rationẽ inchoare.

De Aduentu Domini. Cap. 4.

Dominica prima de aduentu Domini, Dominica secunda, Dominica tertia, Dominica quarta, quæ proxima est ante Natiuitatẽ Domini. Aliter verò in Lectionario, quem librum comitis appellauit, sic: Dominica quinta ante Natiuitatem Domini, quam Amalarius prępparationẽ Dominici aduentus nominauit. Deindè Dominica quarta ante natiuitatẽ Domini, Dominica 3. ante Natiuitatem Domini, Dominica secunda ante Natiuitatem Domini, Dominica prima ante Natiuitatem Domini, vt conuersò modo quæ apud Hieronymum dicitur prima vel proxima ante Natiuitatem Domini, apud Gregoriũ dicatur Dominica quarta de Aduentu Domini, nõ inconuenienter, vt reor, propter quinq; huius seculi ętates, in quibus hominum genus sub iugo diaboli captiuũ tenebatur, quousq; per intactæ virginis vterũ nascendo in carne appareret, qui carnis peccata per sui corporis hostiam aboleret, & initium sextæ sequentis ætatis sanctificaret: vel quia interior noster homo per quinq; sensus corporis corrumpitur, ità vt in nobis mors operetur, sicut propheta dicit: Introiuit mors per fenestras vestras, quatenùs in his quinque hebdomadibus hospitium mentis illi regi nostro præparetur, quẽ ꝓphetica lectio in ipsa hebdomada quinta his verbis pronunciat venturum: Eccè dies veniunt, dicit Dominus, & suscitabo Dauid germen iustũ, & regnabit rex, & sapiẽs erit, & faciet iudiciũ & iustitiã in terra. Quaternarium verò numerũ, quem, vt suprà notauit sanctus Gregorius, in quatuor Dominicis de Aduentu Domini diebus posuit, tali celebrant sacramento, vt homo qui quatuor consistit elemẽtis, per quatuor hebdomadas eius expectet aduentũ, quem per tres ordines librorũ, legis scilicet, prophetarũ, psalmorum, olim promissum, & per quartũ, id est, principiũ Euangelij Angelo sanctę Mariæ semper virgini cõceptũ, ac natiuitatis eius ordinem narrante, ad salutẽ humani generis certissimè sciunt huic mundo præsentatum. Et nè tantilla paruitatis meę attestatio, quam ex aliorum magìs, quàm ex propria proferatur sententia, videatur parumpendenda, Maiorũ dicta ponantur in medio, vt vel ex his liquidò comprobetur, quorũ vsus rectior habeatur. Ait nempe Amalarius diuinorũ officiorum scrutator non contemnendus: In antiquis libris Missalium & lectionariorũ reperitur scriptum, hebdomada quinta ante Natiuitatẽ Dñi. Totidem enim lectiones habemus in lectionario, & totidem Euangelia à tẽpore memorato per dies Dominicos vsque ad Natiuitatem Domini. Antiphonarius habet tria officia diurna, & quartum in die Dominico, qui vacat post lectiones duodecim: Nocturna verò quatuor, vt superiùs dixi, per dies Dominicos. Auctor lectionarij excitat fidem nostrã ad recolendum Domini nostri Iesu Christi venturi in mundum præconium per quinq; ætates mũdi. Auctor Missalis, qui nominatur Gregorialis, & Antiphonarij nos tangit, vt recolamus Natiuitatẽ Dñi celebratam per tres ordines librorũ, scilicet legis, prophetarum, & Psalmorũ, necnon & per quartum, id est, principium Euãgelij, in quo narratur Gabriel Archãgelus missus ad Zachariã, videlicet nuncius pręcursoris Natiuitatis Domini, verùm etiam & prophetia Zacharię de aduẽtu Dñi, & Gabriel missus ad Mariam Virginem, narrans ei conceptionẽ Saluatoris nostri, & cætera talia vsq; ad ipsam Natiuitatem. Nempe & ipsa quarta hebdomada, hoc est, quæ proxima est ante Natiuitatem Domini, siue in qua celebratur, singularis est: Habet in matutinali officio per vnamquanque feriã antiphonas proprias in psalmis. Et alio modo auctor lectionarij docet nos, q̃ fortis sit Dominus, qui venturus est ad nos, & intraturus domum nostram, vt in ea habitet, quam nos solemus sordidare quinque sensibus nostris: Illices formę intrant per oculos: Suspicio mala de fratre per aures: odor libidinosus per nares: per os ingluuies polluit, per tactũ crudelitas. In sordibus nõ vult habitare rex venturus, nisì ità purgetur hospitium, vt nec saltem puluis talium phantasmatũ remaneat, non dignabitur hospes vẽturus intrare in illud. Ideò scribit auctor lectionarij quinq; lectiones quinq; hebdomadarum, vt nos hortetur circuncidere quinq; sensus nostros ab omni vitio, & parare mansionem dignam regi & Dño atque vero prophetę. De ipso rege dicit prima lectio: Eccè dies

Ierem. 9.

Luc. 1.

Ierem. 31.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Ioan 6.

A veniunt, dicit Dominus, & suscitabo Dauid germen iustum, & regnabit rex, & sapiens erit. At verò de Domino, Et hoc est nomen, quod vocabunt eum, Dominus iustus noster. Et iterùm in Euangelio de propheta: Quia hic est verè propheta, qui venturus est in mundum. Auctor Missalis siue antiphonarij, eandem preparationem hortatur nos facere per quatuor hebdomadas. Sicut enim homo internus quinque sensibus ad animã benè aut male operatur, ità per quatuor elementa aut ruit ad mala opera, aut surgit ad bona. Quapropter, vt dixi, hortatur nos auctor memoratus, vt si vsque modò torpuimus negligentia, dehinc surgamus ad mundandam domum nostram, vt qui nõ excitatus est in quinta hebdomada, saltem in quarta surgat. Ipsum enim sonat lectio, quæ legitur in

Rom. 13. quarta hebdomada, Scimus quia hora est iam nos de somno surgere, & reliqua. Non dubito

Psal. 24. propterea cantorem in memorata hebdomada cum tuba sua exaltare vocem, Ad te leuaui animam meam, vt excitet eos qui in quinta hebdomada sopore negligentiæ oppressi sunt. Quomodò nostram domum præparare debeamus, in sequentibus memorata lectio monstrat: Non in comessationibus & ebrietatibus, non in cubilibus & impudicitijs, non in contẽtione & æmulatione, sed induimini Dominum Iesum Christum. Eandem præparationem in-

for * aures Psal. 47. culcat in * aras cordis nostri sacramentarium: Suscipiamus, inquiens, Domine misericordiã tuam in medio templi tui, vt reparationis nostræ ventura solennia congruis honoribus præcedamus. Hæc autem causa est, qua patrũ sententia fulcitur, * Omnis enim omnipotẽtis verbi humanati dispensatio, sanctæ Trinitatis indiuidua est operatio. Et quamquàm ad solum

D filium respiciat humanitatis assumptio, tamen ad totam Trinitatem pertinet effectiua nostræ redẽptionis consummatio. Quapropter æquũ per omnia fore & conducibile censetur, quatenùs tres tantùm hebdomadæ obseruẽtur in aduentu Domini. Quòd si aliquid supercreuerit, synecdochicõs accipitur, nẽ tanti mysterij ordo & regula præsumptuosè (quod absit) annulletur. Est autẽ & alia eiusdẽ negocij ratio haud quaquàm vilipendenda, quo gloriosus Ecclesiæ auctor & doctor eximius Hilarius in libro

E officiorum vtitur: Sicut, inquiens, pater ille familias in Euangelio trino aduẽtu infructuosã ficulneã visitauit, sic sancta mater Ecclesia Saluatoris annuo recursu per triũ septimanarũ secretum spatiũ sibi incitauit. Venit enim filius

Luc. 19. hominis quærere & saluum facere quod perierat. Venit ante legem, quia per naturalem intellectum, quid vnicuique sequendum, quidve agendum sit, innotuit: Venit sub lege, quia patriarcharum exemplis & prophetarum præconijs, semini Abrahæ legalia confirmauit decreta. Venit tertiò post legem per gratiam, ad vocationem gentium, vt à solis ortu vsque ad

Psal. 112. occasum laudare diserent pueri nomen Domini, quos vsque ad finem mundi ad suæ maiestatis cultum exhortari non desinit.

De Missa, Deprecationem nostram, & concordia officiorum Dominicalium.
Cap. 5.

DE Missa, Deprecationem nostram, quæsumus DOMINE, benignus exaudi, quæ in quibusdam sacramentorum libris bis solet poni, primò videlicet peracta Pentecostes hebdomada, post officia ieiunij mensis quarti, quę

B prætitulatur in Missali, Dominica vacat. Item secundò, post duas Dominicas, tertia incipiente. Vbi quærendum reor, quo loco rectiùs dicatur: Nam per singula quatuor tẽpora peracto ieiunio, sequens Dominica vacat ab officio, quamuis Missæ non desint indè compositæ. Et quia officia ieiunij primi mensis, in prima quadragesimę hebdomada, & ieiunij quarti mensis in hebdomada Pentecostes inueniuntur cõscripta, licèt semper eodem perueniãt ordine, tamen sicut peracta prima quadragesimę hebdomada, ea Dominica quæ ibi posita est, dicitur, & lectiones Apostoli & sancti Euangelij

C leguntur, ità & hìc agendum esse, recte & precipuè cum eadem Missa lectio Apocalypsis Ioannis & Euangelium, quæ eodem die leguntur, miro inter se concordant modo. Nã sacerdos & sua & Ecclesiæ voce deprecatur sibi præstari supplicandi affectum, & defensionis auxilium: Apo. 4. & in lectione scriptum est, Et prociderunt viginticuatuor seniores ante sedentem in throno, & adorabant viuentẽ in secula seculorum, Amen. Et in Euangelio princeps Iudęorum Ni-

Ioan. 3. codemus venit ad Iesum nocte, rogans & interrogans de animæ suæ salute. Et deincèps finita hac eadem hebdomada vsque ad aduentum Domini, par numerus inuenitur tam officiorum, quàm & Missarum. Nam vigintitres hebdomadę computantur ità concordes, vt aliquandò omnis cantus videlicet antiphonarum, quæ dicuntur Introitus gradualium, offertoriorũ, cõmunionũ, cum lectionibus Apostolicis & Euãgelicis ità conueniant, vt velut quoddam organum distantis inter se vocis concordem Symphoniam reddant. Vt enim exempli gratia pauca ex plurimis proferamus, primam Dominicã

Psal. 12. post octauam Pentecostes intendamus, vbi Introitus ità incipit: Domine, in tua misericordia sperani. & responsorium: Ego dixi Domine, & vers. Beatus qui intelligit super egenum. Offerenda quoquè, Intende voci orationis meæ. Nõnne suis vocibus videtur tibi, pro

Psal. 41. Psal. 5. phetam in voce pauperis Lazari vel in persona sanctæ Ecclesiæ, hoc quidem tempore pauperis & afflictæ, ad Deũ proclamare, vt in hac conualle lachrymarum dignetur misereri mentorum suorum? Et quid ipso die lectio Ioannis, nisi tota charitatis melle redundat, dũ dicit, Deus charitas est, & q manet in charitate,

1. Ioan. 4. in Deo manet, & Deus in eo? Et paulò superiùs:

Deus

Ibid. Deus dilexit nos, & nos debemus inuicèm diligere. Quid autem sanctum Euangeliũ sonat, nisi vt ad misericordiæ opera nos prouocet,

Luc. 16. quandò & pauperis Lazari patientiã in sinu Abrahæ remuneratam, & diuitis superbi auaritiã ostendit damnatum? Pro huiusmodi re sacerdos illum deprecatur, qui est in se sperantium fortitudo, vt adsit inuocationibus nostris propitius: & quia sine illo nihil potest nostra mortalis infirmitas, sicut nec Lazari sine eius adiutorio potuit, præstet nobis auxiliũ gratiæ suæ, vt in exequendis mandatis eius illum diligendo ex toto corde, & ex tota anima, & ex omnibus uiribus, & proximum nostrũ sicut nosmet ipsos, & voluntate illi & actione placeamus, vt quãdoq; post huius vitæ terminũ, in sinu Abrahæ recepti, vnusquisque nostrum, læto cordis

Psal. 9. iubilo cantare possit cum Lazaro: Narrabo omnia mirabilia tua, lætabor & exultabo in te, psallam nomini tuo altissime. Et in hunc modũ per vigintitres hebdomadas, si illa Missa superius dicta, tertio loco prætermittitur, aut omnia cum omnibus, aut aliqua cum aliquibus, maximè autem, si diligenter inspicitur, Missæ concordant cũ Euangelicis lectionibus. Et nè

C multiplex sermo lectori fastidium gignat, prætermissis plurimis, pauca adhuc dicamus sub exemplis: Qualiter illa Euangelica lectio, qua

Luc. 5. Dominus Petro prædicit, Noli timere, ex hoc iam homines eris capiens: & ille subductis ad terram nauibus, cum socijs suis secutus est illũ, congruat orationi Missæ, nõ est laboriosum in uestigare, quæ huiusmodi componitur prece: DEVS qui diligentibus te bona inuisibilia prę paraſti, infunde cordibus nostris tui amoris affectum, vt te in omnibus & super omnia diligẽtes, promissiones tuas, quæ omne desiderium superant, consequamur. Vt hęc omnia cum Apo-

D stolis mereamur cõsequi, hortatur nos Petrus in lectione, omnes vnanimes in oratione existere. Iterùm illi Euangelicę lectioni, vbi Dominus quatuor millia hominũ septem panibus & piſciculis paucis pauit, hęc Missa congruit: DEVS, cuius prouidentia in sui dispositione non fallitur, te supplices exoramus, vt noxia cuncta submoueas, & omnia nobis profutura concedas. Prouidit enim DEVS, quid esurienti populo esset facturus. Meritò populi diuinę largitatis pabulo refecti, cum Daniele Prophe-

E ta decantant lęti: Sicut in holocausto arietũ, rogantes, vt sic fiat sacrificiũ in conspectu Domini, vt placeat sibi. Et quia hęc verba ad legalia pertinebant sacrificia, & ea nunc in mysterium corporis CHRISTI & sanguinis sunt mutata, testantur verba secreta, quę ità incipiunt: DEVS qui legalium differentia hostiarũ vnius

Luc. 19. sacrificij perfectione sanxisti: Illi Euangelio, in quo Dominus super ciuitatem Hierusalem fleuit, hęc oratio congruit: DEVS qui omnipotentiam tuam parcendo maximè & miserando

Luc. 18. manifestas, multiplica super nos misericordiã tuam. Illud Euangelium, Duo homines: & illa Apostolica lectio, quę ea die legitur, benè concordant, dum Apostolus dicit: Ego sum minimus Apostolorum, qui non sum dignus vocari Apostolus, quoniã persecutus sum Ecclesiã 1. Cor. 15. Dei. Et publicanus à longè stans, nolebat nec oculos ad cęlũ leuare, sed percutiebat pectus suum, dicens: Deus, propitius esto mihi peccatori. Inter hos medius stans Sacerdos, orat & dicit: Omnipotens sempiterne Deus, qui abundantia pietatis tuę & merita supplicũ excedis & vota, effunde super nos misericordiam tuã, vt dimittas quę conscientia metuit, & adijcias

B quod oratio non præsumit. Nunc videamus de duodecima Dominica post octauas Pentecostes, quę concordia in illo officio esse possit. Marc. 7. Nam in Euangelio secundùm Marcum eo die legimus, qualiter adducunt Domino surdum & mutum, & deprecabantur illum, vt imponat illi manus. Et post pauca: Et statìm apertę sunt aures eius, & solutum est vinculũ linguę eius, & loquebatur rectè. Quod intuens propheta ex persona infirmantis in Introitu deprecatur Deum, dicens: Deus in adiutorium meum intẽde, Dñe ad adiuuandum me festina. Congruit Psal. 69. etiam titulus eiusdem psalmi, qui ità inscribitur: In finem Dauid in rememorationem, eo quòd saluum me facit Dñs. Cernens sacerdos hanc sanitatum gratiam, non nisi ex diuino munere euenire, orat ad Dominum huiusmodi prece: Omnipotens & misericors Deus, de cuius munere venit, vt tibi à fidelibus tuis dignè & laudabiliter seruiatur, tribue quęsumus nobis, vt ad promissiones tuas sine offensione curramus. Vndè & in lectione Apostolus ꝓfitetur fiduciam se habere per Christum ad Deum. Et in responsorio iam quasi soluto linguę vinculo propheta laudes se Deo promittit referre, di-

D cendo: Benedicam Dominum in omni tempo- Psal. 33. re, semper laus eius in ore meo. In Domino laudabitur anima mea. In lectione introducitur nomen Moysis, & in offerenda, precatus est Moyses in conspectu Dñi pro peccatis populi sui, vt sicut in Euangelio corpore infirmũ, ità hìc sanet Dominus populum in anima languidum. Vndè scriptum est: Et placatus factus Exo. 32. est Dominus de malignitate, quã dixit facere populo suo. Et in versu, Dixit Dñs ad Moysẽ, Inuenisti gratiam in conspectu meo, & scio te

E pręomnibus. Sic vterque populus noui ac ve- Exo. 33. teris testamenti curatus, diuina commemorat beneficia: ità canens cum propheta, De fructu Psal. 103. operum tuorũ Dñe satiabitur terra, vt educas panẽ de terra, & vinum lętificet cor hominis. Terra quę in primo homine maledicta, spinas & tribulos germinauit, nunc cęlesti imbre perfusa, ac bonorum operum fructu satiata, illum panẽ producit, qui de cęlo descendit, cuius gustu reficimur, & vini poculo in mysterio sanguinis Christi potamur, vt oleum diuinę misericordię faciem interioris hominis exhilaret, & panis eiusdem cor hominis confirmet. Illi Euangelio, vbi Dominus legisperitum de

Universidad de Deusto
Biblioteca

mandato interrogat, & ille respondens, dixit: Matt. 22. Diliges Dñm Deum tuũ ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex omnibus viribus tuis, & ex omni mente tua, & proximum tuum sicut teipsum. & Samaritanus curat illum vulneratum, & stabulario dat, & promittit præmium, cõgruit hæc oratio ad Dñm: Omnipotens sempiterne Deus, da nobis fidei, spei, & charitatis augmentũ, & vt mereamur assequi quod promittis, fac nos amare quod pcipis. Hæc & alia, quæ vel prætermissa, vel dicta sunt, vel quæ adhuc restant, si diligenti cura obseruentur, concordi fine concluduntur, si tamen illud officiũ, Exultate Deo, nullo canitur die Dominico. Nam cùm cæteræ Dominicæ, quę post ieiunia vacant, lectiones & euangelia habeant cõstituta, & hæc Dominica, quæ hic vacat, ità non habeat iure illud officiũ prætermittitur, vt in cæteris cõcordia reseruetur. Si quis verò obijcit, cur officiũ quartæ feriç non hic similiter cãtetur, sicut in Aduentu Domini, & in Quadragesima, respondemus, quia cum quatuor hebdomadæ in Dominico aduentu ante natale Domini sint prænotatæ, & in quadragesima per singulos dies singula sint officia constituta, vt in Aduentu Domini quarta, & in Quadragesima, secunda Dominica vacent, meritò ab ecclesiasticis viris est constitutũ, qualiter illi duo dies supplerẽtur per officia quartarum feriarũ: At verò finita Pentecostes hebdomada, & sequẽti Dominica, quæ vacat, nõ iam officium quartæ feriæ repetitur, sed, spiritus Dñi canitur: ità & finito septimi mensis ieiunio, nõ repetendum puto quartæ feriæ officium, sed magis, si necesse fuerit aliquod officium obseruandũ, & non occurrit aliqua festiuitas sanctorum, rectiùs prioris hebdomadę officium, sicut solet fieri in Galliarum ecclesijs, repetitur, quàm cõcordia Euangeliorum & officiorũ dissipetur. Nec satis mirari queo, quid causæ obsistat, cur nõ liceat vnum officium, si ità euenerit, cantari per duas, sicut & vnã historiam cum suis responsorijs, per duas vel per tres vel p quatuor hebdomadas. Nam finita hebdomada quæ vacat, in Introitu Missæ Cantor pacem à Dño rogat, vt Psal. 121. prophetæ eius fideles inueniantur. Et respõsorio propheta Dauid, Lætatus sum (inquit) in his, quæ dicta sunt mihi, in domũ Dñi ibimus: & in versu, Fiat pax in virtute tua. In Euãgelio facit Dñs mentionẽ prophetæ Moysis, dicens: Matt. 23. Super cathedrã Moysis sederũt scribæ & Pharisæi. Sequens offerẽda ità incipit: Sanctificauit Moyses altare Dño. & primus versus, Locutus est Dñs ad Moysen: Secundus versus, Orauit Moyses Dñm. Et in cõmunione hortatur nos Psal. 95. psalmista cũ Moyse tollere hostias, & introire in atria Domini, adorare Dominũ in aula sancta eius. Et quia Deo nec in sacrificio, nec in oblatione hostiarum sine eius adiutorio placere possumus, nec in atria eius introire, nec in aula eius adorare eum, meritò sacerdos ex sua & nostra voce Deum deprecatur, dicẽs: Dirigat corda nostra Dñe quæsumus tuæ miserationis operatio, qa tibi sine te placere non possumus. In sequenti Dominica in Introitu, cõsolatur nos ipse, dicens: Salus populi ego sum, & cætera. Vndè & in Euangelio non solùm sanat paralyticum, quem ei offerebant, iacentem in lecto, verùm etiam dimittit peccata, sicut eidem dicit: Confide fili, remittuntur tibi peccata tua. Vndè & meritò nos Dominum in oratione Missæ rogamus, vt omnipotens & misericors Deus vniuersa nobis aduersantia ppitiatus excludat. & sicut paralyticus ex miseratione Dei libero gressu incedebat, ità & nos mente & corpore expediti, quæ Dei sunt liberis mentibus exequamur. Et quia Apostolus quosdam de scribis sciebat intra se dixisse, Hic blasphemat: in epistola sua præmonebat, dicẽs: Ephe. 4. Propter quod loquimini veritatẽ vnusquisque cum proximo suo, & nolite locum dare diabolo. Deindè occurrit illa Dominica, vbi illud Euangelium legitur, in quo quidam ad nuptias filij regis inuitati, neglexerũt venire, sicut scriptum est: Et abierunt, alius in villam suam, alius ad negociationem suam: Reliqui verò tenuerunt seruos eius, & contumelia affectos occiderunt. Quod nos præcauere volens Apostolus, in epistola sua admonet, dicẽs: Nolite inebriari vino, in quo est luxuria, sed implemini Matt. 22. Spiritu sancto. Vbi etiam inter discumbentes rex videns hominem non vestitũ veste nuptiali iussit eum ligatis manibus & pedibus mittere in tenebras exteriores: ibi erit fletus & stridor dentiũ. Quod intuens populus pœnitens, sup flumina, inquit, Babylonis sedimus & fleuimus dum recordaremur Sion. Et cantor volẽs iustũ iudicẽ placare, & beneuolũ reddere, huiusmodi verbis cõfitendo incipit canere: Omnia quæ Dan 3. fecisti nobis Dñe, in vero iudicio fecisti, quia peccauimus tibi, & cætera. In responsorio iam adspirans ad conuiuiũ Dei, ità canit: Oculi om- Psal. 144. niũ in te sperant Dñe, & tu das illis escã in tẽpore opportuno. Propter hæc omnia rogat sacerdos piũ iudicẽ, vt fidelibus suis largiatur indulgentiã placatus & pacem, vt pariter ab omnibus mundentur offensis, & secura tibi mente deseruiant. Et in cõmunione iam quadam spe ex diuino munere Propheta animatus, ex persona fidelium canit lætus: Memento verbi tui Psal. 118 seruo tuo Domine, in quo mihi spem dedisti, hæc me consolata est in humilitate mea. Concordia inter lectionem euangelicam & Apostolicam, offerendam & Missam, in ea, quæ subsequitur hebdomada, in propatulo est. Nam in Ioann. 5. Euãgelio Dominus infirmum Reguli filium sanat, & offerenda narrat de beato Iob, qualiter Iob 1. Satan à Domino petijt, vt tentaret eum, & data ei potestate in facultatem & in carnẽ eius, p didit omnẽ substantiã ipsius, & filios, carnem quoquè eius graui vlcere vulnerauit. Ad resistendum huiusmodi insidijs, hortatur nos Apostolus exemplo B. Iob, confortari in Dño, & in potentia virtutis eius. Induite vos (inquit) armaturam Dei, vt possitis stare aduersus insidias diaboli, & cętera, vsque ad finem lectionis. Et in Euangelio legimus, quia postquàm cognouit pater, quia illa hora sanatus est puer, in qua dixit ei Iesus, filius tuus viuit, credidit ipse & domus eius tota. Domus eius, intelligitur familia eius. Pro qua familia, id est, Ecclesia de gentilitate collecta, rogat sacerdos his verbis: Familiã tuam, quęsumus Domine, continua pietate custodi, vt à cunctis aduersitatibus te protegente sit libera, & in bonis actibus tuo nomini sit deuota. In Respõsorio Prophe ta beneficia iusti iudicis potestatemq; cõmemorat, dicẽs: Domine, refugiũ factus es nobis, &c. vsque ad finẽ subsequentis versus. Vndè & cantor in Introitu confitetur, qp in voluntate Dñi vniuersa sint posita, & nõ sit qui possit resistere eius voluntati. In communione quoquè propheta ex persona B. Iob vel sanctę ecclesię, multimodis persecutionibus subditę, orat ad Pfal. 118. Dñm, dicens: In salutari tuo anima mea, & in verbo tuo superspe raui, quando facies de persequentibus me iudiciũ. Iniqui persecuti sunt me, adiua me Dñe Deus meus. Nunc superest tãtùm, vt dicamus de Dominica vigesimasecũda post octauas Pentecostes, quam cõueniẽtiã illud officiũ totum cum Euangelio habeat: in quo introducitur persona regis, qui voluit ratiõnẽ ponere cum seruis suis. Cui cùm oblatus Matt. 18. esset debitor decẽ millium talentorum, nec haberet vndè redderet, misertus eius, dimisit ei debitum. Sed quia ille noluit misereri cõserui sui, iratus Dominus, debitũ, quod dimisit, repetit, tradiditq; eum tortoribus, quoadusq; redderet vniuersum debitum. Quõ hęc parabola tendat, Dominus manifestè denunciat, dicens: Sic & pater meus cęlestis faciet vobis, si nõ remiseritis vnusquisq; fratri suo de cordibus vestris. Quam sententiã propheta pertimescens, Psal. 129. in Introitu clamat ad Dominum, dicẽs: Si iniquitates obseruaueris Domine, Domine quis sustinebit? Et quoniam sciebat eum iustum iudicem esse, hac voce studebat eum beneuolum Psal. 45. reddere. Quia (inquit) apud te propitiatio est Deus Israel. Vndè sacerdos confidenter Dominum rogat, dicens: Deus refugium nostrum & virtus, adesto pijs ecclesię tuę precibus, auctor ipse pietatis, & pręsta, vt quod fideliter petimus, efficaciter consequamur. Tunc enim fideliter petimus, si conseruis nostris debita dimiserimus, vt & nos à nostris debitis per Dominum absolui valeamus. Nam & Apostolica lectio de obseruanda fraternę charitatis vnitate satis nos admonet, dum Apostolus seipsum in exemplum ponens, inter cętera sic dicit: Philip. 2. Testis enim mihi est Deus, quomodo cupiam vos omnes in viscęribus Iesu Christi. Et hoc oro, vt charitas vestra magìs ac magìs abũdet in scientia & in omni sensu, vt probetis potiora, vt sitis sinceri, & sine offensa in diẽ Christi, repleti fructu iustitię per Iesum Christum Pfal. 132. in gloriam & laudem Dei. Quam charitatem

Ephe. 6. Joan. 5.

commendat responsorium, dicens: Eccè quàm bonum, & quàm iocundum, habitare fratres in vnum. In offerenda, beata Hester ecclesię typum gerens, Dominum rogat recordari sui, & vt det sermonem rectum in os eius. Si enim rectus sermo in ore nostro sonuerit, videlicet peccata nostra confitendo, pœnitendo, proximis nostris debita remittendo, statìm in communione illa ad nos diuina dirigitur promissio: Dico vobis, gaudium est Angelis DEI Mat. 16. super vno peccatore pœnitentiam agente. De vicesima autem tertia Dominica, quoniam tractaui in quadam epistola, quam ad Aribonem Archiepiscopum de aduentu Domini cõposui, nunc aliquid dicere supersedeo.

Cap. 6.

INter hæc non ociosè quærendum puto, cur auctor officiorum tantummodò vigintitria inter octauas Pentecostes & aduentum Domini, Ordinator verò lectionarij vigintiquinque lectiones posuerit, exceptis his, quæ in octaua Pentecostes & Dominica quinta ante Natiuitatem Domini, & in sancta Trinitate legi solent. Quæ si vigintiquinque adduntur, xxviij. numerus adimpletur. Qui officia ordinauit, embolismales annos in decennouenali cyclo attendit, in quibus Pascha tardiùs solet occurrere, & breuiora temporum spatia, inter octauas Pentecostes & aduentum Domini conficere: alter verò communes, in quibus eadem paschalis festiuitas matutiùs consueuit prouenire. Dicamus sub exemplo, quando vltimus terminus paschalis xiiij. Kalendis Maij, & ipse Paschalis dies septimo Kalendas eiusdẽ mensis occurrit, qui diligenter computare voluerit, non plus quàm vigintitres hebdomadas ab octaua Pentecostes, vsque ad aduentum Domini inuenire poterit. Et ità accidit vt officium, *Domine in tua*, necessariò debeat cantari in ipsa octauæ Pentecostes hebdomada. Quando verò terminus primi paschæ duodecimo Kalendas Aprilis, ipsum verò sanctum Pascha statìm in crastinum, hoc est, 11. Kalendas Aprilis euenit, tunc ab octaua Pentecostes vsque ad Aduentum Domini, completur numerus viginti octo hebdomadarum, iuxta cõputationem lectionarij, dignus profectò numerus, qui inter has solennitates Spiritus sancti & Domini aduentus medius incedat, quia non solùm iuxta huius mundi sapientes, eo p partibus suis consistat, perfectus esse dignoscitur, verùm etiam magìs propter sacramentum septiformis gratiæ & euangelicæ doctrinę. Nam septenario quater ducto, in hanc perfectionis summam excrescit, vt sicut senarius infra denariũ, ità & iste infra centenarium numerũ perfectus inuenitur. Quod prudens calculator facilè intelligere quibit, si partium eius diuisiones diligenter in vnum colligit. Nulli verò dubium, quin septẽ ad Spiritum sanctũ, quatuor

Universidad de Deusto
Biblioteca

verò pertineant ad Euangeliũ, quia per septiformen gratiã Spiritus sancti prędicatur Euãgelium per quatuor plagas mũdi. Si quis verò contentiosè conatus fuerit reprehendere, q̃ in prædictis officijs non æquè omnia omnibus ex toto cõueniant, huiusmodi responsum à B. Augustino percipiat: Non sanè omnia quæ gesta narrantur, aliquid etiam significare putanda sunt, sed propter illa quæ aliquid significant, adduntur. Solo enim vomere terra proscinditur: sed vt hoc fieri possit, etiam cætera aratri membra sunt necessaria. Et soli nerui in citharis atque huiusmodi vasis musicis aptantur ad cantum, sed vt aptari possint, insunt & cætera in cõpagibus organorum, quæ non percutiuntur à canentibus, sed ea quæ percussa resonãt, his connectuntur: Ità in prophetica historia dicuntur etiam aliqua, quæ nihil significant, sed quibusdam adhæreant, quæ significant, & quodammodò religantur.

De ieiunio Quatuor temporum. Cap. 7.

TErminos rectæ fidei sanctæque doctrinæ posuerunt ab initio patres Catholici, quos omninò nefas est transgredi. Sed & multæ cõsuetudines Ecclesiasticæ inueniuntur à sanctis Patribus infra canonicę regulę terminos constitutæ, sicut sunt aduentus Domini, septuagesima, sexagesima, quinquagesima, quadragesima, Litania maior, dies rogationum ante ascensionem Domini, vigilię quorundam Sanctorum, necnon & hæc ipsa quatuor temporũ ieiunia, quæ præ manibus habentur, aliaque perplura, quæ omnia iure perpetuo absq; vlla transgressione nobis sunt obseruanda, ac pro lege tenenda, dicente sancto Augustino ad Casulanum presbyterũ de ieiunio sabbati: In his enim rebus, de quibus nihil certi statuit scriptura diuina, mos populi Dei vel instituta Maiorum pro lege tenenda sunt. Accedit etiam hoc, quòd nihil sine ratione in ecclesiasticis cõsuetudinibus à sanctis patribus constitutum reperitur, si causa diligenter inquiritur. Vt ex verum ac præcipuè S. Augustini sermonibus intelligi potest, necessarium est nostræ religioni, annuatim quatuor ieiunia celebrare. Nam quatuor temporibus voluitur annus: Ver, æstate, autumno, hyeme. Hæc quatuor tempora solẽt nos per delectamenta sua reuocare ab amore creatoris. Qua de re ieiunandum est in vnoquoq; tempore, vt castigentur nostra quatuor elementa, nè surripiantur à delectatione mundi. Ipsa quatuor elementa coniuncta sunt quatuor temporibus anni. Ver est humidum & calidum, & in eo facimus vnum ieiunium, vt elementum humoris in nobis castigetur, ne consentiat falsæ pulchritudini veris. Ex humore enim & calore nascitur pulchritudo terræ. Aestas sicca est & calida, in qua alterum ieiuniũ facimus, vt castigetur elementum caloris in nobis, nè consentiat incendio carnali. Tertium fit ieiunium in autumno, quì est frigidus & siccus, nè aliquo languore animi arescamus ac defluamus, & inueniamur sine pinguedine olei in æterno tabernaculo: etenim illo tempore congregamus, quo fruamur in futuro. Quartũ ieiunium fit in hyeme, quæ est frigida & humida, nè membra nostra fluxu atque luxu soluantur in comessationibus & potationibus, & per hoc negligatur amor Dei. At quia quatuor tẽpora annorum nos impediunt* ad amorẽ Dei, quatuor ieiunia facimus, per singula quæq; tẽpora suum ieiunium, vnumquodq; pro suo tẽpore. Simili modo diurna curricula quatuor nos impediũt ab amore scilicet cælestium, Matutinum, meridianum, vespertinum, nocturnum. Per hæc etiam quotidiè ab amore æternorũ retrahimur. In vnoquoq; tres dies sunt. Quia vnumquodque tempus tres menses habet, pro vnoquoq; mense singuli dies ieiunio consecrantur. At verò quia quotidiana peccata adgrauant, non sufficit vnum ieiunium per vnumquodq; tempus, ac per hoc quadragesimale tempus inducimus, quo quotidiana peccata affligantur. Eadem verò quatuor temporum ieiunia his diebus solent celebrari, scilicet quarta feria, sexta, & sabbato. Ideò quarta, quia Iudæi in ea fecerunt consiliũ, vt occiderent Christũ. Sexta, quoniã occiderũt eum: sabbato, ex auctoritate sanctæ Romanæ ecclesiæ, cõcluditur ieiunium, propter tristitiã Apostolorum, quam de morte nostri redemptoris habuerunt, sicut Innocentius Papa in suis Decretalibus narrat. Sabbato (inquit) ieiunandũ esse ratio euidentissima demonstrat. Nam si diem Dominicum ob venerabilẽ resurrectionem Domini nostri Iesu Christi non solùm in Pascha celebramus, verùm etiam per singulos circulos hebdomadarum ipsius diei imaginem frequentamus, ac si sexta feria propter passionem Domini ieiunamus, sabbatum prætermittere non debemus, qui inter tristitiam atque lætitiam temporis illius videtur incluſus. In quo etiam sabbato consecratio ordinum ecclesiasticorum celebratur, causam etiam eiusdem consecrationis, sancto Augustino dicente ad Ianuarium: Sabbatum, inquit, commendatum est priori populo in ocio corporaliter celebrandum, vt figura esset sanctificationis in requie Spiritus sancti. Nusquàm enim legimus in Genesi sanctificationem per omnes priores dies, sed de solo sabbato dictum est: Sanctificauit Deus diem septimum. Quia ergò charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis, ideò sanctificatio in septimo die commemorata est, vbi requies commendatur. Nunc de lectionibus videamus. In quarta feria duę lectiones leguntur, vt hi qui in sabbato sunt consecrandi, admoneantur, vt notitiam legis & prophetarum habeant, quę maximè in quarta ætate vigebant. Sexta feria vna

* ab amore

vna tantùm legitur, quia lex & prophetia in vno Euangelio recapitulantur, quod nunc in sexta mundi ætate prædicatur ac legitur. De duodecim lectionibus, quæ prætitulantur in libro Sacramentorum, die sabbati, sic in litteris Patrum reperitur scriptum: Sex lectiones ab antiquis Romanis Græcè & Latinè legebantur. Qui mos apud Constantinopolim hodiè quoque seruatur propter duas causas: vnam, quia aderant Græci, quibus incognita erat Latina lingua: aderantq; Latini quibus incognita erat Græca: alteram quoque, propter vnanimitatem vtriusque populi. Duodecim lectiones dicũtur propter duodecim lectores, nõ propter duodecim sententiarum varietates. Sex lectiones sunt tantummodò in sententiis. Neq; enim si dixerimus Amen, verũ: propterea duas veritates intelligere debemus, sed vnam. Sed de his hactenus. nunc ad propositum redeamus. Quæstio tua, si ritè recordor, talis erat, vt scire optares, vtrumnam statim in primo sabbato Martij sic ieiunandum, etiamsi idem mensis quinta, sexta, aut septima feria incipiãt, an ad aliud sabbatum propter quartam feriam sit differendum. Ad quod tibi ex consuetudine sanctæ Ecclesiæ, quæ pro maxima auctoritate tenenda est, respondeo, quòd absque vlla refragatione semper eiusdem mensis quarta feria debeat expectari, quoniam idem ieiunium, quod quarta feria incipitur, sabbato finitur: nequaquam Februario, sed totum Martio deputatur, ea videlicet ratione, vt in eo mense primum ieiunium nostrum Domino consecretur, in quo principium anni, ac ipsa creatio mundi cœpit. Vndè iste terminus firmiter est obseruandus, vt nec ante iiij. Nonas Martij, nec post vj. Idus eiusdem mensis aliquis statuat ieiunandum, sed in his septem diebus vbicumque primum euenerit, ieiunare licitè valebit. Ex quo velut intellectuali quodam filo rectissimæ regulæ linea, per quatuordecim hebdomadas vsque in secundum Iunij mensis sabbatum, itemq; indè per alias quatuordecim ad tertium Septembris sabbatum: item siue per tredecim, siue per quatuordecim, ad illud proximum ante Natiuitatem Domini sabbatum, vt absque errore eorumdem sabbatorum termini possint inueniri. Ad hoc demonstrandum constituantur feriæ septem cum diebus totidem mensis Martij, id est, à quarta Nonarum vsque in septimam Idus, per quos primi sabbati termini solent variari, vt his inspectis res ipsa de nobis aperiat. Vt enim ab vltimo incipiamus, Martius aut quinta feria incipit, & sabbatũ in quo est ieiunandum, sexto Idus occurrit: aut mensis sexta feria, sabbatum verò septimo Idus, aut ille feria septima, istud verò octauo Idus: aut mensis prima, quæ est Dominica, & Sabbatum Nonis: aut si ille feria secunda, istud pridiè Nonarum: Si verò tertio, istud tertio Nonas, at si Martius, feria quarta, sabbatum quarto Nonas. Si ex his singulis terminis adhibita cõputatione ad terminos Septembris per quatuordecim hebdomadas aciem rectè dirigis, liquidò peruidebis, in quarto seu septimo mense quartas ferias iuxta sui quantitatem suis sabbatis minus deesse, excepto Septembri, quando ipse incipit feria quinta, Iunius quarta, Martius tertia. Qua ex re sic cueniat, prudenti calculatori ad indagandum nequaquàm erit difficile. Ex his omnibus ratio manifesta docet, firmius ac stabilius esse argumentũ, quod ex hebdomadarum numero collectum numquam nutat, quàm quod ex feriarũ consideratione compilatum aliquando vacillat. De mense verò decimo nihil aliud dicendũ est, nisi vt proximum ante Natiuitatem Domini semper obseruetur sabbatum, excepto quando vigilia cuenerit in sexta feria. Scio me pro certo ita dixisse, & quàm verũ sit etiam in hac re, de qua præsens tractatus habetur, qua potero breuitate ex dictis, maiorem curabo demonstrare. Igitur Amalarius diuinorum officiorum indagator solertissimus, cuius dicta Catholicorum virorum sententiis fulgent munita, cùm de iisdem disputaret ieiuniis, sic inter alia dicit: Primi Apostolici semper in Decembri mense, in quo Natiuitas Domini nostri Iesu Christi celebratur, consecrationes ministrabant, vsque ad Simplicium, qui fuit à beato Petro quadragesimus nonus. Ipse primus consecrauit in Februario, ni fallor, nullam ob aliam causam, nisi intimando coniungendos propinquius Christi corpori, qui per sacrum mysterium prouehuntur. Quod nullo modo satius fieri potest, quàm si per eos patriarchas, ex quibus Christus natus est, generentur. Quod impossibile est secundũ carnem, secundùm spiritum dignum & habile, hoc est, vt per interpretationes nominum Patriarcharum nascantur mente, qui genealogiæ Christi videntur familiarius adiisci. Et quia incongruum est, sicut vnicuique generationi singularis hebdomada deputatur, ità per vnamquamque hebdomadam consecrationem celebrari, causa congruenti per singula tempora, quæ conuenire possunt virtutibus & interpretationibus Patriarcharum, qui in articulis genealogiæ positi sunt, consecratio celebratur spiritualis. Per tres tesseradecades annuales, fiunt hebdomadæ quadragintaduæ. Tot generationes secundùm Matthæum Christi sunt cum ipso, tot enim hebdomadæ inueniuntur, à primo sabbato primi mensis, vsque ad quartum sabbatum decimi mensis. Consecratio prima celebratur primo sabbato primi mensis, quæ quasi in loco Abrahæ generat Christum. Abraham interpretatur pater multarum gentium, cui dictum est. In semine tuo benedicentur omnes gentes. Si quis consecratus stat in semine multorum conuertentium per sua exempla ad Deũ est à primo Patriarcha Abraham genitus, est ipsum semen Christus, in quo semine promissum est Abrahæ benedici omnes gentes. Ipsa consecratio verno tempore celebratur, quod tempus

Amalarius lib. 2. c. 1.

Gen. 22.

Universidad de Deusto
Biblioteca

pus habile est, procreationibus'. Nã & Abrahã tertia ætate fuit huis mundi, quæ ætas comparatur adolescentiæ, quæ habilis est generationi filiorum. Secunda consecratio est in quarto mense, secundo sabbato, quod est initium secundi catalogi quatuordecim hebdomadarum. Hæc deputatur in loco filiorum Dauid. Dauid interpretatur manu fortis, ipse prostra uit Goliath, id est, humilitas superbiam. Qui consecrantur, propterea consecrantur, vt fortes sint & per humilitatem deiiciãt superbiam. Ipsa celebratur in Iunio mense, quando feruor magnus solis est super terram. Omnibus notum B est, Dauid bellicosum fuisse. Tẽpus Iunij aptum est bellis. Tertia consecratio celebratur in Septembrio tertio sabbato, quod est initium tertij catalogi. Hæc deputatur generationi Iechonię. Iechonias interpretatur præparatio Domini. Nulliq; dubium, si omnes oportet præparari in Aduentum Domini, quin potissimũm eos, qui consecrantur. Neque hoc sine ratione est, si computetur catalogus nouissimæ tesse radecadis, & semèl computetur Iechonias, non amplius inueniuntur cum ipso Christo quàm tredecim generationes; si ipse bis computetur, C quatuordecim inueniuntur. Sanctus Augustinus causa mysterij perhibet factum esse, quòd Iechonias, qui interpretatur præparatio Domini, bis numeretur, in fine prioris, & in capite sequentis catalogi, lapidem angularem, id est, Christum significans: in quo præparauit Deus pater duos populos quasi parietes in vnam iungere domùm. Quamquàm beatus Hieronymus vitio scriptorum & longitudine temporum inter Græcos & Latinos confusum esse narret, & patrem qui in Hebræo Ioachim nominatus est, non in Chaldæam ductum, sed defunctum in D terra sua, & filium Ioachim de captiuitate redeuntem Salathiel genuisse affirmet. Igitur supradictus doctor hoc voluit intelligi, vt tredecim & quatuordecim bebdomadæ præfigurarent in mysterio, quòd Iechonias semel aut bis poneretur in catalogo. Enimuerò omnibus annis tredecim inueniuntur, exceptis his, hoc est, quando Martius feria tertia vel quarta, Natiuitas verò Domini nostri Iesu Christi Dominica aut secunda feria acciderint. De hoc ieiunio, quod in ipsa solebant vigilia antiquiores celebrare, supra nominatus dixit Amalarius: E Quæ consecratio habet finem in ipsa Natiuitate Christi, sicut quorumdam Italorum, nescio an omnium, adhuc mos est agere, vt ego ipse ibidem positus cognoui: sed vsus in nostris excreuit ecclesiis, vt in anteriori hebdomada anticipetur, quia illa duo officia ieiunij & Natalis Domini, non conueniunt simul celebrari. Nam sicut præueniendo istud anticipamus, ita secundum sabbatum Iunij mensis cum vigilia Pentecostes si prouenerit, prolongãdo in proximum differimus, licèt nostri antecessores vtrumque in ipsa vigilia sancta simul celebrarent, sicut prætitulatione librorum euidens habemus testi-

A monium. Quid adeò opus est, nunc inquiri, quod tam longo tempore cœpit dedisci? attamen ne huiusmodi scientia frauderis, talis inscriptio super hac re habetur in libris nostris: Si euenerint duodecim lectiones in sabbato sancto Pentecostes, tunc in quarta feria cantetur & legatur Antiphona, Exaudi Domine: *Missa, Preces nostras quæsumus Domine. *oratio
Require in prima hebdomada Quadragesimæ. Lectio, Dixit Salomon. Item oratio, Deuotionem populi. Lectio Esaiæ prophetæ, Audi Iacob. Alleluia, Domine Deus salutis. Euangel. secundùm Lucam, Accedentes discipuli. Offert. Viri Galilæi, Communio: Pater, cùm essem. Feria sexta, Antiphona, Exaudi Domine: *Missa, Esto Domine propitius. Lectio, Exultate filij Sion. Alleluia, Domine refugium factus es. Euangelium secundùm Lucam, Venit ad Iesum vir nomine Iairus. Offert. Viri Galilæi. Communio, Pater, cùm essem. Sabbato omnes parati primitus cantent Litaniam. Deindè Kyrieeleison. Gloria in excelsis Deo. Postea oratio, Mentibus nostris. Alia, Illo nos igne. Tertia, Deus qui ad animarum. Quarta, Præsta quæsumus omnipotens Deus, vt salutaribus ieiuniis. Quinta, Præsta quæsumus omnipotens Deus, sic nos. Subsequũtur lectiones cum Gradualibus: Propitius, Protector, Ad Dominum, Dirigatur, & Benedicite. Ad Missam, Præsta quæsumus omnipotens Deus, vt claritatis. Lectio, Cùm Apollos esset Corinthi. Alleluia, Confitemini. Tractus Laudate Dominum. Euangelium secundùm Ioannem, Si diligitis me. Offert. Emitte spiritum. Comm. Vltimo. Vtique secundùm consuetudinem antiquam. Gradualia, sicut non solùm in nostris libris habetur insertum, sed etiam, vt in quodam ordine secundùm sancti Gelasij Papæ auctoritatem reperi prætitulatum. Qui mos vsque hodiè, vt compertum habemus, in sancta Romana seruatur Ecclesia. Videtur quoque id huic narrationi assensum præbere, quòd in authenticis antiphonariis duo tantùm Alleluia inueniuntur descripta, hoc est, Emittes spiritũ. Spiritus Domini, cætera verò à modernis sunt composita. Quapropter intuendum est, quia si in monasteriis Alleluia cantus abundat, quid simplices villarum presbyteri agunt, qui vix duorum tantùm notitiam habent? Vt omnium vulgari prouerbio vtar, Aut cantant quod sciunt, aut tacere compelluntur quod nesciunt. Non tamen hæc scribens, sanctissimorum auctoritatem sacerdotum præiudico, quos in sancto Spiritu congregatos, iamdudum audiui in Synodalibus suis decretis statuisse, vt magis debeant Alleluia decãtari. Sed simpliciter quæ sentire potui, ad interrogata respondere curaui, consulere volens etiam, si possum, mei similimis imperitiæ, qui tot Alleluia non norunt cantare. Sic in quodam libello de hoc ordine legi per singulas orationes, debemus mentis humilitatem per genuum flexionem ostende-

rc,

re, excepto, infra Pentecosten. In sola oratione de camino ignis, non flectimus genua, quando Nabuchodonosor compellebat populũ adorare statuam quam fecerat: vt separata sit nostra oratio, quæ est ad vnum Deum, ab errore gentium. Similem ob causam etiam in parasceue genua non flectimus pro perfidis Iudæis, qui illudendo genua flectebant coram Deo, nè videamur illos imitari, qui opus bonum studebant male operari: quemadmodum tunc ab osculo abstinemus, propter Iudæ traditoris exemplum, qui per simulatæ pacis osculum, tradidit Dominum Iesũm Christum. Si quis ieiunia quatuor temporum legitimo ordine celebrare desiderat, supra scriptum argumentum ex sententiis sanctorum patrum collectum, obseruare non negligat. Primum sabbatum Martij, cum præcedente eiusdem mensis quarta feria, nota diligenter, & ab ipso quatuordecim hebdomadas vsque in secundum Iunij mensis sabbatum computa, iterumque alias quatuordecim hebdomadas abhinc vsque in tertium Septembris sabbatum, quod nullo modo te fallit, connumera, indeque proximum sabbatum ante Natiuitatem Domini, siue quatuordecim, siue tredecim fuerint, semper obserua, & in his singulis quatuor sabbatorum diebus, absque vllo errore occurret tibi legitimè illud ieiunium, quod in sacramentorum libris prętitulatur cum duodecim lectionibus celebrandum.

Quod si vigilia Natalis Domini in sabbato venerit, in hebdomada priori idem ieiunium debet anticipari.

*

Explicit Bernonis Augiensis Abbatis Libellus, De quibusdam rebus ad Missæ Officium pertinentibus.

LIBER

Universidad de Deusto
Biblioteca

Vixit Auctor Libri anno Dom. M L.

LIBER PET. DAMIANI EPISCOPI QVONDAM OSTIENSIS ET S. R. ECCLESIÆ CARDINALIS QVI APPELLATVR, DOMINVS VOBISCVM.

Prologus ipsius Auctoris.

Leo, solitarius & sponte inclusus.

DOMINO Leoni, amore supernæ libertatis incluso, Petrus peccator Monachus, quicquid sit, seruus & filius. Non ignorat sanctitatis vestræ prudentia, dilectissime pater, quia te non qualemcumque complicem vel amicum, sed te patrem, te doctorem, te magistrum, & dominum electum mihi præ cunctis mortalibus habeo: meq; tuæ orationis instantia, apud diuinas aures misericordiæ locum inuenire confido. Et quid amplius dicam? Quãdoquidem & meum te angelum esse constitui, vt dubiis rebus quodcumque hæsitanti, aut scisciranti, mihi consilium ex tuo ore procederet: ita protinus indubitanter acciperem, ac si vox cœlestis mihi oraculi angelitus intonaret: atque idcò si quando scrupulosè cuiuslibet rei mihi subrepit articulus, antequam te consulturus accedam, hoc apud me diuinam imploro clementiam, vt te, quasi suæ voluntatis organum faciens, tuo mihi ore præcipiat, quid me facere in obiecta ambiguitate decernat. Quam & nunc quoque consuetudinem tenens, hoc à te docendus inquiro, quod à multis sæpè quasi responsurus inquiren tibus exigor. Nonnulli autem fratres Eremiticæ vitæ sectatores, frequenter interrogant, cum singulares in cellula commorantur, vtrum illis liceat dicere, Dominus vobiscum, Iube domine benedicere, atque ipsi, vt sunt soli, iuxta morem Ecclesiasticum sibimet debeant respondere. Quidã autẽ inter se ratiocinantes dicunt.

Quæstio solitariorum in precibus horarũ canonicarum

A Numquid nam lapidibus aut tabulis cellæ petenda benedictio est? aut illis dicendum est, vt Dominus sit cum eis? Quidam autem, si quo modo Ecclesiasticæ traditionis ordinem deserant, peccare se, tamquam qui pensum diuini seruitij minuant, pertimescunt. Vndè nobis, dum solutio quæritur, ad percunctationem potius mensæque nescia prouocatur. His itaque quæstionum uallatus angustiis, ad B Angelum meum iuxta consuetudinem rede:ad fontẽ nõ Tullianæ eloquẽtiæ, sed diuinæ potius sapiẽtiæ trito calle recurro.

Elenchus capitulorum.

Quòd sancta simplicitas, mundi Philosophis in repræfertur. Cap. 1
Quare dicatur, Iube domine benedicere. cap. 2
Vndè ortum sit dicere, Dominus vobiscum. cap. 3
Quòd sicut alia scriptura non subiacet mutabilitati, ita & Dominus vobiscum. cap. 4
Quòd sancta Ecclesia, & vna in multis, & tota videatur in singulis. cap. 5
De vnitate vniuersalis Ecclesia. cap. 6
Quòd si Dominus vobiscum pro singularitate non dicitur, multa alia necesse est dimittantur. cap. 7
Quòd sacrificium altaribus superpositum, à viris simul & mulieribus offeratur. cap. 8
Quòd officium membri cuiuslibet speciale, toti corpori sit commune. cap. 9
Quòd sacerdos pars Ecclesiastici corporis, totius Ecclesiæ conuenienter vtitur verbis. cap. 10
D *Quòd populus Israel ad ostendendam societatem, altare construxit.* cap. 11
Cur bigamus à sacerdotio oĩno repellatur, cũ in fornicationẽ sæpe lapsus, in ordinem reuocetur. c. 12
Quòd si Dominus vobiscum, inter duos rectè profertur, à solo etiam iure dicatur. cap. 13
Quòd populus Israel Ecclesiasticæ inter se vnitatis regulam tenuit. cap. 14
Quòd quædã festiuitates, nõ suo tpe celebrãtur. c. 15
Quòd in Ecclesia rectè alius supplet verba alterius. cap. 16
Quòd quicquid penè in diuinis officiis agatur, sub figuris mysticis disponatur. cap. 17

LIBER

LIBER PETRI DAMIANI

Quod sancta simplicitas, mundi Philosophis iure præfertur. Caput 1.

Contẽptus mundanæ sapientiæ.

RAtionem igitur latentis naturę secreta rimantem respuo, planetarum circulis metas, astrorumque meatibus calculos affigentem: cuncta etiam Sphærici orbis climata radio distinguentem Pythagoram paruipendo: Nicomachum quoque tritũ Ephemeridibus digito abdico: Euclidem perplexis Geometricalium figurarum studiis in curuum æqueque declino. Cunctos sanè Rhetores cum suis coloribus, & enthymematibus indiscretè prætereo. Omnes Dialecticos cum suis syllogismis, & sophisticis cauillationibus indignos hac quæstione decernõ. Tremant Gymnici, suam iugiter amare sapientiæ nuditatem. Quærant peripatetici latentem in profundo putei veritatem. Ego à te summam quæro veritatem, illam videlicet, quæ de terra orta est, non iam in puteo ignobiliter latitantem, sed omni manifestatam mundo, perpetua in cœlis maiestate regnantem. Quid enim mihi insanientium Poetarum fabulosa commenta? Quid mihi tumentium Tragicorum cothurnata discrimina? Desinat iam Comicorum turba, venena libidinum crepantibus buccis effluere. Cesset Satyricorum vulgus, suos claros carptoriæ detractionis amaris dapibus onerare. Non mihi Tulliani oratores, accurata lepidæ vrbanitatis trutinent verba. Non Demosthenici Rhetores captiosæ suadelæ argumenta versuta componant. Cedant in suas tenebras omnes terrenæ sapientiæ fecibus deliputi. Nihil mihi conferunt vel sulphureo caliginosæ doctrinæ splendore cæcati. Christi me simplicitas doceat, vera sapientium rusticitas, ambiguitatis meæ vinculum soluat. Quia enim iuxta Pauli vocem, non cognouit mundus per sapientiam Deum, placuit Deo per studiũ prædicationis saluos facere credentes. Litera igitur quæ occidit, abscedat, spiritus viuificator assistat. Prudentia enim carnis (vt idem Apostolus dicit) mors est: prudentia autem spiritus, vita & pax: quoniam prudentia carnis inimica est Deo, legi autem Dei non subiicitur: nec enim potest. Si ergò prudentia carnis nequit legi Dei colla submittere: quo pacto suffusa oculos fumo superbiæ, legem Dei prævalet penetrare? Age igitur pater, nodum mihi propositæ quæstionis ocyus solue. Nec patiaris hu militatis discipulum grandiloqua tumentium Philosophorum gymnasia circuire. Dicat mihi angelus meus, quod imperitum Dialecticorum vulgus ignorat. Dicat sapiens imperitia, quod stulta sapientia non apprehendit. Hæc ergò quæ proposita sunt, pater charissime, prudenter edissere, vt postquam ad diuinam per-

Veritas de terra orta, Christ⁹ est.

1. cor. 1. 2. cor. 3. Rom. 8.

Prudentia carnis superbiam sapit.

Discipulus humilitatis

A uentum est sapiẽtiam, nulli vlterius in his quæstionem expediat ventilare.

Quare dicatur, Iube Domine benedicere. Cap. 2.

Modus docendi in scholis.

SED huius quæstionis nodum, qualitercumque à me prius solui forsasse præcipies, & sic postmodum proprij intellectus sententiam promes: Scholasticorum more semel doctorum, qui scisciscantur à pueris ex quacumq; propositi thematis difficultate, quid sentiant, B indocilitatis indolem ex eorum prius prolatione deprehendant. Ego itaque, te iubente, non moror exprimere, super hac dubietate, quod sentio, salua scilicet fide: vt vel inepte prolata corrigere: vel gnauiter absoluta, tua debes auctoritate probare. Sed non ab re videtur, si, quo studio hæc Ecclesiis in consuetudinem venerint, primo nitamur ostendere. Deinde, quid nobis super his quæ proposita sunt videatur prout superne gratiæ facultas tulerit expedire. Lecturus namque magnæ humilitatis gratia, Iube dñe benedicere non à sacerdote, sed ab eo, cui sacerdos iussit, se postulat benedici, dicens: Iube domine C benedicere. Sacerdos autem, vt tantæ humilitati vicem reddat, non subiecto cuiquam benedicendi delegat officium, non per semetipsum, benedictionem dare præsumit: sed potius, vt à Deo, qui est super omnia benedictus, prærogetur, exposcit.

Undè ortum sit, Dominus vobiscum. Cap. 3.

ID autem quod dicitur, Dominus vobiscum, D sacerdotis ad populum est salutatio: Orat Leu. 26. enim, vt Dominus sit cum eis, sicut dignatur dicere per Prophetam: Inhabitabo in illis: Et Saluator discipulis suis, cunctisq; fidelibus: Ecce, inquit, ego vobiscum sum. Qui nimirum Matt. vlt. salutationis sermo, non moderno humanæ adinuentionis arbitrio constitutus: sed ex antiqua Salutatio fit & singulariter & pluraliter. sacri eloquij auctoritate probatur assumptus. Vbi si diligenter inquiritur, sæpiùs singulariter, & pluraliter appositus inuenitur. Singulariter, sicut ad Beatam Dei genitricem Angelus dicit. Aue gratia plena, Dominus tecum. Luc. 1. Iudit. 6. Ad Gedeonem quoque ait salutando: Dominus tecum virorum fortissime. Pluraliter autẽ, vt in libro Ruth, Booz salutando messoribus Ruth. 2. suis ait: Dominus vobiscum. Et sicut in Paralipomenon, Propheta à Deo missus inuenitur, 2. paral. 15. salutasse Asa Regem Iuda cum exercitu suo victorem de prælio reuertentem, dixit: Dominus vobiscum, quia fuistis cum eo. Ecclesia ergò salubri salutatione accepta sacerdotis, & ipsa resalutando orat, & orando resalutat: postulans, vt sicut ille Dominum esse cum ipsis optauit, ita & cum eo esse dignetur, dicens: Et cum spiritu tuo, id est, cum anima tua sit, vt eum dignè pro nostra salute possis orare. Et notandum,

Universidad de Deusto
Biblioteca

dum, quòd non dicit, tecum; sed, cum spiritu tuo, vt totum, quod in Ecclesiasticis officiis geritur, spiritualiter fieri perpendatur. Et bene cũ spiritu hominis optatur Deus, quia in mente & spiritu ad imaginem & similitudinem Dei, homo rationalis est conditus, atque ibi diuinæ gratiæ, & illuminationis est capax. Sed illa salutatio Episcopalis ad populum, qua dicitur, Pax vobiscum, siue, pax vobis, non ex humani sensus studio prodiit, sed de sacræ scripturæ similiter auctoritate profluxit. Nam in veteri Testamento dixisse Danieli Angelus inuenitur, Noli timere vir desideriorum: Pax tibi, & esto robustus. Et in nouo, penè semper ita Dominus salutasse discipulos inuenitur, Pax vobis. Quibus nimirum discipulis eandem salutationis formam commendauit, dicens: In quamcunque domum, aut ciuitatem intraueritis, salutate eam dicentes: Pax huic domui. Meritò ergò Apostolorum successores, id est, Ecclesiarum præsules, huius forma salutationis vtuntur: Domum scilicet Dei salutantes, vbi omnes oportet esse filios pacis, vt salutatio pacis super eos requiescens, & salutantibus, & salutatis possit esse fructuosa.

Salutatio Episcopalis, pax vobis.

Dan. 10.

Luc. 24.

Ioan. 20.

Matt. 10.

Quòd sicut alia scriptura non subiacet mutabilitati, ita & Dominus vobiscum. Cap. 4.

IAm ergò ex his, quæ præmissa sunt, patet. Quia sicut scriptura Prophetarum, Psalmorũq; modulatio, vel etiam Euangelica gratia, diuinitus ad notitiam nostrã prodiit: sic etiam id quod dicitur, Dominus vobiscum, non ex humani sensus arbitrio, sed à veteris, nouiq; Testamenti auctoritate descendit. Sicut ergò diuinarum scripturarum auctoritati nil pro rerum varietate subtrahitur, nil augetur, sed prorsus in his Ecclesiastica consuetudo seruatur. Ita nimirum & hæc salutatio sacerdotalis, nequaquam rerum casibus est obnoxia, vt modò proferri, modò debeat silentio præteriri, sed etiam si plures desint, illicitum est, vt Ecclesiastica traditio permutetur.

Rãsio ad quæstionẽ.

Quòd sancta Ecclesia & vna in multis, & tota videatur in singulis. Cap. 5.

ECclesia siquidem Christi tanta charitatis inuicem inter se compage connectitur, vt in pluribus vna, & in singulis sit per mysterium tota, adeo vt & omnis vniuersalis Ecclesia non immeritò perhibeatur vna Christi singulariter sponsa, & vnaquæque electa anima, per sacramenti mysterium plena esse credatur Ecclesia. Nam & propheticis Isaac naribus tota præsens reddebat Ecclesia, cum super vnius filij sui personam dicebat: Ecce odor filij mei, sicut odor agri pleni. Et debitrix illa mulier, quæ ex præcepto Helisei parum olei, quasi semen sparsit, & vberes mox fruges eodem per vascula redundante permisit: Ecclesiam vtique figurauit sacræ scripturæ. Quòd si per campos diligenter inquiritur, iam vnius viri, vel mulieris persona, designari Ecclesia crebrius inuenitur. Licet enim multiplex videatur Ecclesia, propter numerositatem Gentium: Vna tamen & simplex est, vnius fidei & diuinæ regenerationis confœderata mysterio. Et quamquam septem mulieres acceperint virum vnum, virgo tamen & vna, cœlesti illo viro dicitur desponsata. De qua nimirum Apostolus, Despondi, inquit, vos vni viro virginem castam exhibere Christo. Ex his ergò manifestè colligitur, sicut superius dictum est, quia cum vna hominis persona, tota designetur Ecclesia, & ipsa consequenter Ecclesia vna dicatur virgo, sancta Ecclesia & in omnibus sit vna, & in singulis tota, nimirum in pluribus per fidei vnitatem simplex, & in singulis per charitatis glutinum, diuersa quedona charismatũ multiplex. Quia enim ex vno omnes, & ex omnibus vnus.

Gen. 27. 4. Reg. 4.

Multiplex Ecclesia & vna.

Esa. 4.

2. cor. 11.

Ecclesia in omnibus vna & in singulis tota.

De vnitate vniuersalis Ecclesiæ. Cap. 6.

SAncta Ecclesia namque, licet personarum sit multiplicitate diuersa, in vnum tamen est, sancti Spiritus igne conflata. Atque ideò si per corporalem situm partibus videatur diuidi, vnitatis tamen intimæ Sacramentum nullatenus à sua valet integritate corrumpi. Charitas enim Dei diffusa est in cordibus nostris, per Spiritum sanctum, qui datus est nobis. Itaque iste spiritus (qui est proculdubio & vnus & multiplex. Vnus in maiestatis essentia: Multiplex per diuersa charismatũ dona) dat Ecclesiæ sanctæ quã replet, vt & in vniuersitate sit vna, & in suis partibus sit tota. Quod nimirum indiuiduę diuinitatis arcanum veritas commendabat, cum Patri de suis discipulis diceret. Non, inquit, pro his rogo tantùm, sed & pro eis, qui credituri sunt per verbũ illorum in me, vt mundus credat, quia tu me misisti. Et ego claritatem, quam dedisti mihi, dedi eis, vt sint vnum, sicut & nos vnum sumus. Si ergò credentes in Christo vnum sunt, vbicumque videatur esse per corporalem speciem membrorum: ibi etiam per Sacramenti mysterium totum est corpus. Et quicquid est, quod competit toti, quodammodo congruere videtur etiam parti: Quatenus & quod conuentus Ecclesiæ communiter sonat, sit non absurdum, si vnus homo singulariter dicat: Et quod ab vno rectè depromitur, à pluribus etiam irreprehensibiliter proferatur. Hinc est enim, quod in conuentu positi, rectè omnes dicimus: Inclina Domine aurem tuam ad me, & exaudi me: quoniam egenus & pauper ego sum: Custodi animam meam quoniam sanctus sum. Et singulariter constituti, non incongruè decantamus,

Rom. 5.

Spiritus sãctus & vnus & multiplex est.

Quo cuncti fideles vnũ sint.

Ioan. 17.

Vnitas per sacramenti mysterium.

Vnus pro multis, & multi pro vno.

Psal. 85. Psalm. 80.

Exul-

Exultate Deo adiutori nostro, iubilate Deo Iacob. Nec ab re est, quod multi simul dicimus, Benedicam Dominũ omni tempore, semper laus eius in ore meo. Et soli sæpè plurali voce proferimus, Magnificate Dominũ mecum, & exaltemus nomen eius in inuicem. Et multa id genus similia. Quia nimirùm neque hìc pluralibus verbis, vnius personæ solitudo prę iudicat: neque illic multitudo fidelium à singularitate discordat: quia per virtutem sancti Spiritus, qui & singulis inest, & omnes replet, & hic solitudo pluralis, & illic multitudo intelligitur singularis.

Psal. 34.

Solitudo pluralis, & multitudo singularis per spiritũ sanctum.

Quòd si Dominus vobiscum pro singularitate non dicitur, multa alia necesse est dimittantur. Cap. 7.

IAM verò illi qui dicunt, Numquid lapidibus, aut tabulis cellæ petenda est benedictio? aut illi dicendũ est, vt Dominus sit cum illis? Respondeant mihi & dicant, Cur singulares in eisdem cellulis positi dicunt, Venite exultemus Dño? Dicite mihi fratres, dicite quæso, pace vestra loquar, Cùm soli estis, quos exhortamini? Quos ad diuinæ laudis excubias inuitatis, cùm dicitis, Venite exultemus Domino: vel illud, Regẽ magnum Dominũ venite adoremus? Inuitatorium namq; hoc dicitur, & ob id proculdubio, quod per hoc ad Dei laudes fideliũ populus inuitatur. Si autem vos à nullo tunc prorsus audimini, quos ad exultandum Domino exhortatoriis vocibus excitatis? Agite, inquam, fratres, dicite adhuc mihi, si nõ ad sacramẽtum respicitis Ecclesiasticæ vnitatis, sed ad numerum potius præsentiæ corporalis: quibus dicitis, Nolite surgentes? vel quibus illud, Surgamus omnes ocyus? Cur certè nõ omnes hymnos, omnes deniq; orationes, quoniã nimirùm à doctoribus pluralis sunt stylo compositæ, vel silentio prætereuntes omittitis, vel ad singularem numerum violenter reuocatis? Iam verò cùm ad lectiones venitis, qui nefas ducitis nullis adstantibus benedictionem petere vel dare, Cur Patrum homilias, & Concionatorum sermones legitis, quibus cogente lectionis modo populum alloquimini, & velut ad surdam personam, scilicet et auditorum, verba vestra dirigitis? Atque, vt ipsarum homiliarum verba ponamus: quibus, quæso, dicitis. Audite fratres charissimi, & cætera quæ sequũtur: cùm ibi fratres nulli sint? Quæ videlicet, si vultis ad vestram singularitatẽ stylo reclamante, violenter inflectere, quia id prorsus imposibile est: his omissis, necesse iam vobis erit, noua dictare. Cur etiã cùm ad orationes peruentum fuerit, dicitis, Oremus: cùm nemo illic sit, qui vobiscum orare debeat? Quem ad communionem orationis inuitatis, qui nullum adesse conspicitis? Cur etiam in expleti officij clausula, ex more subiungitis, Benedicamus Domino, cùm præsto nullus sit, vel adsistat, qui vobiscum dominũ benedicat? Hæc igitur & alia multa, quæ longum est enumerare, perpendite, & Ecclesiasticæ traditionis regulam, siue soli, siue cum pluribus, vniformiter obseruate. Si enim Doctores Ecclesię id expedire decernerent, in Ecclesiasticis officiis alium multis ordinem tradidissent. Sed vnum contenti remota diuersitate composuere, vnum nos docuere ordinem, inuiolabili semper obseruatione tenere. Prouiderũt enim, quia quicquid in diuinis obsequiis à quolibet ecclesię mẽbro reuerenter offertur, id etiã fide & deuotione cunctorum vniuersaliter exhibetur. Vnus enim Ecclesiæ Spiritus quo viuificatur vnum corpus, quod à Christo, videlicet suo capite, præsidetur. Tota igitur Ecclesia diuersorum quidem constat compage membrorum, sed vnum est proculdubio corpus, vnius fidei soliditate fundatum, vna viuificantis spiritus virtute perfusum. Vndè & Apostolus ait, Vnum corpus, vnus spiritus, sicut vocati estis in vna spe vocationis vestræ. Dignum ergò est, vt quicquid in sacris officiis à quibuscumque fidelibus particulariter agitur, hoc ipsa Ecclesia, per vnitatem fidei & charitatis amorem, vnanimiter agere videatur.

Solitarij possunt loqui & orare pluraliter.

In hymnis.

In lectionibus.

In homiliis.

In orationibus collectarum.

Conclusio, vt preces vniformiter dicantur, siue à multis, siue à solitariis peragantur.

Vnum corpus Ecclesiæ & vnus spiritus.

Ephe. 4.

Quòd sacrificium altaribus superpositum, à viris simul & mulieribus offeratur. Cap. 8.

HInc est *enim, quòd in ipsa celebratione Missarum, cùm dicitur, Memento Domine famulorum, famularumq; tuarum, paulò post subditur: Pro quibus tibi offerimus, uel qui tibi offerunt hoc sacrificium laudis. In quibus uerbis patenter ostenditur, quòd à cunctis fidelibus, non solum uiris, sed & mulieribus, sacrificium illud laudis offertur, licet ab uno specialiter offerri sacerdote uideatur. Quia quę ille Deo offerendo manibus tractat, hæc multitudo fidelium intenta mentium deuotione commendat. Quod illic quoque declaratur ubi dicitur, Hanc igitur oblationem seruitutis nostrę, sed & cunctæ familiæ tuæ, vt placatus accipias. Quibus verbis luce clarius constat, quia sacrificium, quod à sacerdote sacris altaribus superponitur, à cuncta Dei familia generaliter offeratur. Hanc autem Ecclesiæ vnitatẽ Apostolus manifestè declarat, cùm dicit, Vnum corpus, vnus panis, multi sumus.

Tanta enim est Ecclesiæ unitas in Christo, ut unus ubique in toto orbe terrarum sit panis corporis Christi, & calix sanguinis eius. Quoniã diuinitas uerbi Dei una est, quæ totũ implet mundum: ita licet multis locis, multisq; diebus illud corpus consecretur: nõ sunt tamẽ multa corpora, sed unum corpus Christi. Et sicut ille panis & sanguis in corpus Christi

* etiam

sacrificij altaris à multis offertur.

1. cor. 10.

Ecclesię vnitas per Christum in Eucharistia.

Universidad de Deusto
Biblioteca

veraciter transierunt : ita omnes qui illud in Ecclesia dignè percipiunt, vnum absque dubio Christi corpus fiunt, ipso testante, cùm ait: Qui manducat meam carnem, & bibit sanguinem meum, in me manet & ego in eo. Si ergò omnes vnum Christi corpus sumus, & licet per corporalem speciem videamur abiungi, spiritu tamen ab inuicem separari non possumus, qui in eo manemus: Quid noceat ego non video, si communem Ecclesiæ consuetudinem & singuli teneamus, qui per vnitatis indiuiduę Sacramẽtum ab ea numquàm recessimus. Cùm enim communia Ecclesię verba solus profero, vnum cum ea me esse, ac per præsentiam spiritus in ea me veraciter manere demonstro. Et si eius veraciter sum membrum, non inconuenienter adimpleo meæ vniuersitatis officium.

Ioann. 6. Vnum corpus Christi sumus spiritu, non carne.

Quòd officium membri cuiuslibet speciale, toti corpori sit commune. Cap. 9.

POrrò in humano corpore, aliud oculi, aliud lingua, aliud pes, aliud manus habent naturaliter officium proprium. Sed neque manus solæ sibimet tangunt, nec sibi pedes incedunt, aut lingua loquitur, vel sibimet oculi contemplantur: sed quicquid potest vnaquæque pars corporis specialiter agere: hoc probatur omnibus in commune conferre. Et quod vnicuique membro, singulari iure conceditur, hoc ab ipso corpore (quod est totum eius) fieri iudicatur, vt non incongruè & pars totius, & totum suæ partis exhibere dicatur officium. Hinc est enim, vt lingua Pauli veraciter dicat, Laboro in Euangelio Christi vsque ad vincula, cum lingua eius non sit alligata. Nam vt illic sequitur, Verbum Dei, non est alligatum. Et Petrus ad sepulcrum Christi cum Ioanne cucurrit, cùm soli pedes currendi subeant ministerium. Et Stephanus vidit cœlos apertos, cùm videre proprium sit oculorum. Et Isaac filium suum palpando tetigerit, cùm tangendi vel palpãdi facultas sit specialiter attributa. Quod ergò membrum quodlibet agere cernitur, hoc ab ipso corpore fieri irreprehensibiliter perhibetur. Et ediuerso, quod corpus facit, multitudo partium cooperando consentit.

Partes seruiunt toti.

Opera partium attribuũtur toti 2. Tim. 2.

Ioan. 20.

Act. 7.

Gen. 27.

Quòd sacerdos pars Ecclesiastici corporis, totius Ecclesiæ conuenienter vtitur verbis. Cap. 10.

QVid ergò mirum, si sacerdos quilibet (qui sine dubio pars Ecclesiastici est corporis) vicem salutantis, ac resalutantis Ecclesiæ, solus expleat, dicens: Dominus Vobiscum. Subindeque respondens, Et cum spiritu tuo. Rursumque benedictionem solus petat, & reddat, cum per vnitatis intimę Sacramentum, tota spiritaliter sit Ecclesia, vbi eiusdem fidei ac fraternæ deuotionis fuerit vna persona? Vbi nimirum vnitas fidei, nec in vno solitudinem recipit, nec in pluribus scissuram diuersitatis admittit. Enimuerò quid præiudicat, si ex vno ore vocum diuersitas prodeat, quas & si per plures linguas, vna tamen fides alternat? Tota namque Ecclesia (sicut iam dictũ est) vnum proculdubio corpus est. Nam teste Apostolo, Sicut autem corpus vnum & mẽbra habet multa, omnia autem membra corporis cùm sint multa, unum corpus sunt: ita & Christus. Etenim in uno spiritu omnes nos * unum corpus baptizati sumus. Et alibi: Cum corpore, inquit suo, quod est Ecclesia. Si ergò tota Ecclesia vnum corpus Christi est, & nos Ecclesiæ sumus membra, quid obest si corporis nostri, id est, Ecclesiæ, singuli quique uerbis utamur, qui cum ea unum ueraciter sumus? Nempe si multi unum sumus in Christo, totum nostrum singuli possidemus in ipso. Atque ideò, licet remoti procul ab Ecclesia uideamur per solitudinem corporum, in ea tamen præsentissimi semper assistimus, per unitatis inuiolabiliter sacramentum. Sicq; fit, ut quod est omnium, sit etiam singulorum. Et quod quibusdam singulariter speciale, omnibus quoque sit in fidei, & charitatis integritate commune: Vt & populus rectè clamet, Miserere mei Deus. & Deus in adiutorium meum intende: Domine ad adiuuandum me festina. Atque unus homo iure pronunciet, Deus misereatur nostri, & benedicat nos. Quia uidelicet fidelium Christi necessitudinem, & communionem, sancti patres nostri tantę certitudinis esse debere decreuere, ut hanc Symbolo Catholicæ professionis apponerent, & frequentandam nobis inter ipsa Christianæ fidei rudimenta mandarent. Nam mox ut dicimus, Credo in Spiritum sanctum, sanctam Ecclesiam Catholicam, protinus addimus, Sanctorum communionem, ut ubi Deo fidei nostrę testimonium reddimus: ibi etiam communionem Ecclesię, quę cum eo unum est, consequenter adstruamus. Sanctorũ siquidem hæc est fidei in unitate communio, ut in unum Deum credentes, uno baptismate sint renati, uno Spiritu sancto cõfirmati: ad ujtã æternam sint per gratiam adoptionis asciti. Sicut autem homo Græco eloquio dicitur Microcosmus, hoc est, minor mundus, quoniam per materialem essentiam eisdem quatuor elemẽtis homo constat, quibus & uniuersalis hic mundus: Ita etiam vnusquisque fidelium, quasi quędam minor esse uideatur Ecclesia, dum saluo unitatis mysterio, etiam cuncta redemptionis humanę, unus homo susçipit Sacramenta, quæ ipsi uniuersali Ecclesię sunt diuinitus attributa. Si ergò unus homo nõ ambigitur communia totius Ecclesię sacramenta susçipere: cur prohibeatur communia Ecclesię uerba solus proferre: cùm uidelicet multò maioris momenti sint sacramenta, quàm uerba.

Per vnitatẽ fidei sacerdos tota Ecclesia est, & eius vicẽ agit.

Tota Ecclesia vnũ corpus est. 1. Cor. 12.

* in vnum Colosſ. 1.

Verbis Ecclesię vnusquisq; vti potest.

Quod est omnium, etiam singulorum est.

Pſal. 50.

Pſal. 69.

Pſal. 66.

Credo Sanctorum cõmunionem

Homo Microcosmus, & quasi minor quędã Ecclesia.

Quòd

Quòd populus Israel, ad ostendendam societatem, altare construxit. Cap. 11.

QVòd si quis adhuc his etiam nostris disputationibus calumniator extiterit, dicens. Vtique nõ debere à singulis vsurpari, quæ communi fidelium sunt instituta conuentui: Vt non tam verbis quàm rationibus adquiescat. Exemplum damus, quod ex sacri eloquij auctoritate didicimus. Notum namque est, sicut Iosue libro testante narratur, quòd filij Ruben, & Gad, & dimidia tribus Manasse redeũtes à filijs Israel de Silo, vt intrarẽt Galaad terram possessionis suæ ædificauerunt altare infinitæ magnitudinis in terra Canaan. Cũq; iratus graiter populus Israel, aduersus eos arma corriperet, interrogati, cur altare constructuere præter altare Domini temerè præsumpsissent? Responderunt, non hoc præuaricationis causa, sed pro futuri testimonij fecisse cautela. Nequando (inquiunt) filij vestri dicerent filiis nostris: Quid vobis & Domino Deo Israel? Terminum posuit Dominus inter nos & vos, Iordanem fluuium, & idcircò partem non habetis in Dño: Et per hãc occasionem auerterent filij vestri filios nostros à timore Domini. Cur autem historiæ huius articulum ad medium deduxerimus: si cui fortè non pateat, aperimus. Poterat nempe quorumdam simplicitas fratrum temptari, ut quodammodo segregatos se à societate fidelium ducerent, si in solitudine positi etiam communia Ecclesiæ verba depromere in suis orationibus non auderent. Vtantur igitur communibus verbis Ecclesiæ, vt in Ecclesiastica se communione doceant permanere, atque ipsa verba animo satisfaciant fluctuanti, qui testimonium perhibent præsentiæ spiritali fidelium. Porrò autem, illi altare ædificauerunt, non ad vsum libaminum, sed ad vicariæ cum Israelitica plebe societatis indicium: sicut & ipsi, quasi iam ex persona filiorũ dicunt: Ecce altare quod fecerũt patres nostri, nõ in holocausta, neq; in sacrificiũ, sed in testimoniũ nostrum ac vnitatẽ. Illi nimirũ id fecerũt ad testimoniũ Israeliticæ societatis: nos ista dicimus ob signũ Ecclesiasticę veraciter unitatis. Illi nè desperetur à fratribus suis, nos ne remordeamur à cogitationibus nostris. Illi terreni altaris extruxere similitudinẽ: nos spiritalis concordię ostẽdimus ueritatẽ. Illi ad ostendendũ sui generis testimoniũ: nos ad tenendũ nouæ regenerationis, & fraternæ communionis inuiolabile Sacramentum.

signũ vnitatis erectum altare à filiis Ruben, & Gad. Ioſ. 22.

similitudinis de illo altari declaratio.

Testimonium Ecclesiasticæ vnitatis.

Cur bigamus à sacerdotio omnino repellatur, cùm in fornicationem sæpe lapsus, in ordinem reuocetur. Cap. 12.

QVædam namque fiunt in Ecclesia, quæ superflua quidem uidentur, quantum ad humani ingenij rationem, diuina autem sunt, si ad uirtutis intimæ Sacramentum respicias. Quis enim nõ miretur in canonicis esse sententiis, *Bigamum quempiam nullatenus posse ad sacerdotium promoueri: in fornicationem uerò lapsum, etiam sacerdotem, peracta pœnitentia, ad pristini iuris officium reuocari? De fornicatione siquidem manifesta est Apostolica sententia, qua dicitur: quia neque fornicarij, neque idolis seruientes, neque adulteri regnum Dei possidebunt. De his autem, qui secundas contrahunt nuptias, ita prosequitur: Mulier, inquit, alligata est legi quanto tempore vir eius viuit. Quod si dormierit vir eius, liberata est, cui vult nubat, tantùm in Domino. Quibus nimirum vtriusque sententiæ verbis, apertè monstratur, quia & Bigami diuinæ legis regulam non offendunt, & fornicatores à Regno Dei, pro suæ carnis intemperantia, damnabiliter præciduntur. Quid est ergò, quod hi, qui non peccant, de Ipe sacerdotij funditus corruunt: & illi, quos à Regno Dei reatus eliminat, Ecclesiastici gradus fiduciam, si dignè pœnituerint, non amittunt; nisi quòd in his, qui secundis nuptiis copulantur, non tam ad peccatum, quàm ad Ecclesiæ respicitur Sacramentum? Sicut enim Christus, qui est Pontifex futurorum bonorum, & sacerdos iuxta ordinem Melchisedech, qui videlicet obtulit agnum proprij corporis, in ara crucis Deo Patri, pro salute mundi, vir est vnius sponsæ, totius scilicet sanctæ Ecclesiæ, quæ proculdubio virgo est, quia fidei integritatem inuiolabiliter seruat: ita quilibet sacerdos vnius vxoris vir esse præcipitur, vt illius summi sponsi præferre imaginem videatur. In bigamis itaque, non mensura peccati, sed forma potius inquiritur Sacramenti; atque in eorum damnatione non reatus aliquis vltione absciditur, sed mystica veri sacerdotij regula custoditur. Alioquin quomodo inter crimina nominetur, quod licenter fieri Apostolica doctrina permittitur? Sed sacri Canones, eos qui secundas nuptias improbant, inter Nouatianorum hæresim notant. Vt ostendamus ergò nos Ecclesiasticæ vnitatis semper tenere mysterium, irreprehensibiliter vtimur, & si non adeò necessaria, prolatione verborum.

Mira traditio Ecclesiæ, de fornicariis & de bigamis * causa 31. q. 1. c. quo. 1. Cor. 6. 1. Cor. 7.

Quæstio.

Responsio.

Heb. 9. Ephe. 9.

Vnus sponsus Ecclesię virginis

Bigamis deest typus Christi, qđ nõ est vnius vxoris vir. Non improbantur tamen secundæ nuptię.

Quòd si Dominus vobiscum, inter duos rectè profertur, à solo etiam iure dicatur. Cap. 13.

IAm sanè & hoc à fratribus meis seruata charitate, perquiro, si duo sunt fratres, vtrum alter alteri licenter dicat, Dominus vobiscum? Nam si licet, quid est quòd ad vnam personam pluraliter loquitur, & postposita censura literatoriæ disciplinæ, Ecclesiastica consuetudo tenetur?

Quantum enim ad loquendi artem, tecum

Universidad de Deusto
Biblioteca

Cur non dē ad vnum in Missa, Dñs tecum.

potius quàm vobiscum, ad singularem directus personam sermo decurreret. Quod si non licet, vt ad vnam personam verbum plurale quis dirigat: Dominus tecum, singulariter necesse est dicat.

Quod vtique quantum à regula Ecclesiasticæ institutionis abhorreat: qui limen Ecclesiæ terit, nullus ignorat. Certum est enim, quòd neque beatissimus Apostolicæ Sedis Antistes, cùm videlicet obsequente ministro, priuata Deo reddit obsequia, nec quisquam Pontificum, vel omnino Catholicorum aliquis sacerdotum, his verbis ad alterum singulariter vtitur. Si verò venerabilium sacerdotum consuetudo laudatur, vt solus soli rectè dicat, Dominus vobiscum, & neque absonum sit, neque ab Ecclesiastici ordinis cēsura semotum, quid officit, si & singulariter quis positus idipsum dicat, dum quantum ad litteras sicut vni minimè congruit: ita nec inter duos, pluralis ille sermo procedit? Cùm ergò Ecclesiastica consuetudo tantæ auctoritatis sit, vt sibi omnis artificiosæ eloquentiæ facultas humiliter cedat, nec illorum magnopere habeatur verborum cura, sed sensuum: inter duos illa grammaticalis regula iure despicitur, consequitur etiam, vt ab vno irreprehensibiliter contemnatur. Sicut igitur Ecclesiasticæ auctoritatis est, vt inter duos rectè dicatur, Dominus vobiscum: sic eidem auctoritati competit, nec est contrarium, vt ab eo, qui solus est, idipsum æquè dicatur. Denique & de responsione eius, videlicet quæ est, Et cum spiritu tuo: necnon & de lectoris benedictione singulariter petenda, idem est nihilominus sciendum. Non enim hic dignè numerus personarum, sed Ecclesiasticæ potius vnitatis attenditur Sacramētum: vbi scilicet, nec vnitas excludit multitudinem, nec multitudo violat vnitatem: quia & vnum corpus per multa membra diuiditur, & ex diuersis membris, vnum corpus impletur. Nec in vnitate corporis, membrorum multitudo confunditur: Nec in pluralitate membrorum vnius corporis integritas violatur.

Ad solum quoq; rectè dicitur, Dominus vobiscum.

Ecclesiæ locutiones non subiacent Grammaticæ regulis.

Ad vnitatis sacramentū respicit Ecclesia.

Quòd populus Israel Ecclesiasticæ inter se vnitatis regulam tenuit. Cap. 14.

VT quid mirum, si de sancta Ecclesia dicitur, quòd & multiplex in vnitate, & vna credatur in multitudine: cùm ille carnalis Israel, quia socius erat genere, iam tunc huius vnitatis videatur inter se regulam tenuisse? Nam & Regi Edom, nuncios dirigit, qui dicunt. Hæc mandat frater tuus Israel. Et alibi Cùm Chananæus Rex Arath, pugnaret aduersus Israel, atque sublata ex eo præda victor existeret: testante scriptura, Israel se voto obligans, Domino ait: Si tradideris, inquit, populum istum in manu mea, delebo vrbes eius.

Exēpla ex veteri testamento. Num. 20. Num. 21.

Quod nimirùm & in libro Regum manifestè declaratur, cùm ab Israelitico populo ad viros Iuda, redeunte in regnum Dauid, dicitur: Decem, inquit, partibus maior ego sum apud Regem, & primogenitus ego sum, magisque ad me pertinet Dauid, quàm ad te: Cur mihi fecisti iniuriam, & non mihi priori nunciatum est, vt reducerem Regem meum? Si ergò populus ille, pro eo, quod ex vna stirpe originem duceret, vel ob id potius, quòd vnius Dei cultum teneret, tamquàm vna persona singulariter loquitur, vt in multis se vnum esse testetur: Quid mirum, si sancta Ecclesia, quæ vno Dei sancto Spiritu sanctificatur & regitur, vnius fidei & Baptismi Sacramentis imbuitur, ad eandem hæreditatē capessendam per adoptionis gratiam conuocatur, tantam inter se habeat communionem, vt & singuli verbis omnium, & omnes verbis vti valeant singulorum? Hinc est enim quòd diuinis officiis consistentes, in vnius sæpè Sancti veneratione cātamus, quòd toti simul Ecclesiæ conuenire cognoscimus. Quod videlicet qui cantus Beatæ Deo genitricis, aliorumq; Sanctorum diligenter inspicit, indubitanter agnoscit.

2. Reg. 19.

Filij Ecclesiæ maiorē habent intētionē se vnitatē, q̄ habuerunt filij Israel.

Quòd quædam festiuitates, non suo tempore celebrantur. Cap. 15.

ECclesia siquidē Christi, quæ est columna immobilis, quæ regni cęlorum claues accepit: nequaquàm casibus, numerisve deseruit, sed omnium locutionum modos, intra legis suæ iura constringit. Nec aucupatur verba, sed animas. Non itaque magnipendit præsentiam corporum, vel articulos temporum, sed ad deuotionem potius & vnitatē respicit animorum. Ipsa namque diiudicat omnia, & ipsa à nemine iudicatur. Hinc est enim, quòd in sacrosancta solennitate Paschali dicimus, Deus qui hodierna die per vnigenitū tuum æternitatis nobis aditum deuicta morte reseraſti: dum cuncti liquidò nouimus, quia iuxta calculantium supputationes Hebræorum Pascha præcedat: circa quod Dominus passus est & resurrexit. Deindè vbi quotuslibet Dominicus dies occurrerit, Paschalis nobis festiuitas illucescit. Nam & in Ascensione Domini, & sancto Pentecoste sub eodem sensu dicimus hodiè: cùm & iste festiuitates consequenter, iuxta rationem Paschalis temporis disponantur. Decollatio quoq; B. Ioannis Baptistæ, mense Augusto celebratur: cùm tamē tēpore Dñicæ passionis, trucidatus ab Herode fuisse minimè dubitetur. Eadem quoq; ratione & de festiuitate S. Iacobi, necnon & B. Petri, quæ dicitur à Vinculis. Cùm. n. Actus Apostolici scriptura dicat: Quia Herodes postquā occidit Iacobū, fratrē, Ioānis gladio, vidēs quia placeret Iudæis apposuit apprehendere & Petrū. Deinde subiungit:

Matt. 16.

1. cor. 2. Multæ festiuitates tpe non suo celebrātur ab Ecclesia.

Decollatio Ioannis Baptistæ.

Vincula Petri festum Iacobi.

Act. 12.

Erant

Erant autem dies Azymorum. atque protinus addit: Quem cum apprehendisset, misit in carcerem, tradensq; quatuor quaternionibus militum custodiendum, volens post Pascha producere eum populo: Patet absq; dubio, quia alio anni tempore, hæc per executionem operum sunt facta, atque alio postmodum colendis solennitatibus instituta. Festiuitates enim illæ (vt notum est) celebrantur circa metas Iulij mensis, quo videlicet tempore, neque Pascha celebrasse, neque Azymorū dies ille Hebræorum populus inuenitur, si tota Testamenti veteris series recenseatur. Sed quia in solennitate Paschali venerari dignè non poterant, ad eorum cultum, aliud tempus est Ecclesiastica dispositione prouisum. Hæc autem idcirco de sacris solennitatibus iuxta compēdium dixerim, vt manifestè clarescat, quia sancta Ecclesia nō tam constringitur lege temporum, quàm vices ad suum cohibet nutum. Neque enim sub elementis seruit Ecclesia, sed ipsi potius subiecta sunt & obtemperant Elementa. Vndè & magister Gentium dicit: Omnia enim vestra sunt, Paulus, siue Apollo, siue Cephas, siue mundus, siue vita, siue mors, siue præsentia, siue futura. Omnia enim vestra sunt, vos autē Christi: Christus autem Dei. Atque vt ostendat, quantæ auctoritatis prærogatiua sancta præcellat Ecclesia, rursus ad eosdē Corinth. An nescitis, ait, quoniā sancti de hoc mūdo iudicabūt? Et si à vobis iudicabitur hic mūdus, indigni estis qui de minimis iudicetis? Nescitis quia Angelos iudicabimus? Quantò magis sæcularia?

Nec tēporū lege constringitur Ecclesia.

Non seruit sub elementis Ecclesia

1. cor. 3.

1. Cor. 6.

Quòd in Ecclesia rectè alius supplet verba alterius. Cap. 16.

IAM igitur, vt ad superiora redeamus, quid mirum si sancta Ecclesia, cui tanta potestas diuinitus concessa est, verba sibi famulantia ita ad suū conuertat arbitriū, vt vel singuli pluriū, vel plures eloquia proferant singulorū? Aut quid obest, si ea quæ specialiter aliis congruūt, ab aliis proferuntur? Certè non ignoramus, quia cùm pueri catechizantur, sacerdos interrogat, Quid petis? Vbi non puer sed alius vice eius reddit responsum, dicens, Fidem. Et cætera, quæ propriè ad puerum pertinent: alius in eius persona respondet. Si ergò in ipso regenerationis nostræ mysterio, vbi scilicet totius humanæ salutis constat origo, rectè alius verba reddit alterius; quid prohibet, si & in aliis Ecclesiasticis salutationibus, vel petendis benedictionibus, alter respondendo suppleat locum illius qui vocatur? Nam vt alter pro altero respondere in Ecclesia valeat, non moderna temeritas reperit, sed ab Apostolica potius auctoritate descendit. Vndè & Paulus ad Corinthios: Cæterum, inquit, si benedixeris spiritu, quis supplet locum idiotæ: Huc accedit, quòd si propter absentiam personarum timet dicere, Dominus vobiscum, vel

In baptismo infantium alius pro eis respondet. Vnus pro alio supplere potest.

1. cor. 14.

Dominus vobiscum.

etiam respondere, Et cum spiritu tuo: timeat quoque necesse est, nè dicat, Oremus, sed potius, Orem: nè videatur illos ad orationem inuitare, qui desunt. Et qui sacrilegium ducit, nullis adstantibus, benedictionem petere vel dare, caueat in fine lectionis dicere, Tu autem Domine miserere nostri, sed potius dicat, Miserere mihi. Quod si omnino præposterum omnino videatur absurdum, non reuereatur Ecclesiæ verba solus proferre, qui ab ea se mente & spiritu numquam decernit abesse. Et cuius se profitetur specialiter membrum, non se à suo corpore diuisum asserat prolatione verborum, sed sic cum Christi Ecclesia, veraciter vnum confidenter expleat suæ vniuersitatis officium: magisque in his Ecclesiastici Sacramenti virtutem seruare studeat, quàm congruentiam domesticæ confabulationis attendat.

Oremus.

Seruanda est solitario consuetæ prolatio verborum Ecclesiæ.

Quòd quidquid penè in diuinis officiis agitur, sub figuris mysticis disponatur. Cap. 17.

SIcut enim superius dictum est, nonnulla in Ecclesiasticis obseruationibus fiunt, quę in superficie quidem friuola videntur & leuia: considerata verò subtilius magnæ virtutis videntur veritate subnixa. Vt enim pauca perstringamus è plurimis: quis, cùm sacerdotalia conspicit indumenta, admiratione dignum inesse illis credat, nisi quid in eis figuraliter innuatur intelligat? At si spiritualis intuitus clarescat, animaduertit, cur sandalia Clericorum, qui pedes à terra diuidunt, pedum autem superiora ex parte tegunt, sed ex parte non tegunt. Considerat etiam, cur Poderis vsque ad talos defluat, cur Humeralis ex lini materia semper fiat. Perpendit etiam, quid Cingulum, quid designat Orarium. Scrutatur quoque nihilominus, cur in modum crucis sit quadrata Dalmatica, cur reliquis indumentis sit superponenda casula: cur etiam Manipulus in sinistra parte gestetur: quia nimirum spiritualium potius, quàm carnalium oculorum, vel narium pituita detergitur. Nec illud etiam sine causa decernit fieri, cur Diaconus, qui Dalmatica non est indutus, Casula circumcinctus legat: cur etiam ipsa Dalmatica in sinistra sui parte Fimbrias habeat. Porrò autē, nec illa consuetudo inaniter tenuit, quod Pallium Pontificalibus indumentis apponitur, vt Lamina in fronte Pontificis ad decorem & gloriam antiquitus ponebatur. In qua nimirūm Lamina, nomen Domini Tetragrammaton scriptum erat, quod Sanctum Domini vocabatur: paucis quidē literis constans, sed magni intellectus virtutem interius continens. Sed quid nos infinita persequimur, dum quicquid sub veteri, vel sub nouo Testamento in

Significationes mysteriorum in vestibus sacerdotū.

Exod. 28.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Allegorica Theoria in veritibus.

diuinis agitur officiis, totum penè per figuras mysticas, & ænigmata fieri videatur? Quid enim tota illius tabernaculi compositio, quid numerus Leuitarum, quid cæremoniæ sacerdotum, quid denique vel moderni sanctæ Ecclesiæ ritus exigunt, nisi vt virtus spiritualis intelligentiæ requiratur? Atque, vt ita loquar, mysterium latet in mysterio, dum exterioris cultus exercitio, arcanum allegoricæ Theoriæ comprehenditur sacramentum.

Peracti opusculi breuis Epilogus.

Spiritus elationis in eloquentia

VErùm his, quæ ab eruditis expositoribus expedita probatur, omissis: id quod tractandum suscepimus, vt enucleatius claresçat: adhuc breuiter replicemus. Lectoribus namq; nonnullis vitium arrogantiæ familiare est, præsertim si cui lepor eloquentiæ suppetit, dum patentes scripturæ campos effrenis lingua percurrit, populari fauori cor deditum, spiritus elationis inuadit. & dum alios per recti itineris tramitem dirigit, ipse diuerticulum erroneq; confusionis incurrit. Hinc est etiam, quòd mensæ lectoribus ex more dicitur: Auferat à te Deus spiritum elationis. Vt ergò imminenti forsitan arrogantiæ, iam in ipso lectionis exordio humilitas opponatur: rectè tãtæ subiectionis arte benedictio petitur, vt lecturo non sacerdos, sed cui ipse iusserit, benedicat. Sacerdotalis autem salutatio idcirco fit in Ecclesia, vt sacerdos pacem se habere cum tota plebe fidelium doceat. Præcipit enim in Euãgelio Dñs, dicens: Cùm stabitis ad orandum, dimittite si quid habetis aduersus aliquem, vt & pater vester qui in cœlis est, dimittat vobis peccata vestra. Et iterùm: Si offers, inquit, munus tuum ad altare, & reliqua. Sacerdos ergò, vt hoc Dominicum præceptũ non solùm corde custodiat, sed etiam per exterioris speciem ritus ostẽdat, antequam Deo fundendæ orationis offerat sacrificium, per mutuæ salutationis officium, ostendit se in fraterna charitate vnanimiter federatum. Quapropter si præstò sint, ipse spiritaliter oculis præsentes attendit, pro quibus orare disponit: nec abesse per spirituale contubernium credat, quos in oratione secum pariter comprehendit. Obtutus itaque fidei, salutationis eius verba intendit & accipit, quod adesse cominus per spiritalem præsentiam cernit. Quisquis ergò frater in cellula singulariter habitat, communia Ecclesiæ verba proferre non timeat: Quem videlicet à conuentu fidelium, & si locale spacium diuidit, cum omnibus tamen vnitas fidei, in charitate coniungit. Qui licèt absint per moles corporum, præstò sunt tamen per vnitatis Ecclesiasticæ Sacramentum.

sacerdotalis salutatio pp pacem. Mar. 11.

Matt. 5.

Non corporalis sed spiritalis attenditur in orationibus præsentia.

Explicit Liber Petri Damiani, qui appellatur Dominus vobiscum.

MICRO-

MICROLOGVS
DE ECCLESIASTICIS OBSERVATIONIBVS

OPVSCVLVM ANTE ANNOS QVINGENTOS CONSCRIPTVM AB HOMINE ANTIQVITATIS ECCLESIASTICÆ STVDIOSISSIMO,

OPERA IACOBI PAMELII BRVGENSIS, S. THEOLOGIAE Licentiato in lucem primùm editum, & iam secundò ad manuscripta exemplaria ab eodem recognitum.

IACOBVS PAMELIVS BRVGENSIS
LECTORI CANDIDO S.

DVM totus sum in conquirendis vndequaquè libris Rabani Mauri Archiepiscopi Moguntini, viri citra dubitationem omnem eruditiss. ac in sacrarum litterarum expositione versatiss. (quippe qui exactissimũ in vniuersa Biblia sacra commẽtarium è veterum Theologorum monumentis collegerit) ad nos missus est è bibliotheca Septem fontium, Rabani titulo Micrologus de Ecclesiasticis obseruationibus. Quem vbi primùm inspexi, ac ex ipsis capitum titulis totius operis argumentum didici, mirum quantoperè eo thesauro inuento sim gauisus, præsertim quòd spes certa affulgeret, posse me suo iam tandem auctori librum illum adserere, quem alibi incerto auctore citatum reperissem, vt qui non ignorarem scripsisse Rabanum de diuinis officijs. Verùm dum paulò pòst penitiùs codicem introspicio, & mentionem in illo fieri video Gregorij Papæ septimi, atque Episcoporum Amalarij Treuirensis & Anselmi Lucensis, qui seculis aliquot Rabano sunt posteriores: illius non esse, certò deprehendi. Neque tamen id me deterruit ab editione semèl animo concepta: quin potiùs, quod tibi, Lector, gratum illum fore mihi persuaderem, è blattis ac tineis iam tandem aliquandò eruendum suscepi: hoc ipso quoquè munusculo litterario conciliare me posse ratus studiosorũ animos, vt si quid penès se habeant Rabani, quo meum hoc institutum tam piũ promouere queant, cõmunicare non grauentur: quod vt faciant, ad vnum omnes etiam atque etiam rogo atque adeò obtestor. Accessit & alia occasio, quæ me velis remisq; (quod aiunt) in hanc impulit sententiam. Synodus nouissima Tridentina Patres quosdam certo numero delegit, qui ad euitandam illam (quam calumniantur nostri seculi Aristarchi) rituum Ecclesiasticorum discrepantiam, Breuiarium ac Missale componerent: quæ suis numeris absoluta, toto Christiano orbi obseruanda auctoritate Apostolica proponerent. Hos quum non dubitarem ad ritum veterẽ Ecclesiæ Romanæ omnia redintegraturos, atq; ad eam rem non parùm conducere posse nostrum Micrologum, ego illum primo quoq; tempore euulgandum censui, vtpote è quo resarciri posse tantùm non existimarẽ, quicquid à primæua illa Romani Ordinis institutione variatum esset. Quam quidem ad rem cùm multùm etiam Amalarium, Vualafridum, Strabum, ac Honorij Gemmam

conferre,

Universidad de Deusto
Biblioteca

conferre, fatendum sit: tamen huius mihi auctoritas non negligenda, immò cæteris etiam esse præponenda videtur: propter eam, quam longo harum rerũ vsu & non Amalarij tantùm, qui inter hos facile principem locum obtinet, verùm longè etiam antiquiorum, quorum apud omnes sancta debet esse auctoritas, diligenti lectione sibi acquisiuit rerum Ecclesiasticarum singularem peritiam. Hi sunt, Magni Gregorij Sacramentarius & Antiphonarius, atque Hieronymi Lectionarius, quem Comitem inscripsit. Quos in Diuinis officijs constituendis sibi ob oculos semper posuit, & sicut ad cynosuram nautæ, ità ad hos semper sibi respiciendum esse putauit. Eos, cùm ad Ecclesiastica officia rectè constituenda plurimum obtineant momenti, nos propediem in lucẽ proferemus, & Deo approbante, cum omnibus communicabimus. Equibus, mea quidem sententia, rectiùs pristinæ integritati omnia restitui possint, quàm è Missalibus aut Breuiarijs, quæ hodiè circunferuntur: quæ quanquàm Ordinis Romani nunc noui, nunc antiqui præ se titulum ferant, non per omnia tamen cum illo consentire, auctores citati, ac noster hic manifestum faciunt. Exemplis, quod dico, comprobari poterat, tum de Euangelio ad Dominicam Aduentùs primam, ac Dominicarum vagantium intercalatione post Pentecosten, tum de non obseruata ad amussim Euangeliorum cum Orationibus concordia, quam præscripsit D. Gregorius. Verùm hoc loco ijs supersedẽdum putaui, nè cuiquam prolixitate nimia molestus sim, nè ve Censoris mihi munus arrogare videar. Si quis eius rei sit curiosior, consulat XXIX. XXXI. XLI. ac postrema duo Micrologi capita. Hoc vnum dicere non verebor, minùs nouitatis ortum iri in cæteris per orbem Ecclesiis, si ritum illum veterem Romanũ sequantur Patres, quàm si recentiorem hunc nulla sui parte immutatum retineant. Ad illum enim quàm proximè accedunt omnes penè totius orbis Romani Ecclesiæ, ac nostra quoquè Brugensis, nunc cathedralis, iam indè verò ab annis septingentis Canonicorũ collegio insignis. Hunc verò non multis ab hinc seculis, siqua historiæ habenda fides, è Sacello Pontificio mutuati sunt patres instituti Franciscani, ac postmodùm soli ferè Romani in vsum receperunt. Testatum id reliquit ante annos propè ducentos circa annum Domini 1380. Radulphus de Riuo Tungrensis Decanus, in libro (quem penès me manuscriptum habeo) de Canonum obseruantia. Apud illum Propositionis 22. hic est titulus: Ordo sanctæ Romanæ Ecclesiæ, non ex vsu fratrum Minorum, sed ex sacris Canonibus, scripturis authenticis, libris antiquis, generaliq; & proportionali locorum consuetudine, colligatur. Quod cùm multis argumentis è re ipsa petitis, collatione rituum inter se facta, sparsim toto opere asseruisset: hoc loco idipsum duplici ratione historica latè deducit, nos verò in summam contraximus. Harum prior, quod ipse Romæ didicisset, in Sacello Pontificio apud Lateranum, non tam plene solere fieri officia Ecclesiastica, atq; in alijs Collegiatis vrbis Ecclesijs, immò id Capellare officium (ità vocat) breuiùs fieri consuetum, ac sæpiùs à Pontificibus variatum: atque id esse quod fratres Minores obseruandum susceperunt, quippe cuius Ordinarium ipse Romæ viderit à tempore Innocentij Papæ tertij collectum. Altera, quòd Nicolaus Papa tertius sub annum Domini 1277. remotis à reliquis quoquè vrbis Ecclesijs libris antiquioribus, Breuiaria ac libros Missales ordinis fratrum Minorum in vsum introduxerit, ac per omnes vrbis Ecclesias obseruari mandauerit, vsqueadeò, vt ætate sua Romæ libros omnes Radulphus nouos repererit. Sed hæc extra scopum: illud verò ad institutũ nostrum propiùs pertinet, quod habet ille: Aliæ autem nationes, inquit, orbis Romani libros & officia sua habent è directo ab ipsis Ecclesijs Romanis, & non à Capella Papæ, sicut ex libris

& tra-

& tractatibus Amalarij, Vualafridi, Micrologi, Cemmæ, & cæterorum de officio diuino scribentium, colligitur euidenter. Quæ verba eò lubentiùs huc adduximus, quòt Micrologi nostri argumentum paucis explicent, quem tanti fecit ille, vt præ reliquis, eius potissimùm auctoritate nitatur, ac integras aliquandò paginas in suum opus ex illo transcripserit: vnde quædam etiam loca restituimus, vt hinc etiam innotescat, non à me primùm, sed iam olim ab illo in precio habitum Micrologum. nec mirum cuiquam videatur, quòd sinè auctoris nomine emittere illum in lucem nõ sim veritus, quippe quod etiam id ætatis ignoratum sit à viro antiquitatis ipsius perscrutatore vigilantissimo. Ego verò, (vt ad illum nostra redeat oratio) quisquis tandem huius libri sit auctor, humilitatis ergò prætermisisse suum nomen arbitror, vti ab alijs multis factum reperimus. Nam quod quidam Bernoldo Constantiensi ascribant, ex coniectura est, eò quòd Romanum Ordinem ab illo descriptum testetur Tritenhemius: nec temporis ratio satis conuenit. Ab alijs Ioannis Micrologus inscribitur: sed quis ille Ioannes fuerit, nescio. Vixisse autem constat Auctorem ætate Gregorij septimi Pontificis, quem Romanæ sedi suo tempore præsedisse non obscurè subindicat, quanquàm iam defunctum, cùm hæc scriberet: familiarem quoquè fuisse se significat Anselmo Lucen. qui fuit Gregorij septimi cooperator indefessus, quorum vterque floruit, atque adeò & auctor noster, circa annum Domini millesimum octogesimum, ante annos propè quingentos: Qua ætate cùm obseruata adhuc fuerit quibusdam in locis communio Eucharistiæ sub vtraque specie, non est quod miretur quisquã, si quid alicubi in Micrologo scriptũ reperit de eius generis cõmunione: Quanquàm tamen satis colligi detur ex capite decimoseptimo, iam tum vsitatam fuisse Communionem infirmorum sub altera, panis nempe specie duntaxàt. Verùm de his aliàs fortasse latiùs, vti etiã de Missis tum publicis tum priuatis, quas vtrasque agnoscit non vno in loco Micrologus. Quicquid præterea ille continet animaduersione dignum, ad marginem adnotatum reperies. Cæterùm si quis me actum agere dicat in publicando Micrologo, quem iam pridem viderit ab alijs editum: hoc illi respondeo, non nisi mera illa esse fragmenta, hunc verò nostrum 40. capitibus auctiorem: illa de Missa ritè celebranda duntaxàt, nostrum de cæteris quoquè totius anni officijs pertractare. Quarè cùm tibi, Lector, satisfactum abundè existimẽ, nè præfationis modum excedere videar, vela orationis contraham: tu quicquid id est, æqui, quæso, boniq; consulas. Certè si placere intellexero, etiam alios aliquot eiusdem argumenti libellos non visos hactenùs, propediem in lucem proferre est animus. Tu interea vale ac fruere.

MICRO-

Universidad de Deusto
Biblioteca

MICROLOGVS DE ECCLESIASTICIS OBSERVATIONIBVS.

Capita sequentis Opusculi.

De introitu Missæ. 1
De Gloria in excelsis, & Dominus vobiscum. 2
De prima oratione in Missa. 3
De numero orationum. 4
De Authenticis orationibus. 5
De conclusione orationum. 6
De conclusione seu confirmatione orationũ. 7
De epistola ad Missam legenda. 8
De Euangelio legendo. 9
De oblatione in altari componenda. 10
Quid super oblationem sit dicendum. 11
Quid auctum sit in Canone. 12
Quid superfluum sit in Canone. 13
De signis super oblationem. 14
De acceptione oblationis in manus. 15
De commemoratione Dominicæ passionis. 16
De commemoratione mortuorum, & reliquis obseruantijs, vsque ad finem Canonis. 17
De panis fractione & communicatione. 18
De vitanda intinctione. 19
Repetitio à superioribus. 20
De benedictione post Missam. 21
Quid agat sacerdos post Missam. 22
Breuis descriptio celebrandæ Missæ. 23
De vernali Ieiunio. 24
De æstiuali Ieiunio. 25
De autumnali Ieiunio. 26
De hyemali Ieiunio. 27
De officijs eorundem Ieiuniorum. 28
De vacantibus Dominicis. 29
De Aduentu Domini. 30
De Euangelio, Cùm appropinquaret. 31
De historia, Clama. 32
De septem diebus ante natale Domini. 33
De Natali Domini. 34
De secunda vespera sancti Stephani. 35
De Innocentibus. 36
De officio, Dum medium silentium. 37
De eodem officio, in alia Dominica repetendo. 38
De octaua Domini. 39
De Epiphania. 40
De Dominicis post Epiphaniam. 41
De duobus festis in vnum diem concurrentibus. 42
De martyribus Rom. Pontificibus. 43
De octauis sanctorum. 44
De priori vespera Dominicarum. 45
De aqua adspersionis, Gloria in excelsis, Ite Missa est, Credo in vnum. 46
De septuagesima. 47
De festis infra septuagesimã vel quinquagesimam concurrentibus. 48
De capite Ieiunij. 49
De quadragesima. 50
De oratione super populum. 51
De diebus Dominicæ passionis. 52
De sabbato sancto. 53
De Paschali obseruatione. 54
De festis infra Paschale tempus. 55
De Pascha annotino. 56
De Litanijs. 57
De hebdomada Pentecostes. 58
De octaua Pentecostes. 59
De officio S. Trinitatis. 60
De concordia & ordine officiorum. 61
De Dominicali officio non facilè prætermittendo. 62

De Introitu Missæ. Cap. 1.

RResbyter, cùm se parat ad Missã, iuxta Romanam consuetudinem decantat hos psalmos: Quàm dilecta, Benedixisti, Inclina Domine, Credidi: Deindè, κύριε ἐλέησον, Pater noster, cum precibus & oratione pro peccatis: videlicet vt intùs & exteriùs summo sacerdoti placere valeat: quem cum sacratissima oblatione sibi, omnibusque Christianis placare desiderat. Paratus autem intrat ad altare, & facit confessionem: quia scriptum est, Sapiens accusator est sui in principio: & antiquæ legis sacerdotes primùm pro se, deindè pro populo offerre soliti erant. Interìm cantatur Antiphona ad Introitum, quæ ab Introitu sacerdotis ad altare hoc nomen meruit habere. Hanc ad Introitum dici, Cęlestinus Papa in ordine quadragesimusquintus instituit, cũ vsque ad eius tempora ante sacrificium Epistola tantùm Pauli & Euangelium legeretur. Litaniæ quæ sequuntur, propter ipsa Græca verba, à Græcis assumptę creduntur.

Psal. 83. 84 85. 115.

Confessio sacerdotis cur instituta. Prouer. 12. Heb. 7. Leu. 16.

sic etiam Amalarius è gestis põtificum c. 5 lib. 3.

De Gloria in excelsis, & Dominus vobiscum. Cap. 2.

IN omni festo quod plenum habet officium, excepto intra aduentum Domini, & septuagesimam, & natali Innocentium, tam presbyter quàm Episcopus, Gloria in excelsis, dicũt. Quod etiam nunquàm post Meridiem legitur dicendum, nisì in Cœna Domini, vbì Chrisma conficitur, & in sabbatis Paschę & Pentecostes. Deindè versus ad populum, dicit: Dominus vobiscum. Respondetur: Et cum spiritu tuo. Notandum ex his verbis, Plures esse debere respondentes, & vnum salutantem. Sicut enim ineptè responderetur, Et cum spiritu vestro, cùm vnus esset saluator: sic incongruè salutatur per, Dominus vobiscum, cùm vnus tantùm

Vide hac de re plura supra apud Damianum in tractatu inscripto, Dominus vobiscum.

Tertius fal tem esse dẽ ber sacerdos Missas celebrans.

tantùm assit vel nullus. Hoc vtiquè beatissimi patres Apostolici, Anacletus, qui à beato Petro quintus, & Soter in ordine decimustertius decretis suis firmauere, vt sacerdos semper vel tertius esset, dum Missas celebraret. Zacharias autem vir Apostolicus, in ordine nonagesimustertius, constituit, nè sacerdotes ad celebranda Missarum solennia cum baculo intrarent, nec velato capite altari adstarent. Sancti quoquè patres in Aurelianensi Concilio, capitulo tertio, constituerunt, vt ad salutationes sacerdotis non solùm clerici, & Deo dicati, sed & omnis plebs consona voce respondeat.

Velato capite sacerdos altari adstare, p hibetur.

De prima oratione in Missa. Cap. 3.

SEquitur oratio, quam Collectam dicunt, eò quòd sacerdos, qui legatione fungitur pro populo ad Dominum, omnium petitiones ea oratione colligat atque concludat. Illæ tamen orationes specialiùs Collectæ vocari vidẽtur, quæ apud Romanos super collectam populi fiunt, dum colligitur, vt procedat de vna Ecclesia in aliam, ad stationem faciendã: vt in capite Ieiunij illa oratio, Concede quæsumus, apud sanctam Anastasiam supra Collectam populi dicitur, qui stationem apud sanctam Sabinam celebraturus est.

2. Cor. 5.

Collectæ quæ ppriè nuncupentur.

De numero orationum in Missa. Cap. 4.

IVxta Romanum Ordinem non nisì vnam orationem ante lectionem dicere debemus, vt Amalarius in prologo libri sui De officijs, se ab ipsis Romanis didicisse fatetur. Hoc vtiquè & institutio officiorum exigere videtur, vt, sicut ad vnam Missam, vnam tantùm lectionẽ & Euangelium legimus, item vnum introitũ, immò vnum officium cantamus, nihilominùs & vnam orationem dicamus. Sed hoc iam pauci obseruant; immò plures intantùm orationes multiplicant, vt auditores suos sibi ingratos efficiant, & populum Dei potiùs auertãt, quàm ad sacrificandum illiciant. Hoc autem sapientioribus multùm displicet, qui etsi aliquandò antiquam traditionem, alijs morigerando, excedunt: in ipsa tamen sua excessione modum tenere, & aliquam rationem attendere solent. Vndè & in Missa, etsi non semper vna tantùm oratione sint contenti, septenariũ tamen numerum in orationibus rarò excedũt: quem vtiquè numerum nec Dominica oratio excedit, quę cum solis septem petitionibus omnia corpori & animæ necessaria comprehendit. Hoc autem summoperè solent obseruare, vt in Missa aut vnam, aut tres, aut quinque, aut septem orationes dicant. Vnam propter Romanam traditionem: Tres, quia Dominus ante passionem suam ter orasse legitur: Quinque, propter quinquepartitam eius passionem, in cuius commemoratione hæc eadẽ

Septenariũ numerum rarò orationes excedunt.

celebramus officia: Septem, quia & Apostoli septem petitiones Dominicæ orationis ad consecrationem eorundem mysteriorum frequentasse leguntur. In natiuitate tamen Domini ad Missam in manè, Romani orationem de sancta Anastasia adijciunt: quia stationem in Ecclesia eiusdem martyris ad eandem Missam agunt. Et nos quoquè illos in illa adiectione imitamur, licèt non eandem adiectionis occasionem habere videamur. Rarissimè quidem diligentiores officiorum obseruatores, alios in orationibus numeros admittunt, nisì & quos nos suprà competenti mysterio insignitos notauimus.

De Authenticis orationibus. Cap. 5.

ALias quoquè orationes, nisì antiquas & Gregorianus, difficillimè admittunt, vtpotè quas in antiquioribus & emendatioribus Sacramentarijs maximè inueniunt. Nam octauum Africanæ prouinciæ Concilium (cui sanctus Augustinus, immò ducenti & quatuordecim sancti patres interfuerunt) capitulo duodecimo ità constituit: Nullæ preces, vel orationes, vel Missæ, vel præfationes, vel commendationes, vel manus impositiones dicantur, nisì in Concilio fuerint probatæ. Item tertium Carthaginense Concilium (cui item sanctus Augustinus interfuit) capitulo vigesimotertio: Nullus ad altare Patrem pro Filio, vel Filium pro patre nominet, sed semper orationem ad Patrem dirigat, nec qualibet oratione vtatur nisi probata. Oratio quidem ad Patrẽ dirigenda est, iuxta Domini præceptum, qui discipulos suos ità instruxit, cùm eum interrogarent, qualiter orare deberent: Cùm stabitis, inquit, ad orandum, dicite: Pater noster, qui es in cęlis, &c.

Vt adprobatæ sint orationes.

Concil. Milevitanum Can. 12.

3. Carthag. cõc. Cã. 23.

Ad Patrem semper dirigenda oratio.

Mar. 11. Matt. 6.

De conclusione orationum. Cap. 6.

COncludimus autem orationes, per Dominum nostrum, videlicet Patrem orando per Filium, iuxta eiusdem Filij præceptũ, qui in Euangelio ità præcepit: Vsque modò non petistis quicquam Patrem in nomine meo: petite, & accipietis. qui & effectum nostris petitionibus, si per ipsum rogauerimus, promittit, dicens: Quodcunque petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis. Vndè & orationes plurimas, vel penè omnes, satìs congruè ità concludimus: Per Dominum nostrum. Pauciſſimæ * enim inueniuntur, quę pro competentia sensus, alia conclusione finiantur. Vt illa, Præsta, quæsumus, omnipotens Deus, vt natus saluator. Qui tecum viuit & regnat. Item & illa: Deus, cuius filius in alta cęlorum. Dominum nostrum Iesum Christum, qui tecum viuit. &c. In qualibet autem conclusione commemorationem sanctæ Trinitatis obseruare solemus, iuxta quod in emendatioribus Sacramentarijs expressum

Ioan. 16.

Ioan. 16.

* autem

In qualibet cõclusione obseruãda sanctæ Trinitatis cõmemoratio

Universidad de Deusto
Biblioteca

Conc. Nic. Can 19. & 6 Synodus Can 97.

expressum inuenimus. [Adeò enim sancti patres inuocationem sanctæ Trinitatis in oratio nibus siue benedictionibus obseruabant, vt nec in ipsis sacramentis aliquid ratum censerent, quorum confectioni inuocatio S. Trinitatis defuisset, vt in sacris Paulianistarum, quorum & baptismũ siue ordinationes in conuersis iteranda censuerunt.] Sciendum autem, in illa vsitata conclusione, Per Dominum nostrum, quòd Romanus ordo & antiquissima exemplaria nomen Dei interponũt, vbì dicitur: Qui tecum viuit & regnat Deus. quod tamen moderni post nomen Spiritus sancti subiungere solẽt. Et hæc vtiquè consuetudo etiam apud Romanos vsquequaquè adeò inualuit, vt antiquæ traditionis executio iam non sine scandalo locum habere possit: quod iuxta Apostolum & Euangelium in tam leuibus causis summo studio deuitare debemus.

Non omittendum nomen, Deus.

Rom. 14. Matt. 8.

Iterùm de conclusione seu confirmatione orationum. Cap. 7.

Conclusio in exorcismis.

SEcundùm Romanam auctoritatem, nullã orationem, Per eum qui venturus est, concludimus, nisì sit exorcismus, in quo diabolus per diuinum iudicium, vt à creatura Dei discedat, exorcizatur, siue adiuratur. Nam in aliis orationibus, quas, Per Dominum nostrum, concludimus, patrem, vt nobis per amorem filij sui subueniat, imploramus. In exorcismo autem diabolũ per Dei iudicium, vt aufugiat, increpamus. Omnes autem adstantes, iuxta antiquam sanctorum patrum traditionem, in signum confirmationis: Amen, subiungere debent, vt communem orationem, quam sacerdos pro omnibus Domino libauit, cõfirment. Vndè & in ipsa secreta, Per omnia secula seculorum, altiùs dicit, vt præmissa oratio, per Amen à populo possit confirmari.

Amen, orationum cõfirmatio.

De Epistola, ad Missam legenda. Cap. 8.

SOlis subdiaconibus inter inferiores gradus Romana auctoritas concedit, vt sacris vestibus induti, Epistolam legant ad Missam. Quod tamen non ex eorum consecratione, sed potiùs ex Ecclesiastica concessione meruerunt obtinere. Vndè & rationabilius esse videtur, vt ipse sacerdos sibi Epistolã legat, quàm vt aliquem nondùm ordinatum, sibi adsciscat ad legendum. Nam beatus Hormisda à sancto Petro quinquagesimus * tertius Papa, capitulo tertio, illum deponit, quicunque non ordinatus, officium ordinati vsurpauerit, quod vtiquè non ex consecratione, nec ex Ecclesiastica consuetudine vnquàm promeruit. Canones etiam, alios nisì ad hoc ordinatos in Ecclesia legere, vel in * publico psallere, vel Alleluia dicere, vel alicubì exorcizare, in diuersis Cõciliis prohibuere. Nihil autem obstat, quin sacerdos in Missa inferiorum ordinum officia, si necesse fuerit, expleat: quem & omnes inferiores obtinere constat, qui & in Missa sacris vestibus est indutus, sine quibus ad altare iuxta Romanum ordinẽ ministrare non debemus. Vndè & congruentiùs ipse sibi officium subdiaconi repręsentat, quàm quemlibet inordinatum, nec sacris vestibus indutum, hoc explere permittat.

* quartus

* pulpito

De Euangelio, in qua parte sit legendum. Cap. 9.

DIaconi quoquè officium in Missa nihilominùs & ipse conuenientiùs explebit, quàm alius qui sacris vestibus non fuerit indutus. Nam etiam Diaconus tempore oblationis & lectionis, Alba indutus esse debet, iuxta quadragesimumprimum Carthaginensis Concilij quarti capitulum, cui sanctus Augustinus, immò ducenti septem & decem sancti patres interfuerunt. Iuxta decretum Anastasij Papæ, non sedetur * donèc Euangelium legitur: quæ reuerentia, vt aiunt, & Apostolicę lectioni apud Græcos exhibetur. Diaconus cùm legit Euangelium iuxta Romanum Ordinem in ambone vertitur ad Meridiem, vbì & masculi conueniunt: non ad Aquilonem, vbì fœminæ cõsistunt. Ad principalem enim sexum meritò vertitur, cui, vt Apostolus instituit, infirmior sexus domi instituendus committitur. Quòd autem presbyteri ad legendum Euangelium, non se ad Meridiem vertunt, hoc ideò inoleuisse credimus, quia nec ordo illis iniunxit, vt in ambonem ad legendum, sicut Diacones, ascenderent, vbì necessariò ad masculos potiùs, quàm ad fœminas, se vertere deberent. Nam iuxta Ecclesiasticam consuetudinem ad altare legunt, vbì nulla diuersitas auditorum approximat, quæ legentes magìs in hanc partem, quàm in aliam, conuerti exigat. Nusquàm ibì fœminæ, sed soli religiosi ad dexteram & ad sinistram permittuntur stare. Ad sinistrum verò cornu altaris habent librum, cùm legunt Euangelium, vel cùm sacrificant: vt in dextra parte sint expeditiores ad suscipiendas oblationes, siue ad conficienda altaris sacramenta. Vndè ad Aquilonem magìs, quàm ad Meridiem versi videntur, cùm annunciant Euangelium. Hinc * itaque illa vsurpatio emersisse videtur, vt etiam diacones in ambone, contra Romanum ordinem, se vertant ad Aquilonẽ, potiusque se ad partem fœminarum, quàm masculorum, vertere non vereantur. Quæ vsurpatio iam adeò inoleuit, vt apud plerosque quasi pro ordine teneatur. Sed quia certissimè contra ordinem est & inhonesta, à diligentioribus ordinis seruatoribus meritò refutatur. Ordo quoquè præcipit, vt, qui lecturus est Euangelium, crucem sibi faciat in fronte, videlicet, iuxta Augustinum, in sede ipsius verecundiæ, vt eliminata omni verecundia, cum

* dum Græci ad epistolæ lectionem nõ sedent.

Ambonem vocat quod pulpitũ priùs dixit.

* vtiquè

Fœminæ ad altare stare non permittuntur.

In fronte cur fiat crucis signum, & cur in pectore.

Apostolo

Rom. 1.

Apostolo non erubescat de Euangelio CHRISTI, qui se in fine de illo erubiturũ prædixit, quicunque eum hìc, vel verba eius coram hominibus erubuerit. Faciat etiam sibi in pectore crucem, nè aliqua suggestio diaboli eum impediat, quin puro corde Euangelium Dei annunciare valeat. Presbyter cum legit Euangelium, Romano more planetam in dexterũ leuat humerum, vt expeditum se terrenis affectibus esse demonstret ad euangelizandum. Eadem quoquè ratione & Diaconi, cùm legunt, planetam tantùm in sinistro humero ponere videntur. Item Romanus Ordo præcipit, vt incensum semper præcedat Euangelium, cùm ad altare siue in ambonem portatur: non autem cõcedit, vt oblatio in altari thurificetur. quod & Amalarius in prologo libri sui de officijs, Romanos deuitare fatetur: quamuìs modo à pluribus, immò penè ab omnibus, vsurpetur.

De oblatione in altari componenda. Cap. 10.

FInito Euangelio, statim est offerendum, dum & offerenda canitur, quæ nomen de oblatione mutauit. Nam ordine præpostero deincèps offertur, postquam in altari proposita oblatione sacerdos populum hortatur ad orandum. Sanctus Alexander Papa, quintus à beato Petro, constituit, vt panis tantùm & vinum aqua mixtum in sacrificio Domini offeratur, quia de latere Domini sanguis & aqua simùl * profluxerunt. vndè sanctus Cyprianus: In calice, inquit, Dominico aqua vino deesse non debet, nè populus, q per aquam iuxta Apocalypsin significatur, à Christo separatus esse videatur. Ità autem iuxta Romanum ordinem in altari componenda sunt, vt oblata in corporali posita, calix ad dextrum latus oblatæ ponatur, quasi sanguinem Domini suscepturus, quẽ de latere Dominico profluxisse credimus. Nã oblatam siue panem in verum Christi corpus, sicut & vinũ in sanguinem Dominicũ conuerti non dubitamus. Solent autem presbyteri, dum sine ministris offerunt, depositа oblata in altari patenam abscõdere sub corporali, & fortasse ideò quia iuxta ordinem Acolytus debet eam tenere inuolutam inter sacrificandũ. Cooperitur quoq; calix, non tam causa mysterij quàm cautelæ, vsquedùm finito Canone dicitur: Oremus. Præceptis salutaribus moniti. Discooperitur tamen, dũ leuatur, vbì dicitur, Accipiens & hunc præclarum calicem: & ibì, Per ipsum & cũ ipso, & hoc fortasse ideò, quia cautius leuatur sine operimento, quàm coopertus.

* profluxit Cyprianus epistola ad Cæcilium de sacramẽto calicis.

Oblatã vocat hostiã.

Oblatio sine ministris.

Quid super oblatione sit dicendum. Cap. 11.

COmposita autem oblatione in altari, dicit sacerdos hanc orationem iuxta Gallicanũ ordinem: Veni sanctificator omnipotens, æter ne Deus, benedic hoc sacrificium tuo nomini præparatum. Per Christum Dominum nostrũ. Deindè ante altare inclinatus, dicat hanc orationem, non ex aliquo ordine, sed ex ecclesiastica consuetudine: Suscipe sancta Trinitas hanc oblationem, quam tibi offerimus in memoriam passionis, resurrectionis, ascensionis. Quę vtiquè oratio à diligentioribus ordinis & comprobatæ consuetudinis obseruatoribus tam pro defunctis, quàm pro viuis sola frequentatur: qui etsi multotiès plurimorum consuetudini cedant, superflua tamen summoperè deuitant. Romanus tamen Ordo nullam orationem instituit post offerendam ante secretam. Erectus autem presbyter, populum hortatur ad orandum, & ipse post finitam secretam, præfationem orditur in Canonem: in qua supernorum ciuium ordines meritò connumerantur, quia eisdem mysterijs quæ ibi cõficiuntur, iuxta attestationem sanctorum patrum, interesse creduntur. Vndè & angelicus hymnus, id est, Sanctus sanctus sanctus, subsequitur, quem beatus Sixtus Papa in ordine octauus constituit, vt ante sacrificiũ diceretur. Hunc autem hymnũ & ipse sacerdos cum alijs necessariò debet dicere, nè seipsum sua prece videatur priuasse, qui & suas voces & aliorũ angelicis laudibus admitti deprecatus est in præfatione. Iuxta Romanũ ordinẽ nũquàm * Missã absq; lumine celebramus: nõ vtiq; ad depellendas tenebras, cùm sit clara dies: sed potiùs ĩ typũ illius luminis, cuius sacramẽta ibi cõficimus, sine quo & in meridie palpabimus vt in nocte.

Præfatio Canonis.

Mysterijs Missæ angeli interesse creduntur.

Hymnus Angelicus Sanctus, sãctus &c.

* Missas

Quid auctum sit in Canone. Cap. 12.

ORationem, quam Canonem, siue Actionem, propter regularem sacramentorum confectionem, Romano more appellamus, quis composuerit, apertè non legimus: nisì quòd S. Gregorius quendam Scholasticum illam composuisse testatur. Multa tamen eidẽ Canoni à sanctis patribus inserta legimus: sicut à sancto Alexandrino Papa in ordine quinto, ipsius Dominicæ passionis commemoratio interseri iubetur. Itẽ sanctus Gregorius Papa primus, Diesq; nostros in tua pace disponas: vsq; Per Christum Dñm nostrum: Et magnus Leo, Sanctum sacrificiũ, immaculatam hostiam, in Canone addiderunt. * Item quoquè Gregorius Dominicam orationem se Canoni adiecisse in registro suo asserit, vbì quibusdam indè murmurantibus, humili responsione satisfecit: inconueniens esse asserens, vt oratio quam Scholasticus composuit, super oblationem diceretur, & illa prętermitteretur, quam ipsi Apostoli ex institutione Dominica in confectione eorundem sacramentorũ vsitasse * crederentur. In summis quoquè festiuitatibus quędam Canoni in illo loco, vbì dicitur, Cõmunicantes, vel, Hanc igitur oblationem, interponimus, quę tamen ex antiquioribus & emẽdatioribus

D. Greg. Registri lib 7. epist. 63. ad Ioannẽ Syracusanum.

* Idem

* creditur.

Universidad de Deusto
Biblioteca

sacramentarijs interponēda esse didicimus,videlicet in Natiuitate Domini, In Epiphania, in Cœna, in Pascha, in Ascensione, in Pentecoste. [Huiusmodi interpositiones efficiunt, vt illud,Communicantes,apertiùs per se,quasi in Catholica communione manentes,intelligamus, quàm ad subsequentium sanctorum cōmunionem ipsum referamus.] Nimis autem temerarium videtur, vt nos aliqua Canoni ad nostrum libitum adijciamus, nisi quæ à sanctis patribus adiecta, vel adijcienda esse cognouimus; præcipuè cùm inter ipsos sanctos patres nulli aliquid adiecisse legantur,nisi qui & Apostolica auctoritate prædici, hoc facere potuerunt. Optimum ergò videtur, vt in hac causa terminos nostrorum patrum non excedamus, nec nos Apostolicæ auctoritatis reos efficiamus, si, quod soli Apostolicæ auctoritati *competit, Canonem nostris interpositionibus augmentare præsumamus.

*conuenit

Quid superfluum sit in Canone. *Cap.* 13.

INterponere enim solent quidam ibi suas orationes,vbi dicitur: Memento Domine famulorum famularumque, & ante commemorationem defunctorum. Item post nomen Domini Papæ siuè proprij episcopi,adiiciunt: Et omnibus orthodoxis atque Catholicæ & Apostolicæ fidei cultoribus,sed superfluò. Nam ordo statim in sequenti versu,vbi dicitur:Memēto Domine famulorum famularumque, nobis concedit, vt omnium viuorum commemoremus, quoscunque voluerimus. Item post pauca addunt: Pro quibus tibi offerimus, cùm in antiquioribus & veracioribus sacramentarijs, non nisi sub tertia persona offerentes *ibi reperiantur. Item ibi: Vndè & memores Domine nos tui serui, Natiuitatem Domini commemorant, cùm iuxta Apostolum in eiusmodi sacrificio, non Natiuitatem Domini, sed mortem eius annunciare debeamus. Vndè & sanctus Ambrosius, in libris Sacramentorum: Quotiescunquè, inquit, offertur sacrificium, mors Domini, resurrectio Dñi, ascensio Domini significatur. Quod & sanctus Augustinus sua attestatione confirmat. Quapropter & nos ibi tantùm *passionis, resurrectionis & ascensionis commemoramus. Hæc ergò omnia quæ nos adiectiua notauimus, ille proculdubiò superflua & eradenda iudicabit, quicunque antiquiores & emendatiores sacramentarios diligenter inspexerit. Sciendum est autem, quòd Romana auctoritas nomina viuorum fideliū incernumerare permittit, vbi dicitur: Memento Domine famulorum famularumque:similiter & defunctorum, vbi iterùm dicitur:Memēto etiam & eorum nomina. Aliorum verò sanctorum nomina annumerare nō debemus, nisi quos in Canone inuenimus antiquitùs descriptos, excepto post, Pater noster, in illa oratione, vbi iuxta ordinem *quantumlibet sanctorum nomina internumerare possumus. Et hoc etiam notandum, quòd personæ prælatorum & subiectorum in Canone distinguuntur. Vbi enim Dñi Apostolici siue Episcopi nostri nomen assumimus,de prælatis agere videmur. De subiectis verò statim in sequenti versu, vbi dicimus: Memēto Dñe famulorum famularūque tuarum. Item illud, Hanc igitur oblationem seruitutis nostræ, de prælatis sonat. Nā quod sequitur, Sed & cunctę familiæ tuæ, subiectos videtur intimare. Item, Vndè & memores Domine nos serui tui, de prælatis: & illud, Sed & plebs tua sancta,de subiectis agere non dubitatur.

*scripti

Mors Christi, nō Natiuitas, i hoc sacrificio commemoratur.

*passionē, resurrectionē & ascensionem.

*quorumlibet

De signis super oblationem.* *Cap.* 14.

*quæ super oblatam fiunt.

DE signis autem quæ super oblationem à diuersis diuersè fiunt, nos ab Apostolica sede potissimùm formam sumere decreuimus, vndè totius Christianæ religionis ordinem & originem suscepimus. Nam & illi sedi nostro tempore talem Deus gubernatorem, reuerendæ inquam memoriæ Gregorium Papam imposuit, qui sub decem suis antecessoribus, à puero Romæ nutritus & eruditus, omnes Apostolicas traditiones diligentissimè inuestigauit, & inuestigatas studiosissimè in actum referre curauit. Hanc ergò doctorem religione & auctoritate præcipuum, immò Apostolicā traditionem per ipsum in consecrandis mysterijs potissimùm imitari decreuimus. Sicut nos ipsi per ipsum & per Episcopos qui eum imitati sunt,accepimus,imparem numerum semper in dispensatione signorum super oblationem obseruamus, videlicet vnam crucem,vel tres, vel quinque faciendo, & hoc vtiquè non sine certi causa mysterij. Nam in vna & tribus, vnum & trinum Deum intimamus. In quinque autem, quinquepartitam Domini passionem significamus. Meritò autem impar numerus in ecclesiasticis officijs frequentatur, quia nūquàm in duo æqualia vnitate impediente diuiditur, sicut vnitas sanctæ Ecclesiæ nullatenùs, eam in duo secari patitur. Inprimis vbi dicitur,Hæc dona,hæc munera, hæc sancta sacrificia, tres tantùm cruces super panem & vinum communiter facimus, nec vnquàm panem à calice separamus in consignatione, nisi vbi separatim nominantur in Canone. Ità autem illa communiter signamus, vt erecta pars crucis, tantùm super panem: transuersa, autem, super calicem protendatur. Nam erecta pars crucis, corpus Dominicum sustinuit:transuersa autem, ipsius brachia distendit. Vndè & calix congruè sub *brachio eius collocatur, quasi de latere Dominico sanguinem Domini susceperturus. Cum dicimus, Hanc igitur oblationem,vsque ad altare inclinamur: ad exemplar CHRISTI, qui se humiliauit, pro nobis vsque

Greg. Papa vij.

Signorum impar numerus semper obseruandus.

*brachia

Inclinatio vsque ad altare.

vsque ad mortem crucis. Erecti autem cùm dicimus, Benedictam, ascriptam, ratam, tres cruces super vtrunq; simul facimus. Non enim hìc sola oblata signanda est,vt quidam faciūt, sed vtrunq; signatur in oblatione. Nam sequitur:vt nobis fiat corpus & sanguis,subauditur, hæc oblatio. Et hoc cùm dicitur, quarta crux super panem, & quinta super calicem separatìm imponitur. Congruè autem priùs tres tantùm cruces super vtrunq;* fecimus,licèt quinque voces ad signa facienda æquipollentes haberemus, id est, Benedictam,ascriptam, ratā, rationabilem, acceptabilem,videlicet vt quinarium numerum non excederemus, & quintam crucem super calicem quasi quinti vulneris indicem, vndè sanguis profluxit, competenter faceremus.

*facimus

De acceptione oblationis in manus. *Cap.* 15.

DEindè panis in manus accipitur, & antequàm reponatur in altare, benedicitur. Item & calix eleuatus, ante depositionem benedicitur. Nam & ipse Dominus in Euangelio vtrunque legitur benedixisse antequàm dimitteret è manibus. Accepta enim in manibus benedixit, posteà discipulis dedit. Item, vbi dicitur: Hostiam puram,hostiam sanctam, hostiam immaculatam,tres cruces super vtrunq; simul facimus: quia & vtrunque simul in eisdē verbis intelligimus. Quartam autem crucem super panem, & quintam super calicem separatìm insigimus,iterùm sanguinem Dominicū de latere Dominico profluentem,designantes.

Matt. 26.

Quinque cruces post consecrationem.

De commemoratione Dominicæ Passionis. *Cap.* 16.

NOtandum autem, per totum Canonem Dominicæ Passionis commemorationem potissimùm actitari, iuxta Domini præceptū in Euangelio: Hæc, inquit, quotiescunquè feceritis, in mei memoriam facietis, Et illud Apostoli: Quotiescunq; hoc sumpseritis,mortem Domini annunciabitis. Vndè & ipse sacerdos per totum Canonem in expansione manuum, non tam mentis deuotionem, quàm CHRISTI extensionem in cruce designat, iuxta illud: Expandi manus meas tota die. Nō ergò digiti sunt contrahendi semper, vt quidā præ nimia cautela faciunt. Malè enim cauti sumus, si CHRISTVM imitari summoperè non studemus. Congruum ergò est,vt manus expandamus infra Canonem, hoc tamen obseruato, nè quid digitis tangamus præter Domini corpus. Notandum quoquè in ipso Canone quinquiès, per CHRISTVM Dominū nostrum, haberi: & in ipsa quinaria conclusione non incongruè quinariam Domini vulnerationem intimari. Presbyter autem manus rarò remittere solet, nisi cùm necessariò propositā

Matt. 26. Luc. 22. 1. Cor. 11.

Expansio manuū qd significet.

Esa. 65.

oblationem benedicere debet. Presbyter & humiliationem Domini vsque ad crucem, vt prædiximus, nobis indicat: cùm se vsque ad altare inclinat, dicendo: Hanc ergò oblationem. Statìm enim in sequentibus narrationē de Dominica Passione orditur, cuius typus vsque ad, Supplices te rogamus, obseruatur. Ibi videlicet sacerdos se iuxta altare inclinans, Christum in Cruce inclinato capite spiritum tradidisse significat.

De commemoratione mortuorum, & reliquis obseruantijs, vsque in finem Canonis. *Cap.* 17.

POst mortem Christi in cruce, commemoratio mortuorum subsequitur, quia nec aliorum* mortuorum commemoratio agenda est, nisi qui in CHRISTI morte redempti sunt,& in Christo hanc vitam finierunt. Cùm autem sacerdos vocem exaltat, dicens: Nobis quoquè peccatoribus,Centurionem illum designat, qui visa morte Christi vocem exaltauit, dicendo, Verè filius Dei erat iste. Tres verò cruces super corpus & sanguinem communiter facit, cùm dicit: Sanctificas, viuificas, benedicis: in honorē sanctę Trinitatis. Posteà cum corpore Dominico quatuor cruces super calicem facimus, dicendo: Per ipsum & cum ipso & in ipso, & quintam in latere calicis, videlicet iterùm vulnus Dominici lateris significando. Vndè & calicem ex eodem latere cum oblata tangimus iuxta Romanū Ordinem. Multi tamen tres tantùm cruces super calicem, & duas in latere eius faciunt: sed videtur incongruum,cùm CHRISTVS nullum vulnus in latere habuerit* nisi vnum. Sed reuerendæ memorię Gregorius Papa fecit, vt prædiximus, quod beatus Anselmus Lucensis Episcopus ità ab eo se didicisse testatus est,& hoc ità semper obseruauit,nobisque itidēm obseruandum firmissimè inculcauit. Cùm dicimus, Per omnia secula seculorū, Corpus cum Calice leuamus, & statìm in altari deposita cooperimus: Quia & Ioseph corpus Dominicū de cruce leuauit, & in sepulcro depositum,lapide cooperuit. Hucusquè calix pro cautela coopertus videbatur, deincèps autem magis pro mysterio cooperitur, quia sicut CHRISTVS tres dies in sepulcro fuit coopertus: ità & nos corpus Domini & calicem cooperimus, vsquedùm tres articulos orationis compleamus, quippe præfationē Dominicæ orationis, & ipsam Dominicam orationem,& illam quæ sequitur, quę embolis Dominicę orationis nuncupatur. Iuxta Romanum Ordinem cùm dicitur,Et ab omni pertur batione securi,accipit archidiaconus à subdiacono patenam nudam, quam acolytus tenuit inuolutam, & osculatam dat vni ex diaconibus tenendam, ad confractionem in ea faciendam. Vndè sacerdos sine ministro sacrificans,

*defunctorum.

Exaltatio vocis. Matt. 27.

Quinque cruces cum corpore Dominico.

*prętер Anselmus Lucensis.

Cur calix operitur.

Patenę vsus.

Universidad de Deusto
Biblioteca

ad eundem locum eam de sub corporali abscõditam resumit, & osculatam in altari deponit, vt hostiam in ea confringat. Cùm autem dicit, Per Dominum nostrum, rumpit hostiã ex dextro latere iuxta Ordinem, ad designandam Dominici lateris percussionem. Deinde maiorem partem in duo confringit, vt tres portiones de corpore Dominico efficere possit. Nam vnam in calicem, faciendo crucem, mittere debet, cùm dicit: Pax Domini sit semper vobiscum, ad designandum corporis & animæ coniunctionem in resurrectione CHRISTI. Alteram verò ipse presbyter necessariò sumit, ante calicis participationem, iuxta Dominicam institutionem. Tertiam autem communicaturis siue infirmis necessariò dimittit, nec hoc vtiquè sine certi causa mysterij. Tripliciter enim corpus Domini intelligitur: vnum quod resurrexit à mortuis, quod significat particula in sanguinem missa: Aliud, quod aduc viuit in terra, significatum per particulam à sacerdote consumptam: Tertium, quod iam requieuit in CHRISTO, quod & à tertia particula in altari seruata aptè figuratur, quam viaticum morientium appellare solemus.

Hostiæ diuisio ĩ tres partes.

De panis fractione & communicatione. Cap. 18.

POst immissionem autem panis in calicem, iuxta Romanum Ordinem, dicit sacerdos sub silentio: Fiat cõmixtio & consecratio corporis & sanguinis Domini nostri Iesu Christi. Beatus Innocentius Papa in ordine quadragesimusquintus constituit, pacem dari post confectionem sacramentorum. Cùm pacem damus, dicere solemus: Pax tecũ. ℟. Et cum spiritu tuo. Congruè autem pax datur ante communionem, quia iudicium sibi manducat & bibit, quicunque non priùs fratri suo repacificatus, communicare præsumpserit. Sergius Papa in ordine octogesimus sextus constituit, vt in tempore confractionis Dominici corporis, Agnus Dei, à clero & populo decantetur. Videlicet vt ille nobis propitietur, cuius corpus ibi confringi videmus & credimus. Facta autem confractione, debent omnes communicare, interim cùm & Antipona cantatur, quæ de communione nomen mutuauit, cui & psalmus subiungendus est cum Gloria patri, si necesse fuerit. Sciendum autem, eandem Antiphonam semper eundem psalmum cum introitu habere, si non habet proprium ex quo sumpta videatur. Orationem quam inclinati dicimus, antequàm communicemus, non ex ordine, sed ex religiosorũ traditione habemus, scilicet [hanc:] Domine Iesu CHRISTE, qui ex voluntate Patris. Item & illud. Corpus & sanguis Domini nostri IESV CHRISTI, quod dicimus, cum alijs Eucharistiam distribuimus. Sunt & aliæ multæ orationes, quas quidam ad pacem & cõmunionem priuatum

Sergius Papa Agnus Dei cantari instituit.

A frequentant: sed diligentiores antiquiorum traditionum obseruatores, nos in huiusmodi priuatis orationibus breuitati studere docuerunt, potiusq; publicis precibus in officio Missæ occupari voluerunt. Nam beatus Innocentius Papa, scribens sancto Augustino & Aurelio Episcopis, asserit quòd nos plus communibus & publicis, quàm singularibus & priuatis orationibus, proficere poterimus.

De vitanda intinctione. Cap. 19.

B NOn est autem authenticum, quòd quidam corpus Domini intingunt, & intinctum pro complemento communionis populo distribuunt. Nam Ordo Romanus contradicit, quia & in Parasceue vinum non consecratum, cum Dominica oratione & Dominici corporis immissione iubet cõsecrare, vt populus plenè possit cõmunicare. Quod vtiquè superfluò præciperet, si intinctum Dominicum à priori die corpus seruaretur, & ità intinctum populo ad cõmunicandũ sufficere videretur. Iulius quoquè Papa, in ordine trigesimus sextus, Epis Aegypti scribens, huiusmodi intinctionem penitùs C prohibet, & seorsùm panẽ, & seorsum calicẽ, iuxta Dominicam institutionem, sumenda docet. Vndè & beatus Gelasius Papa in ordine * 51. scribens quibusdam episcopis, excommunicari illos præcepit, quicunque sumpto corpore Dominico, à calicis participatione se abstinerent. Nam & ipse in eodem decreto asserit: Huiusmodi sacramentorum diuisio sine grandi sacrilegio prouenire nõ poterit. Postquàm omnes communicauerint, dicit sacerdos hanc orationem sub silentio [iuxta Romanum Ordinem:] Quod ore sumpsimus. Qua finita, sequitur oratio siue orationes post communionem dicendæ, quę eodẽ numero & ordine orationibus ante lectionem, siue pro secreta ante præfationem dictis, debent respondere. Quæ vtiquè orationes, non pro his qui communicaturi sunt, sed qui iam communicauerunt, iuxta proprietatem sui nominis agunt. Ergò & ante ipsas communicare non negligant, quicunque earundem orationum benedictione foueri desiderant. His ità finitis, subsequitur, Benedicamus Domino: vel, Ite Missa est: si tamen aliquod festum fuerit, quod, Gloria in excelsis, E habere debuerit. Respondent omnes, DEO gratias, iuxta Apostolum, pro collatis beneficijs gratias agentes.

Intinctio prohibita a Iulio Pontifice.

* 49.

Orationes post communionẽ.

Repetitio à superioribus Missæ. Cap. 20.

VT autem à superioribus aliquantulum repetamus, postquàm sacerdos resurrectionem Domini per coniunctionem corporis & sanguinis Domini denotauerit, subsequenter etiam pacẽ populo offerre debet, sicut & Christus post resurrectionem discipulis suis pacem obtulit, dicens: Pax vobis. Fractio oblationis, illam

Luc. 24. illam nobis fractionem Panis insinuat, quam Dominus post resurrectionem suam coram discipulis fecit. Communicatio populi, typum illius coniuiij gerit, quod nõ semel Dominus post resurrectionem suã cum discipulis iniisse legitur. Hos etiam * post vltimum conuiuium ab eis discessurus in cælum, benedixit, sicut & sacerdos populum cum oratione post communionem benedicit, videlicet iam citò discessurus ab eo: cui tamen priùs, vt ipse discedat, per, Ite Missa est, denunciat, in figuram Angelorum, qui discipulis, discedente Domino ab eis, dixerunt: Viri Galilęi, quid statis aspicientes in cælum? & reliqua. Quo audito, discipuli adorantes Dominum, reuersi sunt in Hierusalem cum gaudio magno: sicut & populus, relata DEO gratiarum actione, ad propria cum gaudio reuertitur.

*vltimo cõ uiuio

Ite, Missa est Act. 1.

De benedictione post Missam. Cap. 21.

PRiùs tamen ab episcopo benedicitur, si adest: sin autem, à presbytero qui Missas celebrauit: Quamuis beatus Damasus Papa hoc presbyteris non licere dicat, vbi de vana chorepiscoporũ superstitione tractat, si tamen nos mendositas exemplaris non fefellit. Sed magnus Leo Papa, & beatus Gelasius Papa, eius successores, in ecclesiasticis officijs apprimè eruditi, in decretis suis, vbi diligẽtissimè, quid presbyteris liceat, quidve non liceat, describunt: nullatenus illis benedictionem, nisi episcopo præsente, interdicunt. Beatus quoq; Hieronymus, sanctę Romanę Ecclesiæ Cardinalis presbyter, qui sub beato Damaso, & post ipsũ vsque ad * sextum successorem eius, ecclesiasticis institutis studiosissimè inuigilauit: Ipse, D inquam, Rustico Narbonẽsi episcopo de ecclesiasticis ordinibus scribens, presbyteros à benedictione super populum non prohibendos esse asserit: Si, inquit, presbyter Christũ consecrat, cũ in altario Dei sacramenta benedicit: benedicere populum non debet, qui Christum meruit consecrare? Et post pauca: Hoc in Ecclesijs * tuis presbyteri faciant, quod Romæ, siue quod in Oriente, quod in Africa, quod in Hispania, quod in Britãnia, quod in Gallia, quod in omnibus locis vbi humilitas perseuerat. Ex his ergò conijcere possumus, beatum Damasũ E Papam huiusmodi benedictionem presbyteris illicitam, aut penitùs non dixisse, aut si dixit, Ecclesiasticam tamen consuetudinem in hoc præualuisse, præcipuè cùm ipsius verba ità possint intelligi, vt presbyteros doceret, quòd eis quasi ex proprio officio vsurpare non liceret, * quod eis ab episcopali auctoritate concedi posse non ignorarent. Sic enim confirmatio Neophytorum penitus separata est ab officio presbyterorũ: quam tamen sanctus Gregorius Papa primus quibusdam presbyteris concessisse legitur, scribens Ianuario Calaritano Episcopo: Item & susceptionem pœniten-

*sixtum

*sua

* quid

A tium, non ex sua consecratione, sed ex Episcoporum concessione, presbyteri habere meruerunt. Quod illum non latebit, quicunque ordinem consecrationis eorum, siue statuta sanctorum patrum, diligenter inspexerit. Agathẽ se quoquè Concilium capitulo quadragesimo quarto benedictionem super populum Presbyteris prohibere videtur: sed hanc prohibitionem de episcopali tantùm benedictione factã interpretantur: quæ vtiquè benedictio iuxta decimum octauum Toletani Concilij capitulum, & attestationem sancti Augustini ad Paulinum Episcopum, ante communionem populo à solis episcopis * debet impendi. Si quis verò hoc de hac ipsa benedictione, de qua agimus, dictum putauerit, sententia tamen Prouincialis Concilij tam generali Ecclesiasticæ consuetudini præiudicare non poterit. Ideò autem huiusmodi benedictio fortasse antiquitùs presbyteris interdicta est: quia & ad episcopale officium pertinere videbatur, & ecclesiastico conuentui nondùm adeò necessaria reputabatur. Nam soli communicantes, confectioni sacramentorum antiquitùs intererant: quibus & oratio post communionem, quæ pro solis communicantibus instituta est, pro benedictione potuit satisfacere. Apud modernos autem, cùm iam populus communicare cessaret, nec tamen à diuinis mysterijs se subtraheret: necessariò permissum est, vt à presbytero beneciceretur, nè tam benedictione, quàm communione priuatus discedere videretur. Siue autem ea occasione, siue alia hoc presbyteris permitteretur ab episcopis: adeò tamen in vsũ iam vsquequaq; deuenit, vt nequaquam absq; graui scandalo à presbyteris in populo * intermitti possit, nisi fortè Apostolica sedes generaliter & synodaliter prohibere voluerit.

Hodiè extat hic Canõ num. 30 citat tamẽ eũ Gratianus titulo cap 44.

*solet

*prætermitti.

Quid sacerdos agat post Missam. Cap. 22.

FInitis omnibus, osculatur *sacerdos altare, dicens: Placeat tibi sancta Trinitas. Deindè sacris vestibus se exuens, cantat hymnum trium puerorum, iuxta quod patres in quarto Toletano Concilio decreuerũt capitulo 14. videlicet, vt excommunicationi subiaceret, quicunque sacerdos eundem hymnum post Missã dicere negligeret. Psalmum quoquè, Laudate Dominum in sanctis eius, in gratiarum actionem subiungens, cũ, Pater noster, & versibus ad hoc competentibus, concludit eã cum oratione illa: Deus qui tribus pueris. Sciendum autem, iuxta decreta Pontificum, quòd presbytero non licet coram Episcopo, nisi eo iubente, vel sacrificare, vel populum benedicere, vel salutare, vel exhortari. Vndè cùm legit Euangelium coram Episcopo, benedictionem petit ab eo. Item, cùm vult sacrificare, inclinat se episcopo pro concessione, qui etiam cum populo inclinatur, pro vltima benedictione.

*presbyter

Hymnus trium puerorum cantari iussus post Missã, concil. Toletan. 4.

Benedicere presbytero coram episcopo, nisi eo iubente, non licet.

* inclinat cũ populo.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Breuis descriptio celebrandæ Missæ.

Cap. 23.

Præparationes ad Missam.

PResbyter cùm se parat ad Missam, in primis cantat psalmos: Quàm dilecta, Benedixisti, Inclina, Credidi propter. Deindè: Kyrie eleison, Pater noster, Et nè nos inducas, *Vers.* Ego dixi Domine. Conuertere Domine, Fiat misericordia, Sacerdotes, Protector noster adspice, Domine exaudi. *Oratio.* Aufer à nobis Domine iniquitates nostras & peccata nostra, vt mereamur puris mentibus introire, *Alia*: Actiones nostras quæsumus Domine & adspirando præueni, & adiuuando prosequere, vt cuncta nostra operatio per te semper incipiat, & per te cœpta finiatur, Per Dominum nostrum &c. *Paratus autem, venit ad altare, dicens.* Antiph. Introibo ad altare Dei. Psal. Iudica me Deus & discerne. *Et facit confessionem*: Confiteor Deo omnipotenti, istis sanctis & omnibus sanctis & tibi frater, quia peccaui in cogitatione, in locutione, in opere, in pollutione mentis & corporis. Ideò precor te, ora pro me.

Confessio ante Missã

Misereatur tui omnipotens Deus, & dimittat tibi omnia peccata tua, liberet te ab omni malo, & confirmet te in omni opere bono, & perducat nos pariter IESVS Christus filius Dei viui, in vitam æternam. Amen. Indulgentiam & remissionem omnium peccatorum nostrorum tribuat nobis omnipotens & misericors Dominus, Amen.

Offertorium

Cùm sacerdos accipit oblationem, dicit: Acceptabile sit omnipotenti DEO sacrificium nostrum: *Deindè calice in altari ad dexteram oblatæ depositio, dicit*: Veni sanctificator omnipotens æterne DEVS, benedic hoc sacrificium tuo nomini præparatum, Per Christum &c. *Et inclinatus ante altare, dicit*: Suscipe sancta Trinitas hanc oblationem, quam tibi offerimus in memoriam passionis, resurrectionis, ascensionis Domini nostri Iesu Christi, & in honorem sanctæ Dei genitricis Mariæ, sancti Petri, & sancti Pauli, & istorum atque omniũ sanctorum tuorum, vt illis proficiat ad honorem, nobis autem ad salutem, & illi pro nobis dignentur intercedere, quorum memoriã agimus in terris. Per Christum &c. Deindè, Orate. Sequitur secreta.

Canon iuxta Romanam auctoritatem est iste:

Canon Missæ.

Te igitur clementissime Pater, per Iesum Christum filium tuum Dominum nostrũ supplices rogamus & petimus, vti accepta habeas & benedicas. *hìc signat sacerdos oblationem & calicẽ tribus vicibus, sub vna cruce.* hæc dona, hæc munera, hæc sancta sacrificia illibata: Inprimis quæ tibi offerimus pro Ecclesia tua sancta catholica, quam pacificare, custodire, adunare, & regere digneris toto orbe terrarum, vnà cum famulo tuo Papa nostro N. & antistite nostro.

Memento Domine famulorum, famularumque tuarum. *hìc nomina viuorum memorantur, si volueris, sed non Dominica*, & omnium circũadstantium, quorum tibi fides cognita est, & nota deuotio, qui tibi offerunt hoc sacrificium laudis pro se suisque omnibus, pro redẽptione animarum suarum, pro spe salutis atq; incolumitatis suæ tibi reddunt vota sua æterno Deo viuo & vero. Communicantes & memoriam venerantes in primis gloriosæ semper Virginis Mariæ genitricis DEI & Domini nostri Iesu Christi, sed & beatorum Apostolorũ ac martyrum tuorum, Petri, Pauli, Andreæ, Iacobi, Ioannis, Thomæ, Iacobi, Philippi, Bartholomæi, Matthęi, Simonis & Thaddæi, Lini, Cleti, Clementis, Sixti, Cornelij, Cypriani, Laurentij, Chrysogoni, Ioannis & Pauli, Cosmæ & Damiani, & omnium sanctorum tuorũ, quorum meritis precibusque concedas, vt in omnibus protectionis tuæ muniamur auxilio. Per Christum Dominũ nostrũ. *hìc inclinatur vsque ad altare, dicens*: Hanc igitur oblationẽ seruitutis nostræ, sed & cunctæ familiæ tuæ, quæsumus Domine, vt placatus accipias, diesq; nostros in tua pace disponas, atq; ab æterna damnatione nos eripias, & in electorum tuorũ iubeas grege numerari. Per Christum Dominũ nostrũ. *Erectus autem, cum tribus crucibus bene dicit*: Quam oblationem tu Deus in omnibus quæsumus benedictã, ascriptã, ratam, rationabilem, acceptabilemq; facere digneris. *hìc separatim signat oblatam & calicẽ*. Vt nobis corpus & sanguis fiat dilectissimi Filij tui Domini nostri Iesu Christi. Qui pridiè quàm pateretur, accepit panẽ in sanctas ac venerabiles manus suas, eleuatis oculis in cælum ad te Deum patrem suum omnipotentẽ, tibi gratias agens, benedixit, fregit, dedit discipulis suis, dicens: Accipite & mãducate ex hoc omnes: HOC EST ENIM CORPVS MEVM. Simili modo postquàm cœnatum est, accipiens & hunc præclarũ calicem in sanctas ac venerabiles manus suas, itẽ tibi gratias agens, benedixit, dedit discipulis suis, dicens: Accipite & bibite ex hoc omnes: HIC EST ENIM CALIX SANGVINIS MEI NOVI ET ÆTERNI TESTAMENTI, MYSTERIVM FIDEI, QVI PRO VOBIS ET PRO MVLTIS EFFVNDETVR IN REMISSIONEM PECCATORVM.

Commemoratio viuorum.

Inclinatio ad altare vsque.

Consecratio.

Hæc quotiescunquè feceritis, in mei memoriam facietis. Vndè & memores nos Domine serui tui, sed & plebs tua sancta, Christi filij tui Domini Dei nostri tã beatę Passionis, necnon & ab inferis resurrectionis, sed & in cælũ gloriosæ ascensionis, offerimus præclarę Maiestati tuæ de tuis donis ac datis: *Hic tres cruces super vtrũque simul facit, & quartam super oblationem, & quintam super calicem.* Hostiam puram, hostiam sanctam, hostiam immaculatam, panem sanctum vitæ æternæ & calicem salutis ꝑpetuę. Super quę ꝓpicio ac sereno vultu respicere digneris, & accepta habere, veluti accepta habere dignatus es munera pueri tui iusti Abel, & sacrificium Patriarchæ nostri Abrahæ, & quod tibi obtulit summus sacerdos tuus Melchisedech, sanctum sacrificium, immaculatam hostiam. *Hìc inclinat se iuxta altare, dicens*; Supplices te rogamus, omnipotens Deus, iube hæc perferri per manus sancti Angeli tui in sublime altare tuum, in conspectum diuinæ maiestatis tuæ, *Hìc erigit se, dicens*: Vt quotquot ex hac altaris participatione sacrosanctum filij tui corpus & sanguinem sumpserimus, omni benedictione cælesti, & gratia repleamur. Per Christum Dominum nostrum. *Hìc duæ orationes dicuntur*: Memento etiam Domine & eorum nomina, qui nos præcesserunt cum signo fidei, & dormiunt in somno pacis: *& recitantur nomina*. Ipsis Domine, & omnibus in Christo quiescentibus locum refrigerij lucis & pacis vt indulgeas, deprecamur, Per Christum Dominum nostrum. Nobis quoq; peccatoribus famulis tuis de multitudine miserationum tuarum sperãtibus partẽ aliquam & societatem donare digneris, cum tuis sanctis Apostolis & Martyribus, cum Ioanne, Stephano, Matthia, Barnaba, Ignatio, Alexandro, Marcellino, Petro, Felicitate, Perpetua, Agatha, Lucia, Agnete, Cæcilia, Anastasia, & cum omnibus sanctis tuis, inter quorũ nos consortium, non æstimator meriti, sed veniæ, quæsumus largitor, admitte. Per Christũ Dominum nostrum. Per quem hæc omnia Domine semper bona creas. *Hìc tres cruces super vtrumque simul facit.* Sanctificas, viuificas, benedicis, & præstas nobis. *Hìc cum oblata quatuor cruces facit super calicem, & quintam in latere ipsius.* Per ipsum, & cum ipso, & in ipso est tibi Deo patri omnipotenti in vnitate Spiritus sancti, omnis honor & gloria. *Hìc eleuat oblatam cum calice, dicens*: Per omnia secula seculorum. Responsio: Amen. *Et deponit oblatam, dicens*: Oremus. Præceptis salutaribus moniti, & diuina institutione formati, audemus dicere: Pater noster, qui es in cælis, *vsque*, libera nos à malo. Libera nos Domine ab omnibus malis, præteritis, & præsentibus, & futuris. Et intercedentibus beata & gloriosa semper virgine Maria, & beatis Apostolis tuis Petro & Paulo atque Andrea. *Hìc nominat quotquot sanctos voluerit*, cum omnibus sanctis, da propicius pacem in diebus nostris, vt ope misericordiæ tuæ adiuti, & à peccato simus semper liberi. *Hìc patenam accipiat, & osculatam deponat*. & ab omni perturbatione securi. *Hìc corpus in patena super tria diuidat, dicens*: Per Dominum nostrum Iesum Christum: *vsque*, per omnia secula seculorum. Respon. Amen. *Hìc etiam tertiam partem in calicem mittat, dicens*: Pax Dòmini sit semper vobiscum. Respon. & cum spiritu tuo. *Et subiungit orationem istam*: Fiat commixtio & consecratio corporis & sanguinis Domini nostri Iesu Christi accipientibus nobis in vitam æternã. Amen. *& osculato altari, dat pacem adstanti, ita dicens*:

Commemoratio defunctorum.

Oratio Dominica.

Embolismus orationis Dominicæ.

Confractio corporis Dominici.

Pacis datio

Cõmemoratio passionis Dominicæ.

Pax tecum. Respon. Et cum spiritu tuo: *Inclinatus autem dicit, antè quàm communicet*: Domine Iesu Christe, qui voluntate patris, cooperãte Spiritu sancto, per mortẽ propriã mundũ viuificasti, libera me per hoc sacrosanctum corpus & sanguinẽ tuum ab omnibus iniquitatibus meis, & à malis meis, & fac me tuis inhærere mandatis, & à te nunquam in perpetuum separari. Qui cum patre. *Cum distribuit eucharistiam, dicit*: Corpus & sanguis Domini nostri Iesu Christi proficiat tibi in vitam æternam. Amen. *Postquàm omnes communicauerunt, dicit*:

Orationes ante communionem

Quod ore sumpsimus, * mente capiamus, & de munere tẽporali fiat nobis remedium sempiternum. *Finita Missa, dicit*: Placeat tibi sancta Trinitas obsequium seruitutis meæ, & præsta, vt hoc sacrificium, quod oculis tuæ maiestatis ego indignè obtuli, mihi & omnibus, pro quibus illud obtuli, te miserante sit propiciabile, Per Christum, &c. *Exuens se vestibus sacris dicit. Psal.* Benedicite omnia, Laudate Dominũ in sanctis, Kyrieèleison, Pater noster. Confiteantur tibi Domine omnia opera tua. Exultabunt sancti in gloria. Exultent iusti in conspectu. Non nobis Domine, non nobis. Domine exaudi orationem. Deus qui tribus pueris. Actiones nostras.

*pura mẽte Orationes post cõionẽ ac ad Missæ finem.

De Ieiunio vernali. Cap. 24.

Greg. Papę I. sacramẽtarium ac Antiphonarium extabãt ætate huius Auctoris, breui et ã prodibit Deo fauente.

GRegorius Papa septimus cùm Apostolicæ sedi præsideret, constituit, vt ieiuniũ quod dicitur Martij, in prima hebdomada Quadragesimę omni anno celebretur, sicut & sancti Patres illud instituisse leguntur. Nam sanctus Gregorius Papa primus, tam in Sacramentario quàm in Graduali libro, siue Antiphonario officia eiusdem Ieiunij primæ Quadragesimali hebdomadæ ascripsit. Item sanctus Hieronymus in libro Comitis, lectiones & Euangelia de eodem Ieiunio eidem hebdomadæ iniunxit. Ipsa etiam vacans Dominica, quam sanctus Gregorius in Quadragesima secundã esse uoluit, euidentissimè insinuat, quod Ieiuniũ Martij nihilominus omni anno ipsam in prima hebdomada præcedere debeat. Non enim eadem Dominica propriè vacans diceretur, si non sabbatum xij. lectionum cuestigiò subsequeretur, quod proprium est omniũ Dominicarum vacantium, quæ cum proprio careant officio, ex præcedenti hebdomada inofficiantur, si tamen necesse fuerit vt assumantur. Vndè & hæc Dominica, de qua agimus, ex quarta feria præcedentis Ieiunij officium mutauit. Necessarium est ergò, vt illud illam præcedat, cum non aliundè, nisi ex eius præcessione eadem Dominica nomen & officium obtineat. Sed & Iunior Gregorius Papa, scribens de * ordinatione sancti Bonifacij Archiepiscopi ad Magontiacenses, præcepit, vt ordinatio quæ ieiunio Martij ascribitur, in ingressu Quadragesimæ cum eodem Ieiunio semper mus,

D. Hieron. quoq; Comitis liber, quem infrà cap. 25. Lectionarium vocat, facit eiusdẽ mentionem Honorius lib. 1. cap. 88. ego quoq; manuscriptum vidi, & propediẽ vnà emittetur.

Ieiuniũ uernale obseruandum in Quadragesima.

*ordines. Bonifacio Moguntino Archiepiscopo. 3. conci. to. pag. 15.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Extat c. 13. epist. ad episc. per Lucaniam. To. Conc. 2

celebretur. Beatissimus quoque Leo Papa primus, in sermone de Ieiunio septimi mensis, vernum Ieiunium in Quadragesima, æstiuũ in Pentecoste, autumnale in septimo mense celebrandum esse denunciauit. Item B. Gelasius Papa in decretalibus suis capitulo 11. constituit, vt ordinationes presbyterorum & diaconorum, non nisi certis temporibus fiant, quippe in ieiunio quarti & septimi & decimi mensis, id est, Iunij, Septembris, atque Decembris, necnon in quadragesimalis initij ieiunio, quod proculdubiò Martij intelligitur. Videsne ergò quàm apertè idem Ieiuniũ cum ordinatione sua primę quadragesimali hebdomadę ascribatur, cùm tam signanter quadragesimalis initij Ieiunium cognominetur? Hoc autem initium Quadragesimæ, non à capite Ieiunij, sed à subsequenti Dominica est computandum. Nam quamuis à capite Ieiunij pro quodã complemento quadragesimalis abstinentiæ incipiamus: à subsequenti tamen Dominica iuxta assertionem sancti Ambrosij & sancti Gregorij & aliorum Sanctorum patrum, Quadragesimam propriè exordimur. Nullum autem commoueat, quòd tempore Henrici secundi Imperatoris, duodecim Episcopi Moguntiæ congregati, aliter de hoc ieiunio statuisse leguntur. Cùm enim apud ipsos nõ modica varietas de huiusmodi Ieiuniis accideret, eo quòd antiquam sanctorum Patrum traditionẽ in hac re minus attenderent, pro huiusmodi cõfusione corrigenda hanc sibi regulam proposuerũt, vt deinceps in prima quarta feria Martij, & in secunda Iunij, & in tertia Septembris, omni anno ieiunarent. Sed hæc regula Apostolicæ auctoritati prejudicare, nec debet nec potest: præsertim cùm euidentissimè statutis sanctorum Patrum videatur repugnare. Si enim prædictam regulam annuatim obseruamus, multotiès non solùm in Quadragesima, sed etiam ante Quadragesimam ieiunabimus. Cùm & statuta Apostolicorum virorum, & institutio officiorum, vt prelibatum est, illud infra Quadragesimam, immò in prima Quadragesimæ septimana, semper celebrare decernant. Indubitanter ergò refutare debemus, quicquid tam euidenter Apostolicę auctoritati contraire videmus, vndè totius Christianæ religionis, & ordinis exordium & formam accepimus. Nec mireris hoc Ieiunium potius Martio, quàm Februario ascribi, quamuis in Februario, cùm ipsa Quadragesima nonnumquàm occurrat. Semper enim idem Ieiuniũ, aut Kalendaria aliquandò, aut Lunationẽ Martij, aut vtrumque simul incurrit: Februarij autem Kalendaria aliquando, Lunationem verò numquam attingit. Ergò multo congruentius Martio ascribitur, quem numquàm relinquit, quàm Februario, quem multotiès penitus non attingit. Obseruatur sanè hoc Ieiunium cum ipsa Quadragesima secundùm Lunationem, sicut & Pascha. Vndè non incongruè ipsum Martio pro-

Apostolicæ auctoritati Concilium prouincia le non põt præiudicate.

Cur ieiuniũ hoc Martio inscribatur

A ptер Lunationem ascribitur, quàmuis in Februario occurrat. Sicut & Pascha Aprili semper ascribitur, quàmuis sæpè in Martio contingat. Nec hoc vtique probabili exemplo carebit, si sacrorum ordinum dispensatio nonnumquàm fiat in Februario, dum hoc exegerit quadragesimalis initij * præmaturatio. (Nam Reuerendissimi patres nostri, sanctitate & Apostolica auctoritate præcipui, videlicet, Simplicius, Gelasius, Symmachus, Felix, in Februario ordinationes fecisse leguntur) cùm iam Sancta Romana Ecclesia, Ieiunia quatuor temporum in ordinatione obseruare decreuerit, hocq; aliis quoque ecclesiis ità obseruandum promulgauerit. Ergò absq; omni dubio obseruare debemus. Vndè tam certa præcepta & exempla Sanctorum Patrum Apostolica auctoritate præditorum sufficienter habemus, præsertim, cùm & faciliùs obseruetur, quod prouida antiquitas & auctoritas instituit, q̃ quod inconsiderata nouitas & infirmitas adinuenit. Nulli enim dubium est, quin facilius sit omni anno idẽ Ieiunium Martij in eadem hebdomada cum eisdem officiis inconfusè celebrare, quàm de hebdomada in hebdomadã non sine confusione officiorum, vt multi solẽt, illud annuatim mutare.

* ratio

De Ieiunio æstiuali. Cap. 25.

Ieiunium æstiuale.

GRegorius Papa septimus Apostolicæ sedi præsidens, constituit, vt æstiuale Ieiunium infra octauam Pentecostes annuatim celebraretur. Quod quidem sapientioribus reuerentia sedis Apostolicæ facilè persuasit: simplicioribus autem nõnulla dubitatio super huius statuti promulgatione remansit. Nam non parum à consuetudine eorum discrepat, quam à quibusdam scriptis non adeò authenticis mutauerant, id est, à Moguntiacensi concilio, tempore Henrici secundi Imperatoris facto. hoc enim hanc regulam Ieiuniis quatuor temporum præfixit, vt in prima quarta feria Martij, in secunda Iunij, in tertia Septembris, omni anno ieiunetur. Præterea & hoc attendunt, quòd in quibusdam sacramentariis inueniũt, quòd & in primo sabbato Martij, in secundo Iunij, in tertio Septẽbris, ieiunare debeamus. Illo etiam non minus obseruato, vt de vno sabbato xij. lectionum vsque in aliud, iuxta Amalarium quatuordecim hebdomadæ computentur. Si igitur, inquiunt, iuxta statutum Domini Apostolici infra Pentecostẽ annuatim ieiunaueris, non semper secundam quartã feriam, vel secundum sabbatum Iunij obseruare poteris. Sed cur more Pharisæorum liquamus culicem, glutientes camelum? Cur, inquam, huiusmodi scripta præuaricari, plus vereamur, quàm Sedis Apostolicæ decretum, præsertim cùm ob eorum adinuicèm repugnantiã, se obseruare non permittant? Si enim iuxta Moguntiacense Conciliũ, in prima quarta feria Martij,

Moguntinũ Prouinciale concilium tpe Henrici secundi. Can. 3. De quo etiam c. præced.

tij, in secunda Iunij, in tertia Septembris, omni anno ieiunatur: primum sabbatum Martij, secundum Iunij, tertium Septẽbris annuatim obseruare nequibis, nec iuxta Amalariũ quatuordecim hebdomadas eisdem ieiuniis internumerare valebis: quod illum non latebit, qui cumque diligenter interiacentes hebdomadas singulis annis dinumerabit. Numquam sanè huiusmodi regulæ simul obseruari poterunt, nisi eo anno, cùm Kalendę Septembris in tertia vel in quarta feria occurrunt. Sed in hac causa Amalarius non adeò notandus est, qui non tam aliquam consuetudinem instituere, quàm de institutа competentem aliquam figuram elicere consueuit. Cur autem ista replicamus, cùm etiam si prædictæ regulæ sibi annuatim conuenirent, auctoritati tamen Sedis Apostolicæ nullatenus præiudicare possent, cui omnes per omnia absque omni hæsitatione debemus obedire, cui numquam debitam exhibemus obedientiam, si eius statuta potius iudicare, quàm implere curamus? Hoc est enim priuilegium obedientiæ, de sententia sui præceptoris non iudicare, in iis dũtaxat rebus, quas canonicis scripturis contraire non videmus, immò statim exequi quod iubetur. Nam quicumque facere noluerit, nisi quod prius sua ratione probauerit, esse faciendum: non tam præceptori suo, quàm propriæ voluntatis arbitrio satisfeciſſe iudicabitur. Hanc ergo puram obedientiam cùm omnibus spiritualibus nostris præceptoribus certissimè debeamus, maximè tamen Apostolicę sedi ex intimo corde debemus quæ totius Christianæ religionis caput est & origo. Sed quia hęc ratio simplicioribus fortasse non sufficit, operæprecium videtur de superiori statuto latius tractare, & quàm * rationale, quàm canonicum, quippe sanctis patribus quàm consonum reperiatur, elucidare.

Auctoritas Sedis Apostolicæ.

* rationabile

Beatissimus Leo Papa I. in ordine quadragesimus vij. cuius auctoritate congregatũ & cõfirmatum est sanctum Chalcedonense Conciliũ, in libro sermonum quarti mẽsis ieiunium non nisi hebdomada Pentecostes celebrandum esse denunciauit. Nec hoc tantùm in vno sermone, sed in pluribus, quos de Pentecoste in diuersis annis fecisse legitur: quod illum subterfugere non poterit, quicumque eumdem librum diligenter perlegerit. Ibi enim euidentissimè docebitur, ex Apostolica traditione huius ieiunij obseruantiam descendere, nec * diuersam sed continuam post diem Pẽtecostes celebrari debere. Sed nè aliquis eum hoc de quadragesimali ieiunio, quod post Pentecosten agitur, non de ieiunio quarti mensis, præcepisse putaret: subsequenter decernendo admonet, vt infra eãdem hebdomadam quarta & sexta feria ieiunetur, & in sabbato apud sanctum Petrum vigiliæ celebrentur. quem denunciationis modũ penè in omnibus suis sermonibus obtinuit, cùm ieiunia quatuor temporum denunciaret. Nam illa Quadragesima post Pẽtecosten non

Quarti mẽsis ieiuniũ celebrandũ in hebdomada pẽtecostes.

* diuersam, sed cõtiguã

Quadragesima post Pẽtecosten

omnibus vt hoc ieiunium, sed solis pœnitentibus obseruãda imponitur: Nec in hoc tantùm triduo infra Pentecosten, sed in omnibus triduis, vel etiam diebus sex hebdomadarum custodiri iubetur. Præterea idem vir Apostolicus, in sermone de ieiunio septimi mensis: Ieiunium, inquit, vernũ in Quadragesima, æstiuum in Pẽtecoste, autumnale in septimo mense celebremus. Vbi euidentissimè indicauit, ieiunium quarti mensis non nisi in hebdomada Pentecostes esse celebrandum. Si enim istud in Iunio mense, sicut autumnale in Septembri, semper ieiunandũ decerneretur, non minus Iunium quàm Septembrem nominare posset. Ergò iuxta sententiam huius Apostolici, sicut autumnale semper in Septembri, ita æstiuum in Pentecoste semper debemus celebrare. Sanctus quoque Gregorius Papa primus, à quo omnia Ecclesiastica officia penè habemus, beato Leoni optimè concordat, qui & in Sacramentario, & in diurnali Antiphonario, eidem ieiunio nullas orationes vel cantus ascribit, nisi infra Pentecosten dicendos. Liber etiam Comitis siue Lectionarius, quem sanctus Hieronymus compaginauit, eidem ieiunio lectiones ad festiuitatem Spiritus sancti pertinentes attribuit. Sicut igitur ieiunium Decembris de Aduentu Domini, & ieiunium Martij de Quadragesima, sua mutuauerunt officia: sic etiam illorum mensium ieiunia nunquàm alio tempore celebrantur, nisi eo ipso, vndè & officium habere videntur. Denique ieiunium Martij, & ante statutum nostri Papæ Gregorij, cùm aliquãdo ante Quadragesimam iuxta Moguntiacense Concilium eueniret, propter quadragesimale tamen officium vsque ad Quadragesimam differebatur. Incongruum enim esset, ut eiusdem ieiunij lectiones specialiter Quadragesimam intimantes, & orationes super populum, extra Quadragesimam dicerentur. Eadem igitur ratione & æstiuum ieiunium infra Pentecosten obseruamus competenter, propter officia de eadem solennitate mutuata.

Liber Comitis siue Lectionarius D. Hie.

Qui enim illud extra Pentecosten obseruant, magnam officiorum cõfusionem faciunt: cùm quadragesimales cantus & orationes, lectionibus de Pentecoste associent. Concordiam quippe officiorum Pẽtecostes dissipant, quam sancti Patres maximè in huiusmodi officiis obtinere studebant: & cùm extra Pentecosten de hoc ieiunio nullum inueniant officium, ipsi sibi officia componere, immò confundere temerario ausu præsumunt. Non mireris autem, quòd hoc ieiunium Iunio potius quàm Maio adscriptum reperiri malunt, quamuis iuxta superiorem tractatum, & in Maio sæpius celebretur: Ipsa enim Pentecoste cũ qua hoc ieiunium semper obseruatur in Maio sæpius quàm in Iunio celebratur, quæ tamen iuxta computationem Lunæ, Iunio semper ascribitur. Nam hoc festum, sicut & Pascha, non iuxta rationem mensium, sed Lunationum, annua-

Universidad de Deusto
Biblioteca

annuatim obseruatur. Et illud quidem Aprili, hoc autem Iunio propter obseruationem Lunationum eorumdem mensium, semper adscribitur: quamuis eosdem menses multoties anticipent, sicut & ipsæ Lunationes. Eadem igitur ratione & hoc ieiunium Iunio ascribimus, quod & cum Pentecoste sub eadem Lunatione annuatim obseruare debemus. Hoc sanè ieiunium semper Lunationem Iunij, sæpè etiam & Kalendaria eius obseruat, numquam autem Lunationem Maij, nec semper Kalẽdaria eius attingit. Semper vtique aut Kalendaria, aut Lunationem Iunij possidet. Maij autem sæpenumerò nec Kalendaria, nec Lunationem obtinet. Quarè & Iunio competentius attitulatur, quem numquam dimittit, quàm Maio, quem multoties omninò prætermittit. Has igitur rationes quicumque, deposito contentionis studio, fideliter considerare voluerit, proculdubiò Dominum Apostolicum de ieiunio verno siue æstiuo, non tam suum, quàm sanctorum Patrum statutum instituisse iudicabit, & idem ipsum authenticis rationibus confirmatum, generaliter obseruandum esse non dubitabit.

De Autumnali ieiunio. Cap. 26.

IEiunium autũnale iuxta statuta sanctorum Patrum Leonis, Gelasij & reliquorum, in septimo mense debemus celebrare: quod tamen nec institutio officiorum, nec suppositio vacantis Dominicæ, nec statuta sanctorum Patrum, alicui septimanæ tam specialiter, vt reliqua ieiunia, videntur assignasse. Est autem Ecclesiastica consuetudo, vt in tertio sabbato Septembris ieiunetur: quæ vtiquè consuetudo & nobis debet sufficere, præsertim cùm Apostolicis institutis nusquàm videatur contraire.

De Hyemali ieiunio. Cap. 27.

IEiunium Hyemale, iuxta traditionem Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, semper in tertia hebdomada de Aduentu Domini debet celebrari: sicut & sancti Patres instituerunt; qui eiusdem ieiunij officia eidem hebdomadæ indiderunt, & sequentem Dominicam vacantem vocauerunt. nec ad hoc vllo speciali statuto indigemus, in quo sanctorum Patrum vestigia non excedimus.

De officiis eorumdem Ieiuniorum. Cap. 28.

DE annua transmutatione officiorum in vernali ieiunio, vndè hactenus multum frustra laborauimus, non necesse est vt deinceps laboremus: cùm iuxta antiquam institutionem, omnia huius ieiunij officia suo loco & ordine, sicut instituta sunt, obseruare debeamus. In æstiuo autem ieiunio illum ordinem officiorum competenter annuatim obseruamus, quem & maiores nostri in eodem ieiunio tenuerunt, cùm illud infra Pentecosten aliquando obseruarent: Videlicet vt in quarta & sexta feria cantetur & legatur, quòd in eadem hebdomada eisdem feriis ascriptum reperitur. In sabbato autem cum officio quod ibi habetur, hæ lectiones legantur: Lectio, Diligite iustitiã, Audi Iacob, Exultate, Effundam: ad Missam, Iustificati: quæ utique omnes festiuitati Spiritus sancti optimè cõueniunt. Euangelium, Egressus Iesus, sicut etiam in antiquis Breuiariis ordinatum reperimus. Et hoc vtique obseruandum est, nè in quarta feria vel sabbato quadragesimalia offertoria, id est, Meditabar, Domine Deus salutis, dicamus, sed in honorem Spiritus sancti, Alleluiatum offertorium, Emitte spiritum, pro vtroque cantemus. Nec Gradualia, sed, Alleluia prædictis lectionibus subiungere debemus: Spiritus Domini, Paraclitus, Emitte, * Veni sancte Spiritus. In autumnali autem ieiunio omnia, vt instituta sunt, obseruamus. In quarta feria Antiphona, Exultate: Graduale, Quis sicut: Graduale, Tribulationes: Offertorium, Meditabar: Communio, Comedite. Cum lectionibus, Ecce dies veniunt, Congregatus est. Euangelium, Respondens vnus. In sexta feria Antiphona, Lætetur cor: Graduale, Conuertere, Offertorium, Benedic: Communio, Auferà me. Lectio, Conuertere: Euangelium, Rogabat Iesum. Quæ omnia adinuicem magnam habent concordiam. In sabbato Antiphona, Venite adoremus: Offertorium, Domine Deus salutis: Communio, Mense septimo. Lectiones, Decimo die, Quintodecimo, Domine Deus noster, Factum est. Euangelium, Arborem fici: Gradualia verò eadẽ, quæ & in ieiunio vernali. Quę etsi apud diuersos diuersè assumuntur, in quamplurimis tamen libris ita reperiuntur: Protector, Propitius, Dirigatur, Saluum fac populum: Quæ & in autumnali ieiunio, vt in vernali ordinantur, nisi quòd in autumnali Graduale, Protector: post Graduale, Propitius canitur. Et hoc vtique concordia officiorum exigere videtur. Nam in vernali prima lectio, Respice Domine de sanctuario, & benedic populo tuo, optimè congruit Graduali, Protector noster, à quo & subsequens oratio initiatur, Protector. Secundæ autem lectioni Graduale, Propicius, non incongruè adaptatur. Nam quod in lectione de corporali liberatione populo Israel promittitur, hoc sancta Ecclesia in Graduali spiritualiter nobis adimpleri supplicat: nè gentes dæmonum nobis præualeant, sicut nec gentes paganorum illis præualuerunt. In autumnali autem Graduale, Propitius, prẽponitur, quia & hoc magis primæ lectioni conuenit, quę nobis diem propiciationis, & vt Deus nobis propicietur, præscribit. Secundæ uerò lectioni Graduale, Protector, magis competit, qua filios Israel septẽ diebus sub protectione vmbraculorum annuatim solennizare præcepit. Tertium autem Graduale, Dirigatur, tertiæ lectioni in vtroque ieiunio optimè congruit: quia & in vernali Ionathas, & in Septembri Michæas orationes suas ad Dominum pro populo Dei dirigunt. Similiter quartum Graduale quartæ lectioni competit * vtrique. Nam in vernali, pro salute populi postulatur, quæ in autumnali promittitur populo: si tamen à veritate non discesserit. Satis ergò congruum videtur, vt & nos eorum librorum traditionem sequamur, qui eadem Gradualia vernali & autumnali ieiunio pariter ascribunt. Nam cum lectionibus vtriusque ieiunij magnam habent concordiam, vt prælibauimus: quam potissimùm in dispositione officiorum nos attendere sancti patres docuerunt. In hyemali ieiunio, quod in proximo Sabbato ante vigiliam Natiuitatis Dominicæ semper est obseruandum, nihil in officiis variatur. Et notandum, omnes Apostolicos à beato Petro vsque ad Simplicium Papam, ordinationes tantùm in ieiunio Decembris celebrasse, vt in Romano Pontificali legitur. Vndè & istud ieiunium non immeritò plenius quàm reliqua, suum habet officium. Nam reliqua, aliundè nunc ex toto, nunc ex magna parte per suas ferias inofficiantur. In omni ieiunio quatuor temporum, nisi infra Pentecosten, genua flectimus. In quarta quidem feria, ad priorem tantùm orationem sine salutatione prolatam. Nam secunda sine genuflexione cum salutatione profertur. Oratio autem in sexta feria cum salutatione & genuflexione recitatur. In sabbato autem omnes orationes genuflexio sine salutatione præcedit, præter illam de camino, quæ salutationẽ sine genuflexione exigit. Ad illam nempe genua flectere prætermittimus, more trium puerorum, qui statuam adorare noluerunt cũ Gentilibus. Ordo etiam præcipit, vt infra Hymnum eorumdem puerorum non sedeamus: nè, illis in camino laborantibus, nos inertię sessionis dediti esse videamur. Hoc autem sabbatum quamuis sex lectiones tantùm habeat, dicitur tamen xij. lectionum, eò quòd antiquitus eædem lectiones bis legebantur, Græcè videlicet & Latinè. Sciendum autem, sanctum Calistum Papam & martyrem, huiusmodi ieiunia quater in anno celebrari constituisse, quæ prius ter tantùm in anno celebrata sunt. Sicut idem Apostolicus ad Benedictum Episcopum scribens, testatur.

Vr deesse: verbo, hoc enim Alleluia cantat post iiij. lectionem.

Epistola de cretali prima.

De vacantibus Dominicis. Cap. 29.

QVatuor Dominicæ, quæ huiusmodi ieiunia proximè subsequuntur, in libro sacramentorũ vacantes prætitulantur, eo quòd propriis careant officiis. Vndè & ex præcedentibus quartis feriis ieiuniorum, Romano more inofficiantur, vt illæ duæ quæ vernale ieiuniũ subsequuntur, & hyemale. Illa autem post æstiuale ieiunium, non cum quarta feria, sed multo conuenientius cum officio Pentecostes suppletur, eo quòd sit octaua eius. Post ieiunium etiam autumnale, quidam ex quarta feria, Dominicam sequentem inofficiant, vt paucitati Dominicalium officiorum in æstate hoc supplemento subueniant. Sed Romani huiusmodi penuriam repetitione Dominicalium officiorum supplent. Vndè & prædictam * compilationem ex quarta feria, quasi non necessariam, ibi prætermittere solent. Hæ autem Dominicæ antiquitus ab officio vacabant, quia celebratio ordinationũ iuxta decreta sanctorum Patrum, tam serò fiebat in sabbato, ut potius Dominicæ, quàm sabbato, ascriberetur. Nam beatissimus Leo Papa primus, vsque in manè Dominicæ diei ordinationes ritè celebrari posse testatus est, continuato tamen sabbati ieiunio: immò ipsas Leuiticas ordinationes & sacerdotales numquam, nisi in Dominica, iussit celebrari, Dioscoro scribens Episcopo: Consecrandis, inquit, nunquàm benedictio detur, nisi in Dominica, quæ à sabbati vespera initiatur. Item beatus Gelasius Papa successor eius, omnibus Epis scribens, decreuit, vt in sabbatis quatuor temporũ ordinationes circa vesperã celebrarentur. Vndè & Romanus ordo in Quadragesima in sabbato ordinationũ orationẽ super populũ interdicit, ad quam Antiqui non solùm capita, sed & genua flectebant, quòd Nicæni canones in Dominica fieri penitus vetant. Sanctus quoque Gregorius dies ordinationum suis homiliis insigniuit vt Dominicas. Videlicet hæc duo Euangelia: Anno quintodecimo, & Arborem fici, exponens ad populum. Item sanctus Leo Papa illud Euangelium, Assumpsit Iesus, de ieiunio vernali exposuit: quasi Dominicæ diei satisfaciens, infra quam ipse semper ordinationes fieri constituit.

*complexionem

Genuflexiones in Dnica phibitę

De Aduentu Domini. Cap. 30.

AB Aduentu Domini vsque ad Natiuitatem eius, Te Deum laudamus, Gloria in excelsis Deo, Ite Missa est, dimittimus: quia maior gloria noui Testamenti, quàm veteris, cuius typum infra Aduentum Domini obseruamus. *Aliquando etiam festiuius Natale Domini suscipimus, si huiusmodi glorificationes aliquandiu suppressas quasi de nouo illa die incipimus. Quidam infra Aduentum Domini Casulis pro Dalmaticis vtuntur. Quidam solito more vestiuntur, eò quòd Missam ad tertiam & Alleluia, sicut & tota æstate dicunt. In natiuitate tamen Apostolorum, siue dedicatione Ecclesiæ, prædictas glorificationes nõ omittimus. Hinc vsque post octauam Pentecostes solitam mentionem sanctæ Crucis ad vesperam siue ad matutinas, & in feria sexta, & de sancta Trinitate Dominicis diebus, reticere

*Aliquanto

Universidad de Deusto
Biblioteca

re solemus. Nam quod quidam illo breuissimo spatio, quod purificationem sanctæ Mariæ & Septuagesimam aliquando disiungit, mentionē sanctæ Crucis resumunt, non adeò congruum videtur, cùm illo tempore de infantia Christi potius, quàm passione cantetur atque legatur.

De Euangelio, Cùm appropinquaret. Cap. 31.

IN Dominica prima de Aduentu Domini, quidam legunt Euangelium, Erunt signa, eò quòd sanctus Gregorius in libro Homiliarum illud in primis posuerit. Sed parum attendunt, quia idem Apostolicus in eodem libro huiusmodi ordinem non attendit, in quo plura Euangelia penitus non tetigit: insuper & quæ exposuit, multotiès posteriora prioribus anteponere consueuit. Alij initium Marci Euangelistæ legunt, sed quia inusitatum est, pauci assentiuntur. Nos autem ex antiqua traditione, Cùm appropinquaret, legimus, non vtique sedi Apostolicæ, si aliter iusserit, præiudicantes, sed interim auctoritatē sanctorum Patrum sectantes. Nam & sanctus Hieronymus in libro Comitis ita ordinauit, cuius libri ordinem & sanctus Gregorius diligentissimè obseruauit, siue dum lectionibus & Euangeliis Missales orationes in Sacramentario adaptaret, siue dum Antiphonas ex eisdem Euangeliis quàm plurimis diebus in Antiphonario articularet. Ipsum quoque Euangelium, Cùm appropinquaret, etsi de itinere Domini ad passionem agere historialiter videatur, non tamen istius aduentus omninò obliuiscitur, cùm pueri Hebræorum in laudem eius illud Psalmistæ in altum proclament: Benedictus qui venit in nomine Domini. Quod auctor Antiphonarij de hoc aduentu proculdubio intellexit, cùm indè Responsorium in historiam Dominicæ Natiuitatis * composuerit.

Psal. 117.

* cōposuit

De Historia, Clama. Cap. 32.

QVidam historiam, Clama, à quarta feria hyemalis ieiunij omni anno incipiunt, etiamsi adhuc duodecim dies vsque ad Natiuitatem Domini remaneant. Æstimant enim hanc historiam pro eodem ieiunio esse institutam, sed falluntur. Si enim Romana auctoritas illam ad hoc institueret, ante Dominicam vacantem, id est, Canite tuba, hanc quoque sicut diurnalia eiusdem ieiunij officia collocaret. Nam hoc in omnibus huiusmodi ieiuniis obseruatur, vt officia eorum semper Dominicam vacantem præcedant, quæ etiam post ista semper obseruatur, iuxta statuta sanctorum Patrum, aut penitus prætermittitur. Nec vtique aliqua Dominica vacans, propriè dicitur, nisi quæ huiusmodi ieiunij officia indiuisè sequitur, à quibus & ipsa inofficiatur, si necesse fuerit, vt obseruetur. Præterea si eadem historia pro ieiunio instituta esset, superfluò secundam, tertiam, quartam, quintam feriam eodem modo, vt sextam, inofficiatas haberet, cùm tamen nihil ad illas prædictum ieiunium pertineat. Patet ergò, hanc historiam non pro ieiunio, sed potius ad hoc esse institutam, vt proxima hebdomada ante Natiuitatem Domini, sicut & ante Pascha, tanto plus in officiis * habeat, quantò vicinior Dominicæ solennitati existat. Nam & Antiphonarius hoc innuere videtur, qui historiam, Canite tuba, proximam Dominicam ante Natiuitatem vocat, & hanc, id est, Clama, infra hebdomadam eiusdem Dominicæ canendā subsequenter * innuit, singulis feriis singulas matutinales laudes attribuens. Sunt autem ita descriptæ, vt eo anno obseruentur, cùm Natiuitas Domini in Dominicam, & vigilia in sabbatum occurrit, quod & Antiphona, Nolite timere, in quarta feria præcedenti descripta, & Antiphona, Expectetur, de Cantico sabbati vigiliæ ascripta, demostrant. Vndè & ipsum sabbatum speciali matutinali laude insigniri non necesse habuit. Nam omni anno, aut eiusdem vigiliæ officium obtinebit, aut alterius feriæ, quam eadem vigilia eo anno occupauerit. Illo non negligenter obseruato, vt sabbatū semper de vigilia ferialem psalmum & canticum cum Antiphona obtineat, & vigilia illius feriæ, quam sibi vendicauit, ferialem psalmum & canticum Antiphona possideat.

* habeatur

* insinuat

De septem diebus ante Natale Domini. Cap. 33.

SCiendum itaque est, quòd prædicta officia non sunt ieiunij, sed Dominicæ, & quinque feriarum ac vigiliæ, vndè & annuatim eadem officia ab octaua die, quæ Natiuitatem Domini præcedit, congruè incipimus, vt totam illam septimanam statutis officiis celebrem habeamus, nec tamen aliquem diem præter Sanctorum institutionem huic celebritati ex nostra parte applicemus. Et hoc quoque non otiosè notandum, quia huius septimanæ officia, etsi specialiter pro ieiunio, vt probatum est, non sint instituta, numquàm tamen illud omnino relinquunt, nisi eo anno, dum Natiuitas Domini in Dominica occurrit. Tunc enim vigilia in sabbato euenit, & hoc ieiuniū extra hanc septimanam in præcedenti sabbato celebrari compellit. Nam officium vigiliæ & ieiunij simul vna die competenter nequeunt obseruari. In omnibus autem aliis annis, idem ieiunium aut ex integro, aut ex aliqua parte prædictæ septimanæ includitur, & per legitimas eius ferias celebratur. Vndè & Antiphonę de Euangeliis huius ieiunij, quamuis cum ipso multoties anticipentur, meritò tamen in quarta & sexta feria & sabbato eiusdem septimanę descri-

describuntur, quia easdem ferias idem ieiunium adeò frequentat, vt vix vno anno illas ex integro derelinquat. Hoc quoque prouidendum, quòd vigilia cùm in Dominica euenerit, sex sibi responsoria de Dominicali historia cum Dominicalibus Psalmis assumat: tria verò vltima & matutinales laudes cum ferialibus Psalmis sabbato concedat. Ad Missam omnia de vigilia, sed festiuè cum alleluia, Veni Domine.

De Natali Domini. Cap. 34.

IN Natali Domini finito nono responsorio, Euangelium, Liber generationis, legitur. Deindè, Te Deum laudamus, cum pulsatione signorum dicitur: sicq; finitis nocturnalibus vigiliis, Missa Dominus dixit, ante matutinales laudes, cum, Benedicamus Domino, nō cum Ite Missa est, completur: nè populo quasi licentiam abeundi infra matutinales laudes dedisse videamur, quas statim post Missam, iterùm concrepantibus signis, incipere solemus.

Cur in Missa prima nō, Ite Missa est: sed, Benedicamus Dño, decātetur.

De secunda Vespera sancti Stephani. Cap. 35.

OMnes authentici Antiphonarij secūdam vesperam sancto Stephano concedūt ex integro. vndè & reliquis festiuitatibus per annum hoc exemplo secundam Vesperam ex toto concedimus, etiamsi maior festiuitas subsequatur. Non enim congruum est, vt Psalmos vespertinales tantummodo præcedenti festo, reliqua verò subsequenti tribuamus. Nam sancti Patres nullum nobis indè exemplum reliquerunt, qui potissimùm nos concordiam officiorum singulari diligentia seruare docuerūt. Summa tamen festiuitas, si quando minorem subsequitur, secundam vesperam prioris festi ex toto sibi non incongruè vendicabit, vt octaua Domini secūdam vesperam sancti Siluestri. Vesperam quidē de quolibet festo vniformiter perficimus, deindè alterius festi, si necesse fuerit, post Benedicamus Domino, memoriam facimus, vt de sancto Stephano, & de sancto Ioanne obseruamus.

De Innocentibus. Cap. 36.

IN Natiuitate Innocentium, Gloria in excelsis, & Alleluia secundùm ordinem reticemus. Item, Te Deum laudamus, &, Ite Missa est, quæ cum Gloria in excelsis, Romano more solent admitti vel prætermitti. Hæc, inquam, omnia omittuntur, nisi Dominica fuerit. Gloria patri verò numquàm dimittimus, nisi de passione Domini. Meritò autem passio sanctorum Innocentiū minus festiuè quàm aliorum sanctorum celebratur, quia licèt martyrio coronati, nondum tamen ad gloriam, sed ad infernalem pœnam discesserunt. Nam ante descensum Christi ad inferos, nullus sanctorum ad illam gloriam peruenit, ad quam Christus antiquos sanctos perduxit, & deinceps suos sequaces perducere non desinit. Sed quia ipsi in resurrectione Dominica, cum reliquis sanctis liberari & cōglorificari meruerūt, conuenientissimè & ipsi iuxta ordinē, solitam gloriam in officiis cum reliquis sanctis obtinebunt, si natalis eorum vsque ad diem resurrectionis, id est, Dominicam peruenerit. Octauam quoque eorum eodem modo, vt aliorum sanctorum, celebramus: quia iam transacta die resurrectionis, non dubitamus eos gloriari cum aliis sanctis.

De officio, Dum medium silentium. Cap. 37.

SI Natiuitas Domini, vel aliqua subsequentium solennitatum in Dominica euenerit: officium, Dum medium silētium, post natalem Innocentium ad priuatos dies congruè seruatur: sicut & in aliis Dominicis agimus, si aliquando celebrius in iis festum habuerimus. vnde etiam idem officium Romano more repetitur, si quando ab Octaua Domini vsq; ad Epiphaniam, Dominica euenerit. Omnis enim Dominica à Natiuitate Domini, vsque ad Epiphaniā, ex antiqua traditione illud obtinebit: quæ tamen celebriori festo occupata non fuerit. nam cùm hoc officium de Natiuitate Domini agat, conuenientissimè illis Dominicis adaptatur, quæ & reliqua officia de eadem solennitate solent obtinere. Non enim illi sunt audiendi, qui hoc officium eo quòd de Natiuitate agat, numquàm post octauam Domini decendum existimant: cùm tamen ipsi vigiliam Epiphaniæ de Natiuitate Domini ex integro inofficiare soleant & debeant. Ipsi quoque si Dominica in octaua sancti Stephani vel aliorū euenerit, Dñicam de octaua inofficiant, dū tamen Ecclesiastica solēnitas, non pro octaua S. Stephani, sed p octaua Dñi agatur. Hoc autē S. Patres in dispositione officiorū summoperè procurauerunt, vt officium semper instanti celebritati concordaret: nè clerus aliud quàm populus, in ecclesiasticis celebritatibus obseruaret. Præterea omnes Dominicæ solennitates sibi inuicēm affines, hoc habent priuilegiū, vt obseruatio earum adinuicem continuetur: vt, Resurrectionis vsque ad Ascensionem, & Ascensionis vsque ad Pentecosten commemoramus, & omnes Dominicas iis solennitatibus interpositas de eisdem inofficiamus. Sic quoque & natiuitatis Dominicæ, vsque ad Epiphaniam memoriam agimus, nisi inquātum festis Sanctorum uel octauis eorum satisfacere cogimur. Eodem quoque modò infra hunc terminum occurrentes Dominicæ, officium de Natiuitate possidebunt.

De Dñica celebrandū Officiū, etiāsi in illa Octaua sancti Stephani aut aliorū eueniat.

Universidad de Deusto
Biblioteca

De eodem officio in alia Dominica repetendo. Cap. 38.

QVamuis autem duæ Dominicæ multotiès A
cuenant eo tempore, numquàm tamen ambas Dominicali officio occupari festa Sanctorum permittent: nisi eo tantùm anno, dum vigilia Epiphaniæ in Dominica euenerit. Vndè & sanctus Gregorius satis competèter vnũ Dominicale officium eo tempore ordinauit, eo quòd & ibi vna tantùm Dominica, omni penè anno occurrat, quæ huiusmodi officio indigeat. Nec hoc vtique sanctus Gregorius, vel B
post Epiphaniam, vel post Pentecosten seruare curauit, vt tot officia semper haberemus, quot Dominicæ possent euenire. Nam optimè præuidit huiusmodi inæqualitatem, repetitione officiorum facilè emendari posse. Vndè & nos, cùm vigilia Epiphaniæ in Dominica occurrit, prioris Dominicæ officium pleniter repetimus. Sic & in Dominicis post Epiphaniam & post Pentecosten, quotiès necesse fuerit, iuxta Romanam cõsuetudinem facere debemus. Sicut enim historias Dominicarum, inquantum tempori sufficit, repetimus, nihilominus C
& officia earum repetere possumus. Nã & Dominicale officiũ alij Dominicæ, quæ eiusdem
*incompetenter obseruantiæ est, non *competenter is adhibebitur, quàm singulis priuatis diebus, qui Dominicarum officia dum recipiunt, ex festiuis ferialia efficiunt: hoc tamen non tam ex Ecclesiastici conuentus necessitate, quàm ex propria deuotione vsquequaque vsitamus. Non ergò magis incongruum videatur, si idem officium in alia Dominica, vt Ecclesiastico conuentui satisfiat, repetatur.

D

De Octaua Domini. Cap. 39.

Vide Guil. Durãti Rationale diuinorum.

IN octaua Domini, iuxta Romanam auctoritatem, non officium, Puer natus est: sed, Vultum tuum, vt in Graduali libro habetur, cum Alleluia, Post partum virgo: cantamus, & orationem Gregorianam, Deus qui salutis æternæ: non illam, Deus qui nos Natiuit. dicimus. Et notandum, huius octauæ officium euidentissimè de sancta Maria agere. Vndè & Romani ea die ad sanctam Mariam stationem faciunt, nec immeritò: nuper enim, E
cùm Natiuitatem Domini celebraremus, nullum tam speciale officium matri eius attribuere potuimus. Vndè non incongruè illam specialius in octaua Domini veneramur, ne solennitate Filij sui expers esse videatur, quam tamen in eadem solennitate post Dominum maximè honorandam esse non dubitamus. Matutinales quoque laudes huius octauę, de sancta Maria agunt expressissime. Vndè & illa responsoria de Natiuitate Domini, quę de sancta Maria commemorant, huic diei congruè attitulantur, nè à Gregoriano eiusdẽ diei officio discrepemus in aliquo. Aptè autem omnia in hunc modum ordinari possunt. Ad Vesperã Antiph. Tecum principium, cũ reliquis. Responsorium Congratulamini. Hymnus, A solis. In Euangelio Antiph. Magnum hæreditatis. Inuitatorium, Christus natus est. Antiph. Dñs dixit. Antiph. In sole. Antiph. Eleuamini. Resp. Descendit. Respõs. O magnum. Responsorium, Sancta & immaculata. Antiph. Speciosus. Antiph. Rex omnis. Antiphona, Suscepimus. Responsorium, Beata & veneranda. Responsorium, Congratulamini. Responsorium, Continet in gremio. Antiph. Homo natus. Antiph. Exultabũt. Antiph. Notum fecit. Responsorium, Confirmatum est. Responsorium, Nesciens mater. Responsorium, Verbum caro. Matutinales laudes, O admirabile, per ordinem. Eædem Antiphonæ, in secunda vespera super Psalmos de Natiuitate Domini leguntur. In Euangelio Antiphona, Qui de terra est. In Dominica autem post Natiuitatem Domini, ita ordinabitur: Inuitatorium, Christus natus est. Psalmi Dominicales, cum tribus antiphonis de Natiuitate Domini. Responsorium, Descendit. Responsorium, Quem vidistis. Respons. O magnum. In 2. noct. Responsorium, Continet in gremio. Responsorium. Confirmatum est. Responsorium. Hic qui aduenit. In tertio nocturno Responsorium, Ecce Agnus Dei. Resp. Benedictus. Resp. O regem. Matutinales laudes, Quem vidistis. In Euangelio: Dum mediũ. Notandum autem, in octaua Domini nocturnalem cantum de sancta Maria multùm agere, quia & diurnale officium in honorem eius videtur institutum. In Dominicali autem nocte, non tam de sancta Maria, quàm de Natiuitate Dñi agimus: quia & in diurnali officio specialiter de Natiuitate domini commemoramus: Est autem traditio sanctorum Patrum, vt in huiusmodi festiuitatibus officio Missæ, reliqua concordent officia.

De Epiphania. Cap. 40.

SI vigilia Epiphaniæ in Dominicam euenerit, in nocte, vt prædictum est, canimus. In die quoq; officium, Dum medium, vt in priori Dominica, pleniter obseruamus. Si autem in alia die occurrit, idem quidem officium, sed cum lectione, Scimus: & Euangelio, Defuncto Herode. vndè & communio, Tolle puerũ, sumpta est, cantamus: quia hoc officium ante vsum huius vigiliæ ibi cantabatur, vtpotè Dominica eiusdem hebdomadæ, sicut &, Vocé iocunditatis, canitur in vigilia Ascensionis, & assumitur Communio de eiusdem diei Euangelio. In Epiphania ad nocturnas, iuxta Romanum Ordinem, Inuitatorium reticemus: vt à dolota inuitatione Herodis discrepemus: ab Antiphona Afferte, ea nocte incipitur. Antiphona, Fluminis, cùm Psalmo in tertiã nocturnam differtur: quia maior laudatio, quàm Alleluia sonat, sub gratia est, cuius typũ tertia nocturna

Cur nocte Epiphaniæ Inuitatorũ nõ dicatur. Vide eadẽ de re Guil. Durantum.

cturna gerit, quàm ante legem vel sub lege, quod præcedentes nocturnæ significant. Vndè & omnes historiæ, quæ sibi Alleluia vendicant, plus Alleluia in tertia nocturna frequentant. Si Epiphania in Dominicam euenerit, nihil in ea die de officio Dominicæ tangimus. Quod tamen infra Octauam eius ideò obseruare solemus, vt lectiones & Euangelia ferialia, quæ de baptismo Domini sonant, eo tempore recitentur, cùm & festum de Baptismo Domini agitur.

A

De Dominicis post Epiphaniam. Cap. 41.

B

SI autem per interiacentes dies ab Epiphania vsque in octauam eius, Dominica euenerit, necessariò eo die Ecclesiastico conuentui, cùm Dominicali officio *satisfacimus, quem non pro Epiphania, sed pro Dominica conuenisse scimus. Dominicales quoque Psalmi, cum cantu de Epiphania, sunt recitandi. Sic enim omnem Dominicam, Dominicis solennitatibus interpositã, nec tamen celebriori officio occupatam, de eisdem inofficiare solemus. Priuatos quoque dies solennitatibus interuenientes, ita obseruamus, vt Inuitatorium & vnam Antiphonam, super ferialem Nocturnam: item vers. Responsorium, & Matutinales laudes, & cætera, de festo dicamus. Iuxta Romanum enim ordinem, ferialem nocturnam numquàm dimittimus, cùm tria tantùm Responsoria dicimus, nisi in hebdomada Paschæ & Pentecostes. Primæ ergò Dominicæ officium infra hanc octauam omni anno ritè obseruatur, etiamsi propter pluralitatem hebdomadarũ vsq; ad Septuagesimam, repetendum videatur: sicut & alia duo officia, Omnis terra, Adorate, cùm multotiès sex occurrant hebdomadæ, his officiis inofficiandæ. Cùm autem vna tantùm Dominica inter Epiphaniam & Septuagesimam accidit, duo officia, nullo Ecclesiastico conuentu fieri hoc exigente, in vnam hebdomadam coniungere debebit, quicumque nullum eo anno ex statutis officiis prætermittere voluerit. Non ergò minus competenter idem officium aliquando in alia Dominica repetimus, cùm nullum celebrius officium habuerimus, vndè Ecclesiastico E
conuentui ritè satisfacere valeamus. Ipsi quoque priuati dies Romano more officium prioris Dominicæ recipiunt, si non aliundè competenter inofficiari possunt. tamen & aquæ benedictæ adspersionem, iuxta decretum sancti Alexandri Papæ, &, Credo in vnum, non dimittimus.

*satisfaciemus,

Aquæ benedictę adspersio.

De duobus festis in vnum diem concurrentibus. Cap. 42.

CVm duæ festiuitates nouem lectionum in vnum diem concurrunt, quarum vtraque

D

A plenum per se exigit officium, celebriorem ex integro obseruamus, alterius verò postea tantùm memoriam agimus. Si autem vtraq; pleniter obseruanda videtur, aut in ipsa die ambabus singula officia persoluantur, iuxta quod & sanctus Gregorius in Sacramentario, & in Graduali libro aliquotiès vni diei bina *ascripsit officia, aut vna earum in sequentem diem differatur, sicut sanctus Gregorius Papa festũ sancti Pauli, post festum sancti Petri voluit obseruare. Nam illam vsurpationem, quæ ex duobus officiis in vna die obseruandis, vnum B
incompositè compingit, sanctorum Patrum auctoritas non admittit, (quæ semper nos in officiis concordiam custodire præmonuit) videlicet vt vnam nocturnam de vno festo, reliquas de alio obseruemus. Eo enim pacto si vtrique festo satisfacere niteremur, neutrum debita officiorum reuerẽtia celebrasse conuinceremur. Vt autem duorum festorum officia in vno die separatim compleantur, vel vnum eorum in alium diem differatur: non tam generali totius Ecclesiæ obseruationi, quàm priuatæ religiosorum vacationi adiacere videtur, qui nullum C
de statutis officiis prætermittere volunt.

*ascribit

Festum cõmemorationis Pauli à D. Greg. institutum.

De Martyribus Romanis Pontificibus. Cap. 43.

GRegorius huius nominis Papa septimus, Apostolicæ sedi præsidens constituit, vt Sanctorum omnium Romanorum Põtificum & Martyrum festiuitates, solenniter vbique cum pleno officio celebrentur. Nam cùm quælibet Ecclesia sui patroni, etiamsi Confessor fuerit, festum solenniter obseruet, quanto magis eorum, qui totius Ecclesiæ non tam patroni, quàm patres extiterunt, quàm etiam vsque ad martyriũ verbis & exemplis instituere non destiterunt? Nota autem sanctum Gregorium Papam primum in Graduali libro de his martyribus sicut de confessoribus, Pontificalia instituisse officia, vt de sancto Marcello, Antiph. Statuit, & de S. Felice, Antiph. Sacerdotes, & hoc vtique satis congruè, propter excellentiam dignitatis Apostolicæ. Hoc etiam attendendo, Maiores nostri de eisdẽ Sanctis confessorum officia ad cursum diei & noctis leguntur obseruasse, quæ & Pontificij dignitatem eodem modo insinuant, nec tamen in aliquo eorum martyrio præiudicant. Idem & de sancto Apollinare obseruandum esse Gradualis liber demonstrat. Et de iis quidem sanctis Hymnus, Inuitatoriũ, Versus: Gloria & honore, Posuisti Domine, Magna est gloria eius, cantantur vt de Martyribus: reliqua verò per ordinẽ & de Confessoribus. Quidam autẽ moderni, minus concordiam officiorum attendentes, de illis omnẽ cantum, vt de Martyribus obseruant, præter ad Missam: asserentes congruum esse, vt nocte de martyrio eorũ: ad Missam autem, de sacerdotali eorum dignitate agatur. Sed conuenientior

Universidad de Deusto
Biblioteca

videtur superiorum obseruatio. Nam Missa in quolibet festo, reliqua solet informare officia.

De Octauis Sanctorum. Cap. 44.

IVxta Romanam auctoritatem, nullorum Sanctorum octauas obseruare debemus, nisi vndè certam aliquam traditionem à sanctis Patribus habemus. Eorum quoque, quorum octauas celebramus, nullam quotidianam mentionem per interiacētes dies agimus, quia nullam auctoritatem indè habemus: exceptis de sancta Maria, & de sancto Petro, quorum memoriam & alio tempore non cessamus frequētare. In festo cuiuslibet sancti trium Responsoriorum, * nocturnam non dimittimus: sancto tamen Inuitatorium, Responsorium, & matutinales laudes, & alia vsque ad finem Missæ, concedimus: Reliqua de ferialibus. Nam iuxta Romanam consuetudinem, nullius sancti trium Responsoriorū, mentionem facimus post Missam, siue illa canatur ad tertiam, siue ad sextam. Immò cum ipsa Missa mentionem sancti finimus. In festo autem nouem lectionum, omnia vsque ad secundam vesperam de festo agimus.

* nocturnas De festis triū Respō soriorum, ac nouem lectionum.

De priori Vespera Dominicali. Cap. 45.

POst octauam Epiphaniæ, siue priuata dies sit, siue Dominica, leguntur Epistolæ Pauli vsque ad Septuagesimam. Prior vespera cuiuslibet Dominicę crastinam exigit orationem: quia capitulum ante Magnificat, sequēti ascribitur Dominicæ: sicut in Dominica de Aduentu Domini, & Quadragesimæ, siue passionis Dominicæ comprobatur, quod & in aliis solennitatibus penè vsquequaque frequentatur. Hoc vtique & Responsoria & Antiphonę indicant, quæ de crastina historia ad priorem vesperam solent anticipari. Aliquando tamen vltima Antiphona de Euāgelio prioris Dominicæ, ad vesperam prædictā reseruatur, vt in Dominicis post Epiphaniam & Pascha, quæ tamen adeò concordant, vt Antiphona præcedentis Dominicæ, orationi subsequentis optimè conueniat.

Epistolæ Pauli post oct. Epiph. legendæ quotidiè.

De Aqua adsperſionis, Gloria in excelsis, Ite Missa est, & Credo. Cap. 46.

ALexander Papa quintus à beato Petro, cōstituit, vt sal & aqua benediceretur ad conspergendum populum, & habitacula eorum: quod & nos in omni Dominica iuxta Canones sequimur. Symmachus Papa in ordine 50. constituit, vt in Dominicis diebus & natalitiis Martyrum, hymnus, Gloria in excelsis, dicatur, quod & nos obseruamus in omni Dominica, & in festis nouem lectionum, excepto infra Aduētum Domini, & à Septuagesima vsq; in Pascha. in iis tamen diebus natalitia Apostolorum, & festa sanctæ Mariæ iuxta Romanam consuetudinem, Gloria in excelsis, recipiunt: Semper autem cum Gloria in excelsis, etiam, Te Deum, &, Ite Missa est, recitamus: nisi de Natiuitate Domini in nocte, & in cœna Domini, & in vigilia Paschæ & Pentecostes. Congruè autem & in festiuis diebus, Ite Missa est dicitur, quia tunc generalis conuentus celebrari solet, qui per huiusmodi denunciationē licentiam discedendi accipere solet. Ad quotidiana autem Missarum solennia, non generaliter ab omnibus, sed à religiosis conuenitur, qui plus spiritualibus negociis quàm secularibus inuigilant, qui & reliqua, dum licet, officia quotidiè frequentant. Ergò conueniēter illis post Missam, vt non statim discedant, sed vt Dominum benedicant, denunciatur. Huic assertioni & Ecclesiastica consuetudo videtur adstipulari: quia cùm, Ite Missa est, dicimus, ad populum vertimur, quem discedere iubemus: cùm autem, Benedicamus Domino, dicimus, non ad populum, sed ad altare, id est, ad Dominum vertimur, nosq; ipsos non ad discedendum, sed ad benedicendum Domino adhortamur. Sciendum tamen, quòd, Ite Missa est, infra Aduentum Domini, & Septuagesimam, non recitetur: non quasi eo tempore nullus fiat conuentus, qui sit demittendus, sed potius pro tristitia temporis insinuanda. Sic &, Gloria in excelsis, dimittitur. Credo in vnum, iuxta Canones, in omni Dominica, & in omnibus Dominicis solennitatibus, item in festis sanctæ Mariæ & Apostolorum, & sanctæ Crucis, & omnium Sanctorum, & dedicationis, debet cantari, nec immeritò: nam & de iis singulis in eodem symbolo aliqua reperitur commemoratio. Hoc quoque notandum, quòd cùm, Gloria in excelsis, semper Dalmaticæ & subdiaconalia resumuntur.

De Septuagesima. Cap. 47.

IN Septuagesima Heptateuchum incipiūt. Vndè & Alexander Papa secundus constituit, vt responsoria de eadem historia in eadem Dominica incipiantur, quæ & in sequenti Dominica repetantur, Alleluia etiam in sabbato ad vesperam iussit dimitti ante Septuagesimam. Ab hinc vsque, in cœnam Domini, Te Deum, Gloria in excelsis, Ite Missa est, Item Dalmaticæ, & subdiaconalia antiquo more dimittuntur. In bissextili anno Natiuitatem sancti Matthiæ Apostoli colimus in illa die, quæ vigiliam eius proximè sequitur, non in alia, quæ propter bissextum eo anno in eodem Kalendario iteratur.

Annus bissextilis.

De

De festis infra Septuagesimā, vel Quinquagesimam occurrentibus. Cap. 48.

SI Purificatio sanctæ Mariæ infra septuagesimam euenerit, nihil in ea iuxta Romanā consuetudinē præter Alleluia de solita glorificatione mutamus. Sergius Papa à beato Petro lxxxvj. constituit, vt diebus Annunciationis Domini, & Dormitionis & Natiuitatis sanctæ Mariæ, & sancti Simeonis, quod Græci ὑπαντὴ vocant, Litania exeat à sancto Adriano, & ad sanctam Mariam populus occurrat: ὑπαντὴ autem nuncupatur obuiatio, quia venerabiles personæ Simeon & Anna eo die obuiauerunt Domino, dum præsentaretur in templo. Item Cathedram sancti Petri etiam infra Septuagesimā, & Annunciationē S. Mariæ infra Quadragesimam solennissimè cū Dalmaticis, & Gloria in excelsis, Romano more celebramus. Sciendum autē, quòd Laodicense Concilio cap. 51. constituit, vt natalitia Martyrū in Quadragesima non celebrentur, sed eorū commemoratio fiat in diebus sabbatorum, vel Dominicorum. Quòd hìc soli Martyres nominantur, hoc ideò, quia nondum apud antiquos memoria Confessorum adeò celebris fuit. Sancti quoq; Patres in Toletano concilio de Annunciatione S. Mariæ constituerunt, vt de Quadragesima in 15. Kalendas Ianuarij transferretur, vbi annuatim solenniter & conuenienter ante Natale Domini posset celebrari: vtputa cùm omnia illius temporis officia de eadem resonent Annunciatione, vt in Ambrosiana obseruatur Ecclesia. Sed nos magis Sanctæ Romanæ Ecclesiæ morem gerētes, infra Quadragesimam, illam celebramus, sicut & aliorum quorumdam Sanctorum. Synodaliter autem legitur statutum, vt eadem Annunciatio, si in triduo ante Pascha occurrat, in sabbato ante Palmas anticipetur. qui dies & proprio officio caret, & per totum annū veneratione sanctæ Mariæ solet obsecundare; quæ anticipatio & omni necessāria videretur anno, dum eadē festiuitas idem sabbatum subsequitur, eo quòd duæ subsequētes septimanæ propriis officiis intantùm sunt occupatæ, ut tantæ solennitati dignè nequeant deseruire. Sed nos nihil in hac editione temerè canonizatum deprehendimus. Cùm autē festiuitates nouē lectionum in Quadragesima agimus, omnia de festo, die ac nocte, & Missā de ipso ad tertiā festiuè dicimus. De Quadragesima verò post Benedicamus, Antiphonā ferialē cū precibus & oratione, & hoc ad matutinū & vesperū tantùm: Missam quoq; de Quadragesima, ad Nonā cum genuflexione.

Vide Bedā Retract. in Act. Apost. cap. 16.

De Capite Ieiunij. Cap. 49.

IN capite Ieiunij, Missam dicimus ad Nonā, & omnia facimus vt in Quadragesima. Cùm enim illi quatuor dies pro complemento quadragesimalis ieiunij recipiantur, necessariò quadragesimalem obseruantiam obtinebunt, videlicet vt * tandèm post vesperā ieiuniū soluatur, sicut in Canonibus præcipitur. quod tamē alio tempore statim post nonam soluitur, cùm & Missa ad sextam celebratur. In hoc enim quadragesimale ieiunium ab aliis differt diebus, quòd in aliis post nonā, in hoc autem post vesperā reficere debemus. Nec iuxta canones quadragesimaliter ieiunare censemur, si ante vesperam reficimus. Ergò & in his quatuor diebus, similiter ieiunare debemus, si cum iis quadragesimale ieiunium adimplere volumus. Vndè & Missa in iis diebus, non ad sextā, sed ad nonam meritò celebratur. Est enim Ecclesiastica consuetudo, vt ad nonā reficiamur, cùm ad sextam Missam celebramus: ad vesperam autem, cùm ad nonam sacrificamus, vt ergò & in iis diebus vsque ad vesperam ieiunemus, Canonicum est, vt & Missam ad nonam differamus. Sciendum autem, non solùm modernos, vt quidam putant, sed & antiquos à capite Ieiunij incepisse, cū & sanctus Gregorius ibi quadragesimalia officia videatur initiasse. Sic enim in Gregorianis Sacramentariis siue Gradualibus libris euidentissimè declaratur. Subsequens tamen Dominica propriè initium Quadragesimæ dicitur: vndè & xlij. dies vsque in Pascha computantur, quibus cùm sex Dominicas subtrahimus, non nisi trigintasex in abstinentia obseruamus. Ergò à capite ieiunij necessariò incipimus, si cum Domino ieiunium quadraginta dierum complere volumus. Exin de etiam orationem super populum iuxta Gregorij institutionem exordimur, quā nunquàm dicimus, nisi cùm & quadragesimaliter ieiuna re debemus.

* non nisi

Initiū Quadragesimæ.

De Quadragesima. Cap. 50.

IN Quadragesima dicitur præfatio, Qui corporali ieiunio, iuxta statutum Pelagij Papę non minus in Dominicis, quàm in earum feriis. A Dominica tamen Palmarum, eò quòd ibi passiones legere incipimus, præfationem de Cruce dicimus vsque in Cœnam Domini, videlicet per illos quinque dies quinquepartitam Domini passionem intimantes: ipsamque hebdomadam, quam sancti Patres maiorē vocant, eadem præfatione adornantes: nam & cōuenientissimè eo tempore dicitur, cùm de passione Domini tam specialiter agitur. In prima hebdomada Quadragesimæ celebrandum est ieiuniū vernale, sicut & sancti Patres, Leo Magnus, Gelasius, Gregorius Papa primus, & secundus & septimus, constituisse leguntur. Tractum, Domine non secundùm, quem in Quadragesima frequentamus, non tam ex Romano Ordine, quàm ex nostra consuetudine vsurpamus. Melchiades Papa à B. Petro 33. constituit, vt nullus in Dominica nec in quinta feria

Universidad de Deusto
Biblioteca

ieiunaret. Vndè sanctus Gregorius in dispositione officiorum quintam feriã infra Quadragesimam, vacantem dimisit, vt quia festiua erat, sicut Dominica, etiam officio Dominicali honoraretur. Sed quia eadem feria ieiuniis postmodũ applicata est, * vt reliquæ Gregorius Iunior statuit esse solennem officiis vndecumque collectis, & maximè ex festiualibus Dominicis, vndè & Antiphonæ ex Dominicalibus Euangeliis quintis feriis adhuc ascriptę reperiuntur, vt ex Euangelio, Homo quidam erat diues: &, Ibat Iesus: & in hebdomada quoque Pentecostes, quinta feria officio Dominicæ inofficiatur. Sabbata ante Quadragesimam & ante Palmas Dominicarum suarum officia recipiunt: nec immeritò, cùm quilibet dies priuati, de suis Dominicis soleant inofficiari. Ad omnes horas quadragesimales genua flectimus. Item ad Missam, etiamsi salutatio præcedat orationem, nisi alia oratio sine salutatione præcesserit: tunc enim ad priorem tantùm genua flectimus: excepto, in quarta feria post Palmas, vbi ad vtrasque iuxta Romanum ordinem genua flectimus.

* Greg Iunior, vt reliquæ statuit.

A

Ambrosius & Augustinus, ad quotidianam nos hortãtur communionem. Sed quia hoc modo nec ab omnibus presbyteris in Quadragesima nedùm à laicis obseruatur, congruè adiecta est oratio super populum, vt vel eo tempore vltima benedictione populus nõ careret; dum tamen communicare non soleret. Hinc quoque & illa cõsuetudo apud modernos, quę non fuit apud antiquos, inoleuisse videtur, vt & in aliis temporibus, etiam presbyteri post finem Missæ benedicant, ne populũ ita benedictione vt cõmunione, priuatum discedere permittãt.

B

De diebus Dominicæ passionis. Cap. 52.

A Dominica de passione Domini, non dicitur vsque in Pascha, Gloria patri ad Responsoria vel ad Introitus, vel ad Psalmum, Venite, ad quem etiam repetitio Inuitatorij solet mutari, id est, vt ad primum versum à medio, ad secundum autem à principio repetatur, & sic vsque in finem alternetur. In Psalmis ad tertiam nocturnam, legitur Homilia de Euangelio, Cùm appropinquaret. Iuxta ordinẽ non dimittitur salutatio ad passiones, nisi in Paraseue, * vbi & sacerdotale officium reticetur, sed, Gloria tibi Domine, non subiungimus. Sciendum autem, si quando infra passionem Domini de aliquo Sancto agimus, Gloria patri, non omittimus. In feria secunda & tertia post Palmas, duæ lectiones leguntur continuatim ad Missam, vt in Natiuitate Domini. Item in sabbato post mediam Quadragesimam, & in quarta feria, post Palmas, duæ lectiones leguntur, & * singulæ accipiunt genuflexiones, nec immeritò: Nã & Apostolus in eadẽ die in Antiphona ad Introitũ, Omnia cælestia & terrestria & infernalia ad genuflexionem pro passione Domini hortatur, quæ in hac die consilio Iudæorum facta legitur: quod enim in hac die Iudæi cõsiliati sunt, hoc in Paraseue peractum est. Sicut ergò Paraseue plus quàm aliæ feriæ sextæ in genuflexionibus celebris habetur: sic & in hac quarta feria plus quàm in aliis, genuflectere meritò debemus. Cùm enim omnes quartas ferias pro passione Domini seruemus, quis negat illam nobis maximè obseruandã, quæ nobis eandem specialius passionẽ annuatim repręsentat? Iuxta Romanum quoq; ordinẽ, eãdem orationes cum genuflexionibus in quarta feria dicere debemus, quas & in Paraseue ante salutationem Crucis sancta Ecclesia solet obseruare. Prætereà hæc hebdomada iuxta * Romanũ Ordinẽ maior appellatur, eò q ex sanctissimo Dñicæ passionis sacramneto insignior cęteris habeat. Iure ergò eandẽ & lectionibus & genuflexionibus siue in aliis obseruationibus celebriorem, quàm alias habemus, Iuxta Romanum Ordinem in Cœna Domini in Paraseue & sabbato sancto, ad matutinales laudes post Benedictus, sub silentio dicendum est, Kyrieeleison pre-

* à sacerdote officium

* singulas recipiunt

* Romanã auctoritatẽ

De oratione super populum. Cap. 51.

ORationem super populum in Quadragesima, ideò frequentamus: quia cùm maiorem conflictũ in ieiuniis & orationibus contra spirituales nequitias sumimus, necessariò nos instantiùs Deo commendare debemus. Nam oratio post communionem, pro solis communicantibus solet orare. Populus autem etsi quotidiè in Quadragesima conueniat, non tamen quotidiè, vt deberet, communicat. Nè ergò populus ita oratione vt communione careret, adiecta est oratio super populum. In qua non de communicatione, sed pro populi protectione specialiter oratur. In Dominicis tamen diebus non dicitur, quia genuflexio vitatur, quæ huic orationi à populo antiquitus persoluebatur, vel potius ideò, quia omnes, iuxta attestationem sancti Ambrosij, in Dominicis diebus communicare deberent, quibus & oratio post communionem pro benedictione sufficere posset. Sciendum est autem, iuxta antiquos Patres, quòd soli communicantes diuinis mysteriis interesse consueuerunt, vndè & ante oblationem iuxta Canones iubebantur exire Catechumeni & pœnitentes, * videlicet qui nõdum se parauerunt ad communicandũ. Hoc quoque ipsa sacramentorum innuit confectio. In qua sacerdos non pro sola tua oblatione & communicatione, sed & aliorum rogat, & maximè in oratione post communionem, pro solis communicantibus orare videtur. Nec propriè communio dici potest, nisi plures de eodem sacrificio participẽt. Apud Græcos etiam, vt legitur, excommunicandus est, qui vsque ad tertiam Dominicam nõ communicauerit. Beatissimi quoq; patres nostri

C

D

E

* vt qui

preces & orationes. In Cœna Domini, Gloria Patri, & Gloria in excelsis reticetur, nisi vbi Chrisma consecratur: Diaconi tamen Dalmaticis, & subdiaconi subdiaconalibus vtuntur. In qua die sub anathemate interdicitur, nè qs soluat Quadragesimale ieiunium, vt Priscilliaistæ faciunt. Sic enim sancti patres nostri in Laodicensi & in Toletano concilio constituisse leguntur. Hinc beatus Leo in sermone de quadragesima: Qui, inquit, in quadragesima vnũ diem prętermittit, totam Quadragesimã violauit, precipuè * illam diem, quæ cùm finis sit quadragesimæ, magis est obseruanda, quàm alij. quia omnis laus in fine canitur quàm maximè. In Paraseue officium à lectione, non ab oratione, iuxta ordinem incipitur. Nam oratio finis esse solet potiùs officiorũ, quàm principium, vt in ipsa Missa patet, & in singularibus cursibus. In eadem die ante singulas orationes, præter illam de Iudęis, Flectamus genua, dicimus: statimque, Leuate: Posteà orationem subiungimus, Romano more, sicut & in alijs diebus continuamus.

A

* illa precipuè die,

B

De Sabbato sancto. Cap. 53.

IN sabbato sancto Zozimus Papa cereũ magnum benedicit constituit, qui & ante benedictionem illuminandus est, & in octauis Paschæ populo distribuendus ad suffumigandum rebus eorum, quem Diaconus accepta benedictione ab aliquo sacerdote debet benedicere. Duodecim lectiones iuxta Romanum Ordinem legendæ sunt absque titulis, ante baptismum. Post baptismum presbyteri demùm possunt Missam, si necesse fuerit, priuatim celebrare, quia iam renati sunt, de quibus specialiter in Missa agere debemus: nec posteà à lectionibus, quas iam audiuimus, sed à Litania, incipere solemus.

Missa priuata.

D

De Paschali obseruatione. Cap. 54.

IVxta Romanam auctoritatem, Agnus in Pascha benedicitur, non ad altare, sed ad communem mensam. Credo in vnum, & alia huiusmodi, quotidiè vsque in octauam dicimus, vt in die sancto. Versum Gradualis, Benedictus qui venit, in quinta feria: Lapidem, in sexta feria congruè dicimus, in qua Dominus à Iudæis reprobatus est. In sabbato infra octauas Paschæ, Antiphona: Cùm esset serò, ad vesperam cantatur, eò quòd idem Euangelium apud antiquos vsque ad, Thomas autẽ, in eodem sabbato legebatur, sicut adhuc breuiaria Euangeliorum testantur. Ad hanc vesperam feriales psalmi dicuntur cum Alleluia, & in nocte Dominica nocturna & nouem lectiones iuxta Romanum Ordinem. Et sic deinceps feriales psalmos ad vesperam & ad nocturnam cum Alleluia dicimus, nisi festum occurrat nouem lectionum. Semper tamen ad matutinas, Dominus regnauit, recitamus. Sed quia quamplures, omnes dies hinc vsque in Octauam Pentecostes cum tribus psalmis & lectionibus obseruare volunt, operæpreciũ videtur, vt ad auctoritatem sedis Apostolicę recurramus, & indè, quid nobis faciendum sit, exploremus, vndè totius Christianę religionis formam accepimus. Gregorius Papa in Apostolica sede constitutus, * in hac causa tale statutum promulgauit: A die, inquit, resurrectionis, vsque in sabbatum in albis, & à die Pentecostes vsque in sabbatum eiusdem hebdomadæ, tres psalmos tantùm ad nocturnas, tresq; lectiones antiquo more cantamus & legimus. Omnibus alijs diebus per totum annum, si festiuitas est, nouem psalmos & nouem lectiones & Respon. dicimus: alijs autem diebus duodecim psalmos & tres lectiones recitamus. In diebus Dominicis octodecim psalmos, excepto die Paschæ, & die Pentecostes, & nouem lectiones dicimus. Hoc etiam vsquequaquè iuxta Romanum Ordinem ità fieri statuimus, vt suprà notauimus. In octaua Paschæ historiam, Dignus es Domine, & Apocalypsin, iuxta ordinem incipimus.

* de hoc

C

De festis infra Paschale tempus. Cap. 55.

AB octaua Paschę vsque in Pentecosten, in festo trium Responsoriorũ, vnũ Alleluia tantùm: Nouem verò lectionum, duo Alleluia ad Missam cantamus, siue de resurrectione, siue de alio festo. Et cùm duo Alleluia dicimus, nõ primum, sed secundum repetimus. Præfationem quoquè vsque in Ascensionem Domini, non omittimus, quia die & nocte Paschale officium celebramus. Incongruum enim esset, vt sola præfatio ferialiter, & omnia alia Paschaliter obseruarentur. In natiuitate tamen Apostolorum Philippi & Iacobi, prefationem de Apostolis dicimus: sicut & de Cruce in Inuentione ipsius. Hoc tempore nullius festi vigiliã ieiunare vel obseruare iubemur, nisi Ascensionis & Pentecostes. Hoc quoquè congruè in omnibus vigilijs obseruatur, vt Nona de futuro festo peragatur, si tamen post Missam differtur, videlicet, vt postquàm de festo post Missam incipimus, nullam deinceps cum nona dissonã tiam officiorum faciamus: quàm maximè sancti Patres in dispositione eorundem deuitare studuerunt. Sciendum autem quòd Antiqui de sanctis communiter in Paschalibus cantare solebant, vndè & adhuc de vno quæ ad plures pertinent, cantantur, vt Alleluia, Gaudete: & offertorium, Confitebuntur: & Responsorij, In seruis suis. Et hoc ideò, quia vniuersali resurrectione, cuius typus eo tempore agitur, communis est lętitia & festiuitas iustorũ, Ideò etiam inuenitur in Martyrologijs, siue in sacramentarijs, festiuitas sanctorum Iacobi & Philippi, & omnium Apostolorum. Eusebius Papa

à beato

Universidad de Deusto
Biblioteca

à beato Petro 32. constituit, vt omnes Christiani Inuentionem sanctæ Crucis V. Nonas Maij solenniter celebrarent. Vndè & nos illam cum pleno officio obseruare debemus, quod nō incongruè ità ordinare possumus. Antiphona, Helena. Inuitatorium, Alleluia, Regem crucifixū. In I. nocturno, Antiphona, Adoremus. Antiphona, Adoramus. Antiphona, Tuam crucem. Psal. * Domine Deus noster. Conserua me. Domine in virtute. Vers. Omnis terra. Responsorium, Hoc signum crucis. Responsorium, Agnus Dei Christus. Responsorium, Eccè vicit leo. In secundo nocturno, Antiphonæ, Crucem sanctam, Per signum crucis, Nos autem. Psalmi, Domini est terra, Magnus Dominus, Iubilate. Versus, Dicite in nationib. Dominus regnauit à ligno. Responsorium, Dignus es Domine. Responsorium, Audiui. Responsor. Dulce lignum. In tertio nocturno, Antiphona, Saluator mundi. Antiphona, Salua nos. Antiphon. O magnum. Psalmi, Cantate, prim. Dominus regnauit, exultet, Cantate, secund. Vers. Mihi autem absit gloriari. Responso. Bonum est confiteri Domino. Responsorium, Dicant nunc. Respon. O crux benedicta. Ad laudes matutinales, Antiphona: Helena Constantini. Antiphona. Tunc præcepit. Antipho. Helena sancta. Antiphona, Cūque ascend. Antiphona, Orabat Iudas. In Euāgelio, Antiphona: Cùm orasset Iudas. De sancto autem Alexandro & socijs eius post Benedicamus, commemorare solemus. Exaltatio autem sanctæ crucis non adeò generaliter & solenniter celebratur, & hoc fortasse ideò, quia nullum indè tam speciale statutum, vt de inuentione, reperitur.

*Domini est terra.

De Pascha annotino. Cap. 56.

ROmani annotinum Pascha quasi anniuersarium pascha dicunt, quia antiquitùs apud illos, qui in priori Pascha baptizati erāt, in sequenti anno eadem die ad Ecclesiam conuenere, suæque regenerationis anniuersarium diem cum oblationibus solenniter celebrauerunt. Cuius dici hoc erat officium, Resurrexi, per totum. Lectio, Vidi Ostium. Euan. Erat homo ex pharisæis, cum orationibus ad hoc competentibus: quæ omnia apertissimè de gratia regeneratorum agere videntur. Sed quamuis huiusmodi anniuersarius à paucis vspiàm obseruetur, authentici tamen libri ipsum obseruari debere innuunt, qui nobis lectionem & Euangelium sub titulo Paschæ annotini, annuatim præscribunt. Si enim quilibet suum natalem, quo ad æternam mortem natus est, obseruat: quanto magìs illum obseruare deberet, quo ad æternam vitam regeneratus est?

De Litaniis. Cap. 57.

MAior Litania à beato Gregorio Papa primo, pro pestilentia ipsius temporis instituta est, quia & Ioanni Episcopo Rauennati scribens, diem Litaniæ, tempus cineris & cilicij appellat. Triduanæ autem Litaniæ ante Ascensionem Domini non Romanæ, sed Gallicanæ sunt: * quia illas sanctus Mamertus Viennensis Episcopus instituisse legitur: quas sancti patres non equitando, non vestibus preciosis vtendo, sed in cinere & cilicio, sicut & maiorem Litaniam, obseruari statuerunt. In quarū vltima die, id est, in vigilia Ascensionis Domini, cantur officium, Vocem Iocunditatis. Offertor. Viri Galilęi. Cōmunio, Pater cùm esse.

* quas

De hebdomada Pentecostes. Cap. 58.

IEiunium æstiuale semper infra Pentecosten est celebrandum. Nam orationes & lectiones de eodem ieiunio, agunt de * spiritu sancto. Sicut ergò ieiunium vernale semper infra quadragesimam est celebrandum, eò quòd quadragesimalia habeat officia: ità & istud infra festum Spiritus sancti, vndè habet officia, aptè celebratur. Sic enim sancti patres de vtroque ieiunio constituisse leguntur. In ieiunio Pentecostes, genua non flectimus, iuxta Romanum Ordinem. Quidam etiam ad Missam ieiunij, nec Gloria in excelsis præmittunt, sed incongruè, cùm eadem Missa de tertia mutetur ad sextam. Sunt enim tres horæ in die, ex Dominica passione ad celebranda mysteria consecratæ, videlicet, Tertia, in qua linguis Iudæorum: Sexta, in qua manibus gentilium crucifixus est. Nona, in qua emisit spiritum. Inter quas hora tertia in festiuis diebus maximè obseruatur, ea fortasse ratione, quia inter reliquas passionis horas, tempori Dominicæ resurrectionis siue Natiuitatis propinquior esse videatur. Sexta verò vel nona, ieiuniorum officijs deputantur. Excepto autem in Cœna Dñi, In sabbato sancto Paschæ & Pentecostes, nunquàm alicui Missæ, Gloria in excelsis ascribitur, nisi illi, quam & festiuè ad tertiam celebrare debemus. Ergò non incongruè & Missis huius ieiunij, Gloria in excelsis, subtrahimus, quas nō festiuè ad Tertiam, sed ad Sextam obseruare solemus. Quidam autem satis aptè in hoc ieiunio duas Missas cantant, vnam ad Tertiam solenniter, cum Gloria in excelsis, vt festo Spiritus sancti satisfaciant: Alteram post Sextam pro ieiunio, sicut festo S. Thomę, satisfaciunt in ieiunio hyemali, & festo sancti Matthæi in ieiunio autumnali. Item sancto Marco in Litania maiore, & annunciationi sanctę Mariæ in quadragesima, videlicet vt prior Missa festo, secunda verò satisfaciat Ieiunio. Ad * quam etiam non gradualia, vt antiquitùs, sed Alleluia cantamus.

*festo sancti Spiritus

Horæ tertia sexta, ac nona.

* quod

De octauis Pentecostes. Cap. 59.

SEquitur Dominica vacans, cui attitulatur lectio, Vidi ostium: orationem verò, id est, Deprecationem, ex quadragesima, & Euangelium de Pascha annotino mutauit: officium autem de ipso die Pentecostes, eò quòd octaua eius sit, competenter accipit. Ad nocturnā, nouem lectiones iuxta Romanum ordinem dicimus, licèt totidem responsoria de Spiritu sancto, in antiquis Antiphonarijs non inueniamus. Et hoc fortasse ideò, quia Romani nō singulis lectionibus singula semper subiungunt responsoria: nam Tertium siue nonum multotiès prætermittunt. Nos tamen prædictis nouem lectionibus totidem Responsoria Alleluiata vndecumquè collecta, Gregoriano more subnectimus, id est, communiones pro Respōsorijs accipientes, vt in aliquibus libris reperitur. In crastinum autem de libris Regum ad nocturnam legimus & canimus, & officium ad Missam: Domino in tua, nisi aliquod * celebre festum habeamus. Ipsum etiàm officium in sequenti Dominica Romano more possumus repetere, si tamen eo anno vsque in aductum Domini plures hebdomadę fuerint. Sin autem, officio: Domine in tua, solæ feriæ * sufficiant, sicut cuilibet Dominicali officio ferię sufficiunt, cuius Dominicam aliquod celebre officium occupauerit.

*festum celebrare debeamus.

*sufficiunt

De officio sanctæ Trinitatis. Cap. 60.

QVidam autem officium de sancta Trinitate, in octaua Pentecostes instituunt, licèt non sit Alleluiatum, quod & per totam subsequentem hebdomadam obseruandum putant, sed non est authenticum. Nam quidam Leodiensis Stephanus idem officium, sicut & historiam de inuentione sancti Stephani, composuisse asseritur, quæ vtraq; ab Apostolica sede respuuntur. Vndè piæ memoriæ Alexander Papa de * hac re inquisitus, respondit, iuxta Romanum Ordinem nullum diem specialiter ascribi debere solennitati sanctæ Trinitatis, sicut nec sanctæ vnitatis, præcipuè cùm in omni Dominica, immò quotidiè, vtriusque memoria celebretur. Sciendum autem quendam * Alboinum magistrum Karoli Imp. rogatu sancti Bonifacij archiepiscopi, vt aiunt, Missales orationes de sancta Trinitate composuisse, & in secunda feriā de sapientia, In tertia de spiritu sancto, In quarta de charitate, In quinta de angelis, In sexta de Cruce, In sabbato de sancta Maria. Et hoc ideò, vt presbyteri illius temporis nuper ad fidem conuersi, nondùm Ecclesiasticis officijs instructi, nondùm etiàm librorum copia prediti, vel aliquid haberent, cum quo officium suum qualibet die possent explere. Vndè & adhuc quidam eisdem orationes quotidiè, etiam cùm * proprio abundent * officio, nolunt prętermittere. In singulis quoq; hebdomadibus, sexta feria de Cruce, & sabbato de sancta Maria penè vsquequaquè seruatur, non tam ex auctoritate quàm ex deuotione. Sicut igitur huiusmodi obseruationes nulli magìs hebdomadæ, quàm alij, ascribuntur. Ità nihilominùs & illa de sancta Trinitate. Incongruum ergò videtur, vnam Dominicam cum orationibus Albini, & cantu Stephani, De sancta Trinitate celebrari: cùm omnes Dominicę authenticis abundent officijs, quæ non minùs nobis intimant honorem sanctæ Trinitatis. Præfationem autem de sancta Trinitate, quam in diebus Dominicis frequentamus, non ex Albino, sed ex Romana auctoritate suscepimus. Nam hæc est vna ex illis nouem, quas solas Pelagius Papa antecessor Gregorij constituit obseruari. Fecit tamen idem * Albinus in sancta Ecclesia non contemnendum opus: nam Gregorianas orationes in libris sacramentorum collegisse asseritur, paucis alijs adiectis, quas tamen subsuli obelo notandas esse indicauit. Deindè alias orationes siue præfationes, etsi non Gregorianas, ecclesiasticæ tamen celebritati idoneas collegit, sicut prologus testatur, quem post Gregorianas orationes, in medio eiusdem libri, collocauit.

*hoc inquisitus,

* Albinum

*proprio *officia

* Alboinus

De concordia & ordine officiorum. Cap. 61.

SCiendum autem, quòd sanctus Gregorius ità Ecclesiastica ordinauit officia, vt prima oratio in Missa, officio, lectioni & Euangelio semper concordet: sicut in omnibus solennitatibus deprehendi potest. Sed hanc cōcordiam in æstiualibus Dominicis illi maximè confundunt, qui vacantium Dominicarū orationes incongruè assumunt. Verbi gratia, vt illam orationem, Deprecationem, quæ etsi in octaua Pentecostes post ieiunium quatuor tēporum legitimè ponatur, multotiès tamen & inter Dominicas in tertio loco reperitur: & hoc ideò, quia & prædictum ieiunium in secunda hebdomada post Pentecosten aliquandò, licèt incongruè, celebretur. Qui ergò prædictam orationem tertio Dominicali officio applicauerit, concordiam officiorum vsque in aduentum Domini secundùm ordinem disturbabit. Eodem modo & ille peccabat, si quis post ieiuniū autumnale orationi vacantis Dominicæ, siue illi orationi, Absolue, quæ ieiunium præcedit, * aliquid ex Dominicalibus officijs adaptauerit. Ijs ergò prę missis, ità Missales orationes singulis officijs feriatim copulētur, vt illa oratio, Omnipotens sempiterne Deus, qui abundantia pietatis, illi Euangelio, Duo homines, societur, quæ adinuicèm adeò concordant, vt deuotio Publicani in ipsa oratione exprimi videatur. Item illa secreta, Deus qui legalium † differentia sacrificiorum, semper iungenda est illi offertorio, Sicut in holocausto. Nam quamuis & aliæ huiusmodi orationes suis officijs indubitanter concordent, in prædictis tamen euidentior concordia notatur: quam qui diligenter obseruauerit, nec anteà, nec posteà concordiam officiorum disturbabit,

*aliquod

† differentiam hostiarum,

Universidad de Deusto
Biblioteca

habit, si per ordinem officijs orationes viritim sociare voluerit.

De Dominicali officio non facilè prætermittendo. Cap. 62.

IVxta Romanam consuetudinem, in omni Dominica ecclesiastico conuentui cum officio * Dominicæ satisfacimus, nisi aliqua multùm celebris festiuitas in ipsa die occurrat, vt festum Ioannis Baptistæ, vel sancti Petri Apostoli: pro quibus non minùs quàm pro Dominica populus solet congregari, quas & in alijs diebus solennissimè celebraremus. Item cùm plures * sint Dominicæ quàm officia, non vt quidam differimus, sed quoties necesse fuit, aliqua repetimus: Illo duntaxat obseruato, vt vltimum officium in proxima tantùm hebdomada ante aduentum Domini cantetur. Est enim præparatio Dominici aduentùs, qui semper in quinta Dominica ante Natale Domini debet initiari, videlicet vt sicut antiqui patres per quinque ætatum curricula, siue per quinque libros Moysis, de aduentu Christi edocti sunt, nihilominùs & nos per quinque Dominicas de aduentu eius instruamur, vt iuxta Euangelium eiusdem diei, de quinque panibus, cum quinque millibus hominum, saturari mereamur.

Explicit μικρόλογος.

Hic libellus Catholicus est, neque indignus qui in lucem emittatur.

Antonius Ganspoel.

* Dominicali

* sunt



B. IVO-

B. IVONIS CARNOTENSIS EPISCOPI

DE ECCLESIASTICIS SACRAMENTIS ET OFFICIIS, AC PRAECIPVIS PER ANNVM FESTIS SERMONES, NVNC PRIMVM EDITI.

SERMONVM ELENCHVS.

DE Sacramentis Neophytorum sermo in Synodo habitus.
De excellentia sacrorum ordinum, & de vita ordinandorum, sermo in synodo habitus.
De significationibus indumentorum sacerdotalium.
De sacramentis dedicationis.
De conuenientia veteris & noui sacrificij, vt auctor ipse nominauit, opusculum.
Quarè Deus natus & passus sit.
De Aduentu Domini sermo.
De Natiuitate Domini sermo.
De Circuncisione Domini sermo.
De Epiphania Domini sermo.
In Purificatione S. Mariæ sermo.
De Septuagesima sermo.
De capite ieiunij sermo.
De Quadragesima sermo.
De Annunciatione B. Mariæ sermo.
In Ramis Palmarum sermo.
De Cœna Domini sermo.
De Pascha sermo.
In Ascensione Domini sermo.
In die sancto Pencecostes sermo.
De Cathedra S. Petri sermo.

B. Iuonis Carnotensis Episcopi sermo de sacramentis Neophytorum, habitus in Synodo.

QVoniam populus ad fidem vocatus, visibilibus sacramentis instruendus est, vt per exhibitionem visibilium, pertingere possit ad intellectum inuisibilium: nosse oportet Domini sacerdotes, qui hæc sacramenta contrectant, modum & ordinem sacramentorum, & veritatem rerum significatarum: Alioquì dispensatores tantorum mysteriorum, sunt tãquàm cæci duces cæcorum, tantum vtilitatis indè habituri, quantum capiunt iumenta, quæ portant panes ad vsus aliorum, licèt diuina gratia non deserat sacramentum, quod per eos operatur salutem populorum. Attendant ergò Dominicorum sacramentorum dispensatores, quia Ecclesia Christi, quotidiè ex gentibus, operantibus eisdem sacramentis, aggregatur: populus adquisitionis, cuius caput est Christus, per fidem generatur: per charitatẽ in virum perfectum nutritur, spe æternitatis in eadem fide & charitate solidatur: & omnium sacramentorum administrationem ad hunc finem referant, vt intelligant Ecclesiam Dei tamquàm domum DEI in fide fundari. Dilectionem Dei & proximi, tamquàm parietes benè sibi cohærentes, superædificari: eiusdem altitudinem, spe æternitatis gloriosissimæ cumulari. Hoc corpus CHRISTI, licet natiuitatem capitis sui consueto nascendi ordine subsecutum est, tamen huius capitis natiuitatem in vnitate subsecuturi corporis, quædam membra præcesserunt, patriarchæ scilicet & prophetæ, & multi iusti, qui prodigijs & prœconijs multis, natiuitatem capitis consecuturi corporis præmonstrauerunt. Quod benè ostensum est in Iacobi, interioris populi typum gerente, qui ad ortum festinans, manum præmisit, plantam fratris maioris natù manu tenens: hoc facto significans, quia reprobato priori populo, cuius typum gerebat Esau, nasciturus esset minor populus, Christianorum videlicet, qui benedictionem Dei patris æterna hereditate possideret. Illius quippe patris sacramenta sunt nostra documenta, quibus ille populus tamquàm paruulus est lactatus: & circa vnius veri Dei cultũ, nè post deos vel falsos vel alienos oberraret, occupatus. Vndè ab initio seculi in omni ætate sacramenta Christi & Ecclesię celebrata sunt, quibus & ille populus nutriretur, & nostrę redemptionis modus insinuaretur. Nam prima ætate Adam de terra matre, sine terreno patre, homo ad eandem imaginẽ à DEO sexto die plasmatus est, & in nouissima ætate seculi, per Christum de terrena matre natum, sine terreno patre homo ad eandẽ imaginem Dei reformatus est. Ad eius rei cõsonantiam, eadem ætate de latere Adę qui erat forma Christi futuri, Eua formata est, & per sanguinem de Christi latere manantem, cum aqua sanctificationis Ecclesia fabricata est. Secunda verò ætate mundi, per octo animas à submersione diluuij per arcam liberatas, eadẽ

Gen. 26.

Gen. 1.

Gen. 2.

Ecclesia

Universidad de Deusto
Biblioteca

Ecclesia figurata est, quæ in spe octauę, id est, resurrectionis, per aquas baptismi non sine auxilio ligni salutaris, à submersione exuberãtium tentationum liberata est. Tertia deniq; ętate populus DEI ab Aegyptiaca seruitute liberatus, transit mare rubrum: cedit mare, virga Moysis percussum: præbet viam populo DEI, hostes à tergo sequuntur, & submerguntur: & hic repetita est baptismi, per lignũ salutiferum * consecuti, sanctificatio. Nam tu bet mare rubrum: rubet & baptismus, Christi sanguine consecratus. Hostes à tergo sequentes, moriuntur, quia peccata præterita per baptismum delentur. Dehinc quarta ætate in illa terrena Hierusalem claruit regnum Dauid, Christi & Ecclesiæ regnum præfigurans: de cuius semine idem Christus natus est, in Ecclesia sua spiritualiter regnans, & eam sibi obtemperantem post tempora gloriosè coronans. Indè est quòd qui in sabbato sancto sunt baptizandi, quarta hebdomada quadragesimalis observantiæ, quæ cõtinentiæ nobis arma ministrat, & quarta eiusdem hebdomadæ feria, catechizandi & exorcizandi, deferuntur ad Ecclesiã, ibi audituri & instruendi, qualiter contra spirituales nequitias sint pugnaturi: sed tamen vsque in sabbatum Paschale baptismus eorum differtur, hoc attendente Ecclesia, quia qui ad agonem in præsenti vita vocantur, in spe futuræ quietis baptizantur. Sic enim contra visibiles hostes pugnaturi, non antè, quàm in vita, id est, iuuenili ætate, ad militiam eliguntur, vt sicut in hac ætate pugnaturi, validiores ad visibiles hostes repellendos, sic ad Christianã militiam sub typo huius numeri electi, Christianum agonem viriliter exerceant, & vt coronari mereantur, ab acie non recedant. Post tempora verò regum Israel, quinta ætate inchoante, propter peruersitatem prætaxati populi captiuante Babyloniæ rege, transmigrauit ex parte idem populus in Babyloniam, & qui confusioni seruierat voluntarius, regi Babylonis, quod interpretatur confusio, seruiuit inuitus. Post septuaginta annos, faciente Christo Cyro, reuersus est idem populus in Hierusalem, sicut prædixerat Esaias, deindè Ieremias. Quod benè ad statum pertinet Ecclesiæ, quæ post huius seculi *, quod septenario voluitur numero dierum, multas angarias, quas passa est vel passura est sub regibus huius spiritualis Babyloniæ, in cælestem Hierusalem reuersura est, vbi visione pacis fruitura est, nulli vlteriùs confusioni seruitura. Vndè dicit Apostolus: Vanitati creatura subiecta est non volens, sed propter eum qui subiecit eam in spe, quia & ipsa creatura liberabitur à seruitute corruptionis huius, in libertatem gloriæ filiorum Dei. Per hęc omnia tempora non defuerunt viri iusti futuræ Ecclesiæ membra: non defuerunt cuique tempori congrua sacramenta, tanquàm populi nutrimenta. De quibus multa possent recitari, nisi studeremus breui-

A tati. Ad vltimum sexta ætate de virgine natus est Christus, sicut sexta die de terra virgine plasmatus est protoplastus. Hic Christus est finis legis, & veritas, complens omnia, quæ præcesserant in vmbra sacramentorum. In plenitudine temporis, sicut dictum est, natus Christus, creuit, ad virilem ętatem peruenit, tricesimo *anno vitę suę, sicut tradunt Euangelistę, à Ioanne baptizatus: non quia indiguit, sed quia eius vita Christianis disciplina morum fuit. Dehinc elegit Apostolos, prędicauit Euãgelium, crucifixus est, dans nobis exemplum
B humilitatis & patientię, tertia die resurrexit, in quo membra sua resurrectionis suę spe confirmauit: proximè cęlos ascensurus, discipulos, quid agere deberent, admonuit, dicens: Ite, docete omnes gentes, prædicate Euangelium omni creaturæ. Qui crediderit & baptizatus fuerit, saluus erit. Hìc paucis verbis docentur Domini sacerdotes, Apostolorum successores & vicarij, de quibus dicitur, Pro patribus tuis nati sunt tibi filij, qualiter debeant rudes populos, terreni hominis imaginem adhuc portantes, catechizare: qualiter in nouitate vitæ in Christi conformitatem lauacro a-
C quæ in verbo transformare. Hoc ità factũ est temporibus Apostolorum & Martyrum, qui in Iudæis & gentibus Euangelium Christi viris intelligentibus & quibuscunque personis verbi Dei capacibus annunciauerunt. Postquàm verò Ecclesia dilatata est &* congregata in gentibus, nec inter fideles repertus est aliquis adultæ fidei non fidelis, nè paruuli eorum de hac vita ante rationabiles annòs exeuntes, alieni remanerent à consortio Christi, prouisa est etiam in illis medicina salutis: vt in sacramento fidei baptizarentur, & per alterius fidem reconciliarentur Deo, sicut per alterius peccatum alienati erant à DEO. Institutum est itaq; ad hoc, nouum sacramentorum genus ad catechizandos paruulos, exorcizandos, initiãdos, & demùm baptizandos, in quibus pro paruulo audit Ecclesia, & ad interrogata respondet, donèc paruulus ad intelligibiles annos pueniat, & sacramenta fidei, charitatis & spei, sibi imposita, per se intelligat. De quibus, quid significent, sacramentis, prout Dominus inspirare voluerit, charitati vestræ aliquid dicere proposuimus, vt & ipsi virtutem sacramentorum intelligatis, & auditores vestros docere
E studeatis.

¶ Notandum ergò priùs est, quomodò baptizandus in vtero matris Ecclesiæ, puer concipiatur, quibus alimentis vsque ad natiuitatẽ noui hominis in eodem vtero nutriatur. Tria quippe sunt, quibus vsque ad indumentum nouitatis, baptizandus concipitur, alitur, & vsq; ad nouitatis integritatẽ prouehitur, catechismi scilicet, exorcismi & orationes. Catechizatur ob hoc qui ad fidem vocatur, vt ad quod vocatur, proprio moueatur voluntatis arbitrio. Exorcizatur, vt ab eo diaboli potestas

iniqua

*ætatis suæ anno, sicut

Matt. 28. Marc. 16.

Psal. 44.

*aggregata

D

* tempora quæ septenario voluntur, post multas.

Rom. 8.

iniqua depellatur. Additur pro eo oratio, vt gratia præueniat, & sequatur, quæ vires præbeat libero arbitrio, & per quam procùl fiat vniuersa maligni spiritus illusio. Signatur itaque primò baptizandus crucis signaculo in frõte, in pectore, in oculis, in auribus, in naribus, in ore, cuius virtute victus est diabolus, & exaltatus est Christus. Vndè Abacuc dicit: Cornua in manibus eius, ibi reposita est fortitudo eius. Hoc ergò signo muniuntur totius corporis sensus, cuius virtute & omnia nostra sacramenta complentur, & omnia diaboli figmenta frustrãtur. Sic cùm primogenita delerentur Aegypti,
B populus Hebræorum signatis postibus domorum suarum sanguine agni paschalis, in typo Dominicæ passionis, saluatus est: & populus Aegyptius, quia hoc signo caruit, in primogenitis suis grauiter percussus est. Sic apud Ezechielem Hierusalem ab imminente clade liberanda esse promittitur, si Thau, quæ figurã crucis exprimit, in frontibus gementium atq; dolentium, id est, pœnitentiũ, signaretur. Postea datur sal benedictum in os pueri, vt per typicum sapientiæ salem conditus, fœtore careat iniquitatis: nec à vermibus vitiorum vltrà putrescat, sed incorruptus seruetur, ad percipiendam plenã Christi gratiam: neq; vltrà à condimento sapientiæ desipiat, neq; retrò adspiC cat, sicut vxor Loth. Exufflatur posteà malignus spiritus foràs, quod mysteria sacra significant, quãdò paruulus exufflatur & exorcizatur: Nõ enim creatura Dei in infantibus exorcizatur & exufflatur, sed ille, sub quo sunt, qui sub peccato nascuntur. Nondùm per sacrum baptisma renati sunt: sed iam per crucis signum in vtero matris Ecclesiæ concepti sunt. Omnia enim charismata sacerdotalis ministerij, crucis figura perficiuntur. Omnia autẽ sacramenta quæ acta sunt, & aguntur exorcismis, orationibus, insufflationibus, quasi escæ sunt, quæ paruulos reficiunt in vtero, vt renatos aqua salutis, hilares mater Ecclesia Christo exhibeat. Posteà tãgũtur ei aures & nares cũ saliua. Saliua quippe à capite descendit in os, supernã significans sapiẽtiã, cuius tactu & aures cordis aperiũtur, ad intelligendũ verbũ Dei, & nares ad repellendũ fœtorẽ noxiarũ delectationum. Vndè ait beatus Ambrosius in libro de sacramentis: Quid egimus in sabbato? nempe apertionem, quia sacramenta celebrata sunt apertionis, quia aures tibi tetigit & nares. Quod significat in Euange
E lio Dominus Iesus Christus, cùm ei oblatus est surdus & mutus, cuius os tetigit, quia mutus: & aures, quia surdus erat, & ait: Effeta, quod est, Adaperire. Deindè venit sacerdos ad fontem, consecratur fons in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, quibus verbis si aqua salutis consecretur, nec à bono, meliùs, nec à malo peiùs baptismus accipitur. Vndè Augustinus in libro tertio de vnico baptismo: Non est aqua profana, nec adultera, super quã Dei nomen inuocatur, etsi à profanis & ab adulte-

Abac. 3.

Exod. 12.

Exec. 9.

Gen. 19.

Mar. 7.

D

A ris inuocetur: quia nec ipsa creatura, nec ipsum nomen est adulterũ. Traditur etiam nouæ vitæ auditoribus symbolum fidei, quod per duodecim Apostolos ordinatum est, & totidem sententijs comprehensum. Postremò paruulus ad baptismum interrogatur à sacerdote: Abrenuncias satanę & omnibus operibus eius & põpis eius? vt primùm respuat errorem, & sic adproximet ad veritatẽ, vt possit iuxta Apostolum, Ephe. 4.
deponere veterem hominem cum actibus suis, Tit. 2.
secundùm pristinam conuersationem, abnegans impietatem & secularia desideria. Respondet paruulus per ora gestantium, Abrenuncio. Vndè Augustinus contra Iulianum in libro 4. Quisquis negat per ora gestantium paruulos abrenunciare & credere, negetur eos accipere baptismum, quia in manibus gestantium reluctantur. Idem in libro de pœnitentia: Paruulis ad consecrationem remissionemque originalis peccati prodest eorum fides, à quibus offeruntur: vt quascunq; maculas delictorũ per alios, à quibus nati sunt, contraxerunt, aliorũ etiam interrogatione purgentur. Post abrenunciationẽ vngitur catechumenus oleo sacro in pecC tore, tamquàm muniatur aduersùs hostem muissibilem, nè ei immunda & noxia persuadeat desideria. Vngitur & inter scapulas, vbi est vigor portandi oneris, vt fortitudinem accipiat ad portandum pondus diei & æstus, sicut bonus athleta. Exindè exquiritur ab eo, si credat in Deum patrem omnipotentẽ, & in Iesum Christum filium eius vnicũ, Dñm nostrum, & in spiritum sanctum, vnum Deum in Trinitate & in vnitate, si cõfiteatur vnam esse sanctam Ecclesiam Catholicam, & si credat remissionem peccatorum, & vitam æternam. Hæc omnia si profiteatur se credere, iam incipit in eo mori vetus homo, & p fidem viuere nouus homo, qui
D secundùm Deum creatus est in iustitia & sanctitate veritatis. Ephe. 4.
Abrenunciatione prioris possessoris, suadente charitate, iam vult in legitimi possessoris tranfire domum, in quem iam profitetur se credere, & ab eo æterna præmia
1. Cor. 5. expectare. Iam expurgatum est vetus fermentum: sed nondùm est noua conspersio, nisi sacri fontis sequatur ablutio. Sub responsione igitur trinæ interrogationis, trina mersione catechumenus à sordibus vetustatis abluitur, & nouum hominem indutus, triduanæ Domini se-
E pulturæ consepelitur. Vndè ait Apostolus: Quicunq; in Christo Iesu baptizati sumus, in mortem ipsius baptizati sumus. Consepulti enim ei sumus per baptismũ in morte, vt quomodò Christus resurrexit à mortuis, ità & nos in nouitate vitæ ambulemus. Si enim complantati facti sumus similitudini mortis eius, simul resurrectionis erimus. Hinc etiam beatus Ambrosius in libro de sacramentis: Interrogatus es, Credis in Deum patrem omnipotentem? dixisti, Credo, & mersus es, id est, sepultus es. Iterùm interrogatus es, Credis in Dominum nostrũ Iesum Christũ, natũ & passum? dixisti,

Rom. 6.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Credo. & mersus es,id est, Christo consepultus es. Qui autem Christo consepelitur , cum Christo resurget. Tertiò interrogatus es,Credis & in Spiritum sanctum ? dixisti , Credo , & tertiò mersus es,vt multiplicem lapsum cogitationis, locutionis, operationis,aboleret terrena confessio. Hanc sacri baptismatis emũdationem in similitudinem mortis Christi celebratam , præfigurabat aqua adspersionis in veteri lege, qua emundabatur qui morticinũ tetigerat,vt in castra reuerteretur,cui immixtus erat cinis vitulæ rufę extra castra cõbustę, hysopus quoq; coccus,& cedrus. Vitula qppe illa,quia fœmineus est sexus,fragilitatem,id est,passibilitatem carnis Christi significat. Rufa propter effusionem sanguinis,quę etiã extra castra ejecta est: quo figurabatur,quia & Dominus passurus , extra ciuitatem ductus est . Quòd verò sanguine eiusdem vitulę septiès adspergebatur tabernaculum & omnia vasa tabernaculi , plenam significat emundationem , quam intùs & * extrà contulit sanguis Christi . Anima enim constat triplici virtute, corpus verò quaterna elementorum complexione : quæ vtraq; mundata sunt Christi sanguinis adspersione. Quòd verò carnes eiusdem vitulæ, & corũ,& stercora comburebantur , hoc significatum est , quia tota humilitas & ignominia passionis , versa est in gloriam resurrectionis: quam benè ignis significat , qui semper ad superiora tendit , & quod assumit,in se conuertit. Quòd autem hysopus huic adspersioni admiscetur:hoc significatur, quia in fide mortis Christi peccata mũdantur . Vndè ait Apostolus : Fide mundans corda eorũ . Hysopus quippe ideò fidẽ significat : qa cùm sit herba humilis , firmiter hæret in petra. Coccus ideò huic mundationi adhibetur , quia flammeo colore charitatẽ significat , sine qua mortuũ est , quicquid fides operatur . Cedrus quoq; huic mundationi opitulatur , q̃ imputribilis arbor dicitur,& in excelsis montibus radicat,& ideò spem incorruptionis,& supernæ glorię significat .Horum omniũ coniunctio aqua adspersionis consecratur , quia qui mortuum tetigerat, vt dictum est,emundatur, quia qui operibus mortuis,id est, peccatis originalibus liberatur , baptismate sacro in fide mortuus Christi & resurrectionis,cum sponsione charitatis & spei baptizatur. Vndè Apostolus ad Hebræos:Si sanguis vitulæ adspersus inquinatos sanctificat ad emundationẽ carnis , quanto magis Christi sanguis , qui per Spiritũ sanctum obtulit se Deo , emundauit conscientias nostras ad seruiendum Deo viuenti?Notãdum est quod dicit, si fuerit mortuus ante purificationem,manere in immunditia, & perire animam illam ex Israel, id est, à consortio populi Dei, Quo quid aliud vult dicere,nisi manere pœnam animæ illi & post mortem,si dum viuit, non fuerit mundata isto sacramẽto, quo figuratur Christi baptismus? A viro autem mũdo dicit hanc purificationem fieri:vbi significã tur ministri portantes personam Domini sui, qui est vir mundus. Vndè in sequentibus de eo. qui conspergit aquam adspersionis,vt lauet vestimenta sua,id est,vt sit mundus mente & corpore. Completis iã baptismi sacramentis, cùm baptizatus de fonte ascenderit, sacro chrismate vngitur in vertice,vt cognoscat se promotũ esse in regium genus & sacerdotale, id est, vt à Christi consortio vocetur Christianus,& æterni regni sit cohæres . hoc sacramento * postaquam perfectio fit , quandò ad inuocationem sacerdotis Spiritus sanctus infunditur. Exindè traditur Christiano vestis candida , vt qui primæ natiuitatis decorem, vetustatis pannis obfuscauerat, habitu regenerationis gloriæ præferat indumentum. Tegitur etiam post sacram vnctionem eius caput sacro velamine,vt intelligat se diademate regni , & sacerdotali , sicut dictum est,dignitate potiri . Ad vltimũ datur cereus accensus in manus baptizati , quatenùs implere doceatur illud Euangelij : Sic luceat lux vestra coram hominibus, vt videant opera vestra bona,& glorificent patrẽ vestrum qui in cælis est.Quod si perseueranter fecerit,non cũ fatuis virginibus , extincta lampade , à ianua sponsi repelletur,sed cum prudentibus glorificandus colligetur. His omnibus suprà memoratis sacramentis nouus homo in vtero ecclesię inchoatur,prouehitur,consummatur,& vnitati ecclesiæ aggregatur:vndè etiam,si eius est vanitatis, sacramentis vnitatis, id est , Christi corpore & sanguine confirmatur . Cùm verò ad intelligibiles annos peruenerit , monendus est à presbyteris,& ab his, per quorum vocem abrenunciauit,& fidei symbolum accepit,quatenùs quæ per aliorum ora, promisit , iam studeat corde credere,& proprio ore confiteri,& opere imitari . Vndè Augustinus in sermone habito Dominica prima post Pascha : Vos ante omnia tam viros quàm fœminas moneo , qui filios in baptismo susceptistis,vt vos cognoscatis fideiussores extitisse apud DEVM pro illis , quos de sacro fonte susceptistis. Ideò sem per eos admonete , vt castitatem custodiant , iustitiam diligant,charitatem teneant:hoc omnibus faciant , quod sibi fieri volunt : auguria non seruent: ad arbores & * frondes vota non reddant:præcantatores aut caragios & sacrilegia aut phylacteria,velutì diaboli venena,fugiant:nec furtum faciant,nec falsum testimoniũ dicant . Ante omnia symbolum & orationem Dominicam & vos ipsi tenete , & illis quos excepistis, ostendite . Prætereà docendus est vnusquisque Christianus , vt eum qui se de sacro fonte suscepit , ità diligat sicut patrem : nec filius cum filia , nec filia cum filio patris sui spiritualis coniugium ineat: quod non esset dicendum coniugium , sed potiùs incestum contubernium . Vndè Papa Nicolaus ad responsa Bulgarorum . Est inter fratres & filios spirituales gratuita & sancta communio : quæ non est dicenda consanguinitas , sed potiùs

spiritualis

Num. 19.

* postquàm

Matt. 5.

Matt. 25.

* fontes

Act. 15.

Heb. 9.

spiritualis germanitas . Vndè arbitramur , inter eos non posse fieri aliquod legale coniugium . Hæc & alia similia necessaria & honesta debent nosse Domini sacerdotes , & docere suos auditores , quatenùs qui audiunt, eorum ductu rectè viuant, & ipsi de bona administratione mercedem accipiant,& non gementes , sed cum gaudio rationem reddant .

B. IVONIS CARNOTENsis Episcopi Sermo, De excellentia sacrorum ordinum, & de vita ordinandorum, in Synodo habitus.

QVia Christianam militiam in baptismate professi estis, & arma spiritualia contra hostes inuisibiles p manus impositionem accepistis, in castris Domini tãquàm gregarij milites aliquandiù militastis, si tamen ea quæ Christiano nomini sunt inimica respuistis,& ea quæ conueniunt,facere studuistis:De Christiana militia, quæ vobis cum cæteris fidelibus communis erat,clericatum elegistis, id est , mundo renunciare , & cum habitu humilitatis, affectum promittere humilitatis, vt illud Psalmistæ meritò dicere possetis : Elegi abiectus esse in domo Dei mei, magis quàm habitare in tabernaculis peccatorũ. Non est vestrum,primũ locum quærere in mensa Domini vestri,nisi qui vos inuitauit,dicat alicui vestrũ: Amice, ascende superius:vt sit ei honor coram simul discumbentibus . Nemo enim ad hoc debet fieri clericus, vt seruiat voluptati , studeat curiositati,inhiet ambitioni:nec aliud quærat, nisi vt DEVM hæreditate possideat,quẽ elegit,& à quo electus est, quandò in clericum assumptus est.Hoc enim in Græco nomen clerici sonat,quòd de sorte sit Dñi , quia & DEVS sortitus sit eũ,& ipse sortitus sit DEVM.Quòd clericus sortitus sit DEVM , benè dicitur in Psalmo,in persona ipsius clerici,cùm stigmate clericatus insignitur. Dicitur enim Deo : Dominus pars hæreditatis meæ.& in alio Psalmo: Hæc est generatio quærentium Dñm,quærentium faciem Dei Iacob . Quòd verò Dominus sortitus sit ipsum clericum,in ipsius clerici tonsione dicitur ex superiori Psalmo in persona Domini:Funes ceciderunt mihi in præclaris,etenim hæreditas mea præclara est mihi . Vndè qui per clericatus officiũ aliud quærit q̃ Deũ , nec à Deo electus est, nec Deum elegit : qui in sorte sua creaturam creatori aut prępositi,aut æquiparauit . Hæc dicentes, non interdicimus vobis huius vitæ necessaria , sed de oblationibus, vel de opere manuum,vel de alijs innocẽtibus artibus conquisita, non de vsuris,non de turpibus lucris,non de negociationibus,vel de alijs illicitis artibus cõpilata . Sic enim tribus

Pſal. 83.

Luc. 14.

Pſal. 15.

Pſal. 22.

Pſal. 15.

A Leui, quę in figurã clericalis ordinis præcessit, partem non habuit inter reliquas tribus,sed vi uebat de primitijs , decimis & oblationibus , quas offerebant aliæ tribus . Si ergò & vos de stipe tẽpli viuere disponitis, si extra Deũ nihil quæritis, qui si eo contenti fueritis , erit vobis amplissimum & vberrimum prædiũ: & salubriter ad clericatum accessistis , qa & vita vestra concordat cũ nomine , & professio appáret in opere. Alioquin,si paupertatem & humilitatẽ, quã præfert habitus corporis,& figura capitis, in corde non habetis:timeo nè cum hypocritis B sit pars vestra,& spes vestra ab æterna mercede sit vacua: qui non vt clerici, sed vt acephali in clericali militia sola quæritis lucra temporalia . Ad hoc enim capillos in modũ coronæ in summitate capitis raditis , vt & regnum spirituale,quo cæteris prẽminetis,tali figura ostendatis , & curæ mortalis illecebras frequenter redeuntes, sic amputetis de corde , sicut crines frequenter resurgentes , abraditis de capite . Residuos autem capillos eo ordine præcidere debetis,vt aures,oculos, & alios sensus capitis liberos reddant: & curã exteriorum non in su- C perfluis desiderijs carnis , sed necessarijs tantũ exercendam agnoscant. Si ergò ad ambulandũ in via Dei, sicut prætaxatum est,affecti estis:& clerici vocari digni estis, & ad maiora militiæ clericalis officia promoueri. Hæc officia septẽ gradibus sunt distincta,qa sancta ecclesia septiformis gratię est munere decorata.Hęc officia in ꝓpria persona Dñs noster ostendit,& ecclesiæ suæ exhibenda reliquit : vt forma quæ præcesserat in capite, repræsentaretur in corpore.

In his septẽ officijs primus gradus est ostiariorum , qui possunt discernere inter bonos & malos , dignos & indignos,& admittere in Ecclesiam quos sciunt esse dignos , & repellere quos sciunt esse indignos.Istis cura est & introitum ecclesiæ seruare , & res ecclesiæ peruigili cura custodire . Vndè & eis,cùm ordinantur , claues ecclesiæ ab Episcopo traduntur,& dicitur eis:Sic agite,tamquàm rationem Deo reddituri pro rebus quę his clauibus recluduntur. Hoc officium Dñs noster nobis initiauit,quan dò flagello de funiculis facto , vendentes & e- Ioan. 2. mentes de templo eiecit,& cathedras nummulariorum euertit: hoc facto significans , quòd omnis negociatio rerum ecclesiasticarum , ab ecclesia pellẽda sit. Vndè & ipse ostiarius prætaxatus dicit:Ego sum ostiũ: per me si quis introierit,ingredietur & egredietur,id est,qui canonicè administrationem ecclesiasticæ rei acceperit, ingredietur,id est,à me recipietur : & egredietur, quia peracta dispensatione sibi credita,à seruitute huius corruptionis liberabitur. Ioan. 10.

¶ Indè promouetur ad officium lectorum , vt iam ex traditione ecclesiæ legat in ecclesia propheticas & Apostolicas lectiones . Vndè & eis,vidẽte populo, traditur codex diuinarũ scripturarũ , & dicitur eis : Accipite,& estote verbi Dei relatores:habituri,si fideliter & vtiliter

Universidad de Deusto
Biblioteca

impleueritis officium, partem cum his, qui be-
nè ministrauerunt. Hic quidem, qui ad hunc
gradum prouehitur, literarum scientia debet
esse instructus, vt & sensum verborum intelli-
gat, vim accentuum sciat, distinctè legat, nè
confusione pronunciationis, intellectum audi-
toribus auferat. Attendat quid sit indicatiuè
legendum, quid sub interrogatione: vbi sit in
oratione subdistinctio, media distinctio: quia
& hæc malè seruata, intellectum perturbant,
& grammaticorum typũ ad risum prouocant.
Auribus enim & cordi consulere debet lector.
Hoc officium Dominus noster in propria per-
Luc. 4. sona ostendit, quandò in medio seniorum, li-
Esa 61. brum Esaiæ prophetæ aperiens, distinctè ad
intelligendum legit: Spiritus Domini super
me, ad Euangelizandum pauperibus misit me,
& cætera quæ in eodem sequuntur capitulo: vt
hoc exemplo cognoscat lector, quia spirituali
gratia debet clarere, & sic auditoribus verbum
Dei prædicare.

¶ Tertio loco sequitur ordo exorcistarum,
qui super catechumenos faciunt sacramenta
apertionis, & habent spirituale imperium sup
spiritus immundos, ad eijciendos eos de cor-
poribus obsessis. Debet autem habere spiritũ
mundum, qui spiritibus imperat immundis, vt
concordet vita cum officio, & malignum, quẽ
per acceptum officiũ expellit de corpore alie-
no, per munditiam vitæ expellat de corde suo:
Lucæ 4. nè medicina quam alij facit, sibi non prosit, &
nè dicatur ei: Medice, cura teipsum, si per im-
munditiam conscientiæ spiritum retinet im-
mundum. Hi cùm ordinantur, accipiunt de ma
nu Episcopi librum exorcismorum, & dicitur
eis: Accipite & habetote potestatem ponendi
manum super energumenum siue catechume-
Mar. 7. num. Hoc officio vsus est Dominus, quandò
saliua sua tetigit aures surdi & muti, & dixit,
* hoc exẽplo Effeta, quod est, adaperire. * quo exemplo do-
cuit nos, tali sacramento aperire debere aures
præcordiorum ad intelligendum, & os ad cõ-
* quid sit fitendum: * quod fit, cùm expulso dæmone,
verus possessor recipit vas suum.

¶ Quarto loco accedunt acolyti, qui Latinè
dicuntur ceroferarij, quia cereos accensos de-
ferunt dum legitur Euangelium, vel dum offer
tur sacrificium, non vt tenebras huius aëris illu-
minent, sed ob hoc, vt sicut visibilile lumen ma-
nibus gestant, ità opera lucis proximis osten-
dant: & more lucis errantibus viam in tenebris
palpantibus ducatum præbeant. hoc officium
Ioan. 8. Dominus se habere testatur, in Euangelio di-
cens: Ego sum lux mundi: qui sequitur me, non
ambulabit in tenebris, sed habebit lumen vitæ.
Hi cùm ordinantur, postquàm edocti fuerint
ab Episcopo, qualiter in officio suo agere de-
beant, accipiunt ab archidiacono candelabrũ
cum cereo: vt sciant se ad accendenda lumi-
naria mancipari. Accipiunt vrceolum vacuum
ad infundendam aquam in calicem, quo con-
secrandus est sanguis Christi. Vbi fit comme-
moratio sanguinis, de Christi latere profluen-
tis, & aquæ indè procedentis. Quæ duo idcir-
cò in calicem commiscentur, quia CHRISTI
sanguine sumus redempti, & aqua baptismi à
peccatis abluti.

¶ Quinto loco ordinantur subdiaconi, qui
iam ministerio altaris approximant: quia va-
sa corporis & sanguinis CHRISTI portant,
Esa. 52. Vnde lex continentiæ eis imponitur, quatenùs
impleant illud Prophetæ: Mundamini, qui fer
tis vasa Domini: id est, vt & seipsos exhibeant
vasa in honorem, non in contumeliam: & va-
* corpori sa ista quibus ministratur * corpus Domini,
deferant ad altare, & referant ab altari ad
DEI gloriam, scilicet, vt fugiant omnem
carnis immunditiam. Isti ministrant officijs
Leuitarum: & in templo Domini oblationes
suscipiunt à populis. Ad istorum prouisionem
pertinet, tantum de oblationibus ponere in al-
tari, quantum possit populo sufficere. Ad ho-
rum pertinet officium, Corporales, pallas, &
substratoria lauare, & aquam in baptisterium
* vrgere. * ingerere. Hi cùm ordinantur, accipiunt pa-
tenam vacuam, & calicem vacuum de manu
Episcopi. De manu verò archidiaconi, acci-
* aquamanili & piunt vrceolum cum * aqua, manile & manu-
tergium, quibus mundare debent manus sa-
Ioan. 13. cerdos & Leuita, tractaturi Dominica sacramẽ
ta. Hoc officio vsus est Dominus, quandò fa-
cta cœna cum discipulis, linteo se præcinxit:
& mittens aquam in peluim, pedes discipulo-
rum lauit, & linteo extersit. Vna significatio
est lintei & manutergij, quæ de lino fiunt: &
multis castigationibus & ablutionibus ad can-
dorem perueniunt. Linteo ergò pedes puluere
Psal. 6. fœdati, priùs aqua lauantur, deindè linteo
exterguntur. Sic cum Psamista dicimus, Laua
bo per singulas noctes, id est, per singulas of-
fensiones, lectum meum, id est, conscientiam
meam, in qua sanus quiesco, eger laboro, &
1. Cor. 9. cum Apostolo, Castigo corpus meum, & in
seruitutem redigo. Eodem modo ministri ma-
nus lauant & tergunt ter, cùm omnem terre-
nam concupiscentiam de operibus suis excu-
tiunt.

¶ Diaconorum ordo est in sexto loco, nõ si-
ne aliquo senarij mysterio, quo, propter sui p-
fectionem, significatur operum perfectio. Hic
ordo in veteri testamento à tribu Leui habet
exordium: præcepit enim Dominus Moysi, vt
post ordinationẽ Aaron & filiorũ eius, rursùs
tribus Leui ad diuini cultus ministeria ordina-
Num. 2. 3. & 4. retur, & cõsecraretur Dño, & seruiret pro Isra-
el coram Aaron & filijs in tabernaculo Dei,
ipsiq; gestarent arcam, & tabernaculũ, & om-
nia vasa eius, & in circuitu tabernaculi ipsi ca-
stra construerent, & transportando tabernacu
lũ ipsi deponerent, rursùs ipsi cõponerent. A
viginti autem annis & supra, iussi sunt seruire
in tabernaculo, quã regulã sancti Patres & in
nouo testamento constituerunt: quoniam hæc
ætas ad portanda onera robusta est, quod illi

ordini

ordini à Moyse institutum est, quod etiam in
nouo testamento repræsentatur, cùm diaco-
nus super sinistrum humerum stola ponitur, &
casula in diebus ieiunij super eundem humerũ
complicatur. Quia quicquid laboris & sustinẽ
tiæ in hac vita toleramus, tãquàm in sinistra
portamus, donèc in dextra, id est, in æternita-
te requiem habeamus. Hic ordo in nouo testa-
mento ab Apostolis initium sumpsit, quandò,
Act. 6. sicut legitur in Actibus Apostolorum, septem
viros boni testimonij plenos Spiritu sancto ad
hoc officium elegerunt, & oratione præmissa,
* manus eis imposuerũt. Exindè Apostoli & eo-
rum successores decreuerunt, vt in omni * matri
ce Ecclesia septem diaconos circa aram Chri-
sti sublimiori gradu tamquàm columnæ altaris assisterent, non sine aliquo septenarij my-
sterio. In quo significatur, vt septiformis gra-
tiæ spiritu præfulgentes, sancti sint corpore &
spiritu. Hic enim numerus cùm constet quater-
nario & ternario, quaternarius refertur ad cor
pus, propter quatuor elementorũ in corpore
consonã complexionẽ: Ternarius verò ad ani-
mã, propter triplicẽ animæ virtutem, propter
quã iubemur DEVM tripliciter diligere, id
est, toto corde, quod refertur ad intellectum:
tota anima, quod refertur ad voluntatẽ: tota
mente, quod refertur ad memoriam: hi sunt se-
Apoc. 8. ptem angeli, quos legimus in Apocalypsi tuba
canentes: Angeli, quia nuncij: tuba canentes,
id est, alta mysteria de interna adspiratione
foris resonantes. Hi sunt septem candelabra
aurea, id est, lucẽ Euangelij in manibus, id est,
in operibus præferentia, & ad omnem ignis, id
est, tribulationis examinationem probata. Hi
quoque sunt tonitrua septem, bestiales men-
tes terribili comminatione velut quodam ter-
ribili tonitru commouentia. Tale tonitru emit
Matt. 3. tebat Ioannes Baptista, quandò dicebat: Geni-
Matt. 7. mina viperarum, quis dabit vobis fugere à ven-
tura ira? Et Dominus in Euangelio: Omnis ar-
bor quæ non facit fructum bonũ, excidetur, &
in ignem mittetur. & in hunc modũ plurima.
Isti in modum præconis, manifestè admonent
cunctos ad orandum, & ad genu flectendum;
Isti euangelizant, isti sacramenta dispensant.
* mensa Sacerdotibus non licet calicẽ Domini in * Mis
sa tollere, nisi traditus eis fuerit à diacono.
Leuitæ hostias super altare ponunt: ipsi men-
* alta mysteria sam Domini componunt, ipsi * altare myste-
riorum operiunt: ipsi albis vestibus induti, alta
ri assistunt. Qua in re significatur, quia mundi-
tiam candoris, quam præferunt in corpore,
debeant habere in mente. Tales enim Deum
decet habere ministros, qui nullo carnis conta-
minentur contagio, sed plena mentis & corpo-
ris castitate præfulgeant. Quales enim diaco-
nes ordinandi sint, Apostolus plenissimè docet
1. Tim. 3. scribẽs ad Timotheũ. Nã cùm de sacerdotibus
præmisisset, subiunxit: Diacones similiter opor
tet esse irreprehensibiles, id est, sine crimine,
sicut Episcopos: pudicos, id est, à libidine cõ-
tinentes: non bilingues, scilicet nè conturbẽt
pacem habentes: non multo vino deditos, quia
vbi ebrietas, ibi libido & furor dominatur: non
turpe lucrum sectantes, nè de spirituali minis-
terio terrena lucra sectentur. Post hæc adiecit:
Hi autem probẽtur primùm, & sic ministrent,
nullum crimen habentes. Hi itaque sicut Epi-
scopi, ante ordinationem examinari debent,
& si digni inuenti fuerint, ad sacrum minis-
terium sunt applicandi. Hoc officio vsus est Do-
minus, quandò post cœnam proprio ore & pro Ioan. 13.
prijs manibus sacramẽta confecta dispensauit,
& quandò Apostolos dormientes ad orationẽ
* incitauit Matt. 26. * inuitauit, dicens: Vigilate & orate, nè intre-
tis in tentationem. Hi cùm ordinantur, solus
Episcopus eis manus imponit, quia * ad mini- * ad sacrifi-
sterium, non ad sacerdotium applicantur. Po- cium
nitur eis orarium ab Episcopo super sinistrum
humerum: vt per hoc agnoscant se accepisse
iugum Dñi, quo omnia quæ ad sinistram, id
est, præsentem vitam pertinent, & premant, &
iugo Domini subijciant. Accipiunt & textum
Euangeliorum de manu Episcopi, per quod
intelligant se debere esse præcones Euangelij.

¶ Presbyterorum ordo à filijs Aaron sum-
psit exordium, qui cum Episcopis in pluribus
commune habent officium: & qui nunc pres-
byteri vocantur, tunc sacerdotes vocabantur:
& qui nunc sunt pontifices, tunc dicebantur sa
cerdotum principes. Distat autem hoc tantùm
inter pontifices, & huius temporis sacerdotes,
quia scilicet solis pontificibus addicta est cleri
corum ordinatio, basilicarum dedicatio, chris-
matis consecratio, & manus impositio, & com
munis super populum benedictio: cùm in alijs
sacramentis, catechizandi, Missam celebrandi,
in Ecclesia verbum faciendi ad populum, com-
munis vtriusq; sit dispensatio. Sed summis sa-
cerdotibus ea quæ prætaxauimus, idcircò re-
seruata sunt, nè eadem potestatis auctoritas,
ab omnibus vendicata, insolentes redderet, &
soluto obedientiæ vinculo, scandalum genera-
ret. Qui autem Græcè dicuntur presbyteri, La
tinè dicuntur seniores, non tam ætate, quàm
prudentia, & morum maturitate. Vndè dicitur
in libro Sapientiæ: Cani sunt sensus hominũ, Sap. 4.
& senectus hominis, vita immaculata. Pres-
byteri quippe, successores & vicarij sunt sep-
tuaginta discipulorum: qui præcedebant Do-
minum Iesum in omnem ciuitatem & locum, Luc. 10.
quo ipse erat venturus. Ità presbyteri, quia
adiutores sunt episcoporũ, rudes populos ini-
tiant, baptizando vnitati Ecclesiæ incorporãt:
& omnibus sacramentis vsque ad manus impo
sitionẽ populo Dei ministrant. Epi verò succes
sores sunt Apostolorũ, qui ex necessitate adiu
toriũ & supplementum sui officij, quo facilius
plebes innumeras regere possint, ministerium
sibi expetunt sacerdotum. Sicut Moyses in ere- Num. 11.
mo LXX. viros prudentes elegit, quorũ cõsilio
& auxilio immensam multitudinẽ populi Isra-
el facilè gubernaret: Siue autem sint minoris

Universidad de Deusto
Biblioteca

ordinis, siue summi ordinis sacerdotes, vicem
2 Cor. 5. Christi summi pontificis gerunt, dum populos delinquentes ad pœnitentiam vocant: & orationum suarum medicamento sanant. Vndè Apostolus dicit: Deus erat in Christo, mundum reconcilians sibi, & posuit in nobis verbũ reconciliationis. Obsecro ergò pro Christo, reconciliamini Deo. Funguntur itaque, vt dictum est, officio mediatoris, dum pro populo DEVM interpellant, dum pœnitentes absoluendo reconciliant. Vndè oportet, vt sicut mediator Dei & hominum, per hoc quòd fuit particeps nostræ mortalitatis, mundum reconciliauit: per hoc quòd fuit particeps diuinitatis, absoluit: ità vtriusq; ordinis sacerdotes tamquàm boni mediatores, & peccatoribus compatiantur per conscientiam suæ infirmitatis, & *Dei pacem habeant per eminentiam
* cum Deo Gal. 3. sanctitatis. Mediator enim, vt ait Apostolus, vnius non est, quia vtrique parti quam pacificare vult, amicus est. Quales debeant esse presbyteri, idem Apostolus scribens ad Titum, ità
Tit. 1. commemorat: Huius rei gratia reliqui te Cretæ, vt constituas per ciuitates presbyteros, quemadmodum ego tibi disposui. Si quis sine crimine est, vnius vxoris virum, filios habentem fideles, non in accusatione luxuriæ, aut nõ subditos. Oportet enim episcopum sine crimine esse. Qua sententia ostendit etiam presbyteros sub episcoporum nomine taxari. Vndè &
1. Tim. 3. ad Timotheũ de ordinatione Episcopi & Diaconi, scribit, de presbyteris verò tacuit, sub nomine Episcoporum eos intelligens. Vndè etiam tales in Ecclesia presbyteros constituendos esse sicut episcopos, & Apostolus ad Titũ
Tit. 1. loquitur, & canones ipsi testantur: Hi cùm ordinantur, episcopo eos benedicente, & manum super capita eorum tenente, omnes presbyteri, qui præsentes sunt, manus suas iuxta manum episcopi super capita eorum leuant, & Spiritum sanctum super eos qui ordinantur, inuocant: hi post inuocationem sancti Spiritus, stolam super vtrunque humerum accipiunt, quæ in modum sustentaculorum, dextrum latus munit & sinistrum: vt per hoc intelligant se per arma iustitiæ à dextris & à sinistris esse munitos, vt eos nec aduersa frangant, nec prospera extollant. Accipiunt & calicem cum vino, & patenam cum hostijs de manu episcopi; quatenùs his instrumentis potestatẽ accipiant placabiles hostias DEO offerendi. Hoc officio
Matt. 26. Mar. 14. vsus est Dominus Iesus Christus, quando post cœnam panem & vinum in corpus & sanguinẽ suum commutauit, & vt in memoriam suæ passionis idem facerent, discipulis suis ordinauit. Hoc etiam manifestiùs & excellentiùs officiũ impleuit, quandò ipse idem sacerdos & hostia, seipsum in ara crucis propter peccata humani generis obtulit, & per proprium sanguinem sancta æterna introiens, cælestia & terrestria pacificauit. In quo apparet, quanta sit excellentia sacerdotalis officij, per quod quotidiè in altari Christi passio celebratur, & reus quisque à peccatis conuersus, Deo reconciliatur. Quibus omnibus de sacerdotali ordine breuiter pertractatis, admonendi sunt Christi sacerdotes, quatenùs sicut excellunt ordinis dignitate, sic excellant vitæ sanctitate: vt & plebs eis commissa, eorum disciplinis edocta, gratanter eis obediat, & eorum imitatione de die in diem proficiat.

SERMO EIVSDEM IN Synodo, De significationibus indumentorum sacerdotalium.

VIa sanctitas ministerij, sanctitatem expetit ministrorum, quales ad sacerdotium promoueri debeant personæ, in superiori sermone breuiter ex Apostolica institutione commemorauimus: sed in quo habitu ordinari vel ad altare accedere debeant, illi sermoni non inseruimus. De indumentis ergò sacerdotalibus, vel de pontificalibus diligenter considerandum est, quid in moribus sacerdotum significet illa varietas vestium, quid fulgor auri, quid nitor gemmarum: cùm nihil ibi debeat esse ratione carens, sed forma sãctitatis & omnium imago virtutũ. Sicut enim bona domus in ipso vestibulo agnoscitur, sic Christi sacerdos cultu sacrarum vestium ostendit exteriùs, qualis apud se esse debeat interiùs. Iste autem sacrarum vestium ritus, per Moysen sumpsit exordium: quamuis Christiana religio plùs intenta rebus, quàm figuris, sacerdotes suos non omnibus illis veteribus induit ornamentis. Inspiciamus ergò priùs veterum ornamenta pontificum, vel quo ordine illis vtebantur, vel cùm ordinarentur, vel cum thymiama oblaturi, sancta sanctorum ingrederentur. Deindè nostra cum illorum indumẽtis conferentes, quid simile, quid dissimile inter se habeant, & quomodò etiam in rebus significatis cõueniant, attendamus. Duo enim
Exod. 25. Cherubin propitiatorium adspiciunt, quia sacramenta vtriusque testamenti ad diuinæ propitiationis fidem intendunt, quæ in sacerdotio veteri sub multiplici est sacrificiorum velamine adumbrata: in nouo autem testamento per vnum verum perfectumq; est sacrificium completa. In ornamentis itaq; vtrorunq; sacerdotum & sublimitas sacerdotij commendatur, & sacerdotum casta dignitas significatur, quatenùs per exteriorem habitum discant, quales intra se debeant esse, qui vices illius veri summiq; pontificis gerunt, in quo fuit omnis plenitudo virtutum, quam profitentur exteriora ornamenta membrorum. Sed iam ad id, quod proposuimus, veniamus: & primùm, qualiter Moyses Aaron & filios eius, Domino iubente, ornauerit, & posteà induerit, videamus. Sic enim legitur in Leuitico: Et fecit Moyses, sicut præcepit ei Dominus: & conuocauit synagogam
Leuit. 8.

gogam ad ianuam tabernaculi testimonij, & applicuit Moyses Aaron fratrem suum & filios eius, & lauit eos aqua, & vestiuit eum tunica, & præcinxit eum zona, & vestiuit eum tunica interiore, & imposuit ei superhumerale, & cinxit eum secundum fabricam humeralis, & imposuit super eum logion, & super logion manifestationem & veritatem, & imposuit super caput eius mitram, & posuit super mitrã antè faciem eius laminam auream, in qua scriptum erat nomen Domini.

Notandus est ordo verborum. Licèt enim de constituendo Pontifice præcepisset Dominus, & elegisset, tamen vocatur Synagoga. Idcircò enim requiritur præsentia populi in eligendo sacerdote, vt sciant omnes, quia qui doctior est ex omni populo, qui omni virtute præstantior, hic eligi debet ad sacerdotium, & hoc cum consensu Ecclesiæ, nè qua postea retractatio, nè quis scrupulus remaneat, sed
1. Tim 3. omnium testimonio commendetur, secundùm Apostolum: Oportet episcopum bonum habere testimonium ab his qui foris sunt. Ita plebis testimonio approbatos primò lauat, posteà induit. Moyses quippe in hoc facto typum legis gerit, qui ordinandos sacerdotes prius lauat, antequàm induat. Nisi enim quis prius fuerit per legis obseruationem probatus, non est ad sacerdotium promouendus. Ita verò probatus, induitur tunica, quæ apud eos bysfina est, apud nos linea. Byssus enim est genus lini candidissimi, & ad summum candorem multa vexatione & ablutione perductum. Significat autem perfectam carnis munditiã, secundum
Apoc. 19. illud quod in Apocalypsi legitur: Byssus sunt iustificationes Sanctorum. hanc munditiam caro sacerdotis ex se non habet, sicut nec linum ex se est candidum: sed sicut dictum est, multis castigationibus & ablutionibus redditur candidum, vt aptum fiat indumentis Pontificum. Forma est sacerdotalis munditiæ, vt
1. Cor. 9. secundùm Apostolum, sacerdotes carnem suam castigent, & in seruitutem redigant: & præeunte gratia, habeant per industriã quod non potuerunt habere per naturam. Hæc vestis Græcè ποδήρης, id est, talaris, appellatur, quia à collo vsque ad talos extenditur: & ita est arcta, & membris corporis contemperata, vt sua forma testificetur, sacerdotem nihil habere dissolutum, nihil remissum, sed ad omne opus bonum esse expeditum. Hæc eadem vestis cirea renes zona fortius adstringitur, vt castitas sacerdotis, nullo incentiuorum æstu dissoluatur: Quod bene significatur in quatuor coloribus, quibus zona illa variata erat, byssо, purpura, hyacintho, & cocco: quibus coloribus quatuor elementa significantur: quorum complexione natura cõstat humana, quorum distemperantia fluxus carnis generat, nisi me dicinali cohibeatur continentia. Talium enim coniectores naturarum, per byssum, quia de terra oritur, terram: per purpuram, quia sanguine cochlearum marinarum tingitur, aquã: per hyacinthum, quia colorem sereni aeris imitatur, aerem: per coccum, qui colore flammeo rutilat, significari ignem voluerunt. Quorum, vt dictum est, exuberantia in renibus maximè superfluos humores, praui humores illicitos motus generant: qui nisi freno parsimoniæ reprimantur, castitatis dignitas in eis facili impulsu periclitatur. Vbi autẽ maior est pugna, maior est adhibenda custodia. Indè est, quòd inter indumenta pontificalia adhuc circa renes applicantur linea seminalia, non tam ad velandam carnis turpitudinem, quæ iam solitis operta est vestimentis, quàm propter signũ castitatis conseruandæ. Vndè & Apostolus
1. cor. 12. dicit: Honesta nostra nullius egent: Quæ autem inhonesta sunt, his abundantiorem honorem circundamus. Feminalibus non vtuntur noui sacerdotij pontifices, quibus est iniuncta seruandæ castitatis quotidiana necessitas, sicut est quotidiè offerendi concessa potestas: cùm pontifices vmbræ seruientes, expleta vice sua, feminalia sua soluerent, tempore vicis suæ tamen ea induerent. Reliqua duo, poderis & zona, veteribus & nouis sacerdotibus fiunt indumenta communia: quamuis zona nostrorum sacerdotum nõ sit quatuor intexta coloribus, aut propter penuriam materiarum, aut propter absentiam artificum: vndecumq; tamen sit, & hæc & illa vnum gerunt temperantiæ typum. Sequitur quartũ indumentum, tunica interior, vel hyacinthina, qua & in veteri & in nouo testamento soli vtuntur pontifices. Duabus enim tunicis meritò induitur pontifex, quia debet de thesauro suo proferre noua & vetera, id est, legem intelligere secun-
Matt. 13. dum literam, quemadmodum ante aduentum Christi obseruabatur, & secundùm spiritum, quemadmodum post aduentum Christi intelligitur: vndè & secunda tunica interior appellatur vel hyacinthina, cuius color cæli serenitatem imitatur: vt per hoc intelligatur, quia pontifex plus debet de cælestibus cogitare, quàm de terrenis. Rectus quippe ordo est, vt primùm studeamus mũditiæ carnis, per quam veniamus ad munditiam cordis, quæ nos proueha t ad intellectum diuinitatis, iuxta illud:
Matt. 5. Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt. Quinta vestis est superhumerale, quę Hebraicè vocatur * ephot. Hæc vestis, sacer- *ephod
dotalis simul & pontificalis apud nos est. apud Hebræos verò, tantùm pontificalis, & apud eos eisdem est variata coloribus, quibus & zona pontificalis, de qua dicitur in ordinatione pontificis: Et circumcinxit eum (de Moyse loquens) secundùm factură humeralis. Humeri quippe fortes sunt ad agenda opera, & portanda onera, quæ ex circumductione humeralis, suis ligaturis constringuntur, quia pontificem & innocẽtia & operibus iustitiæ oportet esse constrictum, vt in eo nihil inueniatur dissolutum, nihil remissum. Quod verò significant varij colo-

Universidad de Deusto
Biblioteca

colores in zona, idem significant in superhumerali: quia quicquid de terrenis operamur, siue in largitione, siue in restrictione temporalium, totum sumimus ex contemperantia quatuor elementorum. Vndè est, quòd quaternarius deciès ductus, surgat in quadragenarium, quia elementorum quatuor abundantia legitimè dispensata, quod significat denarius, ad verum perducit iubilæum, qui exhibitione acquiritur bonorum operum. Quadragenarius enim numerus partibus suis denominatis quaquagenarium facit. Quo numero in lege supradictus iubilæus, id est, remissionis annus exprimitur, veram præfigurans libertatem, quam qui adeptus fuerit, nullam timebit vlterius seruitutem. Huic bonorum operum significationi concinit, quòd in humerali duobus preciosis lapidibus insculpta erant nomina duodecim Patriarcharum, sex in vno, & sex in altero: quorum alter superpositus erat dextro humero, alter sinistro. Nihil horum vacat à mysterio. Senarius enim propter sui perfectionem, opera iustitiæ significat: Nomina Patriarchatum, memoriam Sanctorum, quam semper in exemplum bonorum operum habere debemus à destris & à sinistris, id est, in prosperis & in aduersis, significant. Et ideò illa nomina in lapidibus scribuntur: quia quod in lapide sculpitur, vix aut nunquàm indè aboletur. Nec illud vacat à mysterio, quòd pontifex cingitur secundùm facturam superhumeralis, quia secundùm opera sua vnicuique retribuetur. Quòd autem nostrorum Pontificum superhumerale non est tot coloribus intextum, nec est tam preciosis gemmis redimitum, nihil refert, cùm Christiana religio veritati seruiens, compendiosis figuris idem intelligi faciat, quod vetus obseruãtia sumptuosis.

Leu. 25.

Matt. 16.

Postquàm pontificis verenda velata sunt suis indumentis, postquàm cælestia iam cœpit meditari, postquàm iustitiæ operibus ornatus est, postquàm vtroque cingulo, vt in omnibus fortiter & perseueranter staret, confirmatus est, imponitur rationale pectori pontificis, quòd Græcè logion dicitur, per quod sapientia, quæ in ratione consistit, indicatur. Imponitur rationali manifestatio & veritas. Manifestatio ideò, quia non sufficit pontifici habere sapientiam, nisi etiam possit manifestare quæ nouit, & reddere rationem de ea, quæ in nobis est, fide & spe. Veritas verò, quia non debet pontifex de suo corde prophetare, sed ea tantùm quæ veritas habet, manifestare. Sunt autem adinuicem concatenata rationale & humerale: quia cohærere sibi inuicem debent ratio & opera: vt quod mentis ratione concepimus, opere impleamus. Et notandus est ordo rerum: quia nõ prius rationale, quàm humerale: quia non prius sapientia quàm operatio, sed prius opera, deindè sapientia. Vndè habetur in Psalmo: A mandatis tuis intellexi: & de Domino Iesu dicitur, Quæ cœpit Iesus fa-

Pſal 118

Act. 1.

cere & docere. Deindè non prius manifestatio, quàm rationale: quia nemo docere debet quæ non nouit. Huic ordini concordat Prophetа cùm dicit: Seminate vobis ad iustitiam, & metite fructum vitæ, & illuminate vobis lumen scientiæ. In hoc pectoris ornamento duodecim lapides inserti erant, duodecim Patriarcharum nomina in se sculpta habentes: quia sanctorum Patrum exempla pontifex semper debet habere in memoria, & secundùm ea moderari facta sua. In duodenario autem numero lapidum, potest * significari Apostolica doctrina: quia & ipsi lapides per quatuor ordines sunt distributi, & terni & terni in singulis angulis rationalis positi. Quod Apostolicę doctrinæ benè congruit, quæ fidem Trinitatis per quatuor Euangelia in omni parte mundi prædicauit. Hic ornatus solius erat pontificis, sicut & nunc est apud eos, quibus eo vti concessum est, propter distantiam maiorum & minorum sacerdotum. Ita ornato pontifice, superponitur capiti eius mitra, quæ alio nomine cidaris vel tiara vocatur, qua regnum quinque sensuum, quo præminere pontifex debet, intelligitur. In capite enim vsus habetur omnium corporalium sensuum: quod cùm benè regitur, caput viri, id est, Christus decenter ornatur. Et quia caput Christi Deus est, Lamina aurea superponitur, cui insculptum est nomen Dei, quod Hebræi vocant ineffabile: vt per hoc intelligatur, Deum sicut omnium conditorem, ita esse rectorem: & ad honorem & gloriam eius esse referendum quicquid à Domini sacerdotibus benè fuerit dispẽsatum. Hæc indumenta, octo esse debere constituit Moyses in Exodo: sed in Leutico de eisdem indumentis tractans, de octauo, id est, seminalibus, tacuit. Vndè Hieronymus in epistola ad Fabiolam, scribit: Vbi refertur quomodò Moyses Aaron fratrem suum vestimentis pontificalibus induerit, de solis feminalibus nihil dicitur, hac, arbitror, causa: quia ad genitalia nostra & verenda, lex non misit manum, quia ipsi secretiora nostra * confessione digna tegere debemus & velare, & conscientiam puritatis Deo iudici seruare. De cæteris vero virtutibus, fortitudine, iustitia, humilitate, mansuetudine, liberalitate possunt & alij iudicare: Pudicitiam sola nouit conscientia, & humani oculi certi huius rei esse iudices non possunt, absque his, qui passim in morem brutorum animalium in libidinem feruntur. Vndè Apostolus: De virginibus autem præceptum Domini non habeo. Et in Euangelio cùm Dominus de eunuchis voluntariis & non volũtariis ageret, addidit in fine, Qui potest capere, capiat. Tãquàm diceretur: Feminalibus ego vos non vestio, nec impono alicui necessitatem. Qui vult sacerdos esse, ipse se vestiat, ipse se castitate muniat. Igitur ipsi assumamus feminalia, ipsi nostra * verecunda operiamus: non quæramus alienos oculos: ita tegantur genitalia, vt cùm intra-

* figurari

* & confessione digna tegere & velare debemus.

1. Tim. 3.

1. Cor 7.

Matt. 19.

* verenda

intramus sancta sanctorum, nulla appareat turpitudo, ne moriamur.

Notandum verò est, quòd minoribus sacerdotibus neque duplex tunica datur, neque humerale, neque rationale, neque lamina aurea, sed tantùm podéris, & mitra, & zona, qua strin gatur tunica byssina. Funguntur tamen sacerdotio, sed non illa sublimitate, qua funguntur, qui omnibus octo indumentis decorantur. Noui quoque testamenti sacerdotes non omnibus illis vtuntur indumentis, quia nec duabus vtuntur tunicis, nec rationali, præter solos pontifices: nulli autem lamina aurea, quia sicut dicit B. Hieronymus in supramemorata epistola, quod olim in lamina monstrabatur, nunc in signo Crucis ostenditur. Auro enim legis, sanguis Euangelij preciosior est.

Vtuntur autem tunica linea, quæ podéris dicitur, vel talaris, quæ omnium figurat castigationem membrorum, & zona quæ tunicam * stringit, quæ dissolutam & remissam prohibet esse castitatem. Vtuntur & superhumerali, per quod exiguntur opera iustitiæ à sacerdote, quia non sufficit temperantia, & à malo abstinentia, quæ superioribus duobus indumentis figurabatur, nisi opera iustitiæ & misericordiæ subsequantur. Vndè & in Psalmo dicitur: Desine à malo & fac bonum. Vndè ipsum humerale poderi * adstringitur. Vtuntur & stola, quæ alio nomine orariũ vocatur: qua vetus sacerdotium non vtebatur. Hoc tamquàm iugum bobus arãtibus vel triturantibus collo iuxta humeros superponitur, vt illud Euangelicum ab eis impleatur: Tollite iugum meum super vos, & discite à me, quia mitis sum & humilis corde: Iugum enim meum suaue est, & onus meum leue. Hæc à collo per anteriora descendens, dextrum latus ornat & sinistrum, vt doceat sacerdotem per arma iustitiæ à dextris & à sinistris, id est, in prosperis & aduersis, debere esse munitum: quod ad fortitudinem pertinet, sine qua cæteræ virtutes facilè expugnantur, & minimè coronantur. Vndè dicit Apostolus: Patientia vobis necessaria est, vt reportetis repromissiones. & in Euangelio Dominus: Qui perseuerauerit vsque in finem, hic saluus erit. Indè est quòd stola cum zona podéris quibusdam nexibus colligatur: quia virtutes virtutibus adiuuantur, nè aliquo tentationis impulsu moueãtur. His omnibus indumentis superponitur casula, quæ alio nomine planeta vocatur: quæ quia communis est vestis, charitatem significat, quæ vniuersis virtutibus superponitur: quia cæterę virtutes nihil sine ea vtile operantur. Vndè dicit Apostolus: Et adhuc excellentiorem viam do cebo vos: Æmulamini charitatem. Et quàm inutiles absque ea sint cæteræ virtutes, subsequenter approbatur, cùm præcipuas virtutes, scientiam scilicet linguarum, distributionem rerum propriarum, ipsum quoque martyrium sine ea nihil * esse confirmat. Et ideò prudentiæ ponitur loco, quia plenitudo legis est dilectio: & quia mentibus benè compositis, & diuino cultui mancipatis, frequenter subrepit acedia, oportet vt ad eam frequenter detergendam, diligens adhibeatur vigilantia, qua ab oculis cordis emergens talis sæpè mundetur pituita. Vndè in sinistra manu ponitur quædam mappula, quæ sæpè fluentem oculorum pituitam tergat, & oculorum lippitudinem remoueat. Hæc quippe ornamenta, vt dictum est, non sunt ipsæ virtutes, sed virtutum insignia, quibus tamquàm scripturis admonentur vtentes, quid debeant appettere, quid vitare, & ad quem finem sua facta dirigere. Adiciendum est supradictis, quia Leuitæ suo modo vtuntur supramemoratis indumentis, idem significantibus, quod significant in presbyteris. Vtuntur Leuitæ Dalmatica, quæ propter sui latitudinem, curam proximorũ significat, quod significabat in presbyteris casula, quia vtrorumque istorum ministrorum, ad implendam dilectionem, eadem debet esse custodia.

Pſal. 33.

1. pet. 3.

* affigitur

Matt. 11.

Heb. 10.

Matt. 10. & 24.

1. Cor. 12.

* valere.

Vtuntur Episcopi & Cardinales presbyteri sandaliis, quæ calceamenta sunt prædicatorũ. Habent autem * ad terram soleam integram, nè pes tangat terram: supra verò constat ex cotio, quibusdã locis pertuso: quia Euangelium non debet terrenis commodis inniti, nec omnia * Euangelica sacramẽta omnibus reuelari, nec omnibus, abscondi. Vndè & Dominus discipulis ita dicebat: Vobis datum est nosse mysterium regni Dei: cæteris autem in parabolis, vt videntes non videant, & audientes non intelligant. Hanc sandaliorum significationem Propheta intelligebat, quando dicebat: Quam specioſi pedes annunciantium pacem, euangelizantium bona.

* à terra

* Ecclesiastica Matt. 13.

Esa. 52. Rom. 10.

Antequàm induantur sandaliis, vestiuntur caligis byssinis vel lineis, vsque ad genua protensis, & ibi benè constrictis: per quas significatur, quia debent rectos gressus facere pedibus suis: & genua debilia, id est, negligentiis resoluta, roborare, & sic ad prædicandum Euangelium festinare. Vnguntur præterea manus presbyteris & episcopis, vt cognoscant se in virtute sancti Spiritus hoc sacramento gratiam consecrandi accipere, & opera misericordiæ erga omnes pro viribus exercere debere. Episcopo verò specialiter caput vngitur, vt intelligat se esse illius vicarium, de quo dicitur in Psalmo: Vnxit te Deus Deus tuus oleo lætitiæ præ consortibus tuis. Accipiunt hac vnctione claues regni cęlorum, vt quæcumque ligauerint super terram, sint ligata & in cælis: & quæcumque soluerint super terram, sint soluta & in cælo: & quorum peccata detinuerint, sint detenta: & quorum peccata dimiserint, sint dimissa. His ita de ornatu sacerdotali & pontificali breuiter prælibatis, admonendi estis, vt sicut sacramenta profunda audistis, sic ea studeatis & corde intelligere & opere implere. Nõ enim auditores legis iusti sunt apud Deum,

Pſal. 44.

Mat. 18.

Ioan. 20.

Rom 2.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Deum, sed factores. Potest enim vnusquisq; A vestrum intra se regale habere sacerdotium & sacerdotales ornatus, si quem abluerit & mundum fecerit legis obseruatio, & si gratia baptismi, & vnctio chrismatis illibata permanserit, & si indutus duplicibus indumentis, literæ scilicet & spiritus, fuerit: & si in his fortiter accingatur, vt sit castus mente & corpore, si etiam superhumerali operum iustificetur, si stola fortitudinis à dextris & à sinistris muniatur, si plenitudine sciétiæ, quam planeta significat, cumuletur: potest, inquam, ità ornatus intra Dei templum, quod ipse est, verum habere sacerdotium. Qui autem nec sacris vestibus induti, nec honestis moribus ornati, ad altare Dei accedere præsumpserint, sicut filij Aaron, Leuit. 10. Nadab & Abihu, igne alieno, quem offerebant ante Dominum, consumpti sunt: ita isti non diuina ordinatione, sed sua præsumptione sacerdotium sibi vsurpantes, cum his, qui Matt. 21. ad regales nuptias sine veste nuptiali intrauerunt, æternis ignibus sunt cruciandi. Vndè dicitur in Leuitico: & dixit Dominus ad Moysen: Loquere ad Aaron fratrem tuũ, nè intret Leu. 16. omni hora in sancta interiora, vt non moriatur. Vndè ostenditur, quòd si inordinatè intraret sancta sanctorum, non præparatus, non indutus sacerdotalibus indumentis, non propitiato sibi prius Deo, morietur: & meritò, tamquàm qui non fecerit ea, quæ oportet fieri, antequàm accedatur ad altare Dei: ad omnes enim nos pertinet, nos omnes instruit lex Dei, vt sciamus quomodo debeamus accedere ad altare Dei, & offerre, scilicet vt deponamus vestimenta sordida, id est, carnis immunditiam prauitatem morum, inquinamenta libidinum. Vndè & in eodem Leuitico, cùm D enumerasset Dominus vestes, quibus induendus erat Aaron & filij eius, adiunxit: Vestíes Exo. 28. his omnibus fratrem tuum, & filios eius cũ eo & cunctorum consecrabis manus, sanctificabisque illos vt sacerdotio fungantur mihi. Sequitur: Et vtentur eis Aaron & filij eius, quando ingredientur testimonij tabernaculum, quando appropinquabunt ad altare, vt ministrent in sanctuario, nè iniquitatis rei moriantur. Ex his omnibus colligitur, quanta sit dignitas sacerdotalis ministerij, & quanta esse debeat sanctitas ministrorum: quam qui habuerit, sacerdotij merito non carebit. Qui verò non habuerit, & sacerdotij officium vsurpauerit, meritò cum supramemoratis præsumptoribus interibit. Multa de sacerdotij dignitate, multa de indumentorum sacerdotalium mystica pulchritudine, vitátes prolixitatem sermonis, præteriuimus: hoc intendentes, quia ad ædificationem morum, & ad vtilitatem audientium ista sufficiunt.

SERMO EIVSDEM DE Sacramentis dedicationis.

QVoniam ad dedicationem præsentis Basilicæ hodiè deuotè conuenistis, oportet, vt, quod in his sanctis manufactis fieri videtis, totum impletum esse in vobis cognoscatis. Primò enim manibus patrinorum ad Ecclesiam fuistis allati, & sacerdotibus vel exorcistis ad catechizandum obla ti. Qui dum vos catechizarent, dum Christi B legibus initiarent, de massa antiqua prauaricatione corrupta, præcidebant: & ipsa fidei professio, & prauorũ morum abrenunciatio, quæ à vobis exigebatur, interiorem parturiebat in vobis nouitatem, qua Christi imaginem de cælo portaretis, renati per gratiam, sicut antea portaueratis imaginem terreni parétis, ex eo geniti per naturam. His documentis instructi, accessistis ad aquam, & fonte salutis abluti estis, vbi secundùm Apostolum per trinam mersionem Christo consepulti estis: vt quemadmodum ipse semel carne est mortuus, C & resurgens ex mortuis, iam non moritur: ita vos à peccatis abluti, & prima resurrectione regenerati, morti animæ, id est, peccato, non subiciamini. Deindè oleo sancto vncti fuistis in capite, vt charitas, quæ per Spiritum sanctum datur, semper abundet in corde, secundum illud verbum Sapientiæ: Oleum de capite tuo numquàm deficiat: Vndè & Apostolus, Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris, per Spiritum sanctum, qui datus est nobis. Datus est tamen & idem Spiritus, cùm aquis salutaribus abluerémini: sed ibi ad præteritorũ criminum remissionem, hìc verò ad ædificandam in cordibus vestris Dei & proximi dilectionem. Hæc charitas in Christi corpore non prefert indigenam alienigenæ, non nobilem ignobili, non virum mulieri: sed omnes per adoptionem spiritus facit filios, quicumque per eumdem Spiritum clamant, Pater noster, Matt 6. dimitte nobis debita nostra. In hoc ergò Christi corpore ille solus habetur sublimior, qui fuerit in Dei amore potentior: Accepistis eniã oleum sanctum in pectore, vt vigeret in corde vestro sapientia. Accepistis & in humero dextro, vt in exercitiis bonorum operum indeficiens seruetur patientia: neque aliquando nouerit sinistra vestra, quid *faciat dextera vestra. Quia verò in humeris vigor constat portandi oneris, huius partis vnctione Christi athletę dedicati estis, vt sciatis vos ad certamen esse vocatos: & per totum vitæ vestræ cursum, contra antiquum hostem publicis & priuatis congressionibus esse pugnaturos. Data est vobis ad vltimum vestis candida, caput & membra cooperiens, quæ candore suo figurã præferebat, acceptę nouitatis, & spem futurę immortalitatis, ad quam de spe ad speciem venietis, si cum veste candida, id est, vitę innocentia, Rom. 6. Eccles 9. Rom. 5. * fecerit

nocentia, ad nuptias regis intraueritis. His ergò sacramentis initiati & confirmati, facti estis templum Dei viui, fundati in fide superædificati in charitate, cumulati spe de promissa æternitate.

¶ His igitur de spirituali templo Dei breuiter prælibatis, nunc ad ea quæ in his visibilibus templis aguntur, sacramenta veniamus, & ea latius exponentes, prout Dominus donauerit, cum superioribus conferamus. Primò enim lapides, qui ad hanc fabricam ædificandam comportati sunt, aut de montibus sunt præcisi, aut de locis subterraneis eruti, aut de B agris collecti. Adhibita est dehinc cæmentariorum manus, quæ tundente frequenter ferro, superiecta regula, scrupulositatem & informitatem lapidum complanaret, & ad debitam quadraturam, qua maiores minoribus in paritate comparari possent, artis suæ disciplina perducerent. Videmus hæc in sancto Dei templo spiritaliter impleta, cùm vos de omni genere hominum, sublimium, humilium, mediocrium, ad audiendum verbum vitæ conuenistis, & cælestis disciplinæ dolabro tortitudinem veteris vitæ deponere voluistis, vt in Dei C ædificio tamquàm perpoliti lapides ordinari possetis, vbi iam nõ aspernaretur nobilis ignobilem, diues pauperem, quem cognosceret secum in cælis eumdem habere patrem. Addita est etiam complanatis lapidibus, cum in paribus ad ordinem vnius lineæ collocarentur, sicut nostis, cæmenti glutinosa tenacitas, quæ lapides inuicèm constringeret, & ab imposito sibi ordine separari non permitteret, quamuis alicubi maior minori suppositus videretur, alicubi verò minor maiore premeretur: & hoc in templo non manufacto fieri videmus, cùm D eos quos congregat fidei vnitas, ligat indissolubilis charitas: nè indignetur maior de prælatione minoris: nè conqueratur minor de *correptione maioris, cùm dicat Apostolus: Inuicem onera vestra portate, & sic adimplebitis legem Christi. Ædificato itaque templo, & quasi in vnius lapidis formam cæmento constringente redacto, vt templum Dei nomen & honorem habere mereatur, ad commendandum baptismi sacramentum, per quod in eodem templo noui populi creandi sunt, ipsum templum primum suo modo & suo ordine baE ptizamus, & deinceps multiplici sacramentorum sanctitate dedicamus. Primò itaq; aquam benedicimus, cui & sal admiscetur. Aqua etenim pœnitentiæ figuram gerit, quæ velut aqua, peccatorum maculas abluit: quam tunc benedicimus, cùm virtutem pœnitentiæ populis ad fidem venientibus prædicamus. Vndè & Petrus quibusdam corde cõpunctis, in Actibus Apostolorum dicit: Pœnitentiam agite, & baptizetur vnusquisque vestrum. Cui admiscetur sal, id est, Euangelica doctrina, fluxa auditorum corda suaui *mordacitate constringens, & ad conseruandam vitæ nouitatem sapienter com- Act. 2. * correctione Gal. 6. * moderatione.

A ponens. Ista aqua ad quandam baptismi imaginem gyrando Ecclesiã tunc exterius adspergimus: quia ubi more baptizatorum non potest fieri trina mersio, necesse est, vt qua possumus sacramẽti similitudine trina fiat adsper sio. Vnam enim habet hanc significationem trina mersio, & trina adsperſio, quia quicquid cogitatione, locutione & actione committitur, totum salutari fonte diluitur: Interim autem in circuitu dedicandæ ecclesiæ duodecim sunt accensa luminaria: quibus significatur, quòd commendanda sit lucens & ardens Apo- B stolica doctrina. Sic cùm templum à Salomone constructum, Domino iubente fuisset dedicatum, duodecim duces eadem munera detulerunt, sed ea singuli singulis diebus obtulerũt: hoc significante Spiritu sancto, quòd in ecclesiæ ædificatione doctrina Apostolica, vnanimis & concors esset prædicanda, & tamẽ quæque gens suum prædicatorem sortitura. Ad singulos verò circuitus accedit Pontifex ad ostium basilicæ, clero & populo subsequente: & percutit superliminare virga pastorali, cantando Antiphonam: Tollite portas principes Psal. 23. vestras, & eleuamini portæ æternales. Virga C enim pastoralis potestas intelligitur sacerdotalis, quam Dominus discipulis suis contulit, Matt. 10. quando eos ad prædicationem mittens, nihil Mar. 6. eos in via ferre nisi virgam tantùm permisit. Qua virga, sancti sacerdotes & solantur humiles, & terrent superbos, & feriunt impœnitentes. Quam potestatem à patre filius accepit, cùm per humilitatem assumptæ humanitatis, cælestium, terrestrium & infernorum dominatum accepit. Eamdem ergò potestatem Dominus suis largitus est præsulibus, cùm Petro & in eo ecclesiæ principibus, potestatem dedit, dicens: Tu es Petrus, & super hanc Petram ædi- Matt. 16. ficabo Ecclesiam meam: & quodcumque ligaueris super terram, erit ligatum & in cęlis: & quodcumque solueris super terram, erit solutum & in cælis. Cui ergò portæ inferi non prę- ualebunt, & cui ligandi atque soluendi in cęlo & in terra priuilegiũ traditur, constat quia & cælo & terræ & inferno principetur. Cùm ergò Pontifex superliminare futuræ Ecclesiæ virga pastorali, ter percutit, ostendit quia sibi cæli & terræ & inferi potestas cedit. Vndè & post trinam percussionem ostium aperitur, quia sacerdoti potestatem suam dignè conseruanti, pars aduersa resistere non potest. Nam ipsa ecclesia, antequàm pontifex eam ingrediatur, populi ignorantis, & perfidiæ tenebris inclusi figuram tenet. Huius populi ignorantis typum gerit, qui intus admonitionem pontificis quasi admirans, interrogat: Quis est iste Psal. 23. rex gloriæ? Imperat autem pontifex dæmonibus seu vitiis, dicendo: Tollite portas principes vestras, vt tollant portas suas, quatenus portę cęlestes, id est, virtutes eleuentur, per quas introeat rex glorię. Econtrariò portæ Ibidem. mortis, sunt peccata. Vndè & Propheta gloriatur

Universidad de Deusto
Biblioteca

Psalm. 9. triatur in Domino: Qui exaltas me de portis mortis. Sunt autem portæ, quæ eleuantur in Ecclesia, maximè tres, id est, sacri verbi prædi
*vnctio catio, baptismi gratia, chrismatis *honor: per quas rex gloriæ ad corda eorum qui ad fidem
Matt. 10. veniunt, intrat. Aperto verò ostio, intrat pontifex cum clero & populo, dicens: Pax huic domui: ter, quia Christus mundum ingrediens per assumptionem carnis nostræ, parietem inimicitiarum peccatis nostris erectum, destruxit: & pacem inter Deum & hominem, inter terrestria & cælestia sui aduentus mediatione reformauit. Pontifex ergò Ecclesiam ingrediens, pax huic domui, clamat: quia sancti doctores hoc intendunt, vt populus qui à Deo discordauerat per peccata, ei reconciliaretur per bonorum operum exercitia. Quòd verò, intrante pontifice Ecclesiam, clerus, sacerdos & leuitæ prostrati in terram, ad Dominū clamant, pro sanctificatione ipsius domus: Hoc
Ioan. 17. est quod Dominus ante passionem fecit, pro discipulis & cæteris fidelibus orans: Pater, sanctifica eos, quos mihi dedisti. Ità enim Paulus tamquàm Ecclesiam ingressus, cohortatur om
1. Tim. 2. nes ad orationem, dicens: Obsecro primùm omnium fieri orationes, postulationes, pro omnibus hominibus, & cætera. Pontifex ergò dum in nouā Ecclesiam, eam sanctificaturus, ingreditur, & statim ad orationem se confert, Apostoli vocem complet: qui primùm omniū pro omnibus hominibus orationem fieri monet: & ità adhuc eorum typum tenet, qui rudem populum docere incipiunt. Indè est quòd surgens ab oratione, nondùm salutat populū, dicendo, Dominus vobiscum: sed tantùm ad orationem cunctos hortatur, quia nouellus populus necdùm sacerdotis salutatione dignus videatur. Orandum ergò est pro talibus, qui nòdùm initiati sunt: non tamen salutandi sunt, quia non est eis consentiendum, vel applaudendum. Vndè ipsis prædicatoribus Dominus di-
Luc. 10. cit, vt neminem salutent in via: id est, neminē transitoria appetentem vana spe demulceant.
Quid signi ficet de scriptio alphabeti in basi lica. His completis, incipit pontifex de sinistro angulo ab oriente scribere per pauimentū alphabetum, vsque in dextrum angulum occidentis: atque iterùm à dextro angulo orientis, vsque in sinistrum angulum occidentalem basilicæ. Quid autem per alphabetum, nisi initia & rudimenta doctrinæ sacræ intelligi conuenit? Vn-
Heb. 5. dè Paulus ad Hebræos: Cùm deberetis esse magistri propter tempus, rursùm indigetis vt instruamini quæ sint elementa sermonum Dei. Scribit etiam pontifex quasi alphabeti ordinē, cùm docet fidei simplicitatem. Nam sicut parvulorum conuenit eruditioni, primùm literarum elementa cognoscere, deindè ad syllabas, ac post verba paulatim ad sententiarum cognitionem peruenire: sic sunt quidam gradus intellectus in eruditione sanctæ Ecclesiæ. Quòd verò ab angulo orientali sinistro in occidentalem dextrum prior versus desinit, & rursùs ab angulo orientali dextro versus, reuertitur in sinistrum occidentalem, duplici figuræ adgaudet. Quarum prima est, quia in tali schemate crux figuratur, vt doctrinæ Euangelicæ, qua simplices imbuendi sunt, mors Christi principaliter inseratur. Vndè Paulus Corinthijs ad-
1. Cor. 2. huc rudibus ità dixit: Nescíui me scire aliquid inter vos, nisi Christum Iesum, & hunc crucifixum. Sinister autē angulus orientalis, à quo primus versus incipit: populus intelligitur Iudaicus, ex quo ortus est Dominus. Peruenit autem vsque in angulum occidentalem: quia cū Dominus noster ex Iudæis sit ortus, fides incarnationis eius & mortis, à gentibus est suscepta. Sed cùm idem versus ab angulo orientali dextro, reuertitur ad angulum occidentalem sinistrum, hoc significari videtur, cùm plenitudo gentium introierit, tunc omnis Israel saluus
Rom. 11. erit. Vtriusque ergò populi collectionem illi duo versus significant in vnam crucis compagi
Gen. 48. nem. Hinc est quòd Iacob filijs Ioseph benedicens, & cancellatis manibus effigiem crucis faciens, dextram manum supra Effraim iunioris, sinistram super caput Manassæ maioris posuit: significans qa populus quondàm dexter, in sinistrum vertetur, sinisterque in dextrum. Quòd verò eadem scriptura virga pastorali peragitur, significatur quòd iste transitus de Iudæis ad gentes, & ea denuò conuersio quæ in fine mundi consummanda est, per officium sacerdotum perficietur. Dehinc pontifex ad altiora conscendit: & stans ante altare, DEVM sibi in adiutorium inuocat, velutì iam incipiēs operari. Nam præterita quasi quędam prœmia fuerunt. Dicit ergò, Deus in adiutorium
*vsque ad meum intende, & cętera *absque Alleluia. Hęc enim vox est in hac vita laborantium, & contra hostes visibiles & inuisibiles colluctantiū: & ideò Deum in suum adiutorium inuocantiū. Necdùm tamen laudibus Dei Alleluia adiungunt, quia adhuc in laboribus & sudoribus se esse conspiciunt. Alleluia enim non huius tēporis laudes, sed ętern̄ę vitę gloriā significat: vndè mos inoleuit, vt in diebus Septuagesimę ante Pascha Alleluia non cantetur, quia sunt dies luctus & pœnitentię. Pontifex ergò qui cum subditorum imperitia & contradictione adhuc certat, adiutorium quidem Dei postulat: Alleluia nondùm cum eis pleniter cantat, de quorū salute nondùm pleniter sperat. Postcà verò benedicitur aqua, commixto sale & cinere. Et aqua quidem significari populum testatur Apocalypsis, dicens: Aquę multę, populi
Apoc 17. multi. Sal autem doctrinā verbi diuini signat.
Leuit 2. Vndè in lege præcipitur: In omni sacrificio sal offeres: nec auferes sal fœderis Domini Dei tui de sacrificio eius. Quod est dicere: Non placent Deo illa opera, quę non condiuntur diuina sapientia. Cinis autem reliquias, id est, memoriam signat Dominicę passionis: quam significabat cinis vitulę adspersus, ad expiationem populi. Aqua ergò benedicitur, vt sanctificetur.

*scientia ficetur. Sal cùm cinere miscetur, cùm populus, vt sanctificari possit diuina *sapientia & fide Dominicæ passionis, instruitur. Fit autē crux ter super aquam & sale & cinere, cùm fidei diuinitatis & passionis, fides additur trinitatis. Huic ergò mixturæ & vinum additur cū aqua. Quæ duo geminam naturam significant in vna persona, diuinitatem scilicet & humanitatem.
*aperit Et est ordo intuendus. Primùm pontifex ostiū *intrat: deindè pro populo orat: post hoc, alphabetum scribit: indè aquam cum sale & cinere benedicit, cui vinum admiscet: quia vnusquisq; primùm sibi per confessionem portam salutis aperit, deindè est sacerdotis pro eo orare: post hoc primordia fidei ei tradere, & quasi catechumenum facere: deindè instrui, qualiter iungi possit corpori sui Saluatoris per sacram doctrinam: docere etiam, quia Christus Iesus Deus est & homo: postremò, sacro fonte purificari. Hoc idem significatum est in exteriori parietum adspersione, sed non ideo hìc fieri ad interiorem parietum adspersionem, superuacuum videri debet: quia quicquid in exteriori sanctificatione agitur, superstitiosum est, nisi in interiori homine compleatur. Post hæc tingit sacerdos digitum in aqua, & facit crucem per quatuor cornua altaris. Altare enim Ecclesiæ figuram prefert: quod per quatuor cornua distenditur, quia per quatuor mū
Gen. 28. di cardines dilatatur. Pro cuius typo Abrahæ dictum est, Dilataberis vsque ad Orientem & Occidentem, Septemtrionem, & Meridiem. Benè ergò crux de aqua fit per quatuor altaris cornua: vt ostendatur, omnem Ecclesiam esse mundandam à sordibus peccatorum per lauacrum aquæ & fidem passionis. Indè venit ante
Esa. 11. altare, & adspergit illud septem vicibus. Quo numero significatur plenitudo Spiritus sancti, id est, spiritus sapientiæ & intellectus, spiritus consilij & fortitudinis, spiritus scientiæ & pietatis, & spiritus timoris Domini. Adspergitur autem eadem aqua cum hysopo, quę herba est humilis, interiora pectoris purgans, & duritiam saxorum radicibus penetrans, cuius adspergine mundiriæ fiebant in lege. Significabat autem humilitatem Christi, qui superbiæ nostræ tumores, sui sanguinis adspersione sanauit. Aqua ergò cū hysopo adspergitur, cum baptismus Christi sanguine cōsecratus Ecclesiæ tribuitur. Circuit autem altare, spargendo eandem aquam, vt ostendat doctorem nō debere ocio vacare, sed eorum quos initiauerit, mundationi operam dare, & vt Dominus mit-
*eripiat tat angelū in circuitu eorum, qui eos *erudiat, semper orare. Circuit dehinc totam ecclesiam & adspergit parietes illius: vt demonstret, se omnem curam impendere omni ętati, omni sexui. Facit hoc idem secundò & tertiò, vt ostendat eos, qui baptizantur, non solùm esse mundandos à peccato cogitationis, sed etiam locutionis & operis. Canitur autem interim Psal.
Psal. 67. Exurgat Deus, cum antiphona, vt viribus destituantur, qui sacramentis fidei aduersantur. Cantāt etiam antiphonam, Qui habitat in adPsal. 90. iutorio altissimi, asserentes nullum à Deo protegi nisi eum, qui de viribus suis nihil præsumens, Dei adiutorium semper imploraucrit. Ipse tamen pontifex non debet quiescere, sed quasi conspicuus per mediam ecclesiam incedere, omnes suo exemplo informare, omnibus sacramēta crucis ac mortis Dñi intimare, & cā
Esa. 56. tare, Domus mea domus orationis vocabitur:
Matt. 21. videlicet, vt talem ecclesiā præparet, quæ non sit spelunca latronum, sed domus orationis, id est, non fures & latrones, sed qui benedicant Dominū omni tempore: qualiter versum subPsal. 21. sequentem possit liberè cātare, Narrabo nomē tuū fratribus meis, in medio ecclesiæ laudabo te. Hæc tunc benè pontifex agit, cùm omnia bona quæ inchoat, per Dei consilium consummari postulat. Vndè his peractis, Pontifex se ad orationē confert, petens, vt omnes, qui eandem domum oraturi intrauerint, exaudiros se esse gaudeant, vt ostendat pontifex se omniū subditorum curam cū Paulo gerere, & eorum
2. Cor. 11 memoriam se in orationibus suis frequentare. Completa expiatione, pontifex cōuertitur ad altare, incipiens Antiphonam: Introibo ad alPsal 42. tare Dei, cum Psalmo, & fundit quod remānsit de aqua purificationis, ad basim altaris: quia quod ipse nequit, Dño humiliter committit, purgationem scilicet subditorum, cui ipse tamquàm homo cooperari & collaborare potest: Interior autem & perfecta mundatio, solius est Dei. Hinc est, quod in sacrificiis veteris testamenti, sanguis hostiarum vel in cornibus altaris ponebatur, vel ex aliquibus hostiis digito sacerdotis contra Dominum aspergebatur: & quod reliquum erat, ad basim altaris fundebatur. Quia sacerdotum est, quicquid possunt, ad vtilitatem gregis sibi commissi facere: Quod autem vires suas excedit, Domino deuotissimè commendare. Quam formam primus pastor pastoribus reliquit, cum passioni appropinquans, patri dixit: Pater, serua eos in nomine tuo, quos dedisti mihi. Sic & Paulus in ar-
Ioan. 17. ticulo vitæ præsentis, quasi ad basim altaris aquam fundens, discipulos Domino commendabat, dicens: & nunc commendo vos Domino, & verbo gratiæ eius. Quod etiam innuit antiphona: dicit enim se introiturum ad altare Dei, id est, ad illud altare, quod significatur per istud visibile, ad quod non penetrat oculus carnis, sed pura intentio mētis: & hoc est quod
Psal. 42 sequitur, Ad Deum qui lætificat iuuentutem meam. Postea extergitur altare linteo: linum enim de terra ortum, magno labore ad candorem perducitur: ita caro Christi orta de terra, id est, B. Maria virgine, per angustias passionis peruenit ad honorē resurrectionis. Doctor itaque quasi linteo altare detergit, cum imitationē Dñicę passionis auditorum mētibus imprimit, dicens cū Apostolo: Christus passus est p
1. Pet. 2. nobis, vobis relinquens exemplū vt sequamini

Universidad de Deusto
Biblioteca

vestigia eius. Dum ergò doctor talia facit, quasi altare madidum labore humanitatis, abstergit linteo Dominicæ imitationis. Deindè * fit incensum, quod significat orationes Sanctorum, secundum quod Ioannes dixit de angelo, quòd data sunt ei incensa multa, vt daret de orationibus Sanctorum super altare, quod est in conspectu Domini. Post effusionem ergò aquæ ad basim altaris, extergitur altare linteo, & offertur incensum: quia necesse est, vt sacerdos, qui salutem populi sibi commissi Domino commendat, & per afflictionem corporis & per intentionem illud agat piæ intercessionis. Vndè & Dominus, postquàm discipulos patri commendauit, mox subiturus passionem pro ipsis orauit. Interea mittit pontifex oleum, super altare in medio altaris crucem ex eo faciēs, & super quatuor angulos altaris. Est quidem satis congruè ordo seruatus, vt post emūdationem per aquam, & reliqua quæ dicta sunt, perfundatur oleo altare: quia & sācta Ecclesia prius aqua mundatur in fonte baptismatis, & sic vnctione insignitur per manus pontificis, vt Spiritus sancti in se mereatur aduentum. Nam oleum gratiam significat Spiritus sancti, quo charitas diffunditur in cordibus electorum ad diligendum Deum & proximū. Dehinc insignitur altare sacrosancti chrismatis vnctione, & interim cantatur antiphona: Vnxit te Deus oleo lætitię præ cōsortibus tuis: vt hac vnctione intelligamus plenitudinē gratiæ, quæ præcessit in capite, & postea refulsit in corpore, cùm misso desuper spiritu, data est Apostolis manifesta charismatum gratia, de qua dicit Apostolus: Omnes de plenitudine eius accepimus, gratiam * per gratiam, id est, per gratiā fidei diuersa charismata. Hinc est, quòd de consecrato altari chrismantur in parietibus illę duodecim cruces, quæ typum gerunt Apostolicū, qui & primitias spiritus acceperunt, & crucis mysterium populis & gentibus manifestare studuerunt. Peracta deniq; consecratione, albis velaminibus cooperitur altare, quibus & sacramentum intelligitur nouitatis, & prænunciatur, sicut, cùm de baptizatis loqueremur dictum est, gloria futuræ incorruptionis. Huius enim templi non manufacti, tunc vera & plena erit consecratio, cùm passibile hoc induerit impassibilitatem, & mortale hoc acceperit immortalitatem: & completum fuerit in corpore, quod iam præcessit in capite. Vndè in Psalmo, qui iam intitulatur, In dedicatione domus, ex voce mediatoris tam pro se, quàm pro membris suis, ita continetur: Conuertisti planctum meum in gaudium mihi: consscidisti saccum meum, & circumdedisti me lætitia. Planctum, dicit mortalitatem nostram, quæ tamdiu defienda est, quamdiu peregrinamur à Deo, & differtur à nobis visio pacis, qua perfruentur, quibus suaue est dolere in doloribus, & ærumnis huius vitæ, & ad æternæ vitæ gaudia suspicare. Hic plāctus, hic dolor in gaudium vertitur, cum ad patriam, à qua nūc exulamus, peracta peregrinatione peruenitur. Vndè & sequitur: Conscidisti saccum meum. Saccus quippe ex lanis caprarum & hœdorum cōtexitur. Hœdi verò quia petulca animalia sunt, pro peccatoribus in scriptura ponuntur. Saccus ergò noster conscinditur cùm passibilitas & mortalitas humanæ naturæ de peccato veniens, in immortalitatem commutatur, & lætitia incommutabilis, de reparata immortalitate commutatur. & hoc est, quod sequitur, Vt cantet tibi gloria mea, cui suspirabat & flebat miseria mea: & non compungar, quia deleto in carne peccato, non punget conscientiam spina peccati: quæ tanto esset in recordatione tristior, quanto fuisset perpetratione iocundior: Domine Deus meus in æternum confitebor tibi, id est, æternas laudes de sempiterna gloria reddam tibi. Beati enim qui habitant in domo tua, in secula seculorum laudabunt te. Huic tam iocundæ tamq; festiuę dedicationi gaudens festiuusq; intererit, qui in hoc templo manufacto, accepta veste nuptiali tēplum Dei, quod ipse est sanctū inuiolatumq; vsque ad hanc æternam inuiolabilemq; dedicationē custodierit. His igitur breuiter declaratis, fraternitatē vestrā cōmonemus, vt qđ audistis, corde credatis, & opere implere studeatis. Præstāte Dño nostro Iesu Christo, cui est honor & gloria in secula seculorū. Amen.

* offert incensum. Apoc. 8.

Ioan. 17.

Rom. 5.

Pſal. 44.

Act. 2. Ioan. 1. *pro gratia

Pſalm. 29.

Ibid.

Matt. 25.

Pſal. 29.

Ibid.

Pſal. 83.

DE CONVENIENTIA veteris & noui sacrificij, Iuonis Carnotensis Opusculum.

BEneficia, quæ pro saluandorū reconciliatione Saluator in terris exhibuit, longè antè Patriarcharū ænigmatibus prefignata, prophetarum visionibus & oraculis prænunciata, ex parte commemorare proposui: quę licèt ecclesia Dei suis temporibus annua celebritate recordetur, in quotidianis tamen Missarū sacramentis, eadé pia deuotione cōmemorat, vt per fiduciā exhibitorū, * fideliter interpellet mediatorē, vel ad impetrandā indulgentiā commissorum, vel ad consequendum præmia meritorū. Hæc, inquā, ex parte commemorare proposui, quia cuncta colligere & vires meas excedit, & fastidiosis auditorum mentibus non expedit. Quæ autem dicturus sum, ad hoc intendunt, vt mediante * ecclesiastica veritate pateat, qualiter conueniant vetera sacramenta cum nouis, cùm Ecclesia eadem sacramēta qua potest imitatione, ex Euangelica traditione sacro ritu honorat, & testificatur esse præteritum, quod vetera sacramenta prænūciauere venturū. Colligamus ergò aliqua necessaria de veterū libris, q̄ Christū & Ecclesiā præloquūtur, vt cū ea in Christi

* fidenter

* euāgelice

Christi Natiuitate, Passione, Resurrectione, Ascensione, & Spiritus sancti missione completa viderimus, tunc facilius vtrorumque sacramentorum concordiam intelligere possimus, cum quod illa futurum fatētur, hæc, prout Dominus instituit, imitentur. quæ ergò diximus, appositis testimoniis, ostendamus, vt primò vmbram cum veritate cōsonare videamus. Ac primò veniat Moyses in medium, in rubo succenso, & non combusto cum Deo loquēs. Quo facto figuratur, quia de populo Iudaico peccatorum spinis obsito, ille erat exiturus, qui in igne Deitatis, carnis nostræ peccata, quasi rubi spinam acciperet, & inconsumptam nostræ humanitatis substantiam, etiam in ipsa diuinitatis flamma seruaret. Item apud eundem virga Aaron, quæ post ariditatem floruit, & nuces protulit, Christus est, qui nullo extrinsecus infuso humore, de carne virginis genitus, amaritudinem passionis in carne tanquàm in cortice pertulit, & Sanctorū mentes internę dulcedinis suæ gustu, tamquàm nuclei dulcedine pascit. Dehinc in libro Iudicum, quid in vellere Gedeonis compluto intelligitur, nisi quod psalmus de Christi natiuitate prædixit, Descendet sicut pluuia in vellus: Christū significans virgineis visceribus se cælitus infudisse sine strepitu, sine carnis corruptione: quippe qui matris viscera non vulnerauit, sed mundando sacrauit. Hæc de multiplicibus futuræ Christi Natiuitatis velut oraculis, pauca huic opusculo inseruimus: nunc ad ipsa prophetarū pręconia veniamus, præteritis signis, & Euangelicę veritati consonātia: quibus prēnunciatū est, Christū de virgine nasciturū, & nouū testamentū, & nouū sacerdotiū Iudeis & Gētibus allaturū. Primus. n. Moyses dicit: Prophetā suscitabit vobis Deus ex fratribus vestris: ipsum audietis tāquàm me. Quòd ipse Christus in principio verbum sit, & Deus apud Deum, testatur Psalmus, dicens: Eructauit cor meum verbum bonum, dico ego opera mea regi. Et alius Psalmus: Verbo Dei cæli firmati sunt, & spiritu oris eius omnis virtus eorum. Quòd idem Christus Dei filius, Dei sit sapientia, & de sacramento incarnationis eius, passionis, & calicis, & altaris & Apostolorum, qui missi prædicauerunt, apud Salomonem legitur in Parabolis: Sapientia ædificauit sibi domum, & subdidit columnas septem: mactauit hostiam suam, & miscuit in crateræ vinum suum, & parauit mensam suā, & misit seruos suos, conuocans cū excelsa prædicatione ad crateram, dicens: Qui est insipiēs, declinet ad me: & egentibus sensu, dicit: Venite, edite de panibus meis, & bibite vinū, quod miscui vobis. Derelinquite insipientiam, & quærite prudentiam, & corrigite scientiæ intelligentiam. Quòd Deus venturus esset illuminator generis humani & Saluator, apud Esaiam: Consolamini pusillanimes, nolite timere: Deus iudicium retribuet: ipse veniet, & saluabit nos. Tunc aperientur oculi cæcorum, & aures surdorum * audient. Quodq; cùm esset à principio Dei filius, generationem denuò habiturus esset secundùm carnem, ita habetur in Psalmo: Dominus dixit ad me, filius meus es tu, ego hodie genui te. Item quòd nasciturus esset de virgine, apud Esaiam: Ecce virgo concipiet & pariet filium, & vocabitur nomē eius Emanuel.

* patebunt

Exo. 3.

Num. 17.

Iudic. 7.

Pſal. 71.

Deut. 18.

Pſal. 44.

Pſal. 32.

Pro. 9.

Esa. 35.

Pſal. 2.

Esa. 7.

Itē quòd Christus Deus & homo, ex vtroq; genere sit cōcretus, vt mediator esse posset inter nos & Patrem, apud Hieremiam: Et homo est, & quis cognoscet eum. Item in Numeris: Orietur stella ex Iacob, & consurget homo de Israel. Itē ibi, Procedet homo ex semine eius, & dominabitur gentium multarum: & exaltabitur & augebitur regnū eius. Itē apud Esaiam: Spiritus Domini super me, eò q. vnxerit me, euangelizare pauperibus misit me. Item apud Esaiā: Et exiet virga de radice Iesse, & flos de radice eius ascēdet, & requiescet super eum spiritus Domini, spiritus sapientiæ & intellectus, spiritus consilij & fortitudinis, spiritus scientiæ & pietatis, & replebit eum spiritus timoris Domini. Item in Psalmo 131. Iurauit Dominus Dauid veritatem, & non frustrabitur eum: De fructu ventris tui ponā super sedem tuam. Quòd esset in Bethleem nasciturus, apud Michæā: Et tu Bethleem Effrata, nunquid exigua es in millibus Iuda? Ex te mihi procedet qui sit princeps apud Israel, & egressus eius à principio, à diebus seculi. In hunc modum multa de veteribus scripturis colligi possunt, quæ temporalē Christi natiuitatem prælocuuntur, & confirmandę veritati Euangelicæ contestantur. Quòd verō in aduentu Christi circūcisio carnalis euacuanda esset, & spiritualis successura, Moyses dicit: In nouissimis diebus circūcidet Deus cor tuū: & cor seminis tui, ad Dominum Deum tuum amandum. Item apud Iesum Naue: Et dixit Dominus ad Iesum: Fac tibi cultellos petrinos nimis acutos, & circūcide secundò filios Israel. Item apud Hieremiā: Hæc dicit Dominus: Viri Iuda, & qui inhabitant Hierusalē: Renouate inter vos nouitatem, & ne seminaueritis in Spinis: circūcidite vos Deo vestro, & circumcidite præputia cordis vestri, nè exeat sicut ignis ira mea, & non sit qui extinguat. Quòd lex prior, quæ per Moysen data est, cessatura esset, apud Esaiā: Tunc manifesti erunt, qui signant legē, ne discant, & dices, expecto Dūm, qui auertit faciē suam à domo Iacob, * confidēs ero in eū. Quòd lex noua danda esset, apud Michæam: Lex de Sion proficiscetur, & sermo Domini de Hierusalem, & iudicabit plurimos populos. Itē apud Esaiam: De Sion procedet lex, & verbum Dñi de Hierusalem, & iudicabit inter gentes. Itē apud Hieremiā: Ecce dies venient, dicit Dñs.

Non de naturarum cōfusione & commixtione, quod est nefandū Eutychis dogma, sed de personarum vnitate, hæc contra Nestorium accipiantur, vt Christum vnam in diuinitate & humanitate personam, ex vtroque genere concretum esse, hoc est, constare ex diuinitate & humanitate, hoc est, Deum & hominem esse, dicere voluerit, inconfusa Dei & hominis substantia permanente.

Matt. 2.

Hie. 17.

Num. 24.

Esa. 61.

Luc. 4.

Esa. 11.

Mich. 5.

Matt. 2.

Deut. 30.

Ios. 5.

Hier. 4.

* fidens

Mich. 4.

Esa. 2.

Hier. 31.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Dominus, & consummabo super domum Israel, & super domum Iuda testamentum nouũ, non secundum testamentum quod disposui patribus eorum in die, qua apprehendi manum eorum, vt educerẽ eos de terra Aegypti. Quòd sacrificium vetus * expelleretur, & nouum celebraretur, apud Esaiam dicitur: Quò mihi multitudinem sacrificiorum vestrorum, dicit Dominus? Plenus sum holocaustamate arietũ & pinguedine agnorum, & sanguinem taurorum & hircorum nolo. Item apud Malachiam: Non est mihi voluntas circa vos, dicit Dominus: & sacrificium acceptum non habeo de manibus vestris: Quoniam à solis ortu vsque in occasum clarificatum est nomen meum apud gẽtes, & in omni loco odores incensi offeruntur nomini meo, & sacrificium mundum, quoniam magnum est nomen meum apud gentes. Item in psalmo centesimo * vndecimo: Ante Lucifer um genui te: Iurauit Dominus, & non pœnitebit eũ, tu es sacerdos in æternum secundùm ordinem Melchisedech. Item in libro Regum dicit Dominus Deus ad Heli sacerdotem: Suscitabo mihi sacerdotem fidelem, qui omnia quæ sunt in corde meo, faciet, & ædificabo ei domum fidelem, & transibit in conspectu Christorum meorum diebus omnibus. Et erit qui remanserit in domo, veniet adorare in obolo pecuniæ, & pane & vino. His locutionibus propheticis de Christi natiuitate & prædicatione, & Apostolorum missione, & sacerdotij mutatione præmissis, addamus aliqua de eisdem auctoribus prolata, Christi passionem & resurrectionem præloquentia. Inseramus etiam principalia veterum sacrificia, quæ in exteriori tabernaculo offerebantur, in idipsum consonantia, vt deinceps commodiùs aptare possimus sacerdotio veteri & Euangelicę veritati nostra sacramenta. Primò itaque in Genesi morte Abel, mors Christi figuratur: quia sicut ille à fratre maiore occiditur in campo, ità Christus caput minoris populi natù, à Iudaico populo maiore natù occiditur in caluariæ loco. Item in Genesi, quis per immolationem filij significabatur in Abraham, nisi pater excelsus? Quis in Isaac, nisi Christus? Nam sicut Abraham vnicum filium suum & dilectũ, victimam Deo obtulit: ità Deus pater proprio filio suo non pepercit, sed pro nobis tradidit illum: & sicut Isaac ligna sibi portauit, in quibus erat imponendus, ità Christus portauit lignum crucis suæ in humeris, in qua erat crucifigendus. Asinus autẽ, qui hæc portabat, insensata est stultitia Iudæorum, quæ portabat omnia nostra sacramenta, & nesciebat. Sed quid significat aries in vepribus hærens cornibus, nisi Christum, qui & ouis dicitur, cuius caro, intacta diuinitate, cruci affigitur? inter spinas enim Iudaicorum peccatorum suspensus est. Quem Samson in libro Iudicũ præfigurabat, q in Gaza ciuitate Philistinorum clausus, & diligenti custodia circunseptus, media nocte portas tulit, & non solũ liber exijt, sed etiã montis verticẽ ascendit? Hoc facto quẽ significat, nisi Christũ, qui ante lucẽ resurgens, nõ solùm de inferno liber exijt, sed & ipsa inferni * claustra destruxit, & cælorum alta penetrauit? Quòd humilis in primo aduentu suo veniret, apud Esaiã: Dñe, qs credidit auditui nostro? Et brachiũ Dñi cui reuelatũ est? Annunciauimus corã ipso sicut pueri, sicut radix in terra sitienti: non est figura ei, neque claritas: & vidimus illũ, & non habuit figurã neque speciẽ: sed figura eius sine honore, & deficiens præter cæteros homines: homo in plaga positus, & sciens ferre imbecillitatẽ, ꝙa auersa est facies eius: inhonoratus est, & non est cõputatus. Hic peccata nostra portat, & pro nobis dolet: & nos putamus esse illũ in dolore, & in plaga, & in vexatione: Ipse autẽ vulneratus est propter facinora nostra, & infirmatus est propter peccata nostra; doctrina pacis nostræ super illũ: liuore eius sanati sumus, omnes sicut oues errauimus. Homo à via sua errauit, & Dñs tradidit illũ ꝓ peccatis nostris, & ipse ꝓptereà quod vexatus est, non aperuit os suũ. Itẽ apud eundẽ dicit: Non sum contumax, neq; cõtradico: dorsũ meũ posui ad flagella, & maxillas ad palmas: Faciẽ autẽ meã nõ auerti à fęditate sputorũ: & fuit Deus auxiliator meus.

Quòd ipse sit iustus iudex, quem Iudæi occisuri essent, in sapientia Salomonis dicitur: Circunueniamus iustum, quoniam insuauis nobis, & contrarius est operibus nostris, & exprobrat nobis peccata legis: promittit se scientiã Dei habere, & filium Dei se nominat: factus est nobis in * traductionem cogitationum nostrarũ: grauis est nobis ad videndum, quoniam dissimilis est aliis vita illius, & mutatæ sunt viæ eius: Tãquàm nugaces æstimati sumus ab illo: continet se à vijs nostris tãquàm ab immunditijs: & præfert nouissima iustorum, & gloriatur se habere patrem DEVM. Videamus ergò si sermones illius veri sint, & tentemus quæ ventura sunt illi: contumelia & tormento interrogemus eum, vt sciamus reuerentiam illius, & ꝓbemus patientiam illius: morte turpissima condemnemus eum. Hæc cogitauerunt, & errauerunt. Excæcauit enim illos malitia ipsorum, & nescierunt sacramenta Dei.

Quòd ipse dictus sit ouis & agnus qui occidi deberet: & de sacramento passionis, apud Esaiam: Sicut ouis * ad victimam ductus est, & sicut agnus coram tondente se sine voce, sic nõ aperuit os suum. In humilitate iudicium eius sublatum est. Natiuitatem autem eius quis enarrabit? Quoniã auferetur à terra vita eius. A facinoribus populi mei adductus est ad mortem, & dabo malos pro sepultura eius, & ipsos diuites pro morte eius: quia facinus non fecit, neq; insidias ore suo: Propterea ipse consequetur multos, & fortiũ diuidet spolia: propterea quòd tradita est ad mortem anima eius, & inter facinorosos deputatus est: & ipse peccata multorum * tulit, & propter facinora illorum traditus

* euacuatetur. Esa. 1.

Mala. 1.

* cix.

3. Reg. 2.

Gen. 4.

Gen. 22.

Rom 8.

Matt. 27.

Gen. 22.

Sap. 2.

* contradictionem

* pertulit

Iere. 11. traditus est. Item apud Ieremiam: Domine, significa mihi, & cognoscam. Tunc vidi meditationes eorum. Ego sicut agnus sine malitia, perductus sum vsque ad victimam: in me cogitauerunt cogitatum, dicentes: Venite, mittamus lignum in panem eius, & eradamus à terra vitam eius, & nomen eius nõ erit in memoria amplius. Item in Exodo Dominus ad Moysen: Accipiant sibi singuli ouem per domus tribuum, ouem sine vitio: perfectum, masculũ, anniculum ab agnis & ab hœdis accipietis: & occidẽt eum omne vulgus synagogę filiorum Israel ad vesperam: & accipient de sanguine, & ponent super duos postes & super limen in domibus, in quibus comedent carnes ipsa nocte assatas igni: & azyma cum * pigridiis edent. Non edetis ex eis crudam, nec coctam in aqua, nisi assatam igni. Caput cũ pedibus & intestinis vorabitis, nihil derelinquetis ex his in manẽ, & os nõ cõfringetis ex eo: quæ autẽ relicta fuerint de eo vsque in manẽ, igne crementur. Sic autẽ comedetis eum: Lumbi vestri præcincti, calceamentaq; vestra in pedibus vestris, & baculi vestri in manibus vestris: & edetis eum festinanter. Pascha enim est Dñi.

Esa. 65. ¶ Quòd cruci illum fixuri essent Iudęi, apud Esaiã: Expãdi manus meas tota die ad plebem contumacem, & contradicentem mihi, qui ambulant vias non bonas, sed post peccata sua.

Hier. 11. Item apud Hieremiam: Venite, mittamus lignum in panem eius, & eradamus à terra vitam eius. Item in Deuteronomio: & erit pendens vita tua ante oculos tuos: & timebis die & nocte, & non credes vitæ tuæ. Item in Psal. xxj. Effoderunt manus meas, & pedes meos dinumerauerunt omnia ossa mea.

Abac. 3. ¶ Quòd in passione crucis & signo virtus omnis sit & potestas, apud Abacuc: Texit cælos virtus eius, & laudis eius plena est terra, & splendor eius vt lux erit: cornua in manibus eius erunt, & illic constabilita est virtus gloriæ eius: & constituet dilectionem validam: ante faciem suam ibit verbum, & præcedet in campos secundùm gressus suos. Itẽ apud Esaiã: Ecce natus est vobis puer, & datus est vobis filius, cuius imperium super humeros eius: & vocatum est nomen eius maghæ cogitationis nũcius. Hoc signo crucis & Amalech victus est ab Iesu per Moysen.

Exo. 17.

Exec. 9. ¶ Quòd in hoc signo crucis salus sit omnibus, qui in frontibus notantur, apud Ezechielem Dominus dicit: Transi mediam Hierusalem, & notabis signo thau super frontes virorum, qui ingemunt, & mœrent ob iniquitates quæ fiunt in medio ipsorum. Item illic, Vadite & cędite, & nolite parcere oculis vestris, nolite misereri. Seniores, ac iuuenes, & virgines, & paruulos, & mulieres interficite, vt perdantur. Omnem autem super quem signum scriptum est, nè tetigeritis. Itẽ in Exodo Deus ad Moysen: Et erit sanguis vobis in signo super domos vbi eritis: & videbo sanguinem, & protegam vos, & non erit in vobis plaga diminutionis, cum percutiam terram Ægypti.

¶ Quòd medio die in passione eius tenebræ futuræ essent, apud Amos: Et erit in illa die, dicit Dominus, occidet sol meridie, & obtenebrabitur dies lucis: & conuertam dies festos in luctum, & omnia cantica vestra in lamentationem. Item apud Hieremiam: Exterrita est quę parit, & tæduit animã eius: subiit sol, & cùm adhuc medius dies esset, confusa est & maledicta. Reliquos eorum in gladio dabo in conspectu inimicorum suorum. Item in Euangelio: A sexta autẽ hora tenebræ factæ sunt per totam terram, vsque in horam nonam.

¶ Quòd à morte non vinceretur, nec apud inferos remansurus esset, in Psalmo xxix. Domine, eduxisti ab inferis animam. Item in Psalmo iij. Ego dormiui, & somnum cepi, & surrexi, quoniam auxiliatus es mihi. Item in Euangelio sancti Ioannis: Nemo auferet animam meam à me, sed ego à me pono eam: & potestatem habeo ponendi eam, & potestatem habeo iterum sumendi eam. Hoc enim mãdatum accepi à patre meo.

¶ Quòd ab inferis tertia die resurgeret apud Oseæ: Viuificabit nos post biduum: die tertia resurgemus. Item in Exodo: Et dixit Dominus ad Moysen: Descende, & testificare populo & sanctifica illos hodiè & cras, & lauent vestem suam, & sint parati in perendinum diem: Die enim tertia descendet Dominus in montẽ Sina. Item in Euangelio: Progenies nequam & adultera signum quærit, & signum non dabitur ei, nisi signum Ionæ prophetæ. Quomodò enim fuit Ionas in ventre ceti tribus diebus & tribus noctibus, ita erit filius hominis in corde terræ. Hoc ipsum figuratum est in verbis Iacob, cùm benediceret Iudæ patriarchæ, hoc modo: Catulus leonis Iuda, ad prædam fili mi ascendisti: requiescens accubuisti vt leo, & quasi leæna: quis suscitabit eum? Typicè catulum leonis, Dominum saluatorẽ appellat, tamquam leonina ortum prosapia, videlicet regia stirpe progenitum. Bene autem catulus leonis vocatur, cuius natura esse dicitur, vt nascens, tribus diebus dormiat, deindè rugitu paterno excitatus assurgat. Quę figura pulcherrimè arridet Dominicæ dormitioni, qui tribus diebus dormiens, ad patrem clamat: Tu autem Domine miserere mei, & resuscita me. Sed resuscitatus ad prædam ascendit: quia expolians infernum, iustos quosque ad superna secum tamquàm prædam egregiam triumphando euexit. Qui vt leo, & quasi leæna accubuit: quia qui dormire per carnem in sepulchro voluit, quasi leo victor de hostibus triumphauit. Quod autem subiungit, Quis suscitabit eum? subauditur, quis nisi pater?

¶ Quòd cùm resurrexisset, acciperet à patre omnẽ potestatẽ, & potestas eius æterna sit, apud Danielẽ: Videbam in visu nocte, & ecce in nubibus cęli tãquàm filius hominis veniens,

Exod. 12.

* pigridiis

Esa. 9.

Exo. 17.

Ibid.

Exod. 12.

Amos 8.

Iere. 15.

Matt. 27.

Ioan. 10.

Ose. 6.

Exo. 19.

Matt. 12.

Ionę 2.

Gen. 49.

Pſal. 40.

Gen. 49.

Dan. 7.

Universidad de Deusto
Biblioteca

venit vsque ad veterem dierũ, & stetit in conspectu eius:& qui assistebant,obtulerunt eum: & data est ei potestas regia,& omnes reges terræ, & *genus omnis claritatis seruiẽs ei:& potestas eius ęterna, quę non auferetur, & regnum eius quod non corrumpetur. Item apud Esaiam: Nunc exurgam, dicit Dominus, nũc clarificabor, nunc exaltabor: nunc videbitis, nunc intelligetis, nunc confundemini: vana erit fortitudo spiritus vestri: ignis vos consumet. Item in Psalmo centesimonono: Dixit Dominus Domino meo, sede à dextris meis: quovsque ponam inimicos tuos suppedaneum pedum tuorum. Virgam virtutis tuę emittet Dominus ex Sion,& dominaberis in medio inimicorum tuorum.

¶ Quòd ipse sit rex regum, in ęternum regnaturus,apud Zachariam: Dicite filiæ Sion: Eccè rex tuus venit tibi iustus, & saluans mites, & sedens super asinum indomitum. Item apud Esaiam: Quis nunciauit vobis,quia ignis ardet? Quis nunciauit vobis locum ęternum? Ambulans in iustitia, & manus abstinẽs à muneribus, grauans aurem nè audiat iudicium sanguinis, & comprimens oculos suos, nè videat iniustitiam: hic habitabit in alta spelunca petrę: fortis panis illi dabitur,& aqua eius fidelis: Regem cum claritate videbitis. Item apud Malachiam: Rex magnus sum ego, dicit Dominus: & nomen meum illustre apud gentes. Item in Psalmo secundo, Ego autem constitutus sum rex ab eo super Sion montem sanctum eius, prędicans imperium eius. Item in Psalmo vigesimoprimo: Commemorabuntur, & conuertentur ad Dominũ vniuersi fines terrę, & adorabunt in conspectu eius omnes patrię gentium: quoniam Domini est regnum, & dominabitur omnium gentium. Ad hęc, quid illa Leuitica sacrificia significant, nisi Christum passum,resurgentem,cęlos ascẽdentem, & adspersione sui sanguinis in aqua baptismi populos noui testamenti sanctificantẽ? Quod vt manifestius videatur, nunc ipsa principalia sacrificia, quæ in altari exterioris tabernaculi cremabantur, cum suis expositionibus ad mediũ deducamus: suo postea loco ea, quę fiebant in altari thymiamatis, quod erat in interiori tabernaculo, reseruabimus: quia sic proposito operi conuenire intelligimus. Hostiarum enim diuersitates, imaginem passionis Christi prefigurabant. Nam postquàm ipse oblatus est, omnes illę hostię cessauerunt, quæ in typo vel vmbra eiusdem prœcesserunt, prefigurantes illud sacrificium, quod vnus & verus sacerdos obtulit, mediator Dei & hominum. Cuius sacrificij premissas figuras in victimis animaliũ celebrari oportebat propter emundationem carnis & sanguinis: Per quam vnam victimam fieret remissio peccatorum, de carne & sanguine contractorum, quę regnũ Dei nõ possidebũt: quia eadẽ substãtia corporalis, in cęlestẽ commutabitur qualitatem.

Ipse enim in vitulo propter virtutem crucis offerebatur: Ipse in agno propter innocentiã: In ariete propter principatum: In hirco propter similitudinem carnis peccati, vt de peccato damnaret peccatum: In turture & columba, propter Deum & hominem: quia mediator Dei & hominum, in duarum substãtiarum coniunctione ostendebatur. Porrò in similagine consperſionis,credẽtium per aquam baptismatis collectam Ecclesiã, quę est corpus Christi,perspicuè demõstrabat. Nos autẽ moraliter munus Deo vitulũ offerimus,cùm carnis superbiam vincimus: Agnũ, cùm irrationabiles motus & insipientes corrigimus: Hœdum, cùm lasciuiam superamus: Columbam,dum simplicitatem mentis ostendimus: Turturem,dum carnis seruamus castitatem: Panes azymos, dum non in fermento malitię, sed in azymis syncerıtatis & veritatis ambulamus. Ignis in sacrificio id significabat, velut absorbens mortem victoria. In eo autem populo hęc ritè celebrata sunt,cuius regnum ac sacerdotium, prophetia erant venturi regis & sacerdotis ad regendos & congregandos fideles in omnibus gentibus, & introducendos in regnum cęlorum, ad sacrarium angelorum, ad vitam ęternam. Huius itaque veri sacrificij vera sacramenta sicut Hebręi celebrauerunt, ita sacrilega imitantur pagani. Quę immolant gentes, ait Apostolus demoniis immolant, & non Deo. Antiqua enim res est, & prœnunciatiua, immolatio sanguinis, futuram passionem mediatoris ab initio humani generis testificans. Hanc enim primus Abel obtulisse in sacris literis inuenitur. In exordio autem Leuitici, quatuor genera principalium oblationum describũtur, quæ in odorem suauitatis Domino offerri iubentur. Id est, primum, vitulum de armentis sine macula: Secundum, agnum de ouibus: Tertium, turturem & columbam: Quartum similaginem consperſam, azyma oleo vncta,clibano cocta. Reliqua verò sacrificia pro qualitatibus causarum in persona Domini offerebãtur.

¶ Primum itaque sacrificium vitulus ex armentis, Christum demonstrabat ex Patriarcharum progenie descendentem: hic aratro crucis suę, nostrę carnis terram perdomuit:atque Spiritus sancti semen, virtutum frugeditauit. Iste vitulus sine macula est,quia sine peccato ad passionem ducitur. Offertur autem nõ in tabernaculo,sed ad ostium eius, quia extra castra passus est Christus, per filios autem Aaron sacerdotis offertur sanguis eius, quod de Anna & Caipha intelligi potest: qui consilium aduersus eum facientes effuderunt sanguinem Christi. Secunda hostia de ouibus agnus oblatus, id est, Christus propter innocentiam figuratur. Hic est agnus,qui apud Esaiam in sacrificium adducitur, & ab Ioanne omnibus demonstrabatur: Eccè agnus Dei, eccè qui tollit peccata mũdi. Benè ergò in sacrificio agnus offerebatur, vt innocentię & passionis Christi

figura

Esa.33.

Zach. 9.

Esa.33.

Malac. 1.

1.cor.10.

Gen. 4.

Leu.5.

Esa. 53.

Ioan. 1.

Heb.13.

figura demonstraretur. Benè & hœdus, quia per eius mortẽ auctor peccati diabolus, agnoscitur iugulatus. Tertium sacrificium dicitur turtur & columba. Turturem, carnem Christi esse,manifestum est, Salomone dicente: Speciosæ genæ tuæ sicut turturis. Columbam,Spiritus sancti habere figuram, Ioannes Baptista declarat, dicens: Super quem víderis Spiritũ sanctum descendentem sicut columbam, hic est filius meus: Ac per hoc turturem & columbam, id est, carnem Christi Spiritui sancto sociatam, per mysterium passionis, sacrificium Deo in odorem suauitatis. Ista tria sacrificia offert homo, id est, Christus Iesus. Quartum autem anima offert, id est, Ecclesia offert sacrificium de simila, Ecclesiæ Catholicæ figuram prænuncians, quæ ex conuenientibus mẽbris, quasi simila ex multis granis credentium collecta est, & legis & Euangeliorum molam inter literam & spiritum separat. Per aquam enim baptismatis adiuncta, chrismatis oleo puncta, sancti Spiritus igne solidata,per humilitatis spiritum DEO hostia placens effecta. Hę sunt quatuor oblationes,quadriformem Christi & Ecclesiæ habitum demonstrantes.

De iuuenca rufa cuius cinerem ad aquam adspersionis, eorumque mundationem, qui mortuum tetigerint, proficere lex mandauit, aliqua dicere conabimur.

Euidentissimum enim signum in ea noui testamenti præfiguratur: nec satis dignè festinãtes dicere de tanto sacramento valemus. Primùm enim quòd ità cœpit de hac re loqui scriptura, quem non moueat, & intentissimum faciat in altitudinem sacramenti? Et locutus est,inquit, Dominus ad Moysen & ad Aaron, dicens: Ista est distinctio legis quæcunque cõstituit Dominus. Proculdubiò non est distinctio, nisi inter aliqua duo vel plura. Nam distinctionem singularitas non requirit, nec distinctionem cuiuslibet rei commemorauit, sed addidit, legis: nec cuiuscunque legis, assiduè quippe in scriptura dicitur de vnaquaque re, de qua legitimè præcipitur: Hæc est lex illius vel illius rei non vniuersalis,quæ continet omnia,quæ legitimè præcipiuntur. Hìc verò cùm dixisset, Hæc est distinctio legis,secutus adiunxit, Quæcunque constituit Dominus, præcipiendo vtiquè, non creando. Nam etiam nonnulli interpretes, Quæcunque præcepit Dominus,transtulerunt: Si ergò hæc est distinctio legis,quæcunque præcepit Dominus, proculdubiò magna est ista distinctio,& rectè intelligitur, duo testamenta distinguere. Eadẽ quippe sunt in veteri & in nouo: ibi obumbrata, hic reuelata: ibi præfigurata, hìc manifestata. Nam non solùm sacramenta diuersa sunt, verum etiam promissa: ibi videntur temporalia proponi, quibus spirituale præmium occultè significetur: Hìc autem manifestissimè spiritualia promittuntur & æterna. Temporalium autem bonorum atque carnalium, & spiritualiũ atq; æternorum, quæ clarior certiorque distinctio est, quàm passio Domini nostri Iesu Christi? In cuius morte satis constitit, non istam terrenam transitoriamque felicitatem à Domino Deo pro magno munere sperandam & optandam, quum quod in vnigenito suo filio,quem tanta illa perpeti voluit, ideò longè aliud à se peti expectarique oportere, apertissima distinctione declarauit. Hanc igitur passionem Domini nostri Iesu Christi, velut distinctionẽ duorum testamentorum, hoc, quod de iuuencæ rufæ mactatione narratur, satis congruè prefigurat. Locutus est enim Dominus ad Moysen & Aaron, dicens: Ista distinctio legis quęcunque constituit Dominus, ac deindè mandare incipit, hoc adiungens & dicens: Loquere filijs Israel. Potest etiam ità distingui,& locutus est Dominus ad Moysen & Aaron, dicens: Ista distinctio legis, quæcunque constituit Dominus dicens, non quæcunque constituit Dominus creans, sicut cælum & terram,& omnia quæ in eis sunt: sed quæcunque constituit Dominus dicens, in duobus scilicet testamentis, vt deindè sequatur: Loquere filijs Israel,& accipiant à te iuuencã rufam sine vitio. Iuuenca rufa carnem Christi significat: sexus fœmineus est, propter infirmitatem carnis: Rufa est, propter ipsam cruentam passionem. Quòd autẽ ait, Accipiant à te, in ipso Moyse figuram legis ostendit, quoniam secundũ legem sibi visi sunt Christum occidere,quia soluebat secundũ ipsos sabbatum, & sicut putabant, obseruationes legitimas profanabat. Quòd ergò sine vitio dicitur hæc iuuenca, mirum non est. Hanc enim carnem etiam cæteræ bestiæ figurabant, vbì similiter sine vitio pecora immolari iubentur. Erat quippe illa caro in similitudine carnis peccati, sed non caro peccati. Veruntamẽ hìc, vbì euidentius legis distinctionem DEVS voluit commendare, parum fuit dicere, sine vitio, nisi diceretur quæ in se non habet vitiũ. Quod si repetendi causa dictũ est, fortasse non frustratur: quia eam rem ipsa repetitio firmiùs commendauit: quamquàm & illud non aberret à vero, vt idem additum intelligatur, quæ non habet in se vitium, cùm iam dictum esset, iuuencã sine vitio, quia in se non habuit vitium caro Christi, in alijs autem habuit,quę membra sunt eius. Quæ enim caro in hac vita sine peccato, nisì illa sola, quæ non habuit in se vitium? Et non est superpositum super eam iugum: non enim subiugata est iniquitati, cui *subiugatos inueniens liberauit,& eorum vincula disrupit, vt ei dicatur: Disrupisti vincula mea: tibi sacrificabo hostiam laudis? Super illius quippe carnem non est superpolitum iugũ, qui potestatem habuit ponendi animam suã, & iterùm sumendi eam. Et *applicabis eam quidem ad Eleazarum sacerdotem. Cur non ad Aaron, nisì ità forte præfiguratum est, non ad tempus quod tunc erat, sed ad posteros huius sacerdotij,passionem Domini peruenturã?

Num.19.

Can. 1.

Ioan.1.

Num.19.

*quos subiugatos inuenit, & Psal. 115.

*dabis eã

Et

Universidad de Deusto
Biblioteca

Et ejcient eam extra castra, sicut & ejectus est Dominus, passurus extra ciuitatem. Quòd autem ait, in locum mundum: ità significatū est, quia non habuit causam malam. Et occident eā in conspectu eius, sicut occisa est caro Christi in conspectu eorum, qui iam futuri erant in nouo testamento Domini sacerdotes. Et accipiet Eleazar sanguinem eius, & adsperget cōtra faciem tabernaculi testimonij à sanguine eius septiès. Hìc testificatio est, Christum fudisse secundùm scripturas sanguinem in remissionem peccatorum. Ideò contra faciem tabernaculi testimonij, quia non aliter declaratum est, quàm fuerat diuino testimonio prænunciatum. Et ideò septiès, quia ipse numerus ad emendationem pertinet spiritualem. Et cremabunt eam in conspectu eius. Puto, quia crematio ad signum pertinet resurrectionis. Natura quippe est ignis, vt in superna moueatur: & in eum conuertitur quod crematur. Nam ipsum cremare, de Græco in Latinum ductum verbū est à suspensione. Quod verò additum est, in conspectu eius, id est, in conspectu sacerdotis: hoc mihi insinuatum videtur, quia illis apparuit resurrectio Christi, qui futuri erāt regale sacerdotium. Iam quod sequitur, Et pellis, & carnes, & sanguis eius cum stercore eius comburatur, idipsum expositum est, quomodò & cremabitur: & significatum est, quòd non solùm substantia mortalis corporis Christi, quæ commemoratione pellis & carnis & sanguinis intimata est, verùm etiam contumelia & abiectio plebis, quam nomine stercoris significatā puto, conuertetur in gloriam, quam combustionis flamma significat. Et accipiet sacerdos lignum cedrinum, & hysopum, & coccinum, & immittet in medium combustionis iuuencę. Lignū cedrinum spes est, quæ debet in supernis firmiter habitare: hysopus fides, quæ cùm sit herba humilis, radicibus hæret in petra. Coccinum, charitas: quod feruorem spiritùs igneo colore testatur. Hæc tria debemus mittere in resurrectionem Christi, tamquàm in medio cōbustionis illius, vt cum illo sit abscondita vita nostra, sicut dicit Apostolus: Et vita nostra abscondita est cum Christo in Deo. Et lauabit vestimenta sua sacerdos, & lauabit corpus suū aqua, & postea introibit in castra, & immundus erit sacerdos vsque in vesperum. Lauatio vestimentorum & corporis quid est, nisi mundatio exteriorum & interiorum? Hoc sacerdos. Deindè sequitur: Et qui comburet eam, lauabit vestimenta sua & corpus suum aqua, & immūdus erit vsque in vesperum. In eo qui comburit, hos figuratos arbitror, qui Christi carnē sepelierunt, resurrectioni eam veluti conflagrationi mandantes. Et congregabit homo mūdus cinerem iuuencæ, & ponet extra castra in locum mundum. Quid dicimus cinerem iuuencæ, reliquias videlicet interfectionis & combustionis, nisi famam quæ consecuta est passionem & resurrectionem Christi, quoniam sunt

Hebr. 13.

Coloss. 3.

A reliquiæ homini pacifico? Nam cinis erat, quia velut mortuus ab infidelibus contemnebatur: & tamen mundabat, quia resurrexisse à fidelibus credebatur. Et quia hæc fama apud eos maximè claruit, qui in cæteris gentibus erant, & non erant de consortio Iudæorum, ideò dictum esse existimo, Et congregabit homo mūdus cinerem iuuencæ. Mundus vtiquè ab interfectione Christi, quæ Iudæos fecerat reos. Et reponet in locum mundum, id est, honorabiliter tractet, tamen extra castra, quia citra celebrationē Iudaicæ consuetudinis, honor Euangelicus claruit. Et erit synagogæ filiorum Israel in obseruationem. Aqua adspersionis, purificatio est. Posteà declarat pleniùs, quemadmodùm ex isto cinere fiebat aqua adspersionis vndè mundabantur à contactu mortuorum: quod vtiquè significat ab iniquitate eius moribundæ vel morticinæ vitæ. Sed mirum est, quod sequitur: Et qui congregat, inquit, cinerem iuuencæ, lauabit vestimenta sua, & immundus erit vsque ad vesperam. Quomodò erit ex hoc immundus, qui mundus accesserat, nisi quia & hi qui sibi videntur mundi, in fide Christi se agnoscunt, quia omnes peccauerūt, & egent gloria Dei, iustificati gratis per sanguinem ipsius? Hunc tamen vestimenta sua lauare dixit, non etiam corpus suū. Credo, quòd illius cineris congregatione, & repositione in hoc loco mundo, si hęc spiritaliter intelligantur, ità iam intrinsecùs vult intelligi fuisse mūdatū, sicut Cornelius audiens & credens quod prædicauerat Petrus, ità mundatus est, vt ante visibilem baptismum, cum suis qui aderant, acciperet dona Spiritus sancti. Veruntamen nec visibile sacramentum contemni potuit: vt ablutus etiā * intrinsecùs lauaret quodammodò vestimenta sua. Et erit, inquit, filijs Israel & proselytis, qui apponuntur, legitimū æternum. Quid aliud ostendit, nisi baptismū Christi quē significabat aqua adspersionis, & Iudæis & gentibus profuturum, id est, filijs Israel, & proselytis, tamquàm naturalibus ramis, & inserto pinguedini radicis oleastro? Quem autē non faciat intentum, quòd post ablutionem de singulis quibusque dicitur, & immundus erit vsque ad vesperam. Neque hìc tantùm, sed in omnibus aut penè in omnibus talibus mūdationibus hoc dicitur. Vbi nescio, vtrum aliquid aliud possit intelligi, nisi quòd omnis homo post remissionem plenissimam peccatorum, pmanendo in hac vita, contrahit aliquid vndè sit immundus vsq; ad eiusdem vitæ finem, vbi ei dies iste quodāmodò clauditur, quòd significat vespera. Deindè incipit scriptura dicere, & exequitur, quemadmodùm immundi facti homines, aqua illa adspersionis purificentur. Qui tetigerit, inquit, morticinum, omnis anima hominis immunda erit vij. diebus. Hic purificabitur die tertio, & die septimo, & immūdus erit. Et hìc nihil aliud intelligendum video, nisi contactum mortui, esse hominis iniquitatem.

Pſal. 36.

B

C

D

E

Rom 3.

Act. 10.

* extrinsecus

quitatem. Semptem verò dierum immunditiam, propter animam & corpus dictam puto: animam in ternario, corpus in quaternario. Quod quarè ità sit, longum est disputare. Secundùm hoc arbitror per prophetam dictum: In tribus & in quatuor impietatibus non auersabor. Adiungit autem & dicit: Si autem non purificatus fuerit die tertio, & in die septimo, non erit mundus: omnis qui tetigerit mortuū ab omni anima hominis, & mortuus fuerit, & non fuerit purificatus, id est, antè mortuus fuerit tacto mortuo, quàm fuerit purificatus, tabernaculum Domini polluit: exterminetur anima illa ex Israel. Notandum est, quòd difficillimè reperitur in his libris aliquid euidentiùs de vita animæ post mortem, fuisse conscriptū. Hìc ergò cùm dicit, si fuerit mortuus ante purificationem, manere in illo immunditiam, & exterminari animam illam ex Israel, id est, à consortio populi Dei, quid aliud vult intelligi, nisi manere animæ pœnam etiam post mortem, si, cùm viuit, mundata non fuerit sacramento isto, quo Christi baptismus figuratur? Quoniam aqua adspersionis, inquit, non est circum adspersa super eum, immundus est: adhuc immunditia eius in ipso est, adhuc scilicet post mortem. Quòd verò suprà dixit, tabernaculum Domini polluit, quantùm in ipso est, vtiquè dixit sicut Apostolus, Spiritum nolite extinguere, cùm extingui ille non possit. Nam si ex hoc tabernaculum immundum factū vellet intelligi, mundari vtiquè iuberet. Posteà verò immundos à mortuis operibus, quæ sunt iniquitates, omnes ista mundari iubet: Et accipiant illi immundum, inquit, à cinere illius exustæ purificationis, & effundent super eum eundem cinerem aquam viuam in vase: & accipiens hysopum, & tingens in aqua vir mundus, circunsperget super domum, & super vasa, & super animas, quotquot fuerint illic: & super eum, qui tetigerit os humanum, aut vulneratum, aut mortuum, aut monumentum. Et adsperget mundus super immundum die tertio & in die septimo, & purificabitur die vij. & lauabit vestimenta sua, & lauabitur aqua, quam puto spiritualem intelligendā, per significationem, non per proprietatem. Nam sine dubio visibilis erat, sicut omnes illæ vmbræ futurorum. Proindè qui sacramento baptismi rectè abluitur, quod illa adspersionis aqua figurabat, mundatur & spiritualiter, id est, inuisibiliter, & in carne, & in anima, vt sit mundus & corpore & spiritu. Quod verò hysopum dixit aqua adspersionis adspergi, quam herbā suprà diximus fidem significare, quid aliter occurrit, nisi quod scriptum est, fide mundans corda eorum? Non enim prodest baptismus, si desit fides. A viro autem mundo dixit hoc fieri, vbi significantur ministri portantes personam Domini sui, qui verè vir mundus est. Nā de his ministris in cōsequentibus dicit: Et qui circunadsperget aquam adspersionis, lauabit

Amos 1. & 2.

1. Thes. 5.

Act. 15.

A vestimenta sua, id est, obseruabit & corpora. Et qui tetigerit aquam adspersionis, immundus erit vsque ad vesperam: & omnis qui tetigerit illud immundum, immundus erit: & anima quæ tetigerit, immunda erit vsque ad vesperam. Iam dixi superius, quid mihi significare videatur, Vsque ad vesperam. Hæc quæ commemorauimus, & alia quæ pro diuersis occasionibus in lege offerri mandantur, Christi sacerdotium præfigurantia, & res gestas, quas illæ figuræ præloquuntur, Ecclesia compendiosa imitatione repræsentat, cùm Missarum sacramenta per orbem terrarum quotidiana celebratione frequentat.

B Et primò Introitus Missæ collectus de psalmis, * & de alijs propheticis scripturis cū sanctæ Trinitatis glorificatione cantatur, & sequens litania deuotam eorum expectationem repræsentat, qui aduentum Christi toto corde desiderabant, & in hac fideli expectatione differri sibi suum desiderium suspirabant. Qualis fuit Simeon, qualis fuit Anna, & multi alij, quos DEVS nouit, sed non omnes scriptura commemorat. Sub hoc sanctorum desiderio, secundùm quod prædictum fuerat à prophetis, Christus de virgine natus est. Secundùm illud quod in persona eius dicit psalmista, ad patrem loquens: Holocaustum & pro peccato non postulasti, tunc dixi, eccè venio. Quod benè repręsentatur, cùm sacerdos Christi personam imitans, choro concinente suprà memoratum introitum, procedit ad dexteram partem altaris, in hoc significans mediatorem Dei & hominum, qui de seipso dicit, Non sū missus nisi ad oues, quæ perierūt, domus Israel: qui populus, tamquàm dexter, solus vnius Dei cultum tenuerat, nec post deos alienos, quos populus gentilis colebat, tamquàm sinistra aberrauerat. Post introitum sequitur hymnus angelicus, temporali Christi Natiuitati testimonium perhibens, cùm & cælestes ciues pronunciarent se Deum indè glorificasse, & murum inimicitiarum, pace hominibus reddita, cecidisse. Sequitur deindè oratio, adhuc in eadem parte altaris sacerdote morante. Orandum autem esse, inter prędicationis suæ primordia Dominus præcepit, quandò congregatis in monte Apostolis, tradita Dominica

C oratione, orandi formam instituit: Hæc oratio quibusdam generalibus vocibus alias orationis species breuiter comprehendit, quibus vel appetimus diligenda, vel vitamus fugienda, vel sanamus commissa. Sequitur dehinc lectio prophetica, vel Apostolica, repræsentās discipulorum Christi prædicationem, quos Dominus binos & binos ante se misit in omnē ciuitatem & locum, ad quem ipse erat venturus. Post lectionem concinendo respōdet chorus, ostendens sacræ lectioni se * habuisse audi tum & * affectum. Et quia hæc diuini muneris esse intelliguntur, sequitur Alleluia, quod interpretatur, Laudate Deū, vt impleatur illud

D

E

* vel

Matt. 15.

Matt. 6.

Lucæ 10

* adhibuisse

* effectum

Aposto-

Universidad de Deusto
Biblioteca

1. Cor. 1. 2. Cor. 10. Apostolicum præceptum, Qui gloriatur, in Do A mino glorietur. Quibus ità suo ordine peractis, transit Leuita aut sacerdos ad sinistram partem Ecclesiæ, lecturus Euangelium. Quo facto significatur illud, quòd Iudæis credere nolentibus, Apostoli dixerũt: Primùm oportebat vobis loqui verbum Dei, sed quia repulistis illud, & indignos vos exhibuistis, eccè conuertimur ad gentes. Aduersùs gentilitatem ergò, in qua frigus infidelitatis diù regnauit, tamquàm in plaga septentrionali, adhuc prædicatur Euangelium, donec introeat plenitudo gentium, & tandèm sub Helia & Enoch ad fi- B dem veniant reliquiæ Iudæorum. Et hoc significatur, cùm sacerdos ob complenda Missæ sacramẽta, ad dexteram partem reuertitur. Post Euangelium profitetur Ecclesia fidem suam, cantando symbolum Apostolicum, vt ostendat, quantùm profecerit per Euangelium. Salutato denique populo, dum sacerdos *hostiam accipit à ministris, & diuersi generis * oblationem à populis, offertorium cantatur à clericis. Quam consuetudinem accepit Ecclesia ex eo, quod in libro dierum dedicato templo à Salomone, legitur populus clangentibus Leuitis & C tubis & tibiis & cymbalis, voce & omni genere musicorum, multiplices hostias obtulisse. Ad huiusmodi hostias spiritualiter offerendas, admonemur per Psalmistã: Afferte Domino filij Dei, afferte Domino filios arietum, id est, nos ipsos, quos genuerunt Apostoli duces gregis Dominici. Et alibi: Tollite hostias, & introite in atria eius. Offertur autem principaliter à ministris panis & vinum, in corpus Christi sacerdotali benedictione commutanda, quę primus Melchisedec Abrahæ, à cæde v. reguin reuertenti, legitur obtulisse, hoc significante D Spiritu sancto, sacramenta Dominici corporis & sanguinis aliis non esse communicanda, nisì his, qui regnum v. sensuum superauerunt, id est, qui se vitiis & cõcupiscentiis crucifixerunt. Quod benè significatur illo numero vernaculorum, in quo Abraham suprà dictos reges vicit, quem numerum thau T litera, formam crucis repræsentans, secundùm literarum supputationem exprimit. In similitudinem talium oblationum voluit Dominus, vt à parentibus, sub lege factus, in templo offerretur & sacrificium columbarum & turturum pro eo offerretur, quamuis ipse talibus non indigeret, sed E per hoc significaret, Ecclesiam suam aut per communes orationes, quas significant columbæ, vel per priuatas, quas significant turtures, esse mundandam. Simile quid prænotauerunt vota trium Magorum, qui Christo nuper nato tria munera obtulerunt: Aurum, quo moraliter spiritualis intelligẽtia declaratur: Thus quo puritas deuotæ orationis intelligitur. Mirrham, qua carnalis corruptionis mortificatio *figuratur. Attendendum verò est, quòd hæc omnia, quæ ab introitu Missæ commemorata sunt, illis sacrificijs congruè comparantur, quæ sacerdotes in exteriori tabernaculo immolabant, quia sicut ab illis contuendis populus non amouebatur, ità hæc omnia in audientia omnium celebrantur. Sed mirabitur aliquis, quæ sit ista comparatio sacramentorum, cùm illa vetera fierẽt de corporibus, noua verò istã fiant in vocibus. Sed in significatis benè conueniunt, quia dispensationem incarnati verbi, sicut superiùs dictum est, quam prefigurabant ænigmata rerum, eandem esse completam cõmemorant enunciationes figuratarum vocũ. Siue ergò oremus, siue psalmum cantemus, siue lectionem de propheticis, siue de Apostolicis, siue de Euangelicis verbis proferamus, quod fidei adstruat veritatem, vel morum commendet honestatem, quasi vitulum labiorum nostrorum ad altare offerimus, quia mysteriũ verbi Dei mentibus alta sapientibus, in quibus ignis diuini amoris ardet, & caro crematur, aperimus. Vndè & ab hoc vitulo quasi corium detrahitur, cùm remoto velamine literæ, spiritualis intelligentia reuelatur. Huius etiam vituli carnes in frusta conciduntur, cùm paruulis in CHRISTO lac, infirmis olus, solidus cibus perfectis, secundùm Apostolicam traditionem ministratur. Et notandum, quòd hic vitulus ad ostium tabernaculi testimonij offertur, cùm ea, quæ lex & prophetæ prædixerunt, in CHRISTI aduentu impleta esse & reuelata creduntur, qui de seipso ait: Ego sum ostium. Per me si quis introierit, saluabitur. Ipse est enim clauis Dauid, qui aperit, & nemo claudit: claudit, & nemo aperit. Super caput huius vituli ponũt filij Aaron manus suas, cùm Christo, qui caput est Ecclesiæ, omnia bona opera sua CHRISTI sacerdotes attribuunt, de quo dicitur: Misit verbum suum, & sanauit eos. & qui de se discipulis suis dicit, Sine me nihil potestis facere. Huius quoquè vituli intestina lauantur, cùm sanæ doctrinæ, quam illa sacramenta celabant, nihil contrarium admiscetur: & pedes, cùm ipsius verbi prædicatio, carnalis concupiscentię puluere non fœdatur. Vndè ait Propheta: Quàm speciosi pedes Euangelizantium pacem, Euangelizantium bona. Stercora verò huius vituli extra castra cremantur, cùm sputa, colaphi, & omnis contumelia verbo Dei illata, ipsa etiam crucis ignominia, in gloriam resurrectionis, remota omni carnali obseruatione, cõmutatur. Quod bene significatur per ignem, qui quod assumit, in se conuertit, & semper ad superiora contendit. Sicut antè designatum diximus verbum Dñi per vitulum, tamquàm aratro crucis corda nostra exarantem, ità ipsum possumus intelligere per arietem, cum Christum ducem nostrum prædicamus, vel cùm eius innocentiam commendamus, iuxta illud prophetæ: Tãquàm ouis ad victimam ductus est, & non aperuit os suum. Per hœdum quoquè idem verbum significamus, cùm Christum in similitudinem carnis peccati venisse, & pro peccato generis humani

Act. 13.
Rom. 11.
* hostias
* oblatiões
2. Pa. 5.
Psal. 28.
Psal. 95.
Gen. 14.
Luc. 2.
Matt. 2.
* significatur
1. Cor. 2. Heb. 5.
Ioan. 10.
Apoc. 3.
Psal. 106.
Ioan. 15.
Esa. 52. Rom. 10.
Esa. 53.

humani oblatum fuisse commemoramus. Per A turturem & columbã idem significamus, cùm naturam humanam Spiritui sancto in Christo sociatam contestamur. Per turturem quippe meritò Christi caro figuratur, quæ gemitum assumpsit nostræ passibilitatis & humanitatis & mortalitatis. Vndè & Psalmista: Turtur inuenit sibi nidum, id est, dispensationem suæ incarnationis, in qua pullos fecit, id est, fideles generauit. Per columbam verò Spiritus sanctus intelligitur, qui in specie columbę super Dominum apparuit. Vndè dictum est ad Ioannem: Super quem videris spiritum descendentẽ, B & manentem, ipse est qui baptizat. In eodem Dei verbo similaginem offerimus, cùm expurgato fermento malitiæ & nequitiæ, populos ad vnitatem Ecclesiasticam conuocamus. Qui dũ catechizantur, quasi moluntur: cùm baptizãtur, in vnum corpus, vt vnus panis fiant, adunantur: cùm ad agonem instruuntur, quasi clibani decoctione roborantur, secundùm illud: Vasa figuli probat fornax, homines autem iustos tentatio tribulationis. Et illud: Fili accedens ad seruitutem Dei, præpara animam tuã ad tentationem. Tum verò ijdem populi, quasi C panis oblationis oleo liniuntur, cùm p manus impositionem sacro chrismate ad eundem agonem fortiter tolerandum contra spirituales nequitias confirmantur. Nos quoquè si Deo placere contendimus, moraliter hæc omnia Deo offerre iubemur. Vitulum namque offerimus, cùm superbiam humilitate superamus: Ouem vel arietem immolamus, cùm veram innocentiam conseruamus: Hœdum autem offerimus, cùm sœtorem luxuriæ, carnis castigatione & contriti cordis compunctione lauamus: Turtu rem offerimus, cùm huius exilij ærumnas in D solitudine mentis deploramus, dicendo cum psalmista: Heu mihi quia incolatus meus prolongatus est. Columbam offerimus, cùm simplicitatem columbæ imitamur, vt nulli machinemur dolos. Panes in clibano coctos offerimus, cùm nullis tribulationibus ab vnitate Ecclesiæ non diuidimur. Panes azymos à sartagine Deo offerimus, cum zelum iustitiæ ex misericordiæ visceribus moderamur. Panem etiam in craticula coctum offerimus, cùm ob zelum abstinentiæ, ieiunijs & laboribus carnem nostram maceramus. Hæc Christi & Ecclesiæ sa- E crificia, lectiones nostræ de quibuscunque libris historico vel allegorico stylo dictante cõmendant: hæc melodiæ cantorum, ad pietatis affectum suauitate canora animos populorum excitantes, resonant: hæc hymni & psalmi cõcrepant, & quicquid in officijs Ecclesiasticis siue nocturnis siue diurnis, vel in silentio secretorum, vel in audientia populorum frequentatur, non ociosè fit, sed totum vel ad ædificationem fidei, vel ad compositionem morum, ab his, qui non seruiunt literæ occidenti, sed spiritui viuificanti, reflectitur. Sunt & aliæ multiplices hostiæ, quæ pro diuersis occasionibus offeruntur, siue pro gratiarum actione, siue p pontificis ordinatione, siue pro lepræ emundatione, siue pro nocturna illusione, quæ similiter hanc vnam hostiam, de qua dictum est, figurabant, & fidem ac mores ædificant, quæ ideò multæ erant, & sæpè iterabantur, quia secundùm Apostolum, perfectum facere non Heb. 9. poterant seruientem: hæc autem semèl oblata, peccata originalia & actualia purgauit, & cælestia ac terrestria pacificauit.

Psal. 83.
Ioan. 1.
Eccli. 27. Eccli. 2.
Psal. 119.

Qualiter veteris ac noui sacerdotij sacramẽta in aperto celebrata conueniant, in supradictis, prout potuimus, breuiter ostendimus: Nũc restat, vt ea præcipuè, quæ in mysticis orationibus vel operationibus sacerdotes nostri faciunt, qualiter cum his conueniant, quæ pontifices intra sancta sanctorum faciebant, prout Dominus dederit, ostendamus. Ac primò secretæ orationes, quas post offertorium facit sacerdos, in quibus panis & vinũ, quæ in CHRISTI corpus & sanguinem Dominicis verbis cõmutanda sunt, hostiæ vel oblationes, vel sacrificia nominantur, quid cum Euangelio simile habeant, videamus. In Euangelio quippe legimus quòd Dominus facta cœna in hortum cum discipulis exiuit, & ibi antequàm ad eum peruenirent, qui comprehensuri eum erant, remotus à discipulis, eandem orationem in silentio ter orauit, cõmiserando miseris Iudæis, dicens: Pater, si fieri potest, transeat à me ca- Matt. 26. lix iste. Sed quia ab originali præuaricatione per obedientiam eius redimẽdus erat mundus, elegit magis Iudæam in sua cæcitate * derelinquere, quàm Dei filios in æterna morte relinquere, secundùm illud: Non saluaretur Ninive, nisi aruisset cucurbita. Hanc trinam orationem, in qua se paternæ voluntati deuouebat filius, tamquàm arietem in holocaustum, imitabantur pontifices in veteri testamento, in die propositionis sancta sanctorum intraturi, cùm etiam vitulus offerebatur pro pontifice, aries in holocaustum, hircus, in quem sors Domini ceciderat, pro peccato populorum, cùm sanguis eorum, id est, vituli & hirci, inferendus erat in sancta, crematis eorum corporibus extra castra. His omnibus sacrificij generibus Christus præfigurabatur, qui in illa trina oratione offerendum se esse patri præsentabat, tamquàm vitulum pro peccato pontificum, tamquàm arietem in holocaustum, tamquàm hircum pro omni præuaricatione populorum. Expletis dehinc orationibus secretis, admonet populum sacerdos primùm salutando, posteà, vt quæ sunt sursùm sapiat, & redemptori suo ingratus non existat, exhortando, & vt hæc omnia mediatoris gratiæ ascribat, consulendo. Quod & Dominus Iesus fecisse intelligi commodè potest, inter ipsa trinæ orationis interualla, quandò ad discipulos ter veniens, dicebat: Vigilate & orate, nè intretis in tentationem. Matt. 26. Quid est autem vigilare, nisì de suis meritis nil præsumere, sed in omnibus ad mediatoris

* delinquere
Ionę. 4.

Universidad de Deusto
Biblioteca

toris gratiam recurrere? Et ità dignum esse, ab humana fragilitate fieri salubriter docemur, cùm Angelos, Archangelos, & omnes cælestes exercitus Deum indè laudare & adorare nouerimus, quòd beatitudinem suam per mediatoris beneficium se obtinere fateantur. Indè erat quòd duo cherubin alis suis propitiatorium velabant, quia de collatis sibi virtutibus angelicæ potestates Deum honorant, & in propitiatorium adspiciunt, quia ex propritia Dei bonitate excellentiam, quam habent, se habere confidunt. Vndè orat sacerdos, vt in confessione sanctæ Trinitatis, laudes nostræ laudibus iungantur Angelorũ, cùm in nomine Iesu omne genu flectatur cælestium, & terrestrium, & infernorum. Quia ergò mediatori nostro, sicut ipse dicit, Data est mihi omnis potestas in cælo & in terra, prosequitur sacerdos & rogat Deum patrem, vt per eum benedicantur oblata mysteria, id est, in eam veritatem transferantur, quam gerebant in vmbra prædicta illa sacrificia, in die propitiationis oblata. Quia enim illa tria sunt, vitulus, aries, duo hirci, tribus nominibus eorum significata commemorantur, quia dona, munera, sacrificia nominantur, quamuis vnum repræsentent sacramẽtũ Dominicæ passionis, * quia pacificata sunt diuina & humana. Duo quippe hirci, duas significant in Christo naturas: humanã, in qua passus est pro reconciliatione nostra, quam significat mactatus hircus pro peccato: alteram diuinam, quam significat hircus, qui per hominem paratum, id est, per seipsum mittitur viuens in desertum illud scilicet, in quo relictis nonaginta nouem ouibus, bonus pastor vnam venit quærere, quæ perierat. Cum sanguine horum animalium, vituli videlicet & hirci, intrabat pontifex in sancta sanctorum, & Dominus Iesus per proprium sanguinem, qui prædictorum animalium sanguine figurabatur, introiuit in sancta sanctorum, æterna redemptione inuenta, noster quoquè sacerdos cum sanguine Christi, id est, cum memoria Dominicæ passionis, ingreditur ad sancta mysteria celebranda. Orat Leuiticus sacerdos, ingrediens tabernaculum testimonij, pro se & pro familia sua. Orat Christus pro se, cælos ascensurus dicens: Pater clarifica filium tuum, vt filius tuus clarificet te. Orat & pro familia sua, dicens: Pater, serua illos, quos dedisti mihi, in nomine tuo. Orat & sacerdos noster incipiens tractare sacra mysteria pro summo põtifice, & sancta Dei Ecclesia, & pro his q̃ in sublimitate sunt, secundùm Apostolum, quatenus quietam & tranquillam vitam agamus in omni pietate & sanctitate. Defert sacerdos Leuiticus carbones de altari, in quibus cremantur animalium carnes, secum in sancta, implens indè thuribulum. Ascendit summus sacerdos noster in tabernaculum non manufactum, portans secum corpus omni bono odore virtutum * refectum, quas tamquàm carbones viuos accepit humanitas ab igne sancti Spiritus tãquàm de altari, qui cremat carnes mali desiderij. Defert & noster sacerdos secum carbones de eodem altari acceptos, cùm memoriã facit Apostolorum, & quorundam martyrum, qui per amorem spiritus de mortuis viuificati, & ipsi in se diuino ardent amore, & alios suo exemplo studeant de mortuis viuos facere. Hanc commemorationem sanctorum inter secreta faciẽdam, à veteri testamento habemus, præcipiente Moyse, vt Aaron sanctuarium ingrediens, rationale haberet in pectore, in quo descripta essent nomina xij. patriarcharum, sculpta in xij. lapidibus, distributis per ternos ordines in capitibus iiij. angulorum. Qua in re significatur, quòd cum fide Trinitatis, & doctrina Euangelica, in mente sacerdotis semper debet esse memoria præcedentium patrum, quorum exemplis ad benè viuendum informetur, & patrocinijs muniatur. Impositis aromatibus, procedebat fumus de thuribulo, qui obumbraret oraculum, nè videretur summus pontifex, dũ esset in sanctuario. Legitur & in Apocalypsi de nostro summo pontifice, qui fuit Angelus magni consilij, quòd impleto thuribulo de igne altaris, id est, habitante in CHRISTI corpore omni plenitudine diuinitatis, tanta processit ex eo plenitudo & ascensus virtutum, vt excederet omnem humanũ intellectum dicente Ioanne: Non enim ad mensurã dat spiritum. Orante quoq; sacerdote nostro dũ sacramenta noui testamẽti celebrat, tãta puritas orationis tamquàm fumus incensorum aromatum dirigitur ad Deum, quæ & rationem humanam, & omnem superemineat intellectum. Orat enim sacerdos, vt oblationem altari superpositam dignetur Dominus facere benedictam, id est, transferat in illam singulariter benedictam, id est, ab omni peccato immunem, asceptam, id est, non nouiter institutam, sed veteribus figuris & scripturis assignatam: Ratã, id est, non transitoriam, quia vetus hostia irrita facta est, postquàm Christus vera hostia in cruce oblatus est: Rationabilem, id est, non pecualem, quæ sanguine taurorum nõ poterat perfectum facere seruientem. Hæc verò hostia nostra rationalis est, quia ipsa eadem & sacrificans est, & sacrificium. Cùm enim causam redderet Apostolus, quare seipsum CHRISTVS obtulisset, subiunxit: Si enim esset super terram, nec esset sacerdos, ac si diceret: Idcircò ipse factus est hostia, quia super terram non fuit æquè digna, ità sufficiens ad exhaurienda mundi crimina. Idcircò ipse offerens, quia non esset sacerdos æquè dignus, quia lex constituit sacerdotes peccatores, qui primò offerrẽt pro peccatis suis, deindè pro populi. Peccator ergò sacerdos, qui sibi sufficere non poterat, tam sanctam hostiam offerre non valuit: sed ipsa sancta & innocẽs seipsam obtulit, quia voluit. Vndè & in Euangelio dicit: Nemo tollit à me animam meam, sed ego pono eam. Post illa verba

Phil. 2.

* qua

Luc. 15.

Heb. 9.

Leuit. 16.

Ioan. 12.

Ioan. 17.

1. Tim. 2.

Leu. 16.

* refertum

Exod. 28.

Apoc. 8.

Coloss. 1.

Ioa. 3.

Heb. 9.

Ioan. 10.

verba cõmunia spiritaliter exponit sacerdos, quid petat, scilicet vt illæ corporeæ materiæ fiant nobis corpus & sanguis CHRISTI. Hęc oratio tamquàm subtilissimorum fumo aromatum obumbrat propitiatorium, quæ terrestrem materiã & corruptibilem, cælesti & incorruptibili corpori postulat incorporari. Sed huic diuini consilij altitudini sola fides adhibenda est, quæ procedit vsque ad interiora velaminis: quæ initium non haberet, si sacramenta, quæ continet, persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis probare contenderet. Adspergit sacerdos, vmbræ deseruiens, ad Orientem versùs propitiatorium, sanctuarium & tabernaculum sanguine vituli, & eodem ritu sanguine hirci immolati: quia idem Christus qui figurabatur per vitulũ, significabatur & per hircum pro peccato oblatum. Adspergit & Christus ad Orientem, id est, ad patrẽ, à quo ortus est ascendens, ipsum scilicet patrem, quem adspersione sui sanguinis propitium nobis fecit. Adspergit & sanctuarium & tabernaculum, quia per proprium sanguinem introiens in sancta, pacificauit diuina & humana: quia, sicut dicit Apostolus, complacuit patri in ipso instaurare omnia, quæ sunt in cælis, & quæ sunt in terra, id est, Ecclesiam, quæ in terris propter inobedientiam primi parentis erat perdita, in cælis verò propter ruinam apostatæ angeli imminuta. Imitatur sacerdos noster intra sacra mysteria, tamquàm intra velum, hanc Christi sanguinis adspersionem, quotiès sacramenta ipsa ad Orientẽ versùs, vndè nobis Saluator aduenit, typicis vel propriis nominibus nominãs, eadem signo crucis consignat. Quid est enim, inter ipsa mysteria rebus sacratis vel sacrãdis signum crucis superponere, nisì mortem Domini commemorare? Vndè & Dominus formã consecrandi corporis & sanguinis sui tradens, ait inter cætera: Hoc facite in meã commemorationem. Quotiescunquè hoc facitis, mortem Domini annunciabitis donèc veniat. Commemorata deniquè adspersione sanguinis Christi verbis Dominicis, sequuntur verba sacramentorum, eandem sanguinis adspersionem commemorantia, ex voce sacerdotis orationem suam ad patrem intendentis: Vndè & memores Domine nos tui serui passionis filij tui, resurrectionis & ascensionis, offerimus maiestati tuæ, id est, oblatam commemoramus per hęc dona tua visibilia, tibi hostiam puram, id est, sine fermento malitiæ, sanctam, id est, tibi consecratam, immaculatam, id est, talem qualem significabãt animalia, quæ immolanda sine macula quęrebantur. Et hanc veris sacrificiis commemorationem postulat sacerdos ità Deo patri fore acceptam, sicut accepta fuerunt munera Abel, Abrahę, Melchisedech, in quorum oblationibus initiata sunt noui sacerdotij sacramenta, nondùm instituto Leuitici ordinis sacerdotio. Quid per Abel figuratur nisì Christus, qui innocens à nocentibus occisus est? Quid per Abraham, nisì obedientia, qua patri obediens fuit vsq; ad mortem? Quid item per Melchisedec, nisí idem Christus, panem & vinum in corpus suum commutans, & hunc noui sacerdotij ritum discipulis suis cõmendans? Nec mirandum est, nec superfluitati ascribendum, si in sacramentis nostris hoc frequenter commemoratur, quod in veteribus vmbris nõ ociosè frequenter figurabatur. Post thymiamatis oblationem, post adspersum sanguinem vituli & hirci, sanctuarium, & tabernaculum & altare, mittunt filij Aarõ manus suas super caput arietis capri emissarij, & imprecãtes ei, mittũt eum viuum in solitudinem portantẽ peccata filiorum Israel. Dehinc reuertitur summus sacerdos in castra, orans pro domo sua, & pro omni cœtu filiorum Israel. Mittunt quippe manus suas Iudęi, veteri vmbræ seruientes, in Christum, id est, diuinitati eius, quæ caput humanitatis erat, secundùm Apostolum dicentem, caput Christi Deus: resistentes, imprecati sunt sibi, Christo imprecantes, Sãguis eius super nos & super filios nostros: cũ viuum miserunt in solitudnem, qui diuinitati eius nocere non potuerunt, quia ad illam solitariam gloriam, quam habet cum patre, de morte carnis liberum ascẽdere dimiserunt, per hominem paratum, id est, per seipsum, portantem peccata filiorũ Israel, id est, tollentem peccata mundi, non habentẽ. Hoc commemorat sacerdos noster, dicendo Deo patri: Iube hæc perferri per manus angeli tui in sublime altare tuum. Quis est iste angelus, nisì, angelus magni consilij, qui proprijs manibus, id est, singulari dignitate prædictis operibus cęlos meruit ascendere, & in sublime altare, id est, ad dexteram patris pro nobis interpellans, seipsum subleuare? Remittitur dehinc summus pontifex in castra, & Dominus dicit discipulis, instruens eos de assumptione sua, Ego vobiscum sum * vsq; ad consummationem seculi. Hoc vtrunque sacerdos imitatur. Primum, suis precibus leuans Christi corpus super oẽm cęlestium sublimitatem. Indè quasi rediens ad castra, dicit: Vt quotquot ex hac altaris participatione sacrosanctũ corpus & sanguinẽ dilectissimi filij tui sumpserimus, omni benedictione cęlesti replcamur. Eccè ad memoriam veniunt verba beati Andreę Apostoli, quibus asserit & in cęlis esse corpus Domini, & de altari posse sumi corpus Domini. Cuius, inquit, carnes cùm sint comestę in terris à populo, & sanguis eius bibitus, ipse tamen vsque in tempora * restitutionis omnium, in cælestibus ad dexterã patris integer perseuerat & viuus. Si queris, qualiter id fieri posit, breuiter respõdebo: Quia sacramentũ fidei est, salubriter credi potest: inuestigari, nisi periculosè, nõ potest. Indè est quòd quidã carnales discipuli receserunt ab eo, cùm dixisset: Nisì manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitã. Putauerunt enim qđ erogaturus esset eis corpus suum, vel elixũ in

1. Cor. 11.

Col. 1.

Rom. 8.

* omnibus diebus Matt. 28.

* resurrectionis

Ioan. 6.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Ibid. lebetibus, vel assum in veribus. Vndè & Dominus eos qui remanserant, instruit, dicens: Si videritis filium hominis ascendentem, vbi erat priùs. Ac si diceret: Tunc intelligetis, qa non eo modo quo putabatis, erogat corpus suum, & quia gratia Dei non consumitur morsibus. Vndè Augustinus in expositione psalmi quinquagesimiquarti: Donec finiatur seculum, sursùm est Dominus: sed tamen hìc etiam nobiscum veritas est Dominus. Ecce habemus Christum integrum in cœlo per ostensionem carnis, patrem interpellantem pro nobis: Habemus & corpus itegrum in sacramento altaris. In supernis oratio filij eius est: Volo pater, vt vbi ego sum, illic sit & meus minister: Hæc oratio est pro familia sua, pro membris suis. Et hoc est, quod legitur summus sacerdos in castra reuersus, lauare vestimenta sua. Christus enim in castris, id est, in Ecclesia, lauat vestimenta sua, cùm mundat per baptismum, vel per confessionem peccata nostra, qui vestis eius sumus, sicut dicitur per prophetam: His omnibus sicut vestimento vestiéris. Lauat & sacerdos, post altitudinem secretorum ad curam inferiorum descendens, vestimenta sua: cùm sibi adhærentium populorum luget peccata, & eos DEO reconciliare studet per orationum suffragia, dicens cum propheta: Quis dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontem lachrymarum, vt lugeam interfectos populi mei? Hæc cõtinent* sequentes orationes, tam mortuorum quàm viuorum mentionem facientes. Sed notandum, quòd inter istas orationes adhibentur Sanctorum suffragia, Apostolorum scilicet & Martyrum, quorum exemplis informari, & meritis muniri præsens poscit Ecclesia. Concinit autem veteri sacerdotio ista præcedẽtium patrum commemoratio. In duobus enim vestimentis portabat pontifex, sancta ingrediens, patriarcharum nomina, in rationali & in superhumerali, quæ colligata erant adinuicèm, significãte Spiritu sancto, vt sacerdos Christi iustitiam & veritatem, quã habet in corde, studeat habere in operatione: Pectus enim locus est cordis, humerus verò locus est portandi oneris. Ad hanc similitudinẽ inter sacramẽta nostra bis habetur sanctorum commemoratio: Vt sacerdos noster gesta sanctorum & corde meditetur, & factis imitetur. Facta sanctorum commemoratione, sacerdos de meritis suis non præsumens, orat, vt sanctorum meritis assequamur quod nostris meritis non valemus: & hoc tantùm per mediatorem, qui factus est nobis propitiatio, redemptio & sanctificatio. Per quem nobis hæc sacramenta instituta sunt ad medicinam vulnerum nostrorum. Et hoc est, quod sequitur: Per quem hæc omnia creas, i. in aliam essentiã & efficientiam mutas, quàm eorum prima conditio habeat, & visus ostendat. Sanctificas, viuificas, i. sanctitatis & vitæ sacramenta efficis. Sequitur: Per ipsum est tibi omnis honor & gloria, id est, quia per ipsum cuncta operaris, meritò per ipsum, qui etiàm ex te est, ab omnibus super omnia DEVS honoraris, & omnium laude glorificaris. Et cum ipso est tibi gloria, quia & ipse filius in operibus quæ per eum facis, sicut coæqualis tecum honoratur, & conglorificatur: & in ipso est tibi spiritalis gloria, sicut ipse per columbæ tuæ vocem dixisti: Hic est filius meus dilectus, in quo mihi benè complacui. In his verbis ascensionem Domini manifestè commemoramus, in quibus filium cum patre honorari pari gloria profitemur. Quibus laudibus tãquàm de interioribus ad exteriora procedens, assensum quærit Ecclesiæ sacerdos, dicens sonora voce: Per omnia secula seculorum. Supplet populus super orationem eius locum idiotæ, & respondet, Amen. Hac vna participẽ voce se faciens omnium charismatum, quæ sacerdos multiplici sacramentorum diuersitate studuit impetrare. Iam ergò quasi mutato habitu, quo vtebatur dum sacra mysteria tractaret, mutat vocẽ: & deincèps tamquàm in exteriori æde, quæ restant sacramẽta Missæ perficit, hortans secum populum ad faciendã Dominicam orationem, qua & sacramentorum consecratio perficiatur, & populus ad perficienda eadẽ sacramenta, orando præparetur. Sequitur indè sacramentorũ comminutio, quam ex Domini nostri traditione accepimus: qui corpus suum propriis manibus consecratum, fregit, & discipulis suis distribuit. In qua fractione passionẽ suam designauit mox futuram: & sigillum veterũ scripturarum, sub quo spiritualis intelligentia supersubstantialis animæ panis claudebatur, aperuit. Quòd verò idẽ corpus discipulis distribuit, incorporandã sibi Ecclesiam cælesti victuram pane figurauit. Hoc & in oblatione summi sacerdotis præfiguratum fuit, qui de fragmentis similaginis oleo consperſæ, manè, & post meridem offerre iubetur, vt interni panis suauitas, quæ manè, id est, primitùs in litera latebat, post meridiem, id est, luce veritatis apparente, credentibus misericorditer gustanda præberetur. Nos quoq; non ociosè sacramentum corporis Christi in tres partes diuidimus, quia & Christi passionem per hoc cõmemoramus præteritam, quã ille significabat venturam: Et hoc numero tria intelligimus, quibus capitis (id est, Christi,) & Ecclesiæ vnitatem commendamus. Prima enim portione, substantiu um Christi corpus figuramus, quod sabbato quieuit in sepulcro, de quo ipse Dñs dicit in psalmo: Caro mea requiescet in spe. Et sequentibus verbis suã promittit resurrectionem, & ad dexteram patris confessionẽ. Nec dabis sanctum tuum videre corruptionem: Notas mihi fecisti vias vitæ, adimplebis me lętitia cum vultu tuo, delectationes in dextera tua vsque in finem. Secunda portio, quam cum prima in patena ponimus, illam Christi corporis, id est, Ecclesiæ partem significat, quæ iam cum capite suo quasi in sabbato quiescit, & vnam iam

Ioan. 17. & 12.

Esa. 45.

Iere. 9.

*frequẽtes

1. Ioan. 2. 1. Cor. 1.

Matt. 3. & 17.

1. Cor. 14

Psal. 15.

iam immortalitatis stolam possidet, in qua illũ latronem credimus esse, cui in cruce confitenti Dominus dixit: Hodiè meecũ eris in paradiso, & de qua cantat Ecclesia, Gaudent in cælis animæ sanctorum. Tertia portio, quam in sanguine ponimus, illam Ecclesiæ partem significat, quæ calicem Domini bibit, id est, Christi passionem imitatur, cùm Apostolis à Domino dictum est: In me pacem habebitis, in mundo autem pressuram habebitis. Facta communione sacramenti, & completa oratione, quæ subnectitur Dominicæ orationi, communicat sacerdos & ministri, *certis diebus fideles populi. In qua re iterùm significatur vnitas capitis, id est, Christi & Ecclesiæ, id est, corporis Christi, sicut ipse dicit: Qui manducat carnem meam, & bibit sanguinem meum, in me manet, & ego in eo. Consideratione trium portionum suprà memoratarum, dum sacramenta sumuntur, ter agnus Dei à choro cantatur. Primò orat ecclesia agnum non figurantem istum agnum, sed verum, tollentem peccata mundi, vt inter eius membra numeretur, cuius corpori cõmunicat & sanguini, id est, vt adhæreat ei tamquàm capiti. Orat secundò eundem agnum, quatenus sortietur illi parti corporis Christi, quæ iam cum capite quiescit in pace. Hoc in superioribus orauit sacerdos, cùm memoratis Apostolis & martyribus addidit, Intra quorum nos consortiũ non æstimator meriti, sed veniæ quæsumus largitor, admitte. Tertiò orat eundem agnũ, vt mundi pressuris non superetur, & malitia, quod superius comprehendebat oratio Dominica, Et nè nos inducas in tentationem, sed libera nos à malo, Amen. Et hoc ipsum cõtinet Dominicæ orationi connexa oratio. Nihil iam restat de carnibus agni, quod non assumat hæc oratio. Deuorat caput, cùm seipsam facit ei corpus: deuorat intestina, cùm cõputari vult & concorporari inter intima eius membra: deuorat pedes, dum illos sibi incorporare studet, qui cum capite laboraturi sunt in terra. Vndè in hac tertia oratione, pacem sibi dari poscit Ecclesia. Redit post hæc sacerdos ad dexterã partem altaris, & ibi officium Missæ consummat, significans quia cùm plenitudo gentium intrauerit, tunc omnis Israel saluus erit. Notãdum est, quòd post contrectata & sumpta sacramenta, sacerdos antè quàm se conuertat ad conuentum Ecclesiæ, qui tantæ sanctitatis participatione mundatus esse debuerat, tamquàm à contactu immundæ & moribundæ rei manus lauat, & in locum sacrum huic cultui deputatum, ipsa aqua vergitur, quæ omnia sine magnæ rei sacramento fieri non videntur. Vbi mihi occurrit, quod huic facto concinit, videlicet, quòd sacerdos in die propitiationis, postquàm crematæ fuerant carnes vituli, & hirci extra castra, non antè in castra reuertebatur, donèc vestimenta eius & carnes eius, quæ exteriora & interiora significant, ablucrentur. Et tamen ità totus secundùm legem, vsque ad vesperam immundus reputabatur. Qui enim carnes victimarum extra castra cremabant, Christi passionem extra ciuitatem factam præfigurabant. Nostri autẽ sacerdotes passionem, quam illi (vt dictum est) præfigurabant, in celebrationibus Missarum factam esse commorant, & tamen se immundos vsque ad vesperã, id est, quandiù viuunt, & tantis mysterijs exequendis indignos se iudicant. Vndè ait beatus Ioannes: Si dixerimus quia peccatum non habemus, nosipsos seducimus, & veritas in nobis non est. Indè & Dominus in Euangelio: Cùm feceritis quæ præcipio vobis, dicite, quia serui inutiles sumus: fecimus quæ facere debuimus. Idcircò manus lauant, & aquam ablutionis honestè tractant, per quod altitudinẽ sacramenti honorant, & indignitatẽ suam tali ablutione cõmemorant. Ità & sacerdos antequàm ad sacramenta tractãda accedat, manus lauat: sicut pontifex sancta sanctorum ingressurus, in introitu tabernaculi testimonij manus suas lauabit, & sic ad incendenda aromata veniebat. Hæc munditia exhibetur exteriùs, sed interiùs perfici iubetur, quia omnis gloria filię regis ab intùs. Non enim lutum manuum nostrarum sacrosancta sacramenta contaminat: sed nos, qui nisi correctis moribus & castigatis actibus ad ea tractanda & sumenda accedamus, non indè medicinã vitæ accipimus, sed iudicium mortis incurrimus. Testis est Apostolus, dicens: Qui indignè manducat & bibit, iudicium sibi manducat & bibit. Vndè satagendum est, vt sicut exteriora abluuntur inquinamenta manuũ, sic interiora purgentur illecebrosa desideria mentium. Sequuntur dehinc orationes, in quibus fit perceptorum beneficiorum commemoratio, & gratiarum actio: quæ duo sunt tãquàm cineres vitulæ extra castra combustæ, quos reponit homo mundus ab interfectione Christi in loco mundo, id est, retinet in corde mundo. Extra castra, id est, extra obseruantiã Iudaicã, extra quam fides Christiana enituit. Quibus omnibus expletis, dicit sacerdos vel Leuita: Ite, Missa est, id est, meditatio & interceſſio quam *ministrauerã, consummata est. Possent quæ scripsimus, multis veterum figuris replicari, & multis expositionũ diuersitatibus dilatari, multis schematum phaleris exornari: sed non fuit propositum nostrum in hoc opusculo ità exequi, & plantare nemus in domo Domini. Tantùm fuit propositum nostrum, conuenientiam quærere inter vetus & nouum sacerdotium: vt quod ibi multiplici sacrificiorum ritu præfigurabatur, in nouo sacerdotio paucissimis & factu facillimis & augustissimis sacramentorum obseruationibus completum esse monstretur. Nec nos hæc sufficienter feciſſe confidimus: sed confidimus de eo, qui per quendam sapientem dixit: Pertransibunt plurimi, & multiplex erit scientia: quia contemporanei nostri vel successores, nostra pia præsumptione prouocati, prout eis Deus donauerit,

Lucæ 23.

Ioan. 16.

*cunctis

Ioan. 6.

Matt. 6.

Rom. 11.

1. Cor. 11.

*insumpserat

Dan 12.

Universidad de Deusto
Biblioteca

dicent maiores maiora, & meliores meliora: & si quid impolitum vel minùs perfectum, quantùm ad propositum meum, in hoc opusculo inuenerint, parcent charitati, quæ forsitã ad vnguem dicere non valuit, quod voluit.

QUARE DEUS NATUS & passus sit.

COrruptum peccatis originalibus & actualibus mundum, mundi conditor secreto & mirabili cõsilio per mysterium verbi incarnati eiusdẽ mundi lapsum voluit reparare: qui eo verbo, quo potuit de nihilo cuncta creare: potuit, quæ perdita fuerant, reformare. Ipse namque dixit, & facta sunt: ipse madauit, & creata sunt. Hanc eius potentiam non credimus minoratam, non credimus immutatam, apud quem non est transformatio, nec vicissitudinis obũbratio: quo minùs esset potens, & sapiens in reformando, quàm fuerat in plasmando. Omnipotentis quippe figuli manus, cuius vniuersæ vię misericordia & veritas, quæ lutum de terra leuatum, rationalis naturæ dignitate sublimauerat, sic voluit ruinam vasis fragilis reformare, vt nec peccatum hominis dimitteret impunitum, quia iustus est: nec insanabile, quia misericors est. Si iustus tantùm esset, cuius sapientia attingit à fine vsque ad finem fortiter, & disponit omnia suauiter, potuit sua fortitudine aduersùs seductorem humani generis contendere, & ouem perditam ad gregem reductam, suo Domino restituere: Sed hoc modo videretur eminentiã tantùm ostendisse virtutis suæ, non medicinalem misericordiã impendisse redemptis: nec appareret, quanta charitate conditor creaturã diligebat, à qua se diligendũ esse multiplici beneficio expetebat: quatenùs miser homo, præcedẽte gratia, obtineret etiam per meritum, quod ei malè merito rependebatur indebitũ. Quod ergò Dei sapientia potuit facere sapienter & fortiter, voluit facere suauiter, vniens sibi infirmitatem carnis nostræ, quam primò in se sanaret, & per hanc quasi medicinalem confectionem, generi humano sanitatem restitueret: nõ quòd non potuerit aliter fieri, quantùm ad peritiam & potentiã medici, sed quia non potuit commodius antidotum procurari, quantùm ad complexionem ægroti. Quod enim infirmum est Dei, fortius est hominibus: & quod stultum est Dei, sapientius est hominibus. Hæc *conuersatio nobis specialis esse videtur, cùr Dei filius hominem induere voluerit, & inter homines conuersari, vt mortalitatem quam à nobis acceperat, moriendo superaret: & naturam nostram supra primæ originis dignitatem repararet secum ad immortalitatem reuocaret, vt eò sequeretur humilitas gregis, quò præcelsit celsitudo pastoris. Sic radius solis humorem, quẽ adsè trahit, exiccat: ipse tamen virtutem caloris sui & splendoris nec minorat, nec immutat.

Pſal. 32. & 148.
Iac. 1.
Pſal. 24.
Sap. 8.
1. cor. 1.
*causa

A Sic ignis materiam quam assumit, in se conuertit: naturã verò suam ideò nec mutat, nec minuit. Multo fortiùs ille ignis, de quo dicitur, Deus noster ignis consumens est, mortalitatẽ nostrã & passibilitatem in se assumpsit: & indè gratia *sanitatis totum corpus resumpsit. Mirabile & incomparabile genus medicinę, propter quam medicus voluit ægrotare: & ægrotos, quibus salutis remedium procurabat, sua decreuit infirmitate sanare. In hoc appáret, quàm incõparabili charitate nos dilexerit: quia in eo, quod desertores suos quæsiuit, semen Abrahæ apprehẽdit, errãtes reduxit, saucios curauit, ni
B hil sibi addidit: non est indè factus altior, non est factus indè beatior: Tota hæc dispensatio nostræ vtilitati consuluit: nostræ saluti militauit: diuinæ potentiæ nil contulit. Nam & cùm essemus vasa contumeliæ, omnipotentis figuli manum effugere non potuimus, vtebatur vasis iræ, prout volebat, ad manifestationẽ suæ gloriæ. Sic enim dictum est Pharaoni: In hoc ipsũ excitaui te, vt ostendam in te virtutem meam, & annuncietur nomẽ meum in vniuersa terra. Nõnne & dæmones, cùm eijcerentur à Domino de corporibus obsessis, Dominum glorificabant, quandò dicebant: Quid nobis & tibi Iesu
C fili Dei viui? quid venisti ante tempus torquere nos? Constat ergò ex his & huiusmodi alijs, quia diuina virtus nostra reparatione non eguit: sed tamen ea bonitate, qua nos condidit, eadem reformare nos voluit: & ad hoc, medicamen non quàm forte potuit, sed quod lenius complexioni ægrotatis competere conspexit, apposuit. Solent qppe medici periti ægritudines, quas curandas suscipiunt, aliquandò curare per contraria, aliquandò per similia. Hoc fecit Dominus noster Iesus Christus, sua paup
D tate nos ditans, sua humilitate nos subleuans, sua infirmitate nos sanans, sua morte nos viuificans. Sic ratione medicinæ sicca humidis, humida siccis, calida frigidis apponuntur, & minùs fortia contraria, à fortioribus contrarijs superuenientibus superantur. Simili ratione similia similibus apponuntur, cum secundùm quantitatem vulnerum vel tumorum, mensurantur longitudo vel latitudo epithematum. Sic scorpionis carnes oleo coctæ, percussionibus medentur scorpionum. Sic theriaca
E de serpentis carne confectum morsibus serpentis ocurrit: & potiones veneno infectas, in potu sumptum expellit. Ad hanc similitudinem medicus noster mortem nostræ carni, de serpente venientem, carnis suæ morte sanauit, & ad immortalitatis suæ speciem in tempore restitutionis complendam, reformauit. Vbi diligentiùs attendendum est, quòd mors quæ per lignum venit, per lignum superata est. Et ipsa ligni forma, longitudini & latitudini & altitudini humani configurata est corporis, quo sicut totum corpus motum est, vt manus ad vetitum extenderentur, ità corpus per omnia membra sua in cruce distenderetur, & totum

Heb. 12.
*sanitatem
Exod. 9.
Rom. 9.
Mar. 1.

quod

quod reatu paterni delicti confractum fuerat, huius emplastri malaxatione consolidaretur. Sed huic medicamento per similia composito, admixtum est medicamentum factum per oppositum. Nam hic sanauit obedientia, quod ibi corruperat inobedientia: Et quòd ibi contaminauit gulæ oblectamentum, hic reformauit crucis tormentum. Continetur in hac crucis figura altius sacramentum: quod quanto est altius, tanto est attendendum diligentiùs. Intelligitur namque in latitudine crucis dilectio proximi: quæ non tantùm vsque ad amicos, sed etiam extendenda est vsque ad diligendos
B inimicos. Intelligitur quoquè in eiusdem longitudine longa & perseuerans laborũ & persecutionũ sustinentia, quã patiẽter ferre debet ad patriam spirans nostra peregrinatio, tam pro dilectione proximorum, quàm pro exhibitione omnium bonorum operum. Figuratur simili ratione in altitudine eius, eminentia spei penetrans vsq; ad interiora velaminis, vbi visione pacis perfruentur, qui hic à ciuibus Babyloniæ multipliciter exercentur: donec in libertatem gloriæ filiorũ Dei, à seruitute corruptionis huius liberentur. Significauit hanc latitudinẽ charitatis Dominus Iesus in cruce, caput
C ad Orientem subrigens, pedes ad Occidentem summittens, manus ad Aquilonẽ & Austrum extendens: vt adimpleretquod de se ante passionem suam prædixerat: Cùm exaltatus fuero à terra, id est, cùm crucifixus fuero, omnia traham ad meipsum, id est, conuocabo ad me totum mundum. Hoc sacramento crucis, *sanctus Heliseus filium Sunamitis, os ori, manus suas manibus eius applicans, fulcitauit, & viuũ matri restituit. Eiusdem virtute sacramenti, Moyses in deserto bis silicem virga percussit, &
D sitienti populo aquam de petra produxit. Bina quippe percussio duum lignorum, figuratè intelligitur in cruce facta compactio. Bis ergò petra percutitur, cùm CHRISTVS, de quo dicit Apostolus, petra autem erat CHRISTVS, in duobus lignis crucis extensus, lancea perforatur. De hac petra aqua profluxit, cùm sanguis redemptionis & aqua baptismatis, quibus in nouum hominem transformamur, de latere CHRISTI manauit. Prætereà inter has crucis dimensiones, solerter attendẽda est crucis profunditas, quia profundum est
E mysterium crucis: in quo multorum, qui sapiẽtes videbãtur esse, ingenia defecerunt, qui hoc ausi sunt reprehendere, quod non potuerunt humana ratione comprehendere: videlicet, cur verbum Deo patri coæternum, omnia continens, omnia implens, in assumpto homine totum se incluserit, & tamen totum mundum regere, complere, & continere non desierit, non satìs considerantes, quod valet in minori, multo magìs posse valere in maiori, cùm vox vna & tota de ore loquentis prodeat, & tota ad aures multorũ perueniat. Qui de hac quæstione scrupulosiùs disputant, & tamquàm clauso

Ioan. 12.
4. Reg. 4.
1. Cor. 10.
Pſal. 61.
*voluntaria & subiecta humilitas,
*redemptis.

A ostio ad parietem palpant, audiant primùm dicentem Apostolum: O homo, tu quis es qui respondeas Deo? Deindè miteſcant, & cum pietate pulsent, vt aperiatur eis, & intelligent iustum fuisse conditorem in condemnando, & misericordem in redimendo: Nec potuisse sanari sine misericordia, quod iustè condemnauerat omnipotentis iustitia. Hinc consequenter aduertent, cùm vsque ad captiuati hominis paupertatem & crucis ignominiam se humiliauerit diuina omnipotentia, quæ in paradiso reum hominem iusta condemnauerit sen-
B tentia. Cùm enim de perpetrata à Domino arguereturinobedientia, non se humiliter, vt culpa exigebat, accusauit, sed auctorem superbè accusauit, dicens: Mulier quam dedisti mihi sociam, dedit mihi de fructu, & comedi. Hæc dicendo, se putauit excusatum: & creatorem, mulieris conditorem, quæ ad peccandum virum traxerat, esse inculpatum. Qui si humiliter se accusasset, & in auctorem suum culpam non retorsisset, à paradiso non exulasset. Erat autem contra diuinam iustitiam, si reum impœnitentem in pristinum gradum restituisset, &
C non vsque ad dignum pœnitentiæ fructum qua vellet ratione compelleret. Diuina itaque sententia morti est adiudicatus, & cum tota posteritate, quæ de lumbis eius erat processura, eiectus est de paradiso, & ærumnoso condemnatus exilio: & quì sine pœnitentia in statum suum redire non poterat, mouendus & admonendus erat ad pœnitentiam, vt reformaret voluntarium *subdita humilitas, quem corruperat malè erecta iniquitas. Non enim conueniens erat, vt inuitus traheretur ad pœnitentiam, qui spontaneus corruerat in pœnam: nè itidèm ingratus existeret suæ reformationi, sicut extiterat primæ conditioni.
D Prouisum est igitur tale medicamentum, quale conueniebat ægroto, quod duritiam tumoris sic emolliret, vt mollefactus, sponte mortiferum virus effunderet, dicente psalmista: Effundite coram illo corda vestra, id est, per confessionem eijcite de conscientijs vestris omnia immunda. Quod quandiù tardauit facere mundus, tandiù remansit immundus. Vt ergò hoc fieret, misit medicus noster præcones & testes suos ante se legislatores & prophe-
E tas, qui corda auditorum ad pœnitentiam præpararent, & ei in tempore gratię testimonium perhiberent. Venit ipse medicus in tempore plenitudinis, publicè prædicauit causam aduentus sui, factus est doctor medicinę, dicens: Pœnitentiam agite, appropinquabit enim regnum cælorum. Et item: Qui crediderit & baptizatus fuerit, saluus erit. Hoc consilium medicinæ acceperunt multi, contempserunt multi. Contemptoribus placuit adhuc magìs sibilus serpentis perimentis, quàm persuasio medici * redimentis. Filius verò adoptionis audiuit, & obaudiuit voci promittentis, qui in paradiso non obedierat

Philip. 2.
Gen. 3.
Matt. 4.
Mar. 16.

Universidad de Deusto
Biblioteca

obedierat præcepto mortẽ cõminantis. Expleta dispensatione doctrinæ suæ, & cæcitate in Israel ex parte perdurante, tandem exhibuit se medicum, & fecit de seipso medicamentum: exhibuit se sacerdotẽ, & fecit seipsum sacrificiũ, vt compleret ad quod venerat, & probaret, quãta dilectione dilexerat eos, pro quibus corpus suum in ara crucis offerebat. Vndè & in Euangelio suo antè prædixerat: Maiorem charitatẽ nemo habet, quàm vt animam suam ponat qs pro amicis suis. Ioan. 15. Hinc est quòd Apostolus dicit: Commendat charitatem suam Deus in nobis, quia cùm inimici essemus, reconciliauit nos sibi per mortem filij sui. Rom. 5. Et quia naturale est, vt homines diligentes se diligant, hac humilitate & charitate humiliata est & liquefacta duritia mundi, vt agnosceret beneficium suæ reparationis, qua non agnouerat excellentiã suæ conditionis. Vndè psalmista: Homo cùm in honore esset, non intellexit: comparatus est iumentis insipientibus, & similis factus est illis. Psal. 48. Postquàm verò ad se reuersus est, & per dilectionem redimentis, & eruditionem admonentis cognouit de quanta corruisset gloria, & in quanta versaretur miseria: expertus est, quòd magna indigeret misericordia, & impletũ est quod dicit psalmista: Multiplicatæ sunt infirmitates eorum, posteà accelerauerunt. Psal. 15. Prædicata est exindè virtus crucis p vniversũ mundũ, quæ partibus suis per quatuor mundi partes est extensa, & totum mundũ sua malaxatione cõplexata compleuit. Nec iam potuit ex toto mũdus esse ingratus, qui tanta fuerat charitate sanatus. Crucifixus nostèr à morte surrexit, cælos ascendit, crucẽ nobis in memoriã suę passionis reliquit. Crucẽ reliquit ad sanitatẽ, crucem reliquit ad sanctificationẽ. Hoc signo dæmones fugantur, hoc antidoto sanitates perficiũtur: hoc signum præsidiũ est amicis, obstaculum inimicis. Huius crucis mysterio rudes catechizantur, eodem mysterio fons regenerationis consecratur: eiusdem crucis signo p manus impositionem baptizati, dona gratiarum accipiunt: cum eiusdem crucis signo charactere basilicæ dedicantur, altaria consecrantur, altaris sacramenta cum* interpositione Dominicorum verborum conficiuntur. Sacerdotes & Leuitę per hoc idem ad sacros ordines promouentur, & vniuersaliter omnia sacramenta ecclesiastica in eis perficiuntur. Qui hoc mare magnum & spatiosum, in quo sunt reptilia, quorum non est numerus, absq; naufragio transire desiderat, crucem sequatur, crucem teneat, & eam non deserat, donec ad optatum salutis portum perueniat. Hoc cursum nostrum dirigit, hoc ad agonem nos instruit, hoc in luctamine adiuuat, hoc ad victoriam prouehit, hoc maleficia destruit: & omnia dæmonũ machinamenta ad nihilum redigit. Et quòd faciebat in terris corporalis Christi præsentia, hoc facit cum fideli inuocatione nominis Christi, victoriosæ crucis insignita memoria. Longum est per singula virtutem crucis exponere. Qui verò in angaria Christi crucem portat, poterit plura de eius virtute experimento cognoscere, quàm possit sermo retexere, vel humana cogitatio comprehendere.

*impositione

DE ADVENTV DOMINI SERMO.

QVoniam præsentium obseruatione dierum, vtrunque Christi aduentum celebramus, distinguendum est fraternitati vestræ, quid hac obseruatione præteritum debeatis credere, quid futurum expectare, quatenùs expectatio futurorum, per timorem solicitos vos compescat à malis: præteritorum autem fides, per charitatem non tepescentes, confirmet in bonis. Dominum enim iam in forma serui venisse, vt iudicaretur, nemo est vestrum qui dubitet: eum in eadem forma venturum vt iudicet, nemo est vestrum qui neget. Primus ergò aduentus eius occultus, secundus manifestus. De primo enim aduentu eius ità legitur: Et homo est, & quis cognoscet eum? Pſal. 86. Et in Euangelio: Lux in tenebris lucet, & tenebræ eum non cognouerunt, & multa in hunc modum. Ioan. 1. De secundo autem ità habetur in psalmo: DEVS nostèr manifestè veniet, & non silebit. Psal. 49. Primo quidem aduentu siluit, non à præcepto, sed à iudicio. Cùm enim malediceretur, non maledicebat: cum pateretur, non comminabatur, & sicut agnus coram tondente se, sic non aperuit os suum. 1. Pet. 2. Esa. 53. Secundo non silebit, cùm vnicuique reddet secundùm opera sua. Matt. 16. Ità enim dicturus est eis, qui à sinistris eius erunt: Ite maledicti in ignem æternum. Matt. 25. Ità verò his qui à dextris eius erunt: Venite benedicti patris mei: percipite regnum quod vobis paratum est ab origine mundi. Primus aduentus cum humilitate & mansuetudine, secundus cum terrore & maiestate. Zach. 9. Matt. 21. De primo enim per prophetam dicitur Ecclesiæ: Ecce rex tuus venit tibi mansuetus & humilis. De terrore secundi ità dicitur in psalmo: Ignis in conspectu eius exardescet, & in circuitu eius tempestas valida, vt reprobos à gloria visionis eius tempestas procùl pellat, quos deinceps ignis* exurat. Pſal. 49. * vrat. Esa. 26. De hac tempestate scriptũ est: Tollatur impius, nè videat gloriam Dei. Deut. 32. De igne autem, cui tradendi sunt reprobi, ità dicit Dominus per Moysen: Ignis succẽsus est in furore meo, & ardebit vsque inferni nouissima. Cum maiestate quoquè se venturum ad iudicium, ipse sic dicit: Cùm venerit filius hominis in maiestate sua, congregabuntur ante eũ omnes gentes. Mat. 25. Primo aduentu venit impios iustificare, secundo venturus est impios condẽnare. Primo venit auersos reuocare, secundo conuersos glorificare. Primo aduentu Christus pro impijs indebitæ morti traditus est, secundo impios debitæ morti traditurus est. Primo aduentu venit nos intus reformare ad imaginem

Phil. 3. ginem Dei. Secundo autem reformabit corpus humilitatis nostræ, configuratum corpori claritatis suæ. Sicut enim per primum hominem terrenum, peccatum intrauit in mundum, & Rom. 5. per peccatum mors, ita congruum erat, vt per secundum hominem cælestem, homo primùm 1. Cor. 15. à peccato iustificaretur, postmodum per eundem immortalitati restitueretur. Eo enim ordine quo perierat, eo ordine reparandus erat. Prima quippe mors, præuaricatio: ex qua generata est secunda, per subtractionem animæ, carnis corruptio. Ità ergò prima resurrectio, iustificatio: secunda, in immortalitatem carnis corruptæ reformatio. Quia verò vterque aduẽtus nostræ restautioni fuit necessarius, vtrũque sub vnius temporis obseruatione sancta venerari consueuit Ecclesia, vt inchoata prioris beneficia recolat cum gratiarum actione, consummata verò futuri aduentus bona, cum pia expectet trepidatione. Idcircò ea quæ de vtroque Domini aduentu in lege & Prophetis & Psalmis & Euangelio scripta sunt, his quatuor hebdomadibus specialius legẽdo & cantando recitantur in Ecclesia, vt his quatuor testimoniorum generibus, de perceptis beneficiis ad gratiarum actionem * muniamur, ad futuram verò, solicitudine non pigra præparemur. Conseruemus igitur primam innocentiæ stolam, quam in primo aduentu recepimus, vt cum ea ad nuptias patrisfamilias occurrentes, alteram quoque stolam immortalitatis percipere mereamur. Mundemus nos ab omni inquinamento carnis & spiritus: vt quem redemptorem læti suscipimus, venientem quoque iudicẽ 1. Cor. 3. securi videamus. Dies Domini, sicut ait Apostolus, quale sit opus vniuscuiusque declarabit, quia in igne reuelabitur. In die quippe Domini iste aer terræ vicinus, quousque aquę diluuij ascenderunt, igne replebitur: per quẽ transibit omnis resurgẽs, qui ante tribunal Christi præsentabitur. Sicut verò ignis aurum & argentum aut probat, aut purgat: sic ignis iste resurgentium opera perfecta probabit, imperfecta purgabit. Ibid. Sic enim dicit Apostolus: Si cuius opus manserit, igne probabitur: Si cuius opus arserit, ipse saluus erit, sic tamen quasi per ignem. Hæc scientes charissimi, præparemus nos * in aduentum iudicis: vt non quod condemnet, sed quod coronet, in nobis inueniat. Pſal. 94. Præoccupemus aduentum eius in confessione, plangamus mala, quæ fecimus: statuamus iudices cõscientias nostras aduersum nos: quia sicut ait Apostolus, Si nos iudicaremus, non vtique iudicaremur. 1. cor. 11. Summus enim Pontifex, qui seipsum pro nobis obtulit Deo patri, adhuc interpellat pro nobis ad dexteram patris: adhuc reseruat peccantibus locum veniæ, qui auersis & non reuersis postmodum solum reseruat locum vindictę. Heb. 9. Rom. 8. Dum igitur tempus habemus, vitemus vindictam prioris * vitæ per correctionem, quęramus misericordiã per obseruantiam iustitię, nè postremò aduersum nos districtus iudex sedeat, qui nunc pius pontifex pro nobis interpellat Iesus Christus Dominus noster. Rom. 8. Heb. 7.

* monea-mur

* ad

* vitæ correptione

SERMO DE NATIuitate Domini.

IN diuinę miserationis magnitudinem libet aciem mentis intendere, & quantum rationalis creatura suo debeat redemptori, ex beneficiorũ cõmemoratione colligere. Primò quidẽ quia hominẽ cũ non esset, mirabiliter de terra plasmauit, dehinc cum astutia serpentis & fallacia mulieris perditus esset, mirabilius reformauit. In plasmando mira potestas, in reformando mirabilior potestatis apparuit humilitas. Nec enim adeò humana miratur infirmitas, si potens aliquis innumeros seruos suę ditioni seruituros potenter acquirat, quàm si eosdem fugitiuos interim abscondita potestate, minis remissis, indebitæ humilitatis blandimentis reuocatos ap prehendat. In primo statu conditionis homo desipiens, quia timuit potestatem, non dilexit maiestatem: appetiuit libertatem, incurrit seruitutem: & qui per obedientiam potuit deificari, ex hoc ambiens vanitati meruit subiugari. Benignus ergò conditor nolens perire quod creauerat, in habitu serui conseruis apparuit, vt familiari colloquio insinuaret maiestatem, excitaret ad charitatem. Facto itaque collyrio de terra & saliua, cęci nati oculos aperuit, quia Dei sapiẽtia, in vnitate personę nostrę naturę coniuncta, in humano genere cæcato à prima origine intellectu, quo Deum cognosceret & amorem quo agnitum diligeret, reformauit, vt iam multiplici beneficio obligatum eum non amare non posset, cuius tam multa beneficia in se præcessisse cognosceret. In beneficio enim primę conditionis, sapientia & virtus conditoris enituit: in beneficio autem reconciliationis, quo auersos, & malè meritos ad se reuocauit, pœnas remisit, præmia repromisit: quantum, quod condidit amaret, euidenter ostendit, & sic in iis, quos prior dilexerat, ignem sui amoris accendit. Agnouit enim ęgrotus medicũ suę salutis affectuosum & peritum, miratus est humilitatem, miratus & sapientiam, dilexit sanitatem. Agnouit quòd pretiosum esset antidotum, quod cùm fecerat medicus suus ad euadendum morbum tam acutum, tam inueteratum: etiam ingratus esse non potuit, qui tot beneficia sui redẽptoris accepit. Humilitatem quippe agnouit, quia ipse medicus noster in infirmitate carnis nostrę tamquàm in lecto discubuit infirmantium, vt experiretur quid sanandum infirmis suis esset necessarium. Sapientiam quoque huius medici nouit ęgrotus, quia iuxta rationem medicinę, in quibusdam sanitatem contulit ęgrotis per similia, in quibusdam morbos euacuauit Ioan. 9.

Universidad de Deusto
Biblioteca

cuauit per contraria. Per similia quidem, quia natus est vt renasceremur: infirmatus est, passibilia nostræ mortalitatis perferendo, vt nos ab omni passibilitate seruaremur: Crucifixus est, nè nos cruciatibus æternis subiiceremur. Mortuus est temporaliter, nè nos in æternum moreremur: Suscitatus est, vt ei consuscitaremur: Ascendit, vt per suam ad dexteram Patris sessionem secum traheret deuoti gregis humilitatem. Si verò quibus contrariis contrarios morbos euacuauerit, attendatur: videmus, quia per personam serui nostram reparauit libertatem, per humilitatem suam deiecit antiqui hostis superbiam, per suam obedientiam, nostram sanauit inobedientiam. Hæc omnia & verbo docuit, & exemplo probauit, vt quæ imitanda proposuit, obedienter impleremus: quæ speranda promisit, sine hæsitatione speraremus. Quantù autem precium pro nobis redimendis soluerit iste medicus, à montibus audiamus. De profundo enim clamat ille mons altus, cui à monte mõtium commissæ sunt claues regni cælorum: Non enim corruptibilibus auro & argẽto redempti estis de vana vestra conuersatione, sed precioso sanguine agni immaculati. Huic consonat alius mons, à sole iustitiæ illustratus doctor Gentium: Empti estis precio magno, glorificate Deum & portate in corpore vestro. Agnus iste immaculatus non ille est, qui in veteri sacrificio requirebatur absque maculæ varietate de pecoribus natus: sed verus & innocens, de immaculato virginis vtero generatus: Non ille, cuius sanguine postes tingebantur, sed in cuius fide fidelium frontes crucis impressione signantur: Non ille, cuius sanguis sacerdotum manibus fundebatur, sed qui à seipso sacerdote vero pro salute nostra offerendus præfigurabatur. Neque enim æquè digna hostia, æquè munda potuit inueniri, quæ pro nobis emundandis offerretur, neq; sacerdos æquè dignus, æquè mũdus, à quo tam digna hostia dignè offerretur. Ipse enim de seipso sic ait: Nemo tollit animam meam à me, sed ego pono eam, & iterum sumo eam. Iste agnus sine macula & ruga virginem sibi sponsam sociauit, sicut sibi matrem virginem antea sanctificauit. Vndè natiuitas, qua temporaliter natus est Christus, non dissimilis est natiuitati, à qua spiritualiter nascitur Christianus. Sicut enim Christi mater virgo concepit, virgo peperit, virgo permansit: sic mater Ecclesia Christi sponsa, lauacro aquæ in verbo Christianos populos quotidiè generat, vt virgo permaneat. In illa carnis integritas, in hac commendatur fidei puritas. Audiamus Paulum amicum sponsi casto amore zelantem sponsam non sibi, sed sponso, Ecclesiæ Corinthiorum sic dicentem: Æmulor enim vos Dei æmulatione: despondi enim vos vni viro virginẽ castam exhibere Christo. Hic quidẽ pignore spiritus subarrhata in integritate fidei, in morum honestate, fidei virgo

Matt. 16. 1. Pe. 1.

2. Cor. 6.

Ioan 10.

2. Cor. 11.

A est de spe ad spem producenda, vt ibi plena iocunditate in pleno sponsi amore gaudeat, cuius *arces, contẽpta omni serpentis seductione, conseruat. Quomodo autem matrem carnis suę sanctificauerit, deinceps audiamus, vt indè lętetur catholicus, immundus confutetur hæreticus. Omnem quippe neuum tam originalis, quàm actualis culpę, in ea deleuit: sicq; carnem de carne eius sumens, eandem in diuinam munditiam transformauit. Etenim sic ait Scriptura: Deus noster ignis consumens est. Sicut ergò ignis materialis omnem materiam quam assumit, mundans, in se conuertit: sic materiale carnis nostrę, quod diuinus ignis assumpsit, diuinitatis expers esse nõ potuit, quatenus, quod Deus est per naturam, hoc inciperet habere per gratiam. Prima etenim humani generis parens, quia serpentinę persuasionis virus excepit, duplici maledicto succubuit, vt & cum viro mortem incurreret, & vt filios quos carnis delectatione conciperet, cum dolore parturiret. Huius maledictionis omnes filię Euę hęredes successerunt, & omnes filios suos sub necessarię mortis condemnatione genuerunt. Sola hęc mater, quę non sibilo serpẽtis, sed angeli nunciantis verbis credidit benedictionem, quæ vtrumque maledictum excluderet, audire promeruit: Benedicta tu in mulieribus, quia nec per cõcupiscentiam carnis concipies, nec filium in dolore paries: & benedictus fructus vẽtris tui, ipse videlicet filius, qui nec ex sanguinibus, neque ex voluntate viri natus, non necessitate, sed voluntate temporalem mortem subiit, & ab ęterna[nos morte liberauit. In hac Christi natiuitate Deus homo natus est, vt homines renascerentur dij. In hac inclinatur diuinitas, vt sublimetur humanitas. Inclinans se Deus tamquàm humilis & fortis adiutor, quasi humerum supponit ad subleuandum, & inter tantam dissimilitudinem corruptibilis naturæ & incommutabilis substantię, personam suam vtriusque naturæ participem, mediatricem opposuit, quę per id, quod nobis habet æquale, subleuaret, & tamquàm de laterna carnis lippientibus oculis, & solem nisi sub nube videre volentibus, temperati luminis iubar effudit, & ignorantię nostrę tenebras illustrauit. Miser etenim homo ad imaginem Dei conditus, cùm in honore esset, non intellexit: & ideò similis factus est iumentis insipientibus. Hęc iumẽta fœnum, quo alerentur, non habebant: panem suum comedere fuerant oblita, sicut deplorans ait Psalmista: Aruit cor meum, quia oblitus sum comedere panem meum. Ideò panis angelorũ factus est fœnum animalium, id est, alimentum simplicium, vt indè lac sugeret paruulus, vndè forti cibo pascitur Angelus: sicque in virile robur educatus per alimoniam lactis, quandoq; pertingat ad internum & ęternum gustũ diuinę maiestatis, id est, quòd Verbum caro factum est, & habitauit in nobis. Verbum Domini in principio apud

* arces

Deut. 4. Heb. 12.

Psal. 48.

Psal. 101.

Luc. 1.

B C D E

apud Deum contempletur cum angelis, interim per speculum in ænigmate, postea verò manifesta visione: Hìc sicut in via, ibi sicut in patria: Hìc beneficia per medicum nostræ salutis sapienter, fortiter, mirabiliter & misericorditer nobis esse collata gaudeamus. Horum recordatione peregrinationis nostræ labores releuemus, quatenus sic longanimiter militemus in via, vt donatiuum recipiamus in patria.

SERMO DE CIRCUMCISIONE Domini.

Matt. 5.

Luc. 2.

Ibidem.

Heb. 7.

Gal. 4.

DOminici Natalis hodiè diem celebramus octauum, in quo puer Iesus à parentibus carnis suæ, carnale suscepit circumcisionis sacramentum. Non enim, sicut ipse ait, legem venerat soluere, sed adimplere. Legem quidem adimpleuit, quia de fœce carnalium obseruationum spirituale intellectum eliquauit, & quædam ardua præcepta moralia, quæ Iudæis propter imbecillitatem suam remissa fuerant, in Euangelio præceptis eorum superaddidit, & ipsas obseruantias carnales vsque ad tempus correctionis carnaliter obseruauit. Indè est, quòd puer à parentibus octaua die circumcisus, quadragesimo die ab eisdem cum legalibus hostiis in templo est præsentatus. Iuuenis etiam ad diem dedicationis, & ad cæteros dies festos Hierosolymis, sicut in Euangelio legimus, frequenter occurrit, & in nullo sacramenta illa legalia refutauit: Donèc in sancto die cœnæ immolato veteri Pascha, vetus sacerdotium in nouũ commutauit, quando seipsum conuiuam & conuiuium exhibuit discipulis. Translato ergò sacerdotio, sicut ait Apostolus, necesse erat vt fieret etiã legis trãslatio. Et hoc erat tempus correctionis, quando renouandæ erant carnales vmbræ, sub quibus natus & vsque ad virilem ętatem educatus est Christus. Vndè dicit Apostolus: Postquàm venit plenitudo temporis, misit Deus filium suum, natum ex muliere, factum sub lege, vt eos qui sub lege erant, redimeret. Si enim aliquis obseruatione extraneus, scientibus legem, sacramenta legis exponeret, quis ei auditum præberet? Recto ergò ordine magisterij, prius voluit auditor legis esse, quàm doctor: prius eam seruare, quàm eius sacramenta referare: vt per vitam & doctrinam suam, ipse esse cognosceretur, cui testimonium dabant lex & Prophetæ. Nunc ergò, quia quasdam causas reddidimus, quarè sub lege natus sit Dominus, de circumcisionis sacramento, quam in manibus habemus, quæ Dominus dederit, pertractemus. Octaua & circumcisio vni concinunt sacramento. Octaua in scripturis, pro æternitate poni consueuit. Sicut enim septenarij numeri circuitu rerum temporalium volubilitas, ita per octauam, quæ septenario succedit, congruè designatur æternitas. Vndè

A B C D E

non inconuenienter colligitur, quia sicut præcedẽti septem dierum spatio temporalẽ Christi natiuitatem repręsentauimus, qua venit inter homines huius exilij mala perferre, & languenti mundo sua bona conferre: ita præsenti octaua, Christi natiuitatem in figura celebramus, qua in assumpto homine transiuit de hoc mundo ad patrem, qua transformata est eius caro de corruptione in incorruptionẽ, de mortalitate in immortalitatẽ. In carne illius iam absorpta est mors in victoria, quam sicut in ea completàm certa fide iam credimus, ità in nostra carne futuram certa spe non dubitamus: Ita enim dicit Apostolus: Si complantati sumus similitudini mortis eius, simul & resurrectionis erimus. Quæ autem sit illa mortis similitudo, audiamus ab ipso: Consepulti enim sumus ei per baptismum in mortem, vt quomodò Christus surrexit à mortuis per gloriam patris, ita & nos in nouitate vitæ ambulemus. Hæc mortis similitudo, perfecta est peccati abolitio, nouitas vitæ, obseruatio iustitiæ. Hæc ipsa est prima resurrectio in anima, de qua dicit Ioannes: Beati qui habent partem in prima resurrectione: in his secunda mors, id est, æterna, non habebit potestatem. Hæc eadem est vera circumcisio, per quam non cutem carnis petrinis cultris expoliamus, sed veterem hominem, id est, veteris hominis similitudinẽ, Christo conformati, cum suis actibus deponimus. De qua alibi dicit Apostolus: Non enim circumcisio, quæ fit in manifesto, id est, in carne, sed circumcisio cordis, non litera, sed spiritu circumcisio vera. Illa ergò exterior, huius interioris figura est, sicut de Abraham iam per fidem iustificato, dicit idem Apostolus, quia signũ circumcisionis accepit signaculum iustitiæ fidei. Benè autem conuenit octauæ nostræ, quòd circumcisio carnis in ea parte fit corporis, per quã humana mortalitas propagatur. Vera enim circumcisio in nostra octaua, id est, in generali resurrectione complebitur, cùm corruptibile hoc incorruptione, & mortale hoc immortalitate vestietur. Sicut autem in hac parte carnis iussa est impleri carnaliter, vt significaretur implenda spiritualiter, sic in reliquis membris corporis implenda est spiritualiter, licèt non exhibeatur corporaliter, quatenus, secundùm Apostolum, non exhibeamus mẽbra nostra arma iniquitatis peccato, sed arma iustitiæ Deo. Circumcidimus igitur aures ab illicito auditu, oculos ab illicito visu, nares ab illicito olfactu, os ab illicito gustu, cor ab illicita cogitatione: Linguam ab illicita locutione, manus ab illicito tactu, pedes ab illicito incessu, nè, secundùm Prophetam, Mors intret ad animas nostras per fenestras nostras. Vndè Primicerius martyrum Iudæis, sensus corporis ab illicitis non obseruãtibus, dicit: Incircumcisi cordibus & auribus vos semper Spiritui sancto resistitis. Quoties ergò festiuitatem istam annuis recursibus frequenta-

1. Cor. 15.

Rom. 6.

Apoc. 20.

Rom 2.

Hier. 9.

Act. 7.

Universidad de Deusto
Biblioteca

quentamus, & secundùm fidem gestorum, quæ de Christo leguntur, honoremus, vt eadem ad morum iustificationem & ædificationem referentes, fidem firmam, charitatem nõ fictam, spem certam, tam diu teneamus, donec euacuato quod ex parte est, perfectionem nobis promissam comprehendere mereamur. His enim inconcussè manentibus, dissoluta huius habitationis domo, domum non manufactam, æternam in cælis *habeamus.

*habebimus

SERMO DE EPIPHANIA Domini.

VNc Epiphaniorum diem maiores nostri tribus de causis sanxerunt haberi solennem. Quas causas fidelis quisque cognoscit, qui Euãgelicam historiam legere vel audire consueuit. De quibus pauca dicenda sunt. Quomodo & diuino militent honori, & quòd nostræ conferant ædificationi. Prima causa contigit, quam hodiernum declarat Euangeliũ, quando noua stella orien
Matt. 2. te, ortũ veri luminis indicante, Magi in Orientis partibus excitati, Hierosolymam venerunt, & inquisito loco natiuitatis Christi, præfata stella præeunte, & super domum, vbi puer erat, stante, puerum inuenerunt, & ei mystica munera obtulerunt, aurum, thus, & myrrham. Primò ad ædificationem fidei nostræ proficit, quòd exorta noua stella ortũ diuini luminis in terris apparuisse nũciauit, nè se rationalis creatura posset ab eius agnitione excusare, cui videret etiam elementa seruire. Qua in re Iudæa minus excusabilis fuit, cùm eũ non credens, cuius ortum ex scripturis didicit, magos tãquàm primitias Gentium videt per præsentia signa commotos adorare, & mysticis muneribus honorare. Isti etenim Magi, non Nigromantici, vt quidam putant, sed Gentium erant Philosophi, qui vsu didicerant ex signis significata perpendere, & ex circumstantiis rerum, cognatos euentus agnoscere. Vndè congrua significatione per aurum, quod regibus in tributum dari solet, regiã nati infantis potentiam: Per thus, quod in Dei sacrificio adoletur, diuinam eiusdem infantis essentiam: Per myrrham qua mortuorum corpora condiuntur, mortalẽ figurare naturam. Hæc tria in Christi fuisse persona, catholica Mater & credit & prædicat, & in cælis regnantem nõ mysticis muneribus, sed auro, thure, & myrrha de cordis sui apotheca prolatis honorat & adorat. Aurum etenim Deo offerimus, cum per patientiam probati, in tribulationibus nõ deficimus. Aurum quippe sicut cum malleis tũditur, producitur: ita pia anima, cùm tribulatur, per patientiãm ad meliora prouehitur: & est ei tribulatio, tunsio: perseuerantia, productio. Vndè dicit Apostolus: Tribulatio operatur patientiam, patientia probationem, probatio verò spem. Thus quoque ei in ara cordis incendimus, cùm interno eius amore flagrantes, per studium compunctę & lachrymosę orationis ei placere contendimus. Mirrham quoque de nostri cordis arca proferimus, cùm pro eius amore vigilando, orando, ieiunando, & aliis honestis exercitiis intendendo, petulantiam carnis edomamus. Vndè in Cantico Canticorum dicit sponCan. 5. sa: Digiti mei distillauerunt myrrham primam. Est quidem myrrha prima, castigatio carnis, cum discretione assumpta, quæ non laDes venatur populorum, sed ad vegetationem transit animarum. Hanc distillabant manus
B Pauli cùm diceret: Castigo corpus meum, & 1. Cor. 9. in seruitutem redigo, nè cùm aliis prædicauerim, ipse reprobus efficiar. Nunc ista de prima Christi Epiphania, siue ad fidei, siue ad morum ædificationem, pro breuitate sermonis dicta sufficiant.

Alia huius festiuitatis est ratio, quòd Iesus impleto trigesimo ætatis suæ anno, in Iordanẽ Luc 3. venit ad Ioannem, vt ab eo baptizatus, apertis cælis, per Spiritum sanctum in columbę specie apparentem, & paternam vocem, Dei filius
C est declaratus. Quibus rebus & de Christi natiuitate nostræ fidei veritas approbatur, & de appetendo baptismo, & de eiusdem baptismi vtilitate ad fidem venientium simplicitas informatur. Vita etenim Christi, vitam instituit Christiani. Cùm ergò credis Christum non solùm in se mundum, sed etiam scelerum mundi mundatorem, videlicet baptismi sacramentũ à seruo susceptisse, qua ratione quilibet mundus, quilibet sanctus, nè idem sacramentum à conseruo suscipiat, se poterit excusare? His enim omnibus necessaria est regeneratio, quorum vitiosa præcessit generatio. Quod quia in
D eo non fuit, de quo legitur: Generationem Esa 53. eius quis enarrabit? solummodo propter formam implendæ iustitiæ posteris relinquẽdam hoc sacramentum accepit. Quòd verò eo descendente in aquas cæli aperti sunt super eum, Matt. 3. & Spiritu sancto descendẽte in eum, filius Dei est appellatus, sublimitatem Christianæ gratiæ valdè commendat, quia in aquis baptismi & flammeus gladius paradisum nobis intercludens, extinguitur, & paradisi aditus aperitur, & vnusquisque baptizatus pignus spiritus accipiens, per adoptionem Dei filius efficitur.

E Tertia huius festiuitatis est causa, quam Dominus anniuersaria baptismi sui die, coram positis discipulis suis, bonum coniugale sua præsentia & signorum suorum initio comprobauit & eo quòd in nuptiis aquam in vinum mutauit, magnum nobis mysterium commendauit: Primò, per miraculi ostensionem, suam discipulis adhuc rudibus insinuauit diuinitatẽ. Mysticè aqua verò in vinũ in nuptiis mutata, hoc Ioan. 2. insinuat, quòd quando Deus humanæ naturę sociatus est, & facti sunt duo in carne vna, Christus & Ecclesia, tunc lex quæ hactenus carnaliter fuerat obseruata, per dispensationem humanitatis

manitatis Christi spiritualiter est intellecta. Nos quoq; de futura & insipida veteris homi nis vita per hanc Christi & Ecclesiæ societatẽ translati sumus in filiorum Dei adoptionem. Possent quidem de his plura & prolixiora dici, & scripturarum testimoniis comprobari: sed ne prolixitate sermonis onerentur auditores, nunc ista sufficiant. Modestus enim cibum tanto sumit vtilius, quanto auidius: & tanto magis est fastidiosus, quanto magis est copiosus. His ergò supradictis, dilectissimi, secundum recordationem gestorum, de Christi diuinitate & humanitate fidem nostrã confirmemus, & his solennitatibus, quas temporaliter celebramus, moribus & conuersatione congruamus, vt per temporalia festa quæ agimus, perringere ad gaudia æterna mereamur.

SERMO IN PURIFICATIONE S. Mariæ.

COnsuetudo Ecclesiastica multas ex rebus gestis retinet similitudines, C quibus & rerum gestarũ repręsentat veritatem, & simplicium corda excitat ad pietatem, vt per ea quæ foris venerantur, ad internorum amorem rapiantur. Hinc est, quòd ad recordationẽ Dominicæ passionis in Ecclesia cruces erigimus, quòd tẽpore Ascẽsionis vexilla, triũphum Christi significantia, in eminentiori loco Ecclesiæ, tamquàm in arcu triumphali sublimamus quòd Sanctorum miracula vel martyria picturæ imaginatione recordamur. Ex huiusmodi consuetudine hoc inoleuit, vt hoD dierna festiuitate fideles populi cum cereis luminaribus ad Ecclesiam procedant, & eadem benedicta in Missarum solennitatibus sacerdotibus offerant. Nouit enim vestra fraternitas, quòd secundùm Euangelicam historiam Dominus Iesus quadragesimo die à Natiuitate sua, hoc est, hodiè à parentibus in Templum est delatus, & ibi à sancto Simeone susceptus, & benedictus in templo est præsentatus. Hoc hodierna festiuitate sancta repręsentat Ecclesia.
Lucæ 2. Sicut enim sanctus Simeõ in manibus accepit E infirmitatem, sed intus agnouit maiestatem, infidelitatis nostræ tenebras interiores illustrãtem: sic quisque fidelis hoc sacramentum repręsentans, ceram in manibus portat, quasi carnem fragilem, sed superferri videt lucem, exteriores huius aeris tenebras illuminantem. Sicut enim caro Christi de mundissimo & bono odore virtutum referta carne processit, & nec in concipiendo, nec in egrediendo matris integritatem violauit: sic cera quæ hodiè gestatur fidelium manibus, de mundis & odoriferis floribus collecta, fructus est apis, virginis videlicet animantis, cuius, sicut legitur, sexum nec masculi violant, nec fœtus quassant. Cùm ergò eam sub hac significatione portamus, CHISTVM portemus in ore, Christum portemus in corde, Christum portemus in manibus, vt dimissi in pace, cum Simeone sancto salutare Dei videre mereamur. Vultis scire quomodò Christum portetis in ore? Ipse de se dicit: Ego sum veritas. Sit Ioan. 14. ergò in ore vestro veritas, absit falsitas, absint vaniloquia & turpiloquia, & erit in ore vestro Christus. Sit in corde vestro charitas, & erit ibi Christus. Sic enim dicit in
B Epistola sua Ioannes: Deus charitas est: & 1. Ioa. 4. qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo. Sit in operibus vestris innocentia, vt nemini quicquam suum auferatis: sit iustitia, vt cuique quod suum est, tribuatis, & habebitis in manibus Christum. Ipse enim 1. Cor. 1. nobis factus est à Deo, & iustificatio & iustitia. Hunc ergò vobiscum ad Ecclesiam apportate, hunc vobiscum reportate: & habebitis Christum vobiscum. Sic enim monet sanctus Apostolus Paulus: Empti estis pre1. Cor. 6. cio magno, glorificate & portate Deum in corpore vestro. Quid est Deum portare? Imaginem Dei repręsentare, Christum imitari. Hanc imaginem portat innocentia, portat iustitia, hanc portat veritas, hanc portat castitas, hanc portat sobrietas, & omnis honestas. Sicut enim portauimus imaginem ter1. cor. 15. reni, portemus & imaginem cælestis. Deponentes ergò veteris hominis lutulenta negocia, abiiciamus opera tenebrarum, & exercea Rom. 13. mus nos in operibus lucis, vt videntes opera Matt. 5. nostra bona, glorificent patrem nostrum, qui in cælis est. His virtutum ornamentis exornemus domum cordis nostri, vt Deum inhabitatorem habere possimus. Sic enim hodiè sub typo sponsæ sancta monetur Ecclesia: Adorna thalamum tuum Sion, & suscipe regem regum Christum. Admonitio ista, ornamenta desiderat morum, non palliata vestimenta morũ, vt in sanctis moribus castæ mentis animator requiescat Dominus, sicut in ornato thalamo delectabiliter requiescit sponsus. Vndè etiam in Euangelio iubemur lumbos præ- Luc. 12. cingere, id est, carnis fluxa frenare, & lucernas in manibus tenere, id est, proximis lucis exempla monstrare, vt parati inueniamur conuiuio cælestis sponsi interesse, & cũ eo sine fine gaudere. Quod nobis misericorditer prętare dignetur Iesus Christus Dominus noster, qui pro nobis dignatus est temporaliter nasci, vt per eum possimus in æternitate renasci.

*

SER-

Universidad de Deusto
Biblioteca

SERMO DE SEPTUAgesima.

CIentes dilectissimi, quia quàm diù sumus in mundo, peregrinamur à Domino, quotidianis lachrymis oportet nos huius exilij mala deflere, & ad æternam patriam toto desiderio anhelare. Sed qa Ecclesia multis honorata sacramentis, hoc publicis conuentibus quotidiè frequentare non valet, sub typo vniuersi temporis cõmendati sunt nobis specialiter hi septuaginta dies, quibus recitatione lectionum & canticorum, casũ generis humani recolimus, & mortalitatis nostræ dolores attendentes, quotidiè doleamus. Vndè in Introitu hodiernæ Missæ sancta Ecclesia per lapsum primi parentis mortem sibi illatam esse deplorat, & in doloribus huius vitæ ad hæc inferiora detrusæ, dolere se clamat: Psal. 17. Circundederunt me gemitus mortis, dolores inferni circunderunt me. Ad hoc etiam significandum vocem vsitatissimam in Ecclesia, Alleluia scilicet, ab hodierna die vsque ad Pascha intermittimus, & pro hac Hebraica voce, Latinam, id est, Laus tibi Domine, rex æternæ gloriæ, frequentamus. Sicut enim terrena Hierusalem gerit imaginem patriæ cælestis, sic vox ista, à supradicta ciuitate quondã in Dei laudibus frequentata, signat laudes ciuium supernæ Hierusalem matris nostræ, de quibus Psal. 83. canitur in Psalmo: Beati qui habitant in domo tua Domine, in secula seculorum laudabunt te. Dum ergò Latina voce, qua in Hierusalem peregrinatione Deum laudamus, exilij nostri peregrinationem significamus. Huic signationi septuaginta dierum concordat significatio Septuaginta annorum, quibus ciues terrenæ huius Hierusalem sub rege Assyriorum ducti sunt captiui, & in Babylonia seruitute detenti: quo tempore Dei laudes patrio more celebrare non poterant, sed exilij sui mala deflebãt, Psalm. 86. Hoc Psalmista præuidens prophetico more futurum, quasi iam præteritum canebat, dicens: Super flumina Babylonis illic sedimus & fleuimus, dum recordaremur Sion: In salicibus in medio eius suspendimus organa nostra. Assur quippe, elatus interpretatur: Babylon, confusio: Hierusalem, pacis visio. Ergò rex Assyriorum rex superborum, idem rex Babylonio rum, id est, inordinatè viuentium rex diabolus est, qui filios pacis, populum ad supernam visionem suspirantem, duro premit iugo seruitutis, & quantum prævalet, retardat à reditu & introitu supernæ ciuitatis, de qua seruitute Eccli 40. dicit scriptura: Graue iugum super filios Adam, à die exitus à ventre matris eorum, vsque in diem reuersionis in matrem omnium. Nos ergò in hac seruitute detenti, quasi super flumina Babylonis sedemus, dum transitorijs huius mundi concupiscentijs mentem nõ immergimus, & tamen flemus, quia miseri sumus, A & frequenti desiderio visionis supernæ & æternæ suspiramus. Vndè Apostolus dicit: Omnis creatura ingemiscit & parturit vsq; adhuc. Rom. 8. Et nos ipsi primitias spiritus habentes, ingemiscimus, expectantes adoptionem filiorum, redemptionem corporis nostri. Hæc quidem creatura, est anima de corruptione peccati ad imaginem Dei recreata, quæ intra se de vanitate, cui subiecta est, gemens, & more parturiẽtis nimio desiderio fit anxia, quòd tam diù differtur à patria. Sic parturiebat Psalmista, cùm diceret: Heu mihi quia incolatus meus prolon Psal. 119. B gatus est. Et ipse Apostolus, qui inter prima Ecclesiæ membra Spiritum sanctũ acceperat, adoptionem filiorum desiderans habere in re, quam iam habebat in spe: sic parturiebat, cùm Phil. 1. diceba t: Cupio dissolui, & esse cum Christo. Malorum itaque Babyloniæ tædio fatigati, & supernæ ciuitatis desiderio afflati, quasi in salicibus organa nostra suspendimus, dum in mũdi cupiditatibus radicatis oppressoribus seculi nostri, immò contemptoribus diuinæ gratiæ, cælestis regni gaudia prædicare dissimulamus, nè margaritas spargere ante porcos, & sanctũ dare canibus videamur. Vndè captiuati suis C Psal. 36. captiuatoribus dicunt: Quomodò cantabimus canticum Domini in terra aliena? Terra aliena, reproborum est multitudo, ad supernam non pertinens ciuitatem, quæ more porcorum margaritas, lucidũ videlicet Dei verbum negligendo conculcat, aut more canum contra sanctum DEI Dei verbum malè credendo dissceptat. Nunc his de nostra captiuitate ex antiqua & moderna significatione prælibatis, cur septuagenarius numerus sub typo vniuersi temporis ponatur, breuiter audiamus. Septenario quippe dierum circulo, totum tempus vitæ præsentis euoluitur, quibus nobis decalogi mandata seruanda mandantur. Dum ergò decem legis præcepta in hoc vitæ nostræ spatio custodimus, quasi denarium per septenarium numerum multiplicamus, & septuagenarij numeri summam implemus. His ergò diebus, quod omni tempore faciendum est, specialiùs & propensiùs gemitibus & fletibus operam demus, vt ad patriam nostram, à qua, mortifera delectatione corruimus, per amaritudinem cordis & lamenta redeamus. Ibi nũc intermissum Alleluia recuperabimus, & cum E supernis ciuibus Deum sine fine laudabimus: Quod quinquaginta diebus Dominicæ resurrectionis significamus, dum in vnoquoq; cantu alleluia frequentamus. Interim ergò lugeamus in via, vt postmodùm gaudeamus in patria. Amarescat nobis quicquid dulce est in rebus seculi prædulcedine Dei, & decore domus Dei: quanto quisque præ omnibus diligit, tanto se ampliùs ad supernam patriã pertinere intelligat. Sic in retorto oculo stadium vitæ præsentis percurramus, vt brauium supernæ vocationis cõprehendere valeamus. Quacunque hora in vinea Domini cõducti sumus, indefi-

Matt. 20. indeficienter pondus diei & æstus portemus, A vt in vespero, diurno denario non priuemur.
Matt. 10. & 24. Sic enim Dominus dicit: Qui perseuerauerit vsque in finem, hic saluus erit. Non simus stulti viatores, vt obliti patrię nostræ, exilium diligamus pro patria, & remaneamus in via. Non simus insensibiles, vt dolere in doloribus passibilitatis & mortalitatis nostrę nesciamus, & in ipsis doloribus medicinæ remedium non quæramus. Solet enim de vita eorum desperari, qui ægrotantes se non sentiunt infirmari. Curramus igitur ad medicum salutis æternæ. Ostendamus ei per confessionem vulnera nostra, intimo clamore ad eum clamet vnusquisque: Miserere mei Domine, quoniam infirmus Pfal. 6. sum: sana me Domine, quoniam conturbata sunt ossa mea. Ita enim medicus noster propitiabitur iniquitatibus nostris, sanabit omnem Pfal. 102. languorem nostrum, & replebit in bonis desiderium nostrum.

SERMO DE CAPITE ieiuny.

HOdiè mater Ecclesia filios suos, in C quibus detrimẽtum se sensisse cognoscit, paterna corripit seueritate, vt possit eos medicinali parsimonia reformatos, materna pietate colligere. Inuitat saucios ad ostendenda vulnera sua, nè, non ostensa, incurata putrescant: indicit ostendentibus diuersa genera correptionum, vt secundùm quantitatem vulnerum, adhibeantur congrua fomenta curationum. Audite ergò filij matrem vestram, iterum uos partutientem, & imaginem Dei iterum per peccatum deletam, iterum reformare cupientem. Audite eam voce angelica vobis clamantem: Pœnitentiam agite, pro- D Mat. 3. & 4. pe est regnum cælorum. Quomodo autem pœnitentiam agere debeatis, Dominus prophetica Ioel 2. voce uos admonet, dicens: Conuertimini ad me in toto corde vestro, in ieiunio & fletu & planctu, & scindite corda vestra, & non vestimenta vestra. Præcipitur *aduersis, ut cunctis iniquitatibus suis renuncient, & conuersionem suam Deo aliter placere non æstiment, quia non potest fieri, ut una pars cordis uestri mundetur Deo, & altera immunda reseruetur diabolo. Quomodo autem conuerti debeatis, subinferatur cùm dicitur: In ieiunio & fletu & E planctu, ut exterius carnem castigatis per ieiunia, intus autem affligatis mentem per gemitus & lamenta. Subditur: Et scindite corda uestra ut intus nihil clausum remaneat, quod compunctio cordis non expellat, & oris confessio nõ aperiat. Hoc est quod canitur in Psal Psal. 61. mo: Effundite coram illo corda uestra, id est, omnem immunditiam cordis uestri per confessionem euomite, nè tamquàm fœtidum humorem continentia uasa, remoto operculo, fœtorem tantùm emittatis, & intus immunditiam retineatis. Non enim coram Deo cor suum effundit qui aperit os suum in confessione, & concupiscentiam malam non aufert à corde. Vndè & Dominus conqueritur de huiusmodi: Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longè est à me: Item, cor suum coram Deo non effundit, qui culpam suam in confessione defendit, qui se non humiliat, cum Psalmista dicens: Confitebor aduersum me in- Psal. 31. iustitiam meam Domino, & tu remisisti impietatem peccati mei. Aduersum se quippe confitetur, qui seipsum accusat, & horis uel fato uel stellis peccatum suum non imputat. Quæcumque à uobis uel occulta suggestione, B uel aliena persuasione commissa sunt, sic in confessione aperiantur, ut etiam de corde pellantur, quia tali confessione cuncta lauantur. A manibus ergò procul sint homicidia, ita ut à cordibus procul sint odia, quia secundũ Apostolicam doctrinam, qui odit fratrem suum, ho- 1. Ioan. 3. micida est: & omnis homicida nõ habet partẽ in regno Christi & Dei. Qui fornicabatur, iam non fornicetur: Qui mœchabatur, iã non mœchetur: quia sicut ait Apostolus, Fornica- Heb. 13. tores & adulteros iudicabit Deus. Non quærat etiam aliquis nostrum opportunitatem uidendi mulierẽ quam concupiscat: quia secundum scripturam, Qui uiderit mulierem ad Matt. 5. concupiscendum eam, iam mœchatus est cam in corde suo. Fornicatio autem generali nomine est omnis uoluptaria carnis pollutio, quæ qualicumque modo contrahitur, excepto legitimo coniugio. Qui furabatur, iam non fu- Ephe. 4. retur: qui raptor erat, raptor esse desistat, nè illud maledictum incurrat, quod dicitur: Væ Esa 33. qui prædaris, quia præda eris. Tollantur de ore uestro falsa testimonia, uerba turpia & iocosa, quia secundum scripturam, falsus testis non erit impunitus. Et de omni uerbo ocio- pro. 19. so, quod locuti fuerint homines, reddent rationem de eo in die iudicij. Absit à uobis inuidia, quia inuidia diaboli mors intrauit in orbẽ Matt. 12. terrarum. Auaritia nec nominetur in uobis, Sap. 2. quę comparatur idolorum seruituti. Nam sicut in idolorum cultura, amatur pro creatore creatura, sic auarus Deum negligit ut possit retinere uel adipisci pecuniam quam diligit. Non ueniat uobis pes superbię, quo à Deo recedatis, quia ibi ceciderunt qui operantur iniquitatem: expulsi sunt, nec potuerunt stare. Psal 35. Non seminetis discordiam inter fratres, quia sicut concorditer uiuentibus fratribus mãdauit Dominus benedictionem, sic amatoribus discordię æternam intentat maledictionem. Tollite de consuetudine loquendi iuramenta non necessaria, nè frequenter iurando incurratis periuria, & ad condemnationem uestram, testem adducatis ueritatem ad uestram falsitatem. Hęc, fratres charissimi, quę dicta sunt, cum omni malitia deponite, & tempus uestrum in his hactenus consumptum, uigilando, orando, flendo, ieiunando, eleemosynas largiendo redimite, & regnum Dei, quod

Universidad de Deusto
Biblioteca

vobis vicinum esse promittitur, his impensis positis acquirere. Ad hoc enim indulta sunt nobis pœnitentiæ tempora, vt attendente Dei patientiam, quæ ad pœnitentiam vos adducit, nequaquam thesaurizetis vobis iram in die reuelationis iusti iudicij Dei, qui reddet vnicuique secundum opera sua. Attendat quisque quàm miser sit, & quàm beatus futurus sit, & non formidet in hoc tempore vilia quæque, & dura pro Dei amore sufferre, vt per hoc tẽporale purgatorium, æternum possit adipisci remedium. Non enim condignæ sunt, vt ait Apostolus, passiones huius temporis, ad illam gloriam, quæ reuelabitur in nobis. Vobis ergò, qui criminalibus culpis irretiti, ad remedium pœnitentiæ confugistis, non indignum videatur, quòd matet Ecclesia à gremio suo vos abiicit: quia sicut oportuit eam de sua in vobis diminutione tristari, sic oportet eam vestra satisfactione placari, vt post satisfactionem per eam, cui Deus in pastoribus vestris dedit licentiam ligandi & soluendi, vestro posse sitis capiti reconciliari, & per ipsum & cum ipso gloriari. Sicut enim patienter tolerat ægrotus, quando in eo putridas carnes vrit vel secat medicus, sic æquo animo sunt vobis hæc pœnitentiæ toleranda sacramenta, quòd in cinere & cilicio extra Ecclesiã estis positi, quòd quasi satanæ traditi esse videamini: Quia hic rubor sequestrationis fit vobis ad interitum carnis, vt Spiritus saluus sit in die vestræ resurrectionis.

Rom. 2.
Matt. 16.
Rom. 8.
Matt. 16. & 18.
1. Cor. 5.

SERMO DE QUADRAGESIMA.

AVdiuit fraternitas vestra ex prædicatione Apostolica, quoniam qui dicit se in Christo manere, debet sicut Christus ambulauit, & ipse ambulare. Discat ergò Christianus, quomodo ambulauerit Christus, vt ex vita Christi, informet vita Christiani. Discat neophytus, quid à baptismo recedẽs fecerit Christus. Audiat prouectus, quæ lucis exempla à principio suæ prædicationis discipulis suis ostenderit Christus. Attendat perfectus, quòd per acerbitatem passionis consummatus est Christus. Inueniet enim in capite suo omnes gradus, vndè imbuatur, vndè prouehatur, vndè consummetur. Discat ergò neophytus, quia Iesus regressus ab Iordane, à Spiritu sancto ductus est in desertum: vbi quadraginta diebus ieiunauit, & post ieiunũ eluriens, tentari se permisit. Abiit in desertum, vt neophytis monstraret exemplum, nè recenter à conuersione sua ad publicum prodeant, nè statim officium prædicationis arripiant, nè iterum tumultuosis huius mundi actionibus se immergant, sed quasi in solitudinem mentis fugientes, solummodo castigandæ vitæ suæ intendant, ibique expectent cum, qui saluos facit eos à pusillo animo & inquieto. Sic Dominus discipulos suos adhuc rudes, & nondum in tribulatione probatos, à prædicationis suspendit officio, dicens: Sedete in ciuitate quoadusque induamini virtute ex alto. Et per Mosen dicit: Non arabis in primogenito bouis, id est, non prædicabis in principio bonæ actionis. Ideò ieiunauit, vt appetitum gulæ nos refrenare doceret, & ab illecebris vitæ temporalis nos abstinere moneret. Sicut enim baptismo non indiguit, quo in se peccatum originale purgaret: sic & ei ieiunium non fuit necessarium, quo in se, quæ non habebat, carnis incentiua refrenaret. Tẽtari voluit, in seipso insinuans, quia omni piè viuere inchoanti tentatio non deerit. Sed sicut tentatorem suum in omnibus repulit, sic & nos post concupiscentias nostras non eamus, & à voluntate nostra cohibeamur: Fortitudinem mentis nostræ non resoluat carnis delectatio, non nos retardet curiositas à bono proposito, non nos in sinistram partem deflectat secularis ambitio. In quacumque enim tentatione vicit Christus, vincere debet Christianus. Huic mystico ieiunio conuenit etiam mysticus numerus, quadragenarius videlicet, quaternarij decies ducti multiplicatione collectus, quo intelligatur, non tantùm nos ab escis corporalibus ieiunare debere, sed etiam ab omnibus temporalibus delectationibus abstinere. Quaternarium nanque quasi per denarium multiplicamus, dum fragilitatem nostrã ex quatuor elementorum connexione, vel ex quatuor temporum varietate contractam ad laboriosam decalogi disciplinam violenter inflectimus. Ideòq; sub vniuersi temporis typo, hæc nobis est quadragesimalis obseruantia cõmendata, quatenus quod ex multiplici occasione reliquo tẽpore minus expleuimus, nũc sine excusatione reddamus, nõ tm̃ in parcitate ciborũ, sed etiam in extirpatione vitiorũ, & exercitatione virturũ. Tãtum. n. valet ieiunium sine eleemosyna & aliis operibus pietatis, quantum valet veteri tunicæ insertus pannus rudis, Domino attestante: Nemo mittit commissuram rudis panni in veterem tunicam, ne maior scissura fiat. Sicut enim pannus nouus veterem tunicam totam non innouat, sed aut facta scissura, aut sola nouitate vetustatem eius deformat, sic sola abstinentia ciborum non reddit perfectum hominem, sed notabiliorem facit reliquam eius turpitudinẽ. Sentiant ergò ieiunium vestrum lãguores decumbentium, esuries mendicantium, lassitudo peregrinantium, vt quod corpori vestro subtrahitis, necessitati indigentium ministretis. Estote quasi studiosi messores, vt hoc tempore & præteriti anni damna reparetis, & in futurum vndè viuat anima vestra, præparetis. Sic appetitum gulæ coerceatis, vt etiam verba detrahentia, scurrilia, otiosa & maledica, nec ipsi dicatis, nec dicentes libenter audiatis. Hoc tempore ex consensu mulier

1. Ioan. 2.
Luc. 24.
Deut. 15.
Matt. 9. Mar. 2.
Lucæ. 4.

mulier viro debitum subtrahat, & vir vasculo muliebri honorem deferat, vt secundùm principem Apostolorum non impediantur orationes vestræ. Nec enim debet quis eo tempore dare operam voluptati, quo per pœnitentiam desiderat à perpetratis voluptatibus emundari. Quamuis enim Christus mox à Iordane reuersus, sicut iam dictum est, hoc ieiunium suo exemplo dedicauerit, ideò tamen tempora paschali festiuitati vicina huic obseruantiæ deputata sunt, vt & populus Christianus caput suum etiam in hoc ieiunio pro posse suo imitari studeret, & nos hoc ieiunio purificatos dies sanctificatus exciperet: & valdè congruũ erat, vt post tempus afflictionis, succederet lætitia Dñicæ resurrectionis, quatenus post toleratas tribulationes, post superatas tentationes vitæ p̃sentis, speremus & ipsi nos accepturos gaudia nostræ resurrectionis, quando liberabimur à seruitute corruptionis huius, in libertatem gloriæ filiorum Dei. Sicut enim genuflexionibus & afflictione huius temporis, nos peccatorum pondere pressos & dura seruitute incuruatos significamus, ita solutione ieiunij quinquagintа dierum post Resurrectionem, & eo, quòd statẽs oramus, libertatem nostræ incorruptionis, qua possumus imagine præfiguramus. Ergò, fratres, sic interim istam teneamus imaginem, vt illam nunc habeamus in spe, & tandem percipiamus in re: Quoniam hæc peregrinantibus congrua sunt in via, illa autem expleta militia iam emeritis retribuetur in patria.

Rom. 8.

SERMO DE ANNUNCIATIONE BEATÆ MARIÆ.

GAudeamus in Domino, dilectissimi, & licèt non quantas debemus, quantas tamen possumus, eo donante, gratias nostro referamus auctori, ne superabundanti eius in nobis gratiæ reperiamur ingrati. Nouum etenim virginis conceptum nobis festiuitas hodierna commendat, qua nostræ reparationis celebratur exordiũ, certumq; proponitur diuinę pietatis & potestatis indicium. Si enim rerum Dominus, fugitiuos seruos requirens, iudicium exercere, & non pietatem exhibere veniret, nequaquam vasis lutei huius fragilitatem, qua nobis compati, & pro nobis pati posset, induceret: & quamuis hoc ipsum stultum & infirmũ, iuxta vocem Pauli, videatur gentibus, inanis philosophiæ ratione hitẽtibus, secundùm leges creaturæ de creatore iudicantibus: quid tamen potentius, quàm contra iura naturæ virgini conceptum dare, & per mortem carnis assumptæ, mortalem substãtiam ad immortalitatis gloriam reuocare? Vndè est illud Apostoli: Quod infirmum est Dei, fortius est hominibus. Sapientes denique iudicamus medicos, corporaliũ ægritudinum, qui nouerunt pro qualitate morborum similia similibus apponere. Quanto prudentior hic medicus, qui venit genus humanum, seruata proportione medicinæ, non tantùm in corpore, sed etiam in anima de omni corruptionis huius seruitute liberare? Venit enim in similitudine carnis peccati, vt per omnia tẽtaretur pro similitudine absque peccato, quatenus in quo tentaretur & vinceret, vincendi gratiam tentatis de cælo ministraret. Opposuit etiam nouitatem suam vetustati nostræ, iustitiam suam iniustitiæ nostræ, obedientiam suam inobedientiæ nostræ, humilitatem suam superbię nostræ: quatenus qui superbiendo, inobediendo, à florigera sede beatorum decideramus, per eius humilitatem atque obedientiam reformati quandoque ad paradisi gaudia redeamus: & hoc est, quod ait Apostolus: Quod stultum est Dei, sapientius est hominibus. Stultum enim est visum sapientibus huius seculi, quòd qui in forma Dei erat per formam serui voluit humiliari. Dominus à seruis reprobari, conspui, colaphizari & occidi: sed hæc stultitia facta est nobis à Deo magna & incomprehensibilis sapientia, quoniam vitæ perditæ reparatrix nobis extitit medicina. Potuisset vtiq; lapsibus humanis alio modo diuina subuenire potentia, sed tamquàm bonus orator istis modis & auditorum circa se comparare, & suam apud auditores beneuolentiam voluit commendare, quæ minus appareret, si inuisibilis omnino permanens, recusasset ab omnibus videri, & inter homines conuersari. Interrogemus nosipsos, charissimi, si nobis eterna hereditate priuatis, & in obscurissimo carcere positis, regia vel aliqua competens persona, regio decore depositò, sic nobis condescenderet, vt tamquàm vnus ex nobis nostræ captiuitatis ærumnas toleraret, quatenus opportunitate inuenta, nos ab ipsa captiuitate liberaret: qua ratione posset melius & suam nobis dilectionem intimare, & nostram ergà se excitare? Vndè per se ipsam veritas dicit: Maiorem hac dilectionem nemo habet, quàm vt animam suam ponat quis pro amicis suis. Simili itaque ratione Dominus noster, medicus noster, liberator noster, descendit ad seruos suos, captiuos suos, humilis & sublimis: humilis compatiendo, sublimis de seruitute diaboli potenter liberando. Quicumque ergò in Christo vocati sumus, huius tam iocundę tam necessariæ liberationis admiranda initia præsenti festiuitate nobis ad memoriam reuocata, toto mentis intuitu consideremus, toto mentis affectu diligamus, debitis obsequiis honoremus, quatenus de iocundis & admirabilibus principiis mirabiles & iocundos exitus expectare mereamur. Fit hodiè porta cęli virginis vterus, per quam Deus descendit ad homines, vt eis ascensum præberet ad cælum. Audit enim miraturque beatissima virgo filiũ se esse pariturã, quæ viri lis amplexus penitus se esse sciebat ignarã: sed

1. Cor. 1.
1. Cor. 1.
Ioan. 15.

Universidad de Deusto
Biblioteca

confortatur ac informatur ab Angelo, qua virtute, quo merito posset in ea compleri, quod in aliis mulieribus nō patitur natura fieri: Nè timeas (inquit) Maria: inueniſti gratiam apud Dominum. tamquàm ſi diceret: Quod tibi pronuncio, non habet ius naturæ, ſed donum eſt incomparabilis gratiæ. Vndè ſequitur: Spiritus ſanctus ſuperueniet in te, & virtus altiſſimi obumbrabit tibi. Non enim, ſicut quidam fatui & erronei cogitant, Spiritus ſanctus in ea vicem exhibuit ſeminis, ſed quia tanta ei diuini conceſſa eſt vis amoris, quæ ita illam mente & corpore inuiolatam cuſtodiret, vt nullus ei concupiſcentiæ carnalis æſtus prævalere poſſet: ſola meruit eligi, de cuius immaculato corpore corpus immaculatū ſibi aptaret, qui ante tempora prædeſtinatus eſt filius Dei in virtute. Vndè & eidem beatiſſimæ Virgini dicitur: Quod enim ex te naſcetur ſanctum, vocabitur filius Dei. Oportebat vtique eſſe ſanctū, quod pro ſanctificandis peccatoribus erat offerendum. Decebat quoque vt vitio careret eius generatio, per quam purganda erat filiorum Euæ vitioſa generatio. Tria enim mala Eua ſequacibus ſuis intulit, videlicet, vt viris ſubiectæ eſſent, & in delicto carnalis concupiſcentiæ conciperent, & in dolore filios parerent. In hoc verò conceptu, nulla carnalis concupiſcentiæ delectatio ſeſe admiſcuit, vbi maritante foris verbo per auditū Virgo Verbum cōcepit, & fœcundante Spiritu ſancto, eiuſdē cor virginis in thalamo virginali diuina ſe ſublimitas in vnitate perſonæ, noſtræ humilitati ſociauit. Hoc ſplendore Dei filius concipitur, hac munditia generatur. Nulla potuit fieri triſtitia concipienti, nulla difficultas parienti: Qui enim lætificare venerat triſte ſeculum, contriſtare non debuit ventris hoſpitium. Sicut ergò omni corruptione caruit iſte conceptus, ita, quicquid hæretici garriunt, in concipiendo & pariendo virginis vterus permanſit intemeratus. Quod indubitanter cognoſcere poteſt, & rationabiliter alijs approbare manſuetudo Chriſtiana, tranſſumptionem faciendo de minoribus ad maiora, de prioribus ad poſteriora. Si enim ſolis radius cryſtallum penetrans, nec ingrediendo perforat, nec egrediendo diſſipat: quanto magis ad ingreſſum vel egreſſum veri & æterni ſolis, vterus virginalis clauſus & integer perſeuerat? Sic ille rubus ardēs, & non cōbuſtus, in typū virginitatis intemeratæ Moyſi ſancto legitur eſſe demōſtratus: ſic idipſum præſignans virga Aaron ſummi ſacerdotis, nec ſucco animata, nec ſemine fœcundata, quod natura non habuit, flores fructumque produxit. Quæ ergò ratio eſt, vt non credatur Deus hominem poſſe facere ſine viro de fœmina, qui primum hominem nec de viro fecit, nec de fœmina? Nimirum veram humanitatem teſtatur cōceptūs & partus humanus, & verā diuinitatē comprobat vterus intemeratus. Continetur in hoc cōceptu, fratres chariſſimi, magnum & mirabile ſacramentū, quo, deleto præuaricationis chirographo, diuina confœderarentur & humana, fiuntq; duo in carne vna, Chriſtus videlicet & Eccleſia. Cuius conIunctionis quaſi thalamus, vterus virginalis extitit, de quo, diſcurſis nouem menſibus, ſecundum legē parientium, cū vxore ſua, i. carne noſtra, tamquàm ſpōſus è thalamo prodiens, tabernaculū ſuum, i. cārnem aſſumptā in ſole poſuit, quia carnē ſuā, per quā debellaturus erat hoſtē, viſibilē cunctis exhibuit. Factus eſt itaque per cōdeſcenſionē noſtræ humanitatis tanquàm lac paruulorū, qui in ſublimitate ſuæ diuinitatis panis eſt Angelorū. Per carnē enim ſuximus maieſtatē. Sic nimirum piæ matres lactēſcentē in ſe ſolidū cibū per vbera miniſtrāt indigentiæ paruulorū, fitq; in iis per vbera, vt iam non egeant vberibus, quando confortati per alimoniam lactis, idonei fiant ad conterendam ſolidam eſcam panis. Ita quoque repator ac nutritor noſter, longè à ſe remotos in regione diſſimilitudinis alere voluit lacte ſuę incarnationis, quo creſcere nos faceret ad ſuauiſſimum & ineffabilē guſtum ſuæ diuinitatis, qui tamen quamdiu per ſpem ambulamus, & non per ſpeciem, nulli quamlibet mundo corde plenè conceditur, ſed perfecta eius ſatietas, cum gloria Domini manifeſtabitur, in æterna iuſtorum retributione ſeruatur, quia nulli poſſibile eſt viatori poſſidere in peregrinatione, quod ei promittitur in peruentione. Hęc igitur fratres chariſſimi, ſedula meditatione penſemus, hanc ineſtimabilem Dei ſuauitatē, tota mentis auiditate guſtemus, conſiderantes quæ & quanta ſint, quæ promittuntur in cælis, nè à brauio ſupernæ vocationis curſum noſtrū reuocent ea, quæ cæcis & cupidis mentibus appetenda videntur in terris. Diligamus miſericordiam, per quam redempti ſumus cùm perditi eſſemus. Conſeruemus caſtitatem, cuius amatorem ſe eſſe monſtrauit qui de caſtæ mulieris viſceribus immaculatum ſibi corpus aptauit. Conformemur ei, qui vitam ſuam in terris regulam nobis propoſuit Chriſtianæ cōuerſationis, qui primo aduentu ſuo voluit nos intus ad imaginem ſuam reformare: ſecundo verò, etiam reformabit corpus humilitatis noſtræ configuratum corpori claritatis ſuæ, Ieſus Chriſtus Dominus noſter, qui viuit & regnat per omnia ſecula ſeculorum, Amen.

Luc. 1.

Ibid.

Gen. 1.

SERMO IN RAMIS palmarum.

QVi vult hominem exhibere perfectū, in Chriſto reperiet omnia documenta virtutum. Inter quas humilitate & patientia ſe tanquàm potentioribus armis accinxit, cum quibus mundum intrauit, cum quibus de mundo migrauit, per quas mundum ſubiugauit. His etenim diabolum ſtrauit, & nos

& nos de eius poteſtate liberauit. Cum his fortem armatū alligauit, & ipſe fortior vaſa quæ in poteſtate & pace poſſidebat, eripuit, & ſibi mundata retinuit. Humilitas fuit, quòd inter homines degens, cum publicanis & peccatoribus manducauit: quòd fatigatus ex itinere, à muliere Samaritana potum poſtulauit: quòd peccatricis mulieris tactū non recuſauit: quòd diſcipulorum pedes lauit: Humilitas & patientia ſimul, quòd corpus ſuum percutientibus dedit, quòd faciem ſuam à conſpuentibus non auertit, quòd maledicentes non maledixit, quetiam vſq; ad ignominioſam mortē, mortem videlicet crucis, quæ tantummodo ſceleratis debebatur, ſe tandem inclinauit. Vndè per Prophetam dicitur: Et cum ſceleratis deputatus eſt. Et in Pſalmo: Propter verba labiorum tuorum ego cuſtodiui vias duras. Hæc arma ſerpens ille antiquus non cognouit. Hæc arma per ſuperbiam dedignatus eſt, & incautus per hæc ſuperatus eſt. Eſcam ſenſit & momordit ſed hamus eum diuinitatis aduncauit, maxillam eius perforauit, & à poteſtate ſolita religauit. Accubuit catulus leonis ad vocem patris, cum fortitudine ſurrecturus, pro humilitate ſuā nomen, quod eſt ſuper omne nomen, acceпturus. Hunc exaltationis modum, Scribarum & Phariſæorum ſuperſtitio ſuperba non credidit: venientem ad ſe Dominum in humilitate, contempſit: ſuperbiam eorum redarguentem, dæmonia eiicientem, miracula facientem, tanquàm in Beelzebub iſta faceret, blaſphemauit. Sola eum pauperum turba proſequitur, puerorum innocentia comitatur, quia complectitur innocentia innocentiam, humilitas humilitatem, ac per hoc illuminari meretur, vt intus agnoſcat maieſtatem. Sic enim dicit ſcriptura: Deus ſuperbis reſiſtit, humilibus autem dat gratiam. Tales Domino hodiè ad locum paſſionis ſuæ venienti occurrunt: hominem humilem ſuper aſinam ſedentem viderunt, & tamen triumphalem ei gloriam, ramos arborum portādo, & per viam ſternendo exhibuerunt, laudes ei imperiales cecinerunt, quia præſago ſpiritu eum triumphatorem diaboli & mortis, & vitæ largitorem cognouerunt. Huius turbæ, chariſſimi fratres, formam repræſentatis, cùm virentes ramos arborum poſt vexillum ſanctæ Crucis in manibus portatis. Et benè repræſentatis, ſi quod virore ſignatur in manibus, ſemper teneatur in moribus, ſi non hyeme decidat, ſi non æſtate marceſcat, vt dicere poſſitis cum Pſalmiſta: Benedicam Domino in omni tempore, ſemper laus eius in ore meo. Sed mementote quia non inuitantur ad has laudes, niſi pueri: Laudate pueri Dominum, dicit Pſalmiſta: Qui verò ſint iſti pueri, Apoſtolus exponit, dicens: Malitia paruuli eſtote, ſenſibus autem perfecti. Et Dominus ad diſcipulos: Niſi quis ſe humiliauerit ſicut iſte paruulus, non intrabit in regnū Dei. Paruulum ſeipſum vocat, ad cuius imitationē nos monet humiliari, vt intrare mereamur regnū Dei. Non enim ſunt membra, quæ non ſequuntur caput. Quibus igitur armis diabolum vicit Chriſtus, vincere debet & Chriſtianus. Sicut per humilitatem exaltatus eſt Chriſtus, exaltari debet & Chriſtianus. Sic enim Dominus dicit: Qui ſe humiliat, exaltabitur. & Petrus: Humiliamini ſub potenti manu Dei, vt vos exaltet in tēpore tribulationis: Humiliauit ſe Chriſtus pro nobis, humiliemus nos ipſos pro nobis. Inclinauit ſe ſicut camelus, ſubiit onera peccatorum noſtrorū, tranſiuit per foramen acus, quia pertranſiit anguſtias paſſionis, vt nos in latitudinē gaudiorū educeret. Humiliemus & nos ad portanda onera proximorum, nemo noſtrum ſublime ſapiat, nec ſperet in incerto diuitiarum, ſed depoſita quaſi ſtruma cupiditatis & ſuperbię, tamquàm per foramen acus ingrediatur, id eſt, arctam & arduā viam adgrediatur, Quòd enim his diebus paſſio Domini in Eccleſia recitatur, quòd ſigna Dominicæ paſſionis in Eccleſia producūtur, hoc intenditur, vt Dominica paſſio per hoc ad memoriam reuocetur, & fidelium deuotio ad compatiendū excitetur, vt ille ſanguis dignè ſuſcipiatur ab ore fidelium, qui indignè effuſus eſt manibus infidelium. Hoc ſanguine agni immaculati, vtrique poſtes ſignentur, id eſt, mentes & frontes, vt corde credatur ad iuſtitiam, ore autem confeſſio fiat ad ſalutem: & memoria crucis ſuauiter inhæreat menti, cuius ſignum imprimatur & fronti. Ergò fratres in hac recordatione Dominicæ paſſionis Chriſto dignè cōpatiamur, vt Chriſto reſurgenti conſuſcitari mereamur. Dimittamus debita ſua debitoribus noſtris, quia ipſe Chriſtus, qui ad imitandum nobis propoſitus eſt, cum pateretur, orauit pro perſecutoribus ſuis. Sic enim ipſe Dominus iubet: Orate pro perſequentibus & calūniantibus vos, vt ſitis filij patris veſtri qui in cælis eſt. Si autem filij, & hæredes, hæredes quidem Dei, cohæredes autem Ieſu Chriſti.

Matt. 9. Ioan. 4.

Lucæ 7. Ioan. 13

Eſa 53. Mar 15. Luc. 22. Pſal. 16.

Phil. 2.

Iac. 4. 1. Pet. 5.

Luc. 18. Iac. 4. 1. Pet. 5.

Rom. 8.

SERMO DE COENA Domini.

OPtatus nobis, dilectiſſimi, dies remiſſionis aduenit, quo mater Eccleſia membra ſua tamquam putrida hactenus à ſe proiecta, intra ſocietatē commembrorum ſuorum recipit, quo peccantes filios ſuos pœnitentiæ legibus emendatos, ſequeſtrationis rubore caſtigatos, ad ſacramentum recōciliationis admittit. Et meritò hic dies huic ſacramēto eſt deputatus, quo dominus noſter Ieſus Chriſtus corpus illud, quod pro nobis proximè erat traditurus diſcipulis ad māducandū ſanguinē, quē pro nobis fuſurus erat, tradidit ad bibendū. Eo ergò die nullus fidelis extorris debet eſſe à corpore Chriſti, qđ eſt Eccleſia, quo die medicinā ſuæ reconciliationis, corpus. ſ. & ſanguinem Chriſti ſuſcepit Eccleſia, Hodiè

Pp 3

Universidad de Deusto
Biblioteca

Num. 19. Hodie veteris sacerdotij ritus, quo sanguis vitulorum & hircorum fundebatur, & cinis vitulæ extra castra crematæ adspergebatur ad emundationem tantummodo carnis, de medio sublatus est, & noui sacerdotij ritus, quo caro Christi extra portam passa, & sanguis Christi pro nobis fusus, emundatos carne & spiritu sanctificat, veteri sacerdotio subrogatus est.

2. Cor. 5. Dicit enim Apostolus: Deus erat in Christo, mundum reconcilians sibi, & posuit in nobis verbum reconciliationis. Quo ergò die conuenientius debent ministri noui sacerdotij hoc reconciliationis celebrare sacramẽtum, quàm eo die, quo ab auctore noui sacerdotij hoc primitus est institutum? Huic etiam reconciliationis sacramento congruit, quòd hodie discipulorum pedes lauit, quòd hoc discipulis seruandum esse mandauit, non quòd indigerent lauari, sicut ipse ait, qui loti erant aqua salutari, sed quia affectus hominum, quibus tanquàm pedibus ad Deum acceditur, vel à Deo receditur, non possunt terreno puluere non fœdari, quos oportet inter mundi turbines in medio hominum polluta labia habentium & habitantium, & inter lutulenta mundi negocia conuersari. Hæc ergò ablutio pedum, mundatio est affectuum, vt si quas de terrena conuersatione fœdas imagines introrsum traximus, hoc sacramento diluamus. Et pulchrè huic sacramento reconciliationis consonat, quòd caput, id est, Christus, corporis pedes lauat, id est, vltima membra sua per officium pastorum sibi reconciliat. Nos enim dicti pastores & veluti capiti viciniora membra, dum pro peccatis vestris oramus, cùm pro excessibus vestris lachrymas fundimus, quid aliud facimus, nisi quòd vobis pedes quibus ad Deũ redeatis, abluimus? Cùm etiam peccatorum

*vestrorum *nostrorum memoria conterriti, in oratione nostra de capite lachrymas fundimus, an nè conscientias nostras tamquàm pedes immundos, à terreni contactus sordibus emũdamus? Quia ergò vos hodierna die fratres ad tam desiderabile sacramentum reconciliationis admittimus, sub Dei miseratione, quantum in vobis est, laborate, vt quod vobis foris per officium nostrum ministratur, in vestris mentibus rei veritate compleatur. Non sitis domus illa scopis mundata, id est, pœnitentiæ sacramentis palliata, ad quam reuertitur immundus spiritus, qui indè per confessionem exierat, & inueniens eam vacantem, id est, nulli veræ virtuti operam dantem, ingreditur ibi cum septẽ aliis spiritibus se nequioribus, id est, omnibus superstitionis generibus, & fiũt nouissima hominis illius peiora prioribus. Nouissima. n. eorum peiora prioribus fiunt, quia peccata, quibus in confessione renunciauerant, occultè committunt, & ea diuersis coloribus superstitionis operire contendunt. Huiusmodi hypocritas æquiparat Dominus sepulcris foris dealbatis, & vasis extra mundatis, quæ intus plena

Ioan. 13.

Matt. 12. Luc 8.

Matt. 23.

A sunt fœtore & sordibus. Mundate ergò fratres conscientias vestras, vt vasa honesta & apta sitis ad accipiendum corpus & sanguinem Domini nostri Iesu Christi, per quem redempti estis cùm perditi essetis, per quem reconciliamini, cum iterum auersi fuissetis, per quem saluandi estis, si intra societatem membrorum Christi inuenti fueritis, cui reconciliati estis. Qui enim manducat indignè, reus est mortis Domini. Quis est qui manducat indignè? Qui capit ore, & non capit corde. Qui non est membrum capitis, nec pars Christi corporis.

1. Cor. 11.

B Hic accipiẽs corpus Domini, pœnas dabit mortis Domini, quia tali pœna plectetur, quali plectuntur qui indignè ad mortem tradiderunt corpus Domini. Manete ergò in Christo, vt Christus maneat in vobis, & dignè accedatis ad participationem Dominici corporis & sanguinis.

SERMO IN DIE Paschatis.

C 

Vm cæteræ festiuitates in recordatione gestarum rerum lætitia spirituali fideliũ mẽtes afficiãt, in Christi resurrectione simili ratione corda simul lætantur & corpora, quia Christo resurgente, homo noster interior à morte peccati ei consuscitatus est, & exteriori spes suæ resurrectionis probatissimo argumento confirmata est. Meritò ergò vtrumque lętatur, quia vtrumque Christo consuscitatur: interior in re, exterior autem in spe. Idcircò hæc solennitas ad anniuersarium diẽ suum non recurrit, sicut reliquę solennitates, in quibus pręteritorũ tantùm fit recordatio, sed huic obseruantiæ dies Dominica deputatur, & lunæ decursus

D post plenilunium vicinum vernali æquinoctio. Dominica enim dies quæ octaua est, & Dominicam congruè repręsentat resurrectionem, quæ eo die facta est, & nostrã præfigurat, quæ post septenarium huius temporis volubilitatem futura est, Lunæ verò decursus certi mysterij causa huic obseruantiæ est deputatus, quia secundùm Astrologorum inquisitionem, globus lunę semper dimidius lucet & dimidius non lucet. Luna enim crescente, illuminatur

E pars inferior: luna decrescente, illuminatur pars superior. Luna quippe in scriptura sacra typum gerit Ecclesiæ, quæ & defectũ suæ mortalitatis ex originis necessitate tolerat, & tamen in medio nationis prauæ & peruersæ, pro modo intelligentiæ suæ, humanę ignorantię noctem illuminat. Huic innouatę & cum Christo susciatæ, per Apostolum dicitur: Quę sursum sunt quærite, quę sursũ sunt sapite, nõ quę super terrã. Hoc nobis Paschali mysterio insinuatur, hoc limę paschali tpe inferius deficientis, & superius crescẽtis figura cõmẽdatur, vt à tẽpore innouationis nostrę semp in appetitu terrenorũ noster amor minuatur, & supernorũ desi-

Col. 3.

desiderio quotidianis profectibus augeatur. Tunc ergò verum pascha celebramus, si quod rerum & temporum mysterijs significamus, vita & moribus semper teneamus. Idcircò sanctũ Pascha in albis vestibus septem diebus celebramus, vt munditiam corporis & lætitiam resurrectionis semper habere moneamur. Vndè per

Eccls. 9. sapientiam dicitur: Omni tempore sint vestimenta tua alba, & oleum de capite tuo nunquam deficiat. Quod est dicere, Nunquam munditia à corpore, nunquam lætitia spiritualis absit à corde. Hoc idẽ significabatur, cùm

B Iudaicus populus post esum agni, septem diebus azymis vescebatur. Quod Apostolus in re

1. Cor. 5. significata ità interpretatur: Expurgate vetus fermentum, vt sitis noua conspersio, sicut estis azymi. Etenim Pascha nostrũ immolatus est Christus. Ac si dicat: Vt ad celebrandum verum Pascha & edendam carnem veri agni & immaculati sitis idonei, expurgate vetus fermentum, id est, tollite vetus peccatum, vt sitis noua conspersio, id est, nouitatem vitæ nouæ recuperetis, quam in lauacro sancto accepistis. Cùm enim populus ad fidem veniẽs catechizatur, quasi molitur: quia sicut diuersitas granorum per molam in vnitatem cogitur, sic diuersitas populorum per institutionẽ fidei in quãdam vnanimitatem adunatur. Sed nondùm est

C conspersio. Accedit aqua, & fit panis. Sic in

1. Cor. 10. alio loco dicit Apostolus: Vnus panis, vnum corpus sumus in Christo, quicunque de pane eius edimus, & de calice eius bibimus. Itaque epulemur, nõ in fermento veteri, neque in fermento malitiæ & nequitiæ, sed in azymis sinceritatis & veritatis. Ac si dicat: Quia verus est

1. Cor. 5. agnus, quem epulamur, sic ad carnem eius edẽ

D dam accedamus, vt cor mundum à malitia, & linguam immunem conseruemus à fallacia. Ità enim tamquàm panis suauis in Christi corpus transibimus, & Christum nobis incorporabimus, vt Christum in nobis manentem semper habeamus, & in Christo semper maneamus, & ità non tantùm septem diebus, sed omni tẽpore verum Pascha celebremus, id est, vt de imis ad summa cælorum gaudia toto desiderio transeamus.

IN ASCENSIONE DOmini sermo.

E 

Odiè, fratres, victoria Christi completa est, hodiè triumphalia vexilla eius eriguntur: de spoliatione sua dolet cum principe suo tartarus: de restauratione damni sui gaudet cælestis exercitus. Hodiè caro illa quæ de tetris subleuata est, ad dexteram patris collocata est, quia omni creaturæ prælata est, & omnis principatus & potestas ante eam incuruata est. Hodiè via noua, de qua

Heb. 10. dicit Apostolus, nobis initiata est, quia per carnem Christi, aditus cæli per quem nulla prius caro transierat, reseratus est. quam adhuc viuentem idem Apostolus dicit, quia membris Christi suo tẽpore per eandem intraturis præparata est. hodiè apertio libri perfecta est, quẽ nemo potuit aperire, nisi agnus ille, qui occisus est, quoniã sacramenta eius reuelata sunt, Apoc. 5. cùm ea quæ in lege & prophetis inueniuntur de Christo, consummata dispensatione humanitatis eius, hodiè completa sunt. Descendit primò Christus, vt nostræ particeps fieret naturæ: postremò ascendit, vt suæ nos participes faceret gloriæ, Descendens, temporali conuersatione & visibilibus miraculis quasi lactauit infantes: ascendens, dedit dona hominibus, Quibus eruditi, & quasi in virile robur educati, iam temporalem eius visionem non appetere rent: sed quò eos præcesserat, toto eum desiderio sequi studerent. Quia igitur temporali eius prẽsentia viduati sumus, ad æternam eius

Psal. 26. visionem tota intentione festinemus: dicamus ei ex voce Psalmistæ: Tibi dixit cor meũ, quæsiui vultum tuum, vultum tuum Domine requiram, nè auertas faciem tuam à me. Tota enim dispensatio humanitatis Christi nihil aliud intendit, nihil aliud fecit, nisi vt intentionem nostram ad superna dirigeret, & expleto tempore nostræ mortalitatis, ad manifestam visionẽ sui perduceret, perductos æterna vultùs sui gloria satiaret, quia testante Apostolo, videbi

1. Ioan. 3. Psal. 16. 1. Cor. 2. mus eum sicuti est. Vndè Psalmista: Satiabor cum manifestabitur gloria tua. Hæc sunt bona Hierusalem quæ oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascenderunt, quæ præ

1. Cor. 2. parauit Deus his qui diligunt eum. Hęc bona quantùm potuit in ęnigmate cõtuebatur Psal-

Psal. 72. mista, cùm diceret: Quid enim mihi est in cęlo? & à te quid volui super terram? Admirando dicebat, quid mihi est in cęlo? quia cęlestis glorię magnitudinem nec dicendo explicare, nec cogitando sufficiebat comprehendere. Hęc ergò esuriamus, hęc sitiamus, quoniam ad hoc pontifex summus pro nobis precursor in vera sancta sanctorum, ad dexteram scilicet patris, ascendit, vt spem membrorum suorum confirmaret, eò secuturam gregis humilitatem, quò

Lucæ 17. suum credit præcessisse pastorem. Sic enim ipse Dominus promittit discipulis: Vbi fuerit corpus, ibi congregabuntur & aquilę. Aquilas vocat sanctos, qui cupiunt dissolui & esse cum

Matt. 24. Phil. 1. Christo. Fertur enim narura esse aquilarum, vltra mare odoratu suo cadauera sentire, & eò celeri volatu suo ad saturandam esuriem suam festinare. Hęc ergò esuries aquilarum, desiderium significat sanctarum animarum, q̃ caput suum extra mundi turbines in summa quiete locatum, fidei naribus sentientes, spei volatu prẽsentię cõditoris vellent assistere, & satietate vultùs eius sine fine gaudere. Hęc qp̃e huius solennitatis est ratio, vt Christum ad dexteram patris iam regnare credamus, & interim eum quasi geminis virtutum alis, charitatis scilicet & spei, subsequamur, vt cùm tradiderit regnum Deo & patri, cum eo sine fine regnemus.

Universidad de Deusto
Biblioteca

regnemus. Igitur secundùm quod hortatur
Psal. 96. Psalmista, quia Dominus regnauit, exultet terra, id est, Ecclesia exultet in fide, quoniam tu Dominus altissimus super omnem terram, nimis exaltatus es super omnes deos? Exultet in spe, quoniam replebimur in bonis domus tuę. Exclamemus ex medullis cordis cũ Apo-
Rom. 8. stolo: Quis nos separabit à charitate Christi? Tribulatio? an angustia? an fames? an nuditas? an gladius? Cùm enim de spe produxerit nos
1. Cor. 15. ad speciem, erit Deus omnia in omnibus: ipse cibus & potus, ipse vestitus & omnia, quę honestè cogitari & desiderari possunt ab omnibus. Hoc donatiuum Christi milites concupiscant, & militiam suam non deserant, donèc hęreditatem immarcescibilem ab imperatore suo, completo agone, percipiant.

SERMO IN DIE SANcto Pentecostes.

DIes Pentecostes sacratus est in lege, & in Euãgelio. In lege, quia die quinquagesimo à die quo Ægyptus spo-
Exod. 19. liata est, in tabulis lapideis digito Dei scripta, populo Dei in monte Sinai, data est: In Euangelio, quia die quinquagesimo à die quo infernus spoliatus est, lex charitatis in tabulis cordis carnalibus populo Nazareno spiritu Dei
Act. 2. scripta est. Vndè dicit Apostolus: Charitas
Rom. 6. DEI diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis. Sed illa quidem in seruitutem data est, hæc autem in libertatem. De illa dicit Apostolus: Vnum quidẽ
Gal. 4. testamentum, quod est in monte Sina, in seruitutem generans: De ista autem, Vbi spiritus
2. cor. 3. Domini, ibi libertas. Et alio loco: Non enim
Rom. 8. accepistis spiritum seruitutis iterùm in timore, sed spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus, abba pater. Sub hac significatione antiquus Hebræorum populus anno quinquagesimo, qui iubileus appellabatur, ab omni opere seruili vacabat, & his qui annis retroactis sub seruitutis iugo seruierant, libertatem dare cõsueuerant. Septenarius enim septiès ductus, quadragintanouem facit, & vt quinquagenarius fiat, vnitas superadditur in 49. quia à septenario non recedit temporum volubilitas, in vnitate quæ sequitur, tempori succedens signi ficatur æternitas, in qua vera dabitur libertas. Congruè ergò quinquagesimo die Spiritũ sanctum accepimus: quia sicut post huius temporis decursum, à seruitute corruptionis huius in
Rom 8. libertatem gloriæ filiorum Dei liberandi sumus, sic isto die ipsum Spiritum sanctum æternæ hæreditatis & veræ libertatis pignus accepimus. Hinc est etiam, quòd decimo die post ascensionem Domini, missus est idem Spiritus sanctus, quia in mercedem denarius promittitur operariis, perseueranter in vinea Domini laborantibus. Igitur quia temerarium est, aliquid diffinire de ineffabili eius essentia, dicamus aliqua, quæ ipse spiritus donauerit de mirabili & amabili eius efficientia. Hic Spiritus sanctus gratiarum distributor est, hic cogitationum & intentionum cordis discretor est, hic secretorũ diuinorum reuelator est. Spiritus enim
1. Cor. 2. scrutatur omnia, etiam profunda Dei. Et sicut nemo ea nouit, quæ sunt in homine, nisi spiritus hominis qui est in homine: ità nemo nouit quæ Dei sunt, nisi spiritus Dei. Hic digna postulantibus pium supplicandi prębet affectum, & apud eum qui pia vota intuetur, velocem obtinere donat effectum. Hic peccatoribus inspirat pœnitentiam, hic impœnitentium peccata
Ioan. 20. derinet, hic pœnitentium peccata delet. Sic enim Dominus dicit ad discipulos: Accipite Spiritum sanctum: quorum remiseritis peccata, remittuntur eis: & quorum retinueritis, retenta sunt. Hic conuersos ad iter iustitiæ facit pertimorem humiles, per pietatem mites, per scié tiam lugentes, per amorem iustitiæ fortes, per consilium misericordes, per intellectum mundi cordis, per sapientiam contemplantes, per tolerantiam persecutionum patientes, quibus Dominus regnum cælorum repromittit, quoniam quos timor inchoat, septimo gradu perficit sapientia, in octaua tamquàm in vero iubileo, liberat & coronat patientia. Ad huius perfectionis apicem, Apostolorum principem
Matt. 26. prouexit hodierna die Spiritus sanctus, vt qui in passione Domini vnius ancillæ voce exhoruerat, iam perfidam Iudæorum multitudinẽ prophetico testimonio manifestè confutare
Act. 2. non timeat. Talem reddidit Thomam, vt qui resuscitati saluatoris dubitando palpandas po-
Ioan. 20. stulauerat cicatrices, post collatam gratiam Spiritus sancti, facta diuisione Apostolorum, confidenter Euangelium prædicaturus mittatur ad gentes. Tales per eandem gratiam effecti sunt Christi discipuli, vt qui, relicto Do-
Act. 5. mino in tempore passionis, præ timore latuerant, decæterò gaudentes irent à conspectu concilij, quoniam digni habiti erant pro nomine Iesu contumeliã pati. Tam velox & efficax doctor demõstratus est hodiè Spiritus sanctus, vt idiotarum corda vno momento erudiret ad scientiam, & eorundem linguas formaret ad omnem linguarum facundiam. Vt etiam attẽdamus, quantus opifex sit iste Spiritus sanctus,
1. Cor. 12. audiamus Apostolum dicentem: Vnicuique datur manifesta gratia spiritus ad vtilitatem: Alij quidem per Spiritum datur sermo sapientiæ, alij sermo scientiæ secundùm eundem spiritum, alteri fides in eodem spiritu, alij gratia sanitatum in vno spiritu, alij operatio virtutũ,
Ibid. alij prophetia, alij discretio spirituum, alij gratia linguarum, alij interpretatio sermonum. Hæc omnia operatur vnus atque idem spiritus, diuidens singulis prout vult. Iste Spiritus sanctus, qui patris & filij vnus est spiritus, à patre procedit, & à filio, & ad corda credentium pariter mittitur & à patre & à filio. Vndè
Ioan. 15. & Dominus dicit in Euangelio: Cùm venerit spiritus

spiritus veritatis, qui à patre procedit, ille vos
Ioan. 16. docebit omnem veritatem. Ille me clarificabit, quia de meo accipiet, & annunciabit vobis. Hæc verba ità interpretatur Didymus, illustrium virorum titulo clarus: Inseparabilis est spiritus à mea & patris voluntate: & amplius, quia non ex se est, sed ex patre & me est. Hoc enim ipsum quòd subsistit & loquitur, à patre & à me illi est. Quid est ergò, Spiritum sanctum à patre filioq; subsistere, nisi eundem spiritum à patre filioque procedere? Vndè & in sequentibus dicit: Consensus significatio est Spiritus sanctus, qui est spiritus veritatis, spiritusque sapientiæ. Non potes audire filio loquente quæ nescit, cùm ipsum sit quod profertur à filio, id est, procedens Deus de Deo, spiritus veritatis procedens à veritate, consolator manans de consolatore. Hęc aduersùs hæresin quorundam Grecorum, Græci auctoris auctoritate protulimus, qui dicunt Spiritum sanctum à solo patre procedere, nè quis Latinorum omnes Græcos hoc errore infatuatos arbitretur, & eorum auctoritati innitens, sal infatuatum esse mereatur. Idem in symbolo Ephesini concilij, quod Græcorum fuisse con-
C stat, manifestè his verbis adstruitur: Quamuis in sua substantia sit spiritus filij, & intelligatur in persona proprietas, iuxta id quòd spiritus est, & non filius, non est tamen alienus ab
Ioan. 14. ipso. Nam spiritus appellatur veritatis, & veritas Christus est. Vndè & ab ipso similiter sicut à Deo patre procedit. Deniq; hic ipse spiritus etiam per sanctorum manus Apostolorũ miracula gloriosa perficiens, glorificauit Dominum Iesum Christum, postquàm ascendit in cęlum. Prætereà sicut filius appellatus est manus Dei patris, non quòd ei sit aliqua cum maiestate patris inæqualitas, sed propter substantiæ identitatem, & propter manifestã operum exhibitionem: Ità Spiritus sanctus appellatus est digitus Dei propter eam, quam habet cum patre & filio, substantiæ vnitatem, & manifestam charismatum distributionem: quia p manum, in vnitate corporis existentem, fieri solet operatio: & per digitum in vnitate manùs manentem, suis tamen articulis distinctũ, solet notari discretio. Cùm verò per verba aliundè translata, aliqua nominatur in diuinitate
E persona, non vsquequaquè earum natura rerũ de quibus hæc translata sunt, diuinitati est arroganda, sed illæ tantùm causæ attendendæ sunt, propter quas res corporeæ rebus incorporeis assimilari possunt: Quia omnis humana vox nihil potest aliud dicere, nisi corporalia: Et Trinitas, de qua nunc nobis sermo est, omnes materiales substantias superat: Idcircò nullum verbũ potest ei propriè aptari, & eius propriè & dignè intimare substantiam. Et quia ipse spiritus charismatum distributor est, inuocemus ipsum paracletum, cuius hodiè solennitatem colimus, cuius hodiè dona fidelibus collata miramur, vt augeat in nobis fidem, di-
A latet charitatem, confirmet spem, & cætera virtutum charismata, quæ nobis in hac peregrinatione sunt necessaria, cooperante patre & filio, cum quibus idem paracletus viuit & regnat per æterna secula. Amen.

IN CATHEDRA S. Petri sermo.

NON inconuenienter, fratres, iste psalmi versiculus olim diuino præsagio decantatus, hodiernæ celebritatis tri-
B pudio interponitur, in qua beatus in Episcopali cathedra collocatur, Videtur enim beato Petro debere coaptari, quem in sede iudiciaria protestantur hodierna Ecclesiarum obse-
Psal. 106. quia sublimatum. Ait enim Dauid sanctus, spiritu quoquè sancto prœuentus: Exaltent eũ in Ecclesia plebis, & in cathedra seniorum laudent eũ. Hodiè siquidem & in Ecclesia plebis Petrus exaltatur, & in cathedra seniorum laudatur, quoniam & in Ecclesia in qua populus acquisitionis conuenit, constituitur post Deũ primicerius, & in cathedra seniorum collaC datur Episcopus. Hæc etenim hodiernæ festiuitatis sacra institutio, quandò Episcopalis sedis honoratus est magisterio. Hodiè fratres beatus Petrus Antiochenæ Ecclesiæ Episcopus ordinatur, hodiè plebi, quã ipsemet Deo acquisiuit, pastor præficitur. Hodiè etiam in beati Petri ordinatione sancta Ecclesia exalta ta est, quoniam & ipse promouetur, cui speciaMatt. 16. liter à Domino ipsa talibus alloquijs cõmissa est: Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam. Felix vocabuli denuncia-
1. Cor. 10. tio, vt à petra de qua scriptum est, Petra autẽ erat Christus, Petrus denominetur, nominis Christi participatione decoretur, ipso Christo sibi nomen imponente, vt Petrus sit, & Petrus vocetur. Super hanc etiam Petram Dominus Ecclesiam suam ædificandam prouidit, quatenùs cuius fidei confessio pro sui soliditate petræ comparanda erat, nominis etiam sui apD plauderet appellationi. Non ergò ambitione humana, vt in talibus assolet, Petrus Episcopalem hodiè sortitur cathedram, non muneribus primos occupat recubitus, non ingerit se pomposis ceruicalibus. Ipso Deo Dei filio attestante, Petrus eruditur: carnis & sanguinis ab eo doctrina remouetur: patris, qui in cælis
E est, efficacissima reuelatio exhibetur, cuius in-
Matt. 16. stinctu veridico intonuit Petrus: Tu es, inquit, filius Dei viui. O iocunda regis & militis confabulatio, in qua miles regem suum, regis æterni filium confitetur: rex verò vicissitudine recIbid. proca militem suum à carnalibus disciplinis sequestratum, patris sui tantummodò discipulũ attestatur, dignis etiam stipendijs remunerãdum arbitratur, quatenùs sic adiiciens subinferat: Tibi dabo claues regni cælorum. O reuera beatus cæli ianitor, cui non tantùm claues regni cælorum commissæ sunt, sed etiam

arcanorum

Universidad de Deusto
Biblioteca

arcanorum cæleſtium conſilia concredita ſunt. Ligandi atque ſoluendi licentia poteſtatiuo perfungitur priuilegio, atq; ouilis Dominici cura ipſius mancipatur arbitrio. Ità enim ſpeciali familiaritate ad eũ dicit Dominus: Quodcunque ligaueris ſuper terram, erit ligatum & in cælis: & quodcunque ſolueris ſuper terram, erit ſolutum & in cęlis: Non ergò repentina fautorum acclamatione, ſed prouida Dei diſpenſatione Eccleſiarum excubijs deputatus eſt Petrus generali ſanctione, hodiè quoque Antiochiæ aſſumitur peculiari familiaritate. Quẽ ouibus ſuis Deus paſtorem præfecerat generalem, plebs Antiochena hodiè ſibi collocat põtificem generalem. Nec tamen DEI nutibus populus Antiochenus obuiare contendit, ſed opportuna importunitate Dei vicariũ honorare ſatagit. A pontificum pontifice iam dudùm Petrus ordinatus erat, oleum exultationis Chriſti manu infundente per Spiritũs ſancti * debriationẽ ſuſceperat, negocij ſui miniſterium ſibi iniunctum iam diù exercuerat, necdùm tamen aliquo in loco propriè deputatus fuerat. Hodiè ergò de totius orbis amplitudine adſciſcitur, quibus propriè præſit & proſit: hodiè populis prærogatur. Nec tamen curæ ſuæ amplitudo propterea decurtatur, ſed Apoſtolatus ſui ſolicitudo dupliciter dilatatur. Adſunt enim præſentium ouium balatus, qui eum quotidianis profectibus ſolicitent, nec ſibi deſunt fraternæ dilectionis præcordia: in fines etiam orbis terrarũ pertingentia, quę eum defatigent. Sed futurum eſt tibi, futurum eſt (inquam) ciuitas Antiochena, vt adhuc Petrus de ſede ad ſedem demutetur, vt neceſſitate & vtilitate populorum exigente, *aliàs trãſportetur. Nec poteris habere proprium, quę ſancta Eccleſia in commune ſuſcepit miniſterium. Fratrum ergò diſpenſioni charitatiuè cõmunica, & quem charis amplexibus tibi obligaſti, aliquantulùm relaxa. Dilige proximum tuum ſicut teipſum, & æquanimiter Petrum tolerabis ad alium deſtinari præſulatum. Intereà vrbs beata, de Petri glotiare præſentia, pijs eum demulce obſequijs, inuiſcera eum tibi reſponſionibus obedientiæ deuotiſſimis. Præcordialem Dei amicum, quibus potes dilibutionibus tibimet concilia: conuiuijs atque eius ſermonibus participa, futuræque tuæ ruditati circunſpectiùs inuigila. Multos opima degrauauit ſecuritas, & quoniam in hodierna confidunt opulentia, de craſtina non ſatis ſolicitãtur penuria. Non nouerunt ſibi proſpectare de craſtino, qui totam ſpem defixerunt in tempore hodierno. Tu autem Antiochia de beati Petri præſenti affabilitate congaude, ipſius colloquio tamquàm omni diuitiarum affluẽtia perfruere, dequè futura ſui abſentia tibi circunſpice. Dum vacat, materna ſuge vbera: interroga patrem tuum, & annunciabit tibi: maiorẽ tuum, & dicet tibi. Hodiè Apoſtolorum principem tibi delegiſti ſacerdotem, hodiè cæli ia-

Ibid.

*deriuatione-nem

*alio

Matt. 5.

Deut. 32.

nitorem inthronizaſti pontificem. O admirabilis in ſingulis Dei diſpenſatio, ò diuinæ diſpenſationis admiranda diſcretio. Quid dicam fratres? Vadam quò me ducit impetus ſpiritus? Eloquar, an ſilcá? Eloqui tamen melius cenſemus, quàm ſilere, quoniam & ſilere quaſi aliquid deeſſet, de beati Petri laudibus defraudare. Dicit de ſe in quodam loco Dominus: Ego ſum oſtium: Per me ſi quis introierit, ſaluabitur. Se oſtium equidem Dominus confitetur. per ſe introeuntibus ſalutem pollicetur, & tamen ad Petrum ità exorditur: Tibi, inquit, dabo claues regni cælorum. Iam videre poteſtis, fratres chariſſimi, & videtis quid veſter exprimere geſtiat affectus, ſed præ abundantia ſpiritus totum quod voluto, efferre non valeo. Ità enim perſæpè fit, vt præ abundantis lætitię vel triſtitiæ cumulo, verborum ſufficientia deſit ſpiritui, cùm ipſe ſpiritus nondùm diſcreuerit, cui potiùs debeat cedere patri. Fitque in abundantia ſpiritus error quàm maximus, tãquàm ſi cuilibet auaro multimodæ apponantur diuitię. Ipſe ſiquidem præ alacritate nimia hæſitat, quid priùs rapiat: & dum anhelat ad ſingula, manum porrigit ad omnia. Ità & nos: Impedit nos ſuper tanto ac tali myſterio cogitationum multiplicitas, ſed tamen Deo proſpe rante expediet nos orationum veſtrarum officioſitas. Noſtis, fratres chariſſimi, quoniam oſtio ſera & claues opponuntur, quibus * iubẽtibus eiuſdem oſtij valuæ reſerantur & claudũtur. Oſtijs etiam oſtiarij addicuntur, ad quorũ ſuggeſtionem penetralium Domini, de oſtiorum, vti libet, commoditate præloquuntur. Ergò quandoquidem Chriſtus ſicut ait, Oſtium eſt, Petrus verò clauicularius eſt. Quid aliud, quàm oſtij huius Petrus oſtiarius eſt, vt quodammodò per Petri villicationem, in ipſum, qui oſtium eſt, habeamus introgreſſionẽ? De numero Apoſtolico, ſacerdotali coagulatur collegio, vt altius aliquid admireris in Petri ſacerdotio, quàm (ſi dici liceat) in Apoſtoli vocabulo. Dicitur de Chriſto, Tu es ſacerdos in ęternum ſecundùm ordinem Melchiſedec. Non dicitur quòd ſit Apoſtolus, etſi fuerit ab angelis minoratus, ſed quòd fuerit ſacerdos, authentica voce conclamatur. Factus eſt ergò Petrus Apoſtolus, quod non factus eſt Chriſtus: ſacerdos quoquè adoptatus eſt, quod & erat Dominus. Factus eſt Chriſti conſacerdos & cohæres, nec factus eſt coapoſtolus. Forſitan tamen & Chriſtus vocari poſſet Apoſtolus, ſed ipſe patris, Petrus verò Apoſtolus Chriſti. Videtur quoque hodiernæ feſtiuitati conſonare illud ſapientis præconium: Recte ſacerdos magnus qui in diebus ſuis placuit Deo, & inuentus eſt iuſtus. Iſte ſiquidẽ præter Chriſtum, ſacerdotum * opinatiſſimus, Deo in diebus ſuis ſacerdos acceptatiſſimus, iuſtitiæ inſignis titulo, totum vitæ ſuæ curſum Chriſti dedicauit obſequio. Voluntariè Deo ſacrificauit, ſuper ouileſibi creditum competenter inuigilauit,

Ioan. 10.

Matt. 16.

Pſal. 109.

Heb. 3.

Eccli. 50.

for. *iuuantibus

*optatiſſimus,

lauit, pedetentim quos potuit cælorum ciuibus inuiſcerauit, triticum Domini ſui cautiſſimè ad vſuram erogauit. In amore Dei feruentiſſimus, in fidei aſſertione robuſtiſsimus, in proximi dilectione accommodatiſsimus, in terris cælibem ducebat vitam. Deniquè in miraculis ità erat copioſiſsimus, quatenùs in plateis ponerentur infirmi in lectulis, vt veniente Petro, ſaltem vmbra illius obumbraret quenquam illorum, & liberarentur ab infirmitatibus ſuis. Spiritus ſancti gratia intantùm ei linguæ ſuppeditarat facundiam, vt ante reges & præſides nec quid loqueretur excogitaret, nec quod diſertiſsimè loqueretur, aliquandò deeſſet. Ab ineſcatione piſciũ ad capturam tranſlatus hominum, fidei retia vagabundis huius procelloſi mundi piſcibus obtendebat. Hodiè quoquè ſummi Dei ſacerdos effectus, per odoriferi thuris & thymiamatis concremationem ſummo ſacerdotum gratanter & iocundè eſt acceptus. Immolauit ſeipſum hoſtiam viuam in odorem ſuauitatis, & altiſsimo accuratiſsimè vota ſua reddidit. Quocirca benedictionẽ omnium gentium dedit illi Dominus, & teſtamentum ſuum confirmauit ſuper caput ipſius. Ideò quoque ſtabilita ſunt bona illius in Domino, & enarrabit eleemoſynas omnis Eccleſia ſanctorum. Beatus ergò quem elegiſti & aſſumpſiſti Domine, eccè enim tripudians habitabit in atrijs tuis. Nulli ergò ſanctorum beatum Petrum credo ſecundũ, quem ſanctus ſanctorum in fundamento ſuarum collocauit Eccleſiarum, & exaltauit in ſpecula ſuarum ouiũ altiſsimum. Nemo coapoſtolorum in amore ſui Ieſu feruidior, nemo in ipſa traditionis deſperatione fuit animoſior. Promotus eſt à nauicula ſua Petrus, & hodiè in cathedra non peſtilentiæ, non columbas vendentium, ſed epiſcopali collocatus, vt ſedeat cum principibus, & ſolium gloriæ teneat. Statuit ei Dominus teſtamentum pacis, vt fungeretur ſacerdotio, & offerret illi incenſum dignum in odorem ſuauiſsimum. Agite ergò pontifices, qui beati Petri reſidetis in loco, quos epiſcopalis ſublimauit prępoſitio, conſiderate quem imitamini: imitamini, de cuius dignitate gloriamini, nè cura commiſſa abuti videamini. Non ſit vobis ad iactantiæ ſupercilium, vocitari pontifices, ſed velitis & deſiderate eſſe pontifices. Qui enim epiſcopatum deſiderat, bonum opus deſiderat. Operamini ergò quod competat, quod gregem Domini vobis commiſſum fœcundando confoueat, nè fortè cùm alijs prædicaueritis, ipſi reprobi efficiamini. Vos quoquè reliqui ſacerdotes, inferiores domus Domini mãſiunculæ, quorum labia cuſtodiunt ſcientiam: angeli enim Domini exercituum eſtis. Iex ſiquidem requiritur ex ore veſtro, qui peccata populi Domini comeditis, tandem expergiſcimini, & quamuis non ſitis, iuxta diſtinctionis momenta pontifices, tamen recolite vos Petri conſacerdotes. State ergò in gradu veſtro, ſuecincti lumbos viriliter, & ſequimini Petrum ſacerdotem magnum efficaciter. Quòd enim hodiè infula decoratus, ſacerdotali collocatur in cathedra, magiſterij veſtri humilitatem ſuſtollit, iudiciarię veſtræ poteſtatis deliberatiuam corroborat diſcretionem, & totius veſtri officij exornat dignitatem. Vos quoquè pro capacitate veſtra Dei cooperarij & coadiutores eſtis, inſtar Petri ſacerdotium ſuſcepiſtis. Mundamini igitur, qui fertis vaſa DOMINI. Si manus veſtræ tetigerunt aliquid morticinũ, lauate manus, mundate conſcientias, nè de ſordium iniquarum inquinationibus vaſa DOMINI ſordeſcant, & pro negligentijs veſtris cum ſuis portionibus ipſa vaſa diſpliceant. Habetis beatum Petrum ſanctitatis exemplar, munditiæ formam, totius ſtrenuitatis normã, qui precum veſtrarum eulogias & vota Deo noſtro gratificet, oblationibusque ſuis nos omnes ei commendet, qui viuit & regnat Deus per omnia ſecula ſeculorum.

Amen.

HIL-

Ibid.

Pſal. 64.

Pſal. 1.

1. Reg. 2.

1. Tim. 3.

1. Cor. 9.

Malac. 2.

Eſa. 52.

Universidad de Deusto
Biblioteca

HILDEBERTI CENOMANENSIS
EPISCOPI VERSVS DE MYSTERIO MISSAE.

SCribere proposui, quid mystica sacra priorum
Missa repræsentet, quòve minister agat.
Pro multis vna, pro quotidiè repetitis
Est oblata semel hostia vera Deus.
Involucrum legis Christus patefecit, ouemq;
Significatiuam vera remouit ouis.
Presbyter hanc offert, & in hac cessare figuras,
Remq; *figurarum testificatur agi.
Sic etenim templi, sic & crucis exprimit aram,
Vt sacra commemoret illius, huius agat.
Ergò quid in Missa vel agatur, vel memoretur,
Quæ quibus assimiles, sub breuitate canam.

TVrba Prophetarum venturi nuncia Christi,
Mysterium fertur præcinuisse crucis.
Hunc desiderijs, hunc laudibus, hunc prece multa
Præsuspirauit, extulit, expetijt.
Hæc tria commemorat, similiq; sub ordine ponit
Introitus Missæ, quem chorus antè canit.
Antè recensentur suspiria, posteà laudes,
Indè preces, in quo quæq; notentur, habes.
Exprimit officium suspiria: gloria, laudes:
Kyrie eleuson ter triplicata preces.
Interea veniens sacra veste sacerdos,
Altaris dextram, dona daturus, adit.
Illius aduentus, quibus ò Iudæa reuisit
Te tuus Emanuel, tempora plena notat.
Secreta siquidem procedit ab æde minister,
Ortu secreto venit ad ima Deus.
Vestibus ille sacris tegitur, texit caro verbum,
Tota carens macula, tota sacrata Deo.
Ille stat à dextris, quia quæsijt auctor inanes,
Execrata Deos gens, quasi dextra fuit.
Angelicum post hæc sacrifex pater incipit hymnũ,
Inceptum complet vociferando chorus.
Incipiens memorat, quæ saluatoris in ortu
Gaudia pastores angelus edocuit.
Cantica quæ post hunc Superi cecinere, recenset
Gloria, quam complet vociferando chorus.
Hinc oraturus, alios hortatur vt orent,
Discipulis Christus iussit, & egit idem:
Nam turbas in monte docens, orauit, & ipsis
Orandi formam fratribus instituit.

LEctio quæ sequitur, doctrinam signat eorum,
Qui sunt præmissi septuagintaduo.
Illorum monitis, dum responsoria cantat,
Edocet assensum se tribuisse chorus.
Alleluia sequens, memorat, quæ gloria mentis,
Quam pia laus oris sit comitata fidem.

INde sinistrorsùm Dĩi sacra verba leguntur:
Plebs baculos ponit, stat, retegitq; caput.
Nève superueniens zizania seminet hostis
Frontibus imprimitur mystica forma crucis.
Reijciente fidem Iudæa, gratia Christi
Transiit ad gentes: Israel errat adhuc.
Transitus is, quoties Euangelium recitatur,
Mentibus occurrit, exprimiturq; loco.
Ad lævam legitur, quia quò transiuit aberrans,
Et velut à læua gens idolatra fuit.
Vt sis attentus, patiens, erectus in hostem,
Et caput, & baculus, & status ipse docet.
Quippe caput retegens, attentè audire moneris:
Parcere, cùm baculum reijcis, instrueris.
Stans discis, quoniam stantes pugnare solemus,
Quòd te pugna grauis sub vigili hoste manet.
Succinit eccè chorus fidei compendia nostræ,
Assensum verbo se tribuisse docens.
Hinc etenim monstrat, quantùm profecerit, in quẽ
Crediderit, quæ sit, quòve data fides.
Ordo bonus, quoniam quò rex vocat atq; magister,
Respondet miles, discipulusq; sequor.
Quamq; notam pastor nouit, propriamq; fatetur,
Hac se signatam testificatur ouis.
Quæq; probant opifex, & signifer, & caput idem,
His opus, his proceres, his sua membra fouent.
Sic confessa fidem pia plebs, orare monetur,
Vt sit in hac stabilis, insuper aptet opus:
Effectum spondet chorus, offertoria cantans:
Tamquàm si dicat, credo, fatebor, agam.
Hinc est quòd post hæc offert sacranda minister
Dona, dehinc populus, quod sibi lege licet.
Ordo decens: Euangelium præcedere cernis,
Pone fidem pandi, dona deinde dari.
Audis, vt credas: & credis, vt hostia fias:
Taliter incipimus esse, sumusq; Dei.
Præterea donis, quæ plebs deuotior offert,
Dona domus Iudæ commemorare licet.
Cùm Salomon templum, Salomon altare sacraret,
Oblata à populo victima multa fuit.
Exemplo, Iudæa, tuo plebs vsa fidelis,
Altari dat se, dat sua, tu neutrum.
Non sine mysterio, sine re, vel panis ad aram,
Vel vinum fertur, cui superaddis aquam.
Vtraque danda Deo præsignauere figuræ,
Traditio docuit, sanctior vsus habet.
Vtraque sub typico ritu formaq; futuri
Melchisedech Domino sacrificasse ferunt.
Vtraque discipulis cœnantibus ipse redemptor
Tradidit, in corpus vtraque versa suum.
Vsus & ipse placet, quo sic mactetur in imis,
Vt sit in excelsis inviolata caro.
Admixtum vino lacticem miraris, at ipsum
Grande sacramentum est, nec ratione vacat.
Vnda fluens, homo præteriens: ea *mixta Lyæo, *iuncta
Est Christo Christi sanguine iunctus homo.
Diuidit vnitos, vel aquam, vel vina ministrans,
Et caput à membris separat ipse suis.
Præterea nil fons sine sanguine, nil sine fonte
Sanguis, vtrunque simul saluat, vtrunq; sacrat.
Cùm rimaretur pendentis viscera Christi
Lancea, manauit sanguis & vnda simul:
Sicut vtrunque simul fluxit, simul offer vtrunque:
Vnum deme, crucis non imitaris opus.
His ità præmissis, secretò presbyter orat,

Secretas

Secretas memorans, assimilansq; preces,
Quas egit Christus, cùm te iam Iuda remoto,
Abscessit modicùm, terq; precatus ait:
(In exemplari manuscripto erant hìc inserta verba hæc minio descripta:) PATER, SI FIERI POTEST, TRANSEAT A ME CALIX ISTE. (Ea ipsa metro sic reddi poterant:
Velle tuo saluo, poterit si ritè precari,
Alme parens, à me transeat iste calix.)
His precibus velutì labiorũ victima quædam
Est oblata, typum legis & ipsa gerens.
Pro se, pro populo, pro principibusq;, Sacerdos
Supremus Domino mystica dona dedit.
Nam sua, nam populi, nam pontificum malefacta
Portarunt aries & caper, & vitulus.
Pontificum vitulus, populi mala pertulit hircus,
Ipsius excessum dux gregis ipse luit.
Hæc tria Saluator triplici prece commemorauit,
Iam tunc pro nobis omnibus vnus agens.
Nam ter humi strato contritio cordis, & ille
Sanguineus sudor, crux fuit ante crucem.
Iam tunc anxietas finem spondentibus vmbris
Et veteri ritu gratior *vnda fuit. *vna
His actis, populum sublimi voce salutat
Presbyter, & sursùm corda leuare monet.
Inde patri grates per Christum semper agendas
Asserit, & post hæc, dona sacranda sacrat.
Si benè cuncta notes, hoc totum filius egit,
A prece discipulos, inde, petendo crucem,
Primùm iussit eos vigilare, statimq; precari,
Pòst dormire, dehinc agnus & ara tulit.
Nimirùm dum dicit eis, vigilate, salutat:
Quippe salus animæ, si vigilemus, adest.
Dum iubet orari, sursùm cor suadet habere,
Orari siquidem sola superna iubet.
Dum tandem vocat ad requiẽ, monet edere grates.
Mentis enim requie gratificamur ei.
Nam grates agere est Domino, nos reddere gratos,
Quod facit, à vitijs mens, manus, osq; vacans.
Vt talis fiat, quisquis sub iudice Christo
Sacrificat, sub quo iustus & ipse tremit.
Cum Superum cantu, quos aræ constat adesse,
Admitti proprias postulat ille preces.

CVM QVIBVS ET NOSTRAS VOCES VT ADMITTI.

POstulat vt sua vox laudi concordet eorum,
Quos adstare sacris pagina multa docet.
S. Gregorius in est. Si verbis *hominis, quem nectar vbiquè supernum
Eructasse liquet, vis adhibere fidem,
Tempore quo supplex assistit Presbyter aris,
Mactaturq; patri filius ipse manens:
Aethra patet, cælestis adest chorus, ima supernis
Iunguntur: sunt auctor & actus idem.
Cœtibus his dum mens dũ vox, dum vita ministri
Concordant, grates indubitanter agit.
Hinc benè cum populo, ter sanctus, quæq; sequuntur
Anteà quàm sacret mystica dona, canit.
Credimus has laudes assumptas ex Isaia,
In quibus innuitur trinus & vnus apex.
Ter positum sanctus, trinum notat esse: sed vnum
Declamat Dominus, atque Deus Sabaoth.
His tribus, huic vni sacrifex litat, angelus offert,
Ascribit clerus, plebs veneratur idem.
Et quia percipiunt in sacro munere quiddam,
Pro sacro Dominum munere glorificant.
Laudibus his venerantur eũ, quibus æthra resultat,
Quas duo de Seraphin, nocte dieq; canunt.
Has pro perceptis quasi grates ritè rependunt,
Ne quandò frustrà percipienda petant.

HActenùs explicui, quid repræsentet in ipso
Officio Missæ, quid ve minister agat.
Ex quibus hoc totum, quod in æde priore iubetur
Offerri, coràm commemorare licet.
Quicquid enim fit in Ecclesia, tantummodò prosit
Moribus aut fidei, victima grata Deo est.
Offerimus vitulos linguæ, mactamus & hircos,
Soluimus in cineres thus, ouiumq; virum.
Dũ canimus, vel dũ legimus quod praua refrenet,
Quod populum, quod nos ad meliora vocet:
Tunc etiàm vitulus, tunc sacrificatur & hircus,
Cùm fastum calcas, luxuriamq; premis:
Agnus ab innocuis, à simplicibusq; columba,
Turtur ab his qui flent, gaudia summa procùl.
In clibano coctos panes altaribus offers,
Si robur mentis nulla flagella mouent:
Conspersos oleo, si ius pietas moderetur,
Inq; reos infrà, quàm liceat, libeat.
Non fermentatos, si mens tibi purior assit,
Excoquat & carnis fluxa supernus amor.
Offers & similam, si quos diuiserat error,
Colligis, inq; fidem iungis, idemq; facis.
Hos catechizans, molis in baptismate mergens,
Vnis: informans aspera ferre, coquis.
Sic eadem moresq; docent, Christumq; figurant,
Sic geminos vsus cætera legis habent.
Quod verò Missæ superest, ità sacra recenset
Legis, vt exhibeat sub cruce sacra crucis.
Quippe recensetur, quicquid lex præco futuri
Intra sanctorum sancta iubebat agi.
Hæc aperire labor, quia metro, nominibusq;
Ignaris metri, materiaq; premor.
Da veniam Lector: rem tantùm pandere & vsum,
Non speciem, nostris versibus esse sat est.
Non tamen expectes, vt singula verba vel actus
Quoslibet aggrediar clarificare tibi.
Ad summã rerũ curret stylus, & quibus vmbram
Legis opusq; crucis exprimat ara, canam.
Et semèl & soli sanctorum sancta patebant
Pontifici, precibus plebe vacante foris.
Angulus is *velo distabat ab æde priori, *verò
Aduentu Superùm, colloquioq; sacer.
Idem thuribulo, simul & thymiamatis ara,
Et testamenti fœdere clarus erat.
Clarus & insigni tabula quæ præminet arcæ,
Quam supèr obnubit pronus vterque Cherub.
Summus eò præsul semèl accedebat in anno,
Pro se, pro populo mystica dona ferens.
Scilicet illius hirci vitulíq; cruorem,
Quos proles Aaron immolat ante fores,
Carbonesq; simul, quos desuper exteriorem
Sumendos aram pagina sacra docet,
Hos in thuribulo ponit, tantumq; sacerdos
Thus cremat, vt fumus vber obumbret eum.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Adspergit tabulam, post hæc adspergit & aram
Exteriùs sacram sanguine pacifico.
Hinc redit ad populum, vestem lauat, attamẽ idem
Non nisi sub sero vespere mundus erat.
Hic locus, hic sacrifex, ea munera signa fuere:
Signa receßerunt, significata manent.
Exprimit Ecclesiam prior ædes, altera cælum,
Antistes Christum: sanguis, amara crucis:
Carbones, summam virtutum Christe tuarum:
Thuribulum, carnem: thura cremata, preces.
Summa tabella patrem, cælestes ara cohortes,
Veste notatur homo, vespere mors hominis.
Hæc perstricta tibi rerum velamina pandunt,
His ea, sed velutì semiretecta, vides.
Ex his non aliter fit res tibi peruia, quàm si
E foribus spectes interiora domus.
Interiora sacri, te Christe docente, patebunt,
Cuius morte patent interiora poli.
Quas igitur partes perstringere nitor, eadem
Sicut habet series Canonis, exposui.
Sic leuiùs discres quod opus, quæ verba ministri
Quid reminiscantur legis, agant ve crucis.

TE IGITVR CLEMENTISSIME PATER. *vsque*, ILLIBATA.

Intrabat præsul vitulorum sanguine sacrum,
Intrauit proprio Christus & ipse polum.
Intrat agens sacrifex in sanguine semper ad aram,
Effusi semper sanguinis ipse memor.
Nam quoties fusum, verbo, cruce mente retractat,
Hunc specie toties in sacrosancta gerit.
Quippe velut quidam cruor est, meminisse cruoris,
Huius nos memores crux iterata facit.
Mentio mortis adest, vbicumque perennibus escis
Imprimit vncta manus mystica signa crucis.
Sic Aaron, Christumq; sequens altare frequentat,
Presbyter, hunc haustum sanguinis ipse gerit.
In primo siquidem versu vexilla salutis
Ter super apposita prærogat ille dapes.
In quo iam mortis, mitisq; priusq recordans,
Appellat triplici nomine munus idem.
Dona vocat primum, mox munera nuncupat escas,
Pòst sacrificij nomine censet eas.
Dona vocat, quoniam Deus has donauit, vt inde
Sustentaretur lege modoq; caro.
Munera sunt, quoniam Deus his donatur, & inde,
Munerat auctorem, cui dedit auctor eas.
Nam quòd sacrifici censentur nomine, monstrat,
Qua ratione priùs munera dicat eas.
Scilicet idcircò, quia sacrificantur, & aptè
Munerat auctorem, qui data reddit ei.
Sic eadem quæ dona vocat, cùm sacrificantur,
Munera sunt, quoniam munerat inde Deum.
His quoque nominibus pulchre satìs hostia triplex
Innuitur, scipto iam recitata meo.
Hoc etenim totum quod spondebatur in illis,
Completum memorant, sub specieq; gerunt.
Nam quod sperauit priùs in veruece sacerdos,
In capro populus, in vitulo q; duces:
Crux dedit, esca sapit, totum canit esse tributum.
Nominibus trinis hæc tria sacra notans.

A IN PRIMIS QVAE TIBI OFFERIMVS. *vsque*, ANTISTITE NOSTRO. MEMENTO DOMINE FAMVLORVM. *vsque*, DEO VIVO ET VERO.

Ingrediens sacra sanctorum Leuiticus, orat
Pro se, pro suo principe, gente, domo.
Ante crucem Christus rogat & se clarificari,
Et custodiri, quos dedit ipse Deus:
In cælis etiam semper pro plebe Sacerdos,
Pro seruo Dominus, pro grege pastor agit.
Noster in hoc sacrifex Aaron, Christumq; secutus,
B *Pro tota primùm supplicat Ecclesia.*
Hinc etiam pro pontificis, regisq; salute,
Pro reliquis infrà sicut oportet agens.

COMMVNICANTES ET MEMORIAM. *vsque*, MVNIAMVR AVXILIO.

Lege iubebatur sumptos altaris ab igne
Carbones viuos in sacrosancta geri.
Lege iubebatur Aaron festinus eisdem
Thuribulo positis thus adolere Deo.
Thuribulum carnis tamquàm carbone refertum
Virtutum cumulo Christus ad astra tulit.
C *Hos ex igne Deo quo mentis fluxa cremantur,*
Quo laxa carnis lubrica sumpsit homo.
Tamquàm carbones inter sacrosancta Sacerdos,
Nomina sanctorum commemorando gerit.
Hos etenim viuis carbonibus assimilamus,
Qui splendent actu, iuris amore calent.
Deniq; qui sequitur, quod lex iubet, vmbra figurat,
Dum litat, hunc ignem mente minister habet.
Ingrediens etenim sanctorum sancta sacerdos,
Pectore gestabat nomina scripta patrum.
Scilicet insinuans exempla, fidemq; priorum
His imitanda, quibus mystica mensa patet.
D *Nec satìs esse Deo, verbis meminisse bonorum,*
Si non exhibeas moribus ipse bonos.
Sic sacrifex, intusq; calens, extraq; coruscans,
Carbones carbo factus & ipse gerit.
Sic benè contexit multorum nomina patrum,
Sic meritis multos exprimit ipse patres.

HANC IGITVR OBLATIONEM. *vsque*, NVMERARI. PER CHRISTVM. QVI PRIDIE QVAM PATERETVR. *vsque*, HOC EST ENIM CORPVS MEVM. SIMILI MODO POSTEAQVAM COENATVM. *vsque*, MEMORIAM FACIETIS. VNDE ET MEMORES DOMINE. *vsque*, IMMACVLATAM HOSTIAM.

Hac nebula fumi tegitur Leuiticus orans,
Vt pateat nulli, dum thymiama cremat.
Hac prece pro nobis, hac sedulitate precatur
Christus, vt angelicum transeat intuitum.
Nescitur quantùm sumptæ præsentia carnis
Possit apud patrem, quid sinè voce preces.
His precibus cedit, quicquid Leuiticus offert,
*Et quocunque modo, tempore, * siue gradu.* *sine,
His patrem precibus dedicere iudicis iras,
Et flecti constat, & meminisse patris.
Tamq; sub nebula sacra dona frequentat & offert,

Quis-

Quisquis agit Christi, Christus & ipse, vices.
Hæc etenim virtus, hæc efficientia verbi
Et crucis est, vt mens, linguaq; cedat eis.
Nescit, homo, latet & superos, quò prouehat escas
Gratia verborum, mysteriumq; crucis.
Incipit his verbis supplex instare sacerdos,
Quæ salua specie munus vtrumque nouant.
Incipit, & toto contritus corde, cremansq;
Thuribulo mentis lucida thura precum.

QVÆSVMVS VT PLACATVS.

Orat vt accipiat placatus dona, suaq;
Ordinet in pace tempora nostra Deus.
Orat vt accipiat de maßa perditionis,
Inter & electos nos numerare velit.
Orat vt hic idem benedicat, quas dedit, escas:
Orat vt ascriptas, atque ratas faciat.
Orat vt hoc altaris opus ratione geratur,
Sitq; quod acceptet, quod probet ipse Deus:
Dũ rogat vt Dominus, quæ condidit, hæc benedicat,
Vt nouet in melius, promoueatq; rogat.
Dum rogat ascribi, quòd eam sibi præroget escam,
Atque dicet propriam sanctificando rogat.
Dum rogat esse ratam, ne frustrà speret in illa,
Sed sit quæ prosit, sint rata vota, rogat.
Dum rogat hanc ratione geri, quæ munera recte
Offert, vt rectè diuidat, ipse rogat.
Istius ergò dapis benedictio, gratia maior,
Vberior fructus, perpetuansq; vigor.
Hoc sane totum verbis confertur in illis,
Quæ subdit sacrifex, non sua, sed Domini.
Quippe recensurus, quæ protulit ille vel egit,
Cum cœnans idem, cœna beata fuit.

QVI PRIDIE QVAM PATERETVR, ACCEPIT PANEM.

Panis in hoc verbo, sed adhuc communis, ab ara
Sumitur, & sumptum tollit vtraque manu,
Presbyter hinc idem, cùm peruenit ad Benedixit,
Imprimit elato mystica signa cruci.
Nec priùs in mensam demittit, quàm tua Christe
Verba repræsentans explicet ista super:

ACCIPITE ET MANDVCATE EX HOC OMNES.

Hinc leuat & calicẽ, signatq;, nec ante reponit,
Quàm super auctoris verba retractet ita:

ACCIPITE ET BIBITE EX EO OMNES *Vsque*, IN REMISSIONEM PECCATORVM.

Si qua fides patribus, quos vita beata perennat.
Esca fit hæc animæ, quæ modò carnis erat.
His verbis vtrumque nouas acquirere vires,
Maioresq; suis scripta probata docent.
Sub cruce, sub verbo natura nouatur, & aram
Panis honorificat carne, cruore calix.
Presbyter idcircò, cùm verba venitur ad illa,
In quibus altari gratia tanta datur:
Tollit vtrumq;, notans, quòd sit communibus escis
Altior, & quiddam maius vtrumque gerat.
Quæq; parens animæ, carnis fomenta parauit,
A *Omnia sacratis inferiora cibis.*
Et quoniam quotiès libauerit ista Sacerdos,
Christus eum memorem præcipit esse sui,
Hoc sacramento nos commemorare fatemur,
Quòd mortem tulerit omnicreator homo.
Quòd surgens cælos ascenderit, hæc tria sanè,
Qualem sacrificem vult cibus ille, notant:
Scilicet vt carne moriatur, mente resurgat,
Ter quinis gradibus templa superna petat.
*Sic memores passi, surgentis, ad astra * volantis,* *meantis
Et nos & pariter plebs tua, magne Deus.
De donis propriisq; datis tibi munera pura,
B *Munera sancta, sed & immaculata damus.*
Dona quidẽ nobis Domino data: nam quod in escã
Donat, nos ipsi sacrificando damus.
*Pura damus, quoniam non his * est mixta vetustas,* *admixtu
Aut ad saluandum non ope legis egent.
Sancta damus, quia qui sacras diiudicat escas,
Proficit, & libans sanctificatur eis.
Immaculata damus, quia quod fuit immaculata
*Hostia, quodq; dedit, nostra * fit & dat idem.* *fit,
Presbyter insistens implorat, vt illa serenus
*Respiciat clemens, * ac beet illa Deus.* apptobet*
Nec minùs hæc placeant, q̃ quod puer obtulit Abel,
C *Quã quod Abrã, quã quod rex sacrifex q̃, Salem.*
His tribus inuitur variorum forma sacrorum,
Quæ ratio, quæ lex, quæ sacra cœna dedit.
Lex naturalis, lex tradita, lex breuiata,
Placauere Deum munere quæq; suo.
Et tamen imparitèr, quia spẽq; fideq; supremè
Dicitur in reliquis plena fuisse salus.
Hæc sibi sufficiens, nec eget perfecta futuris,
Nec de præteritis, vnde iuuetur, habet.

SVPPLICES TE ROGAMVS. MEMENTO ETIAM DOMINE. NOBIS QVOQVE PECCATORIBVS. *vsque*, OMNIS HONOR ET GLORIA.

Adspergi tabulã lex, vmbra iubebat & aram,
Exteriusq; sacrum sanguine pacifico.
Filius asseritur totiès adspergere patrem,
Adsperso quotiès sanguine placat eum.
Adspergit semper superos, quia semper eorum
Adsperso reparat, restituitq; gregem.
Adspergit semper homines, quia semper & ipsos
Adspersos renouat, conciliatq; patri.
Hos adstans aris adspergit & ipse sacerdos,
Cùm memor adspersi sanguinis vnit eos.
Vnit eos placando Deum, supplendo ruinam
Spirituum, vitam restituendo reis.
Vita Deus moriens, hoc totum præstitit orbi,
Hoc per eum mortis mentio præstat adhuc.
Tunc igitur sacrifex adspergit sanguine patrem,
Cùm semèl adspersi mentio placat eum.
Tunc idem cœtus adspergit cælicolarum,
Cùm semel adspersi mentio supplet eos.
Tunc adspergit & hos, quos abluit vnda salutis,
Cùm semel adspersi mentio purgat eos.
Presbyter hæc satagẽs, sumpta sibi supplice forma,
In sublime geri mystica dona rogat.
Addit & erectus, vt participatio mensæ,

Universidad de Deusto
Biblioteca

Quotquot eam sument, prosit, & intùs alat.
Neve sepultorum pia mentio prætereatur,
Et bene defunctis, & sibi poscit idem.
Poscit idem sibi, dum sanctis rogat associari,
Quos & nominibus* nominat ipse suis.
Angelus is, cuius manibus sacer ille minister
In sublime geri munus vtrunque rogat,
Angelus est eius, vel quos reuerenda vetustas
De sursùm missos dicit adesse sacris.
Ara superna, Dei conspectus, eò sacra ferri,
Est etiam meritis sacra placere Deo.
Angelicas ea ferre manus, est plaudere nostro
Affectu superos, mysterijsq; sacris.
Quæ tam secreto plausu perlata, feruntur
In sublime: placant, pacificantq; Deum.
Ergò pius sacrifex adspergit sanguine patrem,
Cùm sic adsperso mentio placeat eum,
Cum viuis veniam, refrigeriumq; sepultis,
Impetrat & partem, quam petit ipse sibi,
Et superos & mortales adspergere fertur:
Nam quæ nos purgat mentio, supplet eos.
Porrò cùm sacrifex sublimem nominat aram,
Quò supplex orat dona sacrata geri.
Commemorat liquidò velaminis interiora,
Quò semel intrabat pontificalis apex.
Cùm sacra perferri sursùm rogat, innuit hircum,
Quem lex deserti vasta subire iubet.
Quippe duos soribus templi lex applicat hircos,
Vni desertum destinat, alter obit.
Christus diuersis respectibus hircus vterque:
Nam tulit in ligno, viuit in arce poli.
Viuit & hìc humilis, deserto regnat in illo,
Quò proprijs humeris, ipse* reduxit ouem.
Sic meminit logis, meminit crucis ipse Sacerdos,
In sublime vehi munus vtrumque petens.
Idem dum memorat sanctos, humerale recenset,
Quod bis sena patrum nomina scripta gerit.
Pectus enim logion, scapulas humerale tegebat
Præsulis, intrantis interiora sacri.
Hic in vtroque gerens gemmis insculpta priorum
Nomina, venturi præco typusq; fuit.
Nos etenim gerimus logion, cum nomina patrum
Circa principium Canonis exprimimus.
Nos humeralis onus gerimus, cùm nomina patrum
Hac in parte sacri Canonis inserimus.
Tunc etiàm logion, tunc fert humerale minister,
Cùm mores patrum, cùm labor ipse placet.
Ecce subinfertur, quòd tu bone conditor orbis,
Per Christum semper hæc bona cuncta creas.
Sanctificas, & viuificas, idem benedicis,
Glorificans primæ conditionis opus.
Nam quia sic homini verbum Deus hæret, vt vna
Sint persona, creans atque creatus homo,
Quidquid per verbum Deus ordinat aut operatur,
Per Christum fieri dicitur illud idem.
Ergò per Christum rerum natura nouatur,
Communisq; cibus fit speciale bonum.
Per Christum quoquè sanctificat Deus vnus vtrũq;
Viuificat pariter & benedicit idem.
Sanctificat, quoniã datur hæc quoquè gratia rebus,
Vt bene percipiens, sanctificetur eis.
Viuificat, quoniam datur hæc vegetatio rebus,
Vt moriens, intùs viuificetur eis.
Hic idem benedicit eas, quia prouenit inde,
Vt benedicatur, qui benè sumit eas.
Est honor, est etiam per Christum gloria patri,
Per quem cuncta pater glorificanda facit.
Est & cum Christo, quia glorificatur & ipse,
Cum quo cuncta pater glorificanda facit.
Est simul in Christo quoniam Deus vnus vterq;
Et quod in hoc vno est, est in vtroque simul.

*exprimit

*reuexit

OREMVS. PRÆCEPT. PATER NOSTER. LIBERA NOS QVÆSVMVS, &c.

AD populum regredi, vestes q; lauare, supremum
Pontificem, legis mystica iussa volunt.
Ipse tamen mundus, eadem sic iussa canebant,
Non nisì, cùm iam Sol occubuisset, erat.
Ecclesiæ Christus,* quia non abeundo reliquit, * quam
Subueniens, ad eam compatiendo redit.
Has eius vestes, has viuis abluit vndis
Fons, qui perpetuò* vulnera nostra sanat. *menstrua nostra lauat
Fons tamen illa lauans, donèc famulabitur orbi
Sol, velut immundus, atque lauandus erit.
Eius enim membris, dum Sol aget iste labores,
Hærebunt maculæ, quod q; lauetur, erit.
Dicitur ad populum tamquàm remeare Sacerdos
Pro populo rursùm multiplicando preces.
Iam q; velut foris est, cùm vocem mutat, & orans
Admonet, vt pariter oret & ipse chorus.
Admonet orandi formam, sublimè retractans,
Quam statuit Christus, edocuit q; suos.
Talibus officijs, interuentu q; sacrorum,
Et simul intinctu sanctificantis aquæ
Ipse lauans populum, sua vestimenta lauare
Fertur, & apta Deo reddere fonte precum.
Est tamen immundus, donec Sol occidat, idem.
Nam dum viuit, habet, quod lauet, omnis homo.
Sic sacrifex remeans, vt dignus percipiendis
Fiat, & ad vitam sumat vtrunque simul:
Iam quasi cum populo septem sibi dona precatur,
Quæ voluit Christus, instituit q; peti.
Illorum tria prima quidem sine fine manebunt,
Sed reliquis finem spondet amara dies.
Semper enim sanctum nomen patris, id q; beato
Quod metuat, quod amet, quod vereatur, erit.
Semper & ipse bonus, regnũ patris, vnde profectò
Scandala cuncta procul, quod q; resistat, erit.
Semper vt in cælo, sic in tellure voluntas
Fiet, & in neutro, quod reprobetur, erit.
Fit verò pariter in vtroque paterna voluntas,
Cũ quod amat, quod vult angelus, hoc & homo.
Prætereà sicut quidam senfere priorum,
Terra, caro: cælum, spiritus accipitur.
Consummatur in his pariter diuina voluntas,
Cùm caro subijcitur, spirituiq; fauet.
Hæc tria nunc iusto varijs euentibus adsunt,
Post mundi finem nescia finis erunt.
Quatuor esse sinent, nam pasci nullus egebit,
Cuive remittantur debita, nullus erit.
Tentari nemo poterit: mala nulla deinceps,
A quibus electos liberet auctor, erit.
Nam verbum vitæ, panem puto quotidianum,
Siue sacramentum, quo viget intùs homo.

Tunc

Tunc neque doctrina, nec ea dape iustus egebit,
Qui sciet omne bonum, cui Deus ipse cibus.
ET quia præteriti meminit, præsente grauatur,
Venturum metuit Presbyter ipse malum.
Vt prece sanctorum Deus illum liberet, vtq;
Pax data tranquillet tempora nostra, rogat.
Officit Ecclesiæ cùm perturbatio feruet:
Pax in spe fructus semina iacta fouet.
Hinc sequitur panis infractio tradita nobis
A Domino, quiddam legis & ipsa gerens.
Legis præcepto minui similago iubetur,
Non nisì frustatim sacrificanda Deo.
Sic sacrum panem cœnans fregisse Redemptor
Dicitur, & fractum distribuisse suis.
Nos quoquè non frustrà legẽ Christumq; sequentes,
Aptè partimur dona dicata Deo.
Nam tres ecclesiæ sunt partes, vna laborat
In terris, partem iam fouet alta quies.
Partem quæ restat, clementior excoquit ignis,
Excoctaq; patet transitus ad requiem.
Diuersas meritis, diuersas sorte locorum,
Tres istas partes hostia fracta notat.
Pars intincta mero, viuis aptatur, opusq;
Sanguinis & carnis expiat ipsa caro.
Pro benè defunctis, quorum purgatior vnus
Hoc interuentu non eget, alter eget.
docet Offerri reliquas ratio iubet, obtinet vsus,
Nec tamen hinc idem fructus vtrique datur.
Nam dum pro iusto sacris assistitur aris,
Pro iusto grates ipse minister agit.
Cùm pro saluandis nunc pœnam temperat vltor,
Nunc & plena quies acceleratur eis,
His epulis epulas illius sumimus agni,
Quem lex præcinuit, crux tulit, ara sapit.
Presbyter hunc in mysterio sumpturus, ab ipso
Tam sibi quàm populo munera trina petit.
Inter eos siquidem primùm rogat enumerari,
Quos in carne pudet turbine carnis agi.
Hinc in eo regno petit idem glorificari,
Quò sua membra caput glorificanda trahit.
Postremò quia spiritui caro lenta resistit,
Cedit & infelix spiritus, ipse caro.
Implorat pacem, qua fiat vterque quod alter,
Concordesq; velint, atque sequantur idem.
Nam nisi re benè composita, nec iustificatur
Nunc, nec in æternum, glorificatur homo.
Hoc intellectu distinguit prisca vetustas,
Quod clerus triplici voce precatur ità. Agnus Dei, ter.
Ad Christi reditura fidem Iudæa notatur,
Cùm* pater ad dextram cedit, & explet opus. *partem
TOllimur è medio fatis vrgentibus omnes,
Et trahimur, quò nos vita peracta vocat:
Hi numquàm, hi semper, alij plectuntur ad horã,
Purgatisq; datur transitus ad requiem.
Hanc illis altare sacrum vel criminis expers
Vita, vel obsequijs emptus amicus emit.
Perfectos, valdeq; malos nil vota suorum,
Nil impensa precum, nil holocausta iuuant.
Nam nec iustus eget, nec pessimus ista meretur:
In medio est, veniam cui sacra mensa parat.
Ipsa tamen viuos à vitæ calle vagantes,
Vt redeant, saltem serò iuuare solet.
Vndè fit vt sacris quotiès assistitur aris,
Particulis cedat hostia fracta tribus.
Pars intincta mero pro viuis orat, opusq;
Sanguinis & carnis expiat ipsa caro.
Pro bene defunctis, quorum purgatior vnus
Hoc interuentu non eget, alter eget.
Offerimus tibi summe duas, sed propter eosdem
Oblatæ pariter non operantur idem.
Nam pars pro sanctis, pars est pro sanctificandis,
Mentio pro reliquis, causam agit alterius.
Fit cibus hic ex pane caro, Deus ex elemento,
Mysterio simplex, vtilitate triplex,
Fit cibus hic ouis in ligno, leo fortis in vna, Ara, crucis: tumulique, calix: lapidisque, patena: Sindonis officiũ cãdida byssus habet.
Ales ad astra volans, rex super astra sedens.
Neve putes illi tumulùmve crucemve deesse,
Ipse calix tumulum denotat, ara crucem.*
Vtq; fides adsit, terror q; recedat & horror,
Fit cibus ipse caro, panis imago manet.

Universidad de Deusto
Biblioteca

RVPERTI ABBATIS MONASTERII TVITIENSIS,

E REGIONE COLONIÆ AGRIPPINÆ, ORDINIS Sancti Benedicti, viri & vitæ sanctimonia, & sacrarum litterarum peritia præclari,

DE DIVINIS OFFICIIS LIBRI DUODECIM.

AD VENERABILEM ECCLESIAE RATISPONENSIS Episcopum Cunonem, Epistola Ruperti Abbatis, pro libro De Diuinis officiis.

Deut. 26. PRimitias frugum terræ, quam Dominus dedit mihi, nunc offero secundum præceptum sanctæ ac mysticæ legis, dum præsens opusculum, quod de diuinis scripseram officijs, diu expetitum mitto tibi, Cuno pater mi, hactenus Abbas cœnobij Segebergensis, nunc autem, adaucta super te Domini gratia, pontifex Ecclesiæ Ratisponensis. Primitiæ namque sunt istæ cunctorum operum, quæ mihi à Domino proueniße gauisus es, & libenter legisti, non dubitans ea commendare, & testificari, quòd veraciter sint fruges terræ, quam Dominus dedit, idest, veri sensus sanctæ Scripturæ, quam Spiritus sanctus condidit. Multa eorundem operum tuo nomine attitulaui, nonnulla nomine domini Colonienſis Archiepiscopi Frederici. Hoc autem quod primum erat, & alia pauca sine splendore cuiusquam tituli dimiseram, vt ipse nosti. Itaque primitias quidem frugum obtuleram, & dimiseram eas in conspectu Domini Dei, & adorato Domino, epulabar in scripturis, iuxta quod ibidem protinus lex sancta dicit: Et adorato Domino Deo tuo, epulaberis in omnibus bonis, quæ Dominus Deus tuus dederit tibi. Sed primitias istas sub nullius obtuleram præsentia sacerdotis, cùm lex hoc modo fieri decreuerit. Tolles de cunctis frugibus tuis primitias, & pones in cartallo, pergesq; ad locum, quem Dominus Deus tuus elegerit, vt ibi inuocetur nomen eius, accedesq; ad sacerdotem, qui fuerit in diebus illis, & dices ad eum: Profiteor hodie coram Domino Deo tuo, quòd ingreßus sim terram, pro qua iurauit patribus noßris, vt daret eam nobis: suscipiensq; sacerdos cartallum de manu eius, ponet ante altare Domini Dei tui. Cur non secundum ritum hunc mysticum ad sacerdotem accesserim, dicam. Nondum alicui notus Pontifici, & sacerdos, qui erat in diebus illis non curaret, neque admitteret me ad professionem huiusmodi, neque crederet saltem, quod mihi extra sorte diuisum fuisset quicquã de terra ista intra tribus Israel, in funiculo distributionis. Ego autem sciebam, quod neque Moyses neque sacerdotes, sed solus Iesus sorte diuisisset terram trans Iordanem tribus Israel, & proinde de sacerdotum patrocinio non multum curans, tenebam cartallum, & primitias frugum huiusmodi congerebam, & ponebam ante altare Domini Dei: habebam enim intentionem hanc, & desiderium hoc, vt placeret oblatio mea in conspectu Domini. Audiebam interea tale quippiam, quod me re-

Primitię cũctorum operum Ruperti sũt hi xii libri.

8. pet. 1.

Deut. 26.

Ritus offerendi primitias.

Num. 14. Psal. 77.

Ioſ. 15.

me recordare faceret illius ex historia veteri, quòd cum locutus fuisset Dominus ad Moysen dicens, Loquere filijs Israel, vt tollant mihi primitias ab omni homine, qui offert vltroneus; accipietis eas, & illi certatim offerrent, venerunt artifices & dixerunt Moysi: Plus offert populus quàm necessarium est, oblata sufficiunt & superabundant. Simile huic audiebam, quia dicebatur aduersum me: Iste scribit quod necessarium non est. Sancti scripserunt, sanctorum scripta sufficiunt & superabundant, non sufficimus legere quæ sancti scripserunt, nedum hæc quæ isti ignoti sine auctoritate de corde suo scribunt. Hæc & alia multo grauiora surda aure præteriens, vt totus eram possessus ab ea, quæ me tacere non sinebat, dilectione verbi Dei, & primitias istas & alia nonnulla in cartallo meo congeßi, donec venires tu amicus & patronus fidelis, per quem ego innotescerem sacerdoti Domini Ecclesiæ Agrippinensi. Ecce autem tu sacerdos gratuita vocatione Domini, tu pontifex factus ex spontanea electione cleri & populi, ad quem cum primitijs, immo & cum cunctis frugibus huiusmodi fiducialiter accedam & dicam: Profiteor hodie coram Domino Deo tuo, quòd ingreßus sim terram, pro qua iurauit patribus noßris, vt daret eam nobis. Scio enim quòd professionem istam libenter accipias, vt dicam, quia Dominus Iesus, qui populo suo traducto per aquas Iordanis, sorte diuisit terram in funiculo distributionis, id est, qui credentibus & iustificatis gratia ipsius per lauacrum regenerationis & renouationis Spiritus sancti diuisiones gratiarum distribuit, meam quoque paruitatem in eadem distributione cognouit secundum funiculum hunc, quem exprimens Euangelista: Tunc (inquit) aperuit illis sensum, vt intelligerent Scripturas. Parum dixi, quòd libenter accipias professonem huiusmodi, immo & hoc veraciter dicere poßum, quia nimis, & plus quàm vellem insistens, etiam me aduraßi, vt non contentus dixiße tibi, scriberem quoque, qualiter in hanc terræ optimæ partem ingreßus sim, cui adiuramento cur obedire necdum ausus sim, Deus scit, & tu mihi conscius, ex parte noßi. Suscipies ergò ò sacerdos Domini cartallum de manu mea, & pones ante altare Domini, maiori cum auctoritate quàm hactenus feceris, & ego loquar in conspectu Domini, quoties vel tu, vel aliquis exemplo tuo, scripta noßra relegere dignatus fuerit, tamquam fruges terræ, quam Dominus dedit, cui Dominus benedixit. Sunt autem præsentium primitiarum libelli XII. & deinde cæterorum, quæcumque obtuli, numerum subscribere curaui. Commentariolum in Iob librorum X. abbreuiatum ex abundantia sensuum atque dictorum B. Gregorij. Tractatus in Euangelium Ioannis librorum XIIII. Opus de operibus sanctæ & individuæ Trinitatis librorum XLII. Opus in Apocalypsin Ioannis librorum XII. Opus in XII. minores Prophetas librorum XXX. Opusculum de victoria verbi Dei (quod penè tuum proprium est) librorum * XII. Et Opus de gloria & honore filij hominis secundum Euangelium Matthæi, in quod tu more tuo me impulisti. Et opus ex libris Regum, de glorioso rege Dauid, in quod me dominus meus Colonienſis Archipræsul vehementer impulit, quorum in altero vsque ad octauum, in altero vsque ad vndecimum librum processi, in quibus nunc teneor; quæ cùm, vita comite, perfecero, dimittam & ista per manum tuam in conspectu Domini, & adorato Domino epulabor in omnibus bonis, quæ dederit mihi. Opusculum quoque in Canticis canticorum VII. libellis explicui, quod tu tanto libentius legisti, quanto fidelius ac deuotius beatam virginem Mariam, dilecti filij Dei genitricem diligis, cuius honori idem opus totum dedicari studui. Hæc commemorans

Calumniosa detractio in auctorem. Exod. 25. Exo. 35. 36.

Cunonis benignitas

Deut. 26.

Tit. 3.

1. Cor. 12.

Luc. 24.

Alibi fatetur ipse auctor ex diuina reuelatione se in scripturis versatũ esse

Catalogus operum Ruperti.

* XIII.

Compleuit aũt postea in Matthęũ sunt libros xij i Dauid xv.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Commẽdatio Cunonis.

rans plurimùm congratulor tibi, quòd aliquem iam fructum perceperis magnæ dilectionis, qua verbum Dei te semper dilexisse & diligere optimè noui. Hoc verbum flamma tua est, lux tua est, & hoc habens in corde & in ore tuo, lucerna tu es, quam

Matt. 5. *Deus, qui accendit, non solùm absconditam esse noluit, verùm etiam maiore quàm eras in domo maius super candelabrum, quàm steterat, poni ac lucere voluit. Nec dubito, quin omnis simplex oculus te videns, congaudeat propter lucem verbi, quæ ex ore tuo radiat, credo tantò abundantius, quantò plures in domo sunt, in qua lucem huiusmodi ministrare debes. Ego præcipuè exultare debeo in lumine tuo. Nec verò ad*

Ioan. 5. *horam exultare volo aut debeo in hoc lumine tuo, sed in exultationem sempiternam tendo, quo & te tendere scio. In hoc est enim vera exultatio, non quia ditior, aut glo-*

Matt. 6. *riosior factus es in hoc seculo, sed quia diuitiarum præsentium & huius gloriæ cumulus atque perfectio manet in cœlo, dum diuitiæ præsentes manum implent ad faciendam eleemosynam, cupienti thesaurizare in cœlo, Et gloria præsens, quoniam secundum Deum est, materia fit amplioris dilectionis, et gratiarum actionis, quia misericordiam hanc socia roborat veritatis spes, iuxta il-*

Psal. 88. *lud: Misericordia & veritas præcedent faciem tuam Domine. Misericordia te hic exaltauit. Veritas illic te beatum faciet, scientem nunc, et perfectius sciturum tunc Sanctorum iubilationem, de*

Ibidem. *quibus ita dictum est: Domine in lumine vultus tui ambulabunt, & in nomine tuo exultabunt tota die, & in iustitia tua exaltabuntur.*

RVPER-



RVPERTI ABBATIS TVITIENSIS

DE DIVINIS OFFICIIS PER ANNI CIRCVLVM, PROLOGVS.

EA quæ per anni circulum, ordine constituto in diuinis aguntur officiis, & attentum auditorem, & eruditum, vt benè exponantur, expetunt venerabilium scripturarum didascalum atque symmysten. Altissimarum namque signa sunt rerum, & maxima quæque continent cælestium sacramenta secretorum: quorum ad maiestatem contemplandam, non nisi Ephe. 1. eruditus & religiosus quispiam aspirare idoneus est. Si quidẽ ab his viris ordinata hæc, atque in obsequium Domini nostri Iesu Christi, qui est caput Ecclesiæ, instituta sunt: qui sacramenta Incarnationis, Natiuitatis, Passionis, Resurrectionis, & Ascensionis eius, & sublimiter intellexerunt, & prædicare voce, litteris atque huiusmodi signis fideliter & sapienter curauerũt. Videlicet imitati sunt hoc pacto benedictos filios Noe, Gen. 9. Sem & Iaphet, qui nuditatem patris, ridente maledicto Cham, assumpto pallio post dorsum suum, reuerenti diligentia contexerunt. Nam quid aliud Noe de vinea sua, quam plantauit, ipse inebriatus, dormiensq; & in tabernaculo suo nudatus, nisi Dominum Iesum Christum præfigurauit, qui à vinea sua, quam de Aegypto transtulit & plantauit, inebriatus aceto pœnarum, sopitus somno mortis, id est, habitu inuentus vt homo, palàm quòd passibilis mortalisq; esset, apparuit? Sed exeat & foris nunciet, Psal 79. eumq; infirmitatis arguat Cham, quod interpretatur calidus, scilicet omnis hæreticus Ioan. 19. calens ad rixam, contentiosus & impatiens. Nam inclytus Sem, & dilatatus Iaphet, Phil. 2. videlicet Catholici atque Apostolici Patres, honesto sacramentorum pallio, propter nos assumptam ornant & venerantur infirmitatem, & hoc post dorsum suum, quia sanè infirma illa transierunt, nec ea præsentes ipsi viderunt. Hæc verò sacramenta celebrare, & causas eorum non intelligere, quasi lingua loqui est, & interpretationem nescire. Qui autem lingua loquitur, inquit Apostolus, oret vt interpretetur. Hoc inter spiritualia charismatum dona, quibus Ecclesiam suam Spiritus sanctus exornat, magis æmulari nos hortatur, vt prophetemus, id est, vt ea, quæ spiritu oramus aut psallimus mentis quoque intelligentia capiamus. Sed non omninò, quemadmodũ si orem lingua, spiritus quidẽ meus orat, mẽs autẽ sine fructu est, ita de his quoq; sentiendũ est. Nã qui mysteria vel signa Ecclesiæ fideliter & piè frequentant, quãuis causas eorũ scire non potuerint, non tamẽ sine fructu sunt. Ideo quippe hæc instituta sunt, vt miro modo secreta Deiq; à paucis possunt intelligi, penè ab omnibus possint agi. Nũquid quia in operãdo soli vident oculi, cætera mẽbra, quæ non vident & tamẽ operãtur, sine fructu sunt? Sed vnumquodque membrum suam dignitatem habet. Præeminent autem oculi, qui cætera ducunt & dirigunt. Igitur sacramentorum omnium opificem inuoco Spiritum sanctum, vt qua per sanctos Patres hæc ordiuauit, eadem mihi secundum sensum & auctoritatem scripturarum, aperire dignetur gratia. Visum est autem hoc opusculum sic ordinari, vt primùm ea, quæ penè quotidiana sunt, deindè quæ certis temporibus & causis variantur, digeram ipso adiuuante Christo, cuius pio sanguine vniuersa terra purpurata est, cuius victoriis cælum floret, cuius mysteriis tempora insignita sunt, cuius memoria dies & horæ ornatæ sunt. Illud à bonis omnibus huiusce studij meritũ vel dignitas impetrare debebit, vt quamuis vetus cum suauitate vinum bibere assueti sint, nostra tamen musta despuenda non iudicent. Neque enim auctoritati veterum quicquam detrahimus, Amalarij scilicet & aliorum, si qui forte scripserunt de huiusmodi: sed licuit, semperq; licebit cuique dicere salua fide quod senserit. Primùm quidem quotidianum nostræ seruitutis pensum, videlicet septem diei horæ, quas Canonicas, id est, regulares dicimus, vndè causas institutionis acceperint, iam dicendum est. 1. cor. 14.

RVPER-

Universidad de Deusto
Biblioteca

RVPERTI ABBATIS TVITIENSIS

DE DIVINIS OFFICIIS LIBER PRIMVS.

De Horis Canonicis. Cap. 1.

SEptem Canonicas horas diei non licet à quoquam, qui in conſpectu Dei vacuus & ingratus apparere nolit, negligenter prætériri. Hæ ſiquidé creatori noſtro deferunt laudes, & p certis ac magnis eius beneficiis quaſi vectigales ſunt gratiarum actiones. Sol nanque verus & dies æternus Chriſtus, duodecim habens horas ſpirituales, & ſempiternè ſecum ſtantes has ſeptem horas temporaliter curren tes, clariſſimis miſericordiæ ſuæ radiis illuſtra uit atque dedicauit. Singularum rationes de theſauro ſcripturarum proferemus.

Ioan.11.

De Prima. Cap. 2.

PRima hora creatori noſtro laudes referre debemus, ante omnem curam corporis, qua ſcilicet hora Dñs noſter iam conſputus & illuſus, atq; alapis cæſus, & adhuc opprobriis ſaturandus, Pilato propter nos ligatus aſtitit: itéq; rediuiuus ſtans in littore, cùm in captura piſciũ, à quibus retia rupta non ſunt, ſignificaſſet Eccleſiam, qualis futura eſt in reſurrectione mortuorũ, mellitũ cũ ſeptẽ diſcipulis celebrauit conuiuiũ. Quia ergò primùm quærendũ eſt regnũ Dei, & cætera adiiciẽtur nobis: & in lege iubet Dñs omne ſibi primitiuũ offerri, primã offeramus horã diei noſtro redẽptori, & quæramus regnũ eius, q paſſus eſt pp delicta noſtra, & reſurrexit propter iuſtificationem noſtram.

Matt. 27. Ioan.21. Matt. 6. Exo.13.23. Rom.4.

De Tertia. Cap. 3.

HOra tertia duplici ratione ſplendet inſignis. Nanq; hac hora Dñs Ieſus ſpinis coronatus, & linguis Iudæorũ crucifixus eſt. Iuxta illud: Filij hominũ, dentes eorum arma & ſagittę, & lingua eorũ gladius acutus: videlicet quia Pilato iudicante illũ dimitti, firmauerunt ſibi ſermonẽ nequã, pertinaciter clamando, Crucifige, crucifige. Et Spiritus ſanctus, qui in remiſſionem peccatorũ non fuerat datus, antequam Ieſus eſſet glorificatus, ſuper naſcentem Eccleſiam, in igneis linguis effuſus eſt; & eſt impletũ diſcipulis, p miſsũ Dñi dicẽtis: Vos aũt baptizabimini Spiritu sãcto nõ poſt multos hos dies.

Matt. 27. Mar. 15. Pſal. 56. Pſalm. 93. Ioan. 19 7 Act. 21.

De Sexta. Cap. 4.

HOra ſexta Chriſtus Dñs p nos in cruce exaltatus eſt, vt ad ſe omnia traheret, & extincto modico lumine Iudæorum, de quo ipſa lux vera dixerat. Adhuc modicum lumen in vobis eſt, currite dum lumen uitę habetis, vt non tenebræ uos cõprehendant. Corporalibus quoque ſuper terram irruentibus tenebris, lumen verũ trãſiuit ad illuminationẽ Gentium.

Ioan. 12. Ibid.

De Nona. Cap. 5.

NOna quoque hora, iure in laudem Dei clamamus, quando clamans Dñs Ieſus voce magna emiſit ſpiritum, latrone admiſſo in Paradiſũ, & uenia quãuis ſerò, ueraciter pœnitentibus & confitentibus dedicata, & reſciſſo uelo legis & prophetarũ cœpimus reuelata facie cõ templari gloriã Dñi. Tunc etiã latere eius perforato, formãdę Eccleſię profluxerunt * elemẽta, sãguis, quo redimimur, aqua, qua abluimur.

Matt. 27. Luc. 23. Mar. 15. Ioan. 19. 2 Cor. 3. *alias sacr.

De Matutina & Veſpertina Synaxi. Cap. 6.

VEſpertinę atq; matutinæ laudis ſacrificiũ, magnis eſt nobis ſacramentis dedicatum, Omitto quòd in umbra ueteris inſtrumẽti mane & ueſpere iugiter offerebatur holocauſtũ. de quo dicit lex: Sacrificium eſt Dño in odorẽ ſuauitatis oblatione perpetua in generationes ueſtras. Ad Euangelicã. n. propero gratiã. Indè harũ ſplẽdida clareſcit horarũ dignitas. Veſpere Dñs panẽ & uinum aſſumens, & ueritatem ſui corporis & ſanguinis repreſentãs, ſuis portatus in manibus teſtamẽtum ſcribit ſuis hęredibus: hmilitatẽ ſcilicet & charitatẽ, lauando pedes diſcipulorũ, maximè cõmendans, iterũq; recumbẽs, longi ſolẽnitate ſermonis, amicis & filiolis iã moriturus ultimũ vale dixit. Itẽ in ueſpera ſepelitur, in ueſpera nihilò minus apparens uiuus in habitu peregrini, cognoſcitur in fractione panis, & hoſpitalia diſcipulorum corda iniecto ſuę charitatis igne ſuccendit. In matutino Petrũ, qui ter negauerat, galli cantus redarguit. Dñs reſpicit, & negator pẽnitẽs ad lachrymas cõfugit. Itẽ diliculo ſanctis mulieribus reſurrectione Dñi à dealbatis angelis annunciata, triſtitia fideliũ iã incipit conuerti in gaudiũ. Quęritur uiuẽs cum mortuis, & uiuũ ſe oſten-

Exo.20. Matt. 29. Luc. 22. Heb. 9. Ioan 13. Matt. 27. Lucæ 24 Matt. 26. Mar. 14. Luc. 22.

oſtendit, tangi quoq; dignatur & adorari. Notandũ, quòd cũ cęterarum ſeptenæ ſint partes horarum, i. verſus, Deus in adiutorium meum intende, cũ Gloria Patri, Hymnus, Pſalmi, Lectio, Reſponſoriũ vel verſus, ſupplicatio Letaniæ, & oratio completiua. His horis octauum additur canticum de Euangelio, quia ſcilicet canuntur pro octaua: ſpectant enim in beatitudinem reſurrectionis, qua maximè inſignitæ ſunt, iuxta ſenſum illius Euangelici capituli, Veſpere ſabbati, quę luceſcit in prima ſabbati.

Matth. vlt. Mar. vlt. Luc. vlt. Ioan. 20.

De Completorio. Cap. 7.

HOra completorij nobis illud commemorat de paſſione Domini, quòd iam egreſſo Iuda, pauere cœpit & tędere, factusq; in agonia, prolixius orauit, & ſanguineas guttas proſtrato corpore ſudauit, torcular tunc ſolus calcans, & in futuro ſanguinem Martyrum propoſſe fundendum præſignans: itemq; illud de reſurrectione eius, q prius quàm fecerat pacẽ inter Deum & homines, legatus fidelis rediens euangelizauit nobis, ſtans in medio diſcipulorum ſuorum, & dicens eis: Pax vobis.

Matt. 28. Matth. 14. Luc. 22. Eſa. 63. Ephe. 2. Ioan. 20.

De Vigiliis nocturnis. Cap. 8.

VIgilias nocturnas, de quibus & Propheta, Media, inquit, nocte ſurgebam ad cõfitendum tibi. Item Euangelicę nobis gratię claritas magnificentius inſtituit. Nam Dominus noſter media nocte de virgine natus, itidem, vt Samſon quondam obſeſſus ab Allophylis, media nocte, confractis portis inferi, ſurrexit à morruis. Media nihilominus nocte venturus aſſeritur in ſimilitudinem Aegyptij temporis, quando paſcha celebratum eſt, & exterminator venit, & dominus ſuper tabernacula tranſiit, & in typum noſtrarũ frontium ſanguine agni poſtes conſecrati ſunt. Vndè reor (inquit B. Hieronymus) traditionem Apoſtolicã permanſiſſe, vt die vigiliarum Paſchę ante noctis medium dimittere nõ liceat populos expectantes aduentum Chriſti, & poſtquam aduenerit illud tempus, ſecuritate prælumpta feſtum cunctos agere diem.

Pſal. 118. Luc. 2. Iudic. 16. Matth. ult. Matt. 25. Exo. 12. Apoc. 7.

Cur Veſperæ vel matutini, ordine à cæteris differunt horis. Cap. 9.

CVm autem, exceptis nocturnis vigiliis, hæ ſeptem ſint horę diei, Matutini, Prima, Tertia, Sexta, Nona, Veſpera, Completorij: Matutini & veſperę à cęteris horis & numero Pſalmorum & ordine hymnorũ, non immeritò differunt. Nam ex ueteri quoq; teſtamento, antiquam (vt dictum eſt) auctoritatem trahunt. Nec enim nihil momenti habere debuit in his antiquitas illa matutini & veſpertini ſacrificij, & vt ſupra repetam, immolatio Paſchalis agni, quę fiebat in veſpera, & illud quod fiebat in vigilia matutina, quia reſpexit Dominus ſupra caſtra Ægyptiorũ, & interfecit exercitum eorum, & ſubuertit rotas curruũ, ferebanturq; in profundũ. Itéq; illud quod in mũdi creatione, aliis horis tacitis cõmemorantur veſpere & mane, in ſenaria diuinorũ operũ diſtinctione. Iure ergò hymnum, qui eſt Euangelicæ lętitię, exemplo Dñi, qui hymno dicto exiuit in montẽ oliuarum, his dumtaxat horis pſalmi uetuſtę auctoritatis antecedunt, & quia ex Euangelio maxima ſacramenta cõmemorant, & ob hoc Euangelicis decorati ſunt cãticis, hymnos eiſdẽ penè cõiunctos habẽt. Cõpletorium quoque, quia apud quoſdã canticum de Euãgelio habet, cũ eodẽ cantico poſt pſalmos, hymnum habet contiguum. Nec mirũ, cùm in Pſalmorũ quoq; titulis, nũc pſalmus cãtici, nunc canticũ pſalmi inuenias, & ipſa cõmutatio rõne nõ careat. Oĩum in cõe horarum dignitatẽ reuerendã, & hoc indicat, q earũ initiũ & finẽ pariter referimus ad Deum. Nam initio Deũ in adiuriũ inuocamus, in fine Deo gratias referimus.

Deu. 16. Exo. 14. Matt. 26. Mar. 14. Pſal. 29. Pſal. 65.

De ordine horarum in feſtiuitatibus. Cap. 10.

QVoties de tempore gratiæ, materiam laudis ſumptã habemus, verbi gratia, diebus Dominicis & Sãctorum natalitiis, genua in ipſis horis non flectimus, ſtando proferentes libertatem, & gratiam, quę colli noſtri, qui eramus curui, iugum ferreũ confregit, ut incederemus recti. Tũc & uigilias in tribus diſpartimur nocturnis, ut non ſolum uerbo, ſed etiam facto tres uigilias prędicemus, de quibus ait Dñs: Beati ſerui illi, quos cum uenerit dñs, inuenerit uigilãtes: & ſi uenerit in ſecunda uigilia, & ſi in tertia uigilia, & ita inuenerit, beati ſunt ſerui illi. Tunc legendi atque canendi officia, quę ad ędificandã Eccleſiã, inſtituta ſunt, numeroſius concrepant, ut nos prępareamus ad aperiendũ Dño quacumq; hora pulſauerit, ad modum duarum ueteris teſtamẽti tubarum, quę ad mouendum caſtra crebrius atq; conciſius clãgere iuſſę ſunt. Ipſa autẽ lectionum pluralitas, non eadem in omni ordine eſt. Nã clerici nouẽ, monachi duodecim legunt. Illis nouenarius eſt tetragonus, i. ęqs undiq; quadrus lateribus, hoc innuit, q uerbum & opus prędicatorum, ęqualia ſemper eſſe debent, his uerò duodenarius inęqualibus conſtãs lateribus. Nã ter quatuor uel quater tria, duodecim faciũt. Hoc inſinuat, ut in uno magis extẽdantur, & exemplo Iacob cum Dño luctantes claudicẽt, ſ. minus operantes ut amplius meditari queant hi, qui fidẽ Trinitatis mundo quadrifido prędicant. Nam in utroq; ordine pluralitas lectionũ, pluralitatẽ ſignificat prędicatorum, qui ex tẽpore gratię plures in mundum miſſi ſunt. Sic. n. profunda nocte gallus rariores atq; productiores cantus edere ſolet, vicina uerò die crebriores atq; citatiores: ſic ante incarnationem Dñicam pauci & rari, poſt uerò multi & crebri prędones uitæ miſſi ſunt, paucitatẽ anteriorum in tribus priuatarum noctiũ lectionibus, multitudinem poſte-

Gal. 4. Ephe. 2. Hier. 28. Eſa. 45. Luc. 12. Apoc. 3. Num. 10. Gen. 32.

Universidad de Deusto
Biblioteca

posteriorum, in Natalibus Dñi vel Sanctorũ noui testamenti significamus. Adeò autem causa hęc vim rationis obtinuit, vt Romanus ordo (qui diuinarum rerum causas secundũ Apostolicam fidẽ, laudabiliter executus est) in ipsa nocte Paschali non plus, quàm tres lectiones habere decreuerit. Illa namq; nocte prædicatores sancti, s. Apostoli, & numero pauci, & metu Iudæorum muti, & de morte Dñi mœsti, videri fugiebant, audiri metuebãt. Nã in ipso crepusculo, referentibus sanctis mulieribus, q̃ resurrexisset Dominus, & q̃ visus esset ab eis, nõ crediderunt, & visa sunt corã eis quasi deliramenta verba hæc. Nec solũ illa nocte, sed exinde quoq; vsq; Pentecosten, causam eãdem in paucitate lectionũ considerat: quando prædicatores sancti, & numero plures, & feruore S. Spiritus facundi sunt. Non tamẽ minus rationi appropinquant, qui maiestatẽ solennitatis attendentes, integrũ & solennẽ lectionũ obseruant numerũ: quia etsi Apostoli muti fuerunt, Angelorum alloquia, & ipsius Dñi frequẽs visitatio, valde celebris & sequẽda prædicatio est.

Luc. 24.

Matt. 28. Ioan. 20. 21

Cur Lectiones Oratione præuenimus. Cap. 11.

PRædictas lectiones ideò oratione præuenimus, quia rogare debemus Dominum messis, vt mittat operarios in messem, & ut aperiat cor nostrum in lege sua, & in præceptis suis, ne semen verbi Dei, quod audituri sumus, aut volucres comedant, aut spinæ suffocent, aut duritia petræ frustrata radice supplantet.

Matt. 9. 2. Mach. 1. Matt. 13. Luc. 8.

De Iube Domine. Cap. 12.

LEcturus verò, benedictionẽ petens, hoc significat, q̃ nemo nisi missus aut permissus, officiũ prædicandi vsurpare debeat. Quo enim prædicabunt, inquit Apostolus, nisi mittantur?

Rom. 10.

De Tu autem Domine. Cap. 13.

QVodq; in fine dicit: Tu autem Dñe miserere nostri: hoc innuit, ne ipsum quidem bonum officium prędicãdi sine alicuius vel leuis culpę puluere posse peragi. Nam (vt ait B. Augustinus) verbum prædicationis securius auditur quàm dicitur. Prædicator quippe cùm benedicere se sentit, difficile nimis est, vt nõ quãtulumcunq; spiritu elationis tangatur. Et quia quasi per terram ambular, & pedes eius aliquo puluere sordidantur, idcirco misericordia Dei indiget, vt in hac parte lauetur, etiamsi mundus sit totus.

Matt. 10.

De Deo gratias. Cap. 14.

QVòd verò Deo gratias succinit chorus, nõ ad vltimam precẽ lectoris, sed ad totam lectionem respicit. Gratias nanq; agimus Deo q̃ doctrinæ suæ panem nobis frangere dignatur, nè fame audiendi verbum Dei pereamus. Nam & ad lectiones, quarum in fine, tu autem Domine, non dicitur, scilicet ad capitula horarum regularium, quia verbum Dei est, in quo viuit omnis homo, Deo gratias succlamamus.

Esa. 38. Lucæ 15. Deut. 8. Matth. 4.

De Responsoriis. Cap. 15.

REsponsoria, quæ post lectiones canimus, nobis innuunt, sanctis monitis Dei factis nos respondere debere, ne simus similes pueris sedentibus in foro, ludentibus ac dicentibus: Cantauimus vobis, & non saltastis, lamentauimus uobis, & non ploraſtis. Dicuntur enim à respondendo. Tristia namq; tristibus, & lætalætis debemus succinere lectionibus. Siquidem neque moris est, neque decoris, ut cùm lector tristia dixerit, verbi gratia, quæ sunt pœnitentię, siue lamentũ aliquod Dñicę passionis, chorus in respõsorio saltet de gaudio regni, & gloria resurrectionis. Sed dũ lector, velut Ioannes non manducans neque bibens, prędicat pœnitentiam, nos itidem in respõsorio ploramus: dum ille, velut filius hominis manducans & bibens, cantat nobis de gaudio regni, succinẽtes eidem, aptè saltamus. Quodq́ue vno pręcinente, tam in his, quàm in cęteris eiusmodi, chorus concorditer sequitur, illud astruit, quod Apostolus obsecrat, vt idipsum dicamus omnes, & non sint in nobis schismata.

Matt. 11.

1. Cor. 1.

De Campanis. Cap. 16.

SOnora esse instrumenta in Ecclesia, quibus ad laudẽ Dei populus excitetur, diuinæ auctoritatis & antiquę consuetudinis est. Nam olim tubæ, aut campanę, diuersa quidem specie, sed eadẽ habentur ratione. Legimus in Leuitico tubas ex iussu Domini factas, quarum vsus esset in Iubileo, tantę virtutis, vt ad crepitum earũ corrueret Hiericho. Et Paralipomenon inter cantores, nablis arcana cantantes, & inter Leuitas pro octaua canentes, concinente & subsiliente Dauid, septem tubarum clangorẽ personante corã arca fœderis Dñi. At nunc ad confitendum Dño, & ad annunciandũ mane misericordiam eius, & veritatẽ eius per noctẽ & ęnea signa personant, & ad omnẽ horam diuini officij, tãquam in exordio pręclaræ orationis, has partes tenent, vt attentos docilesq; ac benevolos diuinę laudis auditores efficiat. Hęc igitur Eccl esię signa, atq; illę legales tubę, vnũ atque idem significant, scilicet sanctos Ecclesię prędicatores, qui ad Sion montẽ & ciuitatẽ sanctã, cælestẽ Hierusalẽ, & multorũ milliũ Angelorũ frequentiã, & ad futurũ Dei iudiciũ populum inuitant & pręparant, magnitudinẽ rei, magnitudine dicẽdi, qua possunt exprimere cõtendunt: vt repositas intrinsecus aures cordis percellere, sensumq; surdi auditoris, ad audiendum flectere & vincere contendant. Quamuis ad potiora festinet oratio, prætereundum non est, quomodo p̃dicator perfectus, huiusce signi quadã similitudine formetur. Duritiã metalli forti-

Leu 23. 25. Num. 10. Iosu. 7.

1. Par. 15.

Psalm. 91.

fortitudine mẽtis, plectrũq; ferreum, quo sonus eliditur constãtia sermonis imitetur. Ecce dedi, ait Dñs, faciẽ tuã valentiorem faciebus eorum, & frontẽ tuam duriorẽ frontibus eorum, & vt adamantem & silicẽ faciem tuã. Fugiens quoq; terrenã habitationem, & dicens: nostra autem conuersatio in cælis est, sursum cor suspendat, pendensq; de turri fortitudinis, quæ stat contra faciẽ inimici, speculatorem se meminerit positũ esse domui Israel. Gestet autẽ lignũ crucis in capite, i. in principali suo, quod est mẽs, funẽq; exinde colligatum, i. vinculum charitatis, vsq; ad infirmos fratres, quasi vsq; ad terrã porrigat, quo commonitus, personare & os suum dilatare nunq̃ desistat, dicens: Charitas. n. Christi vrget nos. Ita custos super muros Hierusalẽ constitutus, non taceat, sed quodcũque viderit vel audierit, annunciet, iuxta illud: Qui reminiscimini Dñi, nè taceatis, & nè detis silentiũ ei, & tota die & tota nocte, instãs oportunè, importune his qui dormiũt in lectis eburneis, & lasciuitũ in stratis suis, nõ taceat laudare nomẽ Dñi, nè vsq; ad matutinũ, i. vsq; ad tremendum Dei iudiciũ male pacato consepulti somno pereant. Ad postremũ illud notandum, q̃ quẽadmodum ex tẽpore gratiæ plures prędicatores missi, crebrius theologicis concrepant symbolis, habentes donationes secundum gratiã, quæ data est eis, differẽtes: ita signa p̃dicta quantitate & sono differentia, quoties aliqua donationis Euãgelicę festiua commemoratio fit, tumultuosius tinniunt, & pertonãt crebrius, & productius reboant, vt dormientes in nocte & ebrios (qui enim dormiunt, nocte dormiũt, & qui enim ebrij sunt, nocte ebrij sunt) ad laudem Dei quasi violenter excitent, & si nõ euincunt sic, vt eos exurgere cogant ad orandum, ne intrent in tentationem, saltem securè dormire non permittant. Trinum itaque solennis diei classicũ, id est, matutinum, vespertinũ, & & quod ad Missę pulsatur initium, sic imitetur Euangelicus prędicatorum chorus, vt semper prædicet lamentationes prędentis vitę, carmen futurę, vę gehennę.

Ezec. 3.

Phil. 3.

Psal. 60.

Ezec. 3.

2. Cor. 5.

Esa. 62.

2. Tim. 4.

Amos 6.

Rom. 12. 2. Thes. 5.

De ministerio Altaris. Cap. 17.

IAm nunc ad thesaurum summi sacramenti, scilicet ad Missę secretarium accedere, quotidiani cursus ordo situs exposcit. Quòd si mihi peruiũ feceris thesaurarius salutis atq; ordinator charitatis, si aperuerit clauis Dauid qui aperit, & nemo claudit, claudit & nemo aperit, gratulari & cantare licebit animę meę, q̃ eam rex in cellã vinariam introduxerit. Hoc. n. sacrariũ propitiationis est: hoc illud propitiatorium, in quod versis vultibus duo Cherubin, i. duo testamenta mutuo se aspiciunt. Nã quod in veteri testamento promissum, pręsignatum & à longè salutatum, in nouo autẽ datum, reuelatum & palã est factum, hic prędentaliter exhibetur, non in vmbra sed in veritate, non in figura sed in re. Hic illud agitur, in quo noster Da-

Apoc. 3. Cant. 2.

Exo. 25.

Heb. 9. 10.

uid insanire videbatur regi Achis, qñ tympanizabat pendens in cruce, & impingebat ad ostia ciuitatis, i. ad cõclusa corda nõ credentia sibi: qñ ferebatur in manibus suis tenens panẽ & vinũ, & dicens: Hoc est corpus meum, hic est sanguis meus nouũ testamentũ: qñ desluebant salиuæ in barba, i. videbatur loqui infantilia, dicẽs, Nisi manducaueritis carnẽ meam & biberitis meum sanguinẽ, non habebitis vitã in uobis. Fugit quippe ab illo populo suo, quẽ nunc vocat Achis, i. quomodo est? eo quod dixerit, Quomodo potest hic nobis carnẽ suã dare ad manducãdum? Vocabat autẽ eũ prius Abimelech, i. patris mei regnum, & accepto regno super uerum Iudam, verumq́ue Israel, nunc mysticum sensum Paralipomenon, indutus stola byssina, vestitus Ephod lineo, præcentor inclytus, choros ducit sacrificans, & subsilit coram arca fœderis Dñi. O regem, ò sacrorũ principẽ. Quid sibi uult tantũ, tã clari capitis tripudiũ, dũ tendit arcæ Dei tabernaculũ, & indutus Ephod offert holocaustum, & in nomine Dñi benedicit populũ: ad quẽ cùm esset de tribu Iuda, nõ pertinebat sacerdotiũ? Sed repulit Dñs tabernaculũ Sylo, & occisis sacerdotibus Sylo, elegit tribum Iuda, elegit Dauid seruũ suũ. Ecce prægestit rex de tribu Iuda cõfidenter agere in his, q̃ deberi sciebat filio suo dño suo, in quẽ hæc dicebat: Iurauit Dñs & nõ pœnitebit eũ, tu es sacerdos in æternũ secundũ ordinẽ Melchisedech. Ecce imperat sacerdotibus, mãdat Leuitis, vt sanctificentur, cãtores cõstituit, eligit qui cantẽt arcana, qui canant pro octaua, qui clãgant tubis, qui personẽt buccinis, q̃ cõcrepent lyris, cymbalis, nablis, organis. In his oĩbus ad filiũ respicit. Ascendẽs. n. in altum captiuã duxit captiuitatẽ, dedit dona hominibus. Sciendũ nanque, arcã Dñi (quę interdũ pro quouis rectore ecclesię accipi consueuit) multò magis cõuenienter designare humanitatẽ saluatoris Christi, q̃ in latere feneſtrã habet, i. vulnus lãceę, quo fluxerunt aqua & sanguis: intus cõtinens mãna, i. vnitũ sibi uerbum Dei: & tabulas testamẽti, q̃ a in ipso sunt oẽs thesauri sapiẽtiæ & sciẽtię absconditi, & virga sacerdotalis & regię potestatis. Arcã ergò Dei noster Dauid, mortis imperio, quasi regno Saul destructo, deducit in Hierusalẽ, & collocat in tabernaculo cæli, quod ipse tetendit. Quod respiciẽs ecclesia diebus proximis sanctæ resurrectionis, exẽplo prioris populi se excitat ad concinendũ suo Dauid, dum hoc responsoriũ cantat: Decantabat populus ĩ Israel Alleluia. Canit ergò uniuersa multitudo Iacob legitimè, & ipse Dauid cũ cantoribus citharã percutit in domo Dñi. Quicquid enim Israel canit, hoc magistro, hoc p̃centore, citharas cordiũ digito Dei pcutiẽte, didicit: Ab hoc cõcitatus iubilus cordis in uoces corporeas choriq; cõcentũ, nũc grauiter, nũc acutè aut excellẽter erũpit, & magni corporis Ecclesię p oẽs gẽtes diffusę, q̃ a unafide resonat, cãtus pariter & ĩ simul vbiq; & undiq; multiplex & unus ab ipso

Psal. 67. Ephes. 4.

Ioan. 19. Heb. 9. Col. 2. 2. Reg. 6. 1. Paral. 15.

Universidad de Deusto
Biblioteca

suauiter auditur. Igitur ordinē altaris, ordinē magnæ & interminatæ rationis iam libet attingere & eorū, quę præcesserunt in capite, ſ. Christo, sacrorum principe sacerdotibus, qui sunt mēbra corporis, imitationē, ipso aperiēte, vel ex parte cognoscere. Et primùm de sacerdotalibus vestibus dicendum.

De habitu Sacerdotis. Cap. 18.

IN habitu sacerdotali nihil esse, quod vacet à ratione, apud ueteres quoq; constitit, sicut B. Hieronymus scribēs ad Fabiolam testis est. Apud nos ergò quātò sacerdotium Christi ueteri sacerdotio dignius est, tantò in habitu sacerdotali, causas habere probatur digniores. Illi enim sacras vestes secundum colorē, materiam, positionemq; cuiusque ad quatuor elemēta mūdi, ad duo hemisphæria cæli, partesq; Zodiaci, ipsumq; cælū referentes, ad ultimum in auri lamina, quę in fronte pōtificis erat, inscriptum habens ineffabile Dei nomen: hoc significari uolentes, q. omnia quę subter sunt, Dei arbitrio gubernētur, iustum esse cōmemorabant, ut pontifex * creatoris non solùm pro Exo. 28. *creatorē
Israel, sed & pro uniuerso mundo rogaret: licèt nostri & B. Hieronymus, iuxta morem suum, in his quoq, spiritualis intelligentię uela pādere soleant. Quoniā ergò nec uetera rōne carue rint, nos exēplaria cælestiū supergressi, ipsa potius in uero sacerdotio cælestia cōtemplemur.

De Amictu. Cap. 19.

SAcerdos in officio altaris, capitis sui, scilicet Christi, cuius mēbrum est, personam gerit.
Quidā amictu caput suum obnubit, donec D
super os casulę illum reuoluat, & uelut caput aut coronā illi coaptet. Illud est quod in Apocalypsi legimus, Angelum fortem descendisse Apoc. 10. psal. 10. Esa. 61.
de cælo, amictum nube. & in Esaia: Ecce Dominus ascendit super nubem candidam. Veniens enim ad saluationem mundi, Dei filius, Angelus magni consilij, nube amictus est: dum diuinitatē suam, quę est caput & principium, in nostra carne abscōdit. Hoc ergò carnis latibulum prima uestis sacerdotis, i. amictus significat.

De Alba. Cap. 20.

ALba lineum uestimentum & strictum, quę E
(ut Hieronymus ait) Hebraicè dicit Ephobad, & est ab antiquo sacerdotalis ac Leuitici generis, longissimè distans à tunicis pelliceis. quę de mortuis animalibus fiunt, quibus post peccatum uestitus est Adā: vtpotè nihil mortis habens, sed tota candida nouam uitā sacerdotij eius designat, quā docuit, & in baptismo dedit, ut de baptismo surgētes, cingamus lumbos Gen. 3. Apoc. 1. 5. Luc. 12. Ephe. 6. Psal. 31.
in ueritate, & tota pristinorū peccatorum turpitudo celetur. Vndè & Dauid: Beati quorum remissę sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata. Lingua eiusdē uestimēti sursum affixa, A
cęlestē eius doctrinā insinuat. Vndè Ioannes, Ioan. 3.
Qui de cęlo uenit, inquit, super oēs est, cuius testimoniū q. accipit, signauit, qa Deus uerax est.

De Stola. Cap. 21.

STola, quæ super amictum collo sacerdotis incumbit, obedientiā significat filij Dei, & seruitutem quam Dns omnium propter seculorum salutem obiit. Nam, quod cum magna Gal. 4.
reuerentia cogitandum est, obedienter passus B
& mortuus est filius Dei, causam quippe mor- Philip. 2.
talitatis, ſ. peccatū, nec origine contraxit, nec actu admisit, & idcirco morti nil debuit, sed dedit illi calicem pater, non iudex: amore, nō ira: voluntate, non necessitate: gratia, nō uindicta. Gen. 38. 39.
Et sicut Iacob liber & ingenuus, præcepto patris Isaac, & matris consilio Rebeccæ parens, seruiuit Laban, vt Rachel & Lyam in coniugiū duceret: sic filius Dei præcepto patris, & consilio Spiritus sancti obediens, seruiuit mundo, subiectis humeris eius peccata portando, vt synagogam de Iudæis, & Ecclesiam de Gentibus
C assumeret. Cùm ergo sacerdos stolam accipit, Matt. 11.
meminisse debet & scire, quia grande iugum, licet suaue: grande, licet leue, super se tollit.

De Casula. Cap. 22.

CAsula magni sacerdotis nostri, Christi uestimentū, significat illud uestimētum ueri Aaron, cuius in orā descendit vnguentū, quod Psal. 132.
est in capite. Primum descendens in barbā ipsius Aaron. Quod est illud uestimentum? Sācta Ecclesia catholica. Nā barba Aaron, quod interpretatur mons fortitudinis, barba (inquam) Aaron, i. Christi Apostoli sunt, atq; Apostolici viri fortes & perfecti. Vnguentum autē regale & sacerdotale, Spiritus sanctus est, cuius tota plenitudo est in capite, ſ. Christo, atq; indè primum in Apostolos, quasi in barbā, deinde in totā Ecclesiam, & usque in extrema mēbra Ec- Coloss. 2.
clesiæ, quasi in oram uestimenti descendit. Casula ergo, uestimentum Christi, quod est Ecclesia, significat. Est autem integra, & undique Sup. c. 19. Ephe. 1. 1. Cor. 11.
clausa, vt vnitatem uel integritatē veræ fidei demonstret. Huic autē superducitur, & ori eius aptè circūponitur amictus, quo ante caput sacerdotis tegebat. Quē, nubē humanitatis eius, in qua latuit diuinitas, significare, iā diximus: quia videlicet, caput, corona & decus Ecclesiæ suæ humanitas Christi est: caput aūt humanitas Deus. In eo verò q. casula, cū sit vna & tota integra, aptatione manuū, quæ extensionē manuū crucifixi Dñi aptè depingit, in anteriorē & posteriorem partem quodammodo diuiditur, antiquæ Ecclesiæ, quæ passionem Domini præcessit, & nouæ quæ subsequitur, signum est.

De Tunica. Cap. 23.

QVæ hactenus dicta sunt, presbyteris & Episcopis sunt cōmunia: quę uerò sequūtur, Episco-

Episcoporum propria. Tunicam quam subter A
casulam habet pontifex, in veteri sacerdotio coloris erat hyacinthini, tintinnabulis, & malis punicis in inferiori parte pendentibus, vt totus vocalis incederet pōtifex, ne moreretur. Significat autem (vt Hieronymus ait) rationē sublimium, quæ non patet omnibus, sed maioribus & perfectis. Hanc habuerunt Moyses & Esa. 40.
Aaron & Prophetę, omnesq; quibus dicitur: In montem excelsum ascende tu, qui euangelizas Sion. Præcipuè verò hanc habuit tunicam Euangelicæ textrix doctrinæ, sapientia Dei, Christus dominus, & dedit illā Apostolis suis. Ioan. 15.
Omnia enim quæcunq; audiui à patre meo, inquit, nota feci vobis, sed non nisi Spiritu sancto superueniente, induere vel portare potuerunt. Hanc quoq; signauit illa tunica Domini, Ioan. 19.
quā scindere milites noluerunt, eò quòd esset inconsutilis, desuper cōtexta per totū: damnū fore maximū significantes his, qui Christianæ fidei scripturā hæresibus scindere conarētur.

De Sandaliis. Cap. 24.

SAndalia pontificis illud significant Domini C
cæ incarnationis calceamentum, de quo ipse in Psalmo: in Idumæam, inquit, extendam Psal. 59.
calceamentum meum, id est, gentibus notam faciam incarnationem meam. Vt enim sacerdotio fungeretur pro nobis filius Dei, nostra carne quasi calceatus in hunc mundum venit. Sandalia ergo pontificis, incarnationem (vt dictū est) significant filij Dei. Et pulchrè quod in amictu capitis idem in calceamento pedum signatur, nam & in carne diuinitas latuit, & p carnem eius notitia vniuersum mundum percurrit. Per lingulas, quibus ipsa pedibus sandalia constringūtur, id ipsum accipimus, quod D
Ioannes Baptista per corrigiam calceamenti signasse probatur, cum de sponso Christo loquens, cuius, inquit, non sum dignus corrigiā Mar. 1. Luc. 3.
calcamenti eius soluere. Copulam ergo illam ineffabilem, charitatem inæstimabilem, vinculā sancti Spiritus insolubilia, quibus diuinitas verbi nostræ carni se coniunxit, per sandaliorum corrigias designari accipimus. Præterea dum tam sacrum, tamque mysticum pontifex pedis sui spectat ornatum, meminisse debet & scire, se quoque pedem esse speciosum, Esa. 52.
iuxta illud: Quàm pulchri supra montem pedes annuntiantis & prædicantis pacem, &c. E

De Anulo. Cap. 25.

ANulus digiti, donum significat Spiritus sancti, quo diues & ornatus ad Ecclesiā suam descendit filius Dei, quodq; credentibus in se permultas & differentes donationes secundum beneplacitum suū distribuit, alij dans sermonem sapientiæ, alij sermonem scientiæ, Rom. 12. 1. Cor. 12.
&c. Harum diuisiones gratiarum inuisibiles imitatur visibiliter, vtpote Christi vicarius, catholicus pontifex, per sacrorū diuisiones ordinum, ponēs quosdam in Ecclesia sacerdotes, alios diaconos, & cæteros sacri altaris officiales. Latius autem significatio prædicti extenditur anuli, quia dum omni Ecclesiæ sanam doctrinam, & fidem integram prædicat, velut opignoratam anulo sponsam Christo subarrhat. Non ergo ab re in eius digito gēmatus fulget anulus, per cuius ministerium Christus Dominus tā fulgida distribuit dona sancti Spiritus.

Quòd signo crucis aurea lamina cesserit. Cap. 26.

SIgno crucis Christi aurea lamina veterum
pontificum cessit, quod olim erat in fronte B Exod. 28.
micans octauum decus pontificum: Inscripta nunc est penè eadem ineffabilis maiestas nominis. Illic enim erat ineffabile nomen Dei, hic est inæstimabile mysterium crucis.
Crux namq; inæstimabile signum est, admirabilis virtus est. Crux spes Christianorum, resurrectio mortuorum, cæcorum dux, claudorū baculus, destructio superborū, consolatio pauperum, sustentatio inopum, spes desperatorū. Crux regum magnificentia, sacerdotū gloria. Crux igitur aurea lamina sacratius ornamentum. Nec statim occurrat, decus hoc ideo non C
esse pontificis, qa cum illo toti quoq; cōmune est plebi. Nā illa dignitas habet in hoc aliqd, quod nec inferioris ordinis sacerdotibus commune sit. Sic enim in fronte sua christicolarū signifer hoc vexillū baiulat, vt in subiectæ plebis frontibus soli sibi sacro chrismate pingere liceat. Sicut Apostolorū erat, baptizatis imponere manus, vt acciperent Spiritū sanctū: sic & hoc ad diem valens, propriū est Episcoporum. Ecce quale quantumq; ornamentū accepit in suis sacerdotibus filius ille prodigus, cui reuer- Luc. 15.
tenti de longinqua regione, vbi porcos pauerat, benignus pater occurrens vitulū saginatū fecit occidi. Applaudit sibi tota familia patris in gloria pœnitentis filij: frater autē eius maior ille agrarius foris stans inuidia torquetur, & fraternæ salutis cōtuitio participari noluit.

De Pallio Archiepiscopi. Cap. 27.

ESt tamen octauum Archiepiscopis indumentum pro aurea lamina, quod dicitur pallium, ab Apostolica sede datū: quod à collo circa pectus dependens, situ suo illam (quæ valde condecet Episcoporum patrem, & corū concilij principē) patenter designat humilitatis vel sapientiæ torquem. Quam hoc illorum priuilegium habeat rationē, non videtur prætereundum. Postquàm duodecim Apostoli p vniuersum mundum dispersi, singulis ciuitatibus præsiderent, tā ipsi quàm successores eorū, misere per contiguas suis sedibus prouincias prædicatores, quos & Episcopos ordinauerūt vt vbi recepti fuissent, omnia Christianitatis sacramenta, velut ipsi Apostoli peragerent, vt p vrbes cōprouinciales Episcopos ordinarēt. Et aliorum quidem Apostolorum successores Patriarchæ sunt dicti. Petri autē successor pro

Universidad de Deusto
Biblioteca

excellentia principis Apostolorum, Apostolicus nominatur. Qui autem ab eis per prouincias missi sunt, tam ipsi quàm successores eorũ, Archiepiscopi uocãtur, & qui ab his per vrbes comprouinciales, ordinati sunt, & qui illis succedunt, vsque hodie simpliciter Episcopi nominantur. Initium ergo fidei habentes ab Apostolica sede, regulã hanc metropolitanæ obseruãt Ecclesiæ, vt neminem habeãt pontificẽ, nisi ab eadẽ sede missũ, à qua primus illis prędicator fidei missus est. Illa autem missio, supradicti pallij largitio est, quod (vt dictum est) à collo dependẽs, humilitatem Domini significat, dicentis, sicut misit me pater, & ego mitto vos. Inter cęteros verò Galliarũ Archipræsules, meritò Remensis auctoritate præminet, quia videlicet antiqua metropolis cũ esset, accessit & hoc, quod eius põtifex beatus Remigius (quod magnum est) ab ipso Deo missus, & antequàm nasceretur, magnificè promissus, gentẽ Francorũ simul cum rege primus perduxit ad fidem Catholicam. Quam eius missionẽ * Ormisda pontifex Romanus à B. Petro liij. vt debuit approbans, eidem Remensi pontifici vices suas delegauit per omne regnum Ludouici, & Remensis Ecclesiæ primatum adaugens, summa auctoritate confirmauit. Treuirensi autem Ecclesiæ Maternus à B. Petro Apostolo missus, hæreditatem pallij suis successoribus dereliquit. Moguntinæ Crescens, Apostoli Pauli discipulus, prædicauit. Traiecti sanctus Vuillibrordus, à Sergio Papa missus.

Ioan. 20.

Sed primatũ Colonia metropolis obtinuit, ea maximè causa, quia Crescens prædictus Coloniæ quoque Apostolicã verbi Dei visitationem primus intulit. Cantuariæ verò, nobili Anglorum Metropoli, Augustinus à B. Gregorio missus est pontifex primus, qui toti Anglorum genti, vt Christum cognosceret, strenua prædicationis administratione subuenit. Et de vestibus quidem sacris, quantum ad præsens attinet pro posse satis dictum.

De Ante Introitum. Cap. 28.

SAcerdote tandẽ ad sanctum altare ingressuro, debet tã ipse sacerdos, quàm & tota præsens Ecclesia, dilatare animã suam, & amplo fidei sinu tenere memoriã Incarnationis, Passionis, Resurrectionis & Ascensionis Dñi nostri Iesu Christi, & memoriam omniũ sanctorum, qui tum ab initio mundi votis expectauerunt, gestis præfigurauerũt, dictisq; aut scriptis prophetauerunt, & in corũ contemplatione in voces erumpere, præcinendo antiphonã, quæ dicitur ad introitũ. Nam sicut introitus sacerdotis ingressum filij Dei in hunc mundũ, sic antiphona, quæ dicitur ad introitum, voces & expectationẽ præferunt Patriarcharum & Prophetarũ. Ingreditur ergò antiphona prædicta, non minus quàm semel decantata, cũ eiusmodi põpa, quæ significatę rei aptissimè cogruit. Procedunt flammãtes cereoli, videlicet in signũ gaudij, quod in ortu Saluatoris omni mundo effulsit, de quo Angelus ad Pastores: Annuntio vobis gaudium magnũ, &c. Præcedũt sacerdotem ministri duo, non pariter, neq; à latere incedẽtes, sed ante subdiaconos. Signãt. n. hi duo vetus & nouũ testamentũ, i. legẽ & Euangelium, quorũ lex tẽpore prior, Euangeliũ vero dignitate maius est. Hæc namq; salutis ministeria Saluator inuexit, qui Euangeliũ quidem attulit, legẽ verò non soluere, sed adimplere venit. Isti sunt duo pedes Angeli, qui (vt supra dictũ est) descendit de cælo amictus nube, & posuit pedẽ suum dextrum supra mare, sinistrũ super terrã. Legalis. n. moralitas, Ioanne Baptista vel ipso Dño docente, tranquillius audita est, contra Euangelicã verò dignitatẽ, i. manifestam si dei doctrinam, verbi gratia, cũ diceret: Ego & Pater vnũ sumus, & antequã Abrahã fieret, ego sum, veluti mirabiles elationes maris fluxa & salsa corda tumuerũt. Subdiaconus quoq; præfert textũ Euãgelij, quia profectò lex testimonia continet Christi. Sicut ipse dicit Iudæis: Si credieretis Moysi, crederetis forsitã & mihi. De me. n. ille scripsit: Portat verò clausũ, qa videlicet anteq̃ agnus occisus aperuisset signacula 7. clausũ erat in lib. legis sacramẽtũ eius passionis.

Luc. 2. Matth. 5. Apoc. 10. Luc. 3. Mat. 12 23. Psal. 92. Ioa 5. Apoc. 5.

De incenso. Cap. 29.

INgressus ergò sacerdos, vbi sancto altari assistit, thuribulũ ei qui incensum adoleat, datur in manu. Nam prædictus Angelus, sicut in alia periocha Apocalypseos legimus, stetit iuxta arã, habens thuribulũ aureũ in manu sua, dũ in conspectu Ecclesiæ se ostẽdit Dei filius, habens immaculatũ corpus, quod & impleuit igne, quia corporaliter in ipso septiformis Spiritus sancti gratia requieuit. Interim chorus cõcinit Kyrie eleison, quod significat omnes vniuersales Ecclesiæ preces, quæ sunt incẽsa vera, de quibus ibidẽ dicitur: Data sunt ei incẽsa multa, vt daret de orationibus Sãctorũ oĩum super altare aureum, quod est ante thronũ Dei.

Apoc. 8. Col. 2. Apoc. 8.

De Gloria in excelsis. Cap. 30.

MOx sequitur hymnus, Gloria in excelsis, quem ab ore angelorũ Ecclesia sancta rapuit. Hic hymnus & angelorũ est & hominum. Primùm autẽ Angelorũ congratulantiũ, quod nato Dño accensa iam esset lucerna clarissima, cũ qua sine dubio perditam drachmã inuenturа esset æterna sapientia. Indè est, q̃ iã præoccupantes dicunt, Et in terra pax hominibus bonę volũtatis, quia pacem nemo omnium, qui sunt in cælo, vel qui subtus terrã, poterat facere inter Deum & homines, hic factor omniũ Deus, propter homines homo factus, iamiã facturus esset in carne sua, soluto pariete inimicitiarũ.

Luc. 2. 15. Apoc. 5. Ephe. 2.

De Collecta. Cap. 31.

QVæ post hæc sequuntur orationes, à sacerdote salutatione præmissa, per quã attenti fiant auditores, secundum orationes dicuntur ipsius Dñi, cuius tota vita continua pro nobis & perpes oratio fuit, quæ & designatur in Apocalypsi per fumum aromatum, qui ascendit in conspectu Dei de manu Angeli. Homo namq; verus, passioni propter nos destinatus (cuius illa vox est: Holocaustũ & pro peccato nõ postulasti, tunc dixi: Ecce venio) semper unitũ sibi pro nobis orabat verbum Dñi, patremq; & spiritum sanctum, & (vt ait Apostolus) in diebus carnis suę preces supplicationesq; ad Dñm, qui saluum illũ posset facere à morte, cum clamore valido, & lachrymis offerens, exauditus est pro sua reuerentia. Quam eius orationem benè Psalmus septimus innuit, cuius titulus inscribitur, Psalmus ipse Dauid, quem cantauit Domino pro verbis Cusi, id est, Æthiopis, scilicet malitiosi populi, qui iã cum Herode, vel post Herodẽ illũ persecuti sunt, & maximè Pharisæorũ, qui vt mali agricolæ vineæ dñi, dixerunt: Hic est hæres, venite occidamus eũ, & nostra erit hęreditas. Quod autẽ in fine orationis subiungitur: Per Dñm nostrũ, eo respectu fit, q̃ dñs noster Iesus Christus mediator est Dei & hominũ, & impossibile est æterna Dei beneficia per aliã viã decurrere ad nos, q̃ per ipsum. Per ipsũ ergò petimus & impetramus, sicut sæpè per mediantẽ crystalli lapidẽ subiectã escã, à longinquo sole cælestem mutuamus ignem. Hucusq; Missæ initiũ, quod dicitur Introitus, cõmemorans nobis introitũ Saluatoris in hũc mundum, i. à Natiuitate eius vsq; ad Ioannis prædicationẽ: quando baptizatus ipse & orãs, quadraginta dierum ieiunium celebrauit.

Apoc. 8. Psal. 37. Heb. 5. Lucæ. 13. Matth. 21.

De Epistola. Cap. 32.

EPistola personã gerẽs legis & prophetarũ, præcursionis debitũ agit, officiũ ante sanctum Christi Euangelium. Lex. n. per manum Moysi infantẽ Dei populũ, velut pædagogus, custodiendum suscipiens, futurũ Christi aduẽtũ expectare docuit, & per os digitumq; Ioannis, iam præsentem Christũ eidem alumno suo iam adulto, vt eum sequeretur, indicauit. Præcessit nanq; lex Euangeliũ, sicut virga Spiritũ mansuetudinis, sicut timor charitatẽ, sicut initium perfectionem, sicut dominantis præceptũ præcedit amãtis consiliũ. Epistola verò vox legis est, suam in Ioanne imperfectionẽ profitentis, & ad perfectionẽ Euangelicã suos auditores transmittentis. Quamuis autẽ sępe de Apostolicis sumatur litteris, tamen in eo gradu est ac si semper de lege sit & prophetis. Semper enim moralitatem vitamq; actiuam magis, q̃ contemplatiuæ sublimitatẽ, quæ in Euangelio radiat, Apostolica quoq; lectio instruit & dispensat. Epistola verò Græcè, latine dicitur supermissio, vel supererogatio. Quod nomen bene congruit litteris Apostolicis, quia videlicet Euãgelio Christi supererogatæ sunt. Siquidem ordo Apostolicus stabularius ille est, cui noster Samaritanus, i. custos, dñs noster Iesus Christus, hominẽ illũ, quem latronibus despoliatum, vulneratũ, & semiuiuum relictũ inuenerat, commisit. Proferẽs duos denarios, i. legem & prophetas, & dicẽs ei, Curam illius habe, & quodcunq; supererogaueris, ego cùm rediero, reddam tibi. Benè ergò litteræ, quas Apostoli Euangelio Christi supererogauerunt, Epistolę appellatæ sunt. Differunt autẽ penè pariter vt lex aut prophetæ, à maiestate sancti Euangelij, quia videlicet pariter de moribus tractant. Et Euangelij sacramenta illi ventura denuntiant, hi iam præterita commemorant. Igitur (vt supra dictum est) morale legis officium agit Epistola, tantũ distãs ab eo, quod in officio Missæ præcedit sancto Euãgelio: quantũ seruus à Domino, præco à iudice, legatus ab eo, qui misit illũ. Quapropter cum legitur, non iniuria sedemus: cũ autem sanctum Euangelium audimus, demissis reuerenter aspectibus, sicut Domino nostro assistimus. In eo, quod sanctum præuenit Euãgelium, Baptistę Ioannis imitatur, officiũ, qui præuaricatores legis corrigens, & mores eorum Euangelicæ fidei suscipiẽdæ præparans, implebat quod de illo dixerat Angelus: Ipse præibit ante Dominum in spiritu & virtute Heliæ, parare Domino plebem perfectam.

Matt. 3. Ioan. 3. Luc. 10. Pſal. 135. Pſal. 44. Gen. 57. Lucæ 3. Matt. 3. Luc. 1.

De Manipulo. Cap. 33.

MAnipulus, quem in brachio sinistro gestat subdiaconus, dextro vacante, vt expeditũ sit ad administrandum: illud nobis innuit, quòd si timentes securim iudicij ęterni (quæ iam ad radices arborũ posita est, vt omnis arbor, quæ non facit fructum bonũ, excidatur, & in ignem mittatur) prædictam pœnitentiã susceperimus, & dignos pœnitentiæ fructus fecerimus, manipulos iustitię reportabimus, iuxta illud: Euntes ibant & flebant, mittentes semina sua: Venientes autem venient cum exultatione, portantes manipulos suos. Fimbrię verò manipuli vel stolæ, vel cuiuslibet sacræ vestis perseuerãtiam significant eorumdẽ bonorum operum, vel completionem morum, quia fimbria est ulterior pars uestis. His fimbriis gloriosa in Psal. circũamicta est filia regis, sicut talari tunica filius accrescẽs, & decor⁹ erat inter fratres suos Ioseph.

Matt. 3. Pſal. 125. Pſal. 44. Gen. 57.

De Graduali. Cap. 34.

GRaduale ad pœnitẽtię respicit lamentum, cantus asper & grauis adeo, vt illud excelentibus efferre vocibus nec vsus nec decus sit. Significat enim nõ iam requiẽ remuneratorũ, sed laborem operãtium. Propter quod diebus post Pentecosten de officio tollitur, quia videlicet dies illi futurum in regno Dei felicẽ sanctæ Ecclesiæ statum significant: quando iã area Christi ventilabro (quod est in manu eius) purgata erit, nullumq; ex residuis granis iam timebit, q̃ ab horreo Dominico debeat in ignẽ palearũ inextinguibilẽ proiici. Attamen in prima Paschæ hebdomada cantari consuerit, cuius

Matt. 3. Luc 2.

Universidad de Deusto
Biblioteca

consuetudinis causa suo melius loco reddetur.
Dicitur autem graduale à gradibus humilitatis: vtpote illi conueniens, qui necdum ascendit de virtute in virtutem, sed in conualle ploPsal.83. rationis positus, iam tamen ascensiones in corde suo disposuit. Quarum ratio cum in multis inueniatur locis, in mysticis maximè quindecim graduum cāticis distincta est. Eiusmodi ascensoris initium & imperfectionē cantor innuēs, ad gradū sępius cōsistit, & inferior eo stare consueuit, qui subsequens Alleluia cōcinit.

De Alleluia. Cap. 35.

ALleluia Latinæ linguæ peregrinum nomē est, cuius mysterium, velut quoddam gaudij stillicidiū, de diuitiis supernæ Hierusalem, primum in mentē Patriarcharum & Prophetarū, post in Apostolorum ora plenius per Spiritum sanctū delapsum est. Significat enim æternum Angelorum, & beatarum animarum conuiuium, quod est semper laudare Dñm, & præsentis semperq; vidēdi vultus Dei, nouum sine Rom.8. fine cantare miraculum. Ad hoc vitæ præPhilip.3. sentis inopia nullatenus aspirare meretur, scire autē vbi sit & prægustare illud gaudio spei, sitire, & esurire quod gustaueris, hæc illa, quę dicit, Sanctorū in hac vita perfectio est. Quapropter interpretatū hoc Hebraicū nomen remansit, vt peregrinū ab hac vita gaudiū, peregrinū nihilominus signaret, potius q̄ exprimeret vocabulū. Quoniā igitur futuræ beatitudinis, quasi propriū est vocabulum, iure eo tempore magis frequentatur, quo resurgens Dominus, eiusdem beatitudinis spem nobis propinauit & promissum. Vt aūt aliis quoq; tēporibus ad missam caneretur, olim Romanæ Ecclesię cōsuetudo non erat, sed à B. Gregorio institutū, imò restitutū est. Namq; à tpe Damasi Papæ, cū prius fuisset eadē consuetudo, defecerat. Deniq; cū de hoc & de aliis nonnullis quoddā murmurare sentiret, taquā cōstanter Ecclesiæ cōsuetudines sequeretur, nō dedignatus est rationē reddere, dicēs: Nos in nullo horū aliā Ecclesiā secuti sumus. Nā vt Alleluia hìc diceret de Hierosolymorū Ecclesia, ex B. Hieronymi traditione, tpe B. memoriæ Damasi Papæ traditur tractū. Et ideò in hac magis sede Alleluia consuetudinē amputauimus, quæ hìc à Græcis fuerat tradita. Canitur ergò Alleluia post graduale, canticū lætitiæ, post luctū, pœnitentiæ: & summopere nitentes exprimere magnitudinē cōsolationis, q̄ reposita est illis, qui nūc lugēt, iubilamus magis q̄ canimus, vnāq; breuē digni sermonis syllabā in plures neumas, vel neumarū distinctiones protrahimus, vt iucūdo auditu mēs attonita repleat, & rapiat illuc, vbi sanctiPsal.149. exultabūt in gloria, lætabunt in cubilib. suis.

De Euangelio. Cap. 36.

HActenus seorsum sedebat sacerdos malarū victor cogitationū, dūiq; victoriā sedēdo significans, cui victo tentatore, sedēti & imA peranti ministrabant Angeli, sicut scriptū est: reliquit eum tentator, & accesserunt Angeli & Matt.4. ministrabant ei. Surgit tandem ad altare accedens, ita vt opportunè veniat nobis in mētem Dñs Iesus, præparata sibi per Ioannē via ad corda hominū de deserto rediens, vt doceat ipse & discipulos suos eligens, mittat ad prædicandū. Mittit namq; sacerdos diaconūad legendū sanctum Euangelium, petitā dādo benedictionē, quod subdiacono prius Epistolam lecturo non fecerat. Legē. n. & Prophetas inuisibilis inuisibiliter misit. Apostolos autē & Euāgelistas B quorū diaconus personā gerit, visibilis factus, Can.4. & sanctā Ecclesiā, sponsam videlicet suā osculans osculo oris sui uisibiliter misit & docuit. Accipit diaconus textū sancti Euangelij, quod baiulās ad lectriciū, efficitur pes Christi. Præcedunt ceroferarij cum thuribulo, per quæ significantur gaudiū & bona opinio. Gaudium enim semper est in bono nuntio. Bonæ quoq; opinionis se esse nouerunt, qui hoc bonum portant nunciū, qui & confidenter dicunt. Christi bonus odor sumus Deo in omni loco. Quapro- 2.Cor.2. pter incensum bonę opinionis signum, locū ipsum aspergit in quo legendū est Euangelium. C Qui locus si sit dies festiuus, quādo solet conuenire populus, eminētior est, vt ex ipso statu cōmoneatur diaconus, q̄ is, qui sursum ad Dñm desidem inuitat populū, stare debeat in monte uirtutum, iuxta illud: Supra montem excelsum Esa.40. ascende tu, qui Euangelizas Sion: Exalta in fortitudine uocē tuā, qui euāgelizas Hierusalem. Quam eius fortitudinē & stola prædicat, quæ super humerū posita, indè usq; ad succinctionē lumborum deducitur, q̄ fortitudinē ad uocem. exaltandā tūc habeat, si fortis sit ad operandū & succinctus cōtra pugnas libidinum. Euangelica namq; prædicatio, quæ est fons hortorū, puteus aquarū uiuentiū, non fluit impetu aliūCant.4. de, nisi de Libano, id est, de corde casto, & de ore candido, quia sordes uitiorū, dum conscientiā coarctant, os quoque angustant, nè aquæ uiuę cum impetu fluant. Quòd Dalmaticam non nisi festis diebus induit, hoc significat, quòd rationem sublimium sacramentorum, non nisi postquā glorificatus est Dominus Iesus, & Spiritus sanctus aduenit, discipuli portare potuerunt. Nam tunicā eiusmodi, ex auctoritate B. Hieronymi, rationem significare sublimium, supra diximus. Est autē clausa circa collum, ut pectus sit opertum: quia (sicut ait Apostolus) Euangeliū in his qui pereunt, est opertū. Præcedit subdiaconus diaconū, portans quē Euangelio substernat puluillū, quia uidelicet ad omne, quod loquitur Euangeliū, lex cōpetens suggerit testimonium. Summa uerò reuerētia de- 2.cor.4 betur ad audiendum Euangelium, quod maximè est Verbum Dei: quam diaconus prima uoce, quam emittit, satis uenerabiliter exigit, dicendo: Dominus uobiscum. Cuius enim melius quàm Domini præsentia, reuerētes & religiosi auditores petitū debēt prestare silentiū?

Attenti

Attenti ergo & benevoli sunt ilicò, & eò cordi A bus conuersi & vultibus, respondent: Et cum spiritu tuo. Statim dociles quoque reddit, dicendo: Sequentia sancti Euangelij. Hoc autē dicimus, non quòd maiestas Euangelij dignata sit vnquam regulis oratorum subijci, sed quia quod in hominibus facere nititur studiū eloquentiæ, hoc in Ecclesia sua melius perficit summa natura sapientiæ. Nam, vt ait beatus Augustinus, eloquentia sapientiæ comes est, & quocunque domina hæc progreditur, illa vt eius ancilla subsequitur. Respondemus, gloria tibi Domine, glorificantes Dominum, B quod misit nobis verbum salutis, iuxta illud Act.11. quod in Actibus Apostolorum legimus: Et glorificauerunt Dominum, dicentes: Ergo & gentibus Deus pœnitentiam ad vitam dedit.

Item de Euangelio. Cap. 37.

SAnctum Euangelium principale est omniū, quæ dicuntur ad missæ officium. Sicut enim C caput præminet corpori, & illi cætera membra subseruiunt, sic Euangelium toti officio præminet & omnia quæ ibi leguntur, vel canuntur, intellectuali ratione illi consentiunt. Exēpli gratia: Dominica prima aduentus Domini hoc Euangelium legitur: Cùm appropinquas- Matt.21. set Dominus Iesus Hierosolymam, &c. Vt intelligamus, quomodo huic Euangelicæ lectioni cætera mēbra consonent officij, quæramus primò, in quo eadem lectio congruat tempori. Ad hoc breui argumentatione hoc modo respondendum est. Idcirco aduenit Dei filius, vt genus humanum à diabolo peccatorum vinculis colligatum miseratus absolueret, & in cœlestem Hierusalem, vnde homo captiuus abductus fuerat vias suas docendo, placidus assessor cordium reduceret. Hoc autem proculdubio mysticus Euangelij eiusdem continet intellectus.

FINIS LIBRI PRIMI.

RVPERTI ABBATIS TVITIENSIS DE DIVINIS OFFICIIS, LIBER SECVNDVS.

De Symbolo, Credo in vnum Deum. Cap. 1.

LEcto Euangelio, maiore quæ sequuntur egent intentione: D quia videlicet maiora continent salutis nostræ sacramenta. Sicut enim post passionē Domini maiora, quàm ante, charismatum dona gratia largiente effusa sunt: sic post Euangelij lectionē maiora sacramenta ordinata sunt. Tunc ergo, si sit dies Dominica, vel aliqua condigna festiuitate decorata, cantatur symbolum, quod est, Credo in vnum Deum: Maximè enim dominicę Resurrectionis, vel Pentecostes sacramentum respicit hoc fidei tripudium: quando E noua soboles Ecclesiæ vitalis fontis ingressura lauacrū, reddebat eius, quam catechizata didicerat, * symbolum. Hoc igitur concentu benè & consonè chorus catholicus doctrinę respondet Euangelicæ, & ne dicat ei puer electus, cæ- *adde, fidei. lestis cantilenæ doctor, iucundus musicus: Matth.11. Cantauimus vobis, & non saltastis, cantando & alacri mente saltando ostendit, quàm benè suauem cantilenæ eius modum retinuerit. Interim subdiaconus apertum circumfert Euangelij librum, omnibus religioso osculo salutādum, quem ad introitum portauerat clausum, quia post prædicationem Christi cœpit lex credentibus, quam antea gestabat clausam, apertam ostendere fidem Euangelicam.

De Offerenda. Cap. 2.

POst symbolum cantatur offerenda. Offerēda cantus est Ecclesiæ, nomen hoc habens ab offerendo tractum, eo quòd tunc canitur, quando omnipotenti creatori nostro incorruptum laudis offerimus vel præparamus sacrificium. Hic magis ac magis aperiendum fidei Psal.94. ostium, & animæ triclinia ponenda sunt, vt ingrediatur veritatis opus, quo panis & vinum in verum corpus & sanguinem Domini transSup.lib.1. cap.7. feruntur: ne efficiamur sicut Achis ille, de quo 1.Reg.21. suprà dictum est. Multi namque fidei oculos non habentes, & in sancto sacrificio præter panem & vinum nihil amplius intuentes, cùm diceretur eis, corpus & sanguis Domini est, murmurauerunt dicentes, quomodo est? Latuit enim eos, quas voces suas septem tonitrua locuta sint, cùm clamasset angelus ille fortis voApoc.10. ce magna, quemadmodum cùm leo rugit, & quòd illę voces quicquam attineant ad mysterium sacrificij iuxta Psalmistā dicentem: CirPsal.26. cuibo & immolabo in tabernaculo eius hostiā vociferationis. Nos autem credimus propter 2.Cor.4. quod & loquimur, quia quicquid angelus ille clamauit magno clamore Euangelij æterni, Apoc.14. quicquid post clamorem eius, Ecclesiæ sųe locutus

Universidad de Deusto
Biblioteca

cutus est Spiritus sanctus, donorum suorum se-
Rom. 10. Mat. 26. Luc. 22. ptiformi tonitru, verum Dei verbum, verum Dei filiũ, sancta Ecclesia catholica offere creatori suo, credens corde, & ore confitens, pariterq; manibus panem & vinum, sicut sibi tradidit ipse Saluator, offerens. Nam pro quota suorum parte beneficiorum gratias ageret Ecclesia creatori, saluatori, & illuminatori suo, si nihil aliud ei, quàm panẽ & vinum offerret? Solum denique terrenum corpus huiusmodi fructibus alitur & sustentatur? Etiã antequàm
Apo. 12. creuisset Ecclesia, tempusque nuptiarum attigisset, antequam coniuncta viro suo filium ex eo suscepisset, quem in acceptabile sacrificiũ offerre posset, non erat sacrificium eius adeo vacuum, vt nihil præter id quod videbatur, in se contineret. Habebat namque causas inuisibiles, propter quas inuisibiles hostias offerret, videlicet opera Dei memoria digna, verbi gratia, manum quam extendit Dominus super
Exod. 12. primogenita Ægypti, transiens super tabernacula Israel signata sanguine agni, transiens & saluans, protegens & liberans, transitumque Israel per mare rubrum, & submersionem Pharaonis & exercitus eius & curruum, cæteraq; Dei magnalia. Hæc autem omnia vmbræ futurorum erant, quæ in figura contingebant illis.
Coloss. 1. 1. Cor. 10. Igitur & ipsa sacrificia, quæ propter has fiebant causas, sancta quidem, sed sanctiorum vmbræ: bona quidem, sed meliorum erant figuræ. Quales causæ, tales & causarum memoriæ. Non ergo solum panem & vinum, quæ corporaliter videntur, sed & quod non nisi fidei oculis aspicitur, verbum Dei, filium Dei offert sancta Ecclesia, nouum & verum immolans sacrificium, quia iam concipit, corde credendo
Rom. 10. ad iustitiam, iamque parit, ore confitendo ad salutem. Ipsa enim est mulier illa magna, quæ
Apoc. 12. in Apocalypsi visa est amicta sole, scilicet Christo, quem induit in baptismo, lunam habens
Eccles. 27. sub pedibus videlicet omnia mutabilia calcãs. Luna enim mutabilis est, atq; ideo mutabilem mundum designat, & in capite suo gestans coronam stellarum duodecim, id est, chorũ duodecim Apostolorum, qui in eius initio præfulserunt, & in vtero habens, & clamabat parturiens, & cruciatur vt pariat. Huius in vtero habentis, clamantis & parturientis salubrem cruciatum, Offerendæ, de qua loquimur, grauis & grandisonus imitatur cantus: quæ neumis distenta frequentibus, & suis fœcunda versibus, quantumuis longa iubilatione non valet
Deu. 30. satis exprimere quod significat. Ne ergo dicas in corde tuo, quis ascendit in cælum, hoc est Christũ inde deducere: vt is qui in se resurgens ex mortuis iam non moritur, adhuc per
Rom. 10. 6. sacri altaris hostiam in suo mysterio pro nobis
Deut. 6. iterum immoletur. Propè est enim verbum in
Rom. 10. ore tuo & in corde tuo, hoc est, verbum fidei quod prædicamus, inquit Apostolus. Quoniã ergo propè est in ore tuo, & in corde tuo verbum Dei, verbum crucis, Christus Dominus,

A si huius verbi flumen super panem & vinum effuderis, & ordine (qui ab ipso statutus est) veritatem huius verbi protuleris, statim de sancto altari panem ipsum & vinum, in corpus & sanguinem suum transferendo suscipit, eadem virtute, eadem potentia vel gratia, qua nostrã de Maria virgine carnẽ susciperе potuit, quomodo voluit. Nec duo corpora dicuntur aut sunt, hoc quod de altari, & illud quod acceptum est de vtero virginis: quia videlicet vnum idemque verbum, vnus idemque Deus, sursum est in carne, hic in pane: Alioquin & ille panis, quẽ heri sacrificauimus, & ille quem hodie vel
B cras sacrificabimus, plura sunt corpora, nec rectè dicimus offerri ab Ecclesia corpus Domini, meliusq; diceremus corpora, quia quotidie penè tot offeruntur panes, quot habentur in Ecclesia sacerdotes: sed hoc prohibet causa, conuincit ratio, religio respuit. Vnitas enim verbi vnitatem efficit sacrificij. Similiter enim vnum verbum, & olim carnem de Maria virgine sumpsit, & nunc de altari salutarem hostiã accipit. igitur vnum corpus est, & quod de Maria genitum in cruce pependit, & in sancto
C altari oblatum, quotidie nobis ipsam innouat passionem Domini. Cùm autem Ecclesia quoque corpus sit Christi, propter eiusdem verbi vel spiritus vnitatem, nam eundem spiritum Christi idemque in se manens habet verbum Dei quod vniuit sese carni de carne Mariæ virginis: sciendum est, quòd non tantum de verbo Dei, sacræ hostiæ accedit, quantam habet gratiam eiusdem verbi vnus quilibet sacerdos, qui ad sacrificandũ assistit. Vnusquisque enim suam diuisiuam habet gratiam vel donationẽ verbi aut Spiritus sancti. In sacram autem hoD stiam tanta se plenitudo diuinitatis infundit, quanta in Mariæ virginis vterum descendit, quanta in corpus Ecclesiæ per gratiarum diuisiones sese distribuit. Nam quomodo deifer panis ille non de vno, sed de multis conficitur granis, & vinum illud sacrosanctum non de vno, sed de multis confluxit acinis: Sic nimirũm nõ tantũ habet verbi Dei, quanta est gratia vnius hominis, sed quanta est plenitudo totius corEphe. 1. poris Christi, quod est Ecclesia, quæ de multis hominibus consistit, quæque per vnũ quelibet Catholicæ fidei hominem vniuersa ad sanE ctum altare in loco vel tempore quolibet assistit. Sed iam cœptũ ordinem prosequamur, & qualiter hęc fiant, non sicut supradictus Achis, qui semper dicit quomodo est, sed sicut verus Abimelech, id est, patris mei regnum, 1. Reg. 21 Luc. 17. cui verè dicitur: Regnum Dei intra vos est, quantum possumus, admota fide speculemur.

Item de oblatione. Cap. 3.

CVm concentu memorato, susceptа sacra panis & vini oblatio, sic ad sanctum altare peruenit, vt subdiaconus ad diaconum, diaconus ad manus perferat sacerdotis: Vel quod apud

apud diligentiores fit, in ipso componat altaPsal 109. Heb. 7. ri. Lex enim, quam per subdiaconum significari iam diximus, sacrificium nostræ salutis tantum præfigurauit in Melchisedech, sed per Euangelicam traditionem ad altare, hoc est, ad solennem ritum Ecclesię peruenit.

De silentio post Offerendam. Cap. 4.

POst hæc iam sacerdos silentij solitudinem expetit, instante memoria Dominicæ passionis, conuersus ad altare concentu chori finito, & omni Ecclesia conticescente. Hoc au
B tem significat illud, quòd Dominus noster iã non palàm ambulabat apud Iudæos, cùm cogitarent eum interficere, sed abijt in regionẽ iuxta desertum in ciuitatem, quæ dicitur Es-
Ioan. 1. frem, & ibi morabatur cum discipulis suis.
Ioan. 12. Collegerunt ergo Pontifices & Pharisæi consilium, dicentes: Quid facimus? videtis quia
Ioan. 11. nihil proficimus, Ecce mundus totus post illũ abijt. Et prophetauit vnus ex illis, nomine Caiphas, Pontifex anni illius, quòd expedit, vt vnus homo moriatur pro gente, & ab illo die cogitauerunt, vt interficerent eum. Hoc ipsum
C autem à mysterio non vacat. Non enim timore passionis se abscondit, qui ad hoc venit, vt pateretur. sed hoc prætendebat foris, quod intus agebatur in illorum cordibus. Nam verè
Matt. 23. abiturus erat in regionem gentium pedibus euangelizantium, quæ erant iuxta desertum illorum, quibus iam tunc dicebat: Ecce relinquetur vobis domus vestra deserta, non in ipsum desertum, quod erat illi incredulitas Iu-
Ioan. 11. dæorum. Sacerdos ergo in silentio stans, & silenter super oblata dicens orationem, sanctũ præparat sactificium, quia Dominus noster, D etiam cùm se absconderet, nec palàm apud Iudæos ambularet, saluare nobis passionis suæ
Ioan. 12. meditabatur sacramentũ. Quia verò proximo iam pascha, cùm multi ascendissent in Hierosolymam, vt sanctificarẽt seipsos ante Pascha, & requirerẽt eum, dicentes: Quid putatis, quia non venit ad diem festum? Dederant autẽ pontifices & pharisæi mandatum, vt si quis cognouerit vbi sit, indicet, vt apprehendant eum. Venit Dominus Iesus Bethaniã ante sex dies Paschę, vbi fuerat Lazarus mortuus, quem suscitauit, & fecerunt cœnam ibi, & Martha ministrabat, quia tũc iterum ambulabat palam, ita vt E Lazarus esset vnus ex discumbentibus cum eo. Leuat iterùm sacerdos vocem suam dicendo: Per omnia secula seculorum. Dicturusq; rem attentione dignam, præmittit salutationẽ, optans nos quoque tales esse, cum quibus manere Dominus, & apud quos cõuiuium facere dignetur. In mente enim tũc habere debet Ecclesia mulierẽ illam formosam, quæ attulit ad conuiuium illud alabastrum vnguenti nardi pistici pretiosi, & effudit super caput ipsius recumbentis: & audire, quod dicere incipit sacerdos, Sursum corda, habemus ad Dominum, vt & ipsa, A sicut verè mulier vnguentaria, sursum ad ipsam diuinitatem filij Dei leuet cor suum, & illud caput æquale Deo patri fide contingens, vngucnto perungat Catholicæ cõfessionis, quam sacerdos subsequendo canit. Gratias enim agere debemus omnipotenti Deo nostro per Christum Dominũ nostrum, credendo & confitẽdo, quòd per ipsum maiestatem eius laudãt Angeli, adorant dominationes, tremunt potestates, &c. Nimirum hoc est, diuinitatis eius arcanum contingere principium, & odoriferum super caput eius effundere pietatis vnguẽtum. Hoc vnguentum ex medulla pigmenti confectum est Euan
B gelici, scilicet ex eo, quod Ioannes ait de verbo, quod in principio erat Deus apud Deum. Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil. Huius nunc odore domus Ecclesiæ repleta est, sed muscæ morientes pdiderunt eius Eccles. 10. suauitatem, videlicet omnes hæretici sordibus obuoluti, quos erroris stercora fœtore pascũt, & verba veritatis bono odore interficiunt. Igitur sacerdos post interiectum (vt dictum est) silentium, quasi post Domini latibulum, vocem leuans, ipsum palàm venientem in Bethaniam, palàm conuiuantem, & vnguento delibutum quodammodo repræsentat. Et illam sacrę
C confessionis vnctionem sic determinat mulier illa magna, quæ est sancta Ecclesia, vt cum angelis & pueris, qui in crastinum obuiauerunt Domino canentes, ramosq; Palmarum subleuãtes, decantet hunc deuoti pectoris hymnum:
Matt. 21. Esa. 6. Sanctus, sanctus, sanctus Dominus Deus Sabaoth, &c. Vbi enim dicitur, Osanna in excelsis. Benedictus qui venit in nomine Domini, prædictum piæ confessionis vnguentum demittit, vt non solùm caput, sed & pedes vngat Domini, passionem mortalis hominis fideliter respiciens, ad quam cum prædictis turbę multæ laudibus benedictus aduenit.

De Secreta. Cap. 5.

POst lætam populi acclamationem sequitur historia secreti mœroris, & profundi causa silentij. Secreta namque memoria Dominicæ passionis est, quàm diu choro silentium indicit
D quę per hebdomadam ante Paschalem ordine hoc cucurrit. Eadem die, qua laudes acclamatę sunt ipsi filio Dauid, decima luna, quando
E Exo. 12. inferebatur in domos Iudæorũ typicus ille Paschalis agnus, ingressus est hic agnus Dei ciuitatem Hierusalem, & à nequissimis lanistis obsessus, multis insidiis quærebatur ad mortem, traditus à Deo patre, qui proprio filio suo non Rom 8. Ephes. 9. pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illũ, traditus nihilominus à semetipso, quia dilexit nos, & tradidit semetipsum pro nobis. Secunda feria & tertia nihil proficiunt, dum cum cõtingere non audent populi metu, qui circa illũ multus adque audiendum illum totus erat. Quarta feria Iudas, vnus ex duodecim, à diaLuc. 21. bolo supplantatus, vendidit illum Pharisęis & tradere

Universidad de Deusto
Biblioteca

Matth. 16. tradere spopondit, vt caperent eum sine turbis. Feria quinta iam agone propinquo, testamentum suũ scribit hæredibus suis, consignans eis thesaurum corporis & sanguinis sui. Eadem nocte capitur, ligatur, & illuditur. Feria sexta crucifigitur, primo linguis ludæorum, post manibus gentilium, tãdem hora nona facto terræmotu tradidit spiritum. Sabbato quieuit in sepulchro. Prima sabbati resurgens à mortuis, pacem discipulis, pacem omni mundo annũcia-
Mar. 14. Luc. 22. Mar. 15. Mar. 27. Luc. 23. uit. Horum omnium forma faciesq; vera, ita secreto repræsentatur in Canone, eorumq; ꝓcursu, & verè viuo flumine super panem & vinum confluente, tam veram diuinitatem veramq; humanitatem Christi in cælo sedentis & regnantis excipimus: quam veram substantiam ignis à sole suppositа cryſtalli sphæra exigua, fere quotidie mutuare possumus. Hoc solæ operantur manus Christi, tornatiles, aureæ,
Matt. 28. Ioan. 20. plenæ hyacinthis, eius, qui dixit: Sine me nihil potestis facere Manus, inquam, Christi hoc operantur per manus sacerdotis, quæ manibus suis confortatæ sunt, maximè: quia vt hoc operari cum ipso & per ipsum & in ipso possint, oleo sancto ꝓ clauis passionis eius signatæ sunt.
Cant. 5. Ioan. 15. Igitur singula eorum quæ supra digesta sunt, quibus in locis commemorentur in Canone, laboriosum non est inuestigare, præsertim cùm quædã ex ipsis per se satis euidenter appareãt.

Te igitur. Cap. 6.

A Binitio Canonis, quod est: Te igitur clementissime pater, vsque ad eum locum,
Rom. 8. Ephe. 5. q pridie quàm pateretur, quatuor dierũ rationes adnotantur, quorũ in primo verus, agnus à Deo patre vel à seipso (vt dictum est) traditus, illatus est in domos Israel, veniens in eiuitatem Hierusalem. Quæ illatio vel traditio trina crucis figura signatur, dicendo, vti accepta habeas hæc dona, hæc munera, hæc sancta sacrificia illibata. In quarto autem à Iuda traditus & venditus est: quæ venditio vel traditio item tribus crucibus insignitur, dicendo, benedictam, ascriptam, ratam. Illic Ecclesia, quę prius præ nimia paupertate non habens hostiam, quam offerret, dicebat: Quid retribuam
Psal. 115. Domino pro omnibus quæ retribuit mihi, gratias agit sanctæ Trinitati, quòd meruit calicẽ salutaris accipere, & nomen eius inuocare. Hæc dona, inquit, hæc munera. Eadem sacrificia dona sunt, munera sunt. Dona quia nobis ab ipso data. Munera, quia à nobis illi oblata: Donum enim est, quod à superiore datur. Munus quod ab inferiore. Illic inquam, iam in prima actione commemoratio omnium fit, quorum idem sacrificium, quique illi vera similitudine conueniunt, in eo quòd cùm sint multi, sic per vnam fidem vnumq; spiritum, in vnum corpus Ecclesiæ sunt coniuncti, quomodo panis ille de multis confectus est granis, & vinum illud de multis confluxit acinis. Hi autẽ sunt, non solùm Apostoli & martyres, sed & omnes fideles, illorum meritis sperantes, hoc sibi proficere ad salutem, quibus iam proficit ad honorem. Igitur *quomodo & scriptum est, alienigena non vescetur ex eis, quoniam sancta sunt: solum illum assumimus ad esum huius agni, qui nostræ coniunctus est domui, scilicet omnem domesticum fidei à principe vsque ad plebeium, ab Apostolo vsque ad publicanum.

*quòniam Exod. 12.

Leu. 22. Gal. 6.

Hanc igitur oblationem. Cap. 7.

IN orationis tomo sequenti, sic sacram oblationem, quomodo diligentem publicæ salutis legationem, benedictam, ascriptam, ratam rationabilemq; fore deposcimus. Legatio namque est regis eius, qui cum decem millibus non
Luc. 14. valens occurrere ei, qui cum viginti millibus venit ad se, mittens rogat ea quæ pacis sunt.
Rom. 8. Nam quia de solis factis iustificari non valemus coram illo, qui non solùm de factis, sed & de cogitationibus rationem exacturus, quasi cũ duplici venit exercitu: præsentis sacrificij legationem mittentes, rogamus ea quæ pacis sunt. Magnæ autẽ laudis est, sic legationẽ hanc peragere, vt ab illo, cui mittitur, mereatur benedici eloquium Ecclesiæ, sicut benedixit Dauid sapienti Abigail, dicens: Benedictus Dominus Deus Israel, & benedictum eloquium tuum, & benedicta tu quæ prohibuisti me hodie, ne irẽ ad sanguinem, & vlciscerer de manu mea. Abigail namque (quod interpretatur patris mei exultatio) scilicet sancta, Ecclesia, quondam vxor Nabal, id est, stulti, videlicet diaboli, legatione præsentis sacrificij, præuenit verum Dauid, id est, manu fortem vel desiderabilem Christum, perferentem persecutiones Saul, id est, in passione mortis agonizantem, rogatque pacem, ne se vlciscatur manu sua propter stultum Nabal, ita vt ipsa quoque cum illo æterna damnatione pereat. Quæ quoniam absque cõsilio vel conscientia stulti illius festinat, & præmissa munera oratione subsequitur, & adorans loquitur sapienter quę pacis sunt, oblationem perficit benedictam, dum benedicitur eloquiũ eius: & ascriptã, dum nulla obliuione deletur: & ratam, dum data remissio peccatorũ, nulla vlterius sententię mutatione conuellitur.

Qui pridie quàm pateretur, vsque, in mei memoriam facite. Cap. 8.

MIraculum tantæ nouitatis integrescit, & quicquid dicere conamur, collatus cum re sermo, vix vllius apparet esse momenti. Nã maximè, cùm ad summi sacramenti verticem, cùm ad ipsam peruentum est sancti sacrificij mentem, disparet sermo, lingua deficit, & incircuncisa labia mentem nihilominus incircuncisam in suis cœptis, temeritatis, impudentię, coarguunt. Quis enim nouit ordinẽ cæli, aut ponet rationes eius in terra? Ordo namque
Iob. 38.

namq; cęli præsenti ex capitulo nobis effulsit, cuius claritatem ferre non valuit sæpe nominatus & nominandus Achis. Abiturus hinc in sacrarium cæli pontifex summus per viam passionis, sacrificat modo mirabili secundum ordi-
1. Reg. 21. nem suum, secundum cęlestis sacrificij ritum, accipiens panem in sanctas ac venerabiles manus suas, & dicens: Hoc est corpus meum, ac-
Matt. 26. cipiens præclarum calicem vini, & dicens: Hic est calix sanguinis mei. Quid ergo? filebimus, & silentio nostro videbimur consentientes esse his, quorũ polluta labia non tetigit Seraphim
Esa. 6. rubenti calculo, quem attulit de altari, & dicunt semper: Quomodo est? quomodo est? Immo clamemus. Et ne desit quid clamemus, pulsemus & ostium amici, qui tres panes cõ-
Luc. 11. modare consueuit, id est, fidem, spem, charitatem, quæ in hoc maximè negocio necessaria sunt. Patitur enim nos, non contradicentes, sed nosse cupientes. Igitur ne omninò nesciamus, quomodo est, libet nunc intueri in ordine tam admirabilis sacrificij tria, quæ in opere cuiuslibet auctoris egregij requirere consueuimus, id est, materiam, intentionem, cau-
1. cor. 13. samque finalem, siue vtilitatem. Quæ cùm singula nobis, fidei manu pulsantibus, gratiæ clauicula secretarius veritatis aperuit, & si nondũ facie ad faciem, saltem per speculum & in ænigmate, videbimus, quomodo est.

Materia. Cap. 9.

MAteria vel substantia sacrificij, quod erat tunc & nunc est in manibus pontificis nostri, non simpla est, sicut nec pontifex ipse solius diuinæ vel solius humanæ substantiæ est. Est enim tam in Pontifice, quàm in sacrificio diuina substantia, est & terrena. Terrena in vtroque est, id quod corporaliter vel localiter videri potest: diuina, in vtroque, verbum inuisibile est, quod in principio erat Deus apud Deum. Nam cùm diceret idem Magnus Pontifex panem & vinum tenens, hoc est corpus meum, hic est sanguis meus, vox erat verbi incarnati, vox æterni principij, verbum antiqui consilij. Verbum quod humanam acceperat naturam, id est, in carne manens, panis & vini accipiebat substantiam. Vita media, panem cum sua carne, vinum cum suo iungebat sanguine. Quemadmodum in corporeis sensibus menti & corpulento aeri media lingua interuenit, & vtrunque coniungens vnum sermonẽ efficit, quo in aures dimisso, id quod audibile est, citò absumitur & transit: sensus autem sermonis & in dicente & in eo, qui audit, integer permanet & inconsumptus: Sic verbũ patris, carni & sanguini, quem de vtero Virginis assumperat, & pani ac vino, quod de altari assumpsit, medium interueniens, vnum sacrificium efficit, quòd cùm in ora fidelium sacerdos distribuit, panis & vinum absumitur & transit. Partus autem virginis cum vnito sibi verbo patris, & in cælo & in hominibus integer permanet & inconsumptus. Sed in illum, in quo fides non est, prẽter visibiles species panis & vini, nihil de sacrificio peruenit. Quemadmodum asinus ad lyram, cùm irrationales aures arrigit, sonum quidem audit, sed modũ cantilenæ non percipit. Tales comparantur Iudæis, vel patribus eorum, de quibus Dominus: Patres, inquit, vestri manducauerunt manna, & Ioan. 6.
mortui sunt. Qui autem cum fide accipiunt, illis comparantur, de quibus Apostolus: Patres nostri, inquit, omnes eandem escam spiri- 1. cor. 10.
tualem manducauerunt, & omnes eundem potum spiritualem biberunt. Nam alij per incredulitatem patres sunt Iudæorum & hæreticorum, alij per fidem patres Apostolorum atq; credentium. Panis ergo inuisibilis, qui de cælo descendit, vita est. Panis visibilis, qui de terra creuit, vnus tamen panis est, quomodo qui de cęlo descendit, & qui conceptus & natus est de vtero virginis, Christus vnus est. Quapropter qui visibilem panem sacrificij comedit, & inuisibilẽ à corde suo non credendo repellit, Chri- 1. Cor. 11.
stum occidit, quia vitam à viuificato seiungit, & dentibus suis mortuum laniat corpus sacrificij, atque per hoc reus est corporis & sanguinis Domini. Sed dicit aduersarius. Viuens & sensibilis in corpore suo, mobilisque est Deus & homo Christus. Corpus autem sacrificij vitã non habet, sensum non habet, mobile non est. Hoc assumpto concludit sic, Corpus igitur Domini non est, Christus non est. Ad hęc, inquã, obsecro te, quam in corpore Domini vitam requiris? Est enim vita animalis, est & vita spiritualis. Animalis vita quinque sensibus fungitur, visu, auditu, gustu, odoratu, & tactu. Hęc vita animalis est, carnalis est, caro est: Dominus autem dicit, quia caro non prodest quic- Ioan. 6.
quam. Si enim Iudæi carnem, quam crucifixerunt, concidere & deuorare sicut carnem agni maluissent, aut potuissent integram viuamque absorbere, sicut cetus maris viuentem absor- Ionę 2.
buit Ionam, nihil illis profuisset, immo maiori sacrilegio cõscientias suas polluissent. Animalis igitur vita, quia caro est, si in corpore Domini adesset, nihil nobis prodesset, ac propter hoc illam requirere superfluum est. Nam quid cœlestis homo per sacrificium cæleste hoc administraret, quod nobis nõ deerat? Non enim prudentiæ eius est, curiositatem nostram non necessarijs pascere miraculis. Quærebat hoc Luc. 23.
curiosus Herodes, quando erat ex multo tempore cupiens Iesum videre, quia sperabat signum aliquod ab eo fieri. Quod quia non fecit, spreuit illum, & remisit indutum veste alba. Solam ergo vitam spiritualem in sacrificio nobis administrare sapientiam eius decebat. Et nostræ necessitati expediebat, quę est sanctificatio & benedictio, misericordia & veritas, tristitia & pax. Hæc autem eius vita spiritualis sic est in corpore sacrificij, absque vita eius animali, quomodo lux solis absque calore eius in corpore

Universidad de Deusto
Biblioteca

corpore lunæ nobis repræsentatur. Igitur his pariter ex rebus sacrificium nobis cõstruit põtifex summus, quibus totus homo vegetatur, id est, ex verbo Dei, in quo viuit homo, & ex terræ fructibus, quibus solum viuit corpus, his duntaxat qui omnium primi sunt. Panis enim eorum, quæ ad esum, vinum eorum, quæ ad potum pertinent, primum est'. Deut. 8.

Intentio. Cap. 10.

INtentionem tanti operis, purissimum oculum tam lucidi corporis dum quærimus, noster quoque simplex oculus, & lucidum debet esse nostrum corpus, id est, vt ducamur discendi voto, non contradicendi proposito. Vbi ergo inueniemus admirabilẽ huius pulchritudinis oculum, scilicet quò tendat tãtum tam pulchri operis sacramentum? In capite ipso in eodem, quod sonuit nobis, verbo veritatis. Ait enim: Hæc quotiescunq; feceritis, in mei memoriam facietis. Qui habet aures audiendi, sic accipit hoc dictum, sicut lachrymabilem moriẽtis pro filiis patris affectum, sicut germanæ pietatis eloquium, sicut præacutum vulnificæ charitatis spiculum. Quia venerat eius hora, vt transiret ex hoc mũdo ad patrem, quia verum erat quod dicebat discipulis, quò ego vado, vos non potestis venire. Et Petro dicenti: Domine, quò vadis? quò ego vado, inquit, non potes me sequi: quia inquam non poterat eum tunc sequi, hæreditatem illis competentem scribens, visibilem sui memoriam commendabat. Non enim scripturarum solam commonitionem ad hoc sufficere iudicabat. Obliuiosum namque & ex magna parte indocilem, egrotum scilicet genus humanum curandum susceperat. Ecce videmus eius, quæ in sacris scripturis est, medicinalis disciplinę difficultatem. Quota enim pars nostri capit illã, quæ in sancto Euangelio fragrat tam optimis vnguẽtis, antidotum illud quod in principio erat verbũ, Deus apud Deum, per quod omnia facta sunt, quodque caro factum est? Nam illud quidem ruminare, medela est probatissima, & dulcis faucibus amantis animæ, sed tantus cibus valde paucorum est. Prætereà meditatio hæc solius mentis pabulum est, solius animæ sanctificatio est. At ille vtrumque nostrum corpus & animam sibi astringere ardebat, vtrumque infirmum, imo vtrumq; mortuum, immortalitatis medicamẽto sanare properabat. Magna igitur charitatis arte pigmenta sua Dei sapientia composuit, quibus lethargicam magni ægroti mentem, renouata quotidie suæ salutis commemoratione, percelleret, & infantilium edentulam plebem animarum, quæ verbi antiqui & æterni principij solidum non poterat terere & ruminare cibum, dulcissimo hoc liquamine confecto, verbi eiusdem diuinitatẽ, in panis & vini sacramento sorbillare consuefaceret. Auferà cœtu Ecclesię quotidianas Saluatoris nostri huiusmodi exequias, & vide quàm meritò dicat ipse Saluator: quæ vtilitas in sanguine meo? Refrigescente enim ea, quæ hoc modo nũc vbiq; calet, eius memoria, refrigesceret vniuersa charitas, muta erit fides, claudicabit spes, conticesceret magnus ille clamor sanguinis iusti Abel, qui per traditum tanti sacrificij ritum quotidie reparat vocem, quotidie laxat os bibentis, & vociferantis terræ, scilicet Ecclesiæ, maledictum coarguens Cain, & maturam indignè fusi sanguinis vindictam reposcens. Calente ergo memoria tam celebri, charitas Christi concalescit, perstat super fundamentum suum ædificium fidei, spes quotidiana peccatorum remissione reuiuisc it. Pfal. 29. Gen. 4. Matth. 24.

Vtilitas. Cap. 11.

VTilitas hæc est in virtute huius sacramenti, quod eius ope fit possibile his, qui in terra sunt, in cælum ascendere. Aliter namq; illud possibile non est. ait enim Saluator: Nemo ascendit in cælum, nisi filius hominis qui est in cælo. Vni & soli, qui descendit de cælo, filio hominis, quia vna persona est cum filio Dei, cum verbo patris, quod de cælo descendit, & de corde patris, in vterum venit virginis, vni, inquam, & soli filio Dei filioque hominis tamquàm suo capiti cuncta membra corporis annectuntur, omnes qui in fide huius sacramenti, in plenitudine huius charitatis sunt recepti, & sic vnum corpus, vna persona, vnus Christus, caput cum suis membris in cælum ascendit, dicitq; gratulabũdus glorioſam Deo assignans Ecclesiam: Hoc nunc os ex ossibus meis & caro de carne mea. Et ostendens se atq; illam in personę conuenisse vnitatem, & erunt, inquit, duo in carne vna. Magnum hoc sacramentum est. Caro Christi, quæ ante passionem solius erat caro verbi Dei, per passionem ità creuit, adeo dilatata est, ita mundum vniuersum impleuit, vt omnes electos, qui fuerunt ab initio mundi, vel futuri sunt, vsque ad vltimum electum in fine seculi, noua conspersione huius sacramenti, in vnam Ecclesiam faciat Deum & homines ęternaliter copulari. Caro illa vnum erat granum frumenti, quod antequàm cadens in terram mortuum fuisset, nunc postquàm mortuum est, crescit in altari, fructificat in manibus & corporibus nostris, & ascendente magno & diuite domino messis, terram fructiferam, in qua creuit, secum vehit in horrea cæli. Ioan. 5. Eph. 5. Gen. 2. Ephe. 5. 1. Cor. 5. Ioan. 15.

Vnde & memores Domine: vsque, & calicem salutis perpetuæ. Cap. 12.

QVoniam ergo tanta est commendatæ vtilitas memoriæ, tria sibi beata Ecclesia deinceps eiusdem memorię proponit insignia, scilicet tam beatam passionem, nec non & ab inferis resurrectionẽ, sed & in cælos glorioſam ascen-

ascensionem. Quorum primum Ecclesiæ vulnerat charitatem, alterum confortat fidem, tertiũ lætificat spem. Vbi enim dicens, hostiã puram, hostiam sanctam, hostiam immaculatam, panẽ sanctum vitæ æternæ, & calicem salutis perpetuę; quinarium crucis signaculum panis, & vini imprimit substantiæ, Christo sedenti ad dextram patris veraciter (vt dictum est) concorporatæ, eruditum contemplatorem rerum, ad illã B. passionem mittit. Nam ab hinc vsque dum corporale desuper auferat, pendentis in cruce spirat agon, & passio Domini. Hæc ergo sunt illa viuentis petræ foramina, in quibus formosa est & immaculata columba, scilicet Ecclesia: in quibus tunc certius nidificat, cum intra verba prædicta, vel quinque crucis signacula quinq; dilecti sui plagas, videlicet duas manuum totidemque pedum, & vnam lateris, fida tenet & contemplatur memoria.

Sicuti accepta habere dignatus es munera Abel, & reliqua. Cap. 13.

SIcut similitudinis est, non quantitatis. Multò enim acceptius hoc sacrificium est Deo, quam quod obtulit Abel, quod obtulit Abraham, quod obtulit Melchisedec. Valet namque amplius res, quàm vmbra: veritas, quàm figura. Ipsam ergo similitudinem desideremus magis quàm acceptionis quantitatem. Similes offerendo sumus Abel, si rectè offerentes, nihilominus rectè diuidimus, quod quia Cain nõ fecit, peccauit. Sua namque cui debebat, Deo rectè obtulit: sed seipsum sibi retinens, & cor suum Deo auferens, malè diuisit. Abel verò intus in corde suo sacrificiũ iustitiæ obtulit, quia non seipsum sibi retinuit, sed Deo subdidit, ac propter hoc ad exteriora eius munera Dominus placidè respexit. Similiter Abraham, egregia fide totũ se prius offerebat, & propter hoc cum offerret sua, placidas offerebat hostias. Quod vt sciremus & imitaremur nos, patrios ab illo Deus affectus exegit, & * immolari sibi iussit, statimq; promptum eius animum inuenit, imò nobis ostendit. Melchisedec quoque nisi seipsum prius obtulisset, & in sublime altare Dei cor suum deposuisset, non potuisset præuidere causas, quarum intuitu panis & vini sacrificium sine exemplo primus obtulit. Itaque & nos, si assistentes ad offerrendum rectè (vt dictum est) diuidimus, id est, prius nosipsos offerentes, arietinam spiritus proteruiã, taurinamque feritatem, hyrcinamq; libidinem iugulantes, mortificamus, iuxta illud quod in psalmo canimus, Holocausta medullata offeram tibi cum incenso arietum, offeram tibi boues cum hyrcis: rectè diuisimus, & iccirco, sicut munera Abel, sicut sacrificium Abrahæ, sicut Melchisedec immaculatã hostiam, nostra sacrificia Dominus accepta habere dignatur. Et iuxta consequentẽ orationẽ, iubet hæc per manus sancti angeli sui perferri in sublime altare suum, & in conspectu diuinæ maiestatis suæ inlocaliter atq; inuisibiliter. Vbiq; enim est maiestas inlocalis & inuisibilis, vbique sublime altare eius, quod est Ecclesiæ Catholicæ fides. A C D E Gen. 4. Gen. 22. * Adde, filiũ Gen. 14. Pfal. 65.

Nobis quoque peccatoribus. Cap. 14.

MOris est plerisq; Ecclesijs, cùm ad id ventum est: Nobis quoq; peccatoribus famulis tuis, paululum expressa voce silentium rumpere. Nanque in illo Dominicæ passionis articulo subuenire nobis debet in mentem latronis confessio, simulque responsio Domini de tribunali crucis, illum Paradiso adiudicantis. Luc. 23.

Per quem hæc omnia Domine semper bona creas. Cap. 15.

TAndem cum tribus illis crucibus, quibus edicit sacerdos, per quem hæc omnia Domine semper bona creas, sanctificas, viuificas, benedicis, passio Domini consummatur, & illud nobis commemoratur, quod clamans voce magna emisit spiritum. Quapropter statim corporale aufertur, quia velum templi scissum est, imò quia quæ de illo scripta erant, hactenus clausa & operta fuerant, & erat verbum absconditum ab eis, quicquid ipse de passione sua prædixerat, nunc autem vbi consummatum, etiam reuelatum est. Quodque discooperto calice trinum de hostia super calice pingitur crucis signaculum, dicendo, Per ipsum, & cum ipso, & in ipso, confessionem exprimit cum voce Centurionis, qui viso terræmotu, & his quæ fiebant, clamauit voce magna: Verè filius Dei erat iste. Duæ verò cruces, quæ pinguntur in latere calicis, dicẽdo, Omnis honor & gloria, sacramenta nobis sanguinis & aquæ repræsentant, quæ patefacto latere Domini lancea militis, in redemptionem salutis nostræ profluxerunt. Tũc accedit diaconus, & exaltatum paruper sacrificium de altari reuerenter, tam ipse quàm sacerdos iterum deponit, quia venit Ioseph ab Arimathæa cum Centurione, & Nicodemus quoque & impetratum à Pilato corpus Iesu deponentes sepelierunt. Sepelierunt, inquam, quod nobis in eo significatur, quòd calix iterũ corporali cooperitur. Ibi competenter B. Gregorius Dominicam orationem dici constituit, incongruum esse astruens, vt cùm super Eucharistiã oratio diceretur, quã Scholasticus composuit, ipsa oratio non diceretur, quam per se ipse Dominus noster dictitauit. Quod cùm à Græcis accepisse videretur, in hoc tamen differre voluit, vt cũ apud Græcos ab omni populo dicatur, apud nos à solo sacerdote cantetur. Tũc ergo quia Iesus (vt dictum est) clamans voce magna tradidit spiritum, Centurio clamauit dicẽs: Verè filius Dei erat iste, & mulieres lamentabantur flentes Dominum, leuat sacerdos vocem, dicendo: Per omnia secula seculorum, & Dominicã orationem. Similiter chorus respondendo, Matt. 27. Luc. 18. Matt. 27.

Matt. 26. Ioan. 13. Ibid. Ioan. 1.

Universidad de Deusto
Biblioteca

dendo,imitãtes paucos fideles,qui contrito & A
confracto corde lugebant Dominum, veluti quondam occisum Abel inuidi furore fratris maligno, pauci parentes impatienti dolore & inconsueto cordis dolore lamentati sunt. Post hoc iterum breue silentium fit,sabbatum respiciens,quo Dominus in sepulchro quieuit.

Pax Domini sit semper vobiscum. Cap. 16.

TVnc rursus eleuatio vocis bonum significat nuntiũ Dominicæ resurrectionis,dicen B
te Sacerdote: Pax Domini sit semper vobiscũ.
Ioan 20. Luc. 24. Quod nobis illud commendat, quia Dominus noster stans in medio discipulorum suorum,dixit eis: Pax vobis. Interim tenens corpus Domini, quia cognitus est in fractione panis, tripartita fractura suã sanctę trinitati assignat hostiam, particulamq; vnam,quæ personam insinuat filij,sacro sanguini demissam immergit.

Agnus Dei qui tollis. Cap. 17.

STatim ad gloriam ascensionis memoria gau C
dentis Ecclesiæ transcurrit, dicendo: Agnus Dei qui tollis peccara mundi, miserere nobis.
Heb. 18. Act. 5. Qui sedes ad dexteram Dei patris, miserere nobis. Ad dandam enim pœnitentiam,& remissionem peccatorum Deus illum suscitauit, & principem & saluatorem exaltauit.

De Communione. Cap. 18.

TVnc religiosa consuetudine legatum nobis
Rom. 5. Ephe. 4. Coloss. 5. à sacerdote damus & accipimus inuicem pacis osculum,gaudẽtes atque hoc commemorãtes, quia reconciliati sumus Deo per mortem D
filij eius,nosq; colligari debere signantes osculo pacis, quod est vinculum perfectionis. Cantus,quem communionem dicimus, quem post cibum salutarem canimus,gratiarum actio est,
Psal. 21. iuxta illud:Edent pauperes & saturabuntur, & laudabunt Dominum, qui requirunt eum.

De Collecta. Cap. 19.

COllectæ,quæ dicuntur ad cõplendum,orationes sedentis in cœlo capitis nostri Iesu Christi signant, qui mortuus est, inquit Apo E
Rom. 18. stolus,imò qui & resurrexit, qui est in dextra Dei,qui etiam interpellat pro nobis. Interpellat enim pro nobis Pontifex summus, quia nos per id,quòd nostri est similis,reconciliat; & per id,quòd patri est æqualis, absoluit.

De Benedicamus Domino. Cap. 20.

VLtimam particulam diaconus adijcit, id est,Benedicamus Domino,& hoc dicto populũ excitat ad agendas Deo gratias pro acceptis beneficijs, quia profectò redemptore ad dextram patris sedente & interpellante pro nobis,perseuerant eius Apostoli, dicentes no- Ephe. 5.
bis;Semper gratias agite,sine intermissione ora 1. Thes. 5.
te. Si autem solennita s aliqua sit,in illud tempus respiciens, quo nostræ salutis missio celebrata est,& diaconus Dalmatica indutus, perfectionem designat futurę beatitudinis,tunc dicit:Ite missa est. Hæc enim populi solennis dimissio est,reuerenda modulantis enuntiatione, nitens rei dignitatem exprimere,& quasi extrema manu in abeuntis populi cordibus memoriam eius stabilire. Hoc autem sacrosanctum altaris mysterium idcirco Missa dicitur, quia
Ephe. 5. ad placationem, & solutionem inimicitiarum, quæ erant inter Deum & homines,sola valens & idonea missio est.

Quomodo vel à quibus Missæ officium ordinatum sit. Cap. 21.

OLim non tanto exterioris apparatu decoris missarum solennia celebrabantur, nec ab vnoquolibet hæc omnis religiosi obsequij gloria consummata & perpolita est. Põtifices quippe sacri,splendida Romanæ sedis luminaria,sicut diuersis tẽporibus affulserunt,ita paulatim studij sui claritate,venustatem huius salutaris officij perfecerunt. Et sicut traditum à Domino per Moysen sacrificij veteris ordiné, 5. Reg. 7.
præcipue Dauid & Salomon, sacerdotum & 1. Par. 23.
Leuitarum ministerio cantorum multiplici numero psalmorum diuinorum tripudio, templi vel altaris illustri gloria, sacrorumq; multitudine vasorum,splendidius amplificauerunt: Sic traditum à Domino mirabilem noui sacrificij ritum, per primos Apostolos sancta Romana Ecclesia suscipiens, religiosa fide amplexata est, fideli cura conseruauit, diligenti apparatu exornauit. Quæ ergo quique eorum contulerint, iam dicemus, magis secundum ordinem illorum,quæ ordinata sunt, quàm eorum, qui ordinauerunt.

INSTITVTIO COELESTINI PAPAE.

COelestinus, Papa quadragesimus primus constituerat,vt Psalmi Dauid centũ quinquaginta ante sacrificium canerentur antipho natim ex omnibus, quod ante non fiebat, sed tantùm Epistola & Euangelium recitabantur. Ex hoc instituto excerpti de Psalmis introitus, gradualia, offertoria, communiones cum modulatione ad Missam in Ecclesia Romana cantari cœperunt.

GREGORII.

Gregorius,LXI. Antiphonariũ regulariter cen tonizauit & compilauit, kyrie eleison à clero ad Missas cantari præcepit,quod apud Græcos ab omni populo cantabatur. Alleluia extra Pẽtecosten ad Missas dici fecit. In Canonetria verba hostiæ supaddidit, diesq; nostros in tua pace disponas ab æterna dãnatione nos eripi,

& in

& in electorum tuorum iubeas grege numera- A
ri. Orationem quoque Dominicam post Canonem super hostiam censuit recitari.

SYMMACHI.

Symmachus, XLIX. constituit omni die Dominico,vel natalitijs martyrum, Gloria in excelsis ad Missas cantari: quem hymnum Thelesphorus Papa, à beato Petro VII. nocte tantum natalis Domini ad Missas, à se in ipsa nocte constitutas, cantari instituit, & in eo, ad angelorum verba, quæ sequuntur, adiecit.

GELASII.

Gelasius, XLVII. tractus & hymnos compo- B
suit, & sacramentorum præfationes cauto & elimato sermone dictauit.

INNOCENTII.

Innocentius, XXXVIII. pacis osculum ante communionem dari decreuit.

LEONIS.

Leo, XLIII. qui in homilijs declamandis multum valuit,addidit in Canone sanctum sacrificium, immaculatam hostiam.

DAMASI.

Damasus, XXXV. Credo in vnum Deũ cantari instituit,ex decreto sanctæ vniuersalis Synodi,à CL. Episcopis Constãtinopoli celebratæ. C

ALEXANDRI.

Alexander, VI. ad consecrationẽ Eucharistiæ
Ioan. 19. instituit, quòd sicut de latere crucifixi Domini effluxit sanguis & aqua, ita aqua vino misceatur in ipsa consecratione:nec vinum sine aqua, nec aquam sine vino debere offerri,decernens.

SIXTI.

Sixtus, VII. hymnum, Sanctus,Sanctus,Sanctus cantari instituit.

SERGII.

Sergius, LXXX. vltimum hoc instituit, vt in- D
ter communicandum, agnus Dei à clero cantetur. Sic studiosa diuinæ legis Ecclesia Romana paulatim protulit de thesauro suo noua pietatis monumenta, & quoddam velut ex auro lapidibusque pretiosis religiosi officij sancto sacrificio fabrefecit diadema. Non quidẽ sanctius hinc est, quàm erat prius *ad sola verbi Domini solamque Dominicam orationem
*Adde quãdo consecrabatur, sed maximè decuit, vt fides, quæ adhuc erat illo tempore rudis, & (vt ait quidam, tam doctus quàm fidelis) agresti turbida cultu, nuda humeros, intonsa comas,exerta lacertos. Vbi ornari potuit, maximè in E
hac parte, tãquam in capite suo,deaurare tur, & earum rerum, quæ superius dictæ sunt, veneranda similitudine fulgeret.

De Azymo. Cap 22.

CVr sancta Romana Ecclesia nunquam in sacrificio fermentum admiserit, non otiosè quęritur, nec inutiliter scitur,maxime quia consuetudini huic tota hactenus Græcia refragatur. Nam de fermentato Græci immolant, & nescio qua auctoritate suffragante (quæ ꝓ-

culdubio de authenticis nunquam profecta est scripturis) tam legalem, quàm Euangelicam Romanæ Ecclesię consuetudinem nimis pertinaciter abhorrent. Veris persæpe rationibus superati sunt, sed Constantinopolitanę sedis arrogantia multarum hæresium genetrix,cedere dedignata est. Leo, IX. huius nominis Papa, à B. Petro CXLVIII. per epistolam ad Imperatorem Constantinum scriptam, animũ eius concilians, apocrisiarios suos Hunibertũ Syluæ candidę Episcopum, & Petrum Amalitanorum Archiepiscopum,Fredericum quoque VII. Leuitam & Cancellarium, Constantinopolim dirigens, multas Græcorum confutauit hæreses, qui inter cætera Latinos vocabant Azymitas,& eos nimis persequentes,eorum Ecclesias claudebant, & Michaelẽ patriarcham, à gratia & palatio Imperatoris remotum, excommunicationis gladio percussit. Tãtis autem hæresibus fermentata est Græcia, vt mirum videri nõ debeat hoc, quod de fermento immolat. Tantæ ecõtrà synceritatis semper fuit sancta Romana Ecclesia, vt cui deest scripturarum notitia, vel argumentandi facultas, sola illi de azymo contra Græcos sufficere debeat eius auctoritas. Nam Constantinopolitana non solùm hæreticos,sed & Hęresiarchas ꝓtulit multos.Romana verò Ecclesia,super Apostolicæ fidei petram altius fundata, firmiter stetit, & tam Græciæ quàm totius orbis hæreticos semper confutauit, & de excelso fidei tribunali data sententia iudicauit. Scripturarum tamen suffragia deesse non debent, ne vllam tã syncera auctoritas videatur passa esse iacturam. Quæ certius atque commodius peterentur, si vel scripto vel auctore certo constaret, quid rationis super fermentato sibi videantur habere Græci. Nam Romanæ Ecclesiæ consuetudo legalibus, propheticis, Euangelicis atque Apostolicis rationibus consona est. Ferunt tamen quidam, hanc à Græcis fermentati se audiuisse rationẽ, eò quod Maria prægnãs de Spiritu sancto facta fuerit, atque ideo per fermentatum signari rectè Dominicam incarnationem, & manifestum virginei ventris tumorem. Quicunque ex eis huic innituntur rationi, longius à sanæ doctrinæ regula absunt, quàm si nullas omninò supradictæ rei causas redderent. Quid enim ideo fermentatum offerunt,vt imprægnatum & tumidum Mariæ signi ficent vterum? Nempe hoc respectu panem sacrificij Mariam, vitium autem panis,id est,fermentũ, Christum eius filium esse volunt. Hæc ratio duabus ex causis euidentibus infirmata contemnitur. Primò,quia non Mariæ,sed Christi solius,qui solus pro nobis crucifixus est,corpus offerre debemus. Secundò,quia fermento, vt aliquid boni significari mereatur,nulla omninò sacræ Scripturę de veteri aut nouo testamento auctoritas suffragatur. Pulchrius atque ratiõabilius memoriã Dominicę incarnationis ex sancto Euangelio recognoscimus. Nã quod

Universidad de Deusto
Biblioteca

Matt.26. dixit Dominus de pane, quem accepit, hoc est corpus meum, quoties illa sacrosancta actione iteramus, incarnationem eius ita nobis reparamus, vt ad hoc non vterum B. Mariæ, sed solam eius fidem, per quam concepit, necessariam habeamus. Est autem eius fidei signum altare visibile, sicut rectè placet doctoribus Ecclesiæ. Igitur cùm Dei verbum per fidem Ecclesię descendens, panem accipit de signo fidei, quod est altare, renouatur nobis illud, quod idem verbum Dei, per fidem virginis descendens in vterum eius, carnem assumpsit. Atque ita incarnationem Dominicam nobis reparamus, non sicut fermentum in pane significante Mariam, sed sicut Dei verbum in pane Catholicam significante Ecclesiam, in eo, quod sicut vnus ille panis de multis confectus est granis, sic Ecclesia de multis hominibus vna consistit per fidei vnitatem. Significari autem panc illo dixi Ecclesiam, non in eo, quod offertur & consecratur, sed in eo, quod de multis (vt dictũ est) granis conficitur. Nam in eo quod consecratur, nec ipsum indiuiduum corpus Domini significat, sed est transfusio in se Dei verbo p fidem passionis, resurrectionis, & ascensionis C Domini. Dominus enim non, hoc significat, sed, hoc est corpus meum, inquit. Infirma ergo & meritò contemptibilis est supradicta fermẽti ratio. At verò azyma tam ex Euangelica, quàm ex legali auctoritate profecta sunt. Nã
Exo.12. Deu. 16. Dominus & in lege, vbi typicum paschæ sacrificium mandauit, fermentum abijci iusit, & in Euangelio, vbi nouum sacrificium primus celebrauit, azyma nihilominus ipse consecrauit. Et ne forte aliter suspiceris, fermentum in domibus Israel tunc non inueniebatur, lege e-
Apoc. 29. nim Domini sancitum erat. Dum ergo à vete- D re ad nouum sacrificium proficiscens, azyma
Mar. 14. Luc. 22. non reliquit, sed azyma benedixit, fregit, dedit discipulis suis dicens, hoc facite in meam cõmemorationem, nunquid de fermento quicquam dixit, aut questus est, quod cogente cõsuetudine legis fermentũ sibi defuerit? Immo qui in lege de azymis iussit, in gratia quod cõtrarium erat, statuere non debuit. Notandum quippe est, & animo memori retinendũ, nullas antiquæ legis consuetudines, contrarijs superuenientibus ex Euangelio decretis, esse destructas. Sed quæ abolitæ sunt vel destructæ, E
Gal. 5. melioribus non contrarijs cesserunt, vt circuncisio baptismo. Nam circuncisio bona quidẽ, sed baptismus melior. Nec mutabilitate vsus est Deus, dum bono prętulit melius, præsertim cùm bonum illud irritum fecisset ille populus, sicut ipse Deus improperat illis per Prophetã
Malac. 2. dicentem: Et irritum feciſtis pactum meum, &c. Magis autem præputium oppositum videtur circuncisioni, scilicet vt habitus priuationi. Sed Dominus de pręputio nihil dixit, immo de vtroque tacuit, quia circuncisio nihil est, præputium nihil est, ait Apostolus, sed fides, quæ per dilectionem operatur. At verò azymum & fermentum manifestè opposita sunt, vt contraria immediata. Igitur non decebat Deum, vt tamquàm sibimet contraria, abiecto azymo de fermento, præciperet, de quo ante prohibuerat, dicens: Non immolabis super fermento Exo. 25. sanguinem hostiæ tuæ. Approbat verò Deus azymum, non propter ipsum, sed propter id, cuius est signum. Significat quippe sacrificantibus nobis, vt epulemur paschali conuiuio, nõ in fermento malitiæ & nequitię, sed in azymis 1. Cor. 5. synceritatis & veritatis. Nec ideo rei tam necessariæ significatio hæc reijcienda est, quia de legis antiquæ cęremonijs illam constat esse ꝓfectam. Non enim cunctas legis antiquæ signi ficatiuas consuetudines abiecimus. Adhuc qppe plenariam lunę faciẽ considera mus, nec vnquam in defectu eius Pascha celebramus, & co Exo. 12. Leuit. 2. tidie thus sacrum Dño in odorem suauitatis a- Exod. 30. dolemus, & oleum vnctionis sanctum apud nos Num. 10. est, & pro tubis campanas habemus, & multa eiusmodi. Nam illa quæ significantur, quoniã bona sunt moralia, significationes ipsas omnes quidem lectione, qualẽdam verò actu quoq; celebramus, vt significata ipsa nostris sensibus, opportunè, importunè ingerantur. Quis hoc Deu. 25. improbare audeat? De gentibus quoq; exemplo Apostolorũ atq; doctorum, solemus auferre, si qua ab illis probè dicta vel facta sunt, & tamquam captiuæ mulieris vngues pilosq; superfluos amputare, vt ab alienigena falsitate mundata sententia, thalamũ veritatis digna sit introire. Nonne ergo familiarius aut iustius antiquitatũ suarũ reminiscitur Ecclesia? quæ in Cãticis Cancicorũ gloriatur & dicit: Omnia poma noua & vetera dilecte mi seruaui tibi. Igi- Cant 7. tur azyma non propter hoc abijcienda erant, qa significationis gratia in antiqua lege tradita fuerant, quin potius ideo retinẽda, quia qđ significant, optimum, & huic tempori gratiæ magis congruũ est. Significant enim id, quod Apostolica tuba probabiliter sentiendum per- 1. Cor. 5. sonat, videlicet vt inter Christum, q de massa peccatrice carnem sine peccato, tamquam azymum assumpsit de fermentato, & Christianum populum, ita nequitiæ & malitiæ nihil interſit, quomodo in azymo pane cũ fermento, & aqua nihil veteris massæ aut alienæ confessionis interuenit. Aqua namq; populũ significat, iuxta illud: Beati qui seminatis super aquas. Frumento aũt significari Christum, nullo melius quàm ipso auctore probamus, q seipsum mortificandũ infidelitate Iudæorũ, multiplicandũ fide po- Esa. 32. Ioan. 15. pulorum, figuratè prędicans: Nisi, inquit, granum frumenti cadens in terram mortuum, fuerit, ipsum solum manet: si autem mortuum fuerit, multum fructum affert. Aqua frumento mixta sine fermento, simplices debere esse significat populos, Christo per fidem coniunctos. Cùm ergo monimentũ sit synceritatis & veritatis eius, in cuius azymis nos epulari hortatur Apostolus expurgato veteri fermento, vt 1. Cor. 5. simus noua conspersio, iure inter vtilia legis antiquæ

antiquæ signa, reseruata sunt azyma, auctore A magno pontifice Christo, & per succedentem sibi beatum Petrum, Romanę Ecclesiæ fideliter delegata. Quæ beata, quòd in fundamento suo petram illam excepit, quam in suo veritas ore laudauit & beatificauit, tali structura super illam ædificata est, vt contra omnes hæreses perstaret murus inexpugnabilis. Et quacunque mundi ex parte periclitata fides ad illã confugit, mille clypęos ex ea, omnemque armaturam fortium, qua se defenderet, pendentem & præparatam inuenit.

Matt 16.

Cant.4.

B

De Ornatu altaris vel templi. Cap. 23.

SAcro sanctum altaris ministerium idcirco (vt dictum est) Missa dicitur: quia ad placationem inimicitiarum, quę erant inter Deum & homines, sola valens & idonea mittitur legatio. Cuius diuina ratio, quamuis assidui splẽdoris sit, cultus tamẽ exterior, in vasis sacris, in apparatu altaris & ministrorum eius, semper quidem sancta, sed pro dierum vel temporum diuersa ratione interdum splendidior est. Auro & argento, lapidibus preciosis, proposse C fidelium singulis in locis splendet festiua deuotio, quæ cùm in secularibus ambitionis insignia sint, in Ecclesiasticis & diuinis rebus pietatis officia sunt: non quia Deum, qui Spiritus est, plus aurea, quàm lutea, plus gemmata, quàm nuda delectent corpora: sed quia homines quod diligunt, cùm Deo libenter offerunt, dilectione Dei, qua illud à se separant, quicquid illud sit, Deo precioſum efficiunt. Diligũt
1. Ioan. 2. enim aurum, quod maximè concupiscentia carnis est, & concupiscentia oculorum. Cum ergo
2. Reg. 23. illud offerunt non indigenti Deo, sicut Dauid D concupitam libauit aquam Domino, proculdubiò sanctũ & Deo placitum est quod offerunt. Nimis reprehensibiliter sic vngerentur pedes luxuriosorum & nequam hominum, quomodo super pedes Domini vnguentum effusum est,
Matth. 26. Ioan. 12. quod potuit venundari multo, & dari pauperibus. Sed hoc ideo laudabiliter fecit Domino de uota mulier, quia Dominus, cui non indigenti hoc factum est, in libra vnguenti pistici libram appendit potius pietatis & fidei, & ideo pro odore, qui respersus est in vna domo, memoriã prædicandæ mulieris spirare fecit in toto mun E do. Igitur dum auro & lapidibus, ac sericis vestibus honoratur Christus in altaris apparatu, poterat & hoc dari pauperibus, sed non ideo iure ornatus mensæ Domini reprehenditur, cuius habitus, dum est incultus, non sine culpa eorum despicitur, qui illam ornare posse videtur. Nam quod Dominus per prophetam arMalac. 1. guit populum, dicentem: Mensa Domini cõtaminata est, ideo facere videtur, quia sine culpa tunc erat, quæ putabatur contaminatio esse altaris, nuda paupertas. Reuersus namque de
Exod. 25. 28. & 27. Babylone populus, altare tantum fecerat fortuitis (vt ait Hieronymus) & impolitis lapidibus, absque templo, absque vrbis ædificijs, absque extructione murorum, & putabant minorem esse cultum religionis, quia templi ornatus deerat, nec intelligebant, omnipotentem Deum non aurum gemmasque & hostiarum multitudinem quærere, sed offerentium voluntatem. Cæterum vbi opportunitas & opes non deerant, Dominus ipse aurea sibi & argentea fieri mandauit opera, summa artificũ industria. Nec statim nobis illud obijciatur ex dictis B. Hieronymi: Quòd si hæc ex veteri testamento susćipimus, consequenter & victimarum ritum, & legem sabbati, & his similia susćipere deberemus. Pugnat enim hæc eius sẽ- Rom. 14. tentia, ne aurea vel gemmata diuini cultus ornamenta, velut necessaria requirantur. Nam scribens aduersus Vigilantium, itemque ad Demetriadem virginem, eleemosynam quidem pauperum præfert, sed de huiusmodi vnusquisque, inquit, in suo sensu abundat, non damno, non reprehendo. Sed & manifesta ratione colligimus, figuras eiusmodi, quales de constructione tabernaculi B. Gregorius moraliter exponit, præsentia veritatis non ita disipari, vt non debeant etiam nunc in exteriori cultu Ecclesiæ simili vel eadem ratione proponi: vt in illo nobis eluceat, qualis interioris domus Dei, quod sumus nos, ornatus esse debeat. Quamuis enim auctor veterum & nouorum figuratarum promissionum sacramenta mutauerit, quia promissa perfecit, & denuntiationibus (vt ait magnus Leo) cessationem imposuit, quoniam denunciatus aduenit: in præceptis tamen vel figuris moralibus, nulla prioris testa- 1. Cor. 3. menti reprobata decreta, sed Euangelico magisterio multa sunt aucta. Dictis, factis, pulchrius Euangeliũ quàm lex, frequentius Christus quàm prophetæ, parabolas vel allegoricas proponit similitudines, cuius magisterium sequens Ecclesia, rerum habitu visibilium, res imitatur inuisibiles, non solùm in eorum (de quibus supra dictum est) ministrorum sacro cultu, sed in cæterorum quoque templi vel altaris ornatu. Nam si nulla significantur in hoc quoque spiritualia, cur pretiosa pallia, & holoserica dorsalia parietibus appenduntur, & sacrosanctum Domini corpus lineo corporali superpositum obtegitur? Nam iuxta dignitatem eius, quod precioſiſſimum habere possemus, meritò illi circumponeremus. Arcana ergo aliqua, quæsitu & intellectu digna, cum hac discretione animaduersa sunt. Nam corporale lineum, in quo Dominicæ passionis celebramus memoriam, tribulationem eius, & singularem designat in eo carnis munditiam. Linum quippe de terra natum, multis attritum pressuris, ad niuei candoris honorem & leuem subtilitatem peruenit. Grossum & inglorium è terra consurgit, sed inter manus præmentium opificum subtiliatur, & candescit. tribulationem ergo Domini in lineo corporali aduertimus. Ascendit enim Esa. 53.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Esa. 52. sicut virgultum & sicut radix de terra sitienti, A non habens speciem neque decorem: sed propter munditiam animæ suæ, quam pro peccato nostro posuit, videbit semen longæuum, & voluntas Domini in manu eius directa. Quod diligentiores obseruant, vt duplex corporale sit, linteamina significans capitis Domini, quibus corpus eius aromatibus conditum inuoluit Ioseph. Pallia verò, quæ (vt dictum est) solenniter appenduntur templi parietibus, futuram sanctæ Ecclesiæ gloriam significant in regno Christi, quod nobis præsentes solennitates commemorant, vbi exhibebit sibi Christus B
Ephe. 5. gloriosam sponsam, non habentem maculam vel rugam. Codices quoque Euangelici auro & argento, lapidibusque preciosis non immeritò decorantur, in quibus rutilat aurum cœlestis sapientię, nitet argentum fidelis eloquentiæ, fulgent miraculorum preciosi lapides, quæ manus Christi tornatiles aureæ plenæ hyacinthis operatæ sunt. His atque alijs huiusmodi ornatibus loquitur quodammodo regina, quæ assistit à dextris speciosi ac potentissimi regis, vt vestitum deauratum, & varietates, quibus ipsa circumamicta est, omnemq; gloriam eius, quæ est ab intus in fimbrijs aureis, id est, in perseuerantia bonorum operum, recogitemus & ad memoriam reuocemus, & admoniti de visibilibus, inuisibiles ornatus & repositam in cę lis eius gloriam auida mẽte speculemur. Tunc
Psal. 44. solenne est cantoribus, sed & omni choro psalentium, preciosum de sacrario capere vestitũ, & magnis vocibus atq; amplificatis cantibus iucundum sacri sacrificij celebrare conuiuium. Causa postulat quiddam nostri ordinis, id est, monachorum, non præterire proprium. Solemus enim in huiusmodi festis omnes in albis D
stare vel procedere: qua veste nouam sanctorum vitam designari superius expositum est. Tunc namque in contemplatione eius nouitatis positi sumus, de qua nos hortatur Apostolus, dicens: Vt quomodo surrexit Christus à
Rom. 6. mortuis per gloriam patris, ita & nos in nouitate vitæ ambulemus. Itaque cùm simus comę
Cant. 5. illæ, de quibus scriptum est: Comæ eius sicut elatæ palmarum, nigrę quasi coruus, quia scilicet capiti nostro adhærentes, humili conscięE
tia nigri esse, & victo mundo sursum tendere debemus: tunc tamen quando commemoratur eius seculi status, quo cum filijs semper est spõsus, conuenienter lætitiam preferentes, quotidianam salubris tristitiæ nigredinem læto candore obducimus, iuxta illud: Non possunt filij
Matt. 3. sponsi lugere, quandiu cum illis est sponsus. Conuenienter ergo in albis procedentes, simul etiam omnes à senibus vsque ad infantes, manipulos portamus, quia videlicet in illa vita, quæ per albas significatur, propriam vnusquisque mercedem accipiet, secundum suum labo
1. Cor. 3. Psal. 125. rem, & venientes venient cum exultatione, portantes manipulos suos.

De Cappis. Cap. 24.

CAppas quoque in maioribus festis superinduimus, vt amplius in Deo gloriemur, aspicientes in futuram resurrectionem, quando omnes electi, (quibus nunc post depositionem carnis in anima tantùm remuneratis, singulæ stolæ albæ datæ sunt) binas accipient stolas, scilicet requiem animarum, & resuscitatorum gloriosam immortalitatem corporum. Quę cappæ benè ab interiori parte patulæ sũt, & omninò præter solam necessariam fibulam inconsutæ: quia profectò immutata iam & immortalia corpora nullis animam obcludent angustijs, corda non contegent, nec obsistent internæ sanctæ Trinitatis contemplationi. Fimbrijs quoq; subterornatæ sunt, quia nil nostrę tunc deerit perfectioni, sed quod nunc ex parte cognoscimus, & ex parte prophetamus, cognoscemus sicut & cogniti sumus, quia facie ad faciem videbimus.

Apoc. 6.
1. Cor. 15.
1. Cor. 12.

De Rasura capitum. Cap. 25.

CVeruntamen sic subornati, caput intactum præferimus, & rasuram, quam coronam nominamus, nullo ornamento contegimus. Nõ est enim plenum gaudium nostrum, quia non in re præsentium, sed in spe gaudemus futurorum. Idcirco autem rasi sumus, quia filij sumus Chore, id est, calui, scilicet Domini nostri Iesu Christi, q in caluarię loco crucifixus est, dictumque est ei, videlicet vero Helisæo, à stultis & insensatis pueris cum illusione: Ascẽde calue, Ascede calue. Rasis ergo capitibus, antiquam Nazarẽorum legem immutauimus. Olim nanque Nazaræi capillos nutriebant, nos econtrà capillos decidimus, quia Nazarẽorum princeps Dominus Christus decaluatus, id est, in loco caluarię, vbi damnatorum capita abscindebantur, crucifixus est. Dalila, id est, paupercula & mẽtis inops synagoga rasit caput fortissimi Samson, id est, solis nostri, & tradidit in manus Philistinorum. At ille captus, quasi victus, eos qui se ceperant vicit, pluresque hostium occidit mortuus, quàm occiderat viuus. Mortuus enim Dominus infernum confregit, mortem vicit, vitam reddidit. Nos quamuis in supradictis ornatibus de victoria eius gaudeamus, tamen in rasura capitum decaluationem eius per cõpassionem lugemus. Hoc autem humilitatis insigne vocamus coronam, id est, victoriam, quia fidelis illa Domini decaluatio, cuius hęc rasura signum est, „culdubiò victoria est, triumphus est, honor & gloria nostra est. Mihi autem absit gloriari, Gal. 6.
ait vas electionis, nisi in cruce Domini nostri Iesu Christi. Sed nondum apparuit hęc gloria Ioan. 16.
quid erit, habetq; adhuc tristitiæ speciem, donec tristitia conuertatur in gaudium, & gaudiũ nostrum plenum sit.

2. Reg. 4. Num. 6. Iudic. 13. Iudic. 1.

FINIS LIBRI SECVNDI.
RVPER.

RVPERTI ABBATIS TVITIENSIS DE DIVINIS OFFICIIS LIBER TERTIVS.

De ordine Ecclesiastico ab Aduentu Domini, Prologus.

ANgustioribus atq; profundioribus enauigauit oratio, dum superius sacramentum Domini corporis & sanguinis pertentans potius quàm perlustrans, nullum fidei passa est periculum, satisque confidit in Deo iam adulta vel exercitata fide: quia quotiescunque per hoc profundum fuerit nauigandum, nullum alicuius obice saxi incurrit naufragium. Nunc iuxta propositum nostrum, ad ordinem anni, qui circa ipsum agitur sacramentum, ingredientes, ipsum, quo regimur, sanctum poscimus Spiritum, vt placida sui fauoris aura nostrum implere velum non desinat, donec propositum opus ad optatæ cõsummationis portum perducat. Quod ab Aduentu Domini inchoantes, primùm cur illud tempus sic nuncupetur, vel quid hoc significetur vocabulo, consulta causarum ratione nosse debemus.

De Aduentu. Cap. 1.

TEmpus, quod Dominicæ Natiuitatis memoriam antecedit, ideò Aduẽtus nũcupatur, quia totus eius Ecclesiasticus ordo iuxta contemplationem Aduentus Domini dispositus est. Aduenire autem Dominus rectè dicitur, qui vbiq; est inuisibili præsentia maiestatis, dum assumpto eo quod visibile est nostrum, visibus carnis visibilem se ostendit. Quod tunc factum est, quando uerbum, per quod omnia facta sunt, quod erat in mundo, & mundus per ipsum factus est, sed mundus eum non cognouit, caro factum est, vt visibiliter habitaret in nobis: itemq; futurum est, quando is, qui nunc à dextris Dei sedet, & licèt nobiscum sit vsque ad consummationem
Ioan. 1. seculi, non aliud assumendo, sed quod semel assumpsit nobis repræsentando, & sicut ipse dixit: Videbimus filium hominis venientem in Matt. vlt. Matt. 24 Luc. 2.
nubibus cæli, cum potestate magna & maiestate. Illud igitur tempus, quod Dominicæ Natiuitatis memoriam antecedit, idcircò Aduentus nuncupatur, quia hæc, quæ dicta sunt, partim præterita, partim futura commemorãtur. Nam prima Dominica, primus aduentus iam præteritus quasi futurus, in persona antiquæ cõmemoratur Ecclesiæ. Secunda & tertia Dñica, secũdus aduentus expectãtibus & desideran
B tibus iamiã instare, propheticis atq; Apostolicis tubis denũciatur. Ideo verò secũdus aduentus duabus Dominicis declamatur, quia primũ aduentum sola, quæ præcessit incarnationem Domini Ecclesia promissum expectauit, secundum autem tam præcedens quàm subsequens audiuit, illa propheticis tantùm, hæc autẽ propheticis pariter, atq; Apostolicis edocta præconiis. Quapropter in secunda ex ipsis Dominicis propheticum personat officium, quod est populus Sion. In tertio verò Apostolicũ: Gaudete in Domino semper. Quarta Dominica, Matt. 3.
quæ semper Dominici Natalis diẽ nouissima Luc. 1.
respicit, tempus illud commemorat, quo imprægnato iam & tumido vtero virginis propè erat Dominus, & calcians se diuinitas corrigiam illam suæ ligabat incarnationis, quam in Euangelio eiusdem Dominicæ Ioannes se non esse dignum soluere profitetur.

C

De prima Dominica Aduẽtus Domini. Cap. 2.

QVod hæc ita sint, ex ipsis earumdem Dominicarum patenter cognosci potest officiis. Nam prima Dominica non iam retributionem, sed initiũ iustitię postulat humanum genus. Nec iam patriam attingit, sed viam sibi postulat ostendi. Ait enim: Vias tuas Domine demonstra mihi, & semitas tuas edoce me. pſal. 24.
Vox hęc veteris hominis est, originalis peccati vinculis alligati, & in suam cælestem patriam, nescientis redire, nec valentis. Propter quod illa tunc Euangelij lectio recitatur, in qua vel maximè commendantur illę Domini viæ, per quas illuc, vndè corruit homo, debeat & possit redire, scilicet obedientia, mansuetudo, & humilitas, charitasque summa. Obediens namque

D

Universidad de Deusto
Biblioteca

que patri, ut pateretur pro nobis, ultrò ad pas-
sionis locum uenit mansuetus & humilis, sicut
Zach 9. propheta de illo prædixit: Dicite filiæ Sion,
Ioan. 5. ecce rex tuus uenit tibi mansuetus, sedens su-
per pullum asinæ. Charitas autem erat illa,
qua maior non est, sicut ipse dixit: Maiorē hac
dilectione nemo habet, &c. Præterea tota pri-
mi aduentus causa, in illa sancti Euangelij le-
ctione typicè continetur. Sed de hoc superius
dictum est, vbi ad comprobandum quòd Euan
gelio cohæreant, & consentiant cætera mẽbra
officij quẽadmodum corpus capiti huius Do-
minicæ officium exẽpli gratia propositum est.
Asinam namque alligatam uel pullum eius, hu
manum genus significare nouimus, ad cuius so
lutionem Dominum aduenisse manifestũ est.
vt sessor & possessor nostri factus, in cælestem
Hierusalem per vias suas equitatu salutis nos
reduceret. Igitur ex officio constat primâ Do-
minicam primum Domini spectare aduentum.
Cuius officij constat hanc esse intentionem, vt
his, quibus necdum uenit Dominus (illis enim
necdum aduenit, qui fidem incarnationis eius
nondum receperunt, illis, inquam, qui necdum
Psal. 14. in aduentu eius crediderunt) aduenìat tanta
salus per fidem, vt confidentes in Domino non
erubescant, neque irrideant inimici, id est,
dæmones diutius asinam illam, quam alligaue
runt vinculis peccatorum, sed solutæ, vias Do
minus demonstret illi, & semitas suas doceat.
Rom. 13. Hoc in introitu, in graduali, & in Alleluia ma
nifestè cõclamatur. Interuenit Apostolus Pau
lus, & in lectione Epistolæ demonstrat asinæ
vias, quas ambulare, vel quas non ambulare
debeat. Quarũ demonstrationem sic inchoat:
Scientes quia hora est iam nos de somno surgere. Nimirum hæc & reliqua dicens, quasi fi-
des auriga, ascensuro Domino, ut dietam suam
perficiat. Asinam infrenat, quo rectas vias te-
neat, ad summum dicens, sed induimini Domi-
num nostrum Iesum Christum, quod idẽ est,
ac si dicat eidem asinæ: Ascensorem suscipe re-
gem Sion. Quod autem post Euangelium
idem clamat offerẽda, quod antiphona ad in-
troitum, hoc innuit, quòd asina illa, etiã cum
acceperit sessorem suum Dominũ, secura esse
non debet, priusquam perueniat, cum equite
suo in supernam ciuitatem Hierusalem. Potest
enim fieri, vt offensus eques suum velit muta-
re vehiculum, quod prius probasse visus est,
ideò perseuerat in offertorio dicere Ecclesia,
Psal. 84. quod in introitu dixerat, addendo. Dirige me
in ueritate tua, &c. Communio quoque: Do-
minus dabit benignitatem, & terra nostra da-
bit fructum suum. Manifestè vox est antiquæ
Ecclesiæ, primum Domini expectantis aduen-
tum: quando de benignitate Spiritus sancti ter
ra nostra, id est, vterus Virginis concipiens,
dedit fructum suum, Deum & hominem pro-
ferens, benedicta in æternum. Ea quæ dicta
est ad introitum collecta, quæque su per obla
ta, quæque ad complendam, manifestè ad
idem, scilicet ad primum Domini respiciunt Aduentum.

Cur statio ad sanctum Petrum fiat.

NOtandum quoque, quia statio Dominica
hac iuxta sacratissimã ordinationem vigi-
lantissimi Papæ Gregorij, iure ad sanctũ Petrũ
fit: ipse est unus, immo primus discipulorum,
qui ad soluendam illam magnam asinam missi
sunt. Siquidem & in Apostolatu circumcisio-
nis Deus illi operatus est, & inter gentes cum
cõsorte suo beato Paulo eadem legatione fun- Gal. 2.
ctus, pro Christo Romam ingressus est, ut im
perium orbis tamquam prædictæ caput asinæ
solueret, ita ut pulchrè nobis illi duo, qui à mõ
te oliuarum missi sunt, ad soluendam illam
animalem asinam, in typum omnium prædi-
catorũ, in his duobus, uidelicet Petro & Paulo
repræsentari videntur, qui caput mũdi Romã
Dñi Christi regis æterni uehiculum & habita
culum, currum atque thronum effecerunt.

Cur in Aduentu non utuntur consuetis vestibus sacris Diaconus & Subdiaconus.

EX tunc usque ad sacram Dominici Nata
lis noctem, diaconus & subdiaconus im-
minuti procedunt. Nam neque diaconus dal-
maticam, neque subdiaconus induit tunicam.
Subdiaconus tamquam lex, quæ ante incarna-
tionem Domini carebat ornatu Euangelij, dia
conus tamquam ipsum Euangelium, cuius cla-
ritas, quanta sit, nondum apparuerat ante sa-
cramenta Natiuitatis, Passionis, Resurrectio-
nis & Ascensionis Domini. Horum enim non
præsentiam, sed expectationem significat tem
pus illud, propter quod & aduentus Domini
(ut dictum est) nuncupatur. Vtuntur autem
interdum casulis, quam uestem sacerdotis esse
diximus, cùm de habitu eius loqueremur.
Quod neminem mouere debet. Non enim sic
utuntur casulis subdiaconus aut diaconus, ut in
ipsis legant, uel ministrent, sed lecturi aut mi-
nistraturi illas exuunt, manifeste profitentes,
illam suam non esse uestem, nec propter suum
ordinem sibi debitam, sed propter Domini-
cæuel alicuius festi reuerentiam se accipere
accommodatam, ut inopem atque indecen-
tem consolentur expoliationem. Eamdem
ob causam, Gloria in excelsis Deo, tunc non
dicitur, & Ite Missa est intermittitur, quia ui-
delicet illud tempus signat (vt dictum est) quo
adhuc expectabatur gaudium pacis, & illud,
quo nunc usque soliciti præstolamur consum-
mationem nostrę salutis.

DE

De Dominica secunda. Cap. 3.

DOminica secunda statio ad sanctam Hie-
rusalem. Totum enim officium eiusdem
Dominicæ ad lætificandum cor illius decanta-
tur, quæ primum filij Dei recepit aduentum,
quæque per fidem iustificata, & pacem habens
ad Deum, desiderat in secundo aduentu videre
Rom. 5. Psal. 41. glorioſum regem suum. Mulier quippe casta
est, quæ viri sui absentiam plorat, præsentiam
desiderat: & sic vnici sponsi sui suspirat thala-
mum, quemadmodum desiderat ceruus ad fon
tes aquarum. Huic ergò desideranti, festinan-
ti, atque anhelanti, præsens officium lætitiam
prænunciat, spem inculcat, patientiam prædi-
cat. Primum Euangelij sententiam contemple
mur, cui cæteræ officij partes, plenæ gaudij,
plenæ consolationis & pacis, consonare pro-
Luc. 21. bentur, præmissis signis, quæ glorioſum illum
aduentum præcessura sunt. His ergò, inquit
Dominus, fieri incipientibus, leuate capita
vestra, quoniam appropinquabit redemptio
vestra. Leuate capita vestra, ait beatus Grego
rius, id est, exhilarate corda. Iuxta huius ve-
ridici promissi consolationem, præcinit ad in-
Isa. 30. troitum tuba prophetica populo Sion. Eccè,
inquiens, Dominus veniet ad saluandas Gen-
tes, & auditam faciet Dominus gloriam vocis
suæ in lætitia cordis uestri. Paruulus enim &
pũpillus est in hoc exilio natus populus Sion,
peregrina matre, & illo, quem numquam vidit
genitus patre: patrem absentem gemitibus
quærens, & assiduis cælum pulsans vagitibus,
quo patrem suum abisse, matre narrante, au-
diuit, & vix infantulus intellexit. Cui flenti &
in orationibus vagienti commiserens mater
totum hoc officium canit, iamiam imminere
contestans desideranti reditum patris, & au-
diendam esse gloriam vocis eius, quando di-
Act. 1. Mat. 25. cet. Venite benedicti patris mei, percipite re-
gnum in lętitia, inquit, cordis vestri, quæ to-
ta erit, vt signis eius fieri incipientibus, iuxta
Domini dictum, debeamus leuare capita no-
stra, id est, exhilarare corda. Quod quia per
nos fieri non potest, nisi nos ipse gaudio spiri-
tus sui lætificet, rectè in collecta deprecamur,
dicentes: Excita Domine corda nostra, id est,
leua atque exhilara ad præparandas vnigeniti
tui vias, scilicet, vt parata sint occurrere illi:
non per timorem fugiendo, sed cum amore ad-
uentum eius excipiendo. Ad hæc opportunè
Rom. 15. nobis hæc Apostolica lectio recitatur. Quæ-
cumque scripta sunt, ad nostram doctri-
nam scripta sunt, vt per patientiam & con-
solationem scripturarum spem habeamus, &
reliqua. Valet enim ad correptionẽ impatien-
Phil. 1. tis animæ, nimis ægræ, cupientis dissolui, & es
se cum Christo, dum abundantiam spei nobis
Psal. 49. Ioan. 4. Psalm. 49. optando, moras venturi Domini nostri ferre
suadet, cum pace & gaudio. Graduale manife-
stè venturum eum canens, cuius species deco-
ris ex Siõ est, iuxta illud, quia salus ex Iudæis
est, eandem lætitiam sancti eis prædicat, qui
congregandi sunt ad dextram eius, eò quòd
ordinauerint testamentum eius nouum super
uetera sacrificia. Alleluia duobus fœcundum
uersibus primo uersu gaudium spei prædicat Psal. 121.
eius, cui dictum est, in domum domini ibimus,
lętitiamq; ex re futuram, vbi stabũt pedes eius
in atriis Hierusalem. Lecto autem supradicto
Euangelio præcentore gaudij, & confirmata Lucæ. 21.
promissione veritatis, vbi dicit: Cælum & ter- Psal 8.
ra transibũt, verba autem mea non transibũt,
iam velut consolatione recepta, gratulatur po
pulus Sion, & dicit credens veritati: Deus tu
conuertens viuificabis nos, & plebs tua lętа-
bitur in te. Viuificabis nos, inquit, scilicet per
resurrectionem, conuertens nunc per fidem, & Ioan. 16.
plebs tua lætabitur in te. Lætabuntur filij spon
si reddita sibi eius præsentia, & pristina tristi-
tia in gaudium conuersa, pleno gaudebunt gau
dio. Longum nimis est, neque à nobis propo-
situm exponẽtis more omnia persequi. Solam
enim concordiam cuiusque officij, velut com-
pagem cuiusque corporis perquirere proposi-
tum est. Summa igitur huius officij est, vt pe- Baruch 3.
regrina Hierusalem, id est, Ecclesia præsens,
huius vitæ exilium spe patientissima perferat,
& cùm secundùm Euãgelij iam dicti præmon-
strationem, mundi ruinã imminere cognoue-
rit, leuet caput suum, & iuxta communionis
cohortationem surgat, & stet in excelso, terre-
na respuens & amans cælestia, sicut petit colle
cta, quæ dicitur ad complendum, & videat
iucunditatem, quæ ueniet sibi à Deo suo, ac
velut propinquante æstate męroris sui nubila
discutiat, quia vitę dies æterni solis claritа- Apo. 21.
te fulgescunt.

De Dominicæ tertiæ officio. Cap. 4.

DOminicę tertię totum officium consola-
tionem decantat, maximè rectoribus Ec
clesiarum, quorum status quanto eminentior,
tanto vita iudiciis hominum subiectior, & tan
to magis persępè apud homines laceratur opi-
nio, quantò eorum meritum in diuino fulget
iudicio. Venturum namq; illis annunciat, qui
harum illuminet abscondita tenebrarum: quia
ipse iudex eorum est & conscius, qui omnino
errare non nouit iudicio, Vt ergò tanto teste
vel iudice uenturo gaudeant, uel quid de illo
sperent ut sciant, opportunè recitatur illud
pręclarum atque famosum, quod de Ioanne
Baptista perhibuit, testimonium, dicens: Amẽ Matt. 11.
dico uobis, inter natos mulierum non surre-
xit maior Ioanne Baptista. Magnum testimo-
nium, grande pręconium. Negauit Deus ho-
minem esse illum mollibus uestitum, negauit
arundinem esse vento agitatam, enunciauit
officio vel meritis esse angelum. Ostendit in
vno, quod in omnibus facturus est, quoniam
ueniens ad iudicium in cõspectu patris & san-
ctorum Angelorum, congrua singulis testimo
nia reddet. Quis ergò non erubescet flere, eo
quod

Universidad de Deusto
Biblioteca

quod competens suis meritis nō habeat ex ho- A
minibus testimonium, tanto sibi repositō in cę
lis præcone meritorū? Gaudete potius in Do-
Phil. 4. mino semper, iterum dico gaudete, inquit Apo
stolus, (quod cantans in introitu) modestia ve-
stra nota sit omnibus hominibus. Quòd si ocu-
los suos compresserint, & lucem vestrā coram
eis lucentem videre noluerint, nihil soliciti si-
tis, Dominus prope est, qui lucē vestram vide-
re nolentibus ingeret, tantummodo petitio-
nes vestræ innotescāt apud Deum. Vnus enim
ille testis contra omnes criminatores prævale-
bit. Promissam consolationem hanc subsequēs B
compleri collecta postulat, dicens: Aurē tuam
Domine precibus nostris accommoda, & men
tis nostrę tenebras gratia tuę visitationis illu-
stra. Tenebras enim quas patimur, in eo, quod
errātes falso iudicamur & iudicamus, illustra-
bit eius aduentus, quem non tardari poscimus,
sicut in subsequenti lectione epistolę ait idem
1 Cor. 4. Matt. 11. Apostolus, Nolite ante tempus iudicare, quo-
adusque veniat Dominus, qui & illuminabit
abscondita tenebrarum, & manifestabit consi
lia cordiū. Tota enim hæc lectio tendit in hoc, C
vt nobis pro minimo sit iudicari ab humano
die, sicut fuit Ioanni, qui (vt supra dictum est)
in Euangelio prædicatur à Domino arundo
vento agitata non esse. De eadem re Dominus
flebiliter postulatur in graduali, præmissa lau-
Psal. 79. de competenti: Qui sedes Domine super Che
rubim, &c. Nam in eo quod sedet super Cheru
bim, id est, super plenitudinem scientiæ, nouit
& potest occultam cordium nostrorum abys-
sum penetrare, & quæcumque ibi latent, vero
testimonio in publicū proferre. Ad hoc iuxta
uocem Psalmi, quæ in Alleluia personat, excis
tabit potentiam suam, & ueniet. Et sicut in of- D
ferenda, quasi iam factum, quia proculdubiò
Psal. 84. futurum est, præsumimus dicendo, Benedixi-
sti Domine terram tuam, auertisti captiuita-
tem Iacob, gaudebunt electi stantes à dextris,
Rom 8. testimonio sibi reddito à uero iudice, & liber-
tatem accipient filiorum Dei, iuxta quod in
Psal. 13. alio loco scriptū est: Cum auerterit Dominus
captiuitatem plebis suæ, exultabit Iacob, & læ-
Esa. 35. tabitur Israel. Cuius libertatis spe confortat
pusillanimes tuba prophetica in cōmunione:
Dicite pusillanimes, confortamini, & nolite
timere, qui sæpe dum humana contra se audi- E
uit præiudicia, quamuis de repositō in cōscien
tia thesauro debeant cōsolari, tamen ualde tre
pidant, quia necdum sciunt, quales in illo tre-
mendo Dei iudicio inueniendi sunt. Vnde B.
Gregorius, qui multis hominum prejudiciis fa
tigatus, satis & plus aliis multis erat expertus
quid paterentur, uel quanta intra hæc consō
latione indigerent rectores Ecclesiæ, & iccirco
hoc illis celebri statione officiū dedicauit, scri-
bens ad Mauritium Imperatorem, inter cæte-
ra dicit: Quod autem dominorum pietas illud
mihi pauendum, & terribile omnipotentis Dei
iudicium intentat, rogo per eundem omnipo-

tentem Dominum, ne hoc ulterius faciat: Nā
adhuc nescimus, quis ibi qualis sit. Et Paulus
egregius prædicator admonet, dicens: Nolite 1. Cor. 4.
ante tempus iudicare, donec ueniat Dominus,
qui & illuminabit abscondita tenebrarum, &
manifestabit cogitationes cordium.

Cur Statio ad sanctum Petrum.

SCiendum verò est, præsentis Dominicæ
officio stationem congruè fieri ad sanctum
Petrum, quia videlicet ille rectorum Eccle
siæ, primus & præcipuus est: quibus idem offi-
cium prędicat gaudium & patientiam in tribu
latione, longanimitatē in spe, quorum in ani-
mo quanta pressura sit, & præter illa, quæ ex-
trinsecus sunt, quanta instantia quotidiana,
quanta solicitudo commissarū sibi animarum, 2. Cor. 13.
nulli præter ipsos, qui experti sunt, perfectè &
liquidò nouerunt, quamuis frequēti lectione,
maximè ex libris beati Gregorij nonnulla ex
parte à studiosis & cordatis lectoribus queant
cognosci. Ipse autem B. Gregorius egregium
Romanæ sedis post Petrum Apostolum decus,
qui optimè (ut dictum est) angoris eius con- C
scius extitit, hoc sese cum illis officio consola-
tus est, quippe qui (ut in libro uitæ ipsius legi-
mus) stationes per basilicas uel beatorum Mar
tyrum cœmiteria (secundum quod hactenus
plebs Romana, quasi eo uiuente, certatim di-
scurrit,) solicitus ordinauit: per quas & ipse si-
mul discurrens, dum adhuc loqui præualuit,
uiginti homilias Euāgelij diuerso tpe declama
uit, reliquas uerò eiusdē numeri dictitauit qui-
dem, sed lassescente stomacho, languore conti-
nuo aliis pronūtiandas commisit. Qui sicut ue-
rè dulcissimum sancti Spiritus organum, quic
quid scripsit, digito Dei dictante concepit: sic D
easdem stationes non sine eodem Spiritu depo
suit, & tam hæc, quàm cætera eius opera, tam-
quam aurum rutilant in Christi Ecclesia.

De Quatuor temporum ieiuniis. Cap. 5.

INter cæteras hebdomadę ferias, quarta &
sexta feria maximè ieiuniis ideo deputātur,
quia Dominicæ passionis memoria prę aliis in-
signitæ sunt. Quarta namque feria Dominus à Matt. 26.
Iuda traditore uenditus, & sexta à Iudæis cru
cifixus est. Itaque & per singulas Dominicas
proprias Euangeliorum & Epistolarum le-
ctiones habent, & ieiuniis, letaniis, atque ab-
stinentiis pœnitentium magis idoneę iudicatę
sunt: vt quibus diebus innocēs Dominus ven
ditus, & pro seruis suis passus est, seruis pecca-
tor fleat & ieiunet, & lectionem sanctā (quę
est animæ pabulum) solennius audiat. Quapro
pter quatuor temporum ieiunia per easdem fe
rias celebrari instituta sunt, addita Dominicę
sepulturę die, scilicet sabbato, vt tres dies ie-
iunij sint, quatenus trium mensium cuiusque

temporis

temporis temperiem bonam, trium dierum, A
quibus ieiunamus, salubri commercio impetre
mus, & pro mense diē vnum Domino offeren-
tes, tranquillam & quietam hanc vitam sub
Eph. 6. elementis mūdi, à spiritualibus nequitiis, & ab
aeriarum malignitate tempestatū peragamus.

De Ieiunio in Aduentu Domini. Cap. 6.

TErtia igitur Dominici Aduentus hebdo-
mada, quarta feria brumalis temporis ie-
iuniū prefixum est: quod propter Aduentum B
Domini aliorum temporum ieiuniis celebrius
est, & officium tam diurnum quàm nocturnum
magis plenarium habet, ad ipsum Domini per-
tinēs aduentum, vt dum caro ieiuniis affligitur,
anima redēptionis suę testimoniis, ex lectione
sacra, vel concentu Ecclesię, copiosius lætetur.
Prima ieiunij die, scilicet quarta feria statio
ad sanctam Mariam cōuenienter ordinata est.
Ad illud enim templum Domini, ad illud sa-
crarium Spiritus sancti, in quo totus Deus no
Luc. 1. uem mensibus habitans, dignatus est homo fie
ri, totum eius diei officium propriè pertinere C
manifestum est. Nam ex Euangelio Domini-
ca recitatur annūciatio vel incarnatio, prophe
ticis tubis antè declamata, per Angelum præ-
sentialiter allata, per fidem beatę Virginis su-
scepta, per incorruptum eius vterum comple-
ta & reddita. Quę omnia propheticus clāgor
Esa. 45. in introitu breuiter prēcinens: Rorate cęli, in-
quit, & cętera. Dicendo rorate cęli desuper, mi
nisterium angelicę expressit allocutionis, qua
uerbum Deus in interiorem aurem credulę vir
ginis, sicut pluuia in uellus, descendit: & per
Iudic. 16. hoc quod ait, & nubes pluant iustum, se atque D
cęteros prophetas, qui vt nubes iustum, scili-
cet Christum, & fideles eius in terra cordis no
Esa. 2. stri cęlesti doctrina depluunt. Aperiatur, in-
quit, terra suscipiendo verbum, & dicendo,
Luc. 1. Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum ver
bum tuum, & germinet Saluatorem benedicta
in ętternum, Deum nobis proferens & hominē.
Quę post hæc sequūtur, omnia similiter Euan-
Dan. 2. gelico sensui consonant. Epistolaris lectio ieiu
nantium animas dupliciter reficiens. Primò
Psal. 65. montem illum prædicat, qui secundum conso
num Euangelium, sedem suscipiens Dauid pa- E
tris sui, & de lapide paruo crescens in mōtem,
& implens orbem terrarum, regnabit in domo
Psal. 23. Iacob in æternum. Cui lectioni pulchrę succi-
nit uersus subsequens gradualis, Quis ascendit
in montem Domini, &c. Quia videlicet non ni
si innocens manibus & mundo corde, & cuius
vita concordat cum fide, partem habebit in il-
la Domini Incarnatione. Reliqua officij mem-
bra patenter ad eūdem Euangelij sensum per-
tinent, nec ad hoc probandum immorari opus
est, quoniam manifestum est. Igitur hac die se-
cundum huiusmodi officium statio ad sanctam
Mariam conuenienter odinata est.

De feria sexta Ieiunij. Cap. 7.

SExta verò feria statio ad sanctos Apostolos
præscripta est. Ratio quidem occultior est,
sed quærētibus parua ex scintilla citius elucet.
Nam in Euangelio diei presentis, in cantico B. Lucæ 1.
Virginis dignum illud memoria dictum est,
quod patenter ad ipsos Apostolos attinet: De-
posuit potentes de sede, & exaltauit humiles.
Nā de sede spiritualis magisterij, de cathedra
Moysi deposuit potētes de sede, id est, supbos
Scribas & Pharisęos, & exaltauit in eamdē sedē
humiles Apostolos. Sicut aliàs ipse Dominus:
Confiteor tibi, inquit, pater Domine cęli & ter Matth. 11.
rę, quia abscondisti hęc à sapientibus, & reue-
lasti ea paruulis. Quod quia in ueritate iudicij
factum est, & cum hæc diceret B. Virgo, pro-
pè erat Dominus, scilicet, in utero eius, benè
congruit hic introitus: Propè esto Domine, & Psal 118.
omnes vię tuę veritas. Et quia florente tūc vir-
ga de radice Iesse, iam requiescebat super flo-
rem eius spiritus Domini, vt de plenitudine Ioan. 1.
eius accipiens Ioannes, exultaret in vtero Eli- Luc. 1.
zabet: aptè concinit Euangelio hæc Epistola:
Egredietur virga de radice Iesse, &c. Singula Esa. 11.
percurrere nimis longum est, & quia per se pa
tent, quòd ad eandem rē pertineant, fastidio-
sum est. Cōmunio tandem, Eccè Dominus ve- Zach. 14.
niet, & omnes sancti eius cum eo, ad eorum-
dem perspicuè spectat glorificationem Apo-
stolorum, qui cum eo venturi sunt in secundo
Aduentu eius ad iudicium.

Cur vna tantùm lectio legatur ad Missam. Cap. 8.

QVęri autem potest, cur quarta feria pri-
ma. s. diei ieiunij, duę sint lectiones, duo-
que ascripta gradualia, sexta feria una tantùm
lectio, sequenti verò sabbato legantur sex? Ad
quod respondendum, quia cùm quarta feria
duas legerimus, sexta secundum profectum ie-
iunij tres legere deberemus; sabbato autē qua-
tuor. Verùm quia sabbato solent ordinationes
fieri, translatę à feria sexta duę, quatuor sab-
bati lectionibus appositę sunt, vt his maximè
sacri officij proferenda reseruetur opulentia,
qua & ieiunantes & sacrorum ordinum tyro- E
nes descripti sunt.

Cur sabbato ieiunij duodecim lectiones titulentur, cùm sex tantùm legantur.

SCiendum quoque, q̄ cum sabbato sex tan-
tùm legendę sint, duodecim in titulis lectio-
nes ea de causa prænotantur, quia cùm Roma-
na Ecclesia de Latinis & Grecis esset permi-
xta, singulę lectiones in utraq; lingua recita-
tabantur. Nā in vna lingua recitatę, ab vtriusq;

lin-

Universidad de Deusto
Biblioteca

linguæ populis intelligi non poterant. Itaque dum unaquęque bis legitur, duplicato senario lectionum numero, duodecim computantur. Præterea notandum est, ordinationum sacramenta Dominicæ diei deputari, cuius in vespera fiunt, & tam vespera sabbati, quàm mane prima sabbati posse & licere ieiunis à ieiunantibus celebrari.

Sententiæ Leonis Papæ, quòd ordinationes, cùm sabbati vesperæ fiant, ad diem Dominicam pertineant. Cap. 9.

DIcit enim magnus Leo, scribens ad Dioscorum Alexādrinæ ciuitatis Episcopum. Quod à Patribus nostris propensiore cura seruatum esse nouimus, à vobis quoque volumus custodiri: vt non passim diebus omnibus sacerdotalis uel Leuica ordinatio celebretur: sed post diem sabbati, hoc est, noctis eius, quæ in prima sabbati lucescit, exordio, sub lege diuini officij substituatur, in quibus his, qui consecrandi sunt, ieiunis à ieiunantibus sacra benedictio conferatur, quod eiusdem obseruantiæ erit, si mane ipso die Dominico continuato sabbati ieiunio celebretur, à quo tempore præcedentis noctis initia non recedunt: quam ad diē resurrectionis (sicut etiam in Pascha Domini declaratur) pertinere non dubium est. Nam propter auctoritatem consuetudinis, quam ex Apostolica nouimus venire doctrina, etiā sacra scriptura manifestat, q̄ cum Apostoli Paulum & Barnabam ex præcepto sancti Spiritus
Act. 13. ad euangelizandum Gentibus mitterent, ieiunantes & orantes imposuerunt eis manus, vt intelligamus, quanta & dantium & accipientium deuotione curandum sit, nè tantæ benedictionis sacramentum negligenter videatur impletum. Et ideò piè & laudabiliter Apostolicis mores gesteris institutis, si hanc ordinandorum sacerdotum formam per Ecclesias, quibus Dominus præsse te voluit, etiam ipse seruaueris, ut his, qui consecrandi sunt, numquā benedictio, nisi in die resurrectionis Dominicę tribuatur, cui à vespere sabbati initium cōstat adscribi, & quæ tantis diuinarum dispensationum mysteriis est consecrata, vt quicquid à Domino est insignius constitutū, in huius diei dignitate sit gestū. In hac mūdus sumpsit exordiū, in hac per resurrectionē Christi, & mors interitum, & vita sumpsit initiū. In hac Apostoli à Dño prædicandi omnibus Gentibus Euangelij tubam sumunt, & inferēdū vniuerso mundo sacramentū regenerationis accipiūt. In hac
Ioan. 20. (sicut B. Euāgelista Ioannes testatur) cùm congregatis in vnū discipulis, clausis ianuis, ad eos
Act. 2. Dominus introisset, insufflauit & dixit: Accipite Spiritum sanctum, & quorū remiseritis peccata, remittuntur eis: & quorum detinueritis, detenta erunt. In hac deniq; promissus à Dño Apostolis Spiritus sanctus aduenit. Ita cælesti quadā regula insinuatū & traditū nouerimus, in illa die celebrāda nobis esse mysteria sacerdotaliū, in qua collecta sūt oīum dona gratiarū

Item de Sabbato, & cur statio ad sanctum Petrum Cap. 10.

HOc sabbato, & omnibus horum quatuor temporum sabbatis, statio ad S. Petrum congruè celebratur. Cui enim primò post Christum Ecclesiæ summum collatum est Pontificium, quiq; primus & princeps sacras in Ecclesia celebrauit ordinationes, cuius vice maximè fungitur Romanus Pontifex, cùm Ecclesię sanctæ ministros & ouibus Christi pastores ordinat necessarios, congruè, vt tāquam ad summum recurratur, apud ipsum statio celebratur. Conuenientes igitur ad B. Petrum ieiunos mater Ecclesia filios, velut ex ore ipsius Petri multiplicatis in anima reficit sacramentis, & ex ipsius auctoritate spiritualium diuisiones ministrationū distribuit. Vbi notandū, quintā semper lectionē, quæ superadditæ doctrinæ nouissima est, non mutari, semperq; illam esse, qua
Dan. 2. legitur Angelus Domini cum Azaria & sociis eius in fornacē ignis descendisse. Quod magna & mystica non vacat ratione. Nā quemadmodū pueris à Babylonio rege missis in fornacē ignis, cælestis gratia subuenit, & fecit medium fornacis quasi uentum roris flantem: sic nos à confusionis rege diabolo, libidinū flammis appetitos iciuniorum & orationū instantia liberat. Hoc deniq; genus non eiicitur, nisi in oratione & ieiunio. Hac ergò lectione prælecta,
Matt. 17. sequitur & hymnus eorūdem puerorum, quo ad benedicendum creatorem omnis creatura commonetur, priusquā sacerdotes ordinētur, vt animaduertamus, illorū ora, manusq; ad benedictiones dandas, & quod maximū est, conficiendum corpus & sanguinē Dñi, iure admitti, qui à confusionis rege succensam fornacē vitiorum potenti fide superauerunt. Iam quæ sequuntur, manifestè secundū Dñi prædicant aduentū, & voci consonant clamantis in deserto,
Esa. 40. Parate viam Dño, &c. Hoc enim Euangelium
Matt. 3. eius diei est, principium. s. prædicationis, qua Ioannes peccatorum corda percutit, & ad pœnitentiam inuitat, genimina viperarū, securim dicens iam esse positā ad radices arboris, & ventilabrū in manu iudicis, vt purgās aream suam, triticum congreget in horreum, paleas autem comburat igne inextinguibili.

Hoc Euāgelium eodem Epistola sensu præcurrit, s. secundum prædicando aduentum Domini, quo reuelatum prius hominē peccati, filium perditionis interficiet spiritu oris sui, &
2. Thess. 2. destruet illustratione aduentus sui. Sed & antiphona ad introitum: Veni & ostende nobis faPsal. 76. ciem tuā Domine, qui sedes super Cherubim, & salui erimus, manifestè tēpus illud respicit, quo

Zach. 9. quo (sicut in offerenda quoque canimus) exultanti filiæ Sion. Veniet rex suus sanctus, & saPsal. 79. uator mundi: & sicut in tractu præmissum est: Excitans potentiam suam veniet, & eum quem
Matth. 25. deducit, velut ouem Ioseph, segregatum ab hędis, qui à sinistris eius erunt, ad dextram suam
Psal. 94. constituet. Interim tamen plorandum est ante
Psal. 81. eum qui fecit nos, ne fortis & terribilis, qui iuxta communionem exultauit vt gygas ad currendam viam, nemine aduersantium paruulorum valente sibi resistere, de quibus scriptum
Psal. 63. est: Sagittæ paruulorum factæ sunt plagæ eorum, cùm venerit, item gygas nobis sit, & multa fortitudine sua nobiscum in iudicio contendat, & magnitudinis suæ mole præmat nos.

Cur Dominica quarta vacat. Cap. 11.

DOminicæ quartæ officio præscriptum est. Vacat: videlicet, quia nulli Sanctorū Apostolica cautione stationi deputatum est. Quod quàm rectè cautum sit, considerata eiusdem officij ratione perpendere licebit. In Euangelio Dominicæ huius, agitante vento pharisaicæ interrogationis, hæc scintilla splendidæ veritatis emicat de flāma ignis diuini, qui calebat ardens & lucens in sancta mente Ioannis. Ipse
Ioan. 5. est, inquit, qui post me venturus est, qui ante
Ioan. 1. me factus est, cuius ego non sum dignus, vt soluam eius corrigiam calceamenti. Ab hac probabilis testimonij sententia graui & digna corde & ore tanti præcursoris, omnia pendent membra concrepantis officij. Stat Idumæa illa, quæ
Psa. 59. 107 visitationis suæ propheticum illud audierat promissum. In Idumæam extendam calceamentum meum, & respiciens in illud tēpus, quo deaccubitu suo, s. de sinu patris, egressus rex ille, qui hoc promiserat, iam in vtero virginis calceabatur, mirabilem illam atque insolubilem incarnationis corrigiam suis circumdans gressibus. Illud, inquam, respiciens, Idumæa scilicet alienigena gentilitas, clamat in introitu:
Psal. 105. Memento nostri Domine in beneplacito populi tui, videlicet in filio tuo, in quo tibi beneplacuisti solo ex millibus populi; quicumque tuus
Matt. 3. 17. fuit ab initio mundi, visita nos in eodem salutari tuo, ad modum medici iacentem ægrotum dignatione gratuita visitantis. Quæ deinde sequūtur, i. Collecta, Epistola, Graduale, Allelu ia, cūcta pariter iuxta cōsiderationē impregnati vteri virginalis, ppe esse Dñm, & celerē eius aduentum consonant. In offerenda verò palàm est, nos exemplo Angeli, salutare illud tēplum Domini, sacrarium Spiritus sancti, thalamum sanctitatis, triclinium diuini consilij: in quo, vt dictum est, diuinitas veniens ad nostram salutem, nostra carne calceata est. Hoc tantum regis Christi mysterium, cui Sanctorum, qui omnes officiales eius sunt, ita fuit creditum, vt meritò decantetur hoc officium præscripta stationе apud quemlibet illorum? Nā quæ apud singulos eorum officia solennibus deputata sunt stationibus, si ritè considerentur, singulorum virtutibus vel meritis cōsonare probantur. Sic apud beatum Petrum, qui principaliter ius obtinet ligandi atque soluendi, statio fit, quando, vt dictum est, in typum Ecclesiæ nobis Euāgelizatur solutio asinæ: sic quando agimus scrutinia, & catechumeni præsignantur, ad catechizatorem Gentium Paulum statio celebratur. Hanc autem ligaturam corrigię soluere, i. Matt. 16.
sanctę incarnationis Christi mysterium denudare, ipse Ioannes se indignum asserit, quo ma Mat. 21.
ior inter natos mulierum nemo surrexit. Inuestigare enim quis potest, quomodo corporatur verbum, quomodo summus & viuificator
Spiritus intra vterū matris animatur, quomo- Ioan. 1.
do is, qui initium non habet, & extitit & concipitur? Nulli ergò Sanctorum hoc mysterium Matt. 11.
ita fuit creditum, vt apud illum propria statione hoc assignari debeat officium. Proinde vacat, non quod (vt nonnullis videtur) minus sit authēticum, sed quod de ordinatissima stationum dispositione, rationabiliter sit exceptum, vtpotè materiam habens totius salutis & sanctitatis effectricem, sed nulli Sanctorum inuestigabilem: omnibus impensam, sed per solum
Spiritum sanctum administratam, qui in tricli Luc. 1.
nio virginalis vteri solus medius, solus cōscius, & vnus cęlestium fuit architriclinus nuptiarū. Nocturnalia, studio vitandæ prolixitatis, prætermimus officia, maximè quia per se satis patēt, quod à diurnalibus non discrepent. Notandum verò, quod antiqua & vniuersali sanctæ Ecclesiæ consuetudine per hoc tempus rationabiliter legitur Esaias propheta, qui tam primum, quàm secundum Domini aduentum eloquenter euidens, & euidenter eloquens, nobilis propheta, immò magnus & verus nunciat Euangelista. Nā per totū annū iuxta rationes causarū uel tēporū sacræ lectiones probabiliter (sicut in sequentib. locis suis liquebit) ordinatæ sunt.

De officio in Vigilia Natalis Domini. Cap. 12.

IN vigilia Natalis Domini, frequens ac celeberrimum est in ore Ecclesiæ pulchrum illud diuinæ consolationis oraculū: Hodie scietis, quia veniet Dñs, & mane videbitis gloriam Exo. 16.
eius. Iudæa & Hierusalem, nolite timere, &c. Per hoc mittit quēquam nostrum ad historiā libri Paralipomenon, quando regnante Iosaphat, congregati sunt filij Ammon & Moab, 2. paral. 20
cū habitatoribus montis Seir aduersus Iudam. Conuenitq; omnis Iuda in Hierusalem, & in templum Domini, ad deprecandam faciē eius. Et stantibus illis coram Domino cū vxoribus & paruulis aut liberis, & uociferantibus ad Dominum, exclamauit Hiaziel, filius Zachariæ, filij Barachiæ, Leuites de medio multitudinis, facto super se spiritu Dñi: O Iuda & Hierusalē nolite timere, cras egrediemini, & Dominus erit uobiscum, &c. Illuc (ut dictum est) mittit

Universidad de Deusto
Biblioteca

quemquam noſtrum Eccleſia, ſumma cura nitens excitare corda noſtra, ut vigilanter aduertamus per hanc ſimilitudinẽ quàm opportunè ſubuenit nobis Natiuitas filij Dei ſecundũ carnem. Non. n. parua ſimilitudo eſt. Nam quemadmodum tunc viſibiliter cõgregati fuerant viſibiles hoſtes aduerſus Iudam. ſ. filij Ammon & Moab, & habitatores montis Seir, qui ſæpè in ſcriptura ſacra pro peccatis & vitiis & malignis ſpiritibus ponuntur, nominibus quoq; ad hoc ipſum congruentibus. Ammon. n. interpretatur populus turbidus: Moab ex patre ſcilicet diabolo: Seir piloſus vel hiſpidus: ſic ad interitum noſtrum congregabantur peccata & vitia noſtra, nec erat qui adiuuaret.

Deu. 23. Hier. 48. Ezec. 35. Gen. 19.

De officio eiuſdem diei. Cap. 13.

IPſum nomẽ, quod dicitur vigilia, nos excitare debet, vt vigilanter aduertamus ea, quę in officio diei huius congeſta ſunt. Quæ cùm perſpexerimus, quibus ex ſcripturarum locis conquiſita ſint, miranda nobis ſignificatio potius, quàm expreſſio ſeſe offeret profundę intentionis, qua compoſitor officij noſtras in meditatione diuina mentes occupare per huiuſmodi officium intendit. Primum itaq; de introitu dicẽdum. Hodie ſcietis, quia veniet Dñs. Hoc de Exodo parua mutatione ſumptũ eſt. Nam cum dixiſſet Dominus filiis Iſrael, Eccè ego pluam vobis panes de cęlo, dixerũt Moyſes & Aaron ad illos: Veſpere ſcietis, quòd eduxerit vos Dominus de terra Ægypti & mane videbitis gloriã eius. Cùm ergo nobis in expectatione Dominicæ Natiuitatis mente vigilantibus, hoc in introitu canitur, quod dictum eſt, tunc panem de cælo, i. manna ſuſcipientibus, & facile perſentit chorus eruditus, quid innuat piæ calidus intentionis oculus, i. quò tendat, vel ad quid ſenſus noſtros inuit & officij cõpoſitor verè ſapiens, & ſcriba doctus magni ſibi theſauri cõſcius. Deniq; ad hoc inuitat nos, vt recogitemus, manna illud (quod datum eſt filiis Iſrael, de Aegypto egreſſis, & tendentibus ad terram repromiſſionis) figuram fuiſſe verbi Dei, quod per Virginem carnem aſſumens, nos in ſe credentes paſcere venit, qui eramus à Deo ieiuni, ſolis carnis vitiis, tamquàm carnibus Aegypti diſtenti, atque crapulati. Huius interpres ſimilitudinis non quiuis hominũ, ſed ipſe eſt, qui dixit: Ego ſum panis vitæ, patres veſtri manducauerunt manna in deſerto, & mortui ſunt: Hic eſt panis de cælo deſcendens, vt ſi quis ex illo manducauerit, non moriatur: Ego ſum panis viuus, qui de cælo deſcẽdi. Hoc igitur intelligentes, & magnificè exultantes, amplius ex ſubiunctione pſalmi dilatamur in intellectu gaudio ſpirituali, dicentes: Domini eſt terra & plenitudo eius. Quod de Pſalmo, ſumpta eſt offerenda quoq; cum verſibus ſuis. Conuenit namque diei vel rei Pſalmus hic per omnia, quia totius hodierni officij Pſalmiq; huius vna fere intentio eſt. Nã & in vigilia præſenti contẽplari iubemur, nõ ſolũ q̃ natus ſit, ſed & cur natus, vel quando natus ſit Chriſtus, ſicut & cãtamus: Intuemini quãtus ſit glorioſus iſte. Et in Pſalmo iuxta titulũ, qui talis eſt: Pſalmus Dauid in prima ſabbati. Agit Propheta de victoria Chriſti, quæ facta eſt in reſurrectione, in prima ſabbati, exhortans fideles, vt tanto regi ſemetipſos (ſicut decet) præparent aduenienti, tollentes, ſicut in offertorio cantamus, portas ſuas, portas mortis, i. vitia, vel eleuantes portas iuſtitię, virtutes, vt introeat rex gloriæ, dominus virtutum, ad debellandum fortẽ armatum, cuius eſt orbis terrarũ, quia ipſe ſuper maria fundauit eum, dũ ſicut olim diuiſit mare rubrũ in diuiſiones, ita & nunc orbem, i. populum Chriſtianum, educens inter diſſenſiones amaricantium populorum, fundauit in fide, & ſuper flumina præparauit, i. ſuper principes ſeculi ſtabiliuit eum. Nihilominus & hoc, quod eidẽ introitui, in graduale transformato, verſus iſte ſubiungitur: Qui regis Iſrael, intende, ſenſum vigilantem ædificat. Nam Pſalmus ille oratio eſt pro Iudæis, & Gentibus, qui citò apparente Dño Ieſu commutandi erant in eũ. Et pro perfidis quoq; Iudęis, qui in titulo appellãtur Aſſyrij, i. ſeipſos dirigentes ſecundum reputationem ſuã, qui iuſtitiam ſuam ſtatuere volentes, iuſtitiæ Dei non ſunt ſubiecti: pro perfidis, inquam, Iudęis orant in illo Pſalmo fideles, vt tandem conuertantur. quod ipſi tandem futurum præuident. Et in ſupradicto verſu ſub nomine Iſrael Iudaicus populus ſub nomine Ioſeph, quod interpretatur accreſcens, Gẽtium deſignatur multitudo, quæ illis addita eſt, iuxta illud: Alias oues habeo, quę nõ ſunt ex hoc ouili, & illas oportet me adducere, &c. De Euãgelio uel Epiſtola palàm eſt, quòd eis introitus ſupradictus cõueniat, uidelicet quia ſenſus utriuſque hoc maximè intendit atteſtari, qualem per portam cęli ſupradictũ manna nobis Dñs pluerit, ſ. per Virginem, dicente Angelo in Euangelio: Quod enim ex ea natum eſt, de Spiritu ſancto eſt, pariet autẽ filium, &c. Pauli autem in Epiſtola: Qui factus eſt ei ex ſemine Dauid. Maxima namq; portarũ cæli, quas Dominus, vt hoc mãna pluęret, nobis aperuit, Maria extitit, per quam ad nos Verbum Dei, caro factum, de cælo deſcendit. Siquidem alię portę, id eſt, omnes Sãctorum animę, quę ab initio Verbum illud in gremio fidei meruerunt ſuſcipere, ore ſuo verbum ſalutis pepererunt, i. prędicauerunt, ſanctamq; ſcripturam compoſuerunt, dicentes: A timore tuo Domine concepimus & peperimus. Spiritum ſalutis tuę fecimus ſuper terram. Hæc autẽ verbum illud ita plena gratia cõcepit, vt viſibilem hominem factum pareret, in veritate carnis, eodem Spiritu ſancto, & per ora prophetarũ Verbum hoc eloquẽte, & conceptionẽ eius in vtero Virginis operãte. Quod & ipſum cælitus ſignificatũ eſt, in eo quod de ſupradicto manna ſcriptum eſt:

Exo. 16. Matt. 13. Ioan. 6. Pſal. 23. Heb. 7. Lucæ 11. Pſal. 135. Pſal. 79. Rom. 10. Ioan. 10. Rom 1. Matt. 1. Eſa. 26.

Cùm

Exod. 15. Cumq; deſcenderet mane ros ſupra caſtra, deſcendebat pariter & manna. Ros. n. Spiritũ ſanctum, de quo nunc dictũ eſt, quod enim in ea natum eſt, de Spiritu ſancto eſt: mãna verò (vt ſæpè dictum eſt) verbũ Dei ſignificabat, quod per operationem eius humanę naturæ vnitum eſt. Et quod populus inobediens, de eo quod collegerat, reſeruauit, nec totũ, vt iuſſum erat, comedit, hoc illud eſt, quod non totum quod accepit à ſanctis prophetis de verbo Dei, credere voluit. Quod autem de manna reſeruatum eſt, quale fuit? Computruit, inquit, & ſcatere cœpit vermibus. Nimirum, hoc eſt, quod vſq; hodie Iudęa de manna comedere, i. de verbo Dei credere refugit: Quòd videlicet putredinem, id eſt, carnẽ noſtram aſſumpſerit, & verè ſit vermis, quod purum manna fuerat, id eſt, homo verè mortalis ſit factus, qui Deus, immo verbũ Dei erat. Quòd autẽ die ſabbati non cõputruit, neq; vermis eſt inuentus in eo, qa pulchrè illud ſignificat, quòd vt ait Apoſtolus Chriſtus reſurgens ex mortuis, iã non moritur, mors illi vltra non dominabitur. Rectè igitur in introitu cantamus: Hodie ſcietis quia veniet Dñs, & mane videbitis, &c. quia hodie, i. in præſenti vita ſcimus & credimus, quia de cęlo deſcẽdit panis viuus, mane, i. in reſurrectionis gloria, videbimus non ſolam humanã, ſed glorioſam diuinitatis eius formã, & (ut in communione canimus) Reuelabitur gloria Domini, & videbit omnis caro ſalutare Dei noſtri.

Rom. 6. Iſa. 40.

De eo quod ſolet quæri, cur Deus lapſum hominis euenire permiſerit, pro quo incarnatio eius neceſſaria fuit. Cap. 14.

IMportuna plerumq; & à nonnullis hæc nobis impingitur quæſtio. Cur Deus lapſum hominis euenire permiſerit, cùm vtique, vt omnipotens, impedire potuerit, ſaltẽ ipſum tentatorem ab ingreſſu paradiſi procul arcendo, malueritq; ſuã incarnationem humano generi neceſſariã exiſtere, quàm compendio ſerpentem ab hominis collocutione abigere. Hoc Apoſtolus Iudæis ſcandalũ, Gentibus autẽ ait eſſe ſtultitiam: nos autẽ, ſi ſpiritu pietatis regimur, vt mites ſimus, & ideò quęrimus vt inueniamus, ſcienter profitebimur hoc ſtultũ Dei ſapiẽtius eſſe hominibus. Quod vt ꝓbari poſſit facilius, libet prius rei tantę maieſtatis aliquam apponere ſimilitudinẽ, vt quia diuinã iuſtitiam uel ſapientiam in ſemetipſa radiantẽ, infirmi perſpicere non quęunt oculi, tamquã in ſubiecto ſpeculo contemplantes, ſpecioſam illã eſſe intelligant per ipſius imaginem. Nũc ergò ab eo, quod ſcriptum eſt, & vocauit famem ſuper terram, & omne firmamentum panis contriuit, & paulò poſt: Et intrauit Iſrael in Ægyptum, &c. competentem licet capere ſimilitudinem. Quęrimus nunc ab eis, qui ſupradicta quæſtione moueri ſolent. Cur Deus voluerit, vel Iſrael in Ægyptum intraret, vnde poſtea ſignis, atque portentis, cùm ipſorum grãdi labore, per Moyſen & Aaron educerentur. Nam teſtamentum ſuum, quod diſpoſuit ad Abraham, quod iurauit ad Iſaac, quod ſtatuit Iacob in præceptum dicens: Tibi dabo terram Chanaan, cùm eſſent incolæ eius, ſcilicet terrę Chanaan, illud, inquam, teſtamentum ſic poterat ratum facere, vt non uocaret famem ſuper terram, neque intraret Iſrael in Ægyptum, & ibidem, id eſt, intra Chanaan, augere poterat populum ſuum vehementer, & firmare eum ſuper inimicos eius, non relinquens hominem nocere eis, & ꝯripiens pro eis reges: ſed maluit (vt dictum eſt) cauſam euenire, propter quam intraret Iſrael in Ægyptũ, & illuc mittere Moyſen ſeruum ſuum & Aaron, ponens in eis verba ſignorum ſuorum, & increpare mare rubrum, vt exiccaretur, & ſubuerſis hoſtibus deduceret eos per deſertũ quadraginta annos, & portaret mores eorum, & interim pluit illis manna ad manducandum, & panẽ cæli dedit eis. Hoc ergò reſpondeat qui altiora quęrit, cur tantis morarũ vel operũ diſpendijs reducendos, illuc intrare permiſerit. Dicet fortaſſis quod in prõptu eſt, & quod verum eſt, quia vt notam faceret in Gentibus virtutem ſuam, vt eſſent quæ vtiliter annunciari poſſent inter Gentes opera eius, vt ſciremus, quia ipſe Dñs Deus noſter, & experimento probaremus, quia in vniuerſa terra iudicia eius: vt, inquã, notus fieret Deus, ſine cuius notitia nõ viuit omnis homo, iccirco quod ſupradictum eſt fieri permiſit. Et rectè, benè, irreprehenſibiliter. Si enim homo nõ debet oblata occaſione omittere, quin proferat quod in ſe vtile habet, pro eo quod ſcriptũ eſt: Sapientia abſcõdita & theſaurus occultus, quę vtilitas in vtriſq.? quãnto magis beneuolẽtia Dei oblatã ſibimet occaſionẽ debuit amplecti. i. mittere in ſeruum venundari Ioſeph, ut ſapiẽtię ſuę theſauros utiles oſtenderet, quia uideli cet illa uẽditio captiuitatis illorũ cauſa uel initiũ fuit. Non. n. Deo imputandũ eſt illius captiuitatis initiũ, quia uocauit famem ſuper terrã, ſed eis, à quibus in ſeruũ uenũdatus eſt Ioſeph. Non ergo dubiũ eſt quin irreprehenſibile ſit, quicq̃d illic à Deo permiſsũ eſt uel actũ. Quapropter cũ deſcenderent in Aegyptũ, ſolus pater Iacob, q̃ culpę illius fuerat expers, ſpe promiſſionis recreatus eſt. Audiuit. n. Deum ſibi dicentẽ: Noli timere, deſcende in Ægyptum, ego deſcendam illuc tecum, & ego inde adducam te. At verò illius diuinæ iuſtitię, de qua ſupra propoſitũ eſt, hęc imago eſt, atq; ad exemplar cęleſtiũ hęc in terrenis acta ſunt. Eadem ſimplicitate oculi, id eſt, intẽtione utilia faciendi permiſit Adam uolentẽ deſcendere in hanc Ægyptum, id eſt, in tenebras peccati, cùm poſſiſſet eum in amœnitate paradiſi, cuius illa terra typum geſſit, in qua Abraham & Iſaac & Iacob peregrinari iuſſit, repromittẽs eam il

Exod. 7. 8. Pſal. 104. Pſal. 104. Pſal. 77. Pſal. 76. Pſal. 104. Eccli. 20. Pſal. 104. Gen. 39. Gen. 46.

Universidad de Deusto
Biblioteca

sis. Et cũcta vtilitas quæ prouenit ex eo, quòd Israel in Ægyptum intrare permisit, tantò minor est illa, quæ de peccato Adæ prouenit, quantò minor est figura veritate, similitudo re, vmbra corpore. Nam vt cætera nunc omittam, quorum latissimæ quidem significationes sunt, sed aliis temporibus vel locis adhibendæ sunt, illud quod pluit illis mãna ad manducandum, & panem cæli dedit eis, verè magnum, & mirificum bonum, quãtò minus est isto, quem significabat, pane Angelorum, qui est Dei verbum, Verbum Deus, Verbum caro factum. Siquidẽ illud manna Verbi huius incarnati fuisse signum, non solus in Euangelio testatur Dominus, vbi ait: Ego sum panis viuus, qui de cælo descendit: sed & Moyses in Deuteronomio præscribit. Qui cùm dixisset, Et dedit tibi cibum manna, quem ignorabas tu & patres tui: statim addidit, Vt ostenderet tibi, quia non in solo pane viuit homo, sed in omni verbo, quod egreditur de ore Dei. Et vt supradictam diuini oculi simplicitatem, id est, intentionis puritatem vtrobiq; planius perpendas, promptum est perspicuis probare testimoniis, quo ad erudiendam creaturam, non solum humanam, sed & Angelicam, hæc vel illa fieri oportuit. Nã de manna cùm dixisset Moyses, quod supra positũ est, paulò post adiecit, vtiq; hominibus loquẽs: Quia sicut erudit homo filiũ suũ, sic Dñs Deus tuus eruditt te. De sacramẽto aũt Verbi incarnati Paulus ad Ephesios scribens, Vt innotescat (inquit) principib. & potestatibus in cælestib. per Ecclesiam multiformis sapientia Dei. Igitur quemadmodũ in speculo patet, subiectę similitudinis clarissimus & ab omni, q reprehẽsione vel nota stultitiæ (vt Gentibus visum est) dignum sit, purissimus iustitiæ sol, in dispensatione suæ incarnationis incedit, quia modorũ omnium, quibus omnipotens malitiã diaboli peruertere uel cessare potuisse vel debuisse asseritur, à mundi huius sapientia, quam stultam fecit Deus, omniũ, inquã, modorum optimus hic modus est, qui Deo cõplacitus est, vt diabolus ad suæ damnationis cumulũ hominem decipere permitteretur, & suæ fraudis effectu potitus tum demum per hominem ad iudicium traheretur. Et sedens in superbię principatu Ægypti rex, i. tenebrarũ princeps, primum decem plagis, i. decẽ legis præceptorũ flagris cõtunderetur, deinde nobis ad manducandum hoc manna per baptisma concurrentibus, ipse insectator fluctibus eruisdẽ enecaretur, nobisq; hoc in manna verbi incarnati refectis atq; confortatis, terramq; eius, i. cælestem patriam, quam ille superbiẽdo perdidit, inuadentibus ipse cum satellitibus suis videlicet spiritualibus Chananæis trucidaretur, quod in die iudicij futurum est, quãdo mirabili & pulcherrima ordinatione hic Deus & homo puniet, & quod in Deum, & quod in hominem actum est, id est, & superbiam, qua contra Deum tumuit, & inuidiam, qua hominem decepit. Hæc omnia Deus, priusquã hominẽ cõderet, præscisuit & prædestinauit: ipsum aũtẽ hominis lapsum prętciuit quidẽ, sed nõ prædestinauit, neq; voluit, quiniumò sub interminatione mortis vetuit. Nã bona sola Deus præsciuit & prædestinauit, mala aũtẽ præsciuit tantùm, non etiam prædestinauit, sed condigna eis loca iustè deputauit. Addit adhuc quærere aliquis: Cum præuaricatio nulla sit, si præceptũ aut lex non fuerit, cur Deus homini præceptũ dedit, quod nõ seruandum præscisuit? Videlicet quia creator erat ille, iste creatura, & à creatore creaturam erudiri oportuerat, quippe quæ ita creari non potuerat, vt suapte natura perfecta esset, quod solius diuinæ naturæ est. neq; scire posset, quia Deus mitis & humilis corde est, nisi eruditione proficeret. At verò præceptum in omni disciplina eruditionis initium est. Igitur præceptum dari oportuerat, illud præsertim, quo ad humilitatẽ creaturam disponeret, videlicet prohibẽdo nẽ plus vellet sapere, quàm oportteret sapere, quam ob culpam ceciderat diabolus, & ideò in Ezechiele cum improperio & ironia appellatur Cherub, i. plenitudo scientiæ. At ille, vt scientiam boni & mali, i. omnium scientiã, sicut Deus haberet, comedit lignum, quod exin de ita appellatur scientiæ boni & mali, non q̃ verè ita fuerit, sed quod de illo diabolo fallente mulier credidit. His ergò breuiter prætmissis, propter eos dumtaxat, qui nobiscũ Dei scientiam inclinato corde expetũt, non propter eos qui insidiosè agunt, qualibus dicit Apostolus: O homo tu quis es, qui respondeas Deo, nunquid potest figmentum dicere ei, qui se finxit, quare me fecisti sic? quorũ insidiosis respõdere quæstiũculis, nec nostræ facultatis, nec præsentis propositi est. His, inquã, prætmissis, gloriam prędicamus eiusdem Dominicæ incarnationis, Deũ patrẽ laudãtes, qui per illã nobis faciem suam ostendit, glorificantes filium salutare nostrum, qui carnem nostram assumpsit, gratias agentes sancto Spiritui, cuius proprium opus, illa noui hominis mirabilis conceptio fuit.

Ioan. 6.
Deut. 8.
Eph. 3.
1 Cor. 1.
Gen. 2.
Rom. 12.
Ezec. 28.
Rom. 9.

Cur duæ legantur in natali Dominico ad Missam Epistolæ. Cap. 15.

ILlud quæsitu dignum est, cur in hac solennitate Dominicę natiuitatis, tam die quàm nocte duæ ad missarum solennia legantur Epistolæ, quod aliàs per totum annum eo modo non fit. Quodq; maximè prætercundum nõ est, prima semper de veteri, sequẽs de nouo testamento sumpta est. Quod inquirentibus nobis splendida beati Gregorij doctrina viam intelligentię protinus aperit. Ait namque: Benè duo Cherubim, quæ propitiatorium tegunt, sese inuicem aspiciunt, versis vultibus in propitiatorium. Cherub quippe plenitudo scientiæ dicitur: Et quid per duo Cherubim, nisi vtraque testamenta signantur? Quid verò propitiatorium, nisi incarnatus Dominus figuratur? De

De quo Ioãnes ita: Ipse est. n. propitiatio pro peccatis nostris. Et dum testamentũ vetus hoc faciendum denunciat, quod testamentum nouum de Domino factum clamat, quasi vtraq; Cherubim inuicem aspiciunt, dũ vultus in propitiatorium vertũt, quia dum inter se positum incarnatum Deum vident, à suo aspectu non discrepant, quę dispensationis eius mysterium concorditer narrant. Redditam ergò nobis eãdem intelligimus similitudinem, dũ, sicut duo Cherubim uersis vultibus in propitiatorium sese mutuo respiciunt, sic duę lectiones ex duobus testamentis, Euangelicam lectionem, qua propitiatorium nostrum, id incarnatum verbum prædicatur, concordibus testimoniis, & vno eodemque sensu respiciunt. Cur autem ad sanctam Mariam hoc officio statio celebretur, causa euidẽs est, s. quia de vtero hæc salus Iudę & Hierusalem expectata & susceptа est.

1. Ioan. 2.

Quòd Christus Dominica nocte natus sit. Cap. 16.

DOminica nocte natum esse Christum probabile est, quamuis sacra Euangelij de hoc historia tacuerit. Namque si per regulam cõputi retrò percurras, inuenies eius anni quo natus est, concurrentes quinque. Quos addẽs regularibus Decembris septem vel (vt compẽdiosius fiat) regularibus Ianuarij tribus, inuenies diem illum, quo Decembrem inchoamus, quintam fuisse feriam, & eum quo Ianuarium, primam, id est, diem Dominicam, sublatis videlicet septem ex eo numero, qui regularibus & concurrẽtibus compositis accrescunt. Cùm autem December quinta feria, vel Ianuarius inchoatur prima, necesse est diem natalis Domini, qui post calendas Decembris XXV. & ante calẽdas Ianuarij est octauus, primã feriã, id est, diẽ existere dominicã. Nocte ergo Dominica natus est Christus, consonante mirabiliũ suorũ ordine, vt quo die dixit, fiat lux, & facta est lux, eiusdẽ diei nocte exoriretur in tenebris lumẽ rectis corde, & visitaret nos oriẽs ex alto, illuminare his q̃ in tenebris sunt, & in vmbra mortis. Nocte verò congruè natus est, vt ipso die ortus sui tempore, ad illuminandã noctem nostram se aduenire signaret.

Pſal. 11.
Luc. 1.

Cur duæ Missæ ea nocte celebrantur. Cap. 17.

IDcirco nocte illius sacratissimã memoriam duæ Missæ à sanctæ memoriæ Thelesphoro Papa institutæ, decentissima veneratione illustrant. Verè Apostolica sanctæ Romanæ Ecclesiæ fides, quæ in vnius natiuitatis filij Dei anniuersaria nocte, geminæ natiuitatis, diuinę scilicet & humanæ gloriã, solennibus vigiliis, ita commemorari constituit, vt in honorẽ eius natiuitatis, qua ex vtero suo, id est, ex propriæ secreto substantiæ, Deus pater illum genuit ante luciferum, id est, ante angelicam naturam, & antequam quicquam faceret, primam Missam ordinaret, & in veneratione eius, qui per vterum virginis benedictus aduenit in nomine Dñi, secundum laudans & exultãs succineret.

Pſal. 109.
Pro. 9.

Cur tunc legitur, Liber generationis, ante primam Missam. Cap. 18.

HAc nocte ante missarum solennia legitur nobis, Liber generationis Iesu Christi, quod pulchro satis ordine & mystica sanctæ Ecclesiæ traditum est institutione. Ecce enim verè diuini structores ordinis, per huius seriẽ lectionis, scalam illã nobis repręsentant profundo noctis tempore, quam nocte dormiens Iacob vidit, cui summitate sua cælos tangenti Dominus innixus, eidem Iacob apparuit: & semini eius terram hæreditariã repromisit, quando pro eiusdem propagatione seminis ibat iussu patris sui, vt acciperet vxorem de domo & cognatione patris & matris. Nam vt de mortalitate nunc taceam, quo secundum hoc, quod omnia in figura contingebãt illis, scala illa prę figurauit, ex Dominus innixus (vt dictum est) apparuit, nisi generationẽ Iesu Christi, quam sanctus Euangelista diuino ore ita contexuit, vt per Ioseph ad Christũ peruenirет. Cui videlicet Ioseph, supremo scalæ gaudia Dñs paruulus innixus est. An nõ illi beato innixus est, qñ pupillus in hoc seculo, i. absq; carnali patre natus, solatio eius cũ puerpera matre sustẽtari dignatus est? Et vt cætera taceã, nõnè tunc vel maximè illi innixus est, quando ne ab inimicis Herode vel cęteris inueniretur, qui quæsituri erant animam eius, in Ægyptũ ab eodem nutricio suo deportatus est, iterumque defuncto Herode in terram Iuda relatus est? Cum igitur nos medio noctis, librum illum generationis Christi audimus, non somno corporeo, sed supernorum contemplatione dormiẽtes, iuxta quod sponsa dicit in Canticis: Ego dormio & cor meum vigilat: cùm, inquam, generationem illam audimus, tunc prædictam scalam nõ tam somniamus, quàm vigilanti animo & certa fide videmus. Et Dominum nostrum paruulum propter nos factũ, & per portã cæli, quam supremus gradus scalæ, scilicet beatus Ioseph, sponsali dignitate contingit, per portam, inquam, cæli, id est, per beatam Virginem egressum Dominum nostrum paruulum & vagientem, & eo modo, quo iam dictum est, scalę innixum audimus, nostram, id est, Gentium salutem pro magna benedictione promittentem, immo promissam adimplentem. Nam quod in illo somno Iacob audiuit dicentem Dominum, atque in semine tuo benedicẽtur omnes tribus terræ, hoc impletur in hac Christi generatione. Quod & verè diuinus Euangelista respiciens Raab meretricem, & Ruth Moabitem generationi huic nominatim inseruit, videlicet innuens, hoc quod Christus non Iudæis tantùm, sed & Gentibus, secundũ carnẽ venerit, quippe qui ex Gẽtibus

1. Cor. 10.
Matt. 2.
Cant. 5.
Gen. 28.

Universidad de Deusto
Biblioteca

matres habere dignatus sit, quod & prophetæ ante testati sunt, dicente Dauid : Memor ero Raab & Babylonis, id est, latitudinis confusarum Gentium. Raab enim latitudo, Babylon verò interpretatur confusio. Esaia verò dicente in visione super Moab : Emitte agnum Domine dominatorem terræ de petra deserti, ad montem filiæ Sion. Ac si apertè diceret : Emittes Domine agnum tuum Christum de medio Gentiũ, vt non glorietur carnalis Israel, q̃ proprius eius sit Christus: cui æstimationi eius hoc manifestè repugnet, quod tu eũdem Christum de Gentibus emittes ad montẽ filiæ Sion. Nam per petram deserti designatur Ruth Moabitis, quæ stans firmiter in petra solidæ fidei, patrios deos populumq; suum oblita venit cũ Noemi, iuncta viro Booz Bethleemitæ genuit Obed auum regis Dauid, in quo facta est & parens saluatoris. Duobus igitur ex populis, Iudaico scilicet & Gentili, patres progeniti, tamquam duobus scalæ lateribus, diuersi gradus inserti Christum Dñm sustinent, egressum à summo cœli, omnesq; Angeli sancti descendunt, & ascendunt per eam, & omnes electi prius ad suscipiendam incarnationis eius fidem humiliantur, vt postmodum ad videndũ diuinitatis eius gloriam subleuentur. Vnde & alibi ipse Dominus: Amen, inquit, dico vobis, videbitis cœlum apertum, & Angelos Dei ascendẽtes & descendentes supra filium hominis, i. subportante & subleuante filio hominis, videbitis sanctos omnes ascendentes ad Deum, apertis sibi cœlorũ clausstris per redemptionem filij hominis, & vt post ascendere possint, prius descẽdere ad orationem crucis vel passionis eius in spiritu humilitatis. Vtrumque. s. ascensum hũc & descensum Matthæus & Lucas innuere videtur, dum alter eorum descendendo, alter verò ascendendo Christi generationẽ contextuit: quia videlicet factus homo Deus, dum vagit in cunis, inuitat nos vt humiliemur exemplo suæ humilitatis, baptizatus autem, dum cœlestibus incipit coruscare miraculis, humiles suscitat ad intelligendam gloriam suæ diuinitatis.

Pſal. 86.
Eſa. 16.
Ruth. 14.
Matt. 1. Luc. 3.
Gen. 28.

Lecta tãdem prædicta generatione Christi, protinus laudem Deo solennem chorus Ecclesiæ concrepando succinit. Et meritò. Si. n. Iacob, cùm euigilasset à somno, ait: Verè Dñs est in loco isto, &c. Si, inquam adeò demiratus est propter vmbram uel figuram futurorum, quæ in somnis viderat, quanto magis nos peractam rei veritatem intuentes, excitari debemus in laudem, & vocare locum hũc, i. sanctam Ecclesiam Bethel, i. domum Dei, vbi verè non est aliud nisi domus Dei, & porta cæli, s. non aliud quàm beata progenies, & gloriosa Virgo, quę cæli regem genuit? Et si ſtatim surgens Iacob tulit lapidem, quem supposuerat capiti suo, & erexit in titulum, fundẽs oleum desuper, quanto magis nos cõfestim, vbi nobis hæc generatio recitata est, attollere debemus summis laudibus lapidem summum, angularẽ, pretiosum, quem supposuimus capiti, id est, cordi nostro, vt stabile fundamentum, & super illum fundere oleum pię confessionis & deuotę gratiarum actionis? Benè ergò statim Missarum solennia celebramus, & sicut viñ sunt Angeli ascendentes, & descendentes, nos quoque ascendimus per fidem: primam Missam (vt dictum est) in laudem diuinæ Natiuitatis, secundam cantantes in confessione & honore humanæ, quam propter nos subiit, generationis.

1. Pe. 2.

Cur Euangelista Christi generationem ita contexuit, vt illam ad Ioseph potius, quàm ad Mariam deduceret. Cap. 19.

QVærat nũc fortè aliquis, cur Euangelista, cùm posſit ab Abraham vel Dauid illam tenere lineam generationis, qua carnalem beatæ Virginis patrem, & ipsam Virginẽ matrem, filiumq; contingeret ex se nascentẽ, cur ita contexere maluit, vt ad Ioseph descenderet, qui sine dubio carnalis pater Christi non est? Ad quod respondendum, q̃ sic rectè fieri debuisset, si hoc Euangelista intendisset, quos vel quales per patres carnalem Dauid vel Abrahę generationẽ caro Christi contingeret. Sed nõ hoc intẽdit, quippe cũ non sit tã magnũ carnaliter Christi esse propinquum, vt Euangelico ore opus esset per totum mundum declamari. Siquidem multi & carnaliter eius propinqui & mali esse potuerunt, de quibus dicit : Amici mei & proximi mei aduersum me appropinquauerunt. Quid ergò potius intendit? Illud vtique, vt eorum prosapiam texeret Deorum, de quibus Psalmista : Egò dixi dij estis, & filij excelsi omnes : quos ipse Dominus in Euangelio testatur deos esse dictos, quia ad eos sermo Dei factus est. Constat verò sermonem Dei, qui ad illos factus est, non aliũ esse quàm hoc verbũ, quod caro factũ est, cuius incarnationẽ aut ipsi per Spiritum sanctũ, vt Abraham, Dauid, aut per prophetas ad se missos audierunt, vt Achaz, cui cùm dixisset propheta: Pete tibi signũ à Dño, paulò post intulit: Ecce virgo concipiet & pariet filium, &c. Igitur illã ob causam generationẽ huiusmodi contexuit, quia per illos, aut ad illos huius incarnationis promissio facta est. Nec verò dubiũ, quin illorũ omnium primus Abrahã, vltimus B. Ioseph extiterit: ad quem tunc idẽ sermo factus est Dei, quando illi dictum est: Ioseph fili Dauid, noli timere accipere Mariam coniugem tuã. Notandum diligenter, quod dicitur. Cùm in hac generatione Dauid atq; Abrahã cæteris insignius nominati sint, dicẽte Euangelista: Liber generationis Iesu Christi, filij Dauid, filij Abrahã. Hic quoque B. Ioseph non natura carnis, sed affectu & officio, pater Dñi non minus excellenter nominatur, cùm in eadem generatione appellatur vir Mariæ

Pſal. 37.
Pſal. 81. Ioan. 10.
Eſa. 7.
Matth. 1.

Mariæ. Hic autem dicitur ei ab angelo: Ioseph fili Dauid, &c. Cùm ergo sint tres primi, tres nominatissimi, Abraham, Dauid, Ioseph nominati, inquam, inter omnes, ad quos repromissio facta est, quærendũ summoperè est, quo Euangelista intendit, vt istos excellentius nominaret. Nimirùm repromissionis incrementa considerauit, quibus Christus, homo, rex atque Deus, diuersis temporibus istis tribus repromissus est. Nam Christum, quæ ad Abraham repromissio facta est, hominem verum protestata est: In semine, inquit, tuo benedicentur omnes gentes. Quæ autem ad Dauid facta est, non solum hominem, sed & regem fore signauit. De fructu, inquit, ventris tui ponam super sedem tuam. Quæ verò ad beatum Ioseph facta est, manifestè Deum pronunciat. Paries, inquit, filium, & vocabis nomen eius Iesum: Ipse enim saluum faciet populum suum à peccatis eorũ. Saluare enim à peccatis solius Dei est. Hæc eadem tria, id est, mortalem hominem regem, atque Deum tres magi postmodum mysticis muneribus testati sunt, mira sancti Spiritus operante gratia, vt quæ diuersis temporibus genti Iudaicæ promiserat, eadem cuncta subitò addisceret bruta quondam & indocta gentilitas. Igitur benè & quomodo cœlestium mysteriorum inspectatorem decuit, sic sacra Christi generatio cõtexta est, vt deduceretur ad Ioseph, ad quẽ (vt dictũ est) vltima quidẽ, sed optima repromissio facta est, quæ sic finitur: Ipse enim saluũ faciet populũ suũ à peccatis eorũ. Quod & proinde vel maximè delectat, quod hæc eadem generatio, quasi longa linea piscatoris, seculi huius fluctibus iniecta est, in summo hamũ ferreum habens in esca, id est, verum Deum in carne vera ad capiendum Leuiathan, serpentẽ magnum, humanas, velut pisces exiguos, deuorantem animas. Constat verò, quia non carni, sed ferro linea piscatoris innexa est. In hoc igitur similitudinis pulchritudo perfecta est, quod sæpè dicta saluatoris prosapia, non secundum carnalem genituram ad Mariam deducta est, sed secundum diuinam propinquitatem peruenit ad Ioseph: qui cùm Christi non carnalis sit pater, sed fidei, & supradictæ promissionis penultimus hæres, quasi non carni, sed hamo ferreo linea subligata est.

Gen. 22.
Pſal. 131.
Matth. 1.
Iob. 40. Eſa. 27.

Superius iam dictum est, Dominica nocte Christum natum fuisse, videlicet, vt qua die dixit Deus, fiat lux, & facta est lux, eadem die vera nobis lux in tenebris exoriretur. Addere nunc libet & illud, quòd hic idem mirabilis Plastes noster, qui, vt dictum est, Dominica nocte natus est, feria sexta conceptus est. Nam si superius scriptos illius anni quinque concurrentes vni Aprilis regulari adijcias, fiũt sex. Cùm autem sexta feria mensis Aprilis incipitur, profectò octauo calendas Aprilis sexta nihilominus feria habetur, quando Dominicam annunciationem habemus. Igitur pium atque pulchrum ordinem prouidamq̃ dispositionem,

in hoc salutis nostræ opificem irantes veneramur, qui die, qua veterem formauit Adam de limo terræ, nouum sibi reformare cœpit hominem de vera carne virginis Mariæ, eadem nihi lominus die redempturus mortis passione.

Gen. 2. Luc. 1.

De Officio primæ Missæ. Cap. 20.

PRimæ namque Missæ officium, Dominus dixit ad me, filius meus es tu, ego hodie genui te, diuinam filij Dei natiuitatem penè per omnes partes suas manifestè commemorat. Nam hodie (vt ait beatus Augustinus) quia præsentiam significat, atque in æternitate nec præteritum quicquam est, quasi esse desierit, nec futurum, quasi nondum sit, sed præsens tantùm, quia quicquid æterni est, semper est: diuinitus accipitur secũdum id dictum, Ego hodie genui te, quo sempiternam generationem virtutis & sapientiæ Dei, quæ est vnigenitus filius, fides sinceriſſima & catholica prædicat. Cum ergo toties hoc ex persona Dei patris venerabile dictum repetitur, in introitu, in graduali in alleluia, & in communione. Nam offerenda: Lætentur cœli, lætantibus angelis, & gloria in excelsis canentibus succinit, & in collectis natiuitatis quidem Domini commemoratio fit, sed incarnatio verbi nec in illis adhuc exprimitur, sed magis claritas veri luminis, perspicuè diuinam præcipuè generationem, filij Dei obsequium huius veneratur officij. Quomodo ergo consonat Euangelio, manifestè humanam eius natiuitatem enarranti? Planè per vnum illud dictũ splendidæ & venerandę dignitatis, quod impurus Heluidius cæcis non videns oculis, & venerari nesciens, in contumeliam vertit intemeratæ & perpetuæ virginis. Hoc enim ibi legis, Et peperit filium suum primogenitum. Heluidio quidem putidè argumentanti, quòd alios Beata Maria filios habuerit de Ioseph, qui fratres Domini dicti sunt, eò quod primogenitum illũ Euangelista dixerit primogenitum non dici asserens eum, cui fratres nõ sunt, atq; per illud antecedens consequenter hoc debere recipi. Benè & disertè responsum est à Beato Hieronymo, primogenitum esse, omne quod vuluam aperit, omnemque vnigenitum esse primogenitum, sed non conuerti: non enim omnis primogenitus est etiam vnigentus. Cæterum venerabilius accipiendum est, neque Euangelistam disertissimum tam superfluè primogenitum posuisse, vt ad matrem referret, quam virginem matrem esse, quod longè maius est, quàm cuiuis matri sit primogenitum parere, tota superiori narratione firmauerat. Beda quoque super eundem Lucam idipsum sentiente. Nã primogenitus est omnis creaturæ dominus Christus, Dei virtus & sapientia, quæ dicit: Ego ex ore Altissimi prodiui, primogenita ante omnẽ creaturam. Ipse enim, qui secũdum humanam naturam post Ioannem, & post alios multos sanctos venit, secũdum altiorem gloriã, & gratiæ

In prima Missa diuina Christi natiuitas præcipue commemoratur.
Pſal. 95.
Error Heluidij de primogenito.
Luc. 2.
Responsio S. Hieronymi contra Heluidium.
Alia responsio sup primogenito ante omnẽ creaturam.
1. Cor. 1. Eccleſ. 24.
Rom 8.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Esa.53.

Iæ in labiis suis diffusæ priuilegium, primogenitus est in multis fratribus. Ita ergo accipiendum est,& sic distinguendum: Et peperit filiũ suum primogenitum, subauditur enim, ante omnem creaturam. Quam generationem eius quis enarrabit? Quamobrem non potest fieri, vt iuxta tenorem supradicti ordinis, quæ in cantu laudatur vel memoratur diuina natiuitas in lectionibus enarretur.

De Officio secundæ Missæ. Cap. 21.

Luc. 2. *Pastores animarum quid annũcient.* Psal. 94.

SEcundæ Missæ officium, totum dictis pastorum consonat dicentium: Transeamus vsque Bethleem, & videamus hoc verbum, &c. Pastores animarum, quarum illa vox est: Nos autem populus eius & oues pascuæ eius: pastores inquam, sancti, qui vigilantes & custodientes vigilias noctis, id est, vitæ præsentis, supra gregem Dominicum, legendo & canendo eruditi animas eorum: referunt eidem gregi suo, quod viderint in Bethleem, id est, in domo panis, videlicet eius qui de cælo descendit. Et gratulantes dicunt: Lux fulgebit hodie super nos, &c. Et subiungitur: Dominus regnauit, decorem indutus est. Dũ enim Dominus Deus homo factus est, regnauit super nos, illum indutus decorem, de quo alibi dictum est: Egredimini filiæ Sion, & videte regem Salomonem in decore, quo coronauit eum mater sua. Ipsa namque humanitas, quã propter nimiam charitatem suam, qua dilexit nos, induit diuinitas, ornatus est, ornatus miserationis, diadema pietatis, corona gloriæ, decor gratiæ, pulchritudo charitatis. Quæ deinde sequuntur, cuncta ad eundem spectant sensum. Duæ lectiones, spiritus Domini super me. Apparuit benignitas, tamquam duo Cherubin (vt supra dictum est) claris & apertis vultibus, id est, sensibus in illud respiciunt in Euangelio, quod est incarnatus Deus, propitiatorium. Ipse in graduali benedicitur, in alleluia decorem indutus, de quo dictum est, prædicatur: in offerenda orbem terrę firmasse laudatur, eundem, qui in Euangelio per Bethleem, id est, domum panis, figuratur, videlicet sanctam Ecclesiam, quam in eo firmauit, quod ipse homo natus est in ea, qui fundauit eam altissimus, & ex tunc parata est sedes eius, ex quo in illa homo natus est, qui à seculo Deus est. Ipsa est eadem Bethleem domus eius, quam decent sancta in longitudine dierum. Et quia primus paries ex Hebræis est, quorum primitiæ supradicti pastores fuerunt, communio benè congruit: Exulta filia Sion. Propriè namque Ecclesia, quæ ex Hebręis est, filia Sion & filia Hierusalem dicitur. Ideo maximè, quia in Sion (quę & Hierusalem) templum & sancta eorum erant. Vtraque Missa statio ad sanctam Mariam esse debuit, sed causa intercurrit, vt ad sanctam Anastasiam ageretur, videlicet passio eius, quæ Romanarum nobilissima matronarũ, sub Diocletiano imperatore post longum laborem castitatis, & ministerium sanctorum, post diutinos carceris squalores, tandem per manus & pedes extensa, & ad palos ligata, circumposito igne cremata ipso die natalis Domini cælo nata est.

Ioan. 6. *Introitus.* Esa. 9. Psal. 92.

Cant. 3. *Corona Christi, est eius humanitas* Ephe. 7.

Duæ Epistolæ. Esa. 61, Tit. 3.

Exo. 23. Psal. 92.

Bethleẽ figura ecclesiæ. Psal. 86. Psal. 92.

Filia sion, ecclesia ex Iudæis. Ephe. 2. Luc. 12. Zach 9.

Statio ad sanctam Anastasiam.

De Officio maioris Missæ. Cap. 22.

DIe sancto natalis Domini principalis illa clangoris Euãgelici tuba personat, quam Spiritus sanctus perflans, maiore animauit gratia, dicens: In principio erat verbum, & verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum, & verbum caro factum est, & habitauit in nobis. Hæc est tuba illa mirabilis, quæ dum caneret in Sion, vocauit gentes, annunciauit populis, annunciauit in finibus terræ & in insulis (quæ procul erant, quia longè à Domino recesserant) Dominum & saluatorẽ nostrum aduenire dixit. Hic, inquam sonus ille magnus cęlorum, gloriam Dei enarrantium, qui in omnem terram exiuit: hic tonitrus firmamenti, opera manuum eius annuntians, qui verba cęlorum eloquentium in fines terræ fecit auditi, scilicet quòd verbum Deus, Deus absconditus, in sole posuit tabernaculum suum, procedens tamquam sponsus de thalamo suo. Nuntiat enim gentibus cunctis pedibus pulchris, apportantibus nuntium bonum, prędicationẽ pacis, annunciationem salutis. Erupit inamque de angustis Iudęæ finibus, in qua sola notus erat Deus, & de carnali Israel, in quo solo magnum erat nomen eius: & hoc salutare Dei Euangelica tuba cunctis locuta est gentibus, nec iam sunt loquelæ neque sermones, quorum non audiantur supradictæ voces cælorum. Hoc est quod in introitu secundum prophetam canimus: Puer natus est nobis, & filius datus est nobis. Hæc mirabilia, quorum causa in subiunctione cantare Domino canticum nouum debemus. Hoc illud est brachium, quod secundum prophetam huius diei lectionem, parauit Dominus in oculis omnium gentium: Hoc salutare Dei nostri, quod omnes fines terrę viderunt: Hoc illud est quod secundum consequentem lectionem Apostolicam, nouissimè diebus istis locutus est nobis Deus in filio, qui multifariam multisq; modis olim patribus in prophetis locutus est. Sic secundum graduale, viderunt omnes fines terrę salutare Dei nostri, & notum fecit Deus salutare suum. Sic secundum alleluia, lux magna descendit super terram, quia verbũ Deus, lux vera Deus, qui illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum: descendit per nubem carnis, descendit super terrenam cõuersationẽ nostram. Hæc omnia per se satis elucent, quòd prædicto Euangelio capiti suo consonent. Vnum est quod quæsitu dignum est, scilicet offerenda, in qua dominatio & potestas domini nostri Iesu Christi, magni & metuendi iudicis regisq victoriosi prædicatur, maximè in eo versu: Tu humiliasti sicut vulnerati superbum.

Euangelia Ioannis. Ioan. 1.

Esa. 66.

Ephe. 2. Psal. 18. In omnem terram exiit sonus eorum. Esa. 51. Rom. 10. Psal. 75.

Introitus. Esa. 9. Psal. 9. Esa. 52. Duplex epistola. Heb. 1.

Graduale. psal. 97.

Alleluia.

Offerenda. Psal. 88. Esa. 8.

superbum. Nam arbitraremur, totum hoc officium ad solam noctem illam respicere, qua Dominus natus est. Sed in illa nocte necdum sciebat puer, qui natus est nobis, vocare patrẽ, aut matrem videlicet per ætatem susceptę carnis. In hac autem offerenda, & in supradicto maximè versu, illa fortitudo laudatur, qua secundum illud propheticum nomen suum, accelera, spolia detrahe, festina prædari, superbũ diabolum humiliauit sicut vulneratum, & ascẽdens in altum & captiuam ducens captiuitatẽ, inimicos suos dispersit in virtute brachij sui, quòd vltimam præmissi particulam spectat Euangelij, qua dictum est: Et vidimus gloriam eius, gloriam quasi vnigeniti à Patre: Plenum gratia & veritate. Nam gloria hæc est incarnati verbi, quòd spolia detraxit, & festinanter infernum deprædatus est. Igitur non tantum vagitus infantis & præsepe absconditum spectat hoc officium, sed sonus est Apostolorum, qui in omnem terram exiuit, dicentium: In sole posuit tabernaculum suum, totumq; annum Domini acceptabilem prædicantium, totam salutem annuntiãtium, quam fecit verbum cãro factum. Vnde cum pro excellentia tantæ diei, tum & ideo, quia beatus Petrus Apostolus hoc salutare Dei nostri primus vidit, primusque confessus est, reuelante sibi patre, qui in cælis est, & Romanæ arci nuntium bonum princeps intulit, iure apud ipsum statio fit. O verè magnum sacramentum pietatis, quod manifestatum est in carne, iustificatum est in spiritu, apparuit Angelis, prædicatum est gentibus, creditum est mundo, assumptum est in gloria. Pulchrè cum legit hoc, vel quicquid sanctum Christi continet Euangelium, penè omnibus Ecclesijs hæc vetus cõsuetudo est, vt diaconus tamquàm ab austro veniẽs, ad aquilonẽ stet conuersus. Ecce enim ab austro venio, dicit Dominus. & Abacuc, Deus, inquit, ab austro veniet: Ab austro quippe venit, quia ex operatione Spiritus sancti, venit, & incarnatus est filius Dei, & per Spiritum sanctum semetipsum obtulit hostiam Deo in odorem suauitatis. Pulchrè ergo diaconus, tantam salutem recitaturus, ad aquilonẽ conuertitur; vt per hoc indicet, quòd quando hoc salutare Dei missum est gentibus, fortis contra diabolum legatio directa est, quod Deus dixerat, dicam aquiloni, da.

Deprædatio inferni per Christum. Ibid. Psal. 67.

Ioan. 1.

Psal. 18.

Statio ad sanctum petrum. Matt. 16.

2. Tim. 3.

Cur diaconus ad aquilonem versus legit Euangelium. Abacuc. 3.

Ephe. 5.

Esa. 43. Esa. 52.

Reuocandi ad fidem Iudæi in fine seculi. Rom. 11.

De Officio dum medium silentium. Cap. 23.

DIe natalis Domini officium, gaudium est, vt diximus, gentium, quæ omnes viderunt salutare Dei, & quarum assumptio vita est ex mortuis scilicet Iudæis: hoc autem certe diei sedem non habens, & penè viduum reuocandorum in fine seculi præconium est Iudæorum. Non enim gloriari debet oleaster aduersus ramos bonæ oliuæ, quod propter incredulitatem fracti sunt & ceciderunt. Ipse autem contra naturam insertus est, & fide stat. Neque dignum est, vt exultet iunior frater, quod se recepto & conuiuante cum patre, maior frater iratus ingredi recusat: sed inter conuiuia rogat patrem suum, vt exeat, & blandis delinitum monitis introducat. Hęc ita esse vel ex communione præsentis officij satis elucet. Tolle, inquit, puerum & matrem eius, & vade in terram Iuda: defuncti sunt enim qui quærebant animam pueri. Nunc enim puer ille, scilicet incarnatus Deus, reliquit domum suam, & dimisit hæreditatem suam: quia sicut scriptum est: Ascendens super nubem candidam, ingressus est Aegyptum, abiit ad gentes: quæ antiqui Pharaonis, id est, diaboli fuerant regnum. Tũc autem defunctis his, qui quærebant animam eius, id est, sopita modernæ inuidiæ flamma, qua sanctorum eius animas quæsierunt & sanguinem fuderunt in terram suam, id est, in suæ gentis notitiam, reuertetur. Tunc inquam, iuxta mysticum Euangelij sensum, illato Iesu in templum, id est, in synagogam Iudæorum per fidem: Erant pater eius & mater, scilicet omnis parentela eius carnalis, mirantes super his, quæ dicuntur de eo. Et benedixit illi Simeon, id est, ille populus iam iustus & timoratus, atque ita qui nunc positus est in ruinã, tunc ponetur in resurrectionẽ in Israel. Cuius aduentus, quia sciri à nobis non potest, tempus meritò nocti comparatur, atque ideo in introitu: Dum medium silentium, quod præteritum est, canitur propter hoc simile futurum. Tunc implebit id, propter quod misit Deus filium suum factum ex muliere, factum sub lege, vt eos, qui sub lege erant, redimeret: & liberabitur hæres, qui adhuc paruulus intellectu, sub elementis, id est, literali sensu seruiens detinetur. Tandemque obtinebit regnum & sedem Dauid patris sui ipse, de quo in graduali canitur: Speciosus forma.

Luc. 15.

Mysterium reditus Christi ex Aegypto. Matt. 2. Hiere. 11. Esa. 19.

Mysterium de patentibus & simeone. Luc. 2.

Sapi. 18.

Gal. 4.

Psal. 44.

De Sancto die Epiphaniæ. Cap. 24.

SAnctus dies Epiphaniæ, cum tribus ex causis sit celebtis ea namque die à Chaldęis Dominus est adoratus, itemque annorum triginta iam esse incipiens, à Ioanne baptizatus est, atque redeunte anno ex aqua vinum fecit ad nuptias: cum, inquam, tribus ex causis his sit celebris: Primam secundum diturni officij solennitatem rationabiliter accepit. Videtur in his tribus excedere, quod Dominus baptizatus est à Ioanne: propter quod & Græci baptismi sacramentum hac die numerosius atque solennius celebrare feruntur. Verùm sancta Romana Ecclesia, semper illa reuelationę, qua Petrus Christum filium Dei cognouit, illustrata, consuetudinem hanc vitandam esse proclamat scriptis euidentibus. Dicit enim Leo magnus, scribens vniuersis Episcopis per Siciliã constitutis, inter cætera: Miror vos vel præcessores

Tres causæ huius festi Mat. 2. Lucæ 3. Ioan. 3.

Non in Epiphania, sed in pascha te celebrari debet baptismus.

Universidad de Deusto
Biblioteca

fores vestros tam irrationabilem nouitatem vsurpare potuisse, vt confuso temporis vtriusque mysterio, nullam esse differentiam credere-
Matth. 16. Verba Leonis primi. De cons. dist. 4. cap. propire. Rom. 6. tis inter diem, quo adoratus est Christus à Magis, & diem, quo resurrexit à mortuis. Ac deinceps: Propriè, inquit, in morte crucifixi, & in resurrectione ex mortuis potentia baptismatis nouam creaturam condit ex veteri, vt in renascentibus & mors Christi operetur & vita, dicente beato Apostolo: An ignoratis, quia quicumque in Christo Iesu baptizati sumus, in mortem ipsius baptizati sumus? Consepulti enim sumus cum illo per baptismum in mortẽ. B Et post pauca: Ipsa igitur operis qualitas docet celebrandæ generaliter gratiæ diem esse legitimum, in quo orta est & virtus muneris, & species actionis. Ad cuius rei confirmationem plurimum valet, quòd ipse dominus Iesus Christus, postquàm resurrexit ex mortuis, discipulis suis, in quibus omnes ecclesiarum præsules docebantur, & formam & potestatem baptizandi tradidit, dicens: Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine patris, & filij & spiritus sancti. De quo vtiq; eos etiam
Matth. 28. ante passionem potuisse instruere, nisi propriè voluisset intelligi, regenerationis gratiam ex sua resurrectione cœpisse. Item post aliquа. Si quis autem Epiphaniæ festiuitatem (quæ in suo ordine debito honore veneranda est) ob hoc existimat habere priuilegium baptismatis, quia hoc quidam putant, quòd eadem die Dominus ad baptismum sancti Ioannis accesserit, sciat illius baptismi aliam fuisse gratiam, aliam rationem: nec ad eandem pertinuisse virtutem,
Minus efficax Ioānis quàm Christi baptismus. qua per sanctum Spiritum renascuntur, de quibus dicitur: Qui non ex sanguinibus, neque ex
Ioa. 1. voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed D ex Deo nati sunt. Dominus autem nullius remissione indigens peccati, nec quærens remedium renascendi, sic voluit baptizari quomodo & circuncidi, hostiamq; emundationis pro se offerri: vt qui factus erat ex muliere, sicut
Luc. 2. Gal. 4. Matt. 5. Apostolus ait, fieret sub lege, quam non venerat soluere, sed adimplere, & adimplendo finire: & sicut beatus Apostolus prædicat, dicens:
Rom. 10. Finis autem legis Christus ad iustitiam omni
Col. 1. credenti. Baptismi autem sui in se condidit sacramentum, quia in omnibus primatum tenẽs, se docuit esse principium: & tunc regenerationis potentiã sanxit, quando de latere eius fluxerunt E
Ioan. 19. sanguis redemptionis & aqua baptismatis. Nõ ergo in tribus causis illud emineт, quod Dominus à Ioanne baptizatus est: quia nõ tũc, sed quando de latere eius sanguis & aqua profluxerunt, baptismi sui nobis condidit sacramentum. Eminet autem & præcipuum est illud, quod à Magis vtique gentilibus adoratus
Adoratio Magorum præcipua huius festi. Ephe. 2. est, & illuminatarum cordibus gẽtium magnã spiritualium præstat materiam gaudiorũ. Gentium namq; primitiæ iam tũc in illis assumptę sunt. Assumpsit enim illos pax nostra, quæ fecit vtraq; vnum Deum & hominem in se vnum A Christum, Iudæos atque gentiles in vnum coniungens populum. De hoc ergo dignè totum Missæ compositum est officium, in quo sancta Ecclesia de gentibus electa, pro suæ vocationis initio gratiosum Deo pro sua salute laudis offert præconium. Tota verò laudum materia, dona sunt regum, aurum thus & myrrha. Dona quippe illa fuerunt, fide fœcunda cælesti magisterio disposita, per Spiritum sanctum intellecta. Quid enim cælesti magisterio dignius, quàm auro regem, thure Deum, myrrha confiteri mortalem? Nihil tale paries ille de proximo contulit, qui de Iudæis veniens, in pastoribus angulari lapidi primus sese coniunxit. Nec mirum: illos enim, scilicet Iudæos pastores, angelicum instruxit magisterium: Hos autem, videlicet gentiles, nouam stellam suscipientes, solum diuini Spiritus inuisibiliter per docuit oraculum. Bene ergo regum munera sanctę Ecclesiæ fidem integerrimam testantia, totum huius diei officium propheticis testimoniis & laudibus personat, veneratur, honorat. De tertia iam dictæ festiuitatis causa scilicet de eo, quod Dominus vinũ fecit de aqua, quę-
Mysterium Magorum in tribus donis. Luc. 2. ri solet, qualiter eodem die, qua Dominus baptizatus est, factum esse conueniat. Dominus namque qua die baptizatus est, neque discipulos elegit, neq; miracula fecit, sed statim ductus est in desertum à spiritu suo, vt tentaretur à diabolo: vbi & quadraginta dierum celebrauit ieiunium, atque inde reuersus, tum demum discipulos elegit, quos & doctrinis instrueret & miraculis confirmaret. Numquid annũ suæ, ætatis trigesimum cuius in initio baptizatus est, totum sine discipulis exegit, & ita redeunte anno eadẽ die illud admirabile signum primum coram discipulis fecit? Ita sanè, credendum est, quomodo tria hæc, quę superius dicta sunt, vna die celebrata esse secundum sanctæ Ecclesiæ auctoritatem negare non possumus. Nam antequam Ioannes traditus esset, Chri-
Luc. 14. Ibid. stus neq; publicè prædicauit, neq; duodecim Apostolos elegit. Apertè quoque liquet secundum Lucæ narrationem, quòd egressus in virtute Spiritus in Galileam publicè prædicans, non statim discipulos elegit, sed ita docebat in synagogis Iudæorum, & magnificabatur ab omnibus, & omnes testimonium illi dabant, & mirabantur in verbis gratiæ, quæ procedebant ab ore ipsius. Et ante persecutionem passus est, ita vt ad præcipitium duceretur, fugiensque de ciuitate in ciuitatem docebat per synagogas sabbatis. Ante & socrum Simonis, quæ tenebatur magnis febribus, curauit, & alia nonnulla fecit, propter quæ dixerant ei conciues sui venienti Nazareth, vbi nutritus fuerat: Quanta audiuimus facta in Capharnaum, fac & hic in patria tua. Tribus igitur miraculis ornatum sanctum diem Epiphaniæ colimus. Nam, vt cãtauimus, hodie stella Magos duxit ad præsepia, hac die Christus à Ioanne baptizatus est, hac die ad nuptias vinum ex aqua factum est. Breui itaque,
Christus per annum fine discipulis fuit, ex quo baptizatus est.
id est,

Tres dñi cæ post Epiphaniã qd tractant. id est, tredecim diebus, triginta annorum ætatis eius commemoratur. Reliqui tres anni, quibus ipse prædicauit, miraculis diuinitatem suã declarauit, tribus illis, quæ sequũtur post Epiphaniam, dominicalibus commemorãtur officijs. Quæ ideo ad Epiphanię, id est, manifestationis rationem pertinent, quia quęcunque per tres suę prędicationis annos cælestia diuinitatis suæ sacramenta docuit, quæcunque manibus suis tornatilibus & aureis, id est, facilè operantibus & diuinis fecit, documenta fuerunt, quibus vera per carnem diuinitas innotuit. Vnde in prima Dominica illud ponitur Euangelium, in quo primum testatus est, patrẽ se habere Deum, dicens parentibus suis. Quid
Cant. 5. Luc. 2. est qđ me quærebatis? Nesciebatis quia in his, quę patris mei sunt, oportet me esse? In secũda verò legitur Euangelium, quo inuitatus ad nuptias aquas conuertit in vinum. Quod verè magnum diuinitatis fuit indiciũ: solus enim Deus
Ioan. 2. 2. Cor. 15. mutare potest naturam, & nostrę reparationis (qua mortale nostrum induet immortalitatẽ, & corruptio incorruptelam possidebit) venerabile signum, pulchrumque & conueniens signorum eius, fuit initium. In tertia nihilominus Dominica, qua dicimus, atque ad protegendum nos dexteram tuæ maiestatis extende,
Matth. 8. secundum extensionem manus, qua tetigit leprosum dicens: Volo, mundare. Vera diuinitas eius secundum fidem Centutionis elucet, dum absens corpore sanans puerum Centurionis, Deum se esse designat, qui prẽsens est vbique. Tribus igitur dominicalibus officijs
Domini manifestatio, scilicet
tota trium annorum eius
prędicatio com-
memora-
tur.

A *Cur in Purificatione S. Mariæ candelas portemus. Cap. 25.*

IN Purificatione sanctæ Mariæ ideo candelas portamus, vt fœlici gaudio iusti Simeonis aliquatenus participemur, qui Christum infantem gestans in vlnis agnouit, & confessus est paratum ante faciem omnium populorum, lumen ad reuelationem gentium: Hoc enim signo commoniti exterius, ipsum verum lumen, quod illuminat omnem hominem venientem B in hunc mundum, in mente nostra fidei vlnis arctius astringimus, & absentiam eius corporalem, sursum tendentibus desiderijs, gementes quærimus, quærentes gemimus. Profectus nam que in cælum est, antequam hinc abiret, iam supra infantiam, in qua portatus est à Simeone, ætate & sapientia profecerat. Eius igitur visibile signum portamus omnes in manibus, quẽ iam vihibiliter portare, sicut Simeon, nec necesse habemus, nec possumus. Benè autem consecrati cereoli, id quod visibile erat Christi nobis significant. Nam sicut apes ceram cum mel-
C le virginali producit opere, sic Maria virgo Christum, Deum & hominem, salua vteri sui genuit integritate. Apes namque neque vllo concubitu miscentur, neque libidine soluuntur, nullis partus doloribus concutiuntur, & subitò magnum filiorum examen emittunt, de folijs & herbis ore suo prolem legentes. Conuenienti igitur signo, vectationẽ infantis Christi, prout possumus, imaginamur, beatitudinẽ eius corde & ore prædicantes, qui tam diu vixit, vt Chri-
D stum Dominum videret, vidit vt adoraret; adorauit, vt in pace dimissus, feliciter hinc abiret.

Cãdelę gaudij signum. Luc. 2. Ioan. 1. Virgineus partus Mariæ per cereolos designatur.

LIBRI TERTII FINIS.

RVPERTI ABBATIS TVITIENSIS DE DIVINIS OFFICIIS, LIBER QVARTVS.

De Septuagesima. Cap. 1.

E IN hoc capitulo multa quærenda sunt, videlicet quòd vocetur Septuagesima, & cur vocetur hoc nomine, qua ratione ante passionem Domini celebretur, & cur alleluia de ore Ecclesię tollatur. Hæc omnia tam veras tamq; certas habent rationes, vt quicquid aliud dixeris, recalcitret vndique tuta veritas, & oppositorum vel repugnantium multitudine inopem & deficientem conscientiam reuerberet. Verbi gratia, cùm dixeris septuagesimam ideo nominari, quòd ab hac Dominica vsque ad sabbatum, quo albę deponuntur, septuaginta dies computentur, & per hos dies significari captiuitatem nostram, qua peregrinamur à Deo in hoc seculo: Illud statim valde repugnans nostræ computationi occurrit, quòd dies Dominicę resurrectionis, nobilitas anni, decus mensium, arma dierum, hunc intra numerum computentur. Quis enim dies indignius captiuitatem significare videtur, quàm ille, quo victo captiuatore, Dominus resurrexit? Quis dies liber
2. Cor. 5. Ephes. 4. tatem significare merebitur, cùm primus Dominicæ resurrectionis dies sexagesimus quartus occurrat in numero dierum, qui captiuitatem nostram significant, significatam quondam totidem annis, quando populus Dei sub Nabucho-
Septuagesima quõ cõputari non debet.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Hie. 25. 29. Dan. 9.

Nabuchodonosor fuit exul in terra Babylonis? Itemque & illud repugnat, quòd cùm à prædicto sabbato Dominica hæc septuagesima sit sequens Dominica (quam sexagesimam dicunt) nullo modo sexagesima est, & quinquagesima nullo modo quinquagesima est, & quadragesima nullo modo quadragesima est. Quid ergo septuagesimam nominemus, altius atque constantius pandendum est.

Quid septuagesimam nominemus. Ca. 2.

Septuagesima à septé dominicis.

SEptem Dominicas continuè sequentes magnis ac mysticis officijs insignes, septuagesimam nominamus, quarum in prima clamat homo à Paradisi felicitate & à creatoris sui facie proiectus: Circundederunt me gemitus, &c. In septima, redeunte de peregrinatione hac & de conualle lachrymarum, dicitur voce prophetica: Lætare Hierusalem, & diem festum agite, qui diligitis eum, &c.

Gen. 2.

Cur septuagesimam nominemus. Cap. 3.

IDcirco autem primam Dominicam, quæ septima est ab vltima, septuagesimam potius nominamus & sexagesimam, quæ sexta est, & quinquagesimam, quæ quinta est, quia idem commemoratur officijs, quod significatum est, illa septuagenaria captiuitate populi Dei, qua realiter sedit & fleuit super flumina Babylonis. Quid autem illud est? Septenaria distinctio ætatum mundi, quarum prima est ab Adam vsque ad Noe, secunda à Noe vsque ad Abraham, vel secundum quosdam, vsque ad Moysen, tertia à Moyse vsque ad Dauid, quarta à Dauid vsq; ad transmigrationem Babylonis, quinta à transmigratione Babylonis vsq; ad aduentum Dñi, sexta ab aduentu Christi vsq; ad finem seculi, septima iam ætas mundi requies est illa, ad quã quotidie transeunt electorum animæ, & requiescunt inter vbera lætantis matris suæ supernæ Hierusalem. Quia ergo per has septem Dominicas illud idem commemoratur, quod per septuaginta Babyloniæ captiuitatis annos significatum est, Dominica hæc prima de septem, rectè septuagesima dicitur, quòd quàm ratum sit, posterius ex ipsarum Dominicarum officiis clarius lucebit. Nunc qua ratione ante passionem Domini ordinatæ sint, dicendum est.

Pſal. 136. Septẽ ætates mundi.

Esa. 66.

Qua ratione sic ante passionem Domini septem Dominicæ ordinatæ sint. Cap. 4.

Gregorius.

BEatus Papa Gregorius, qui (sicut in libro vitæ eius contineri iam suprà diximus) officiorum atque stationum ordinator extitit solertissimus, intellexit eo sensu, quem illi spiritus sanctus aperuit, dignam ac reuerendam memoriam salutiferę passionis Christi expetere, vt illi ab omnibus sanctis & electis, quicunque fuerunt ab initio mundi, testimonia redderentur, cui quasi communes per os præsentis Ecclesię redderentur exequiæ. Omnium quippe sanctorum à mundi constitutione vna fuit salus & expectatio, passio redẽptoris, & concordibus eorũ dictis prænunciata, gestisque prefigurata est, ac velut vni subiecta soli, diuersis licet ex locis eandem imaginem multa reddunt specularia: sic plures sancti diuersis temporibus ac meritis venientes, præcurrentes saluatorem, vnam eamdemque variis figuris eius præfiguraverunt passionem. Cùm ergo iam dictus ordinator officiorum, commemorata iam Christi natiuitate, apparitione, & manifestata triennij eius prædicatione, passionis eius memoriã * anno nostro inscripturus esset, laudabilem fecit digressionem, ad mundi recurrens initium, & de diuersis ætatibus congruas Ecclesiæ voces colligens, quasi de diuersis locis septenos choros rationabili ac venerabili ordine produxit. Quid, vel quomodo singuli chori præsentet Ecclesiæ concinant, paulò pòst explicandum est. Nunc illud primitùs dicendum videtur, cùr de ore Ecclesię diebus istis alleluia, quod est laus Dei tollatur.

passio Christi variè prę figurata.

Ordinator officiorum Gregorius.

* animo

Cur Alleluia dimittatur. Cap. 5.

SI rectè consideremus, quam laudem Dei alleluia (quod nomen est antiquæ dignitatis, & auctoritatis) significet, perpulchrum & rationabile videtur, vt verè est, quòd de ore sanctæ Ecclesię vox hęc cõsuetudinaliter ablata est. Significat autem non quamlibet laudem Dei, non laudem maiorum aut minorum creaturarum cæli & terræ, & maris, & omnium quę in eis sunt. Alioquin, si quamlibet laudem Dei significet alleluia, fruſtra diebus istis de ore nostro tollitur, cum à laudibus Dei non cessantes, laudamus, quòd in principio fecit cælum & terrã, quòd diuiserit lucem à tenbris, quòd fecerit firmamentum, & posuerit in medio aquarum, quòd ad iussum eius germinauerit terra herbã virentem, lignumque afferens fructum iuxta genus suum, quòd luminaria fecerit, & in firmamento posuerit, quòd pisces, quòd volucres, quòd bestias prodire iusserit, quòd denique hominem ad imaginem suam creauerit. Quam ergo Dei laudem significat alleluia? Illam vtique, illam cui dicit Deus pater in psalmo; Exurge gloria mea, exurge psalterium & cithara. Gloria patris, Dei filius, perfecta laus & sempiterna musica, vtpotè summa sapientia, quæ de corde nata eiusdem patris æterni musici, citharam nostræ humanitatis assumpsit, quam & confractam ab inuidis & stultis pueris, qui ad cantum eius saltare debuerant, rursus per gloriam resurrectionis reformauit, & inuiolabile psalterium fecit, illa, inquam, gloria hęc cithara, siue psalterium, alleluia nostrum est. Quicquid enim supernæ iucunditatis auditoribus

Non omnis laus Dei alleluia.

Gen. 1.

Alleluia nostrum in filio Dei. Pſal. 56. 10.

Matt. 11

Lucæ 10.

Cur alleluia in Lxx. tollitur.

ribus suis exhibuit, quorũ beati oculi qui viderunt, & aures quæ audierũt, quicquid, inquam, de cęlestibus gaudiis ore suo Dominus Iesus Christus præcinuit, alleluia est, canticum nouũ est, laus suauis est. Hoc autem neque veteres sancti viderunt, aut audierunt, de quibus ait ipse

Ibidem.

Dominus: Multi reges & prophetæ voluerunt videre quæ videtis, & non viderunt, & audire quæ auditis, & non audierunt, neq; nos, quãdiu

Matth. 13.

sumus in corpore (quia recessit in cęlum) videre possumus, aut audire meremur. Quandiu enim

2. Cor. 5.

sumus in corpore, peregrinamur à Dño. Cùm verò probabilem antiquæ Ecclesiæ nondum redemptæ statum commemoramus, nostrumque incolatum, quia prolongatus est, deplangimus, pulchro satis ordine alleluia ab ore nostro tollitur. Quia videlicet, qui per illud significatur,

Matt. 9.

ille nondum venerat, à nobis iam recessit, & ablatus est sponsus à filijs suis. Rectè hoc consideravit, qui hoc resposorium cecinit alleluia.

Alleluia nostrum Christus est. Sapi. 4.

Dum præsens est imitantur illam, & desiderãt illã cùm se eduxerit: Dum enim hic de alleluia se dixit hoc, qđ de sapientia scriptum est (quæ sine dubio Christus est) profectò per alleluia Christum intelligi voluit, qui dũ præsens esset, imitati sunt illum, & desiderauerunt eum, cùm se eduxit, ascendens in cęlum, & in perpetuũ coronatus triũphat ante Dñm patrẽ, sicut scriptũ est, Gloria & honore coronasti eum Dñe, & cõstituisti eum super opera manuum tuarũ. Non

Eph. 4.

Pſal. 8. Cur in pascha frequẽtatur alleluia.

ille nugas triuit, aut pueriles ineptias cõtexuit, cùm diceret, alleluia, reuertere in thesauros tuos, te benedicent angeli. Reuersus est enim in thesauros suos Christus Dñs, id est, in secreta cæli, vbi ab angelis benedicitur, & à filijs suis hìc peregrinantibus desideratur. Nõ solùm autem ipse gloriosus Ecclesiæ spõsus, nouus homo Christus, hoc nomine prædicatur, sed & sponsa eius nouа, sancta Ecclesia (quia corpus eius est) quia & ipsa musicæ illi organum est, id est, diuinæ sapiẽtię (cuius in homine Christo tota plenitudo corporaliter inhabitat) eodẽ nomine iure prædicari potest. Qua propter die Dominicæ resurrectionis, quando noua soboles renascitur & claritate repletur agni nouelli, qui venerunt ad fontes, ipsam nouam Ecclesiam, noua cuncto mundo gaudia nuntiantem, non inaniter tali compellamus nomine alleluia, quæ & placido nobis vultu & dulci voce respondet, quia totum eius diei, vel totius hebdomadæ paschalis officium illorum est exultatio, qui tunc per aquam & spiritum renati sunt. Sed de his suo loco melius dicemus, nunc ad superiora redeamus.

Ephe. 1, Col. 2.

De Officio Septuagesimæ, & cur statio fiat ad sanctum Laurentium. Cap. 6.

Cur in illo die sit statio ad sanctum Laurentium.

QVoniam septem Dominicis, septem ætates mundi significari suprà dictum est, qualiter officium septuagesimæ primæ conueniat ætati, iam dicendum est. Primoque non præteruendum, cur statio fit ad sanctum Laurentium. Causa namque conueniens & idonea est. Sicut enim in primæ ætatis Ecclesia protomartyris Abel sanguis iustus clamat de terra ad Deum, quæ aperuit os suum, & suscepit eum de manu Cain fratris sui, sic in Romana Ecclesia, pretiosa mors beati Laurentij, nouo & inaudito genere passionis clamauit in cælum; clamauit, & audita est per mundum vniuersum. Quem clamorem suum ipse sanctus martyr iam præuidens, dicebat ad Hippolytum: Magis in abscõditis, in homine interiore absconde Christum, & postmodum cùm clamauero, audi, & veni. Vox ergo primæ Ecclesiæ conueniens est,

Introitus

præcentore Abel: Circundederunt me, Circundederãt me illũ gemitus mortis, vitæ gaudijs per primos parentes perditis. Siquidem ille languidus, qui descendens ab Hierusalem in

Pſal. 17.

Hiericho, inciderat in latrones, spoliatusque & vulneratus, semiuiuus ab illis fuerat relictus, genuerat illum in suis doloribus languidus ægram, saucius morbidam, moriens mortalem. Et in tribulatione mea inuocaui, inquit, Dominum, & exaudiuit de templo sancto suo vocem meam. Hoc longè post futurum, per spei certitudinem, quasi iam factum fideliter præsumit, iam enim diuinum de reparatione suæ salutis acceperat oraculum, dicente Domino ad serpentem: Inimicitias ponam inter te & mulierem, & inter semen tuum & semen illius. Victoria namque redemptoris nostri iam tunc promissa est, qui cùm sit semen mulieris, inimicitias contra draconem antiquum in tantum exercuit, vt caput eius contereret, & omnem potestatem auferret. Dicit ergo: Exaudiuit de templo sancto suo vocem meam. Sed quanta expectatio? Quanta salutis dilatio? Generationes namque LXXVII. ab Adam vsque ad natiuitatem Christi sunt. In Euangelio secundum Lucam ita inuenimus. Benè ergò hi, qui secundum Euangelium præsentis diei, mane conducti sunt, murmurantes dicunt: Hi nouissimi vna hora fecerunt, & pares illos nobis fecisti, qui portauimus pondus diei & æstus. Pondus enim diei & æstus portauerunt hi, quos à mundi initio, quia diu contingit hìc viuere, necesse fuit etiam longiora carnis tentamenta sustinere. Hoc igitur longissimum stadium est, de quo in Epistola, prędicto Euangelio consonante: Nescitis, inquit Apostolus, quòd hi, qui in stadio currunt, omnes quidem currunt, sed vnus accipit brauium? sed consolabantur se longa nimis in spe, quodammodo dicentes, quod in Graduali canimus. Quoniam non in finẽ obliuio erit pauperis, patientia pauperum non peribit in finem. Tractus itidem sicut collecta in qua dicimus: vt qui pro peccatis nostris iustè affligimur, pro tui nominis gloria misericorditer liberemur: tractus, inquam, de profundis, vox est homini sub manu

Luc. 1 c.

prima Ecclesiæ ætas in Adam.

Gen. 3.

Lxxvii. generationes ab Adã vsq; ad Christũ: Lucæ 3. Euangeliũ, Matt. 20.

Epistola: 1. Cor 9.

Graduale. pſal 9.

Tractus.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Psal. 109. Tractus cãtus tristitię

Dei iusta inter verbera gementis & dicentis: Si iniquitates obseruaueris Domine, Domine quis sustinebit? Hoc autem in tractibus notandum est, quòd omnes fere grauioribus compositi sunt vocibus, nec vnquàm iis, qui authentici dicũtur, modis exaltari merentur: sed cuncti plagalium inferioribus terminis contenti, fletum & tristitiam in humilitate sonorum denuntiant. Quod congruè satis obseruatum est. Tristitiæ namque tempus exigit, vt alleluia, quod lætantium carmen est, intermitteretur. Benè ergo tractus, qui interim pro Alleluia cantatur, altitudinem atque excellentiam gaudij, graui succentu, & modestis declinat incentibus, In offertorio. Bonum est confiteri Domino, quæ similiter vox est flagellati, iustitiam ferentis inter verbera confitentis, ille vel maximè versus primordiis conuenit infantis Ecclesię, exaltabitur sicut vnicornis cornu meum, & senectus mea in misericordia vberi. Non enim in infantia eius, quando iusti Abel sacrificio glorificata, primoque eius sanguine purpurata est: non in pueritia eius, quando loquente Deo ad Noe vel ad Abraham, prima doctrinæ salutaris rudimenta percepit: non in adolescentia eius, quando pædagogum, id est, legem Moysi, ne lasciuiret, accepit: non in iuuentute, quando sanctis regibus à Dauid incipientibus coronata est: sed in senecta eius, quando regum prophetarumque iam effecta erat, exaltatum est cornu eius, sicut vnicornis, id est, Christus rex potentiæ singularis: & senectus eius in misericordia vberi, quia videlicet in multitudine misericordiæ rex Israel benedictus aduenit. Communio quoque: Illumina faciem tuam super seruum tuum, vox eiusdem Ecclesiæ est, secundum primam ætatem mundi: vox, inquam, hominis spoliati gloria vultus Dei, & parietem inimicitiarum, quo interiecto, veri solis faciem humanarum animarum specularia perdiderant, dissolui ac dirui postulantis.

Offertorijũ. Psal. 91. In senecta contigit misericordia copiosa. Gen. 4. Gen. 6. 12. Exod. 24. Gal. 3. Psal. 118. Ephe. 2.

A Natali Christi vsque ad LXX. legitur nouum testamentum. Rom. 5.

HActenus à die natiuitatis Dominicæ de nouo testamento erant quæcumque legebantur in vigiliis nocturnis, congruè scilicet propter præsentem vitam eiusdẽ noui hominis Christi, quam significant dies illi, magnusque præco sanctæ nouitatis Paulus, cum veteri lege nouam conferens gratiam, legem factorum deprimebat, & legem fidei cum palma iustitiæ subleuabat. At nunc iuxta rationem suprà memoratam, antiqua repetitur historia, qua veteris vitæ narrantur miseriæ, quas in officio præscripto sancta deplorat Ecclesia.

De Sexagesima. Cap. 7.

Secũda ecclesiæ ætas in Noe.

PRæclarum huius Dominicæ officium tempus illud secundæ ętatis respicit, quo primum exiit, qui seminat seminare semen suum, quo primùm reconciliationem mundi prępparare incipiens locutus est ad Noe, & Ecclesiam iam infantiles annos egressam, primis prœceptorum suorum elementis imbuere cœpit. Nam ex quo de tranquillo & quieto paradisi vtero eiecta, in hanc nata est miseriam, quam eius natiuitatem beatus Iob in eiusdem Ecclesię persona (vt ait beatus Gregorius) deplorat, dicens: Pereat dies in qua natus sum, &c. nullam illi prœceptorum suorum legitur ttadidisse disciplinam. At verò locutus cum Noe, dicens: quia ecce ego statuam pactũ meum vobiscum, & iterata benedictione, superductam incipiens abolere maledictionem, paulatim pueritiam mundi suo magisterio subiicit, dans prœcepta quædam, primùm Noe, deinde Abraham, & in illis primoribus initians iustitiã fidei. Perfecit autem hæc in plenitudine gratię, dum exiit in hunc mundum, formam serui accipiens, per sei ipsum in populo Iudęorum, & per sanctos Apostolos in omnibus gentibus seminare semen suum. Hac igitur Dominica legitur hoc Euangelium: Exiit qui seminat seminare semen suum: agiturque statio ad sanctum Paulum, digna sanè & euidenti causa, quia dux verbi præcipuus, & verè seminator verborum ipse est, per quem omnes gentes cognouerunt gratiam Dei. Antequàm ergo sacerdos introeat, velut antequam seminator ille ad opus suum exeat, dum adhuc in accubitu suo est, & in sinu Dei patris quiescit, conclamat chorus: Exurge, quare obdormis Domine? exurgendo enim & semen suum seminando hoc effecturus erat, vt facies eius, quam propter peccatum auerterat, id est, notitia eius humano generi rursus illucesceret. Ignorantia namque Dei, terrę nostræ sterilitas fuit. Seminator igitur sapientiæ cælestis quia suum ad opus (vt dictum est) exiens, & aratores suos, id est, sanctos Apostolos conducens, maximè beatum Paulum, qui plus omnibus illis laborauit, operarium vtilem habuit, quem ad gentes misit, & acuto vomere linguæ eius corda dura proscindens, fidei & morum copiosum semen infudit. Ingressus sacerdos statim in collecta: Deus, qui conspicis, celebrem eiusdem doctoris gentiũ memoriam prœmittit, vt stationem conuenienter ascriptam egressa quoque proprietas manifestius commẽdet. Amplius autem ad hoc sequens epistola pertinet, qua idem fortissimus cælestis agricolæ operatius veros labores suos enumerat & pericula, quibus illum affecerunt hi, qui Domini sui fines inuaserant, nec arari permittebant. Graduale ad vtramque partem hominum respicit, & eorum scilicet, qui tamquam bona terra, semen verbi Dei suscipientes, fructum iustitiæ retulerunt, & eorum, qui rebellantes vniuersæ terræ dominatori aratrum eius confregerunt, bouesque innocuos iugulauerunt. Disseminato namque verbo Dei factum est, quod ait: Sciant gentes, quoniam nomen tibi Deus, tu solus altissimus super omnem terram, & hi qui illud repulerunt, posiri sunt vt rota, scilicet in eo quòd surgentes in his qui retrò sunt, id est, in carnalibus, cadunt in anteriori parte, id est, in intellectualibus: & quemadmodum stipula dispergitur ante faciem venti, sic dispersi sunt flante spiritu iræ Dei. In tractu gratias agit

prima sub Noe præcepta Dei. Gen. 9. philip. 2.

Euangeliũ Luc. 8.

Statio ad sanctũ paulum. Act. 14.

Introitus.

psalm. 43.

1. Cor. 15.

Collecta. 2. cor. 11.

Epistola.

Graduale.

rsal. 82.

Tractus.

Psal. 59. agit sæpe dicto seminatori, commota terra & conturbata, id est, vniuersi peccatores, qui quando culturas suas aduerterunt esse Deo execrabiles, commoti sunt ad pœnitentiam, & per significationem prædicationis incipientes timere, fugiunt à facie arcus, id est, à die iudicij, in quo duobus testamentis, quasi duobus cornibus inflexis, rebelles verbi diuini, damnationis ęternę sagitta ferientur. Lecto tandem Euangelio, cõsona sequitur offerẽda: Perfice gressus meos in semitis tuis. Timendum est enim, ne susceptio semine verbi Dei secus viam expositi, & in exterioribus vagantes, à volucribus, id est, à spiritibus immundis diripiamur: aut à solicitudinibus & spinosis diuitiis seculi suffocemur: aut humorem, id est, pinguedinem charitatis non habens, bonum semen arescat in nobis, & sic non perficiantur gressus nostri. Mirificat misericordias suas, dum semen misericorditer iniectum custodit vt pupillam oculi, ne compungatur à suffocantibus spinis; protegit sub vmbra alarũ suarum, ne siccetur ardoribus solis; eripit ab impio, ne auferat verbum de cordibus nostris: vt dicat bona terra fructum afferens in patientia: Ego autem in iustitia apparebo in conspectu tuo. Et sicut in communione cantamus: introibo ad altare Dei. Semen itaque Dei terram nostram in qua creuit (quod mirabile est) sursum vehit secum in horrea cęli: quia cùm terra simus, nisi verbo Dei portemur, quod est Christus, in cęlum non ascendimus, sicut ipse ait: Nemo ascendit in cælum, nisi filius hominis qui est in cęlo. Cum ipso ergo & per ipsum subleuabimur, portantes manipulos iustitiæ, lętificante Deo iuuentutem nostram, in vigore nouitatis æternæ.

Offerenda. Psal. 16.

Cõmunio. Psal. 48.

Ioan. 5.

De Quinquagesima. Cap. 8.

Tertia ętas Ecclesię sub Moyse.

DOminica hęc tertiam mundi ætatem significat, qua adolescentulam, pubescentemque Ecclesiam respiciens Deus, cum iam tempus eius iuxta prophetã tempus esset amantium, eripuit illam de medio fornicatorum, mittens Moysen & Aaron, & per signa magna atq; portenta filios Israel educens de seruitute Aegyptiorum'. Cui rei valde præsentis Dominicæ congruit officium, valde competit id, quod hac die legitur Euangelium. Nam sicut hic sedens cæcus secus viam postulabat lucem, sed à turbis increpabatur vt taceret, ita illic filios Israel intendentes ad fidem patrum suorum Abraham, Isaac & Iacob, & clamantes ad Dominum, vt educeret eos de Aegypto, quod in lingua nostra tenebras sonat, cultumque sui nominis eos doceret, quæ vera & necessaria illuminatio est, increpabantur ab Aegyptijs opprimentibus, & superbè dicentibus: Vacatis otio, & ideo dicitis, eamus & sacrificemus Domino. Igitur cum Dominus mittens Moysen, & Aaron, iussit populum suum adduci ad se, & coram illis fecit mirabilia, per quæ potuit verus Deus agnosci, deditque legem scriptam & mandata vitæ, ritumque colendi, iam tunc magnus ille cæcus, id est, humanum genus, cœpit illuminari, & nunc vsque illuminatur magis ac magis, contradicentibus licèt atque increpantibus turbis, semper quidem inuisibilibus, nonnunquàm autem etiã visibilibus. Hoc enim Dominicę huius consonat officium. Nam ingressuro iam sacerdote quasi præuenit clamoribus aduentum illuminatoris sui cæcus supradictus, dum chorus concinit: Esto mihi in Deum protectorem. Nempè quod ait: Propter nomen tuum dux mihi eris, & enutries me, ad viam spectat, iuxta quã sedet cęcus mendicans. Via pariter & dux idem est Christus. Sequens itidem collecta: Preces nostras quęsumus Dñe clementer exaudi: clamor est cęci magis ac magis vt exaudiatur, inclamãtis. Nam vt ait, atq; à peccatorum vinculis absolutos, ab omni nos aduersitate custodi, turbã percutit eorum, quę in oratione patitur, phantasmatum, sicut ille cęcus in Euangelio turbã increpantium, sicut filij Israel Aegyptios prohibentes, & violenter se tenentes, ne irent ad sacrificãdum Dño Deo patrum suorum. Epistolę quoq; lectio, si linguis hominum loquar & angelorum, nõ ex eo tantùm loco, quo dictum est: Videmus nunc per speculum & in ænigmate, tũc autem facie ad faciem, sed ex tota serie sua, ad eiusdem illuminationem cęci respicit, dum cunctis charismatibus excellentiorem viã demõstrat, id est, charitatem. Charitas enim oculus cordis est, qua quisquis caret, cęcus est, & in tenebris ambulat, & nescit quò eat. Nã & cùm illuminare cępisset Deus humanũ genus (vt dictum est) legẽ dando filiis Israel, hoc primùm collyrio oculos eius inũxit, dicẽs: Diliges Dñm Deum tuũ ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota virtute tua, & ex tota mẽte tua, & proximum tuum sicut teipsum. Graduale, cùm solã liberationẽ filiorũ Israel (de qua dictũ est) cunctis penè dictionibus personare videatur, tamen ex eo, quod dicitur: Notam fecisti in gentibus virtutem tuam, ad eandem spectat magni cæci illuminationẽ. Sic & in tractu, qđ dicitur: Intrate in conspectu eius, &c. idẽ est, ac si diceret, accedite ad eũ & illuminamini. Quodq; lecto supradicto Euangelio, dicimus in offertorio: Benedictus es Dñe, doce me iustificationes tuas, nimirũ alijs verbis illuminari postulat cæcus. Statim vię laudes arripit, iuxta quã sedens & mendicans illuminatus est, tantoq; cõcentu, tã grandi vociferatione viam testimoniorũ persultat, viamq; veritatis, & viã mandatorũ congeminat, vt saxorũ quoq; duritiã ad glorificandum illuminatorem suum excitare queat. Quia verò non satis est, ad viam peruenisse, & illuminationẽ scientiæ percepisse, nisi abiiciamus desideria carnis, congruè terremur illorũ exẽplo, de quibus dicimus in communione: Manducauerunt & saturati sunt nimis, quia propter desideriorum incontinẽtiam prostrati sunt in deserto, nec peruenerunt ad repromissionis ter-

Cæcus sec^{a} viã, genus humanum.

Introitus.

Psal. 130.

Collecta.

Luc. 18. Exod. 5.

Epistola. 2. Cor. 13.

1. Ioan. 2.

Deut. 6.

Graduale.

Psal. 67.

Tractus, Psal. 99.

Offerenda Psal. 110.

Cõmunio. Psal. 87.

Num. 14.

Universidad de Deusto
Biblioteca

2.cor. 9. ram. Quorum nos exemplo Paulus quoq; solicitos reddens: sic currite, inquit, vt comprehendatis. Quem autem ducem credimus fuisse vel pastorem, cùm iterum populum suum & oues pascuæ suæ Dominus educeret de terra Ægypti, diuidens illis per diuisiones gratiarum mare rubrum baptismi, quod de latere eius pendentis in cruce profluxit? Nempè beatum Petrum Apostolum, qui & in magno corpore sepedicti huius ceci princeps illuminatus est, dicente ad eum Christo, filio Dei viui: Beatus es Simon Bariona, quia caro & sanguis nō reuelabit tibi, sed pater meus qui est in cælis, Conuenienter ergo ad eūdem Apostolū Dominica hac statio fit, vt omnis plebs videns magnificet Deum exemplo eius dicentis: Populus acquisitionis, annunciate virtutes eius, qui vos de tenebris vocauit in admirabile lumen suum.

Statio ad S. petrum.

Matth. 16.

1. pet. 2.

De prima Dominica Quadragesima. Cap. 9.

DOminicæ huius officium, propheticum sancti Spiritus personat vniformiter atq; cõgeminat oraculum, sine mutatione rerum ac personarum, quo pugnanti contra draconem antiquum promittitur sanctæ Ecclesię competens altissimum adiutorium. Spectat Dominica hæc quartam mundi ętatem, qua mundus plenaria iuuentute roboratus est, & populus Dei quasi viriles annos ingressus, coronatus est diademate regum, & ornatus sanctorum sapientia prophetarum. Nam patriarcha Dauid electus secundum cor Domini remoto Saule, primus regum, precipuus prophetarum, manu sortem vel desiderabilem Christum nomine præsignat, victorijs prefigurat, propheticis oraculis ac spiritualibus canticis annunciat. Et quia clausa fuit, vsque ad Christi aduentum, huius & ceterorum scriptura prophetarum, ac sicut tenebrosa aqua in nubibus aëris, ita contenebrabatur occulta scientia in prophetis, donec agnus Dei, solus dignus accipere librum & soluere signacula eius, in passione sua complędo prophetas aperiret voces: iccirco ab hac Dominica vela dependent ante sancta Ecclesię altaria, vt populos sancta sanctorum non videat, donec in ante paschalia hebdomada depositione velorū, eadem renouetur significatio, quę facta est per hoc, quod velum templi scissum est, spiritum tradente Domino. Hac igitur Dominica posito hoc Euangelio, quo caput Ecclesię Christus ieiunans in deserto, tentatoris insidias superasse narratur, atque ita super aspidem & basiliscū ambulasse, leonemq; & draconem conculcasse, propheticę de toto officio circunsonant tubæ, victoriam eandem cunctis membris eiusdem capitis, & tori repromittentes corpori Ecclesię. Cuius officij statio ad sanctum Ioannem ad Lateranas præscripta, valde congruit. Sicut enim hoc officium totum in veram Saluatoris decantatur felicitatem, qui præ omnibus & pro omnibus super aspidem & basiliscum ambulauit, & totum propheticum est: sic eadem Lateranēsis Ecclesia, & in nomine eiusdem sancti Saluatoris, & in honore prophetæ & plusquam prophetæ Ioannis ab imperatore Constantino constructa est. Itaque propheticæ laudes congruè illic Apostolica statione celebrantur. Non solùm Dominica hæc quadragesima dicitur quemadmodum illę, quæ præcesserunt, quinquagesima, sexagesima, atque septuagesima, sed & hoc omne tempus, quod ab hac die vsque ad sacratissimam paschæ solennitatem tenditur, quadragesima nuncupatur, videlicet propter imitationē Dominici ieiunij, quam per hos dies extendimus. Sed ad hanc rationem quatuor dies deesse probantur. Nam licèt ab hinc vsque ad sacram paschæ noctem, quadraginta duo dies computentur, tamen non nisi triginta sex Christianæ deuotionis parsimonia sibi dedicare præsumit. canonica namque vetat auctoritas, ne primam sabbati Dominicæ resurrectionis splendore illustratam, vlla vmquam ieiuniorum publica offuscet nubecula. Vt igitur nostri solemnitas ieiunij Dominico magis coaptetur exemplo, quatuor dies, qui hanc Dominicam præcedunt, additi sunt ad prętextam totius anni decimā: Totius quippe anni, id est, dierum trecentorum sexaginta, supradictus numerus, id est, triginta sex, decima est. Quibus additis quatuor, fit quadragesima, id est, quatuor cum decima. Et hæc verior est nominis etymologia: Alioquin vna dies, id est, huius hebdomadę tertia feria sola à die paschæ, quadragesima est. Sanctæ memoriæ papa Telesphorus, à beato Petro septimus, hāc salutarem ante sanctum pascha constituit preparationem, vt Christiana plebs, quæ Apostolicę abstinentię tenorem exequi non posset, non omnino relinqueret. Apostoli namque primi eius, qui ablatus fuerat, sponsi filii, tota vita sua ieiunium fletumque amauerunt, & renuit consolari anima eorum, tantumq; in eo, quòd eius memores erant, delectati sunt. At postquam multiplicari cœpit numerus credentium, tamq; indiscretos pisces retia fidei contraxerunt, vt cum abstinentibus, multitudo quoque intraret ebriosorum, subuenit Ecclesiasticę disciplinæ magisterium, & tanquam seuera mater, edaciū puerorum intemperantiā moderata est, vt quia de toto cogi non poterant, vel partem obseruarent, vitæq; decimas abstinentiæ dedicarent. Cùm ergo de vniuerso tempore gratię dictum sit illud Apostoli: Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis, & cætera: hac tamen Dominica illa lectio Epistolæ recitatur, qua temporalis ieiuniorum obseruantia, quæ, vt dictum est, esse continua debuerat, inchoatur.

Matt 14.

Quadragesima.

Dñica die non est ieiunandum. Ieiunium. quadragesi male.

Apostoli sę per in fletis & ieiunio erant. Matt. 9. Psal. 70. Matt. 13.

1. Cor 6.

Cur cineres capitib. imponimus Cap. 10.

SI omnes lugendi scientiam haberemus, cunctisq; æqualiter saperet illud, quod prophęta deplorans: Cecidit, inquit, corona capitis nostri,

Lugendi scientia. Threno. 5.

Ioelis. 2. stri, væ nobis, quia peccauimus: & omnibus in promptu esset facere, quod item dicitur nobis: scindite corda vestra & non vestimenta vestra: tunc neque cineribus capita nostra aspergere, neque nudis pedibus opus esset ambulare. Nūc autem maxima pars nostrum neque sponte meminit, qualem ornatum capitis, id est, cordis sui, Deum offendendo, perdiderit, neque facilè possunt corda lapidea scindi, nisi extrinsecus adhabitis adiuuemur instrumentis. Igitur, vt nostra nobis calamitas ad memoriam reuocetur, & meminerimus, quia puluis sumus (quod oblitus fuerat pater noster Adam, quando proiecit Deum coronam suam, & exinde sensit nuditatem suam) iccirco & cinere capita nostra aspergimus, & summas partes corporis, id est, pedes nudamus: Hoc habitu confitentes, quia non dij, neque de cælo sumus, sed homines sumus, & de terra principium habuimus: & quia per pecccatum gloria nostra spoliati, & inter hostes nudi constituti, ornatu gratiæ Dei indigemus.

Cur cinere aspgimur, pedesq; nudamus.

De Secunda Dominica Quadragesimæ cur vacat. Cap. 11.

DOminica Quadragesimæ secunda, quæ in ordine & ratione Dominicarum septem superà dictarum, quinta est, pulchra & rationabili dispositione vacat, tanquam non habeat Ecclesiæ Pontifex, iam defessus cantor, quæ vel quibus, aut vbi verba canticorum Domini decantet, aut certè infructuosos fastidiens auditores, organa sua suspenderit ad salices. Signi ficat enim quintam mundi ætatem, quando tēplo Domini diruto, & populo Dei in Babyloniam abducto, duplici captiuitate Ecclesia Dei congemuit, peregrina in hoc mundo, captiua sub Nabuchodonosor: Tunc etenim populus Dei, neque templum neque altare habebat, & Babylonios Deos statuamque regis Nabuchodonosor, diaboli typum tenentis, minaci propositā fornace, cogebatur adorare. Non ergo abre & rationabili diligentia dispositum est, vt cum huius temporis omnes priuatæ quoque feriæ proprijs officijs locupletatæ, certisque sint stationibus insignitæ, prēter solum (quod est ante palmas) sabbatum, de quo etiam suo loco ratio quærenda est: sola hæc Dominica vacet, sed nec officium nisi aliunde mutuatum habeat. Attamen ex narratione Euangelica lectionem haber, illi iam dictæ captiuitati populi Dei verissimè consonantem. Nam quod significauerat illa captiuatio, Nabuchodonosor plebem Dei tyrānicè de illa nobili Sion & templo Domini abstrahente, & barbarici stimuli imperio violenter fatigante, hoc idem significatur in Euangelio præsentis Dominicæ, dæmonio vexante filium Chananęæ, scilicet humanas animas passionibus mali desiderij nequiter à diabolo conflammari, & longo fune peccatorum ad miseram seruitutem voluntatis eius, mala consuetudine violenter trahi. Clamabat post Dominum mulier Chananæa, interueniebat fides patriarcharum, meritumque Danielis, & sociorum eius, vt solueretur captiuitas Babyloniæ: clamat & nunc superna mater nostra Hierusalem, vt pœnitētibus detur peccato resistendi facultas. Epistolam quoq; habet de proprio, in qua cùm dicit Apostolus: Hæc est voluntas Dei, sanctificatio vestra, vt abstineatis vos à fornicatione, vt sciat vnusquisque vestrum vas suū possidere in sanctificatione, & honore, &c. ad illius seruitutis effugium prouocamur, quæ significata est (vt dictū est) per hoc, q̄ vasa domus Dñi Babylonia captiuitate trāslata sunt & polluta: ita vt biberet in eis rex Babylonis, & optimates eius, vxores & cōcubinæ eius: itemq; significatur in Euangelio per hoc, q̄ filiam Chananæę, vas vtique creatoris spiritus immundus inuaserat. Cætera quamuis mutuata sint, & de feria quarta ieiunij sumpta, cunctis consonant sensibus his, quæ dicta sunt. Nam quod in introitu rogamus Dominum reminiſci miserationum suarum, ne vnquàm dominentur nobis inimici nostri. Et in collecta, vt à cunctis aduersitatibus muniamur in corpore, & à prauis cogitationibus mundemur in mente. Et in graduali rogans Ecclesia, vt de necessitatibus suis eruatur: Ad te, inquit, leuaui animam meam. Et in offerendæ versu: Miserere mei secundum eloquium, itemq; in communione, intellige clamorem meum. Hęc omnia clamores sunt magnæ illius mulieris, scilicet Ecclesię matris, pro qualibet peccatrice anima, videlicet sua anima, post Dominum clamantis iugiter. Quę ideo competenter de ieiunij die mutuata sunt, quia mali desiderij passiones, quæ per dæmoniosam Chananęæ filiam, itemque per captiuatorem populi Dei Nabuchodonosor præsignatæ sunt, non eiiciuntur, nisi in oratione & ieiunio.

Matth. 15. Dan. 9.

Epistola. 1. Thess. 4.

Dan. 5.

Mutuata huius officij conueniūt Euangelio.

psal. 24.

Ibidem.

Psal 118. Psal. 5.

Apoc. 18.

Matt. 17.

De Dominica tertia Quadragesimæ. Cap. 12.

POst illius captiuitatis mysticam commemorationem, qua vasa templi Domini sustulit rex Babylonis, typum, vt dictum est, gerens diaboli, sequenti hac Dominica, quæ sextam mundi ætatem significat, hoc Euangelium ponitur, quo fortis armatus custodiens atrium suum, fortiore superueniente, vasa vel arma, in quibus confidebat, amittere narratur, & immundus spiritus, qui exierat ab homine, quærens requiem, & non inueniens dicit: Reuertar in domum meam vnde exiui. Sexta namque mundi ætate veniens in hunc mundum filius Dei per incarnationis mysterium, & pugnans digito Dei, mutum eiecit dæmonium, & locutus est mutus, qui iuxta alium Euangelistam erat & surdus. Tunc etenim eiecto dæmonio audiuit surdus, & locutus est mutus, quando foras misso principe mūdi, audiuit mundus verba Dei, & locutus est laudem Dei. Sic direpta

sexta ætas ecclesię sub Christo. Euangeliū.

Luc. 11. Matt. 12.

Ioan. 12.

Quarta ætas ecclesię sub regibus & pphetis.

Dauid. 1. Reg. 16.

Cur velantur altaria.

Apoc. 5.

Matth. 27.

Euangeliū. Matt. 4. Psal. 90.

Statio ad S. Ioannē ad Lateranas.

Quinta Ecclesiæ ætas incaptiuitate. Psal. 136.

4. Reg. vlt. Hiere. 52.

Dan. 3.

Cur Dñica Reminiscere vacat. p. prio officio

Euangeliū.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Gen.3. 4. Reg.vlt. Matt.12. Immundus spiritus accipies secũ septem spiritus nequiores se.

sunt vasa forti armato illi, scilicet diabolo, quæ A transtulerat de honore Paradisi, velut supradictus Nabuchodonosor filios Israel, & vasa templi Domini ad contumelias Babylonis. Ecce autem immundus spiritus, qui exierat ab homine, videlicet à populo Iudaico, nunc iterum reuertitur, & intrat in eum, assumptis secum septem alijs spiritibus nequioribus se, quia nunc deterius delinquunt Iudæi, in synagogis suis maledicentes Christum, quàm olim in Aegypto dijs alienis seruientes. In huius ergo Dominicæ officio

Introitus.

dicit ad introitum gloriabundus hic mutus, qui ejecto dæmonio loquitur: Oculi mei sem-

Psal.34. B per ad Dominum, causamque reddit, quam audiuit à sanctis prædicatoribus, qui fuerat surdus, quia ipse, inquit, euellet de laqueo pedes meos, prosequitur facundia muti, cuius os sapientia aperuit, respice in me, & miserere mei, causamque nihilominus reddit satis oratoriã, qua Deum auditorem flectere possit, & patronam efficere misericordiam, quoniam, inquiés, vnicus & pauper sum ego. Quodque in collecta dicimus, atque defensionem nostram, dextram tuæ maiestatis extende, inuocatio est eius-

Collecta.

Luc.11. dem fortioris, qui, vt dictum est, forti armato C superuenit. Vasa illa, quæ forti illi victo atque ligato direpta sunt, alloquitur in Epistola Paulus, fortioris iam dicti miles & adiutor egregius, vt sacro baptismate à priscis emundata sordibus, non iam rursus inquinentur, cum

Epistola.

Ephe.5. dicit: Fornicatio autem & omnis immunditia nec nominetur in vobis, &c. Graduale: Ex-

Graduale. Psal.9. surge domine, non præualeat homo, clamor est omnis vasis electi aduersus eundem fortem armatum, custodientem atrium suum, & in pace sua possidentem ante fortioris aduentum.

Tractus. Psal.122. Tractus quoque: Ad te leuaui oculos meos, fa- D cunda vox est muti sæpe iam dicti, salutem suam æternam eloquentissima prece deposcentis, eandemque precem decenti similitudine

Offerenda. perornantis. In offerenda prædicat idem mutus, iam eloquẽs iustitias Domini rectas, quòd ejecto à se dæmonio, rursus ad illum hominem, à quo dudum exierat, scilicet ad populum Iudaicum, permissus sit reuerti, quia videlicet hoc in veritate iudicij Dei sit factum: Iudicia, inquiens, Domini verapro, sui verò oris apertione gratias agens: Et erunt vt complaceant,

Psal.18. Cõmunio. inquit, eloquia oris mei, &c. In communione E gratulatur idẽ de muto redditus orator, quòd tanquam passer inuenerit sibi domum, & sicut turtur nidum, scilicet altaria tua Domine virtutum, id est, sanctam patriarcharum ecclesiam, vt cum beatis, qui habitant in domo tua Domine, in secula seculorum laudet te. Huius autem officij prælibata ratio commendat, quod scriptum est, statio ad sanctum Laurentium. Nam

Statio ad S. Laurentiũ. quorum nisi sanctorum martyrum, & huius præcipuè prælijs hic, de quo dictum est, fortis armatus de atrio suo (quod Roma fuit) ejectus est? Dicit enim Prudentius: Iam Roma Christo dedita Laurentio victrix duce, ritum triumphas barbarum. Item qui suprà in persona eiusdem martyris: Discede adulter Iuppiter, stupro fororis oblitæ, Romam relinque liberam. Rectè ergo ad victoris militem, victum canimus fortem.

De Lætare Hierusalem, & Dominica media Quadragesimæ Cap. 13.

Septima ætas ecclesiæ in æterna beatitudine.

DOminica hæc ab ea, quæ septuagesima dicitur, septima est, sabbatum mundi est, requiem significans, in qua sanctorum & electorum animæ, deposito carnis onere, & velut post bella victores depositis armis feriatæ lætantur, & nunc interim ijdem electi singulis stolis, id est, animæ beatitudine munerati resurrectione, in qua binas stolas, scilicet tã animarum quàm corporum immortalem gloriam recipient, præstolantur. Illic autem Hierusalem illa, quæ de

Apoc. 6. sursum est, quæ libera est, quæ omnium nostrum mater est, lætatur, & diem festum agens pro numerositate filiorum suorum, de huius seculi peregrinatione redeuntium, repositas effundit epulas, & lacteas ex vberibus suis exprimit maternæ consolationis delicias. Illic, in-

Errãt ergo & i hoc Lutherani dũ negãt alios sanctorũ in cælo esse. Gal.4. quam, pater antiquus Deus, nouusque sponsus, Dei filius, reduces filios consolatur, quem-

Esa.66. admodum per Prophetam promiserat dicens: Pueri eorum in humeris portabuntur, & super genua consolabuntur, quemadmodum mater consolatur filios suos, ita consolabor vos, & in Hierusalem consolabimini. In hac ergo Dominica, quæ (vt dictum est) illius sabbati signum est, totum officium eiusdem requiei, eiusdem consolationis præconium est, quo commoneantur nunc peregrinantes, illius tantæ tamque liberæ matris filij præsentem tristitiam spe consolationis futuræ supergredi: vt sint iuxta Apostolum, spe gaudentes, in tribulatione patien-

Rom 12. tes, qui in superna Hierusalem vberibus consolationis potandi sunt. Primoque dicendum, q̃

Euangeliũ. Euangelicum illud conuiuium, quo Dominus de quinque panibus, & duobus piscibus satiauit

Ioan.6. quinque millia hominum prædictæ significationi Dominicę huius sub mystico sensu valde congruit. Significat enim (vt auctoritas Ecclesiastica tradit) vitale illud sanctarum scripturarum cõuiuium, quo de paucis Moysi, prophetarumque libris crescente copia diuinæ benedictionis, inter ora comedentium, i. inter studia tractantium, affatim reficitur mundus, quondam à scientia Dei ieiunus, & affluentia dictorum sensuumque repletis armariis, lassi atque victi conuiuæ absistimus. Hoc autem cõuiuium

Diuinæ cognitionis conuiuium. diuinę cognitionis hic incipitur, perficietur verò in illius sabbati, de quo loquimur, perenni gloria. Nunc enim cognosco ex parte, ait Apostolus, tunc autem cognoscam, sicut & cognitus

1.Cor.13. Hier.31. sum, &c. Nam iuxta prophetam: iam non docet vir fratri suo, cognosce Dominum: omnes enim à minimo vsque ad maximũ cognoscent me, dicit Dominus. Igitur illam diuinę cognitionis

tionis ac visionis abundantiam significat hęc quę A imperator coronatur, & ludis innocentibus fu- Esa.6.
de Euangelio recitatur hac Dominica, satietas hominum quinq; millium. Tunc Iesus, qui verè abiit
trans mare Galilęę, quia resurgens à mortuis omnes amaritudines seculi turbulenti & inquieti
transgressus est sequẽtium se credentium turbam
Gen.21. omnes supernæ Hierusalem filios iam grandes, iam ablactatos grandi saturabit conuiuio: cuius in typũ pater Abraham, ablactato filio liberæ vnico Isaac, grande conuiuium fecisse legitur in die
Introitus. Esa.61. ablactationis eius. Igitur eiusmodi cõuiuio manifestè consonat illa gratulabunda sancti Spiritus allocutio, propherali ore præmissa: Lętare Hie- B
rusalem, &c. consolatio, de qua hic canitur: Et
satiemini ab vberibus consolationis vestræ: ipsa
Collecta. est, quam in collecta subsequenti poscimus dicendo: vt qui ex merito nostræ iniquitatis affligimur,
tuæ gratiæ consolatione respiremus: videlicet quã-
Psal.125. do anhelantes peregrini post laborem captiuitatis huius sedebimus in illa Hierusalem cælesti, di-
Epistola. Galat.4. centes: Facti sumus sicut consolati. Ipsa est consolatio libertatis, de qua itidem gratulamur in Epistola, dicente Apostolo, Illa autem quæ sursum est
Hierusalem, libera est, quæ est mater omnium no-
strum: ipsa eadem pax in virtute eius, & abundan- C
graduale. Psal.121. tia in turribus eius, de qua in graduali canimus: lætantes in his quæ dicta sunt nobis à sanctis Apostolis & doctoribus nostris, in domum Domini ibimus, ad quam cum peruenerimus, complebitur:
Tractus. Psal.124. & quod in tractu dicitur: Non commouebitur in æternum, qui habitat in Hierusalem: cum ablata virga fuerit, id est, potestas peccatorum, quam etsi ad tempus dimittit ad probationem, nõ relinquet
Offertoriũ. Dominus super sortẽ iustorum. In offertorio quoque consolationis eiusdem beatificamus conuiuas lætantes in epulis laudum, ipsumque conuiuij patrem benedicimus ex Sion, qui habitat in Hierusa-
Psal.134. D lem: vt ex præsenti Ecclesia, quæ dicitur Sion, id
1.Cor.13. est, specula, in qua positi uidemus nunc per speculum & in ænigmate, laudem, donum & benedictionem personare incipientes, perficiamus in ea,
communio qua habitat ipse in cælesti Hierusalem. Ipsa est, quæ secũdum communionis verum & mysticum
sensum, necdum consummata est, & adhuc ædificatur vt ciuitas de viuis & electis lapidibus, in
Psal.121. qua ascenderunt tribus, tribus Domini, tribus nobiles, tribus regales, tribus sacerdotales. Ip-
statio ad s. Hierusalẽ. sa quoque ecclesia, ad quam statio præsenti officio præscripta est, eandem ciuitatem Dei, cę-
Heb.13. E lestem Hierusalem, nomine ipso designat. Dicitur enim & ipsa sancta Hierusalem, vt peregrinantibus in hoc seculo cęli ciuibus, non habentibus hìc manentem ciuitatem, sed futuram inquirentibus, nomine ipso memoriam atque desiderium excitet eius ciuitatis, quam inquirunt, & à longè peregrini salutant. Differt autem huius stationis ratio ab ea, quæ est Dominica aduentus Domini secunda, quia videlicet illa futuræ beatitudinis est annuntiatio, hęc quasi præsentis contemplatio. Vnde & festiuius agimus,
Festiuitas huius dominicę. quia spei nostræ solennitas est. Lętatur Christiana plebs, & sicut in die solenni Christianus

Matth.25. Ezech.34. Matth.21.

Secunda feria primę hebdomadę hoc Euangelium legitur, quo filius hominis venturus in maiestate sua, ore suo declaratur, congregatasque ante se omnes gentes separaturus, sicut pastor separat oues ab hœdis, & statuet, inquit, oues à dextris suis, hœdos autem à sinistris, &c. Hoc nimirum sermo propheticus Euangelij præcursor, iuxta eundem sensum prœuenit, dicente Domino: Ecce ego ipse requiram oues meas, & visitabo eas, sicut pastor visitat gregem suum, &c. Educam eas, inquit, de gentibus, videlicet, sicut pastor segregat oues ab hœdis, in pascuis uberrimis pascam eas. Quæ profectò non sunt alia quàm regnum, de quo ait: Venite benedicti, &c.

De Euangeliis & Epistolis feriarũ Quadragesimæ, in quibus sibi concordent. Cap. 14.

Fetia tertia in Euangelio ejectis his, qui vendebant & emebant in templo, cùm calúniantibus & interrogantibus pharisęis respondisset Dominus: & relictis illis inquit, Euangelista, abiit foras extra ciuitatem in Bethaniam, ibiq; mansit.

Hoc

Universidad de Deusto
Biblioteca

Hieronym. Hoc autem, vt ait beatus Hieronymus, præsignabat illud, quod illos ob incredulitatem relicturus, & ad Gentium salutem esset migraturus, quæ per Bethaniam, id est, domũ obedientiæ designantur, ideo quia verbo Dei obedientes factæ sunt, iuxta illud: Populus, quem non cognoui, seruiuit mihi, in auditu auris obedijt mihi. Benè ergò in lectione ꝓphetica præmittitur: quærite Dominum, dum inueniri potest, inuocate eum, dum prope est, & cætera, quæ sequuntur, ad quærendum Dominum idonea, & inuentionem eius efficientia. Nam cum hęc diceret Propheta, profectò futurum præuidebat tempus, quando à Iudæis inueniri non posset, & ad gentes transiens, tamquam ad domum obedientiæ, illis inobedientibus iam prope non esset.

Matth. 12. Feria quarta, duplicata solennitate ieiunij legitur Euangelium, quo spiritus immundus egressus ab homine, ambulans per loca inaquosa, quærere requiem & non inuenire assel Iob 38. ritur: quia proculdubiò, iuxta B. Iob, magis cubat in locis humentibus, dum exiccata ieiuniis fastidit corpora. Huic doctrinæ Euangelicæ Exod 24. præmittuntur exempla Moysi & Heliæ, quo- C rum vterque in singulis lectionibus, quadraginta diebus & quadraginta noctibus ieiunasse perhibetur.

Ioa 8. Feria quinta, Iudæos in Euangelio gloriantes & dicentes: Pater noster Abraham est, Luc. 16. conuincit Dñs, eò quod opera Abrahę non faciant, & concludit, quod potius ex patre diabolo sunt, faiendo opera diaboli, & quærendo eum interficere, quod Abraham non fecit: vel (vt quibusdam hac die legere moris est) diues Ioan. 3. cruciatus apud inferos, patremq; vocans Abraham, & deprecãs eum, non exauditur vt filius. D Ad hoc manifestè spectat illud propheticum, Ezech. 33. quod in Epistola præmittitur: quia vir iustus si genuerit filium latronem, effundentem sanguinem, & vniuersa detestanda facientem, ipse quidem in iustitia sua uiuet, filius autem eius, qui operatus est iniquitatem, morte morietur.

Psal. 102. Feria sexta significatur in Euangelio baptismi gratia, qua renouatur sicut aquilæ iuuentus animę, & redimitur de interitu vita eius, & coronatur in misericordia & miserationibus. Angelus enim, qui descendebat in piscinã, E significabat Christum magni cõsilij Angelum, ipsa autem piscinæ aqua, quæ mouebatur, populum Iudaicum, qui motus est seditionibus, descendente in illum eodem magni consilij Angelo per assumptionẽ carnis, & ita motus aquæ turbatus est, vt illum crucifigeret. Ille vnus, Esa. 9. qui descendebat in aquam & sanabatur, vnam sanctam Ecclesiam Catholicam, quæ descendens in baptismum Christi, sanatur ab infirmitatibus, figurabat: Qui autem triginta octo annos iacuerat, vniuersitatem eorum, qui grauibus sceleribus languentes, & ipsi nihilominus per fidem Christi sanantur. Hoc autem

A Iudæi velut iniquum reprehendunt: semper enim Gentium salutem oderunt. Benè ergò lectio prophetica præmittitur, in qua dicente Ezech. 9. Domino, Si auerterit se impius ab impietate sua, & fecerit iudicium, &c. in quacumq; die ingemuerit, saluus erit, murmurant & dicunt: Non est æqua via Domini. Non autem perfunctoriè si quis ingemuerit, sed si ad baptismum Christi peccator ingemiscens conuolauerit, statim saluus erit, quia omnes præteritæ eius iniustitiæ non recordabuntur. Priuata verò pœnitentia laboriosa est, nec inter labores pœnitentem adeo securum reddit de venia.

B Sabbato sacerdotibus ordinatis, & cæteris altaris Christi ministris hoc Euangelium Matth. 19. competenter legitur: Assumpsit Iesus Petrum & Iacobum & Ioannem, & duxit eos in montem, & transfiguratus est ante eos. Sacerdotes enim & cæteri altaris ministri, dum ad tantum ministerium promouentur, quasi in mon- 2. Cor. 3. tem altissimum cum Domino ascendunt, vt reuelata facie speculandam eius gloriam specu- 1. Pet. 3. lentur, & intelligant, quid cum ipso vel de ipso Moyses & Helias, id est, lex & Prophetæ loquantur, & populo inferiori annuncient, & cum fide Christi Legalem moralitatem Prophetic amque doctrinam habentes, parati sint reddere rationem omni poscenti. Aptè igitur illa præmittitur Apostoli lectio, quam dicit: 1. Thes. 5. Rogamus vos fratres corripite inquietos, consolamini pusillanimes, &c. Ipsorum est enim hoc officiũ, qui ad hoc vt pastores animarum sint, ordinati sunt.

De Feriis secundæ hebdomadæ.
Cap. 15.

H Ebdomadæ secundę feria secunda illa legitur Euangelij lectio, qua Iudæis com- Ioan. 8. minatur Dominus, se ab illis propter perfidiã ipsorum recessurum, dicens: Ego vado & quęretis me & in peccato vestro moriemini: Quod vtique dicendo, ad Gentes migraturum se esse significabat. Vndè & illi quasi diuinantes dicunt: Nunquid in dispersionem Gentium iturus est, & docturus Gentes? Huic sanè Euange- Dan. 9. lio congruit prophetica Danielis, quæ præmittitur, oratio, qua furorem & iram Domini ab eodem postulat auferri. Hunc enim furorem & hanc iram maximè lachrymosa Prophetæ deplorat conquestio.

Feria tertia Dominus in Euangelio culpans scribas & pharisæos, quòd sedentes super cathedram Moysi, vanè sibi magisterium arro- 3. Reg. 17. gent, dicendo & non faciendo: & quod ament salutationes in foro, & vocari ab hominibus Rabbi, tandem eos percutit, dicens: Omnis qui se exaltat, humiliabitur: Videlicet quia superbi illi, à magisterio scientiæ Dei remouẽdi, & humiles magistri ecclesię de Gentibus cathedram illorum erant accepturi. Quod per illam viduam Sareptanam, de qua in præmissa narratur

tur lectione, præsignatum est: ad quam ex præ- A cepto Domini perrexit Helias, cum multę viduę essent in Israel. Sic enim Ecclesia de Gentibus, legis prophetarumq; doctrinam missam
Esa. 5. sibi à Deo, fidei hospitio suscepit, remanente apud Synagogam siccitate & sterilitate: quia sicut alibi comminatus fuerat Dominus illi, mã
3. Reg. 17. dauerat nubibus suis, scilicet gratiæ suę prędicatoribus sanctis, ne pluerent super eam imbrem, atque ita hęc se humilians à Christo, dũ colligit duo ligna crucis, vt faceret sibi subcinericium panem, panem pœnitentię, exaltata est, non deficiente apud eam hydria farinę, nec im- B minuto lecytho olei, id est, perseuerante scientia legis, pariter & gratia Euangelij. Illa autem se exaltans humiliata sit, adeo ut nec legis farinã molitores eius pharisęi molere sciant, nec
Matt. 23. oleum Euangelij in philacteriis suis & magnificis fimbriis ambulantes, inuenire queant.

Feria quarta illa Euangelij lectio ponitur, Matt. 20. qua Dominus consilium suum discipulis suis secretò reuelat, dicens: Ecce ascendimus Hierosolymam, & filius hominis tradetur ad crucifigendum, &c. Per hæc autem diabolus, hostis noster & inimicus capiendus & iudican- C dus erat. Benè ergò illa lectio præmittitur, qua Hest. 13. Hester aduersus Aman, Dei implorat auxiliũ. Aman quippe diaboli typum gessit, in eo quod adorari affectans, populum Dei morti tradere uoluit, & Mardochęo crucem parauit. Qui
Coloss. 2. sicut in eandem crucem, quã parauerat, actus est, ita diabolum Christus, ut ait Apostolus, palam traduxit confidenter in semetipso, & ipsum chirographum tulit de medio affigẽs illud cruci. Hoc ergò sola commẽdatur oratio Hester, quia totam narrare historiam, quæ, ut dictum est, Dominicę passionis typus est, nimis longũ D & onerosum fuisset. Nobis quoque diabolum uincendum, non nisi per passionis eiusdem communicationem, ex occasione duorum Zebedęi filiorum insinuat.

Feria quinta Dominus in Euangelio sui exẽplo docet, non in hominum, sed in solius Dei confidendum esse testimonio, dum dicit, Ioan. 3. loquens secundũ fragilitatem carnis: Et si ego testimonium perhibeo de me, testimonium meum uerum est: Alius est qui testimonium perhibet de me. Et subiungit, Et testimonium perhibet de me, qui misit me pater. Vos, inquit, E misistis ad Ioannem, & ille testimonium perhibuit veritati. Ego autem habeo testimoniũ maIer. 17. ius Ioanne. Itemque: Ego testimonium ab hominibus non accipio. His proculdubiò consonat, quæ præmissa est prophetica lectio de Hieremia, in hæc uerba: Maledictus vir qui confidit in homine, & ponit carnem brachiũ suum, ut à Deo recedat cor eius, erit enim quasi miricę in deserto. Et post pauca: Benedictus vir qui confidit in Domino, &c.

Feria sexta legitur illa parabola, quam dixit Matt. 21. Dominus ad pharisęos malos, & malè perdendos diuinę legis agricolas, eo quòd missum à se vnicum filium patris familias, id est, seipsum, quem vereri debuerant, occidere deliberabant, dicentes: Hic est hęres, venite occidamus eum, & nostra erit hæreditas, quibus iccir co auferendum erat regnum Dei, & dandum Gen. 17. genti, facienti fructus eius. Huic parabolæ profectò illa de libro Geneseos, quę præmissa est lectio, pulcherrimè congruit, in qua missum ad se Ioseph videntes fratres à longè loquebantur mutuò dicentes: Ecce somniator venit, venite occidamus eum, & videamus, quid illi prosint somnia sua. Ioseph namque in eo, quod vẽditus & in carcere missus est, ipsius Domini typum gessit, qui venditus & morti traditus ac sepultus est, & sic eiectus de vinea sua, tamquam lapis inutilis ab ædificantibus reprobatus, cum regno Dei ad gentes facientes fructus eius transmigrauit, quemadmodum Ioseph à suis venditus & eiectus, Ægyptios pauit.

Sabbato tam in Euangelio, quàm in Epistola duorum populorum Iudaici atque Gen- Luc. 15. tilis continetur figura, quorum prior quãtum ad vnius Dei cultum, scilicet, Iudaicus, minoris, id est, Gentilis populi pœnitentiam pio patre suscipiente, innidia torquetur, foris stans, quẽ gaudere oportuerat, quia frater suus mortuus fuerat, & reuixit; perierat, & inuentus est: Psal. 2. quia sicut eadem die cantamus, lex Domini irreprehensibilis conuertens animas, & sapientiam prestans paruulis. Benè itaque consonat Euangelio præcurrens Epistola, cũ illic iuniore fratre epulãte cũ patre, maior foris remanet in agro: Hic Esau Iacob fratre suo offerẽte epulas, Gen. 27. & ad benedictionem festinãte, consilio matris suę Rebeccę (quę Spiritum sanctum significat) foris in venationibus occupatus tardat. Terrenis enim sensibus & carnalibus obseruationibus detentus populus Iudaicus, spiritalem amittit gratiam.

De Feriis tertiæ hebdomadæ.
Cap. 16.

H Ebdomadę tertię feria secunda præsignat in Euangelio Dominus se in patria sua, Luc. 9. scilicet in Iudęa honorem non habiturum, & ad Gentes, vbi honoretur, transiturum, dum dicentibus phariseis: Quanta audiuimus de te facta in Capharnaum, fac & hìc in patria tua, respondet: Amen dico vobis quia nemo propheta acceptus est in patria sua, iterumque cum terribili illo ac venerabili iuramento suo per similę, non tantum omnino expresse docet, illis posthabitis, gentes potius à peccatis suis esse curandas, in veritate, inquiens, Dico vobis, Multę viduę erant in Israel in diebus Helię, & 3. Reg. 17. ad nullam illarum missus est Helias, nisi in Sarepta Sydoniorum: & multi leprosi erant in Israel sub Heliseo propheta, & nemo illorum mundatus est, nisi Naaman Syrus. Amplius autem in eo, quòd surrexerunt & eiecerunt illum

extra

Universidad de Deusto
Biblioteca

extra ciuitatem, & duxerunt illum in supercilium montis, supra quem ciuitas illorum posita erat, vt præcipitarent eum, significatur ab illis transitura salus, dum dicitur: Iesus autem transiens per medium illorum ibat. Cum enim illum Iudæi crucifigentes in profundum obliuionis præcipitare vellent, ipse aduersus & per medium illorum transiens, iuit ad Gentium populos pedibus suis, pedibus speciosis, id est, prædicatoribus sanctis. Benè ergò huic Euangelio præmittitur lectio illa de Naaman Syro. 4. Reg. 5. Helisæus Christum, leprosus Naaman Gentilem populum significat, immundum & idololatram. Quòd non ipse Helisæus exiuit ad illum foras, sed mandauit illi dicens: Vade & lauare in Iordane septies, & mundaberis: hoc propheticè innuit, quod factum est, quia per semetipsum Christus non prædicauit Gentibus, Matt. 28. sed mittens præcipit eos baptizari: Euntes, inquit, docete omnes Gentes, baptizantes eos in nomine Patris & Filij & Spiritus sancti. Septies autem lauatur leprosus, quia in baptismo propria est operatio septiformis Spiritus sancti, ex quo & renascimur & remissione peccatorum accipientes, noui restituimur.

Mat. 18. FEria tertia in Euangelio commendatur iudicium opus misericordiæ, dicente Domino: Si peccauerit in te, id est, te sciente, frater tuus; vade, corripe eum inter te & ipsum solum, &c. Et quia vbi duo consentiunt, scilicet corrector & auditor, neque opus est, vt alium adhibeas, neque Ecclesiæ dicas, eo quem corripis inter te & ipsum solum, sponte audiente: quia, inquam, tunc parata venia confestim impetratur à Domino. Amen, inquit, dico vobis, si duo ex vobis consenserint, ex omni re quamcumque petierint, fiet illis à patre meo, & quia de impetratione veniæ dixerit, hoc testatur ipse, dum præmittit: Amen dico vobis, quia quæcumq; alligaueritis super terram, alligata erũt & in cælo: & quęcũq; solueritis super terrã, soluta erunt & in cælo. Terminatur autẽ sic: Domine, quoties peccabit in me frater meus, & dimittam ei? Vsque septies? Et dicit illi Iesus, Non dico tibi Petre vsque septies, sed vsque septuagies septies. Ad hæc pulchrè lectio, quæ 4. Reg. 4. præmissa est, concinit: Mulier namque, quæ clamat ad Helisæum pro duobus filiis, quos creditor in seruitutem tollere contendit, ipsa est Ecclesia, quæ pro filiorum peccatis, quos in baptismate genuit, solicita est, nè exactor diabolus pro nummo malæ uoluptatis, quem illis credidit, debitores trahat in damnationem perpetuæ mortis. Cui verus Helisæus, scilicet Christus, præcepit oleum infundere vasis, ostio clauso: quia peccatoribus priuata correptione conuentis, præcipit remissionem & absolutionem indulgeri, data potestate ligandi, atq; soluendi, sicut in Euangelio iam dicto promisit, & veritate interposita, id est, amen, promissionem confirmauit. Clauso ergò ostio vasis infusis redundat oleum, quia per priuatam correctionem pœnitentibus confestim venia peccatorum affluit. Cùm autem quis secretò correptus inter te & ipsum solum non audierit, postquàm Ecclesiæ dictum fuerit, non tam facilis indulgentiæ leniendus erit oleo, sed congruè pœnitentiæ secandus cauterio.

Matt. 15. FEria quarta calumniãtibus Pharisæis, quòd discipuli Domini transgrederẽtur traditiones seniorum non lauando manus suas, dum panem manducarent, redarguit eos Dominus, & criminationis spiculum retorquet in auctores: Quare, inquiẽs, vos trãsgredimini traditiones Dei, propter traditiones hominum? Nã Deus dicit, Honora patrem tuum & matrem tuam: Vos autem dicitis, Quicumque dixerit patri suo aut matri, munus, quodcumque est ex me, tibi proderit, &c. Docuerat enim auaritia Pharisæorum iuuenes, quorum laqueus omnes facti erant, vt iniussu parentum, immò præcepta parentibus donaria deferentes ad templum, to clamantibus parentibus se hoc pacto inhonorari à filiis, cùm Deus dicat, Honora patrẽ tuum & matrem tuam, illud obiicerent, immo hoc pacto honoramus patrẽ. Nam Deus pater noster est, ad cuius hæc deferimus templum, & quod illi offerimus filij, vobis parentibus proderit. Hæc & huiusmodi culpat Dominus in traditionibus hominũ, quas traditionibus Dei præferebant, simulq; edocet, quòd sola transgressio mãdatorum Dei coinquinet hominem. Benè ergò in lectione libri Exodi ipsa Dei mandata præferuntur: Honora patrem tuum & ma- Exo. 20. trem tuam, &c. De quibus in Euangelio conuincuntur hypocritæ, foris nitidi obseruando traditiones hominum, intus autem coinquinati transgrediendo traditiones Dei, quia non quod intrat in os, sed quod exit de corde, coinquinat hominem.

Ioan. 6. FEria quinta venientes ad se turbas, vt sese facerent regem, quia manducauerãt de panibus eius, & saturati fuerant, hortatur Dominus: Operamini, inquiens, non cibum qui perit, sed qui permanet in vitam æternam, &c. Dixerat autem eis: Amen dico vobis, uenistis ad mę, non quia vidistis signa, sed quia manducastis de panibus, & saturati est is. In quo sacerdotum quoq; turbam percutit, qui turmatim veniunt ad altare Domini, non quia delectat eos contemplari mysteria, quæ illic commemorantur Incarnationis, Natiuitatis, Passionis, Resurrectionis & Ascensionis Domini nostri Iesu Christi: sed quia manducant de panibus eius, & saturantur, videlicet de decimis & oblationibus fidelium, sola quęrentes stipendia corporis. Quapropter illa congruè lectio præmit- Iere. 7. titur, qua Hieremiæ dicitur à Domino, Sta in porta domus Domini, & prædica ibi verbum istud, &c. Sic enim & illi, qui pompaticè ingrediebantur portas domus Domini, & cupiditates suas pascentes applaudebant sibimet, dicendo, templum Domini, templum Domini, templum Domini est, magis per illud

prædas

Ioan. 4. prædas agere de populo, quàm (secundum quod in eadem lectione iubetur) bonas facere vias suas, & benè dirigere studentes.

FEria sexta legitur in Euangelio, Dominus Iesus fatigatus ex itinere hora sexta sedisse super puteum, loquensque cum muliere Samaritana, quæ venerat haurire aquã, Si scires, inquit, donum Dei, & quis est, qui dicit tibi, Da mihi bibere, tu forsitan petisses ab eo, & dedisset tibi aquam viuam, &c. Notum atque celebre est fidei sanctę Ecclesię lectionis huius mysterium, videlicet Dominum nostrum Chri
Phil. 2. stum ex itinere, quo ad nostram salutem venit, fatigatum vsque ad mortem, mortem autẽ cru cis, sedisse super puteum, id est, mundanæ sapientiæ exuperasse profundum, mulieremque Samaritanam, id est, Ecclesiam alienigenam, quę de profundis, immo obscuris Philosophorum doctrinis mortuam aquam haurire cõsueuerat, de qua sitientem animam, vt non sitiret iterum, satiare non poterat, didicisse: quia qui biberit ex aqua hac, sitiet iterum, qui autem biberit ex aqua, quam ipse dederit, id est, de Spiritu sancto, non sitiet vmquam, sed fiet
Num. 20. in eo fons aquæ salientis in vitã æternam. Huic Euãgelio valdè congruit præmissa lectio, in qua congregatis filiis Israel aduersus Moysen, atq; dicentibus, Da nobis aquam, iubente Domino ducit eos ad aquam, ad Petram Oreb, & quãquam diffidens, percutit virga bis silicem, & egressæ sunt aquæ largissimę, ita ut populus biberet & iumenta. Moyses namque significat hac in re Iudaicum populum incredulum, populus sitiens humani generis expectationem, petra Christum. Percussit bis silicẽ virga Moyses, i. Iudaicus populus duobus lignis crucis appendit Christũ, & egresse sunt aquę largissimæ, aquæ viuę, quas in Euãgelio supradicto se habere indicat Dominus mulieri Samaritanę. Aqua hęc Spiritus sanctus est, qui tunc datus est, quãdo petra Christus virga crucis percussus, imò post percussionem resurrectione atque ascensione glorificatus est.

Ioan. 8. SAbbato mulierem in adulterio deprehẽsam legimus in Euangelio, & adductam ad Dominum Iesum à scribis & Pharisęis tentãtibus, ficamq; latrocinij sui ancipitem occultantibus, vt quicquid respondisset, calumniantes criminarentur, id est, si vt misericos dimittendam diceret, accusaretur iniustus, & legis aduersarius, si puniendam, velut immisericors infamaretur. Quibus ita obuiauit mansuetudo cum iustitia, vt cedentibus accusatoribus, quippe quos sua subtraxerat conscientia, soli duo remanerent
Dan. 13. misera & misericordia. Huic Euangelio, illa, quæ præmittitur, Danielis lectio congruit: quãuis (vt ait beatus Hieronymus) in Hebraico nõ habeatur, qua legitur Susanna à falsa criminatione adulterij Dei auxilio liberata. Nam hęc per misericordiam, illa lapidationẽ euasit per iustitiam. Atque ita in eiusdem diei officio quodammodo misericordia, & veritas obtinant sibi paribus in personis, eodemque præsidio pietatis, quamuis disparibus causis. Pfal. 84.

De Feriis quartæ Hebdomadæ. Cap. 17.

QVartæ hebdomadæ secunda feria in Euangelio Pharisęis interrogantibus ac dicentibus, In qua potestate hæc facis, & quod signũ tu ostendis nobis, cum respondisset Dominus: Soluite templum hoc, & post triduum excita- Ioan. 2. bo illud: quod de templo dicebat corporis sui, paulò post Euangelista subiungit: Ipse autem Iesus nõ credebat semetipsum eis, eo quòd ipse nosset omnes: & quia non erat ei opus, vt quis testimonium perhiberet de homine, ipse enim sciebat quid esset in homine. Huic Euangelio rectè præmittitur illa lectio de duabus meretri 3. Reg. 3. cibus, quæ corã Salomone de viuente filio contenderunt: quarum alteri, quæ dixit, nec mihi nec tibi sit, sed diuidatur, non credidit infantem viuum sapientissimus Salomon. Nam illæ mulieres Synagogæ atque Ecclesiæ typum gesserunt, infans autem Christi, quem synagoga vtero fidei nec concepit, nec peperit, immò & desiderabat occidi, & adhuc memoriam eius cuperet extingui, vt nec apud se, nec apud Ecclesiam Gentium viueret. Benè ergò verus & verè sapientissimus Salomon (vt ait Euangelista) non credebat semetipsum Iudæis, tendens ad Ecclesiam de Gentibus, & quodammodo dicẽs Apostolis suis: Date huic infantem viuum, hęc est enim mater eius. Ioan. 2.

FEria tertia loquens Dominus ad Iudæos, & arguens homicidas atque impios, Moysen, cui quondam oranti pro illis, quando fecerunt Exo. 32. vitulum in Oreb, dixerat, Dimisi secundum verbum tuum, verumtamen in die vltionis visitabo & hoc peccatum eorum: Moysen, inquam, hactenus orantem pro ipsis iratus remouet dicendo: Nonne Moyses dedit vobis legẽ, & nemo ex vobis facit legem? Remouet enim quem ad illos non pertinere omnimodò, pręua Ioan. 7. ricatione eos separãte ostẽdit. Statimq; Moyse intercessore remoto, de crimine reos conuincit: Quid me, inquit, quæritis interficere? At illi suo more insanientes dicunt: Dæmonium habes, quis te quærit interficere? Ipse verò Moysen, quem perdebant, tertio cõmemorans Exod. 30. magis ac magis reos conuincit. Benè ergò ipsa præmittitur lectio, qua Moysi dicitur: Descende de monte, peccauit populus tuus, quem eduxisti de Ægypto. Recesserunt citò de via, quam ostendisti eis, & fecerunt sibi vitulum conflatilem. Et dicente Domino: Permitte me, vt deleam eos, sequitur: Moyses autem orabat Dominum Deum suum, dicens: Cur Domine irasceris in populo tuo, &c. Hæc oratio Moysi valuit pro illis, donec veniret hoc tempus, quo tantum facturi erant homicidium, crucifigendo Dei filium, qui nunc ait illis, quid me

quę-

Universidad de Deusto
Biblioteca

quæritis interficere? Propter quod iam nunc remouendus erat Moyses interceſſor, ſicut tũc placatus dixerat illi: Dimiſi iuxta verbũ tuum: Verumtamen in die vltionis viſitabo & hoc peccatum eorum.

De Feria quarta Scrutiniorum. Cap. 18.

FEria quarta ſacramenta quę nouæ Eccleſiæ propria ſunt, inchoantur: quibus ſacroſancta Redemptoris noſtri paſſio, venerabili ritu ſanctæ Eccleſię in filiis adoptionis ſanctam no
B uitatẽ ſpitus operãdo figuratur. Hac enim die catechumeni noſtri ex antiqua traditione ſanctæ Romanæ Eccleſię ſignantur, vt ſacroſancta
Ioan. 3. ſolẽnitate noſtræ redemptionis ex aqua & Spiritu ſancto renaſcantur, Chriſto in baptiſmate
Rom 6. commorientes, & conreſurgentes, iuxta Apoſtolum, qui ait: Quicumque baptizati ſumus in Chriſto Ieſu, in morte ipſius baptizati ſumus, conſepulti enim ſumus cum illo per baptiſmum in mortem: vt quomodo ſurrexit Chriſtus à mortuis per gloriam patris, ita & nos in
C nouitate vitæ ambulemus. Moris quippe erat olim in ſancta Eccleſia, non alio tempore regenerationis huius celebrari ſacramẽtũ, niſi in his quibus forte ſuperueniẽte infirmitate vel egritudine, mortis imminеret periculum. Cuncta penè Eccleſiæ proles, quam per annum verbo prædicationis nouam gignere poterat inſtante ſolẽnitate Paſchali, hac die ſua nomina dabat, & per ſequentes dies vſque ad ipſam Paſchę ſolennitatem, audiens quiſque regulam fidei, vnde & catechumenus dicitur (catechumenus nãque auditor interpretatur) lactatus & grandeſcens, tandem in plenitudine temporis, poſt
D quam luna plena eſt, plena fide in ſolennitate ſancti baptiſterij ſymbolum reddens, Chriſto cõmoriebatur & conreſurgebat. At poſtquàm Chriſtianitas creuit, & ſagena illa verbi Dei piſcibus implera eſt, quia periculoſum erat tantam multitudinem differre proprer occaſiones mortis, quæ in multitudine hominum multæ ſunt, maximè propter turbam infantum, ex Chriſtianis parentibus ſuccreſcẽtium, quorum tenera vita perſæpè leui occaſione ſucciditur: Viſum eſt ſanctæ Eccleſiæ, paſſim indulgentia baptizandi conceſſa, immò oblata, cuncta an-
E teuenire pericula, baptiſmi tamen ſolennitatẽ vel in paucis cum Dominica reſurrectione, cui ſimilis eſt, celebrare. Quarta ergò feria nouæ Eccleſiæ celebrantur initia, quæ appellantur ſcrutinia. Scrutinia verò dicuntur à ſcrutando, videlicet, quia perſcrutandum erat in his, qui accedebant, nè qua radix amaritudinis ſubeſſet, velut fuit in Simone Mago, in hæreticis &
Act. 8. hæreſiarchis quàm plurimis, vt ſancta non illis darentur, niſi prius Chriſtiana fides in mentibus eorum radices altas fixiſſet. Cur autẽ hąc potiſſimum die celebrentur, vel quod ſubſequentium vſque ad paſſionis Dominicæ diem
A numerus dierum myſterium contineat, iam dicendum eſt.

Cur quarta feria fiant Scrutinia. Cap. 19.

ICcirco quarta feria potius quàm quinta vel ſexta maximum ſcrutinium celebratur, vt ieiunantes, & vaſa ſua ſuſcipiendæ gratiæ præparantes, quindecim dies ieiunij, vſque ad diem quo Dominus eſt crucifixus, habeãt: quia quintadecima luna Dominus noſter, verus agnus,
B immolatus eſt. Quod à magno myſterio non vacat. Luna namque Paſchalis, de qua Dominus ait ad Moyſen: Menſis iſte principium vo- Exod. 12.
bis menſium, primus erit in menſibus anni. De- Leu. 23.
cima die menſis huius, tollet vnuſquiſque veſtrum agnum, & ſeruabitis eum vſque ad quartumdecimum diem. Luna, inquam, hæc paſchalis (lunares enim ſolos menſes nouerunt, & cõputant Hæbrei) ſanctam Eccleſiam ſignificat, ab eodem verò ſole illuminatam, quæ in plenitudine fidei paſſionem eius ſuſcipiens, commoritur illi & conſepelitur in ſacramento baptiſmatis. Igit quoties Eccleſię noua ſoboles ad cõ-
C moriendum Chriſto præparatur, vt numerus dierum præparationis eius, id eſt, arctioris ieiunij ætati lunę, quæ illam ſignificat, exęquetur, feria quarta ſcrutinia celebrantur. Nam ſi ſexta feria potius celebrarentur (quæ quintadecima eſt die Dominicæ crucis) non niſi tredecim ieiunij dies eorum præparationi reſtarent. Duæ namque Dominicæ intercurrunt. Dominicis autem diebus ieiunare non licet. Igitur dum quarta feria ſcrutinia celebrãtur, & ſequẽtes quindecim dies ieiuniis atque doctrinæ fidei expenduntur, noua Eccleſia, pulchra vt luna, ad plenitudinem proficit, vt crucifixo plena luna Chriſto commoriens & conreſurgens, illi in baptiſmo copuletur.

Quòd hoc Scrutinium præcipuum ſit ſeptem Scrutiniorum. Cap. 20.

SCiendum autẽ hoc nõ ſolùm agi antiqui moris fuiſſe ſcrutinium, ſed omnium eſſe præcipuum. Nam iuxta ordinem Romanum, vſque
E in ſabbatum ſanctum in vigilia Paſchæ, ſeptem agebantur ſcrutinia, vt dum ſeptena rio numero implerentur catechumeni, daretur illis gratia ſeptiformis Spiritus ſancti. Quorum primum erat tertia quadrageſimæ hebdomada, feria ſecunda, qua magnum huius diei, ſcilicet quartæ feriæ ſcrutinium ſic erat ad catechumenos pronunciandũ, Scrutinij diem, dilectiſſimi fratres, quo electi noſtri diuinitus inſtruantur, imminere, cognoſcite, ibidemq; ſolicita deuotione ſequenti quarta feria, circa horam tertiam conuenire dignemini, vt cæleſte myſterium, quo diabolus cum ſua pompa deſtruitur, & ianua regni cæleſtis aperitur, inculpabili miniſterio

niſterio peragere valeamus. Item feria quarta, finitis miſſarum ſolenniis, annunciabat presbyter, vt in ipſa hebdomada reuerterẽtur ad ſcrutinium, ita dicendo: Die ſabbati veniente, colligite vos temperius ad Eccleſiam illam. Iterum atque iterum annunciabat presbyter, qualem diem voluiſſet, ita dicendo: Illa feria venien-
A te, colligite vos temperius ad Eccleſiam illam, donec ſeptem, vt dictum eſt, ſcrutinia complerentur.

De officio eiuſdem quartæ feriæ. Cap. 21.

IAm verò hac feria, quàm ſanctũ, quàm pium quàm myſticum, ſecundũ ea quæ dicta ſunt, ſequitur Miſſæ officium: Primùm in Euãgelio, quod, vt ſæpè dictum eſt, totius officij principale eſt, catechiſmi ſimul atque baptiſmi ſacramentum, ſpecioſe à ſpecioſo noſtræ ſalutis opi-
Ioa 9. fice Dei filio præfiguratum eſt. Homo enim cæcus à natiuitate, genus ſignificat humanum, magnum vtique cæcum, & valde cęcum, qui pulchros oculos ad videndũ creatorem, menti (vbi fulget imago factoris) inditos, in primo paren-
C te, principem tenebrarum reſpiciente, perdidit: atque ideò per hominem à natiuitate cęcum, congruè ſignificatur. Cui reuocato ad veritatis lumen, dum prædicatur à miniſtris Chriſti incarnatio ipſius filij Dei, cæteraq; myſteria, quę in carne pro noſtra ſalute geſſit, lutum ipſe facit ex ipſo ſputo, & linit ſuper oculos cæci. Sputum enim oris & labiorum eius, in quibus gratia diffuſa eſt. Sputum, inquam, quod à capite deſcendit, ſignificat diuinitatẽ Chriſti filij Dei,
Pſal. 44. verbum bonum, quod eructauit cor patris, qui,
1. Cor. 11. vt ait Apoſtolus, Chriſti caput eſt. Expuit nan-
D que caput Deus in terram, & ſputum ſuum pueri, quem omnis ventus agitabat & circumferebat, vniuit, quando verbum ſuum eructauit cor eius in terrenum vterum Virginis, & puluerі noſtrę naturæ in vnam perſonam coniunxit, vt à tali tantoq; ſputo tãtillus puluis formã ſtabilẽ, ſpeciemq; atq; decorem accipiens, conſeruaretur. Igitur dum huius incarnationis fides humano generi prædicatur, magni cæci, vt dictum eſt, oculi luto, quod fecit Dominus, linuntur. Cùm autem ita catechizatus idem cæcus ad ſacros fontes peruenit, & lauatur fonte viſi-
E bili, purificaturq; virtute inuiſibili, hoc vtique
Ioan 9. agit, quod Dominus imperauit. Vade ad natatoriam Syloe, & laua. Fons namq; viſibilis, inuocata virtute Spiritus ſancti, factus eſt natatoria Syloe, id eſt, miſſi, quem aſcendens ad patrem, miſſurum ſe eſſe dixit, & miſit diſcipulis ſuis, filius Dei. Ille (inquam) miſſus in natatoriam ſuam deſcendit, & illitos oculos fide Chriſti, ſua remiſſione lauat à peccatis, illuminat agnitione Dei. Ab hoc quaſi capite vniuerſa membra pendent officij. Primum in introitu,
Ezech. 36. vox prophetica, dum ſanctificatus fuero in vobis, congregabo vos de vniuerſis terris, & effundam ſuper vos aquam mundam, &c. Sanctificatur enim Dominus in catechumenis, dum audiunt, & credunt quia ſanctus eſt, & Leu. 20. 21.
ideo effuſa ſuper ſe aqua munda, id eſt, Spiritu ſancto, per quem hæc viſibilis aqua mundatur & mundificat, emundati ab omnibus inquinamentis ſuis, ſic deinceps viuunt, vt teſtimonio ſint ei, quòd ſanctus ſit, cuius præcepto & ipſi ſancti ſunt. Hoc in vtraque lectione diuerſis verbis, ſed eodem ſenſu reperitur. Nam in prima, quæ eſt Ezechielis prophetæ, idem, quod in introitu cantatum eſt, legitur & additur. Et
B auferam cor lapideum de carne veſtra, & da- Ezech. 36.
bo vobis cor carneum, &c. Cor namque carneum, id eſt, molle ac tenerum, & facile cedens nouam legem ſcribenti digito Dei, habẽt catechumeni noſtri, dum inſcriptam ſibi capiunt doctrinam fidei, quam non capiunt, quæ confringuntur lapidea corda Iudęorum, quorum in typum confractæ ſunt priores tabulæ, quas præciderat Moyſes, & alię præciſæ in ty- Exod. 38.
pum Gentium. In ſecunda, dum dicit Eſaias; Lauamini, mundi eſtote, & ſi fuerint peccata ve- Eſa. 1.
ſtra vt coccinum, quaſi nix dealbabuntur: & ſi
C fuerint rubra quaſi vermiculus, velut lana alba erunt: nihilominus remiſſio peccatorum, quæ accipitur in baptiſmate, commendatur. Gradualia quoque pulchrè atque conſonè ad eumdem ſenſum cõcinunt. Cuius enim, niſi catechizantis nouam ſobolem Eccleſiæ, vox eſt: Veni- Pſal. 33.
te filij, audite me, accedite ad eum, & illuminamini? Nam vt iuxta Euangelium paucis immutetur verbis, idem eſt, ac ſi dicat: Venite cęci, vt luto, quod fecit Dominus ex ſputo, veſtri linantur oculi, accedite ad natatoriam Syloe, & illuminamini. Hoc autem quod duæ lectiones totidemque gradualia præſens accumulat officium, ſacramenti celebritas popoſcit, uidelicet ut propter augmentum filiorum habeat quoq; ſpiritualium augmenta ciborum. Lecto autem Euãgelio, in quo ſæpè dictus cęcus illuminatus & extra ſynagogam ęiectus, filium Dei foras inuenit, immo à filio Dei foras inuentus eſt, & procidens adorauit, conueniens huic ſignificationi ſequitur offerenda: Benedicite Gentes Pſal. 65.
Deum noſtrũ. Nam in Pſalmo illo, de quo ſumpta eſt, iuxta ſacram expoſitionẽ venerabilium doctorum, loquũtur Apoſtoli, exhortãdo Gentiles laude inenarrabili & opere & uoce Deum laudare, & de occulto & terribili iudicio eius, quo illos aſſumpſit, & populum ſibi ante peculiarẽ & electum repudiauit, intra ſe expaueſcere Rom. 11.
& timere, ne fortè, ſi naturalibus ramis non pepercit, quia inobedientes fuerunt, imò quia cæcum illuminatum extra ſynagogã ęiecerunt, i. Gentibus cadẽtibus cõmunicare noluerũt, nec ipſis parcat, ſi ſuperbiant. Benè ergo de Pſalmo illo, utpote de uoce Apoſtolorũ, qui magnum cęcum, i. omnes Gentes, catechizauerunt, offerenda hęc ſumpta cum verſibus ſuis ad rem conuenientia cinit, maximè in eo, quod dicimus: In multitudine iniquitatis tuæ mẽtientur tibi inimici tui, &c.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Prou. 95. Matt. 12. Mentiti sunt enim inimici eius, dicētes: In Beel zebub principe dæmoniorum eiicit dæmonia, cùm ipse in digito Dei eiecerit. Hoc autem illud præibat agendū, quod in catechismo Christianæ fidei spiritus immūdus eiiceretur de hominibus per idololatriam possessis, quos ipse fortis armatus malè pacato custodiebat atrio. Benè ergò & venerabiliter cantamus hac die, qua de hac eiectione muti dæmonij mentiūtur vsque nunc inimici eius Iudæi, ꝙ non fiat in spiritu Dei: Sed frustra. Nam illis blasphemantibus, hoc fit quod sequitur: Omnis terra adoret te. Venite & videte opera Dei, quàm terribilis in consiliis super filios hominum, videlicet in illius prioris populi abiectione, & Gentiū assumptione. Cōmunio quoq; canora, ac suaui modulatione acutas uoces efferens, gratulabunda prædicatio siue testificatio est humani generis, incarnationem filij Dei confitentis, iuxta illud, Credidi, propter quod locutus sum. Et sicut indignantibus & maledicentibus Pharisæis & extra synagogam eiicientibus, non tacebat ille, dicens: Ille homo, qui dicitur Iesus, lutum fecit ex sputo, & liniuit oculos meos, & modo video, sic beati illi, quibus ait Dominus: Beati eritis, cùm oderint vos homines, & cùm separauerint vos, & exprobrauerint, & eiecerint nomen vestrum tamquàm malum propter filium hominis, quantò magis maledicunt eis inimici Christi, & os eorum opprimunt, tantò magis prędicant scientes & intelligentes lutum illud, id est, incarnationem Christi, illuminationem omnium esse videntium.

Psal. 65. Psal. 115. Ioan 9. Matt. 5. Luc. 6.

A

B

C

AD INTROITVM.

Vbi aguntur scrutinia, propriè quoque collectæ pro catechumenis dicuntur.

D

ORATIO.

Omnipotens, sempiterne Deus, Ecclesiam tuam spirituali fœcunditate multiplica, vt qui sunt generatione terreni, fiant regeneratione cæstels.

SECRETA.

Remedij sempiterni munera Domine lętantes offerimus, suppliciter exorantes, vt eadem nos & dignè venerari, & pro saluandis congruenter exhibere perficias. Per Christum.

E

COMPLENDA.

Tu semper quęsumus Domine, tuam attolle benignus familiam, tu dispone correctam, tu propitius tuere subiectam, tu guberna perpetua bonitate saluandam, per Dominum nostrum.

Cur statio ad sanctum Paulum.

Onsiderata, vt dictum est, scrutiniorum ratione, perspicuum est, quòd statio ad sanctum Paulum præscripta, valde rei conueniat. Ipse enim magnus & mirabilis catechizator orbis terrarum, & (vt ipse ait) doctor Gētium, in fide & veritate, ipse idem magnificè & mirabiliter catechizatus est, quia non ab homine, neque per hominem (sicut ipse ait ad Galatas) Euangelium meum, quod Euangelizatum est, non est à me, neque enim ab homine accepi illud, neque didici, sed per reuelationem Iesu Christi. Cum voce namque, quam de cælo corporaliter audiuit, qua carnalis eius sensus percussus & occisus est, incorpoream quoque vocem accepit cælestis magisterij, quam per triduum audiens, iuxta magistri catechizantis efficacissimam potentiam, ipse quoque catechumenus mirabilis, perfectus redditus est doctor Euangelij. Nec longè dissimilis illi cæco Euangelico, vtpote corporaliter cæcus ad natatoriā baptismi salutaris missus est, vbi & corpore & anima illuminatus, discęptātibus contra se Pharisæis, omnibus Christi inimicis, enarrare non desiit, quid fecerit sibi homo, qui dicitur Iesus, quomodo sibi aperti sunt oculi, & lutum ipsum quod fecit ex sputo Dominus, id est, incarnationem verbi Dei, omnibus ostēdere non cessauit. Propter quod & maledixerunt ei, & extra synagogam suam eiecerunt, quinquies quadragenis vna minus cæsum.

Galat. 1. Act. 9. Act. 20. 2. cor. 12.

De Feria quinta. Cap. 22.

FEria quinta in Euangelio, vbi ait Dominus: Pater meus vsque modò operatur, & ego operor, vt indicet nobis, quomodo operetur, & non falsum dixerit Scriptura per Moysen ministrata, Quia Deus requieuit ab omnibus operibus suis in die septimo, vt, inquam, indicet, quia tunc operatus est, cùm fecit mundum, & vsque nunc operatur, cùm regit mundum, paulò post subiungit: Sicut enim pater suscitat mortuos & viuificat, sic & filius quos vult, viuificat. Quod se dixisse ostendens de resurrectione, quę nunc fit, qua transeunt homines (vt ait beatissimus Augustinus) à morte infidelitatis ad vitam fidei, a morte falsitatis ad vitam veritatis, à morte iniquitatis ad vitam iustitiæ. Amen, inquit, dico vobis, quia qui verbum meum audit, & credit ei qui misit me, habet vitam æternam, & in iudicium non venit, sed trāsit à morte ad vitam. Et hoc attendite, inquit idem Augustinus, Non, nunc transit, sed iam transit à morte in vitam. Ac deinceps: Amen, inquit, dico vobis, quia venit hora, & nunc est, quando mortui qui in monumentis sunt, audiēt vocem filij Dei, & qui audierint, viuēt: Nō, inquit, quia viuunt, audiunt, sed quia audiūt, reuiuiscūt. Per quod amplius claret de hac resurrectione hæc dici, qua mortui in infidelitate & ignorantia Dei sic resurgunt, vt prius audiant, & audiendo reuiuiscant. Ista resurrectione, si rectè credimus, resurreximus, & nos ipsi, qui iam resurreximus: alteram in fine resurrectionē expectamus. Huic Euangelio rectè præmittitur illa lectio libri Regū, de filio Sunamitis, quem puer ab Helisæo missus cum baculo, non resuscitauit. Per semetipsum verò Helisęus ueniens, seque super mortuum sternens, atque ad eius membra se colligens, huc illucq; deambulans, &

Ioan. 5. Gen. 2. Ioan. 5. 4. Reg. 4.

& in ore pueri septies aspirans, hunc ad rediuiuam lucem protinus per mysterium compassionis animauit. Eandem enim resuscitationem humani generis, quæ fit per fidem, de qua suprà dictum est in Euangelio, teste Beato Gregorio, hæc pueri resuscitatio significauit. Auctor, inquit, humani generis Deus mortuum puerum doluit, cum extinctos nos iniquitatis aculeo miseratus aspexit: & quia per Moysen terrorem legis protulit, quasi per puerum virgam misit. Per legem quippe virgam Deus tenuerat, cùm dicebat: Si quis hæc vel illa fecerit, morte moriatur. A peccati igitur morte, timor suscitare non valuit, sed ad statum vitæ apparata mansuetudinis gratia erexit. Sed puer cum baculo mortuum suscitare non valuit, quia Paulo attestante, nihil ad perfectum adduxit lex. Ipse autem per semetipsum veniens, & super cadauer se humiliter sternens, ad exęquanda sibi mortui membra se colligit, quia cùm in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo, sed semetipsum exinaniuit, formam serui accipiens, in similitudine hominum factus, & habitu inuentus vt homo. Huc illucque deambulabat, quia, & Iudæam iuxta, & longè positas gentes vocat. Super mortuum septies spirat, quia per operationem diuini muneris gratiæ septiformis spiritum in peccati morte iacentibus aspirat. Moxque iuuenis erigitur: quia is, quem terroris virga suscitare non potuit, per amoris spiritum puer ad vitam redijt.

Heb. 7. Phil. 2.

A

B

C

De Feria sexta. Cap. 23.

FEria sexta legitur Euangelium de resurrectione Lazari. Notum est mysterium huius miraculi, & penè à cunctis doctoribus celebratum, quòd videlicet Lazarus, quem amabat Dominus, de quo ipse ait: Lazarus amicus noster dormit, sed vado vt à somno excitem illum: & cuius sorores sæpè Domino ministrauerant, typum gesserit iam fidelis & intra Ecclesiam positi hominis, qui cùm sit amicus Domini nostri Iesu Christi per fidem, moritur illi per iniquam operationem, & in sepulchro malæ conscientiæ, consuetudine scelerum obrutus, iamque fœtens per infamiam, tamdem per occultam inspirationem Dei magno timore futuri iudicij, quasi magno saluatoris clamore concussus, ad vitam pœnitendo resilit, & malæ sepulchrum conscientiæ per vltroneam aperiens confessionem, vinculis peccatorum meretur absolui, quia viuit.

Ioan. 11. 3. Reg. 17.

D

E

Hoc autem in filio mulieris Sareptanæ præfiguratum est, ad quam Helias Domino iubente ierat, relicta apud carnalem Israel siccitate & fame. Nam & illa mulier (vt iam superius dictum est) Ecclesiam de gentibus mysticè significauit, quæ legem & prophetas, imo Christum, qui ipsis agnoscitur, tamquàm Heliam hospitio fidei suscepit. Filius verò huius viduæ, vnusquisque fidelis est, qui tunc moritur, quando dignum morte peccatum admittit. Et quòd in clamore Domini Lazarum euocantis significatum est, in cuius domo & ipse à forotibus eius pascebatur, hoc idem in clamore Heliæ præcessit clamantis ad Dominum, & dicentis: Obsecro Domine etiam ne viduam, apud quam ego vtcumque sustentor, afflixisti, vt interficeres filium eius? Ad hoc quoque, quòd Lazarum amicum suum appellauit Dominus, pulchrè conuenit illud, quòd hic fuisse dicitur filius Amathi, id est, veritatis. Affirmant enim Iudęi, quòd Ionas fuerat iste Sareptanæ viduæ filius, quem resuscitauit Helias, matre postea dicente ad eum: Nunc cognoui quoniam vir Dei es tu, & verbum Dei in ore tuo verum est, & ob hanc causam, ipsum puerum Amathi vocitatum. Amathi namque ex Hebræo in Latinam linguam, veritas dicitur, & ex eo quod Helias verum locutus est, ille qui suscitatus est, filius nuncupatus est veritatis.

Sed & hoc quòd mortuum vt susciteret Helias supra lectum suum posuit, à mysterio non vacat: Lectus namque Heliæ, Catholicam Christi designat Ecclesiam, in qua sola per remissionem peccatorum mortuæ reuiuiscunt animæ. Nam de hac Ecclesia dicitur in canticis canticorum: En lectulum Salomonis, sexaginta fortes ambiunt. Supradictam ergo lectionem Euangelij benè, vt consonanter ista de libro Regum lectio præcurrit.

De Feria septima Sabbato. Cap. 24.

SAbbato hoc Euangelium ponitur, in quo Dominus cùm dixisset: Ego sum lux mundi, qui sequitur me, non ambulat in tenebris, sed habebit lumen vitæ: obuiantibus Indæis & dicentibus, tu de te ipso testimonium dicis, testimonium tuum non est verum, euincit eos firmo & vero argumento, dum dicit: Etsi ego testimonium perhibeo de me ipso, testimonium meum verum est. Et statim proponit, quod necessario concedendum sit: In lege vestra scriptum est, quoniam duorum hominum testimonium verum est. Et protinus assumit: Ego sum qui testimonium perhibeo de meipso, & testimonium perhibet de me, qui misit me pater. Quod & ipsum concedi oportet. Palàm namque est auditum testimonium patris, dicentis: Hic est filius meus dilectus, in quo mihi complacui. Et mortui resuscitati, & cætera, quæ ostendebat eis ex patre suo opera bona, testimonia erant de ipso, tam patris, quàm filij. Testimonium ergo verum atque fidele falso calumniabantur, contra legem suam præuaricatores legis. Ad hæc, quæ præcurrit lectio prophetica, pulchrè accedit in eo quod ait.

Ioan. 8. Deut. 19. Matt. 3. 17. Esa. 55.

Ecce testem populis dedi eum, ducem ac præceptorem gentibus: Ecce gentem, quam nesciebas, vocabis, videlicet tuus ipse testis, & gentes quæ non cognouerunt te, ad te current, propter Dominum Deum tuum, & sanctum

Universidad de Deusto
Biblioteca

Israel, quia glorificauit te, videlicet iuxta hoc quod de illo dicis, & testimonium perhibet de me, qui misit me pater. Iccirco namque gentes credendo ad filium currũt, quas nesciebat, quia ipsum filium patremque Deum, qui duo testes sunt, quia duæ personę, sed non duo dij sunt, fideles & idoneos comprobant, quorum testimonia recipiant, ex dictis & ex factis vtriusque, certum tenentes, quòd ipse filius ad ipsorum salutem à patre missus sit. Sed & in eo, qđ ait in Euangelicæ principio lectionis: Ego sum lux mundi, &c. Et in eo quod in propheticę lectionis exordio prædictum est: Omnes sitientes venite ad aquas, &c. summa vtriusque consonantia est. Nam & illa lux inebriat, & hęc aqua sapientiæ potatos illuminat, testante Psalmista, qui cùm dixisset, quoniam apud te est fons vitę, protinus subiunxit: Et in lumine tuo videbimus lumen. Vna eademq; sapientia Dei patris, fons est vitæ, lumenq; de lumine. Et de vtroque prędmissum est: Inebriabuntur ab ubertate domus tuæ. Ioan. 8. Esa. 55. Psal. 35.

FINIS LIBRI QVARTI.

RVPERTI ABBATIS TVITIENSIS DE DIVINIS OFFICIIS LIBER QVINTVS.

De Dominica in Passione Domini. Cap. 1.

PRæcedenti vespera Dominicæ huius, annua Dominicę passionis celebritas inchoatur. Cur autem tot dies ante illũ diem, quo crucifixus est Dominus, incipiatur, ex Euangelio Ioannis animaduertere possumus. Ait enim, Collegerunt Pontifices & Pharisæi cõcilium aduersus Iesum, & dicebãt: Quid facimus, quia hic homo multa signa facit? Et cùm prophetasset vnus ex ipsis Caiphas nomine, qui erat Pontifex anni illius, quòd expediret vnum hominem mori pro gente, & non tantum pro gente, sed vt filios Dei, qui erant dispersi, congregatet in vnum, secutus adiungit Euangelista: Ab illo ergo die cogitauerunt, vt interficerent eum. Ac deinceps: Iesus ergo iam non palàm apud Iudæos ambulabat, sed relictis illis, abijt iuxta desertum in ciuitatem, quæ dicitur Effrem, & ibi morabatur cum discipulis suis. Et quando concilium illud habitum fit, item ex consequentibus colligi potest. Sequitur enim: proximum autem erat pascha Iudæorum, & ascenderunt multi in Hierosolymam de regione ante pascha, vt sanctificarent seipsos. Planè per hoc, initium primi mensis tunc extitisse commendatur, quando Lazarus suscitatus est, propter quod signum non multò pòst concilium habitum est. Moris enim Iudæis erat, ex præcepto legis sanctificare seipsos ante pascha, ipsamque sanctificationem initiare prima die Mensis primi: qua die & tabernaculum dedicatum est, sicut in Exodo legimus, loquente Domino ad Moysen: Mense primo, prima die Mensis eriges tabernaculũ testimonij, & pones in eo arcam, &c. Et paulò pòst: Assumpto vnctionis oleo vnges tabernaculum cum vasis suis, vt sanctificentur, &c. Illud quoque non prætereundum, quod eiusdem Mensis initium, id est, luna prima in sexta feria tunc extiterit. Siquidem sexta feria, qua Dominus crucifixus est, quinta decima extitit, ac per hoc ita esse, vt dictum est, nemo qui dubitat. Nam quintadecima in eandem feriam semper occurrit, in quam & prima. Igitur ex his quæ dicta sunt, quoniam Ecclesiastici compositor officij supradictum Euangelium de resuscitatione Lazari non sine causa sexta feria legi voluit, quę quinta decima dies est ab illa, qua Dominus crucifixus est. Ex his, inquam, quæ dicta sunt, datur intelligi, quòd Dominus ipso die Neomeniæ Lazarum suscitauerit. Delectat valde legitimus hic regis nostri processus, legitimus & sanctus summi sacerdotis nostri clangor in die Neomeniæ huius. Ipse qui quondam iusserat filiis Israel per Moysen, dicens, Quando exibitis ad bellum contra hostes, qui dimicant aduersum vos. Si quando habebitis epulum, & dies festos & calendas clangetis tubis super holocaustis & pacificis victimis: ipse rex noster exiturus ad bellum passionis, contra diabolum principem mundi, ipse summus sacerdos noster habiturus epulum corporis & sanguinis sui, quod cum traderet discipulis suis: Desiderio, inquit, desideraui hoc pascha manducare vobiscum, antequàm patiar. Habiturus diem festum suæ sacrosanctæ resurrectionis. Habens, inquam, Exod. 40. Num. 10. Luc. 22.

Ioan. 11.

quam, calendas, i. initium Mensis vel lunæ, cuius in plenitudine hæc facturus erat, clangit tuba tanti tamq; excellentis miraculi, quo & hostes suos attonitos reddidit, & corda piorum magis ac magis ad credendum animauit. Namque & hostes eius turbati dicunt: Si dimittimus eum, sic omnes credent in eum, & plebs ad credendum magis animata præcipuè propter hoc signum, postmodum illi veniẽti Hierosolymam cum palmis & laudibus obuiam processit. Suscitato autem Lazaro, non longum erat vt hoc Pharisæi audirent. Bethania nanq; ab Hierosolymis quindecim tantùm stadiis, i. non integris duobus distat miliarijs. Et ex Iudæis, qui fuerant cum Iesu quando illum suscitauit, quidam inquit Euangelista, abierunt ad Pharisæos & narrauerunt eis quæ fecit Iesus. Nec mora fuit post hoc colligendi cõcilij. Mox enim sic Euangelista coniungit, Collegerunt ergò Pontifices & Pharisæi concilium. Rursus non longũ erat, aut difficile tunc illud colligi. Cùm enim, vt ait Euangelista, quia proximum erat Pascha Iudæorum, multi ascenderunt Hierosolymam, vt sanctificarent seipsos, tunc verò præcipuè Pontifices & Pharisæi, qui erant clerici Iudęorum. Si qui fortè ex ipsis procul aberant, solenniter conuenerant. Continuata quoque duorum solennitas dierum, i. sabbati & Neomenię, quæ, vt supradictum est, pridie fuerat, agendo concilio frequentiores atque expeditiores reddiderat. Nihil igitur repugnat, quin eodem sabbato (cuius in vespera Dominicę passionis annuã inchoamus memoriam) illud impiorum concilium collectum fuerit, & quia ab illo die cogitauerunt, vt interficerent eum, iccirco in vespera, quasi post horam eiusdem concilij, luctum publicũ incipiat Ecclesia suo Domino per omnia compatiens, vt corpus capiti. Hac ergò Dominicę passionis, vt dictum est, commemoratione inchoata, res digna spectaculo procedit. Prędmissa namq; per septẽ Dominicas superius digestas, quasi pompa funeris, & secundũ ritum officij procedente Ecclesia in ordine suo per totidem ętates seculi, tandẽ ipsa mors Christi, cui omnis illa pompa præordinata est, effertur prę oculis & piis fideliũ mentibus, ingeruntur vulnera, cunctaq; mortis insignia, quę pertulit pro cunctis vnica salus, Deus & homo Christus, Dei vnigenitus. Nihil quippe tam frequẽs, quàm prodeuntia vexilla regis, fulgidũq; mysterium crucis. Acetum quoque, fel & arundinẽ, clauos & lanceam perforati corporis, tã in nocturnis, quàm in diurnis meditamur cãticis, quę de authenticis veteris pariter ac noui testamẽti scripturis congesta sunt. Sicq; fiunt comæ capitis Ecclesiæ, i. cogitationes cordis eius, quasi purpura regis iuncta canalibus, dum passionem redemptoris meditatur, sensum suum authenticis adhibens scripturis, videlicet pretiosis purpuræ tincturis, quę per ora prophetarum & Apostolorum, velut per quosdam canales, Spiritu sancto conficiente, profluxerunt. Cant. 7.

Cur Gloria patri non dicimus. Cap. 2.

VErumtamen hac Dominica totaq; hebdomada luctus ille remissior est, quia nõ statim post habitum concilium traditus est agnus in manus laniſtarum impiorum vt portaretur ad victimam, sed quia iam ex tunc quæri cœpit. Et quia mandatum dederant pontifices, & pharisæi, vt si quis cognouerit, vbi sit, indicet, vt apprehendant eum. Et quia Iesus iam non palam ambulabat apud Iudęos, nos quoque cum illo quodammodo secedimus, dum vocem lętitiæ & laudis aliquantulum supprimimus. Nam de responsoriis, gloria patri subtrahimus, & apud quosdam ad Missas quoque cum introitu officij non dicitur. Siquidẽ breuis licet versiculus, quia sanctæ Trinitatis magis expressa, magisq; propria laus est, benè capitis nostri solitudinem atque silentium, nõ palam ambulantis, dum non dicitur, significat.

Cur hac Dominica Hieremias legatur. Cap. 3.

HIeremias quoque Propheta competenter per hos dies & nocturnas legitur vigilias. Hic enim non solùm dictis, sed & passionibus suis, redemptoris nostri passionem præfiguravit, & in eo quoque, quod in eisdem tribulationibus suis non decessit, sed ruinæ ciuitatis vel templi superstes fuit, quamuis post hæc à populo descendente in Ægyptum lapidatũ illum Iudęi autument. & in eo, quod secundum prophetiam eius, captus est Sedechias, & occisis filiis eius oculos quoq; ipsius eruit rex Babylonis. Nam & redemptor noster cum putaretur & desideraretur extingui & cõteri de terra viuentiũ, iuxta illud, Inimici mei dixerũt mala mihi, quãdo morietur & peribit nomen eius, cunctis tribulationibus suis & morti atque inferis emersit, & superstes fuit, imò est atq; erit peccatrici ciuitati, quæ cùm vocaretur Hierusalẽ, pars illius meritis effecta est, quæ vocatur spiritualiter Sodoma & Ægyptus. Et secundũ prophetiã eius, qua dixit: In iudicium ego veni in hũc mundũ, vt nõ videntes videant, & videntes cæci fiãt, captus est, in superbia sua Iudaicus populus, & occisis filijs eius, id est, carnalibus legis operib. in quibus nihil vitalis gratię Dei remansit, insu per oculos eius eruit spiritualis Nabuchodonosor, scilicet diabolus, & obscurati sunt oculi eorum ne videant, & dorsum eorum semper incuruatur. Benè itaq; Hieremias propheta per hos dies legitur, Christi Dñi passionẽ in suis pressuris designãs, futuramq; abiectionem gentis Iudaicæ sub typo eius captiuitatis, quæ tunc accidit, lachrymosis lamentationibus deplorans. Hier. 38. Apoc 12. Ioan. 9. Psal. 68. Psal. 40.

De officio eiusdem diei. Cap. 4.

TOtum Missæ officium illud personat, quod per eamdem passionem Domini erat futu-

Universidad de Deusto
Biblioteca

futurum, videlicet quòd deferendum erat vetus sacerdotium Iudæorum, per ipsum noui testamenti mediatorem, nouique sacrificij pontificem.
Quòd & sanctum Euangelium mysticè significat, & præcurrens Apostolica lectio manifestè denunciat, Nam cùm dixisset Euangelista: Tulerunt lapides Iudæi, vt iacerent in eum, statim adiecit: Iesus autem abscondit se, & exiuit de templo. Et quid abscondendo se (ait B. Gregorius) Dñs designat nisi quod eis ipsa veritas absconditur, qui eius verba sequi contemnunt? Eam quippe, quam non inuenit humilem, veritas fugit mentem. Hoc ergo innuit, quòd templum & vniuersa Iudæorum sancta, propter superbiam & duritiam cordis eorum deserturus esset, cunctaque præsides templi virtutes, quas Iosephus testatur auditas esse, dicentes: Transeamus ex his sedibus, essent meliores aditurę sedes, quas inhabitante Domino & ipsæ protegerent. In lectione autem Epistolæ dicit Apostolus: Christus assistens pontifex futurorum bonorum, per amplius & perfectius tabernaculum non manu factum, &c. Quibus dictis apertè declarat, ad quæ meliora de templo Iudæorum exiens Pontifex noster emigrauerit. Introitus verò: Iudica me Deus, & discerne causam meam de gente non sancta, &c. Itemque illud in graduali: Eripe me de inimicis meis, voces sunt eius exeuntis tẽplo & orantis secundum humanitatem, vt manifesto discrimine discernatur causa eius, scilicet fides Euangelij à iustificationibus legis, quod & factum est in eo, quòd & templum destructum est, & sacrificia Iudæorum abolita sunt. Nam etsi stetisset potentia Iudaici regni, cultusq; templi veteris maiori fuissent impedimento Christianæ fidei, quia non facilè discernere possent carnales, & infirmi vacuitatẽ veteris sacerdotij, si fulciretur prosperitate & gloria temporali. Quomodo ergo prius mortuus est Moyses, & postmodum filij Israel Iesu duce transierunt Iordanem, sic expediebat prius destrui templum, vetusq; sacerdotium, vt ablq; scrupulo ad sanctam Christi transiremus baptismum. Quod autem in graduali sequitur: doce me facere voluntatem tuam, illud est quod cum imminente mortis articulo, dixisset orans. Mi pater, si possibile est, transeat à me calix iste, postulans nõ timore patiendi, sed misericordia prioris populi, ne ab illis ꝓpinatũ biberet calicẽ, vnde & signãter non dixit, transeat à me calix, sed calix iste: cùm (inquã) hoc orasset, reuertens in semetipsum, quod ex hominis persona trepidanter renuerat, ex Dei filijque confirmat: Verumtamen non sicut ego volo, sed sicut tu. Deinde, tãquàm si requiras cur de tẽplo auersus & iratus exierit, sequitur in tractu. Sæpè (inquiens) expugnauerunt me à iuuẽtute mea, i. ab Ecclesiæ primordijs à sanguine Abel iusti: sæpe (inquam) expugnauerunt me, in membris meis, in corpore meo (quod est Ecclesia) occidendo prophetas, & lapidando eos, qui ad se missi sunt, & prolongauerunt iniquitatem suam perseueranter occidendo vsque ad meipsum, de quo nunc dicunt: Hic est hæres, venite occidamus eum. & nostra erit hæreditas. In offerenda, confitebor tibi Domine in toto corde meo, præmium reposcit obedientiæ, factus obediens vsque ad mortem, dum dicit secundum formam serui: Retribue seruo tuo vt viuam, id est, vt resurgam, & tunc custodiam, id est, custodiri faciam, sermones tuos: vinifica me secundum verbũ tuum, id est, per inhabitantis in me verbi tui potentiam. Sequens versus iuxta Euangelica verba, quæ prædicta sunt, quis ex vobis arguet me de peccato: qui est ex Deo, verba, Dei audit, immaculatos beatificat, qui ambulant in lege Domini, & scrutantur testimonia eius. Alius quoque versus, viam veritatis elegi, totus vocalis, dictis elegans neumisq; canorus, vox est deuotæ fidei, conterritæ & excitatę de hoc, quod paulò antè audiuit. Si veritatem dico, quare non creditis mihi? Cùm enim hunc Ecclesię chorus cum vociferatione extollit, exilire videtur de cœtu illorum, qui coarguuntur non credentes veritatem dicenti, quique propterea verba Dei non audiunt, quia ex Deo non sunt, apprehendensque vexillum veritatis. Da mihi (inquit) intellectum, &c. Iuxta quod alibi dicunt Apostoli: Adauge nobis fidem. Communio, hoc corpus quod pro vobis tradetur, notissima & percelebris est vox hæc summi sacerdotis Christi, noui testamẽti mediatoris, de templo sæpè dicto egressi, & secundũ præeuntis Epistolæ dicta, neque per sanguinem hyrcorum aut vitulorum, sed per proprium sanguinem introeuntis semel in sancta. Cuius sacerdotij, quia Beatus Petrus primus hæres, primusque post Christum tempore & dignitate Pontifex est, quem & dicentem; Sequere me, secutus est simili more cinctus, & quo nolebat abductus, rectè ad ipsum statio præsenti officio præscripta est.

Ioan. 8.
Heb. 9.
Psal. 42.
Psal. 17.
Ioan. 8.
Psal. 118.
Luc. 17.
Heb. 9.
Heb. 9.
Ioan. 21.
Psal. 142.
Matth. 26.
Psal. 118.
Matt. 24.
Matt. 21.
Psal. 118.

De consonantia ferialium lectionum. Cap. 5.

Feria secunda legitur hoc Euangelium, in quo dictum est, Miserunt pontifices & Pharisæi ministros, vt apprehenderent Iesum, sequitur: Iesus autem dixit eis, adhuc modicum tempus vobiscũ sum, & vado ad eum qui misit me. Et quid deinde illis euenturum esset, subiungit: quæretis me, & vbi ego sum, vos non potestis venire, scilicet muro infidelitatis obsistente. Quo dicto perspicuè se relictis illis, ad gentes commigraturum esse minabatur. Vnde illi quoque quasi diuinantes dicunt: Nunquid in dispersionem gentium iturus est, & doctu rus gentes? Huic Euangelio rectè illa præmittitur lectio de Iona, qui prædicare nolens Niniuę ciuitati magnæ, fugit in Tarsis, & fluctibus maris se tradidit, desertionem vtique gentis suæ veritus futuram (vt ait Hieronymus) cùm gentilibus Deus innotesceret. Ionas enim, quod interpretatur columba, qui missus prædicare Niniuæ ciuitati gratiam Dei, Christum significat Dominum, ad salutem totius mundi à Deo patre missum. Nam sicut Ionas magnam Niniuem nolens adire, potius maris fluctibus se tradidit: sic Dominus noster corporali præsentia gentes adire nolens, intra seditiones Iudæorum persequentium remansit. Efferbuit mare, & timuerunt nautæ. Audiens enim Pilatus accusationem

Ioan. 7.
Ioan. 8.
Ioan. 8.
Matth. 27.

sationem dicentium, quia filium Dei se fecit, magis timuit, tandemq; persistente grauifluctuatione clamantium, crucifige, crucifige, loris manibus in modum nautarum, qui dixerunt, quæsumus Domine, ne des super nos sanguinem innocentem, di censq́ue, innocens ego sum à sanguine iusti huius, tradidit illis Iesum, vt crucifigerẽt, quasi mari, immittens. Et absorbuit eum cetus, id est, mors, sed adurente ventrem eius diuinitatis igne, tertia die viuum tursus euomuit. Et tunc demum ad prædicationem eius territa Niniue magna, scilicet mundus, trina mersione baptismi, quasi triduana pœnitentia saluatur, & hedera, quę obumbrabat capiti Ionæ, videlicet Iudæa, quòdam habitaculum Christi, aruit.

Feria tertia, vbi dictum est in Euangelio, Ambulabat Iesus in Galilæam, non enim volebat ire in Iudæam, quia quærebant eum Iudæi interficere, & paulò pòst tamen & ipse ascendit ad diẽ festum non manifestè, sed quasi in occulto. Sequitur, Iudęi ergo quærebant eum in die festo dicentes. Vbi est ille? Et murmur multus erat de eo in turba. Alij dicebant, quia bonus est: alij non, sed seducit turbam. Huic sanè Euangelio nõnulla similitudine cõgruit illa, quæ præmittitur lectio de propheta Daniele, licèt in Hebraico non habeatur, quòd congregati Babylonij aduersus regem, dixerunt: trade nobis Danielem, qui Bel destruxit, & draconem interfecit, &c. Nam & Iudæi verè & spiritualiter Babylonij, qui nunc quærebant Iesum, tandem congregati aduersus præsidem Romanæ potestatis Pilatum, quæ Roma scribitur, & est spiritualiter Babylon, petierunt excitata seditione, vt sibi traderet illum, feceruntque sicut ipse queritur per prophetam: Deduxerunt in lacum mortis vitam meam, & pofuerunt lapidem super me. Cumq; victor leonum, scilicet malignorum spirituum, viuum se iterum præbuisset, exclamauit rex Babylonis, videlicet Romanum imperium, voce magna dicens: Magnus est Deus Danielis. Voce, inquam, magna. Magnus quippe sonus extitit, cum primùm imperator Romanæ vrbis, magnæ vtique Babylonis fidem Christi suscepit. Salutat vos Ecclesia, quæ est in Babylone collecta, inquit Apostolus Petrus, Romam tropicè percutiens.

Feria quarta in Euangelio circundantes Iudæi Dominum, dicunt: Quousq; animam nostram tollis? Si tu es Christus, dic nobis palam. Et respondens Iesus: Loquor, inquit, vobis & non creditis. Opera, quæ ego facio in nomine patris mei, ipsa testimonium perhibent de me. Et post aliqua subiecit: Ego & pater vnum sumus. Audiat Arrius, vnum sumus, audiat Sabellius, quia non dixit vnus, sed vnum. Volentibusq; eum lapidare, & de blasphemia calumniantibus. Et si mihi, inquit, non vultis credere, operibus credite. Hic, quia non solum Christum, quod quęrebant, sed & Deum se esse protestans, est, quod intelligere nolunt hæretici, cum intellexerint Iudæi, dixerunt: Quia tu homo cùm sis, facis teipsum Deum, rectè illa præmittitur lectio, qua patribus eorum per singula penè præcepta Dominum se protestatur &

Deut. 32.
Ioan. 7.
Ioan. 10.
Ioan. 8.
Danie. 14.
1. Pet. 5.
Apoc. 17.
Thre. 3.
1. Pet. 5.
Ioan. 10.
Leuit. 19.

Deum tamquam contumacis serui cerviceꝫ duram contundens. Num & isti, filij rebellium & incredulorum tentatorum & murmurosorum ꝛtantes & ceruicem suam obdurantes hoc merebantur, vt quemadmodum corpora illorum prostrata sunt in deserto, sic ipsi longè à repromissione pellerentur, stantes contra sanguinem proximi, & cuncta supradictæ lectionis præcepta transgredientes. Num. 14.

Feria quinta totum lugubre officium, sterilitatem deplorat Iudaicæ gentis, quæ in morem salicum viriditatem habens per legis scientiam, nullum tamen fidei aut boni operis fructum referebat. Ipsi namque, ipsi pręcipuè Iudæi, qui Domino prædicante obsurduerant, quibus ipse dixerat, Cantauimus vobis & non saltastis, salices erant illæ, de quibus eadem die sub persona antiquorum sanctorum atque nouorum luctuose cantatur in salicibus, in medio eius suspendimus organa nostra, &c. Nam ex quo preciosum illud humanitatis Christi organum in ligno crucis confregerunt, cui dicit pater in psalmo, Exurge gloria mea, exurge psalterium & cithara, suspenderunt organa sua sancti patres & Prophetæ ad salices illas: quia Propheta nullus ad Iudęos ex tunc missus est, & ipsos Prophetarum libros, quos legunt, quia non intelligunt, velut organa suspensa vacare permittunt. Videndum ergo quid tam lugubri officio consonum sit in eiusdem diei Euangelio: Reuersi ministri, quos miserant Pontifices & Pharisæi vt apprehenderent Iesum, reuersi (inquam) sine crimine, pleni admiratione, cùm dicerent eis illi: Quare non adduxistis eum, respõderunt: Numquam sic locutus est homo, sicut hic homo loquitur. Planè hoc dicendo, cunctis organis cunctisque canoribus, quicumque ab initio cantauerunt nobis hymnum de canticis Sion, dulcissimam illius cantionem, id est, doctrinam veraciter prætulerunt. At illi inuidentes & intra semetipsos rixantes, attende quid tandem fecerint. Reuersi sunt, inquit Euangelista, vnusquisque in domum suam. O salices infructuosæ. Expressius significari non potuit summæ ac salutaris cantilenæ contemptus. Meritò ergo in domibus suis hactenus * retrusi, quas distribuere non potuerunt hi, qui distribuunt domos Sion, sicut illis in Psalmo præcipitur: Ponite corda vestra in virtute eius, & distribuite domo eius. In domibus, inquam, suis, id est, in malis conscientiis concluſi non merentur ad publicum reuocari, vt audiant organa scripturarum, quę illis suspensa sunt, nobis autem dulciter & apertè canunt. At illi coniuncti filiis Edom, imò caput illorum effecti, commixti, inquam, terrenis & sanguineis persecutoribus sanctæ Sion, de quibus eodem die cantamus: Memẽto Domine filiorum Edom in die Hierusalem, primum illud proprium diuinitatis organum supplicio crucis confregerunt, & inde sapientes & scribas ad se missos occiderunt, flagellauerunt, lapidauerunt, & persecuti sunt de ciuitate in ciuitatem, & in ciuitatibus quoque gentium persecutionem Apostolis per seditionem excitauerunt, quodammodo dicentes: Exinanite, exinanite vsq; ad fun.

Ioa. 7.
Matt. 11.
Psal. 136.
Psa. 56. 107
Psal. 136.
* recluſi
Psal. 47.
Psal. 136.
Psal. 136.
Matth. 23.
Act. 13. 14.

Universidad de Deusto
Biblioteca

ad fundamentum, in ea, vt funditus tunc, si posſent, nascentem Ecclesiã subruerent. Et sicut in Ecclesiasticis historijs legimus, cum spiritualia Nabuchodonosor, ſ. diabolus, Christianos compelleret ad idololatriã, isti nonnunquàm vehementius vrgebant. Benè ergo supradictũ Euangelium lectio præcurrit de libro Danielis prophetæ, quę est oratio triũ puerorũ, qui secundũ historiam super flumina Babylonis sedentes & flentes, & in medio eius salicibus, id est, infructuosis hominibus laudem Dei se frustra canere dolentes, insuper statuam auream adorare iussi, & quia noluerunt, in fornacem proiecti, martyria victoriasque Ecclesiæ præcurrerunt. Idcirco autem hac potissimum die conuenienter positum est hoc officium, quia post hanc diẽ nulla legitur Euangelij lectio de eo, quod Dominus Iudęis publicè prędicauerit: & ecce illud diuinitatis organum in illis salicibus Babylonis suspensum est.

Dan. 3.

Ioan. 11.

FEria sexta legitur hoc Euangelium: Collegerunt Pontifices & Pharisæi concilium aduersus Iesum, & dicebant: Quid facimus, quia hic homo signa multa facit? Si dimittimus eum sic, omnes credent in eum, causamq; suæ solicitudinis, quasi rationabilem adhibentes: Et venient, inquiunt, Romani, & tollent nostrum locum & gentem. Nam sub imperio Romanorum erant, quia iam ablatum erat sceptrũ de Iuda, & dux de femore eius, & Pilatum Romanæ potestatis præsidem habebant. At illi quia sic timuerunt pruinam, irruit super eos nix, & duplici contritione contriti sunt. Nam & locum & gentem perdiderunt, & deleti de libro viuentium, in terra scripti sunt. Bene ergo illa lectio Hieremiæ prophetæ præmittitur aduersus canes illos, qui Dominum circundederunt, aduersus illud concilium malignantium, quod obsedit illum: Domine, omnes qui te derelinquunt, confundentur, & recedentes à te in terram scribẽtur. & post pauca prauam solicitudinem eorũ intuens, qua dicunt: Veniẽt Romani & tollent nostrum locum & gentem: Paueant, inquit, illi, & non paueam ego. Induc super eos diem afflictionis, & duplici cõtritione contere eos. Quod factum est per Titum & Vespasianum, quando regno Dei iam perdito, locum quoque & gentẽ perdiderunt. Quamuis autem multoties Iudæi Dominum quæsierunt occidere, nam & lapides non semel sustulerunt vt illum lapidarent, ministros quoque miserunt Pontifices & Pharisæi, vt illum apprehenderent: Rectè tamen de hoc concilio dixit Euangelista, Ab illo ergo die cogitauerunt, vt interficerent eum. Nunc enim quasi non tumultuariè vel populari seditione, aut cum præiudicio, sed legitima iudicij sessione sibi videbantur actitare, solicitudinem suam (vt dictum est) prætendẽtes, ne cum rex appellaretur, ipsi rei * maiestatis apud Romanum imperium, sub quo erant, addicerentur.

Gen. 49.

Iob. 6.

Psal. 68.

Hiere. 17.

Ioan. 8. 10.

* Ieſe.

Cur vacat Sabbato ante Palmas. Cap. 6.

SAbbato vacat, quando Dominus Papa eleemosynam dat: hoc sabbatum illud est, quo Dominus Bethaniam venit, & in domo Lazari, quem suscitauerat, cœnam habuit, sicut Euangelista refert. Iesus ergo ante sex dies solennitatis paschæ venit Bethaniam, vbi fuerat Lazarus mortuus quem suscitauit. Fecerunt autem ei cęnam ibi. Lazarus verò vnus erat ex discumbentibus cum eo. Maria ergo accepit libram vnguenti nardi pističæ, & vnxit pedes Iesu, & extersit capillis suis, & domus impleta est ex odore vnguenti. Ibi celebri mysterio commendatũ est odoriferum opus eleemosynæ. Maria nanq; typum gessit Ecclesiæ, pedes autem Domini, pauperes sunt infimi, qui quamuis extrema, tamen eius membra sunt per coniunctionem & vnitatem fidei. Mulier pedes Domini vngit, & capillis suis, qui vtique corpori superfluunt, extergit, quoties diuites qui sunt in Ecclesia, pauperes fideles misericordiæ blandimento refouent, & de ijs, quæ sibi abũdant, illorum inopiã supplent. Vt ergo Romanus Papa celebrem cũ Maria Domino cœnam exhibeat, hoc sabbato eleemosynam dat, atque ita circa pedes Domini occupato eo, sabbatum vacat.

Ioan. 12.

Dominica in Palmis. Cap. 7.

DOminica hac, qua Dñs in ciuitatem Hierusalem passurus venit, luna decima extitit. De hac die prœceperat Dñs in lege filiis Israel: Decima die mẽsis primi tollet vnusquisq; agnum per familias & domos suas, & seruabitis eũ, vsq; ad quartumdecimũ diem mensis eiusdẽ, & immolabit eum vniuersa multitudo filiorum Israel ad vesperam. Nota & celebris est mirabilium historia, quę antè fuerant gesta, scilicet quòd decem plagis Pharaonem & totam Aegyptum Moyses in virga manus suæ percusserit: quibus Pharao, quamuis afflictus, victus tamen non est, donec agnus immolaretur in domibus Israel. Verum quid hoc significauerit, quomodo hæc omnia in figura contingebant illis, & ad præsens negocium pertinet, prętereundum non est. Pharao, diaboli, Aegyptus, mundi, filij Israel, omniũ qui ad vitam præordinati sunt, & populus Dei vocantur, typũ gesserunt, Captiuitas seruitusque filiorum Israel, captiuitatẽ illam designãt, qua diabolus hominẽ in Paradisi libertate conditum, per præuaricationem in tenebris huius seculi captiuauit, & morti obnoxium fecit. Stetit Moyses cũ Aaron coram Pharaone, tenẽsq; virgam in manu, dixit: Hęc dicit Dominus: Dimitte populum meum. Nimirum in virga Moysi, legis disciplinã, in Aaron, eiusdem legis agnoscimus sacerdotium. Hæc enim duo dicta sunt, vt Dei populum à seruitute Pharaonis, id est, diaboli, eriperent. Decem plagę, quibus percussus est, decem legis præceptorum, quibus populus

Exo. 12.

1. Cor. 10.

Exod 7.

lus Dei diabolo captiuatori humani generis repugnare iussus est, similitudinem prætulerunt. Nam tunc primùm mors, quæ regnauit ab Adã vsque ad Moysen, cœpit audire in regno suo cõtradictionem, Deo debitum sibi exigente ab hominibus cultum, & suorum obedientiam præceptorum. Sed sicut Pharao decem plagis non adeo victus est, vt filios Israel dimitteret: ita diabolus decem præceptorum legis obseruatione non adeo superatus est, vt homo in paradisum rediret. Igitur sicut post inefficacem virgam Moysi tandem agnus immolari iussus est, & tũc mortua sunt primogenita Ægypti, & hac vna plaga tactus Pharao dimisit populum & ipse cum reliquis Ægyptijs persequens transeuntes, in mari rubro submersus est: sic postquàm constitit, quòd nihil ad perfectum adduceret lex, agnus Dei Christus immolatus est, & in morte eius primogenitum, id est, originale peccatum deletum est, & in mari rubro baptismi Christi sanguine rubẽtis actualia quoque peccata cum diabolo penitus absorpta sunt. Luna ergo decima (vt dictum est) Dominus Christus, verus agnus, prœcepto patris obediens, ciuitatem Hierusalem passurus ingressus est. Sed nec ipse ingressus eius vacat à mysterijs. Quocumq; enim verus hic sol procedit, similitudines eius, quam operatur, salutis, quasi vmbras interiecto corpori similes reddit. Veniens igitur ad passionẽ, videamus quas iaciat vmbras fulgidę misericordiæ, cuius in multitudine benedictus aduenit. Primum à monte Oliueti duos mittit discipulos in castellum, quod erat contra ipsos, vt asinam illic alligatam pullumque eius soluentes sibi adducerent, &c. In his profectò, quæ vtilitas in sanguine suo, quis fructus suæ passionis, ad quam veniebat, mysticè prefignauit. Ascensurus enim propter passionem mortis, gloria & honore coronatus, ad dextram patris, qui est mons Oliuarum, id est, pater misericordiarũ, & Deus totius consolationis, Deus pacis, fonsq; & origo luminis, atque inde dando hominibus dona, missurus erat Apostolos suos, qui ligandi atque soluendi potestate accepta, asinam & pullum eius, id est, vtrumque populum Iudai cum atque gentilem, ab erroris stultitia, pecca torumque oneribus absoluerent, & abducto sibi humano genere per fidem, ipse supersedens, iuxta quod scriptum est, Et equitatus tuus saluatio, in cęlestem Hierusalem animas induceret, turbis angelorum cum laude occurrentibus, palmasque victoriarum cum ramis oliuarum, quæ sunt pacis insignia, subleuantibus.

Rom. 5.

Heb. 7. Coloss. 2. 1. cor. 10.

Matt. 21.

Heb. 2.

2. Cor. 5.

Abacuc. 5.

Quòd propter processionem palmarum, Dominicalis processio non sit omittenda. Cap. 8.

DIligentibus Euangelicæ auctoritatis inspectoribus rectè complacuit, vt cum hodierna processione palmarum, qua proculdubiò redemptoris nostri recolimus passionem, non cõputent illam, quæ Dominicalis est, qua singulis Dominicis gloriosam eiusdem commemoramus resurrectionem. Constat enim, quòd contraria siue repugnantia non possint simul vno eodemque actu conuenienter exhiberi. Hęc autem manifestè diffident, sibique contraria sunt. Quid enim magis contrarium, quàm tristitiæ gaudium, morti vita, occasui resurrectio? Singulis Dominicis à prima sabbati, qua Dominus resurrexit, dedicatis, hoc nobis processionis ordine significamus, quòd in Galilæam, id est, in translmigrationem, ad videndum Dominum cum Apostolis eius exire debeamus, scilicet vt non simus vetusti homines quod fuimus, sed in nouitate vitæ ambulemus. Vnde semper in huiusmodi processionibus prelatos nostros præeuntes, quasi Dominum in Galilęam sequimur, & locus ipse, quo processionem suprema statione terminamus, rectè à nobis Galilæa nuncupatur. Hãc verò annuam palmarum processionem, nemo qui nesciat passionis esse præconiũ, & illud nobis ob recreationem deuotionis actu renouari, quod pueri Hebræorum tollentes ramos oliuarum obuiauerunt Domino, clamantes & dicẽtes: O sanna in excelsis. Rectius igitur faciunt hi, à quibus accepimus ante tertiam memoriam Dominicæ resurrectionis, quæ per totum annum occurrit, de more peragentes, sicut in cæteris Dominicis, & post tertiam cum processione palmarum, Dominicę passionis eferentes sacramentum.

Rom. 6.

Quòd hæc maior hebdomada mundanæ creationis hebdomadæ respondeat. Cap. 9.

MAgnum illud est & admiratione dignum, quod die Dominica, quæ prima est, in qua creationem mundi cœpit Deus operari, ingreditur saluator ad laborem passionis, & per totam hanc hebdomadam, quę maior hebdomada dicitur, salutem nostram operatus, die septimo cessauit, & in sepulchro requieuit. Tot diebus salutem hominis operatus est, quod diebus hominem & quicquid propter hominem creauit, in mundo disposuit: Et prout operum diuersorum creatione, alij plus, alij minus, rerũ & officiorum diuersa quantitate cõsecrati sunt. Primus hic dies, qua cum tanta claritate opus ingreditur salutiferę passionis, dignitati illius respondẽdet, in qua dixit: Fiat lux, & facta est lux. Et de singulis cęterorum suo loco dicetur, nunc de huius diei officio pauca perspiciamus.

Gen. 1.

De Missa eiusdem diei. Cap. 10.

ILla nostri traditio, qua pater illum tradidit, sicut Apostolus ait, qui proprio filio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum: Illa, inquam, traditio materia vel causa tam magni

Rom. 8.

Universidad de Deusto
Biblioteca

goi tamque solemnis est officij. Hac enim die pater illum tradidit in eo, quòd ex voluntate patris in manus inimicorum venit, qui hactenus multoties cum seditione quæreretur, omnes eorum frustrauerat impetus. Obediens namque voluntati patris, calicem passionis bibere venit, & cùm caro infirma esset ad bibendum, spiritu promptus dicebat: Veruntamen non mea voluntas, sed tua fiat. Quia ergo pater illum hac die tradidit, & calicem passionis dedit illi, rectè passio legitur cum eisdem, cum quibus exceptus est, palmarum ramis, totique officio venerandam ipsa præbuit materiam. Nam ex eo, quòd ait pendens in cruce, Deus meus, Deus meus, vt quid dereliquisti me, constat vicesimum primum psalmum totum ex ipsius esse persona conscriptum, propter quod hac ipsa die penè totus in eiusdem nihilominus persona decãtatur. Primum in introitu, Domine ne longè facias auxilium tuum à me, orat ipse, qui tamquàm vermis & non homo absq; vllo respectu, leuiter conculcabatur, propter nos relictus ad tempus, orat inquam, patrem, ne elonget auxilium suũ, id est, festinet resurrectionem suam, & à potestate eorum, qui sunt vnicornes, id est, singularis superbiæ, liberet humilitatem suam. Deinde in tractu hoc ipsum amplius egit & ipse noster Dauid, secundum titulum eiusdem psalmi tendens in finẽ, id est, in victoriam, pro assumptione matutina, id est, pro resurrectione, vt fiat valde mane, sicut & facta est, cùm adhuc tenebræ essent ad monumentum. Epistola quoque non dubio passionem legendam præcurrit præconio. Nam quod orat Dominus secundò in passione dicens: Mi pater, si non potest hic calix transire, nisi bibam illum: quod summus Deus in summa humilitate hominis illuditur, conspuitur, dorsum suum dat percutientibus, & genas suas vellentibus, & cætera patienter fert, obediens voluntati patris vsque ad mortem crucis, hæc omnia nobis Paulus in Epistola manifestè proponit imitanda, dicens: Hoc sentite in vobis, quod & in Christo Iesu, &c. Item in graduali, dum dicit: Tenuisti manum dexteram meam, & in voluntate tua deduxisti me, pulcherrimè illud insinuat, quòd Deus pater, quasi læua manu sua dexteram illius tenuerit, id est, diuinã potentiam eius, ne se defenderet, quodammodo compressit, & in potestatem inimicorum, id est, in ciuitatem Hierusalem in voluntate sua deduxerit. Quæri potest, cur graduale hoc cantetur hoc die, cùm non totum eius personæ conueniat. Neque enim illi congruit, vt dicat: Mei autem penè moti sunt pedes, & penè effusi sunt gressus mei. Sed sciẽdum, quia psalmus, de quo sumptum est, correptio illorum est, qui prosperitate corporis, & prosperitate vel affluentia rerum temporalium Deum tantummodo laudabãt. Huiusmodi autem laudes non defecerant, priusquàm Dominus noster rex omnium seculorum aduenirет, & ex his quæ passus est, confirmaret nos, ne scandalizaremur, malos prosperari, bonis autẽ non rectè succedere, videntes. Quis enim iustus, videns ipsam iustitiam esse crucifixam ab his, quorum iniquitas quasi ex adipe prodiit, qui in labore hominum non erant, & cum hominibus non flagellabãtur: quis, inquam, iustus, cum sibi aliquid simile acciderit, dicat iam, ergo sine causa iustificaui cor meum, & laui inter innocentes manus meas. Nam si natrauerit sic, ecce nationem filiorum Dei, imo ipsam filij Dei passionem reprobauit. Benè ergo in ostensione flagellati & crucifixi iusti cantatur: Quam bonus Israel Deus rectis corde, vt non moueantur pedes nostri, id est, ratio, & iudicium nostrum, quando pacem peccatorum videmus. Offerenda quoque cum versibus sumpta de psalmo sexagesimo octauo, qui totus ex persona saluatoris orantis in passionis agone conscriptus est indicat, cum quanto desiderio charitatis illa susceperit, quæ in passionis serie prælecta sunt, dum dicit: Improperium expectauit cor meum & miseriam, improperium scilicet in verbis expectauit, id est, desiderauit cor meum, & miseriam, scilicet in factis. Et sustinui, id est, expectaui, qui simul contristaretur, videlicet de perditione sua mecum doleret, & non fuit, subauditur, qui id faceret: consolantem me quæsiui, id est, benè operantem per pœnitentiam, & non inueni. Et dederunt in escã meam fel, hoc est, amaros se mihi reddiderunt, &c.

De feria secunda hebdomadæ sanctæ. Cap. 11.

FEria secunda minus ornata videtur cæteris huius hebdomadæ diebus, quarum omnium officia lectione passionis vel cæteris Dominicæ mortis insignibus purpurata sunt. Nec mirum: nam & eius primæ hebdomadæ, qua cuncta creata sunt, cuius hæc similis est, vt suprà dictum est, dies secundus minus aliquid quàm cæteri, creatoris placito commendatur. Cum enim dixisset, fiat firmamentum in medio aquarum, & diuidat aquas ab aquis, non est additum (sicut in operibus cæterorũ dierum) & vidit Deus quòd esset bonũ. Hoc enim in Septuaginta quidem additum est, sed in Hebraico non habetur. In hoc quoque (vt ait Hieronymus) binarius numerus infamatur, quia primus ab vnitate degenerat, & diuisionis initiator est. Et quia diuisio aquarum superiorum atque inferiorum, diuisionem significat bonorũ & malorum, quamuis iustam, tamen propter pœnam ipsorum qui diuiduntur, malam, ipsaque diuisio secunda die facta est, ipsumque quod dicimus secundum, à binario non voce, sed sensu profiscitur, rectè iuxta Hebraicam veritatem non est additum in opere diei secundi, & vidit Deus quòd esset bonum. Igitur cùm secunda dies mundanæ creationis laude operis minus illustrata sit, non mirum est, quod huius hebdomadæ, quæ illam respicit, secũda dies minus passionali officio purpurata sit. Habet autem Euangelium huius diei, quòd exceptus cum ramis palmarum ciuitatem Hierusalem ingressus est. Et cum gentiles eum videre vellent, vtpote salutem suam, de quo Iacob longè antè prophetauerat, dicens: Et ipse erit expectatio gentium, & propter hoc granum frumenti figuratè se appellasset, mortificandum infidelitate Iudæorum, multiplicandum

infidelitate Iudæorum, multiplicandũ fide populorum, cum, inquam, clarificationem suam saluti gentium diluceſcere postulasset, orans ad patrem & dicens: Pater saluifica me ex hac hora, pater clarifica tuum nomen, venit vox de cælo dicens: Et clarificaui, & iterum clarificabo. Et quia voluntati obediens, in manus quærentium animam suam tradidit seipsum, veniens in sepedictam ciuitatem, benè hæc prophetica lectio præmittitur: Dominus Deus aperuit mihi aurem, scilicet, vt voluntati eius obedirem, ego autem non contradico, retrorsum non abij: Corpus meum dedi percutientibus, & genas meas vellentibus, &c. quæ ad hoc consonant, quòd pati nõ refugiens, pro salute mundi seipsum tradidit. Ad hoc autem, quòd in Euangelio sese orat clarificari, scilicet gloria resurrectionis, cuncta membra consonant officij, quo se eripi, seq; nocentes atque impugnantes, iudicari postulat atque expugnari.

De Feria tertia. Cap. 12.

FEria tertia legendam passionem benè præcurrit Hieremiæ lectio, qua in persona eius dicit: Tu Domine demonstrasti mihi, & cognoui: tu ostendisti mihi studia eorum, & ego quasi agnus, qui portatur ad victimam, & non cognoui, quia concitauerunt aduersum me consilia, dicentes: Venite, mittamus lignum in pane eius, & conteramus eum de terra viuentium. Tu Domine Sabaoth, qui iudicas iustè, & probas renes & corda, videam quæso vltionem tuam ex eis. Nam per hos dies vsq; in quartam feriam, hæc studia, hæc illorum consilia magis ac magis fer uescebat, sed metuentibus, ne forte tumultus fieret in populo, facultas deerat. Namque ipse Dñs noster, diebus quidẽ (vt ait Lucas Euangelista) erat docens in templo, noctibus verò exibat in montem, qui vocatur Oliueti, & populus magnificabat eum in tẽplo. Et in tãtum nulli vnquã adulatus est (vt ait Hyeronymus) vt in magna & ampla ciuitate vel vnius noctis hospitiũ nunquã habuerit. Et quo superbissimus Aman erecta cruce in domo sua, quã parauerat Mardochæo, quærebat opportunitatẽ, qua suggeret regi de illo mane, vt appenderetur: sic diabolus inito cõsilio in domo sua, id est, in cordibus Iudæorũ, dicendo: Venite, mittamus lignũ in pane eius, i. crucem in corpus eius, quærebat opportunitatẽ, vt Romanæ potestati traderet Iesum. Vltionem ergo videntes ex eis, in Epistola dictũ est, Gloriamur in cruce Domini nostri Iesu Christi. Nam is, à quo cõsilium acceperũt, vt mitterent lignum in pane eius, eodem ligno transfixus & spoliatus est, vt crux Christi gloriosa, à pœna reorum subleuata est in frontibus Imperatorum. Itaque in Introitu cantamus: Gloriari nos oportet in cruce Domini nostri Iesu Christi, cætera quæ sequuntur in officio, manifestè verba sunt personæ eius agonizantis, & resurrectionem suam exorantis.

De quarta Feria. Cap. 13.

FEria quarta venditio capitis nostri totius corporis Ecclesiæ, contritionis & humilitatis inusitatæ principiũ est. Hac nanque die abiit Iudas, & locutus est cum principibus sacerdotum & magistratibus quemadmodũ Iesum traderet eis. Et gauisi sunt, & pacti sunt illi pecuniã dare. Et spopõdit. Igitur pro eo, quòd Ecclesia hac die capite diminuta est, deponit hac eadem die consuetudinalem processionis suæ cultum, totiusque nocturni atque diurni psallendi post hanc diem, gaudium obseurat vsitatum. Sed & per totum anni circulum in pœnitentialium obseruatione ieiuniorum, propter causam supradictam, quarta feria post sextam, in qua Dominus noster crucifixus est, secundum obtinet gradũ. Nunc in officio huius quartæ feriæ, quia præ cæteris sacra dispositione præfulget: imò quia penè totum vẽditi capitis nostri luctuosa vox est, pauliſper immorari libet. Primoque hoc dicendum, quod geminas lectiones longumque ac lugubrem, pro secundo graduali, tractum, propter iam dictam Dñi venditionem, præsentis diei meruit officium, cunctaque officij membra reuerentiæ Domini orantis, & in faciẽ suam prostrati venerabiliter subseruiunt, de quo hac die legitur in passione secundum Lucam, hoc modo: Et ipse auulsus est ab eis, quãtum iactus est lapidis, & positis genibus orabat dicens: Pater, si vis, transfer calicem istum à me. Et factus in agonia prolixius orabat, & factus est sudor eius tanquàm guttæ sanguinis decurrentis in terrã. Apparuit autem illi angelus de cælo confortans eum. Et quidem cæteri quoque Euangelistæ orasse referunt eum ad Patrem, quo indubitanter minor est secundum humanitatem, in qua etiam minoratus est paulo minus ab Angelis. Sed hic disertus vitulus, scilicet Lucas, victimationem salutaris vituli elegantius prosequens, ex habitu eius in infirmitate nostra orantis, magis admirabile mundo & Angelis, & hominibus præbet spectaculum. Vnde contremiscit Ecclesia tantorum mirabilium contemplatrix, & in introitu, quasi attonita repentino clamore concrepat. In nomine Domini omne genu flectatur, cælestium, terrestrium, & infernorũ, &c. Nimirum omnium Angelorum hominumque Dominum procidisse, & in sudore sanguinis agonizari videns, humana corda hoc terrifico clamore percutit, ne quis audeat stare rigidus & elatus, cum ille tantus in tam magna sese propter nos humilitate deijciens genua posuerit. Magnum piumque huius diei dignumque spectaculo mentium nostrarum officium, quod laborat sancta Ecclesia singulorum corda filiorũ ad tantæ rei præsentiam, per contemplationem reducere, & per voces Apostolorum atque prophetarum quasi præsentium, & agonizantem Dominum circunstantium, in admirationem & compassionem excitare. Conclamata namque (vt di-

Universidad de Deusto
Biblioteca

(vt dictũ est) antiphona introitus, quæ de Apostolo sumpta est, quod valde rarum est, paucæ namque de nouo testamento sumptæ sunt, protinus Esaias propheta desiderantissimus huius Dominicæ passionis expectator & præco, quasi præsens accurrit, lectoris voce nos ad videndũ agonem illum excitans atque dicens: Dicite filiæ Sion, ecce saluator tuus venit. & addit, ecce merces eius cum eo', & opus illius coram illo. Pulchrè satis breuiterq; commendans, & opus passionis, cui intendebat & mercedem gloriæ vel honoris, quo coronandus erat per diuinitatem, quæ cum eo est, scilicet in vnius eiusdemq; vnitate personæ. Statimq; admirans illius habitum, quis est (inquit) iste, qui venit de Edom, id est, de sanguineis siue terrenis Iudæis, tinctis vestibus, id est, membris corporis, quæ sunt vestimenta diuinitatis, tincta ex purpura sanguinis. Tinctis, inquit, vestibus de Bosra? Bosra interpretatur firma atq; munita, significatque ciuitatem Hierusalem, quã ipse, qui ab illa cruentatus est Dominus, suo quondam auxilio magis, quàm murorum ambitu firmauerat atque munierat. Est autem ciuitas in Moab. Quo nomine fortiter Hierosolymitanos percutit Iudæos. Consequitur enim, vt ipsi Moabitæ sint, vt verè sunt. Moab quippe interpretatur ex patre. Et Dominus cum dixisset Iudæis, si filij Abrahę estis, opera vtique Abrahę facite: nunc autem quæritis me interficere, hoc Abraham non fecit, subsecutus adiunxit: Vos ex patre diabolo estis. Itaq; cum dixisset, quis est iste, illo respondente ac dicente: Ego, qui loquor iustitiam, & propugnator sum ad saluandum. Rursus interrogat: Quare ergo rubrum est indumentum tuum, & vestimenta tua sicut calcantium in torculari? id est, cùm tu loqueris iustitiã, quare cruẽtatus es pressura crucis? At ille, torcular, inquit, calcaui solus, subauditur pro omnibus vt omnes liberarentur. His auditis Ecclesiæ chorus, sciens agonem Domini, sudoremq; sanguineum, & orationem pro se, imò suam esse, suas adiungit voces, nec tamen loquitur pluraliter, eò quòd vna sit persona cum Christo, tanquam corpus cum capite suo, succinitq; graduale. Ne auertas faciẽ tuam à puero tuo, id est, à me, qui sum puer tuus, id est, seruus tuus, quoniam tribulor, scilicet pro te, velociter exaudi me, id est, resuscita me. Saluum me fac, quoniam aquæ, id est, Iudæi, qui semper sunt in motu inuidiæ, intrauerunt vsque ad animam meam, ideſt, eousque vt me occidant, inter quos commorans, infixus sum in limo profundi, qui ita sunt, quòd non est substantia, quia verum esse amiserunt. Itemque altera lectione eiusdem prophetæ declamata, quam ille, cum eloqueretur, præuidebat eum spirituali oculo in eodem schemate, in quo nunc ab Euangelista repræsentatur, scilicet non habentem speciem neque decorem, ascendentem sicut virgultum, & sicut radicem de terra sitienti, despectũ, & nouissimũ virorũ, virum dolorũ, & scientẽ infirmitatẽ, vulneratũ propter iniquitates nostras, & attritũ propter scelera nostra, cũ sceleratis reputatum, & pro transgressoribus exorantem. Hac, inquam, lectione pronunciata, fit, quod nunquam alia die per annum agitur præter hanc feriam, quartã, & magnum diem Parasceuen, & præter sabbata quatuor temporalium ieiuniorum, scilicet quod Epistolam non graduale, sed tractus sequitur. Nam præter suprà dictos dies, semper graduale sequitur Epistolam aut alleluia, si ratio temporis graduale submoueat, quod fit per dies Pentecostes. Causa autem hęc est, quia mu ficus ille, qui dixit: Cantauimus vobis & non saltastis, lamentauimus & non ploraſtis, cuius cantationi alleluia, quasi saltatio, lamentationi verò graduale, quasi ploratio pœnitentiæ respondet, sicut suo loco iam dictum est: Ille, inquam, muſicus his diebus auferetur. Nam feria quarta venditur, feria sexta sequenti crucifigitur. Sed die parasceues singulas lectiones singuli tractus sub sequuntur. Hac autẽ die, quia venditus, licet tamen adhuc cum discipulis habebatur, vnus tantum tractus pro graduali tamquã imperfectus adhuc luctus assumitur. Quòd autem tractus lugentium sit, magisque luctui congruat quàm graduale, quod est pœnitentiũ lamentum, illud comprobat, quòd non cum alleluia vt graduale, sed pro alleluia canitur his diebus, quibus mortẽ, quæ subintrauit in mundum per inuidiam diaboli, id est, à Septuagesima vsque in Pascha lugemus. Tractus autem hic de Psalmo centesimo primo est, qui rei & tempori valde congruit. Nam & titulus ad arti culum temporis pertinet, quo vel in agoniam factus prolixius orauit, sanguineo sudore madens, quod signum erat sanguinis plurimi cædemartyrum effundendi, vel quo pro transgressoribus orauit, dicens: Pater dimitte illis, nõ enim sciunt quid faciunt. Itemque pater in manus tuas commendo spiritum meum. Sic enim se habet titulus: Oratio pauperis, cum anxiaretur, & coram Domino effunderet precem suam. Pauper hic ipse est, qui, vt ait Apostolus, cum dives esset gratia sua, propter nos egenus factus est. Cum hoc ergo paupere pro nobis orante, cuncti pauperes spiritu, qui corpus vnum cum illo sunt, illo præorante, pariter orant. Aureumque thuribulum immaculati corporis tenenti huic summo Angelo, suaq; orationis incensum præferenti, suarum quoque chorus noſter orationũ incensa certatim simul iniicit, dicendo ac repetendo: Domine exaudi orationem meam, &c. Lecta quoque passione, sacrificium eiusdem iteratæ orationis in offerenda subijcit. Communio quoque de eodem Psalmo est: Potum meũ cum fletu temperabam: vt aduertas totum huc Psalmum in persona eius esse cõscriptum. Qui, vt ait Apostolus, in diebus carnis suæ preces supplicationesque ad eum, qui illum saluum facere posset à morte, cum clamore valido ac multis lachrymis offerens, exauditus est pro sua reuerentia. Illud ad summum non prętereundum,

Esa. 61.
Ioan. 8.
Ioan 8.
Psal. 68.
Esa. 53.
Matt. 11.
Lucæ. 22.
Luc. 23.
Psal. 101.
2. Cor. 8.
Apoc. 8.
Psal. 101.
Heb. 5.

eundum, quòd hac die conuenienter hic sol iustitiæ ad nostram salutem venditus est, quia in illa mundanæ creationis hebdomada sol iste visibilis ad lucendum mundo formatus est. Et ò verè mira diuinæ gratiæ dispositio. Magna & mira charitatis vnicæ dignatio. Sic pro nobis perditis dignatus est pati, vt pro venditis quoque nõ dedignaretur venundari. Venditi quippe fueramus nos venditione miserabili, sicut & ipse per prophetam Dominus dicit: Gratis venundati estis, & sine argento redimemini. Vera & diuini ponderis sententia. Gratis, inquit, venundati estis, id est, falsis promissionibus decepti. Quid enim saltem temporalis emolumenti miser assecutus est homo, pro eo quod recessit à Deo, seipsum tradens diabolo? Et sine argento redimemini. Quid enim captiua filia Sion, pro redemptione tua dedisti? Nullis præcedentibus meritis, sed sola gratia, Christus venditus, venundatos redemit.

Esa. 62.

De Feria quinta, quam Cœnam Domini nominamus. Cap. 14.

FEria quinta, quam cœnam Domini nominamus, partim lętarum, partim tristium variatur commemoratione rerum: & secundum vtriusque habitus lętitię. s. ac tristitię distantiã, regularium quoq; officiorum diuersas ac pene contrarias retinet qualitates. Missa nanq; integrum, & valde festiuũ, imò plus quàm vsitatũ habet officium: per regulares autem horas, neq; festiuũ, neq; more vsitato, integrum Deo debitum reddimus seruitium. Singulis horis capita, id est, initia prȩcidimus, fines quoq; earum subsilentio abscondimus: missa verò & plenariè solenniterq; perficitur, & per manus Pontificis, multiplicibus pietatis sacramentis singulariter fœcundatur. Et sicut die quinta in hebdomada mundanę creationis genus ex aquis ortum, partim gurgiti remissum, partim in aera leuatũ est, vt stirpe vna prodita, diuersa raperent loca: sic feria quinta huius hebdomadæ, qua sumus recreati, sacramenta vnius eiusdemq; salutis, partim nos deprimunt in tristitiam, partim leuant in gaudium, vt pro vna salute edita, valde diuerso cultu vel habitu celebrentur mysteria. Causas ergo iuxta textum requirentes Euangelicum, ab his quę lęta sunt, sumamus initium.

Cur solennis sit Missa eiusdem diei. Cap. 15.

SOlennitatis, qua prædictæ diei Missa tristes inter horas exultat, sicut medias inter nebulas sol interdum subrutilat, causa hæc est, quòd Dominus Christus sanctus sanctorum, cui à patre cum iuramento dictum est: Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech. Ipse Pontifex, ipse & hostia, noui nobis sacrificij ritum instituit qua nocte tradebatur, accipiens panem & calicem vini, benedicensq; ac dicens: Hoc est corpus meum, hic est calix sanguinis mei. Tunc enim primum officio sui functus est sacerdotij, finem imponens sacerdotio veteri: & post esum agni typici seipsum, qui verus est agnus, Deo patri suis offerens manibus: atque hoc est, quod Apostolus ait, quia non per sanguinem hyrcorum aut vitulorum, sed per proprium sanguinem introiuit semel in sancta, æterna redemptione inuenta. Ipsum namq; corpus, quod occisum est ab impijs, ipsum eũdem sanguinem, qui in cruce fusus est, ipse tunc sempiternus sacerdos obtulit, & de quo alio loco dictum est, cum illum Iudæi lapidare vellent, le sus autem abscondit se, & exiuit de templo: nũc verè de templo Iudęorum exiuit, & eorum sacrificia dereliquit, seque in sacrificio panis & vini ita abscondit, vt ab impijs omnino agnosci non valeat, quid ibi sit. Igitur quia verum sacrificium hodie contradidit, nouumq; testamentũ suis hęredibus moriturus suo sanguine conscripsit in spiritu humilitatis & in animo contrito, sicut ipse dicit: Tristis est anima mea vsque ad mortem, rectę in medio tristitię, quę per omnes horas significatur, sola missa solennem concentum, lętumq; ministrorum altaris meretur ornatum. Et ne quid venustatis sancto sacrificio desit, vtpote in die suę institutionis, Gloria in excelsis quoq; à pontifice decantatur. Et quisq; pontifex quicquid sui est officij, debet hac die de integro perficere. Itaque pœnitentes Ecclesiæ restituit, oleum benedicit, chrisma conficit, quo signati testimoniũ accipientes Spiritus sancti dicimus Deo: Signatum est super nos lumen vultus tui: Venerabilis & pius est ordo consecrationis, sed si causas eorum, quæ in eadem consecratione aguntur, vel tenuiter inspexeris, multò amplius intima pietatis pulchritudine delectaberis. Ordo quippe ipse ab omnibus videtur, sed nos iuxta propositum causas quæremus. Quid ergo chrisma significet, aut quid illo in nobis agatur, vel cur hac die consecretur, quidve mysterij consecrationis eius ordo contineat, veri luminis largitore præeunte, considerare cupimus.

Psal. 109.
Matt. 16.
1. cor. 11.
Heb. 5.
Ioan. 8.
Heb. 9.
Matth. 26.
Philip. 4.

De Chrismate. Cap. 16.

CHrisma Grȩcè, Latinè dicitur vnctio, à quo nomine Dominus noster Christus, id est, vnctus nuncupatur. Chrismate vngendum primus Moyses instituit in Exodo, quòd & iubẽte Domino composuit, & eo primùm Aaron & filij eius vncti sunt. Eratque eo tempore mystica vnctio tantùm in regibus & sacerdotibus, qua Christus rex summus & sacerdos verus præfigurabatur. Sed postquàm per seipsum veniens Christus Dei filius, à Deo patre cœlesti, & vero vnguento est delibutus, iam non soli pontifices & reges, sed & omnis Ecclesia vnctione chrismatis per impositionem manuum consecratur. Quòd solis debeatur Episcopis, vt confignent, & spiritum paracletum tradant.

Exod. 30.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Act. 8. Quod non solum consuetudo Ecclesiastica demonstrat, verùm & illa lectio Actorum Apostolorum, quæ asserit, quibusdam in nomine Domini Iesu baptizatis, per impositionem manuũ Pauli Apostoli datum esse Spiritum sanctum, vt vbi legitur: Et cùm imposuisset manus illis Paulus, venit super eos Spiritus sanctus, & reliqua. Item in alio loco scribitur, quòd Apostoli Hierosolymis Petrum & Ioannem miserunt Samariam, vt iam baptizatis traderent Spiritum sanctum. Tunc imponebant illis manus, & accipiebant Spiritum sanctum. Vbi apertè datur intelligi, solis pontificibus, Apostolorum vicarijs deberi, vt consignent, & paracletum tradant. Legitur autem in gestis Pontificalibus, quòd Syluester Papa constituit, vt baptizatum linat presbyter chrismate, leuatum de aqua, propter occasiones trãsitus mortis, ne propter absentiam Episcopi, & difficultatem eum consequendi, sine manus impositione baptizati migrent. Presbyteris itaque chrismate baptizatos vngere licet, sed quod ab Episcopo fuerit consecratum, non tamen frontem (quod solis debetur Episcopis) sed verticem. Forte aliquis dicat: Quid mihi prodest post baptismatis mysterium, mysterium confirmationis? Nam si post fontem, adiectione noui generis indigemus, quantum video, non totum de fonte suscepimus. Non ita intelligendum est. Nam quid prodest, si quisquam parentum magnam paruulo conferat hæreditatem, nisi prouideat illi tutorem? Paracletus quippe regeneratis in Christo custos & consolator, & tutor est, qui possent suadente diabolo, sicut paruuli facultatem, perdere baptismi vtilitatem, si hunc non haberent tutorem. Igitur chrisma Spiritus sancti signum est, cuius & virtutem continent. Et pulchrè Spiritui sancto, per hanc speciem suam nobis complacuit dare gratiam. Fructus nanq; & pinguedo est oleæ, quæ arbor pacis & luminis ministra est, commixto balsamo, cuius arbor odorifera vna est & præcipua arborum aromaticarum. Sãctus autem spiritus diuinę substãtiæ pinguedo est, ita vt quicunq; ex eo refectus fuerit, dicat: Impinguasti in oleo caput meum. Et balsami odor in oleo suauitatem eiusdem Spiritus sancti significat, qua cunctos qui nasum, id est, virtutem habent discretionis, bono odore allicit & suimet appetentes efficit. Quem quicunq; accipiũt, cum Apostolo dicunt, Christi bonus odor sumus Deo in omni loco. Benè ergo Spiritus sanctus, qui propter nos iccirco agit visibilia, quo per hæc facilius capere queamus inuisibilia, per hoc simile suam nobis suauem & odoriferam infundit gratiam.

Gal. 4.

2. Cor. 2. Rom. 1.

Quod rectè hac die chrisma consecretur. Cap. 17.

NOtum est, hunc diem quartumdecimum diem primi mensis referre, quo agnus immolari ad vesperam iussus est, & de sanguine eius vterque postis signari, & superliminare domorum, in quibus comedendus esset, vt eo signo viso, exterminator Aegypti sacri conuiuij domos intactas præteriret. Cõstat autem, ideo frontibus nostris ex ipso chrismate imprimi signum crucis Christi, vt exterminator diabolus in domibus animarum corporumq; nostrorum ius nocendi nullum habeat, & hoc illius typici agni sanguine, quo postes signabãtur, fuisse præfiguratum. Rectè ergo, qua die figura tantum illud agebatur nobis hoc præsentis rei sacrum solennitèr conficitur. Secundum hanc similitudinem consequens videretur, vt hac ipsa nocte domus eorum, in quibus agnus comedẽdus est, id est, frontes eorum, in quorum mentibus fides agni Dei Christi reconditur, sacro chrismate signarentur. Quod rectè videretur, si hac eadem nocte, Paschale conuiuium celebrare conuenirent cum eo, quod lugemus, scelere Iudæorum. Nũc autem, licet Dominica passio salutis nostræ summa sit, rationabiliter tamen sancta Ecclesia diem illum, in quo passus est, luctui potius & silẽtio dedicauit, & gaudium solennitatis eiusdem, qua sumus redempti, vsque in diem tertium, quo victor ille resurrexit, differendum censuit, vt tunc demũ & pro recuperata animarum salute, quæ sexta feria patrata est, & pro futura corporũ resurrectione, quæ illo resurgente prima sabbati nobis donata est, conuiuium paschalis agni celebremus in domibus nostris, dicentes: Pascha nostrum immolatus est Christus, itaque epulemur in azymis synceritatis & veritatis. Rectius ergo sumentes illud, vnde postes nostrarum frontium signemus, quiescimus vsque in vesperam sabbati, quæ nobis est vespera paschalis conuiuij, & tunc signatis frontibus baptizatorum, qui verum Pharaonem, scilicet diabolum effugientes, per mare rubrum baptismi ad eum tendunt, illud nostrum in voce exultationis & confessionis inchoamus conuiuium. Et si quæras, cur non ipsa quoq; chrismatis consecratio dilata est, ideo scilicet, quòd ab hac feria quinta vsque in vesperam sabbati, qua hora vtendum est chrismate, vacamus à missarum solennijs, eo loco, quo pacem accipimus, fas est consecrare. Et ante hæc baptismũ celebrari hoc sabbato sancto, ratio exigit, de quo dicendum est suo loco, id est, magno sabbati sancti officio. Non igitur chrismatis quoque consecratio differri debuit aut potuit.

1. Cor. 5.

Psal. 22.

Quid mysterij contineat ordo consecrandi chrismatis. Cap. 18.

IN eo loco, vbi solemus vuas benedicere, consecratur oleum pro infirmis, concluditurque conclusione, per quem hæc omnia Dominc lem per bona creas, &c. Non enim proprium habet officium, id est, nec in capite verba salutationis, hoc est Dominus vobiscum: nec in fine concluditur, vt cæteræ orationes, per Dominum nostrum. Huius verò chrismatis olei consecratio, quæ

quę dicitur principalis, quia ad eius vnctionem principalis tribuitur spiritus, id est, septiformis paracletus, habet officium per se. Primò exorcizatur, deinde ad Dominus vobiscũ & sursum corda, eius benedictio inchoatur, finiturq; per Dominum nostrum. Consecratur autem in eo loco, vbi pacem solemus inter nos dare, & hoc est opus diuinæ gratię, vt pax & concordia regnet in nobis. Duodecim presbyteri, qui ordinantur circa Episcopum, testes & auditores eiusdem mysterij, duodecim Apostolos significant: quorum in præsentia summus Pontifex Christus hodie testamentũ conscripsit, totamq; hæreditatem salutis, sueq; discessionis fructum, id est, spiritum paracletum ostẽdit, dicens: Nisi ego abiero, paracletus non veniet ad vos. Si autem abiero, mittam eum ad vos. Eius namque gratiæ sacramentum chrisma continet, qui ex quo mortis Christi precio quodammodo emptus & acquisitus est, cœpit (quod antè non fiebat) in remissiñe peccatorũ dari. Vnde & paracletus tunc primùm appellatus est, quia pro dãnatis nobis in primo parente, peccatorum remissio sola paraclesis, id est, consolatio est, quæ non nisi abeunte, id est, moriente Christo nobis vmquam acquisita fuisset. Dicit libellus Romani ordinis decõsecratione chrismatis. Cõtinuò duo acolyti inuolutas ampullas cum sindone alba deserico teneant in brachio dextro, ita vt videri possint à medio. Ampulla, antequàm veniat ante Episcopum ad altare, media eius pars est cooperta, & media nuda. Ampulla cum chrismate quodãmodo significat corpus Christi, sumptum ex virgine, corporaliter in se habitantem, cõtinens Spiritus sancti plenitudinem. Quod, antequam transiret ad altare crucis, aliquo tempore erat coopertum, & aliquo nudũ. Primæuo tempore erat coopertum, quando ita fugit in Aegyptum, quasi non esset rex regum: & quando ita portatus est ad templum, quasi non esset omnipotens, quando ita subditus erat parentibus, quasi non esset auctor parentum. In his, & similibus coopertũ latebat. Nudum erat, postquàm miracula cœpit facere, simulq; prædicare, & se Deũ demonstrare, vt ego & pater, inquit, vnum sumus. In his & alijs nudum erat. Ampulla verò, postquàm benedicta fuerit, & ab altari redit, à pontifice & ministris altaris visibiliter & nuda salutatur, hoc significat, quod Christus, postquàm ab altari crucis transiuit, præsentiã suam corporalẽ eis prębuit, quos testes suæ resurrectionis esse voluit. Quòd cæteris inuisibilis & operta ad salutandum defertur, significat, quòd Christus rediens in cælum, inuisibilis hominibus factus est, vt ipse testatur. Exiui à patre, & veni in mundum, iterum relinquo mundum & vado ad patrem. Nos verò, quamuis corporalem eius prębsentiam non videamus, tamen venerando eum quotidie salutamus.

Coloss. 2. Matt. 2. Luc. 2.

Ioan. 16.

Ioan. 16.

Ioan. 11. Ioan. 10.

Luc. 24.

Quòd rectè hac die pœnitentes Ecclesiæ restituantur. Cap. 19.

OMni quidem tempore illa debent Episcopi fungi legatione ad reconciliationem peccatorũ, de qua Apostolus loquens, cùm dixisset: Deus erat in Christo, mundum reconcilians sibi, & posuit in nobis verbum reconciliationis, protinus adiunxit: Pro Christo ergo legatione fungimur, tanquam exhortante per nos. Obsecramus pro Christo, reconciliamini Deo. Maximè tamen hoc die huiusmodi legatis solenne est, hac legatione fungi, & peccatores, qui baptismum criminibus super ductis perdiderunt, & propter hoc extra Ecclesiam missi sunt, & sicut ablactatum super matre sua facti sunt, oblata reconciliatione, vltrò in sinum matris eorum reuocare, & vt ipsam reconciliationem libenter acquiescentes suscipiant, palàm & solenniter foras egrediendo obsecrare. Astitit enim hac die vultui Dei pro nobis Christus, Pontifex summus in multitudine misericordiæ, & sicut suprà dictum est: Semel officio sacerdotij functus est, tradens sacramentum corporis & sanguinis sui, statimque sacerdos ipse, qui & hostia, captus & ligatus, ad passionem ductus est. Vt quid enim misericordia ligata est, nisi vt miseros peccatores solueret pœnitentes? Vt quid Christus, nisi pro impiis mortuus est? Commendat autem, inquit, Apostolus, charitatem suam Deus in nobis: quoniam cum inimici essemus, Christus pro nobis mortuus est. Quamuis ergo à diuitijs bonitatis Dei nihil temporis vacet, nunc tamen & largior est per indulgentiam remissio peccatorum, & copiosior per gratiam assumptio renascentium. Augemur renouandis, crescimus reuersis. Lauant aquæ, lauant lachrymæ. Inde est gaudium de assumptione vocatorum, hinc lætitia de absolutione pœnitentium. Cuius peccatoris cor adeo frigore criminum induruit, vt non colliquescat calore pietatis, dum audit vocem sæpè dicti sacerdotis Christi pro foribus Ecclesiæ dicentis, per tubas suas rationales: Venite, venite, venite, filij audite me, timorem Domini docebo vos? Nam vt probemus hanc eius esse vocem, sumptum est hoc de psalmo tricesimotertio, cui titulus inscribitur, Psalmus Dauid, cùm commutauit vultum suum coram Abimelech, & ferebatur de manibus suis, & dimisit eum & abijt. Est autem celeberrimum in scripturis sacris & iam à nobis dictum est, Dauid, id est, manu fortem & desiderabilem, qui fugiẽs persecutionem Saul, venit ad Achis, qui hic appellatur Abimelech, & coram illo immutauit vultum suum, & ferebatur in manibus suis, significasse Dominum Iesum, qui coram Abimelech, quod interpretatur patris mei regnum, scilicet coram Iudæis immutauit vultum suum, id est, sacrificandi ritum, quando immolato iã paschæ veteris agno, sumens panem & vinum fe-

2. Cor. 19.

Psal. 130.

Heb. 9.

Rom. 5.

Psal. 33. 2. Reg. 21.

Universidad de Deusto
Biblioteca

rebatur in manibus suis dicens: Hoc est corpus meum, hic est sanguis meus. Hoc autem hac remissionis & gratiæ die factum est. Cùm ergo tantus Pontifex Deo patri assistit, tenens panem & vinum, & inuitat omnes ad corporis & sanguinis sui conuiuium, nullum iustum, nullum excipens peccatorem, dicensque per ora Pontificum: Venite filij, audite me, cuius peccatoris vel saxeum pectus ad lamentum pœnitentiæ non emolliatur? Magna vox inuitantis est, magnus & capax susciperitis sinus est, omnes Ecclesiæ patent ianuæ, vt aduertas neque ab austro neque ab aquilone venientes, id est, neque iustos, neque peccatores debere prohiberi, quin accedant ad apertos diuinæ misericordiæ fontes.

De Lotione pedum, simul & officio. Cap. 20.

Ioan. 13. QVod Dominus & Deus omniū pedes lauit discipulis suis, dupliciter nos videlicet morali pariter atque allegorico sensu instruit. Si enim, inquit, laui pedes vestros, Dominus & magister, quantò magis vos debetis alter alterius lauare pedes? Exēplū enim dedi vobis, vt quemadmodū ego feci vobis, ita & vos faciatis. Quo. Matt. 6. modo nos, cum simus puluis & cinis, non erubescamus rigidam ceruicem, & staturam, ad quā Luc. 12. nemo nostrùm cogitans cubitum vnum potest adiicere, in contemptum nostri similium erige re, cùm audiuimus humani plasmatis opificē, solo flexis genibus curuatum, lauandis discipulorum se applicuisse vestigijs? Hoc igitur facto, validum contra superbiam nostram suæ humilitatis posuit exemplum. Quod ideo iam moriturus egit, vt eorum, quos suos conscribebat hæredes, mentibus arctius inhæreret. Solent enim pijs & amantibus filijs arctius inhærere dicta vel facta, quæ pater moriens vltima dixit, quæ mandauit, quæ locutus est, quæ rogauit, aut iussit. Porrò per hoc humilitatis opus, maius aliquid mysticè significauit, quod ideo prætereundum non est, quia totum inde officium hodiernæ Missæ pendet. Per hoc nanque quodammodo elocutus est, quia surrexerat à cœna, id est, à conuiuio paternæ gloriæ, & posuerat vestimenta sua, semetipsum enim exinaniuit, formam serui accipiens, & terrena carphilip. 2. ne nostra, quasi linteo (cuius vtiq; materia nascitur è terra) præcinctus, sanguinem suum effudit velut aquam in peluim, atque inde quotidie lauat pedes nostros, cùm illum in remissionem peccatorum nostrorum sumimus. Pedes quippe nostros, id est, actus nostros quotidie Ioan. 12. necesse habemus lauari, quamuis semel loti per 1. Ioan. 1. baptismum, toti simus mundi per fidem. Si dixerimus, quia peccatum non habemus, & sic lauari pedes nostros recusauerimus, nosipsos seducimus, & veritas in nobis non est. Quamuis lotus, quamuis mundus esset Petrus, & si, inquit Ioan. 6. Dominus, non lauero te, non habebis partem mecum. Cui par est illud, quod alibi dicit: Nisi manducaueritis carnem meam, & biberitis sanguinem meum, non habebitis vitam in vobis. Secundum hunc veracem, & à patribus approbatum huius Euangelicę lectionis sensum, rectè illa de Apostolo prœmittitur lectio: Conueni1. Cor. 11. entibus vobis in vnum, iam non est Dominicam cœnam manducare, &c. Illic enim ostenditur, qualiter hoc sacramento lauemur, & non iudicium nobis manducemus & bibamus, videlicet vt probet se quisque nostrum, & sic de pane illo edat, & de calice bibat. Nullo quippe alio modo melius à sordibus terrenorum actuum purificamur, si nō peccata nostra fouentes, sed odio habentes, & toto corde fugientes, ad hanc mensam accedimus. Quoties sancto altari assistimus, Christi vtique personam, vicemque gerentes, sicut suo loco iam dictum est. Nam & 2. Cor. 3. Apostolus dicit: An experimentum vultis eius, qui in me loquitur Christus? quoties hæc eius verba super panem vinumque effundimus: Hoc est corpus meū: Hic est calix sanguinis mei, &c. ipse minister speciosus & elegans, qui non venit ministrari sed ministrare, de Missa quodam modo atque complicata imperij sui purpura, byrrho sustrictus byssino, totusque ministrorum in morem expeditus, propinaturus nobis calicem salutis cum pane vitæ, aureū liquidumque diuinitatis suæ superfundit pigmentum, atque ita singulis subministrans haurientibus nobis in gaudio, infundit vsq; in interiores sensus animæ, purificat eos, qui terrena curantes, & si non penitus ea conculcent, tamen non possunt omnino euadere, quin ex aliqua parte vel leuiter sordidentur. Quod, quanta charitate & humilitate faciat, vt sciremus, illud nobis sui corporis & sanguinis sacramentum traditurus, prius pedes lauit, sicut iam dictum est, per hoc simile purificationem illam decentissimè commendans. Rectè ergo talis Apostolica lectio iā dicto præmittitur Euangelio. Quia verò postquàm lauit pedes eorum, accepit vestimenta Ioan. 13. sua: & cùm iterum recubuisset, dixit eis. Scitis, quid fecerim vobis, &c. aptè hæc offerenda sequitur: Dextera Domini fecit virtutem, dextera Psal. 118. Domini exaltauit me. Non moriar, sed viuam, & narrabo opera Domini. Postquàm enim ministerium nostræ salutis omne peregit, recepit vestimenta gloriæ & claritatem, de qua dixerat orās in forma serui: Clarifica me tu pater apud Ioan. 7. temetipsum claritate, quam habui prius quàm mundus esset apud te: & recumbens iterum in dextera Dei aperit illis sensum, dato Spiritu san Luc. 24. cto vt intelligerent scripturas, & scirent quid fecerit eis: & tūc impletum est, quod multò ante prophetatum, nunc eo respectu canitur, vt dictum est. Quod enim hic dicitur: Non moriar, Rom. 6. sed viuam, hoc est, quod Apostolus ait: Christus resurgens ex mortuis iam non moritur, mors illi vltrà non dominabitur, quòd enim viuit, viuit Deo: ex illo recubitu suo. Narrabo, inquit, opera Domini, & dicit: Scitis quid fecerim vobis,

vobis, per interpretem suum Spiritum sanctum, quem dedit nobis. Reliqua patenter ad eundem sensum pertinent.

Cur à prælatis lauari debeant pedes subditorum. Cap. 21.

INtereà valdè notādum est, quàm verè, quàm sapienter nobis consuluit in eo quoque, quod exterius egit, dum Apostolos suos, omnesque prælatos Ecclesiæ, talis seruitij quodammodo vectigales esse voluit, vt solenni more subditorum suorum pedes exemplo suo lauare debeāt. Per hoc enim quotannis inculcat, & replicat id, quod ait Luc. xxij. Reges gentium dominan Luc. 22. tur eorum, & qui potestatem habent super illos, benefici vocantur, vos autem non sic, sed qui maior est verstùm, fiat sicut minor, & q præcessor est, sicut ministrator. Valde nanque repugnantia sunt, dominari vt reges gentium, & ex debito iussuque regulæ Euangelicæ lauare pedes in modum seruorum. Vnde vnus ex magnis 2. Cor. 4. Apostolis. Non prædicamus, inquit, nosmetipsos, sed Iesum Christum, nos autem seruos vestros per Deum. Sed non in vitijs suis possunt subditi hac liberrate vti. Cum enim homines vitiose viuunt, bestiales, id est, bestiis similes fiūt. Vt autem prælati Ecclesiæ bestialibus dominentur, vetus quoque illis auctoritas suffragatur, qua creatis primis hominibus præcipitur, vt beGen. 1. stiis terræ dominentur. Igitur vbi subditi similes fiunt bestiis, illic Euangelicus homo dominari se debere iure recognoscit. Dum ergo prælati subditis suis hac die pedes lauant, dum cibum reuerenter porrigunt, potumque miscent, perit auctoritas Dominandi, totumq; regum gentium & eorū, qui potestatem habentes benefici vocari affectāt, deprimitur in ipsis supercilium. Quòd autem lotis pedibus discipulorum os suum aperuit Dominus, sermonemq; edidit splendidissimum, quo paracletum illum tam sedulè repromittit Spiritū sanctum, quodApoc. 21. que & nos, lotis eius exemplo pedibus, eundem sermonem legimus vel audimus, hoc significat, quod non nisi lotis & mundis gratia sancti Spiritus ostenditur. Vnde & in Apocalypsi, cùm Ioannī dixisset angelus: Non intrabit in eam aliquid coinquinatum, & faciens iniquitatem & mendacium, protinus adiungitur: Et ostendit mihi fluuium aquæ viuę, tamquàm crystallum, procedentem de sede Dei & agni. De hoc fluEzec. 47. uio & in Ezechiele legimus: Vidi aquam egredientem de templo à latere dextro, & omnes, ad quos peruenit aqua ista, salui facti sunt. Nō enim omnes, ad quoscumque peruenit visibilis Act. 8. baptismi fons, salui fiunt: Alioquin Simonem Magum, visibiles baptismi aquas ingredientem, salus non refugisset: sed de hoc vitæ fonte, pacisque fluuio dictum est, penes quem est omne arbitrium salutis, quem Dominus supradicto modo purificatis hoc subsequenti sermone se daturum repromittit

De mandato pauperum. Cap. 22.

MAndatum quod agitur inter pauperes, nō omnino eiusdem rationis est. Illud enim Christi, hoc Ecclesiæ est. Illud diei præsentis, hoc præteriti spectat historiam sabbati. Sabbatho namque, quando venit Dominus Iesus Ioan. 12. Bethaniam, vbi fuerat Lazarus mortuus, quem suscitauit, Maria accepit libram vnguenti nardi pistici pretiosi, & vnxit pedes Iesu, & extersit capillis suis pedes eius, & domus impleta est ex odore vnguenti. Mulierem illam imitatur Ecclesia, pedes Domini vngens, id est, pauperes eleemosynis refouens, qui licet infima, tamen eius membra sunt, & sicut pedes, ita magni corporis eius, extremæ reputantur partes. Hos pedes capillis suis terfit, id est, superfluis rerum suarum refecit, sicut Apostolus ait: Vestra abundantia illorum inopiam sup2. Cor. 8. pleat. Hoc ergo mandatum Ecclesiæ obsequiū est, ideoque cuncta congregatio pedes lauat pauperum: in illo autem soli, vt dictum est prælati, vice Christi deseruiūt. In quo pulchrè Dominum suum Ecclesia præuenit, vt antequā Christus discipulorū pedes lauet, ipsis discipuli pedes Christi, id est, pauperum & lauent, & eleemosynæ vnguento vngant: & domus, in qua Christus præsens futurus est, hora qua pedes nostros ipse per prælatos nostros lauabit, præparetur, impleta huius odore vnguenti. Hæc ita esse, ex eo quoq; perspicuum est, quod cantamus in diebus illis: mulier ergo Maria vnxit pedes Iesu, & extersit capillis, & domus impleta ex odore vnguenti, causæ huius respectu rationabilis mos institutus ab ijs, apud quos religionis studium feruētius est, hoc modo tenetur. Primùm pauperes intra claustrales officinas introducuntur, & antequàm fratres debitum illis in lauandis pedibus charitatis exhibeant obsequium, discumbunt ad conuiuium, sufficientibusque ferculis reficiuntur. Nimirum tunc in illis Christus suscipitur in Bethaniam, Mat. 10, 25. id est, domum obedientiæ, fideque non vana gratulatur ibi se illi cœnam fecisse. Tunc cuncta congregatio consurgens tamquàm mulier illa Euangelica, Maria quippe illa typum Ecclesiæ gesserat, consurgens, inquam, de mensa, ad quam considens & modicè gustans, ieiuniū fregerat propter tantum hospitem (qui procul dubiò in pauperibus suscipitur) conuenit ante pauperes, ferens libram vnguenti, id est, intentionem eleemosynæ, suauiter coram Christo redolentis, & procumbens coram illis, sic per omnia tamquàm Christo deseruiuit.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Quòd per horas trium dierum Ecclesia suum ordinem non seruat. Cap. 23.

COnsummatis Missarum solennijs, quæ ob causas supradictas festiuè celebrata, mediis tristitiæ nebulis, vt iam dictum est, quasi sol interfulserunt, statim profundiora eiusdem tristitiæ sequuntur & augescunt silentia. Non enim Ecclesia suum ordinem seruat, quem à vigilijs nocturnis eiusdem diei mutare atque imminuere iam cœperat. A nocturnis ergo vigiliis incipientibus, tantæ mutationis seu diminutionis causas breuiter exequi cupimus.

De inusitatis trium noctium vigilijs. Cap. 24.

PRimò dicendum est, harum trium noctium vigilias, quas & inusitato ordine ordine decãtamus, & in tenebris cõsummamus, exequias esse triduanæ mortis Domini, & ideo mortis eiusdem luctui quintæ ferię vigilias attributas, quia vesperam sabbati, noctemque ipsam, quæ luceſcit in prima sabbati, non decuit exequiarum planctui deputari, cuius medio resurgens Dominus, totam noctem ipsam cum præcedente vespera victoriæ suæ gaudijs illustrauit. Ex tunc nanque cœptum est, vt in omni solemnitate diem præcedat nox, semperque vespera futuræ diei claritate præfulgeat. Vt ergo triduanæ mortis Domini, triduo peragamus exequias, noctem feriæ quintę a sciuimus simul, quia miserimi Iudę infami commercio iam venditus fuerat Dominus. Itaque quod canonici nunquàm in priuatis diebus, monachi verò neque priuatis neque solennibus vnquam facere consueuerunt, vterque ordo vigilias cum nouem expendit lectionibus, tali ordine, talique schemate, vt parum aut nihil ab officio defunctorum distare videatur.

Matt. 28.

Luc. 22.

Cur initia finesq; omittimus. Cap. 25.

NOn solum autem, sed & cunctæ diei sic transiguntur horæ, vt neque initium neq; finem habeant consueto more. Et rectè. Nam Dominus noster, qui initium & finis est, sicut ipse ait: Ego principium, qui & loquor vobis. Et alibi: Ego sum α & ω, initium & finis: ipse, inquam, qui est caput nostrum principiumque Iesus Christus, per hos dies ablatus est nobis, traditus in manus impiorum, & inter iniquos proiectus. Itaque rectè iucunditatis nostræ laudibus, id est, regularibus horis capita præcidimus, finesque earum sub silentio abscondimus, & inter psallendum, Gloria patri omninò subtrahimus.

Ioan. 8. Apoc. 1.

Cur candelæ extinguantur. Cap. 26.

QVòd candelę extinguũtur, illud significat, quòd crucifixo Domino tenebræ factæ sunt super terram, ab hora sexta vsque in horam nonam, imò idipsum significat extinctio candelarum, quod tenebrę illę significauerunt, scilicet excęcationem Iudaicę gentis, quæ prius occisis prophetis & lapidatis eis, qui ad se missi fuerant, tandem occiso ipso Domino prophetarum, meritò in tenebris perfidiæ proiecta & à lumine vultus derelicta est. Numerosa quippe luminaria, quæ surgentes ad vigilias ardentia reperimus, vniuersos significant sanctos, qui prophetico sermone lucentes, solemque iustitię nasciturum & passurum, tamquam stellę prouię nunciãtes, lumen diuinæ scientiæ populo illi diuersis temporibus infundere missi sunt. At illi, vitam eorum extinguẽtes corporalem, cæcitatẽ sibimet intulere spiritualem, tandemq; audire meruerunt, vt veniat super vos omnis sanguis iustus, qui effusus est super terram à sanguine Abel iusti, &c. Igitur candelæ in eo, quòd singulæ post singulos extinguũntur psalmos, prophetas significant, qui singuli expleto prophetię suę ministerio, ab illis occisi sunt. Illa quoque, quæ vltima non maior cæteris extinguitur, ipsum Dominum significat, qui reputatus quasi vnus ex prophetis, tandem occisus est: post quẽ nullus apud illos propheta surrexit, & hic extinctus, profundas illis erroris & perfidiæ tenebras reliquit.

Mar. 5.

Matth. 23

Quid tropi significant. Cap. 27.

PLerisque moris est, vt extinctis luminaribus, in ipsis tenebris lugubres tropi, præcinentibus cantatoribus & choro respondẽte, flebili modulatione decantentur, incipientibus à Kyrie eleison. Significant autem lamenta sanctarum mulierum, quæ (vt in Euangelio legimus) lamentabantur Dominum, sedentes contra sepulchrum.

Matth. 27.

De nouo igne. Cap. 28.

AMisso igne, qui ad matutinos, vt dictum est, extinguitur, ad lapidem per eosdem tres dies confugimus, vt vel lapidem percutientes, ex abstrusis eius venis ignem occultum eliciamus, vel liquidum crystalli lapidem sereno cælo soli obijcientes, radium eius traiectum, per eiusdem crystalli orbiculum spectabili miraculo in subiectam suscipiamus escam. Nimirum per hoc nobis pulchrè depingimus, quòd Deus, qui dixit de tenebris lucem splendere, illuceſcat in cordibus nostris ad illuminationem claritatis suæ per mortem Christi, quem (sicut in matutinis præfiguratum est) Iudæi sibimet extinxerunt, & tenebræ factę sunt Lapis enim, cum de illo ignem sic excipimus, Chri-

2. Cor. 4.

Psal. 117. Christum significat, quem lapidem reprobauerunt ædificantes, qui factus est in caput anguli. Vnde & in benedictione eiusdem ignis oratio talis est: Deus, qui per filiũ tuum, angulare scilicet lapidem, charitatis ignem tuis fidelibus contulisti, productum è silice, nostris profuturum vsibus, nouum hunc ignem sanctifica, &c. Prudentius quoque in hymno suo, qui cantatur in sabbato sancto, cùm dixisset: Lumina nos tamen monstras saxigeno semine quærere, vt ostenderet fieri hoc ad commemorandum illud, quod de lapide Christo procedit nobis ignis sancti Spiritus, protinus adiunxit, ne nesciret homo spem sibi luminis in Christi solido corpore conditam, qui dicit stabilem se voluit petram, nostris igniculis vnde genus venit. Lapis ergo, quem percutientes ignem elicimus, Christum significat, qui percussus verbere crucis Spiritum sanctum nobis effudit. Quòd si crystalli lapidem soli obiicimus, escamque subijcimus, vt mediante crystallo carbones extincti reuiuiscant aspectu phœbeæ lampadis, illud nobis gratissimè commemorari debet, quod mediator Dei & hominum, homo Christus Iesus, inter Deum extinctosq; homines medius interueniens, nostræque infirmitati vsque ad mortem appropinquans, longè à nobis secretum ignem, id est, sancti Spiritus altissimam diuinitatem infundit, ignem vtique Spiritus sancti, quem, sicut testatur ipse, venit mittere in terram, & voluit vehementer accendi. Non enim vana religio est, solenni processione ad noui ignis benedictionem exire. Eamus, inquit Apostolus, ad eum extra castra, improperium eius portantes. Procedentes namque ad illum ignẽ, meminisse debemus exeundum nobis esse ad eum, quem Iudęi extra castra ciuitatemq; suam proiecerũt, vt per ignem sancti Spiritus vitam æternam habeamus, credentes in eum, quem illi à præsenti vita extinxerunt. Deinceps imminente vespera, maiora tristitiæ sequuntur incrementa. Altaria spoliantur, vino & aqua lauantur, campanæ conticescunt, omnes, præter vigilias nocturnas, regulares horas absorbet triste silentium. Vsum nouimus, mysteria requiramus.

1. Tim. 2.

Luc. 12.

Heb. 13.

Psal. 90.

Esa. 62.

Cur campanæ non sonant. Cap. 29.

SIgna Ecclesię, quæ campanas dicimus, sanctos Christi præcones significare, suo loco iam dictum est, qui charitatis igne excocti, & diuina instructione formati, in protectione Dei cæli, tamquàm in turri fortitudinis commanentes, imò suspensa mente pendentes quadam fraternæ dilectionis corda commouentur, totaque die, & tota nocte commouentur, vt non taceant prędicare nomen Domini, dicentes: Qui reminiscimini Domini, ne taceatis, & ne detis silentium ei. Notum est autem, primos huiusmodi præcones, scilicet sanctos Apostolos, non solum conticuisse, sed & relicto eo omnes fugisse. Petrus quoq; cæterorum princeps, cuius ab ore primum veritatis præconium in omnem terram exiit, dicentis: Tu es Christus filius Dei viui, vocem illam clarissimam represit, conticuit, Christum reliquit, fugit, & negauit. Igitur ea hora, qua Dominus traditus est, rectè signis Ecclesiæ silentium indicimus, Christumque solum torcular calcantem, solum in ligno crucis, extenso corpore tympanizantem, testimonium veritati humili ac solitaria voce perhibentem, ligneo malleolo in tabula suspenso & personante, populumque ad Ecclesiam inuitante significamus.

Matth. 26.

Matth. 16.

Esa. 63.

Cur altaria nudentur. Cap. 30.

CVr altare nudetur scire volentibus facilè liquet, si prius animaduerterint, quid ipsum altare significet: Significat autem Christũ, quia sic illud in templo, quomodo Christus toti corpori Ecclesię dignitate & honore præminet. Quòd si & auctoritas desideratur, occurrit illa Domini dicentis per Moysen: Altare de terra facietis mihi. Quod Beatus Gregorius sic exponit: Altare de terra facere, est in incarnatione mediatoris sperare. Tunc quippe à Deo nostrũ munus accipitur, quando in hoc altari nostra humilitas, id est, super Dominicæ incarnationis fidem posuerit, quicquid operatur in altari ergo de terra oblatum munus ponimus, si actus nostros Dominicæ incarnationis fide solidamus. Cum itaque nudum altare conspicimus, dignum illud memoria, quod magnificè prophetа, flebiliterq; deplorat, nostris intimis personare auribus, nostris internis præsentialiter debet apparere conspectibus. Ecce vidimus eum, & non est species ei neque decor, & nos consideraumus eum despectum & nouissimum virorum, virum dolorum, & scientem infirmitatem. Verè languores nostros ipse tulit, & peccata nostra ipse portauit. Hęc de passione eius dicta esse perspicuũ est. Ille enim speciosus forma præ filijs hominum, qui semetipsum exinaniuit, formam serui accipiens, maximè in passione sua visus est non habens speciem, neque decorem, & quasi absconditus vultus eius. Nam anteà decorus incedebat, & magnificabatur ab omnibus: quia sicut laudatur in cãticis: Venter eius eburneus, distinctus erat saphyris, id est, naturę infirmitas interdum cælestibus in illo resplendebat miraculis. At tunc quia Dominus posuit in eo iniquitates omnium nostrum, ascendit sicut virgultum coram eo & sicut radix de terra sitienti. Illa facies eius & oculi, ex quibus, vt ait Hieronymus, igneum quiddam & sydereum radiabat, verbi gratia, quando vendentes & ementes eiecit de templo, quod infinitus facere non posset exercitus, illa, inquam, facies nunc despiciebatur, alapis cędebatur, velabatur, conspuebatur. Vellebantur genę eius, quę sicut areolæ aromatum gratum propè accedentibus spirant odorem, ita eõtuentibus, benignitatem eius exprime-

Exod. 20.

philip. 2. Cant. 5.

Esa. 53.

Matt. 21.

Ioan. 2.

Universidad de Deusto
Biblioteca

primebant & manſuetudinem. Manus eius, quę ita faciles erant ad operanda miracula diuini beneficij, vt meritò dictę fuerint tornatiles, au reæ, plenæ hyacinthis, vinculis aſtrictæ ſunt, clauis confixę ſunt. Propter talia dictum eſt: Et aſpectus in eo non eſt, & non eſt ei ſpecies neque decor. Inſuper hoc ad denudati altaris cau ſam pertinet, quod idem Dominus veſtimentis ſuis ſpoliatus eſt. Milites namque, cùm crucifixiſſent eum, diuiſerunt ſibi veſtimenta eius, & fecerunt quatuor partes, vnicuique militi partem. Et de tunica dixerunt: Non ſcindamus eam, ſed ſortiamur de illa, cuius ſit. Tale vinum bibit noſter Noe, quod interpretatur requies, ſcilicet Dominus Ieſus, in quo requiem inuenimus animabus noſtris: tale, inquam, vinum bibit ex vinea ſua, quam plantauit, ſcilicet ex gente Iudaica, quam de Ægypto tranſtulit, quia cunctis amaritudinibus inebriatus, ſoporatus eſt ſomno mortis, & in cunctis à diuinitatis ſuæ gloria nudatus ad tempus apparuit. Cùm ergò altare Chriſtum ſignificet, rectè ob commemorationem horum, veſtitu & ornatu ſuo ſpoliatum eſt.

Can. 5. Eſa. 53.

Ioan. 19.

Gen. 9. Matt. 11. Pſal. 79.

Cur vino & aqua lauentur. Cap. 31.

CAuſa verò, cur lauentur altaria, non minus his, quæ dicta ſunt, ſcientem delectat. Videlicet idcirco illa lauari inſtitutum eſt, quia Dominus noſter, quem altare ſignificat, vt dictum eſt, de latere ſuo lancea militis perforato ſanguinem & aquam effudit. Ideo lauãtur vino & aqua. Vinum enim pro ſanguine, in ſacramento quoq; ſacrificij, ipſo Domino auctore, aſcitum eſt. Sanguinem, inquam, & aquam effudit de latere ſuo ſummus noſtræ opifex ſalutis, quæ prima ſunt eiuſdem elementa ſalutis. Sãguine redimimur, aqua abluimur. Hæc enim aqua, prima ſui fuit origo baptiſmi, quo baptizamur nos, quem à nullo accepit, ſed ipſe primus eius auctor extitit. Hoc ideò dicimus ne putemus illum à Ioanne ſuum accepiſſe baptiſmum, quod Romana auctoritas non concedit, Græcorum contradicens traditioni, vt die Epiphaniæ baptiſmum celebremus, ſicut in nocte paſchali (quod & ſupra dictum eſt) vbi de die Epiphaniæ mentio facta eſt. Sed de origine baptiſmi opportunius dicemus, cum de morte Domini in ſequenti paraſceue, vel ſabbati ſancti officio, tractatus vel ordo cauſarũ popoſcerit. Sciendum autem, quòd rectius faciunt hi, quos & nos imitamur, & ordini Euãgelico magis eorum propinquat conſuetudo, qui hodie quidem, id eſt, feria quinta, altaria nudant, ſed ipſa die paraſceue lauant. Nam hac feria quinta cœpit quidem Dominus ad veſperam agonizari, ſed feria ſexta ſanguinem & aquam de latere ſuo lanceatus effudit. Idcirco & cum cantu ad paſſionem pertinente, vel cum pſalmodia pœnitentiali lauare conſueuimus. Hiſpidi quoque ramuſculi, cum quibus lauantur, flagella ſignificant, quæ pectus illud ſacratũ Deiq; capax atrociter ſecuerunt. Non enim diuinitas inhabitans, paſſibilitatem carnis excluſerat, ſed veros dolores, verasque virgarum vibices in illo noſtra caro pertulit.

Ioan. 19.

Cur horas ſub ſilentio cantamus. Cap. 32.

QVòd non ſolùm campanarum clangor file ſcit, ſed regularium quoque concentum horarum noſter omnino chorus abſcõdit, illud ſignificat, quòd Apoſtoli Chriſti nõ ſolùm prędicare ceſſauerunt, vt ſoliti fuerant circuire per caſtella euangelizantes & curantes vbique, ſed & nocte hac, poſtquàm hymno dicto exierunt cum illo in montẽ Oliuarum, diffugientes & oppreſſi triſtitia, cuncti à laude cõi conticuerunt. Idcircò autẽ à cõpletorio profundũ hoc incipitur, ſilentiũ quia circa hanc horã, cùm dixiſſet diſcipulis: Ecce appropinquauit qui me tradet, ipſi graues eſſe cœperunt, & præ triſtitia dormitabant, tandemque vbi turba, & qui vocabatur Iudas, venit, cùm tenerent eum, relicto eo, omnes fugerunt. Nec quiſquam exillis ad eum propius iam acceſſit, niſi diſcipulus ille, qui, vt Ioannes ait, notus erat pontifici, quique dixit Oſtiariæ, & introduxit Petrum, quem Hieronymus ipſum fuiſſe Ioannem aſſerit.

Luc. 9. Matt. 26. Ioan. 18.

Cur Matutinas ſicut horas ſub ſilentio non dicamus. Cap. 33.

QVæri hic poteſt, cur cùm diurnas horas triſte ſilentium operiat, nocturnas vigilias vel laudes intecta melodia depromat? Ad quod dicendum, tempus aliud per diem, aliud ſignificari per noctem. Nam diurnis horis præſentiam ſignificamus Dominicæ paſſionis, nocturnis autem vigiliis tempora priora, per quæ futuram eandem paſſionem prophetæ prænunciauerunt. Qui quia non tacentes interfecti ſunt, idcirco nobis voces illorum proferentibus candelæ, vt ſupra dictum eſt, extinguuntur, quarum vltima, quæ extinguitur ad canticũ Euangelij, ipſum Dominum, qui Euangelizans occiſus eſt, ſignificat.

LIBRI QVINTI FINIS.

RVPER.

RVPERTI ABBATIS TVITIENSIS DE DIVINIS OFFICIIS LIBER SEXTVS.

De Paraſceue. Cap. 1.

Matt. 21.

DIes ſextus ab illo, quo Dominus noſter ciuitatem Hieruſalem cum gloria, quam mox inuidia ſequeretur, ingreſſus eſt, illud euidentius confirmat, q̃ ſuperius commendatum eſt, ſcilicet hanc hebdomadam humanæ reſtaurationis reſpondere myſteriorum ordine, primæ illi hebdomadæ mundanæ creationis. Nam hominem, quem in illius ſexta feria creator mirabiliter condidit, in huius nihilominus ſexta feria idẽ ipſe Saluator mirabilius redemit. Dies hic paraſceue vocatur, paraſceue autem præparatio interpretatur: Quo nomine Iudęi, qui inter Græcos conuerſabantur, ſextam ſabbati, quæ nunc à nobis ſexta feria nuncupatur, appellabant: quod eo videlicet die, quæ in ſabbatum forent neceſſaria, præpararent: iuxta quod de manna quondam erat præceptum, Sexta autem die colligetis duplum, &c. Qui verò inter Romanos vitam ducebant Iudęi, vſitatius eam latinè cœnam puram cognominabant. Quia verò ſexta die homo factus, & tota mundi eſt creatura perfecta, ſeptima autem conditor ab opere ſuo requieuit, vndè & hanc ſabbatum, id eſt, requiẽ vocari præcepit rectè Dominus eadẽ die ſexta crucifixus, humanæ reſtaurationis impleuit arcanum. Vndè, cùm accepiſſet acetum, dixit, Conſummatum eſt, id eſt, ſexta die, quod pro mundi refectione ſuſcepit, totum eſt opus perfectum.

Exod. 16.

Ioan. 19.

Cur hac die Miſſa non cantetur. Cap. 2.

DE hac die primum illud quæritur, cur officium non habeat, immo (quod maximè mirum videtur) cur à Miſſarum ſolenniis vacet, cùm paſſio Dominica, quæ hac die celebrata eſt, ſacrificij principium, noſtræq; ſalutis ſumma ſit. Videretur namque iure tanta res ſolennibus ſummè celebranda eſſe gaudiis. Si enim martyris vniuſcuiuſlibet annua dies, qua per paſſionem mortis ad immortalitatis gloriam tranſmigrauit, feſtiuis honoratur gaudiis: & meritò, quia precioſa in conſpectu Domini mors ſanctorum eius: cur dies hęc ſolennũ gaudiorũ orbata eſt inſtrumentis, qua martyrum & ſanctorum omnium rex ſanctis omnibus antiquis & nouis per mortem ſuã paradiſum aperuit, & latroni quoque, cui dixit: Hodie mecũ eris in paradiſo, hoc die ſolutum eſt admirabile precium, cuius pondere, vt cantamus, captiuitas mundi redempta eſt, inferni clauſtra confracta ſunt, & cæleſtis nobis aperta eſt ianua regni. Quæritur ergò, cur adeo publicis gaudiis exempta ſit, vt nec Miſſarum lætitiam ordinis Eccleſiaſtici auctoritas illi aſcripſerit. Vndè conſulto gratiæ cæleſtis oraculo, breuiter ali quid ſuper hoc capitulo dicendum eſt. Gloriari quidem (vt Apoſtolus ait) nos oportet in cruce Domini noſtri Ieſu Chriſti, & in gratia tanti precij, quod pro noſtra redemptione datum eſt, fideliter cunctis poſthabitis exultare gaudiis. Sed ſunt aliqua, quæ gloriam hanc, & exultationem noſtram nimium nimiumq; obnubilant. Primum noſtræ cõſcientia cauſæ, propter quam imperioſa ſanctæ Trinitatis charitas hominem tantæ reuerẽtiæ, tantæq; dignitatis, qui cum Deo verbo vna perſona eſt, hominem inuocantem, & morti nihil debentem, morti addixit, ſicut Apoſtolus ait: Proprio filio ſuo non pepercit Deus, ſed pro nobis omnibus tradidit illum. Non enim ita gaudere debemus de gratia tradentis, vel de charitate morientis, vt non etiam doleamus, quòd tanto Domino tormentorum, & mortis cauſa fuimus. Siquidem non gaudere, ingratitudinis: non dolere autem, crudelitatis eſt. Non ita ſimus incauti laudatores prouidentiæ, vel præſcientię Dei, vt præſcientiam eius & ordinationem idem eſſe arbitremur. Non enim hęc, id eſt, præſcientia & ordinatio Dei, æqualia ſunt, aut cõuerti poſſunt, quia præſciuit Deus quidem omnia, quæ ordinauit, ſed non præordinauit vel prædeſtinauit, vt fierent omnia, quæ præſciuit. Nam de homine, cum faceret eum, duo præſciuit, ſcilicet & quomodo per fraudem diaboli decipiendus eſſet, & quomodo per omnipotentiam ſuam deceptum & perditum reſtaurare poſſet. Hæc, inquam, duo præſciuit: ſed eorũ alterum, id eſt, lapſum hominis, fieri permiſit, ad cumulũ diabolo debitæ damnationis: alterum autẽ, id eſt, reſtaurationem eius, præordinauit, vt (ſicut ait Apoſtolus ad Epheſios) innoteſceret principatibus & poteſtatibus in cęleſtibus, per Eccleſiã multiformis ſapientiæ Dei. Vndè & Hieronymus in commento eiuſdem Epiſtolę: Si, inquit, principatibus, & poteſtatibus in cælis, quas ſanctas

Rom. 8.

Epheſ. 5.

Universidad de Deusto
Biblioteca

ctas ministrasq. Dei accipere debemus, ignota fuit multiplex sapientia Dei, quæ nunc eis per Ecclesiam reuelata est, quantò magis Patriarchis & Prophetis ignota fuit, quos suprà, nó ignorasse mysteria Christi, sed ita vt * Apostolus nescisse, monstrauimus. Multiplex quippe sapientia Dei per Ecclesiam eius, nunc & principatibus & potestatibus reuelata est, quam olim Deus futuram in sua mente decreuerat, & nunc esse perfectam ex eo, quod videmus, agnoscimus. Crux itaq. Christi non solum nobis, sed & angelis cunctisq. in cælo virtutibus profuit, & aperuit Sacramentum, quod ante nesciebant. Deniq. ad cœlum cum corpore reuertentem mirantur & dicunt: Quis est iste, qui venit de Edom, tinctis vestibus de Bosra? Iste formosus in stola sua. Et in alio loco: Quis est iste rex gloriæ, Dominus virtutum, ipse est rex gloriæ? Non ergo putemus diuinæ ordinationis vtrunq; fuisse, & hominis lapsum, & eiusdem restitutionem: sed præscitum quidem lapsum fieri permisisse Deum, ad diaboli damnationem: restaurationem autem præordinasse, ad multiformis sapientiæ suæ ostentionem. Et non sicut blasphemamur, inquit, Apostolus, & sicut aiunt quidam nos dicere: Faciamus mala, vt veniant bona, quorum damnatio iusta est. Dixerat enim: Vbi abundauit peccatum, superabundauit gratia. Quod quidam iustè damnandi sic peruertebant, vt illum dixisse assererent, quòd oporteat nos facere mala, vt veniant bona. Quorsum hæc? Videlicet vt aduertamus, quia multò magis Deus, cùm faceret hominem, nec voluit, nec vllo modo dixit: Fiant mala, vt veniant bona: sed eo nolente, eo prohibente, mortemque comminante, diabolo consentiens homo malum fecit: Deo autem disponente, bonum venit. Et vbi abundauit peccatum, in tantum superabundauit gratia, vt quia satisfactionem pro culpa nullus debebat, nisi homo nullusq. soluere poterat, nisi Deus miseratus Deus homo fieret: qui cùm pro se nihil mortui deberet, moriendo pro nobis debitum nostrum solueret. Igitur notandum est, vt suprà dictum est, conscientia culpæ gaudium nostrum reuerberat, vt non exultemus hac die, sed ambulemus demisso capite: quia vulnera illa nostra fecerunt crimina, quia contumaces serui commisimus, quod vapulat ille omniū dominus, quia quæ ille exoluit, nos rapuimus. Deinde Euangelicæ quoq. auctoritatis est, & ex domini dictis accepimus, vt hac die gaudere Iudæis relinquamus, & nos contristemur. Nam cùm dixisset: Modicum & iam non videbitis me, & iterum modicum & videbitis me, secutus adiunxit: Amen amen dico vobis, quia plorabitis & flebitis vos, mundus autem gaudebit: vos autem contristabimini, sed tristitia vestra vertetur in gaudium. Adhuc autem huic tantæ rei tristitiam conuenire probabili exemplo confirmat, dicens: Mulier cùm parit, tristitiam habet, quia venit hora eius: cùm autem pepererit puerum, iam non meminit pressuræ propter gaudium, quia natus est homo in mundum. Mulieri quippe Ecclesiam suam assimilat, quæ quia Christum diligit, quem ex Deo patre genitum, in nostram naturam suscepit, rectè hac die moriente illo per mortem, quasi per partum in vitam æternam & in immortalitatis gloriam exeunte, tristitiam habet, & clamat vt in vtero habens, & clamat parturiens, & quia postquàm resurrexit, æterno suo regno natus, gauisi sunt discipuli viso domino, sicut ipse dixerat: Iterum autem videbo vos, & gaudebit cor vestrum, & gaudium vestrum nemo tollet à vobis, perpulchrè perfecta est, quæ præmissa fuerat, mulieris similitudo, quæ postquàm pepererit, iam non meminit pressuræ propter gaudium, quia natus est homo in mundum.

*Apostolos

Esa. 63.

Psal. 23.

Rom. 3.

Ioan. 16.

Pſal. 68.

Ioan. 16.

Apoc. 12. Ioan. 20.

Ioan. 16.

Quòd celebritas nostræ redemptionis à feria sexta ad Dominicam transferatur. Cap. 3.

Differendum est igitur gaudium tantæ salutis, tantæ tamque necessariæ redemptionis tanti precij, cuius pondere captiuitas mundi redempta est, inferni claustra constracta sunt, ianuæ cælorum apertæ sunt, latro pœnitentium exemplum, cum Domino Paradisum ingressus est. Differendum, inquam, vsque in diem tertium, quo tantus ille victor surrexit, quo nobis victoriam suam annunciauit, quo nobis in semetipso, quid de nobis speremus, ostendit: & tunc pro redemptione animarum, quæ hac die patrata est, & pro resurrectione corporum, quæ illa luce condita est: pro hoc, inquam, duplici munere, inenarrabilis, inæstimabilis infinitæ solennitatis, dignitatis, toto corde, toto ore, totisque viribus celebranda est. Hac interim die tristitia regnet, hac, inquam, die tristitia denominata, id est, tristi die contristemur ad pœnitentiam, feriam Dominicæ passionis nostram pertranseat animam, claui manuum ac pedum eius carnem nostram configant, crux eius nostram suspendat concupiscentiam. Compatiamur, vt conregnemus. Hodie non sacrificemus, dum nobis hostia tollitur de manibus. Non sacrificent amici, dum trucidant inimici. Dominus, inquit Moyses, pugnabit pro uobis, & vos tacebitis. Quamdiu ergo torcular calcat solus, & indumentum eius sanguine conspergitur, quamdiu ligatus deridetur, velata facie colaphizatur, & alapatus, consputus, quamdiu illuditur veste alba indutus, itemque arundinem accipiens in dextera, vestemque purpuream & spineam coronam, clauorumque fixuram, quibus in cruce pendens, legis factus est maledictum, bibitque aceti poculum, quamdiu tot opprobriis exaturatur. tandiu nos, id est, à mane vsque ad horã nonam, iuge ac profundũ teneamus silentium, mœrori amicũ, & interiorem penetrantes meditationis solitudinem, soluentesq; cum Moyse calcea menta de pedibus nostris, audiamus illum tamquàm de medio rubi dicentẽ: Videns vidi afflictionem populi mei, qui est in Aegypto, & gemitum eius audiui, & descendi liberare eum. Nunc enim quasi

Rom. 1.

Exod. 14. Esa. 63.

Matt. 26. Luc. 3. Ioan. 19. Deut. 21. Exod. 3.

quasi in rubo spinis inhæret, clauis confixus, spinisq; coronatus, crucisq; arbustum guttis sanguinis, quasi rubentibus pollulat moris, vt (sicut ait quidam) Tristes purgantur sanguine culpæ, quem contorta rubus densis cruciatibus edit.

Cur hora nona conuenimus adorare crucem. Cap. 4.

Matth. 17. luc 23. Ioan. 19.

Hora autẽ fere nona, quando mox traditus spiritum clamauit voce magna, dicens Pater in manus tuas cõmendo spiritum meum: videnṣq; quod factum fuerat, & quod sic clamans emisisset spiritum, Centurio, nostræ fidei præcentor, clamauit & ipse dicens: Vere filius Dei erat iste, iussitq; Pilatus ad petitionem Ioseph reddi corpus, venitque Nicodemus ferens myrrhæ & aloes quasi libras centum, & acceperunt corpus Iesu, & inuoluerunt linteis cum aromatibus: tunc, inquã, licuit his & aliis discipulis appropinquare, & querelas tanto funeri depromere, paulatim dilapsis persecutoribus: vel quia diutino Dominicæ mortis satiati spectaculo discesserant: vel quia viso terræmotu, quo velum templi scissum est, & petræ scissę sunt, & monumenta aperta sunt, territi diffugerant. Circa nonam igitur horam conueniamus & nos, & supremo funeri, non tam Missale officium, quàm funebrem exhibeamus planctum, quem & hoc ordine peragimus.

Matth. 27.

De officio vel ordine adorandæ Crucis. Cap. 5.

Narrandam sacræ passionis historiam illa duo præcunt animalia, de quibus & cantamus: In medio duum animalium innotesceris: scilicet lex & prophetæ, quæ illi concorditer attestantur, iuxta quod Moyses & Helias apparuerunt in monte, quando transfiguratus est, cũ eo loquentes. Nam prima lectio Oseæ propheræ est: In tribulatione sua mane consurgent ad me: Venite & reuertamur ad Dominũ, quia cœpit & sanabit nos, percutiet & curabit nos, viuificabit nos post duos dies, in die tertia suscitabit nos. Secunda de Exodo est: Dixit Moyses filiis Israel: Mensis iste principium vobis mensium primus erit in mensibus anni. Decima die mensis huius, tollat vnusquisq. agnũ per domos & familias vestras, & immolabitis eum decimoquarto die mensis huius ad vesperam, & reliqua. Prima sane resurrectionis præconium est: secunda passionis, & eidem passioni, quæ hac die legenda est secũdum Ioannem, proprie congruit: maximè pro eo, quod idem Euangelista sumpsit hoc ex illa testimonium: Os non comminuetis ex eo. Singulas lectiones singuli sequuntur tractus, quem cantum proprium esse lugentium, longè supra in Septuagesima dictum est. Primus nos ad tremorem excitare molitur, dicente Abacuc: Domine audiui auditum tuum & timui. Sic enim Abacuc hic ex eo, quod in certamen & luctamen, vt ita dicam amplexu cum Deo congreditur, amplexantis, id est, luctantis sortitus est nomen: nullus enim, vt ait Hieronymus, tam audaci voce ausus est Deum ad disputationem iustitiæ prouocare, & dicere ei, cur in rebus humanis tanta versatur iniquitas? Vsquequò Domine clamabo, & non exaudies? &c. Si, inquam, hic Dei collactator fortis & rigidus stãs super custodiam suam, & figẽs gradum super munitionem, dum Christum in cruce contemplatus, & videt cornua in manibus eius, & ibi absconditam fortitudinem eius: timui, ait, & expaui, quid nos longe impares, longeq. minorem in die iudicij fiduciam habentes, quando videbimus manifestam in nubibus cæli fortitudinem illam, quam hic timet absconditam in cornibus crucis, quæ erant in manibus eius? Quid facient tabulæ, si tremunt columnæ? Rectè ergo, vt nostrum tractus hic magis ac magis excitet timorẽ, in plerisq. ecclesiis religione imitandis ita cantatur, vt post singulos versus semper primus vicissim nunc à principio, nunc à medio repetatur. Sequens tractus: Eripe me domine ab homine malo, secundum titulum eiusdem Psalmi, qui est in finem psalmus Dauid, vox est eiusdem manu fortis propugnatoris nostri, pro nostra salute in passione sua decertantis, & hæc illi oratio hac de causa attribuitur, vt nos quoque simili exemplo in periculo existentes, orationis deuotione à domino liberari mereamur.

Abacuc 2.

Matt. 17.

Ose. 6.

Exo. 12.

Ioan. 19.

Abac. 3.

Aba. 1. 2. 3.

Psal. 129.

Cur hac die legitur Passio secundum Ioannem. Cap. 6.

Quanuis & ipse ordo scribendi popposcisse videatur, vt hac die post alios Euangelistas passio Domini secundum Ioannem legeretur, constat enim illum reuersum de Pathmos insula, vbi exilio relegatus fuerat, post omnes Euangelium suum scripsisse vltimum: tamen & hæc altera maior causa est, quia præsens interfuit, & cæteris adesse non audentibus ipse, quia (sicut de seipso ait, & sicut Hieronymus perhibet) notus erat pontifici, fiducialius secutus est, & iuxta crucem stetit. Stantibus enim iuxta crucem Iesu, Maria matre eius, & sorore matris eius, cùm vidisset Iesus matrem suam, & discipulum stantem, quem diligebat, dicit matri suæ, Mulier ecce filius tuus, deindè dicit discipulo: Ecce mater tua: Et ex illa hora accepit eam discipulus in suam. Et paulò post de se ait: Et qui vidit, testimonium perhibuit, & testimonium eius verum est.

Ioa. 18. 19.

Cur Euangelista suum interposuit testimonium. Cap. 7.

Non prætereundũ tantę huius rei sacramentum, cui sanctus Euangelista tam diligenter suum interposuit testimonium, & congrua de

Universidad de Deusto
Biblioteca

de scripturis subiecit exempla. Dixerat enim, quia milites, qui fregerunt crura latronum, cùm venissent ad Iesum, & viderunt eum iam mortuum, non fregerunt crura eius, sed vnus militum lancea latus eius aperuit, & continuo exiuit sanguis & aqua. Facta sunt, inquit, hæc, vt scriptura impleretur, quæ dicit de eo. Os non comminuetis ex eo. Et item alia scriptura dicit: Videbunt in quẽ transfixerunt. Cur agnus qui immolatus est, noluit vt os comminueretur ex eo? Non enim casu, sed eo nolente & disponente actum est. Siquidem non alia quàm quæ voluit ac disposuit ipse ab his, qui cũ voluntate sua vel propria nequitia peremerunt, tormenta perpessus est. Vnum de similibus nobis locutus est, hoc scilicet, quòd, vt nos mortalis ac passibilis homo natus est. Cætera dissimilia nobis cuncta locutus est, quia quãdo voluit, & quomodo voluit natus est; quando voluit, & quomodo voluit mortuus est. Cur ergo noluit, vt crura sua frangerentur, sicut & illorum sceleratorum, inter quos reputatus est? Videlicet iccircò, quia ossium fractura nullum vsquam bonum sua similitudine commendat.

Exod. 11. Zach. 12.

Quòd singula eorum, quæ Dominus passus est, aliquid mysticè significent. Cap. 8.

COnsideremus ea, quæ in passione sua pertulit Dominus noster, & inueniemus alia quædam, quæ nos spiritualiter amplius ædificent, per illa significari. Nam non solum quæ gessit, & quæ pati voluit, sic disposuit, vt cùm interiora perspexeris, si exteriora hęc attendas, sic vtrobique consonam inuenies similitudinem, quomodo ex qualitate, seu ex proprietate figurarum vel apicum eamdem scriptoris manum diuersis in locis recognoscis.

Quid Crucis figura significet. Cap. 9.

PRimum ipsa crucis figura nihilne mysticũ significat? Taceo, quod decentissimum esse nullus abnuat, salutem humani generis in ligno crucis constitui, vt vnde mors oriebatur, indè vita resurgeret: & qui in ligno vincebat, in ligno quoque vinceretur. Quodque ait quidam: Neue quis ignoret speciem crucis esse colendam, quæ Dominum portauit, ouans ratione potenti, quatuor inde plagas quadrati colligit orbis. Illud non præteream, quia salutis, quam operabatur primas ianuas, id est, fidem, spem & charitatem, quartamque illarum, perseuerantiam in eiusdem crucis, in qua pendebat, figura significabat. Habet enim crux in longitudinem, latitudinem, sublime atque profundum, id est, acumen, quo fixa terræ inhæret: longitudinem, id est, vsque ad brachia: latitudinem, in eorumdem expansione brachiorum: altitudinẽ ab ipsis brachiis sursum versus, quo caput imminet. His autem quatuor supradictæ virtutes signantur: Profundo, Fides, quæ occulta voluntatis Dei vocatione, primæ in fundo cordis quasi fundamentũ in ędificio, ponitur: longitudine, perseuerantia: altitudine, spes, quæ nobis in cælestibus reposita est: latitudine, charitas. Nam de his, inquit Augustinus, Apostolum dixisse intelligo: vt possitis comprehendere cum omnibus sanctis, quæ sit longitudo, latitudo, sublimitas, & profundum. Salutis ergo primos aditus in supplicij sui figura Saluator noster prædicabat.

Ephes. 5.

Quid significet, quòd aceti poculum cùm gustasset, noluit bibere. Cap. 10.

PEr hoc autem, quod oblatum sibi acetum, felle mixtum, cum gustasset, noluit bibere, reprobationẽ significat vineæ suæ, scilicet, gẽtis Iudaicæ. Vinea enim Domini Sabaoth, domus Israel est. At illa, quã ipse expectauerat, vt faceret vuas, & fecit labruscas, tãdem illi mortis miscuit amaritudinem, qua gustata modicè, id est per triduum, iam in genimine vitis illius bibere non vult. Resurgens enim à mortuis iam non moritur, mors illi vltra non dominabitur.

Matt. 27. Esa. 5. Mar. 26. Rom. 6.

Cur chlamydem coccineam circumdari sibi permiserit. Cap. 11.

SEd & quod chlamydem coccineam, cum illuderetur, non dedignatus est circundari sibi, nunquid non congruit illi, quod propter nos in passione sua fungebatur ministerio charitatis? Coccus enim coloris ignei, qui in tabernaculo Domini offerri, & in veste sacerdotali bis tinctus iubetur assumi, geminam significat dilectionem, Dei & proximi: qua fit, vt quicquid offerimus, ignitum, & quasi bene coloratum coram diuinis placeat cõspectibus. Ipse autem propter nimiam charitatem suam, qua dilexit nos, bibebat calicem passionis, sicut ipse vt cognoscat, inquit, mundus, quia ego diligo patrem, & maiorem charitatem nemo habet, quàm vt animam suam ponat quis pro amicis suis. Igitur huic regi nostro chlamys coccinea benè congruebat, vt ipso habitu se illum esse ostenderet, qui in lege significabatur per vitulam rufam, cuius corpus pro peccato iubebatur extra castra cremari, & cinis eius in aqua cum hyssopo super populum aspergi.

Matt. 27. Exo. 26. 28 Ephes. 2. Ioan. 14. 15 Num. 19.

Cur arundinem in manu acceperit. Cap. 12.

ARundinem quoq; siue calamum ab illudentibus accipere non recusauit in manu sua, quo (vt ait Hieronymus) sacrilegium scriberet Iudæorum, siue venenata interficeret animalia. Habebat namque in manu sua virgam, id est, suam in propria potestate animam, vt volens poneret, atque iterum sumeret eam. Et sicut Moyses corã Pharaone suam proiecit virgam, quæ versa est in colubrum, deuorauitq; versas in

Ioan. 10. Exod. 7. Sap. 2.

in colubros virgas Magorum, iterumque rediit in virgam, sic ipse nũc suam quodammodo posituras erat animam, vt descenderet in mortẽ, quæ per colubrum intrauit in mundum, colubrosq; Aegyptiorum, id est, mortes absumeret peccatorum, atque iterum in virgam, id est, in potestatem rediit pristinam.

Cur Spineam Coronã gestauerit. Cap. 13.

PEr spineam autem coronam illud visibiliter quoq; significat, quod de illo Propheta prędixit, Et peccata nostra ipse portauit. Spinæ namque peccata designant, quæ animã pungũt & lacerant. Nã & propter peccatum homini datæ sunt, dicente Domino ad Adam, Cùm operatus fueris terram, non dabit fructus suos, sed spinas & tribulos germinabit tibi. Cætera quoque omnia, quæ passus est, quibus illusus est, mysteria simul & moralia continẽt documẽta. Nam in eo quòd facies eius velatur, ac deindè colaphizatur, velamen illud significat, qđ super corda Iudæorũ expandebatur, vt videre illũ nõ mereantur, quẽ nunc vsq; in synagogis suis cõuitiis colaphizant, & exalapãt maledictis. Nobis aũt fortissimũ in his omnibus præbet humilitatis exẽplum. Quis. n. non erubescat collũ erigere, & pingui armari ceruice, cũ Deus & Dñs omnium ab illudentibus sit pro nobis colaphizatus. Nã hominis humilitatẽ imitari superbi dedignaremur, humilitato sub tot conuitiis Deo, superbire erubescamus.

Esa. 53. Gene. 3. Iob. 15.

Cur sua crura frangi noluerit. Cap. 14.

QVi ergo cætera rationabiliter pertulit, nõ frustra, sed disponente eo frangi sibi crura noluit. Ossa namq; quæ vbique in scripturis mysticè pro virtutibus accipiuntur, nihil nobis mysterij prædicarent in eo, q frangerẽtur. Sed econtra crura eius in eo, quòd integra conseruata sunt, illud nobis mysticant, quòd vniuersę viæ eius rectæ & inuiolabiles sunt. Crura namque eius, vias eius significant, vnde & in Canticis dicitur: Crura eius columnæ marmoreæ, quę fundatæ sunt super bases aureas, id est, itinera eius pulchra super diuinitatis sapientiam in rectitudine firmata. Quid igitur vitata crurum fractura fieri maluit?

Pſal. 118. Cant. 5.

Cur sanguinem & aquam de latere suo fuderit. Cap. 15.

SEd vnus militum (inquit Euangelista) lancea latus eius aperuit, & continuò exiuit sanguis & aqua. Cur igitur hoc fieri maluit? Videlicet, vt illam super nos effunderet aquam cum sanguine suo, quã dum commendaret, dixerat: Nili quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non potest videre regnum Dei. Siquidẽ huius aquæ sacramentũ ab hoc miraculo sumpsit exordium. Baptizatus ergo Dominus in passione sua, talem ad nos salutiferæ mortis participationem iam mortuus emisit. Non est nouum hoc aut mirum, quod illum in passione sua dicimus baptizatum, matre filiorum Zebedæi postulante ac dicente: Magister, dic vt sedeant hi duo filij mei, vnus ad dexteram tuã, & alius ad sinistram tuam in regno tuo, respondens dixit: Potestis bibere calicẽ quem ego bibiturus sum, aut baptismo quo ego baptizor, baptizari? Qui cum respondissent, Possumus: Calicem, inquit, meũ bibetis, & baptismo, quo ego baptizor, baptizabimini, &c. Nomine calicis siue baptismi passionem voluit designare martyrij, qua & ipsum & illos decebat consummari. Vnde & alibi de passione sua loquitur: Baptismo autem habeo baptizari, & quomodo coartor vsque dum perficiatur? Græcè autẽ baptismus, Latinè ablutio dicitur. Quas ergo sordes habebat Dominus, vt baptismo passionis ablueretur? Nempe mortalitatem nostram & passibilitatẽ, propter quam sordidus & contemptibilis apparebat hominibus, sicut in eo Zacharia legimus: Iesus autẽ indutus erat sordidis vestibus. Dixit autẽ Angelus, his qui stabant coram se: Auferte ab eo vestimenta sordida. Iesus, inquit Hieronymus, indutus erat sordidis vestibus, qui quum non fecisset peccatum, pro nobis peccatum factus est, & ipse infirmitates nostras tulit. Et in Apostolo legimus: Christus nos redemit de maledicto legis, factus pro nobis maledictio. Hic in vicesimo primo Psalmo loquitur: Lõgè à salute mea verba delictorum meorum. Et in sexagesimo octauo: Deus, tu scis insipientiam meã, & delicta mea à te non sunt abscondita. Quæ vniuersa (inquit) appellantur sordida vestimenta, & auferuntur ab eo, cùm in morte sua nostra delet peccata. Cùm igitur videmus Dominum Iesum propter passionem mortis gloria & honore coronatum, & à nostris quæ ipse portauerat, ablutum, rectè illum accipimus suo baptismo in morte sua baptizatum, atque vt eũdem suum ad nos transfunderet baptismum, sanguinẽ & aquam de latere suo profudisse iam mortuum. Baptismũ autem, quo à Ioanne baptizatus est, non ad eandem pertinuisse virtutem, aliàs iam dictum est.

Luc. 12. Zach 3. Esa. 53. Gal. 3. 2. Cor. 5. Heb. 8.

Cur nec solus sanguis, nec sola aqua de latere eius exiuit, vel cur aqua sanguini sociata sit. Cap. 16.

IDcirco nec solus sanguis, nec sola de latere Saluatoris aqua manauit, quia diuinus ordo nostræ salutis vtrumque depoposcit. Sanguine namq; redimimur, aqua abluimur. Nec ad hoc redempti sumus, vt tales nos ille possideret, quales eramus prius. vnde & Apostolus: Non enim, inquit, vocauit nos Deus in immunditiam, sed in sanctificationem in Christo Iesu. Et in alio loco, cùm priora cõmemorasset peccata: & Hæc, inquit, fuistis, sed abluti estis, sed sanctificati estis, &c. Vt ergo esset vnde à peccatis lauaremur, aqua, quæ corporales tantum lauare

1. Thess. 4. 2. Cor. 6.

Universidad de Deusto
Biblioteca

nare poterat sordes, sanguini, qui est preciũ no
stræ redẽptionis, sociata est, & ex eius societa-
te virtutẽ atq; auctoritatẽ sumpsit, vt ad abluẽ-
das inuisibiles peccatorum sordes, digna sit san
cto cooperari spiritui. Societate, inquam, viui-
fici ac precioſi sanguinis hoc accepit, vt com-
paretur vera similitudine rubro mari, per quod
saluatus populus transiuit, Pharaone submerſo
cum curribus & equitibus suis. Nam fugientes
Aegyptum huius seculi, mundatos in veram re-
promissionis terram transmittit, diabolum per-
sequentem penitus absorbet cũ præteritis actiB
bus & pompis suis. Igitur (vt supra dictum est)
longè rationabilius fuit, vt lancea militis latus
Dñi aperiretur, quàm vt eius crura frangerentur. Rationabilius, inquam, ac decentius tanto
fuit salutis artifici, valdeq; accessit ad pulchritudinem operis, vt illud sibi mortuo de latere
educeret, vnde nasceretur Ecclesia, qui dormienti Adę costã eduxit, vnde formaretur Eua.
Hac enim similitudine quid pulchrius, quid ele
gãtius, quid dulcius? Siquidem ille primus Adã
obdormiuit, iste secundus (vt dictum est) surrecturus obiit. Illi Dominus soporem immisit,
huic pater calicem passionis dedit.

C Egredimini ergo & videte filiæ Sion Regem
Salomonem in diademate, quo coronauit eum
mater sua in die desponsationis eius, & in die lætitię cordis illius. Egredimini, inquam, de tenebris illis, quę super terrã factę sunt, ab hora sexta vsque in horam nonã, imò de illis, quę per
illas significatæ sunt, & nunc operiunt faciem
cordis Iudęorum. De his ergo tenebris exite &
videte intenta contemplatione illum, qui vos
vocauit in admirabile lumen suum, Regem ma
gnum, regem pacificum in diademate spineo,
quod est charitatis, & magnæ miserationis or- D
namẽtum, quo coronauit eum mater sua synagoga in hac die desponsationis eius, qua (vt dictum est) nascituræ sibi sponsæ Ecclesię in lęti
tia cordis sui prima elementa produxit.

Exo. 14.

Gen. 2.

Cant. 3.

Matt. 27.

1. pet. 2.

Ioan. 17.
Esa. 9.

Apo. 8.

Cur hac die solennes fiant orationes pro statu Ecclesiæ. Cap. 17.

OMni quidem tempore pro statu sanctę Ecclesię fideliter orãdum est: sed hac die prę
cipuè solennes pro illa orationes secũdum gradum vel dignitatum ordines ac diuersitates, à
sacerdote peroranda, rationabiliter institutæ
sunt. Hac enim die Saluator noster pro cunctis
orauit, & commune pro omnibus sacrificium
factus est, de quibus & passioni appropinquãs,
imò iã ad aram crucis pene assistens, cum pro discipulis suis rogaret, dixit: Non pro his tantum
rogo, sed & pro his, qui credituri sunt per verbum eorum in me. Nẽpè hic ille erat magni consilij angelus, de quo in Apocalysi legimus: Stetit Angelus iuxta Aram templi, habẽs thuribulum aureũ in manu sua. Hodie iuxta aram templi, i. in conspectu Ecclesiæ assistens, aureum in
maculati corporis thuribulum in cõspectu Dei A pendens in cruce sustulit, & orationis incẽsum
dignum cum clamore valido & multis lachrymis (vt ait Apostolus) pro nobis adoleuit. Rectè ergo & nos cum illo solennes pro nobis &
pro cunctis orationes offerimus, iuxta quod illic additũ est: Et data sunt ei incensa multa, &c.

Heb. 5.

Apoc. 8.

Cur pro Iudæis genua non flectimus. Cap. 18.

VBi notãdum, quod cùm in singulis orationibus ad pronunciationem diaconi genua
B flectamus, in ea tãtum, quæ pro Iudęis dicitur,
hoc non facimus: videlicet, quia donec plenitudo Gentium subintroeat, cæcitas, quę contingit in Israel, nullius orationis manu depelli vel
expelli potest. Itaq; diuinis nec debere, nec velle, aut posse contraire iudiciis profitentes, vehementem pro illis nunc intendendam non esse
orationem significamus in eo, quòd genua non
flectimus, & tamen oramus vtcumque & pro
his, quia futurum est, vt illos quoque trahat ad
se, qui idcircò in cruce exaltatus est, vt ad seipsum omnia traheret.

Rom. 11.

Ioan. 12.

C

Cur ab his, qui crucem apportant, cantatur, Populе meus, & aliæ antiphonæ: & ad singulas respõdetur Græcè ἅγιος, & Latinè Sanctus Deus. Cap. 19.

TRes istæ antiphonę, Populе meus, Quia e-
duxi te, quid vltra debui, quæ apportando
crucem decantãtur, sensibus parum aut nihil
differentes, verbis quoq; ac modulatione consimiles, triplicem significant scripturam tituli, sensumque eius consonant, qui super caput
Domini Hebraicè, Græcè ac Latinè descriptus
est: Iesus Nazarenus Rex Iudęorum. Nam, quia
ibi scriptum est Iesus Nazarenus, hic per singulas antiphonas in fine subiicitur, Saluatori tuo,
iuxta interpretationẽ eiusdẽ nominis. Et quia
verè est Rex Iudęorũ, licèt hoc illi negauerint,
& titulũ quoq; mutare voluerint, dicẽtes: Noli
scribere Rex Iudæorũ, sed quia ipse dixit: Rex sũ Ioan. 19.
Iudæorum, hoc in eisdẽ antiphonis adstruitur
ab effectis, verũ & antiquum exponẽdo Regis Exod. 12.
officium, videlicet quòd eduxerit eos de terra Deut. 2.
E Aegypti, q deduxerit per desertum quadragin
ta annis, q mãna cibauerit, q in terrã satis bonã introduxerit. Et quia causa hæc, Iesus Naza
renus Rex Iudęorũ, tripliciter (vt dictũ est) scripta est, i. Hebraicè, Græcè & Latinè, ad singulas antiphonas, quibus in fine subiicitur, Saluatori tuo, quod est in illo titulo Iesus, Græcè &
Latinè respõdetur ἅγιος, ἅγιος, Sanctus, sanctus,
quod est in eodem titulo Nazarenus, Hebraicè
verò non respondetur, videlicet, quia gens illa regem suum adhuc negat, titulumq; illum
auerso corde maledicit & detestat. Supradictas
ergo cantando antiphonas illò defertur crux,
quo sibi Græcè & Latinè fideliter respondetur,
quia

quia videlicet crucifixus Dominus, à negantiA bus Iudæis sese promouens, ad confessionem
Gentium proficiscitur, appropinquantibus Apostolis & cantantibus, i. totis viribus opprobrium crucis, quam non erubescunt prædicantibus, & interdum multa passis graniq; persecutionum pondere fessis: quod & pulchrè significatur per hoc, quòd eiusdem crucis portatores nunc eunt, nunc tamquam lassi subsistunt.

1. Cor. 1.
2. Cor. 1.

Quid significet, quòd crux hactenus operta, nunc discooperitur. Cap. 20.

VElamen, quo hactenus tegebatur eadem
crux, quodq; aufertur, dicendo, Ecce lignũ
crucis, velamen illud significat, sub quo se
se Dñs à Iudæis abscondit, quodq; cordi eorum
oppansum est, nobis autem reuelatur, quia (vt
ait Apostolus) in Christo aufertur. Nobis enim
seipsum ostendit in prophetis, sensumq; aperit
vt intelligamus prophetas, non sicut Moyses
ponebat velamen super faciem suam, dum non
possent filij Israel intendere in faciem eius, sed
faciem nobis reuelat, vt gloriani eius speculantes, in eandẽ imaginem transformemur à clari
tate legis in claritatem Euangelij, tamquàm à
Domini spiritu. Hæc reuelatio primum per illud significata est, quod eo tradẽte spiritum, velũ templi sciſſum est, à summo vsque deorsum.
Ex tunc enim oĩa legis sacramenta patuerunt,
atq; ad Gentilium fidem arcana Iudæorũ transierunt. In Euangelio quoq; secundũ Hebræos,
superliminare templi infinitę magnitudinis, inquit Hieronymus, fractum esse atque diuisum
legimus. Præterea Iosephus refert, virtutes angelicas, præsules quondam templi, tunc pariter conclamasse: Transeamus ex his sedibus.
Sed & in hoc, quòd terra mota est, & petræ sciſ D
sæ sunt, & monumenta aperta sunt, iuxta litteram quidem magnitudo signorũ est, quòd crucifixum Dominum cęlum & terra & omnia contremiscant, sed mysticè tremorẽ signifi cat credentium, quod pristinis errorum vitiis derelictis & emollita cordis duritia, qui prius, erant
similes tumulis mortuorum, postea cognouerint creatorem. Vnde & in Psalmo: Commouisti Domine terram, & conturbasti eam. Item:
Commota est, & contremuit terra.

Matth. 27.

Esa. 55.
Psal. 9.

Item de Cruce. Cap. 21.

HÆc ergo crucis adorandæ reuelatio, sicut
& illa veli templi sciſſio, nobis illud mysticè significet, quòd credentibus in crucifixum
clausa prius scripturarum mysteria patefiant.
Nam per creditam Christi passionem vel crucem, nunc intelligimus sacramenta legis & arcana prophetarum. Verbi gratia: Cur Pharao
vel Aegyptus, quæ decem plagis verberata non
cessit, solo sanguine agni victa, filios Israel dimisit, & quis ille sit in prophetis, cuius factus
est principatus super humerum eius: quisve sicut ouis ad occisionem ductus sit, & sicut agnus
coram tondente se obmutuerit, & non aperuerit os suum. Hæc & cætera clausa prius, nunc
crucem Christi suscipientibus aperta sunt. Sicque factum est, vt bibere iam possimus de aquis
Mara, quas (sicut in Exodo legimus) non poterat bibere populus, donec clamante Moyse ad
Dominum, ostendit ei Dominus lignum, quod
cum misisset in aquas, in dulcedinẽ versæ sunt.
Aquæ enim Mara legem significant, quæ non
paruam in se amaritudinem habet, dum dicit:
Oculum pro oculo, dentem pro dente, & similia. Dulcescit autem per lignum dum propositio Dominicæ passionis exemplo, Et qui te percusserit in maxillam, præbes & aliam, &c.
Adoramus igitur in cruce Domini nostri Iesu
Christi opportunam (vt ait Paulus) gloriam,
salutem acquisitam, reducem vitam, salutationem perfectam, liberationem perpetuã. Adoramus crucem, fidei præsidiũ, spei firmamentum,
charitatis solium, misericordiæ titulum, pietatis argumentum, gratię vehiculum, pacis vexillum. Adoramus crucem, quæ superbiam excidit, inuidiam obtriuit, culpam correxit, pęnam destruxit. Crux Christi, ianua cæli, clauis
paradisi, diaboli deiectio, hominis erectio, captiuitatis nostræ solatium, libertatis precium.
Crux expectatio patriarcharũ, promissio prophetarũ, triumphus Regum, dignitas sacerdotum. Crux tyrannos increpat, potentes inclinat, afflictos subleuat, pauperes honestat. Crux
tenebrarum excidium, lucis infusorium, mortis effugium, vitę nauigium, salutis imperium.
Quicquid Deo proficimus, quicquid acquirimus, quicquid speramus, adorandę crucis est
fructus. Per crucẽ Christus ad se traxit omnia. Ioan. 18.
Regnum Patris, sceptrum filij, sigillum Spiritus sancti, totius est testimonium Trinitatis.

B

C

D

E

Exod. 15.

Leu. 24.

Deut. 19.

Matt. 5.

Cur pridie Dominicum corpus in hodiernum diem reconditum sit. Cap. 22.

CAusa poscere videtur, vt die Dñicum corpus conficientes, & indè vsque ad sabbatũ
recondentes, toto eodem sabbato iugi silentio
consopiti, vsque in primã sabbati ab omni diurno psallentio cunctoq; sacri altaris ministerio
vacaremus. Sic enim rei propius accedere putaremur, pro eo quod hac die Dñs noster immolatus, sabbato quieuit in sepulchro, totãq; sequentẽ noctẽ discipuli eius in tristitia trãsegerũt, donec diluculo redeũtibus à monumẽto mulieribus, quęq; audierãt & viderant referẽtibus paulatim respirare & in gaudium reuiuiscere cęperunt. Verius itaq; triduanam Dñi mortem obseruare videremur, & illã de veteri historia similitudinẽ rectius tenere, qua dictũ est de mãna,
quod filiis Israel in figuram Dñici corporis datum est: Die sexta colligant quod inferant, sitq;
duplum quàm per singulos dies colligere solebant, quia die septima non inuenietur. Nũc autem econtra die septima apud nos inuenitur,
quia post meridiẽ corpus solẽniter in voce exultationis & laudis conficimus. Hac verò die sex-

Exod. 16.

Universidad de Deusto
Biblioteca

ta quodammodo non inuenitur, quia non conficitur, sed pridie (id est, feria quinta) illatum, & reconditum est, quod hodie sumamus. Cur ita fiat, quæ ratione non vacat, vigilanter intuendum est. Dñs noster non tunc solùm vel tunc primùm immolatus est, quando à Iudæis in cruce suspensus est, sed & pridie, quàm pateretur, quando accipiens panem & calicem benedixit & dedit discipulis suis, dicens: Hoc est corpus meum: Hic est calix sanguinis mei, suis manibus immolatus est, suis ipse manibus nobis, vt iugiter immoletur, agnus commendatus est. Ab illa immolatione prima sabbati, tertia dies, ab ista verò sabbatum ipsum tertia nihilominus dies est. Constat autem quòd (vt superius dictum est) noctem siue vesperam sabbati ab illo silentio vel tristitia, quam exigebat requies sepulchri, causa illa vehemens abstrahit, quod in parte eiusdem noctis Dominus resurgens, totam illam incomparabilis gaudij iubare sol verus illustrauit. Triduum ergo dominicæ mortis, quod perfici nequiuit, eo respectu quo ipse à Iudæis est trucidatus, pulchrè & rationabiliter ad hunc respectum transponitur, quod ipse suis manibus est immolatus. Cuius rei vel maximum illud est indicium, quòd tribus his noctibus minutas, extinctis luminaribus, animus vigilias ad similitudinem tenebrarum, quæ patente Domino super terram factæ sunt, significando (vt suprà dictum est) cęcitatem, quæ ex tunc accidit in Israel. Sicque fit, vt sacrificium nouum, quod mortem Domini pridie per manus ipsius præcesserat, resurrectioni eius nihilominus pridie, quod est in sacrosanti sabbati vespera, solennitet occurrat. Itaque quomodo hac die, quæ est feria sexta, qua Christus hostia salutaris à suis trucidatur inimicis rectè à nobis quasi sepultum est sacrificij decus, & cœleste illud manna, quia hodie non inuenitur, feria quinta parauimus & intulimus, quod hac die, sumamus, fuitque duplum, quàm per singulos dies colligere consueuimus.

Rom. 1.

Exod. 16.

annotata sunt. Nunc illud dicendum est, duos presbyteros, qui corpus Domini ad altare deferrunt, significare Ioseph iustum ab Arimatia & Nicodemum, qui petitum & concessum sibi à Pilato corpus Iesu, detulerunt ad sepeliendum. Nos autem cum silentio communicamus, sed sanguis ille, quem sumimus, ad Deum de ore nostro clamat, sicut scriptum est: Ecce vox sanguinis fratris tui Abel clamat ad me de terra. Nos enim (id est ecclesia) terra sumus, quæ aperit os suum & sanguinem Abel (id est) Christi, bibit fideliter, quem Cain (id est, populus Iudaicus) effudit crudeliter. At ille maledictus est super terram eandem, vagusque & profugus est super eam, sicut scriptum est in Psalmo: Disperge illos in virtute tua. Maledictus, inquam, illa maledictione, quam sibi posterisque suis vltro arrogauit, dicendo: Sanguis eius super nos & super filios nostros.

Ioan. 19.

Gene. 4.

Psal. 58.

Matth. 27.

Incipit de sabbato sancto. Cap. 24.

SAbbato post profundam tristitiæ noctem diescit nobis post meridiem in summam lætitiæ claritatem, imminentemque vesperam noctis eius, qua verus sol Christus ab inferis victor ascendit. Omnis anima Christiana vigilanter attendens & præexultans, plaudit sibimet & dicit: Et nox vt dies illuminabitur, & nox illuminatio in deliciis meis. Quapropter quotquot sacerdotalis aut Leuitici sumus ordinis, iure pro tanti regis victoria tuba intonamus salutari, iuxta illud in Psalmo: Buccinate in næomenia tuba, in insigni die solennitatis vestræ. Quis enim dies nocte hac insignior? quæ solennitas hac victoria præstantior? quę alia nostra est næomenia, nisi illa, quæ hac nocte in Christo per baptismum renascitur noua Ecclesia? Iure ergo nunc angelica tuba cælorum exultat, tuba saluatori insonat, gaudet tellus, mater Ecclesia lætatur, & omnis aula diuini nominis magnis resultat populorum vocibus.

Psal. 138.

Psal. 80.

De eo, quòd duo presbyteri corpus dominicum de loco, quo pridie reconditum fuerat, deferant: & quòd dicitur super illud oratio Dominica tantum. Cap. 23.

TAndem salutata cruce, duo presbyteri deferunt ad altare corpus dominicum, quod pridie reconditum est, & assistens sacerdos præmissa oratione sic incipit: Oremus, præceptis salutaribus moniti. Constat locum hunc esse in canone, vbi eleuato calice cum corpore domini dicitur: Per omnia secula seculorum, & sequente dominica oratione, rursus operitur calix: per quod nobis illud ex passione domini repræsentatur, quod depositum corpus eius de cruce, sepultum est. Sed de hoc in secundo huius opusculi libello iam dictum est, quo & cætera, quæ secundum ordinem dominicæ passionis in canone dicenda erant,

Cur hoc sabbatum vocetur sanctum. Cap. 25.

SAbbatum hoc pro magnitudine rei commune nomen excessit, quod est vigilia, scilicet attenta expectatio vel præparatio cuiuslibet magnæ & cum deuotione suscipiendæ festiuitatis. Dicitur autem sabbatum sanctum, tum propter alia plura, tum maxime propter hoc, quòd ad suscipiendam tantam luminis claritatem, noua Ecclesia sacro baptismi fonte sanctificatur. Hac enim die solenne est, iuxta veram & Euangelicam patrum traditionem, fontes benedici, & præparata per fidem, tam corporum quàm animarum credentium vasa, regeneratione noua sanctificari. Præparantur animæ, quæ mortuæ fuerant, vitæ victrici (morte victa) de bello reuertenti, vt in magna regis Christi curia nullus sit vernaculus aut seruus emptitius, qui non ad ingressum

Osee. 13. 1. Cor 15.

sum triumphantis Domini gratiæ serico, castitatis auro vestiatur. Sed de hoc in sequentibus suo loco dicemus.

Quot vel quibus ex causis præfulgeat paschalis solennitas. Cap. 26.

NVnc, antequam de ordine vel ratione officij differamus, dicendum est, quot vel quibus ex causis Paschæ solennitas tam illustris, tãq; celebris habeatur. Multi enim solùm hoc in illa respiciunt, quòd in prima sabbati resurrexit Dominus, vndè & dies Dominicæ resurrectionis appellatur. Magna planè solennitatis & lætitiæ cordis nostri materia: quia dum illo resurgente resurrectionem mortuorũ esse credimus, nos quoq; resurrecturos esse sperantes, iure gaudemus. Verùm in huius contemplatione solennitatis nunquàm illud gaudium memoriæ nostræ debet præterire oculum, de nostrarum redemptione animarũ, quod (vt superius dictum est) in hanc diem dilatum est à feria sexta, qua per crucem & sanguinem suum Saluator noster illam operatus est. Hæc sunt enim festa paschalia, in quibus verus ille agnus occiditur, eiusq; sanguine postes cõsecrantur. Pascha quippe nostrum immolatus est Christus, qui mortem nostram moriendo destruxit, & vitam resurgendo reparauit. Duæ sunt istæ paschalis magnæ & innumerabiles causæ festiuitatis: redemptio animarum, quæ die parasceues morte Christi parta est: & resurrectio corporum, quę prima sabbati Christo resurgẽte data atq; cõfirmata est. Additur his tertia necessaria baptismatis solennitas, omnem nobis illarum conferens vtilitatem vel fructum, quæ pro eo, quod ab illis exordium totumq; suæ rationis sumpsit sacramentum, rectè in eisdem paschalibus gaudiis addita est. Tribus igitur ex causis nox hæc vt dies illuminata refulsit in deliciis nostris. O verè festa dies, verè beata nox, nobilitas anni, mensis decus, arma dierum, splẽdor horarum, nox in qua desertus infernus, apertus est paradisus. Nox ista, mortis exitus, vitæ reditus est. Lux gratiæ, splendor gloriæ, suauitatis poculũ, fluuius deliciarum, inundatio pacis, acquisitio fortitudinis, laus consilij diuini. Hac nocte cessauit exactor, quieuit tributum, captiui redditi sunt, lassi respirauerunt, cõfracta est virga persequentium, computruit iugum dominantium. Pulchritudine noctis huius paradisus refloruit, cælum purpuratum est, angeli candidati, homines exhilarati sunt. Nox ista Pascha dicitur: Pascha autem Hebraicè. Latinè dicitur transitus. Quis ergo transiuit? vnde & quò transiuit? Christus Dñs transiuit de hoc mundo ad patrem, de morte ad vitam, de ignobilitate ad gloriam, de seruitio ad regnum, de contumeliis ad honorẽ, de fluctibus seculi ad portum cæli, de medio latronũ ad patris concessum. Transiuimus & nos Pascha enim nostrum Christus est, transitus noster immolatus Christus est. Quò ergo transiuimus? Quàm ex longinquo? Transiuimus à duplici perditione ad duplicem corporis & animæ salutem: de diabolo ad Deum, de hoste ad patrem, de tyranno, qui nec Deus est, nec homo, ad regem nostrum, qui Deus est & homo. Transiuimus, inquam, de tenebris ad lucem, de fatigatione ad requiem, de planctu ad canticum, de nuditate ad tegumentum, de paupertate ad opulentiam, de reatu ad gratiam, de pœna ad gloriam.

Matt. 28.

1. Cor. 5. Exo. 12. 1. Cor. 15.

Cur Pascha non celebretur ante plenilunium, quod primum occurrit post vernum æquinoctium. Cap. 27.

TAm iucundam solennitatem, tam mirã veri luminis claritatem, tam splendidam gratiæ celsitudinem omnis sexus agnoscere, omnis ætas in mente habere, omnis debet conditio suscipere. Nescire enim, calamitatis: non habere, captiuitatis: non indigere, damnationis. Si quidem paganus, quia nescit, miser est: quia nõ habet Iudæus, captiuus est: quia non diligit hæreticus, damnatus est. Vt ergò tamen hoc bonum maiorum sapientiam delectet, minorum infantiam lætificet, mediocrium profectus ædificet, diuina suffragatur auctoritas, elementorum cõcurrit natura, Ecclesiastica simul nititur industria. Diuinæ namq; auctoritatis est, & ex antiqua lege Moysi traditum, vt nõ celebretur ante primi mensis plenilunium, videlicet vbi primum plena luna post vernale occurrit æquinoctiũ. Valde hoc delectat ingenia sapientiũ, quia magnum & perpulchrũ in se continet mysterium. Luna quippe, quæ propriũ non habet, sed à sole mutuatur lumen, sanctam significat Ecclesiam, quæ non habet à semetipsa, sed à vero sole Christo interni luminis accepit gratiã. Aequinoctium verò, quo trãsacto, iam dies noctem supergreditur, noctisq; horas decerpens, illi minuit & sibi adiicit, illud significat, quod post ignorantiæ noctem dies scientiæ Dei lõga cœpit serenitate produci, & multitudinẽ ignorantium studium & labor imminuit veritatem Dei cognoscentium. Dum ergo paschalis agnus immolatur, & populus Dei, submerso Pharaone cum exercitu suo, de seruitute liberatur, plenilunium est, & nox vincente die superatur, quia dum agnus Dei Christus patitur, plenitudo gratiæ sanctam illustrat Ecclesiã, vt tamquàm luna reuelata facie veri solis gloriam contemplentur, & iam idonea iamq; placens, in thalamos eius ire meditetur. Sicq; dies noctem superat, quemadmodum scriptum est: quia vbi abundauit peccatum, superabundauit gratia.

Exod. 12.

Exod. 14.

Rom 9.

Elemẽta quoq; nos in hoc lætificãt, nostriq; sensus lactant infantiam, quòd post hyemis asperitatẽ mollis aer vernas spirat blãditias, telusq; dudũ sterili frigore decrepita, viridi iuuenescit herba, floresq; ac segetes rediuiuo fructu vernant, & volucres cæli gelu tristi terso, dulce

Universidad de Deusto
Biblioteca

iubilant. Nã inter gaudia, quæ celebramus, dũ hæc aſpicimus, ex ipſis viſibilibus ſimilitudine cõgrua cõmoneri debemus, qualiter in inuiſibilibus per Chriſti reſurrectionẽ profecerimus, ſ. quia pulſo perfidiæ gelu, vitiorumq; imbribus, fidei virtutũq; pulchritudine refloruit mũdus, vndẽ & in Canticis dicitur: Cant. 2. Iã enim hyems trãſiit, imber abiit & receſſit, flores apparuerunt, vineæ florentes odorem dederunt, & vox turturis audita eſt in terra noſtra. Tẽporis ergo ſiue elementorum conſiderata qualitas nonnihil gaudia pię contemplationis amplificat.

Quantum autẽ ad cognoſcendam ſolẽnitatis eiuſdem gratiã, carnales quoque Eccleſiaſtica iuuit induſtria. Nam quia nequeũt ad ſpiritualia videnda mentis oculos aperire, niſi cauſarũ corporaliter accidentiũ vi maiore excitentur, quæſitæ ſunt cauſæ quarum impulſu vehementer excitandi percellerentur. Ieiunium quippe Quadrageſimale (quod pro decimis dierũ offerri Deo alibi iam dictũ eſt,) ſic diſpoſitũ, ſicque præfixum eſt, vt non ante hanc ſacratiſſimã noctẽ ullo modo terminetur, ac deinde quinquaginta dierũ numerus cõtinuè ſequatur, in quibus omnino ieiunia relaxantur. Itaq; dum per abſtinentiã corpus atteritur, nec aliũdè laxatio niſi ab hac paſchali nocte ſperatur, vel ſic eadẽ beata nox à carnalibus quoq; ambitur, & cum expectatione ſuſcipitur, & antequam veniat: ſic omnes dies Quadrageſimæ qui interſunt, tamquàm diurna deſiderati viatoris itinera, pene quotidiè diligenter computantur. omnibus ergo (vt dictũ eſt) dulcis eſt, hæc ſacra ſolẽnitas, omnibus chara, cunctis deſiderabilis eſt, ſicut lux ambulantibus in tenebris, ſicut ſitientibus fons aquæ de petra ſalientis, ſicut peregrinantibus tabernaculum quod Deus fixit. Sed iam nunc ipſum attingamus officium, quo tandem læta laxemus ora poſt triſte ſilentium.

De Cereo. Cap. 28.

PRopriũ quoddã huius tantę ſolennitatis deputatum eſt, cereus à Zozimo Romanæ Eccleſiæ Pontifice XXXIX. per Eccleſias benedici inſtitutus, à cuius dulciſona benedictione præconia ſanctæ reſurrectionis Chriſti inchoãtur. Significat verò eumdem Dñm noſtrum reſurgentem, ſuorum triſtitiam diſcipulorum, imò mundum vniuerſum lætitiæ cõpetentis claritate ſerenantem. Hoc verè congruit, & vis ipſa ſignificationis expoſcit, vt ſicut præteritis noctibus extincta luminaria faciem Eccleſiæ contriſtauerunt: ſic eadem nocte hac cereus illuminatus iugi flammæ tripudiantis iubare lætificet.

Quid Cereus ſignificet. Cap. 29.

SVpra dictũ eſt per candelas, q̃ extinctæ ſunt, mortes ſignificari prophetarũ & iuſtorũ, qui à ſanguine Abel iuſti, vſque ad Chriſtũ occiſi ſunt, ipſamque candelam, quæ ad Euangelium non maior cæteris extinguitur, ipſum Dñm ſignificare, qui Euangelizans occiditur, vnus ex prophetis reputatus. Conſtat autẽ, quia qui cõtemptus & humilis occiſus eſt, hũc Deus ſuſcitauit, ac principem & Saluatorem exaltauit, ad dandã pœnitentiã in remiſſionẽ peccatorũ. Benè ergo ſignificationis ordo procedit, dũ clarã reſurgẽtis magnitudinẽ, præclari ſignificat magnitudo cerei. Eò vel maximè cereus ad Chriſti ſimilitudinẽ accedit, q̃ paruula, quæ ſubſtantiã ceræ educit, apes mater abſq; concubitu cõcipit, & parit, cui rectè cõparatur virgo Maria Dei genitrix, q̃ inuiolata nobis Deũ in carne, quaſi mel in cera protulit. Cũ ergo rectè humanitatis Chriſti ſimilitudinẽ gerat, annus illi ab incarnatione eiuſdẽ Dñi Chriſti conſequenter inſcribitur. Et quia crucifixus eſt, crucis quoq; figura congruè nihilominus inſculpitur. Amplius autem id quod dictũ eſt, eiuſdẽ cerei benedictio cõfirmat. Primo cũ in præfatione benedicẽs rogat. Vt q̃ me, nõ meis meritis, intra Leuitarũ numerũ dignatus eſt cõgregare, luminis ſui gratiã infundẽdo, cerei huius laudẽ implere præcipiat. Laus. n. cerei nullo modo nominãda eſſet, niſi Chriſtũ filiũ, q̃ cũ Patre & Spiritu ſancto Deus vnus & ſolus laudandus eſt, ſignificaret: præſertim cũ laus eadẽ cerei noctis huius iucundũ ac prædulce præconium ſit, & reſurgentis gratiã atq; victoriam, vetera cum nouis conferẽs, tãquàm tuba clariſſima perſonet.

Sed iam colũnæ huius (inquit) præconia nouimus, quam in honorẽ Dñi rutilans ignis accendit. Qui licèt diuiſus in partes, mutuati tamen luminis detrimẽta nõ nouit. Ex his quoq; duobus verſiculis magis ac magis ſæpe dicta cerei ſignificatio colluceſcit. Quod. n. ait, Colũnę huius præconia nouimus, apertè nobis innuit, q̃ illud idẽ per hanc pretioſam lampadem intelligere debeamus, quod per illam præfigurabatur columnã, quę caſtra filiorũ Iſrael de Aegypto exeuntium per mare rubrũ præcedebat. Exo. 13. 14. Significabat autem illa colũna nubis benè notã nobis nubẽ humanitatis Chriſti, in qua propriè thronũ ſuum poſuit ſapientia Dei, ſicut ipſa dicit: Eccli. 24. Thronus meus in colũna nubis: Siquidem nunc illa colũna nubis populũ ſuum à diaboli ſeruitute liberatum, & rubrũ mare baptiſmi tranſeuntem præcedit dux itineris, vt inducat in terram veram repromiſſionis, terram viuentiũ, quam (ſicut Moyſes ait) Dominus Deus noſter die ac nocte intuetur, nunc cęleſtibus doctrinis cõpluens, vt verè columna nubis, nũc igne ſui Spiritus accendẽs, vt verè columna ignis. Deut. 11. Iã ergo verę columnę huius myſteria nouimus.

Quod autẽ adiicit de natura ignis dicẽs, Qui licèt diuiſus in partes, mutuati tamen luminis detrimẽta nõ nouit: multa namq; luminaria de vno videmus accendi, nec illud vnũ propterea ſibimet lumẽ diminuit, nihilominus ad idem argumentũ proficit: Numquid. n. rem talem tali in loco præſertim omnibus notam, non propter aliud, quàm propter ſemetipſam docere nos voluit? Siquidẽ ineptũ fuiſſet hoc abſq; myſterio tantis inſerere laudibus. Dum ergò columnam cereum

cereum rutilans ignis accendit, ſic de ſua naturali copia laudatus, per hoc aliud perpulchrum piumq; ſpectaculum noſtrarum mentium oculis ingeritur. Denique illud innuitur, quod extinctam in ſepulchro iacentem humanitatis Chriſti ſubſtantiam de ſupernis aſpirans ignea diuinitatis potentia rurſus animauit, & ſicut verè rutilans ignis, gloria beatæ reſurrectionis hac nocte in perpetuum nobis gaudium fœliciter illuxit.

Item eodem igne conſecrati cerei cuncti, qui in Eccleſia ſunt, illuminari debẽt cereoli. Quod cum fit, opportunè nobis illud in mentem ſubuenit, quòd Dominus noſter ea die, qua reſurrexit, cùm eſſet ſero, ſtans in medio diſcipulorum ſuorum, manuſque & latus oſtendens eis, inſufflauit & dixit eis: Accipite Spiritum ſanctum. Illic enim cœpit ille hominib. dari ignis, quem per hunc viſibilem ignem conſtat ſignificari, quem venit ipſe mittere in terram, & voluit vehementer accendi. Ioan. 20. Luc. 12.

Cur diaconus cereum benedicat. Cap. 30.

HIc ipſa rei nouitas admonet, vt quæratur, cur tantę materiæ, tantæ dignitatis benedictionem ſuper cereũ pronunciet diaconus, præſente ſacerdote vel etiam pontifice, ſacriſque indutum veſtibus, cauſa manifeſta ſeſe offert quęrentibus. Conſtat enim, quia bonum ſanctę reſurrectionis Chriſti nuncium per minorum ſexum (ideſt, per mulieres) ſanctis Apoſtolis flentibus & lugentibus, Euangelizatum eſt. Hoc autem tam rationabili diuinitatis diſpoſitione actum eſt, vt inter illa, quæ ſignificatiuè fiunt in Eccleſia, memoriale ſuum omnino iure habere debeat. Nam quia mulier à diabolo miſſa viro mortem obtulit, pulchrè ſexus idem à rediuiuo Chriſto miſſus, virili ſexui vitam Euangelizauit. Rectè itaque gradus inferioris miniſter, tam dulci, tam pulchra, tamque melliflua cerei benedictione, tantæ ſolennitatis noſtræ gaudium inchoat, quia per inferiorem ſexum tam iucundum, tamque pium Dominicæ reſurrectionis miraculum, viris non quibuſlibet, ſed ipſis Apoſtolis annunciatum eſt. Luc. 23.

Cur ad benedicendum cereum quoq; portat incenſum. Cap. 31.

CVmque diaconus cum cæteris ſubminiſtris ad benedicendum accedit, fruſtula quoque portantur incenſi, vt cruciculæ (quæ cereo inſculpta eſt) offerendo infigat. Et hoc quoque ad cauſam prædictam reſpicit. Illæ namque mulieres, quæ mortuum quærebant Dominum, & viuum videre meruerunt, aromata ferebant, ſicut Euangeliſta refert: Maria Magdalena, & Maria Iacobi, & Salomone emerunt aromata, vt venientes vngerent Ieſum. Mar. 16.

Cur dicatur, vel ſit ſacrificium veſpertinum. Cap. 32.

OFferens igitur incenſum dicit: In huius igitur noctis gratia ſuſcipe ſancte pater incenſi huius ſacrificium veſpertinum. Veſpertinum eſſe ſacrificium, totumq; ad veſperam ſabbati, quæ luceſcit in prima ſabbati diei præſentis pertinere officium, clarum eſt. Cur autem hæc ſacroſancta ſolenniras vtrumque, ſcilicet matutinum & veſpertinũ habeat ſacrificium, ſupra dictis ex cauſis colligi poteſt. Suprà namque dictum eſt, duabus ex cauſis pręſentẽ ſplendere ſolennitatem, ſ. ex redemptione animarũ, quæ die paraſceues morte Chriſti parta eſt, & ex reſurrectione mortuorum, quæ illo reſurgentẽ prima ſabbati confirmata eſt. Cõſtat autem, quòd idem reſurrectionis noſtræ auctor, immi nente veſpera, caput inclinans tradidit ſpiritũ: & hora, qua primus Adam requiſitus, clamante Domino & dicente: Vbi es Adam, inobediens deprehenſus eſt, eadem hic ſecundus Adam con ſummata paſſione ſua, clamans & dicens: In manus tuas commendo ſpiritum meum, obediens inuentus eſt. Oblaturi igitur ſacrificium matutinum, pro eo, quod hic Lucifer matutinus, reſurrectionis primogenitus, diem nobis ęternitatis reſurgendo aperuit. Sacrificium quoque veſpertinum primum offerimus pro eo, quod (vt dictum eſt) imminente veſpera, ſpiritum tradens, eandem veſperam ſua morte fecit memorabilem, ſed eius celebritas dilata (vt dictũ eſt) & competenter in hanc tranſpoſita eſt. Ioan. 19. Luc. 23.

De baptiſmo Cap. 33.

AEqua victoriæ lex eſt inter homines, vt quicumque ante bellum fuerant victi, poſt bellum cedant in ius dominationemq; victoris, mittanturque legati in vniuerſam victi poteſtatem, qui victum eſſe priorem tyrannum annuncient, titulóſque victoris recipiendos oſtendãt, & eius iura prædicent. Vnde & ipſe Dominus, qui ad debellandum humani generis inimicum venerat, dicit in Euangelio: Cum fortis armatus cuſtodit atrium ſuum, in pace ſunt omnia, quæ poſſidet: ſi autem fortior illo ſuperueniens vicerit eum, vniuerſa arma eius auferet, in quibus confidebat, & ſpolia eius diſtribuet. Hac nocte aduerſus illum fortem armatum, ſ. diabolum, fortior ſuperueniens filius Dei, crucifque vexillum eius bellator inferens, ipſum cepit, alligauit, arma eius abſtulit, & ſpolia paradiſo reddidit. Ille tam fortis, qui vniuerſam terram conculcauit, hamo crucis captus eſt: quia dum fragilitatem carnis in Chriſto morte appetiit, diuinitatis aculeo trãfixus eſt. Rectè igitur hac eadem nocte celebratur baptiſmi ſacramẽtum, quo conſtanter aduerſus victi poteſtatẽ iniquã eunt ſacerdotes noſtri, legati vtique victorioſi regis Chriſti, titulosque victoriæ proferentes, victi abrenuntiationem, victorisque ab hominibus

Universidad de Deusto
Biblioteca

nibus exigunt professionem. De cuius magnitudine sacramenti aliqua debere dici, tempus & officij eius ordo nunc exigit, atque in primis dicendum videtur, quomodo, vel quid mors Christi per baptismũ operetur in nobis. Consequens enim esse videretur, vt quomodo propter peccatum mortales facti sumus, in remissionem autem peccatorum baptizamur, iam post baptismum immortales existeremus.

Quomodo, vel quid per baptismum mors Christi operetur in nobis. Cap. 34.

Rom. 6. PAulus Apostolus dicit: An ignoratis fratres, quia quicumque baptizati sumus in Christo Iesu, in morte ipsius baptizati sumus. Consepulti enim sumus cum illo per baptismum in mortem: vt quomodo surrexit Christus à mortuis per gloriã patris, ita & nos in nouitate vitę ambulemus. Hic patenter ostendit lucrosam cõmutationẽ factam esse nostræ duplicis ac sempiternæ mortis, cui iustè fueramus addicti, s. vt per baptismum cum Christo iustę morti addicto morientes, mori vltrà non debeamus. Idcirco nanq; mortuus mortis suæ fluuium, s. sanguinem & aquam de latere suo Christus effudit, vt non deesset nobis, in quo eiusdem mortis suæ possemus participes fieri, & sic à nostra liberari. Valde nanque repugnat iustitiæ, & cum iusto Christo mori, & cũ peccatore diabolo damnari. Sed non eadem iustitia pariter & hoc admittit, vt quicumq; in morte Christi Iesu baptizati sumus, statim quoque à morte corporis liberi simus. Nã in baptismo vnius simplæ mortis Christi, quam suscepit, similitudo est. Nos autẽ duplam, s. corporis & animæ mortem debentes, baptismi subimus remedium: Igitur propter vnam Christi mortẽ, cuius similitudini cõplantati facti sumus, vnã à nobis mortẽ, quę erat animę salutatrix, gratia depulit, aliam verò quæ corporis est, iustitię censura reseruauit. Corpus quidem
2. Cor 5. (inquit Apostolus) mortuum, i. certissimè moriturum est propter peccatum, Spiritus verò viuit propter iustificationem. Sed habent spei suę
1. cor. 15. consolationem ipsa quoq; baptizatorum corpora: quia quorũ Spiritus nunc viuit propter iustificationẽ, ipsa quoq; immutabũtur per resurrectionem. i. fient impassibilia, qñ absorbebitur id qđ mortale est à vita. Nec hoc dictũ est, q ideo resurrectio consequatur, quia baptizati sumus, alioqui quicũq; nõ baptizantur, nõ resurgerẽt: sed qa baptizati sumus, pręmiũ recipiet fides, vt cũ oẽs mortui resurgãt, soli immutẽtur fideles. Oẽs quidẽ, inquit, resurgemus, sed non oẽs immutabimur. Canet enim tuba, & mortui resurgẽt incorrupti, i. immortales effecti, & nos immutabimur, i. impassibilitatẽ quoq; obtinebimus, quę infideliũ non erit. Nã qui mala egerunt, procedent in resurrectionẽ iudicij. Nũc ergo ręsentẽ accepimus in baptismo spũs iustificationẽ, futuræ verò immutationis spẽ. Et sicut præcedens mors aię, causa extitit corporeę mortis oĩumq; A curruptionũ carnis: sic nunc vita vel iustificatio Spiritus, quo in baptismo reuiuiscimus, causa Ioan. 5.
efficiẽs erit in resurrectione, vt immutemur, i. impassibiles simus. De morte verò corporis argumentandũ non est, q consequenter & ipsam baptismi virtus absorbere debuerit. Quãuis. n. & hæc ab originali peccato, quod in baptismo deletur, initiũ acceperit, modo tñ diuerso mors vtraq; peccanti homini accidit. Nam mortem quidem animæ contumax diuinitatis appetitus intulit, corpori autẽ materiam semper viuendi, subueniendo potius quàm persequendo Deus
B abstulit: Ecce inquiẽs, Adã quasi vnus ex nobis Gen. 3.
factus est, sciens bonum & malũ: nunc ergo videte, ne forte mittat manũ suam, & sumat de ligno vitæ, & viuat in æternum. Videntur hæc irã sonare vel vindictã: sed si rectè cõsiderentur, verba sunt paternæ prouidentiæ, nosq; iam tunc à longè circumuolantis quædam præparatio misericordiæ. Quid enim esset iã vitiato homini vita æterna, nisi ęterna miseria? Quod Plotinus quoq; gentilium quidam philosophorũ rectè, Augustino teste, intellexisse laudatur. Nã cùm de humanis aĩs ageret: Pater, inquit, misericors
C mortalia illis vincula faciebat. Ita hoc ipsum (ait Augustinus) quod mortales sunt homines corpore, ad misericordiã Dei patris pertinere arbitratus est, ne huius vitæ miseria semper tenerentur. Tunc enim à dęmonibus quid different? Nunc aũt longè differunt, quia cũ sit Dei beata æternitas, vel æterna beatitudo, dæmonũ aũt misera æternitas vel ęterna miseria: homo, cuius est miseria mortalis vel mortalitas misera, à Dei quidẽ beatitudine cecidit, sed vsq; ad dęmonum miseriã non peruenit, prouidente misericordi Deo, ac dicente: Videte ne sumat de ligno vitę, & viuat in æternum. Non ergo conquestione vlla ventilandum arbitramur, cur in baptismo nostra corporea mors non deleatur: quin potius viro fideli optanda est vt veniat, & tamquã misericordiæ profectus, aĩam à miseria vitæ præsentis absoluat. Non enim est quasi homo vt mentiatur, neq; vt filius hominis vt mutetur. Vnius eiusdemq; gratiæ propositũ, quod tunc incepit, quando hominem immortalem esse vetuit, nunc in fide baptismatis ostendit: perficiet autem in die resurrectionis. Num. 23.

Quòd iuxta sentẽtiam Domini nullus vnquam, nisi renatus ex aqua et Spiritu sancto, regnum Dei introierit, & quòd illa hora, qua Dominus noster sanguinem & aquam de latere suo fuderit, vniuersa Ecclesia, quæ iam erat vel fuerat ab origine mundi vsque ad latronem, qui in cruce confessus est, baptizatus sit. Cap. 35.

TAntum autem, tamque necessarium est hoc baptismi sacramentum, vt sine illo, iuxta sen Ioan. 3.
tentiam

tentiam Domini, non possit quis videre regnũ Dei. Hic iã de illo latrone quæri potest, cui confitenti in cruce & dicenti: Memento mei Dñe,
Luc. 23. dum veneris in regnum tuum, Amen dico tibi, inquit Dñs, quia hodie mecum eris in paradiso. Hic enim secundum regulam, qua singuli baptizamur nos, baptizatus non est. Quomodo ergo defenditur illa Dñi sententia, dicẽtis: Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, nõ potest videre regnũ Dei? Sed si de huiusmodi permouemur, angustus est adhuc cordis nostri intellectus, claramq; maiestatem sacri baptismatis nondum satis apertis intuemur oculis. Solũ
B riuum, quem ad nos, qui foris eramus, Christus
Matt. 28. emisit, dicens discipulis suis: Euntes docete omnes gentes, baptizãtes eas in nomine Patris & Filij & Spiritus sancti: solum, inquam, riuum sacri baptismatis, qui ad nos exiuit, attendimus, ipsumq; fontem domus Dauid, vbi quando, vel
Zach 13. quantum priusquàm ad nos deriuaretur, inundauerit, minus diligenter animaduertimus. At ille fons salutaris vniuersę Ecclesiæ, quæ ab initio per sex mundi ætates collecta, propter originale peccatũ ab ingressu paradisi arcebatur, cunctisq; qui adhuc viuentes iam corpore erãt eiusdẽ Ecclesiæ, Dñm nostrũ audiendo ipsumq; fideliter sequendo: vniuersæ, inquam, Ecclesiæ ab Adam vsq; ad latronem supradictum, fons ille baptismi salutaris inundauit: qua hora pate facto lancea militis Christi latere, sanguis & aqua prorupit. Ibi pariter totam Ecclesiam, quæ iam erat, vel ab initio mundi fuerat, lauit Christus à peccatis eius in sanguine suo, vt exhiberet sibi sponsam gloriosam, non habentem
Ephe. 5. maculam aut rugam. Nam ex quo primi parentis peccato maculata, & propter hoc in medio
D corruptionum veterascens, corrugata est, vel (vt Esaiæ verbis vtar) ex quo bibit de manu Domini calicem iræ eius, & vsq; ad fundum calicem saporis bibit, & potauit vsq; ad feces, non fuit (vt idẽ ait propheta) qui susciteret eam ex omnibus filiis, quos genuit, & non fuit, qui apprehenderet manum eius ex oĩbus filiis, quos enutriuit. Filij tui, inquit, proiecti sunt, dormierũt in capite oĩum platearũ, sicut bestia illaqueata. Quamuis. n. idem salutiferæ curationis auxiliũ, circumcisio in lege cõtra originalis peccati vulnus tunc ageret, quod nunc baptismus agere, re uelatę gratiæ tempore, consueuit, hoc oĩno exceptum est, quòd regni cęlestis ianuam necdũ intrare poterant: tantum in sinu Abrahę post mortem beata spe consolati, supernæ pacis ingressum fœliciter expectabant, donec aduenire ipse, qui in eodem propheta post pauca loquitur: Propter hoc sciet populus meus nomen meum in die illa, quia ego ipse qui loquebar, ecce adsum. Et paulòpòst idem propheta de eodem: Iste, inquit, asperget multas gentes. De qua aspersione loquitur Ecclesia per os Dauid, qui ex supradictis Ecclesiæ filiis antiquæ vnus
Psal. 50. erat: Asperges me, inquit, hyssopo & mundabor, lauabis me & super niuem dealbabor. Per hyssopum, quæ herba humilis est, nascituręq; in petrosis locis, & bibita tumorẽ pulmonis deponit: Leuit. 14.
de qua in lege quoq; pręceptũ erat, vt fasciculo hyssopi intincto in sanguine victimę aspergeren Num. 19.
tur leprosi, & sic mundarentur: per hyssopum, inquam, herbam humilem atq; salubrem, passionis Christi significat humilitatem, qua aspergẽda, lauanda & super niuem dealbãda erat ipsa, quæ per Dauid hoc loquitur, Ecclesia. Hinc & propheta Zacharias, cum dixisset de ingressu eius, Zach. 9.
quo in ciuitatem Hierusalem passurus intrauit: Ipse pauper & ascendens super asinam, & super
B pullum filium asinę, post pullum conuersus ad ipsum: Tu quoque, inquit, in sanguine testamenti tui emisisti vinctos tuos de lacu, in quo non est aqua, i. in sanguine passionis tuæ eos, qui vincti in carcere tenebantur inferni, in quo non est vlla misericordia, tua clementia liberasti. Hanc autem munitionẽ, ad quam per eundem prophetam eosdẽ vinctos cohortatur dñs, statim adiungens: Conuertimini ad munitionẽ vincti spei, non aliam debemus accipere, nisi habitationem paradisi, in quam primus cum Domino latro ingressus est.

C Baptizatus ergo Iesus in passione sua, de qua & ipse dixerat: Baptismo autem habeo baptizari, & quomodo coartor vsq; dũ perficiatur, qua Luc. 12.
hora sanguinem & aquam de latere suo profudit, eadem hora totum corpus eius, quod est Ecclesia, quantacumq; ab initio mundi vsq; in eandem horam concreuerat, semel simulq; baptizata est, & aspersa hyssopo (vt suprà dictum est) mundata est, & lota super niuẽ dealbata est. Propter eos autem, qui foris erant, nec adhuc eiusdem Ecclesiæ corpori per fidem vniti fuerant, idcirco non eos ille fluctus attigerat, nec enim baptizatur quis, priusquam eiusdẽ baptis
D mi fidem habeat: propter eos, inquam, positum est quasi ante fores eiusdẽ Ecclesiæ deriuatum baptismi sacramentum, vt quicunq; fudæorum siue gentilium Ecclesiam ingredi cupiunt, baptizentur: quia Ecclesia ipsa baptizata est. Inde est, quòd singulariter Paulum quidem legimus Act. 9.
baptizatum, videlicet quia quando vniuersaliter (vt dictum est) Ecclesia baptizata est, ipse in corpore eiusdem Ecclesiæ nondum erat, sed in synagoga satanæ, quæ Christum caput Ecclesiæ crucifixerat. Petrum vel quemliber cęterorum,
E qui Christo adhæserãt, baptizatos singulariter non legimus: nec ipse Augustinus reperire potuit in Epistola, quã ad Seleuciam interrogatus de baptismo Apostolorũ, scripsit. Nam ante passionẽ suã Iesus (inquit Euãgelista) nõ baptiza Ioan. 4.
bat, sed discipuli eius. Quomodo aũt baptizabant discipuli eius, nisi quemadmodum & discipuli Ioannis, videlicet in pœnitentiam? Siquidẽ & Romana Papæ Leonis auctoritas ex Euangelica serie comprobat, quia baptizandi regula ante passionem Dñi data non fuerat, sed post passionem ac resurrectionem eius ab ipso data est, dicente: Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris & Filij & Spiritus sancti.

Universidad de Deusto
Biblioteca

sancti. Cæterum de his viderit quisque, quid sentiat, vtrum eos rebaptizatos esse asserat. De latrone supradicto illud nemo est qui dubitet, quin cum Domino Paradisum ingressus sit: & tamen non nisi in vniuersali Ecclesia simul illo qui de latere Domini effluxit, flumine præsentialiter baptizatus est. Baptizata quippe (vt sæpe dictum est) tūc est omnis, quæ super terram, vel subtus terram erat Ecclesia, sicque de mortui Christi latere renata, sicut de latere dormientis Adæ fabricata est Eua. Nam sicut costa Adæ causa materialis extitit vnde formaretur Eua, sic fluuius ille, qui de latere Christi fluxit, causa fuit effectiua, vt paradiso vel cælo, Christique spirituali coniugio sancta eius sponsa renasceretur Ecclesia. Siquidem nullus adhuc de omni genere humano regnum Dei viderat. Dixerat autem ipse absque vlla exceptione, tam præteritorum quàm præsentium vel futurorum: quia nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non potest videre regnum Dei. Omnes igitur oportuit renasci, omnem Ecclesiam veterum pariter ac nouorum, quia fuerat in præuaricatione primi Adæ generata, oportuit in fide secundi Adæ regenerari, vt posset videre regnum Dei.

Gen. 2.

Ioan. 3.

Cliur nu veterum sanctorum sua tristitia suffecerit vt per eam illic, vnde primus homo lapsus est, posset restitui absque baptismo sanguinis Christi. Cap. 36.

MIretur aliquis, cur hactenus nemo iustorum, nemo sanctorum patriarcharum aut prophetarum, nec ipse pater Abraham, cui primo contra spem in spem credenti fides ad iustitiam reputata est, quiq; ob eiusdē fidei meritū amicus Dei appellatus est, per laudabilē iustitiā saltē in seipso, delere peccatū originale, seq; paradiso restituere potuerit. Sed de hoc profectò quicūq; diuini vel etiā humani iuris peritiā habet, minimè miratur. Reus enim & condēnati capitis seruus quomodo redimet caput suum, si nihil addat ad seruitiū, vel etiā minuat, quod debuerat ante reatum? Alijs enim & minoribus debitis alia maiora debita non redimuntur. Verbi gratia. Homo ille, qui descendebat ab Hierusalem in Hiericō, & incidit in latrones, debebat regi suo Hierosolymitano decem millia talenta (quis enim æstimare possit, quantum creatura debeat creatori?) eratque dives & inclytus in illa ciuitate, nec illi tanti debiti persoluendi facultas deerat. Præmonitus fuerat ab illo domino suo, fidelis vt esset ac subditus, præceptumq; acceperat, quo non difficulter obseruato, tūc demum emeritus iure altioris dignitatis gradu promoueret. At ille ab anathemizato principe Hiericho domini sui inimico, spe regnandi solicitatus vt descenderet, & tamquam regnare idoneus seruire contemneret, descendit, secumque omne domini sui debitum abstulit; statimque ab illo deceptore spoliatus, & plagis impositis, semiuiuus relictus est. Hic proditor iacens in Hiericho, qui antequam transfugeret, decē millia talenta debebat, nunquid pro satisfactione centum offerens denarios, debitum omne rependit, suis quoque medetur plagis, proditionisque opprobrium diluit, vt infamis inter famosos proceres in illa regali sedet curia? Imo benè ac misericorditer cum illo agitur, si tantū in illa ciuitate vel curia nō receptus, non etiam ignibus exuratur, vel alia pœna funditus à vita, qua indignus est, extrudatur. Benè ergo cum Abraham & Isaac & Iacob, vel quolibet iusto egit clemens diuinitas, q̄ à paradiso exclusus, non etiā inferni cruciabatur ignibus, sed in pace collocatus, illum expectabat legislatorē, qui veniens benedictionē daret, vt videretur Deus in Deorum Sion. Quicquid enim fidelis seruitij Deo quilibet iustus obtulit, tantum erat ad cōparationem eius laudis & glorificationis, quā homo conditus in paradiso suo debuerat creatori: quātum si cōpares centū denarios decē millibus talentis. Vnde ergo peccatum quoq; originale redimeret? Ad hoc etiam accedebat, q̄ vita hæc misera sine actualibus quoq; peccatis saltem leuibus, sicut nunc, ita & tunc transigi omnino non poterat. Non ergo summæ Dei iustitiæ congruebat, qui in hoc terrestri sanctuario suo maculatum quippiam sibi offerri prohibet, vt in illis cœlestibus sanctis sanctorum aliquid nisi immaculatum susciperet, & nemendatam humanam creaturam angelicæ dignitati penitus incorruptæ coæquaret, fieretque iniustus, sicut & iustus, & clarissima cæli respublica tali inordinatione confunderetur.

Rom. 4.

Luc. 10.

Et ne forte (quod absit) iudicia Dei reprehendamus cum his, qui iuxta Ezechielem intra se parabolam vertebant, dicentes: Patres comederunt vuam acerbam, & dentes filiorum obstupescunt, libet propositam similitudinem, quoniam ex Euangelica parabola est, adhuc secundum humanæ legis æquitatem persequi, quoniam homines sunt, qui reprehendunt iudicia Dei: Audiant hoc & respondeant mundanæ legis æqui censores, & diuini examinis iniqui reprehensores. Supradictus homo, postquam descēdit in Hiericō, genuit (sicut scriptura refert) ad imaginem & similitudinem suam filios & filias. Quid namque est, quod ait, Genuit Adam ad imaginem & similitudinem suam? Hoc vtique voluit intelligi, quòd à latronibus despoliatus (vt supradictum est) genuit nudos, plagatus morbidos, semiuiuus & ipsos semiuiuos. Vitiatæ namque succus radicis, nihilominus vitiose in fructibus erupit. Et quod valde dolendum est, sicut spoliatus & semiuiuus multo plures generauit, quàm generare debuerat, si in priori sanitate custos paradisi fidelis & obediens permansisset. Tunc enim ex illo soli nascerentur hi, qui ad vitam præordinati sunt, quique nunc per Christi gratiam ad eandem reuocantur vitam. Nam propter peccatum, Male-

Luc. 15.

Ezec. 18.

Gen. 5.

Maledicta, inquit Deus, terra in opere tuo: cum operatus fueris eam, non dabit fructus suos, sed spinas & tribulos germinabit tibi. Cui terræ, scilicet, mulieri, Multiplicabo, inquit, ærumnas tuas, & cōceptus tuos. Multiplices itaq; cōceptus de terra carnis, quæ propter superbiam, qua diuinitatem appetiuit, luxuriæ subiecta est, tamquam tribulorum & spinarum densitas excreuerunt super numerum: & tanti nascuntur reprobi, vt ad comparationem illorum pauci sint electi. Dicant nunc hominis illius filij, qui omnes in Hiericho nati sunt: hominis, inquam, qui ciuitatem Hierusalem, quia sponte dereliquit, iustè perdidit: dicant, vtrum iure hæreditario ciuitatem eamdem reposcant, legaliter patri adiudicatam. Dicant, inquam, legis periti, in qua Romanorum seu Barbarorum curia simile quid iudicare præsumant.

Gen. 3.

Matt. 20.

Sed dicet aliquis: Dominus ipse (cuius in ore lex clementiæ est) Filius, inquit, non portabit iniquitatem patris, & pater non portabit iniquitatem filij. Benè. Sed rursum alius propheta dicit: Patres nostri peccauerunt & non sunt, nos autem iniquitates eorum portauimus. Et Moyses ad Deum: Qui reddis, inquit, peccata patrum in filios in tertiam & quartam generationem. Quapropter quærenda est harum consonantia tibiarum: quia cùm spiritus illas vnus idemque perflauerit, in ipsis dissonantia non debet intelligi. Videlicet portant iniquitatem patrum filij, qui sequuntur: non portant, qui non sequuntur. Dicis itaque mihi: Abraham, Isaac & cæteri iusti non sunt secuti primorum iniquitatem parentum, sed omni testimonio fidei probati inuenti sunt. Fateamur igitur, quia nec portare debuerunt: veruntamen, in quantum non secuti sunt. Et qui omnino non secutus est, Christus Deus carnem habens ex carne Adam, & ossa ex ossibus Adam, omninò nec portare debuit. At illi quàm longè ab illa parentum iniquitate in altitudinem iustitiæ prouecti sunt. Vnus ex præcipuis Esaias dicit: Facti sumus vt immundi nos omnes, iustitiæ nostræ sicut pannus menstruatæ. Non igitur æquum erat, vt illorum iustitia, quoniam menstruata erat, cęleste sanctuarium introiret, donec fons ille domus Dauid, fons baptismi, de quo nunc sermo est, iuxta prophetam Zachariam in ablutionem menstruatę pateret, videlicet lancea aperiente latus Domini crucifixi. Interim illis ampla merces, & omnem illorum iustitiam supergrediens erat apud inferos prędens requies, & futuræ per Christum glorificationis secura & beata spes. Gratias misericoridi Dei iustitiæ, & iustæ Dei misericordiæ, qui sic aduersatus est, vt subueniret; sic percussit, vt sanaret, & iuxta illud Psal mistę: Misericordia & veritas obuiauerunt sibi, iustitia & pax osculatę sunt: sic veritatem & iustitiam aduersus culpam exercuit, vt misericordiam & pacem reseruaret homini. Nam quia satisfactionem pro culpa non nisi homo debebat, & non nisi Deus perficere poterat, Deus homo factus est, quatenus vnus idemque Christus, & verus Deus ab homine exigeret, & vt verus homo persolueret.

Esa. 64.

Zach. 13.

Esa. 19.

Psal. 84.

Prou. 20.
Prou. 31.
Ezech. 18.
Thre. 5.
Exod. 20.

Heb. 11.

Igitur, sicut suprà dicere cœpimus, vt participatione mortis Christi iustificaremur, in morte ipsius baptizati sumus, consepulti cum illo per baptismum in mortem, vt quomodo surrexit Christus à mortuis per gloriam patris, ita nos in nouitate vitæ ambulemus. De cuius renouationis sacramento vel ordine, qui post suprà memoratam cerei consecrationem celebratur, iam dictum est.

Rom. 6.

LIBRI SEXTI FINIS.

RVPERTI ABBATIS TVITIENSIS DE DIVINIS OFFICIIS, LIBER SEPTIMVS.

De ordine eiusdem baptismi. Cap. 1.

EA, quæ in baptismo celebrantur, quæ dicuntur, quæ aguntur, carmina sunt illa, propter quæ tamquàm maleficia martyres accusabantur, rapiebantur, occidebantur. Diabolus enim, cui per Christianæ fidei professionem in sacro fonte renunciatur, in quem iudiciales sententiæ proferuntur, habens iram magnam, sęuiebat in cordibus impiorum, & tuba diuini nominis offensus, illorum cęcitate & insania pro suis aduersus Deum armis vtebatur, & sicut in Apocalypsi legitur, quia canente tuba magnus mons ardens iracundia, confugiebat in profundum cordis impiorum, & diuinis, exorcismis, per quos eiectus fuerat, maleficij crimen effingens, leges econtrà dictabat. Sed vos testes mei, dicit Dominus, videlicet quia nihil malæ artis nos à bono magistro didicisse, optime conscij sumus. In his igitur, quę dicuntur vel aguntur, virtutem, qua diabolus damnatur & confoditur, admoto fidei speculo contęplemur.

Apoc. 8.

Esa. 43.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Quòd lectiones & tractus præsentis diei ad baptismi pertineãt sacramẽtũ. C. 2.

IN primis lectiones de veteri testamento ad nouum hoc sacramentum pertinentes leguntur, & cantica similiter, id est, tractus ad idem respondentes, succinũtur. Difficile nanq; est numerare, quàm familiare, quàm frequẽs Spiritui sancto fuerit, etiam ante aduentum Christi maximè circa aquas operari, & mysticis dictis aut factis gratiam præsignare baptismatis. Inde ergo lectiones sacræ baptismo congruentes, ad instructionem baptizandorum solenniter recitantur. Et sicut seruus Abrahæ missus, vt filio Domini sui Isaac vxorẽ acciperet, Sara matre eius mortua, Rebeccam inuenit ad fontem aquæ, & inaures dedit ad ornandum faciem eius, & armillas in manibus, & ita præornatam adduxit ad Isaac: sic legati Dei patris, id est, sacerdotes eius, ad fontes baptismi venientes, nouam sponsam, id est, nouam plebem Christo filio eiusdem antiqui dierum, per fidei doctrinam acquirũt. Adiurauit enim eos Deus pater charitate magna, coæterni sibi verbi incarnationẽ exhibens, cuius in typum ille senex Abraham prædictum seruũ adiurauit super femur suum: & ipsi quoq; ferũt secum de omnibus bonis Domini sui, quia diuites facti sunt in verbo & in omni scientia, magnarumq; operatione virtutum. Adiurauit, inquam, eos Deus pater, vt filio suo vero Isaac, id est, risui vel gaudio nostro, nouam sponsam Ecclesiã de gentibus accipiant: quia mortua est, quæ secundum carnem illum genuit, synagoga mater eius, & eiusdem filij sui, quem occidit, ene cata est sanguine, quia dixit: Sanguis eius super nos & super filios nostros. Dum ergo lectiones sacras baptizandis recitamus, quasi Rebeccam, quæ interpretatur obedientia, seruus Abrahæ ad fontem aquæ alloquitur, datque inaures, id est, fidei doctrinam, quæ obedientem benè prẽornat aurem. Accipit illa & armillas in manibus, dum, quod credit, in mortificatione suę carnis operatur, propter quod & in morte Christi baptizatam se esse meminit. Nec mora, liben ter ad Isaac contendit, obliuiscens populum suum & domum patris sui, totamq; expeditam cælestibus præbens nuptijs.

Gen. 24.

Matth. 27.

Pſal. 44.

De lectione prima, quid ad baptismum pertineat. Cap. 3.

ILla, quæ prima ponitur lectio, libro Geneſis, In principio creauit Deus cælum & terrã, fortasse quærat aliquis, quid ad baptismi pertineat sacramentum. Et qui talis est, quasi clausus adhuc sacculus est, qui antequam excutiatur, non apparet quid in illo contineatur. Sed Prophetæ, quorũ Moyses primus vel maximus est, iam excussi sunt, vt inde, quæ clausa & operta sacramenta continebant, manifesta procederent. Quod quia primitus Apostoli fecerunt, ip-

Dan. 7.
1. Cor. 15.

si nanque primi post Christum quasi excutiendo nobis prophetas aperuerunt, idcirco dicuntur in Psalmo, filij excussorum. Et hæc maximè lectio iam à magnis & fortibus viris excussa & exposita est, à quibus & vocatur Hexameron, id est, opus sex dierum. De quorum dictis si omnia congregarentur, quæ ad baptismi pertinent sacramentum, nimia prolixitas præsenti loco magnum afferret fastidium. Breuiter ergo dicendum quia maximè ex hoc præclarum baptismo Christi perhibet testimonium, quod ait: Et spiritus Dei ferebatur super aquas, simulq; diuini nominis in quo baptizamur, i. sanctæ trinitatis semel & iterum euidens personat oraculum. Ait enim: In principio creauit Deus cęlum & terrã. Quod aliud principium intelligendum putabimus, nisi filium? Ipse enim de seipso interrogantibus Iudęis quis esset, Principium, ait, qui & loquor vobis. Ergo principium filius. Per filium fecit Deus cęlum & terram. Oĩa per ipsum facta sunt, sicut Ioan. Euangelista narrat, Et sine ipso factum est nihil. Nam proculdubiò in Dei nomine pater, in principij nomine filius intelligendus est. Profectò, cum dixisset, In principio fecit Deus cęlum & terram, subsecutus adiunxit: Et spiritus Dei ferebatur super aquas, qui tertia est in trinitate persona.

Pſal. 11. 6.

Ioan. 8.

Ioan. 1.

Item in eadem lectione, Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram. Vnde Gregorius: Cuncta, inquit, dixit Deus, & facta sunt. Cùm verò facere hominem decernit, hoc quod reuerenter pensandum est, præmittit dicens: Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram, vt videlicet quia rationalis creatura condebatur, quasi cum consilio facta videretur, quasi per studium de terra plasmatur, & inspiratione conditoris in virtutem vitalis spiritus exigitur: vt scilicet non per iussionis vocem, sed per dignitatem operationis existeret, qui per imaginem Dei fiebat. De eo, quòd supradictũ, Et spiritus Dei ferebatur super aquas, & de similitudine, quę hic posita est: Faciamus hoĩem ad imaginem & similitudinem nostram, plus aliquid eloqui præsenti negocio cõpetit. Nam verè idcirco nunc Spiritus sanctus fertur super aquas, vt similitudinem Dei quę in homine per peccatum abolita fuerat, per regenerantem baptismi gratiam restituat. Quod vt commodius fieri possit, dicendum prius est, quæ inter imaginẽ similitudinemq; Dei distantia sit.

Quæ imaginis & similitudinis Dei distantia sit, & quòd non imaginem, sed similitudinem homo peccando perdidit, ad quam reformatur per baptismum Christi. Cap. 4.

AD imaginem Dei homo factus est, in eo quòd rationalis est: ad similitudinem verò in eo, quòd diuinæ bonitatis imitator conditus est. Imago namque Dei vel figura substantiæ eius, sicut Apostolus ait, filius est: bonitas autem

Heb. 1.

vel charitas Dei & imaginis eius, Spiritus sanctus est. Et idcirco non est dictum, Faciamus hominem ad similitudinem & imaginem meã, sed, Ad imaginem & similitudinem nostram, quia similitudo non vnius tantum, sed duarum personarum, scilicet Patris & Filij est, imago autem non duarum, sed vnius. s. Patris est. Filius namque Patris tantum, non etiam Spiritus sancti Filius est. Spiritus autem sanctus non solùm Patris, sed & Filij spiritus est. Potuit autẽ creatura rationalis amittere id, quod ad similitudinem Dei facta est, non potuit verò eo carere, quod ad imaginem Dei condita est. Quare quia videlicet diuinæ bonitatis imitatio, per quam Dei similitudo retinetur, creaturæ quoque voluntatem exigit: rationalitas autem, quę impressione imaginis Dei humanæ animæ insculpta est, à sola creatoris arte processit.

Igitur, vt similitudinem Dei, quam nostra voluntate perdidimus, nostra nihilominus voluntate recuperare possimus, bonitas Dei Spiritus sanctus illuc vsq; descendit, quò peruenire nos facilè possumus, dũ superfertur aquis, quæ prẽsto sunt, de nostro solã voluntatẽ postulans, cætera gratis omnia procurãs. Nam & aquam illam, quę de mortuo Christi corpore profluxit, ipse creauit, qui corpus ipsum Christi de nostrę aqua naturæ fotu suo concrescere fecit, sicut habemus in symbolo: Et incarnatus est de Spiritu sancto, vel in Euangelio: Quod enim in ea natum est de Spiritu sancto, & qui in mundi creatione (vt in præsenti lectione scriptum est) superferebatur aquis, in modum volucris (vt ait Hieronymus) oua sua calore animantis, ipse nunc supertfertur aquis baptismi, vt ingredientes sub gratiam suam confouens, in veram regeneraret vitam, expandens alas suas, & assumens eos atq; portans in humeris suis. Etsi opus est, vt amplius appropinquet alicui, id est, si ab aqs arceatur aliquis, vt volens ad illas peruenire non possit, sicut arcebatur Cornelius, Iudæis prohibentibus gentiles recipi: vel sicut multi Christum in persecutione confitentes, necdum baptizati, ad aquas peruenire non poterant, arcati carceribus & vinculis præpediti. Si, inquã, opus sit propter aliquid huiusmodi, tunc demũ aduolat mater gratia Dei, suasque vltra nidum aquarum alas extendit: sicut adhuc loquente Petro cecidit Spiritus sanctus super omnes, qui audiebant verbum, & erant loquentes linguis & magnificantes Deum.

Matt. 1.

Deut. 32.
Act. 10. 11.

Quòd martyres baptismum non consecuti, rectè dicantur in sanguine & morte sua baptizati. Cap. 5.

SEd illos, tanto defensore tutos, iussit Petrus aqua baptizari in noĩe Patris & Filij & Spiritus sancti: multi aũt persecutionis articulo præoccupati, sine aquæ baptismo supplicijs affecti, pro Christo consummati sunt. Quid ergo? Nun quid hi baptizati sunt? Imò tanto maiorem gratiam præ illis, qui in pace Ecclesiæ moriuntur, assecuti sunt, quanto grauiori dispendio morti & sanguini Christi communicauerunt. Nam in baptismo communi, tantum similitudo mortis est, sicut ait Apostolus: Sic enim complantati facti sumus similitudinis mortis eius, simul & resurrectionis erimus: in martyrio autem ipsa mors. Quòd si martyrium baptismus non esset, numquam Dominus de passione sua dixisset, quod iam suprà commemoratum est: Baptismo habeo baptizari, & quomodo coartor, vsque dum perficiatur? Verum exceptis his, quos eiusmodi articulus non intercipit, nulli Spiritus sanctus extra fontem occurrit, totamque remissionem peccatorum intra aquas continet, nec vltrà extendit. Ex his maximè locis, de quibus dictum est, memorata lectio baptismi sacramento congruit. Cęterum nisi vitandi subesset causa fastidij, poterat ex authenticis doctorum tractatibus ostendi, quòd tota series mundanæ creationis, quæ in eadem lectione digesta est, similitudines præferat nostræ, quæ per baptismum agitur, renouationis. Nam, qui in principio creauit Deus cælum & terram, & cætera fecit sex dierum opera, nunc dicit: nouos cęlos & nouã ego terram creo, id est, nouos sanctos, & nouam Ecclesiæ plebem: & diuidit aquas ab aquis, & positum est firmamentum Apostolorum & prophetarum, diuidens diuinæ aquas sapientiæ, quas continet ab aquis humanæ vel carnalis prudentiæ. De quo Psalmista: Extendens, inquit, cælum, sicut pellem, qui tegis in aquis superiora eius, & congregatis aquis in vnum locum, circundedit Deus mari, id est, turbinibus huius seculi, terminos suos: posuitque vectem & ostia, & dixit: Huc vsque veni es, & hic confringes tumentes fluctus tuos, & sic terra Ecclesiæ à naufragio liberata, germinauerũt campi eremi, id est, latitudines gentilitatis, germen odoris Israel, quia floruit in gentibus Patriarcharum & prophetarum fides. Et posita sunt in firmamento propheticæ vel Euangelicę scripturæ: firmamentum enim inquit Augustinus, contra insidiosos errores Deus ponere voluit in scripturis, in firmamento, inquam, sacræ scripturæ, posita sunt Sol & luna, & numerositas stellarum, id est, maiorum minorumque ac mediocrium luminaria doctorum, & baptizatorum alij per contemplationem euoluunt dicentes, Nostra autem conuersatio in cælis est, alij seculoribus innatant curis, & proficiẽte cultu Christianitatis, animalia quoque quadrupedia, id est, carnalium turbę, ad fidem Christi prorepsere. Et talis creaturæ Dominus, est nouus Adam, custos & possessor tam terræ quàm cælestis paradisi, quem serpens non decepit, mulier non seduxit, qui peccatum non fecit, & ideo morti nil debuit.

Eph. 2.

Pſal. 103.

Ioelis. 2.

Iob. 38.

Philip. 3.

Act. 10.

Sed ipsum tempus anni primum, id est, vernum eidem congruit similitudini, quia non solum in exitu Israel de Aegypto sanguis agni restitutio fuit libertatis, sed & totus mun-

Universidad de Deusto
Biblioteca

dus initium suæ sumpsit creationis. Vnde magnus Leo dixit. Nunc ad prænunciatum festis omnibus festum, sacer nouorum mensis enituit, vt, in quo accepit mundus exordium, in eodem haberet Christiana creatura principium. De qua noua creatura Paulus Apostolus dixit, Scimus enim, quoniam omnis creatura ingemiscit & parturit vsq; adhuc: videlicet vsq; ad reuelationem filiorum Dei, quam ipse præmiserat dicens: Nam expectatio creaturæ reuelationem filiorum Dei expectat. Ac deinde secutus: Non solum autem illa, sed & nosipsi primitias spiritus habentes, ideſt, qui primi dona sancti Spiritus accepimus, ipsi intra nos gemimus, &c. Quãuis enim perfecti videamur, tamen (dum corruptibiles sumus) securi non viuimus, neque comprehendisse nos arbitramur.

Rom. 8.

Philip. 3.

De Lectione secunda. Cap. 6.

Exod. 14.

LEctio secunda est illa libri Exodi: Factum est in vigilia matutina, & ecce respiciens Dominus super castra Aegyptiorum per columnam nubis & ignis, interfecit exercitũ eorum, & subuertit rotas curruum, ferebanturque in profundum. Non dubiè neque per partes, sed manifestè tota lectio hæc salutaris baptismi Christi typum præfert, & notum est, quia passim in scripturis sacris lectionis huius sacramentum à doctoribus concelebratum est. Et in suprà memorata cerei benedictione sic dictum est. Hæc nox est, in qua primùm patres nostros filios Israel eduxisti de Aegypto, quos posteà rubrum mare sicco vestigio transire fecisti. Qualiter hoc fiat, nunc in singulis per baptismũ Christi, sola suis fides intuetur oculis: & ideo

Exod. 15.

cantat Domino canticum Moysi, id est, tractum sequentem: Cantemus Domino, glorioſe enim magnificatus est, equum & ascensorem deiecit in mare. Qualiter autem hoc gestum sit in D patribus sanctis & omnibus electis, qui apud inferos hunc expectabant transitum, quantus beatarum animarum exercitus duce potenti anima Christi, per illud mare transierit, quod de latere eius in aquam & sanguinem diuisum exiit, quanta exultatio de tenebris exeuntium, quanta lætitia paradisum introeuntium, nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit.

Esa. 64. 1. Cor. 2.

De Lectione tertia. Cap. 7.

Esa. 4.

LEctio tertia: Apprehendent septem mulieres virum vnum in die illa, dicentes: Panem E nostrum comedemus, & vestimentis nostris operiemur, &c. Hæc quoque ad baptismi sacramentum, & ad institutionem manifestè pertinet baptizandorum. Sed iam nunc dicendum, cur quatuor legantur lectiones, de lege & prophetis assumptæ. Videlicet lectio prima idcirco legitur, quia, vt dictum est, de creatione mundi & hominis conditione narrans, aquarum quoque mysteria, cum Spiritus Dei auctoritate interserit. Tres verò reliquæ tria mundi tempora A respiciunt, id est, primum ante legem, secũdum sub lege, tertium sub gratia, quibus cunctis temporibus remedium baptismatis necessarium fuisse commendatur. De his qui ante legem fuerunt, claret: quia, sicut iam dictum est in secũda lectione, baptismum Christi præfiguraverunt

1. Cor. 10.

in eo, ꝙ mare transierunt, & sicut Apostolus dicit: Omnes sub Moyse baptizati sunt in nube & mari. Nondum enim data erat lex. De his autem, qui sub lege erant, in tertia lectione dicit Esaias: Si ablucrit Dominus sordem filiarum Sion, & sanguinem Hierusalem lauerit de medio eius in Spiritu iudicij, & Spiritu ardoris. B De quo ardore dicit Ioannes Baptista in Euangelio: Ille vos baptizabit in Spũ sancto & igni.

Ioan. 3.

Vir ille Christus est, quem iuxta hanc lectionẽ apprehendent septem mulieres, i. septẽ gratiæ Spiritus sancti. De quibus idẽ propheta alibi dicit; Et requiescet super eum spiritus Dñi, spiritus sapientiæ & intellectus, spiritus consilij & fortitudinis, spiritus scientiæ & pietatis, & replebit eũ spiritus timoris Dñi. Hę septem gratiæ apprehenderunt Iesum, quẽ (vt ait Hieronymus) multo tẽpore desiderauerunt, quia nullum aliũ inuenire potuerunt, in quo æterna statione requiescerẽt. Quòd aũt gratia Spiritus sancti cunC cta possideat, exponi non indiget. Ideo panem nostrum, inquiunt, comedemus, & vestimentis nostris operiemur. Sed quia in hominibus semper obprobrium, nullo viuente, vt sancti Spiritus dona poscebant, propterea Iesu nomen sibi cupiunt inuocari, vt quod in lege imperfectum erat, in Euangelio compleretur.

Esa. 11.

De Lectione quarta. Cap. 8.

LEctio quarta: Scripsit Moyses canticum: siue, hæc est hæreditas seruorum Domini. Deut. 31.

Vtræque enim vicissim leguntur in Pascha & in Pentecosten, & ambæ hoc tempus gratię manifestius exprimũt. In ea, quæ est: Scripsit Moyses canticum, ait idem Moyses: Noui enim, quòd post mortem meam iniquè agetis, &c. Deut. 31.

2. Cor. 5.

Mortem Moysi finem legis accipiunt penè cuncti doctores sancti, id est, aduentum Christi cuius gratia sic legi, quemadmodum Iosue successit Moysi, qui populum Dei trans Iordanẽ eductum, ingentibus prę|lijs in terram repromissionis, dux victoriosus introduxerit: Iesum Christum nomine præfigurans & opere, qui omnem electorum populum, quorum neminem lex ad perfectum adduxerat, sanguine suo contra diaboD lum dimicans, victor mortis per baptismi gratiam, in paradisum reduxit, profectò in hoc tempore, iuxta canticum, quod Moyses scripsit: Peccauerunt Domino non filij, scilicet Iudæi, generatio praua atque peruersa, populus stultus & insipiens, quem constituerat Dominus & pater suus super excelsam terram: scilicet legis prophetarumq; notitiam, vt sugerent mel cælestis doctrinæ de petra, quæ Christus erat, oleumque, id est, gratiam Spiritus sancti, de eodem saxo durissimo, per resurrectionis potentiam

tiam immortaliter solidato: & ecce econtrariò de vinea Sodomorum, & de suburbanis Gomorræ, vua eorum vua fellis, & botrus amarissimus: & propter hæc absc̃odam, ait, faciem meam ab eis, &c. At verò cæli & terra, de quibus alibi per prophetam dicit: Nouos cælos & nouam

Esa. 65.

terram ego creo. Noui, inquam, cęli & noua Ecclesiæ terra audiuit verba oris eius, sicut in sequenti tractu cantamus: & concrescit in eis vt pluuia doctrina Domini, & fluit vt ros eloquiũ Domini, quasi hymber super herbam, & quasi

Matt. 28.

stillæ super gramina, quia nomen Domini inuocatur super nos, nomen Patris & Filij & Spiritus sancti, quod totam vim continet eius, quæ B per baptismum agitur, nostræ regenerationis.

Esa. 54. 55.

Non minus illa Esaiæ lectio. Hæc est hæreditas seruorum Domini, hoc idem, vt suprà dictum est, tempus gratiæ respicit, prouocans credentes & dicens: Omnes sitientes venite ad aquas,

Psal. 64. Psal. 45. Esa. 12.

vt veniant ad fluuium Dei, qui repletus est aqs, & cuius impetus lætificat ciuitatem Dei, vt bibant aquas de fontibus Saluatoris, qui loquitur ad Samaritanã: Si scires donum Dei, & quis

Ioan. 4.

est, qui dicit tibi: da mihi bibere, tu forsitan petisses ab eo, & dedisset tibi aquam viuam, & aquam, quam ego dedero ei, fiet in eo fons aquę salientis in vitam æternam. Sciendum autem, quòd ait Hieronymus, homo aquam tribuat, Deus autem Spiritum sanctum, quo sordes abluuntur, & peccata purgantur.

De tractibus quos lectionibus eiusdem succinimus. Cap. 9.

TAntam, quæ his tribus lectionibus chorus succinit, singula singulis exultationem indicant renatorum, ꝙ iure exultare debeant, quia submersis omnibus peccatis, ipsi per mare baptiD smi transeunt liberati. Verùm hæc exultatio in metu & tremore debet esse, & cum laboriosa & necessaria carnis mortificatione, quãdiu sumus

Apoc. 15.

in corpore, stantes (sicut in Apocalysi legimus) supra mare vitreum, quod graues & rursus oneratos peccatis sustinere non potest. Vnde oportet, vt abiectis oneribus seculi, & simplici tunica contenti, persistamus, vel ambulemus super hoc vitreum mare baptismi, mixtum igne Spiritus sancti, tenentes (sicut ibi legitur) citharas Dei, id est, tota carne mortificati, & in laude E Dei extenti, canendo tremenes, & tremendo ca

Psal. 2.

nentes, iuxta illud: Seruite Domino in timore, & & exultate ei cum tremore. Benè ergo verba canticorum Moysi & prophetarum, quæ succinimus, in tractus efferimus, quem canticum lugentium esse, & miseriæ præsentis exilij cõgruere, iam dictum est.

Quartus tractus in hoc differt à cęteris, ꝙ nulla lectione præmissa cantatur. Nec mirum. Non enim in officio præsenti sic est vox vniuersalis Ecclesiæ, quemadmodum & illi. Eorum quippe solũmodo vox est, qui in præsenti assunt baptizandi, adhuc peccati originalis veneno

Psal 41.

infecti, & ideo festinant ad baptismum, vt iuue- A nescant, quemadmodum desiderat ceruus ad fontes aquarum. Quod maximè ex subsequenti collecta confirmatur: Omnipotens sempiterne Deus, respice propitius ad deuotionem populi renascentis, qui, sicut ceruus, aquarum tuarum expetit fontem. Econtrà lectio prima nullo subsequẽti cantico terminata est, videlicet, quia Num. 23.

creatis & completis mundi cunctis operibus, non cantauit dignas homo ingratus Deo creatori gratias: sed obmutuit à laude Dei, & audito serpente, contra præceptum quod acceperat, obsurduit. Vnde & baptizando dicitur, ephpheta, quod est adaperire, sumptum de Euangelio, B quo Dominus noster curationem humani generis, quod sic obsurduerat & obmutuerat, vt dictum est, in eo, quem sanauit, homine surdo & muto significauit. Nec prætereundum, quia ne- Mar. 7.

que collectis salutatio, id est, Dominus vobiscũ, neque lectionibus supradictis vllæ superscriptiones, id est, tituli præferuntur: quos à nudiustertius cunctis lectionibus, tanquam corporibus capita præscidimus, donec caput nostrum Christus resurgendo nobis reddatur, cuius resurrectionis similitudo in his, qui baptizati de C fontibus ascendunt, Christum induti, vt Apostolus ait, fidei oculis repræsentatur: nec ante hoc Gal. 3.

signa Ecclesiæ concrepant, quorum causa iam superius dicta est.

De consecratione fontis. Cap. 10.

COnsecratio fontis in nomine sanctæ trinitatis, & maximè inuocatione perficitur Spiritus sancti. Quod iccirco rectè fit, quia tota hominis regeneratio, licet totius sit opus trinitatis, propria tamen est operatio Spiritus sancti. Sancta quippe trinitas, vt ait Leo Magnus, ita sibi diuisit opus hominis, vt Pater conderet, Filius redimeret, Spiritus sanctus regeneraret vel igniret. Veruntamen & Pater cum Filio & Spiritu sancto condidit: & Filius cum patre & Spiritu sancto redemit, & Spiritus sanctus cum Patre & filio regenerat atque illuminat. Nam & Pater dum conderet: Faciamus, inquit, homi- Gen. 1.

nem ad imaginem & similitudinem nostram, & Filius dum redimeret, Pater illi calicem passionis dedit: & ipse Filius per Spiritum sanctum bibit: sicut Apostolus Paulus ait Hebręorum IX. Sanguis Christi qui per Spiritũ sanctum semetipsum obtulit Deo, & cætera: & vt Spiritus sanctus regeneret, Pater eundem paracletum Spiritum dat, & Filius in eodem Spiritu baptizat, sicut Ioannes Baptista in Euangelio sibi dictum Ioan. 1.

insinuat: Super quem videris spiritum descendentem sicut columbam, & manentem in eo, hic est, qui baptizat in Spiritu sancto. Spiritus ergo sanctus aquarum sanctificator est, sanctus Spiritus fontis nostri sanctificatio est, imo spi- Psal. 35.

ritus fons vitæ est, pacis fluuius est. Spiritus sanctus illa paterni cordis benigna vena est, de qua Esa. 6.

vsque ad nos miseratio larga, tanquam flumen inundans, procurrit. Amor Dei, torrens voluptatis Dei, Spiritus sanctus est. Hic illum duorũ pa-

Universidad de Deusto
Biblioteca

trem filiorum,erga iuniorem filium,id est,gentilem populum,ingenita sibi pietate flexit, qui luxuriosè viuendo suam paternæ substantiæ partem,consumpserat,porcos alienos in longinqua regione pauerat,id est,spurcos dæmones coluerat,& tunc reuersum suscipit, festum diem omnibus amicis, id est, cœtibus indicit angelicis, iubet primam cum anulo stolã proferri. Quid enim intelligimus per anulum,nisi fidei signaculum? Nam catechumenus, dum baptizandus fidei sacræ, quam firmiter tenet symbolum reddit,profectò illam tabulis cordis eiº inscripsit, decentem anulum in manu eius dedit, & in eo, quod cõsignatus est cruce Christi: vt dicat cum Apostolo: Christo confixus sum cruci, & quòd tertiò submergitur, vt triduanæ morti Christi conformetur,& hoc mirabili pietatis officio viuus & incolumis crucifixo & mortuo atque sepulto configitur, commoritur & consepelitur, procuidubiò calceamenta accipit in pedibus. Calceamenta namque de mortuis animalibus fiunt. Et hæc manifestæ Dominicæ mortis insignia sunt, quæ ideo suscipit, vt eius exemplo, qui propter nos crucifixus est, deinceps crucifigat carnem suam cum vitijs & concupiscentijs, & mortificans membra sua,quæ sunt super terram,dicit: Viuo autem iam non ego, viuit verò in me Christus. Cùm autem candidam vestem accipit,quæ vtique nouam Christi consolationem significat,dicente Apostolo:Omnes,qui in Christo baptizati estis, Christum induistis.

Galat.2.

Gal. 5.

Coloss.3.

Profectò primam illi stolam induit pater, & manducemus,inquit,& bibamus,quia filius hic meus mortuus fuerat & reuixit, perierat & inuentus est.

De missa eiusdem diei, & cur illi consuetudinalis cantus, id est, Introitus & Communio desit. Cap. 11.

STatim ergo paschale vespertini sacrificij construitur conuiuium, trina præeunte litania,in honore sanctæ & indiuiduæ trinitatis, in cuius nomine trino baptizatus filius hic,de quo loquimur,qui mortuus fuerat & reuixit, perierat & inuentus est,concrepant signa,quę hactenus fuerant muta,& personante symphonia chorus exultat. Gaudent nobiscum angeli, & propter illorum gaudium nos repetimus omissum à septuagesima hymnũ ipsorum,i. Gloria in excelsis. Adducitur vitulus ille saginatus, s. Deus & homo Christus,cuius carnem manducare, & sanguinem bibere debemus:qui ideo vitulus dicitur,quia homo pro nobis sacrificatus est:ideo saginatus, quia in ipso habitabat plenitudo diuinitatis corporaliter.Sed huic conuiuio senior frater, id est, Iudaicus populus, interesse non vult, stansque foris & audiens symphoniam & chorum, detrahit fratri suo, inuidia tortus & odio,patrisque clementiam reprehendens, tristitia mauult & fame consumi, quàm cum fratre gaudere,& epulari. Exibit autẽ pater quan-

Cal.3. Luc. 15.

doque, & faciem lætam auerso & tristi filio dignanter ingerens,persuadebit, & precabitur illum opportunis interesse gaudijs & epulis, tenens manũ eius,& blandis consulens sermonib. & tunc reliquiæ Israel saluæ fient. Interim,donec illud fiat, plenum vel integrum non erit paternę domus,i. presentis Ecclesię gaudium:quia licet Iudaicus populus semper gentium oderit salutẽ,gentium tñ Ecclesia dolet,q; ille populus stat foris,quodque sua salus illi in scandala sit. Igitur huius diei sacrificio vespertino,tam festi uo, tamq; iucundo conuenienter quædam ornamenta detracta sunt,s. introitus,graduale,offerenda atq; communio, quę de Psalmis quondã à Cęlestino Papa quadragesimo,primùm ad canendũ institutis ante sacrificiũ excerpta, & cũ suaui modulatione in Romana Ecclesia cantari instituta sunt.Interea dũ vitulus adducitur,conuiuiũ præparatur,accedit coràm ille ministrorũ primus atq; fidissimus Paulus, filiumq; illum, qui reuersus est, iã habentem anulum in manu, iam calceatũ,iamq; stola prima indutum,gratulabundus alloquitur in presenti Epistola,dicés: Si consurrexistis cum Christo,quæ sursum sunt sapite,nõ quæ super terram.Mortui enim estis, & vita vestra abscondita est cũ Christo Deo. O fidi procuratoris elegans facũdia,& officiosa sedulitas.Mortui,inquit,estis,quia videlicet mortuũ est in vobis quicquid super terrã sapiebatis.Quid enim prius sapiebat ille filius desertor patris,luxuriosus & prodigus, nisi cũ meretricibus conuiuia struere,sua dissipare,alienis,inhiare,porcos alienos pascere?Totum hoc mortuũ, & in baptismo Christi sepultũ est. Vita autem noua,quæ de eodem baptismo surrexit, quæ filium talẽ longè alterum fecit:Vita,inquam,nouа,quę cũ Christo in Deo abscõdita est,ipse idẽ nouus homo Christus est, quẽ & candida vestis baptizati significat.Cùm enim,inquit,Christus apparuerit vita vestra,tũc & vos apparebitis cũ illo in gloria.Vitã eandẽ, diuina nouitate conditam, significant & in Euangelio consequenti vestimenta angeli, quæ erãt candida sicut nix. Ecce interea canorè cęleſtis personat symphonia,quò lætificentur cõiuę,tanquã de cælo remissum & ori nostro redditũ alleluia:quod à septuagesima nostra nõ cecinerunt organa,videlicet,quia diebus his captiuitas præsentis vitæ significata est,& ideo q; futurę vitę iucunditatem significat alleluia,tacẽdo velut ad salices Babylonis huius flentibus nobis pepẽderunt. At nũc, quia nox illa sacratissima iam incũbit,qua Christus libertatis auctor resurrexit,in qua iam, vt dictum est,prima resurrectione resurgunt, qui baptizãtur noui Ecclesiæ filij, protinus tanquã de salicib. direpta nostra certatim organa persultant alleluia,dicuntque:Confitemini Domino,causamq; subijciunt:quoniã bonus,quod ab effectu comprobatur, quoniam in seculũ misericordia eius, subauditur exhibita in remissionem peccatorum, quam est largitus in baptismo:& hũc meritò versiculum alleluia primùm

Rom. 11.

Col.3.

Luc.15.

Psal. 117.

arripit.

arripit. Psalmus quippe centesimus septimus decimus,cuius hic primus versus est alleluia,in titulo habet,multũ hanc misericordiam, & hãc diem solennem,quam fecit Dominus, fidei nostræ commendat,vt exultemus & lętemur in ea. Hoc alleluia sicut & reliquum huius diei officium, maximè baptizatorũ est exultatio, eò q; prima,vt dictum est, resurrectione iam conresurrexerunt cũ Christo. Restat verò grandis labor,vt habeant partem in resurrectione secunda, & inter ipsum laborem bonorum operum supereſt metus,supereſt fletus, vel propter periculum gehennæ, vel propter desiderium vitæ æternæ. Rectè ergo, quia necdum plenum est gaudium spei vocatorum, quod imminuit solicitudo eorundem adhuc à Deo peregrinantiũ, cum alleluia tractus quoq; cantatur,quem cantum lugentium esse superius iam dictum est. Itemque per totam paschalem hebdomadam vsque ad sabbatum,quo albas ipsi deponunt,eadem pro causa graduale cantatur,qui cantus est laborantium,nec nisi propter eos pertineret ad dies Pentecostes,quod tempus futuræ requiei, pacisq; & gloriæ signum est. Nam & in canone per hãc hebdomadã hoc pro ipsis additum est: Hanc igitur oblationem seruitutis nostræ: sed & cunctę familiæ tuę, quam tibi offerimus pro his,quos regenerare dignatus es ex aqua & spiritu sancto, tribuens eis remissionem omnium peccatorum. Et ab hac vespera, qua baptizati sunt, per singulas huius hebdomadæ vesperas clerus ad fontes procedit cum Christi resurrectione solennitatẽ sancti celebrans baptisterij.

Cur à nudiustertius omissum nunc reddatur pacis osculum. Cap. 12.

CVr pacis osculum, quod Papa Innocentius à Beato Petro tricesimus octauus dari instituit, omissum fuerit à nudiustertius, & hodie reddatur, ex ipso canonis loco, in quo datur,citius agnoscitur. Datur enim eo loco, quo iam secundò calicem discooperuimus, & dicimus.Pax Domini sit semper vobiscum. Hic autem locus,sicut in eiusdem canonis tractatu dictum est, illud significat, quod Dominus noster resurrexit à mortuis,& stans in medio discipulorum suorum dixit eis:Pax vobis. Per quod illud nobis innuit, quod paries inimicitiarũ inter nos ac Deum erectus fuerat,i. peccatum,ad quẽ dissoluendum Dñs noster transitu mortis profectus est. Quo effecto resurgendo rediens pacem annũciauit,quã acquisierat nobis prima voce, quã emisit in medio discipulorũ suorum, dicendo:Pax vobis. Rectè igitur, ex quo ad faciendum eamdem pacem profectus est, donec rediens diceret: Pax vobis, intermisimus: Pax Dñi sit semper vobiscum, neque dedimus pacis osculum.Simul Iudæ traditoris probrosum execrantes & anathematizantes quo filiũ hominis tradens, sanctum & innocens Apostolorum infamauit collegium apud eos,qui foris

Ioan. 20.

Ephe.2.

erant,occasionem maledicendi præbens,ac detestandi eos,quorum sanctitatis æstimatio magna fuerat,de vt illis tale quid cantitarent,quale illud est: Et crimine ab vno discę omnes.

De die Dominicæ resurrectionis.Cap. 13.

OCtauam illam, quæ in Paralipomenon, & in superscriptionibus quorundam inuenitur Psalmorum,hæc sacra spectat dies,quam fecit dominus, vt esset solennitas solennitatum, quemadmodum pro sui magnitudine dicuntur sancta sanctorũ,Cantica cãticorum. Sicut enim illa cętera superant sancta vel cantica, sic solennitates cęteras huius sacrosanctę solennitatis antecedit nobilitas. Octaua autẽ illa futura est perfectæ atq; cõsummatę resurrectionis gloria, in qua electi omnes, qui nunc post depositionẽ carnis vna & simplici solius animæ beatitudine perfruuntur, sicut in Apocalypsi legimus: quia datæ sunt illis singulæ stolæ albæ:duplici, id est, corporis & animæ felicitate remunerabuntur, ficque binas perennis gloriæ stolas accipient. Quam octauam sicut septem mundi ætates ordine suo præeunt, quarum sexta nunc ab aduentu Christi voluitur,septima verò animarum est carne deposita quiescentium,sicut alio loco iam dictum est: sic & hanc sacratissimam solennitatem septem Dominicæ præcesserunt, quarum in prima: Circundederunt me gemitus mortis, in septima cantauimus:Lętare Hierusalem,singulæ singulis ætatum earumdem proprietate sui respondẽtes officij, sicut loco vel ordine suo iam dictum est, & interposita Dominicæ passionis memoria per duas hebdomadas,quod ipsum cur fiat,iam dictum est.Sequitur hæc octauæ ætatis,quæ extra septem est,quia æterna est gloriosa Christi resurrectione commendata festiuitas, nobilis, admirabilis, decora & suauis, splendida & desiderabilis. Non enim parum est, quod in illa nobis octaua repositum est. Nam sicut octaua dies eadem quæ prima est, sic in illa ætate restituitur homo in hoc ipsum, ad quod conditus est, eritque corpore & anima immortaliter felix,& feliciter immortalis,sicut Angeli Dei, imò supra primæ originis reparatus dignitatem,eò q; suam in vnitate personæ filij Dei respiciat naturã,personam super omnia opera manuum patris constitutam adorari,laudari & glorificari ab angelis in coelestia summę & indiuiduæ trinitatis. Idcirco dum sanctorum recolimus natalitia,de quibus dubiũ non est, q; egressi à corporibus gloriam sempiternam iam adepti sunt, diem quoque celebramus octauum,beatificantes illos ex eo quoque, quòd in futuro corporum receptorum immortalitatem gloriosam feliciter obtinebunt.

1. paral.7.

Psal.6.11.

Apoc.6.

Hoc & per octo beatitudines Euangelicas significatur,vbi octaua redit ad caput. Namque & in prima, & in octaua hęc eadẽ beatitudinis sententia est,quoniam ipsorum est regnum cælorum. Vnde Augustinus:Octaua,inquit,sententia,quæ ad caput redit, perfectumq; hominem

Gen.17.

Matt.28.

Universidad de Deusto
Biblioteca

declarat, significatur fortasse & circuncisione octa- A
na die in veteri testamento, & domini resurrectio-
ne post sabbatum, qui est vtiq; octauus, id est, pri-
mus dies, & celebratione octauarum festiatū, quas
in regeneratione noui hominis celebramus. De illa
igitur octaua, quæ est resurrectio, quæ iam comple
ta in capite nostro, scilicet Christo, nunc secundum
diei presentis, in qua resurrexit, officium, ordinem-
que mysticum, aliqua dicenda sunt.

Cur Dominus non ante diem tertium resurgere voluerit. Cap. 14.

TErnarius numerus, qui apud seculares quoq; B
philosophos insignis habetur ꝓ eo, quòd im-
parium & eorum, qui ꝓter vnitatem nullā aliam
recipiunt sectionem primus est numerorum: apud
nos longè amplius præclari nominis, imo primæ ac
diuinæ est auctoritatis, tā propter ipsam essentiam
sanctæ & individuæ trinitatis, quàm pro eo, quòd
saluator noster tertia die resurrexit à mortuis. Et
profectò tertia dies hæc ad idem ipsum eiusdē san-
ctæ trinitatis respicit sacramentum. Idcirco namq;
Dominus non ante tertiā resurrexit, quia cōgruum
fuit, vt propitiationem sanctæ trinitatis triduana
nobis obtineret mors carnis Christi. Alioquin cur
cum sub trina mersione baptizamur in nomine Pa
tris & Filij & Spiritus sancti, complantati dicimur,
imo verè cōplantati facti sumus similitudini mor-
tis eius, nisi quia eandem mortem suam, quam an-
tea baptismum suum appellauerat, triduo pertulit
& ipse in nomine & in obedientia Patris & Filij &
Spiritus sancti. Siquidem & Pater Filio (sicut & ip- Ioan. 10.
se filius testatur) calicem passionis dedit: & ipse fi-
lius animæ suæ in sua potestate propinauit, sicut ip- Heb. 9.
se ait: Potestatem habeo ponendi animam meam:
& Spiritus sanctus illi propinati fecit, sicut Apo-
stolus ait: quia Christus per Spiritum sanctum se-
metipsum obtulit. Congruenter ergo mors Domi
ni triduana extitit, quam sancta trinitas disposuit,
quamque ad obtinendam humano genere propi-
ciationem eiusdem sanctæ trinitatis, nostra in illo
natura sola pertulit. Non solum autem, sed & tota
vita eius annorum suorum numero sanctę trinitati
famulatum se exhibere, & eius præcepto se obedi-
re innuit. Nam in triginta tribus annis, quibus su-
per terram ambulauit, ternarius est repetitus hac
sola differētia, quòd vnus ternarius, vt triginta sint,
in decenum limitem consurgit, alius vt simplex sit, Gen. 22.
in singulari limite subsistit. Cuius in typum Isaac E
quoq; ad immolandum ternario dierum numero
ductus est. Nam de Geraris, vbi tunc habitabat
Abraham, vsque ad montem Moria, id est, sedem
templi, dietum trium est, vt ait Hieronymus, & cō-
sequenter illuc die tertio peruenit, sicut historia re-
fert, & venit in locum, quē dixit ei Deus in die ter-
tia. Sed vt ad inceptum redeam, mira velocitas, mi-
rabilis ille saluatricis gratiæ cursus, vt triduo triū
temporum seculi peccata deleret, omnes, qui ante
legem fuerant, omnes, qui sub lege erant, cunctos,
qui sub gratia venturi erant, vna Christi morte pa-
riter solueret, pro singulis tēporibus singulos dies
eiusdem mortis appendens. Totam eius velocitatē

Spiritus sanctus innuebat, cùm prophetę imperās A
dicebat: Voca nomen eius, Accelera spolia detra- Esa. 8.
here, festina prædari.

Item de celebritate resurrectionis. Ca. 15.

DE hoc & illud in Canticis, reuertere, similis Can. 2.
esto dilecte mi capreæ hinnuloque ceruorum
super mōtes Bethel. Accelerauit enim inferni spo-
lia detrahere, festinanterque prædari, reuersusq; vt
caprea aut ceruorum hinnulus, id est, patriarcha-
rum filius, ad saluandum velocissimus, apparuit su-
per montes Bethel, id est, visus est Apostolis vt eo-
rum tristitiā citò in gaudium conuerteret, qui sunt B
montis Bethel, id est, domus Dei, quæ est Ecclesia,
principes summis virtutibus eminentes. Accelera-
uit, inquam, inferni spolia detrahere, id est, electos
omnes iure victoris adducere. Quæ enim mora
fieret ad detrahendū, aut quæ difficultas ad discer-
nendum? Sol erat iste, illi autem qui quærebantur
tamquam specularia. Illorum fides speculum erat
reddendo solis aspectum radio satis idoneum, sed
ideo non splenduerat hactenus, quia soli obiectus
medius obstabat paries inimicitiarum, scilicet ori- Ephes. 2.
ginale peccatum. At illum in carne sua moriens C
Christus parietem soluerat ac diruerat, qui illa spe-
cularia animarum verum solem expectantium vm
bra tenebat aduersa. Quæ ergo mora fieret, vt di- Psal. 67.
ruto pariete, & descendente ad inferos vero sole nō
statim relucerēt illa vascula lucis exceptoria, id est,
electorum animæ? Statim vt illic descendit hic sol,
id est, anima Christi præpotens, & insita sibi verbi
omnipotentis diuinitate coruscans, illi resplendue-
runt, & tenebrarum principes dissipati sunt sicut
fumus, & sicut fluit cera à facie ignis. Et iusti exeun
tes de tenebris, & in paradisum recepti, cœperunt Luc. 23.
epulari & exultare in cōspectu Dei. Latrone simul
epulante, cui dixerat dominus in cruce pendens, D
hodie mecū eris in paradiso, totoq; sabbato requie- Cant. 24.
uit ab omni opere suo dns Christus cum illis, &
pascebatur dilectus in liliis, donec aspiraret tertia
dies & inclinarentur vmbrę. Die igitur tertia, pro-
picia nobis facta diuinitatis trinitate, cito mortem
quam gustauerat, reiecit à se, sicut significauerat,
quando in cruce nostram salutem sitiens, & ideo se
veraciter sitire dicens, cùm oblatum sibi acetū no-
luit bibere. Mortis enim acetum paululum gusta-
bat, quam cito, id est, tertia die reiecturus, nec vltrà
bibiturus erat. Resurgens enim ex mortuis iā non
moritur, mors illi vltrà non dominabitur. E

Quid significet, quòd Dominus noster nocte resurrexit. Cap. 16.

CErtum tenet Christiana fides, quòd Dominus Zach. 12.
noster, qui mortalis homo factus ad hoc ve-
nit vt iudicaretur, ad hoc venturus est in fine vt iu
dicet, & eandem formam ferat, in qua iudicatus
est, cum suorum cicatricibus vulnerum iudicatori-
bus ostendet ad damnationis cumulum, vt videant
in quem transfixerunt: dilectoribus autem suis ad
æternum charitatis monimentum. Illa autem dies
non cum expectatione, sed ita sicut fur in nocte ve-
niet, quemadmodum factum est in diebus Noe,

vel

Matth. 24. vel in diebus Loth: quando vendētibus cunctis & A
ementibus, plantantibus & ædificātibus, vxores du-
centibus & dantibus ad nuptias repentinus super-
uenit interitus: & secundū hæc erit quando filius
reuelabitur. Cōuenienter ergo, dum iudex ventu-
rus iam cū iudiciaria potestate resurrexit, noctis tē-
pus elegit, vt sicut in cæteris tam factis, quàm di-
ctis exterioribus alia quædam significare cōsueuit,
Iudic. 16. sic & in hoc tempus significaret secundi aduentus
sui, quòd præuideri non poterit. Itaq; quemadmo-
dum Samson, quod interpretatur sol eorum, obses-
sus ab inimicis nocte surrexit, portas tulit, & in ver-
ticem montis ascendit, sic verus sol noster Christus B
obsessus custodibus & armis, media nocte de som-
no mortis resurgens portasque inferni, id est, omne
ius mortis auferens, & ad dextram maiestatis in ex-
celsis ascendens, ipso tēpore innuit, quòd semper
Luc. 12. debeamus esse parati: quia sicut tunc nocte cunctis
quiescentibus surrexit, ita qua hora non putamus,
se venturum esse prædixit.

Quid significet, quòd cum terræmotu resurrexit. Cap. 17.

Matth. 24. TErræmotus quoq; magnus, qui factus est, ciul- C
Luc. 21. dem secundi aduentus significationi cooperatur. Erit enim confusio maris & fluctuum, & nō so-
lum terra, sed etiam virtutes cœlorū mouebuntur,
& tunc videbimus filium hominis venientē in nu-
bibus cæli cum potestate magna & maiestate. Passu
rus quippe venit occultus, tunc autem iudicaturus
manifestus veniet Deus noster, & tunc silebit, ignis
in conspectu eius tēpestas valida. Et quia tunc are-
scentibus reprobis præ timore, iusti leuabunt capi-
ta sua, id est, exhilarabunt corda, & pulchrè hic
Luc. 21. vnius eiusdemque angeli habitu vtrumq; præfigu- D
Matth. 28. ratur, cuius erat aspectus sicut fulgur, vestimenta
Psal. 49. autem sicut nix. Nam impij custodes præ fulgore
Luc. 21. aspectus eius exterriti, facti sunt velut mortui: mu-
lieres autem, quæ religiose dominum quærebāt, ni-
ueis eius vestimētis & dulci alloquio consolatę sunt
Matt. 28. dicentis: Nolite timere vos, &c. Hinc est, quòd hac
die cantamus: Terra tremuit, & quieuit, dum resur-
Psal. 63. geret in iudicio Deus. Dictum est enim hoc de die
illa, quando auditum faciet iudicium dicens his,
Matt. 25. qui à dextris eius erunt: Venite benedicti patris
mei, percipite regnum: his autem qui a sinistris:
Ite maledicti in ignem æternum. Tunc enim exur- E
Iob. 22. gente Deo in iudicium, qui nunc videtur sopitus
esse, vel non curare ea quæ sub sole fiunt, terra tre-
met & quiescet, id est, impij qui terreni sunt, time-
Luc. 21. bunt, & quiescent, quia nocere desinent. Igitur
dies hæc, cuius in nocte dominus noster cum terræ-
motu resurrexit, diem illum æternitatis, diem signi
ficat futuræ resurrectionis, cuius diluculo idem do-
minus noster improuisus, vt dictum est, cœlis ar-
dentibus, cœlorumq; virtutibus trementibus ap-
parebit.

Quòd Matthæus non dissentiat à ceteris Euangelistis in eo quòd dicit, mulieres vespere sabbati, & quòd vere vespere ventre cœperint, & diluculo peruenerint, & cur ita egerint. Cap. 18.

SEd & illud mysticè nobis aliquid innuit, quòd A
deuotæ Christo fœminæ, quæ illum & viuum
dilexerant, & mortuum desiderabant per noctem
ambulantes, iuuante luna, venerunt ad monumen-
tū. Per noctem enim ambulauerunt, quæ diluculo
ad monumentum fuerunt. Alioquin nisi per noctē B
venissent, quomodo ad sepulchrum tam mane ad-
fuissent? Verbi gratia: Maria Magdalena cuius do-
mus erat Bethaniæ, qui vicus quindecim stadiis di Ioan. 20.
stat ab Hierosolymis, quomodo prima ante alias
vna sabbati iuxta Ioannem, valde diluculo venisset,
dum adhuc tenebrę essent ad monumētum? Sepul-
tō quippe Domino mulieres, quæ illum secutæ fue
rant, Hierosolymis non remanserant. Sed cū aspe-
xissent vbi poneretur, reuertentes, inquit Lucas, pa- Luc. 23.
rauerunt aromata. Quando autem parauerunt vel Mar. 16.
emerunt, manifestius Marcus indicat. Et cùm tran- Luc. 23.
sisset, inquit, sabbatum, Maria Magdalena & Maria C
Iacobi & Salomone emerūt aromata, vt venientes
vngerent Iesum. Siquidem sabbato, vt ait Lucas,
quieuerunt ꝓpter mandatū, subauditur legis: quia Exo. 20.
lex sabbato vetat operari. Constat itaque quia in la-
chrymis peruigiles amore, nimiumque longa re-
tardantis sabbati mora fatigatæ, quo nec operati
nec plus mille passibus ambulare licitum erat Iu-
dæis: mox vt onerosum illud sabbatum abiit, recess- Psal. 131.
it, transiuit, non quieuerunt nec dederunt oculis
suis somnum, non luciferum ad proficiscendum
prestolatæ sunt. Nocte pro die, desiderium pro duce, lunam rapuere pro sole. Luna quippe nocti non
defuit, quia tunc septima decima extitit. Septima
decima verò luna, clauso vespere paulò post, id est,
fere post horam dimidiā exurgit, toti deinceps lu-
men suum ministratura nocti. Falso igitur quidam
Euangelistas calumniati sunt, quòd contraria dixis-
sēt in eo, ꝙ Matthęus vespere sabbati, cæteri prima
sabbati diluculo mulieres venisse dixerunt ad mo-
numentum. Matthæus enim, vt earū commenda-
ret desiderium, quando venire cœperunt: cæteri di-
xerunt quando peruenerunt. Quid igitur illud my-
sticè nobis innuit, quòd mulieres illæ sic venerunt,
nisi quòd animæ fideles paratæ, id est, mēte vigiles 1. Thess. 5.
diligentes & dominū quærentes, inuenire festinan- Psal. 15.
ter satagunt, ad illum filij hominis aduentum, qui,
vt suprà dictum est, sicut fur in nocte veniet, nō so- Ioan. 19.
lum cum terræ motu, sed & trementibus cœlorum
virtutibus, vt consolationem inueniant, dum im-
pij non iā velut, sed verè fient mortui? Et ideo nūc
parant & secum portant aromata, id est, collecta de
scripturarum areolis cum virtutum odoribus, do- Luc. 23.
minicæ resurrectionis testimonia, scilicet, quòd ve-
rè anima eius non sit derelicta in inferno, & caro
eius non videret corruptionem. Et sicut illis non sa-
tis fuit: quòd Ioseph iustus, & Nicodemus condie-
rant illum cum linteis & aromatibus ipsis præsen-

tibus

Universidad de Deusto
Biblioteca

tribus & adſpicientibus, niſi & ipſe aliquid de ſuo tantę pietatis operi addidiſſent ſic ſanctis & fidelibus ſemper mẽtibus optabile eſt, ad ea quæ Apoſtoli, vel Apoſtolici viri ſcripſerunt, de fide reſurrectionis aliquid propriſ ſuperadiicere laboris, faciuntq; hoc penè cuncti dictis aut factis, pauci etiã ſcriptis, Idcirco quemadmodum illis viuum ſe præbuit, & vt agnoſceretur, Mariã ſuo nomine vocauit, quod magnum eſt iudicium ſuæ dilectionis. Vnde Moyſen, nouì te ex nomine, inquit, ſic omnibus tunc propè aderit quærentibus nunc eum in veritate, & nomina ipſorum oſtendet illis ſcripta in libro vitæ.

Ioan. 20.
Exod. 33.
Pſal. 144.
Apoc 3.

Quanto rectius nunc ſancta ſit prima ſabbati, qua mundi redemptor reſurrexit à mortuis, quam olim ſabbatum, quo idem mundi creator ab opere ſuo ceſſauit. Cap. 19.

QVanto præponderet primæ ſabbati ſanctificatio, quæ nobis eſt data, ſanctificationi illi, qua Iudæis ſabbatum dedicatum eſt, ex comparatione cauſarum, vel temporum vtriuſq; ſanctificationis aduertere licet. Diuerſis. n. ex cauſis longeq; imparibus, & ſabbatũ creator noſter benedixit, & primã ſabbati idem ipſe Saluator noſter dedicauit. Cauſa nãque benedictionis ſabbato fuit hæc, quòd Deus in illo ceſſauit ab omni opere quod patrauit, cauſa verò primæ ſabbati, quòd Deus homo factus, in illa reſurrexit à mortuis. Quis hæc longius à ſe differre non videat? Si enim Dei requies, cauſa ſanctificationis diei eſt, conſequenter vbi maior & verior eius requies, illic ſanctificatio copioſior eſt. Itemq; vbi maiorẽ in operante laborem attendimus, maiorem nihilominus in ceſſante requiem agnoſcimus. Conſtat verò, quia Deus dum conderet mundum fatigatus non eſt, vtpote qui omnia per verbũ ſuũ operatus eſt, & vniuerſa cõponens deſingulis dixit fiat, & factum eſt. At ipſe idem, cùm, vt mundum redimeret, homo factus, vnus idemque Chriſtus Deus & homo, paſſus & crucifixus & ſepult⁹ eſt, ꝓculdubiò fatigatione non parua fatigatus eſt. Qua ergo die reſurrexit, veram vtiq; requiem, gloria & honore coronatus, introiuit, longè excellentius requieuit, quàm cũ a mundi creatione ceſſauit. Deus enim nõ in mundanæ creaturæ mole viſibili, ſed in intellectualibus cœlis, id eſt, in ſanctis animabus requieſcit. Nũc enim gaudet ſponſus ſuper ſponſam, quam ſuo ſanguine acquiſiuit, & gaudet ſuper nos Deus noſter, & delectant eum filiæ regum, imo quia vna eſt Eccleſia, illa delectat eum regina, quæ aſtitit à dextris eius, quam & in præſenti præparat & vocat amicam, & in futuro torrente voluptatis ſuæ potabit eam. Nulli itaque dubium, quin prima ſabbati tanto ubertius ſanctificata ſit, quanto vertius ſuam in requiẽ, quæ ſanctificationis cauſa eſt, Deus & homo Chriſtus reſurgẽs introiuit. Relinquamus igitur Iudæis poſtremi ſabbati ſui vetus gaudium, quod eũ illis de creatione mundi viſibilis, cuius ſolius ſemper fructũ tranſitorio delectati ſunt, cuius ſolius proſperitatibus ſemper lætari appetiuerunt, pro cuius ſolius acquiſitione creatorem eius ſeruiliter timentes colere viſi ſunt. In tantum enim terrenis ſemper inhæſerunt, vt quęcumque de cæleſtibus illis promiſſa ſunt, terrenarũ, quas amant, ſemper velari oportuerit nominibus rerum, vt eſt illud Audi Iſrael præcepta Domini, & ea in corde tuo quaſi in libro ſcribe, & dabo tibi terram fluentem lac & mel. Nam & ipſum Deum & dominum, per quẽ mũdus factus eſt, in propria venientẽ, idcirco ipſi, qui ſui erant, non receperunt, nec intelligere voluerunt, eum eſſe regem Iudæorum, quia contra carnalis ſenſus eorum opinionem beatitudinẽ pauperibus, & væ prædicabat diuitibus, cùm ipſi exiſtimarent, ꝙ nunc quoque ſomniãt regnante Chriſto, auream, gemmatam Hieruſalem in terris, ſtratasque auro mundo plateas eius ſe habituros. Noſter ſabbatiſmus hac die de ſeptima transfertur ad octauam, quæ & prima eſt, Nam eadem octaua dies, quæ & prima. Idcirco autem iure in octauam transfertur, quia de alio opere, quàm de creatione mundi noſtrum, vt dictũ eſt gaudium ſumitur. Dupla namque operatio Dei, prima eſt creatio mũdi, ſecunda, ſaluatio mundi. Secundum creationem, nihil nouum fit ſub ſole, quia qui viuit in ęternum, creauit omnia ſimul; ſecundum ſaluationem, pater meus, inquit Chriſtus, vſque modo operatur, & ego operor. De creatione mundi ſabbatizant dilectores mundi. Nobis autem de ſaluatione mundi gaudendum eſt, quorum vita & requies in Deo cum Chriſto abſcondita eſt.

Gen. 2.
Heb. 2.
Pſal. 44.
Pſal. 55.
Ecclę. 1. 18.
Ioan. 9.
Coloſſ. 1.

Qua ratione vel auctoritate ab hac die dominicæ reſurrectionis, proceſſio cum benedictione aquæ cunctis per annum agatur dominicis. Cap. 20.

PRoprium hoc habet hæc dies, quã fecit Dominus, idque ab ea ſumpſit omnis prima ſabbati, quòd aqua benedicta populis aſperſis agitur proceſſio ſolennis. Veruntamen hac ipſa prima & principali dominicarum omniũ non benedicitur, neq; die ſancto Pentecoſtes, quia in preteriti ſabbati veſpera ſumpta eſt de ſacro fonte baptiſmi, antequã immergatur aliquis, & antequàm chriſma immiſſum ſit. Non enim ad hoc aſpergimur, vt rebaptizemur, ſed diuini nominis gratiam ſuper nos, cum hoc memoriali baptiſmatis noſtri, frequenter inuocare debemus. Et idcirco ſingulis aſpergimur dominicis, quia in ſacroſancta primæ huius dominicę veſpera baptiſmũ vniuerſaliter ſancta celebrat Eccleſia, pro cauſa ſuperius memorata. Vnde & inter aſpergendum hac die cantamus: Vidi aquam egredientem de templo à latere dextro, alleluia, &c. De propheta Ezechiele ſumptum eſt hoc. Ciuitatẽ illi oſtenderat manus domini facta ſuper eum, ædificata ſuper montem excelſum, & vergentem ad auſtrum, & in illa mirabile conſtituit tẽplum. Illa autem ciuitas Eccleſiam ſignificabat, de qua dominus in Euangelio: Non poteſt, inquit, ciuitas abſcondi ſuper montem poſita. Quid ergo templũ, niſi illud, de quo ipſe idẽ: ſoluite tẽplum hoc, inquit, & poſt triduum excitabo illud, loquens de templo corporis ſuiſ

Ezech. 47.
Apoc. 1.
Matth. 5.
Ioan 21.

ris ſuiſ? Sed & Ioannes in Apocalypſi, cùm de eadẽ ciuitate ſibi oſtenſa loqueretur: Et tẽplũ, inquit, nõ vidi in ea, Dñs. n. Deus omnipotens, templũ illius eſt & agnus. Quã de hoc templo aquã vidit hic egredientẽ, niſi viuificũ ſacri baptiſmatis fontẽ? Cum. n. illud ſoluiſſent Iudæi, ſanguis & aqua, ſicut ſupra dictum eſt, de latere eius exiuit. Et rectè de latere dextro aqua exiuit, de qua dicitur, Et oẽs, ad quos peruenit aqua iſta, ſalui facti ſunt. Nã huius quoq; templi non manufacti latera duo ſunt. Dextrum quippe latus diuinum, læuũ latus humana natura eſt. Signanter ergo dicendum fuit, quo de latere aqua hæc exiuit, quæ ad quoſcumq; peruenit, ſalui facti ſunt: à latere dextro, inquit. Et rectè. Nã de diuina Chriſti natura Spiritus ſanctus aqua inuiſibilis procedit, qui aquę viſibili, quæ de latere læuo, i. de humanitate lanceata profluxit, ſaluandi virtutem tribuit. Hac igitur die Dñicæ reſurrectionis, quæ ſacri quoq; baptiſterij celebratione eſt ſolennis, rectè inter aſpergendũ cãcamus illud in laudẽ fluminis huius, cuius inundatione per morteẽ Chriſti reuixi mus. Cæteris autẽ poſt Pentecoſtẽ Dñicis cantamus: Aſperges me Dñe hyſſopo & mundabor, lauabis me & ſuper niuẽ dealbabor, quod & ipſum de fide baptiſmi propheta prędixit p hyſſopũ, quæ herba eſt humilis, medicinalis, qua tumor pulmonis deponitur, fidem humilitatis vel paſſionis Chriſti ſignificans: per nomen lauacri ſuper niuem dealbantis, baptiſmũ ipſius manifeſtius exprimens. Deinde cum crucibus & vexillis, quæ ſunt inſignia victoriæ Chriſti, oẽs albati, & exultãtes in laude reſurrectionis ſanctæ, procedimus cum tanta populi expectatione, ſexus vtriuſq; maiorum pariter & minorũ, vt corporaliter quoque illud propheticum in nobis impleri videatur, cum iucunditate exibitis, & cum gaudio deducemini, nam & mõtes & colles exilient expectantes vos cum gaudio.

Apoc. 21.
Pſal. 50.
Iſa. 55.

Cur Dominus diſcipulos ad videndum ſe in Galilæam inuitauerit, cùm & Hieroſolymis viſus ſit, & quòd ideo proceſſio fiat ſingulis Dominicis. Cap. 21.

VT autem proceſſio ageretur, ex myſtica Euangelij auctoritate tractum eſt, ſ. ex eo, quòd Angeli mulieribus præcipiunt, dicentes: Ite, dicite diſcipulis eius & Petro, quia præcedet vos in Galilæam, & ipſe Dñs occurrens illis exeuntibus à monumento, cũ tenuiſſent, pedes eius & adoraſſent eum: Ite, inquit, nunciate fratribus meis, vt eant in Galilæam, ibi me videbũt. Primi huius mandati, quod Dñs reſurgens per Angelos ſuos & per ſeipſum ſuis mãdat diſcipulis, vt eant in Galilæam, & ibi me videbunt, inquit, ſi cauſam agnouerimus, proculdubio fatebimur merito fieri, quod mandatum illud hac die, cunctisq; per annum Dñicis memoria celebri, i. proceſſione frequentamus ſolenni. Non enim ſine cauſa, non abſq; diuini pondere conſilij ſeſe in Galilæa videndũ eſſe promittit cùm Hieroſolymis ſeſe illis oſtendere potuerit, immo & quinquies ipſa die, qua reſurrexit, ibidẽ viſus ſit. Quod ſi non aliud ꝙ latus, manus & pedes palpandos, & contrectandos illis in Galilæa oſtendere diſponit, hoc fruſtra vel ſine põdere rationis (quod omnino incongruum diuinæ eſt maieſtati) videbitur agi. Hoc. n. tam ſecundũ Ioannẽ, ꝙ ſecundũ Lucam, hac eadẽ die Hieroſolymis fecit, cùm reuerſis Hieroſolymã duobus diſcipulis, quibus oſtẽſus fuerat, cuntibus Emaus, & referentibus quæ viderant illis ſecũ mirantibus, ſtetit Ieſus in medio eorum, & dixit eis, Pax vobis: Et cùm hoc dixiſſet, oſtendit eis manus & latus. Quid ergò amplius in Galilæam euocatis oſtenderit, quærendũ eſt. Hoc nimirũ, quod inimicũ erat Hieroſolymis terrenæ ciuitati, vnde illos euocauit & tẽplo ſacerdotioq; veteri, propoſitũ ſuũ, imò totius Trinitatis conſiliũ illis aperuit. Data eſt, inquit, mihi omnis poteſtas in cælo & in terra: Euntes docete omnes gẽtes, baptizantes eas in nomine Patris & Filij & Spiritus ſancti: Ecce hæc eſt illa magna trãſmigratio, quam Galilęa quoq; ſuo cõmendat nomine. Magna, inquam, tranſmigratio Chriſti diſcipulis imperata, trãſmigrare de Iudæis ad docendas & baptizandas omnes gẽtes, cùm ante dixiſſet: In viã gentium ne abieritis, & de vetuſtate circũciſionis ad nouam gratiã baptiſmi, cuius nunc regulam præſcripſit, quam hactenus nuſquam tradiderat illis. Magna ſanè cauſa & digna, quã Dñs non ſolùm verbis ediceret, ſed & facto præſenti præfiguraret. Nã qũo ante paſſionem ſuã pleriſq; dictis aut factis ſuis ſimilitudines adhibere conſueuit, verbi gratia, quomodo ſuperius octaua ab hinc die veniens ad paſſionem, vt genus humanum redimeret, eandẽ generis humani redemptionem, per aſinæ & pulli eius ſignificauit ſolutionẽ. Sic tunc Apoſtolis ſuis dicens, Euntes docete omnes Gentes, baptizãtes eas in nomine Patris & Filij & Spiritus ſancti, eandẽ gratiæ ſuæ tranſmigrationẽ ſignificare voluit per Galilæam, quæ Latinè vertitur in tranſmigrationẽ. Totũ hoc ad nos, i. ad Eccleſiam de Gentibus reſpicit, ad quã ſalus ex Iudæis hoc præcepto tranſmigrauit. Rectè igitur & meritò in primi huius mandati commemorationẽ, ꝙ ſtatim vt viſus eſt Dñs noſter poſt reſurrectionẽ. Nunciate, inquit, fratribus meis, vt eant in Galilæã, ibi me videbũt, nos proceſſionem agimus ſolẽnẽ, noſq; & loca noſtra aſpergimus aqua benedicta in honorẽ huius diei, quo iuſſi ſumus baptizari in noĩe Patris & Filij & Spiritus ſancti.

Mar. 16.
Ioan. 20.
Matt. 21.
Matt. 28.
Ioan. 20.

Quo die diſcipuli in Galilæa videntes Dominum adorauerunt, ſecundum Matthæum. Cap. 22.

ILlud quidẽ nemo qui dubitet, ꝙ hac die, qua reſurrexit Dñs, i. prima die ſabbati, diſcipulos im Galilęã inuitauerit: ſed illud per ſe non ſatis

Matt. 28.

Universidad de Deusto
Biblioteca

satis liquet, qua die illuc abeuntes iuxta Mathæū, illum videntes adorauerint. Verùm Hieronymus item prima sabbati, id est, octaua die, factum hoc esse astruit, & hanc eandem esse apparitionē, de qua Iohannes ait: Et post dies octo iterum erant discipuli intus, & Thomas cum eis. Ait enim idem Hieronymus super Matthæum: Post resurrectionē Dominus in Galilææ monte conspicitur, ibiq; adoratur, quod licet quidam dubitent. Tunc manifestius ostenditur Thomæ, & latus lancea vulneratum, clauisq; fixas manus demonstrat, vt verè, licet nonnulli numerando vices, quibus Dominus post resurrectionem visus esse describitur aliter sentire videantur: nos tamen prædicto doctori hunc sensum non improbandum esse arbitramur. Et ipsa ratio admittit, quòd discipuli eadem die, qua Dominus resurrexit, toties in Galilæam ire iussi, nō vltra dies octo distulerint, præsertim cum eadem die, serò illum videntes, quando Thomas non erat cum eis, spem festinantissimam iterum videndi eum, ardentiusque desiderium concipere potuerint. Nihil enim est, in quo Hieronymo auctoritas Euangelica refragetur. Nam quod ait Ioannes, post dies octo iterum erant discipuli intus, nō nos coartat in eodem loco intus eos fuisse fateamur. Intus erant, sed in monte, id est in ciuitate Nazareth, quę in monte Galilæę sita est. Sic enim habemus in Luca: Qui cùm dixisset, quia Dominus postquàm ieiunauit XL. diebus, & XL. noctibus, reuersus in virtute Spiritus in Galilæam, & iam magnificatus in Capharnaum, venit Nazareth vbi fuerat nutritus. Et cùm dixissent ei, quanta audiuimus de te facta in Capharnaū, fac & hic in patria tua, ipseque respondisset eis, in veritate dico vobis, multæ viduę erant in Israel, & ad nullam illarum missus est Helias, nisi in Sarepta Sydoniæ ad mulierem viduam, cùm, inquam, hęc dixisset Euangelista, statim secutus, repleti, inquit, ira surrexerunt, & eiecerūt eum extra ciuitatem, & duxerunt illum vsque ad supercilium montis supra quem ciuitas illorū erat ædificata, vt præcipitarent eum. Non ergo alium in monte, quàm in Nazareth, quæ super mōtem sita erat, Dominum præcessisse, & discipulos suos euocasse, putandum est. Itaq; nulla, vt dictū est, auctoritas Euangelico Hieronymo refragatur. Intus enim erant post dies octo, sed non in eadem domo, nec in eadē ciuitate. Et pulchrè, vbi persecutionem primam pertulit, primoq; defectionem Iudæorum & transitum ad gentes præfigurauit, sicut post suprà dicta scriptum est: Iesus autem transiēs per medium illorū ibat, ibidē post omnes persecutiones Iudęos deseruit, ritumq; eorum mutauit, circumcisione abolita, gentes omnes præcipiens baptizari in nomine Patris & Filij & Spiritus sancti.

Ioan. 20.

Luc. 4.

3. Reg. 17.

Luc. 4.

Quod de redemptore nostro propheticè dictū sit: Neptalim ceruus emissus dans eloquia pulchritudinis. Cap. 23.

SImulque & hoc notandum, quòd, vbi ante passionem maximè prædicauit in finibus Zabulon & Neptalim, sicut habemus in Euangelio, trans Iordanem Galilææ, & illic post resurrectionem eandem consummauit doctrinam, dando baptizandi & docendi præceptum, vt sicut ab eodem, Euangelista testimonium subiunctum est de propheta: Populus gentium, qui ambulabat in tenebris, lucem videret magnam, complens illam quoque prophetiam, qua dictum est: Neptalim ceruus emissarius dans eloquia pulchritudinis. Emissus. n. per diuinam potentiam à canum insecutione, de quibus ipse dicit per os Dauid: Circūdederunt me canes multi, emissus, inquam in plenam securitatē, velocissimo saltu resurrectionis recurrit in fines Zabulon & Neptalim, vbi ante docere cœperat, factus & ipse Neptalim, id est, dilatatus, videlicet expeditione charitatis, & hæc dedit, q̄ prædicta sunt, eloquia pulchritudinis de nobis gentibus baptizandis, quæ sic finiuit: Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus vsque ad consummationem seculi.

Esai. 19.

Gen. 49.

Psal. 21.

Matt. vlt.

Item de processione, secundum quod variatur in diuersis Monachorū & Canonicorum ordinibus Cap. 24.

PRedicta processio sic agitur, vt sacerdotem præcedentem, & officinas visitantem, semper in eo loco, quo suprema statione consistimus, ante nos cum cruce inueniamus. Quod & ipsum ex eadem Euangelij pendet auctoritate. Nam Dominus noster, cuius personā sacerdos in suo gerit officio (sicut alio loco iam dictum est) & antequàm pateretur, & postquam resurrexit, hac die discipulos suos in Galilæam præcessurum se dixit. Nam qua nocte tradebatur: postquàm autem, inquit, rexurrexero, præcedā vos in Galilæam, & cùm resurrexisset, sicut hac die legimus, ite, inquit angelus, dicite discipulis eius & Petro, quia præcedet vos in Galilæā. Huic significationi pulchrè & ipsa, quam ibidem, id est, in suprema statione, sacerdos dicit, oratio cōcinit, directa ad personā filij: Domine Iesu Christe, qui introitum portarum Hierusalē valuas sanctificasti, &c. Nam ad filij personā ditigitur, & sub nomine Hierusalem Ecclesiæ mentio fit, quæ de baptizatis omnibus gētibus construitur, & sub nōmine portarum eius, nomen Patris & Fliij & Spiritus sancti, in quo baptizantur, significatur secundum Apocalypsim, vbi in significationem eiusdem diuini nominis, parent ciuitatis, quæ significat Ecclesiam, ab oriente portæ tres, & ab occidente portę tres, & ab aquilone portæ tres, & à meridie portæ tres, quia quacumque ætate veniāt ad fidem Christi, seu in pueritia, seu in adolescentia, seu in iuuentute, seu in senectute (vt ait Prudentius) occurrit quadrina ad compita nomen. Sicq; fit, vt tota hæc processio nihil aliud, quàm gratiarum actio sit, cò quòd resurgens Dominus statim memor nostri, qui eramus absque Deo, discipulos suos in Galilæam ad hoc consilium euocauit, vt baptizaremur in nomine Patris & Filij & Spiritus sancti. Vnde locum quoq;, quo suprema statione processionē terminamus, nos Galilæam nominamus, & præcuntem sacerdotem semper in huiusmodi, id est, dominicali processione maiores quiq̄e post prælatum nostrum, vt caput digniora mēbra sequuntur,

Apoca. 21.

Ephe. 2.

Et illud

Et illud quoque maiorum exēplis edocti, quia rei iam dictæ congruit, obseruamus, vt in hac processione nulla vnquā Dñica quicquā quod sit veteris historiæ, cātemus: sed semper qđ de nouo testamēto sit, gloriāq; personet Euāgelij.

Sed de hoc principali die Paschæ sermo nūc est, à quo omnis prima sabbati insignita, & Dñica dies dicta est, quo Dñs noster patres nostros Apostolos ad audiendū, vt dictū est, gratię consiliū in Galilæam euocare dignatus est. Huius diei statio, quo processio terminanda est, in medio templi splendidè ordinata, rē ipsam, de qua dictū est, pulchrè cōmendat, dū sacer Ecclesiæ chorus totus festiuus, sexus vtriusq; populo circūstante, totis viribus in vocem exultationis & salutis feliciter erumpit, cantando antiphonā: Sedit Angelus ad sepulchrū Dñi. Hæc. n. antiphona rē ipsam patenter exprimit, quā perdocere oēs Gētes iussi sunt Apostoli, s. quòd Deus homo factus, mortē nostrā moriendo deuicit, & vitam nobis resurgēdo reparauit. Cui rei vale de & ipsa, quæ dictis infita est, cōgruit melodia, dum cantus is *tetrardi gartulitate cōcinnus, agili recursu festiua dicta suspendēs, frequenter tripudiat, & læta pronuncians, velut alauda matutina per vocum suarū sæpe volitat acumina. Hæc igitur statio nobis illud festiuo cōcentu commemorat, q̄ in Galilæa iussi à creatore suo cęli enarrauerunt gloriam Dei, gloriā resurrectionis Christi, sicut legimus, quia virtute magna reddebant Apostoli testimoniū resurrectionis Iesu Christi Dñi nostri. Quod ideo totis viribus est concinendum, & toto corde, totoq; ore in auditu populorum circūstantium efferēdum, quia in omnem terram exiuit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum.

*tetradi

Mar. 16.

Psal. 18.

Act. 4.

Quòd nos recte beatam Mariam in principio nostræ lætitiæ proponimus in hac processione, omni Dominica ad eius memoriam prima statione diuertentes, & quòd credendum non sit, quòd Dominum resurgentem ipsa non viderit, & quòd inter testes mater scribi non debuerit. Cap. 25.

REctè & laudabiliter à nostri, i. monachi ordinis maioribus traditū est, quod hactenus pro lege fixum atq; inconuulsum conseruatur, vt in huiusmodi processionibus, cunctis per annū Dñicis beatæ Dei genitricis memoriā prima statione visitemus, decantando quodlibet, quod eius proprium sit, eaq; salutata & oratione dicta tunc demū processionē ordine supradicto peragamus. Sicq; feruente sacræ religionis studio prouisum est, vt infra clausturū habeatur eiusdem beatæ Virginis diuersorium, s. sacratū in ipsius honore, maximè propter hoc ipsum propriū nominis eius oratoriū. Quid Euāgelicæ fidei cōuenientius Christiana sedulitas cōminisci potuit? Quid pulchrius, quid venerabilius, quā congratulari matri virgini super resurrectione vnigeniti, iā nō morituri, in cuius passione gladius animā eius pertransiuit? perpendere gestit Christiana deuotio quantus torrens gaudij repente inundans, locumq; vulneris replens, animā eius ferro doloris cōfossam, inebriauit, cū rediuiuus filius, illi ante oēs fortasse mortales, matetno virginē nō defraudās honore victoriā suā annunciauit, & dulcia carnis suæ vulnera, quā illa verā de carne sua carnem conceptā peperit, deosculanda præbuit. Quid ergo? repugnare videbitur Euāgelio, referenti q̄ surgens Iesus primo Marię Magdalenæ apparuit? Absit. Sed omnibus B. Virginem matrem excipimus, testibus præordinatis, quos solos nominare ad Euāgelistas pertinuit, vel quos Christi resurrectionem annunciare decuit. Nūquid illā nunciare decebat, vt verba eius tāquam deliramenta viderentur ante Apostolos? Si enim extranearum verba fœminarū visa sunt eis tanquam deliramenta, quomodo non magis matrem amore filij delirare crederent? Verissimè ergo matri filius resurgens apparuit, sed illa vt ab initio cœperat, ita & nunc conseruabat omnia verba hæc, conferens in corde suo. Quod si iccirco verum non videtur, quia nullus Euangelistarum scriptis hoc attestatur, consequens est, quòd nunquā post resurrectionem suam visus sit matri, quia quando, vel vbi apparuerit illi, nullus eorum nominatim edixit. Sed absit hoc ab illo, qui in lege sua patrem & matrem honorare præcepit: absit, inquam, vt matrem propter se doloris gladio trāsuerberatam, tam dura negligētia talis filius inhonorauerit. Non sic Apostolica sanctæ Romanæ Ecclesiæ sensit veritas, quę hanc beatā Hierusalem in principio lætitiæ suæ proposuit. Nam cùm hac prima die paschæ statione ad hanc, de qua loquimur, sanctā Mariam Missæ officio præscripsit, quid aliud, quàm Hierusalem in principio lætitiæ suæ proposuit. Si enim omnis anima timens Dominum sic benedicitur, vt videat bona Hierusalem, & videat filios filiorū suorum, pacem super Israel. Et ideo dicitur, & est ipsa quoq; Hierusalem, quod est visio pacis: quanto magis ista ter quaterq; beata virgo dicenda est Hierusalem, quæ benedicta inter omnes mulieres, vidit filium suum pacē super omnem verū Israel, s. Christum, de quo Apostolus ait: Ipse est enim pax nostra, qui fecit vtraque vnum. Ipsa prę omnibus ipsa ante omnes vidit hanc nostram pacem, ipsa est Hierusaiem, pulchra, electa suauis & formosa, quam viderūt filiæ Sion, & beatam dixerunt, & reginæ laudauerunt. Dū ergo hanc hodierna statione sancta Romana Ecclesia in principio lętitiæ suæ, vt dictum est, proposuit, non hoc æstimauit, quòd pacem super Israel venientē, i. filium suū propter iustificationem nostrā resurgentē, ipsa non viderit. Sed vt ad propriā, de qua supra dictū est, hodiernę & omniū Dñicalium processionum causam

Luc. 2.

Luc. 24.

Exo. 20. Matth. 15.

Psal. 127.

Luc. 1.

Ephes. 2.

Cant. 6.

Rom. 4.

sermo

Universidad de Deusto
Biblioteca

sermo recurrat: nunquid vel tunc quãdo vndecim discipuli abierunt in Galilæã, in montem, sicut constituit illis Dñs Iesus hanc beatam, de qua loquimur, Mariã præterierunt, & absque illa videntes eum adorauerunt? Imò non aliàs quàm in domũ illius, non alium in montẽ abierunt, vt viderent eum, quàm in illũm super quẽ ciuitas eius Nazareth sita erat, sicut iã dictum est. Igitur pulchrè & laudabiliter, vt supra diximus, traditum est à nostris maioribus, vt in hodierna, cunctisq; per annũ Dominicalibus processionibus, beatæ Dei genitricis memoriã prima statione visitemus, eandem ob causam, qua hodiernę Missę officio statio ad sanctã Mariã præscribitur, vt eam, sicut iã dictum est, iu principio lętitiæ nostrę proponamus, illud de canticis recolentes nouum nouę Ecclesię sponsum, mox vt resurrexit, dixisse non vanè arbitrantes: Vadã ad montem myrrhę, & ad collem thuris. Qua enim sui corporis parte altius, post ipsum caput suum Christum Ecclesię sublimitas eminuit, quam singularibus huius reginę Angelorum meritis, cuius ex carne sine viro Christus, vt lapis de monte sine manibus, est editus? Et quo in vertice montiũ tantùm myrrhæ, i. mortificationis, cũ thuris, i. piæ orationis odoribus inueniri potuit, quantum in huius B. Virginis anima, quam singulariter Dominicę passionis gladius pertransierat. ad hunc ergo montem myrrhę vadimus & nos, sępè dicta statione ad sanctam Mariam diuertentes, & ipsa quoq; eloquia pulchritudinis, quibus illic de baptizandis omnibus gentibus mandauit, exultantes mysticè depromimus hac die cantando: Tota pulchra es. Nota namq; omnium penè sententia doctorum est, nouam his verbis Ecclesiam inuitari, vt surgat & properet Apostolica, quę tunc numero parua erat, Ecclesia de Libano venire, i. candidatione baptismi Gẽtes ad Christum adducere, Maria matre fidei nostrę adiuuante, id est, omnia verba hæc, quę hactenus conseruabat in corde suo, iam aperiente.

FINIS LIBRI SEPTIMI.

Matt. 28.

Can. 4.

Dan. 2.

Gen. 49.

Luc. 2. Cant. 4.

RVPERTI ABBATIS TVITIENSIS DE DIVINIS OFFICIIS, LIBER OCTAVVS.

De Missa eiusdem diei. Cap. 1.

OTum dici præsentis officium cunctis partibus suis in illum ęternitatis diem intendit, cuius nobis aditum Deus per vnigenitum suum, deuicta morte reseruit, vbi epulabuntur & exultabunt iusti in cõspectu Dei, qui nunc epulantur (vt cantamus ac legimus) in azymis synceritatis & veritatis, bibentq; vinum bonum, quod ex aqua factum est in cęlestibus nuptiis, id est, in gloria delectabuntur immortalitatis & impassibilitatis, à corruptione mortalitatis penitus immutati. Et rectè: Vt quia Pascha trãsitus est, illo paschale præsentis diei canticum intendat, vbi trãseuntibus patria cõstituta est. Tunc illa sancta ciuitas Hierusalem splẽdebit nouitate ęterna, nouumq; cantabit canticũ, nouа ipsa nõ habens maculã aut rugam. Cuius cãticі æterni doctor ac pręcentor erit nouus eius sponsus, qui primus resurrexit, cui cum diceret pater, sicut habemus in Psalmo: Exurge gloria mea, exurge psalterium & cithara, respondit, exurgam diluculò. Rectè ergo in introitu hodierni officij primã vocem emittit, qui primus resurrexit, dicitq;, Resurrexi & adhuc tecum sum. Ad huius cantici nouitatẽ nos inuitans & instruens, Paulus in sequenti lectione Epistolę: Expurgate, inquit, vetus fermentum, vt sitis noua cõspersio, &c. Aperta similitudine baptizatos edocet, dum nouã, i. absq; fermento, conspersionẽ nos esse hortatur, cò q; ex multis hominibus vnum Ecclesiæ corpus, tãquàm ex multis granis vnus panis efficiatur. Quale autẽ sit illud, quo panis iste fermentetur, & paschali mensa fiat indignus, ex his, quę supra Corinthiis dixerat, patenter agnoscimus. Dixerat enim, omnino auditur inter vos fornicatio, & talis fornicatio, qualis nec inter Gentes, ita vt vxorẽ patris sui, quis habeat. Et paulò post, Non bona, inquit gloriatio vestra. An nescitis, quia modicum fermentum totã massam corrumpit? Expurgate vetus fermẽtum, &c. Hoc igitur Ecclesiasticі compositor officij, per hanc lectionem Ecclesię Christi intimare voluit, vt illã, quã accepit in baptismo, seruet immaculatã nuptialẽ tunicã, vtpote quã exhibere sibi cupit Christus spõsam gloriosam, nõ habentẽ maculã aut rugã. Fornicatio. n. propter quã eadem lectio scripta est, vt supra dictũ est, vel aliud quodlibet dãnabile vitiũ vetus fermẽtum est, vetusti hominis morbus est, veteris vitę macula est. Itaq; cũ hęc dies nouitatem uitę prędicet, & ęternam iuuentutẽ annunciet, miranda plane & laudanda Romanæ Ecclesię diligẽtia in eo quoq; q̃ in officio prędicti legendũ esse Euangeliũ secũdum Marcum instituit. Ille nãq; prẽter hoc, quod in quatuor animaliũ admirabili figura leoni assimilatur, prẽter quod eius Euangelium rectè legi videretur, ut leo rugitum leonis resurgentis Euangelizaret, de quo prędictum fuerat: Catulus leonis Iuda, ad prędam fili mi ascendisti, requiescens accubuisti, vel leo & quasi leęna. quis suscitabit eum? prẽter hoc, inquam, officiũ diei præsentis Euangelium eius maximè pro eo cõgruit, q̃ sanctæ resurrectionis nunciũ, quẽ cæteri simpliciter appellant angelũ, hic altiori mysterio iuuenẽ appellat: Viderũt, inquit, iuuenẽ sedentem in dextris, coopertum stola candida. Hæc. n. duo, quæ posui, iuuenem & coopertum stola candida, duo itidem quæ ab Apostolo in laudẽ & *gloriosæ Ecclesiæ dicta sunt, prędicãt, s. non habentẽ maculam, non habentem rugã. Nam quia gloriosa Ecclesia, pro qua Christus mortuus est, & propter cuius iustificationẽ resurrexit, in illa gloriosa resurrectione, cui se præparans, nunc vetus fermentũ expurgat, vt dictum est, rugã vetusti hominis, quẽ exuit, nõ habebit, rectè sanctus Euangelista resurrectionis eiusdẽ præconẽ angelũ, iuuenẽ appellat: & quia maculã nõ habebit, quam sponsus suus in sanguine suo lauit à peccatis suis, pulchrè coopertum stola cãdida, vt vere erat, diligenter expressit. Diligẽtissima ergo institutione, hac die secũdum Marcũ legitur resurrectionis Christi Euangeliũ, quo baptizatis nostris, quibus renouata est vt aquilæ iuuentus sua, iuuenis sedens in dextris Dñici sepulchri, & coopertus stola cãdida, ipso suo habitu, quid acceperint, aut quid sperare debeãt, prædicat, cunctis cõsonantibus partibus officij, & hoc maximè cõclamantibus cõcorditer, vt expurgato veteri fermẽto, in azymis synceritatis & veritatis epulãtes, primã baptismi resurrectionẽ ita seruemus, quatenus secundæ resurrectionis æternæ iuuẽtuti præparemur. Tunc (sicut in offerenda cãtamus) resurgẽte Deo in iudicio, qui nũc sopitus esse, & humana curare nõ putatur, terra tremet & quiescet, i. impij terrebuntur, & traditi gehẽnæ nocere desinẽt: & erit in pace locus Dñi, s. Ecclesia, & in Sion iuuene, iamq; candida, sicut angeli supradicti habitus prædicat, confractæ erunt omnes aduersariæ potentiæ, arcus, scutum, gladiusque & bella vitiorũ. Graduale, quod est cantus laborantiũ in hac peregrinatione, iã dictũ est ad hos dies resurrectionis vsq; in Pentecostẽ non pertinere, sed propter baptizatos per hãc hebdomadam in officiis additum esse, ita tamen, vt sicut his, propter quos additũ est, militiæ laborem, quẽ arripuerunt, præsens subleuet gaudium, de recenti remissione peccatorũ: sic consuetudinalem gradualiũ neumarũ serenent verba diem, quam fecit Dñs, quotidie personantia, & exultandum atque lætandum esse in ea, tam ex ipso, q̃ ex versibus eius accipimus. qui ex eodem psalmo sumpti per hebdomadam dispertiuntur.

Pſal. 67.

1. Cor. 5.

Ioan. 2.

Apoc. 2.

Ephe. 5.

Pſa. 56. 107

Pſal 138.

1. Cor. 5.

Ephe. 5.

Gen. 49.

Marc. 16.

* honorem

Ephe. 5.

Rom. 4.

Apoc. 2.

Pſal. 102.

1. Cor. 5.

Pſal. 75.

Eſa. 17.

De ordine inusitato vespertinæ laudis, cuius causa est per hanc hebdomadam solennitas sancti baptisterij. Cap. 2.

CVm omnes horę regulares supradictæ nouitatis & lætitię proferant insignia, tũc vero splendidius vespertina synaxis huius festiuitatis claritate, secundum ordinẽ Romanum est illustrata. Nam quia vespera sabbati paschalis baptismа celebratum est, cadẽ hora per totam hebdomadam festiuam regenerationis iucunditatem hoc modo retinet. Primum, quia in ipso baptismi ordine inceptũ est Kyrie eleison, & litania trina decantata est ob honorem & reuerentiam adorandi nominis, Patris & Filij & Spiritus sancti, quo in nomine baptismus peragitur: idcirco non, vt fieri solet à versu, Deus in adiutorium meum intende, sed à Kyrie eleison festiuo concẽtu incipiuntur. Sequuntur ob eandem causam tres psalmi sub vno alleluia decantãdi, qui & per totã hebdomadã nõ mutantur, tum quia tota hebdomada hæc pro vna die cõputatur, eò q̃ vniuersalis diẽ resurrectionis aspiciat, tum quia tam hi quàm cęteri, qui processionibus (de quibus dicendum est) reseruantur, insigni titulo, quod est alleluia, notantur, quod rei vel tempori congruere, imò proprium esse nouimus. Verumtamen primus, id est, Dixit Dominus, solus alleluia non habet in titulo, sed ad laudem Christi maximè & secundum diuinitatẽ, & secundũ humanitatẽ, auctoritate Dei patris cõmendante decãtatur, agẽs p totã seriẽ de gloriosa & ineffabili exaltatione eius, qua mortis torrẽte bibito, suũ hodie exaltauit caput. Post tres psalmos ,p capitulo dẽ cãticum: Hæc dies quã fecit Dñs, sicut & per oẽs regulares horas, nihilominus ob magnitudinẽ significãdę lętitię ,p capitulo decãtatur. Deindè alleluia cũ versu suo ,p hymno canitur, q̃a proprius patrię cælestis hymnus Alleluia est. Post canticũ de Euãgelio cum antiphona, dicta oratione, ,pceditur ad fontes cũ psalmo, Laudate pueri Dñm, qui & ipse in titulo alleluia prænotatus pspicuè cõgruit ipsis, q̃ reseruatus est sacris fontibus. Admonitio nãq; diuinę laudis est ad pueros, i. nouos Ecclesiæ filios, q̃ per baptismũ pueri, i. puri facti sũt à vitiis, totusq; hic Psalmus tantũ ad fideles de Gẽtibus dirigitur, quod ex eo facilè perpẽditur, quia dicit: Qui habitare facit sterilẽ in domo matrẽ filiorũ lętantem, i. gentilitatẽ prius sterilẽ, nunc matrẽ filiorum secundum fidẽ facit habitare in domo, id est, in cęlesti Hierusalẽ cõpleta prophetia, qua dictũ est: Lętare sterilis, quę nõ paris. Vnde nũc apud fontes Ecclesia mater iubilans exultat in laudẽ eius gratię, per quã meruit esse (sicut audiuit in cãticis) Fõs hortorũ, puteus aquarũ viuentiũ, q̃ fluunt impetu de Libano, vt sint emissiones eius paradisus malorũ punicorũ cùm pomorũ fructibus cyprus cũ nardo, nardus & crocus, fistula & cinnamomũ, myrrha & aloë, cum vniuersis lignis Libani. Quæ oĩa diuersis qualitatib. suis diuersa merita vel ,pfectus significãt eorũ, q̃ in fonte baptismi similitudini mortis Christi cõplantati sunt, de quibus nõ est modo dicẽdũ p singula. Hac statione terminata, trãsĩt inde ad oratoriũ S. Andreę Apost. cãtãdo: In exitu Israel, quo significatur exitus illorũ, q̃ Israel

Pſal. 109.

Pſal. 117.

Pſal. 112.

Eſa. 54. Gal. 4.

Cant. 4.

Rom. 6.

Universidad de Deusto
Biblioteca

(id est, videntes Deũ) renascẽdo facti, de Aegypto huius seculi & populo barbaro infidelium exeunt mari, id est, profunditate gentium, & Iordane, id est, Iudæis. Iordanis enim terræ Iudæorum est fluuius, & à retro fluens interpretatur: gentibus (inquam) & Iudæis videntibus ea, quæ per exeuntes mirabilia facta sunt, fugientibusq; ab infidelitate ad fidẽ, à carne ad spiritum, à diabolo ad Deum quem reliquerant, retrorsum. Vnde & montes, id est, Apostoli, & colles, id est, eorum discipuli, exultantes vt arietes & sicut agni ouium, gratulantur & dicunt: Quid est tibi mare, quòd fugisti, & tu Iordanis, quia conuersus es retrorsum? Sic omnis Paschalis hebdomadæ vespera, qua hora sabbato in sanctæ trinitatis nomine baptisma celebratum est trina statione completur. Et idcirco fortassis ad S. Andream penè omnis vespera terminatur, quia beatus Greg. qui stationes, sicut hactenus seruantur, ordinauit, eidem S. Andreæ specialiter deuotus extitit, cui iuxta & basilicam sanctorum Ioannis & Pauli ad cliuum Scauri, monasterium in proprio domate formauit: in quo relictis omnibus ex huius mundi naufragio nudus euasit, diu desideratum monachicum capiens indumentum. Nec mirum hanc illum vespertinam stationem pro deuotione tanto Apostolo consecrasse, cùm & stationem ad S. Cosmam & Damianum, qua die cantatur: Salus populi ego sum, fecerit illustriorem, propriis ac solennibus collectis, sicut, à plerisque vsque nunc obseruatur, sanctis eisdem dedicauerit, idcirco quòd atauus eius, IIII. Felix, sedis Apostolicæ Pontifex, vir magnæ in Christi Ecclesia reuerentiæ, basilicam eorumdem sanctorum via sacra iuxta templum Romuli, sicut hactenus cernitur, venustissimè fabricauit. Forte & illud maiestatem diuini nominis respicit, Patris & Filij & Spiritus sancti quo in nomine baptisma celebratum est, quod ad vigilias nocturnas tres tantum lectiones ordine Romano leguntur. Nam quo respectu vltra numerum hunc lectiones multiplicarentur? Siquidem prædicatores nostri, quos (vt alio loco iam dictum est,) significat amplior in sollennitatibus numerositas lectionum, quia sub tempore gratiæ plures veritatis præcones mitti cœperunt, prædicatores (inquam) Euangelij, id est, Apostoli, nunc erant muti & absconditi, neq; (vt solebãt Domino cũ illis commorante) circuibant per castella, Euangelizantes & curantes vbique. Nec quisquam illud obiiciat, quod tribus quę præcesserunt luctuosis noctibus, plures lectæ sunt. Nam illarum alia ratio suo loco præscripta est. Igitur ternarius numerus, auctoritate diuini nominis in baptismo illustratus, pulchrè in hac solennitate, tam in Psalmis quàm in lectionibus principatur.

Luc. 9.

Cur non monachi æquè vt canonici, per hos dies consuetam debeant immutare regulam. Cap. 3.

QVamuis ea, quæ supradicta sunt, rationẽ habeant theoricã, nostri tamen, id est, monachi ordinis, æquè authenticam non debent immutare regulam, vt verbi gratia, nocturnas vlla dominica ad tres lectiones contrahant vigilias, aut per horas regulares humaniæ remoueant supplicationes, & propius iucundum Alleluia personent, idcirco quod in illa beatitudine, quam significat hæc Paschalis solennitas, nulla erit deprecatio miserorum, sed sola laudatio beatorum. Sed nec illud, vt cum non habeant fontes eas, quas propter solennitates fontium fieri dictum est, vespertinas suis in locis imaginentur stationes, hæ namque pontificales & ad pastores plebium pertinentes sunt traditiones. Et licet beatus Gregorius, q̃ stationes ordinauit, & penè omnem cleri decorem digito Dei doctus expoHuit, habitu monachico præfulserit, nec si tamen monachico tenendæ sunt ordini cõsuetudines huiusmodi, quas pontificali potius officio tradens, inferioris, id est, actiuæ vitæ procuratoribus instituit. Numquam enim sancti patres talem habuere consuetudinem, vt contraria vel pugnantia præciperent. Præceperat autem ante illum beatus Benedictus, qui (vt ipse asserit beatus Gregorius) spiritu omnium iustorum plenus fuit, vt Dominica die numquã minus uà duodeci lectionibus ad vigilias nocturnas legantur. Similiter & de cæteris regularibus horis vniuersalem, absque vlla exceptione canonem suo præscripserat ordini.

Non ergo credendum est, quòd beatus Gregorius, cum actiuæ vitę ordinẽ institueret, ad quem se descendisse in suis deplorat Epistolis, superiorẽ id est, contemplatiuæ vitæ ordinem ex aliqua parte in contrarium deflectere voluerit. Rectius itaq; suam quisque tenet ordo regulam, iuxta illud: Eleuatus est sol, & luna stetit in ordine suo. Tantum in eo concordantibus cunctis, vt vsque pentecosten genua non flectentes, sed stando perorantes, libertatem, quam nobis resurgendo Christus acquisiuit, hac significatione ꝓfiteamur, & Alleluia hne intermissione dicamus, & nos filij sponsi, quia nobiscum est sponsus, non ieiunemus. Cęterum quicumq; monachi ordinis supradictam ob causam supplicationem litaniæ, id est, Kyrie eleison, de horis regularibus per hanc septimanam amputant, consequens est, vt vsque Pentecosten non repetant, quoniam non solum hęc hebdomada, sed, vniuersi quinquaginta dies isti ęternum futuræ resurrectionis significant Iubileum, quo nihil iam supplicandum, sed solum in salute perfecta exultandum erit, & lætandum.

Hier. 31. Abac. 3.

Psal. 67. Psal. 103.

Quàm cõgruè fides resurrectionis per quadraginta dies confirmata sit, simulq; de miraculo cuidam fratri ostenso hoc anno, ab incarnatione Domini millesimo centesimo vndecimo Cap. 4.

MIranda tanè & prędicanda Saluatoris nostri studiosa charitas, qui cùm passus propter delicta nostra, resurrexit propter iustificationem nostram, nihilominus propter eruditionem nostram distulit quadraginta diebus Ascensionis suæ gloriam, per quos & præbuit seipsum viuum in multis argumẽtis Apostolis suis quos elegit, vt essent testes suæ resurrectionis. Poterat enim eadem die, qua resurgendo super occasum ascendit, nubem, quoq; ponere ascensum suũ, & semel oftensum testibus suis verum hoiem, vera verbi diuinitas, eadẽ velocitate qua suscitauerat, post tres vel paulò plures dies in paternæ maiestatis collocare dextera. Magna ergo charitas, & verè nõ quærens quæ sua sunt, quæ, vt subueniret tardis ad credendũ triumphalẽ Christi tardauit ascensum, & vt consummatã oftẽderet gratiã, prępataã victori distulit gloriã. Itaq; vę perfidis hæreticis, quos legitimus hic quadraginta dierũ numerus expectatos & incorrectos, iustę tandem sentẽtię subigit. Legitimus nanq; est quadragenarius dierũ numerus apud homines quoq; in protelandis cõsultationibus, vt is cui forte consulitur, etiam si lunaticus sit, i. stultus (stultus quippe vt luna mutatur) cũ tot dies expectatus sanũ consilium non admiserit, iustus iudicetur, qm̃ ante quadraginta dies luna mutatur, vnde & hic plusq̃ stultus, qui per tot dies mutatus nõ est. Sed libet per aliud simile ex antiqua diuinæ auctoritatis scriptura cõprobare, q̃ resurrectionis mortuorũ detractores, iure nunquã ad eiusdẽ resurrectionis gloriã peruenire mereantur, quã per quadraginta dies exploratã, adhuc pertinaci impietate calũniantur. Legimus in libro numerorũ, quia loquens Dñs ad Moysen in deserto Pharan, mitte (inquit) viros, qui cõsiderẽt terrã quã daturus sũ filijs Israel, singulos de singulis tribub⁹ ex principibus, i. viros duodecim. Qui cùm ascendissent, exploraueruṫ terrã, ascẽderuntq; ad meridiem, pergentes ad torrẽtem Botri, abscideruntq; palmitem cũ vua sua, quã portauerunt in vecte duo viri, &c. Reuersiq; exploratores terrę post quadraginta dies omni regione circuita, alij detraxerunt terrę quã inspexerant apud filios Israel, dicentes: Terra, quam lustrauimus, deuorat habitatores suos. At verò Iosue filius Nun, & Caleph filius Iephone, Terra (inquiunt) quã lustrauimus, valde bona est. Si propitius fuerit Dñs, introducet nos in eam, & tradet humum lacte & melle manãtem. Cumq; clamaret omnis multitudo, & eos lapidibus vellet opprimere, apparens Dñs, Omnes, inquit, homines qui viderunt maiestatem meam, & signa quæ feci in Aegypto & in solitudine, & tentauerũt me, ecce iam per decem vices, nec quisquam qui detraxit mihi, intuebitur terrã, proqua iuraui patribus eorũ. Hæc illis in figuram cõtigisse Paulus quoq; Apostolus testis est. Nã cùm de hac sacra loquens historia dixisset, Patres vestri oẽs mare transierunt, & oẽs in Moyse baptizati sunt in nube & in mari, & oẽs eandem escam spiritualem manducauerunt, & oẽs eundem potum spiritualem biberunt, bibebant aũt de spirituali cõsequẽte eos petra, petra aũt erat Christus, sed nõ in pluribus eorum, inquit, benè placitum est Deo. Nã prostrati sunt in deserto: & quia tentauerunt Christum, à serpentibus perierunt: & quia murmurauerunt, interierũt ab exterminatore, & protinus adiungit: Hęc autem omnia in figura cõtingebant illis, scripta sunt aũt ad correptionem nostrã, in quos fines seculorum, deuenerunt. In figura videlicet, quorum, nisi eorum, quæ in hoc fine seculorum, i. in hac mundi sexta ætate facta sunt? Christus Dñs Ægypti rege, i. tenebrarum principe debellato, per mare rubrum baptismi sui traduxit illos, & nunc per vitæ prędestinationis desertum regit, vt inducat in repromissionẽ ætern̄ hæreditatis, i. in eã, de qua nũc loquimur, gloriã beatã resurrectionis. Quam. n. ab illo terrã lacte & melle manantẽ sperare debemus, nisi cõformitate corporis Christi quod resurrexit, in quo habitat omnis plenitudo diuinitatis, vt per illud reformet (sicut Apostolus ait) corpus humilitatis nostræ configuratũ corpori claritatis suæ? Igitur & hi, qui veritatẽ negant eiusdẽ resurrectionis, sicut & illusores, maiorumq; cõcupiscẽtes, tẽtatores atq; murmuratores, iustè prosternunt in deserto & pereunt, atq; ab exterminatore intereunt.

Toridẽ quippe, i. quadraginta diebus Euangelica refert scriptura in multis exploratã esse argumentis terrã carnis Christi, q̃ verè resurrexit à mortuis, vt veraciter agnoscamus ex illa, qualis erit nobis status futuræ resurrectionis. Ascenderunt fidei exploratores ad meridẽi, i. vbi eleuatus erat verus sol Christus per altissimã resurrectionẽ, & attulerũt nobis botrum cum palmite suo, quẽ portant duo viri, i. ipsum Christum, cui dicit sponsa in Canticis: Botrus cypri dilectus meus mihi, portant, inquam, in vecte duo viri, i. pendentem in ligno crucis cum veritate corporis, in quo resurrexit. Hunc enim susceptũ portant duo viri, i. duo populi Iudaicus atq; gentilis: & sicut anterior ex eis, qui botrum ferebant, portabat quidem, sed auerso dorso, nõ videbat, posterior autẽ & portabat & videbat: Sic anterior populus Iudaicus testimonia passionis & resurrectionis Christi portat quidẽ in scripturis, sed auerso corde nõ credit, atq; ideo nõ intelligit: posterior aũt (id est, gentilis) & portat & videt, quia quod legit, credens, intelligit, intelligens credit. Hunc ergo botrum afferentes veritatis exploratores, i. annunciantes Christũ, hũc nobis Apostoli testes fideles dicũt scriptis, dicunt miraculis, de gloria sperãdę resurrectionis: Terra quã lustrauimus bona est, sicut ex his fructibus cognosci potest. Quo enim dissimile est huic illud, quod nobis annunciant, incorruptibilẽ carni superindui resurrectionis gloriam, veramq; & eandem carnis eiusdem permanere naturam? Lustrauimus (inquiunt) eam vidimus & perspeximus, manus nostræ tentauerunt de verbo vitæ. Misimus enim manus nostras & palpauimus latus est, & contrectauimus cicatrices vulnerum in manibus & pedibus eius, dicentis: Palpate & videte, quia spiritus carnẽ & ossa nõ habet, sicut me videtis habere. Et, manducauimus (inquiunt) & bibimus cum eo, post quã resurrexit à mortuis. At illi qui simul ascenderũt explorare scripturam, pleni alieno spiritu, falsi & fallentes, negantes veram resurrecturã corporum

Luc. 24. 1. Cor. 13. Eccl. 27. Num. 13. 1. Cor 19. Rom. 4. Act. 1. Coloss. 2. philip. 3. Act. 1. Cant. 1. 1. Cor. 5. 2. Ioan. 1. Ioan. 20.

porum naturam,& corpus Dominicum post re-
surrectionem phãtasticum fuisse suspicantur, i.
ventis & aere subtilius. In quo isti murmurato-
ribus illis dissimiles sunt, qui detrahẽtes terræ
Num.13. quã inspexerant, dicebant: Terra ista quam lu-
Ioan. 20. strauimus, deuorat habitatores suos? Deuorat
quippe habitatores suos illa, quã speramus vi-
tã, si nos aliter non admittit, nisi vera in resur-
gentibus intereat corporũ natura. Argumentan
tur enim & dicunt: Qũo corpus Dominicũ post
resurrectionem verum fuit, quod clausis ad di-
scipulos itroiuit ianuis? Videbor in ventũ ver-
ba iactare, si contra hos inimicos fidei Christia
næ, multa velim responsionis argumentosæ spi-
cula vibrare. Illæ namque vulpeculæ iam dudũ
tonitru cæli, i. clamore fulminantis Ecclesiæ cõ-
territæ vbicunq; sint latitant in caueis subterra
Cant. 1. neis, nec prodire audent, vt vineas florentes fru
ctumq; parturientes, suo more putido dente de
moliantur. Sed ecce dum hæc scribimus, iucũdo
per quendam fratrem nostrum gratia resurgen
tis nobis arridet miraculo. Testor illã beatam
ac deliciosam noctẽ, in qua Christus ab inferis
victor ascendit, me nihil super hoc mentiri, nisi
ille tam sacrilegus sit, vt de huiusmodi re quip-
piã fingere ausus fuerit, quod vita eius vel pro-
positum omnino prohibet vel suspicari. Fratris
tamen eiusdem nomine tacebitur, quoniam &
Matt. 5. hoc obnixè precatur. Nã factum quidem lucere
corã hominibus cupit, vt glorificetur pater qui
est in cælis: se aũt videri non vult, nec suis repu-
tare meritis miraculũ, cui? sola Dei gratia, quo
Matth. 7. iudicio nescimus, operatrix est: multi. n. veniẽt
in illa die dicentes: Dñe, nonne in nomine tuo
prophetauimus & in nomine tuo virtutes multas
fecimus? Et rñdebit eis: Amẽ dico vobis, nescio
vos vnde sitis. Res huiusmodi est. Hoc sãcto Pa
schæ sabbato, quo cereo (de cuius quoq; præco
nijs superius aliqua diximus) annus ab incarna-
tione Dñi millesimus centesimus vndecimus in-
scriptus est, in Ecclesia sancti Laurentij ad præ-
cedentes eiusdẽ diei matutinos, extinctis de mo
re cunctis luminaribus, dũ eorum vltimũ extin-
gueret, & ad canticũ Euangelij hæc antiphona
à Dño abbate Berengero imponeret, Mulieres
sedẽtes ad monumentũ, ecce repẽte ante pedes
illius proiectũ cecidit ipsius, quo firmiter sub-
strictus erat, cingulũ. Ille solutũ esse & cecidisse
suspicatus, qđ tñ mirũ fuisset, quia non delapsũ
fuerat, neq; circũ crura pedesq; descẽderat, sed
ante pedes quasi proiectũ (vt dictum est) exili-
uerat, inclinauit se, vt tollens illud rursũ sese ac
cingeret. Cũq; manus iniecisset vt illud sibimet
circũdaret, nodũ, vt erat fortiter astrictus, non
cedere sibi, vltrà quã dici potest admiratus est.
Intendenti & secũ cum stupore magno reputan
ti, quidnã hoc sibi vellet, ecce vox facta est & si-
billũ tanquam aurę tenuis audiuit, dicentẽ sibi:

Sic potuit clauso Christus prodire sepulchro.

Si quidem hęc (vt ipse referens testatus est)
admiratio mentem eius persępe subibat, qũo
verum Domini corpus, vnde ipse nullatenus du-
bitabat, clauso resurgere monumento, clausis
potuit ianuis ingredi ad discipulos. Mox ergo
illi ad memoriã simile illud rediit, quod Aug.
refert in lib. de ciuitate Dei, factum per quandã
Petroniã clarissimam fœminã, quę mirabiliter
ex magno atq; diutino, in quo medicorum adiu
toria cuncta defecerant, dolore sanata est. Hæc
à quodam Iudæo dixit sibi fuisse persuasum, vt
annulum capillatio vinculo insereret, quo sub
omni veste ad nuda corporis cingeretur, qui
annulus haberet sub gẽma lapidem in renibus
inuentum bouis. Hoc alligato quasi remedio, ad
sancti Martyris Stephani limina veniebat. Sed
profecta à Carthagine, cùm in cõfinio fluminis
Bagradę in sua possessione mansisset, surgens vt
iter perageret, ante pedes suos illum iacẽtẽ an-
nulum vidit & capillatiam zonã, qua fuerat alli
gatus, mirata tẽtauit. Quã cũ omninò suis nodis
firmissimus sicut erat, cõperisset astrictam, cre-
puisse atq; exiliuisse suspicata est. Qui etiã ipse
cùm integerrimus fuisset inuẽtus, futurę salutis
quodãmodo pignus de tãto miraculo se accepis
se pręsumpsit, atq; illud vinculũ soluẽs, simul cũ
eodem annulo proiecit in flumen. Nõ credant
hoc, inquit idem Augustinus, qui etiam Dñm Iesum
per integra virginalia matris enixũ, & ad disci
pulos clausis ostijs fuisse ingressum non credunt.

Cõparentur nunc duo hæc tam insignia diui-
næ pietatis miracula, recens hoc q̃ hoiem cin-
gulum rehum eius firmiter obstrictũ, & indisso-
lutũ trãsijt & exiliuit: & illud antiquius, q̃ zonę
insertus, nodo integro pristẽte erupit annulus.
Nescio quid mirer amplius, nisi quòd hic pari-
ter, vt supradictum est, vox diuinitus audita est,

Sic potuit clauso Christus prodire sepulchro.

Hoc igit vbi accepi, manè quippe, vbi primũ
loquendi copia fuit duobus tm̃ fratribus, quorũ
vnus extiti, attonitus adhuc frater ille rẽ gestã
retulit, ỏbnixè postulãs, vt creditũ nobis secretũ
nunquã cũ suo nomine proderemus: vbi, inquã,
hoc accepi, tanquã meis maximè oblatũ à Deo
vbus miraculũ, lætus arripui. Siquidẽ eadem
nocte & eandẽ paululum ante horam, qua illud
accidit, supradictã similitudinem ruminare cœ-
peram, s. quòd hi qui fidei resurrectionis detra-
hunt, & ideo non veram carnis naturã credunt
resurrecturam, quia Dominus clauso sepulchro
surrexit, vel quia clausis ad discipulos ingressus
est ianuis, similes sunt illis, qui terræ, quã inspe-
xerant, detraxerunt apud filios Israel dicentes: 1.Cor. 1.
terra quã lustrauim⁹, deuorat habitatores suos.

Non igitur importunè longior nunc trahitur
sermo de resurrectionis gloria, cui incepto ma-
teriã adaugent cęlestia, quæ sese vltro offerunt,
miracula. Nõ poterat quidẽ, etiã si ista deessent,
Christiana fides cõprehendere sapiẽtes in astu-
tia eorũ: qui dum credere fugiunt, clausis ianuis
verum potuisse corpus ingredi, qđ supra naturã
est, illò declinant iudiciu, vt dicant illud ventis
& aere subtilius effectum, q̃ contra naturam
est. Non solùm. n. nihil sese adiuuant, sed & ma-
gis implicant, dum defendendo naturam ab eo

quod

quod supra est, ad id deuoluũt, quod contra il-
lam est. Vtrumq; miraculũ, sed hoc, vt dictũ est,
supra naturã, illud q̃ hæretici suspicati sunt, s.
impalpabile de palpabili corpus factũ esse, ma-
ius quidem, sed inutile & cõtra naturã miracu-
lum est. Quid. n. maluerit diuinitas, vtrum id
Psal.138. quod contra naturã, an id quod supra naturam
est, in Psalmo euidenter ostendit, dicens: Posui-
sti super me manum tuã. At nunc ponendo exẽ-
pla supradicta, quòd verum corpus hominis,
verum cinguli sui corpus, i. zonam ceruinã, no-
do firmiter obstrictam excessit, olimq; nodum
irresolutũ anulus exiluit, proponit diuinitas:
Sic potuit clauso Christus prodire sepulchro.
Assumit rãtio: Sed illa supra naturã facta sunt.
Cõcludit fides supra naturã. Ergo verũ Christi
corpus clauso prodire sepulchro, clausis potuit
ianuis introire ad discipulos. Et hoc vere Deũ
decuit, videlicet sua taliter vti potẽtia, vt quã
ædificauerat naturã, non destrueret, sed eandẽ
permanẽtem, imò perfectã, quò vellet & vnde,
traduceret vel educeret, quod qui non cõcedit,
supereminet vt multo minus illud concedat, q̃ cor-
ruptibiles ac mortales adhuc Apostoli, sic edu-
Act.1. cti sint, qũo in Actibus Apostolorum scriptum
est: Carcerẽ quidẽ adhuc clausum inuenimus
cum omni diligẽtia, & custodes stantes ante ia
nuas: aperientes autem carcerem, neminem in-
tus inuenimus. Superest, vt istos quoq;, qui nec-
dum resurrexerant, in ventos & aerẽ subtilem,
quo p patentes rimas efflari possent, euanuisse
asserat, siquidẽ sacrã recepturi sunt scripturã,
quam qui non recipiunt, nec audiẽdi sed vt in-
fideles omnino vitandi sunt. Nobis credẽtibus
illud pro argumẽto sufficit, quia de nihilo Deus
cuncta creauit, & cuncta quasi nihilum & inane
reputata sunt ei ad agẽdum quicquid voluerit,
ad traducendum quippiã quocumq; voluerit. Mirumq; hoc potius esset, si ita nõ posset, cũ
nemo ferè tã imperitus artifex sit, vt quod cõ-
posuit penetrare ipse vel aperire non possit. At
Num.16. ille quum voluit, aperta est terra, & deglutiuit
Dathan, statimq; ora concludens operuit super
congregationẽ Abirõ, qui principes, seditionis
extiterunt, promissionibus Dei detrahentes, &
cum subsannatione dicentes, Reuera induxisti
nos in terram, quæ fluit riuis lactis & mellis.
Quorum exemplum cauere debuerant hi, qui
resurrectionis fidei (vt supra dictum est) detra-
here ausi sunt, qũo & ipsi ex illis sunt, Quibus
Psa.94. iurauit (inquit Dominus) in ira mea, si introibũt
in requiem meã, nullus eorum introibit in hę-
reditatem credentibus promissam. Iurauit e-
nim illis in ira sua lacessitus eorum nequitia.

*Cur hæc Paschalis sacra solennitas octa-
uas habeat, cùm ipsa sit octaua, id est,
octauam mundi ætatem respiciat, quæ
est vniuersalis resurrectio. Cap. 5.*

IAm de reliquis Paschalis hebdomadæ offi-
ciis locuturus, opportunum esse arbitror, de

ipsis Paschæ octauis communiter aliqua prælo
qui. Quæri etenim potest, cur, cũ hæc sacra so-
lennitas octauã illã significet, vt superius dictũ
est, quæ septẽ labẽtibus huius mundi ætatibus,
æterna, stabilisq; succedet, ipsa quoq; octauas
habeat. Nã de cæteris solennitatibus illud ferè
omnibus notum est, q̃ idcirco octauas habeãt,
quia principiũ iã illis adesse, finemq;, i. consum
mationẽ fœlicitatis in resurrectione futurã es-
se pariter considerantes, iure in octauã vsq; ce-
lebritatis perducimus lætitiã. Hæc autẽ solenni
tas, quia resurrectionis est, ipsam totam respi-
cit octauã, & celebritas eius vltra dies octo, i.
vsq; Pentecosten protenditur. Cur ergo & ipsa
octauas habeat, meritò quęritur. Sciendũ itaq;
est, quia resurrectio nostra, quã expectantes iã
nunc huius solennitatis occursu præoccupãdo
celebramus, vera & perfecta erit circuncisio, si-
gnificata per illam, quæ in veteri lege carnali
Israel mandata est, octaui diei circuncisionem. Gen.17.
Huius autẽ veræ circuncisionis, octo (vt ait Hie
ronymus) beatitudines sunt, & considera, in-
quiens, quia veræ circuncisionis octaua beatitu
do martyrio terminetur. Beati qui persecutio- Matth. 5.
nẽ patiuntur propter iustitiã, quoniã ipsorũ est
regnum cælorum. Verã ergo circuncisionẽ re-
surrectionis rectè solennibus octo dierum cele-
bramus officiis, quam Dominus ipse, vt magni-
ficã esse ostenderet, tamquàm plenum & solidũ
corpus, lõgo lato, atq; alto permensus est octo-
nario beatitudinũ numero cõmendãs, qui eius-
modi est apud Geometras, vt plenum & solidũ
corpus primus perficiat. Nostris. n. nu meris illi
vti familiare est, imò suis, cui veraciter dictũ est: Sap. 11.
Omnia in numero & mẽsura & põdere posuisti.

Verumtamen quoniã non adeo geometricas
traditiones, sed potius æterni musici Dei can-
tiones in scriptura sacra cognoscere operæpre-
cium est, qui & citharã se habere indicat, cui di-
cit in Psalmo: Exurge gloria mea, exurge Psal- Psal.56.
terium & cithara, cantilenã eiusdem citharæ,
imò citharã ipsam, in his octo beatitudinũ sen-
tentiis tãquàm octo chordis, quæ integrã red-
dũt diapason, consideremus. Et hoc placeat vel
maximè musicis, quia cũ (sicut tradunt musicæ
artis scriptores) citharas antiquitus octo per
diapason chordis fieri mos fuerit, musicus cæle
stis Deus, hanc illis in citharã sua, i. in ea quam
assumpsit humanitate, de carnis nostræ silua si-
militudinem repræsentat, dum æternæ lætitiæ
cantilenã per integrã diapason, i. per octo bea-
titudinũ chordas modulãs, scitos pueros ad sal- Matt. 11.
tandũ, i. dociles discipulos ad bene operãdum
excitat. Illud quippe fidei nostræ notissimũ est,
q̃ citharæ huic de septẽ vocũ discriminibus ni
hil deest. Quid. n. sunt septẽ spiritus Dei, quib.
Dñicus homo, requietionis locus vnicus est, ni
si septẽ uocum spiritualium discrimina, quibus
omnis eiusdem Dñi nostri cõtexitur doctrina?
Illud quoq; prætereundum non est, q̃ sicut uo-
cum non nisi septem sunt discrimina, & idcirco
in diapason octaua semper eadẽ est, quæ & pri-

Universidad de Deusto
Biblioteca

ma, sic secundum Spiritus sancti septē munera dū A
nobis cithara hæc, octo cordis, id est, octo beatitu-
dinibus cęlestem diapasōn personat, octaua beatitu
do eadem est, quæ & prima, quoniam ipsorum est
regnum cælorum. Quod nè nullius auctoris patro-
cinio fultum, fortè vlli contēptibile videatur, beati
Augustini non longè dissimilem super eisdē Dei
spiritibus, eisdemq; beatitudinibus sententiam ha-
bemus. Ille namque septem gradus, quibus ad di-
uinam contemplationem possit ascendi, in lib. de
doctrina Christiana distinguēs, septem spiritibus
Dei, septem supra dictas beatitudines hoc modo
coaptat, octauam nunc interim omittens, quoniam B
ipsa eadem est quæ prima. De spiritu timoris Do-
mini, timor (inquit) iste cogitationem de nostra
mortalitate, & futura morte necesse est incutiat, &
quasi clauatis carbonibus omnes superbiæ motus
ligno crucis affigens, pauperes spiritu, id est, humi-
les efficiat. De spiritu autē pietatis, deinde (inquit)
opus est mitescere pietate, neq; contradicere diui-
næ scripturæ siue intellectæ; cum vitia nostra per-
cutit, siue non intellectæ, quasi nos aliquid melius
possimus sapere. De spiritu verò scientiæ, tunc ille
timor, inquit, quo cogitat de iudicio Dei, & illa pie-
tas qua non potest nisi credere sanctorum librorū C
auctoritati, cogit eum seipsum lugere. Nam ista
scientia bonæ spei hominem, non iactantem, sed
lamentantem facit. De spiritu fortitudinis, hoc, in-
quit, affectu impetrat sedulis precibus consolatio-
nem diuini adiutorij, ne desperatione frangatur, &
esse incipit in quarto gradu, hoc est, fortitudinis,
quo esuritur & sititur iustitia, & ab omni mortifera
iucunditate rerum transeuntium fortiter sese auer-
tens animus, extrahit. De spiritu cōsilij, vbi (inquit)
aspexit quantum potest, in longiqua radiantem in-
commutabilem trinitatem, eandemq; vnitatem, sui-
que aspectus infirmitate sustinere se illam lucē non
posse persenserit, in quinto gradu, hoc est, in consi-
lio misericordiæ purgat animā tumultuantem, se-
que in dilectione proximi gnauiter exercens, in ea
perficitur. De spiritu intellectus, cum (inquit) hoc
modo peruenerit ad inimici dilectionem, ascendit
in sextum gradum, vbi iam ipsum purgat oculum,
quo videri Deus potest, quantum potest ab his, qui
huic seculo moriūtur, videlicet per speculum & in
ænigmate. De spiritu sapientiæ, ita, inquit, purgans
oculū cordis, talis filius ascendit ad sapientiā, quę
septima est, qua pacatus tranquillusque perfruitur.
Initium sapientiæ timor Domini. Ab illo enim vs- E
que ad ipsam per hos gradus tenditur & venitur.

Sed nos iam ad rationes officiorum consideratio-
nem vertamus, & cùm tanti doctoris auctoritate
eadem officia, quæ octo beatitudines, mysticè
prædicant, à gradibus vel ordine donorū Spiritus
sancti non dissonare firmemus. Adeo namque in
his paschalibus præsentis hebdomadæ officiis, illa
octo beatitudinum consonantia obseruata est, vt
sensibus vel ordini sententiarum, quibus illas
Dominus beatitudines contexuit, sensus & or-
do officiorum, si diligenter examinetur, consona-
re probetur. Hoc autem superius in officio primo
dici non dictum, sed vsque adhuc opportunè re-

seruatum est, videlicet quia longa interiectio nouа-
rum consuetudinum, de quibus dicendum vide-
batur, lectoris memoriam fatigare vel etiam frau-
dare poterat. Nunc ergo vbi rationes officiorum
paschalium continuandę sunt, competentius dice-
tur quod illic est tacitum.

Iterum de officio primi diei Dominicæ resurrectionis quòd & cætera huius hebdomadæ officia secūdum octo beatitudinum, & secundum penè totidem donorum Spiritus sancti, ordinata sunt ascensiones. Beati pauperes spiritu. Cap. 6.

OFficium primi diei Dominicę resurrectionis
superius dictum est, ad vniuersalis spectare
diem nostræ resurrectionis, idque planis & sponte
occurrentibus comprobatum est argumentis, maxi-
mè offerenda manifestè concurrente rationi: Ter
ra tremuit & quieuit, dum resurgeret in iudicio
Deus. Hoc proculdubio Christianæ fidei militiā
ingressos pauperes spiritu (id est, humiles) exigit
fieri considerantes quia timor magnus & tremor
erit, quando dicet patri rex & iudex omnium, Re-
surrexi & adhuc tecū sum, in suggillationem ini-
micorum suorum, qui dixerunt: Quoniam morie-
tur, & peribit nomen eius? eò quòd nesciat quis-
que nostrum, quis ad dexteram, quis tunc statuen-
dus sit ad sinistram. Quāuis epulemur in azymis,
& immolatus Christus pascha nostrum sit, quā-
uis carnes agni pretiosæ sint, lactucæ agrestes, cum
quibus comedimus, valde amaræ sunt, & carnes
propter quos baculos tenentes in manibus, & fe-
stinantes comedimus, tota nocte formidandi sunt.
Atq; hic est spiritus timoris Domini, qui in fundo D
cordis, vt fundamentum ponitur, quo cætera quæ
superędificanda sunt, firmiter portentur. Hæc illa
paupertas, id est regina, humilitas, quæ totius secu-
turæ beatitudinis cumulū, ne superbiæ vento exsuf-
fletur, præposita seruat. Hic est septem graduum
primus, per quos iuxta Exechielem ad portā orien-
talem ascenditur. Et ne quem moueat, quòd aliter
à doctoribus quàm à propheta gradus isti ordinē-
tur, Spiritus namque timoris, quem primum po-
nimus, ab Esaia ponitur vltimus, Gregorij senten-
tia ponenda est: Propheta, inquit, quia de cœlesti-
bus ad ima loquebatur, cœpit magis à sapientia,
& descendit ad timorem. Sed nos quia de terrenis
ad cœlestia tendimus, eosdem gradus ascendendo
numeremus, vt à timore ad sapientiam peruenire
valeamus. Sed vt ad superiora reuertamur, quid
aliud in eodem officio per hoc significatur, quod
sedit iuuenis in dextris coopertus stola candida,
nisi quòd beati pauperes spiritu, à timore Domini
ascendentes, regnum cælorum obtinebunt, & ex
ipsis collecta assistet regina à dextris eius in vesti-
tu deaurato.

Quòd præter superius memoratas causas, sta-
tio ad sanctam Mariam etiam secundum hæc cō-
ueniat, ex abundanti est per conquisita probare ar-

gumenta

gumenta. Omnes enim illam humilium nouimus A
esse reginam, cuius anima Dominum magnificans
cuius spiritus in Deo salutari suo exultans, causam
reddit: quia respexit, inquiens, humilitatem ancillæ
suæ, quia dispersit superbos mente cordis sui, quia
deposuit potentes & exaltauit humiles. Vere atq;
fideliter. Nam posuit super eos orbem. Vbi enim
habemus in cantico Annæ, Domini enim sunt
cardines terræ, & posuit super eos orbē, in Hebræo
ita habemus: Domini enim sunt afflicti terræ. Affli-
ctos terræ. Hebræi (inquit Hieronymus) pauperes
spiritu & humiles corde intelligunt, super quos
Dominum orbē posuisse dicunt, quia terra in me- B
ritis eorum stare autmant. Nos autem super fun-
damentum humilium Apostolorum & prophetа-
rum, orbem, id est, Ecclesiam nouimus esse positā,
& scimus quia lapis ille, qui factus mons magnus,
hunc implet orbem, & sustinet, & de ventre humi-
litatis Mariæ (de qua loquimur) assumptus est. Et
nunc quidē officium primi diei recapitulauimus,
ob continuandas (vt dictum est) octo beatitudines,
deinceps, vt earum mystica series euidentius pa-
teat, dabimus operam, singula iuxta propositum,
percurrendo officia.

De officio secūdæ feriæ, Beati mites. C. 7. C

IAm sæpe dictum est, Euangelium cuiusque of-
ficij caput esse, cæterasque partes illi, vt membra
capiti, concordi sensu cohærere. Est autem diei præ-
sentis hoc Euangelium, quòd duo ex discipulis
Domini Iesu, euntes in castellum nomine Emaus,
ostensum sibi Dominum in via, sed in alia effigie,
tandem cognouerunt in fractione panis, & cum
ipse euanuisset ex oculis eorum, illi ad inuicem di-
xerunt: Nonne cor nostrum ardens erat in nobis
de Iesu, dum loqueretur in via, & aperiret nobis D
scripturas? Primū ergo videndum de cæteris par-
tibus officij, quomodo huic Euangelio consonent,
& maxime de introitu, Introduxit vos Dominus
in terram fluentem lac & mel, &c. & tunc palam
erit, quod beatitudinum secundum totū officium
consonet sententiæ, Beati mites, quoniam ipsi pos-
sidebunt terram. Et quidem difficile hoc esset, nisi
compunctionem lachrymosam, qua isti cor suum
arsisse dixerunt, doctores nominati ante nos terrā
aquis irriguam appellauissent. Et recte, quia com-
punctione lachrymas excitante, fidelis anima tam
quam bono terræ suæ frumento refecta, dicit: Fue
runt mihi lachrymæ meæ panes die ac nocte. E
Huic animæ beatus Gregorius Axam filiā Caleph
eleganter assimilat, quæ sedens asino, cum suspira-
sset, dixitq; ei pater suus, Quid habes? Ecce, inquit,
terram arentem dedisti mihi, da & irriguā aquis.
Deditque ei pater suus irriguum superius, & irri-
guum inferius. Omnis enim, inquit, fidelis anima
sedens animo, id est, carnis suæ motibus presidens,
prius timore compungitur, quod est irriguum in-
ferius: post amorem, quod est irriguum superius,
& quæ prius flebat, ne duceretur ad supplicia, post
modum amarissimè flere incipit, qua differtur à
regno. Et competenter similitudo hæc sese obtulit,

quæ cum in singulis electorum perficiatur inuisibi-
liter, in his duobus de quibus loquimur, visibiliter
quoque peracta est. Cùm enim ambulantes secum
tristes colloquerentur de his quæ acciderant, quid
aliud quàm anima eorum velut Axa sedens asino
suspirabat? Et cum Iesus accedens & iungens se in
via, Qui sunt hi sermones, inquit, quos confertis
ad inuicem ambulantes & estis tristes, quod dissi-
mile est ei quod Caleph suspirāti dixit filiæ, Quid
habes? Nam & ipsum nomen Caleph, Domino
Christo congruit. Interpretatur enim, quasi cor. Psal. 44.
Verbum autem Dei Christus Deus de corde pa-
tris eructatum est & paterno cordi, quo eructatum
est, per omnia simile est. Sed & hoc quasi cor idem
erat Dominus, quod discipulorum cordi sic sēco-
formauit, vt quia apud semetipsos intus amabant
& dubitabant, eis foris Dominus & præsens ades-
set, & quis esset non responderet. Cum autem cor-
da eorum tanta charitate ditauit, vt magnitudine
diuitiarum eiusdem charitatis attoniti dicerent,
Nonne cor nostrum ardens erat in nobis, dum lo-
queretur nobis in via, quis non attendat illum ani-
mabus eorum dedisse irriguum superius, scilicet
vt superni amoris profundo vulnere cōpungeren-
tur. Itaque dubium nil remanet, quin in Euangelio
tali hic introitus consonet, Introduxit nos Domi-
nus in terram fluentem lac & mel, atque ideo con-
stans & probatum est secundæ huius feriæ officio
secundam beatitudinis prædicari sententiam, Bea-
ti mites quoniam ipsi possidebunt terram. Mites Num. 14.
autem spiritus pietatis efficit, quòd & ipsa res in-
dicat, & Augustini sententia superius dicta con-
firmat. Itaque tam secunda beatitudinis senten-
tia, quàm secundus donorum Spiritus sancti gra-
dus præsentis officij causa materialis habetur. Le- Act. 10.
ctio quoque Actuum Apostolorum quæ præmit-
titur per os Petri Apostoli, ex eo maxime loco
huic Euangelio secundum suæ præcursionis offi-
cium, succinit, vbi ait: Huic omnes prophetæ testi-
monium perhibent remissionē peccatorū accipere
p nomen eius omnes qui credūt in eū. Cum enim
Dominus supra dictos increpasset discipulos, qđ
tardi essent ad credēdum, Et incipiens, inquit Euā- Luc. 24.
gelista à Moyse & omnibus prophetis, interpre-
tabatur illis in omnibus scripturas quæ de ip-
so erant. Similiter offerenda. Angelus Domini de-
scendit de cælo dictis euangelicis consonat, vbi re-
ferentes discipuli domino, quem peregrinum esse
arbitrantur, inter cætera dicunt: Sed & mulieres
quædam de nostris terruerunt nos, quæ diluculò
fuerant ad monumentū & nō inuēto corpore eius,
venerunt dicentes, se etiam visionem vidisse Ange-
lorum, qui dicunt eum viuere. Alleluia. Nonne cor
nostrum, futurum nobis illud inclamat, quod om-
nes, quorum cor nō ardens est de Iesu in via, dum
loquitur nobis per scripturas cum illum cognoue-
rimus in fractione panis, de quo dictū est, Beatus
qui manducabit panem in regno Dei tunc æterna
exclamatione nos inuicem commemorabimus de-
siderium, quo nunc ardemus, nostramq; satietatem Luc. 14.
quæ tunc plena sine fastidio erit, admirabimur, re
ipsa tandē experti, quod nūc suspirantes credimus.

Cur

Universidad de Deusto
Biblioteca

Cur statio ad sanctum Petrum.

Secundum ea quæ dicta sunt valde conguit & hoc quod præsenti officio præscripta est, statio ad sanctum Petrum. Cui enim pater omniũ Deus largiori gratia dedit irriguũ superius & irriguum inferius, reuocemus ad memoriã quæ circa illum acta sunt, & esse manifestius apparebit. Mox vt trina negatione cecidit, conuersus (inquit Euãgelista) Dominus respexit Petrum, & recordatus est Petrus verbi Domini quod dixerat ei, quia priusquam gallus cantet, ter me negabis, & egressus foras fleuit amarè. Tunc verè beatus inter omnes mites cępit possidere terram vero timore compunctus, quod est accepisse irriguum inferius. Quando autem resurrexit Dominus, & (sicut in Euangelio legimus, & in communione hac die cantamus) surrexit Dominus & apparuit Petro, quid putamus, quantos intro currenti ad se misericordiæ, respondit genitus, vero amore compunctus, quod est accepisse irriguum superius? Quia ergo & hic cunctis mitibus positus est in exemplum, & beata Dei genitrix omnium regina est humilium, recte hodierna statione ad S Petrum, beatos eius exemplo prędicamus mites, quia possidebunt terram. Sicut hesterna statione ad S. Mariam, beatos eius exemplo prædicauimus pauperes spiritu, id est, humiles, quoniam ipsorum est regnum cęlorum.

Luc. 22.

Luc. 24.

De officio tertiæ feriæ, Beati qui lugent. Cap. 8.

QValiter tertiæ feriæ officium tertiæ consonet supradictarum sentẽtiæ beatitudinum, non citius approbaretur, nisi suprascriptis suffragantis scripturæ patrocinijs sermo fulciretur. Nam constat quidem quòd nulla contrarietas, sed nec vlla sit in sensibus diuersitas, sed in verbis mani festa dissonantia est. Videlicet in illa sententia tertię beatitudinis, Lugentes beatificamur: Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur. In huius autem officij introitu, aqua sapientiæ beati viri potati referuntur. in offerenda, Intonante de cęlo Domino & altissimo dante vocem suam, fontes aquarum apparuisse memorantur. In communione quoque qui cum Christo resurrexerunt, quę sursum sunt sapere iubentur. Ita totum pene officium diuinam nobis commendat scientiam nusquam beatorum luctum proprijs vocibus denũcians. Hic igitur necessario beati Augustini, quæ superius inter cętera est, patronam tenemus sententiam. Tunc ille timor (inquit) & illa pietas, quæ non potest nisi auctoritati sanctorum librorum cedere, cogit eum seipsum lugere. Nam ista sententia bonę spei hominem, non se iactantem, sed lamentantem facit. Itaque nos ad tertium illum gradum, considerationem conferamus, & hoc officium quo scientia Dei sub nomine aquarum prædicatur, à beatitudine lugentium, non discrepare probemus.

Matt. 5.

Psal. 17.
Colos. 3.

A Primo sciendum est, luctum hunc de quo dictum est: Beati qui lugent, non esse mortuorum communi lege naturę, sed peccatis & vitijs mortuorum. Sic Paulus Apostolus flere se ac lugere dicit eos, qui post fornicationem & immunditiam non egerunt pœnitentiã. Lugendi enim sunt, quia non luxerunt. Hic autem luctus in hodierno commendatur Euangelio, dicente Domino ad discipulos quibus apparuerat. Quia sic oportuit pati Christum & resurgere à mortuis tertia die, & prædicari in nomine eius pœnitentiam & remissionem peccatorum in omnes gentes. Pœnitere enim, pro peccatis lugere B est. Sed nec ipsam, quæ luctum hunc efficit, causam hęc eadem Euangelij lectio penitus omittit. Cùm enim dixisset Dominus discipulis suis: Quoniam necesse est impleri omnia quę scripta sunt in lege Moysi & prophetis, & in psalmis de me, tunc (inquit Euangelista) aperuit illis sensum vt intelligerent scripturas. Ipsum igitur effectum, id est, pœnitentiæ luctum, causamque efficientem, id est, scientiam cæteræ partes prædicant officij. Scripturarum quippe intelligentia, lamentorum siue luctus causa est effectiua: quia sicut nemo fere adeo crudelis & stultus C viator est, vt cum forte per medium occiforum graditur, non saltem aliquantulum represso risu & cachinno, subsistat compunctus: sic nemo est qui non aliquanto dolore mordeatur, cum rite intellectis versatus in scripturis, prophetas occisos, dominumque prophetarum crucifixũ, omnesq; prȩcones veritatis ab eo missos, tribulationem passos attendit, qui omne præsentis vitæ gaudium vanitatem & deceptionem esse, flendo & moriendo testati sunt. Intantum autem prędicandæ scientię Dei, compositio studet huius officij, vt cum versus omnes gradualis per totam hanc hebdomadam, de vno eodemque psalmo centesimo decimo septimo sumpti sint: hodiernum versum, Dicant nunc qui redempti sunt à Domino, de alio, id est, centesimo sexto psalmo sumi placuerit, quia videlicet tot' psalmus ille, exhortatio est ad omnes fideles, laudare Dominum, quod per scientiam sui de quadruplici tentatione nos liberauit, scilicet quia eripuit eos de necessitatibus eorum, id est, de periculo infidelitatis, quia liberauit eos de necessitatibus eorum, id est, à delibilitate prauę consuetudinis, quia liberauit eos à tædio bonæ E actionis, quia eduxit eos ab hæreticorum impugnationibus & versutijs, qui prius enarrabant in solitudine inaquosa, i. in siccitate doctrinæ, sacrarum penuria scripturarum. Antequàm, sicut in introitu cãtamus, aqua sapientiæ potaret eos, antequàm sicut in offerenda canimus, intonante, de cælo Domino apparuerũt fontes aquarum. i. Apostoli, per quos altissimus dedit vocẽ suam, id est, illam, de qua nunc loquimur, notã fecit viarum suarum scientiam. Plane igitur tertiæ feriæ officium, tertiam beatitudinis commendat sententiam, prædicando eam, quæ non iactantes, sed lamentantes faciat scientiam.

2.Cor. 11.
Luc. 24.

Psal. 106.
Eccl. 35.

Psal. 17.

Cur

Cur statio ad sanctum Paulum.

Statio ad sanctum Paulum cõuenienter huic officio præscripta est, iuxta omnia quæ supra dicta sunt, vel rationabiliter dici possunt. Huic enim singulari gratia Dominus aperuit sensum vt intelligeret scripturas, quod paulo ante de cæteris Apostolis dictum est. Vnde & ipse ait, Euangelium meum, quod Euangelizatũ est, nõ est à me, neque enim ego ab homine accepi illud, neque didici, sed per reuelationem Iesu Christi. Itemque quod in eodem Euangelio dictum est, & prædicari in nomine eius pœnitentiam & remissionem peccatorum in omnes gentes, maxime per hunc adimpletũ est, per quem omnes gentes cognouerunt gratiam Dei, & per eum aqua sapientiæ gentes potatæ sunt, & maxime per eum luctuosa Dei scientia, dictis & scriptis apposita est, quod vberius in Epistolis ad Corinthios inueniri potest. Dicit enim his inter quos fornicatio audita fuerat: Et vos inflati estis, & non magis luctum habuistis, &c. Item, Contristati (inquit) estis ad pœnitentiam, contristati estis secundum Deum, & reliqua. Et intantum ab eis quibus prædicauerat, luctum exigebat, vt ipsi non lugerent, humilitatem se à Deo ipse deplangeret, & non lugentes lugeret, sicut ad eosdem Corinthios, Ne cùm venero, inquit, iterum humiliet me Deus apud vos, & lugeam multos qui ante peccauerunt, & non egerunt pœnitentiam super immunditiam & fornicationem & impudicitiam quam gesserunt. Hinc & beatus Iob, cum de scientia quam habuerat priusquam sibi Dominus de turbine loqueretur, dixisset, Audito auris audiui te, & de augmento eiusdem scientiæ, quòd accepit ex colocutione Dei, subiunxisset, Nunc autem oculus meus videt te, statim multiplicem scięti am causam esse ostendens effectiuam luctusque & pœnitentiæ, idcirco (inquit) ipse me reprehendo, & ago pœnitentiam in fauilla & cinere. Remoueamus igitur nostram à paschalibus gaudijs ineptam lætitiam, neque carnes agni comedamus absq; lactucis agrestibus, quia beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur.

A illud, quod secundum hodiernum Euangelium, Dominus noster post resurrectionem cum septem discipulis celebrauit, illa saturitas (vt beatus Gregorius exponit) significata est, quæ hic esurientibus & sitientibus iustitiam in illo æterno conuiuio repositа est. Restat igitur hoc solum, vt præeunte mystico sensu Euangelij, videamus qualiter illud cęterę consequantur partes officij.

Veridica doctorum expositione traditum nobis est, hoc quod Dominus noster post resurrectionem suam, discipulis in mari laborantibus, Ioan. 12.

Galat. 1.

Luc. 24. B stetit in littore, illud innuere, quòd ipse resurgens ex mortuis, iam non moritur, mors illi vltra non dominabitur, ac si rebus ipsis loquatur Rom. 6.
in ęternitatis soliditate stabilitus: Iam vobis in mari non appareo, quia vobiscum in perturbationũ fluctibus non sum. Quod mane facto stans in littore, discipulis nescientibus quia Dominus est, Mittite, inquit, in dexteram nauigij rete & inuenietis, illud significat, quòd manè, id est, in die iudicij, transacta præsentis noctę seculi, omnes electos suos vniuersali resurrectione ad dexteram suam congregabit. Magni etenim pisces C & numerati omnes centum quinquaginta tres omnes electos significant, qui meritis magni, & sanctę trinitatis fide perfecti, tunc ad littus maris, id est, in finem seculi, sunt colligendi. Ibi septem discipulos ad conuiuiũ inuitat, quia perfecta Ecclesia, iamque tota septiformi spiritu constructa, tunc receptis corporibus ad ęternas cum illo discumbent epulas. Quid ergo sibi vult hoc quod cantamus in introitu, dictum de die iudicij. Venite benedicti patris mei, percipite Matt. 15.
regnum, nisi quia significatur hoc ipsum in Euangelio prædicto per illud, quòd exeuntibus discipulis ad littus, tantumque numerum magnorum piscium trahentibus, ait Dñs, Venite, prãdete. Regnũ enim illud vnum æternũ prandiũ est, vna & perpetua cœna est. Illic inuenientur omnes electi, quos hic appellat benedictos patris sui, quique per illos pisces magnos & numeratos signati sunt. Illic inquam, in littore illo, id est, in seculi fine, prunas inuenient & piscẽ superpositum, piscem (inquam) assum, i. Christum Deum & hominem passum, tunc in ignem non passionis, sed amoris propositum, de quo amore loquitur Esaias. Dicit Dominus, cuius Esa. 33.
ignis est in Sion, & caminus eius in Hierusalẽ, quia videlicet ignis amoris, qui in Sion, id est, Apoc. 21.
in præsenti Ecclesia nunc est aliquantulus, tunc in Hierusalem, id est, in illa visione pacis æterna perpetuus, & inextinguibilis erit caminus. Ioan. 7.
Inuenient & panẽ positum, id est, veram vitæ æternæ alimoniam Deum, qui angelorum cibus est, quos pascit immortaliter. Epistola de actibus Apostolorum sumpta, de B. Petri Apostoli Act. 3.
prædicatione, more suo, cum testimonio secuturi præcurrit Euangelij, illũ maximè locum contingens, quo dicitur: Ascendit autem Simon Petrus, & traxit rete in terram. plenum magnis piscibus. Iam enim credo, inquit Gregorius, qđ

Iob. 42.

Exod. 12.
Matth. 5.

D

E

vestra

Universidad de Deusto
Biblioteca

vestra charitas aduertit, quid est quòd Petrus rete ad terram trahit. Ipsi enim sancta Ecclesia commissa est, ipsi specialiter dicitur: Pasce oues meas. Hoc agit verbis, hoc agit epistolis hoc (vt ad inceptum redeam) illo sermone secũdo egit, de quo prędicta lectio actione Apostolorum sumpta est, quo millia quinque virorum retibus fidei conclusa sunt. Versus gradualis, Dextera Domini fecit virtutem, pulchre ad hoc conCinit, quod ait: Mittite in dexteram nauigij rete, & inuenietis. Altius quoque intuentibus liquet, quia congrua vox est ipsius Dominici hominis in littore stantis, vt supradictũ est, & omnes mortalitatis nostræ fluctuationes egressi
Psal. 117. per potentiam resurrectionis. Dextera, inquit, Domini fecit virtutem, id est, potentia verbi mihi vniti fecit me vincere mortem, dextera Domini exaltauit me, id est, laudabilem fecit me. Iterumq; repetens. Dextera, inquit, Domini fecit virtutem, vt ostendat eiusdem resurrectionis qualitatem, s. æternam sicut sequitur in eodem Psalmo: Non moriar, sed viuam. Iuxta
Rom. 6. quem sensum cantamus cum Apostolo in Alleluia, in communione: Christus resurgens ex mortuis. Offerenda, Portas cęli aperuit Dominus; &c. Tertio nobis inculcat, & replicat, quid ille panis significet, quem piscatores nostri, cum copiosa multitudine magnorum piscium ad terrã egressi, cum asso pisce inuenerunt, & ad prandiũ vocati sunt. Scilicet ille idem panis, in illa est nobis patria repositus, quem nũc in via gustamus,
Psal. 77. vt videamus quoniam suauis est Dominus, quem in sacramento altaris sumimus. Aperuit enim Dominus portas cęli, & hunc panẽ pluit nobis, portas (inquam) cęli, i. prophetas qui prędixerunt, angelos qui annunciauerunt, Mariam quæ concepit, & peperit, Apostolos & doctores alios, qui prædicando Dei verbum immiserunt in ora animarum nostrarum egentium, & suam D inopiam anhelantium, vt gustaremus & agnosceremus, & ad patriam, vbi panis huius plenitudo est, tendentes in via non deficeremus.

Cur statio ad S. Laurentium. Cap. 10.

BEatus Laurentius vnus & bene notus de magnis illis piscibus, piscis magnus, idemq; assus, cuius assatura suauiter in tota Christi fragrat Ecclesia, in illa lõga morte in illis tormentis, quia bene manducauerat & bene biberat, inquit Augustinus, tanquam illa esca saginatus, & illo calice ebrius, tormenta nõ sensit. Ibi enim
Ioan. 6. E erat qui dixit: Spiritus est qui viuificat. Caro enim ardebat, sed spiritus animam vegetabat. Non cessit, & in regnũ successit. Idcirco de cunctis eisdem piscibus, quos Simon Petrus ad terram trahit, conuenienter hic vnus electus est, cuius magnitudinem hodierna statio spectandã nobis demonstraret. In hoc enim Christianæ fidei fortissimo propugnatore maxime claret illud, quod superius cum scripturæ auctoritate mõstratum est, quartam beatitudinem, quod est esurire & sitire iustitiam, quarto gradui cõA gruere donorum Spiritus sancti, id est, spiritui fortitudinis, quia martyr insignis esuriẽs in fortitudine, & fortis in esurie, adeo primo gustu panis illius saginatus est, vt tormenta non sitiret, quia & (sicut ait Augustinus) præeuntem Sixtum Episcopum sequi sitiens, accepit oraculum, vicit diabolum, peruenit ad triumphum.

De officio quintæ feriæ, Beati misericordes. Cap. 11.

QValiter officium quintæ feriæ, quintæ beatitudinum congruat sententiæ, qua dictum
B est, Beati misericordes, quoniam ipsi misericor- Matth. 5.
diam consequentur, promptum erit agnoscere, proposito prius mystico sensu lectionis Euangelicæ. Maria Magdalenæ, quæ fuerat in ciuitate peccatrix, quæque amando veritatem, lauit lachrymis maculas criminis, Ecclesiæ de gentibus typum gessit: quæ agnita veritate turbas errorum, quibus prostituta fuerat, deserens, ad fontem gratiæ lauanda cucurrit, & vox veritatis impletur, dicentis: Dimissa sunt ei peccata multa, Iudaico inuidente populo, cuius in typũ
C Pharisæus ille misericordiæ fontem reprehendebat, dicens: Hic si esset propheta, sciret vtique quæ & qualis esset quæ tetigit eum, quia peccatrix est. Hęc eadem mulier, sicut in hodierno legimus Euangelio, stabat ad monumentum foris plorans: & post allocutionem angelorum conuersa retrorsum, videt Iesum, & ipsa prius ab illo vocata nomine suo, vocat eũ & ipsa ma-
Ioan. 20. gistrum, &c. In his quoque typum gerit eiusdẽ Ecclesiæ. Sic enim Ecclesia de gentibus foris stabat, quia legis & prophetarum scientiam non introierat, & tamen Dominum quærebat, sicut ille beatissimus centurio Cornelius, vel sicut ille Aethiops eunuchus qui venerat adorare in Hie
D rusalem, & reuertebatur legens Esaiam prophetam, cuius aditũ ad intelligendum inuenire non poterat. Sic & multi gentilium Deum quæren- Act. 8. 10.
tes foris stabant, quia per quem ad veritatis notitiam ingrederentur, non inueniebant, futurum erat, sed non ante Domini ascensionem, vt illis veritas illucesceret, & fidem suam Apostolis indicarent, confitentes Christum ascendisse ad Deum patrem suum, id est, æqualem illum esse Deo patri secundum diuinitatem, quo minor est secundum humanitatem. Propter quod Mariæ volenti pedes eius tenere, Noli, inquit, me tangere, nondum enim ascendi ad patrem meum. Vade autem ad fratres meos & dic eis: Ascendo ad patrem meum, &c. Ac si Ecclesię de gentibus quærenti eum, sicut supra dictum est, & sicut ante passionem eius legimus gentiles quæsisse eum, dicentes Philippo: Domine, volumus Iesum videre, dicat ipse: Nolite nunc me Ioan. 12.
tenere, sed postquam ascendero ad patrem, ipsam ascensionem meam credere vos, Apostolis meis ostendite, qui fratres mei sunt, id est, per me idem quod ego vobis conferre poterunt. Itaque dici præsentis Euangelium beatitudini illi

illi consonat, Beati misericordes, quoniam ipsi
Osee 12. misericordiam consequentur. Nam in Osea de eadem Ecclesia Dñs dicit: Vocabo non plebem
Actor. 10. meam, plebem meam: & nõ misericordiam consecutam, misericordiam consecutam. Et rectę quinta hæc beatitudo, imò beatudinis causa, qđ est misericordem esse secundum Augustinum, sicut supradictum est, quinto sursum gradui cõfertur donorum Spiritus sancti, i. Spiritui consilij: quia sicut cõsilium regit animum, sic supradictam mulierẽ misericordia & compassio, qua compungebatur, plorans ad monumentum, iuuit, vt prima videret Dñm, sic & Cornelium opera misericordiæ, i. eleemosynæ quas faciebat, vt indice angelo peruenire ad Dñm, imò sic omnium quærentium Deum, misericordię consilium purgat oculum. Sed iam officij membra cætera, capiti suo, s. sensui coaptemus Euangelico. Primum pene idem in eunucho miramur apparere mysterium, de quo narrat præcurrens lectio Actuũ Apostolorum. Nã quod in Euangelio significatur per peccatricem, in Epistola
Act. 8. narratur cœptum agi per Æthiopem. Vterque enim iustificandę peccata significabat Ecclesiæ. illa peccatricis nomine, ista Aethiopica nigredine. Ibi peccatrix Dñm quærens, ipsos Apostolos superabat amore, hic Aethiopia præueniebat Dño Deo manus dare. Illa quasi mortuum
Psal. 67. Dñm plorabat, hic in Esaia prophetiam passionis Dñi compatiendo legebat. Illi tenebræ erãt ad monumentum, huic deerat lucerna scientiæ ad intelligendum. Illa videns Dñm non agnoscebat, hic de illo legẽs comparationem ouis & agni, de quo diceretur, nesciebat. Ad summam, illius aperti sunt oculi & os, vt diceret Rabboni. Huic vt magisterio veritatis consentiẽs, prædicante Philippo, diceret, Quis me prohibet baptizari? Iste est mutus per Mariam significatus D & in eunucho tanquã in primitijs assumptus est, iste (inquam) est mutus gentilium populus, & isti sunt infantes, s. idololatræ, Deum loqui nescientes, de quibus in introitu cantamus: Victri cẽ manum tuam Dñe laudauerunt pariter, quia sapientia aperuit os muti, & linguas infantium fecit disertas. Quam ob causam laudauerũt? Videlicet, quia sicut in eodem libro Sapientiæ prę
Sapi. 10. E missum est, inimicos eorum operuit mare, s. baptismi, & ab altitudine inferorum educti sunt, quia per baptismum resurrectione prima, quæ est animæ, resurrexerunt. Hæc ita esse, manifestius ex subsequente collecta cõprobatur: Deus, qui diuersitatem gentium in confessione tui nominis adiuuasti, da vt renatis fonte baptismatis, vna sit fides mentium & pietas actionum. Versus quoque gradualis in eo congruit q. ait,
Psal. 117. Dñs Deus & illuxit nobis, quia Mariæ quærenti viuentem cum mortuis, tenebrę erant ad monumentũ, per quas significabatur ignorantia Dei, in cordibus gentium, quæ & manifestius expressa est per gentilem atq; Æthiopem eunuchum. Nec aliud alleluia melius secundum hunc congruit sensum, quàm, Surrexit Christus & illuxit

populo suo. Dies ille solẽnitatis nostræ, de quo in offerenda canimus, In die solennitatis vestræ dicit Dñs, &c. dies magnus, dies præclarus, Christus est dies de die, lumẽ de lumine, in quo exiuimus de terra Aegypti, id est, de tenebris, quas illæ tenebræ significauerunt, quæ erant Mariæ ad monumẽtũ, siue supradicti Aethiopica nigredo eunuchi. Dies, inquam, cuius in lumine gradiendo, tendimus ad terrã, quæ vere lacte & mel le fluit, qa præsens illic est Deus & homo Christus semper ex diuiniate & humanitate suauis angelis, & hominibus dulcis, semper præsens, 2. pet. 2.
B semper desiderabilis. Hic nobis ex tunc illuxit, ex quo nobis ad patrem ascendit, id est, ex quo illum agnouimus & credidimus æqualem patri. Eius ergo virtutes rectę in communione annunciare iubemur, nos populus acquisitionis, quia secundum ea quæ dicta sunt, de malis & profundis tenebris vocauit nos in admirabile lumen suum.

Cur statio ad sanctos Apostolos. Cap. 12.

STatio ad sanctos Apostolos perspicue supra- Iob. 40.
dicto congruit mysterio, per Apostolorum Ioan. 20.
C enim factum est ministerium, quòd os muti apertum est, quòd linguæ infantium disertæ sunt, quod Æthiops hortidus agnelli candido vellere vestitus est, q. peccatrix quælibet anima foramẽ crucis inuenit in maxilla Leuiathan, per quod effugiens crucifixã non iam in monumento, sed in cęlo, quærens inueniat misericordiam. Propter quod eosdẽ Apostolos, in Euangelio supradicto vocat Dominus fratres suos, quia studiis illorum actum est, vt eo nihil minus habeat gentium Ecclesia, quòd eam Dominus suo corporali non illustrauit presentia.

Sed & Philippus, qui supradictum fidei candore vestiuit Æthiopẽ, nomine suo cũctos my-
D sticè signat Apostolos. Philippus enim inter- Esa. 62.
pretatur os lampadis. Lampas autem, id est, lux, mundi saluator est, sicut Esaias dicit de illo: Propter Sion non tacebo, & propter Hierusalem non quiescam, donec egrediatur vt splendor iustus eius, & saluator eius vt lampas accendatur. Cuius os, Apostoli vel quique prædicatores sancti recte dicuntur, quia verum à falso sepa- Hier. 15.
rãt, sicut alibi dicitur: Si separaueris preciosum à vili, os meum eris. Philippus ergo cunctos (vt dictum est) suo nomine signat Apostolos, qui
E vsque hodie scriptis suis Æthiopissas candidare non desinunt animas: insuper & redarguunt synagogam murmurantem contra Dominum, propter gentium Ecclesiam, sicut quondam Maria murmurauit contra Moysen, propter vxo- Num. 12.
rem eius Æthiopissam.

De officio sextæ feriæ, Beati mundi corde. Cap. 13.

OFficium sextæ feriæ patenter respondet beatitudinum sextæ sententiæ, Beati mun- Mat. 5.
do corde, quoniam ipsi Deum videbunt. Agit Rom. 7.
enim

Universidad de Deusto
Biblioteca

Rom.7.

enim de fœlicitate trãsmigrantium, scilicet om A
nium qui de vetustate carnis ad nouitatẽ Spiri-
tus transmigrantes, mundato cordis oculo per
longum desiderium gloriam summæ trinitatis
tandem visuri sunt. Eorum nanque in typum
patres nostri Apostoli euocati, abierunt in Ga-
lilæã, in montẽ vbi constituit illis Iesus, sicut ho
diernum refert Euangeliũ, & videntes eum ado
rauerunt, simulq; mandatum acceperunt, qua-
liter omnia vasa quæ forti armato fortior ipse
superueniens abstulerat, emundarent, dicente
Matt. 21. Domino: Euntes docete omnes gẽtes, baptizan
tes eos in nomine Patris & Filij & Spiritus san B
Luc. 11. cti. Illud nemo qui dubitet, quod cum dixerit:
Matth. 28. Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum vide-
bunt, p munditiam cordis obtineri intellectum,
ac per hoc supradictum Augustini in hoc quo-
que constare sententiam, sextam beatitudinis
sententiam, sexto gradui donorum Spiritus san
cti sursum versus congruere, id est, munditiam
cordis intellectui nunquam deesse. Igitur de cæ
teris partibus officij supereſt vt suo capiti, sci-
licet Euangelico conferantur sensui.

Primum in præcedẽte lectione Epistolę beа-
tus Petrus, cum præmisisset dicens: In diebus
1. Pet. 3. Noe, cùm fabricaretur arca, in qua pauci, id est,
octo animæ saluæ factæ sunt per aquam, statim
subiecit: Quòd & vos nunc similis formæ sa-
luos facit baptisma, non carnis dispositio for-
diũ, sed conscientiæ bonæ interrogatio in Deũ.
Non quæsitu opus est, in quo lectio hæc supra-
dicto Euangelio consonet, quo primum saluta-
ris baptismi regula tradita est. Notum quippe
est, & in doctorum scriptis authenticis vsitatũ
similis formæ, vt ait in hac Epistola Petrus
Apostolus, esse baptisma, & in eius typum præ-
cessisse hoc quod paucæ, id est, octo animę saluę
D
factæ sunt per aquam in arca in diebus Noe,
Christum namq; præfigurauit Noe, tam actu
quàm nomine, videlicet quia Noe interpreta-
tur requies, quod nomen illi à Patre Lamech
impositum est, dicente, Iste consolabitur nos:
vel, vt in Septuaginta habetur, requiescere nos
faciet ab operibus & laboribus manuum nostra-
rũ in terra cui maledixit Deus. Christus etenim
Gen. 5. nostra requies est, sicut ipse dixit: Discite à me,
Matt. 11. quia mitis sum & humilis corde, & inuenietis
requiem animabus vestris. Cum ergo Noe gu-
bernauit arcam super vndas diluuij, quibus &
E
peccatores deleti sunt, & hi qui cum illo erant,
Mar. 16. salui facti sunt per fidem, quia credentes iusti-
tiæ Dei sese ab incredulis diuiserunt: Christum
actu quoq; præfigurauit, vt dictum est, qui nũc
gubernat Ecclesiam super vndas baptismi, qui-
bus qui non credunt condemnantur: qui verò
credunt & baptizantur, cum ipso saluantur: & il
lis affert Spiritus sanctus pacem, i. peccatorum
remissionem, cuius figuram tũc gessit columba
Gen. 6. ferens ad arcam in ore suo virentis oliuę ramũ.
Ipse aũt octonarius numerus animarum, quę in
arca saluę factę sunt, quia à primo pari, i. bina-
rio, proficiscẽs solidũ corpus creat, s. habens lon
gitudinem, latitudinem, atq; altitudinem. Nam
bis bina bis, octo sunt, quòd apud geometras &
arithmeticos quoq; vsitatum est. Ipse, inquam,
octonarius numerus animarum, perfectionem
designat corporis Ecclesiæ, quod præcũte mun
do infideliũ per aquę iudiciũ, quo nunc fideles
ab infidelibus separantur, fide sua se saluat, &
in ligno crucis supernatat. Et pulchrè arca illa
fenestram habuit in latere per quam saluandi
illi ingrederentur: quia Christus lancea militis
in latere est vulneratus, per cuius vulneris sa-
crametum cuncti credentes Ecclesiam ingre-
diuntur. Et quoniã Ecclesia de hominibus con-
stat, pulchrè arca illa, quæ Ecclesiam figurabat,
quamdam humani corporis similitudinem in
ipsa forma sua prętendebat. Siquidem humanũ
corpus sic est, vt lõgitudinis suę sextam partem
habeat in latitudine, decimamque eiusdem lon-
gitudinis in altitudine. Sic arcam constructam
Gen. 6. fuisse non dubium est. Trecentorum erat cubi-
torum in longitudine, quinquaginta in latitudi
dine, triginta cubitorum in altitudine.

Igitur per omnia, lectione Epistolæ, Euange
lio cõsonante, cætera promptum est officij mẽ-
pſal. 77. bra coaptare. Introitus: Eduxit eos Dominus
C
in spe, & inimicos eorum operuit mare. Itemq;
offerenda. Erit vobis hic dies memorialis, cum
versibus suis, notis & propinquis sensibus, tam
Euangelio quàm Epistolæ fœderantur. Mittũt
enim nos ad historiam patrum celeberrimam,
1. Cor. 10. qui in typum baptismi nostri omnes in Moyse
baptizati sunt, in nube & in mari.

Nam sicut illos in spe eduxit Dominus, s. spe
rantes liberari, quamuis Pharao cum suis perse
queretur, & inimicos eorum visibiles operuit
mare: sic omnes in Christum credentes, quamli
bet maxima peccata se fecisse recordentur, cum
D
certa spe remissionis ad illum egrediuntur, &
omnia peccata eorum in mari, i. in baptismi flu
ctibus operiũtur. Et propterea dies hic, scilicet
Christus, cuius in lumine à tenebris exiuimus,
memorialis esse iubetur, Christus inquam, qui
dies noster, i. pascha nostrũ est, festus nobis atq;
solennis, semper celebrandus, atq; in mente ha-
bendus est, qui tacentibus nobis solus pugnauit
pro nobis, quia solus moriens pro cunctis, mare
illud, quo inimici, id est, peccata nostra operiun
tur, de latere suo lanceatus effudit. Versus gra-
dualis: Lapidem quem reprobauerunt ædifican
pſal. 117. tes, hic factus est in caput anguli, illi sententiæ
Heb. 2. concorditer occurrit, qua Dominus noster glo
riam & honorem, quo propter passionem mor-
tis coronatus est, exprimit, dicens in eodẽ Euan
Matth. vlt. gelio: Data est mihi omnis potestas in cælo &
in terra. Et rectè in suggillationem eorum, qui
lapidem talem reprobauerunt, supra dictę sen-
tentiæ Euangelij, Propheticum hoc iungitur
testimonium. Et hoc est illud quòd cum despi-
Mar. 14. ceretur coram Pontificibus, patienter ferens:
Veruntamen dico vobis, inquit, amodo vide-
bitis filium hominis sedentem à dextris virtu-
tis Dei.

Cur

Cur statio ad sanctam Mariam. Cap. 14.

QVod superius iam dictum est cum non im-
probanda Hieronymi sententia, discipu-
los vndecim abeuntes in Galileam in montem,
Matth. vlt. sicut hodierna Euangelij lectio refert, in Na-
zareth, quæ in monte sita est, & in domo Marię
Dominum vidisse. Illud quoque nonnihil affir-
mat, quòd statio ad sanctam Mariam hodierno
officio præscripta est. In hoc enim idem sensisse
Romana probatur diligentia. Et pulchrè hoc
officium, quod secundum lectionem Euangelij
totum, vt supradictum est, ad sacramentum B
pertinet baptismi, apud ipsam decantari Apo-
stolica statione prescriptum est, apud quam in-
tus erant discipuli, & Thomas cum eis, vt Hie-
ronymo placet, quoniam secũdum hodiernam
Euangelij lectionem vnica baptizandi regula
tradita est.

De officio sabbati: Beati pacifici. Cap. 15.

SEptima beatitudinum sententia est: Beati
pacifici, quoniam filij Dei vocabuntur. Paci
fici verò hi sunt, qui pace inter se Deumq; ac-
cepta, nihil iam, quod Deo repugnet, admitten
tes, simul & hoc satagunt, vt in via vitæ præsen-
Rom. 12. tis ad omnem hominem cum pace ambulent,
iuxta Apostolum qui ait: Si fieri potest, quod ex
vobis est, cum omnibus ho minib. pacem haben
tes. Huius rei nobis exemplum, in summo nego
cio præsentis sabbati prædicat officium. Quod
Ioan. 20. vt manifestius fiat, mysticum inprimis hodier-
ni Euangelij pona nus intellectum: Currebant,
inquit Euangelista, duo simul, videlicet Simon
Petrus & ille alius discipulus, quem diligebat
Iesus, &c. Nota doctorũ expositio est, per Ioan-
nem, qui prior ad monumentum venit, sed non D
introiuit, synagogam significari, quæ habens le
gem & prophetas prior Dñicam passionẽ legit,
sed credere in mortuum noluit. Per Petrum ve-
rò qui posterior venit, sed prior introiuit, mul-
titudinem gentium designari, quæ posterior ad
eiusdem Dñicæ passionis notitiam peruenit, sed
prior ad fidem accessit. Verùm ad præsens per-
tinet negocium, quęrere propter prædictã bea-
titudinis sententiam, qui ad Ecclesiam spectet,
in eo quòd pacifica est. Quòd per præcurrẽtem
Epistolæ lectionẽ fidelis indagatio citius con-
sequi potest. Nam cùm præmisisset Apostolus E
1. pet. 2. Petrus de lapide Christo dicens, ad quem acce
dentem lapidem viuum, ab hominibus quidem
reprobatum, à Deo autẽ electum & honorifica
tum, paulo post subiungit: Vobis igitur honor
credentibus, non credentibus autem lapis, quẽ
reprobauerunt ædificantes, hic factus est in ca-
put anguli, & lapis offensionis, & petra scandali,
his qui offenduntur verbo, nec credunt in quo
& positi sunt. Huiusmodi offensio vel scandalũ
manifestè paci opposita sunt, per quæ Iudæi re-
bellionis & incredulitatis arguuntur, eò quòd
odio gentium concurrentium, quæ per Petrum,
vt dictum est, designantur, adeo torquentur, vt
(sicut per Ioannem figuratur) Maluit foris stan A
do perire, quàm cum societate gentium ad fidẽ
passionis Christi introire. His ergo iræ & rixæ
filijs exhæredatis, Beati pacifici, quoniam filij
Dei vocabuntur, sicut in eadem Epistolæ lectio
ne Petrus adiungens: Vos autem, inquit, genus
electum, regale sacerdotium, gens sancta, popu
lus acquisitionis, &c. Talisque pacis filius quia
nullius hominis ad Deum tendentes societate
offenditur: ascendit, inquit Augustinus, ad sa-
pientiam, quæ septima est in ascensu graduum, i.
donorum sancti Spiritus, & ipsa sapientia tran-
quillus pacatusq; perfruitur. Dictum est enim
suprà secundum eundem Augustinum, septem
beatitudines (octaua enim eadem quæ prima
est) septem gradibus donorum Spiritus sancti
sursum versus coaptari, quorum primum siue
infimum est spiritus timoris Domini, supre-
mum autem spiritus sapientiæ, ad quam ascen-
dunt, vt nunc dictum est, beati pacifici filij Dei.
Secundum ea quæ dicta sunt, consonanter præ-
mittitur ad introitum. Eduxit Dominus popu- pſal 104.
lum suum in exultatione, & electos suos in læti-
tia: Per hoc enim mittitur ad aliam similitudi-
nem antiquam, qua idem præfiguratum est, q C
nunc in Euangelio per Petrum & Ioannem si-
gnificari accipimus, s. ad historiam Patrum,
qua referuntur hi, qui primùm promissiones ac-
ceperunt, reprobati esse propter incredulita-
tem, de quibus illud in Psalmo: Quadraginta pſal. 94.
annis offensus fui generationi illi, ac deinceps,
quibus iuraui in ira mea, si introibunt in requiẽ
meam. Filij autem qui post ipsos surrexerunt, in
illam introducti repromissionis terram, eundẽ
populum gentium significauerunt, qui nũc per
Petrum posterius venientẽ, sed prius introcun-
tem in monumentũ, designatus est, de illis quip-
pe, qui reprobatis patribus introierũt illam re-
promissionem, dictum est in Psalmo centesimo
quarto: Et eduxit populum suum in exultatio-
ne, & electos suos in lætitia. Eduxit scilicet de
deserto. Nam de eo quòd de Ægypto educti
sunt, suprà dixerat: Et eduxit eos cum argento pſal. 104.
& auro, & non erat in tribubus eorũ infirmus.
Sed & hoc quod sequitur ita esse innuit: Et de-
dit illis regiones gentium, & labores popolo-
rum possederunt. Supradictus ergo introitus
gratiarum actio est, quòd retardante populo Iu
daico, iuxta mysticum Euangelij sensum, gen-
tes admissæ sunt, secũdum illud Apostoli: Quia Rom. 11.
cæcitas contingit in Israel, donec plenitudo
gentium subintraret. Gradualè verò iam ex
hac die in alleluia conuersum est, imò post hãc
diem vsque ad Pentecosten omittitur, videli- pſal. 112.
cet quia hi, propter quorum acquisitionem no-
uamque conscriptionem, hoc laboriosum car-
men cantabatur depositis albis, iam ab hac
die pares nobis, in illius octauæ, de qua sæpè di-
ctum est, contemplatione nobiscum feriantur.
Quòd autem sequitur alleluia, laudate pueri
Dominum, duplici versu, adhortatio est ad ip-
sos, qui recenti baptismate puri, i. puri facti

Universidad de Deusto
Biblioteca

Ioan. 20. sunt à vitijs, vt laudent Dominum voce & ope- A
re, quia sicut in Petro figuratum est, qui prior introiens in monumẽtum, vidit linteamina posita, & sudarium capitis Domini: sic ipsi ad fidẽ ingressi, qui erant absque Deo, notitiam accepe
Ephes. 2. runt humanitatis ac diuinitatis Christi. Totus enim Psalmus ad electionem gẽtium dirigitur, quod maximè ex eo comprobatur, quòd in fine
Psal. 117. eius dicitur: Qui habitare facit sterilem in domo, &c. Offerenda quoque, benedictus qui venit in nomine Domini, patenter eisdem pueris Dei congruit: Hunc etenim versiculum Psalmi centesimi septimidecimi cantauerunt & illi pueri, B
Matt. 21. qui venienti ad passionem Saluatori occurrerunt, in manibus portantes ramos palmarum. Addit quoque mater Ecclesia dicens pueris suis: Benediximus vos de domo Domini, id est, baptismate sacro signamus vos, qui sumus familia Domini, quia Deus Dominus illuxit nobis,
Esa. 9. sicut alius propheta dicit: Populus gentium, qui ambulabat in tenebris, vidit lucem magnam, gentium, inquam, quarum, vt dictum est, in Euangelio præsenti Petrus gestat figuram. Duo
1. Pet. 2. quoque sequentes versus ad idem spectant. Primus iam hæc dies quam fecit Dominus, ad gau C
dium gentium, quarum in typum Petrus introiuit in monumentum: secundus, lapidem quem reprobauerunt ædificantes, ad suggillationem Iudæorum, quibus Christus lapis offensionis &
petra scandali est, quos designans Ioannes, cùm prior venisset, quasi offensus substitit, & à posGal. 3. teriore Petro preuentus est. Communio, omnes qui in Christo baptizati estis, Christum induistis, manifestè consonat supradictæ beatitudinis sententiæ: Beati pacifici, quoniam filij Dei vocabuntur: Præmiserat enim Apostolus Paulus loquens ad Galatas, quos cõturbabant qui- D
Galat. 3. dam ex Iudæis, quibus erat Christus lapis offensionis & petra scandali. Omnes, inquit, filij Dei estis per fidem in Christo Iesu, & mox causam hanc subdidit: Quicunq; enim in Christo baptizati estis, Christum induistis. Quod omninò ad baptizatos respicit, vt non quærant circuncisionem carnis, sed solam seruent, quam acceperũt veram circuncisionem spiritus, nec magis scandalo Iudæorum permoueantur, quàm substitit Petrus, pro eo quòd Ioannes ante se vel pariter in monumentum non ingrederetur.

Cur Statio ad sanctum Ioannem ad Lateranas. Cap. 16.

NOn solùm hoc sabbato, quo deponuntur albæ, sed & octaua superius die, id est, sabbato sanctæ paschæ, maternum Lateranensis Ecclesiæ priuilegium exigit, vt nusquam Apostolicus aliàs procedat, sed in eadem Ecclesia quæ sedes est Apostolica, cœptas nihilominus sacri baptisterij concludat octauas. Est autem in honore sancti Saluatoris sanctique Ioannis Baptistæ ab Imperatore Constantino constructa dicente. Sit omnibus notum, nos ita Christi cultores effectos, vt intra palatium nostrum templum eius nomini construamus, in quo populus Christianus vnà nobiscum conueniens, diuinitati illic gratias referat. Nomen ipsum, quòd dicitur ad Lateranas, antiqua probra spurci Neronis accusat, qui dedecorosè potionibus vsus malescis, illis, vt fertur, latens, ranas euomuit. Sed vbi abundauit iniquitas, superabundante gratia, nunc illic Romani imperij mater est Ecclesia quæ illos, quos sabbato sancto genuit, &
Rom. 5. Christi candore vestiuit filios, nihilominus hac die octaua, spirituali circuncidit petra, quam petram scandali Iudæis, nobis autem credentibus petrã honoris & caput anguli in hodierna Epistola, de qua supradictũ est, Petrus appellat.

Circuncisio verò spiritualis, & vera ipsa est de qua in eadem Epistolę lectione præmiserat. Fratres, deponentes omnem malitiam, & omnem dolum, & simulationes, & inuidias, & omnes detractiones, sicut modò geniti infantes, rationabiles, & sine dolo, lac concupiscite, &c. Vera,
1. Pet. 2. inquam, & verè sancta, solaq; necessaria est circuncisio hæc, qua nostri corporis sensus omnes, & ipsum principale nostrum, id est, mens, circun ciditur. Nam sine hac circuncisione Christus in nobis moritur, id est, Christi fides, nec prodest nobis illud, quod in communione gratulabun-
Galat. 3. dus nobis loquitur Paulus: Omnes, inquit, qui in Christo baptizati estis, Christum induistis,
Iacob. 2. sicut & Iacobus Apostolus ait: Fides sine operibus mortua est.

Quod bene per illud veteris historiæ factum præfiguratum est. Cùm esset Moyses in itinere
Exod. 4. in diuersorio, occurrit ei Dominus, & volebat occidere eum. Tulit ilico Sephora acutissimam petrã, & circũcidit pręputium filij sui, tetigitq; pedes eius, & ait: Sponsus sanguinum tu mihi es. Et dimisit eum, postquam dixit ei sponsus sanguinum tu mihi es ob circuncisionem. Moyses nanq;, in eo quod Sephoram vxorem habuit alienigenam, Christum significat, qui de gentibus alienigenam accepit vxorem, Ecclesiam. Vnde illud, quod Aaron & Maria locuti sunt contra Moysen propter vxorem eius Æthiopissam: doctores nostri mysticè ad hoc referũt, quòd synagoga & vetus sacerdotium, inuidendo saluti gentium, vsq; hodie Christum blasphe
Num. 13. mat. Moyses itaq; cùm esset in itinere in diuer- E
sorio, nondum circuncisis filijs, occurrit ei Dominus, & volebat eum occidere: quia dũ Christus inter nos per fidem in itinere vitæ prẽsentis ambulans, in diuersorio est, id est, ad eos qui nunc baptizantur, diuertit: nisi illi filij eius sic circuncidantur, vt supra dictum est, fides ipsius in eis citius moritura est.

Quod ne fiat, tollit citò Sephora, id est, mater Ecclesia, petram acutissimam: & circuncidit filiorum suorum præputium, scilicet ea circuncisione, de qua supradictum est in lectione Epistolæ. Petra illa quæ idem Christus est, de qua in eadem lectione dictum est, carnem, id est, opera carnis, solicitè ac festinanter abscidit:

Tan-

Tangitque pedes eius, id est, vestigia sequitur, A
1. Pet. 2. dicitque eisdem filijs suis, Christus passus est pro nobis, relinquens exemplum, vt sequamini vestigia eius. Sponsus, inquit, sanguinum tu mihi es, videlicet, quia me tibi despondens, sanguinem tuum in dotem fudisti, & cùm causæ articulus exigit, vt pro te patiar, sanguinis mei vicem reposcis: & nunc interim carnem meã crucifigam cum vitiis & concupiscentiis. Igitur (vt
Gal. 5. supradictũ est) rectè hac octaua die agitur statio ad sanctum Ioannem Lateranensem, quia mater & Apostolica sedes illa Ecclesia est, & B
quos Christo filios genuit, ipsa spirituali circuncisione circuncidit.

De octaua die: Beati qui persecutionem patiuntur propter iustitiam. Cap. 17.

OCtaua beatitudo redit ad caput, id est, eadem est, quę prima, quoniam ipsorum est regnum cælorum. Verumtamen & paululum differt, in eo, s. quòd præcedens causa beatitudinis alia hìc, alia est illic. Illic enim, i. in prima
Ioan. 20. dictum est: Beati pauperes spiritu: hìc, id est, in C
octaua dicitur; Beati qui persecutionem patiuntur propter iustitiam. Vnde Hieronymus: Et considera, inquit, quòd octaua verę circuncisionis beatitudo martyrio terminetur. Igitur licèt octaua die cantetur idipsum officium, quod & prima, eo quod octaua beatitudo ad caput, vt dictum est, redeat: rectè tamen quoniam & precedentes causæ beatitudinum, primæ & octauæ differunt, aliud in eodem officio ab his qui diligentiores sunt, retinetur hebdomadæ sequentis Euangelium, s. illud secundum Ioannem, Cum esset serò die illa, &c. Nã & litera lectionis huius octauam diem commemorat, & post dies octo D
iterum, inquit, erant discipuli intus, & interior sensus octauam beatitudinis causam nõ prętergreditur. Quid enim est, quòd discipulis, forib.
Luc. 6. clausis, intro manentibus, Dominus in medio
Psalm. 33. stetit bonum ferens nuncium consolationis & pacis, nisi quòd his qui persecutionem propter iustitiam, quosq; iuxta alium Euangelistã oderunt homines & separant eos, sicut iam Apostoli separati erant, non audentes coram illis procedere ad publicum, Dominus & Deus ipsorum familiaris sese accommodat contemplandum, vt gustent iam in suis tribulationibus, vt videãt, E
quomodo suauis est Dominus, atque ideo certior spes illos in medio tribulationis ambulantes consoletur, recolentes id, quod illa, de qua loquimur sententia replicando inculcare nititur, Beati qui persecutionem patiuntur propter iustitiam, quoniam ipsorum est regnum cęlorũ. Debet autem semper Epistola Euangelio suæ præcursionis officium, & iccirco illa quoque,
1. Ioan. 5. quæ huius Dominicæ est lectio Epistolæ non omittitur. Omne quod natũ est ex Deo vincit mundum. Nam in hac lectione victoriosa fides nostra prædicatur, & ipsa victoria mundi nuncupatur, quæ tribus adiuta testibus, nam Pater & Verbum & Spiritus sanctus in cęlo attestantur, totidemque in terra testes, id est, idem ipse spiritus, & aqua baptismi, Christiq; & martyrum eius sanguis veritati eius astipulantur, ternis, inquam, in cęlo & in terra defensa testibus regnum cęlorum adiudicat his, quorum iure beli est, scilicet his, qui persecutionem patiuntur propter iustitiam. Inroitus verò: Quasi modo geniti infantes, per sequentes hebdomadæ dies decantandus est, qui etiam Euangelio prædicto congruit, sed non per eandem sententiam, quæ iam dicta est, scilicet quòd propter metum Iudæorum discipuli Domini clausis foribus, intus erant persecutionem propter iustitiam pati incipientes, quæ, vt diximus, octauæ beatitudinis causa est. Respicit autem ad aliam sententiam, quam Dominus de futuris fidelibus proferens, Beati, inquit, qui non viderunt & crediderunt. Nam ne solã nobis fidem sufficere arbitremur, opportunè regula viuẽdi, sine qua fides mortua est, hoc introitu prælibata est. Nam nos quidẽ signati sumus in eo quod ait: Beati qui viderunt & crediderunt, sed si fidem nostram operibus sequamur. Ille etenim verè credit q̃ seruat operando quod credit. Quocirca de his, qui fidem nomine tenus retinent, Paulus dicit: Confitentur se nosse Deum, factis autem negant. Hinc & Iacobus dicit: Fides sine operibus mortua est. Rectè ergo qualis vita fidem vtilem efficiat, per hãc Apostolici sermonis particulam in introitu demonstratur, ne seducamus nos audientes de nobis dictum: Beati qui non viderunt & crediderunt. Ad hoc idem consonat & similiter accipienda est extrema præcuntis Epistolæ sententia: Qui credit in filium Dei, habet testimonium Dei in se. Communio, mitte manum tuã, plana quidem litera nostram ædificat, sed intus perspicientibus liquet, quod ad Iudaicum spectat populũ, qui hactenus in incredulitate persistit, cuius in typum Thomas Apostolus, diu dubitans, tandem vidit, palpauit & credidit. Neq; enim si solam sequamur literam, sensus per omnia stare poterit: quia beati quidem qui non viderunt & crediderunt: sed non ea comparatione vel intentione, quam litera sonat: Quia vidisti me, credidisti, beati qui non viderunt, & crediderunt. Igitur in persona Thomæ, reliquiæ Israel, quę saluę fient, minoris fidei, quàm gẽtes arguuntur: quia gentes non viderunt & crediderunt. Israel autem nisi res apparuerit, Helia & Enoch præeuntibus, non credet, cum Paulus dicat, fidem sperandarum substãtiam esse rerum, argumentum non apparentium, atque ideò laudabilioris sumus fidei, qui rem nondum apparentem fideliter credimus.

1. Pet. 2.
Ioan. 20.
Tim. 1.
Iacob. 2.
1. Ioan. 5.
Heb. 11.

FINIS OCTAVI LIBRI.

Universidad de Deusto
Biblioteca

RVPERTI ABBATIS TVITIENSIS DE DIVINIS OFFICIIS, LIBER NONVS.

De Dominica secunda post alb as. Cap. 1.

QVia Dominica hac sanctæ Romanæ Ecclesiæ solenne est, agendis instare consilijs, bene forma, quam sequi debeāt pastores animarum, per eiusdem Dominicę commendatur officium. Per Euangeliū manifestissimè id agitur, quod is, qui non ex accidenti dono, substantialiter bonus est, dicit: Ego sum pastor bonus, &c. Deinde ex oppositа descriptione mercenarij, suaq; iterata commendatione bonitatis, liquidum præbet ouibus iudicium, quod discernant, quos fugere, quibus suarum debeant animarum curam credere. Boni formam pastoris cæteræ collaudāt partes officij. Primo ad introitum cantamus de illa: Misericordia Domini plena est terra, videlicet vt sicut ille non solum iudicium diligit, sed & misericordiam: & primo loco misericordiam, secundo iudicium, sicut in eodem Psalmo, vno & eodē versiculo præmissum est: Diligit misericordiā & iudicium, sic & omnes, qui iudices animarum positi sunt, semper super exaltent misericordia iudicium, vt idem ipsi consequantur. Quodq; sequitur: Verbo Domini cęli firmati sunt, illud indicat, quod Apostoli vel pastores Apostolici, nō sua fortitudine, sed verbi Dei virtute, tales effecti sunt, vt videntes lupum venientem non fugiant, neq; oues dimittant, vt mercenarij faciunt. Epistola voce nō dubia, suæ præcursionis implet officium, vbi prę missо de hoc singulariter bono pastore, qui posuit animam suam pro ouibus suis, Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, vt sequamini vestigia eius: subiungitur in fine: Eratis enim aliquando sicut oues errantes, sed conuersi estis nunc ad pastorem & Episcopum animarum vestrarum. Offerenda verò non quidem adeò perspicuè, sed nō minus consonè cum eodē incedit sensu Euāgelij. Deus Deus meus ad te de luce vigilo: Psalmus nanque ille sic intitulatur: Psalmus Dauid cùm esset in deserto Idumææ, id est, Psalmus iste attribuendus est Christo, secundum quod egit vel pertulit positus inter Iudæos: qui desertum ideò vocantur, quia deserentes Deū, & ipsi iustè à Deo deserti sunt. Idumæi, quoque dicuntur terreni vel sanguinei, quia prophetarum & ipsius Domini sanguinem fuderunt. At verò hic pastor bonus illo deserto animam suam posuit pro ouibus suis. Rectè ergo, qui exemplo eius idem facere debent, voce eius excitantur, vt ad Deum de luce vigilent supra gregem suum: ad Deum non ad mercedem temporalem, anima & carne quam multipliciter sitiant & in velamento alarum, id est, in spe consolationis eius exultantes, lupum non timeant, neque dimissis ouibus fugiant.

Ioan. 10.

Psal. 39.

1. Pet. 2.

Psal. 62.

De Dominica tertia. Cap. 2.

CÆteræ quæ sequuntur Dominicæ vsque ad ascensionem Domini, promissionem eius adimpletam suis officijs concelebrant, qua post habitam de morte sua tristitiam, corda discipulorum de resurrectione sua lætificanda fore promiserat ea, qua tradebatur nocte loquens illis in cœna. Vnde pulchrè hac Dominica cātamus in introitu: Iubilate Deo omnis terra, Psalmū dicite nomini eius. Nam huic Psalmo sensibus suis competens titulus prescriptus est. In finem canticum Psalmi resurrectionis. Causa verò vel materia iubilationis, quæ hic imperatur, illa est, quam Dns in Euāgelio subsequenti prę missо tristitiæ nuncio subiungit: Iterum autem videbo vos, & gaudebit cor vestrum, & gaudiū vestrum nemo tollet à vobis. Vt autem similitudo, quæ præmissa est Apostolis, mulieris, tristitiam habentis, cùm parturit, nobis quoque congruat, quia sic expedit: bene hoc idem Euangelium, hæc Apostoli lectio pręcurrit: Obsecro vos tanquam aduenas & peregrinos abstinere à carnalibus desiderijs, quæ militant aduersus animam, &c. In hac enim abstinentia labor est, & sicut ait Psalmista, ibi dolores vt parturientis. Præmiserat siquidem: conturbati sunt, commoti sunt, tremor apprehendit eos, loquens de illis, qui iuxta Apostolum contristati sunt ad pœnitentiam. Sed sicut dolor parturientis fructuosus est, cum enim peperit, iam non meminit pressurę propter gaudiū, quia natus est homo in mūdum: sic & illud quod detrectant de nobis tamquam de malefactoribus, sine consolatione non erit, cum tandem considerātes nos ex operibus bonis, glorificabunt Deum die visitationis.

Psal. 65.

Ioan. 16.

1. Pet. 2.

Psal. 74.

2. Cor. 7

1. Pet. 2.

Qđ bene per Thamar in historia veteri prę figuratum est. Quam cùm accusarent dicentes: Fornicata est Thamar, & videtur vter⁹ eius intumescere: illa proferens annulum, armillamq; & baculum, quem pro arrabone dederat Iudas de vitо, inquit, cuius hæc sunt, concepi. Iudas quippè (quod interpretatur confessio) Christū significat: Thamar (quod interpretatur amaritudo) Ecclesiam de gentibus, in qua est amaritudo pœnitentiæ, qua & Petrus egressus fleuit amarè. Thamar igitur operiens vultum suum, id est, Ecclesia de pręteritis erubescens erroribus, sedit in itinere, quod ibat Iudas ad lauacrum ad tondēdas oues, i. occurrit Christo ad baptismum quemadmodū desiderat ceruus ad fontes aquarū. Quę cùm de Christo vero Deo fidē per Spiritum sanctum conceperit, & eandem fidem tamquam annulum, & opere fidei tamquam armillam, iustificationemque spiritus tamquam virgam pro arrabone, id est, pro pignore, accepe-

Gen. 38.

Matth. 6.

perit: accusatur tam à gentilibus quàm à Iudæis, quòd cum mendacio fornicata, & à spiritu erroris polluta sit. At illa patienter fallaces ferens accusationes, tandem obmutescere faciet imprudentium hominum ignorantiam, probās per prædicta pignora, quòd de vero Deo conceperit, & cum eodem Deo glorificabitur in die visitationis. Offerenda: Lauda anima mea dominum, ad prædictum in Euangelio pertinet huius mulieris de Christi resurrectione gaudium. Nā & hic Psalmus alleluia habet in titulo. Quodque versu canimus: Dominus erigit elisos, Dominus soluit compeditos, congratulatio illorum est, quorum tristitia, iuxta promissum Domini, resurgente illo, in gaudium conuersa est.

Matt. 25.

Psal. 41.

De Euangelio Dominicæ quartæ, quo dictum est: Nisi ego abiero, paracletus non veniet ad vos, &c. Cap. 3.

NOnnullis infirma videtur & insufficiens huius sententiæ vulgata expositio, videlicet, q iccirco Apostolis expedierit, vt Dominus noster hinc abiret, quia nisi corporalem præsentiam suam illis abstulisset, ipsi spiritualiter illū amare nescirent, atque adeò dixerit: Si enim nō abiero, paracletus non veniet ad vos: si autem abiero, mittam eum ad vos. Minus enim expositum videtur, quàm exposcit maiestas doni Spiritus sāncti, maxime quia Dominus ipse eiusdem Spiritus sancti aduentum baptismum vocat, dicens in Actis Apostolorum: Quia Ioannes quidem baptizauit aqua, vos autem baptizabimini Spiritu sācto nō post multos hos dies. Baptizari autem Spiritu sancto, nihil aliud est, quàm per Spiritum sanctum originalis peccati, & omnium actualium remissionem accipere peccatorum, totumque hominem veterem in vitæ transferri nouitatem. Quo sensu prædicta expositio procul dubio minor est. Non enim spiritualiter Deum amare, & Spiritu sancto baptizari paria sunt. Alioquin veteres sancti, qui sine dubio Deum spiritualiter amauerunt, imò & magna eiusdem sancti Spiritus dona perceperunt, prophetantes, & signa facientes, baptizati Spiritu sancto fuissent, id est, remissionem peccatorum accepissent, neque apud inferos propter originale peccatum tenerentur vsque ad Christi aduentum. Sed & illud repugnat, quod Apostoli Dominum præsentem spiritualiter, quamuis non adeò fortiter amauerunt: verbi gratia, Petrus, cui dictum est amorem tertio confitenti: Si diligis me, pasce oues meas. Nam hunc amorem ei non caro & sanguis reuelauit, sed Pater qui in cælis est. Non igitur proprietatem sensus in his Domini dictis nos inuenisse arbitramur, nisi vtramque eius sententiam exæquemus, vt scilicet idem sit: si enim non abiero, paracletus non veniet ad vos, ac si dixisset: si enim non abiero, vos non baptizabimini Spiritu sancto.

Act. 1.

Ioan. 21. Matt. 16.

Quod facile est consequi, si prius aduertamus quando vel quomodo abierit. Multi enim illum tunc primum abiisse recolunt, quando videntibus Apostolis ascendit in cælum. Sed quando ascendit, Apostoli gauisi sunt, & sicut cantamus, lumine læto petentem sydera prosecuti sunt, imò, vt ait Lucas, & ipsi adorantes regressi sunt in Hierusalem cum gaudio magno. Dominus se abeunte tristandos illos fore prædixerat, tristitia, inquiens, implebit cor vestrum. Et paulò post: Amen amen, inquit, dico vobis, quia plorabitis & flebitis vos, mundus autem gaudebit, vos autem contristabimini, &c. Igitur cum auctoritare Euangelica non tunc primum illum abiisse constat, quando ascendit in cęlum, sed quando moriens reliquit mundum, & iuit ad patrem. Nam de morte eius loquebatur Ioannes Euangelista, cum dicet: Sciens quia venit eius hora, vt transeat ex hoc mundo ad patrem, &c. Eadem quippè nocte tradendus, sermonem habuit cum discipulis suis, de quo hæc lectio sumpta est, & circa finem orationis: & iam, inquit, non sum in mundo, & hi in mundo sunt, & ego ad te venio. Propter quod passio eius pascha dicitur, id est, transitus. Itaque propter hunc eius abscessum datum esse paracletum, scilicet Spiritum sanctum, in eo quod paracletus est, hoc modo colligimus: Spiritus sanctus iccirco paracletus, id est, consolator, dicitur: quia captiuos filios Adæ, filios efficit Dei per regenerationem baptismi, & in hoc seculo peregrinantes consolatur, testimonium reddendo spiritui nostro quòd sumus filij Dei, quando non solum in prophetiæ gratiam, sed in remissionem originalis peccati, omniumque actualium peccatorum, datur per fidem Ie su Christi. Hoc autem non fieret, nisi Christus vnus pro omnibus nobis, æterno patri, Adę debitum soluisset, & veteris piaculi cautionē pio cruore deterfisset. Nec antea quisquam ea gratia Spiritū sanctum acceperat, testante in Euangelio Ioanne ac dicente: Nondum enim erat spiritus datus, quia Iesus nondum erat glorificatus: Nec alio modo nisi per sanguinem Christi reconciliationem accepimus, in cuius morte iuxta Apostolum baptizati sumus, & Spiritum sanctum, qui vera peccatorum remissio est, accepimus.

Luc. vlt. Ioan. 16.

Ioan. 13. Ioan. 17.

Rom. 5.

Rom. 8.

Ioan. 7. Ephe. 2.

Rom. 6:

Ioan. 16:

Igitur quòd ait: Si enim non abiero, paracletus non veniet ad vos, sic accipiendum est ac si dixisset: nisi ego ad mortem traditus fuero, necessaria non dabitur vobis paraclesis, i. peccatorum remissio. Nam si de ascensione accipiatur, repugnat & illud quod antequam ascendisset, imò eadem die qua resurrexit, insufflauit & dixit eis: Accipite Spiritum sanctum, videlicet in remissionem peccatorum. Sequitur enim: Quorum remiseritis peccata, remittūtur eis: & quorum retinueritis, retenta sunt. Ad summum & hoc nemo qui dubitet, quia si mortis expers Christus, cęlos ascendisset, nobis paracletus iste non datus fuisset. Dixit enim: Nisi granum fru-

Ioan. 20. Ioan. 5.

Universidad de Deusto
Biblioteca

menti cadens in terra mortuũ fuerit, ipsum solum manet: si autem mortuum fuerit, fructum multum affert. Itaque & hoc, & quicquid in illa cœna de abscessu suo dixit, vertus, rectius atque constantius de morte quàm de ascensione accipimus, & quod ait: Vado ad eum qui misit me, & nemo ex vobis interrogat me quo vadis, nullo modo melius accipitur, quàm vt dictum sit quod posterius dicit: Venit hora vt dispergamini & me solum relinquatis: eadem quæstione, qua per prophetam dixerat: Torcular calcaui solus, circũspexi, & nõ erat auxiliator.

Ioan. 16.

Itemq; & quod ait: Rogabo patrem meum, & alium paracletũ dabit vobis: æquabilius est de passione quàm de paternæ dexteræ confessu accipi. Nam quòd in cruce rogauerit, quòd in morte clamauerit, Paulus asserit dicens de illo: qui in diebus carnis suæ preces supplicationesque ad eum qui illum saluum facere possit à morte, cum clamore valido ac multis lachrymis offerẽs, exauditus est pro sua reuerentia. Non .n. postquàm ascendit in cælũ, clamat vt saluetur à morte: ergo nec rogat vt paracletus nobis detur, sed dat, iã ex tunc vtens data sibi potestate in cælo & in terra. Sed in cruce rogauit, vtpotè paulo minor ab angelis: ascẽdens autẽ in cælũ, ego mittam promissum patris mei in vos, ait.

Ioan. 14.
Heb. 5.
Matth. vlt.
Psal. 8.
Rom. 8.

Quòd verò Apostolus ait: Præsenti tempore interpellat pro nobis Iesus Christus qui mortuus est, imò qui & resurrexit, qui est à dextris Dei, qui etiam interpellat pro nobis, fortè repugnare videatur, & astruere, quod nunc quoque supradicto sensu roget pro nobis: Sed si modus interpellationis ritè animaduertitur, potius astipulatione firma his, quæ prædicta sunt, suffragari comprobantur. Illa namq; interpellatio doctorum omnium vera assertione, non summissa est postulatio, sed eius passionis quæ semel suscepta, semel pro nobis in sacrificium oblata est, æterna commemoratio, semel in conspectu sanctę trinitatis admissa sanguinis eius innocẽtis exclamatio, homicidas qui fuderunt, conuincẽs: nos autem qui bibimus in ministerio altaris, nõ indiga sed potẽti interpellatione defendẽs. Alioquin quomodò & antequàm ascendisset ait: Data est mihi omnis potestas in cælo & in terra: sic & postquã ascẽdit vt possit interpellat, vel rogat dari nobis paracletum? Sed dicit quis: Rogat per humanitatẽ, qui dat per diuinitatem. Hoc plane verum est, quia tunc moriens paulo minus ab angelis imminutus, rogauit per humanitatẽ, nunc autem gloria & honore coronatus, & constitutus super omnia opera patris, dat per diuinitatem, omnem habens potestatem, vtpote à dexteris Dei sedens. Vnde sicut resurgens ex mortuis, iam non moritur, sic illum ad hoc, vt roget patrem iam, nemo inuocat catholicus.

Heb. 10.

Amplius autem ea quæ dicta sunt constare poterũt, si conferantur ipsius Domini sententiæ, quæ nisi discernantur, videbuntur sibimet contrariæ, videlicet quòd ait, rogabo patrem meum & aliũ paracletum dabit vobis, &c. & quòd posterius in eodem sermone dicit: Illo die in nomine meo petetis: & non dico vobis, quia ego rogabo patrem de vobis. Causamq; reddens, ipse, inquit, pater amat vos. Statimque idipsum confirmat dicens: Quia vos me amastis, & credidistis, quia à Deo exiui, Quid est enim rogabo, & non rogabo? Hoc nempè, quod in passione sua sacrificium futurus & rogaturus erat, vt Paracletum, id est, spiritum remissionis peccatorum acciperemus, & sic paries inimicitiarum, qui medius erat inter Deum & homines, in carne eius solueretur. Quo soluto, illo inquit, die, die pacis & consequentis gratiæ, non rogabo patrẽ de vobis. Quare? ipse enim pater amat vos, inquit, id est, semel enim moriens Deo reconciliauit vos in sanguine meo: & sicut superius dixi, pacem reliqui vobis, pacem meam, id est, per me inter Deum & vos reformatam dedi vobis. Et hoc per fidẽ & dilectionem vestram, quia vos me amastis, & credidistis, quia à Deo exiui. Itaque quod ait, rogabo patrem, & alium paracletum dabit vobis, nullo modo melius accipitur, quàm quòd in cruce rogauerit, quòd in morte sua clamauerit, iuxta supradictã Apostoli sententiã. Veruntamen, quia ex die Ascẽsionis Apostoli certi facti de potentia eius, expectabant eundem Spiritum sanctum quẽ promiserat, rectè cantamus & legimus, quomodo moriturus illum promisit, quomodo item ascendens in cælum repromisit, ita vt mortẽ eius causam donationis effectiuã, ascensionis eius dandi potestatem esse sciamus effectã. Sed iam nũc ad superiora reuertamur.

Ioan. 14.

Huic quartæ dominicę Euangelio rectè illa pręmittitur Apostoli lectio: Omne datum optimum & omne donum perfectum desursum est, descendens à patre luminum, &c. Spiritus sanctus Dei donum est optimum atque perfectum, sine quo natura tam angelica quàm humana misera & miserabilis est, & cæca & nuda, quod euidẽtissimum est tam in dæmonibus, quàm in perditis hominibus. Non enim substãtialiter differt à diabolo Michael, à Pharaone Moyses, à Nerone Petrus: sed hoc solo discernuntur spiritu, quem isti accipere meruerunt, illi indigni iudicati sunt. Hoc tantum tamque necessarium donum, duplici ope humanę subuenit inopię. Prima largitione, peccata nobis remittũtur: secunda, diuisiones gratiarum distribuuntur: Et illo beneficio, scilicet remissione peccatorum, vniuersaliter atque vniformiter effunditur hoc donũ, ideſt, hic spiritus, in omnes: hac autẽ adiectione, id est, gratiruam diuisione, particulariter atq; multiformiter datur aliis aliter. Vnde & Apostolus cũ easdem diuisiones partim enumerasset; Hæc autẽ, inquit, omnia operatur vnus atque idem spiritus, diuidens singulis prout vult. Vtraque largitio sanctis Apostolis mirabiliter certis temporibus certisque diebus effusa est, id est, die Dominicæ resurrectionis in remissione peccatorum, die verò pentecostes abundanti effusione gratiarum ad omnium mox futuram institutionem gentiũ. Nam Dominus qua die resurrexit, mortuus propter delicta nostra, vt ostenderet se resurrexisse propter iustificationem nostram, stans in medio discipulorum suorum, pacem, quã fecerat inter nos & Deum, prima voce nunciauit, dicendo: Pax vobis, statimque insufflauit & dixit: Accipite spiritum sanctum. In quo remissionem peccatorum, quam sanguine suo acquisierat, sese dare ostendens, non solùm illis

Iac. 1.
Apoc. 3.
1. cor. 12.
Ioan. 20.
Act. 2.
Rom. 4.
Ioan. 20.

omnibus

omnibus quoque, qui ctedituri erant in illum: statimque adiecit: Quorum remiseritis peccata remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt. Et vt essent idonei, remissionem peccatorũ, quam acceperant, vniuerso mundo prædicare & testificari: die pentecostes idem Spiritus sanctus illis charismatum dona tribuit, & per hæc, sicut in hodierno lectum est Euangelio, arguet mundum de peccato, & de iustitia, & de iudicio. Igitur, vt supradictum est hæc epistolę lectio rectè huic præmittitur Euangelio, quia datum optimum, & donum perfectum, non est aliud, nisi iste Spiritus sanctus. Qui spiritus, quia gratis datur, imò ipsa gratia est, benè de huius doni datore subiungitur: Voluntariè genuit nos verbo veritatis. Quod non est aliud, quàm si dixisset, per gratiam Spiritus sancti nos regenerauit, quia per Spiritum sanctum semen, id est, verbum suum nostris vt renascaremur, mẽtibus infudit. Item & quod ait: Scitis fratres mei dilectissimi, sit autem omnis homo velox ad audiendũ, tardus autem ad loquendum, magnifico nos erudire poterit exemplo, si illam consideremus sentẽtiam Euangelicæ lectionis, ad quam intendit Ecclesiastici diligens compositor officij. Non enim cuiuslibet, sed ipsius paracleti exemplo, præsumptionem humanæ vanitatis conuenit, dum Euangelio supradicto hanc Apostoli lectionẽ prẽmittit. Nam quales nos Dominus esse vult ad loquendũ, talem ipsum fore asserit paracletum, dicens: Non enim loquetur à semetipso, sed quæcumque audiet loquerur. Firmissima ratio sententiæ præcedentis, quam proposuerat dicens: Cum autem venerit ille spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatẽ. Remouet namque oppositum, quod est à semetipso loqui, sub quo continetur omne mendaciũ, quod est sine dubio veritati contrarium. Vt autem hoc euidentius fiat, diffiniamus vtrumque contrarium, id est, à semetipso loqui, non à semetipso loqui. A semetipso loqui est, nõ existẽtia fingere: quo de peccato diabolum culpat in Euangelio Dominus, dicens: Cùm loquitur mendacium, ex propriis loquitur: quia mendax est, & pater eius, subauditur mẽdacij. A semetipso non loqui est, existentia proferre, etiam si nesciens proferat quis, vt Caiphas qui nesciens, imò aliud intendens, dixit expedire, vt vnus moreretur homo pro gente. Multò magis ergo qui scienter existentia profert, non à semetipso loquitur, sicur ipse Christus, qui cum scienter existentia proferret, verba, inquit, quæ ego loquor vobis, à me ipso non loquor: scilicet non mendaciũ, sed veritatem, quam audiui & accepi ante meã, quam videtis, humanam naturam existentem, sicut & alibi Iudæis dicit: Nunc autem quęritis me interficere hominem, qui veritatem locutus sum vobis, quam audiui à patre meo. Hoc autem & Spiritus sanctus agit. Veritatem enim quam audiuit à Deo veritatẽ increatã Deo patri consubstantialẽ, & coæternam loquitur nobis, verè existẽtem, essentiamq; veracem & incommutabiliter permanentẽ. Vera ergo ratio, non enim loquetur a semetipso, sed quæcumque audiet, loquetur, comprobans id quod proposuerat dicens: Docebit vos omnem veritatem. Quod iterum confirmat subiungens: Ille me clarificabit, quia de meo accipiet, & annunciabit vobis, causamque reddens cur de meo dixerit: omnia, inquit, quæ habet pater, mea sunt. Quæcũque enim habet pater, quæcumque scit, quęcumq; potest: dedit huic qui hæc loquitur dominico homini, sicut ait in Psalmo: Dico ego opera mea regi, ostendens quid dixisset: eructauit cor meũ verbum bonum. Omnem suam sapientiam, cunctam fortitudinem, totum denique verbum suum pater in vterum virginis eructauit, & humanæ naturæ vniuit, propterquod nũc dicit: Omnia quæ habet pater mea sunt. Et non dixit, mea accipiet, sed de meo accipiet, & annunciabit vobis. Non enim Spiritus sanctus Apostolis illam sapientiam totã cõprehensibilẽ fecit, sed illa docuit eos, quæ erant necessaria fidei; scilicet mysteria incarnationis, natiuitatis, & passionis, & resurrectionis, quæ discipuli hactenus portare non poterant, quandiu corruptibilem & mortalem esse videbant, neque doctorem hunc, dari fuerat æquum, nisi prius per mortem Christi Deo reconciliaretur genus humanum. Igitur vt Ecclesiasticum persuadet officiũ, quod huic Euangelio supradictam laudabiliter præmittit lectionem: non loquatur homo a semetipso, sed sit velox ad audiendũ, tardus autem ad loquendum, id est, audiat prius quid loquatur in se Dominus Deus, & secundum illum loquatur pacem: quod facere noluit Arrius, & ideo bella & scandala locutus est, & omnes qui à semetipsis loquuntur, gloriã propriã quærentes. Secundum hoc donum, se paracletum, veterem cum suis actibus hominem deponimus, nouumque induimus, quod est cantare canticum nouum: atque ideo rectè hoc ipsum cãtamus in introitu, & in offerenda iubilamus, quia donum hoc æternæ iubilationis efficiens causa est, quæ hic incipitur, & in futuro perficietur.

Iacob. 1.
Ioan. 8.
Psalm 44.
Iacob. 1.
Coloss. 3.
Ioan. 7.

De Dominica ante Ascensionem Domini. Cap. 4.

DOminica ante Ascensionem Domini competenter hæc Euangelij lectio ponitur. Vsq; modo non petistis quicquam in nomine meo, petite & accipietis, vt gaudium vestrum sit plenum. Hęc enim Dominus de ascensionis suæ gloria locutus est, per quam discipuli eius certi facti de illius omnipotẽtia, petere cœperunt in nomine eius, vt gaudium eorum sit plenum: & perseuerãtes vnanimiter in oratione cum mulieribus, & Maria matre eius, & frattribus eius, decimo die, acceperunt Spiritum sanctum. Hac ergo lectione opportunè nobis suggeret, vt in nomine eius fiducialiter petamus, illud ad memoriam reuocantes in ascensione eius, quod ait Ioannes Apostolus: quia aduocatum habemus apud patrem, Iesum Christum iustum, & ipse est propiciatio peccatorum. Nam vt spem nostram ad petendum animaret, abiturus in cælum per passionis viam, hoc circa finem sermonis, quẽ in cœna habuit, inculcare & replicare dignatus est, subiuncta protinus otatione: qua completa, protinus traditus est. Verùm non qualescunque simus nos oblatam Apostoli petendi facultatem, nobis

Act. 1.
1. Ioan. 2.

æquè

Universidad de Deusto
Biblioteca

æquè vt illis rapiendam esse putemus. Nisi enim illorum similes simus, qui hęc audire mereantur:
Luc.12. quibus & supra secundum Lucam dixerat: Vos estis, qui permansistis mecum in tentationibus meis, nisi, inquam, illorum similes simus, eadem fiducia nos ad petendũ vti non possumus. Quapropter hęc Apostoli lectio congruè prœmittitur: Estote factores verbi & nõ auditores tm̃, fallentes vosmetipsos. Fallit. n. semetipsum miles, qui auditor, tm̃ nõ factor imperij, larga pro solo audito donatiua reposcit. Idẽ post pauca: Si quis autẽ putat se religiosum esse, nõ refrenans linguã suam, sed seducẽs cor suum, huius vana est religio. Sanè dum petimus lingua, quadam propria legatione fungitur, si absq; freno & oris custodia, per ociosa vel etiam noxia verba facile vagatur, difficile dum petit, auditur: quia videlicet à vanis, quibus assueta est, vsq; ad aures Dñi sabaoth tantum est interuallum, vt non facilè mereatur audiri. Et his quidẽ, qui eiusmodi sunt alibi dicit idẽ Apostolus: Petitis & non ac-
Iaco. 4. cipitis, eò q̃ malè petatis. His autẽ qui (sicut ait in fine lectionis huius) immaculatos se ab hoc seculo custodiunt, exẽplo Apostolorum, familiari-
Ioan. 16. ter Dñs ait: Petite & accipietis, vt gaudium vestrum plenum sit. Quorum in typum Helisæus, magistrum, non tãtùm corpore, sed & corde secutus, audire meruit: Postula quid vis, vt faciã tibi, anteq̃ tollar à te. Et illa meritò cõcessa, cũ
4. Reg. 2. magna fide vtẽs fiducia: obsecro, inquit, vt fiat spiritus tuus duplex in me. Helias etenim curMatth. 19. rus Israel & auriga eius Dñm nostrum, prœsenti
4. Reg. 2. capitulo significat, qui Ecclesiã suam vt auriga, verbo doctrinę suę regit: & vt currus diuinitatis suę vehiculo in cœlum subuehit. Helisęus verò, qui semel & iterum atq; tertiò residere sibimet permissus ob amorẽ magistri permisso noluit vti: Apostolos atq; apostolicos exprimit viros, qui ob amorẽ Christi concessis quoq; recusan-
D tes vti, sequuntur illum vltra terminum prœcepti, spontanei spectatores consilij: quod in Euãgelio diues adolescẽs facere nolẽs, abiit tristis. Igitur ei qui eiusmodi est petẽti & dicenti: Obsecro vt fiat spiritus tuus duplex in me, dicit ascensor cœli Dñs Iesus: Si videris quãdo tollar à te, erit q̃ vidisti. Si videris, i. si oculos mentis ad terrena non deflexeris, sed solis cœlestibus inhiaueris, erit quod petisti. In talibus quippè duplex fit spiritus Christi, quia cũ ille mitis in-
Matth. 3. ter homines ambulauerit, sicut significauit Spi-
1. Cor. 4. ritus sanctus, dum super eum in specie columbę apparuit, istos idem spiritus mites pariter & zelo feruentes, reddit. Ad subditos nanque prout causa vel tempus exigit, nunc in virga, nunc spi-
Psal. 56. ritu veniunt mansuetudinis. Hęc illa iucunditas
Psa. 59. est, cuius vocem in introitu vsq; ad extremum
1. Ioan. 1. terræ nunciare iubemur: hoc illud est beneficium, pro quo offerenda Gentes Deum benedicere, & in communione cantare, & salutare eius nunciare commonentur: quia nostrę naturę participem aduocatum habemus, cuius in nomine petentes, plenum gaudium accipere mereamur.

A *De Rogationibus à sancto Mamerto institutis. Cap. 5.*

HVius sponsionis memor, & in ea spẽ ponẽs S. Mamertus Viennẽsis eps cũ Christianus populus lõga & graui afflictione vrgeretur, ausis etiã diuino iudicio lupis turmatim cum confertis cõfligere hominibus, rabidã q; dẽtium eg
dẽ, non solùm villis, sed & plenis inferre mœnibus: rogationes fieri solennes ante diẽ eiusdem Dñicæ Ascensionis instituit, vt tamq̃ abeunti in cœlum Dño ac dicẽti: Petite & accipietis, humanæ miserię cõmemoratio triduanis supplicationibus ambitiosius ingereretur, & vt rememoratа sponsoris potentia fide petentium spes roboretur, in eisdẽ processionibus triumphatoris cæ
los ascendentis insignia, s. cruces atque vexilla prœferuntur. Horũ vsus in Ecclesia cœpit à Constantini temporibus: qui cum vidisset in somnis signum crucis in cęlo splendidè collocatum, dictumq̃; sibi fuisset: O Constantine, in hoc vince: iussit viros eruditos ex auro & lapidibus preciosis in vexillum sanctę crucis trãsformare signũ; quod labarum vocabatur. Hoc. n. signum bellicum inter alia preciosius erat, eo q̃ Imperatorẽ
C præcedere & adorari illud à militibus moris esset. Sciẽdum autẽ has rogationes triduanas, litania maiore quã B. Gregorius instituit, esse antiquiores. Siquidẽ à vicesimo Zenonis anno imperij, quo Mamertus eps prędictas Rogationes instituit, vsq; ad nonum Mauricij imperatoris annũ, quo diluuium magnũ in finibus Venetię & Ligurię, & Italię factũ est, quale post Noe tẽpus nõ creditur fuisse, & subsecuta est e vestigio pestis inguinaria, qua cùm Romanus populus penè deleretur, Gregorius adhuc Leuita, litaniam maiorem indixit, Pelagio Papa eadem peste extincto: paulo plus quàm centum anni secundum Chronographos inueniuntur.

Vtrorumq; salutares & opportunę traditiones eodem celebrãtur officio, quo cõmonemur per Euangelicam similitudinẽ, perseuerare pulsantes ad ostium amici, s. Dñi nostri Iesu Christi, cuius ostium iã clausum est, & pueri eius cum ipso sunt in cubili: quia videlicet, ex quo ascendens in altum captiuam duxit captiuitatem, in tẽpla sua tamq̃ in cubili receptus, illic post labores passionis in lectulo consummatę gloriæ requiescit, & cum eo pueri eius, i. sancti, qui de mundi huius laboribus exierunt. Atq; inde (sicut in introitu cantamus) exaudit vocẽ nostram
E si quẽadmodum in offerenda dicimus: Confiteamur Dño nimis in ore nostro, nimis, inquam, i. vsq; ad improbitatẽ, propter quam surgat amicus ille Euangelicus, & det amico suo panes, quotquot habet necessarios. Epistola pulsantẽ ad amici ianuam competenter animat ad perseuerantiam, de Helia proferens exemplum, vt argumẽtemur à simili, posse amicum vinci improbitate pulsandi. Nec desperet qui pulsat, eò q̃ sit peccator, & exemplum propositum est de iusto. Peccatoribus. n. propositum est. Siquidẽ

Luc. 11. Psal. 67.

Psal. 17. Psal. 108. Iacob. 3.

peccatoribus loqui se indicat idem Apostolus, sic incipiens: Confitemini alterutrum peccata vestra.
Prou. 18. Sed hoc est iustitiæ principiũ. Iustus enim in principio accusator est sui, id est, ab accusatione sua incipit iustificari. Peccatorem ergo, sed accusatione sua iustificatum, illa concludit vniuersalis sentẽ-
Iacob. 5. tia. Multum valet deprecatio iusti assidua: & idcirco illi exemplo quoque licet vti, quod propositum est de iusto Helia, vt pulsans, si non amicitiæ causa, sicut in Euangelio dictum est, saltem improbitare perseuerantię vincat.

De Missa in vigilia Ascensionis Domini. Cap. 6.

IN vigilia Ascensionis Dñi illa ponitur Euangelij lectio, qua Dñs Iesus mox tradendus, subleuatis oculis in cælum, dixit: Pater venit hora,
Ioan. 17. clarifica filium tuũ, vt filius tuus clarificet te. Causa autẽ cur in huius solennitatis prœuẽtione legatur, hæc est: q. a quòd tunc orauit passurus, quãdo Ascẽdit, completum esse innotuit hominibus: videlicet
Cant. 7. quia moriens, sicut dicit in Canticis, ascẽdit in palmam, & resurgens apprehendit fructus eius. Quod quia per Ascensionem, vt dictum est, innotuit hominibus ad ipsorum salutem: homines quippè sine
C notitia, vel fide eius non saluarentur: rectè hæc, vt dictum est, oratio legitur, qua hoc ipsum orauit, iam iam per passionis viam, per mortiferi torrentis potum ad illam iturus gloriam. Notandum autẽ, quòd cùm dixit: Clarifica filium tuũ, vt filius tuus clarificet te, protinus adiunxit: Sicut dedisti ei potestatem omnis carnis, & omne quod dedisti ei, det eis vitam æternam. Non dixit, & da ei, sed sicut dedisti ei potestatem.

Quamuis enim propter passionem mortis, gloria & honore coronatus sit Dominus Iesus, & iccir-
Heb. 2. Philip. 2. co Deus illum exaltauerit: quia factus est pro nobis
D obediens vsque ad mortem, mortem autẽ crucis: tamen & ante ipsam mortem, & ante ipsam crucẽ, dederat ei pater regnum, dederat ei potestatẽ omnis carnis: sed non erat tempus, vt in eodem regno vel potestate, cùm adhuc mortalis esset, clarificaretur. Quod vt euidentius cõprobetur, libet de veteri proferre historia similitudinẽ authenticam, cunctis penè venerabilium literarũ studiosis cognitã.

2. Reg. 2. 1. Reg. 16. Ecce sanctus Dauid, qui hunc desiderabilẽ atq; manu fortem Christum nomine suo signauit, factis præfiguravit, repromissione hæreditauit, Psalmis
E cecinit propheticis: alio iuxta modum suum glorificatus est atq; alio tempore, Dei dono, regni potestatem accepit. Tunc enim gloria sua glorificatus est, quando mortuo Saul ascendit in Hebron, susceptus primum à tribu Iuda, deinde ab vniuerso Israel: tunc autem eandem illi Deus dedit potestatem, quando sustulit eum de gregibus ouium, & per manum Samuelis vnxit in regem in medio fratrum suorũ. O quantis à potestate accepta, vsq; dũ regno frueretur, interfluẽtibus potatus est amaritudinibus, quarũ persequente Saul, Deus coronam eius fabricans, erudiuit eum laboribus? Plane hac similitudine res quæ proposita est, facilè colligitur. Sic. n. & Dominus noster antequam clarifi-

A caretur ea clarificatione, pro qua nunc orat dicens: pater clarifica filium tuum: acceperat regiam dignitatem vnctus oleo exultationis prę participibus
Psal. 44. suis: non tunc primum, quando Spiritus sanctus in
Mat. 13. specie columbæ venit super eum: sed iã tunc, quando in secreto virginis vtero assumpt⁹ est homo verus, à vero Deo Dei verbo, per operationem sancti
Coloſ. 2. Spiritus, cuius vniuersa plenitudo, quæ in illam incarnationem effusa est, benè per cornu olei designata est, quo Dauid in secreto paternæ dom⁹, vt ignoraret Saul, vnctus est. Et sicut vitulus, quem ex præ-
1. Reg. 16. cepto Dei tulit secum Samuel, fefellit Saul, vt nesciret quid ageretur in domo, nec, quicquam opinare-
B tur, præter quod prætendebat prœparario vituli, id est, votum sacrificij: sic mortalis natura hominis, q̃ in mundo apparuit, fefellit diabolum, vt nesciret, quid actum esset in vtero virginis, nec aliud quid opinaretur in Christo nisi quod foris ostẽdebat caro passibilis, id est, hominẽ purum, per omnia nostræ obnoxium corruptioni, vt putabat, carnemq̃ue peccati: deprehendit tamen processu temporis, posse illum contraire fuæ tyrannicę dominationi, quẽ-
admodum & Saul dæmoniosus, in virtutibus Da-
uid intellexit, quòd contra thronũ suum ageretur
1. Reg. 16. in illo, per eum qui à se recesserat, & in Dauid di-
C rigebatur spiritus Domini.

Igitur quod ait Dominus noster, instãte mortis articulo, pater venit hora, clarifica filium, vt filius tuus clarificet te, statimq̃ue subiungit, sicut dedisti ei potestatem omnis carnis, vt omne quod dedisti
1. Reg. 23. ei, det eis vitam æternam, tale est, ac si dicat Dauid persequẽte Saul, in deserto Ziph, siue in deserto Maon ad petram diuidentem, quando desperabat posse euadere à facie Saul, dicat inquam Deo,
Psal. 118. 6. 88. qui exauditor est omnium: Memor esto verbi tui seruo tuo, in quo mihi spem dedisti, vel sicut iurasti Dauid in veritate tua, tunc videlicet, quando tulisti me de ouibus patris mei, & vnxisti me
1. Reg. 16. vnctione misericordiæ tuæ.

Quod autem paulò pòst ait: Et nunc clarifica me tu pater apud temetipsum claritate, quam habui, priusquam mundus esset, apud te: sic omnino accipiendum est, vt nullatenus verbi diuinitatem ab illa claritate, quam habuit in principio Deus apud Deum, obscuratam fuisse arbitremur. Nam neq; orat Christus secundum diuinã naturã, sed secundum eam, quæ protinus moritur erat serui forma. Quomodò ergò natura serui claritate prius habita se poscit clarificari, vel quomodò eam priusquã
E mundus esset, habuit? Videlicet, propter personæ
Ioan. 5. vnitatem suam claritatem, illam veraciter asserit es se formam serui, quam habuit priusquã mundus esset apud parrem, illa quæ sibi vnita erat forma Dei. Et sic omninò claritatẽ tunc habuisse constanter dicenda est forma serui, quomodò dicitur de cœlo descendisse filius hominis. Sic enim ait: Et nemo ascendit in cælum, nisi qui descendit de cælo filius hominis, qui est in cęlo: non. n. homo qui videbatur, de cælo descendit, sed qui conceptus & natus est de carne Mariæ virginis. Itemq̃; homo filius hominis qui, vt dictũ est, de terra carnis conceptus & natus erat, & hæc in terra cõsistẽs loquebatur

Universidad de Deusto
Biblioteca

tur,nō in cælo erat,sed ī terra gradiebatur,pau
lō post capiendus, crucifigendus, in terra sepe-
liendus. Igitur quemadmodum propter perso-
næ vnitatem, filius hominis de cælo descendit,
quia verbū sibi vnitū in cælo & vbiq; erat:sic pp
eandē personę vnitatē nūc ait orās natura hōis,
clarifica me tu pater apud temetipsum, claritа-
te quā habui,priusquam mundus esset apud te.

Ioan.17.

Sed iā nunc ad eas huius Euangelicæ lectio-
nis partes sermo concedat,de quibus cætera pē
dent officij membra. Post pauca vbi ait:Nō pro
mundo rogo,sed pro his quos dedisti mihi,con-
tinuò subiungit: Quia tui sunt, & mea omnia
tua sunt, & tua mea sunt, & clarificatus sum in
eis. Et circa finem eiusdē orationis:Nō pro his
tātùm rogo, inquit,sed & his qui crediturі sunt
per verbum eorum in me: vt sint vnum sicut tu
pater in me, & ego in te, vt sint in nobis vnum,
&c. Vnū, inquit,sint in nobis, sicut & nos vnum
sumus, modo videlicet supradicto, quia quos
dedisti mihi, tui sunt, nec in meum ius trans-
feundo,tui esse desierūt,& mea omnia tua sunt,
& ideo verius tua,quia mea esse cœperunt. Dele
ctat propius hunc intueri modum communica-
tionis,vt intelligamus ea quæ patris sunt, ex eo
verius patris esse, ex quo homini Christo data
sunt. Hoc itaq; non prætereundum,quod ante-
quā in rempublicā Dei patris introduceretur
hic filius hominis, & (sicut Daniel aspexit in vi
su noctis)adduceretur vsq; ad antiquum dierū,
quia dedit ei potestatem,& honorem,& regnū,
vt omnes populi,tribus & linguæ ipsi seruirent,
immunita atq;inconiuncta creatori erat rerum
vniuersitas,quia videlicet inter creatorē & crea
turam nullus erat medius.Nā quicquid erat,aut
creator erat,aut creatura. Vt ergo medium in-
ueniretur perfectæ societatis vinculum, hic in-
troductus est, qui ex eo creatorem & creaturā
firmius annecteret:quia vnus idemq; Christus
vtrumq; est, creator videlicet atque creatura.
Creator,quia Deus;creatura, quia homo. Et li-
cèt Apostolus dicat. Nusquā enim angelos ap-
prehendit,sed semen Abrahæ apprehendit, nec
sic tamen angeli expertes sunt huius dignatio-
nis, quia profectò cū omnis creatura sit homo,
habens esse cum lapidibus, viuere cū arboribus,
sentire cum pecoribus,discernere cum angelis,
cùm;inquam, homo iuxta aliquid omnis crea-
tura sit, hominem autem Deus assumpserit, re-
linquitur & angelis gratulari,ꝙ is qui super ip-
sos creator erat, creatura quoque cum ipsis est.
Amplius autem & hoc ad rem attinet, quod ho
mo,cùm secundum solum corpus quandam visi-
biliter mundi similitudinē gerat,ex quatuor ele
mētis cōpositus,vndè à Græcis μικροκοσμὸς,i. mi
nor mundus appellatur,secundum solam animā
angelicæ subtilitatiæ est, & videlicet rationalis at-
que immortalis,hac sola,vt angelus quoque,à
creatore distans substantiali differentia, quòd
creata est. Itaq; & ad angelicæ creaturæ exulta-
tionē illud attinet,ꝙ Deus homo factus est. Igi-
tur sicut supradictum est, vt esset, quo creator

Daniel.7.

A atq; creatura firmius necteretur, hic in rempu-
blicam creatoris,filius hominis mediator intro
ductus est,qui in humana natura,quod non ha-
buerat accipiens,potestatem nō sibi vsurparet,
sed iuxta Apostolum,Deo & patri regnum tra-
deret,dicens, vt supra positum est, Et mea om
nia tua sunt,& tua mea sunt. Atq; hic est modus
cōmunicationis & similitudinis, quā intendens
ait: vt sint in nobis vnum, sicut & nos vnum su- Heb.1.
mus. Quem verissimè tenens sacri compositor
officij,huic Euangelio lectionem illam de Actі-
bus Apostolorum præscripsit. Multitudinis cre-
B dentium erat cor vnum & anima vna, nec quis-
quam eorum quæ possidebat, aliquid suum esse
dicebat. Diuidebatur autem singulis prout cui-
que opus erat. Planè per hoc indicat, qualiter 1.Cor.15.
accipiendum sit, q̄ Dns ait orans, vt sint vnum
sicut & nos,& quod premiserat,omnia mea tua Act.4.
sunt,& tua mea sunt. Itaq; si solem in sua, præ
infirmitate oculorum,altitudine perspicere nō
possumus progressum eius in gradibus suppositis
contemplemur,i.si hominē deificum in com-
munionem trinitatis sine personarū argumen-
to admissum,in seipso peruidere non possumus,
C quantæ plenitudinis sibi cōscius, dicat, Omnia
mea tua sunt,& tua mea sunt,ad imitatores eius
respiciamus,de quibus dictum est: Multitudinis
credentium erat cor vnum & aīa vna,&c. In hoc Cant.4.
minori de maiore illo argumētemur. Necessario 1.Cor.12.
concedendum est minus esse cōionis minus esse
cōcordię vel charitatis minꝰ gratię Spiritus san-
cti in plurib.hoīum personis,in multitudine ho
minum,quamuis credentiū,quamuis iustorum,
quamuis in veritate & charitate ambulantium.
plus verò in patre & Christo filio Deo & homi-
ne, in quo natura humana sic diuinæ vnita est
naturæ,vt cum illa personā duplicare nō valeat,
D adeò cōcordiæ & charitatis fœcūda,vt nulla vn
quā defuerit illi sancti septiformis spiritus gra-
tia.Sed ecce in his pluribus & lōgè minus haben
tibus,tāta cōmunio, tanta charitatis concordia
est,vt in spiritualib.cor illis vnū & anima vna sit,
in corporalib. quoq; nihil propriū,sed oīa sunt Esa.11.
cōia. De corporalibus liquet,quanta sit cōionis
charitas,quia tales profecti sunt de baptismo,
vt elegāter cōparentur gregi tonsarū, quæ ascē-
derunt de lauacro, vt spoliati velleribus rerum
quas ponebāt ante pedes Apostolorū. De spiri-
tualibus quoq; passim in scripturis, & maximè
E in Apostolo,clarum & euidēs habemus vnitatis
indicium. Qui cū dixisset,Diuisiones gratiarum
sunt,idē autē spiritus, & diuisiones ministratio-
nū sunt,idem autē Dns,paulò post subdidit: Si-
cut.n.corpus vnum est,& membra habet multa,
omnia autē membra,cū sint multa, corpus vnū
sunt:sic & Christus. Sicut. n.in vno corpore mul
ta membra habemus, oīa autē membra nō eun-
dē actū habent:ita multi vnum corpus sumus in
Christo, singuli autē alter alterius mēbra. Tale
quid & B.Laurentij respōsis inuenimus. Qui cū
Decio pauperes ostendisset, non de panniculis
vel morbidis eorū corporibus,sed de donis san-

cti

cti Spiritus,quem credentes acceperant, dixit: A
Ecce isti sunt thesauri æterni,qui nunquàm mi-
nuuntur nec decrescūt,qui in singulis aspergun
tur,& in omnib.inueniuntur. Diuisiones nanq;
gratiarum Pauperes Christi accipiunt,suoq́ue
singuli munere funguntur, sed suam singuli di-
uisiuam gratiam omnib. impartiunt. Verbi gra-
tia.Spiritus scientiæ, spiritusq́; pietatis, bonæ
partes thesauri cęlestis in singulis Petro & Pau
lo aspersæ sunt,sed in omnib. inueniuntur,dùm
ab ore Pauli scientia cūctis auditoribus pro ca-
ptu auditorū affluit:pietas aūt Petri suomet eru
1.Cor.1. dita lapsu,cunctis peccatoribus, rite pulsantib. B
misericordię competentis ianuas aperit. Sic vni
uerso corpori & oculus videt,& auris audit,nec
potest dicere oculus manui, opera tua non indi
geo,nec caput pedibus,nō estis mihi necessarij.

Igitur illa trinitatis cōmunio assumptæ natu
ræ hoīs,longè firmior vnanimitatis cōnexio est,
propter quam dicit:Et mea omnia tua sunt, &
tua mea sunt;quam & si nunc videre non possu-
mus,sicuti est,saltem per speculum huius simili
1.Cor.13. tudinis nostræ nōnulla ex parte speculamur. Et
ecce magnum quiddam & mirabile, cęlisq; ac
cælorum virtutibus spectabile, apparet in illa C
beati filij hoīs natura,cui cū patre sunt oīa com
munia,s.& quæ in se habet naturaliter, & quæ
sub se condidit potentialiter. Habet enim pater
in se naturaliter verbum de se natum, sed hoc
eructante illo, habet homo ille in se incarnatū,
Coloss.1. habet pater nihilominus Spiritum sanctum,ni-
hilominus à se procedentē habet homo ille Spi-
ritum sanctum semper in se requiescentē. Con-
didit sub se pater potentialiter cęlum & terrā,
& omnia quæ in eis sunt,angelos,archangelos,
thronos,dnationes,principatus,potestates,vir-
Psal.8. tutes,cherubim atq; seraphim,drachmamq; de D
cimam,i. hominem. Coniunxit verò in seipso,&
pacificauit hæc oīa verus hic homo Christus,&
super hęc oīa constitutus est,& oīa subiecta sunt
sub pedibus eius. Sedet super thronū pater ille
antiquus dierum, sedet & agnus hic filius hoīs,
Psal.49. imò pater non iudicat quenquā,sed oē iudicium
dedit filio: &(sicut alibi dicitur)potestatem de-
dit illi iudicium facere,quia filius hominis est.

Omnes ergo gentes, sicut in introitu canta-
mus,plaudite manib. iubilate Deo in voce exul
tationis,plorante & mœrore seipsam cōsumen-
te diaboli inuidia, quia frustrata est, imò quia E
profuit,dū nocere cupit: quia priusquā caderet
Act.1. homo:tñ erat homo:nunc aūt dum casum corri
git,dum ascendit,Deus & homo. Nūc est Dns,
nunc est excelsus,terribilis,rex magnus. Dns(in
quā)est,& in vniuersa terra admirabile nomen
eius:excelsus, quia super cęlos eleuata est ma-
gnificentia eius:terribilis,quia quemadmodum
ascendit,ita ad iudicandos viuos & mortuos re
uertetur. Et hic rex magnus, nunc in illa sedet
curia victor ad dexteram patris, honore coro-
natus & gloria, speciosus & expectabilis rex in
illa sua beata republica, patris non mortui, sed
& nunquam morituri hæres, mortuus semel,

& vltra iam non moriturus, cunctos patris im-
peratoris antiqui possidēs thesauros in arca pe-
ctoris sui reconditos,vnde & dona dat hominі-
bus,alij fidem,alij sapientiæ vel scientiæ sermo-
nem,alij discretionem spirituum,alij genera lin
guarum, alij interpretationem sermonum, alij
operationē virtutum,& his similia. Omnes itaq; Psal.67.
gētes,vt dictū est,plaudite manibus,i. plaudite 1.Cor.12.
cū lætitia,benè operamini. Elegātius quicquam
præmitti non potuit ad introitum,secundū præ
dictum Euangelij sensum, siue lectionis Actuū
Apostolorum. Nam in eo ait, plaudite manib.
& operatio, & supradicta charitatis communi-
catio, breuiter commendatur. In plausu enim
lætitia,manuumq; concussio conspicitur. Ita er
go manib.plaudere iubemur,vt hilari charitate
quicquid habemus, quicquid scimus, quicquid
possumus,commune faciamus,hoc pacto vnum
simus, vt Christo tamquam corpus consona
membrorum aptitudine cohæreamus.

De officio in die Dominicæ Ascen-sionis. Cap. 7.

OFficium diei Dominicę Ascensionis, gau-
dium cunctis eius cātat dilectoribus: quia
dum eumdem redemptorem nostrum ad cælos
ascendisse credimus, ipsi quoq; mente in cæle-
stibus habitamus: & spei certitudine iam possi-
demus rem, ad quam illum peruenisse gaude-
mus. Nam (sicut ipse ait) vbicūq; fuerit corpus,
illic congregabuntur aquilæ,i. illuc subsequent
veri solis cōtemplatores & amatores claritatis
eius,vbi ipse est, quorum animæ virtutum pen-
nis cum terrenorū despectu ad cælestia subuo-
lant,nec ad terram propter cadauera sese iterū
deuoluunt. Etenim corpus quo solo huiusmodi
aquilæ pascuntur, in cęlo est: corpus inquam
Christi, in quo corporaliter habitat plenitudo
diuinitatis,quæ angelos pascit, quæ cibus est &
vita æterna omnis creaturæ rationalis. Hoc,in- Col.2.
quam,gaudium diei præsentis prędicat officiū:
sed illud hoc ipsum solicitat gaudium,quod pa Matth.24.
riter angelorum decantamus voces dicentium: Ioan 6.
Sic veniet quemadmodum vidistis eum eūtem
in cælum. Nam ascendit quidem Deus in tribula
tione,s. Apostolorum, qui adorantes,vt Lucas Luc.17.
refert, reuersi sunt in Hierusalem cùm gaudio
magno,cuius gaudij participes maxime sunt hi,
qui in se perfectionē habētes charitatis, fiduciā
habent in die iudicij. Ascendit,inquam,Deus in Act.1.
illorū iubilatione,sed ascendit & in voce tubę,i.
cū terrifico eiusdem iudicij prędonio,dicentib.
angelis:Sic veniet quemadmodum vidistis eum
euntem in cęlum. Eorum quippè,qui in pace Ec Luc.24.
clesię finiuntur,nimirum rarus quisq; est qui ita Psal.46.
pugnet, ita legitimè decertet, vt illa vementis
regis insignia,s.crucem clauorumq; signa secu-
rus aspiciat, & irreuerberata deosculetur con-
scientia:qui inquam, ita crucem suam baiulan-
do,illum secutus sit, vt iure larga reposcat pro
laboriosa militia tāti triumphatoris donatiua,
imò vt secundum parabolam dictum sit ab ipso

pro-

Universidad de Deusto
Biblioteca

Matth. 25. propositam: rarus est qui talẽta, quæ homo hic peregrè proficiscens sibi credidit, cum debito lucro reportet, i. dona (quæ dedit hominibus ascendens in altum, & captiuã ducens captiuitatem, ſ. carnẽ, cuius natura nostras mentes in hoc seculo tenet captiuas) ita proximorum vtilitatibus impenderit, vt nihil ex eis in terra defossum, i. in terrenos vsus prauè detortũ, ab vsura spirituali vacare permiserit. Sed esto: Inueniuntur interdũ qui probè viriliterq; in huiusmodi studiis brachiũ suum roborauerit, & meritò laudatur, quia cùm defides alij nudis ac desertis erant lateribus, hic multo milite stipatus incedit, & illi regi cũ decẽ millibus occursurus est ad bellũ, i. ad disceptationem iudicij. At illi rex iuxta parabolam Euangelicam cum viginti millibus venit: quia videlicet, cũ hic seruus bonus & fidelis, tantũ de factis suis rationẽ reddere vix possit, illi dñs eius de cogitationibus quoque rationẽ exigit, cũ redierit. Atq; ita duplici territus interrogationũ exercitu, necesse est suis diffidat simplicib. ac dimidiatis respõsionibus.

Rom 7. Psal. 67.

Igitur dũ de legatione mittẽda & pace rogãda, solliciti responsum pacis eiusdẽ expectamus, gaudemus quidem, vt supradictũ est, in spe, sed hoc ipsum gaudium spei, magna ex parte metus imminuit. Et quia solicitudo hæc salubris est, competenter hic epistolæ finalis aculeus, & ad introitum, & ad offerendã frequentatur. Sic veniet quemadmodũ vidistis eum euntẽ in cælũ. Tota autẽ vis sententiæ, tota penè huius euangelicæ animositas tubæ magis in ea personat dictiũcula, quæ verbo apposita est. Sic veniet. Percutit. n. acriter infelicẽ superbiam eorũ, qui illũ tranfixerunt, perditamq; mundi sapientiã, ac reprobam fulmine ferit prudentiã; quia tunc verè quod infirmũ est Dei fortius erit hominibus: & quod stultũ est Dei (stultitiam quippe Iesum Christum crucifixum reputauerũt) hominibus sapientius erit, ipsis cum dolore fatentibus.

Luc. 4. 1. Cor. 1.

Tunc implebitur illis illud Esaiæ terrificum vaticinium: Dñe exaltetur manus tua, vt nõ videãt, subauditur, gloriã Dñi. Gloriam. n. Dñi, i. diuinitatẽ hominis Iesu Christi non videbũt impij, quam videre salus videntium erit, sed videbunt carnẽ, quã spreuerunt, illuserunt, conspuerunt, flagellauerunt, spinis coronauerunt, trãsfixerunt. Hoc etenim secutus ait idem propheta. Videant & confundantur. Quæ confusio malæ conscientiæ quanta sit exprimens, Et ignis, inquit, hostes tuos deuoret. Tunc trement Angeli & Archangeli, impij autẽ vbi parebunt? Tremẽt, inquã, angeli, & (sicut ait Dñs ad B. Iob) territi purgabuntur, quãdo Behemot, qui factus est, nullũ timeret, qui est rex super omnes filios superbiæ, mirabiliter creatus, & in sua natura malitiaq; & ferocitate conspicua formidabilis, corã filij hominis fortitudine adducetur, patefactis inferni visceribus, & videntibus cũctis præcipitabitur. Et quidẽ sancti Angeli purgatorio terrore nõ examinandi probãtur: solidati nanq; sunt vt firmamẽtũ, quo mollities aquarũ fertur

1. Pet. 4. Iob 4.

A in solidum verti crystallum, ex quo peccante illo peccati principe, ipsi peccare nolẽtes, in hoc remunerationẽ acceperunt, vt iam peccare nõ possint: nisi quia cõditionis eiusdẽ cũ essent, peccare & ipsi potuissent, possibilitatem eandẽ sibi vnquã fuisse, fortassis intuitu præsentis iræ paue bunt, quã & ipsi incurrere poterãt, si à gratia deserti fuissent. Ait quippe Dñs Effrem, quia ipsa agmina angelorum expauescẽt in die aduentus eius, & cõtremiscent. Sed de hominibus sanctis, qui annunciãdo veritatẽ Dei, supernorũ imitantur officia spirituũ, & idcirco cõe cum illis vocabulũ sortiuntur vt angeli vocẽtur (angelus quippe nomẽ est officij, non naturæ) de his inquam, B hominibus nõ est dubiũ quin tremãt, & terrore purgentur. Si ergo tremẽt sancti angeli, vbi parebũt impij? Dies illa super eos dies irę, dies calamitatis & miseriæ, dies magna & amara valde.

De eo quod dictum est, Et sedet à dexteris Dei. Cap. 8.

HÆc itaq; solicitudo nobis gaudiũ præsens imperfectũ reddit, cuius summam solus in Euãgelio Marcus perscribit. Nã cũ dixisset, Et Dñs quidẽ Iesus postquã locutus est eis ascendit in cælum, addidit hoc: Et sedet à dextris Dei. C summa quippe gaudij nostri est, q̃ vera carnis nostræ natura in illo nos hominis filio præcedẽs cõsedet à dexteris Dei, quẽ venientem iuxta Da nielem in nubibus cęli, hodie venerãdus ille antiquus dierum cum millibus millium sibi ministrantium, & decies millies cẽtenis millibus sibi assistentium, in illo throno suo flãmeo suscepit, dignã cano capite suo sentẽtiam elocutus, iuxta patrem ipsius, secundũ carnẽ Dauid, Sede à dextris meis, &c. Quod non sic accipiendũ est, vt Humaniformij putãt, quòd Deus ita vt nos hinc dexterã atq; inde habeat finistram, & humana forma circũscriptus sit, aut hoc ipsum q̃ Deus sedere dicitur, flexis poplitibus fieri putandum est: nec illud incidamus sacrilegium, inquit Augustinus, in quo execratur Apostolus eos, qui cõmutauerunt gloriã incorruptibilis Dei in similitudinẽ corruptibilis hominis. Tale. n. simulachrum Deo nefas est Christiano in tẽplo collocare, multo magis in corde nefarium, vbi verè Dei templum est. Sedere ergo quod dicitur Deus, nõ membrorũ positionem, seu iudiciariã significat potestatẽ. Et q̃ ait Christo Dño, Sede à dextris meis, i. in mei ęqualitate, quod idẽ est ac si dixisset, Conregna mecũ. Et hoc secundum humanam naturã illi dictum est: quia secũdum illam datum est ei regnum & honor, & omnes populi, tribus & linguæ ipsi seruient, vnde in cõ munione canimus: Psallite Dño qui ascendit super cælos cęlorum ad orientem. Humana quippe Christi natura, dignitate virtutum omnium & sanctitatis, omnẽ spiritualẽ excessit creaturã intantum, vt ascẽderet vsq; ad orientẽ, i. vsque ad filiũ sibi personaliter vnitũ, quia prẽter Deũ nihil transcendendo, dimisit. Vbi notandũ, quia nõ dixit ad ortuũ vel oriturum, sed ad orientẽ.

Mar. 16. Dan. 7. Psal. 109. Rom. 1. Dan. 7. Psa. 69.

Illa enim ineffabilis genitura, non secundũ prẽteritum & futurum consideratur, sed sempiterno presenti filius patre generatur. Verumtamẽ hoc localiter quoq; accipiẽdum est, quia ascendit super firmamentũ cęli, & hoc versus orienta lem plagam. Nam quod dictum est, vsque ad Orientem, i. vsq; ad filium sibi personaliter vnitum, non utique secundũ locum, sed secundum humanæ naturę immutationem dictum est: qua 1. Cor. 15. immutatione & nos iuxta Apostolum pro modo nostro immutabimur. Nec verò sic immutata est, vt in illam Orientis substantiam, vera carnis substantia transiret, sed accessit gloria, non decessit natura: absorpta est passibilitas, successit impassibilitas: periit mortalis, acquisita est carni verbi coęternitas. Sic in similitudinem lapidis aquę durantur. Chrystallum namque simi litudo lapidis est, non suapte natura lapis, quia durata gelu aquæ substantia, sicut aiunt physici, speciem hanc efficit. Quod ad prędictam immutationem carnis apta similitudine referri Gregorius perhibet in Ezechielem, dum dicit: Corpus Redemptoris nostri, quia vsq; ad mortem passioni subiacuit, aquę simile iuxta aliq̃d fuit: quia nascendo, crescendo, lassescendo, esurien. C do, sitiendo, moriendo vsque ad passionẽ suam per momenta temporum decucurrit. Sed quia per resurrectionis sũę gloriã ex ipsa corruptione in incorruptionis virtutem conualuit, quia chrystalli more ex aqua duruit, vt in illo & hæc eadem natura, & ipsa iam quę fuerat, corruptionis immutabilitas non esset. Aqua ergo in chrystallum versa est, quãdo incorruptionis eius infirmitas per resurrectionem suam ad incorruptionis est firmitatem solidata. Et notandum, quia cùm species chrystalli perpulchra sit, dicitur in hac significatione, quasi aspectus chrystal D li horribilis: quia Redẽptor noster vnus idemq; serenus iustis, iniustis autem (ut supradictum est) apparebit terribilis. Igitur sicut aqua, non pereunte substantia vel substantiæ quantitate, sed solùm qualitate, quæ fluxa fuerat, in soliditatẽ transeunte, in similitudinẽ lapidis duratur, sic Dominicus homo, cui psallimus, non pereunte substantia membrorum, quę seruato numero vel quantitate, ascendit primum, quoniam resurrexit, ascendit (inquam) inlocaliter ad orientis, i. diuinitaris (de qua supra dictum est) cõformitatem atq; coæternitatẽ sola penitus absorpta, quasi fluxa qualitate, secundum quam timuit, potuitq; tædere & pauere, et dixit: Tristis E Matth. 26. est anima mea vsque ad mortem, & cætera talia, secundo autem ascendit & localiter hac die, Marc. 14. videntibus Apostolis, super firmamentum cæli (vt supra dictum est) ad Orientem, i. ad orientalem plagam. Vbi autem & quomodo sit Dominicum corpus in cælo, curiosissimũ & supervacaneum est quærere, inquit Augustinus in libro de fide catholica. Tantummodo in cęlo esse credendum est. Non enim est fragilitatis nostrę cęlorum secreta discutere.

A *Quòd auctoritate Euangelij processio fiat in die Ascensionis Dominicæ. Cap. 9.*

QVod hac die processionẽ agimus, illud nobis cõmendat, quod Dñm nostrum sequi debeamus in ipsum cęlum, quo pręcursor ipse introiit, per eandẽ obedientiæ viã, quam ipse, factus obediens vsq; ad mortẽ, exemplo suo præmonstrauit. Nã & ipse mox ascensurus in cælũ, hoc ipsum significare dignatus est, sicut Lucas Euangelista refert. Cum. n. dixisset Dñs: Ego mittã promissum patris mei in vos, vos autem B sedete in ciuitate, quoadusque induamini virtute ex alto, secutus Lucas adiunxit: Eduxit autẽ eos foras in Bethaniã. Eductione illa, q̃ nos cũ sequi debeamus (vt prędictum est) nomine Bethanię (quod interpretatur obediẽtia) significauit, quod imitando eius obedientiam, membra eius esse, & cum illo omnia verbo virtutis suæ portante, ascendere valeamus. Rectè itaque de responsoriis, quod magis ad eandem pertineãt eductionem, diligentioris Ecclesię ordines cantant in hac processione, vt nos respõsorium hoc, Eduxit Dñs Iesus discipulos suos foras in Bethaniam, & benedixit eis, quod ex Euãgelio Lu C cę sumptum est. Hoc. n. cantãdo & procedendo nobis inuicem loquimur, & commemoramus idipsum, quod illa Dñs eductione significabat, videlicet, q̃ sequaces eius de mundo foras exire depeant, sicut iam dixerat illis: Ego elegi vos de mundo, vt eatis & fructum afferatis. Quo eatis vtique in vniuersum mundum. Nam hoc est, quod & tunc ait illis secundũ Marcũ: Eũtes in mundũ vniuersum, p̃dicate Euangeliũ oĩ creaturæ. In quo Iudæos palã percutit vanè gloriãtes, q̃ peculiaris populus Dei sint. Nam præter hoc quod iuxta aliquid (vt ait B. Gregorius) homo omnis creatura est, habet. n. esse cum lapidibus, viuere cũ arboribus, sentire cum bestiis, discernere cum angelis, præter hoc (inquam) Iudæos (vt dictum est) percutit dicendo, omni creaturæ. Compendio quippe vsus est, dicendo, omni creaturę, pro omni homini. Si dixisset, omni homini, reddenda erat ratio, cur non Iudæo soli, Quæ autẽ ratio melior poterat reddi, nisi quia sicut Iudæus creatura Dei est, ita & Gẽtilis? Vnde Apostolus ait: An Iudæorum Deus tantùm? nonnè & Gentium? imò & Gentium. Pulchrè igi tur compendio vsus est, dicens, omni creaturæ, quo nomine simul & omnẽ exprimit hominem, & præcepti sui iustam apponit rationem.

Phil 2. Luc 24. Ioan. 15. Matth. 16. Rom. 3.

Cur eadem processio non ante, sed post tertiam agatur. Cap. 10.

CVm igitur hac die processionẽ rationabiliter agamus, nihilominus & hoc rationabile est, quod non, sicut in die Paschæ, vel cæteris Dñicis antequam tertia cantetur, sed ea cãtata celebratur. Sola nanq; processio Dñicalis, qua tũc aqua benedicitur in memoriã & veneration em sacri baptismatis, sicut aliàs iã dictũ est: sola (inquam) eiusmodi processio tertiã præcedit,

Universidad de Deusto
Biblioteca

qua hora Spiritus sanctus super Apostolos adA uenit, vt sicut baptizamur, & sic Spiritum sanctũ accipimus, sic aqua benedicta prius nos & loca nostra respergamus, & sic aduẽtus Spiritus sancti memoriale, shorã tertiam decantemus. Cur autẽ Dñica die sic nobis baptismatis sacri memoria renouetur, supradictũ est, vbi de sacra Paschæ solennitate vel ordine pro posse diximus, hæc ergo & cæteræ, quæ absque aquę benedictione aguntur, processiones, iure præmissam sequuntur horam tertiam, & secuturo sine interruptione iunguntur officio Missæ.

De Dominica post Ascensionem Domini. Cap. 11.

Luc. 24. DOminicæ huius officiũ vox est Apostolorũ, qui iuxta præceptum Dñi ascendẽtis, sedebãt in ciuitate, quoadusq; induerentur virtute ex alto, vt erãt vnanimiter orantes cũ mulierib. & matre Iesu, sicut in Actib. Apostolorum legitur. Nõ solùm autẽ illorum, sed & nostra vox est corde & ore proferenda in aures Dñi, vt spiritus eius gratia dignanter ad nos vsq; descẽdat, quia videlicet corporis eiusdẽ, in quo præminẽt Apo

Act. 1. stoli, nos quoq; mẽbra sumus licet vltima. Descendat, inquam, in nos vnguentum illud, quod plenariè redundans in capite, i. Christo: descendit primùm in barbam Aaron, i. montani, s. eiusdẽ Christi Dñi nostri, super montẽ cæli exaltati: in barbã, inquã, i. in fortes atq; perfectos viros patres nostros Apostolos, descẽditque & in ora

1. Reg. 16. 3. Reg. 2. 1. Reg. 3. vestimenti eius, i. in vicinos Apostolis electos ex Iudæis, & sicut ros descẽdat in montẽ Sion, i. in omnẽ ex nobis gentibus fidelẽ. Huic ergo expectationi præsentis introitus officij valdè congruit: Exaudi Dñe vocem meã, qua clamaui ad

Psal. 132. te. Psalmo nãq; xxvj. descriptũ est hoc, titulus hic inscribitur: Psalmus Dauid priusquam lineretur, i. in regẽ vngeretur. Qui & mittit nos ad historiã. Dauid adhuc in domo patris sui, s. Bethleem, puerulus vnctus est à Samuele, regem il lũ futurum Spiritu sancto sic præsignante. Deindè vnctus est in Hebron, & super tribum Iuda, tamẽ regnauit mortuo Saule. Posteà verò tertiò vnctus est, qñ totius Israelitici populi prouinciam accepit. Quæ vnctiones nobis mysticant aliquid. Sicut. n. tertio vnctus est Dauid, sic quique fideles participes debent esse ternæ vnctionis. Prius in baptismo, vbi gratia Spiritus sancti innouantur: secundò, quãdò per impositionem manuum Epi donis eiusdẽ Spiritus sancti augmentantur: tertiò in die iudicij, qñ eiusdem spiritalis gratiæ perfectam dulcedinem adipiscentur. Non est autẽ credendum Dauid fecisse hunc psalmum, antequam in domo patris lineretur, sed an post illam vnctionem statim, an post secundam fecerit, incertum est. At nos quidẽ post secũdam vnctionem in expectatione tertię hoc officium canimus, iam. n. impositionẽ manuum ab Epis accepimus. Apostoli autẽ quorum expectationem imitatur, secundam post primam vnctionẽ præstolabantur. Nã illi post peccatorum remissionem, quam in morte Christi acceperãt, insufflãte illo ac dicente: Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, manuum impositionem expectabant de cælo ab eodem pontifice magno, qui penetrauit cælos, Iesu Christo, quæ secunda extitit illis vnctio. Nos aũt, hac secunda per illorum officiũ, ab Epis cũ sacro chrismate accepto, tertiã expectam⁹ gratiã ,p gratia, quã in illa cęlesti pcipiemus, Ecclesia, tãta plenitudine, vt meritò vocet Ioan. 17. ebrietas, & affluens voluptas, sicut dicit Psalmista: Inebriabũtur ab ubertate domus tuæ, & tor Psal. 53. Esa. 31. rẽte voluptatis tuæ potabis eos. Et Esaias dicit: B Dicit Dñs, cuius ignis est in Sion, & caminus eius in Hierusalem. Donum quippè Spiritus sanctus in Sion, i. in præsenti Ecclesia, quantuslibet ignis est, In Hierusalẽ autem, i. in cęlecti patria caminus plenus & indeficiens est. Igitur secundũ prædictam expectationẽ cantamus in introitu: Exaudi Dñe vocẽ meam, qua clamaui ad te. Psal. 26. & quia non sufficit vox corporis, addimus: Tibi 1. Pet. 4. dixit cor meum, quæsiui vultum tuum, &c. Epistola qualiter hoc ipsum orare debeamus, indicat dicẽs: Estote prudentes, & vigilate in oratio Ioan. 15. nibus, &c. Euangelium, cum venerit paracletus, C quem ego mittã vobis à patre, idcircò congruè legitur, quia promissionem eandẽ Apostoli expectabant proculdubiò in mente & in ore habebant simul & orationem, quam in fine sermonis pro ipsis & pro nobis, qui per verbum eorũ crediturí eramus, orauit, ad patrem. Propter quod & communio congruit: Pater, cùm essem cũ eis. Offerenda quoque: Lauda anima mea Dñm, ab re non discrepat, quia sic scribit Lucas: Et erant Luc. 24. in templo laudantes & benedicentes Deum.

Cur hactenus Apostolicæ litteræ ad vigilias lectæ sunt. Cap. 12.

Psal. 132. D Idcircò per hos dies Dñicæ resurrectionis, i. à Pascha vsq; ad Pentecosten, Apostolicæ litterę lectæ sunt in vigiliis nocturnis, videlicet Act. 4. Actus Apostolorum, Apocalypsis, cum septẽ canonicis epistolis, quia testimoniũ personant eiusdem resurrectionis, sicut scriptum est, quia virtute magna reddebant Apostoli, videlicet tã voce, q̃ literis testimonium resurrectionis Dominí nostri Iesu Christi. Diebus autẽ quibus tempus illud significatur, quo ante passionem suam in hoc mundo vixit Dominus, idcirco Paulus E legitur Apostolus, quia penè vbique tota intentio eius est approbare gratiã toti mundo, i. tam Iudæis quàm Gentibus fuisse necessariam, nec vllũ ex operibus legis, sed sola fide Christi posse saluari. Itaq; toto tempore, quo siue ante, siue post passionẽ suam Domini nostri præsentia cõmemoratur, congruè noui testamenti pręcones loquuntur, vt quasi ab sponsi præsentis uberibus filij eius lacte consolationis potentur. Hæ siquidem scripturæ ubera illa sunt, de quibus eidem spõso in Cãticis Ecclesia dicit, Quia meliora sũt Cant. 1. ubera tua vino, fragrantia vnguentis optimis.

FINIS LIBRI IX.
RVPER.

RVPERTI ABBATIS TVITIENSIS DE DIVINIS OFFICIIS, LIBER DECIMVS.

De aduentu seù diuinitate siue operatione sancti Spiritus. Caput I.

QVàm venerabilis & amplectenda sanctæ matri Ecclesiæ filiisque eius vniuersis debeat esse de aduentu Spiritus sancti solẽnitas, considerata personæ aduenientis dignitas, simulq; causa aduentus eius euidenter demonstrat. Ipse enim Deus & Dñs est, Patri Filioq; consubstantialis & coęternus, increatus atque immensus: vtpotè creatricis tertia persona Trinitatis, cuius absq; gratia, nulla in ordine cælorum consistit creatura rationalis: à quo recedens angelus, diabolus factus est, ad quem accedens homo, Deo similis redditus est. Causa autem aduentus eius hæc est, vt quia sponsus ablatus est, filiorum eius curam atque tutelã pupillorum suscipiat, & testamẽto patris legatã illis, imò sanguine eius conscriptã hæreditatem, aduocatione legitima defendat, in omni prætorio, corã quouis iudice, rege aut tyranno siue principibus terrę. Proponenda nãque erat lis in iudicio de terminis paternæ possessionis: & quum antiquus dierum dixerit huic, de quo loquimur, sponso, pupillorum patri: Po-

Psa. 8. stula à me, & dabo tibi Gentes hæreditatẽ tuã, & possessionem tuam terminos terræ, futuri tamen erant, qui hæreditatem eius nimium vellẽt angustare, aut etiam annullare, vt Iudæi, qui in sua tantùm synagoga: vt Donatus, qui in sola coarctare contendit Africa: vt Pagani, qui nullam illius possessionem vsquã esse volebant. Prętereà cælorũ pdia, quæ pertẽdere poterãt filij supradicto patris testamẽto, sibimet legata insidiãtibus malignis spiritibus, tutorẽ hũc fidissimum adesse oportebat, qui illos erudiret, protegeret,

Rom. 8. atq; pro delinquẽtibus interueniret. Nam quid oremus (inquit Apostolus) si vt oportet nescimus, sed ipse spiritus pro nobis postulat gemitibus inenarrabilibus. Igitur iuxta personæ aduenientis dignitatem, & aduentus causam, gloriosa, splendida, venerabilis, & dulcis est sanctæ Ecclesiæ domui solennitas hæc de aduentu Spiritus sãcti, ęquè vt illa sacrosancta festiuitas Dñicę resurrectionis, quia videlicet sicut nihil nobis nasci ,pfuit, nisi redimi ,pfuisset: ita nihil nobis redimi ,pfuit, nisi Spiritu sancto illumi nari, & peccatorũ remissionẽ accipere ,pfuisset.

Qua auctoritate sabbato Pentecostes, sicut & sabbato Paschæ baptizandum sit. Cap. 2.

QVapropter hæc duo tempora, id est, Paschę & Pentecostes, à Romanis Pontificibus ad A baptizandum prefixa sunt. Vnde magnus Leo scribens ad vniuersos per Siciliam constitutos, cum de sabbato sancto Paschę, quo baptizãdum sit, dixisset, adiecit, Additur sanè huic obseruantiæ, etiam Pentecostes ex aduentu Spiritus sancti, solennitas, quæ de Paschalis festi pendet articulo, & cùm ad alios dies cætera festa pertineant, hęc semper ad eũ diẽ, quæ resurrectione Dñi est insignis, occurrit, porrigẽs quodãmodo auxiliãtis gratiæ manũ, & eos quos à die Paschę, aut molestia infirmitatis, aut lõginquitas itine

B ris, aut nauigationis difficultas intercluserit, inuitans, vt quibuslibet necessitatibus impediti, desiderij sui effectũ dono Spiritus sancti consequantur. Et paulò post: Hoc aũt nos nõ & nostra persuasione defendimus, sed Apostolica auctoritate satis idoneo probamus exẽplo, sequẽtes B. Petrũ Apostolũ, quæ in ipso die, quo oium credẽtium numerũ promissum Spiritus sancti repleuit aduẽtus triũ milliũ populũ sua prędicatione cõuersum, lauacro baptismatis cõsecrauit, quod sãcta

C storia docet, dicẽs: His auditis, cõpũncti sunt corde, & dixerunt ad Petrũ, & ad reliquos Apostolos: Quid faciemus viri fratres? Petrus verò ad illos: Pœnitẽtiã, inquit, agite, & baptizetur vnusquisq; vestrũ in noie Dñi nostri Iesu Christi, &c. Act. 2.

Matth. 12. Luc. 11. Digna sanè & iusta tanti Dñi reuerẽtia, quoniam æquitas paribus in rebus paria iura desiderat, vt quia filius nõ nisi in digito Dei fortem armatum resurgẽdo deuicit, & vasa eius diripuit, atq; mundauit, æquè huic digito Dei, s. Spiritui sancto, aduenięti, sicut & Filio resurgenti suum

D repręsentetur opus, i. sacri baptismatis effectus, maximè quia baptismatis eiusdem regeneratio, propria sancti Spiritus operatio est. De cuius regenerationis sacramẽto nonnulla superius in sancto Paschę sabbato, simulq; de lectionibus & cantibus ad idem sacramentum pertinentibus, quantum proposita breuitas permisit, expositа sunt, quæ digna quæsitu videbantur.

Quid pertineat ad sancti Spiritus gratiã, lectio, Tentauit Deus Abrahã. Cap. 3.

E VErumtamẽ nunc illud prætereũdum nõ est, quid ad baptismi gratiã pertineat illa, quæ de hac die legitur, lectio: Tẽtauit Deus Abrahã. De qua re quærẽtibus facilis & aperta patet responsio, quia videlicet in illa, quam celebramus effusione sancti Spiritus, illud impletũ est, quod in hac lectione patri nostro Abrahæ Dominus ait: Per memetipsum iuraui, quia fecisti hanc rem, & non pepercisti filio tuo vnigenito, benedicam tibi, & multiplicabo semẽ tuum sicut stellas cæli, & sicut arenam, quæ est in littore maris.

Gen. 12.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Act. 2.

Maximeq; quod addidit: Possidebit semen tuum portas inimicorum suorum, atq; in semine tuo benedicentur omnes gentes terræ pro eo quod obedisti voci meæ. Illud, inquam, nunc impleri cœptũ est, qñ Spiritus sanctus Apostolorum pectora inuisibiliter penetrans, nouũ dedit sanctificationis signũ, vt in ore eorũ omniũ genera nascerentur linguarũ. Sanctus. n. Spiritus tũc oibus dari cœpit Gẽtibus, manifesto super Gẽtiles Cornelium & alios nonnullos veniens signo, qui vna & sola Dei benedictio est, qua benedicuntur oẽs Gentes in semine Abrahæ, qui est Christus, quẽ in vtero virginis idẽ Spiritus sanctus præuenit in benedictionibus, i. oĩum gratiarũ suarũ effusionib. vt de plenitudine eius nos oẽs acciperemus. Tract⁹ hãc lectionẽ idcirco nullus ꝓsequitur, qa cãticũ pater Abrahã ꝓhoc facto nullũ cecinisse scribitur, quippe quib. vel cũ quibus caneret nõ habebat, vnus & penè solus Dei cultor, idéq; in terra aliena peregrinus. Cætera, vt supra dictũ est, in officio sabbati Paschalis ꝓ posse dicta sũt.

Quòd in honorem septiformis spiritus, septem sint officia, quinta vacante feria. Cap. 4.

IN cunctis sacrosanctæ solennitatis huius officiis auctoritas Spiritus sancti præminet, cuius & maiestas materiã præbet, quod maximè in epistolis sumptis de Actibus Apostolorũ, clarum est: in quibusdã tamen Euangeliis, vel his quæ ad introitus officiorũ, vel quæ dicuntur in offerendis, nõ adeò liquet in superficie literæ, quòd personam vel propriã sancti Spiritus operationẽ prædicent: sed si perscrutemur, & vt ad latentia grana perueniamus, spicas manibus confricemus, cũcta ad illius operationẽ atq; ad baptizatorum cõpetentem pertinere patebit. instructionẽ. Sũt autẽ ab hoc sabbato vsq; ad aliud sabbatũ officia septẽ: vno die, i. feria quinta propriũ non habente, sed de Dñica mutuante officium, videlicet in veneratione posita septem eiusdẽ Spiritus sancti donorũ. Sed in his eo contenti nõ erimus, ut iuxta propositum in officiis quæramus partium concordiam, magisque opificẽ nostræ salutis inquirendo, venerabimur sancti Spiritus diuinitatem. Dignum quippe est, vt prophetica vel Euangelica seu Apostolica pensando dicta, quæ in his congesta sunt officiis, organistam antiquum suis ex vocibus, non recentem agnoscamus esse Deum, præsertim cũ in his quoque, quę hoc minus in litera personare videntur, magnificentius interdum comprobetur, interiore fideliter põderato sensu, vt est illud: Cibauit eos ex adipe frumenti, & de petra melle saturauit eos.

Psal. 80.

Cur Apostolus Paulus eos, qui in Ioannis baptismate baptizati fuerant, nihilominus baptizari fecerit. Cap. 5.

Act. 19.

LEctio Actuum Apostolorũ, factũ est, cùm Apollo esset Corinthi, &c. Cunctis huius hebdomadæ diebus lectiones de Actibus Apostolorũ sumptæ, sancti Spiritus euidenter prædicant potentiã simul & gratiam, qua teneram nascentis Ecclesiæ, cum tanta dulcedine lactabat infantiam, vt imponentibus manus Apostolis, loquerentur linguis fideles & prophetarẽt. Sed hodierna, i. sabbati lectio, vnicã baptismi Christi cõmendat dignitatẽ, in eo quòd Paulum discipulos, qui baptizati fuerant in Ioãnis baptismate, rebaptizasse, imò quia baptizati non fuerant in nomine Dñi Iesu, baptizasse cõmemorat. Causa aũt manifesta est, videlicet qa baptismus Ioãnis non ad eãdem virtutem pertinuit, quam operatur in nobis baptismus Christi. Primo, quia Ioãnes baptizauit in pœnitentiam, Christus verò baptizabat in remissionẽ peccatorũ. Deindè, quod maximum est, Ioannes non baptizabat in nomine Patris & Filij & Spiritus sancti, quæ sola & vnica regula est baptizandi, quam suo sanguine conscriptam, Saluator post resurrectionẽ suam & non ante discipulis suis contradidit. Quæ tantæ virtutis atq; auctoritatis est, vt quantacumque dicat quis inter mersionem, si cuncta ex ordine quatuor Euangelia percurrat, totamq; fidei catholicæ decantet expositionem orthodoxam, hanc aũt solã omittit regulam, verbum abbreuiatum quidem, sed consummans: Ego te baptizo in nomine Patris & Filij & Spiritus sancti. Si, inquam, istud omittit, non fecit opus baptismi, atq; ideo frustratus, qui sic intinctus est, nihilominus baptizari indiget. Quòd si sola hæc verba deprompta fuerunt, quicumq; sit ille verbi & aquæ minister, quicumq; baptizet, siue columba, siue coruus, i. siue castus, siue adulter, aut ebriosus, siue catholicus, siue hæreticus, siue etiã ludo quis fortè baptizet: nullatenus baptismum licet iterari, nè tanti nominis inuocatio videatur annullari. Vnde licet ferè nemo dubiter, libet tñ quiddã ad hoc pertinens inserere, quod Ecclesiastica de Athanasij principiis refert historia.

Esai. 10.

Athanasius dum puer esset, per ludum verè baptizauit quendam.

Tempore quo apud Alexandriã Petri martyris diem Alexander Episcopus agebat, cum post expleta solennia, conuenturos ad cõuiuiũ suum clericos expectaret, in loco mari vicino videt eminus puerorum super oram maris, ludum, imitantium (vt fieri solet) Episcopum, atque ea quę in Ecclesiis geri mos est. Sed cum intentus diutino pueros inspectaret, videt ab his geri quædam etiam secretiora & mystica. Perturbatus ili co vocari ad se clericos iubet, atq; eis quid eminus ipse videret, ostendit. Tũ abire eos, & comprehensos ad se perducere oẽs pueros imperat. Cumq; adessent, quis eis ludus, & quid egissent vel quomodo, percontantur. Illi, vt talis habet ætas, pauidi negare primo, dehinc rem gestam per ordinẽ pandunt, & baptizatos à se esse quosdam catechumenos confitentur per Athanasiũ, qui ludi illius puerilis Episcopus fuerat simulatus. Tum ille diligenter inquirens ab his, qui baptizati dicebãtur, qd interrogati fuerint, quidve rñderint, simul & ab eo q. interrogauerat, vbi videt secundum religionis nostræ ritum cuncta constare, collocutus cum concilio clericorũ, statuisse traditur, illis, quibus integris interrogationibus & responsionibus aqua fuerat infusa, iterari baptismum non debere, sed adimpleri ea, quæ à sacerdotibus mos est.

Ioannes nõ baptizauit in spiritu sancto sicut Christus.

Act. 16.

Matth. 3.

Ioan. 1.

Manifestum est igitur, baptismũ Ioannis longè imparis fuisse virtutis à baptismo Christi, neque vlla quæstione opus est, cur Apostolus Paulus eos, qui tantũ in Ioannis baptismate baptizati fuerant, nihilominus baptizari fecerit: quippe qui interrogati, si Spiritum sanctũ accepistis credentes, responderunt: Sed neque si Spiritus sanctus est, audiuimus. In quo satis liquet, quantæ imperfectionis baptismus Ioannis fuerit, in quo nec nominabatur is, in quo solo baptismi subsistit virtus, Spiritus sanctus, in quo baptizat Christus, sicut idem Ioannes ait: Ego baptizo vos in aqua, ille uos baptizauit in Spiritu sancto & igni. Et item: Qui misit me, inquit, baptizare, ille mihi dixit: Super quem videris spiritum descendentem sicut columbam, & manẽtem in eo, ille est qui baptizat in Spiritu sancto.

De proprietate consolationis, secundum quam Spiritus sanctus alius datus est paracletus. Cap. 6.

Ioan. 14.

SPiritus sanctus, sicut alia persona est quàm Filius, sic proprietate consolationis suæ qua cõsolatur nos, alius est paracletus, propter quod Dei filius multa de seipso locutus, ait in hodierna lectione sancti Euangelij: Et ego rogabo patrem, & alium paracletum dabit vobis, quod vt tandem commodius patefiat, discretione diligenti opus est, ad cognoscendum quid propriè per Filium, quid propriè pater, in creaturis operetur per Spiritum sanctum.

Ioan. 1.

Omnium substantia creaturarum per filium condita est, sicut Euangelista testatur, dicẽs: Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil. Sed omnibus exceptis quæ ad præsens negotium non pertinent, de angelica & humana tantum substantia dicendum est.

In hominibus & angelis alia per Filium, alia per Spiritum sanctum facta sũt & fiũt.

Omnis humana vel angelica creatura, omnesque substantiales qualitates, sine quibus nusquã vlla potest vel cogitari substantia, videlicet esse, viuere, sentire & discernere, quę naturaliter insunt, & idcirco eidẽ abesse substãtiæ nõ possunt, per filium simul cũ ipsa substantia conditæ sunt. At verò bene esse, sãctè viuere, rectè sentire, prudenter discernere, vel sapienter intelligere, accidẽtales qualitates per Spiritum sanctũ appositę sunt. Quas ex eo constat accidentales esse, quia videlicet adsunt bono, & absunt malo homini vel angelo, natura vel substantia permanente. Et ne quis calumniæ locus patere videatur, sic dictum est, has qualitates accidentales esse, cum ipse Spiritus sanctus, cuius hæc dona sunt, substãtia sit, sicut mulieri proculdubiò accidens est, fęta esse, cũ semen, quo impręgnata est, vel illud de quo & per quod semen in ea transfusum est, substãtia sit. Sed vt ad posita redeã, nimiam patiuntur penuriã, qui solius creatricis potentię beneficium assecuti, solis naturæ suæ bonis vtentes, quę per verbũ creata sunt, necdũ meruerunt superioribus ornari, quæ à Patre & Filio dantur per Spiritum sanctũ. Amplius verò miseri sunt, qui illa nũquã accipere merẽtur, qualibus dicit Dñs: Væ vobis, quia habetis cõsolationẽ vestrã. Apostoli autẽ nõ eiusmodi erant, qui nunq; accipere merentur: nõdum tñ diuinæ dispensationis ordo poscebat, vt iam acciperent, iãq; perficerẽtur. Et quod inter eos filius Dei erat, quod nondum spiritu dato cum illis loquebatur, & inter eos ambulabat, præparatio tẽporis erat, quo mẽtibus eorũ per eundẽ spiritum infunderetur, per quẽ in vtero virginis humanę naturæ fuerat vnitus. Quodq; dicebat eis: Rogabo Patrẽ meum, & alium paracletũ dabit vobis, vt maneat vobiscum in æternum. tale est, ac si sponsę amãti, quę dixerat, Osculetur me osculo oris sui, dicat inter oscula os amici post parietẽ stantis per fenestrã respicientis: Diruã parietem hunc, qui oscula nostra vix per fenestras admittit, dinidens inter te ventrẽq; meum eburneum distinctũ sapphiris, & mox erimus duo in carne vna, fietq; ꝓ infusorũ seminis, vt vltra sterilis nõ sis. Cum. n. hęc ante passionem suam loqueretur Dñs, adhuc stabat paries inimicitiarum, i. originale peccatũ inter homines & Deum. Corporalis autem prętentia Christi, tamq; os erat dilecti, qui tot osculis amicam alliciebat, quot doctrinis vel miraculis Ecclesiam in paucis discipulis adhuc paruulam ad fidem inuitabat. Sed sicut solo numquam amica concipit osculo, sic animæ illorum impręgnari non poterant virtute verbi, quod est semen Dei patris, nisi per ingressum Spiritus sancti copula Dei nostrarumq; animarũ perficeretur, & per illum vsq; ad interiora ventris earũ semen, quod est verbum Dei, perferretur. Quo facto, statim renuit consolari anima eorũ in tẽporalibus seu naturalibus humanæ creaturę bonis, & idcirco omnẽ rerum sæcularium consolationem respuerunt, quia memores fuerunt Dei, i. intellexerunt Deum esse incomparabiliter dignius & altius bonũ, & hoc intelligentes delectari sunt. De hac Patris & sui cognitione, paulò superius dixerat Dñs: Si cognouissetis me, & patrẽ meum vtique cognouissetis. Nam de qua cognitione dixit, nisi de experimento amoris? Siquidẽ pro experimẽto copulæ naturalis, in sacra scriptura tã honestè q̃ propriè dici cõsueuit, virũ vxorẽ, vel vxorẽ virũ. Qua similitudine, quia cognoscendus erat Deus ab Ecclesia, per passionẽ filij, qui hęc loquebatur, acquisita, statim addidit: Et amodo cognoscetis eum, Et quia sic cognouisse vidisse est, cõtinuò subiecit: Et vidistis eũ, præteritũ ponẽs pro futuro, quod certissimè futurum est, eo loquẽdi more, quo & paulò post dicturus est, Et iã non sum in mundo. Quod si cui nõ placet, ostẽdat qũo aliter quàm per amorem suum Deus veraciter vel vtiliter cognosci potest, aut qũo iam viderunt Patrem, cum ipse Filius nunc dicat: Si cognouissetis me: & Patrem meũ vtiq;

Egeni & miseri homines, i. solis naturalibus. Luc. 6.
Christus corporali ꝓsentia prę parabat Apostolos ad gratiã Spiritus sancti Ioan. 14. Cant. 1. 2. Ibid. Ephe. 5. 2.
Non per solum verbũ, sed per spiritum sanctum concipit & impręgnatur ańa fidelis.

Ioan. 14.

Ioan. 17.

psal. 67. Cognitio Dei est per amorẽ, qui est Spiritus sanctus.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Ioan.14. Dñe ostẽde nobis patrẽ

cognouissetis. In qua propositione precedens atque consequens, discipuli nõ cohærere arbitrantur. Vnde ait Philippus: Dñe ostẽde nobis patrẽ, & sufficit nobis, ac si dicat: Te quidem ostẽdisti, & videmus te tantũmodo, patrẽ nobis ostende. At ipse hunc illorũ nõ approbans sensum, quia nihil superesse putabant de filio quod non vidissent, cum & ipse sit Deus, qui æquè vt pater corde videtur, sicut alibi dixit: Beati mundo corde, quoniã ipsi Deum videbunt, ait: Tanto tempore vobiscum sum, & non cognouistis me? Nõ enim me cognouistis, qui viso me secundum hominẽ, totum vidisse putatis. Qui videt me, vidit & patrem. Sed patrẽ non vidistis, sicut ipsi fatemini, ergo nec me vidistis, quia ego in patre & pater in me est. Quod non localiter accipiendum est, nec sic esse potest, sed hoc est quod ait: Cognitio patris in cognitione filij, cognitio filij in cognitione patris est. Quæ vtriusque cognitio per Spiritum sanctum fit, & hæc sola est consolatio Sanctorum in hoc seculo peregrinantium, quia subleuati, ferunt patienter, imò gratãtur, quòd eos mundus odit, exprobrat, eiicit, persequitur, flagellat, occidit, & tã in prosperis, q̃ in aduersis oratẽ pro illis hoc spiritu gemitibus inenarrabilibus, pro refectione habẽt flere, sicut scriptum est: Fuerũt mihi lachrymæ meæ panes die & nocte, &c. Igitur quia propria Spiritus sancti operatio hæc est, rectè alius paracletus dictus est. Sequitur q̃; hęc offerenda, Emitte Spiritũ tuum &c. Hoc. n. alio loco paracleto dato, hoc spiritu emisso, creantur homines noui, & sic renouatur facies terrę nostrę, quę maledicta est in peccato Adæ, & damnata spinas & tribulos, pullulante carnis luxuria, germinat: renouatur, inquam, & nouã profert creaturam, cuius expectatio (sicut ait Apostolus) reuelationem filiorum Dei expectat, quę ingemiscit & parturit, vsq; dum in illa reuelatione filiorum Dei, reuelet semen Dei, quod per hunc spiritum, primum à baptismi gratia concepit.

Cognitio Patris & Filij per Spiritum sanctũ sanctum vera est sanctorum cõsolatio.

Rom. 8. Psal. 41. Emitte Spiritũ tuum, & creabuntur. Psal. 103. Gen. 3. Rom. 8.

Indè in sequenti versu hortatur seipsam prægnans anima, benedicere Dñm propter suam vehementem magnificẽtiam. Quæ benedictio vel gratiarum actio, si tantùm labiis fiat, adulatio est apud Deum: si autẽ corde diligente illã quam laudat magnificentiam, beneuolẽtia præmio digna iudicatur apud eũ. Vndè rectè magis internum animę spiraculum, quàm linguę plectrum hortatur ad benedicẽdum Dominum. Talisque confessio decora est, quam induit Dominus, & ea tamquàm luminoso amicitur vestimento. Causa benedicẽdi Dominum magis in hoc versu expressa, hęc est, Et tẽdens cęlum sicut pellẽ. Nã per hunc, de quo loquimur, Spiritum sanctũ extenditur cęlum, i. scriptura prophetarum. Extenditur (inquam) sicut pellis, in qua nihil latet cum extensa fuerit. Qui tegis (inquit) in aquis superiora eius, i. excellentẽ illis viam charitatis in donis Spiritus sancti superfundis cõionẽ. Vltimo festiuitatis die, manifestũ est, ad donũ Spiritus sãcti pertinere, de quo ait: Qui in me credit,

Quõ aĩa recte benedicit Dñm.

Psal. 105.

Extendens cælum sicut pellem.

Ioan. 7.

flumina de vẽtre eius fluẽt aquę viuę. hoc. n. dixit de spiritu, quẽ accepturi erant credẽtes in eum.

De processione eiusdem Spiritus sancti à Patre Filioq; procedentis. Cap. 7.

Verba Christi dignè pensanda.

SEd quia propositum nunc est, non solùm partium consonãtium in officiis, sed & diuinam quęrere potentiã Spiritus sancti, prætereunda nõ hæc est sententia Saluatoris, quã nõ sola cõmendat dignitas sensus sui, sed & reuerẽda auctoritas dicẽtis, maximè quia cum clamore, vt attentos faceret, edixit. Sic. n. scriptum est: In nouissimo autẽ die magnę festiuitatis stabat Iesus & clamabat dicens: Si quis sitit, veniat ad me & bibat, &c. Itaq; si auditores sumus nõ ingrati, & tali oratore digni, nõ solùm quid dixerit, sed & quali tẽpore dixerit (nã & hoc ad rẽ attinet) consideremus beneuoli, dociles & attenti. Dies festus erat Iudæorum scęnopegia. Quid sit scæno pegia, nouerunt (inquit Augustinus) qui scripturas legerunt. Faciebãt die festo tabernacula, ad similitudinem tabernaculorum, in quibus habitauerãt, cùm educti ex Ægypto peregrinarẽtur in deserto. Iste erat dies festus, magna solẽnitas. Celebrabãt hoc Iudæi, velut reminiscentes beneficia Dñi, qui occisuri erãt Dñm. In huius festiuitatis nouissimo die stabat Iesus & clamabat, inuitans ad bibendũ nõ qualescunq;, sed quosq; sitientes. Bene. Interea dum reminiscerentur (vt dictum est) beneficiorũ Dei, dirigebatur ad eos clamor inuitantis ad populum Spiritus sancti. Nos autem educti de Ægypto infidelitatis, liberati à captiuitate & seruitio spiritualis Pharaonis, & traducti per mare baptismi, nunc in eremo vitę presentis peregrinantes habitamus in tabernaculis, quæ sunt Ecclesiæ vel cœnobia, in quibus militamus, donec ad regnum supernę hęreditatis perueniamus. Si ergo memores beneficiorum Dei festa celebramus, à malis operibus vacantes, & in contemplatione diuinę bonitatis exultãtes, qui per passionem vnici filij salutẽ nostram operatus est, clamorẽ inuitantis audimus, in siti currimus, bibimus, quia sic nobis benigna diuinitatis vena, s. Spiritus sanctus aperitur.

Scænopegia Iudæorum.

Leuit. 23:

My stica & vera festi huius celebratio.

Quo ordine fiat eadem processio sancti Spiritus. Cap. 8

MAgna res & à Deo speranda, quam cõsiderare proposuimus, s. quo ad creaturam suã ordine veniat Spiritus sanctus. Quod vbi animaduersum fuerit, clarebit & hoc, quàm rectè in Euangelio, procedens dictus sit. Ordo necessarius hic est, vt prius in creatura rationali, bona voluntas excitetur erga creatorem, consideratione beneficiorum eius. Hęc verò vt non deessent, ille proprio filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum. Quomodo (inquit Apostolus) non cum illo nobis omnia donauit? Sed sunt homines ingrati, qui sicut in operibus mundi nulla beneuolentia laudant Deum artificẽ, quos Apostolus percutit dicẽs: Qui cum cognouissent Deũ, nõ sicut Deũ glorificauerunt, aut

Deus ex beneficiis glorificandus.

Rom. 8.

Rom. 1.

Rom. 8. 1. Cor. 1.

Hoĩes Deo nimis ĩgrati, in reprobũ traduntur sensum. Rom. 1:

aut gratias egerunt, ita cùm prædicatur eis tanta charitas Dei, q̃ pro nobis filium suum tradidit, nõ venerantur magnitudinem beneficij, sed irridentes vt stultitiã verbũ crucis Christi. Tales spiritus nunquam dignatur, quia Deo odibiles, ingratitudine nimia legẽ naturalem præuaricantur. Naturale nanq; est homini amantẽ redamare, & opus quod laude dignũ, quodq; indignum sit, posse discernere. Quod quia vitio suo, videlicet quia ingrati sunt erga Deum, facere nolunt, meritò spiritus Dei semetipsum nõ credit eis, eosq; in desideria cordis ipsorum, in immunditiã, in passiones ignominiæ, & in omnẽ reprobum sensum, sicut Apostolus ait, traditos derelinquit. At verò quorum intuitum diabolicæ non cæcauit telum inuidentiæ, cognoscentes ex operibus mundi artificem, venerantur illum, & beneuole sapientiã eius laudãt in æquitate operum: magis autem incarnatum & passum pro omnibus audientes, Dei virtutem & Dei sapientiam Christum diligunt, approbant, amplectuntur, honorant. Vnde est illud in Canticis:

1. Cor. 2.

Cant. 1. Creator vt sponsus: aĩa vt sponsa.

Oleum effusum nomen tuum, ideò adolescentulæ dilexerunt te. Itaq; quemadmodum in sponsalibus, primum sponsæ ostenditur sponsus, laudatur genus, fortitudo prędicatur, diuitiæ numerantur & forma commendatur, per quæ omnia mutuus affectus, voluntariusq; puellæ exigitur assensus: & tunc demum per cõuentum amoris, is, qui in suis placuerat, totus in seipso cognoscitur. Ita creator noster prius animarũ nostrarum in se excitat affectum, suorum ostensione operum, suæq; diuinitatis omnipotentissimæ & incarnationis sacrosanctæ, fideli prædicatione, & deinde vbi seipsum placuisse viderit, cõfidenter accedit, sicut de muliere forti scriptum est: Confidit in ea cor viri sui, & plenitudinem sui amoris, i. Spiritũ sanctum, in illam effundit. Ibi manifestat ille seipsum, quod nũquam per aliud fit, nisi per hunc, de quo loquimur, Spiritũ sanctum. Idcirco iamiam passurus Dñs, & post eandem passionem suam hunc spiritum daturus, dilectionem attentius cõmendabat, videlicet vt dilectio cordis humani, dilectioni Dei, qui est Spiritus sanctus, occurreret, locumq; præpararet. Iam, vt ad superiora reuertamur, talem dilectionis sitim requirebat, quum in templo stãs & clamans dicebat: Si quis sitit, veniat & bibat. Vbi & Scenopegiæ festiuitas, quãdo memores beneficiorum Dei tabernacula faciebant, vt supra dictũ est, ad similitudinem tabernaculorũ, in quibus habitauerunt per desertum, quandò de Ægypto educti sunt, festiuitas in quã magna, solẽnitatis eius typus erat, quæ nostris in mẽtibus splendere debet, contemplantibus beneficia Dei, quæ per filium suũ redemptorem nostrum magnificè nobiscum egit, & ob hoc sitiẽtibus illum in seipso contueri, quẽ in tantis suis expertæ sunt beneficijs. In his nimirum clamor ille Dñi non surdas aures inuenit, dicentis: Si quis sitit, veniat & bibat. Et exponens, quam sitim quęrat, quid bibendum offerat, adiungit: Qui

Prouer. 31. Vbi non est amor, ibinõ datur spiritus sanctus.

Ioan. 7.

Si qs sitit veniat ad me.

credit in me, flumina de ventre eius fluent aquę viuæ. Qui credit in me, idẽ est ac si dixisset, Qui sitit me. Quid enim est in Christũ credere, nisi Christum sitire? Plus quippè multo est, credere in Christum, quàm credere Christo, vel credere Christum. Credere Christo, subauditur, quod verum credat, vel credere Christum, subauditur esse, nõ magnum est. Siquidem & dęmones credunt & contremiscunt. At verò credere in Christum, i. per fidem ambulando tendere in Christum, venerari & amare verbum per quod omnia facta sunt, amplius autem quod verbum caro factum, & habitauit in nobis. Qui ergo sic sitit, illi datur bibere de spiritu Christi. O quanta de inopia subleuatur creatura, vt cũ creatore suo vnũ eundemq; spiritum habeat, qui solus æternarũ diuitiarũ cumul' est, quo ita inebriãt & implẽt venter animę, vt de illo fluant aquæ viuæ, s. dogmata diuinæ sapientiæ, vt meritò dicatur fons hortorum, puteus aquarum. Igitur, vt supra dictum est, hic ordo consuetus, hæc præparatio competens est ante aduentũ sancti Spiritus, vt prius bona creaturę voluntas erga creatorem excitetur, prędicatione beneficiorũ eius, quia testante scriptura quę dicit, Hominis est præparare animum, Dñi autem gubernare linguam, itemq; Hominis est disponere viã suam, sed Dñi est dirigere gressus eius: hac, inquam, scriptura testante, naturale est, vt humanus affectus, i. bona voluntas erga creatoris benefacta moueatur. Quod vbi non fit, ingratitudinis vitium, & superbientis animi contemptus est. Nã quod ait Apostol': Deus enim est, qui operatur in nobis velle & perficere pro bona voluntate, supradictæ non repugnat sententiæ. Siquidem hoĩs est aĩum prępparare, i. bona velle, dũ rationali sensum bonũ discernit & approbat, sicut idẽ Apostolus ait: Nam velle adiacet mihi, Deus vero hoc ipsum velle operaẽ, dum gratia sua causas agere, atq; hoĩ ostendere dignatur, quarũ intuitu voluntas eius ad amandum Deum excitetur. Verbi gratia: Petri Apostoli fuit, vt vellet paratus esse cum Domino in mortem & in carcerem ire: sed hoc ipsum velle operatus fuerat in eo pater, qui Christũ filium suũ in hunc mundũ miserat, & huic reuelauerat. Et quia Iudęis inuidentibus atq; persequentibus, & hic & cęteri Apostoli suum velle Deo (sicut iam dictũ est) accõmodauerant, idcirco quod suum erat, perfecit Deus, mittendo illis Spiritum sanctũ, quo accepto Petrus, qui iam velle habuerat, perficere quoque haberet, scilicet, vt potenter pro Christo in carcerem & in mortem iret.

Iacob. 2.

Philip. 2.

Prou. 16.

Rom. 7.

Luc. 22. Matt. 16.

Cur propriè Spiritus sanctus procedẽs dicatur, cum filius à Deo ꝓcesserit, sicut ipse ait: Ego enim à Deo processi & veni. C. 9.

CVm & filius à patre processerit, sicut ipse Iudæis loquitur, dicens: Si Deus pater vester esset, diligeretis vtiq; me, ego enim à Deo processi & veni, meritò quærit cur propriè Spiritus

Ioan. 8. Filius semel processit, spiritus sancti° ſçpe ꝓcedit.

Universidad de Deusto
Biblioteca

ritus sanctus procedens dicatur. Ad quod facilis promptaq; patet responsio, quòd videlicet, quia filius semel missus, semel venit redimere mundum per incarnationis mysterium,& sicut omnia per ipsum semel & simul facta sunt,ita & per ipsũ omnia semẽl & simul restaurata sunt. Propter quod non præsenti tempore ait, Ego enim à Deo procedo,sed præterito,Processi, inquit,& veni. At verò Spiritus sanctus nõ semel neq; cũcta simul electorum pectora perlustrat, sed diuersis temporibus venientes diuersis modis visitat,i.graciarum diuisiones, vnus idemq; Deus ac Dñs variè dispensat, de cuius sanctificatione ait filius:Pater meus vsq; modo operatur, & ego operor. Duplex est enim operatio Dei. Et de alio opere Dei, quod per filium operatus est,s. de creatione omnium, scriptum est: Qui viuit in æternum, creauit omnia simul. Idcirco cum de Spiritu sancto loqueretur filius, dicens:Cùm venerit paracletus,quem ego mittam vobis à patre, spiritum veritatis præsenti tempore ait:Qui à patre procedit. Et sicut lunæ corpus integrum semel in cęlo formatum est, semper autẽ beneficio solis, vt ab illo illustrẽt, indiget, quia lumine proprio non lucet: sic Ecclesia sancta semel in baptismo nata est,sed semper inter præsentis vitæ defectus variosq; labores gratia sancti Spiritus visitari ac refici opus habet. Quapropter vultui diuinitatis assistere satagit, dum quotidie creatori suo pro beneficijs eius gratias agit,verbi gratia, dum in consecratione Eucharistiæ dignum & iustum esse confitetur, illi semper & vbique gratias agere, cum cęli cęlorumq; virtutibus suas quoquè voces admitti deprecãs: quia per Christum Dñm nostrum & ipsa condita, & per eundem benedictum qui venit in nomine Dñi, redempta est. Hac enim maximè beneficiorum eius commemoratione vultui creatoris sui occurrit, & tamquam luna vero soli faciem cordis obijcit, sicq; spiritu sanctificationis,& in illis qui fortè necdum acceperunt,initiatur,& in illis qui iam acceperunt, per adiectionem muneris perficit.

Rectè igit̃ Spiritus sanctus,qui à patre procedit,solus procedens dr̃:filius verò,quia nõ procedo,sed processi,ait,& veni,non procedẽs, sed genitus,vt verè est,asseritur. Processit enim ante omnia tempora,de corde patris natus: venit in tempore, ex Maria virgine incarnatus.

Item vnde supra,& quod Spiritus sanctus sit capabilis humanæ animæ, quod est proprium diuinæ substantiæ. Cap. 10.

SI prudenter verba Dñi superius posita aduertimus,qui loquens de spiritu quem accepturi erant credentes in eum,Si quis sitit,inquit,veniat & bibat,&c. veram & perfectam sancti Spiritus diuinitatem,in his quoq; agnoscimus, de qua nunquam aliquid aridus & inanis bibit Macedonius, omneśq; alij quicunq; blasphemãdo in Spiritum sanctum, æterni delicti rei conuincuntur. Quod vt manifestum fiat,primo ponendum est illud, de quo nemo dubitat, s. potum hunc non carne,sed spiritu percipi: non ore,sed corde:non palato,sed ratione discerni. Quod autem bibitur, profectò bibentis interiora penetrat,suaq; subtilitate capabile, crassiora atque ideò sui capacia complet receptacula. Constat igitur, quòd Spiritus sanctus humanæ animæ capabilis sit, eiusq́ue penetret interiora,vtpotè quem illa bibit,i. in interiora suæ substantiæ recipit. At verò hoc diuinæ substantiæ proprium est, nihilq; aliud humanũ vel angelicum potest penetrare spiritum, præter ipsius omniumque creatorem Deum, cui dr̃: Tu solus nosti corda omnium filiorum hominum,hic (inquam)solus implet animam spiritus. Nam quod homo arreptitius dęmone plenus dr̃,non sic accipiendum est, vt malignus spiritus spiritum hominis substantialiter introisse credatur. Vterque enim creatus est,neuter altero adeò subtilior,vt alter alteri capabilis,alteriusq; capax sit. Sed ita plenus dęmone quis esse potest, quomodò mero aut febri interdum non incongruè plenus dicit̃. Quod vtique secundum corpus accipitur, quia venas neruosq; vel omnes occultos meatus corporis,non etiam animæ substantiam ingressa febris aut ebrietas,habitantem illic in suis sedib. fatigat animam. Igitur Spiritus sanctus Deus est,quia capabilis est humano spiritui,sicut iam dictum est, Christo auctore, qui ad bibendum illũ sitientes inuitat animas, quo sensu & illud Apostoli accipimus: Misit Deus Spiritum filij sui in corda nostra,& talia quam plurima.

Item de processione Spiritus sancti in minore vel matore visitatione, iuxta illud quod dictum est: Spiritus vbi vult, spirat. Cap. 11.

CVm verò idem spiritus, humani cordis circuit profundum, nemo quidem scit, nisi ipse qui accipit. Flumina autem aquæ viuę consequenter de ventre eius fluẽtia, qui bibunt,de sapore magnitudinẽ infusi muneris agnoscunt. Vndè Dñs in Euangelio:Et vocem,inquit,eius audis, sed nescis, vnde veniat aut quò vadat. Flumen quippè aquæ viuæ,i. affluentia salutaris doctrinæ, quæ de ventre fluit in Christũ credẽtis,vox est spiritus vbi vult spirantis,qui vbicunque spirauerit circuiens mẽtis vterum, fontem aquæ viuæ,i.sensum veritatis efficit, riuumque eius ad os dirigens, corporea voce induit, & in aures tuas emittit,perq; aures ad animam perfert,cui bibẽti saporis qualitas verum perhibet, quia spiritus sancti vox est,s.dum infusus pectori, gratiam multis profuturam in electo vase componit. Siquidẽ nec ipse qui accipit, scit vndè veniat aut quò vadat, licet sciat & sentiat quando venit & quando vadit, peracta visitatione sensibili. Quasi enim sibilum auræ tenuis (vt ait Gregorius) subitò percipit, atq; hoc est quod de incomprehensibili substantia æternitatis

1.Cor.12. Ioan.5. Eccl.18. Ioan.15.

Ecclesia, vt luna, sęper indiget lumine solis, id est, gratia spiritus sancti.

Filius genitus, spiritus sanctus procedens.

Ioan.7. Vera diuinitas spiritus sancti, quia aĩ̃ humanæ capabilis.

Actor.1. Aĩa arrepti tij nõ substantialiter recipit dæmonem.

Galat.4.

Ioan.3. Flumina aquæ viuæ.

3.Reg.19. Sibilus auræ tenuis.

tis conspicit. Verùm per illum in Helia sibilum auręe tenuem, frequentior visitatio designatur, qua diuinitatis saporẽ degustat mens, quoties in contẽplationis sublimitate suspendit̃. De illa magis visitatione ad prẽsens pertinet opus,qua longè excellentius tũc mens humana,clarificat̃, qñ ad publicum quis mittẽdus est, vt ad salutẽ multorum, flumina de ventre eius fluant aquæ viuæ,vel (vt alibi scriptũ est) vt à timore Dñi concipiens pariat, & spiritũ salutis eius faciat super terram. Qũo missi sunt patres nostri Apostoli,vel Apostolici viri,& siqui scribendi officio magis quàm accessu vel præsentia corporis viuam nobis aquam emiserũt,quam de hoc fonte saluatoris,de huius sancti Spiritus abundantia, feliciter hauserunt. In his magnificentius tunc illud adimpletur,quod in Canticis canticorum dr̃: Dilectus meus misit manum suam per foramen,& venter meus intremuit ad tactum eius. Subitò enim,dum nescit̃, insilit Spũs sanctus,& quasi per foramen interius aĩæ clausũm illabitur,intremiscẽte protinus ad introitum eius in firmitate humani spiritus, ob insolitum vigorẽ quẽ sentit & pondus. At ipse qui illapsus est,primitus familiari dulcedinis suæ blandimento, quasi osculo,pauitantẽ animam consolat̃. Deinde secundum opus, ad quod animam illam prẽparat,exurgens,verbi gratia,si hoc intendit, vt (supra dictũ est)de vẽtre eius fluãt aquę viuæ,i. largiora dogmata vitæ:exurgẽs,inquam,circuit animæ vterum,& circumeundo dilatat, breuem prius & angustum mirabili suorum incremento circulorum futurum eius significans in diuina scientia profectum,tanta nonnunquam magnitudine inundans,ac si vnũ de paradisi fluminib. per dilatatum eiusdẽ animę fluat alueum. Interea miratur ipsa suimet amplitudinẽ,vastumq; sinus sui deambulatorium, verè ter quaterq́ue beata,quæ(sicut scriptum est) quia dilexit cordis munditiam,propter gratiam labiorum suorum,habet amicum regem,videlicet Christum, à quo tale percipit donum. Impleta tandẽ mensura,quam dare vult hic spiritus(nam sicut spirat vbi vult,sic & diuidit singulis ,put vult) vbi miraculum cõquiescit, & anima in seipsam reuertitur,tum verò recusare nõ potest,quin surgat & dilecto aperiat,i. ad doctrinæ ministeriũ se accingat, & ea quæ clausa sunt Christo corda aperiat semper voce,nonnunquam & literis amouere contendens pessulum incredulitatis, sicq; progrediens ad publicum,præceptum exequitur,quod intus audiuit: Deriuentur fontes tui foras,& in plateis aquas tuas diuide.

De die Pentecostes,quomodo dies quo data est lex, quinquagesimus computetur, à die qua in Aegypto agnus immolatus est,cuius solennitatis die Spiritus sanctus datus est. Cap. 12.

PRimo illud prætereundum non est, diem illum,quo data est lex,in cuius rei memoriam solẽnitas magna erat Pẽtecostes,de quo die Spiritus sanctus Apostolis datus est, diem(inquã) quo post trãsitum maris rubri data est lex filius in monte Sinai, planè quinquagesimum fuisse ab immolatione paschalis agni. Nonnulli enim, maximè qui computandi scientiæ studẽt, cum legunt quartadecima die mensis primi immolatum fuisse agnum,mẽse autem tertio, tertia die mensis,descẽdisse Dñm coram omni populo super montem Sinai,iam enim (inquit scriptura) aduenerat dies tertius,& manè incaluerat,& ecce cœperunt audiri tonitrua &c. cum(inquam) hæc legunt,mirantur & hærent,numerum quin quagenarium à quartadecima die mẽsis primi vsq; ad tertiam diem mensis tertij non constare probantes. Nam cum Hebræi solos lunares habeant menses,& luna primi mensis vnde triginta dies habeat,luna verò secundi triginta,profectò à quartadecima die primi, vsq; ad tertiã diem mensis secundi, non prætermittenda est quæstio,quæ hoc modo soluitur. Tertia quidẽ die mensis secundi descendit Dñs (vt prædictũ est) super montem Sinai,sed vide quid post hęc sequitur: Moysi quoq; dixit: Ascende ad Dñm tu & Aaron, &c. Solusque Moyses ascendit ad Dñm,& illi nõ ap,ppinquabãt. Venit ergo Moyses & narrauit plebi omnia verba Dñi atq; iudicia. Ac deinceps:Et manè,inquit, consurgẽs ædificauit altare ad radices mõtis. Et post pauca: Dixit autem Dñs ad Moysen: Ascẽde ad me in montem, & esto ibi, daboq́; tibi duas tabulas lapideas,& legem ac mandata quæ scripsi,vt doceas filios Israel. Itaq; nõ tertia die mensis qñ Dñs super montem ascendit,sed die quarta, qñ tabulas & scripturam suã dedit,lex data est. Igitur diem datæ legis ab immolatione Paschalis agni quinquagesimum extitisse planum est. Qua die cùm dat̃ Spiritus sanctus,mira nobis operum eius cõcordia cõmendatur,de qua sufficiẽter tractatum est à sanctis doctorib. Sciendum quoq; est, quòd ex præcepto legis,hi dies quinquaginta, nõ ab ipsa Paschali vespera,qua immolabat̃ agnus,sed à subsequente prima sabbati incipiebãt numerari. Sic enim scriptum est in Leuitico:Feritatis manipulos spicarũ primitias messis vestræ ad sacerdotẽ. Qui leuabit eũ coram Dño, vt acceptabilis sit vobis altera die sabbati,& sanctificabit illũ. Numerabitis ergò ab ipso die,in quo obtulistis primitiarum manipulos,septẽ hebdomadas plenas, vsq; ad alterã diẽ expletionis hebdomadæ septimæ,& sic offeretis sacrificiũ nouum Dño ex omnib. habitaculis vestris panes primitiarum duos,&c. Itaq; à prima sabbati, quã nos Dñicã diẽ dicimus, i. trãsacto magno die paschalis sabbati,dies quinquaginta incipiebãt numerari. At verò Dñs noster illo die resurrexit, corpusq; suum verè nouarum frugũ terrę nostrę fasciculum,verus ipse sacerdos coram Dño Deo patre suo leuauit, & sãctificauit. Nihil ergò quæstionis remanet,cur dies ille,quo Spiritus sanct⁹ datus est,qui vtiq; à die qua resurrexit,quinquagesimus est,Iudęorum

Esa.26.

Esa.12.

Cantic,5:

Illapsus spiritus sãcti.

Prouer.22. Ioan.3. 1.Cor.12.

Prouer.5.

Quæstio de die quinquagesimo.

Exod.12.

Respõsio, quod dies quinquagesimus est,in quo tabulę legis datæ sunt.

Exod.24.

Leuit.23.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Duæ causæ solẽnitatis pẽtecostes.

rum quoq; fuerit pẽtecostes: quia (sicut iam dictum est) nõ ab ipsa vespera paschali, sed à subsequente prima sabbbati, dies pentecostes incipiebant computari. Offeramus itaq; Dño hac die panes primitiarum duos, i. pro duobus illi gratias agamus beneficijs, s. q̃ vno eodemq; spiritu suo & olim veteribus legem ac mandata scripsit in tabulis lapideis, sicut Moyses in Deuteronomio ait, Deditq; mihi duas tabulas lapideas scriptas digito Dei. Digitus enim Dei Spiritus sanctus est, & nũc nouis, i. Euangelicis patribus gratiam in tabulis scripsit carnalibus. Solẽnemq; agamus diem post septem septimanas emicantem, & numero suo, i. quinquagenario, iubilæum significantem, i. dimittentem, quo ab omni debito dimissi, ad antiquam reuertemur possessionẽ, quã perdidimus sub peccato venundati. Nam quo post septẽ hebdomadas festiuus hic dies erumpit, sic post mundi circuitũ, in quo nũc laboramus, ille dies ẽternaliter festiuus effulgebit, quo iã non laborabimus, sed felici otio cõpositi, solẽ verum festo diademate coronatũ spectabimus, mirabimur, laudabimus. Nũc secũdum officium eiusdem diei, de eodẽ Spiritu sancto (vt cẽptum est) prosequamur, Epistolam in capite ponentes, qua eius narratur aduentus.

Deut. 9.

1. Cor. 3.

Leuit. 25.

Rom. 7.

Quid significauit, quòd sonus factus est de cælo aduenιente Spiritu sancto. C. 13.

Actor. 2. Psal. 18.

SOnus qui aduenιente Spiritu sancto repente factus est de cælo, signũ fuit soni qui in oẽm terrã exiturus erat, cælis illis, quos nunc firmare veniebat, enarrantib. gloriam Dei, & firmamento constantissimæ fidei illorum annũtiante opera manuum eius, cum magnifico verbi tonitru & miraculorũ coruscationib. Sic enim mox futurum erat, hoc spiritu per os illorum intonante Christi prẽconia, vt ad pœnitentiam commoueretur & contremisceret terra, & fundamenta montium, i. corda superborum conturbarentur & commouerentur, audito qm̃ iratus est eis, nisi pœnitẽtiã egerint. Vnde & in Apocalypsi, cùm accepisset angelus thuribulũ, & implesset illud de igne altaris, & misisset in terrã, facta sunt tonitrua, & voces & fulgura & terræmotus magnus. Nunc ignis ille mittebatur, vndè & apparuerũt Apostolis dispartitè linguę tanquã ignis, ille (inquã) ignis mittebat in terram, quo angelus ille magni cõsilij dudũ impleuerat aureum thuribulũ immaculati corporis sui, & nunc assumptus in cælo agebat quod dixerat: Ignẽ veni mittere in terram, & quid volo nisi vt ardeat?

Psal. 17.

Apoc. 2.

Esa 9.

Lucę 12.

Cur Spiritus sanctus, cuius natura est inuisibilis visibilẽ foris ignẽ ostẽdit. C. 14.

QVòd vero foris quoq; visibilis ostensus est ignis, qui vtiq; non erat ipsa quæ inuisibilis est, substãtia Spiritus sancti: q̃, inquam, ignis visibilis ostẽsus est, signũ nobis fuit diuinæ eius operõnis, vt per effectus, quos nouimus, huius nostri ignis, intelligamus quid hic ignis, hic Deus, hic Spiritus sanctus operetur in nobis.

A Est autem multiplex in rerum visibilium natura, visibilis ignis commoditas. Cælum in sole & luna syderibusq; miris ornatibus illustrat: terram autẽ non solum fuso desuper lumine lætificat, sed & beneficio caloris ad gignendum prouocat, & sinu eius recepta nutrit semina. Præterea de silicum venis exceptus, & cõpetentibus alimentis enutritus, noctem nobis alleuiat, absentemq; diẽ lux agit æmula, & innumera mortalib. præstat commoda, quib. vitæ præsentis iuuatur inopia. Adde, q̃ tunc temporis ex iussu Dñi semper ardebat in altari sacerdote iugiter ligna subijciente, quodq; consumebat holocaustum, quodq; sacrificiũ sic dicebat, eò q̃ esset totũ incẽsum. Sed inter cętera naturalia præclarũ hoc habet ignis qđ diuisus in partes mutuati non sentit detrimẽta luminis, horũ omnium significationes referri ad Spiritũ sanctũ & opera eius, his qualitatib. assimilari nouerũt, qui scripturas legunt. Igit̃ q̃ in igne Spũs sanctus ostensus est, signũ fuit, non sibi, sed nobis, quib. diuina maiestas eius ab initio signis loqui cõsueuit.

Multiplex effectus & commoditas ignis.

Leuit. 6. Nu. 28. 29.

B

Cur cùm Patris & Filij & Spiritus sancti vna sit substantia, magis Spiritus sanctus dicatur ignis. Cap. 15.

C

NEc illud omittendũ est, cur cùm vna sit substantia Patris & Filij & Spiritus sancti, magis & penè sola persona sancti Spiritus appelleẽ ignis, & nonnunquã ignis Dñi, vt ibi: In igne. n. Dñi deuorabitur omnis terra. Quod tamen mirum non videbitur, si ad memoriã reuoces, quia propriè vel naturaliter amor est iste Spiritus. Amor, inquam, vel charitas, qua Pater filiũ vel Filius diligit Patrem, Spiritus sanctus est, qui & bonitas vtriusq; dr̃ & est. Nam si quæras, inquit Aug. quis omnia fecit, rñdeo, Deus. Si quæras per quid? per verbum suum. Si quæras, quare? quia bonus est, oia fecit. Et hęc trinitas vnus est Deus. Itaq; amor Dei Spiritus sãctus est. Amor aũt tã spiritualis quàm carnalis reuera ignis dr̃ & est, adeò sensibiliter calens, vt nemo amantiũ calorem eius nesciat. Sed cum Deo, cõsubstantialis amor suus sit, sic eodem amore suo Deus ignitus est, vt sine distinctione personarũ dicat̃ Deus, & sit inuisibilis atq; incorporeus ignis, iuxta illud Apostoli: Etenim Deus noster ignis cõsumens est. Veruntamẽ vbi personarum distinctione opus est, cùm quid cuiusque personæ sit propriũ distinguimus, sicut Deum patrem, vitã in se immortaliter viuentem: filiumq; eius dicimus veram & incommutabilem sapientiã, per quam vniuersam cõdidit creaturã: sic Spiritum sanctum dicimus amorẽ eius, per quem cõcupiscit rationabilẽ & inhabitare appetit creaturã. Qui amor quasi ignis, imò vt verè ignis ad eandẽ appositã sibi tẽdit rõnalem creaturam, sicut hic ignis visibilis semper in appositã tendit cõpetentẽ sibi materiã. At illo igne, quæ cõflatur, non consumit creatura, sicut hoc igne visibili consumunt ligna, fœnũ, stipula: sed quẽadmodũ aurum

Sopho. 1.

Spiritus sãctus amor est, ideo & ignis dicit.

Heb. 12. Pater, vita filius, sapiẽtia: spiritus sãctus amor proprie dicitur.

Differentia inter ignẽ visibilẽ, & inuisibilẽ.

aurum & argentũ hoc igne liquescunt, neq; cõsumuntur, sed persistunt, & puriora sunt, sic illo igne, illo, vt ait Esaias, camino qui est in Hierusalẽ: Beata rõnalis creatura, incõsumptibiliter liquescit in incẽdio huius amoris, in torrẽte huius voluptatis, semp pura, semp liquida, semper ardens amore, semper fruẽs Deo amatore, desiderando non indigens, fruendo non fastidiens.

Esa. 31.

Cur ita Spiritus sanctus in igne apparuit, vt de eodem igne linguas quoque formare dignatus sit. Cap. 16.

Deut. 4. Actor. 2.

CVm igitur constet, rectè Spiritum sanctum in igne apparuisse, eò q̃ hic Deus noster ignis consumens sit: quęritur & illud, cur sic in igne apparuerit, vt ex eodẽ igne linguas formare dignat⁹ sit. Sed & hoc signo magnificè nobis eiusdẽ Spiritus sancti commendat̃ operatio. Spiritus. n. coæternus Patri & Filio per linguã, quę maximã habet cognationẽ cum verbo, non solũ hoc expressit, quod eiusdẽ sit substantiæ cũ eodẽ Dei verbo, sed & hoc, qđ per ipsum Deus pater suũ nobis loquatur verbũ, sicut ipse in Psalmo dicit: Lingua mea calamus scribæ velociter scribentis. Nanq; vt aduerteremus, hunc eundẽ Spiritũ per illũ Psalmi versiculũ exprimi, ipse qui incarnationẽ filij Dei operatus est, cuius incarnationis ille Psalmus epithalamiũ est, ipse, inquã, qui verbum bonũ de corde patris eructatũ, in vterum virginis humanæ naturæ vniuit, nunc in lingua Spiritus sanctus apparuit, vt idẽ ipsum verbũ mentib. Apostolorũ inscriberet, sic quoq; cõparandus calamo scribæ velociter scribẽtis. Quapropter cõgruè versus hic, lingua mea, cũ præcedenti, eructauit cor meũ, in officijs quoq; cantant̃ apostolorũ, quod tũ frequentius est in officijs virginũ. Et rectè, quia verbũ hoc in sinũ virginitatis plenius atq; excellentius eructatũ est, videlicet, ita, vt inde carnẽ assumeret: in cordibus aũt Apostolorum ita, vt inde voce corporea sumpta, nobis audibile & itelligibile fieret. Igitur quia Spiritus sanctus illa Dei patris lingua est, qua, velut calamo scribæ velociter scribentis, bonũ verbum suũ humanæ naturæ velociter, vt voluit, totũ inscripsit, dicens, opera sua regi, i. assumpto homini: vt idẽ oĩnò, q̃ ipse operari sciat & possit, rectè super Apostolos ostensus est in lingua, quib. eiusdem verbi & incarnationis eius notitiã, vt eloquẽter prędicare secundum scripturas, homines hactenus idiotæ scirẽt, eadem calami velocitate inscribere veniebat.

Cur in linguæ specie apparuit spiritus sanctus.

Psal. 44.

Spiritus sanctus lingua & calamus scribæ.

Per hoc maximè consonat & cohæret Euangelio, qm̃ impletum est hic, quod dr̃ illic. Hæc locutus sum vobis apud vos manẽs. Paracletus autẽ Spiritus sanctus, quẽ mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit oĩa, & surggeret vobis omnia, quæcunq; dixero vobis. Ecce. n. missus statim doctorem illum se profitetur, qui iuxta promissum sponsi in morte agonizantis, paracletus, i. consolator filijs eius orphanis aduenerit. Doctorem inquam, qui illos doceat omnia, sed hoc signo profitetur, dum ostenditur in lingua, simulq; omnium edocet gentium loquelas, vt omnibus eloquerentur hominibus, ea de quibus soli docebantur interius Dei magnalia.

Ioan. 14.

Quòd non, vt quidam opinantur, Apostoli vna tãtum, i. Hebræa lingua loquebantur, ita vt cuique genti sua videretur, quod miraculum, vt ait Beda, non loquentium esset, sed audientium. Ca. 17.

ET non (sicut suspicantur nõnulli) in sic illorum vocib. omnes loquelæ atq; sermones audiebantur, vt tñ vna tm̃ lingua, s. Hebræa, loquerentur: sed vniuscuiusq; nationis homini sua lingua videretur: quod, vt ait Beda, miraculum non loquentiũ esset, sed audientium, i. non illis qui loquebãtur, erat vera virtus, sed in audientium aurib. prodigium, imò error, i. non rei existentis erat sensus. Non, inquã, sic egit ille spũs veritatis, nec sic opinatur de illo, quicunq; prudenter discernit, quid deceat magistrum illum, qui oẽm veritatem docere venit. Superest. n. vt scripta quoq; illorum, quæ dispersi per mundũ vniuersum, diuersarum linguarum hominib. mittebant isti vnius tantum, i. Hebraicæ linguæ literis eos asserant scripsisse, omnemq; hominem, cuiusq; linguæ, quicunq; vidisset Hebraicos illorum apices, eodem miraculo suæ linguæ scripturam estimauisse: Quod valdè ridiculum est. Saltem nos Latinos excipiant. Nã de nobis certum habemus, quia scripturas, quas Hebraicè aut Græcè conscripserunt, absq: translatoribus legere nequimus. Illud quoquè consequens est, vt quamcunq; ipsi linguam audirent, putarent Hebræam, quamcunq; viderent scripturam, existimarent esse Hebraicam. Quod nimis friuolũ, vt dictum est, ineptumq; & erroneum, sanctoq; spiritui probatur indignũ per oĩa. Nec difficile est, hanc præsumptuosam suspicionẽ, scripturæ quoq; auctoritate explodere. Et repleti sunt, inquit, oẽs Spiritu sancto, & cœperunt loqui varijs linguis, prout Spiritus sanctus dabat eloqui illis. Cœperunt loqui varijs linguis, vt Spiritus sanctus dabat eloqui illis, scripturæ verba sunt, quib. oĩnò repugnat id, quod prædicta suspicio cõiectat. Loquebantur ergo, nec falso videbant̃ loqui, dabatq; verè Spiritus sanctus eloqui illis: verùm, nouũ hoc canticũ, vt canimus, ponens sanctificationis signũ, vt in ore eorum omnium genera nascerentur linguarum, nouũ inquam, signum: Significabat enim, q̃ Ecclesia Deũ, hactenus notum sibi in sola Iudæa, linguis oĩum gentium deinceps esset locutura. Ita verò signũ fuit, vt causa quoq; efficiens, principiumq; esset futuræ rei. Nam quo gentium magistri fierent, nisi per scientiam linguarum copiam habuissent conferendi cum eis sermonẽ? Quo, inquam, saltem rñdissemus amen, super benedictionẽ illorum cum qd dicerent, nesciremus? Turrim isti, ædificaturi erant, nunc tempore accepto & opere diuino, turrim, inquam, cuius cacumen cælos

Veré diuersis linguis locuti sunt & scripserunt Apostoli.

Actor. 2.

Mysteriũ in gẽtibus linguarum. psal. 75. 1. Cor. 14. Gen. 6.

Aliter Apostoli, quàm Babylonij, turrim ædificauerunt. 1. Pet. 2.

tange-

Universidad de Deusto
Biblioteca

tangeret, per quam futurum quisque metuens A
iudicium, in cęlũ fugere posset. At illi, qui olim
absq; Dei magisterio, soloq; humano opere, su
perbia duce turrim sibi extruere voluerunt, per
quã ascenderent in cęlum, facta cõfusione lin
guarum, cùm prius esset terra labij vnius & ser
monum eorundẽ, diuisi cõtra se, ac dispersi sunt.
Igitur nunc, quandò Dei consilio turris corpo
ris Christi (quod est Ecclesia) de viuis & electis
lapidibus per vniuersum mundum ritè & ordi
natè constituitur: rectè omnes linguæ ad horum
artificum ora reuocantur, nè, sicut ibi, cùm quis
poscęret lapidem, alius offerebat bitumem; B
cum peteret aquam porrigebat trullam: ita
hic, cum structores nostri annunciarent pacem,
nos suspicaremur bellum: cùm prædicarent re
gnum Dei, nos putaremus gloriam mundi.

*Quàm congrùe Spiritus sanctus in Apo
stolos hora tertia aduenerit. Cap. 18*

1. Cor. 11. Duæ causę, cur Eucha ristiam in stituit dñs post cœnã.

OPportunè Spiritus sanctus, oĩum arbiter sa
cramentorum, hora tertia super Apostolos aduenientes, viuificis eandẽ horam dedicauit
mysterijs, qua hoĩes adhuc sobrij & carnalibus
cibis adhuc ieiuni, primùm quærere debent re
gnum Dei. Nam quia Dñs noster, qua nocte
tradebatur, post typicam agni cœnam, sacram
corporis & sanguinis sui tradidit Eucharistiã,
fortè parũ aut nihil referre arbitraremur, vtrũ
prãsi an ieiuni ad illud vitæ epulum accederemus. At ille ratione & articulo tpis agebatur, vt
tali hora sacramẽtum illud condere non mora
retur. Rõne: quia non ante consummationẽ ve
teris, inchoandus erat ordo noui sacrificij: artiMat. 26. culo tpis, quia statim capiendus, & ad passionẽ
ducendus, aliud non habebat spatium, vt ante
mortẽ suam hoc hæredibus suis conscriberet te
stamẽtum. Vndè cùm illis tradẽs sanguinis sui
calicẽ, dixisset: Bibite ex hoc oẽs, hic est enim
calix sanguinis mei, &c. statim addidit: Dico au
Luc. 24. Ioan. 21. tem vobis, non bibam amodò de hoc genimine
vitis, vsq; in diẽ illum cùm illud bibam vobiscũ
nouum in regno Patris mei. Et quidem cum in
regno patris, i. cùm iam factus immortalis, post
Heb. 9. resurrectionem suam cum discipulis suis manducauit & bibit: potuit tunc primùm tradere illis corpus suum, & calicem noui æterni testa
Hora tertia debet Missa celebrari, nõ post cœnam. menti, sed nunc magis ordinatè egit, quia testamentum ratum non fuit: nisi, vt ait Apostolus,
mors interuenerit testatoris. Igitur Spiritus san
ctus, qui huius & omnium sacramentorum auctor & virtus est, cõgruè hora tertia dari digna
tus est, vt tempus ostenderet, quo sua quoq; sacramenta dari, vel celebrari magis conueniret.
Vnde rectè vniuersalis Ecclesiæ conuentus, magis hac hora (nisi fortè dies ieiunij sit) congregari consueuit, & dicta hora tertia, quæ cæteris
illustrior est, ob honorẽ eiusdẽ Spiritus sancti,
solennia Missarum celebrari astantib. choris, cũ
psallentio cõi. Nec cuiquã hęc diuina tradũtur
mysteria, post cibũ corporis, nisi vrgeat ea, quæ
retardari non potest, instãtis necessitas mortis.

*Quòd signa prædicta Spiritus sanctus vi
sibiliter quidem ostẽdit, sed inuisibilis
inuisibiliter operatus est, & intrinsecus corda repleuit. Cap. 19.*

Matth. 5. Quãta dulcedine repleuit Apostolos spiritus sanctus. Psal. 45. Eccle. 24. psal. 103. Actor. 2. Matth. 9. Ioan. 14.

ET hæc quidem, quæ dicta sunt, extrinsecus
visa vel audita sunt: intrinsecus autem omnis erit gloria, cuius hæc de foris apparentia signa fuerunt. Intus enim B. Apostoli mundo cor
de Deum videbant animarum suarum secreta
magna cum maiestate subeuntẽ, suamq; fortitudinẽ largiflua dulcedine temperantẽ, vt adhuc
fragilia mortalium hominum pectora, non tàm
miraculo potentiæ terreret, quàm intimo sensu gratiæ lætificaret. Ibi enim erat, de quo dictũ
est: Fluminis impetus lætificat ciuitatem Dei.
Item: Spiritus enim meus super mel dulcis. Itẽ:
Et vinum lætificat cor hominis. De quo & Iudæi, quasi diuinantes, musto, aiũt, pleni sunt isti.
ibi, inquam, ideò est, in nouos vtres cordium, missum erat feruidum diuinæ substantiæ mustum,
Spiritus sanctus, sicut ait illis, promittens eum
Dominus Christus: Vos autẽ cognoscetis eum,
quia apud vos manebit & in vobis erit. C

*Quòd nõ eo minor sit Spiritus sanctus, qa
capabilis est humano spiritui, cùm idẽ de patre & filio debeat intelligi. C. 20.*

Error.

IN vobis, inquit erit: Capabilis enim, vt supe
rius iam dictum est, humano vel angelico spiritus, Spiritus sanctus est. Quod cùm sufficere
possit ad probandam eiusdem veram diuinitatem, quidam hęreticorum in suę potius perfidię
verterunt argumentum. Dicentes enim, patre Psal. 57. Cõfutatio filium esse minorem, spiritum quoq; filio mino
rem huic asserere voluerunt, quòd in nobis sit,
atq; humanarum patiatur cõtagia animarum.
Sed hoc dicendo, peccatores errauerunt, & falsa loquuti sunt. Consequitur enim eos, vt nec
Patrem nec filium confiteantur esse Deum. Paria nanque, imò eadem dicta sunt, sicut exempli
gratia, hodiernum probat Euangeliũ. Vbi cùm Ioan. 14. dixisset filius: Si quis diligit me, sermonẽ meum
seruabit, protinus adiecit: Et pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & mãsionem apud
eum faciemus. Igitur cùm Spiritum sanctum ne
gant esse Deum, eò quòd dictum sit, apud vos
manebit, & in vobis erit, consequitur, vt nec Patrem nec Filium fateantur esse Deum, eò quòd
de Patre & de se dicat Filius: Veniemus, & mãApoca. 9. sionem apud eum faciemus. Sed his explosis, &
cũ fumo suo, cũ quo de puteo abyssi tamquam
locustæ exierunt, cuentilatis, hoc potius in argumentum veritatis Catholica fides arripit,
Deum esse Spiritum sanctum comprobans, eò
quòd humano spiritui capabilis sit: quod proprium diuinæ est substãtia, sancto Spiritui cum
Patre & Filio commune, qui vnus & solus Deus
nullius capax, suæque creaturæ rationali capabilis est.

Quòd

*Quòd licet Apostolis dictum sit, de Spiri
tu sancto, quia apud vos manebit, proprium tamen filij Dei signum fuerit, quod dictum est Ioanni: Super quem videris spiritum descendentem sicut columbam, & manentem in eo. Cap. 21.*

Ioan. 14. SCiendum verò, quia in eo quod ait Dominus discipulis suis de Spiritu sancto, apud vos ma
nebit & in vobis erit, longè differentẽ modum
mansionis, ratio cogit accipi, ab eo quod in vni B
Ioan. 1. genito Dei filio idem spiritus mansit, de quo
dictum est: Super quẽ videris spiritum descendentem sicut columbam, & manentem in eo, hic
est qui baptizat.

Quæ manendi differentia si rectè animaduer
sa fuerit, simul & illud clarebit: cur cùm tota tri
nitas apud dilectorem suum mansionem faciat,
sæpius & quasi singulariter hoc de Spiritu san
cto scriptura sacra contineat.

Duplex modus manendi, quo manet spiritus sanctus in sanctis.

Manere Spiritum sanctum in creatura sua,
duob. modis accipimus: Vnus quidẽ modus est
manendi, cũ illa creatrix substantia, per seipsã C
creaturæ replens substantiã, semper inhabitat,
quod de beatis angelis sanctorumq; hominum
spiritib. qui iam cum Deo sunt, carne soluti, nõ
est dubitandum. De his autem, qui adhuc in car
ne mortali sunt, non idẽ est arbitrandum: quia,
quandiu corpus quod corrumpit, aggrauat ani
mam, multis varietatib. subiacet, & nunc quidẽ
dilatato corde, si valdè perfecti sunt, visitationẽ
illam merentẽ: quę, vt ait Gregorius, significatur
in Helia per tenuem auræ sibilũ: virtutemq; re
sumunt, vt idem Helias, qui post eundem sibilũ
3. Reg. 19. regna vertit, reges alios vngens, prophetamq; D
Heliseum: nunc deficiẽte aĩo trepidant, vt idem
rursus, qui paulò ante verbo cęlum clauserat, &
Altero, per fidem. nunc propter verba mulieris per deserta fugiebat. Alius verò manendi modus est, cùm per fi
dem inhabitare incipiens, Ecclesiam suam nun
quam in infidelitate derelinquit, vel cętera cha
rismata dona semel tribuẽs, postea nunquam
Heb. 13. cant. 6. Ezech. 10. subtrahit. Verbi gratia: Paulo Apostolo datam
sapientiam, non sic per tẽpora distinxit, vt nunc
affluente dono sapiens, nunc relabẽte fieret insi
piẽs. Et de hoc quidẽ modo dicit: Non te deserã
neq; derelinquã. De modo aũt supradicto: Auer E
te, inquit, oculos tuos, quia ipsi me auolare fece
runt. Itemq; de hoc modo scriptũ est: quia qua
tuor aĩalia incedentia non reuertebantur, sed
vnumquodq; ibat ante faciem suam, i. in propo
posito suo permanebat. De modo autem supra
Ezech. 1. dicto: Ibant, inquit, & reuertebantur in similitu
dine fulguris coruscãtis. Nec quisquã mortaliũ
Aliter in christo quã in sanctis semper manet spiritus sanctus. Esa. 4. extitit, in quo hic spiritus, q̃ diuini amoris sub
stantia est, æterna statione requieseret, præter
illum virũ vnum quem septẽ mulieres, i. septem
huius spiritus gratiæ, semel apprehenderunt,
Ioan. 1. semperque tenuerunt: propter quod & dictum
est: Super quem videris spiritum descendentem
& manentem in eo: non q̃ tunc primum in illũ
spiritus descenderit, quippè qui totã plenitudi
nem in se corporaliter habitantem ab ipsa con
ceptione habuit, sicut scriptum est: quia sapien
tia ædificauit sibi domũ, scidit columnas septẽ, coloss. 2. prouer. 9.
id est, sapientia Dei patris in ædificatione vel
conceptione sui corporis statim septem, spiritus
sui, gratias adhibuit: sed fidei præcursori & testi
eius signum opportunum datum est, vt sciret,
quale de illo testimonium perhibere deberet.
Secundum fidem autem & cętera charismatum
dona singulis, prout vult, ipsis diuisa, semper, vt 1. Cor. 12. cur potius spiritus sanctus quam Pater aut filius in nobis manere dicitur.
dictum est, in Ecclesia sua, Spiritus sanctus ha
bitabat. Quæ dona, quia propriè sancti Spiritus
opera sunt, iccirco sępius & quasi singulariter,
vt supradictum est, mansionem sancti Spiritus
in nobis scriptura sacra commendat, cùm tota
trinitas capabilis sit & mansionem sibi in nobis
faciat: quia nunc in nobis peregrinantibus per
illa dona sua Spiritus sanctus inhabitat, in futu
ro autem ęternis complexibus ipsa trinitatis
inhabitabit substantia.

*Quòd vbique esse non nisi Deus possit, vn
dè Spiritus Domini, quia repleuit orbem terrarum, Deus est. Cap. 22.*

Sapie. 1. Spiritus sanctus repleuit orbẽ terrarum.

NIhilominus & per hoc quod cantamus ad
introitum: Spiritus Domini repleuit orbẽ
terrarum, diuinam eius Ecclesia Catholica præ
dicat potẽtiam. Quis enim nisi Deus hic esset,
diuisis Apostolis per orbem terrarum, quomo
dò vno & eodẽ tempore posset omnibus adesse?
Verbi gratia: Thomæ in India, Petro vel Paulo
Romæ: imò cum per annos singulos, tam sab
bato sancto Pentecostes, quàm sabbato paschæ,
baptismi sacramenta sancta celebrat Ecclesia, D
quòd absque sancto Spiritu nullam noscitur vir
tutem habere, quomodò in toto orbe terrarum,
quo iam Ecclesia diffusa est, posset adesse, vt in
fontes plenitudo eius vbiq; descenderet, vbiq;
spiritualis equitatus Pharaonis, i. peccatorum
oĩum turbas, fluctib. operiret? Sic enim orbẽ ter
rarum illũ replere dicimus, vt Ecclesiam vniuer
sam, quæ per orbem terrarum diffusa, intellige
re debeamus. Mundi enim elementis vel corpo
ribus inanimatis diuinitas non capitur, sed san
ctam Ecclesiam vbique replere rectè creditur.
Quodq; magis dignum verumq; diuinæ maie
statis eius est signũ, ipsum eiusdem Ecclesiæ ca
put implet, sicut scriptũ est: Iesus autem plenus
Spiritu sancto regressus est à Iordane. Diuinam Luc. 4.
igitur eius vbique testamur esse præsentiam,
cantando in introitu: Spiritus Dñi repleuit or
bem terrarum, iam dicto sensu huius enumera
tionis illud respiciente, quod Ecclesiam adhuc
paruulam, sed toto orbe terrarum diffunden
dam, id est, Christi discipulos repleuit, proge
nitis in orc eorũ pro signo vniuersis orbis terra
rum linguis. Quod verò sequitur: Et hoc quod
continet omnia, scientiam habet vocis: cur sa
pientia dixerit, manifestum est, ex eo quod ad- Spiritus sanctus scięntã habet vocis Sapien. 1.

Universidad de Deusto
Biblioteca

didit: propter hoc qui loquitur iniqua, non poterit latere: vel quod premisit: & non liberabit maledictum à labijs suis, quo niam rerū illius testis est Deus, & cordis eius scrutator est verus, & linguæ illius auditor. Per quę constat sic esse dictū, sciētiam habet vocis, ac si dixisset, nouit, qua mente quisq; loquatur. Veruntamen in ratione præsentis officij scientiam linguarum respicit, quarum diuersitatem dādo fidelibus suis magnificè probauit, scientiam se habere omnium per quæ potest vox humana variari.

Quòd sancti Spiritus effusio, totius sit diuini operis confirmatio. Cap. 23.

psal. 67. BEnè supradicto sancti Spiritus operi congruit hæc offerenda: Confirma hoc Deus, quod operatus es in nobis. Nam vt nouerimus, quia Spiritus sancti effusio totius diuinitatis confirmatio sit, hoc primo dicendum est, quid ante aduentum eiusdem sancti Spūs in Apostolis suis Dñs operatus sit, fidem vtiq; in illis operatus est, quæ ex ore Petri pro omnibus sonuit: Tu es Christus, filius Dei viui. Sed hæc quàm infirma fuerit, antequàm Spiritus sanctus adueniret, cunctis liquet scientibus, quia Petrus, idē Apostolorum princeps, vnius ancillæ voce territus, illum, quem, vt iam dictum est, Christum filium Dei viui confessus fuerat, se nosse negauit. Vbi verò spiritus huius donum accepit, nec Romani principis imperium timuit, sed vsque ad mortem confitens, eadem morte sua Christū clarificauit. Fidem igitur Spiritus sanctus in Apostolis confirmauit, atq; ideò benè, vt dictū est, in offerenda canimus: Confirma Deus hoc, quod operatus es in nobis, vt per eundem spiritum fides eadem in nobis confirmetur, subiungentes, à templo tuo, quod est in Hierusalem, i. ab Ecclesia Apostolica, quæ vtiquè cœpit ab Hierusalem, i. à Iudæa, sicut alibi loquitur ipse Dominus, quia salus ex Iudęis est. Per eundem, inquam, spiritum confirmari poscimus, quia præter hunc quicquid credimus, quicquid baptizamur, quicquid molimur, infirmum & vacuum esse comprobatur. Nam & cęli, s. ordines supernorum spirituum, in eo quidem firmati sunt verbo Domini, vt in sua natura rationales essent & ęterni, & spiritu oris eius omnis virtus eorum firmata est: qua in similitudine Dei, id est, in sanctitate persistunt. Vndè alibi scriptum est: Spiritus eius ornauit cælos.

Matth. 16. Tu es Apostolorū ante aduentum Spiritus sancti infirma. Luc. 22. Ioan. 21. confirma hoc Deus, exact. Psal. 67. Ioan 4. Iob. 24.

In reliquis pśentis hebdomadæ officijs, cùm penè oīa sancti Spiritus nomē personent & gratiam, sola possunt Euangelia facere quęstionē, quid ad aduentus eius pertineant solēnitatem. Quapropter de illis breuiter aliquid dicendum est, ad hoc dumtaxat, vt eorū, cum singulis officijs, quibus deputata sunt, appareat concordia.

De Officio secundæ feriæ. Cap. 24.

Euangeliū. Ioan. 3. FEria secunda legit hoc Euāgelium: Sic Deus dilexit mūdum, vt filium suum vnigenitum daret, vt omnis qui credit in ipsum, non pereat, sed habeat vitam æternā, & reliqua. Hoc quod dictum est, nō quidem per se citius liquet, quid ad præsentem pertinet solennitatem, sed quæ præmittit lectio Actuū Apostolorum, considerata, cōfestim quasi luminis radius causam eius elucidat. Loquente, inquit, Petro, cecidit Spiritus sanctus super gentiles, qui audiebant verbū. Et obstupuerunt ex circuncisione fideles, qui venerant cū Petro, quia in nationes gratia Spiritus sancti effusa est, &c. Iccirco nanq; prædictū Euangelium cum hac ponit lectione Actuum Apostolorum, vt comprobetur hoc opus Spiritus sancti, quo gentibus pœnitentiam ad vitam dedit, non esse factū mutabilitate consilij, cùm filius antequam pateret, idem voluerit, licet per seipsum tunc gentibus prædicare noluerit, imò discipulos mittens dixit eis: In viam gentium ne abieritis: Nam & hic ait Petrus: In veritate cōperi, quia nō est personarum acceptor Deus, sed in omni gente, qui timet Deum, & operatur iustitiam, acceptus est illi: Hoc in Euangelio te statur filius Dei dicens, missum se esse, non ad iudicium, sed ad salutem totius mundi; & subiungens, absq; distinctione Iudæi atque gentilis: vt omnis qui credit in ipsum, non pereat, sed habeat vitam æternam, & cætera quæ sequuntur. Adeò nihil quidem per se gentibus prædicauit Christus, sed de illarum salute suiq; apud illas glorificatione multa prædixit. Sic Isaac nihil quidē per seipsum iuniori filio suo Iacob de afferendis sibimet cibis mandauit, sed per cōcorporalē illi Rebeccam Iacob subintroductus est, cùm ille benedictionem Esau primogenito suo dare disponeret. Nam Isaac Christum, Esau populum Iudaicum, Iacob gentilem, Rebecca mater significat sancti Spiritus gratiam. Rebecca nanq; consulente, i. sancto Spiritu consilij prouidente, iunior ille filius, s. gentium populus, ingreditur ad Isaac, videlicet ad Christū, tardante foris Esau, & occupato in venationib. id est, priore populo intento cæremoniis carnalib. Ingreditur, inquā, iunior populus cū obseruatione decē mandatorum legis, quæ tradita sunt populo priori, & sciētia legis & prophetarum peroratur, velut ille Iacob à matre indutus est valdè bonis vestib. Esau, habens circa manus collūq; pelliculas hædorum, i. apertam proferens confessionem peccatorū, cibosq; offerens, i. fidem, quæ opratur per dilectionem, eandem præripit benedictionem, quę in Apostolos descendit, sicut audiuimus in supradicta lectione. Adhuc loquente Petro cecidit Spiritus sanctus super omnes, qui audiebant verbum, & erant loquentes linguis & magnificantes Deum.

Epistola. Actor. 10. consonātia Epistolæ cū Euangelio. Actor. 10. Matth. 10. gen. 27. Mysteriū veteris historię de Isaac. galat. 5. Actor. 10.

Magnitudinem tantæ benedictionis hic introitus innuit: Cibauit eos ex adipe frumenti, & de petra melle saturauit eos. Per hoc enim fœlicitas gentium innuitur, quæ per Spiritū sanctū, interiorem sacrę scripturæ, tam quam hoies rationales, pcipiūt medullā, cùm Iudæi carnales, tantum exteriorē, vt irrationalia pecora, sectentur paleam. Sermo nanq, diuinus frumentum est,

psal. 80. cibauit eos ex adipe frumenti.

est, in quo literæ superficies, palea; sensus verò Spiritualis qui à nobis quæritur, medulla est. Vnde liquet, q̄ Spiritus sanctus quasi pinguedo diuinæ substantiæ sit, de quo in Psalmo dr: Sicut adipe & pinguedine repleatur anima mea, quia videlicet eius inspiratio verbi Dei pinguedinē nostris animabus inserit. Cibauit, inquam, Ecclesiam de gentib. ex adipe frumenti, vt dictum est. Saturauit etiam eos melle fluente de petra, id est, doctrina & sapientia & solutione arcanorum, quæ præcesserunt de Domino Iesu, in quo sunt omnes thesauri sapientiæ & sciētiæ absconditi. Propter quod de eodem spiritu in communione dicitur: Spiritus sanctus docebit vos, quęcunq; dixero vobis. Offerenda, intonuit, non dubiè ad hoc ipsum congruit, quia per Spiritum sanctum apparuerunt fontes aquarum, id est, intellectæ sunt scripturæ prophetarum.

Et de petra melle saturauit eos. coloss. 2. Ioan. 14.

Quòd Spiritus sanctus extra Catholicam non datur Ecclesiam. Cap. 25.

Extra Eccle siā Apostoli cā nō datur spūs sāctus. IN officio tertiæ feriæ prædicatur nobis, extra Catholicam Ecclesiam non posse dari Spiritum sanctum: solisq; Apostolicæ fidei præsulib. esse datum vt per impositionē manus ipsorum hi, qui cōfirmandi vel ordinandi accedunt, accipiant eiusdē Spiritus sancti donum. Sic enim habet, quę in hoc officio posita est, lectio Actuū Apostolorū: Cùm audissent Apostoli, qui erant Hierosolymis, quia recepissent Samaria verbum Dei, miserūt ad eos Petrum & Ioānem: Nondū enim in quenquā illorum venerat Spiritus sanctus, sed baptizati tantùm erat in nomine Domini Iesu. Tunc imponēbant illis manus, & accipiebant Spiritum sanctum. Et vt sciamus non nisi per Apostolicę fidei ianuā intrari debere in sanctam Ecclesiā, nec aliter accipi Spiritus sancti gratiam, congruè lectioni huic coniungitur hoc Euangelium, in quo Dñs ait: Amen amen dico vobis, qui non intrat per ostium in ouile, sed ascendit aliundè, ille fur est & latro, &c. Pastim per libros patrum sententiæ reperiuntur, quibus confirmatur, talium sacramenta, speciē quidem pietatis habere, virtutem autem eius abnegare: quomodò palmes cum fuerat abscissus de vite, palmes quidem est, sed iam fructificare non potest: & manus cùm abscissa fuerit de corpore, manus quidem est, sed corporis vitam, sensumq; in se retinere non potest. Quapropter cùm baptizati à talibus, ad Catholicam reuertuntur Ecclesiam, non quidem repetitur in illis lauacrū carnis: siquidem baptizati sunt in nomine Patris & Filij & Spūs sancti: multæ quippè hæreses sic quoq; baptizant, sed per impositionem manuū accipiunt Spiritū sanctum, quē foris (vt dictum est) accipere non poterāt. Hoc igitur, vt supradictum est, officio declamatur, foris non dari Spiritum sanctum, sed intus per episcopos, quorum est manus imponere, ex successione Apostolorum, quorum & illa vox est in introitu, manus imponentium & dicentium: Accipite iucunditatem gloriæ vestræ, gratias

Actor. 8. Nō intratur in ouile nisi p fidē Apostolicam. Ioan. 10. 2. Tim. 3. Ioan. 15. Reconciliatio per manus impositionem.

agentes Deo, qui vos in cælestia regna vocauit. Quod de apostolicis sumptū epistolis parcè à litera detortū est. Nam pro eo quod Dñs ait: Accipite Spiritum sanctū, isti verecūdè vtētes eius vice dicunt: Accipite iucunditatem gloriæ vestræ: Siquidem Paulus ad Corinthios scribens, qui ab eiusmodi furibus & latronib. quos in supradicto Euangelio Dñs percutit, multifariè subuersi fuerant, i. à pseudoapostolis, quia gloria vestra sumus ait: Et in alio loco: Gratias, inquit, agentes Deo, &c. Catholicorū quippè atq; orthodoxorum gloria est, q̄ per ostium intrauerunt ouile ouium, i. per fidem illorum, qui nō suam, vt hæretici, sed Dei gloriam in Spiritu sancto quærunt. Vnde & in cōione canimus: Spiritus qui à patre procedit, ille me clarificabit. Quod idem est, ac si dixisset: Spiritum, qui à patre procedit, quicunq; dabunt vel accipient, nō suam sed Dei gloriam vel glorificationē quærent: In offerenda quoque, Portas cæli aperuit Dñs, donum sancti Spiritus prædicat, quo scripturæ sacræ Apostolis, & per Apostolos nobis apertæ sunt, vt manna verbi Dei plueret nobis Dominus in abundantiam, quorum auctoritate Ecclesia Catholica ab insurgentib. in se hæreticis exaltatur, sicut in sequenti versu canimus.

Accipite iucunditatem gloriæ vestræ Ioan 20. 2. Cor. 1. Ephe. 5. Ioan. 16. Gloriā De catholici: hæretici suā quærunt.

Quod ieiunium æstatis ipsa Pentecostes hebdomada celebrandum sit. Cap. 26.

Rom. 5. IN officio quartæ feriæ prędicamus eam, quæ per Spiritum sanctū data est, Ecclesię multipli cem scientiā, consonantib. maximè his, quæ ieiunio deputatę sunt Euāgelicis ac propheticis lectionib. Illę nanq; lectiones trium dierū ieiunij magis cōsonant officiorum partib. reliquis, non solum sensu, sed interdum & litera, vt ille introitus: Charitas Dei diffusa est in cordib. nostris, qui de lectione Epistolæ, quæ ieiunio deputat, sumptus est. Vnde satis Ecclesiasticè & hoc Romana censet auctoritas, vt semper in hac sacra pentecostes hebdomada, siue tardius siue temperius termini occurrant, ieiuniorum celebret solennitas, quod ab antiquis quoq; præfinitum esse Apostolicis, non dubia testant ipsorum scripta. Non enim ab illis tradita est noua hæc allegoria, secundum quam visum est quibusdam nostrorum, à prima hebdomada Martij tres obseruare hebdamadarum τεσσαρακοστάς, vsque ad Natale Domini ad similitudinem trium τεσσαρακοστῶν, quas Matthæus in Christi generatione cōtexuit. Sed quia primum ieiunium veris, secūdū ętatis est, & terminus quadragesimę nunquā ante veris initiū, pentecostes verò nunquā ante ętatis occurrit introitū: placuit iure venerandę matri Romanę Ecclesiæ, in prima quadragesimę hebdomada, & in ipsa pētecostes solēnitate, ieiuniorū eorundē officia præfigere, nec vnquam pp velocitatem aut tarditatē terminorū eadē cōfundere. Nec verò cōtristat aut obscurat, sed magis illustrat obseruātia ieiuniorū, illam de aduentu sancti Spiritus solennitatē: quippè quia delitiæ sancti Spiritus, delitiarum

Ieiuniū pentecostes rationabiliter ab Ecclesia Romana institutum. Ieiuniū non cōtristat solennitatem spūs sancti.

Universidad de Deusto
Biblioteca

carnalium fastidium important electorũ mentibus:& quia sponsus ablatus est, ieiunandum est filijs eius, hoc Spũ sancto paracleto, sic suã dispẽsante gratiã & consolationẽ, vt delectenẽ gemitibus inenarrabilibus,gementes vt columbæ, gemitumq; pro cantu habentes. Igitur hæc officia secundum ieiunium, quomodò suis in partibus consonent,breuiter est aperiendum.

Matth.9. Rom. 8. Mich. 2.

De officio quartæ feriæ. Multiplicem Ecclesiæ scientiam per Spiritum sanctum esse datam. Cap. 27.

PRimò officium quartæ ferię,multiplicem,vt supradictũ est,prędicat Ecclesię scientiã:qui iuxta qđ ait Daniel,ptransibunt plurimi & multiplex erit scientia:studio virorum illustriũ,qui Spiritu sancto illuminati sunt, de libris Moysi pacisq; prophetarum scriptis tãta creuit copia librorũ,vt nos legentes, tanquã lassi cõiuię,plura relinquẽtes, videamur absistere. Hoc mysticè sanctũ nobis innuit Euangeliũ, de quinque panib.& duobus piscibus satiatis quinq; millib. hoĩum,& duodecim cophini ex fragmentis impleti sunt. Aucti sunt enim Dñi benedictione, sancti Spiritus effusionem significante: quo dato, lex & prophetę inter studia tractantium,sicut illi panes inter ora comedentiũ multiplicati sunt. De quo spiritu in lectione prima dicit sapientia:quia spiritus Dñi repleuit orbẽ terrarum,&c. Et Esaias in lectione secunda: Noli timere serue meus Iacob, & rectissime quẽ elegi. Effundã enim aquam super sitientem,& fluenta super aridam. Et exponens quid dixerit: effundam,inquit,spiritũ meum super semen tuum,& benedictionẽ meam super generationem tuam. His consonè pręcinit introitus: Deus cùm egredereris coram populo tuo,iter faciens eis,habitãs in illis. Hic siquidẽ particulatim de Psalmo LXVII. sumptus est,qui psalmus totus de exaltatione Christi,& Ecclesię glorificatione cõpositus est. Nã per prædictã scientiam, & cætera charismata Spiritus sancti, egressus est Deus,i. notus factus est in cõspectu populi Christiani, prosperũ iter faciens eis,remotis videlicet pristinis errorũ laqueis. Et quia prædicti doctores sancti,quorum & illa vox esse potest in offerenda : Meditabar in mandatis tuis quæ dilexi valdè:qui meditando diligenter sacras exposuerunt scripturas,idipsum dicunt oẽs,& non sunt in eis schismata:bene in communione recitatur eis illud Domini dictum, quod amplectuntur ipsi: Pacẽ meã do vobis, pacem relinquo vobis.

Dan. 1.

Ioan.16.

Esa.44. Sapien. 1.

Psal.67.

Psalm.118. 1.cor.1. Ioan.14.

De officio sextæ feriæ: Synagogam per fidem esse resuscitandam. Cap. 28.

FEria sexta pulchro & mirabili mysteriò significatur in Euangelio nobis illud, ꝙ futurum de synagoga speramus, videlicet quòd tandem per fidẽ Christi suscitanda sit,quę nunc præ inuidia mortua est, ex quo Spiritus sancti gratia venientẽ de gentib.Ecclesiã susceperit. Mulier nãque,quæ à fluxu sanguinis, tactu fimbriæ vestimenti Saluatoris, sanata est:Ecclesiã de gentib. archisynagogi filia,quã idem Dñs resuscitat,synagogã,quæ nũc(vt dictũ est) per infidelitatem mortua est,significat. In quo illud mirabile valde est mysticumq;, quod qsiq; filia nata est archisynagogi, tunc mulier ista cœpit infirmari, & qñ hæc sanata est, tũc illa obijt. Sic.n. scriptũ est in Euangelio: quia puella erat annorũ duodecim,& mulier fluxũ sanguinis patiebat annis duodecim.Quid pulchrius,qd cõuenientius? Nã qñ in Abrahã,Isaac & Iacob synagoga nata est, gentilitas sordib. idololatriæ tanquam fluxum sanguinis,cœpit languere. Et qñ trahente & suscipiente Spiritu sancto testificatus est in Cornelio,hæc sanata est:tunc synagoga inuidens,& indignã vitę æternę se iudicans,mortua est. Sed iterum reuiuiscet, postquã plenitudo gentium subintroierit, quod præsenti factura prædicat gratia Spiritus sancti. Huic in præunte prophetica lectione dr sub nomine ciuitatis suæ Sion: Exultate filiæ Sion,& lætamini in Dño,qui dedit vobis doctorem iustitiæ, descendere faciat ad imbrem matutinum, & serotinum in principio. Per imbrẽ matutinũ & serotinum doctrinã significat Euangelicã, quæ illis & primo tẽpore tanquã matutinus imber,missa est:& nouissimo tanquam serotinus,mittenda est. Et comedetis, inquit,vescentes, & saturabimini, & laudabitis nomen Dñi Dei vestri, qui fecit vobiscũ mirabilia. Comedetis,inquã,non cibum qui perit, sed qui permanet in vitam æternam:de quoad introitũ in persona eius, quæ suscitanda est, dicimus:Repleatur os meũ laude tua,&c. Quapp nec illud à mysterio vacat, quod cum puellam Dñs suscitasset, additum est: Et iussit illi dare manducare:Refecta enim interius dicet id, qđ in offerenda canimus:Benedic anima mea Domino,&c. Et tunc magis vniuersaliter impletũ erit, quod in communione canimus: Spiritus vbi vult spirat,videlicet habens potestatem, cũ vult,vadere ad gentes, & iterum venire ad Iudæos, vbiq; sua se voce prodens, quia nemo potest dicere, Dominus Iesus,nisi in Spiritu sãcto.

Matth.9. Marc 5.

Luc.8.

Psal.102.

Ioan 3.

De officio sabbati: Duos populos gentilem & Iudaicum pacem & concordiam habituros. Cap. 29.

SAbbati officio, duorum concordia populorũ prænignatur,Iudæi.s.atque gentilis, qui tandem vno eodemq; spiritu se illuminatos profitentes,agnitum ambo sine controuersia sequentur Christum. Duo nanq; cæci,qui in Euangelio referuntur illuminati, hos duos significant populos, quod ex præeunte lectione Epistolæ manifestum est.Quibus enim nisi Iudæorum pariter & gentium, duobus contra se inuicem rixantibus populis Paulus ait : Iustificati igitur ex fide pacem habemus ad Deum,per Dominũ Iesum Christum. Quod superiora legentibus atque intelligentibus clarum est, vbi longa & valida disputatione causatur Iudæos & Græcos omnes

Matth.20.

Rom. 3.

omnes sub peccato esse,nec istos excusabiles esse propter ignorantiam Dei:nec illos iustificari potuisse ex operib.legis,& omnib.æquè necessariam esse Christi gratiam. Quib. omnibus sub peccato cõclusis tandé infert : Iustificati igitur ex fide, &c. Itaq; duo cæci illuminati, mysticè duo sunt populi, quorũ & illa vox est in introitu sumpto de prędicta lectione epistolæ: Charitas Dei diffusa est in cordib. nostris per inhabitantem spiritum eius in nobis. Adeò ieiunium fieri præsenti hebdomada, ratio vel auctoritas exigit,vt maximè officijs consonent lectiones,& Euangelia ad ieiuniũ pertinentia. Sed & lectiones quinq; si considerentur, Spiritus sancti gratiam testantẽ,omnes quidem significationib. rei competentib. quædam autem apertis vocib. vt hæc prima Iohelis prophetę: Effundam de Spiritu meo super oẽm carnem,&c. Secũda quoque, qua dr: Numerabitisq; septẽ hebdomadas plenas vsq; ad alterã diẽ expletionis hebdomadæ septimę: presentem solennitatem contingit,quã numeratis à Paschæ die septem hebdomadibus, pro aduentu Spiritus sancti celebramus,quę magna, & apud antiquos in memoriam datæ legis festiuitas hebdomadarum erat, & apud nos in memoriam datæ gratiæ, i. remissionis peccatorum iucundus iubileus est. Et quia post factam duorum concordiam populorum in breui Dñs venturus est,rectè filijs absentiam sponsi deflentibus, & cum desiderio reditum eius expectantibus,illa consolantis verba in communione canimus: Non vos relinquam orphanos, veniam ad vos iterum, & gaudebit cor vestrum.

Iohelis 2. Leuit.25.

Ioan.14.

Quòd singula officia, quæ prædicta sunt, singulis sancti Spiritus donis conueniant. Cap. 30.

NVnc in quo singulis donorum Spiritus sancti singula conueniant officia, breuiter perstringendum est. Prima luo sabbati & sequentes die pentecostes officia,spiritum sapientiæ & intellectus prædicant.Sapientiã namq; & intellectum Apostolis dedit,vt sicut sabbato cantauimus : Flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ: & intelligerent scripturas, sicut ipsa die pentecostes legimus,Dño promittente: Paracletus autem Spiritus sanctus, quem mittet pater in nomine meo, ille vos docebit omnia,quæcunque dixero vobis. Eosdem enim & sapientes, qui nossent,quando deberent proferre sermonem: & intelligentes vt scripturarum mysteria non ignorarent,qui hactennus idiotæ fuerant, & sine literis,celeste magisterium reddidit.

Ioan.17.

Actor.4.

Actor,10.

SEcundæ ferię officiũ ad spiritum consilij pertinet,quia de assumptione gentium Deũ collaudant,quorũ salus dum in secreta Dei voluntate esset, ipsi Apostoli illud ignorabant consilium,donec Petro diceretur in excessu mentis: Quod Deus sanctificauit,tu ne cõmunę dixeris: quo loquente postmodum,cecidit Spiritus sanctus super omnes qui audiebant verbum, quod ideo,vt supradictum est,cõmemorat officium.

Ioan. 10.

FErię tertię officiũ, Apostolos & corũ successores cõmendat in eo, qđ aduersus fures & latrones, qui aliundè ascendũt in ouile ouiũ,i. aduersus pseudoapostolos vel hæresiarcas,confortari spiritu fortitudinis audent, dum causa exposcit,& dicũt: Nã gloria vestra sumus:& gloriantẽ nõ insipiẽter, sed veritatẽ dicẽtes: Quapropter hoc officiũ ad spiritũ fortitudinis pertinet.

Ioan.6.

QVartæ ferię officiũ spiritũ sciẽtię prędicat, qđ maximè ex Euãgelio claret,quo benedictione Dñi panes multiplicati referuntur, de cuius rei mystico sensu superius iã dictum est.

Luc. 8.

SExtæ feriæ officium respicit ad spiritum pietatis. Opus enim pietatis,qđ Dominus puellam resuscitat, iubetque dari ad manducandũ: imò quod per illud significatur,quia mortuam nunc synagogam, in fine resuscitans per fidem, replebit os eius laude, vt piam eloquatur iusti iudicij Dei confessionem.

1.Pet.4.

SAbbati officium ad spiritum timoris pertinet,quia videlicet cùm duo cęci supradicti, id est,duo populi suum pariter agnouerint illuminatorem, propè erit dies iudicij, quæ causa timoris & tremoris erit etiam electis.

Nec mirum hunc ordinem officiorum descendendo à spiritu sapientiæ ad spiritum timoris deduci:paschalis verò hebdomadæ officia ascendendo à spiritu timoris ad spiritum sapientiæ perduci,quia per hæc descensus ad nos Spiritus sancti, per illam verò noster ascensus ad ipsum digestus est,quod plenius dictum est in eisdem paschalibus officijs.

FINIS LIBRI DECIMI.

RVPERTI ABBATIS TVITIENSIS DE DIVINIS OFFICIIS, LIBER VNDECIMVS.

Cur post solennitatem sancti Spiritus, officiũ de sancta trinitate ponatur. Cap. 1.

CElebrata solennitate de aduentu sancti Spiritus, statim cuestigio gloriã sanctę trinitatis Dominicę subsequẽtis officio, recta dispositione concinimus,videlicet quia post aduentũ eiusdẽ Spiritus sancti,prædicari statim, & credi, & in baptismo celebrari cœpit fides & cõfessio nominis Patris & Filij & Spiritus sancti. Nam antea prętsente in carne Dño,nusquã nominis huius distinctionẽ apertè traditã vel obseruatã legim⁹, nisi cũ post resurrectionẽ suã ait discipulis suis:

Universidad de Deusto
Biblioteca

Euntes docete omnes gentes, baptizãtes eos in nomine Patris & Filij & Spiritus sancti. Sed tũc quidẽ hæc regula tradita est, nunc autẽ primum actu exhibita, vbi ipsa die pentecostes primitus in tribus millibus Ecclesiæ baptisma celebratum est. Sicque cœpit innotescere terris fortitudinis, nomen Domini, propugnantibus magni Dauid regis Christi ducib. ipso quidem corporaliter absente, sed per diuinitatis præsentiã totam belli summam regente ac disponente, summaq; cura nitentib. fidissimis eius ducib. dum capitur ciuitas aduersa, vt non suo, sed eius nomini ascribitur victoria, quemadmodum & Dauid illi dictum legimus à duce suo, obsistente
2. Reg. 12. Rabath filiorum Amon. Congrega populum & obside ciuitatem, quia capiẽda est vrbs, ne cùm capta fuerit, nomini meo ascribatur victoria.

De quo & subditur, quia tulit diadema regis eorum de capite eius, & impositum est super caput Dauid. Pro regis eorum, in Hebræo scribit Melchom. Vnde Hieronymus: Rex eorũ vocat idolum eorum, quod hic vocatur Melchom, cuius diadematis aurum constasse & purgasse dr Dauid secundum legem, & fecisse indè sibi diadema, quod hic positum super caput eius dr. Sic vtiquè cultum idolorum tulit noster Dauid, & de summis principib. illa colentib. tamquam de diademate illorum se atq; Ecclesiã suã coronauit. Vndè eidẽ Ecclesiæ suę dicit in Canticis: Co-
cant. 4. ronaberis de capite Amana, de vertice Sanir & Hermon, de cubilib. leonum, de montib. pardorum. Nam & tunc tulit idem Dauid vxorẽ Vrię
1. Reg. 11. Ethæi, ipsumq; Vriam fecit occidit, ferentem in manu sua scriptã suę mortis sententiam, graue quidẽ committens piaculum secundum rem gestam, sed grande præsignans mysterium, per Christum regem verè manu fortem atq; desiderabilem suo tempore peragendum. Sic enim hic verus Dauid Dñs noster, cùm in solario domus suæ deambularet, i. in paternæ maiestatis solio iam regnaret post meridiem, i. post passionis suæ pondus & æstum, iamq; misisset Apostolos suos ad prædicãdum cunctis gentib. quæ hic per
Rom. 7. Rabath ciuitatem filiorum Amon figurant, vidit legem, quã dederat per Moysen, sanctã quidem & bonã, sed inutiliter carnali populo cohęrentem, sicut infructuoso coniugio Bersabeæ, pulchra quidem valdè, sed sterilis iuncta erat Vriæ Ethæo. Tollensq; eam, s. legem sacram, & spiritui suo sensum eius copulans, virum eius superbum, s. Iudaicum populum, cuius superbia significatur per Vrię vocabulũ: Vrias enim interpretatur lux mea Dei: Lucẽ quippè Dei ac scientiam ille populus putabat suam esse propriam, tanquam Deus Iudęorum tm sit Deus, non etiã
Rom. 3. gentiũ. Illũ, inquã, carnalẽ populum hoc modo interficit, ablato à corde eius iteriore sensu, legis suę literã solã in manu derelinqt, qua accusante reus teneatur, sicut ait ipse Dñs: est qui accusat vos Moyses, in quo vos speratis. Hoc benè per
Ioan. 5. illud figuratur, q conscriptã à rege Dauid mortis suæ sententiam Vrias ipse portare iubetur.
2. Reg. 11.

Igitur celebrata, vt supradictum est, solennitate de aduentu sancti Spiritus, quo accepto, statim sanctæ trinitatis fidem prędicare cœperunt Apostoli: rectè huius sequentis Dominicæ tam nocturno quàm diurno officio, nomen & gloriam prædicamus eiusdem sanctæ & indiuiduæ trinitatis.

De cuius substantię vnitate, personarumque trinitate, quia magni & Catholici patres magna & digna conscribentes, sua quasi vt vindemiãtes repleuere torcularia, nos quasi colligendo racemos post vindemiatores, & ipsi in bene dictione Dei sperantes, nouissimi pro eadem fide verba Catholicæ pacis effari cupimus.

Quòd nomen Patris & Filij & Spiritus sancti propria veri Dei descriptio sit. Cap. 2.

NOmen Patris & Filij & Spiritus sancti perfecta & integra vnius veri Dei diffinitio est, omnium quicunque dicantur, vel aliquandò dicti fuerint dij, siue in cælo siue in terra cunctam amputans tubam, quorum omnium alij falsò dicti sunt dij, quos vario errore delusa gentilitas coluit, alij nõ naturaliter dij, sed accidentali dono à vero Deo deificati, iuxta illud: Ego dixi, Psal. 81.
dij estis: & filij excelsi omnes. Nam cætera quidem quamuis propria summæ & vnius diuinitatis nomina, humana præsumptio falsis diis affinxit, vt creatores atque rectores orbis terrarum immortales ac sempiternos, cæleste atque omnipotentes eos nuncuparet, & similia, quæ poeticis quoque figmentis inserta dæmones pascere consueuere, vocabula illis imponeEsa. 64.
ret. At verò nomen hoc à seculo non fuit auditum, nec homines de corde suo comminisci potuerunt, videlicet quia significatum eius oculus non vidit, & auris nõ audiuit, & in cor hominis non ascendit. Solent quippè prius res intelligi, & post ad placitum nomina illis imponi, sicut aiunt magni quoque philosophi gentilium, ea quæ sunt in voce, sunt earum, quæ sunt in anima passionum notę. Sed significatũ supra dicti nominis Patris, & Filij & Spiritus sancti, nullus eorum nouit, qui deos sibi finxere, quos voluerunt. Rebus ergo quas deos appellauerunt, nomen hoc adinuenire vel imponere nequiuerũt. Solus ipse Deus nomen sibi hoc imposuit, vbi dixit: Euntes docete, omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris & Filij & Spiritus sancti. Matt. vlt.
Cuius significatum & si prophetæ vtcunq; nouerunt, tamen ipsum nomen edicere non debuerunt, videlicet quia mundus adhuc infans, ipsum nominis capere non posset significatum. Perfecta igitur, vt prædictum est, & integra veri Dei diffinitio est, nomen hoc Dei viui, manifestam faciens discretionem, quò pertineant hi, qui scriptum illud habent in frontibus suis, de quibus clamatum est in Apocalypsi ab angelo ascendente ab ortu solis, & habente signum Dei viui: Nolite nocere terræ & mari, neque arbo-

Apoc. 7. Esa. 4. arboribus, quoadusq; signemus seruos Dei nostri in frontibus eorũ. Tunc. n. angelus ille magni consilij clamauit quatuor angelis, i. quatuor principalibus regnis, id quod supradictum est, quando clamore prędicationis euincente, factũ est, vt reges quoque & imperatores ad fidẽ conuersi, non obstarent docentibus & baptizantibus in nomine Patris & Filij & Spiritus sancti.

De significato eiusdem nominis Patris & Filij & Spiritus sancti. Cap. 3.

AD significatum verò siue mysterium huius tanti nominis intelligendum, mundandus est, quo solo Deus videri potest, cordis oculus: sicut cum solẽ istum aspicere volumus, oculum corporeũ à puluere si forte incidit, mũdare necesse habemus. Nã nomen quidẽ Patris & Filij, & Spiritus sancti, carnales quoq; qui sunt in Ec-
1. Cor. 13. clesia, multæ quoq; hæreses, non solũ carnis puluere cęcutiẽtes, sed & impietatis tenebris palpãtes, nomen hoc memoriter tenent, & confitẽtur: quia videlicet Euangelica auctoritate, quæ voce Dñi tradita est, vtcũq; tenetur. At verò signi ficatũ nominis, ab his tantùm, qui cordis oculos emũdauerunt, videtur nunc per speculũ in ænigmate, tunc autem facie ad faciẽ videbitur, cùm venerit quod perfectum est. Qui ergò eiusmodi sunt, intelligũt per hæc pia naturæ vocabula Patris & Filij & Spiritus sancti, verã & vnicã summæ diuinitatis gloriã, videlicet quia nunc & anteq̃ quicquã faceret, vnus idemq;, & solus erat Deus, sed nõ desertus neq; solitarius: solus inq̃, sed in substantia, solus & vnus, sed nõ in psona.

Quòd his relatiuis nominibus magis quàm substantialibus natura Dei significetur. Cap. 4.

IPsum diuinę naturę arcanũ his relatiuis magis q̃ quibuslibet substantialibus exprimitur nominibus. Substantialia namq; dicimus nomina, quæ trib. ęquè personis sunt cõia: qualia sũt Deus, omnipotens, increatus, immensus, æternus, & his similia. Hæc autẽ relatiua sunt, quia videlicet pater alicuius pater est, & filius alicuius filius est, & Spiritus sanctus alicuius spiritus est. Sciẽdum verò quia relatio non æquè in omnibus cõuertitur. Nã pater quidẽ ad filium refertur & cõuertitur, quia pater filij pater est, & filius patris filius est: spiritus autem sanctus patris quidẽ & filij spiritus est, sed non conuertitur. Non. n. pater sancti spiritus pater est, neq; filius sancti spiritus filius est. Sed idẽ spiritus sãctus dicitur, & est donũ, quo nomine relatio recte reciprocari potest. Donũ quippè datoris donum est, & dator, doni dator est. His inquã relatiuis nominibus magis q̃ substãtialibus cõmendatur nobis, quid amemus, laudemus, glorificemus. Quid. n. creaturę beneuolẽtia creatori suo magis cupiat, quàm illud, vndè potissimum ipse gloriatur dicens: nunquid ego, qui alios parere facio, ipse non pariã: si ego qui aliis generatio-
nẽ tribuo, sterilis ero. Quod licet de adoptiuis dictum videatur filiis, principiũ laudis ab illius habet genitura filij, qui solus naturalis est, cuius participatione alij fiunt adoptiui filij: quia solum illum pater, qui hæc loquitur, genuit: alios autem creauit, nec de sua substantia genuit, sed per gratiam suam regenerauit.
Esa. 65. Rom. 3. Psal. 2. Tit. 3.

Cur tres personas confitentes, tres tamen Deos dicere prohibetur. Cap. 5.

ICcircò autem tres personas confitentes, tres deos nihilominus dicere prohibemur, quia nec ipsa quæ prędicta est relatio, Deo per accidens euenit, nec aliud quodlibet accidens diuinæ substantię se incerserit. Non. n. in his tribus personis vlla est diuersitas, aut quantitatis, aut qualitatis, aut tẽporis, aut loci, aut faciendi, aut patiendi, aut situs, aut habendi. Quantitatis, eo q̃ substantialiter, tam Pater q̃ Filius & Spiritus sanctus æquè sit immẽsus: Qualitatis, eò q̃ item substantialiter æquè sit sanctus, iustus, & bonus: temporis, eò q̃ æquè sine initio sit: loci, q̃ æquè incircunscriptus, & in omni loco sit: faciendi, eò q̃ operatio Trinitatis æquè impermutabilis sit: patiendi, eò q̃ æquè nulli subiacet passioni: situs eò q̃ equè nulla teneatur positione locali, iacendi aut sedendi. Eius verò generis, q̃ dicitur habere, eò q̃ nũquam de Deo nisi figuratè prædicetur calceatus, armatus, coronatus, & his similia. Vndè ergo numerus deorum in trinitate potest astrui, vbi deest accidentium multitudo, q̃ sola in his, quę sub eadem specie sunt, indiuiduis numerum facit? Nã verbi gratia, cùm sit homo specialis vnus, & omnes homines specie sint vnus (vt ipsi quoq; Gẽtiles perhibẽt philosophi) seruare ęcumque in indiuiduis numerum faciunt, & nihil omnino inuenies pręter solam multitudinem accidentium. Sed hęc (vt dictum est) à diuinitate penitus aliena sunt. Quapropter nec est, cur vel vndè dicatur pluralitas deorum.

Quòd diuina substantia propter sui simplicitatem nullis accidentibus subiacet. Cap. 6.

CAusa manifesta est, cur substantia creatrix accidentia nõ suscipiat, si primo attendas, cur eisdẽ creata substantia subiaceat. Videlicet accidentibus iccirco subiacet, quia quęcumque illa sit, ex materia simul & ex forma cõsistit, verbi gratia: velut artifex cũ fabrili arte statuam figurat, materia eius est æris species, forma verò, quæuis inducta per artẽ effigies, s. imago imperatoris, aut si maluerit simulacrum Iouis. Ita q̃ statuã nominamus, nõ est id quod est, quia nõ vnum aut simplũ aliquid est. Sic nec ipsum ęs, an teq̃ in illo aliquid figuretur, simplũ quid est, vtpotè cuius materia terra est, multũ ipsa differẽs, quę videtur ęris specie. Ipsam quoq; si consideres terrã, non est id quod est, vtpotè quę à forma nomen hoc habet: Dicitur. n. terra, eo q̃ sit grauis & ficca. Suũ autẽ esse sumit ex hyle, quã

dicunt

Universidad de Deusto
Biblioteca

dicunt materiã creatam informẽ. Similiter homo nõ est simpliciter hoc vel hoc, videlicet quia constat ex partibus, quæ sunt anima & corpus, quas solubili vinculo nexas, proculdubiò mors dissociat. Sic & cętera q̃cumque sunt, ex materia simul & forma, vt dictum est, consistunt, idcoq; accidentium multitudini subiacent, & mutabilia sunt. At verò Dei substantia simplex est non formata, sed solummodo forma, forma inquã, carens materia. Vnde nescio quod sancti Spiritus organum cecinit præmissum, confirmatum est cor virginis, in quo diuina mysteria angelo narrãte concepit, statim subiiciens: Te forma præ filiis hominum castis suscepit viscerib. Hoc vere catholicus Ecclesiæ præcentor prædixit: Formam enim, i. Deũ, beata virgo castis visceribus suscepit, & hominẽ eadẽ forma speciosum præ filiis hominum nobis protulit. Hoc vnum est quod formatum nõ est. Vndè ergò accidentibus subiaceat? Nam quod cætera sunt mutabilia, de sua, vt dictum est, trahunt materia. Hoc vnum sine materia est, & ideò verè est, nulloq; nixum est, quod est præ cũctis solidum, super omnia pulchrum. Non potest quicquam inesse, præter id quod ipsum est, nec. n. potest accidentib. esse subiectũ. Cùmq; sit substãtia, nõ est susceptibile contrariũ, licet hoc nõ capiat sapientia mundi, quã hic idẽ Deus stultam fecit.

1.Cor.2.

Quòd relatio nominum Patris & Filij et Spiritus sancti, nullatenus in Deo accidens sit, licèt relatio vnum de accidentibus sit. Cap. 7.

IGitur tres personas, vt supradictum est, cõsitentes, tamen tres dicere deos iure prohibemur, & quæcumq; substãtiæ nomina sunt, numero plurali prædicare non debemus. Solũmodo personas triplicamus, quoniam ad hoc manifesta relatione, i. relatiuis nominibus, Patris & Filij & Spiritus sancti ritè compellimur. Sed hæc ipsa relatio, licèt in multitudine accidentium secundum hominem rectè computetur: sciendũ tamẽ, quia Deo nullatenus accidisse cõcedimus. Non. n. ex tempore accidit Deo, vt pater esset, aut filium generaret, quemadmodum homini, qui longè antè in sua substantia perfectus est, quàm pater sit, aut filium generet. Transeunda est tota hæc nostræ mutabilitatis nebula, & purgato cordis oculo (sicut initio iam dictũ est) videndum est saltẽ per speculũ in ænigmate, quia lõgè aliter de Deo natus est Deus, q̃ de homine homo per carnis fluxum temporaliter & localiter nascitur. Ad quod nonnihil adiuuat, si nunc interim Patrẽ & Filium & Spiritum sanctum, aliis & substantialibus vocabulis exprimamus.

Dicimus itaq; sanctam Trinitatem esse, vitã, sapientiã atq; amorẽ. Nam Deũ patrem vitam dicimus, immortaliter in se viuentem: Filiũ Dei patris sapientiam eius dicimus, ineffabiliter de corde eius genitã, consubstantialẽ & coęternã: Spiritum sanctũ dicimus amorẽ Patris & Filij, nihilominus cõsubstantialem & coæternũ. Hęc autẽ substantiæ nomina sunt. Pater namq; substantialiter vita est, non viuificatum aliquid, vt homo siue animal quod viuificatũ corpus est: non vt anima, quæ cũ sit viuens, non est ipsa vita, vndè multis perturbationibus est obnoxia, & vitæ superioris indiga: sed ipsa vitæ substãtia, substantia subtilis, lucida, mobilis, acuta, nullis, vt supradictũ est, accidentibus subiecta, nullius indigens, omni vitæ rationali capabilis, nullius ipsa capax. Nã id, quod alterius capax est, crassius vtique densius atq; corpulentius est eo, cuius capax est: vt vasculum idcirco aquæ capax est, quia materia eius terra est, quę profectò densior atq; copulentior aquæ elemẽto est. Sed hæc vita, de qua loquimur, adeò cunctis subtilior atque purior est, vt rebus omnib. ex materia formaq; conflatis, sicut iam superius dictũ est, forma ipsa siue materia sit, atq; ideo simplex, & id quod est, absq; omni mutabilitate permanens forma bona, lumen nõ illuminatũ, sed tamẽ illuminans; lumen, inquã, verũ, fonsq; & origo sempiterni luminis. Nullius ergo hæc vita capax est, sed tñ capabilis, cuius ad cõparationem cætera dẽsa atq; corpulẽta spirituũ vascula sunt. sed ab hac vita in se viuẽte Deo capaci rõnabilitate formata, eius capacia sunt, vndè & beatè sanctèq; viuunt. Filius verò itẽ substãtialiter sapientia est, i. non tantummodò sapiens (quod dici potest, & de aliquo qui accidentali dono sapientiæ participat) sed ipsa sapientię substantia. Nec idcircò dialecticorum vocibus vtimur, q̃ eorum vanitati sanctam Trinitatẽ subiiciẽdam nullatenus arbitremur, sed vt significanda notis significantioribus melius & compendiosius exprimamus. Nã illis cõcedimus quidẽ, in duo, i. in substantiã & accidens, omnia diuidentibus, sed id quod est vltra omnia, extra omnia, & præter omnia, videlicet hanc sapientiã, imò totã beatã Trinitatem, eorũ descriptionibus nequaquam submittimus. Etenim substantia hæc nullatenus contrariorũ susceptibilis est, licèt Deus, more nostræ locutionis, nunc irasci, nunc verò cõplacari dicatur. Et hęc Dei sapientia, accidens quidem est homini, quoniã potest adesse vel abesse præter subiecti corruptionem, i. præter humanę substantiæ diminutionem vel absumptionẽ. Sed in seipsa verè substantia est mobilibus omnibus mobilior, vbiq; attingens, omnia operans, cuncta disponens, speciosa, suauis, lucida, generosa, locuples omnium artifex. Hanc sapiẽtiam Dei esse filium, naturaliter ex illo genitũ didicimus, credimus, & confitemur. Naturaliter inquã, nõ imaginariè vel per similitudinem, quomodo filios beati hominis interdum accipimus opera eius: sed quàm naturaliter gignit homo hominẽ tam naturaliter genitũ accipimus ex Deo Deũ, ex lumine lumen, genitum, inquã, non factum, natum non adoptatũ, coęqualem, coęternũ, consubstantialẽ. Iccircò nõ cõsequitur, vt cũm homini datur hæc eadẽ sapiẽtia, filius cordis eius dicatur, nisi figuratè, qũo Dñs, quicumq; fecerit voluntatẽ patris mei, qui in cælis est, ipse meus frater & soror & mater est. Non inquam, hæc sapientia filius eius est, cui datur, sed eius de quo verè nata est, à quo datur: quoniã & radius, quo nostri oculi irradiantur, non noster, sed solis est radius. Illius est filius hæc sapiẽtia, qui illã non aliunde accepit, cuius de corde nata est, vt splendor ex sole, vt riuus ex fonte, et vapor ex igne.

Matth.12.

Spiritus sanctus nihilominus substantialiter amor est, i. non tantummodo amans, quod dici potest & de aliquo, qui accidẽtali dono eiusdẽ Spiritus participans, secundũ quantitatem participationis amare incipit: sed ipsa diuini amoris substantia est. Nec ideò caliginẽ noster sensus vllam patiatur, quo minus hunc amorẽ substantiam verã atq; perfectam arbitremur, quoniam humanæ substantiæ diuinus hic amor adest se vel abesse potest, præter aliquã eiusdem substantiæ nostrę absumptionẽ, quoniam hic amor, homini quidem accidẽs, i. accidentale donũ est. sed in seipso vera substantia est, viuida natura est, verus Deus. Qui iccircò propriè Spiritus sanctus dicitur, cum & Pater spiritus, & Filius spiritus sit, & Pater sanctus, & Filius sanctus sit. Quia sicut spiritus aereus, verbi gratia, meridianus auster, (hic. n. Spiritũ sanctum significabat, quia calidus est) sicut inquam, meridianus auster, à plaga sua in oppositum septentrionẽ trãs currit, & opportunos arẽtibus terris imbres aduehit, sic iste Spiritus sanctus, operatione sua, quæ ipsius propria est, à creatore procedens, in creaturam rationalẽ, supradictam eius sapientiam inopi naturę, prout vult Deus ipse ac Dñs, infundit. Vndè & spiritus sapientiæ dicitur, etiã extra dispositionem vel ordinem, quo septem eius gratię numerantur, spiritus inquam, sapientiæ, sanctus, vnicus, multiplex, subtilis, disertus, mobilis, coinquinatus, certus, suauis, amans, bonũ, acutus, humanus, benignus, stabilis, securus, omnem habens virtutem, omnia prospiciens.

sap.7.

His igitur substantialibus nominibus, vt supradictum est, quæ sunt vita, sapientia, amor vel charitas: his inquam, ad intellectum iuuamur, vt relationem, quæ in nominibus Patris & Filij & Spiritus sancti consistit, nullatenus ex tempore cœpisse uel suspicemus. Nam cum pater, vt dictũ est, vita sit, & filius sapiẽtia: quisquis ex tpe cœpisse contendit nomen Patris, aut generationem filij, consequitur, vt Deum aliquando sine sapientia: Deum inquam, insipientem (quod dictu quoque nefas est) fuisse concedat. Sed hoc abhorret fides, anathematizat pietas, omnis detestatur creatura. Itaq; non ex tempore, sed ante omnia secula Deus pater est, quia filius, i. sapientia eius sine initio cum illo est. Vnde ipsa eadem sapientia dicit: Antequam Deus quicquam faceret, aderã, cum eo cuncta cõponens, ludẽs cum eo omni tempore, ludens in orbe terrarum. Et delicię meæ esse cum filiis hominum. Cui par vel idem est illud: In principio erat verbum, & verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum, &c. Rursus cum Spiritus sanctus amor fit, quisquis Patrem & Filium prius fuisse contendit, quam Spiritum sanctum, cõsequitur fuisse, quando neq; filius patrem, neq; pater amabat filium. Quod vel suspicari dementissimũ est atq; impium. Nobis vero superuacaneum est, testimoniis astruere, quod pater diligat filiũ, imò quod (sicut ipse ait) dilexerit eum ante mundi constitutionẽ, quia satis probabile, imò necessariũ est, q̃ talis pater talẽ semper dilexerit filiũ.

Prouer. 8.

Ioan. 1.

Prouer. 8.

Ioan. 17.

Quòd ait Sapientia, Ludens eram coram eo (scilicet Deo) in principio, idem esse quod de verbo dictum est. Quod factum est, in ipso vita erat. Cap. 8.

ATtamen ne capitulum prælibatum sub obscuro reliquisse videamur, quem alium arbitrari possumus ludum, in eo quod ait Sapientia: Ludens eram coram eo omni tẽpore, ludens in orbe terrarum: nisi huius, de qua loquimur, dilectionis gaudiũ? Ludus. n. erat amabilis Deo patri videre in sapientia sua, quæ facturus erat, primo beatam cæli curiam pulchramq; rempublicã decus erat denis angelorum ordinibus distinguendam: deindè visibilem mundi huius architecturam, sphæricam cæli camerã, solemq; & lunam, lucida sydera, aquas superiores, aquas inferiores, omnes abyssos, niues atq; grandines, montes & colles, cunctáq; terræ aream, mare & omnia quæ in eis sunt, quicquid sursum volat, quicquid deorsum repit aut ambulat, bestias & vniuersa pecora, reges terræ, & omnes populos. Nam de his omnibus ait Euangelista: Quod factum est, in ipso vita erat. Quid verò est, quod addidit, Et deliciæ meæ esse cũ filiis hominum? Quid, inquã, nisi quòd iam tunc in eadẽ sapientia prouisum & hoc erat, vt in humana requiesceret natura, & caput hominum effecta, sanctorum & sapientium sibimet consociaret in suis deliciis agmina? Hæc (inquã) videre antequam fierent, ludus erat Deo & sapiẽtiæ eius, ludus festiuus, ludus iucundus, ludus deliciosus. At verò de huiusmodi gaudere, hæc oĩa spectare cũ hilaritate, in cordis amplitudine, amor est sapiẽtię, amor studiosus, amor sanctus: quem supra sanctum esse Spiritum diximus. Igitur quòd sapientia, quæ filius est, de sua dicit antiquitate ęterna, simul & de hoc amore, qui Spiritus sanctus est, necessariò conceditur: videlicet, quia Dominus possedit eum initio viarum suarum, antequàm quicquam faceret à principio, ab æterno ex antiquis, antequàm terra fieret, &c.

Quòd fides catholica neque (vt Arius) substantiam separet, neque (vt Sabellius) Trinitatis personas confundat. Cap. 9.

ITa neq; (vt Arius) substantiam separamus, neq; (vt Sabellius) personas in Trinitate confundimus, vtriusq; erroris voraginem declinantes cum execratione, & via regia currentes, vela pandi-

Universidad de Deusto
Biblioteca

pandimus insignia confessionis catholicæ. Alter.n.eorum,filium patre minorẽ,& creaturam, atque conuertibilem esse contendens, impiè atque sceleratissimè creatori hoc auferre molitus est, qđ ille creaturis à se factis omnibus, quæ viuunt tantum,quæque viuunt simul & sentiunt,benignè largiri dignatus est. Sic.n.singula distinxit,vt in specie sua generarent, & non degenerarent:Germinet,inquiens,terra herbam virentem,& facientem semen iuxta genus suum, lignumq; faciens fructum, & habens vnumquodq; semen secundum speciẽ suã. Gen.1. Item:Creauit Deus cete grandia,& omnem animã viuentem atque mobilem, quam produxerunt aquæ in species suas,& omne volatile secũdum genus suum. Ac deinceps:Producat terra animam viuentem in genere suo,&c.Tandem & hominem sic plasmauit, vt generaret(sicut scriptum est)ad imaginem & similitudinem suam. Sic fatuus ille,vt nõ videat quantam creatori irroget contumeliã,quantamq; naturæ eius criminetur sterilitatem atq; impiam, vt creaturis ab eo factis,in genere suo semen afferentibus,nullũm ipse creator generis sui semen habeat,eodem vtiq; bono,quod aliis contulit,ipse careat,sterilis, destertus atque solitarius?Nonne ergo meritò contra huiusmodi derogatores queritur ipse in Propheta,dicens:Nunquid ego, qui alios parere facio,ipse non pariam?& qui aliis generationem tribuo,ipse sterilis ero?Vndè.n.exemplar accepit, vt fœcunditatem suis daret creaturis, si in seipso sterilitate aridus existit, si creans tam multa, nihil de seipso generare valuit? Vt quid tantopere tota nocte vitæ præsentis adolescentularum ostia circuit,sibiq; poscit aperiri,si non insito sibi naturaliter calet amore,si non genuino viret semine?Instat.n.& intrinsecus, & suæ naturæ cõionem eum quem Spiritum sanctum dicimus,vehemẽtem spirat amorem,suumq; verbum,iam filium, iamq; à principio & ab æterno natum,& adhuc tamen, vt verè semen sibimet insitum in multas coniuges,i. in multas animas spargens,deorum,quotidie multiplicat gentem, quibus ait Propheta:Ego dixi dij estis,& filij excelsi omnes.Itemq;Euangelista de illo vnico filio Dei, Deiq; verbo loquens:Quotquot autem receperũt eum,inquit, dedit eis potestatem filios Dei fieri.At ille,de quo supradictum est, Arius infelix,& quicumque similis eius animalis homo nõ percipiens ea quæ Dei sunt,& ea sola sapiẽs, quæ carnis sunt, audiens deo filium natũ,toto sensu inhæret carnis imaginibus consequens esse contendens,q; vt filius generaretur vel nasceretur,substãtia patris defluxerit, & filius localiter ab eadem patris substantia traductus sit, & hanc passibilitatis calumniam, quasi consequenter aduersum nos redarguit. Itemq; de filio subiicit:Si natus est, erat profectò quando non erat. Et quasi necessario de temporalitate concludens,coæternitatem patris filio, quantum in se est,auferre cõtendit.Sed de coæternitate vel consubstantialitate iã superius dictum est.De argumento verò defluxionis vel diminutionis paternę substantiæ, quam in generatione filij cõtendit,cõsequenter intelligi oportere dicendum est,malè illos,nimiumq; carnali sensu sibimet illu-

A fisse.Non enim à carne,quæ in propagando passibiliter desiuit,argumentum ducere debuerant in ratione diuinæ generationis. Rebus quippe dissimilibus eadem nõ conueniunt.Quid autem tam dissimile,quàm carni spiritus,& non quilibet spiritus, sed omnium spirituum creator spiritus?Deus.n.spi- Ioan.4.
ritus est,& eũ qui adorat,in spiritu & veritate oportet adorare. Nobis ergo filium Dei naturaliter ex patre natum confitentibus,obiicere non debuerãt, q confessionem nostram diuinę substantiæ passibilitas, quæ in generatione carnis non abest,i. fluxus vel diminutio,consequeretur. Nam est quidem ali
B qua similitudo à carne sumpta ad Deum qui spiritus est,sacrisque inserta scripturis, vt in canticis mysticisq; prophetarum libris, sub nominibus sponsi & sponsæ, aut viri & vxoris, sed omnino figuratè hoc.i.vt in eo quod litera sonat longè aliud intelligas,s.in viro Deum,in semine Dei filiũ,i.eius verbum,in amore Spiritum sanctum,in vxore creaturam rationalem,i.humanã animam,vel angelicam substantiam. Sed est verior illa similitudo, quæ ab interiore homine sumpta,suis hostem telis reuerberat.Nam si ab homine similitudo in Deum cõ quiritur;indè sumatur,vbi eius,s. Dei imago splendere probatur. Non autẽ corpus hominis formatum
C est ad imaginem Dei,quod arbitrati sunt hi,qui dicuntur Humaniformij,pro eo quod Deum humanam formam suspicantes, immane simulachrum in templo cordis sui collocauerunt. Nam cum scriptum est:Cœlum mihi sedes est, & terra scabellum Esa 66.
pedum meorum,consequebatur opinionẽ eorum, vt Deus in cælo tam vastus sederet, ut terram pedibus tangeret. Ab interiore ergo homine econtrariò argumẽtari licet, quòd generatio filij Dei nullam paternę substantiæ diminutionem fluxum venos compellat recipere.

D *Qua similitudine valeat intelligi, filium absque fluxu vel diminutione paternæ substantiæ potuisse nasci. Cap. 10.*

COnsilium itaq; vel artem in hominis anima situm,operæprecium est aduertere, qualiter ab anima absque diminutione eius in auditorẽ quẽpiam vel in actum transeat. Si cunctis, qui adesse vel audire possunt,tuum consilium proferas,tuamve scientiam doctor sedulus in multorum aures,dicendo docendo transfundas; & quos vacuos acceperas,discẽtium animos impleas,num idcirco sensus tuus defluxit,imminutus est,& sui aliquid de-
E trimentum passus est? Itemq; si artifex es,& egregium aliquod opus meditaris,modumq; structurę prius in mente præpingis,& postmodum in re mirandum atque laudandum in actu componis,nunquid ingenij tui vena protinus aruit,nec idem retinet quod edidit? Quanto ergo magis sapiẽtia Dei, Sap.8.
quæ est Deus,Dei filius est,omnium artifex,omnia prospiciens,quæ attingit à fine vsque ad finem,non sic nata est vt efflueret,non sic genita est,vt paternã substantiam diminueret? Nec tunc, quando primum ad componẽdam mundi fabricam emicuit, & omnia visibilia vel inuisibilia condidit:nec tunc quan-

quando in vtero virginis carnem assumens,humanæ naturæ tota inscripta est, nihil minus in corde suo pater habuit,nec ideo verbum in eius natura deletum, aut detritum est, quia totum illud in nostræ naturæ pellem transcripsit. Hic ergò, Arius scilicet, & quicunq; Trinitatem consubstantialem non confitẽtur,anathema sint,inquit sancta synodus Nicæna. His autem, qui consubstantialem Trinitatem prædicant, regna cælorum sint præparata.

Quòd hæresis Sabelliana personas confundens, consequenter dicta sit Patripassiana. Cap. 11.

ALter verò,videlicet Sabellius,diuerso quidem, sed non minus detestabili errore,personas trinitatis confundens, vnam esse personam asserit, id est,ipsum sibi esse filium, qui pater est,ipsumq; spiritum,ita cæcus mente,vt hęc tam præclara,tam aperta testimonia non attendat Domini dicentis. Matth. 28. Ite,baptizate omnes Gentes in nomine Patris & Filij & Spiritus sancti. Itemque eo baptizato in Iordane,vocem de cœlo dicentem:Hic est filius meus Matt.3.
dilectus,in quo mihi bene complacui:sanctumque Spiritum in columbæ specie super eum descenden
C tem. Hanc hæresim consequenter Patripassianam dicimus. Nam si idẽ ipse filius, qui pater est,cùm filius incarnatus & passus sit, proculdubio pater ipse incarnatus & passus est. Vndè rectè(vt dictũ est) Patripassianã hanc hæresim nominamus. Sed nos hunc errorem execrantes, verbũ quod erat in principio apud Deum, verbum(inquam) Deum, non ipsum,aquod quem erat hoc verbum, credimus & confitemur carnem factum,videlicet, alium eum qui genuit, alium confitentes eum esse qui genitus est. Alium, inquam, in persona, non aliud in sub- Ioan. 10.
stantia.Vnde ait ipse filius:Ego & pater vnũ sumus.
D Vnum vtiq;secundum substantiã sumus,secũdum pluralitatẽ personarũ,eum dixisse non dubitamus.

Quòd in creatura rationali bene constituta, sancta Trinitas per suorum distinctionem operum agnosci valeat. Cap. 12.

IN creatura quoq; rationali benè & perfecto decore constituta, tamquam in speculo perlucido paret quodãmodo,quia non in vna sola, sicut prædictus Sabellius errat,sed in tribus personis adorãda subsistit diuinitas. Ecce enim (sicut superius dictum est) Patrem & Filium & Spiritum sanctum, E
quæ relatiua nomina sunt, aliis & subsistantialibus nominibus dici,vel esse,vitam,sapientiã,atque amorem:sic in homine,vel angelo sancto hæc tria computamus,spiritum vel animam,rationalitatem atq; dilectionem.Hæc tria sunt.Manifestumq; est, spiritum vel animam non ipsam esse, quæ est rationalitas,alioquin nulla esset ratione carens anima.Sed est bruta pecoris anima,quæ sicut ratione caret,sic & æternitate: & sicut solis fungitur carnis sensibus, sic & cum carne moritur. Item rationalitas non est

A ipsa, quę dilectio, alioquin nullum rationale esset absq; dilectione.Sed est omnis homo,vel omnis angelus rationalis quidem,non autem omnis homo, vel omnis angelus habet in se Dei dilectionem.Vn
dè arguitur per Ezechielem diabolus, qui illam in Ezech.28.
semetipso spreuit primus:Aurum,inquit, opus decoris tui,& foramina tua in die,qua cõditus es,prępparata sunt.Et post pauca:Repleta sunt,ait,interiora tua iniquitate. Rationalitatem cum qua conditus est,foramina eius appellat:quia sicut lapis preciosus auro ligatur, ita Spiritu sancto, qui vtique
B dilectio est,ligari,& in vnitate cęlestis ordinis cum posset astringi,recusauit.Sic & homo tumidus quicumq; superbiam eius imitatur.Non ergo (vt iam dictum est)dilectio ipsa quæ rationalitas,nec rationalitas ipsa,quæ anima vel spiritus est, sed tria simul vnum opus perfectum,& creatori simile,ostendunt. In hoc igitur tamquam in speculo(vt supradictum est)contemplare creatorem Deum,non vnius tantum, sed trium personarum esse.Quarum quamlibet quis deneget, Deum non habet,sicut rationali creaturæ quodlibet ex supradictis trib. detrahas,nullius dignitatis opus remanet. Amissa nãque dilectione,qui angelus lucis creatus fuerat,diabolus princeps tenebrarum factus.Et homo similiter absque dilectione malus,& eiusdem diaboli fi-
C lius est. Quod si rationalitas desit, brutũ est omne quod vidit & sentit.Si anima vel spiritus nõ sit,multo magis nec rationalitas nec dilectio in vlla creatura est. Sic (inquam) quãlibet trium personarum deneges,Deum non habes:quia si Spiritum sanctũ abneges,Patrem & Filium confitẽs, cum idem Spiritus amor sit,Deum, sine amore,i. hostem & inimicum tibi constituisti.Si Filium deneges,cum filius Dei sapiẽtia sit,Deum tibi brutum & insipientẽ phantastico errore confinxisti.Nam de filio malè sentientes,Niceni fides concilij Gẽtilium similes esse conuincit.Itaq; iure catholica fides,vt supra dictum est, sicut in Ario substantiæ separationem, sic in Sabellio personarum anathematizat confusionem vel peremptionem.

Quomodò numerus trium personarum nihil indè auctus sit, quod homo factus est filius Dei: nec idcirco quaternitas, sed dicatur & sit nihilominus Trinitas. Cap. 13.

QVamuis autem filius incarnatus sit, idemque Deus & homo sit, non crescit ex eo personarum pluralitas, vt quæ ante incarnationẽ eius erat trinitas,post dicatur aut sit quaternitas.Non enim duos Ecclesia catholica recipit filios, imò anathematizat Nestorium & omnes,qui vnum ante secula, alium profitentur post carnis assumptionem. Nam duo quidem,i.duas substãtias,duo(inquam) neutro genere,non masculino duos,i.duas in Christo prædicamus personas. Et sicut homo sedens in equo,non duo sunt,sed vnus equus,sic Deus in homine non duo Christi,sed vnus est Christus.Quomodo enim de diuersarum specierum indiuiduis duos aut tres prædicabis,cum vnum substantiæ nomen

Universidad de Deusto
Biblioteca

men subiicere non possis? Verbi gratia: Hic homo, A
atque hic equus diuersarum specierum, i. hominis
& equi individua sunt. Si ergo de hoc equo, & de
hoc homine loquens, duos dixeris, inconuenienter
hoc mobile prædicabis, cum substantiale fixũ non
sit, quod subiicere possis, quia neque homines neq;
equos de vno homine & vno equo dicere rõ pmit-
tit. Non minus inconuenienter de Christo prædi-
cabis duos. Nam quomodo constat, hic eques ex
hoc homine & ex hoc equo: sicut & Christus con-
stat ex hoc individuo Dei, quod est verbum pa-
tris, & ex hoc individuo hominis, quod ex virgine
Maria nascendo initium sumpsit. Dubium autem B
non est, ꝙ Deus & homo diuersæ sint species, om
nino substantialibus differentiis longè adinuicem
distantes, abusque generalissimi generis (quod est
substantia) diuisione prima. Nam sub corporeo lõ-
gè infra continetur homo, Deus autem vetus sub
incorporeo. Si ergo de Christo loquens dixeris
duos, inconuenienter prædicabis: quia non est fi-
xum substantiale, qu d congruè subiicere possis.
Nec si Christos subieceris, rectè dixisti: quia Chri-
stus nec substantiale nomẽ est, sed est nomẽ officij):
nec magis de Deo & homine, duos rectè potes prę-
dicare Christos, quàm duos equites de homine & C
equo. Sed & minus conuenienter de Deo & homi-
ne duos dicis Christos, quàm de homine & equo
equites duos: quia Deus homini vnitus, nunquam
separabitur: homo autem equo sedens, quoties de-
scendit, toties separatur, nec incongruè similitudo
hæc pro argumento sumpta est: quoniam in Chri-
sto diuinitas humanitate tamquàm equo vsa est,
Zach. 1. Luc. 10. vndè in Zacharia propheta equus roseus ostendi
tur, & in Euangelio Samaritanus hominem à latro-
nibus conuulneratum, iumento suo imposuisse le-
gitur. Itaq; quemadmodum filius tuus, si egressus
pedes, fortè sedens equo ad te reuertitur, non idcir
cò tecum personas triplicat, sed tantùm vt prius
geminat. non.n. dignum est, vt cum filio tuo, filius
iumenti personam duplicet: sic filius Dei, verbũ pa
tris in sola diuinitate eructatum in vterum Virgi-
nis, dùm cum humanitate redit ad dexteram pa-
tris, personarum numerus nõ indè succrescit, quia
dignum non est, vt cum natura Dei personam du-
plicet natura hominis, quæ ab illa substantia, & plu
ribus, & maioribus distat differentiis, quàm equus
ab homine. Nam hominem ab equo rationalis dif
ferentia seiungit, hominem autem à Deo plurimæ
secernunt (quas enumerare longum est) substan-
tiales differentiæ. E

Cur ante incarnationem Domini fides sanctæ Trinitatis à vulgo non debuerit aut potuerit exigi. Cap. 14.

IDcircò prætereritis generationibus ante aduẽtum
Christi tacitum fuit vulgo mysterium tanti hu-
ius diuini nominis Patris & Filij & Spiritus san-
cti: quia necdum illud capere poterat infantia seu
iuuẽtus mundi nimiũ carnalis, quippè qui ne nunc
quidem iam grandæuus, postquam incanuit, Chri
sto aduenìente, sine magno prædicantium labore,
intelligere potuit, simul quia necdum illam, quam A
in hac fide confitemur, suam beata Trinitas fece-
rit misericordiam. Nec dum, inquam, nobiscum
illam, pro qua nunc iure colitur, fecerat misericor-
diam, qua sibi circa salutem nostram beata Trini-
tas diuisit operationem trinam, vt hominem quem
Pater creauerat, Filius redimeret, Spiritus sanctus
igniret, non quia pater absq; filio sanctoq; spiritu
quicquam creauerit, aut filius sine patre sanctoq;
spiritu redemerit, aut spiritus sanctus absque patre
filioque illustrauerit, & peccatorũ remissione mun-
dauerit: sed quia sic est communis quidem, & vbi-
que inseparabilis summæ & vnius diuinitatis ope-
ratio, vt tamen in proprietate vel ordine operis, ma
nifesta nullique fidelium ignoranda personarum
sit discretio. Nam illa vox: Faciamus hominem ad Gen. 1.
imaginẽ & similitudinem nostrã, patris vox est ad
filium & spiritum sanctum: & illa caro, quæ de Vir Matth. 3.
gine sumpta, mortua ac sepulta est, & resurrexit, fi- Acto. 2.
lij caro est: & illa columba, quæ super Dominũ de-
scendit, & ille ignis qui super Apostolos eius appa-
ruit, non quidem substantiam, sed præsentem san-
cti spiritus potentiam visibiliter exhibuit. Præteri-
tis ergo seculis iure à vulgo non exigebatur fides
sanctæ Trinitatis, quia sicut dictum est, infanti ad-
huc & sub pędagogo seruienti populo Dei, decla- Gal. 3.
rata non fuerat hæc eadem Trinitas adorandi ex-
hibitione vel distinctione operis.

Quòd vetus testamentum eamdem fidem Trinitatis non tacuerit, nec sine illa veteres sancti Deo placuerint. Cap. 15.

NOn tamen penitus absq; fide veteres Deo pla
cuerunt, quoniam hi, à quibus tamquam ra-
dicibus suis multiplices rami portabantur, s. magni
patres, diuini huius nominis pinguedine nõ caruc-
runt, qua nunc pascimur nos: qui cum oleaster esse-
mus, naturalibus ramis propter incredulitatẽ fra- Rom. 11.
ctis, per eandem fidem in bonam oliuam inserti su
mus. Plurima quippe illorum libri testimonia Tri
nitatis Euangelio Christi conferunt. Vndè hæc duo
testamenta rectè per duo Seraphin significantur in Esa. 6.
Esaia, quorum est ille clamor: Sanctus, sanctus, san-
ctus, Dominus Deus Sabaoth, pleni sunt cæli & ter
ra gloria tua. Et quia Iudaicus populus, hoc audito
clamore per Apostolorum ora, post aduentum san
cti Spiritus, incredulitate cęcatus est, benè & hoc
prophetæ ostenditur, in eo quod domus Domini
fumo impletur. Fumus enim ille Iudæorum cæci-
tatem designat, sicut & paulò post eidem prophetæ
dicitur: Excæca cor populi huius, &c. Sed nos ad li
brum quem aperuit agnus, oculos cordis per fidẽ
apertos habentes cum supradictis Seraphim, vel
cum quatuor quoq; animalibus dicimus: Sanctus, Apoc. 5.
sanctus, sanctus, adiungentes: Salus Deo nostro,
qui sedet super thronum, & agno, videlicet quia li-
brum iam dictum aperiens agnus Trinitatis my-
sterium in illo descriptum ostendit, quod nescie-
batur. Nam quum interrogantibus Iudæis & di- Ioan. 8.
centibus: Tu quis es: Respondisset: Ego princi-
piũ, qui & loquor vobis: aperuit nobis, quia iuxta
quod

Mal. 2. quod & in Psalmo dicit: In capite libri scriptũ A
est de me, non aliud Moyses principium intelli
gi voluit vbi ait: In principio creauit Deus cælũ
& terram, nõ aliud (inquam) principium quàm
filium, quoniam & Ioannes ait: Omnia per ip-
Ioan. 1. Gen. 1. sum facta sunt. Creauit cælum & terram Deus
in principio, i. pater in filio. Cui adde quod se-
quitur: Et spiritus Dei ferebatur super aquas,
& ecce in capite libri, quem agnus aperuit, beata
præfulget Trinitas. Per has fores trifidas san
ctam ingressus scripturam, passim deindè reper
sos inuenis aureos eiusdem diuini nõis titulos.

Quomodo in operibus sex dierum singulis Trinitas commendetur. Cap. 16. B

PRimùm in opere sex dierum, si vigilanter
attendas, eadem commẽdatur Trinitas, ver
bi gratia: Dixit Deus, Fiat lux. Ac deinceps, Vi
dit Deus quòd esset bonum. In eo quod ait, Di-
xit: Deus verbum, per quod omnia facta sunt,
cũ patre agnoscimus. Et in eo quod addidit: Et
vidit Deus quòd esset bonum, nimiam operan
tis diligentiam atque beneuolentiam intelligi-
mus, quę proculdubio non est aliud, quàm qui
tertia in Trinitate persona est spiritus sanctus. C
Non enim casu, aut superuacuè sic positum per
singula. Vidit Deus ꝙ esset bonum, æstimare
debemus. Sed magnã creatori diligentiã nobis
cõmendatam fideliter aduertamus. Et vt scias
quantũ illa diligentia, de qua loquimur, in ope-
re Dei profecerit, conuertere ad cor tuũ, ò qui-
cumq; es artifex alicuius laudãdi effector ope-
ris. Vt, inquã, scias, quantũ diligẽtia quæ est Spi
ritus eius, operi profecerit, respice quantum in
opere tuo, diligẽtia tua cõtulit. Certè in mente
tua quodãmodo sic habeas artem, sicut erat in
principio verbum apud Deũ. Eius artis tibi cõ-
scius, non ociosũ te esse passus es. Quare? Vt de D
multis, quæ subesse potuerunt, causam meliorẽ
inferã, vtilitatis amor, i. intentio proficiẽdi plu-
rimis, ocij te impatientem reddidit. Vna causa
Matth. 25. hæc ab illo te seruo discernit, qui malus & piger
arguitur, dum tu laudaris seruus bonus & fide-
lis. Nam de cętero pares fuistis, videlicet, quia
tam in illius, q̃ in tua mente talentum bonæ ar
tis appensum est. Sed vide quantã inter te atq;
illum distantiã, diligentia siue beneuolẽtia, quę
in te est, effecerit. Dũ ille fodit in terram, & ab-
scondit pecuniã dñi sui, tu operando in credito
tibi talẽto, duplicia lucraris, videnscq; per singu
los profectus, quia bonũ est lucrum, amplius si-
tis, & præ magnitudine desiderij laborẽ in ope-
re nõ sentis. Crescit lucrũ, crescit lucri deside-
rium. Ad hanc ergò similitudinẽ perpẽdis, quã-
tum in opere Dei, diligẽtia vel bonitas eius effe
cerit, quę magnificè delectata esse, mõstratur in
eo quod per singula dicitur: Et vidit Deus, ꝙ es
set bonum, & ait: Fiat, &c. Tantũ in opere secun
didiei nõ est illud additũ, certè gratia mysterij
de quo iã aliàs dictũ est. Illa verò diligentia vel
bonitas, alia (vt dictum est) quàm spiritus san-
ctus, intelligi non debet. Si enim interroges (in-
quit Augustinus) quis omnia fecerit, respõdeo,
Deus: Si quæras, per quid, aio, per verbum. Si
queras, quare, respondeo, quia bonus. Et hæc
Trinitas, inquit, vnus Deus est.

Quòd in plasmatione hominis, cuiusque personæ Trinitatis proprium opus discernendum sit. Cap. 17.

IGitur in opere mundanę fabricæ cunctorum-
que creatione, omnipotens omnia sciens, om
nibus commẽdatur benigna Trinitas. Amplius
autem in eo, quem vniuersis præponere decer-
nebat, i. in homine seipsam exprimere dignata
est, dicendo: Faciamus hominem. Nam in ver-
bo, Faciamus, manifestè personarum pluralitas
innuitur, in quo per consilium, quod sic prę-
mittitur, eadem diligentia, de qua iam dictum est,
magnificentius commendatur. Et in hoc opere
plasmatio, propria patris operatio est. Duo ve
rò, quæ in hoc plasmate, vltra cætera animalia
quæ iam creata fuerant, addita sunt, videlicet,
vt fieret ad Dei imaginem, & similitudinem cæ
terarum personarum, i. filij & spiritus sancti in-
signia sunt. Ad imaginem quippè Dei, quæ fi-
lius est, sicut Apostolus ait, de illo loquens: Qui Col. 1.
est imago Dei inuisibilis, & alibi: Qui cum sit Heb. 1.
splendor gloriæ, & figura substãtiæ eius: ad ima
ginem (inquam) Dei, siue figuram substantiæ e-
ius homo cõditus est, in eo quòd rationalis est:
ad similitudinem verò, in eo ꝙ diuinę bonitatis
imitator conditus est, quod propriæ sancti spiri
tus opus est. Bonitas quippè vel charitas Dei,
spiritus sanctus est. Qui cum (vt supra dictũ est)
patrem, vt omnia per verbum operaretur, exci-
tauerit, tum verò in plasmatione hominis, ita
studiosum reddidit, vt nihil eorum subtraheret,
quæ conferre potuit. Quid. n. taliter condito
homini prẽter naturalem diuinitatem defuit?
At verò id, quod per naturam Deus sit, genera-
re vtiq; Deus potuit: Deus. n. est verbum, quod
genuit: creare autem vel plasmare tale quid,
cum sit omnipotens, nullo modo potuit. Nec
in hoc quicquam derogatur omnipotentiæ, cũ
ęquale sibi, qui est vltra omnia, extra omnia,
prẽter omnia, dicitur Deus creare nõ potuisse.
Igitur in plasmatione hõis (vt dictũ est) beneuo
lentia Dei, q̃ est spiritus sanctus, maximè operã
suã adhibuit, cũ ei, q̃ (vtpotè creatus) naturaliter
nõ poterat esse Deꝰ, gratia sui similitudinẽ Dei
cõtulit. Quę Dei similitudo, vt sedẽ vel recepta
culũ haberet, imago siue figura substãtiæ Dei, q̃
est filius aĩæ hominis impressa est, vt à suo spiri
tu sancto prædictã similitudinẽ reciperet, qũo
precioso lapidi foramẽ aperitur, per quod gra-
cilẽ auri virgulã, qua constringatur & teneatur,
recipiat. Quod & de angelica sentiẽdũ est crea-
tura. Vndè & arguitur in Ezechiele (vt superius Ezech. 28.
dictũ est) angelus ille: Et foramina tua (inquit)
in die, qua creatus es, præparata sunt. Qui ra-
tionalis conditus, quia per foramen eiusdem ra
tionis aurum, i. sanctũ dilectionis spiritũ admit-
tere noluit. Ideò sequitur. Repleta sũt interiora

Universidad de Deusto
Biblioteca

tua iniquitate. Sed vt ad hominem redeam, maxime in plasmatione hominis, magnum & profundum Trinitatis consilium, si gnificari debuit videlicet quia non solum conditus est, sed & vnica materia est, per quam innotescit principatibus & potestatibus, & cœlestibus (sicut ait Apostolus) multiformis sapientia Dei. Nam præter hoc, quòd hæc verba sonãt: Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram, hoc quoque in eodem cõ filio præfinitum est, qualiter perditum eundem hominẽ propria singularum operatione personarum, eadem quæ plasmabat, trinitas recuperaret. Quod manifesta eiusdem operationis distinctione perspicuum est. Nam post plasmationem, immò post lapsum hominis, eadem quæ condidit Trinitas, hoc ordine sese in recuperando erexit. Primum pater est, qui quæstionẽ hanc depromens, Ecce Adam, quasi vnus ex nobis factus est, sciens bonum & malũ, protinus aduectit: Nunc ergò videte, ne fortè mittat manum suam & sumat de ligno vitæ, & viuat in æternum, eiecit illum, &c. Viam enim hic fecit pater misericordiarum, viam (inquam) facit misericordiæ suę, in eo quòd hominem post peccatum noluit viuere in æternum. Nam cum sit hominis post peccatum misera vita, si esset æterna, quid esset nisi æterna miseria? Hæc autẽ dæmonum est, scilicet æterna miseria, vel misera æternitas, ex oppositio Dei, cuius est æterna beatitudo, vel beata æternitas. Igitur primũ & magnum opus misericordię quod (sicut cõmemorat Augustinus, Plotinum quoque Gentilium quendam philosophum recte dixisse) pater misericors mortalia nobis condidit corpora. Hoc enim modo custos hominum, non solùm sibi contrarium hominem posuit, sed & à dęmonibus longè differre fecit, vt esset eius tẽporalis miseria, vel misera temporalitas. Est ergo proprium personę patris opus, mortalitatis illatio: proprium personę filij, animarum redemptio, pariterq; corporum resurrectio: proprium sancti spiritus, animarũ resuscitatio, pariterq; corporum immutatio illa, de qua dicit Apostolus: Mortui resurgent incorrupti, & nos immutabimur, i. impassibiles erimus. Solũ nãq; hi, qui Spiritũ sanctũ acceperũt, post resurrectionẽ impassibiles erunt. Itaque tam in creatione q̃m in recreatione hominis (vt prędictum est) Trinitas distinctè operata esse comprobatur, totumque opus hoc prouisum esse ab eo, cuius prouidentia in sui dispositione non fallitur, testatur illa consilij diuini reuerenda expressio, qua dictum est: Faciamus hominem ad imaginẽ & similitudinẽ nostram. Igitur, vt superius dictũ est, rectè in Esaia per duo Seraphin, duo intelliguntur testamenta, quę cõsona voce ad alterutrum clamant, Sanctus, sanctus, sanctus Dominus Deus sabaoth, dum eiusdem Trinitatis gloriã, quę in nouo testamento reuelatur, vetus quoq; concorditer attestatur, sicut in ipsis antiquę scripturę foribus apparere iam breuiter diximus. Cæterum, si introgressi, vndique eiusdem trinitatis testimonia scrutari velimus, prolixitas modus exceder, nimiumq; præsertim cum aliud propositum sit, fastidium pariet. Quapropter ad propositũ festinantes,

Ephes. 5.

Gen. 3.

Iob 7.

1. Cor. 15.

Esa. 6.

illud solum cõsiderare libet, qua ratione ad propiciationẽ Dei patris humano generi impetrandum soli vel maximè filio carnem assumere conuenerit.

Quàm rectè cum tres personæ sint Deitatis, ad solam filij personam carnem suscipere, hominemq; ue redimere pertinuerit. Cap. 18.

Diuina dispositio, qua filij personam potius, q̃ patris aut spiritus sancti, incarnari cõplacuit, idcircò maximè miranda est, quia peccatum primi hominis maximè contra eundem filium admissum est, ob cuius expiationem filius ipse homo fieri dignatus est. Sed & diaboli peccatoris antiqui superbia, maximè propter filiũ aduersus creatorem intumuit. Quod ex verbis eius aduertere prõptum est. Ait enim: Ascendã super altitudinem nubium, similis ero altissimo. Vtique cum hęc diceret, inuido aduersus filium liuore seruilis contumacia torquebatur, eo q̃ vni & soli nato, non facto, tota cælorum curia, æque vt patri, pro tanta differentia iure famularetur. Grandi quippe differentia sese ab vno, qui erat in sinu patris, distare indignabatur, cum se inter cętera ab artifice Deo factum, illum ex patre Deo solum videret super omnia natum. Tunc seruilis tumor aduersus eumdẽ vnigenitum grassatus est, longè nequius quàm Ismael ex ancilla procreatus dominum suum Isaac de libera genitum persequebatur, vt testatur Apostolus, Nequius inquam, vtpote vbi & longè subtilior malitia, & multo longinquior cõditionis erat differentia, quę superbientis odium concitabat. Propter quod odium iam erat homicida, testante eodem Dei filio in Euangelio suo, ac dicente: Ille homicida erat ab initio. Sed homicidium illud tunc actu perficere non poterat, cum nondum in illo Dei filio esset humana, quę posset occidi, natura. Perfecit autem, cum illum ad terras descendisse, hominemq; mortalem factum esse agnoscens (exibant enim, inquit Euangelista, dęmonia à multis clamantia & dicentia, Scimus quia filius Dei es) agnoscens, inquam, illum aduenisse in carne, peccator antiquus insurrexit, eumq; per suos satellites patibulo crucis affixit. Nam sapientiam eius, videlicet dispositionem, qua per mortẽ suam redempturus erat humanum genus nemo principum huius seculi cognouit, inquit Apostolus. Si enim cognouissent, nunquàm Dominum gloriæ crucifixissent. Virtus autem ipsa, per quam se vicisse putabat, mortis infirmitate perstitit in eiusdem Dei filij odio implacabili, per Iudęorum ora negantium, per hęreticorum blasphemias, creaturam illum esse asserentium. Sed vt ad primi hominis peccatum redeam, sciendum, quia priusquam per serpentem diabolus de vetito ligno comedere mulierem persuaderet, vterque scilicet vir & mulier, occulta eiusdem hostis inspiratione appetierant esse sicut dij. Alioquin frustra ad perpetrandum id quod persuadebat, hac promissione vsus fuisset, dicens: Et eritis sicut dij. Nemo enim, nisi id quod sentit appetit, pro fructu repromittit alicuius operis. Quam autem contra Trinitatis

Esa. 44.

Luc. 24.

1. Cor. 2.

tatis personã magis hic hominis quoq; tumor sese intenderit, apparet per hoc quod addidit, Sciẽtes bonum & malum. Vtique filium, qui sapientia patris est, superbe æmulati sunt, i. pares illi sese fore arbitrati sunt, habendo scientiam omnium. Vndè lignum præuaricationis, ironicè nomen accepit, vt diceretur lignum scientiæ boni & mali, licèt à scriptore historiæ sic vocetur, etiam ante peccatũ hominis, quod per anticipationem constat fieri. Eadem ironia dicit ipsa, quæ vnus est Deus, trinitas: Ecce Adam quasi vnus ex nobis factus est, sciẽs bonum & malum. Quasi vnus ex nobis, i. quasi filius, qui sapientia patris est, cuius æqualitatem appetiuit, i. scientiam boni & mali. Nam scientia boni & mali, solius Dei est, qui omnia scit, & malo quoq; bene nouit vti. Vndè cum dictum esset: Ecce Adã quasi vnus ex nobis factus est, statim ironicè additum est, in quo, videlicet in eo q̃ est sciens bonum & malum. Similiter ironicè diabolus quoq; appellatur Cherub in Ezechiele, quod interpretatur plenitudo scięntiæ. Igitur magis contra propriam personam filij Dei diabolus, & ipse intumuit, & hominem erexit: dum vterq; æqualitatem sapiętiæ Dei, quæ filius est, appetiuit, eiq; subesse contempsit. Vndè miranda (vt superius iam dictum est) diuinitatis dispensatio, mira dignatio, vt ille, contra quem potissimum peccatum admissum fuerat, s. filius intercessor apud patrem accederet, homo factus, & pro inimicis suis morti spontanea charitate additus, tamquàm si Isaac idcirco se patiatur immolari, vt Ismael in gratiã patris ac matris veniat, suusq; cohæres fiat, qui ideò fuerat eiectus, quia sese, non ipsum patrem persequebatur. Sed neq; Isaac, neq; alium quępiam sacra refert historia pro inimicis suis intercedendo, spontaneè excepisse mortẽ. Vix enim pro amico suo, vel (vt ait Paulus) vix pro iusto quis moritur. Cõmendat ergò charitatem suam in nobis Dei filius, quoniã cum in ipsum peccando, patrem offendissemus, ipse naturã, in qua pro nobis moreretur, assumere dignatus est. In hac dilectione, quisquis illum imitatur, potest ad illã Dei similitudinem, quã per superbiã diabolus vel ipse homo appetiuit, ascendere. Cùm. n. dixisset ipse, Diligite inimicos vestros, benefacite his qui oderunt vos, statim adiecit: Vt sitis filij patris vestri, qui in cælis est. Ac si diceret: Non magnificentia scientiæ, de qua præsumens satanas, dixit in corde suo: Similis ero altissimo, vel quam vestris parentibus promittens dixit, eritis sicut dij, scientes bonum & malũ: non (inquam) scientia, sed supereminens scientiæ charitas, causa est efficiẽs, vt altissimo similes sitis. Nec ego vobis filiorum Dei dignitatem inuideo. non. n. rapinam arbitratus sum, me esse æqualem Deo, sed ascẽsum superbiæ auersor, per quam cum ascenderet satan, videbã eum sicut fulgur de cælo cadentẽ. Discite ergo à me, quia mitis sum & humilis corde. Hoc miraculũ diuinæ dispensationis propheta intuens, ait: Deus iudicium tuum regi da, & iustitiam tuam filio regis. Magnum est hoc & mirabile, q̃ filius, cùm æquè vt pater Deus sit creaturæ suæ, rex quoque eius dignatus est dici & esse, & hoc secundum iudicium legemq; iustitiæ. Quod hoc modo promptum est aduertere. Dignum erat vt is ipse, s. filius, per quem omnia condita sunt, dominus & rex esset omnium, neq; per quemlibet alium regerentur, qui vtique cùm esset creatus, non erat creator eorum. Regis autem debitum, ac legitimum est officium, vt subditis danda vel data prę cepta, prior ipse actibus impleat, nè dum militibus laboriosam mandat militiam, ipse in deliciis sua potestate abutendo, causam præbeat eorũ murmurio, proculdubiò dicentium, deliciosum esse ducẽ, qui subditis ea pręcipiat, quæ facere fugiat aut nõ possit. Igitur & hoc dignum fuit, vt ea quæ præceperat, vel præcepturus erat, vt Deus, ipse præcipuè opere impleret, vt rex, videlicet omnimodæ humilitatis opus, quale est illud, Quanto magnus es, humilia te in omnibus. Magnum hoc (vt supra dictũ est) & mirabile est, q̃ cum dominari posset creaturæ suæ, sola excellentia potentiæ, maluit equaliter cum ea iudicium legemq; subire iustitiæ. Quapropter antequam in forma sui militiam vitæ subisset humanæ, minora dedit hominibus præcepta: cùm autem homo factus esset, imposuit altiora admodum regis probi ac strenui, qui dum in prima acie commiserit cum hoste, acri certamine fessus, cruentisq; insignis vulneribus, cum discrimine vniuersos eripuit, tum demum dat præcepta fortitudinis, fidutialius, iustius, constantius, vtpotè factis dicta iuuantibus militibusq; murmurare de labore, vel delicias quærere, viso ducis sanguine, non audentib. Ita priusquàm circumdatus esset infirmitate Dñs virtutum, dictũ est antiquis: Non occides. Quando autem idem rex gloriæ tentatus est, per omnia pro similitudine absq; peccato, & didicit, obediẽs esse, non seipsum defendens: ego autem dico vobis, inquit, quia omnis, qui irascitur fratri suo, &c. Benè ergò Propheta (vt suprà dictum est) Deus, inquit iudicium tuũ regi da, & iustitiam tuã filio regis: quia videlicet immensitate potẽtiæ nullatenus minor est diuinæ tanta magnitudo iustitiæ. Quam iustitiam nos quoque qui sub paterna pręuaricatione rei detinebamur, in eo suscipimus, sicut mox in eodem psalmo additum est: Suscipiant montes pacem populo, & colles iustitiam, in eo inquam suscipimus, quia quem primi parentes nostri contẽpserunt Deum in gloria sua fulgentem, nos adoramus in carne nostra nascentẽ, in cruce sua morientem. Hinc. n. iustificamur, quia super antiquum seruitutis pensum, quod est adorare Deum, quod debebat etiam, si nũquam peccasset genus humanum, hoc adiicitur, vt hominem crucifixum adoremus. Hac, inquam, satisfactione efficitur, vt salua iustitia sua, nos in antiquum statum restituat iustus Deus.

Gen. 3.

Ezech. 28.

Gen. 21.

Rom. 5.

Matth. 5.

Esa. 14. Gen. 3. Ephe. 3.

Philip. 2.

Luc. 10. Matth. 11. Psal. 71.

Ecclı. 13.

Hebr. 23.

De officio eiusdem sanctæ Trinitatis. Cap. 19.

In officio eiusdem sanctæ Trinitatis, rectè hæc Euangelij lectio ponitur, qua maximè necessarium salutaris baptismi remedium commendatur, videlicet, quia sine virtute huius nominis quantumcumq; dicas, irritum est lauacrũ, neq; per aquã potest quisquã renasci, nec aliter hoc nomine signamur, nisi cũ illo baptismi sacramẽ

Ioan. 3.

Universidad de Deusto
Biblioteca

tū susci pimus. Huic Euangelio cōsonat ea, quæ præmittitur lectio libri Apocalypsis, maximè in eo quod ait: Et in circuitu sedis tamq; mare vitreum, simile crystallo. Mare nanq; vitreū crystallo simile, baptismū significat puræ confessionis, & solidæ fidei. Et quod in Euāgelio dictum est, Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non potest videre regnū Dei: hic significatur per hoc, quod in circuitu sedis mare ostēditur. Nā quia in circuitu sedis est mare, profectò vt ad eandem sedē perueniatur, mare necesse est transmeare. Septē quoq; lāpades ardētes ante thronū, i. septē spiritus Dei. Quia nō est dictū: Nisi quis renatus fuerit ex aqua solùm, sed ex aqua & Spiritu sancto. Et in medio sedis, & in circuitu eius quatuor animalia die ac nocte dicētia: Sanctus, sanctus, sanctus Dñs Deus omnipotens, qui eras, & qui es, & qui vēturus es, catholici doctores sunt, qui meritorum qualitatibus, tamquam diuersis discreti vultibus, & ad cauendam hæreticorum perfidiam, siue ad subditorum, suamq; salutem prouidendam, in circuitu & intus, id est, in corporalibus & in spiritualibus pleni oculi, s. illustratione Spiritus sancti, fidem sanctæ Trinitatis, tam in aduersis, quàm in prosperis prædicare non cessant, & inuitare populos ad illud mare baptismi.

Apoc. 4.

FINIS LIBRI VNDECIMI.

RVPERTI ABBATIS TVITIENSIS DE DIVINIS OFFICIIS, LIBER DVODECIMVS ET VLTIMVS.

Dominica prima post Pentecost. Cap. 1.

DOminicæ primæ post octauas Pentecostes officium voces emittit pauperis illius, qui per Lazarum in Euangelio figuratur, scilicet Gentilis populi, qui ad fidem Trinitatis, prædicantibus (vt supra dictum) Apostolis confugiens, de interiore sensu legis cupiebat refici, tamquàm de micis quæ cadebant de mensa diuitis, videlicet populi Iudaici, qui dum doctrinam legis non charitatem habuit, ad elationem, quasi de acceptis opibus tumuit: ille autem, scilicet Gentilis populus, dū conuersus ad Deum, peccata sua confiteri non erubuit, ulceribus plenus extitit, & ei vulnus in cute fuit. Huius, inquam, voces sunt mendicantis, quod maximè claret in graduali: Ego dixi, Domine miserere mei, sana animam meam, quia peccaui tibi. Epistola, Deus charitas est, primò aduersus Iudaici populi depromitur inuidiam, qua pauperem iam dictum non debere admitti cōtendit, iuxta illud: Quare introisti ad viros præputium habentes? Manifestum est enim, Iudæos semper Gentium odisse salutem. Simul, quia moralis quoque sensus in hoc Euangelio non deest, commonemur vtiliter hoc exemplo, ne ab vllo paupere auertamus faciem nostram. Charitatem quæ in prædicta commendatur Epistola, promptum est eodem sensu, id est, morali, accipere, maximè quod ait: Qui enim non diligit fratrem suum quem videt, Deum quem non videt quomodo potest diligere?

Luc. 16.
Pſal. 40.
1. Ioan. 4.
Acto. 11.

Dominica secunda post Pentecost. Cap. 2.

DOminica secūda legitur hoc Euangelium: Homo quidam fecit cœnam magnam, & vocauit multos. Notum est autem quia per multos qui vocati fuerāt, & hora cœnæ cœperunt excusare, contemptores significantur, qui plus terrena quàm cœlestia diligunt, qui amplius rebus corporalibus quàm spiritualibus occupantur. Et per hoc quod ait quisque illorum: Rogo te, habe me excusatum, quod, inquam, dicit: Rogo, & tamen venire contemnit, quod sonat humilitas in voce, superbia in actione, per hoc plane (vt dictum est) exprimitur, quòd dum cuilibet carnalium dicitur: Cōuertere, Deum sequere, mūdū relinque; respōdere solet: Ora pro me, quia peccator sum, hoc facere nō possum, dicendo: Peccator sum, humilitatem insinuat: subiungendo: Conuerti non possum, superbiā demonstrat. De his ergo labiis iniquis, de hac lingua dolosa, in graduali nos liberari poscimus. Rectè, pulchrè atq; consonè seruus egregius, qui nos inuitat, dicit in præeunte Epistola, Filioli mei, non diligamus verbo neq; lingua, sed opere & veritate. Quorum iniqua labia linguamq; dolosam qui contemnit (solent alios conuerti volentes deuocare, tum sanctum propositum vituperando, quod est iniqua labia habere, tum nimiū laudando, nimiasq; difficultates arctæ viæ vel angustæ portæ prætendere, quod est linguā dolosam acuere) qui, inquā, dehortātes eos cōtēnit, & audire nō vult, cōfortat animā suā, & dicet illud, qđ in Alleluia cāramus: Deus iudex iustus, fortis & patiēs, nūquid irascetur p singulos dies? videlicet cū alibi dicat: Et eū qui venit ad me, nō eiiciā foras, tandēq; de infirmitate conualescens, & viam mandatorum Dñi, quæ angusto initio cœpta fuerat, dilatato corde percurrens, dicit, quod in introitu cantatum est: Factus est Dñs protector meus, & eduxit me in latitudine

Luc. 14.
Pſal. 119.
1. Ioan. 3.
Matth. 7.
Pſal. 7.
Ioan. 6.
pſal. 17.

Dominica tertia post Pentecost. Cap. 3

IN Euangelio dominicæ tertię commēdatur nobis, quanta de cōuersis peccatoribus Deo cura sit, per parabolā centum ouiū, & vnius perditæ, quam bonus pastor inuentam imponit in humeros suos gaudēs, & sic reportat ad gregem, itemq;

Luc. 15.

itemq; per aliam parabolam decem drachmarum quarum vnam, quę perdita fuerat, mulier studiosa lucernam accendens, requirit & inuenit. Ad hunc sensum profectò respicit, q̄ Petrus in epistola sua euigilandum esse commonēs: Quia aduersarius vester, inquit, diabolus tamquàm leo rugiens circuit, quærens quem deuoret, qui vtique ouem illā centesimam deuorauerat, & nunc inuentam esse dolēs, iterum circuit, & amplius rugit. Ideò præmisit & hoc: Omnem solicitudinem vestram proiicientes in eum, quoniam ipsi cura est de vobis. Cui sensui graduale succinit: Iacta cogitatum tuum: & offerēda, Sperent in te omnes, & quia prædictum Euangelium pro peccatore contextum est, super quo pœnitentiam agente gaudium est angelis Dei, rectè vnicus & pauper clamat in introitu, Respice in me, & miserere mei.

1. Pet. 5.
Pſal. 54. & 9
Pſal. 24.

Dominica quarta post Pentecost. Cap. 4.

DOminicæ quartæ Euangelium est, Estote misericordes, quia & patet vester misericors est. Cui palàm lectio Epistolæ, quæ præmittitur, concinit, iterum, atque iterum creaturam asserens, expectare reuelationem filiorum Dei, quem patrem nostrum esse præsenti Euangelio Dominus asserit: Estote, inquit, misericordes, sicut & patet vester cælestis misericors est. Introitus, Dominus illuminatio mea, itemq; offerenda, Illumina oculos meos. idcircò congruunt, quia trabem vel festucam peccati de oculo, i. odium, quod Euangelium monstrat oportere eiici, quum gratia sancti Spiritus expellit, Dominus illuminatio cordis est, & hi quibus videndus est Deus, illuminantur oculi, vt (sicut in graduali canimus) Videat cor mundum voluntatem Domini, & visitet templum eius, & hoc non suis viribus, sed eius, cui in communione dicimus, Dominus firmamentum meum, &c.

Luc. 6.
Rom. 8.
Pſal. 26. 12.
Pſa. 26.
pſal. 17.

Domi nica quinta post Pentecost. Cap. 5.

IN Euangelio quintæ Dominicæ narratur, quia laxatis ad imperium Domini retibus in capturam, conclusaq; piscium multitudine copiosa, & retia rumpebātur, & impletæ sunt nauiculæ, ita vt mergerentur. Per hoc illud significatum est, quia carnalium turbis Ecclesiam complētibus, & super numerum multiplicatis, tumultus & dissensiones orirentur, & non solum ebriosorum, raptorumque subintroeuntium malis moribus, Ecclesiæ nauicula premeretur, sed hæreticorum quoque disceptationibus rete fidei disrumperetur. Propter hoc illa magni piscatoris nostri Petri Apostoli lectio, oportunè præmittitur, pisces suos ad vnitatem & pacem cohortātis & dicentis: Omnes vnanimes estote, patientes, fraternitatis amatores, misericordes, modesti, humiles, non reddentes malum pro malo, neq; maledictum pro maledicto, videlicet, quia per hoc tumultus crescit, & seditio conualescit. Et post pauca: Sed etsi quid patimini propter iustitiā, beati, &c. In huiusmodi periculis constitutæ Ecclesiæ, voces sunt, cæteræ partes officij. Introitus, Exaudi Domine vocem meam, amplius autem graduale, Protector noster aspice Deus, sensui supradicto consonat. Sumptum est enim de psalmo habente in titulo, Pro torcularibus. Quo nomine præsentē Ecclesiam designari dubium non est, vbi electi reproborum tot scandala patiuntur, vt iuxta Euangelicam similitudinem, quasi tete tumultu piscium rumpi videatur. Quorum schismata quisque cauet, dicit in offerenda: Benedicam Dominum, qui mihi tribuit intellectum. Et in communione, Vnam petij à Domino, id est, non scissuras mentium, sed vnitatem fidei.

1. Pet. 3.
Pſal. 26.
pſal. 83.
pſal. 15. 26.

Dominica sexta post Pentecosten. Cap. 6.

DOminica sexta dicendo Dominus in Euangelio, Audistis quia dictum est antiquis, Non occides, ego autem dico vobis, &c. manifestè nobis illam nouitatem necessariam inculcat, quæ passim in sacris cōmendatur scripturis, vt renouemur spiritu mentis nostræ, & exuentes veterem hominem, induamus nouum eum, qui secūdum Deum creatus est. Quod enim antiquis dictum est, nos qui noui dicimur, in melius trāscendere debemus. Rectè ergo illa præmittitur lectio, vt nouum hominem Christum indueremus, dicēte Apostolo: Quicunque baptizati sumus in Christo Iesu, in morte ipsius baptizati sumus, &c. Dicendo itaque: Et nos in nouitate vitę ambulemus, plus quàm illud, quod antiquis dictū est, nos debere testatur. Cæteræ partes officij, introitus: Dominus fortitudo, graduale, Conuertere Domine, offerenda, Perfice gressus meos, Ecclesiæ voces sunt, ad supradictam perfectionem Euangelicam tendentis, & auxilium implorātis, quia vera & perfecta iustitia, nemo per se potest iustificari. Et cuius iustitia sic abundauit, vt iuxta idem Euangelium, si offert munus suū ad altare, & recordatus est, quia frater suus habet aliquid aduersus eum, relinquit ibi munus suum, & vadit prius reconciliari fratri suo, ille est, qui in Cōmunione dicit: Circuibo & immolabo in tabernaculo eius hostiam iubilationis.

Mart. 5.
Epheſ. 4.
Rom. 6.
pſal. 17.
pſal. 83. 16.
Matth. 5.
Pſal. 26.

Domini ca septima post Pentecost. Cap. 7.

DOminica septima legitur hoc Euangelium, quo refecturus Dominus cum dixisset: Misereor super turbam, &c. hanc miserationis suæ causam subiicit, dicens. Quidam enim ex eis de longè venerunt. At verò hi qui de longè venerūt, illos designant, qui à criminalibus peccatis, vel etiam à diabolorum cultura ad verum Deum conuersi, iustitiam à qua ieiuni sunt, esuriunt & sitiunt. Benè ergo illa lectio præmittitur, in qua tabulis dicitur. Cum enim serui essetis peccati, liberi fuistis iustitię. Quē ergo fructū habuistis, tunc in quibus nūc erubescitis? nam finis illorum mors est. Talibus dicit Ecclesia mater in graduali: Venite filij, audite me, &c. Et isti (quia peccatores sunt) dicunt in offerenda: Sicut in holocaustum arietum, &c. Istis nihilominus salutaris dicitur in introitu: Omnes gēntes plaudite manibus, dicentes, quemadmodum alibi refecti dixerunt: Verè hic est prophetа, immò dominus prophetarum, qui venturus est in mundum.

Marc. 8.
Rom. 6.
pſal. 93.
pſal. 46.
Ioan. 6.

Universidad de Deusto
Biblioteca

De Dominica octaua post Pentecosten. Cap. 8.

IN Euangelio Dominicæ octauæ, Attendite, inquit Dominus, à falsis prophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ouium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces, & reliqua. Hoc de omnibus quidem intelligi potest, qui aliud habitu ac sermone promittunt, aliud opere demonstrant: sed specialiter de hæreticis intelligendum est, qui videntur continentia, castitate, ieiunio, quasi quadam pietatis veste se circundare, intrinsecus verò habẽtes animum venenatũ, simplicium fratrũ corda decipiunt. Lectio Epistolæ, Debitores sumus non carni, vt secundum carnem viuamus, cõsonat huic Euangelio, quo dicitur, A fructibus eorum cognoscetis eos. Nã & paulò supra dixerat Apostolus, Si quis autẽ spiritum Christi non habet, hic non est eius. & nũc ait, Quicumque enim spiritu Dei aguntur, hi filij sunt Dei. Et facta carnis, de quibus ait: Si autem spiritu facta carnis mortificaueritis, viuetis: fructus sunt, ex quibus falsi prophetæ cognoscuntur, à quibus filios Dei discernit spiritus Dei, qui testimonium reddit spiritui ipsorum. Hic spiritus, illa misericordia est, de qua in introitu cantamus, Suscepimus Deus misericordiam tuam in medio templi tui, i. in nobis ipsis, qui sumus templum tuum: & hoc in medio, id est, manifestò. Manifestè.n. venit Spiritus sanctus super Apostolos. Huic (inquã) spiritui clamat Ecclesia in graduali, Esto mihi in Deũ protectorem. & in offerenda, Populum humilẽ saluum facies Domine, iuxta illud, Super quem requiescet spiritus meus, nisi super humilem & quietum? Abscondit.n. hæc à sapientibus & prudentibus, & reuelauit ea paruulis. Vnde congratulando dicitur eis in communione, Gustate & videte, quoniam suauis est Dominus.

Matt. 7.

Rom. 8.

1. Cor. 3. 6. Act. 2.

Psal. 30.

Psal. 17. Isai. 66. Matth. 11.

Psal. 33.

De Dominica nona post Pentecosten. Cap. 9.

EVangelium nonę Dominicæ, præpositos animarum instruit ad misericordiã, vt cum patientes moderatam iniungant pœnitentiam confitentibus, quantum debeãt, vel quanta peccata commiserint. Laudauit. n. Dominus villicũ iniquitatis, quia prudenter fecisset ea, quæ de illo proposita narrat parabola. Et ad hoc Apostoli lectio, quæ præmittitur, consonat, retexendo de illis, qui mare transierant, & dona Dei gustauerant: & nihilominus concupiscentes & fornicantes, a serpentibus vel exterminatore perierunt, & statim adiungendo: Itaq; qui se existimat stare, videat ne cadat, &c. Nam quomodo & hi, licèt iam glorificati, perierunt, & ille villicus in Euangelio gratiam Domini sui habuerat, à qua tamen excidit: sic & prælatus quisque meminisse debet, & scire se quoque aut peccasse; aut si non peccauit, eiusdem tamen fragilitatis esse, vt potuerit, vel adhuc possit peccare, atque de seipso commonitus, recogitet infirmarum se suscepisse curam animarum, nõ super sanas tyrannidem. Introitus: Ecce Deus adiuuat me. & graduale, Domine Dominus noster. offerẽda quoque, Iustitiæ Domini, voces sunt supradicti villici, gratias referentis domino Deo suo, misericordibus misericordiam facienti. Communio verò, Primum quærite regnum Dei, idẽ imperat, quod illa Domini sententia de Euangelio iam dicto, Facite vobis amicos de mammona iniquitatis, &c.

Luc. 16.

1. Cor. 10.

Psal. 53. Psal. 18.

Matth. 6.

Luc. 16.

Dominica decima post Pentecosten. Cap. 10.

DOminica decima legitur hoc Euãgelium, quo dominus fleuisse refertur super ciuitatem Hierusalem. Qui & ingressus in templum, cœpit eiicere vendentes in illo. Notum est pene cunctis, tamq; in scripturis, quàm in ore omnium satis vsitatum, per hoc illud significatum esse, quod illos de Ecclesia sua Dominus eiiciat, qui sacros ordines emunt aut vendunt: quia videlicet tales negociatores columbas quoque, i. sancti spiritus dona venalia faciunt. Itaq; rectè & opportunè illa præmittitur Apostoli lectio, quę satis apertè indicat, non posse ab homine dari, nedum vẽdi aliquid doni spiritualis, sed à solo spiritu Dei diuidente singulis prout vult, dari gratuitò, alij sermonem scientię, alij sermonem sapientiæ, alij genera linguarum, alij fidem, alij prophetiam, &c. Et qui huius, i. sancti Spiritus expectat electionem potius quàm hominum, dicitur in introitu: Iacta cogitatum tuũ, in Dño, & ipse te enutriet. In Dño inquit, iacta cogitatũ tuũ, nõ in teipso, dicẽdo quod alibi scriptũ est: Dñe non est exaltatum cor meũ, neq; elati sunt oculi mei. Neque ambulaui in magnis, neque in mirabilibus super me. Videlicet vt Simon magus ille, qui Dei donũ existimauit pecunia possideri. Et ipse te enutriet, inquit, dicentem, s. qđ in graduali canitur: Custodi me Dñe vt pupillam oculi, sub vmbra alarum tuarũ protege me, ne superbiendo, & euagando, fiam sicut ablactatum super matre sua. Potius de vultu tuo iudicium meum, i. electio mea prodeat, q̃ ipse me commendem præsumptione mea. Idem in offerenda dicit: Ad te Dñe leuaui animam meam, etenim vniuersi qui te expectant, non confundentur. His autem, qui ab hominibus expectãt vel emunt, dicit sapiẽtia Dei: Hęreditas, ad quã festinatur in principio, in nouissimo benedictione carebit. Et quòd talium sacerdotum sacrificium non acceptet Deus, quia sacrificia sunt iniustitię, monstratur per oppositum in communione: Acceptabis sacrificium iustitię, &c.

1. Cor. 2.

Psal. 54.

Psal. 130. Actor. 8.

Psal. 16.

Psal. 24.

Prouer. 20.

Psal. 50.

Dominica vndecima post Pentecosten. Cap. 11.

DOminica vndecima ponitur hoc Euangelium, Duo homines ascẽderunt in templũ, vt orarent, &c. Cui manifestè consonat ea, quę præcurrit, Epistolę lectio: Notum vobis facio Euan-

Luc. 18.

1. Cor. 15.

Euangelium. Nam exemplũ publicani in Euangelio se accusantis & dicentis: Non sum dignus leuare oculos meos ad cęlum, optimè in hac epistola Paulus imitatur, dicens: Ego enim sum minimus Apostolorum, qui non sum dignus vocari Apostolus, quoniam persecutus sum Ecclesiam Dei, &c. Et quia talis hęc humilitas vnitatem domesticorum Dei conseruat, vt non alius aduersus alium infletur, rectè hic introitus præmittitur, in quo dicitur: Deus qui inhabitare facit vnanimes in domo. Quòdq; in graduali dicitur, Et ex voluntate mea confitebor illi. Itemque in Offerẽda, Domine clamaui ad te, & sanasti me, vocibus concordat publicani à longè stantis, & peccata sua confitentis: & tali scilicet non pharisaicè glorianti, quòd dicimas det omnium, quę possidet, sed humilem confessionem, se ipsum prius offerenti dicitur in communione, vt sua demum offerat: Honora Dominum de tua substantia, &c.

Psal. 67.

Psal. 27. Psal. 29.

Prouer. 3.

Dominica duodecima post Pentecosten. Cap. 12.

OFficium Dñicæ duodecimæ, quibusdam ex partibus ad illos respicit, qui surdum & mutum ad Dñm adducentes, deprecantur eum, vt imponat illi manus: quibusdam autem ad ipsum mutum, adaperto ore rectè loquentem. Nã ille surdus & mutus humanum significat genus, quod in primis parentib. & ab audiendis præceptis creatoris obsurduit, & à prædicanda laude eius obmutuit. Qui autem illum adducunt, & Dñm pro illo deprecantur, vniuersum prædicatorum significant chorum, qui genus humanum ad Christi gratiam voce ac literis muitare non desinunt. Et huius surdi ac muti valdè congrua vox est introitus hic: Deus in adiutoriũ meum intende, tanquam si medicata paralysi, quę linguam suam subitò ligauerat, primo eiusdẽ motu linguæ, Dei nomen repentè ad adiuuandum inuocet. Idẽ ipse loquens, rectè dicit in graduali: Benedicam Dñm in omni tempore, semper laus eius in ore meo. Epistola, Fiduciam talem habemus per Christum ad Deum, &c. ad ipsos respicit, qui illum adducunt, fiduciam habẽtes nõ in seipsis, sed quasi à semetipsis, os vel aures eius aperire possint, sed sufficientia nostra ex Deo est, &c. Et pulchrè hæc offerenda ponitur, Precatus est Moyses, Nã eius exemplo, qui in tẽpore iracundię factus est reconciliatio: iratus enim erat Dominus propter vitulum, quem fecerat Aarõ, & dixerat vt disperderet eos, eius (inquam) exemplo cuncti rectores sese debent opponere pro peccatis subditorum, & deprecari Dñm, vt imponat illis misericordiæ manum. Et quia prædicatores ijdẽ, terra illa sunt, quæ (sicut in Psalmo legimus) Satiata de fructu operũ Domini, id est, de donis Spiritus sancti, producit fœnum iumentis, id est, doctrinam carnalibus, qui Deum nesciebant, populis, rectè & hoc in communione canitur: De fructu operum tuorum Domine satiabitur terra,

Marc. 7.

Psal. 69.

Psal. 33.

2. Cor. 3. Exod. 23.

Psal. 103.

Dominica tertiadecima post Pentecosten. Cap. 13.

IN officio Dñicæ tertiæ decimæ, cunctę partes ad illud de Euangelio spectant, q̃ Samaritanus ille, qui Dei interpretatur custos, s. Dñs noster Iesus Christus, appropians homini à latronibus despoliato, & cõuulnerato, quem pertransierant sacerdos & leuita, i. omne vetus instrumentum, qui q̃ reconciliari nõ potuit genus humanũ, appropians inquam, i. nostram humanitatem assumens, oleum consolationis, & vinum pœnitentiæ peccatorum plagis infudit, & imponens super iumentum suum, i. in corpore suo, peccata nostra perferens super lignum ad stabulum Ecclesiæ perduxit, & abiens in cęlum, stabularijs suis, i. Apostolis & Apostolicis viris, vice sua curam atque prouidentiam nostri contradidit. Huic, vt dictum est, Euangelio cæteræ concurrunt partes officij. Primùm Epistola, Abrahæ dictæ sunt promissiones & semini eius, per hoc quòd tali Euãgelio præmittit, multum ad intelligendum aperitur ipsa, simulq́; tota penè disputatio Pauli ad Galatas, vndè hæc lectio sumpta est. Nam per hoc quòd tam sacerdos quàm leuita viso homine illo præteriuit, innuit, quid lex cõtulerit, quæ post quadringẽtos, & triginta annos data est, à testamento Dei, cũ fideli Abraham per repromissionem confirmato, videlicet quia nõ quidem ipsa aduersus promissa Dei, sed nullus iustificari potuit coram Deo ex operib. eiusdem legis. In hoc itaq; intelligimus per hoc, q̃ (vt dictũ est) tam sacerdos q̃ leuita, viso hoĩe præteriuit. Quia sic subintrauit lex, qũo medici puer ad ęgrotũ nonnunquam ingredit, morbi quidẽ causas sciens, sed quod opponat antidotũ, conficere nõ valens, tantumq; hoc ægroto dicere nouit, quib. ab escis vel potib. abstinendũ sit, ne morbꝰ inualescat, & de semiuiuo penitus mortuũ reddat. Hoc nanq; illud est, qđ in prędicta Epistola dicit Apostolus, Quid igit lex? Propter trãsgressiones posita est, &c. Plagis nãq; originalis peccati semiuiuus homo nascit. Actualibus verò transgressionibus, pp quas lex posita est, si nõ abstineat, tanquam noxijs cibis penitus moriꝰ. Itaq; secundũ hæc benè in Introitu præmittit, Respice Dñe in testamentũ tuum, quod in graduali repetitur. Vox.n. hęc erat antiquorum, aduentũ Christi ad infirmitatẽ vel imperfectionem legis flagitantium, tamquam si prætereuntibus sacerdote & leuita, Samaritanũ supradictum vulneratus ille postulat appropiare, cui dicat illud, quod canitur in Offerenda: In te Domine speraui, &c. Et quia corpus Christi, quod sumimus, illa specialiter curat vulnera, benè & illud de libro Sapientiæ canimus in communione: Panem de cęlo dedisti nobis.

Psal. 73.

Psal. 30.

Sapien. 16.

Dominica quartadecima post Pentecosten. Cap. 14.

IN Euangelio Dñicę quartędecimæ, decem viri leprosi à Dño mundati referuntur, & vnus tantum

Luc. 17.

Universidad de Deusto
Biblioteca

tantum ex eis vnicæ Ecclesiæ figuram gerens, A
cæteris in gratis existentibus, qui hęreticorũ ty
pum præferunt, reuersus & gratias agens, de fi
de sua, qua salnus factus est, ab eodẽ Dño lau
datur. Eiusdẽ Ecclesiæ, quæ per illum vnũ signi
ficatur, vox est illa in Introitu. Protector noster
aspice Deus, maximè quod ait: Quia melior est
dies vna in atrijs tuis super millia. Nã idem est
ac si dicat: Melius est cor vnum & aĩam vnã ha
bere, & idipsum sapere ac dicere, q̃ diuersis, imò
contrarijs sensibus diuidi, & schismata facere.
Quod obseruans sancta Ecclesia, & ideo vna co
lumba dicta, benè per illũ vnum (vt dictum est) B
in Euangelio figurat. Epistola verò in eo prædi
cto Euangelio cõgruit: q̃ patenter exprimit,
quid per illorũ leprã significatũ sit, cùm dicit:
Manifesta aũt sunt opera carnis, quę sunt, forni
catio, immũditia, luxuria, &c. inter quæ sectæ, i.
hęreses ponunt. A quib. emundata Ecclesia, di
cit, gratias agens in graduali, Bonũ est cõfidere
in Dño, &c. videlicet quia non homo, non prin
cipes sacrificiorum carnaliũ, de quib. dixit eis
dem leprosis Dñs, peccatorum leprã tollere pos
sunt, sed solus Dñs. Quod autem in offerenda
dr: Immittet angelum Dñs in circuitu timentiũ
eum, & eripiet eos, gustate & videte qm̃ suauis C
est Dñs, ad fructus illos spectat, qui exprimun
tur in Epistola: Fruct' spiritus est, charitas, gau
dium, pax, patientia, &c. quos gustare, est à le
pra supradicta curari. Et quia præcepit Domi
nus illi, qui gratias egit: Vade & offer munus,
quod præcepit Moyses in testimonium illis, be
nè in communione canimus: Panis, quẽ ego de
dero, caro mea est pro mundi vita, videlicet
quia caro & sanguis munus est, quod pro emun
datione sua iugiter offert vnica Ecclesia Christi.

Dominica quintadecima post Pen- D
tecosten. Cap. 15.

OFficium Dñicæ quintædecimę, si rectè ani
maduertitur, claret, quia maximè aduersus
excellentiam & inanem gloriam decantat. Nã
ad hoc pertinere illud, quod in huius Dominicę
Euangelio Matthæus ait: Nolite soliciti esse, di
centes: quid manducabimus, aut quid bibemus,
&c. Lucas testatur qui, cum eadẽ diceret, adie
cit: Et nolite in sublime tolli. Et quidẽ secundũ
eundem Lucã, ante hęc verba Dñs parabolam
de diuite stulto, cuius ager cum uberes illi fru
ctus attulisset, & dixisset ipse: Destruam horrea E
mea & maiora faciam, & dicam aĩæ meę: Aĩa,
habes multa repositа in annos plurimos, requie
sce, comede, bibe, epulare: ait ad eum Deus: Stul
te, hac nocte reperunt aĩam tuam à te, quæ aũt
parasti, cuius erunt? Igitur aduersus diuites, qui-
bus præcipiendum est, non superbè sapere neq;
sperare in incerto diuitiarum, hoc in Euangelio
supradicto præcipitur: Nolite soliciti esse, &c.
Cui & consonat prędẽs Epistola, in eo quod
ait: Nõ efficiamini inanis gloriæ cupidi. Et rur
sum: Quæ. n. seminauerit homo, hæc & metet.
& q̃ seminat in carne, de carne & metet corru-

ptionẽ. Eius itaq;, qui hoc præceptum fidelitet
amplectit, illa vox est in introitu ad patrẽ no
strũ, qui scit oĩa quib. indigemus, sicut in eodẽ
Euangelio dictũ est: vox, inquã, illa: Inclina Dñe
aurẽ tuã ad me, vox est pauperis, de manu Dei
primũ regnum Dei, & iustitiã eius, & deinde ne
cessaria corporis, quæ adijciẽda sunt, humiliter
quærentis. Qui & in graduali codẽ respectu ait: Psal. 85.
Bonum est confiteri Dño, i. necessaria quęrere Psal. 91.
à Dño, & in ea spe psallere, i. benè operari nomi
ne tuo, i. ad honorẽ nominis tui altissime, Ad an
nunciandũ mane misericordiam eius, i. primum
quærere regnũ Dei, & iustitiã eius. Ipse idẽ gra
tulabundus, q̃ necessarium à patre victũ accepe Psal. 39.
rit, narrat in Offerenda alijs, dicens: Expectãs
expectaui Dominum, i. non aliundè sed à Domi
no quærens eius regnũ, expectaui quę adiicien
da sunt, & respexit me, id est, adiecit quæ ne
cessaria sunt huic vitę. Communio clarè expri
mit cibũ eiusdẽ regni Dei, qui primũ quærẽdus Ioan. 6.
sit. Qui manducat carnem meam, & bibit san
guinem meum, in me manet, & ego in eo. Quod
est enim regnum Dei, nisi mansio eius in nobis?
Hoc autem vt maneat in nobis, fit manducando
carnem eius, & bibendo sanguinem eius. Vnde
& hoc in communione rectè ponitur.

Dominica decima sexta post Pen-
tecosten. Cap. 16.

DOminica sextadecima legitur hoc Euange
lium, quo Dñs flẽti viduæ matri mortuum Luc. 7.
vnicum filium viuum reddidit, & accepit oẽs ti
mor, & magnificabãt Deum. Hæc aũt vidua san
ctam significat matrẽ Ecclesiam, i. vniuersum
prælatorum ordinem, qui regenerandarum in
Christo curam habent aĩarum, qui mortem cu
iusq; aĩæ, quoties manifestis apparet criminib.
magnis prosequuntur fletibus. Moritur. n. tunc
filius viduę, qm̃ quis per crimen aliquod separa
tur à corpore Ecclesiæ, quę vidua est, Christo
sponso in presenti nõ manente cum illa. Huic
ergo Euangelio benè illa præmittitur Apostoli
lectio: Fratres obsecro vos, ne deficiatis in tri- Ephes. 3.
bulationib. meis, pro vobis, quæ est gloria ve
stra. Huius rei gratia flecto genua mea, &c. qui Galat. 4.
ait: Filioli mei, quos iterum parturio, donec
formetur Christus in vobis, pulchrè in officio
personã verbis quoq; exprimit Ecclesiæ viduę,
vitam filiorum magnis gemitibus postulantis.
Introitus, miserere mihi Dñe, qm̃ ad te clama- Psal. 58.
ui. Itemq; offerenda: Dñe in auxilium meum re psal. 70.
spice. Voces huius viduæ. s. sanctæ matris Eccle
siæ sunt, quas emittere debet pro filiorum suo
rum, qui fortè in morte peccati prolapsi sunt,
resuscitatione. Graduale verò: Timebunt gẽtes Psal 101.
nomen tuum Dñe, ad hoc consonat, quod dictũ
est in prædicto Euangelio: Accepit autem oẽs Luc. 7.
timor: Nam qũo ędificat Dñs Sion, iuxta eius-
dem gradualis versum, nisi procurãdo vitã & in
columitatẽ animabus spiritualiũ eius filiorum?
Quod quia perficit per cibũ corporis & potũ
sanguinis sui, rectè in cõione ponitur gratiarũ

actio,

actio, eadẽ vidua scilicet sancta Ecclesia dicen- A
Psal. 70. te: Domine memorabor iustitiæ tuæ solius, &c.

Dominica decimaseptima post
Pentecosten. Cap. 17.

IN Officio Dñicæ septimædecimę nobis innui
tur, qualiter ad hoc contendere debeamus, vt
in oculis Dñi magni & honore digni iudicemur,
& in domo, quæ est Ecclesia, primos recubitus,
non nostra præsumptione prępripere, sed ab eius
electione expectare debeamus. Dr in Euange-
lio huius Dñicæ parabola hæc: Cum vocatus
fueris ad nuptias, non discumbas in primo loco, B
&c. videlicet, hoc in suo cælesti conuiuio futu-
rum esse indicans, quod ad vltimum infert: Om
Luc. 14. nis enim qui se exaltat, humiliabitur; & qui se
humiliat, exaltabitur. Hinc est, quòd in præcun
Ephes. 3. te Epistolę lectione Apostolus ait: Obsecro vos
ego vinctus in Dño, vt dignè ambuletis voca-
Philip. 2. tione, qua vocati estis, &c. Quod vtique idem
est, ac si diceret: Obsecro vos, vt vocati ad nu-
ptias Christi & Ecclesiæ, sic intretis & discum-
batis, qũo & ille qui vos vocauit, qui & dixit:
Luc. 22. Ego autem in medio vestrum sum, sicut qui mi
nistrat. Et tãdiu ministrauit, donec diceret illi C
pater: Amice, ascẽde superius, i. donec obedien-
ti vsq; ad mortẽ, daret illi nomen quod est sup
Psal. 108. omne nomen. Introitus: Iustus es Dñe, manife-
stè illam collaudat sententiam, qua in Euãgelio
dr: Omnis qui se exaltat, humiliabitur; & qui se
humiliat, exaltabitur. Simulq; oratio est pro il-
lo, qui se humiliat: Fac cum seruo tuo secũdum
Psal. 32. misericordiam tuam, hanc videlicet misericor-
diam, vt dicas illi, amice, ascende superius. Gra
duale: Beata gens, cuius est Dñs Deus eius, vni-
uersalis beatificatio populi gentilis, qui super- D
biẽte Iudaico populo, humiliatus sub signo cru
cis Christi, superius ascendere meruit, i. supra
populum illum, qui primo loco confederat, imò
de primo confessu superbiebat. In Offerenda
Danie. 9. exemplum ponit efficacissimum, qui cum humi
liatus diceret, peccauimus, iniquitatẽ fecimus,
impiè gessimus, &c. meruit ita exaltari, vt cùm
oraret, sicut in eadem Offerenda ipse testatur,
dicens: Oraui Deum meum ego Daniel, &c. mit
teretur illi index futurorum Archangelus Ga-
briel, sicut habet sequens versus: Adhuc me lo-
quente, &c. Per illam nanq; visionem sic exalta E
tus est, vt non tantum venturum ad salutem no
strum Christum prævideret (quod cæteris pro-
phetis commune est) sed & tempora aduentus
eius propria quadam gratia prędisceret, dicente
sibi Angelo: Septuaginta hebdomades abbrevia
tæ sunt super populum tuum, & super vrbem
sanctam tuam, & cõsumetur præuaricatio, &c.
Communio quoque: Vouete & reddite Domi-
Psal. 75. no Deo vestro, in eo maximè imperare videtur,
vt in nouissimo loco recumbamus: quod ait ter-
ribili, & ei qui aufert spiritum principum, id est,
superborum, quos vtique vel conuertendo, vel
deiciendo factis ipsis dicit cuique illorum: Da
huic locum.

Dominica decimaoctaua post Pen-
tecosten. Cap. 18.

SVpradictum ergo officium hoc innuit, vt ad
nuptias Christi quilibet inuitatus, tali in loco
recumbat, vt meritò dicatur ei: Ascende super-
ius. Huius autẽ sequentis Dñicæ officium, ma-
gna & mira declamatione demonstrat eidem,
qui vocatus est superius, i. prælatus est domui
Christi, & curam animarum suscepit, qualiter Matt. 25.
in eodem superiori loco se habeat, videlicet ne
iuxta Euangelium eiusdem officij, sint sicut scri
bæ & Pharisæi, qui sederunt super cathedram
Moysi: sed sint sicut ipse Moyses, de cuius exem
plo, quod Ecclesiastici sequi debeant rectores,
longa & valida declamatio est in offerenda, San
ctificauit Moyses, & versibus eius. Non enim
ignorare debent aĩarum rectores, quale ad ne-
gotium in superiorẽ locum vocati sunt, s. vt non
tam præesse studeant, q̃ prodesse, & sedentes in
cathedra Moysi dicant & faciant, imo prius fa-
ciant, quod cum auctoritate dicant: neq; velint
vocari Rabbi, sed ad hoc tẽdant, vt portare pos-
sint peccata populi, & à subditis suis auertere
irã Dei. Benè ergo cum hoc Euangelio positum C
est in offerẽda exemplum Moysi, qui sic sedit in
cathedra magisterij, vt per nimiam humilitatẽ
posset interuenire pro subditis, imò & tenere
Deum dicentem: Dimitte me, vt irascatur furor
meus contra eos. Fecerant. n. vitulum (q̃n sicut Exod. 32.
in versu Offerendæ canimus.) Videns Moyses, Luc. 12.
procidẽs adorauit, dicens: Obsecro Dñe, dimit-
te peccata populi tui, & dixit ad eum Dñs: Fa-
ciã secundũ verbum tuum. Hæc est fidelitas ser- Eccle 36.
ui, quem cõstituit Dñs super familiã suam, quã 1. Cor. 1.
postulabant ipsi, dicentes in introitu, vt prophe
tæ tui fideles inueniantur: Da pacem, inquiunt, Psal. 121.
Dñe sustinentibus te, i. eorum quos nobis com-
misisti, peccata dimitte. Pax enim Dei, peccato
rum remissio est. Vt prophetæ tui fideles inue- Psal. 95.
niantur, vt nos fideles serui inueniamur, dũ fa- psal. 105.
miliæ tuæ tantum præsumus, sed & vtiliter pro
illis interueniendo prosumus. Talibus in præ- Ephes. 4.
sente lectione Epistolæ dicit Apostolus: Gra-
tias ago Deo meo pro vobis, in gratia Dei, quæ
data est vobis, quoniam in omnib. diuites facti
estis, &c. Ipsi ijdem dicunt in graduali: Fiat pax
in virtute tua, i. remissio peccatorum in Spiritu
sancto tuo. Ipsis nihilominus in communione
dicitur: Tollite hostias, & introite in atria eius,
videlicet quia vestrum officium est, vt pro sub-
ditis interueniatis, exemplo Moysi, in conspe-
ctu Domini stantes in confractione cordis.

Dominica decimanona post Pen-
tecosten. Cap. 19.

IN Euangelio Dñicæ nonædecimæ ait Dñs pa
ralytico, Cõfide fili, remittũtur tibi peccata Matth. 9.
tua. Et his qui audierant cogitantibus mala in
cordib. suis, & dicentib. Blasphemat, & cætera:
vt sciatis, inquit, quia filius hoĩs habet potestatẽ
in terra dimittẽdi peccata, tunc ait paralytico:

Surge.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Surge,tolle lectum tuum,& vade in domũ tuã. A Per hunc aũt paralyticũ significatur homo dissolutus,& ab omni bono opere remissus, qui cũ à Dño curatur, & iuxta præeuntem epistolam renouatur spiritu mentis suæ,complet Apostolicum præceptũ,quod in eadem Epistola sequit: Qui furabatur,iam non furetur, magis aũt operetur manib. suis,vt habeat vnde tribuat necessitatem patienti.Nã quandiu paralysi erat dissolutus,nihil boni operabatur, imo labores operantium furabaẽ. Qualiter ergo prælati vel rectores aĩarum salutem procurare debeant subditorum, sicut in præcedenti officio dictum est, hoc sequens exprimit officium.Nam ipsorũ est, offerre paralyticum in lecto iacentem,i. orare pro his, quorum peccata animas in mala conscientia à bono opere torpentes detinent,& ita pro eis interuenire,vt videns Dñs fidem illorũ, dicat:Confide fili, remittũtur tibi peccata tua.

psal.140. In introitu,dũ dicit Dñs: Salus populi ego sum, hoc idẽ nobis de seipso testatur,quod in Euangelio iam dicto murmurantibus Pharisæis,curatione paralytici comprobatur, videlicet, quia potestatem haberet in terra dimittendi peccata. In graduali verò iam curatus idem paralyticus, iamq; laborans operando quod bonum est manibus suis,quæ prius dissolutæ fuerant,dicit:

psal. 22. Eleuatio manuum mearum.Et hoc experimẽto virtutis confortatus in fide, & fidens in remissione peccatorum consequenda, dicit in Offertorio, Si ambulauero in medio tribulationis,

psal. 118. &c.Itemq; roborans genua,dissoluta quondam, dicit in communione: Tu mandasti mãdata tua custodiri nimis.Vtinam dirigantur viæ meæ ad custodiendas iustificationes tuas.

Dominica vigesima post Pentecosten. Cap. 20.

OFficium Dñicæ vicesimę partim ex vocib. constat eorum,qui ad nuptias intrauerũt,

Matt.22. partim ex vocibus patrum gementium pro illis, qui ad nuptias easdẽ vocati, quas fecit rex filio suo,non solum venire noluerũt,sed & illos, qui à se missi sunt,seruos tenuerunt, & contumelijs affectos occiderunt.Hoc enim priores fecisse Iudæos notum est, qui missos ad se prophetas & sapiẽtes persecuti sunt,& Apostolos Christi cõtumelijs affecerunt.Hos igitur homicidas iustè perdendos,& ciuitatem illorum subuertendam

Dan. 3. prophetæ præuiderunt, quorũ illa vox est, quæ in introitu ex verbis Danielis decantatur. Oĩa quæ fecisti nobis Dñe, in vero iudicio fecisti,

psal.136. &c. Itẽ in offerenda: Super flumina Babylonis illic sedimus & fleuimus.In hac.n. seu in versib. eius hoc deplorant,qđ ad salices Babylonis organa sua suspenderunt, i. propter infructuosos & steriles auditores,prędicantiũ voces cõticuerunt,propter eos,inquã,qui vocati ad nuptias, vt dictũ est,venire noluerunt,quia non fuerunt digni.In lectione verò Epistolæ eos, qui de exitibus viarum cõgregati sunt, vt implerentur nuptiæ discumbentiũ,Paulus Apostolus oportunè commonet,dicendo:Videte,qũo cautè ambuletis,non quasi insipientes,sed sapientes,&c. hoc videlicet intẽdens,ne inebriatus vino,in quo est luxuria,inueniatur quis absq; veste nuptiali,cũ rex ad videndos discumbentes intrauerit: sed econtrà impleamini Spiritu sancto, loquentes vobismetipsis in Psalmis & hymnis & canticis spiritualibus, quæ veræ harum sunt epulæ nuptiarum, de quibus in sequenti graduali gratias agentes dicimus: Oculi oĩum in te sperant psal. 144. Dñe,&c. vel quas in cõione postulans quis nopsal.118. strum dicit:Memento verbi tui seruo tuo Dñe.

De Dominica vigesimaprima post Pentecosten. Cap. 21.

OFficium Dñicę vicesimę primę voces continet hoĩs, in conflictu virtutũ vitiorumq; positi, qui interdũ,cùm cœperit sanctis florere psal.127. virtutib. & iuxta benedictionẽ hominis timẽtis Deum vxor illius,videlicet domus Dei,cui fortè præsidet,sicut vitis abundans excreuerit in lateribus domus suæ,i. in amplitudine sanctæ Ecclesiæ,& filij eius, sicut nouellę oliuarũ in circuitu mensæ suæ:cũ,inquã,ita profecerit,repente tenC tator diabolus occulta Dei dispẽsatione permissus,domũ,i. conscientiæ eius statum concutiens euertit, & filios eius, i. virtutes animi, turbata in cognitione conscientia, penè conterit. Hoc luce clarius ex offerenda cõprobatur. Vir erat Iob.1. in terra nomine Iob.Moraliter enim in eiusmodi homine aguntur ea,quæ in tentatione huius beati Iob historialiter acta memorantur:Huius ergo nobilis & prælatoris animi concussionem, vel periculũ significat in Euangelio febris, quæ Ioan.4. penè extinxerat Reguli filiũ.Præcurrens autem Epistola cõfortat eum circumuẽtum tentatiD nibus,& consolatur, ne abundãtiori tristitia absorbeatur,dicendo: Confortamini in Domino, 2. Cor. 2. & in potentia virtutis eius.Non enim est nobis Ephes.6. colluctatio aduersus carnem & sanguinem,&c. Introitus aũt:In voluntate tua Domine,&c.vox Hester. 13 est eiusdẽ militis, humili cõscientia cum beato Iob in terram corruentis,i.terram se esse cogno Iob.1. scentis, ac dicentis: Dominus dedit, Dominus abstulit,sicut Domino placuit,ita factum est,sit nomen Domini benedictum. Post quam confessionem petit circunfusus, è tentatione effupsal. 89. gium, dicens in graduali: Domine refugium

E factus es nobis.Et in communione: In salutari psal.118. tuo anima mea, & verbum tuum speraui.

De Dominica vigesimasecunda post Pentecosten. Cap. 22.

INofficio Dñicę vicesimęsecundę dicimus ad psal.129. introitũ:Si iniquitates obseruaueris Dñe Dñe quis subsistinebit.Nimirũ in persona serui illius, Matt. 18. de quo Euangelium narrat,semetipsum quisq; nostrũ humiliter recognoscit,qui decẽ millia talẽta suo debebat regi, ꝓcidẽsq; rogabat,dicẽs: Patientiã habe in me,& omnia reddã tibi.Itaq; magnitudinẽ debiti,i. peccati sui quisq; nostrũ perpendens, dicit: Si iniquitates obseruaueris Domi-

Domine, &c. Vt autem laxationem quisq; no- A
stram obtineat,agendum est,quod dicit Paulus
philip.1: in præeunte Epistola:Et hoc oro,vt charitas vestra magis ac magis abundet in scientia, & in omni sensu,& cætera,subauditur enim,vt remittatis vnusquisq; fratri suo de cordibus vestris. Vbi verò charitas hæc abundat,sicut iam dictũ est,rectè cõgratulatio illa depromit,secundum
psal.132. quã in graduali dicimus: Ecce q̃ bonũ & quàm iucundum,habitare fratres in vnum. Et si quæras,quantũ,vel quale bonum sit vnitas,i. charitas fratrum cohabitantium,sequit in Versiculo:
Sicut vnguentũ in capite,& cætera,i.sicut remiB sio peccatorum effusa per Spiritum sanctũ,quæ de capite nostro.s.Christo descendit ad Barbã Aaron,i. in fortes & perfectos Christi Apostolos,& ab illis vsq; ad nos.Tunc enim cohabitatio fratrũ est,sicut illud vnguentum,cùm donamus inuicem, si quid habemus aduersus alteruttrum fratres & conserui, sicut Euãgelicus rex
matth.18. Christus donauit nobis. Mandauit nanq; benedictionem,i. eandẽ remissionis charitatẽ,vt do
psal. 132. nemus inuicẽ:& vitã vsq; in seculum, subaudis, fore promisit huius charitatis prẽmium. In offerenda verò, Recordare mei Domine quę sum
Hester. 14. pta est de oratione Hester, commonemur summopere curandum esse & orandum,vt placeant verba nostra in cõspectu principis,scilicet eiusdem regis magni,qui posuit rationem cum seruis suis,verba,inquam,nostra dicentium:Dimit
Matth. 6. te nobis debita nostra.Non enim placebũt hæc verba nostra in conspectu principis, cùm illerationem posuerit,si non dimittimus & nos debitoribus nostris.Quod autem canimus in communione ex auctoritate Euangelij:Dico vobis,
Luc.13. gaudium est angelis Dei super vno peccatore pœnitentiam agente,de illo sentiendum debito
D re,qui sic pœnitet,& sic sibi postulat dimitti,vt primum dimittat ipse conseruis suis.

De Dominica vigesimatertia post Pentecosten. Cap. 23.

1. Tim. 2. INtãtum sacrosancta Ecclesia iuxta edictum Apostoli,obsecrationes,postulationes,gratiarum actiones, pro omnibus agit, vt pro futura quoq; filiorum Israel salute gratias agat, quos suo quandoq; corpori vniendos fore cognoscit. Nam quia in fine mundi reliquiæ illorum saluę
E
Rom. 11. fient, in hoc vltimo anni officio gratulatur de illis vtpotè futuris membris suis. Dicit ergo in
Hier.29. introitu, annũcians iugiter quod prophetatum est de illis: Dicit Dñs, ego cogito cogitationes pacis,& nõ afflictionis.Pacis enim cogitationes cogitat,& nõ afflictionis,qui conuiuium gratię suæ facturum se repromittit cum illis secundã carnem fratrib. suis,sicut in Patriarcha Ioseph prefiguratum est.Nã sicut ad illum in tora terra
Gen.23. Ægypti dominantem venerunt, qui cum venderant fratres sui, fame compulsi,& ab eo recogniti atq; recepti sunt,& ipse cũ illis celebrauit cõuiuium:sic ad ipsum Dñm nostrum,toti mundo principantem,& Ægyptios,i.gentiles,qui in peccatorum tenebris fuerant,panc vitæ copiosius alentẽ,reuertentẽ reliquiæ filiorum Israel,& ab eo recipient in gratiam, quem negauerũt & Ioan.6. occiderunt, & tunc mensam suam cõcabit eis, & inebriabitur Ioseph iste cum fratribus suis. Huius mensæ gratiam signat illud Euangelium in officio Dñicæ,quo ipse narrat̃ de quinque panibus saturasse quinq; millia hominum.Tunc enim quinq; libros Moysi aperiet Iudæis,quos nunc velut integros panes portat puer, s. idem populus sensu puerili, edentq; & saturabuntur etiam ipsi & laudabunt Dñm requirentes eum.
B Tunc implebitur illud Hieremiæ vaticinium, Hiere.23. q̃ hoc Euangelio rectè præmittit.Ecce venient dies, dicit Dominus, & non dicent vltra viuit Dñs,qui eduxit filios Israel de terra Ægypti.sed viuit Dominus,qui eduxit & adduxit semen domus Israel de terra Aquilonis,& de cunctis terris,ad quas eieceram eos illuc.& habitabunt in terra sua.Soluti ergo illi,qua nunc tenentur,ea ptiuitate animarum,clamabunt alta deuotione gratiarum actionem,quam sequens innuit gra- psal. 43. duale:Liberasti nos Dñe ex affligentib. nos,&c.
C Supplicatio quoq;,qua dicimus in offerenda,de Psal.129. profundis clamauit ad te Dñe,eidem rei vel tempori manifestè congruit. Dicent enim ad hunc magnum Ioseph,fratres sui in illa diꝛ:Obsecramus vt obliuiscaris sceleris fratrum tuorum. Gen. 50. Cõmunio quoque:Amen dico vobis, quicquid marc.11. orantes petitis,& cetera:responsio est eiusdem Ioseph,dicentis: Nolite timere: Vos cogitastis de me malum, & Deus vertit illud in bonũ, vt exaltaret me, sicut in præsentiarum cernitis, & saluos faceret multos populos. Nolite metuere, ego Pascam vos & paruulos vestros.

Item de nocturnis lectionibus per æstatem. Cap. 24.

NOcturnæ lectiones tota æstate sua varietate suoq; ordine seriem designant temporũ vel profectũ sanctæ Ecclesiæ.Primùm nanq; historia Regũ, quæ statim post Pentecosten ponit,primis duob. libris mysticè assimilatur primis Christianitatis tẽporibus, qñ paulatim crescente fide Christi, vetus idololatria decidit. 1.Reg 8.
Nã sicut regnanti Sauli, quem populus appetie
E rat contra voluntatem Dei, superuenit electio 2.Reg.5. Dauid,quem Dñs secũdum cor suum inuenisse dicit, tandemq; totum regnum à domo Saulis euersum,eidẽ Dauid se subdidit:sic dęmonũ cultui superuenit in mundũ cultus Dei,statim post aduentum Spiritus sancti,tandemq; Christiana fides per bella martyrũ victrix, sedit in throno Romani imperij, totusq; deinceps mundus manu forti,Christo se subdidit. Duob. sequẽtibus libris,in quib. regnũ diuisum est à domo Dauid, ex quo Hieroboam regni scissuras(sicut illi per manũ Achiæ Sylonitis significatum est)inuasit, & contẽpto templo Domini duos vitulos fecit: 2.Reg. 1 . illa significabantur tempora, quibus Ecclesiam

hære-

Universidad de Deusto
Biblioteca

hæreticorum insania scidit, & contempto altari Christi, reiecto cultu veritatis, fabricarum suarū simulachra diuersa fabricauit. Sequūtur deinde libri sapientissimi Salomonis, videlicet sicut post pugnas hæreticorum claruerunt in Ecclesia ingenia doctorum, qui excitati contentionibus illorum, nō dormitantes, sapientię & scientię studuerunt, & disputauerūt quodammodo, & ipsi, sicut de Salomone legitur, super lignis à cedro, quæ est in libano, vsq; ad hyssopum, qui egreditur de pariete, i. nihil omnino de sacra scriptura, nec paruum, nec magnum aliquod verbum ab allegoria vel aliqua vtili moralitate vacare passi sunt. Deinde nihilominus congruè sequitur liber Iob, quia videlicet maximè in pace Ecclesię non desunt illæ tentationes viris ad virtutem tendentibus, quæ in omnibus percussionibus, vel consolationibus eiusdem sancti Iob, auctore Beato Gregorio, moraliter figurantur. Tunc enim vrgent interius tentationes spiritualium vitiorum, quorum quanto occultior pugna, tanto difficilior victoria.

3.Reg.4.

Item de nocturnis lectionibus à mense Septembri. Cap. 25.

ABhinc iam mense Septembri, quatuor impo nunc libri, videlicet Tobias, Iudith, Hester & Esdras. Quorum consideratio quàm congruè quatuor Cardinales virtutes, prudentiam, fortitudinem, temperantiā, & iustitiam exprimat, palàm est. Tobias quippè in figura prudētię nō inconuenienter accipit, qui cæcatis oculis exterioribus, videnti filio mādata viuendi largitur, vt illud Salomonis impleatur. Sapiētis oculi in capite eius. Per caput enim mētis industria, per oculos verò intelligitur prouidentia, quæ idem est, quod prudentia. Benè ergo prudētiæ titulo præfulget, qui menti illius munimen prouidet, cuius ducatu ipse foris eget. Iudith verò fortitudinis speciē in hoc nimirum prętendit, quod formidantib. viris bellicosis, immanissimo tyranno pro liberatione patrię se opposuit, & principem militię fœmina sermis Dei adiutorio superauit. Fortitudo. n. eius à Deo fuit, sicut ipsa in oratione dicit: Et nunc Dñe subueni mihi viduę, vt qđ per te posse credidi, perficiā. In quo quàm verè fortis fuerit, caput Holofernis, ebrietate sopiti, amputatura ipsius pugione ostendit dicēs: Confortа me Deus meus in hac hora. Et præcidit caput eius. Verùm hæc duo volumina apud Hebręos nō sunt in canone, sed Nicęnę synodi auctoritate ad instructionē venerūt sāctę Ecclesiæ.

Eccle.2.

Iudith. 9.

Hester autem pro temperantia ponitur, quę repudiata ob arrogantiam Vasthi regina, in regnum subrogatur. Nam ipsius temperantię hoc indicium est speciale, q̄ leonem illum, de quo ipsa ad Dominum dicit: Et da mihi gratiam in conspectu leonis, id est, Assueri regis, in mansuetudinem conuertit, eiusque edictum ex instinctu Aman intemperantissimè superbientis, & genus Iudæorum perdere cupientis, in consolationem suæ stirpis transtulit. Hester. 14.

Esdras autem, qui hic adiungitur, priuilegiū iustitiæ in verbis & factis habere demonstratur. Nam sicut iustitia restituit quod iniustitia destruxit: sic iste dirutum propter peccata populi templum cum ciuitate restaurauit. Idem quoq; sicut in duo volumina diuisus vnitur (Nam Neę mias ei in eodem copulatur) sic iustitiæ duo prę cepta sibi conueniunt, scilicet Quæ vultis vt faciant vobis homines, eadem facite illis. & Quod tibi non vis fieri, alij ne feceris. Hi itaque quatuor libri, prædictis virtutibus insigniti, rectè librum Iob, qui afflictiones sanctæ Ecclesiæ, beato Gregorio teste, exprimit, sequūtur, quia post tentationes validè superatas gloria virtutum electis datur. Matt. 7.

Sed quia quandiu in hoc mundo à Domino peregrinamur inter virtutes vitiorum bella patimur, euestigiò Machabæorum libri leguntur, in quibus magnus ille hostis Antiochus contra iuge sacrificium prævalere refertur, Deiq; martyres persequitur. Qui tamen Iudæ & fratrum eius labore vincitur, quia confessione operum malorum cum exercitio operum bonorum aliquando Deo donante superatur. 1.Cor. 5. 2.Mac. 4.

Post, prophetarum libri vsq; in aduentū Domini concrepant, qui modò terrorem districti iudicis, modò blandimenta pij conditoris prędicant. Ex his Ezechiel, qui interpretatur fortitudo Dei, Daniel, qui sonat iudicium Dei, maiores & primi sunt, quia spes quæ ex fortitudine diuini auxilij, & metus, qui est ex iudicio Dei, mentem æqualiter docent præsentibus vti, ne aut Deo desperans deficiat, aut in se prę sumens corruat. De reliquis duodecim prophetis, in vnum volumen coartatis, loqui supersedemus, quia à sanctis patribus de his copiosè disputatum scimus. Ideo autem vsque ad aduentum Domini leguntur, vt inter tenebras & conflictus huius seculi, vsque ad reditum Christi, scripturæ nos illuminent & consolentur. Per eundem Dominum nostrum Iesum Christum, qui cum Patre & Spiritu sancto viuit & regnat Deus, per omnia secula seculorum. Amen. Rom.15.

RVPERTI ABBATIS TVITIENSIS, LIBRORVM XII. De Diuinis officijs, Finis.

NVCLEVS

NVCLEVS DE SACRIFICIO MISSAE,

Ex Elvcvbratione Solida R. P. Petri Abbatis quondam Cluniacensis.

ELENCHVS CAPITVLORVM.

Deum sacrificijs, ab initio mūdi sēper cultū fuisse. cap. 1.
Deum in lege varijs cultum esse sacrificijs. cap. 2.
Deo placere sacrificia, tanquam seruitutem sibi debitam. cap. 3.
Nulli creaturæ sacrificandum est: sed Deo soli. cap 4.
Hæreticos impiè prohibere Christianis, sacrificare Deo. cap. 5.
Solos Christianos ritè sacrificare Deo. cap. 6.
Deo maximè deberi à Christianis sacrificium. cap. 7.
Sacrificium Christianorum esse vnicum & simplex. cap 8.
Sacrificio Christi, iustitiæ Dei satisfactū esse propeccatis. cap. 9.
Impijssimum esse hæreticorum errorem contra Missæ sacrificium. cap. 10.
Corpus & sanguinem christi verè offerri in Missa. cap. 11.
Panem & vinum verè transubstantiari in corpus & sanguinē christi. cap. 12.
Hæreticos impiè scrutari, quomodo hæc fiant. cap. 13.
Transubstantiationem varijs probari exemplis Scripturæ, & naturæ. cap. 14.

DEVM SACRIFICIIS AB INITIO mundi semper cultum fuisse. Cap. 1.

DICITE, quæso, cur sacrificia Christiana vobis Christianis (si tamen hoc estis) non placent, cum signo sacrificiorum semper suos Deus ab alienis secreuerit: cum diuinam seruitutē, ab humanis obsequijs hoc signo discreuerit: cū honorem creatori singulariter debitum, ab eo honore, quo se inuicem rationalis creatura prævenire iuxta Apostolum debet, hoc maxime signo distinxerit. Recolite antiqua sæcula, generationem sanctorum, ab Adam vsque ad Christum discutite: inuenietis aut nullos aut raros absque ritu sacrificiorum Deum coluisse: quia quicunque iustitia Deo placebant, statim eum sacrificiorum veneratione colebant. Videbitis certè primum illum & iustum Abel Deo munera offerentem, Deum super eius munera inflā mantem. Noe post diluuium, noui sæculi primordia, sacrificijs dedicantem. Abraham post vaccam triennem, capram trimam, & arietem trium annorum, turturem quoque & columbā quæ Deo obtulit, etiam filium colligatum in altare super struem lignorū, ad immolandum collocasse, sed ne vota compleret, ab ipso qui hoc præceperat, prohibitum fuisse. Post Abraham offerentem & Isaac oblatum, videbitis & Iacob motum visione Dei & Angelorum, in diuinitatis, quam viderat, honorem erexisse lapidem, & fudisse oleum desuper: ac dixisse, Vere Dominus est in loco isto: & hæc domus Dei est, & porta cæli. Cognoscetis in terra Hus, hoc est, inter gentiles, cui non erat similis suo tempore super terram: simplicem & rectum Iob diluculo consurgentem, & pro singulis filijs holocausta offerentem, dicentemque, ne forte peccauerint filij mei. Deo debētur sacrificia. Rom. 1. Sēper fuere sacrificia. Gene. 4. Gene. 8. Gene. 15. & 22. Gene. 28. Iob. 1.

Deum in lege varijs cultum esse sacrificijs. Cap. 2.

PRocedetis inde vsque ad magni Moysi tēpora, & totam Hebræorum stirpem (de qua Saluator, cui repugnatis, secundum carnē nasciturus erat) inuenietis à Deo per Moysen sacrificiorum diuersis ritibus & innumeris substratam, & pro peccato, & pro delicto, pro purgatione, pro emundatione, boum, vitulorum, agnorum, ouium, arietum, hircorum, turturum, columbarum, diuersorum quadrupedum, & volucrum, hostias penè assiduè offerentem, in tantum, vt (iuxta quod Apostolus ait) sine sacrifi-

Universidad de Deusto
Biblioteca

crificijs, & sanguinis effusione, non fieret remissio peccatorum. Legite Leuiticum, si tamen vel eius nomen vobis notum est, immo legite totum Pentateuchum, qui lex proprie dicitur, totamque Veteris testamenti seriem recensete, quæ docebit quod ignoratis, sanctis Regibus, Ducibus, Prophetis, Sacerdotibus, Deum per sacrificia frequenter responsa dedisse, eique hostias eorum gratias, acceptasque fuisse, aut fumo quo adumbrabat, aut nebula qua tegebat, aut igne quo absumebat, alijsque indicijs declarasse. Hinc in Salomonis dedicatione & sacrificio, quando ouium Centum mil
2. Para. 7. Salomon. 3. Reg. 18. Helias, Tabernaculum Mosaicum. lia, bouum xx. millia oblata sunt, per nebulam gloria Domini impleuit domum Domini. Hinc super Heliæ holocaustum cælestis flamma descedens, non solum bouem oblatum, sed & ligna altaris & lapides vsque ad cinerem consumpsit, talique signo acceptum Deo Heliæ sacrificium monstrauit. Hinc in consecratione Eremitici tabernaculi legitur: Postquam omnia perfecta sunt, operuit nubes tabernaculum testimonij, & gloria Domini impleuit illud, nec poterat Moyses ingredi tectum fœderis, nube operiente omnia, & maiestate Domini coruscante, quia cuncta nubes operuerat.
Exod. 40. Quod profectò tabernaculum, non nisi ad adorandum Deum & sacrificandum ei, ab ipso Deo, per Moysen constructum, erectum, & sanctificatum fuerat. Hinc Esaias in visione quamuis spirituali, solij excelsi & eleuati, post alata
Esaiæ. 6. Seraphin & clamantia, Sanctus, Sanctus, Sanctus: Commota sunt (inquit) superliminaria cardinum à voce clamantis, & domus impleta est fumo.

Deo placere sacrificia, tanquam seruitutem sibi debitam. Cap. 3.

Deo placuisse antiquorum sacrificia. HAbetis, si aduertitis, antiquorum sacrificia in tantum Deo placuisse, vt non solùm ipsa, sed & loca in quibus fiebant, construeret, benedicere
August. ad Deo gratias epist. 49. quæst. 3. To. 2. ret, consecraret: & constructa, benedicta, consecrata, fumo, nebula, igne, alijsque (vt dixi) indicijs glorificaret. Neque enim sacrificia propter templum vel altare celebrantur, sed templum & altare propter sacrificia construuntur, consecrantur, ornantur, glorificantur. Ipsa verò sacrificia ad illum tantummodo referuntur, cui soli absque alio comparticipe exhibentur. Hæc enim sacrificiorum seruitus, hic soli deitati deferendus honor, hic diuino tantùm nomine exhibendus cultus, omnem pro creatore respuit creaturam: quia sicut incommunicabilis est maiestas cui offertur, sic omnem respuit communionem etiam quod offertur.
Signatur hac seruitutis proprietate soli Deo subditus homo, vt nihil supra se iuxta originis suæ conditionem, nisi Deum intueatur, à quo solo se initium, & in quo deficientem finem se habere cognoscens, vt auctori, rectori, remuneratori subdatur, seruiat, obediat. Signatur hoc exteriori obsequio interior animi affectus: qui nullatenus agnosceretur, nisi signis extrinsecis iudicaretur: Signatur hoc officio vtraque hominis substantia subiecta Deo, vt cum illa deuotione Deum amplectitur, ista operatione Deo famulatur, totus homo ei subiectus esse monstretur: & vt veraciter dicere possit. Nonne Deo subiecta erit anima mea? & Cor meum & caro mea exultauerunt in Deum viuum.

Quid designant sacrificia. Psal. 61. Psal. 83.

Nulli creaturæ sacrificandum esse: sed Deo soli. Cap. 4.

IDcirco nulli creaturæ non dico inanimatæ, non dico insensibili, non dico irrationali, sed nec ipsi rationali, & beatæ, sacrificijs honorari concessum est. Non angelo, non homini, nec ipsi altissimo ordini Seraphin hoc datum est: quia signum, quod inter mortales conditorem à conditis secernit, meritò semper incommunicatum permansit. Nouerant hoc beati Apostoli Barnabas & Paulus, qui volentes sibi sacrificare Lycaonios, cum detestatione prohibuerunt, & quia hostias iam parauerant, vestimenta sciderunt. Sciebant hoc nulli concessum: sciebant etiam minaciter ab ipso Deo prohibitum, qui tam de his, qui non Deo sacrificant, quàm de his, quibus sacrificant, per Scripturam suam ait: Sacrificans dijs eradicabitur, Nisi Domino soli. Et in dijs Aegypti faciam vltionem. Et de vtrisque. Similes illis fiant qui faciunt ea: & omnes qui confidunt in eis. Nam superbi & à Deo refugæ spiritus, diuinitatem Deo inuidentes, sibi vsurpantes, vt cæcos homines, & longe exilij sui tempore Dei factos immemores, plenè à Deo auerterent, quod solius creatoris (vt dictum est) erat, creaturæ exhiberi persuaserunt: & tam sibi quàm mortuis hominibus, sacrificia publica instituerunt. Et vt maioribus contumeliis, imaginem Dei ad eius dedecus deludendo, subiicerent: etiam creaturis irrationabilibus, miseros homines seruire coegerunt: itaque in rationali animante, rationem sopierunt, vt canibus, volucribus, bestijs repentibus seruientes, & quibus prælati fuerant, se sponte subdentes, nec homines se esse recordarentur. Vnde Apostolus. Mutauerunt, inquit, gloriam incorruptibilis Dei, in similitudinem corruptibilis hominis, & volucrum, & quadrupedum, & serpentum. Nec his contenti, ad ignobiliora eos traxerunt, & seruos eos etiam insensibilium effecerunt. Indè libet sapientiæ. Etenim, ait, in erroris via diutius errauerunt: Deos æstimantes hæc quæ in animalibus sunt superuacua, infantium insensatorum more viuentes.

Nulli creaturæ sacrificandum est. Act. 14. Psal. 134. Dæmones quare sacrificia amabiunt. Misera hominum illusio per dæmones. Rom. 1. Sapien. 12.

Pro-

Sap. 12. Propter hoc tanquam pueris insensatis, iudicium inderisum dedisti. Et item. De his quæ videntur bona non potuerunt intelligere eum, qui est, neque operibus attendentes, agnouerunt quis esset artifex, sed aut ignem, aut spiritum, aut citatum aerem, aut gyrum stellarum, aut nimiam aquam, aut solem, aut lunam, rectores orbis terrarum, Deos putauerunt. His omnibus decepti homines, Dei gloriam tribuebant, eaq; cultu diuino ac sacrificijs honorabant, contra
Esaiæ. 42. eum qui dicit. Gloriam meam alteri non dabo, neque laudem meam sculptilibus.

Hæreticos impiè prohibere Christianis, sacrificare Deo. Cap. 5.

Reprehensio hæreticorum sacrificare prohibentium. QVorsum ista? vt videntes patres antiquos, & omnes priorum temporum iustos, Deo per iustitiam & sacrificia placuisse, vt attendentes, Deum sibi soli ea fieri præcepisse, vt audientes eum dijs alienis sacrificantes eradicasse: Agnoscentes, inquam, per sacrificia maxime, Deo deitatis honorem, à sanctis omnibus, sæculis omnibus exhibitum, concedatis, quod hactenus prohibuistis, & debitum Deo sacrificiorum munus offerre, nostri sæculi homines permittatis. Vt quid enim prohibentur filij sequi patres suos? Cur quos fide imitantur, præcipuo fidei signo imitari non sinuntur? An forte Iudæorum sacrificia Deus approbat, & Christianorum reprobat? Nonne magis circa eorum Sacra nauseat,
Esaiæ 1. dicens per Esaiam: Plenus sum, holocausta arietum, & adipem pinguium, & sanguinem vitulorum, & agnorum, & hircorum nolui? Nonne & per alium Prophetam ait: Non accipiam
Psal. 49. de domo tua vitulos, neque de gregibus tuis hircos? Nonne & per Malachiam loquitur: Non
Malach. 1. est mihi voluntas in vobis, & munus non suscipiam de manu vestra. Quod dicens, non sacrificia illi tempori data respuit: sed prauam vitam ea offerentium arguit. Vnde & per Esaiam subdit, Manus enim vestræ sanguine plenæ sunt. Mirum valde si præcipuus (vt iam
Esaiæ 11. dictum est) deitatis, cultus, Deo, nostro tempore non defertur, qui omni, ante nostra tempora, tempore summo studio, solicita deuotione frequentabatur. Mirum si Christiani à sacrificiis
Mirandū de hac cōtra sacrificia temeritate hereticorum. vni, & Deo offerendis arcentur, cum Patriarchæ, Prophetæ, Iudei, Gentiles, Fideles, ab ipso Deo: ipsi Deo sacrificare cogantur. Mirum nunc primum de mundo diuina aufferri sacrificia, cum nunquam mundus in retroactis generationibus suis, absque sacrificiorum sacris fuerit. Nam nec in profundis ignorantiæ & nequitiæ suæ tenebris, ita à Deo perit, vt non haberet aliquos, & si paucos, qui & per iustitiam Deum colerent, & per sacrificia eum se colere demonstrarent.

Solos Christianos ritè sacrificare Deo. Cap. 6.

Quanta mala ex hac hæresi. ATnunc, si nouam vestram doctrinam mundus exaudiat, faciet, quod nunquam fecerat, & more captiuati illius populi sedebit asque lege, absque rege, absque sacerdotio, absque Ephoth, & Ieraphin. Cumque Deo sacrificare cessauerit: & ipse Dei esse cessabit. Erit his temporibus gratię quod nunquam fuit nec tempore iræ, vt Christianis Deo sacrificare cessantibus, cultus qui semper in mundo fuerat, omnino de mundo pereat: & qui Deum ritu suo colens, Deo esse subditus probatur, cultum eius abiicens, absque aliquo Deo prorsus esse videatur.
Nota quòd soli Christiani sacrificant Iudæi. Nam cum sint his nostris diebus, quatuor in mundo præcipuæ diuersitates sectarum, hoc est, Christianorum, Iudæorum, Saracenorum, & Paganorum. Si Christiani non sacrificant, iam nullus in mundo sacrificat. Iudei enim, more suo, bouinis oculis omnia intuentes, &
Ioan. 4. more asinino legis Dei onera ferentes, non fructum capientes; nusquam sacrificant. Quia Hierosolymis tantùm dicunt esse locum, vbi per sacrificia Deum honorare & adorare oportet. Quam quia Deo eius contrario, per mil
Saracenorum religio. le & centum annos, inhabitare prohibiti sunt, sacrificare desierunt. Saraceni ab omnium seductorum sublimissimo seductore seducti, & inter Iudaicam & Christianam legem submergendi fluctuantes, circumcisionem suscipiunt, lauacris frequentibus vtuntur, certis horis die, certis nocte, orationi maxime post cibū & potū, vt fertur, incumbunt; luxui omnino frena relaxant. Cumque his & innumeris superstitionibus tota pene Orientalis & Africana regio, ab illo nequam Mahumeth decepta, per quingentos & fere quinquaginta annos inseruiat, & Christum flatu (vt aiunt) diuino, natum de virgine sanctè vixisse, vera docuisse, mira fecisse fateantur: de sacrificijs apud eos, nec præcepta aliqua habentur, nec aliqua, licet parua, ab eis pro sacrificio offeruntur, Omnipotentem tamen Deum rerum omnium conditorē se adorare dicunt: cui tamen (vt dixi) nullos sacrifi
Pagani. ciorū ritus exhibēt. Pagani licet pauci et orbi terrarum incogniti, cum in Aquilonis extremis finibus, atque sub gelido axe lateant, & loca (vt fertur) Mæotidis paludibus vicina inhabitent, quoniam ignorant ipsos Idolorum erro
Dij horarij & diarij. res, & nomina ritus, sacrificia incognita habent, equos, asinos, porcos, gallos, vel quodcunque mane de lectulo surgenti occurrerit, toto illo die pro Deo adorant: sicque non per petuos, nec saltem annuos, sed (vt ita dicam) deos diarios vel horarios colunt. Et cum flendi homines ignominiosius alijs à diabolo his & multis modis nobis ignotis deludantur, sacrificia tamen nec creatori, nec creaturæ exhibent; sed quod innatus error docuit, absque omnium sacrificiorum notitia custodiunt.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Summa in Deum ingratitudo hæreticorum sacrificare volentium.

Cum ergo nec apud Iudæos, nec apud Saracenos, nec apud Paganos sacrificia obseruentur: Si nec Christianis conceduntur, signum illud singulare deitatis, quo ab initio (vt iam dixi) diuina seruitus ab humana secernitur, perijt: Cum in nulla gente, in nulla parte orbis terrarū inueniri iam possit. Sed forsitan minus Deo obnoxia sunt moderna tempora quàm priora: vt honorem, quem antiqua sæcula Deo exhibuerunt, sol uere isti contemnant. Et iustè, iustè inquam, iustè, qui maiora acceperunt, minora reddere debent: qui numerosiore summa debiti cōstringuntur, minimam quantitatem soluere cōpelluntur, & contra Iesu Christi vocem, quæ dicit, Cur minus dimittitur, minus diligit: & contra opinionem Simonis Pharisæi dicentis: quia is donatorem debiti plus diligit, cui plus donauit, vnde dictum est, recte iudicasti. Contra has Domini & Pharisæi sententias, minus Deo debet Christianus quàm Iudæus: minus tempus Apostolicum, quàm Propheticum: minus totus orbis substratus voci Euangelicæ, quàm vnus populus subiectus legi Mosaycæ. Et vbi est saluator gentium, illis promissus, vobis exhibitus: illis oblatus, nobis natus: illis oblatus, nobis datus? Vbi est sanguis testamenti æterni, qui ab illis ad nos defluxit, qui per illorum fistulam ad nos decurrit, qui limosam per quam currebat derelinquens canalem, nos de limo factos & canali suppositos, ab omni limo & sorde purgauit? Vbi est secundum Apostolum: Ministeriū quod absconditum fuit à sæculis & generationibus, nunc autem manifestum est sanctis eius, quibus voluit Deus notas facere diuitias gloriæ Sacramenti huius in gentibus, quod est Christus, spes gloriæ: Vbi est iuxta eundem, virtus sacramenti Dei temporibus æternis taciti, vbi velum templi scissum est: & quæ diu velata fuerant reuelata? vbi regnum cœlorum, de quo Rex cœlorum. Pœnitentiam, inquit, agite: appropinquabit regnum cœlorum.

Ironia.

Luce. 7.

Colloss. 1.

Matth. 27.

Ephes. 3.
Matth. 4.

Deo maxime deberi à Christianis sacrificium. Cap. 7.

Aureum sæculum nobis à Christo datum.

NVnquid hæc tam fœlicia tempora, & (vt verbo poetico vtar) aurea sæcula, quibus pater mundi misertus, quibus filius pro mundo oblatus, quibus spiritus Altissimi mundo infusus: quibus mors extincta, quibus vita reddita, quibus iustitia reparata, quibus resurrectio præparata, minus aliquid prioribus sæculis Deo debent? Non, plane, non toto mundo conclamante, non minus ei debent cui non solum ex conditione, sed (quod charius est) ex redemptione, & se & quæ iure possunt, omnia debent. Quòd si omnia: tunc & sacrificia. Ratione igitur necessaria cogente quæ auferre Catholicis volebatis, necessariò hæretici sacrificia reddetis. Reddetis ea ratione, reddetis ea (quod apud nostros robustius est) auctoritate non ficta, sed veraci: non terrena, sed cœlesti: nō humana, sed diuina. Irritatus Deus diuturnis malis Iudaici populi, quibus & in Deum impij, & in homines erant iniqui, nec ferens vltra, promissiones spirituales ac cœlestes à terrenis & carnalibus conculcari elegit eis successores, qui quod illi respuebant, susciperent: qui quod illi nolebant, vellent: qui vineæ fructum redderent temporibus suis. Elegit pro vno populo omnes gentes, pro particula Syriæ vniuersum orbem terrarum, atque per filium suum, huius magni consilij angelum, Legem suam, cultum suum, sacrificia ei tradidit, & eo mediante, mundum à morte eripiens, immortali vitæ restituit. Hæc vt absque scrupulo aliquo, vera esse crederentur, & suo tempore susciperentur, per nuncios suos multifariè multisque modis prædixit. Et quis vniuersa enumeret? Sed quod ad cultum, de quo agitur pertinet audite Dauid in spiritu Dei loquentem. Omnes, ait, gentes quascunque fecisti, venient, & adorabunt coram te domine. Et adorabunt eum omnes reges, omnes gentes seruient ei. Et, Omnes gentes plaudite manibus, & Regnabit Deus super gentes. Et, dicite in nationibus, quia dominus regnauit: & centum similia. Sed hoc de adorando Deo. Item de sacrificando, Afferte domino patriæ gentium, afferte domino gloriam & honorem, afferte domino gloriam nomini eius: tollite hostias, & introite atria eius. Et Esaias. Veniet omnis caro, vt adoret coram facie mea, dicit Dominus. Et Malachias. Ab ortu solis vsque ad occasum, magnum est nomen meum in gentibus: & in omni loco offertur nomini meo oblatio munda, quia magnum nomen meum in gentibus, dicit Dominus exercituum. Et quid vltra vobis ò bruti homines, restat quærendum? Nonne videtis sicut legem, sic sacra, sic sacrificia, sic cultum omnem diuinum, à Iudæis ablatum, & ad gentes translatum? Et si non eodem ritu celebrantur apud nos sacra, sunt tamen sacra: Si non in eodem ordine constant sacerdotia, sunt tamen sacerdotia: Si non de eisdem rebus fiunt sacrificia, sunt tamen sacrificia. Quia alio quidem modo, sed non alij Deo sacra celebrantur, sacerdotia ordinantur, sacrificia exhibentur. Cessate ergo, cessate iam insanire, quia nulla auctoritas, nulla ratio patitur, vt minus Deo honoris deferant Christiana tempora, quàm Iudaica: quoniam quæ plus munerum acceperunt, non minus sed magis obsequi debent eorundem munerum largitori. Vnde verè dignum & iustum est, vt qui ei, gratiæ hoc tempore, alijs sed non inferioribus ritibus famulantur, eum hoc supremo & diuino sacrificiorum cultu deuotius venerentur.

Reiectis Iudæis Christiani assumpti sunt in totō mundo.

Heb. 1.

Psalm. 85.
Psalm. 71.
Psalm. 46.
Psal. eodē.
Psalm. 95.
Psalm. 28.

Esaiæ. 66.
Malach. 1.

Cultus Dei à Iudæis ad Christianos ex gentibus translatus.

Sacri-

Sacrificium Christianorum esse vnicum & simplex. Cap. 8.

Qualia Christianorum Sacrificia esse debeant.

IAm quia per Dei gratiam constat Christiana sacrificia non tollenda: vtrum talia esse debeant qualia offeruntur, nihilominus est videndum. Sacrificium Christiani orbis nō multiplex est, sed simplex: non plura, sed vnum: quia sicut in toto mundo vnus est populus Christianus, qui illud offert, & vnus Deus cui offert, & vna fides per quam offert: ita & ipsum vnum est quod offertur: Cessit pluralitas Iudaicarum hostiarum vnitati victimæ Christianæ, quæ quia non poterat perfectum facere seruientem multiplicitate sua, prouisa est à Deo hostia, quæ offerentes mundaret, sanctificaret, perfectos faceret simplicitate sua. Bos, vitulus, aries, agnus, capra, hircus, carnibus & cruore implent altaria Iudeorum: Solus Agnus Dei, qui tollit peccata mundi, altari superponitur Christianorum.

1. Cor. 5.

Audite non me, sed Apostolum Dei. Pascha (inquit) nostrum immolatus est Christus. Hoc est. Pascha Iudæorum immolatus est agnus: Pascha verò nostrum, hoc est, Christianorum, est immolatus Christus. Hoc ergo vnicum Christianorum sacrificium, Christus est. Hoc sacrificiū, Christiano tempori seruabatur. Hoc, inquam, seruabatur tempori gratiæ, quod congruum nō fuerat dari in tempore iracundiæ. Habuit bouem Iudæus, Habet Christum Christianus. Cuius sacrificium, tanto Iudaicis victimis excellentius est: quanto Christus boue maior est. Congrua tunc fuit seruilis hostia seruis: seruata est nostris diebus liberatrix victima iam filijs & amicis, quibus in Euāgelio dicitur. Filioli, adhuc modicum vobiscum suum. Et iam non dicam vos seruos, sed amicos. Respersus est Textus diuinæ legis innumeris testimonijs, quòd multiplicitas antiquarum hostiarum, hanc vnam Euāgelij hostiam designabat. Et quia impossibile erat, sanguine agnorum & hircorum auferri peccata: ipsa lex, quæ multa illa mandauerat, omnes ad hanc vnam victimam transmittebat. De hac Dauid. Eleuatio manuum mearum, sacrificium vespertinum. Et Esaias. Oblatus est, quia ipse voluit. Et Petrus. Non auro vel argento empti estis. sed precioso sanguine, quasi agni incontaminati, & immaculati Iesu Christi. Et Paulus. Hoc fecit semel, se offerendo Dominus Iesus Christus. Sed scio nomine oblationis, sacrificij, victimæ, holocausti, & similium, passionem ac mortem Domini designari: nec vos hoc vnquam negasse audiui. Et ideo his nominibus mors eius signatur: quia sicut morte animalium oblatorum, peccata purgari dicebantur: sic mortе ipsius, peccata totius mundi tolluntur.

Sacrificium Christianorum vnicū quod est Christus.

Ioann. 15.
Ioann. 13.

Sacrificium nostrū vnicum sacrificijs antiquis signabatur.

Heb. 10.
Psal. 140.
Esaiæ 53.
1. Pet. 1.

Heb. 8.

Sacrificio Christi, iustitiæ Dei satisfactum esse pro peccatis. Cap. 9.

ET quia dicit Apostolus, Semetipsum obtulit immaculatum Deo: dicitur ipse offerre seipsum: Quoniam nō coactus, sed spō te tradidit in mortem animam suam Deo vero seipsum hoc modo obtulit, quia mors æterna hominis, non nisi temporali morte Dei, & hominis, dissolui poterat. Benignus enim Deus cuius vniuersæ viæ misericordia & veritas: sic existens iustus, vt non desinat esse misericors: sic misericors, vt iustus semper permaneat, in rebus quas creauit.

Heb. 9. Christus se ipsum obtulit.

Psalm. 25.

Nec etiam mala quæ non creauit, inordinata esse permisit. Vnde peccatum hominis, quod velut aliunde, in regnum eius se non iustè immiserat, iustè ordinans: peccatorem damnauit, ac sempiternę felicitatis profugum, miseriæ, ac morti æternæ contradidit. In tantum quippe reus factus fuerat, vt omnino culpa eius in regno eius ordinatissimo, inordinata remaneret, si minore quàm æterno supplicio, Dei iustitia peccatorem puniret. Nec iam iustitia dici posset, quæ meritis condigna non redderet.

Mala Deus ordinat per pœnā.

Ea de causa propago humani generis in radice corrupta, sicut vitium, sic & eius damnationem ab origine traxit, & tota simul per longa sæcula lege iustitiæ morti æternæ subiacuit. Misertus eandem Deus essentiali bonitate sua, perdito homini, & eum saluare volens, sed nisi iustè nec volens, nec valens, dum in æterno consilio suo quæreret, qualiter misero salua iustitia misereri valeret, hoc potissimùm occurrit, quo & iustitia seruaretur, & homo liberaretur, & gratia augeretur, & Deus glorificaretur.

Originale peccatum.

Misit itaque Deum filium, ad filios hominum, vt humanam naturam induens, & humanis vitijs medens, in carne assumpta, non peccatum, sed pœnam peccati, mortem scilicet corporalem susciperet, & ita simplici sua, illius duplam, horaria sua, illius sempiternam excluderet. In qua dispensatione, misericordia misereretur, iustitiæ nihil detraheretur, dum pro æterno supplicio hominis, temporale supplicium Dei & hominis: pro æterna morte hominis, temporalis mors Dei & hominis, ei offertur.

Quomodo seruata est iustitia in redemptione hominum.

Quæ tanti ponderis, in ipsa ipsius iustitiæ lance, esse cognoscitur, vt ad iustè ordinanda mundi peccata, longe magis præponderet mors tanti filij Dei, quàm æterna filiorum hominum. Plus planè redditum est iustitiæ, quando Christus mortuus est: quàm sit recompensatum quando homo damnatus est. Habet ergo iustitia quicquid suum est, quia Dei filius, pro peccatis hominum mortuus est.

Mors Christi quātum fuerit satisfactoria.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Iustitia cessit misericordiæ. Psal. 84.

Ita iustitia quæ diu humanæ saluti obstiterat, tandem misericordiæ cessit: & quę per aliquot millia annorum, diuersō itinere incesserant, misericordia & veritas in via (quæ Christus est) obiauerunt sibi: & quæ velut sibi aduersæ fuerant, homine condemnato, eo iam saluato, iustitia, & pax se osculatæ sunt. Sic iuxta Ioannem Baptistam, Agnus Dei tulit peccata mundi: Sic iuxta Petrum Apostolum, Peccata nostra ipse pertulit in corpore suo, super lignum: vt peccatis mortui, iustitię viuamus: cuius, iuxta Prophetam Esaiam, liuore sanati sumus. Hoc est nostrum sacrificium, hoc legis euangelicæ, hoc noui testamenti, hoc noui populi holocaustum: quod tunc semel in cruce à Dei & hominis filio Deo oblatum est, & quod semper in altari ab ipsius populo offerendum, ab eodem præceptum & institutum est. Non enim aliud tunc oblatū, aliud nunc offertur, sed quod, vt dictum est, semel Christus obtulit, hoc semper Ecclesiæ suæ offerendum reliquit.

Ioan. 11. 1. Pet. 2. Esaiæ 53.

B

Sacrificiū Christi & Ecclesię, vnicum est sacrificiū.

Impiissimum esse hæreticorum errorem contra Missæ sacrificium. Cap. 10.

ET quia iam expeditior via se præbuit, per quam liberior sermo ad ostendendum, & confutandum stultissimum errorem decurrat. Audite non me, sed Dominum: non Christianum, sed Christum: non hominem tantùm, sed Deum. Audite eum, quem qui non audierit, exterminabitur de populo suo. Dic Dñe Iesu, Deo noster, saluator noster, sacerdos noster, hostia nostra. Dic, respōde aduersarijs testamēti tui, qui volunt rescindere quod statuisti: eradicare quod plantasti: destruere quod constituisti. Dic, forsitan acquiescent tibi, qui Ecclesiæ tuę resistunt: verebuntur faciem tuam, qui tuis irreuerenter obuiant: & si oues tuæ sunt, vocem tuam audiēt, Ignosce, & mihi præsumptuosè interroganti, sed tamen pro Ecclesia tua, colūba tua, sponsa tua, quam isti violare conantur, zelanti. Planè isti redemptorem te negant, qui precium redemptionis humanæ, quod nobis, & ꝓ nobis dedisti (corpus dico tuum redemptis auferre contendunt.) Volunt rursum vincire, a te olim solutum nodū captiuitatis, dum largitorem respuunt libertatis.

Error stultissimꝰ hostiū Missę.

C

Deut. 18.

Ioan. 10.

D

Testamētū Christi nō vnius diei, sed ęternū & inge habet sacrificium.

Dic ergo Domine, testator noui & æterni testamenti, vtrum testamentum hoc vnius diei, sicut isti dicunt, esse volueris, an potius æternum esse decreueris. Audiant isti, non me sed te: vt cō uertantur, non ad me, sed ad te. Quid ergo? In cęna vltima, quam cum discipulis tuis, vetus pascha nouo commutans, celebrasti, accepisti panē, gratias egisti, fregisti, dedisti discipulis tuis. Sed quid dixisti? Accipite: Hoc est corpus meū, quod pro vobis tradetur. Et quid addidisti? Hoc facite in meam commemorationem. Similiter & calicem, postquam cœnasti, dicens. Hic est sāguis meus Noui testamenti, qui pro vobis & ꝓ multis effundetur in remissionem peccatorum.

E

Audistis? Nolite fieri simulacra, quæ oculos habent & non vident: aures habent & nōn audiunt. Auditis hoc non à quolibet doctore, sed ab illo de quo pater clamās ꝓcipit: ipsū audite.

Psal. 118. & 154.

Matth. 17.

Corpus & sanguinem Christi vere offerri in Missa. Cap. 11.

AVditis eum dantem corpus. Sed quod cor pus? Sunt enim corpora cœlestia & terrestria: & quicquid visui, auditui, olfactui, gustui tactui hic subiacet, corpꝰ est. Vnde ne qs putaret, aialis cuiuslibet, aut hoīs cuiuslibet hoc esse corpꝰ ad excludēdū oē aliud sensibile vel insensibile corpus: postquā dixit: Accipite, hoc est corpus, adiunxit, meum. Suum ergo, non alteriꝰ corpus discipulis dedit. Rursus ne forte alicui cogitatio occulta subreperet: potuisse creare in manibus suis corpus, quod suum quidem esset, sed tamen quod ipse erat non esset: addidit, quod ꝓ vobis tradetur, Ac si diceret. Nolite dubitare, nolite hoc, vel illud vobis fingere, nolite aliud & aliud cogitare: quia hoc est corpus, non alterū, aut alterius, sed meum; non permutatum, vel nouiter creatum, sed quod pro vobis tradetur, pro vobis crucifigetur, pro vobis morietur. Sic & de calice. Hic est (ait) sanguis. Non bouis, aut arietis, non agni, aut cuiuslibet hominis: sed meus, non alius, vel noua creatione productus, sed qui pro vobis fundetur, flagellis prouocatus, clauis extortus, lancea excussus: Quid ad demonstrandam veritatem corporis & sanguinis Domini, dici potuit clarius, lucidius, manifestius? Nonne & longe ante passionē commendans magnificum, & salutare sacramentum, discipulis & Iudæis sępe dicebat. Nisi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis: & panis quē ego dabo caro mea est, & caro mea vere est cibus, & sanguis meus vere est potus? Hoc quare? vt dum nomine corporis, circa diuersa corpora cogitando vagaris: audito carnis nomine, ab innumera corporū multiplicitate reuoceris. Rursus audito nomine filij hominis, non alterius alicuius carnē existimes, nisi illius, qui cum esset Dei filius, singulari gratia, solicita operatione, factus est hominis filius. Vnde quia tenacissimè recolendum, quia vnicè amplectendum est, tantum tantæ misericordiæ opus, tacito sæpe nomine filij Dei, quod pro se est: nomen filij hominis frequentat, quod pro nobis est. Idcirco vocat carnē, ne quodlibet corpus putetur, idcirco filij hominis, ne alterius quàm sua æstimetur.

Hoc est corpus meū.

Panem et vinum vere transubstantiari in corpus et sanguinem Christi. Cap. 12.

SEd forte impossibile putatur, vt vel panis in carnem, vel vinum cōmutetur in sangui nem. Fortassis & hoc cogitatur, illius vnius corporis Christi finitam satisque modicā quātitatem, morsibus totius mundi, per tanta sęcula non

Transubstantiatio.

Berēgarij obiectio & blasphem.

non posse sufficere. Hoc enim est, quod quondā Berengarium dixisse audiui. Nam forte Andegauis constitutus, & de hoc corporis Christi sacramento cum quibusdam agens: si (inquit) corpus Christi tantę fuisset magnitudinis, quantę Turris hæc, quæ in conspectu nostro immensa mole attollitur, à tot totius orbis populis comestum, an te multa iam annorum spacia defecisset: Quantū peruersus, tantum peruersa locutus. Sed quid respondendum est eis, qui nihil volunt Deum posse, nisi quod possunt: nihil scire, nisi quod sciūt: nihil agere, nisi quod agunt? Quid respōdebitur eis, qui æternæ sapientię altitudinem, qui diuinæ virtutis omnipotentiam sic coartare nitūtur, vt si eis assensus præbeatur, sapientia Dei & omnipotentia pereunte, Deus iam Deus esse nō possit? Quid dicetur surdis, & audire nolentibus per Prophetam clamantem: Quis cognouit sensum Domini, aut quis consiliarius eius fuit? & in alio loco. Quæ est via sapientiæ, aut quis locus intelligentiæ? abscondita est ab oculis omnium viuētium. Et alius, Quis transfretauit mare, & adduxit eam, & attulit super aurum electum? Nonne à mari vsque ad mare, ab ortu solis, vsque ad occasum, totus mundus insonat. Omnia quæcunque voluit Dominus fecit in cœlo, & in terra, in mari, & in omnibus abyssis? Et quis vniuersa enumeret? Sed aspice teipsum quicunque supernis miraculis non credis, o homo, attende prius sapientiam, & virtutem tuam, & demum incipe pēsare diuinam. Certè gradus faciens in creaturis suis Deus, & alias alijs pręferēs, alias alijs subdēs omnem tibi corpoream creaturam subdidit, & ratione, quod nulli corporeæ substantiæ præstiterat insigniuit. Vnde virtute pluri mas, sapientia vniuersas exuperas. Quantis enim repentibus volucribus, quadrupedibus, porēcia superior sis agnoscis. Quòd terrenis omnibus scientia antecellas, non dubitas. Prælatus es ergo mundo, sed prælatus est tibi conditor mundi. Prælatus est tibi sapientia. Prælatus est tibi potentia. Sapientia: quia tua maximis angustijs coartatur: illius vero, attingit à fine vsque ad finem fortiter, & disponit omnia suauiter. Potentia, quia tua quotidie, & multiformiter succumbit: illius (vt dictū est) quæcunque voluit fecit.

Dem⁹ deū aliq̄d posse, & nos inuestigare non posse, ait D. Aug.

Esaiæ 40.

Iob 28.

Baruch. 3.

Ps. 134.

Homo cęteris præstat, homini Deus.

Sapien. 9.

Hæreticos impiè scrutari, quomodo hæc fiant. Cap. 13.

ESTO ergo Deo tuo, quod est iumentum tuum tibi: Non nititur illud perscrutari secreta tua: non coneris temerare arcana Dei tui. Nescit illud quomodo disponas iter, qualiter ordines bellum, quos primos, quos medios, quos vltimos in certamine constituas, quo consilio post multum sanguinem paci adquiescas, quomodo rei familiari, domui, coniugi, natis, familiæ, ne egeant prouideas. Et vt maiora (quia sic res postulat) aggrediar, ignorat quo tempore semina seri, quo sata & aucta meti debeant: quo vites plantari, quo putari, & purgari debeāt: quid ver ætas, autumnus, & hyems inuicē commune, quid proprium habeant. Non aduertit, qualiter mentis viuacitate non tantum terrena, sed & cęlestia comprehendas. Lunæ, Solis, Mercurij, Veneris, Martis, Iouis, Saturni, quæ sunt antiquæ superstitionis vocabula, aliorumque syderum curius, loca, tempora distinguas: annorum, mensium, dierum, horarum, particularum, punctorum quantitates, & spacia diiudices: qualiter calore, frigore, humore, siccitate vel dilatēt, vel contrahant, vel humectent, vel deficcent: res humanas, rationis subtilitate discernas. Non disputat de cogitationibus tuis, non de verbis tuis, nō de operibus tuis. Iudicat non intellectu, sed natura aliquid tibi concessum esse, quod ipsi penetrare non liceat. Et idcirco quamuis nihil horū intelligat, non murmurat, non recalcitrat, non sibi vniuersa pandi ratione expostulat: sed tibi domino obediens imperanti, absque quæstione his quæ iubentur obtemperat. Docet (vt de vilioribus loquar animalibus) Asinus tuus quid te velit facere dominus Deus tuus: cuius si secretape netrare volueris, eius iumentum esse non poteris, de quo psalmus. Vt iumentū factus sum apud te. Serua ergo Deo tuo, quod tibi vis seruari ab Asino tuo: neque altiora te quæsieris, vel fortiora te perscrutatus fueris: sed ea cogita semper, q̄ Deus præcipit, & in multis operibus eius ne fueris curiosus. Et sicut idem Salomon ait: Comede mel quod sufficit: ne forte satiatus euomas illud, quia secundum eundem: Qui scrutator est maiestatis, opprimetur à gloria. Itemq; Auerte oculos tuos à me, quia ipsi me auolare fecerunt. Et iuxta Dauid: Accedet homo ad cor altū, & exaltabitur Deus. Hæc omnia maiestati Dei superbiam tuam, sapientiæ Dei stultitiam tuam, virtuti Dei infirmitatem tuam (vt dignum est) subijciunt: neque aliquid cōtra ipsum stultum loqui vel non audendum audere permittunt.

Nota contra curiosos scrutatores.

Facit Deo ꝙ tibi facere vis asinum tuum.

Ecclę. 3.

Proue. 25.

Cant. 5.

Psal. 61.

Transubstantiationem variis probari exemplis Scripturæ et naturæ. Cap. 14.

SEd licet auctoritatibus, & ratione obstructū iam debeat esse os loquentium iniqua, ne insipientiam vel imbecillitatem creaturæ, creatoris sapientiæ, vel virtuti audeant comparare: subijciantur tamen exempla, (quibus si omnino bestiæ aut impij non sunt) eorum non solùm auribus, sed & oculis satisfiat. Vide igitur qui squis in Sacramento Ecclesiæ panem in Christi carnē, vinum in eius mutari sanguinem, aut non credis, aut dubitas: quia vel de voluntate eius, vel de potentia, vel de vtroq; diffidis. Nulla enim res alia te, vel ad non credendum vel dubitandū impellit. Aut enim voluit, & non potuit; aut potuit, & non voluit; aut neque voluit, neq; potuit. Sed quod voluerit. si Euangelio credis, dubitare non potes. Nam in sui memoriam hoc fieri nō præciperet, si hoc fieri noluisset. Quod vero potuerit, si Prophetæ credis, certum tenebis. Nam si omnia quæcunque voluit fecit: vtique & hoc, quia

Psal. 62.

Ratio inuicta pro trā substantiatione.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Ps.113. quia voluit, fecit. Voluit ergo, & potuit, vt panis in carnem suam: & vinum conuertatur in sanguinem suum. Et quia voluit, & potuit: idcirco & fecit. Si enim Deus omnipotens est, & Christus Deus est, sequitur, quia ad conuertendum panē in corpus suum, & vinum in sanguinē suum, omnimodè, sicut & ad vniuersa, potens est. Et, quamuis omnipotentia Dei cūcta hostilia munimēta dissoluat: sequantur tamen (vt dictum est) exempla, quibus etiam brutę pecudes adquiescere cogantur. Quid inquā dicis, qui veritati tā lucidæ contradicis? Nē credo, ait ille: dubito, dicit iste: quod panis altaris in carnem, vinum conuertatur in Christi sanguinē, quia alterius generis substantiam, in alterius substantiæ genus conuerti, mihi nouum atq; insolitum est. Nouum, quia nunquam factum est: Insolitum, quia nunquam visum est. Si recolere, inquam, volueris præcedē tia tempora, quod dixisti nouū, vetus esse, repe- ries, & quod dixisti insolitum, vsitatum esse cognosces. Relege (vt ait Ambrosius) virgā Moysi mutatam in serpentē: Recole aquas Aegyptias mutatas in sanguinem, & si cognoueris diuersas substantias serpentis & virgę, aquarū & sanguinis, ab opinione malè cōcepta resipisce. Nec poteris dicere magica illa fuisse figmenta, quia nec Deus erat, vt magister magicarum artiū Satanas: nec Moyses, vt Iamnes & Mambres: Licet enim illi Dracones fecerint, aquas mutauerint, muscas maiores produxerint, ad minores tamen muscas, hoc est Ciniphes, deficientes dixerūt, Digitus Dei est hic. Non enim quæ faciebant, vera erant, sed phantastica, quia non res veras, sed earum imagines humanis oculis potentia magica ingerentes, hominibus imperitis, & infidelibus illudebant. Quæ verò per Moysen à Deo fiebāt, non falsa erant, sed vera: nō imaginaria, sed realia: quoniam, & ab auctore veritatis veracia, & à patre mendacij mendacia signa fieri oportebat. Idcirco, & falsus anguis, & falsus sanguis magorum fuit: & verus serpens, & verus cruor à Moyse de virga, & flumine mutatus extitit. Recole & saluatoris illud primum & singulare, totiq; mūdo notissimum miraculum, quo aquas in vinum non phantasticū, sed verū & bonum mutauit, teste Architriclino, qui dixit sponso. Seruasti vinū bonū vsq; adhuc. Huius generis miraculis, veteris ac noui testamenti initia, omnipotētis prouidentia ideo insigniuit, vt contra vtriusq; legis maiestatē se agere cognosceret, quisquis res in res, hoc est, substantias in substantias, virtute diuina posse mutari, negaret. Post Moysi & Christi tam solennia, & nota miracula, perhibeat mūdus ipse testimoniū veritati, & ad hoc ostendendū, niues & grandines, nubes & elementa producat. Arguat incredulos, & iā eos non auribus credere, sed oculis cernere dubitata cōpellat. Ostēdat alia atq; alia ex alijs multimodè, & multiformiter assiduè creari: imo ex creatis in alias, & alias creaturas mutari. Doceat aeriam puritatem quotidie in nubium crassitudinem dēsari, nubes ipsas penè assiduè defluere in imbres, mollescere in niues, durari in grandines, flāmari in ignes & in his omnibus, diuersas ex substantijs substitā tias, varias ex speciebus species, non tantū videntibus ad cernendū, sed etiam cæcis ad palpandū creari. Descendat hinc de cælis ad terrā curiosus oculus, & miracula quotidiana quæ nō miratur, obstupescat. Videat quàm sit stulta incredulitas, quàm cæca dubitatio: vel nō credere, vel dubitare panē in Christi carnē, vinū mutari in eius sanguinem virtute diuina: cum per eandē multa sæpe cōmutentur in aliud, in rerū natura. Nonne Coralius lapis de ligno fit lapis, cum diuersa sit substantia ligni & lapidis? Nonne Reguli pulueres æs in aurum mutatur, quæ duo licet in metalli nomine conueniant, in natura tamē valde disparia sunt? Nonne phœnix quingentorum anno rum (vt dicitur) auis, inter aromata succensa moriens de solo puluere reuiuiscit, cum alia puluеris, alia iā sit substantia auis? Et ne forte ista inusitata vel incognita sibi esse causetur, attēdat vsitatissima & quotidiana, & sic etiā si negligenter attēderit, dubitare cessabit. Et vt melius suis manibus, quàm alienis operib⁹ adquiescat de sęno, vel silice arte notissima diuersissimę naturæ vitrū conficiat: sicq; (vt sic dicā) nō diuina, sed sua miracula admiretur: Cernat liquidissimū & fluidū aquæ elementū, brumali apud nos: omni autē tēpore apud Noricos & Scythas, in glacialē testā tenacissimē cōgelari: in Alpibus etiam, & multis terrarum partibus vsq; adeo obdurari, vt de aqua lapis fiat, & Crystallus dicatur: quæ est glacies multos durata per annos. Consideret de eodē Crystallo, vel vase vitreo, & perspicuo, aqua repleto, cū solis radio apponitur, contra cōplexiones elementorū, ignē exire. Cum Crystallus frigidus & siccus, aqua (quod plus est) frigida & humida: ignis calidus & siccus esse probetur. Intueatur ipsum simul orbē terrarū: qualiter de hoc informi & infimo terræ elemēto tā diuersa in substantijs, varia in qualitatibus, in coloribus multiformia, in virtutibus multiplicia, iussu cōditoris assiduè procreētur, quæ si per singula cōsiderētur, victus rerū infinitate, ante cōsiderator quàm consideranda deficiēt. Sed quid ad cō probandā veritatē de pane mutatæ carnis, & de vino mutati sanguinis Christi, exemplis immorror: cū quotidie ipsum de quo agitur, panē in humanā carnē conuerti, vinum in humanū sanguinē mutari videā: itaq; hoc manifestum sit, vt ad hoc asserendū non fidē cōsulere, sed oculos aperire necesse sit? Testis est mundus, testis est omnis homo maximè, cum sine hac mutatione panis in carnem, & vini in sanguinem, nec vnus possit subsistere homo. Sunt quidem multi, qui absque pane, sunt item plures, qui absque vino, vitam mortalem transigunt: sed longe pauciores illis, qui semper pane, interdum vero & vino vtuntur. Idcirco propter maiorem partem, toū significare volui, cum dixi absque mutatione panis in carnem, & vini in sanguinem, nec vnum posse subsistere hominem.

Exemplis scripturæ veteris probatur posse substantiationis panis in corpus Christi. Ambro. de sacramentis lib. 4. c. 4. Et de mysterijs imitandis. c. 9. 2. Tim. 3. Exodi. 8. Magi phantastica, Moyses vera signa fecit.

Secūdo exemplo & miraculo Christi.

Ioan. 2.

Tertio exemplo mutatio ne medij interstitij aeris.

Quarto exēplo terrestriū multiplici. Ambr. Hexam. lib. 5. cap. 23.

Quinto per exemplum vitri & crystalli. Aug. in Ps. 174.

Sexto per exemplum quotidianū in homine. In quo panis in carnem mutatur.

FINIS.

RADVL-

RADVLPHI DE RIVO
DECANI TVNGRENSIS, DE CANONVM OBSERVANTIA LIBER.

PROPOSITIONVM SERIES.

1. *Vt canonicam vitam professi, in Canonicis officijs canones seruent & Canonicos bonos mores.*
2. *In rebus Ecclesiasticis auctoritas præ omnibus est sequenda.*
3. *Sanctæ matris nostræ Romanæ Ecclesiæ, & sanctorum patrum antiquæ traditiones, doctrinæ, & statuta seruentur: quia illorum transgressores grauiter puniuntur.*
4. *Cessante auctoritate, mores & instituta Maiorum sunt seruanda.*
5. *Auctoritate & vsu discrepantibus, vsus cedat auctoritati & veritati.*
6. *In Diuino officio est à nouitatibus omnimodè abstinendum.*
7. *Officium diuinum Maiorum auctoritate, non diuersorum arbitrio, regi debet.*
8. *Multorum exemplis & auctoritatibus probatur, sanctis patribus psalmos in vsu continuo fuisse, & in diuino debere officio frequentari.*
9. *Psalmi vltra alias sacras Scripturas affluenter laudationes diuinas & omnem affectum continent salutarem.*
10. *Omni Dominica octodecim, Festiuitatibus nouem Psalmi, & quoties tres lectiones & tria responsoria dicuntur, salua hebdomada Paschæ & Pentecostes, duodecim Psalmi ad noctis vigilias psallūtur: Cæteris horis secunda pars psalterij deputatur.*
11. *Nec ad vigilias noctis, nec aliàs in officio diuino legatur, nisi sacra scriptura, & aliæ scripturæ ab vniuersali Ecclesia approbatæ.*
12. *Similiter in eodem officio Cantus debet esse authenticus et approbatus.*
13. *Hymni ecclesiastici, Capitula, Orationes, in officio obseruanda, authentica esse debent.*
14. *De nocte in vigilijs, et septies in die laudes Domino sunt canendæ.*
15. *Dominici dies festiuè, feriales verò humiliter debent inofficiari.*
16. *In officio temporali obseruando Aduentus Domini, Quadragesimale, Paschale, et Quotidianum tempus specialiter denotentur.*
17. *Quolibet vsu sancti Dei sub diuerso gradu venerantur: partim ex Euangelio, partim ex Vrbe, partim ex generali consuetudine, partim ex patria atque loco.*
18. *Dies sanctorum nouem lectionum, in morem Dominicalem: trium verò lectionum, more feriali sunt inofficiandi.*
19. *Solennitates maiores aliquando officio Vigiliæ præueniuntur, aliquando per octauas extenduntur.*
20. *Officia mortuorum et Virginis gloriosæ, obligatoria sunt, et ab omnibus obseruanda.*
21. *Laudabili multorum vsu seruantur etiam certis temporibus alia particularia officia, vt Psalmorum Pœnitentialium, et Gradualium, et in Quadragesima totus psalterij, et si qua sunt plura.*
22. *Ordo sanctæ Romanæ Ecclesiæ non ex vsu Fratrum Minorum, sed ex sacris Canonibus, scripturis authenticis, libris nostris antiquis, generaliq ue et locorum proportionali consuetudine colligatur.*
23. *Sanctarum Missarum Officia Romanæ Ecclesiæ suis Dominicis et sanctorum diebus fideliter obseruentur, et in illis patrum traditiones humiliter custodiantur.*

PROPOSITIO I.

Vt Canonicam vitam professi, in Canonicis officijs canones seruent et canonicos bonos mores.

RElegiosis patrib⁹ Dominis, Prioride Vuindeshē, & suis Conprioribus, Fratribusq; ordinis S. Augustini diœcesis Traiecten. aptum, modū viuendi ad ambulādum in via Dei, in qua alius sic, alius sic ibat.

Apostolus veritatis, primæ ad Corinthios decimoquarto, in fine scribit: Omnia honestè & secundum ordinem fiant à vobis. Honestum propter se est eligibile, vt dicitur primo Rhetoricæ. Et secundum B. Augustinum, Honestum sua dignitate nos allicit, & vtilitate trahit. Et vt dicit B. Augustinus libro de natura boni, cap. 3. Omnia quanto magis moderata & ordinata sunt, tā to magis vtique bona sunt: Quanto autem minus moderata, minus speciosa, minus ordinata sunt, tanto minus bona sunt. Et libro de vera religione, capite vigesimoquinto: Nihil est ordinatum, quod non sit pulchrum. Et sic ait Apostolus, Omnis ordo à Deo est. Et beatus Bernardus in quibusdam dictis: Discretio omni virtuti ordinem ponit, ordo modum tribuit & decorem & perpetuitatem. In præmissis igitur verbis admonemur, in agendis reproba fugere, digna & vtilia quærere, & quæsita secundum suum ordinem custodire. Nam qui ordinem agēdorum in Dei obedientia non custodit, agenda perturbat, & in periculum peccati se ponit. Si igitur in omnibus actibus nostris custodire tenemur honestatem & ordinem, incomparabiliter magis honestè, & secundum debitum ordinem ea, in quibus Deo obligamur, facienda sunt: vt in illis honesta, digna & approbata, non apocrypha, dubia vel reproba admittamus, & ordo in omnibus approbatus teneatur, vtq; nec plus, nec minus, quàm oportet, obseruetur. Charissimi, si sacri Canones ecclesiastici, prout à sanctis patribus

Universidad de Deusto
Biblioteca

bus sunt instituti, & illis cessantibus, tam locorũ ordinis vestri, quàm cæterarum religionum canonici boni mores, omissis secularibus vsibus, in locis partium vestrarum, in quibus nunc Religio reuirescere incipit, acceptarentur, omnia honestè & secundum ordinem fierent à vobis, & apud vos nulla diuersitas, nulla varietas seu discrepantia in diuinis Officijs & cæteris obseruan cijs regularibus ad loca alia appareret. Omnia enim legenda, cantanda, & in diuino Officio seruanda, ex Canonicis Scripturis, Maiorumq; statutis, ac vestræ & cæterarum Religionum vsibus generalibus, diu ante sunt præscripta: ita vt Deo militantes, opus non habeant secularibus negocijs implicari. Sed quia non id quod traditum est, sed quod ex secularibus quibusdam Ecclesijs vsum fuerit, tenendum æstimatis, antiquæ Traditiones humana præsumptione corrumpũ tur, ordo rei perturbatur, regula vestra offenditur, & inter confratres qui sunt in Brabantia, & inter vos & diuersa & varia sine causa in ecclesijs celebrantur. Hanc igitur diuini & Canonici Officij diuersitatem, in vnam concordiam honestè & secundum ordinem, & secundum præceptum regulæ vestræ infra ponendum affectans deduci, & dudum in partibus, & deindè Romæ plura ex diuersis ecclesijs & libris scriptitaui, proponens omnia in vnum fasciculum, postquã Romę scriptitata, quæ adhuc sunt in via, recepero, colligare. Ex paucis tamen, quæ mecum detuli, & alijs scripturis, modò charitati vestræ aliqua offero, ante quam regiones ad messem albæ fiant, super imperfectis veniam humiliter postulans & deuotè.

Propos. 7.

A

B

PROPOSITIO II.

In rebus Ecclesiasticis auctoritas præ omnibus est sequenda.

C

Fidẽ facit. Catholica enim auctoritas * valet ad fidem ecclesię. Vndè B. Augustinus in libro cõtra Manichæos, & ponitur vndecima distinctione, Palàm est, quod in re dubia, ad fidem & certitudinem valet Catholicæ Ecclesiæ auctoritas, quæ ab ipsis fundatissimis sedibus Apostolorum vsque ad hodiernum diem succedentium sibi episcoporum serie, & tot populorum consensione firmatur. Regitur enim ecclesia auctoritate, Traditione generali, & speciali. Vndè Augustinus libro de fide Christiana, & ponitur eadem distinctione, Catholica Ecclesia per orbẽ diffusa tribus modis probatur existere. Quicquid enim in ea tenetur, aut auctoritas est scripturarum, aut * traditio Maiorum vniuersalis, aut certè propria & particularis * constitutio: Sed auctoritate tota constringitur: vniuersali traditione Maiorum nihilominus tota: Priuatis verò constitutionibus & proprijs informationibus vna quæq; pro locorum varietate, prout cuique visum est, subsistit & regitur. Et idem Augustinus alio loco dicit: Euangelio non crederem, nisi me commoueret Catholicæ Ecclesiæ auctoritas. Extra hæc autem introducta, resecari debent. Vndè idem doctor, cuius doctrina tota Catholica fulget Ecclesia, ad inquisitiones Ianuarij de diuersis moribus ecclesię, lib. 1. scribit, & ponitur 12. distinctione: Omnia talia, quæ neque sanctarum scripturarum auctoritatibus continentur, nec in Concilijs episcoporum statuta inueniuntur, nec consuetudine vniuersalis Ecclesiæ roborata sunt, sed diuersorũ locorũ diuersis moribus innumerabiliter variantur, ita vt vix, aut nunquã omninò inueniri possint causæ, quas in eis constituendis homines secuti sint, vbi facultas tribuitur, sine vlla dubitatione rescanda existimo. Quamuis enim neque hæc inueniri possit, quomodo contra fidem sint, ipsam tamen religionem, quam misericordia Dei paucissimis & manifestissimis celebrationum sacramentis voluit esse liberam, seruilibus oneribus adeò præmunt, vt tolerabilior sit conditio Iudæorũ, qui etiamsi tempus libertatis non cognouerunt, legalibus tamen Sacramentis, non præsumptionibus humanis, subijciuntur. Ex qua auctoritate notandum, quòd in officio Ecclesiastico, cæteris paribus, sunt seruanda faciliora & breuiora, præsertim in congregationibus pauciorum.

Epist. 119. cap. 19.

Augu. lib. 11. cap. 2. cõtra Faustum Manichęum.

Et hęc auctoritas ecclesiæ potest esse ex tribus, vt tradit idẽ August.
* traditio vniuersalis
*institutio
*instructio

D

E

PROPOSITIO III.

Sanctæ matris nostræ Romanæ Ecclesiæ, et sanctorum Patrum antiquæ Traditiones, doctrinæ, et statuta seruentur, quia illorum transgressores grauiter puniuntur.

ENimuerò quia in speculum & exemplum sancta & Romana Ecclesia, cui Christus sanctũ Petrum & eius successores præesse voluit, posita est: ideò ab omnibus quicquid statuit, quicquid ordinauit, perpetuo & irrefragabiliter obseruandum est, decimanona distinctione, Enimuerò. Vnde S. Calistus Papa scribit omnibus episcopis, & ponitur duodecima distinct. Non decet à capite membra discedere, sed iuxta scripturę testimonium: omnia membra caput sequantur. Nulli verò dubium est, quòd Apostolica ecclesia mater sit omnium ecclesiarum, à cuius vos regulis nullatenus conuenit deuiare: Et sicut filius venit facere voluntatem Patris, sic & vos implete voluntatem matris vestræ, quæ est Ecclesia, cuius caput, vt prædictũ est, Roma na Ecclesia existit. Et capite sequẽti ad idem B. Gregorius: Præceptis Apostolicis non dura superbia resistatur, sed per obedientiam quæ à sancta Romana Ecclesia & Apostolica auctoritate iussa sunt, salutiferè impleantur, si eiusdem sanctæ Ecclesiæ Dei, quæ est caput vestrum, cõmunionem habere desideratis. Et B. Leo Papa, Hoc vestrę indicimus charitati, vt ab Apostolicis institutis, nullo vlterius recedatis excessu: quia inultum esse non poterit, si quisquam Apostolicas Regulas in aliquo crediderit negligendas, 11. distinctione, Hoc vestræ. Et B. Gelasius ait,

Dist. 19. cẽ Enimuerò

Decreta

Decreta venerabilium sanctionum, nos quoque magnoperè custodire nitimur. Et infra, Cum sedes Apostolica superior his omnibus fauente Domino, quæ paternis canonibus sunt præfixa, pio deuotoque studeat tenere proposito, satis in dignum est quemquam vel Pontificum, vel Ordinum subsequentium, hanc obseruationem refutare, quam B. Petri sedem & sequi videat, & docere. Satisque conueniens sit, vt totum corpus Ecclesiæ in hac sibimet obseruatione concordet, quam illic vigere conspiciat, vbi Dominus Ecclesiæ totius posuit principatum: de consec. dist. 1. Basilicas. Idem habetur vndecima distinctione, Nolite. Et B. Gregorius dicit, Ecclesiasticæ moderationi omninò est conueniẽs, vt quę ordinata fuerint, vel decisa, nulla in posterum debeant refragatione turbari, 25. dist. quæst 2. Ecclesiasticæ. Et Iulius Papa dicit, Ea quæ sunt ab Apostolis, eorumque successoribus instituta, nulla desidia negligãtur, nulla * discessione violentur, nulla concertatione turbentur. eadem quæstione, c. Amputato. Et Leo Papa, Ius traditæ nobis antiquitus dignitatis, inte meratum haberi debet, ità vt à regulis præstitutis, nulla aut negligentia, aut præsumptione discedere liceat, 25. quæst. 2. Igitur. Et Leo I. II. dicit, ideò permittente Domino, Pastores sumus effecti, vt quod Patres nostri siue in sanctis Canonibus, siue in mundanis affixere legibus, excedere minimè debeamus. Contra eorum quippè saluberrima agimus instituta, si quod ipsi diuino statuerunt consilio, intactum non seruamus, 25. quæstione 1. Ideò. Et Leo Papa dicit, Quòd sanctorum patrum canones spiritu Dei conditi sunt, & totius mundi reuerentia cõsecrati, 25. quæst. 2. Igitur. Quia vt dicit sanctus Agatho Papa, Omnes Apostolicæ sedis sanctiones ità accipiendæ sunt, tamquam diuina voce B. Petri firmatæ. 19. dist. Sic omnes. Et sicut dicit B. August. lib. 3. confessionum, propè finem, & ponitur 8. distinctione, Quæ contra mores. Quando Deus aliquid contra morem aut pactũ quorumlibet iubet, quamuis nunquàm ibi factum fit, tamen faciendum est. Et si omissum sit, instaurandum est. Et si statutum non erat, instituendum est. Quia si hoc licet Regi in sua ciuitate quanto magis Deo regnatori vniuersæ creaturæ fuæ ad ea, quæ iusserit, sine dubitatione seruiendum est? Et B. Bernardus in libro de præcepto & dispensatione: Ait siquidem Papa Gelasius: Vbi necessitas non est, immutabilia maneãt sanctorum Patrum decreta. Leo quoque Papa, Vbi necessitas non est, nullo modo violentur sanctorum Patrum constituta. Et infra: Vbi ergò necessitas fuerit ad vtilitatem Ecclesiæ, qui potestatẽ habet, ea dispẽset. Ex necessitate enim fit dispensatio legis. Transgressores autem sanctorum Canonum valdè puniuntur: quia dignum est, vt seueritatem ecclesiasticæ disciplinæ sentiat, qui salubriter à sanctis Patribus instituta contemnit, 55. distinct. Nullus, in fine. Nec alicui fas fit, sinè sui status periculo, vel diuinas cõstitutiones, vel Apostolicæ sedis decreta temerare. 25. q. 1. Nulli. Et si quis in illa commiserit, veniam sibi honoris deinceps nouerit denegari. eadem, q. c. Omnia. Et qui sacris obedire Canonibus nescit, nec sacris ministrare altaribus, nec communionem accipere sit dignus. e. q. c. Hac consona. Et ab Adriano Papa constitutum est, vt execrandum anathema fiat, & velut præuaricator fidei Catholicę semper apud Deum reus existat, quicunque deinceps Romanorum Pontificum decreta in quoquam crediderit violanda. Nam vt beatus Gregorius scribit Bonifacio defensori, Nimis est asperum, & præcipuè bonis sacerdotum moribus inimicum, niti quempiã quantacunque rationis excusatione, quæ benè sunt ordinata rescindere, & exemplo docere suo cæteros sua quandoque posse constituta dissoluere, 25. q. 11. Institutionis. Et Stephanus Papa scribit, Reum quippè ante conspectum diuini iudicis se nouerit esse, qui nititur vtiliter diffinita rescindere, aut ausu quolibet violare, 35. q. 9. c. Loci. Et iterum B. Gregorius dicit, Sit ergò ruinæ suæ dolore prostratus, quisquis Apostolicis voluerit contraire decretis; nec locum deinceps inter sacerdotes habeat, sed extorris à sancto fiat ministerio, nec de eius iudicio quisquã postea curam habeat. Quoniam iam damnatus à sancta & Apostolica Ecclesia pro inobedientia atque præsumptione, à quoquam esse nõ dubitatur. 19. dist. Nulli. & sanctus Damasus Papa ait, & ponitur 25. q. 1. Violatores Canonum voluntarij grauiter à sanctis Patribus iudicantur: & à sancto spiritu, cuius instinctu ac dono dictati sunt, damnantur. Quoniam blasphemare Spiritum sanctum nõ incogruè videntur, qui contra eosdem sacros Canones non necessitate compulsi, sed libenter, vt præmissum est, aliquid aut proteruè agunt, aut loqui præsumunt, aut facere volentibus sponte consentiunt. Talis enim præsumptio manifestè vnum genus est blasphemantium Spiritum sanctum: quoniam, vt iam prælibatum est, contra eum agitur, cuius nisu & graria sancti Canones editi sunt. Et beatus Bernardus vbi supra: In quo inobedientię crimen absque dubio sit, apud Samuelẽ aduertite. Qua- 1. Reg. 15. si, inquit, peccatum ariolandi est, repugnare: & quasi scelus idololatriæ, nolle acquiescere. Non ait, Non acquiescere: sed, Nolle acquiescere: Vt non mandati simplex ipsa transgressio, sed voluntatis superba cõtentio, scelus idololatriæ reputetur. Non enim idem est, Nolle obedire; & Non obedire. Hoc quippè interdum erroris est, Nonnunquã & infirmitatis: illud verò aut odiosæ pertinaciæ, aut cõtumaciæ nõ ferendæ: Quòd & ipsum repugnare, est resistere Spiritui sancto. Et si ad mortem vsq; perdurauerit, blasphemia est, non remittenda siue in hoc seculo, siue in futuro. Non ergò qualiscunque mandati præteritio criminalem facit inobedientiam: sed repugnare, & nolle obedire, secundum beatum Bernardum. Ista maximè hinc collegi propter sanctum Canonem, In die, infra propositione x.

A

B

C

D

E

præ-

Universidad de Deusto
Biblioteca

prædicandum; cuius contemptus & contrarius vsus, mortale periculum non euadunt.

PROPOSITIO IIII.

Cessante auctoritate, Mores & instituta Maiorum sunt seruanda.

MOs enim antiquus perdurare debet, 65. distinct. Mos antiquus. & vetusta traditio semper obtinuit, vt in casu. Vndè Augustinus ad Casulanum episcopum, & ponitur in dicta epistola, & vndecima distinct. In ijs rebus, de quibus nihil certi statuit diuina scriptura, mos populi & instituta Maiorum pro lege sunt seruanda. Et sicut Præuaricatores Legũ Diuinarum, ita & Contemptores consuetudinũ Ecclesiasticarum coercendi sunt. Ad idem B. Gregorius 12. distinct. Scit S. Romana ecclesia, quòd nihil obsunt saluti credentium, diuersæ pro loco & tempore consuetudines, si illis Canonica non obsistat auctoritas, pro qua eis obtemperare debeamus. Vndè nihil iudicamus eis debere vel posse resistere. Et idem sanctus Papa, B. Augustino Anglorum episcopo scribit, & ponitur 12. distin. Nouit fraternitas tua Romanæ Ecclesiæ consuetudinem, in qua meminit se esse nutritam. Sed mihi placet, vt siue in Romana Ecclesia, siue Galliarum, siue in qualibet Ecclesia inueneris, quod plus Omnipotenti Deo possit placere, solicitè eligas, & in Anglorum Ecclesia, quæ adhuc in fide *nouella est, in constitutione præcipua, quę de multis Ecclesijs colligere potueris, infundas. Non enim pro locis res, sed pro rebus loca amanda sunt. Ex singulis ergò quibuscunque ecclesijs, quæ pia, quæ religiosa, quæ recta sunt, eligе. Et hæc quasi in fasciculum collecta, apud Anglorum mentes in consuetudinem depone. Hæc ille. Non videtur ergò beati Gregorij fuisse consilium, vt voluntariè per priuilegium ad vnam arctaremur Ecclesiam secularem in horis Canonicis obseruandis.

*noua

PROPOSITIO V.

Auctoritate et vsu discrepantibus, vsus cedat *Veritati.

Vndè beatus Isidorus in synonymis, & ponitur 11. distinctione, cap. 1. Vsus auctoritati cedat: prauum vsum lex & ratio vincat. Et Nicolaus Papa Michaeli Imperatori eadem distinct. cap. 2. Consequens est, vt quod ab huius sedis Rectoribus plena auctoritate sancitur, nullius consuetudinis impediente occasione, proprias tantummodò sequendo voluntates, remoueatur, sed firmius atque inconcussè teneatur. Et Cod. quæ sint long. cõsue. lib. 21 Canonizata eadem distinctione, Consuetudinis vsusque longæui non vilis auctoritas est, verùm non vsque est sui valitura momento, vt aut rationem vincat, aut legem scriptam. Et beatus Augustinus lib. 2. de vnico baptismo, & ponitur octaua distinct. Veritate manifesta, cedat consuetudo Veritati. Item, Nemo consuetudinem rationi & veritati præponat: quia consuetudinẽ ratio & veritas semper excludit. Et beatus Augustinus in libro de baptismo paruulorũ, & ponitur ead. distinct. c. Qui contempto, Dominus in Euangelio inquit: Ego sum veritas. Non dixit, Ego sum consuetudo. Itaque veritate manifesta, cedat consuetudo veritati. Reuelatione igitur facta veritatis, cedat consuetudo veritati. Quia & Petrus qui circuncidebat, cessit Paulo Veritatem prædicanti. Igitur, cùm Christus Veritas sit, magis veritatem, quàm consuetudinem, sequi debemus, quia consuetudinem ratio & veritas semper excludit. Et beatus Cyprianus ead. distinct. Si solus Christus audiendus est, non debemus attendere, quid alius ante nos faciendum putauerit, sed quid, qui ante nos est, Christus prior fecerit. Neque enim hominis consuetudinem sequi oportet, sed Dei veritatem, cùm per Esaiam Prophetam loquatur Deus, & dicat: Sine causa colunt me, mandata & doctrinas hominum docentes, Esa. 29. Item Marci 7. In vanum colunt me, docentes præcepta & doctrinas hominum. Relinquentes enim mandata Dei, tenetis Traditiones hominum. Et sequitur, Vndè irritum feciſtis præceptum Dei, vt Traditiones hominum seruetis.

Ioan. 14.

Esa. 29.

al. * auctoritati & veritati.

PROPOSITIO VI.

In diuino officio est à nouitatibus omnimodò abstinendum.

DEpositum custodi, deuitãs prophanas vocum nouitates, prima ad Timotheum cap. vlt. in fine. Depositum est, quod custodiendum alicui datum est, dictum ex eo quod ponitur. Præpositio enim, de, auget depositum: vt ostẽdat, totum fidei eius commissum, quod ad custodiam rei pertinet. ff. depo. l. 1. in prin. Cũ ergò sacri Canones sint custodiendi, extrà de const. c. 1. apud vos tamen qui ab illis Græcè Canonicorum & Latinè Regulariũ nomen vendicastis, à sancta Romana Ecclesia specialiter depositi sunt, non tradentis, sed recipientiũ gratia. Igitur custodite sacri Canonis depositum, quod vos ad exactissimam custodiam obligat, & cuius ratione tenemini de leui culpa. Prophanæ verò vocum nouitates hic accipiantur noui cantus, nouæ historiæ, nouæ lectiones, vel orationes, & cætera huiusmodi noua, quæ Patres nostri non coluerunt, de quibus infrà latius proponetur. Hæ prophanæ vocum nouitates secundũ Apostolum sunt deuitandæ: quia in rebus nouis constituendis, euidens debet esse vtilitas, vt recedatur ab eo, quod diù æquum visum est. ff. de cõstitutione Princ. l. In rebus. Nouitates enim sine causa inducendæ non sunt, quia mutationes sunt periculosę, & reprehenduntur qui nouitates inducunt, 11. dist. Quis nesciat. Et contra Ecclesiæ ritum præsumpta nouitas, mater est temeritatis, soror superstitionis, & filia leuitatis, secundum B. Bernardum in epist. ad Canonicos Lugdunen. Vndè Augustinus, & ponitur in epistola superius allegata. Ipsa quippè mutatio cõsuetudinis, etiam quæ vtilitate adiuuat, nouitate perturbat. Et Nicolaus Papa inter cætera sic scribit Hincmaro Rhemensi Archiepiscopo, & ponitur 12. dist. Ridiculum est & satis abominabile dedecus, vt Traditiones, quas antiquitus à Patribus suscepimus, infringi patiamur. Et beatus Maximus in quodam sermone de Martyribus: Magni itaque periculi res est, si post Prophetarum oracula, post Apostolorum testimonia, post Martyrum vulnera, veterem fidem tãquam nouellã, discutere præsumas, & post Martyrum sudores, ociosa disputatione de veritate Religionis contendas. Et Zosimus Papa, Narbonensibus, & ponitur vigesimaquinta, quæstione prima: Contra statuta patrum condere aliquid vel mutare, nec huius quidem sedis potest auctoritas. Apud nos enim inconuulsis radicibus viuit antiquitas, cui decreta Patrum sanxerunt reuerentiam. Et B. Gregorius Maurentio Magistro pro causa Theodori: Graue nimis est, inquit, contra veterum vsum sacerdotes sibi quicquam arripere. Idem, Omnia quæ vsus antiquitatis statuit, intemerata seruentur. Et Leo IIII. scribit Iudici Sardiniæ: Nec mos, nec nouiter introducta consuetudo nostræ Ecclesiæ, nostris Prædecessoribus fuit, contra statuta canonum noua vel inusitata præsumere. Et beatus Gregorius Felici episcopo, & ponitur vigesimaquinta, quæstione secunda: Si ea destruerem, quæ antecessores nostri statuerunt, non constructor, sed euersor esse iustè probarer, testante Veritatis voce, quæ ait: Omne regnum in se diuisum, non stabit: & omnis scientia & lex aduersum se diuisa, destruetur. Et idem sanctus Papa ait: Absit hoc à me, vt statuta maiorum cũ sacerdotibus meis in qualibet Ecclesia infringam. Mihi iniuriam facio, si fratrum meorũ iura perturbo, ead. quęst. Quòd verò infideles etiam & pagani immutationes antiqui cultus similiter non admittebãt, qui legata ad modos illicitos & insuetos conuenti statuerunt in modos licitos & honestos, vt in lege ciuili ff. de vsufru. lega. l. Legatum, quæ dicit, Legatum ciuitati relictum est, vt ex redditibus singulis annis in ea ciuitate memoriæ conseruãdæ defuncti gratia spectaculum celebretur, quod illis celebrare non licet. Quæro quid de legato existimes? Modestinus respondit, Cum testator spectaculũ coli voluerit in ciuitate: sed tale quid ibi celebrare non liceat, iniquum esse hanc quãtitatem, quam in spectaculum defunctus ordinauit, in lucro hæredum cedere. Ergò adhibitis hæredibus & Primoribus ciuitatis, dispiciendum est, in quam rem conuerti debeat fidei commissum, vt memoria Testatorum alio & licito genere celebretur. Hæc secularis lex confundit nostrates, qui noua festa componunt, quæ in præiuditium temporalis officij non est licitũ obseruare.

Luc. 11.

PROPOSITIO VII.

Officium ergò diuinum Maiorum auctoritate, non diuersorum arbitrio, regi debet.

HAec propositio concluditur ex præmissis, & in speciali traditur in regula Canonicorum, vbi sic dicitur. Et nolite cãtare, nisi quod legitis esse cantandum. Quod autem non ita scriptum est, vt cantetur, non cantetur. Vbi venerabilis Hugo de sancto Victore in expositione regulæ sic dicit: Non enim decet, vt cantus & vsus ecclesiasticus fieri debeat secundũ arbitrium diuersorum, sed firmiter seruandus est secundum scripta & instituta Maiorum, Similiter cæteræ consuetudines monasterij cum auctoritate & discretione ordinandæ sunt. Si quid autem mutari oportet aut constitui, non debet hoc citò aut leuiter fieri, nec arbitrio tantũ duorum aut trium, sed conuocatis fratribus, sicut sanior pars canonicæ congregationis decreuerit, ordinandum est. Et notandum, quòd in omnibus auctoritas ecclesiastica magis imitanda est, quàm ratio: Quoniam auctoritas semper obedientiæ & humilitatis, ratio nonnunquam præsumptionis. Hoc autem seruandum est in ordine, vt semper maturitas & grauitas teneatur. Nũquid leuitate vsus sum, inquit Apostolus secundæ ad Corinthios primo capite propè finem, vt apud me sit, Est, & Non? Honestum quippe & religiosum, non facilè quicquam aut leuiter variare. Et 11. distinctione dicit Iulius Papa: Nolite errare fratres mei, doctrinis varijs & extraneis nolite abduci, & instituta Apostolorum & Apostolicorum virorum, Canonesque habeatis: & contra Apostoli voluntatem nolite circunferri omni vento doctrinæ, duodecima distinct. cap. de his. Gelasius Papa secundus in quadam epistola ad fratres Regulares Canonicos, præcipit vt officiorum celebrationes apud eos iuxta omnem Catholicæ Ecclesiæ consuetudinem celebrentur. Cum Norbertus nouam quandam religionem Canonicorum sub regula B. Augustini instituisset, G. Magalonensis Ecclesiæ, quæ ordinis vestri existit, episcopus in quadã epistola ad fratres Regulares Calmosiacenses scripta, sic dicit: Sit dominus Norbertus religiosus & sanctus, sit multis & diuersis virtutibus pollens, sit in diuinis scripturis exercitatus, sit in prædicatione præcipuus: plus illis sanctis Patribus, quorum nomina scripta sunt in libro vitæ, credere, quàm sibi debuimus, quorum memoria miraculis coruscat, quorum exemplis quotidiè fouetur & dilatatur Ecclesia, per quorum etiam studium Canonicus ordo hodiè floret & fructificat. Ipse enim licet inter homines pro ostentatione bonus appareat, vtrum tamen ante Deum electus sit, ignoramus.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Porrò Canonici officij mutationē, quam nescio per quas Antiphonarum & Psalmorum varietates, trifaria temporum permutatione prædicat esse sequendam, sacris Canonibus & ipsi B. Augustino obuiare testamur. Si enim Canonici vocamur, & Canonicam vitam professi sumus, Canones à Romana Ecclesia matre nostra nobis datos, à quibus etiam vocabulum sumpsimus, amplecti præ omnibus; & præcipuè in Ecclesiæ officio imitari debemus ità vt & hæreticus comprobetur, qui contra eam falsas aut nouas opiniones aut gignit, aut sequitur. Vt ergò nos eum nimia prælumptione in alterοatione officij errare monstremus, sanctos Patres nostros in medium deducimus, quibus ab hac superstitione tam vos, quàm nos defendimus. Et deindè capite, Si instituta, cap. Quis nesciat, vndecima distinctione supra allegatis, cap. In die. De consecratione, distinctione quinta, Inferius solennizando, Ca. Obseruetur. C. illa autem. Duodecima distinctione, C. In his rebus. Vndecima distinctione, & C. Illud te breuiter, duodecima distinctione positis & insertis concludit, Ecce qui bus auctoritatibus & consuetudinibus religionem vestram, immò totam Ecclesiam ab illis vanis institutionibus excusamus? Et in fine concludit: Volumus, tum rogamus & consulimus, vt ab huiusmodi * cōtentionibus discedatis: per quas & schisma suscitari, & scandalum in populo Dei potest exoriri. Reuertamur ad verba regulæ: Et nolite. Imperatiuus sermo est, cadens sub præcepto, vt in simili in Cle. Exiui. 5. Vt autem hoc de verborum significatione, de officio fratrum Minorum declaratur, vbi Dominus Papa verba Regulæ B. Francisci, vt clerici faciant officium secundum ordinem sanctæ Romanæ Ecclesiæ, dicit esse præcepti, & tanquam obligatoria à fratribus obseruanda. Vndè prǫuaricantibus in crimina fiunt. Quod igitur præcipitur, imperatur: quod imperatur, necessè est fieri. Si non fiat, pœnam habet. Vbi consilium datur, offerentis arbitrium est. Vbi præceptum, necessitas seruientis, secundum beatum Gregorium, & ponitur decimaquarta, q. 1. Quod præcipitur. Sequitur in Regula, Cantare. Generaliter videtur intelligendum de omnibus siue psallendis & legendis, siue cantandis, quæ in diuinis officijs dici debent, propter rationis identitatem, quia cōmuni sermone omnia Cantica dici possent. Sequitur: Nisi quod legitis in scripturis approbatis. De reprobis enim nō loquitur sanctus doctor. Sequitur: Quod autem non ita scriptum est: Istud videtur superfluum, cum prius quæ scripta non sunt, nec per consequens legi possint, prohibuit decāntanda. Sed prius de ipsis canendis, hic verò de modo canendi prǫcipit. Vt ea quæ cāntanda sunt, non aliter, nec alio modo, quàm secūdum quod scripta sunt, decantentur. Deuteromij duodecimo in fine: Quod præcipio tibi, hoc tantùm facito Domino, nec addas quicquā, nec minuas. Tria ergò præcipit Regula, vt quæ scripta sunt, obseruentur: non scripta abijciantur, nec scripta aliter quàm scripta sunt, decantentur. Et supponit, prout verum est, quòd omnia sufficienter habentur in scripturis. Non dicit Regula, quòd à secularibus consuetum est, quod à Iurisperitis consultum est, quod à Papa imperatum est, sed quod scriptum est; quod præceptū est, quod institutum est, hoc legatur, hoc cantetur, hoc in officio obseruetur. Non scripta verò, nec vniuersaliter consueta, refutentur, vt supra propositione 2. Si obijciatur, Immò videretur, quod relictis sacris Canonibus, Episcoporum statutis, & Generalibus consuetudinibus, modus psallēdi Ecclesiæ Metropolitanę sit sequendus, quia scriptū est 12. distinct. c. de ijs. De consecratione dist. 1. Altaria. Et dist. 2. c. Institutio. Respōdetur, quòd dicta cap. loquuntur in ijs, quæ nec canonibus, nec statutis, nec generali consuetudine determinata sunt, vt quæ per ventum doctrinæ hincindè exagitantur, vt dicitur in prædicto ca. de ijs, sed in alijs certis, certa & determinata sunt sequenda.

for. * eon stitutioni bus

PROPOSITIO VIII.

Multorum exemplis & auctoritatibus probatur, sanctis Patribus Psalmos in vsu continuo fuisse, & in diuino debere officio frequentari.

IMpleamini Spiritu sancto, loquentes vobismetipsis in Psalmis, & Hymnis & Canticis spiritualibus, cantantes & psallentes Deo in cordibus vestris, ad Ephe. 5. cap. Et concordat ad Colossenses cap. 3. vt infra propositione duodecima. Tria principaliter in officio diuino frequentamus, videlicet Psalmos, Lectiones, & cantus. Et hæc tria in dictis verbis Apostoli intelligi possunt, vt ex quibusdam dictis B. Hieronymi tradit Amalarius de Officijs Ecclesiasticis libro suo quarto. In lectionibus enim tam maioribus, quæ in Vigilijs nocturnis leguntur, quàm paruulis, quæ dicuntur ad alias Horas, & Capitula appellantur, laudem Dei agimus & pronunciamus. Omnis autem laus Dei, largo nomine Hymnus dicitur: Antiphonæ autem, Responsoria, & metrici Hymni, manifestè Cantica sunt. quia altiori voce per notulas diuersificantur. Si igitur in dictis verbis Apostoli, per Hymnos, Lectiones & Capitula atque Orationes, & per Cantica, Antiphonas, & Responsoria, & Laudes Dei metricas, quas vulgariter Hymnos appellamus, intelligere volumus, omnia diuinarum laudum officia habebimus. Sequendo igitur præceptum Apostoli, primo de psallendis, secundo de legendis, & tertio de cantandis videamus. De psalmis autem, quia principaliores sunt, aliqua quæ in Psalterij expositionibus reperiuntur, prætermittamus, ad exhortandum deuotos, vt sic continuè in Psalmis se exerceant. Et primo de illorum frequentatione probatur propositio antedicta. Cassianus libro secundo de institutis cœnobiorum per plura capitula tradit, quod antiqui Patres Orientales per Psalmos principaliter officium diuinum celebrabant: quia in congregatione viuentes, quotidie bina vice conueniebant, scilicet de nocte & hora vespertina, & certum numerum Psalmorum persoluebant. Aliqua monasteria plures, & aliqua monasteria pauciores, donec cælitus Angeli magisterio numerus declararetur, vt infra propositione x. dicetur. Ad tertiam autem, sextam, & nonam, in eorum cellis certum numerum Psalmorum similiter persoluebant. Et cuilibet Psalmorum orationē iungentes, in vigilijs noctis & vespertina synaxi, lectiones de veteri & Nouo Testamento adiungebāt. Damasus Papa, secundum Sigibertum & omnes scriptores Chronicarum, instituit Psalmos in Ecclesia nocte dieǫue cantari, & rogatu B. Hieronymi in fine psalmi dici, *Gloria patri*. Vt autem chori in duas partes diuisi, ipsos Psalmos alternatim decantarent: iam tempore Constantij Imperatoris in Ecclesia Antiochena instituerunt primi Flauianus & Diodorus viri probatæ ;vitæ & doctrinæ. Quod indè ad terminos totius orbis vsque peruenit. Hæc Sigibertus. Beatæ recordationis Ambrosius in officio suo, quod Mediolanen. seruant, primam partem Psalterij quindenatim, secundam verò partem, septimanatim persolui in stituit. Sancti verò Patres, Hieronymus ad mandatum S. Damasi Papę prædicti, & B. Benedictus Psalterium taliter diuiserunt, vt qualibet septimana ex integro in officio diuino psalleretur. B. verò Augustinus in lib. Admonitionum, qui regula secunda dicitur, capitulo 6. Psalmos secundum tempus anni sub certo numero tradit decā tandos, quamuis ille modus nunc non sit in vsu, Leo Papa, Hormisda, & plures alij sancti viri in studio & frequentatione Psalmorum leguntur floruisse. B. Hieronymus plures sacratas virgines, & alias personas, ad Psalmorum lectiones in suis epistolis exhortatur. Vndè scribit ad Rusticum Monachum, & est epistola 75. & ponitur de consecratione distinct. 5. Nunquā de manu tua aut oculis tuis liber Psalterij discedat. Discatur ad verbum. Oratio sine intermissione, Vigilet sensus, nec vagis cogitationibus patens sit. Corpus & animus tendat ad Dominum. Iram vince patientia. Ama scientiam scripturarum, & carnis vitia non amabis. B. Augustinus Psalmos à vobis frequentari voluit, cum dicit in Regula: Psalmis & hymnis cū oratis Deum, id versetur in corde, quod profertur in voce. Et inter cætera opera sua, Volumen quod super Psalterium scripsit, quantitate & dulcedine præcellit. Vndè de eo cantatur in Hymno, Et propinas potum vitæ de Psalmorum nectare. Et in Antipho na, Flebat igitur vberrimè in Psalmis & Hymnis, & Canticis. Et in fine libri de vita Christiana, quem videtur scripsisse sorori suæ, inquit: Ante omnia incessabiliter Domini tui meditare mandata, orationibus & Psalmis instanter incūbe, vt si possibile est, nemo te aliquando non le-

Videatur Sigibertus.

gentem inueniat aut orantem. Et cum fueris talis, nostri memento, qui te tantùm diligimus, vt quod tibi præsentes præstare non possumus, conferamus absentes. Et in vita sua legitur, quòd in lecto suæ ægritudinis, septem Psalmos Pœnitentiales in pariete scribi fecit, quos iugiter legebat, & vbertim flebat. Græci autē ex Institutione B. Basilij Magni, in diuino officio multū cōtinuant Psalmodiam, vt Romę audiui. In Pragēsi Ecclesia Metropolitana Bohemię, agitur iugis & continua laus Dei die noctuque per Psalmodiam, horis videlicet & temporibus, quibus alia diuina officia non celebrantur. Et felicis memoriæ Carolus IIII. Ecclesiasticus Imperator, ad huiusmodi continuam laudem agendam, aliud quàm Psalterium congruentius nō inuenit. Psalterium enim, vt scribunt expositores, in Ecclesia Dei plus frequentari debet ex eo, quia est consummatio totius theologiæ. In eo enim describuntur præmia bonorum, & supplicia malorū, rudimenta incipientium, progressus proficientium, profectus peruenientium, vita actiuorum, & speculatio contemplatorum, vt dicit Cassiodorus in procemio. Item, frequētius legitur propter spem venię, vt nullus quantumcumque pec cator desperet, cum audit peccatorem tantum, scilicet Dauid, tanta gratia sublimatum: sicut ex Sauli conuersione & promotione, de Dei misericordia plenè certificamur. Vndè & epistolæ eius frequentius in Ecclesia leguntur. Item, quia Dauid apertius & perfectius loquitur de Christo, quàm alij prophetæ, ita, quòd magis videtur euangelizare, quàm prophetare. Item, quia nulla scriptura alia habet tot orationes immixtas, & tot salutares affectus, pro quibus assequendis fiunt orationes. Propter rationes igitur prædictas, iustè in orationibus Psalmi inueniuntur, & in frequentiori vsu Ecclesiæ habentur. Hinc est quòd omnes viri ecclesiastici, & præcipuè religiosi, ad hunc librum per diligens studium meritò debent se transferre, vt ea quæ tenentur quotidiè orare & psallere, discant intelligere, & sic intelligendo gustent interiori gustu dulcedinē ipsius Sapiētiæ, salutaris scilicet libri diuinę laudis. Nam secundum beatum Augustinum, Si sacerdos Psalterium ignorat, nomē sacerdotis vix in eo constabit. 28. dist. Quæ ipsis sacerdotibus. Et præter vtilitates supra positas, etiam ex hoc distractiones per varias cogitationes plurium phantasmatum, diaboli instinctu & suggestione incidentes, ac ipsos orantes & psallentes periculosè impedientes, facilius euitantur, tediū psallendi & orandi melius tollitur. Interesse diuino officio quilibet eo amplius delectatur, fructu orationum suarum non priuatur, meritum suum augetur, tota cęli curia lætificatur & iocū datur. Notandum verò, quòd Ambrosiani vtuntur speciali translatione Psalterij: Romani autē habent translationem B. Hieronymi, quæ Romana appellatur, ex qua ;officium Ecclesiæ est sumptum. Aliæ Nationes vtuntur Translatione Hieronymi, quæ dicetur Gallicana, quam nos

Trāslatio varia psal terij.

Universidad de Deusto
Biblioteca

habemus. Et hanc apud paucos benè correctã & distinctam inuenietis, nisi in antiquis Psalterijs & apud Cartusienses.

PROPOSITIO IX.

Psalmi vltra alias sacras scripturas affluenter laudationes diuinas & omnem affectum continent salutarem.

SIcut olim manna habuit omne delectamẽ tum,& omnem saporem suauitatis: ita nunc psalmi habent effectum omnium orationum,& sensum cuiuslibet intentionis. In choro canentium,sunt verba Deum laudãtium: in ore iusti,verba gratias agentis: in ore peccatoris,verba veniam deprecantis.Pro defunctis,verba animæ de supplicio ad Deum clamantis,& quocunque se intentio canentis conuerterit, illuc se sensus psalmorum, affectui canentis conformabit. Cum maledicente, maledicit membra diaboli:vt ibi, Maledicti qui declinãt à mãdatis tuis.Cum benedicente,benedicit membra Christi:vt ibi, Benedicti vos à Domino, qui fecit cælũ & terram. Dum cogitas Psalmos,Christus in mente tua est: Dum ore psalmos decantas,Christus in ore tuo est:Dum meditaris Psalmos,hunc ex meditatione fructum capies, vt in ipsis tibi vtrunque occurrat Testamentum.Psalmorum deuotio præsentiam Christi conciliat, Angelorum congratulationem generat, ignitos mentis affectus suscitat,mala purgat, dæmones fugat gladio spiritus, quod est Verbũ Dei, quia deuotionem psallentium sustinere non possunt. Psalmorum radices non in terra; sed in cælo fixæ sunt:quia ibi est Christus, qui omnium Psalmorum materia est & intentio.Ibi est conuersatio Ecclesiæ,quæ est corpus Christi, quæ etiam permaximè Psalmorum partem continet. Deuotionem psallendi docet Apostolus, cum dicit 1.ad Corint. 14. cap. Orabo spiritu, orabo & mente:psallam spiritu,psallam & mente. Deuotioni psallentium,congratulationem angelicam adesse docet Psalmista,qui ait: In conspectu Angelorum psallam tibi.Quòd psallentibus admisceri soleant sancti Angeli,idem Psalmista manifestat,vbi ait:Præuenerunt Principes,idest Angeli,coniuncti psallentibus.Vndè cauẽdum est, ne propter nostram desidiam Angeli recedant. Si enim boni spiritus se à nobis elongauerint, impetum malorum quis sustinebit? Cauendum est etiam, ne maledictionem incurramus Prophetę,dicentis:Maledictus omnis qui opus Dei facit negligenter. Dignum quippè est, vt mens nostra concordet cum voce, quando ad diuinũ opus assistimus, & cum diligentia à præsentibus vniuersis quisq; se retrahat,& diuinis inhæreat, vt cælestia ei dona reuelentur. Nihil enim est in hac vita mortali, in quo possimus familiarius Deo inhærere, quàm in laude diuina. Psalmorum deuotio, Spiritu sancto mentem præparat, & omnium gratiarum dona meretur. Vndè ait Augustinus de laude & cantu psalmorum, & secundum alios Gregorius:Prophetiæ spiritus nõ semper Prophetarum mentibus præsto est: quatenus cum hunc non habent,tunc se cognoscant ex dono habuisse,cum haberent. Vndè Prophetа Helisæus cum de futuris requisitus, Prophetiæ spiritum deesse cognouit, Psalten fecit sibi applicari,vt Prophetię spiritus per laudem psalmodiæ descenderet, atque eius animum de futuris repleret. Cum enim intentè agitur vox psalmodiæ, per hanc Omnipotenti Deo ad cor iter paratur:vt intentæ menti,vel Prophetiæ mysteria,vel compunctionis gratiam infundat. Vndè scriptum est, Sacrificium laudis honorificabit me, & illic iter, quo ostendam illi salutare Dei. In sacrificio igitur diuinę laudis, ostenditur iter ad Iesum : quia dum per psalmodiam compunctio insunditur,via nobis in corde fit, per quam ad Iesum in fine peruenitur. Nullus itaque mortalium potest mente aut verbis virtutes Psalmorum explicare.Si intentè consideres, in Psalmis inuenies Dominici verbi incarnationẽ,Passionem,Resurrectionem, Ascensionem, integram confessionem peccatorum, integram deprecationem Misericordiæ diuinæ,omniumque rerũ, quę tibi accidunt,dignam gratiarum actionem. In primis confiteris miseriam atque infirmitatem tuam,& per idipsum inuitas Dei misericordiam.Si à Deo meruerís, vt tibi reuelet secreta Psalmorum, omnes in eis inuenies virtutes. Si vis pœnitentiam agere, & peccatorum confessionem non celeritate verborum,sed intẽta mente: decanta septenos Dauid pœnitentiæ Psalmos,& celerrimam experieris Dei clementiam tuam mentem spirituali gaudio illuminare,& magnam tibi spei indulgentiam promittere. Si vis orare,laxa mentem tuã in virtute Psalmorum,quorum initium est, Ad te leuaui, In te Domine speraui,Inclina Domine,Deus in adiutorium, Deus in nomine tuo, Deus misereatur nostri,Exaudi Domine iustitiam, Et nullatenus humanus sensus potest tam perfectè miseriam ac tribulationem tuam, angustiasque tentationum explicare,& Dei misericordiam implorare, Si vis Maiestatem Dei laudare, omniumque beneficiorum gratias agere,decanta Psalmos,quorum titulus est, Alleluia,aut etiam, Benedic anima mea Dominum : & sacrificium dulce super mel & fauum offers omnipotenti. Si humanis vel spiritualibus tẽtationibus affligeris,vt à Deo videaris derelictus(plerunq; enim sanctos suos vt probentur,ad tempus derelinquit)intima mẽte decanta Psalmos, Deus Deus meus respice in me, Exaudi Deus orationem meam cum deprecor, Saluum me fac Deus, quoniam intrauerũt: clemens Deus statim pondus tentationis tibi alleuiabit. Si præsens vita est tibi fastidiosa, & ardenti desiderio ad videndum Deum omnipotentem & supernam patriam attendis, hos Psalmos decanta : quemadmodum, Quàm dilecta, Deus Deus meus ad te,& cæteros,& complebit desiderium tuum. Si in tribulationibus derelictum à Deo te intelligas,compunctus corde hos Psalmos decanta, Vsquequo Domine: Deus auribus nostris : Miserere mei Deus, miserere mei,quoniam in te confidit : Exaudi Deus orationem meam, & ne despexeris: In te Domine speraui: & statim Deus visitabit angustias tuas propitius. Accepta autem quiete & prosperitatis tempore,hos psalmos decanta in laudẽ Dei, Benedicam Dominum:Benedic anima mea,primum : Exaltabo te Domine Deus meus Rex. Et semper siue prosperitatis siue aduersitatis tempore,hymnum trium puerorum psalle. Nullus mortalium huius hymni virtutem explicare potest,in quo omnis creatura ad laudandum Creatorem inuitatur. Si in diuinis laudibus,& mandatis cælestibus exerceri cupis, Psalmum, Beati immaculati, frequenta : Et licet vsque in finem vitæ, huius hymni virtutem scruteris, illum intelligere perfectè non poteris: In quo nullus est versus, in quo non legitur vel Via, vel Lex, vel Mandatum,seu Verba,vel Iustificationes,vel Sermones, aut Iudicia Domini descripta : Et ideò non est opus, vt per diuersos libros animo diffundaris. In psalterio enim solo vsque ad obitum,habes materiam legendi, docendi, scrutandi. In quo inuenies Prophetas,Euangelia, Apostolos,omnesque diuinos libros spiritualiter atque intelligibiliter ex parte tractatos atque descriptos. Item de laudibus Psalmorum, & eorum salutaribus effectibus dicit B. Augustinus, prout in pluribus Psalterij expositionibus annotatur : canticum psalmorum, animam decorat, inuitat Angelos in adiutorium, effugat dæmones, expellit tenebras, efficit sanitatem, omni peccatori refectio mentis est, delet peccata,simile est eleemosynis,sanctorum auget fidem, sicut sol illuminat, sicut aqua sanctificat, sicut ignis peccatum exurit,sicut oleum defluit, oleum est misericordiæ,sol *iustitiæ, pars Angelorum electa, Deum ostendit,diabolum offendit, voluntatem illicitam extinguit, asperitatem eijcit, omnem furorem deprimit,iracundiam frangit,laus Dei est assidua, simile est melli. Canticum Psalmorum,carmen est electum apud Deum, omne peccatum expellit, vinculum charitatis nectit, omnia penetrat, omnia suffert, omnia implet, omnia docet. Cor lætificat,sensus aperit, animam impinguat, & totum hominem clarificat, omne malum occidit, perfectionem instruit,excelsa demonstrat, desiderium regni cælestis donat; pacem inter corpus & animam facit, ignem spiritualem in corde accendit, contra omnia vitia solicitudo est,certamen bonum quotidiè est, radices omnium malorum extirpat. Sicut lorica induit,sicut galea defendit, spes est salutis,cõsolatio doloris, protectio laboris, notitia veri luminis,fons sanctitatis, omnem inuenem castigat,regnum cælorum super terram dat, tædium animæ tollit, tuba est mirabilis. Qui diligit Cãticum Psalmorum assiduè,non potest amare peccatum. Qui habet laudem Dei in corde suo, postremò apud Deum gaudebit, & animam suam in cælo viuificabit in sæcula sæculorum, Amen, Nedum propositiones duas iam præmissas, sed & omnes alias præcedentes ponere delectabat principaliter propter propositionẽ iam sequẽtẽ.

Psal. 118. Psal. 113. Hier. 17. Psal. 139. Psal. 67. Psal. 4. Reg. 3. Psal. 49. Psal. 12. Psal. 43. Psal. 56. Psal. 54. Psal. 30. & 70. Psal. 33. Psal. 102. Psal. 144. Dan. 3. Psal. 118. Psal. 24. 30. 85. Psal. 69. 58. 66. Psal. 16. Psal. 104. 105. 106. Psal. 102. 103. Psal. 21. Psal. 63. Psal. 68. Psal. 83. & 62.

PROPOSITIO X.

Omni Dominica octodecim, Festiuitatibus nouem Psalmi, & quoties tres lectiones & tria Responsoria dicuntur, salua hebdomada Paschæ & Pentecostes, duodecim Psalmi ad noctis vigilias psalluntur: Cæteris horis secunda pars psalterij deputatur.

SVmite Psalmum,& date tympanum, Psalterium iocundum cum cithara, & laudate Dominum,quoniã bonus est Psalmus. Et vt Deo nostro iocunda decoraque in psalmis sit laudatio,dictam propositionem,pro qua principaliter aliæ præcedentes sunt præmissæ,efficaciter cõprobemus. Pro qua sciendum, quòd Psalterium duas habet partes: primam vsque, *Dixit Dominus*,pro officio nocturnali: secundam,abinde pro officio diei. Primam partem Ambrosius diuisit in decẽ nocturnos, nullo Psalmo prætermisso,quos vulgus sui loci,digurias appellat. In prima diguria sunt sedecim Psalmi, in secunda quatuordecim,in septem sequentibus,decem & decem:in vltima,octo Psalmi consistunt. Istæ decem diguriæ in officio Ambrosiano frequentantur per totum annũ de quindena ad quindenã: scilicet vna hebdomada, Feria secunda, tertia, quarta, quinta sexta, quinque primæ: & altera hebdomada,eisdem ferijs,aliæ quinque.Sabbato autem & Dominica Ambrosianum habet certa cantica. Et dictæ Diguriæ dicuntur etiam in festis quibuscũq; exceptis tribus vel quatuor festis Domini, & excepta hebdomada ante Natiuitatẽ Domini,& ante Pascha,& post Pascha.Secundam verò partem Psalterij pro horis diurnis primæ,tertiæ,sextæ, nonæ, vesperis, & cõpletorio Ambrosianũ habet diuisam, sicut habetur in Officio Romano. Vndè credendũ est, quòd Hieronymus in illa parte Ambrosium sit secutus. Venerabiles verò Patres, Hieronymus & Benedictus,ex sanctorum Patrum obseruatione considerantes totum Psalterium ex integro, qualibet hebdomada persolui debere,aliter Psalteriũ distinxerunt.Nam pro aliquibus horis diurnis,certis Psalmis reseruatis, residuos omnes in septẽ nocturnos distribuerunt, videlicet Hieronymus pro Dominica octodecim,& Benedictus duodecim : Ambo verò pro qualibet feriarũ similiter duodecim Psalmos deputantes. Festiuitates autem B. Benedictus in numero Psalmorum Dominicis adæquauit,vt cap.33. Hieronymus verò illas respectu Dominicæ mediauit: quia illis tantùm nouem Psalmos dedit, & si tres Psalmi addantur, qui more Romano in festiuitatum vigilijs de sero persoluuntur, vt dicã infra propositione vigesimaprima. Similiter in festiuitatibus ad noctem Psalmi duodecim habebuntur.In secunda autem parte Psalterij distribuen-

Psalterij duæ partes. Quid sit Diguria.

Universidad de Deusto
Biblioteca

da, Benedictus discrepat ab Ambrosiano & Hie A
ronymo. Eius autem diuisio ex sua Regula sciri
potest. Vtriusque autem diuisione licèt alia &
alia, totum psalterium qualibet septimana, nisi
Festiuitas occurrat, est complendum. Vndè bea
tus Benedictus tandè cap. 33. sic concludit: Hoc
præcipuè commonentes, vt si cui fortè hęc distri
butio Psalmorum displicuerit, ordinet, si melius
aliter iudicauerit, dum omnimodis attendatur,
vt omni hebdomada Psalterium ex integro nu
mero centum quinquaginta Psalmorum, psal
latur, & Dominico die semper à capite repeta
tur. Ad vigilias, quia nimis mers deuotionis suæ
seruitium ostendunt Monachi, qui minus Psal- B
terio cum canticis consuetudinarijs per septi
manæ circulum psallunt, sicut legimus sanctos
Patres nostros vno die strenuè impleuisse, quod
nos tepidi vtinam septimana integra persoluа
mus. Hæc ille. Quare autem beatus Benedictus
omni nocte duodecim psalmos tam de Tempo
re, quàm de sanctis, B. verò Hieronymus primo
nocturno Dominicali & cæteris ferialibus no
ctibus similiter duodecim Psalmos deputaue-
runt, non humana, sed diuina existebat adinuen
tio. Vndè Cassianus libro 2. de Institutis cœno
biorum cap. 4. Igitur per vniuersam Aegyptum
& Thebaidem, duodenarius Psalmorum nume C
rus, tam in vespertinis, quàm in nocturnis solen
nitatibus custoditur, ità* vt post hunc duæ lectio
nes, veteris scilicet ac Noui Testamenti, singulæ
subsequantur. Qui modus antiquitus constitu
tus, idcircò per tot secula penes cuncta illarum
prouinciarum monasteria intemeratus nunc v-
que perdurat. Quia non humana adinuentione
statutus à senioribus affirmatur, sed cælitus an
geli* ministerio Patribus fuisse delatus. Et cap.
5. sic ait: Cumque pro suo vnusquisque seruore,
infirmitatis immemor alienæ, id statui debere
censeret, quod contemplatione fidei ac robotis
sui facillimum iudicabat, parum discutiés, quid D
generaliter plenitudini fratrum possibile esset,
in qua necesse est infirmorum quoque partem
maximam reperiri, diuersoque modo enormem
Psalmorum numerum instituere pro animi sui
virtute certarèt. At alij quinquagenos Psalmos,
alij sexagenos, nonnulli verò, ne hoc quidem nu
mero contenti, excedi eum debere censerèt, es-
setque inter eos pro Religionis Regula, piæ cõ-
tentionis sancta diuersitas, ità vt tempus Solen-
nitatis vespertinæ, sacratissimæ succederet quæ-
stioni, quotidianos orationum ritus volentibus
celebrare, vnus in medium Psalmos Domino cã E
taturus exurgit. Cumque sedentibus cunctis, vt
est moris nunc vsque in Aegypti partibus, & in
psallentis verba omni cordis intentione defixis,
vndecim Psalmos, orationum interiectione di-
stinctos, contiguis versibus pari li pronunciatio-
ne cantasset, duodecimum sub Alleluia respon-
sione consummans, ab vniuersorũ oculis repen-
tè subtractus, quæstioni pariter & cæremonijs
finem imposuit. Exhinc venerabilis Patrum Se-
natus, intelligens Angeli magisterio congrega-

al.* dum taxat, vt post hæc duæ

al.* magi sterio

tionibus fratrum, generalem Canonem non sine
dispensatione diuina constitutum, decreuit hũc
numerum tam in Vespertinis, quàm in Noctur
nis conuenticulis custoditi. Hæc ille. Sed in di-
cto Psalmorum numero, & in Psalmis ad Vigi-
lias noctis decantandis in communibus* sacris for.* festis
quotidianis hodiè multi, maximè seculares re-
gulam sanctæ Romanæ Ecclesiæ & sanctorum
Patrum constitutiones seruare contemnunt. Et
ne super hoc, ignorantia à quoquam valeat al-
legari, in decretis Iuristarum de consecratione
distinctione 5. cap. In die, hucusque positus est,
& scriptus sacratissimus Canon magni viri Gre
gorij Papæ VII. editus in sacra Synodo genera
li. Qui etiam Canon ne in Ordine vestro con-
temnatur, positus est de verbo ad verbum in epi
stola Magalonensis episcopi superius allegata.
Et illum omnes super Officio Diuino scriben-
tes, in eorum operibus consueuerunt ponere, &
vt dictus numerus seruetur, sæpius allegare. Est
autem talis tenoris: In die Resurrectionis vsque
ad sabbatum in Albis, & in die Pentecostes vsq;
ad sabbatum eiusdem hebdomadæ, tres Psalmi
tantùm ad noctem, tresque lectiones antiquo
more & cantamus & legimus. Omnibus alijs die
bus per totũ annũ si Festiuitas est, nouẽ psalmos
& nouẽ lectiones dicimus. Alijs autem diebus,
duodecim Psalmos & tres lectiones recitamus.
In diebus Dominicis, octodecim Psalmos, exce
pto die Paschæ & Pentecostes, & nouẽ lectiones
celebramus. Illi autem, qui quotidianis diebus,
tres Psalmos & tres lectiones tantũ videtur lege
re, nõ ex Regula sanctorũ Patrũ. sed ex fastidio
& negligentia cõprobantur facere. Romani au-
tem diuersо modo agere cœperunt, maximè à
tempore quo Teutonicis concessum est Regnũ
Romanæ Ecclesiæ. Nos autem & Ordinem Ro
manum inuestigantes, & antiquum morem no-
stræ Ecclesiæ statuimus fieri, sicut supra notaui- Deut. 11.
mus, antiquos Patres imitãtes. Hæc ibi. Ponite
hæc verba in cordibus & in animis vestris, & su-
spẽdite ea pro signo in manibus, & intra vestros
oculos collocate, & docete filios vestros, vt illa
meditentur. Quia hic est aptus modus viuendi
ad ambulandum in via Dei, in qua alius sic, alius
sic ire contendit, & pauci rectè, maximè secula-
res, & religiosi plures. Omni igitur Dominica
per totum annum, quando non tenetur festiui-
tas, dicendi sunt 18. psalmi, etiam in tempore
Paschali, præter diem Paschæ & Pentecostes, &
similiter etiam in Dominicis infra Octauas ma
iores, vt Natiuitatis Domini, Epiphaniæ, Ascẽ
sionis, Assumptionis & Natiuitatis Mariæ, Petri
& Pauli. Item in omnibus diebus trium lectio-
num, siue de Tempore siue de sanctis agatur, &
per Octauas maiores, & etiam tempore Paschã
li præter dictas duas hebdomadas, ad Vigilias
noctis soluendus est nocturnus 12. Psalmorum
ferialis. Et hoc seruant Monasteria Ordinis ve
stri in Italia & in partibus superioribus Occiden
tis, & vbique prout notauit Guilhelmus in suo
Rationali Diuinorum, vbi loquitur de septem
diebus

diebus Paschalibus. Item & idem seruant secu A
lares Ecclesiæ Italiæ, & paucis diebus subtractis,
Ecclesiæ per Alemaniã, Religiosi plures, ut Do-
mini de domo Teutonicorum, Carmelitæ satis*
probè seruant. Et præterea secundum distribu- propriè
tionem B. Benedicti, idem seruant Cartusienses,
Cistercienses, & cęterę Religiones Monachales.
Immò obediendo dicto sacro Canoni, & seruan
do beati Benedicti Regulam in Psalterio hebdo
madatim persoluendo, inter Canonicos & Mo-
nachos differentia aliqua non existit. Nam vbi
monachus dicit nocturnum secundum suam di-
uisionem, Canonicus in simili die nocturnum di
cere tenetur, secundum Romanam diuisionem. B
Et cum Monachi à sua Regula adhuc non decli
nauerint, tamen Canonici quamplures in diuer-
sis Nationibus à dicto Canone diuersimodè de-
clinarunt. Primo autem plures Nationes per
totum tempus Paschale; tres tantum Psalmos, &
tres lectiones dicere contendunt, & dicunt, alle-
gantes quòd Alcuinus Magister Caroli & Ludo-
uici filij eius, rogatu Bonifacij Archiepiscopi
Moguntini, approbante Concilio Moguntino,
illud instituisset. Sed hoc reprobat Guilhelmus
in loco supradicto, & dicit oppositum concludi
in Ascensione Domini, vbi sunt nouem Respõ-
soria, & nouem Psalmi, cum eorum antiphonis. C
Sed hæc institutio, Apostolicæ auctoritati præiu
dicare nec debet, nec potest, præsertim cum eui-
denter statutis sanctorum Patrum videatur re-
pugnare. Nam constitutiones contra canones
& decreta præsulum Romanorũ, vel bonos mo-
res, nullius sunt momenti, 10. dist. Constitutio-
nes. Indubitanter ergò refutare debemus, quic-
quid tam euidenter Apostolicæ auctoritati vi-
demus contraire, vndè totius Christianę religio
nis & ordinis exordium & formam recepimus:
cum & securius obseruetur quod prouida anti-
quitas & auctoritas instituit, quàm quod incon-
siderata nouitas & infirmitas adinuenit. Sunt & D
alij sæculares, qui extra tempus Paschale, de san
ctis trium lectionum, nunquam nocturnum per
soluunt, sed nouem Psalmos de ipsis sanctis di-
cere volunt, & dicunt. Sed quòd hi Psalmi illo
casu dici possint, nec auctoritate, nec ratione pro
batur. Et quod non est sanctorum Patrum de-
creto sancitum, superstitiosis non est adinuentio
nibus præsumendum, de translatione, Inter cor-
poralia. Immò secundum præmissa, omninò est
reprobandum. Nec loca vestra de priuilegio
nuper obtento se defendere debent. Nam sicut
inramentum non est vinculum iniquitatis, nec
debet nutrire peccatum, ità nec priuilegiũ. De É
priuilegio. cap. Ex tenarum. Et si Canonici secu-
lares, quibus durus est hic sermo, abierunt retrò,
& cum dicto Canone amplius nolunt ambula-
re; nunquid & vos vultis abire? Certissimè vos Iozuæ 6.
qui inter Religiosos & Ecclesiasticos viros in ca
nonica degitis vita, debetis cum monachis, qui
non declinauerunt, remanere. Nam dicit Ni-
colaus Papa, quòd religiosi Canonici à sanctо-
rum monachorum consortio non sunt seiuncti,

10. quæst. 3. ca. Præsens clericus, propè finem.
Licet irregulares Canonici regulæ inseruiant la
xiori. De sta. mon. quod Dei. Suscipite igitur sua
ue iugũ Domini, quod à sancta sede Romana vo
bis impositur, licet importabile videntur. Vn-
dè scribitur 19. distinct. In memoriam B. Petri
Apostoli, honoremus sanctam Romanam Ecc-
lesiam & Apostolicam sedem, vt quæ nobis sa-
cerdotalis mater est dignitatis, esse debeat eccle
siasticæ magistra rationis. Quare seruanda est
cum omni mansuetudine humilitas. Et licèt vix
ferendum ab illa sancta sede imponatur iugum,
illud tamen feramus, & pia deuotione tolere-
mus. Immò vt dicit Bernardus libro de præce-
pto & dispensatione: Perfecta obedientia legẽ
nescit, termino non arctatur, neque contenta an
gustijs professionis, largiori voluntate fertur in
latitudine charitatis: & ad omne quod iniungi-
tur, spontanea, vigore liberalis alacrisque ani-
mi modum non considerans, in infinitam liber-
tatem extenditur. Et cum propter dicti cano-
nis obligationem, in Dominicis Paschalibus su
pra dictis, & infra Octauas maiores occurrenti-
bus, Psalmi Dominicales sint persoluendi, tamẽ
ad primam propter temporis iucunditatem Do
minicales quinque recitentur. Et similiter cum
tempore Paschali in ferijs, & in diebus Sanctorũ
3. lectionum, dicitur Nocturnus ferialis, ad lau
des tamen Psalmi consueti leguntur. In nume-
ro autem Psalmorum ad primam, tertiam, sextã,
nonam, vesperas, & completam, concordant sa-
tis nationes: Saluo, quòd aliqui in prima Do-
minicali extra tempus Paschale, ex quadam desi
dia omittũt dictos quinque Psalmos, post ipsos
octodecim subsequentes. Psalmus autem *Confi-*
temini, more Ambrosiano, omni Dominica,
etiamsi festiuitas agatur, & in hebdomada Pas-
chali, est addendus. Psalmi quoque vespertini
quotidie ad psalterij complementum continua
ri debent: Saluo, quòd de Natiuitate Domini, de
Apostolis, de sancto Stephano in Antiphonario
Romano Psalmi cum Antiphonis proprijs ha-
bentur. Et quando Dominicales in hebdoma-
da Paschæ & Pentecostes, & in die Assensionis
persoluuntur. In festiuitatibus quoque ad secũ
das vesperas fratrum Minorum vius ponit Psal-
mos Dominicales, vltimo secundum festiuita-
tem mutato. Gallici verò in maioribus Festiui
tatibus per Psalmos *Laudate* solennizant: sed
Alemanni, vbi possunt, se tenẽt ad feriales. Nũc
de Psalmorum antiphonis aliquid in genere ad
datur. Sciendum quòd tres horæ principales,
scilicet Vigilię noctis, & Laudes, & Vesperę, ma
gis soleniter sunt decãtandæ: quinque verò par-
uæ horæ, humiliter sunt faciendæ. Indè est quòd
secundum Ordinem Romanum, in Psalmis
in dictis horis quoties laus sanctæ Trinitatis,
Gloria patri cantatur, semper sequi debet anti-
phona. Antiphonæ enim pertinent ad Psalmos
decantandos. Et ita B. Gregorius ad singulos
Psalmos dictarum horarum Antiphonas ordi-
nauit. Sed aliqui aliquando in laudibus, aliquã-

do in

Universidad de Deusto
Biblioteca

do in vesperis hunc decorem peruertūt, de quo A posterius dicetur. Dictæ verò quinque Horæ minores seruari debent sub vna Psalmorum Antiphona. Immò in Ambrosiano officio non habēt antiphonas. Et Benedictus in minoribus cōgregationibus concedit in illis Psalmos dici directaneè sinè Antiphona. Et debent Antiphonæ imponi ante inchoationem Psalmorum. Et hoc obseruetur, etiam si quis priuatim dicat Horas, vt seruant Romani & Ambrosiani. Cantantur autem Psalmi Ambrosiano & Romano more in fine versuum per tonos. In mediò verò Ambrosianum Psalmos in omni tono psallit planè. Romanum autem officium habet diuersas mediaB tiones. In quibus sunt diuersi mores secundum diuersas Ecclesias & nationes: tamen Romæ in antiquis libris vidi mediationes satis nostrouisui Alemannico concordantes.

PROPOSITIO XI.

Nec ad vigilias noctis, nec alias in officio Diuino legatur nisi sacra scriptura, & aliæ scripturæ ab vniuersali ecclesia approbatæ.

C De auctoritate sanctæ scripturæ dicit Augustinus de vnico Baptismo, libro secundo, & ponitur nona distinctione: Quis nesciat sanctam scripturam canonicam tam Veteris quàm Noui Testamenti certis terminis contineri, eamque posterioribus omnium Episcoporum literis ità præponi, vt de illa omnino dubitari ac disceptari non possit, vtrum verum, vel vtrum rectum sit, quicquid in ea cōstiterit? Qualiter autem sacra scriptura per anni circulum sit legenda, tradit beatus Gelasius Papa 15. dist. c. Sancta Romana, dicens: Quòd Pentateuchus ponendus est in septuagesima vsque ad decimumquintum diem ante Pascha, à quo vsque in cœnam Domini ponitur Hieremias. In triduo ante Pascha tres primæ lectiones de Lamentationibus Hieremiæ; tres mediæ de tractatu sancti Augustini in psalmum 57. Exaudi Deus deprecationem. Tres vltimæ de Apostolo Paulo. vide eas ibi annotatas. In pascha, & infra hebdomadam, Homilię pertinentes; In octaua Paschæ, Apocalypsis, Actus Apostolorum, & Epistolæ Canonicæ, vsque ad octauam Pentecostes. Et abinde vsque ad Calendas Augusti, ponuntur libri Regū E & Paralipomenō. In mense Augusto, Salomon: In Septembri, Iob, Tobias, Hester, Esdras: In Octobri, libri Machabæorum: In Nouembri, Ezechiel, Daniel, & minores Prophetæ: In Aduētu, Esaias, vsque in Natiuitatem Domini. In Natali & Epiphania Domini, tres primæ lectiones de Esaia: deindè sermones vel Homilię ad ipsum diem pertinentes. In Natali sanctorum Stephani, Ioannis, Innocentum, & Siluestri, Homiliæ de ipsorum die. In Dominica post Natiuitatem Domini, vsque in Septuagesimam, ponūtur Epistolæ Pauli. Et B. Benedictus cap. 28. dicit: Codices legantur in Vigilijs tam Veteris quàm Noui Testamenti diuinæ auctoritatis; sed D & Expositiones earum, quæ à nominatissimis doctoribus Orthodoxis Catholicis Patribus factæ sunt. Ex vsu B. Bernardi cap. 41. Quando renouatur Historia, Liber ille, qui tunc inchoatur, cum sua præfatione incipiendus est in Ecclesia, & legendus in Refectorio. Item eodem capitulo. Cum libri Machabæorum perfecti fuerint, legimus quatuor libros Euangeliorum in refectorio tantūm vsque ad Pascha, & dimisis Passionibus, quod reliquū est, finiatur. Hęc ibi. Sic itaque in primis Deo offerendis tota scriptura partim ad Vigilias nocturnas, partim ad refectorium persoluatur. Præterea in dicto capitulo. Sācta Romana, beatus Gelasius tradit hæc opuscula, in Ecclesia Catholica recipienda, ex quibus in diuino officio legi potest, scilicet beati Cypriani Martyris Cathaginen. episcopi, beati Ioannis Chrysostomi, beati Hilarij, beati Ambrosij, beati Augustini, beati Hieronymi, beati Isidori, beati Leonis Papæ. Item opuscula atq; Tractatus omnium Patrum Orthodoxorum, qui in nullo à sanctæ Romanæ Ecclesiæ deuiauerūt consortio, nec ab eius fidei prædicatione, sed vsque ad finem, in illius communione, Dei gratia perstiterunt. Item Origenis nonnulla opuscula, quæ vir B. Hieronymus non repudiat. Præterea Vitas Patrum, Antonij, Hilarionis, Pauli, & omnium Eremitarum, quos tamen B. Hieronymus scribit. Et Actus B. Siluestri, & scripta de inuentione sanctę crucis Dominicæ. Apocrypha autem quæ in diuino officio, omninò repudiari debent, tradit in dicto cap. videlicet itinerarium B. Petri Apostoli, quod appellatur sancti Clementis. Actus, nomine Andreæ, Philippi, Petri, & Thomæ Apostolorum, & liber de infantia Saluatoris, de Natiuitate B. Mariæ, & de Transitu B. Mariæ. Istæ enim scripturæ legi nō debent. Et B. Augustinus lib. 2. contra Faustum, cap. 2. legendam B. Thomæ Apostoli apocryphā dicit. Vide de hoc in Summa Lombardica de sancto Thoma. Venerabilem autem Bedam Anglorum Doctorem, nec Romani, nec Carthusien. legunt. Sed Gallici & Teutonici cum Anglicis, ex eius homilijs quinquaginta cum Commentis suis super Marcum & Lucam sæpius habent lectiones. Vitam B. Agnetis scripsit Ambrosius, & vitam B. Benedicti scripsit Gregorius: ideò illas duas Vitas duntaxat legunt Carthusien. Passiones & vitæ Sanctorum Andreę Apostoli, Laurentij, & Sebastiani, Clemētis, Ioānis & Pauli, Mauritij, Martini, & Nicolai, Cæciliæ, Agathæ, & Luciæ, æqualem auctoritatem cum cantu ipsorum habere videntur, cum eorum Cantus, quos Romani continent Antiphonarij, ex illorum vita & Passionibus sint recepti. Vitæ etiam eorundem Nicolai, & Martini, Augustini, Ambrosij approbatos auctores videntur habuisse. Passio verò B. Georgij, tam à B. Gelasio, quàm in Martyrologio, apocrypha reputatur. Et Passionem B. Margaretę vidi Romæ apud Lateranum in dicto Canone B. Gelasij, Apocryphis annumeratam. Passionem B. Vincentij, dicit Millecloquium à B. Augu-

Augustino descriptam. Passio Matthei Apostoli, hæresim habet contra declarationem Benedicti XII. de visione faciali. Passio B. Barbaræ, quæ A tuntur nostrates, omninò videtur apocrypha & contemnenda: quia multa habet incredibilia, vt quod fontem fecerit, & se ipsam baptizauerit, & de ouibus in locustas (& secundum alios) in lapides cōuersis, & de oratione sua in extremis. Non enim credi debet, quòd Sancti in extremis tales præsumpsissent orationes, sicut quidam famulantur de B. Catharina. Et de decem millibus Martyrum, quæ fabulosè (dicā donec aliud videro) finguntur omni genere Passionis Christi perpessi fuisse in monte Ararat prope Alexan B driam, nec eorum Passio in aliquo Martyrologio authentico annotatur, nec ipsorum diē Romæ in aliquo Calendario antiquo potui reperire. Vndè dicit B. Cyprianus de lapsis, & ponitur quinquagesima distinct. Si quis præpostera: Quòd si sancti Martyres mandent aliqua fieri, quæ non sunt scripta in lege Domini, antè scien dum est, illos à Deo impetrasse quæ postulant, & tunc facere quæ mandant. Neque enim statim videri potest, diuina Maiestate concessum quod C fuerit humana pollicitatione promissum. Nam Moyses Exodi 32. cap. pro peccatis populi petijt, nec tamen veniam, quam petijt, accepit. Similiter Passiones sanctorum Bartholomæi, Simonis & Iudæ, Petri & Pauli, Vitæque & Passiones aliorum sanctorum multorum, quas hinc indè sub quadam deuotione indiscretā colligūt sacerdotes, periculosè in officio diuino leguntur. Et apud vos, & in Ordine vestro simpliciter etiam in vna lectiuncula legi non debet, nisi id, de quo constiterit euidenter, quòd ab Ecclesia D fuerit approbatum. Nam vt dicit B. Augustinus ad Hieronymum, & ponitur 9. distinct. Si ad scripturas sanctas admissa fuerint vel officiosa mendacia, quid in eis remanebit auctoritatis? Quæ tandem de scripturis illis sententia proferetur? Cuius pondere contentiosæ falsitatis obteretur improbitas? quasi dicat, Nullius. Officiosa autē secundum Glossam dicuntur, quæ continēt pietatem, quæ nulli obsunt, & alicui prosunt. Sicut inofficiosum dicitur testamentum, quod est cōtra officiū pietatis. Et ideò sæpius miratus sum, quomodo *adeò reprobas seu incertas scripturas affectent: ex quo Ecclesia Catholica sufficiē- E tes habet pro salute nostra in officio perlegendas. Vt autem Legenda fiant honestè & secundū ordinem, sequuntur verba memorati B. Gelasij Papæ, quæ ponit in dicto Canone, Sancta Romana, vbi sic dicit: Gesta sanctorum Martyrum, qui multiplicibus tormentorum cruciatibus, & mirabilibus confessionum triumphis irradiant, quis ita esse Catholicorum dubitet, maiora eos in agone fuisse perpessos, nec suis viribus, sed Dei gratia & adiutorio vniuersa tolerasse? Sed ideò secundum antiquam auctoritatem vel consuetudinem, singulari cautela, in sancta Romana Ecclesia non leguntur: quia & eorum qui scripserunt, nomina penitus ignorantur, & ab infi-

*plures

fidelibus, aut dictis superflua, aut minus apta, quàm rei ordo fuerit, scripta esse putantur. Sicut cuiusdam Cyrici & Iulitæ, sicut Georgij, aliorumque Passiones huiusmodi, quæ ab hæreticis perhibentur conscriptæ: propter quę (vt dictum est) ne vel leuius subsannādi oriretur occasio, in sancta Romana Ecclesia non leguntur. Nos tamen cum prædicta Ecclesia omnes Martyres, eorumque glorioſos agones, qui Deo magis quàm hominibus noti sunt, cum omni deuotione veneremur. Hæc ibi. Et videtur notandum, quòd idē B. Papa quamuis in vno loco dicti sacri Canonis vitam B. Siluestri, Canonicis scripturis annumerauerit, sub his verbis: Item actus B. Siluestri Apostolicæ sedis præsulis, licèt eius, qui scripsit, nomen ignoremus: à multis tamen in Vrbe Roma catholicis legi cognoscimus, & pro antiquo vsu, multæ hoc imitantur Ecclesiæ: tamen in sequenti parte dicit, In die ipsius B. Siluestri, Sermones vel homilias in Officio Diuino legendas esse: Per hoc innuens, vt legenda & canenda in Ecclesia Dei vltra omnia debeant esse pura, clara, & facilia, absque hæsitatione quacūque. Et addendum est præmissis, quòd decorem lectionum, quem idem B. Papa statuit in Natali Domini & in Epiphania, vt potè, quòd in primo nocturno legatur de Veteri Testamento, in secundo Sermones, in tertio Euāgelij expositio, Romani extendunt ad Dominicas magis præcipuas, scilicet in Aduētu, & à Septuagesima vsq; ad Pascha. In octaua Paschæ, in die Ascensionis, in quinque festis Petri & Pauli, in Natiuitate Mariæ, in tribus diebus post Natiuitatem Domini: vt in ijs diebus in primo nocturno legatur de Veteri Testamento vel Nouo, In secundo, Sermones, In tertio, Homilia Euangelij. Similē decorē faciūt de sancto Laurētio Martyre magno Romano, vt in primo nocturno de eius passione legatur, in secūdo Sermo, in tertio, Homilia. Et ad reuerētiā Dominicalis festiuitatis obseruāt, vt in ipsa Dominica Lectiones Responsorijs cōcordent vbi cadere possunt. Quamuis per hebdomadā, Biblia in alia parte continuetur: vt sic festiuitas Domini, sicut festiuitas Sanctorum, cōtinuationem Bibliæ interrumpat. Sciendum etiam quòd Romani more fratrum Minorum non legunt de Sanctis Romanis Lectiones chronicales, sumptas ex pontificali Chronico Damasi, & cæterorum: sed eorum ecclesię habēt libros antiquos sermonibus, & homilijs multis, & sanctorū Passionibus plenos, prout videmus apud alias Nationes, libros ecclesiasticos constituros, nec dictorum fratrū sensus est ordinatus ad Romanæ Ecclesiæ antiquas consuetudines, vt infra dicetur Propositione vigesimasecunda.

PRO-

Universidad de Deusto
Biblioteca

PROPOSITIO XII.

Similiter in eodem officio Cantus debet esse authẽticus & approbatus.

VErbum Christi abundet in vobis abundãter, in omni sapientia, docentes, & commonentes vosmetipsos in psalmis, hymnis, & Canticis spiritualibus in gratia, cantantes in cordibus vestris Domino, Ad Colossenses 3. cap. Quãuis priùs hęc tria, Psalmi, Hymni, & Cãtica differenter intellecta sint: tamen hic Hymnos & Cantica intelligamus ea, quæ voce sonora in laudibus fiunt diuinis. Et nunc specialiter de ijs cantandis in ecclesia Dei fiet sermo. Pro quo sciendum, quòd ab initio Diuinum officiũ omnimodè constitutum erat in ipsis Psalmis, absque hoc quod aliqua cantarentur, sed cuilibet Psalmorum Alleluia cum oratione adiungebatur. Et huiusmodi orationes in antiquis Psalterijs reperiuntur elegantes. Bina autem vice sancti Patres conueniebant ad psallẽdum: videlicet in nocte ad Vigilias, & hora lucernarij ad vesperas. Persolutis autem suo numero psalmis, lectiones ex veteri & Nouo Testamẽto addebantur, sed in Sabbato, & Dominica tantùm de Nouo. Ad tertiam autem, sextam, & nonam in eorum Cellis similiter psalmos, sed pauciores, persoluebant. Missæ autem in ecclesia Dei primitus fiebant cum lectionibus vtriusque Testamenti & Euangelio, absque Cantu. Ad quas Cælestinus Papa psalmos, sicut ad alia officia, de cantari instituit. Legitur autem in historia Tripartita libro tertio, capitulo octauo, beatum virum Ignatium vidisse Angelos in cælo antiphonatim cantantes, & antiphonarum vsum in ecclesia Antiochena instituisse, & exindè vsum Antiphonarum ad ecclesias cęteras transiuisse. Vndè Isidorus lib. 3. Etymologiarum, Antiphona ex Græco interpretatur vox reciproca, duobus scilicet Choris alternatim psallentibus, ordine commutato, siue de vno ad vnum. Quod genus psallendi, Græci inuenisse traduntur. Tamen ex hoc vniuersaliter in ecclesiam Dei cantus non fuit introductus: sed postmodum tempore Theodosij iunioris, sicut in Vita B. Ambrosij legitur, in ecclesia Mediolanensi, Cantus & hymni cœperunt frequentari. Et tempore successiuo à beato Ambrosio apud Latinos & ad Missam, & ad alias horas diuinas, cantus publicus cũ Hymnis metricis est introductus. Vndè in Chronicis legitur, quòd Ambrosius ritum Antiphonarum in ecclesia canendarum, primus à Græcis transtulit ad Latinos. Hic etiam post Hilarium, hymnos canendos, primus composuit. Officiũ enim Ambrosianum ad Nocturnos, & Matutinas, atque Vesperas, Laudes, necnon ad Missam, habet solennem, & fortem cantum, omninò alium à Romano, quem hodierna die, sonora, & forti voce seruant Clerici ciuitatis, & diœcesis Mediolanensis. Et exindè apud Romanos beatus Gregorius & Vitalianus Papæ cantum Romanum receperunt, qui per eos seu per alios sub tenore & tono qui hodiè cantatur, vbique extitit magis planè dulcoratus, & ordinatus. Roma nus iste Antiphonarius deindè in Franciam tempore Pipini per Stephanum Papam delatus fuit, vt dicit Vualafridus. Et tempore Caroli Magni in Alemannia publicatus. Vndè Sigibertus in Chronicis, Anno septingentesimo septuagesimo quarto, Carolus Rex offensus dissonantia ecclesiastici cantus inter Romanos, & Gallos, & iudicans iustius esse de puro fonte, quàm de turbato riuo, bibere: duos clericos Romam misit, vt authenticum cantum à Romanis discerent, & Gallos docerent. Et per hos primum Meten. ecclesia, & per illam omnis Gallia ad auctoritatem Romani cantus reuocata est. Idem anno septingentesimo nonagesimo Carolus, honestati ecclesiasticæ omnino intentus, legendi, & psallendi disciplinam diligenter correxit. Perpendens enim iterum Gallos a Romanis in cantando discrepare, Metensis verò, sola naturę leuitate paululũ quid dissonare, per Cantores rursum sibi ab Adriano Papa. à Roma directos, dissonantiam cantus correxit. Hæc ibi. Omnis autem Cantus ecclesiasticus consistit in antiphonis, super quas psalmi psalluntur, quę à B. Ignatio initium habuerunt: aut in Responsorijs ad lectiones ordinatis, quæ Itali scribuntur reperisse. Vndè Isidorus libro sexto Etymologiarum: Responsoria Itali tradiderunt. Qui indè Responsorios cantus vocant, quòd alio desinente, alter respondeat. Inter responsoria, & Antiphonas hoc differt, quòd in responsorijs vnus versum dicit, in antiphonis autẽ Chori alternãt versus. Antiphonæ enim generaliter dicuntur siue sint illi cantus, quos vulgariter antiphonas appellamus: siue inuitatoria, quę Benedictus appellat Antiphonas; siue secundum Officium Romanum, Introitus, Offertorium, & post Communio: siue secundum officium Ambrosianum, Psallenda, Ingressa, Antiphonæ, post Euangelium, Offerenda, Confractio, & Transitorium. Responsoria verò ad lectiones adiunguntur in vtroque Officio, & in Ambrosiano ad Vesperas, & in vtroque ad lectiones in Missa. Sed in Romano, in Missa, nominantur Gradualia: & in Ambrosiano, Psalmeli. Et quia Cantus Missalis modicum consueuit alterari, videamus de cantu Vigiliarum, Laudũ, & Vesperarum. Pro quo prænotetur quòd antiphonæ & Responsoria ad vnum diem, vel obseruationem pertinentia, vocantur historia. Omnes autem Nationes satis vniformiter habent historias temporales, siue de Tempore, Antiphonario Romano concordantes. Sed de sanctis, siue de diebus sanctorum Italianæ ecclesiæ, Romano magis se conformant: quia proprias historias sanctorum minus admittunt. Deindè Ecclesiæ Gallicanæ, deindè Anglicanę, & postremò Alemanię Ecclesię ad historias Sanctorũ proprias magis se dilatauerunt. Sed quo ad antiphonarium Romanum, hoc sustinẽdum est, quòd

Lib. 10. cap. 9.

est, quod in ordine Responsoriorũ, & in versibus eorundem occurrunt sæpè apud diuersas Nationes, & ecclesias varietates. Nam nec similes versus communiter habentur, nec idem ordo responsoriorũ, & antiphonarum vbique seruatur. Immo in libris Romanis sępius eandem notaui varietatem. Ideò notandi videntur, qui in ordine Responsoriorum, aut in versibus scrupulum ponunt, & in Propositione X. supra dicta largam conscientiam admittunt. His præmissis, per historias temporales, & sanctorum breuiter transcurramus, donec de Vrbe veniat id quod erit magis perfectum. Sancti ergo Dominici dies excellentius in Romano, quàm Ambrosiano officio historijs solennibus sunt decorati. Singulæ namque Dominicę in Aduentu, & à Septuagesima vsque ad Pascha, proprijs historijs decorantur. Tempus Paschale per quindenas, & tempus post Epiphaniam, & Trinitatem secundum quantitatem temporis, & deindè ab Augusto per menses, propriæ historiæ imponuntur. Præterea festa Domini nota, & tria festa Virginis gloriosæ, Angelorum, vtraque festa S. Crucis, & Baptistæ, Petri, & Pauli, Andreæ, & Ioannis Euangelistæ, Stephani, Laurentij, Clementis, Sebastiani, Innocentum, Ioannis, & Pauli, Mauritij martyrum, Martini, & Nicolai Cõfessorum, Agnetis, & Cæciliæ, Agathæ, & Luciæ virginum. De sanctis Paschalibus, & in cõmuni de Apostolis, de Martyribus, de vno Confessore, & de vna Virgine, proprijs gaudent historijs in Antiphonario antiquo Romano, quamuis aliquę sint inexpletæ. Et nostrates ab Ecclesia Gallicana, historias de Sancto Remigio, & de Sancto Dionysio, & Laudes de S. Brictio proprias habent commodatas. Stephanus Tongrorum Episcopus de inuentione S. Stephani, & de S. Lamberto, & de S. Trinitate proprias ordinauit historias, vt dicit Sigibertus in libro de illustribus Viris, quę communiter in istis partibus obseruantur. Monachi de S. Benedicto historiam habent sumptam ex dialogo B. Gregorij, & secundùm tomum Romanum, & in Antiphonario Romano decantam. Religiosi * Antiphonas nouem Lectionum communiter seruant historiam B. Augustini sumptam ex libro suarum confessionum: sed de istis duabus historijs nihil ad seculares. De præmissis historijs aliquæ sumptæ sunt incindè ex sacra scriptura secundum verba congruentia, & duæ, ex Psalterio, scilicet, Domine in ira: &, Si oblitus: aliæ, ex Lectionibus seu Passionibus, quæ tunc leguntur: alię ex Sanctorum sermonibus siue dictis, prout plura Responsoria, & antiphonę reperiuntur de Natiuitate Domini, & de B. Virgine. Omnes autem prædictę historię, auctoritatem habere videntur ex libris antiquis Romanis, quorum Exemplaria mecum etiam detuli, saluis ijs, de quibus præmisi. Carthusien. autem nec Responsoria, nec antiphonas admittunt, nisi sumptas de sacra scriptura. Nec moueat, quod fratres Minores sæpius non habent antiphonas seu Responsoria antiqua Secularium a Romanis recepta: quia plura in libris Romanis reperta, ab eorum vsu resecauerunt. Item antiphonæ nocturnales trium dierum post Natalem Domini, & de sanctis Petro & Andrea, quibus seculares vtuntur, non sunt de antiphonario Romano, in quo aliæ breuiores & faciliores continentur, sed à Gallicis compositæ asseruntur. De B. autem Virgine Antiphonę, Eccè tu pulchra, & cæteræ pro nocturnis, & longiores ad Benedictus, & Magnificat de Canticis sumptas seculares plures obseruant. Cum autem etiam si resecarentur omnes Antiphonæ, & Responsoria, de quibus certa auctoritas non habetur: adhuc remanerent sufficientes pro congregatione pauciore. Ideò Ordo vester multùm curiosè inquirere debet, quæ Responsoria & quas Antiphonas in officio admittatis, quia in ijs omni spiritui non est credendum. Historiæ temporales frequentiùs abundant in Responsorijs, vt etiam pro diebus ferialibus plura supercrescant. Sed aliqui Religiosi, vt Prædicatores & eos sequentes ferialia resecauerunt, & Dominicalia secundum ordinem repetunt feriarum. In Romano tamen vsu primum Dominicale numquam repetitur in ferijs, sed omnibus expletis, si sit feria incipitur à secundo. Et quibus hoc placet, videant Fratrum Minorum notas. Item, Gloria patri Responsoriorum, Romę in libris antiquis reperitur integrè cantatum ad notam Toni, sicut facimus post introitum. Et quia posteris non placuit totum cantari, ideo decisè cantatur in quolibet octo tonorum. vsque *Sicut erat*, Et ità cantãt Carthusien. Colonien. Leodien. & plures solénes ecclesiæ. Post *Gloria Patri*, repetitio debet esse breuior, quàm post versum, vt etiam seruant Romani & Carthusien. Sunt etiam in officio diuino, breuia Responsoria, quæ in officio Romano ad paruas Horas, vt ad Primam, Tertiam, Sextam, Nonam, & Completorium dicuntur, & de psalmis sumuntur, excepta Prima. Verùm sicuti verò parui, qui in Ambrosiano, & in libris antiquis Capitula nominantur, similiter de Psalterio sumi debent. Benedictinum verò officium in paruis Horis versiculos habet, & ad Laudes, & Vesperas, & ad vnicam lectionem ęstiualem, Responsorium breue. Auctoritate verò Romana, & B. Patris Benedicti Responsoria, nec breuia, nec magna dici debent cum Alleluia, nisi tẽpore Paschali. Vndè idem Benedictus *in* Regula cap. 34. Responsoria verò numquam dicantur cum Alleluia, nisi à Pascha vsque ad Pentecosten. & in hoc puncto in paruis Responsorijs plures abutuntur contra Romanum vsum sanctum & decorem cælestem Alleluia facientes, quod sancti Patres dumtaxat dicto tempore sine intermissione dici voluerunt, id alteri tempori non concedentes.

for. * aliqui vel * autẽ. In M.S.c-rat.ã.

Universidad de Deusto
Biblioteca

PROPOSITIO XIII.

Hymni ecclesiastici, Capitula, Orationes, in officio obseruanda, authentica esse debent.

DE Hymnis canendis, & Saluatoris & Apostolorum habemus exemplum, de consecratione distinctione prima, cap. de Hymnis. Nam & ipse Dominus Hymnum dixisse perhibetur, testante Matthæo Apostolo, Et Hymno dicto, exierunt in montem Oliueti. Et Paulus Apostolus tã ad Ephesios, quàm ad Colossenses, de hymnis cantandis scripsit, vt supra Propositione octaua & duodecima. Est autem Hymnus, laus Dei cũ cãtico: vt est hymnus, *Gloria patri*, qui in fine psalmorũ dicitur: & hymnus, *Gloria in excelsis*, quẽ Angeli Christo nato decinerũt: & hymnus, *Te Deum laudamus*; ab Ambrosio & Augustino compositus, vt probatur in Prœmio Milleloquij, & cæteri hymni metrici, quos beatissimi doctores Hilarius & Ambrosius ediderũt, vt in dicto capite de Hymnis. Sanctus autem Telesphorus Papa instituit, vt in nocte Natiuitatis Domini, fierent tres Missæ, & in illis Hymnus angelicus, *Gloria in excelsis*, diceretur, de Consecrat. dist. prima, cap. Nocte sancta. Deindè Symmachus Papa natione Sardus, & Stephanus tertius natione Siculus constituerunt, vt omni die Dominico, & in festiuitatibus sanctorum Apostolorum & Martyrum, dictus hymnus angelicus, Gloria in excelsis ad Missam cantaretur. Sic itaque idem hymnus sanctorum Patrum auctoritate ad festiuitates dumtaxat est constitutus: & tempore tristitiæ, vt in Aduentu & in Septuagesima intermitti debet. Nec Leo Papa nonus in huiusmodi intermissione aliquas excipit festiuitates, de consecratione, distinctione prima, cap. Hi duo hymni. Et quoniam Hymnus, *Te Deum laudamus*, pariliter resonat laudem sanctæ Trinitatis, sicut Hymnus, *Gloria in excelsis*: ideò Romana obseruatione introducta est regula, vt hi duo hymni pariliter vnus in Laudibus, & alius in Missa debeãt cantari, & pariter intermitti, vt ponit beatus Innocentius Papa tertius, extra de celebratione Missæ, capite Concilium, in fine, vbi idem Papa aliam dat nobis auctoritatem: vt sicut ad festiuitates Dominicales & Sanctorũ, hi duo hymni suis temporibus decantantur: ita eisdem temporibus, in diebus profestis, hoc est, procul à festiuitate, scilicet in diebus priuatis, quando tres fiunt lectiones, dicti duo hymni cantari non debent, vt inter commemorationem & solennitatem differentia ostendatur. Et hoc debent obseruare, qui diligunt decorem domus Dei. Nam sicut decor est, illos in festiuitatibus seruare, ita decor est illos dimittere in diebus priuatis. Quanto enim has glorificationes diebus priuatis magis supprimimus, tanto illas iucundius in festiuitatibus suscipiemus. Et istud videtur decere ordinem vestrum. Nã idem sequuntur plures religiones. Et si ita scriptum est, vt cantari nõ debeant extra Dominicas & festiuitates, secundum præceptũ Regulæ non cantentur. De hymnis autem metricis valdè curandum est, ne cantentur aliqui, nisi approbati & editi, vt supra dictum est. Reprobi autem vt plurimũ nosci possunt, vel quia non sunt generales, vel quia metrum habent corruptum. Ad Primam autẽ, Tertiam, Sextam, & Nonam Hymni consueti more Romano non mutantur, & in minori congregatione sub facili Tono seruari debent. Nam hoc generaliter custodiendum est, vt quinque paruæ horæ sub humilitate seruentur, & tres maiores festiuius celebrentur. Ad quod accedit auctoritas beati Benedicti, qui in minori congregatione Psalmos in paruis horis directanè dici permittit. Aliquorum autem congregatio paucis temporibus illos horarum hymnos cantat sub tono festiuitatis, vltimo versu variato. Et aliquorum vsus ad Primam, Tertiam, Sextam, & Nonam, tẽpore Natalis Domini, habet hymnum, *Agnoscat*, qui in Hymnarijs Romanis reperitur. Sed qui quotidiè in festiuitatibus Hymnos consuetos omittunt, & ad easdem horas diuidunt hymnum festiuitatis, nec auctoritatem habent, nec exemplum, sed nimium abutuntur. Ideò illos sequi non debetis: sed in humili congregatione vestra, humillima decantare. Qui in Completorio Hymnum post Capitulum dicunt, agũt contra auctoritatem Romanam, & Ordinem B. Benedicti, in quorum officijs statim post Psalmos locatur, sicut in alijs quatuor paruis horis hymnus dicitur ante Psalmos. Et in Ambrosiano, tam in Completorio, quàm in eisdem paruis horis dicitur similiter ante Psalmos. Præterea in Ambrosiano officio ad matutinas semper dicuntur duo hymni, in principio & in fine. Et similiter in Romano & Benedictino officio, ad nocturnos dicitur vnus hymnus, & ad laudes alter: & hoc seruant omnes Religiosi & Italici, Gallici, & Anglici. Alemanni autem in hoc degenerant. Nam ad Nocturnos, nullum dicunt, & ad laudes rarò. Ex quibus videtis, quos sequi debeatis, Hymni autem subsequentes, videntur obseruandi. In Aduentu ad Vesperas, *Conditor*: ad Nocturnos, *Verbum*: ad Laudes, *Vox clara*: ad Completorium, secundum aliquos, *Veni redemptor*, qui est Ambrosianus de Natiuitate Domini. Item de Natiuitate ad Vesperas, *A solis*: Ad Completorium, *Fit porta*: Ad Nocturnos, *Corde natus*: Ad Laudes, *Christe redemptor*: Ad paruas horas, *Agnoscat*, vt supra. In Epiphania, ad Vesperas ac Laudes, *Hostis Herodes*: Ad Nocturnos, *A patre vnigenitus*: vel Ambrosianus: *Illuminans altissimus*. Dominicis quotidianis in Sabbato, *Deus creator*, qui est Ambrosianus Vespertinus quotidianus, cuius meminit Augustinus libro 7. Confessionum, quando per somnum à luctu anxio in dolore mortis Matris recepto fuit curatus. Et hunc hymnum fratres Minores, & alios plures malè omittunt, quia authenticus est, & multum pulcher. Ad Nocturnos in hyeme,

Matt. 26.

Luc. 2.

me, *Primo dierũ*: & ad Laudes, *Aeterne rerũ cõditor*, q in Ambrosiano, omni die dicitur in principio ad Matutinas. Item ad Nocturnos in æstate, *Nocte surgẽtes*: & ad Laudes, *Ecce iã noctis*. In secũdis Vesperis Dominica, *Lucis creator*. Feria secũda, in Nocturno, *Somno*: in Laudibus, *Splendor paternæ*, q est Ambrosianus tẽporalis in fine Matutinorũ: In vesperis, *Immẽse*. Feria tertia, in Nocturno, *Cõsors*: In laudib⁹, *Ales diei*: In Vesperis, *Telluris*: Feria quarta, in Nocturno, *Rerũ creator*: In laudib⁹, *Nox et tenebræ*: In Vesperis, *Cæli Deus*: Feria quinta, in Nocturno, *Nox autẽ*. In laudib⁹, *Lux eccę*: In Vesperis, *Magne Deus*. Feria sexta, in Nocturno, *Tu Trinitas*: In laudib⁹, *Aeterna oculi*. In Vesperis, *Plasmator*. Sabbato, in Nocturno, *Sũme Deus*: In laudib⁹, *Aurora iã spargit*. Oẽs isti hymni feriales Romano vsu, vnicã & facilẽ habẽt notã. De nostris autẽ Alemãnis, aliq omittunt Nocturnales, vt Colonienses: aliqui, omissis laudũ hymnis, Nocturnales ponũt ad Laudes, vt Leodienses: alij, oẽs feriales omittũt, & Dominicales æstiuales in ferijs repetũt, vt Prædicatores. Securius est, seq morẽ Romanũ. De Quadragesima sũt * hymni, *Audi benigne*: Ad Nocturnos, *Ex more*: In laudib⁹, *O Nazarene*. Secũda quinde na, Ad Vesperas, *Nũc tẽpus*: In Nocturno, *Clarũ decus*: In laudib⁹, *Iã Christe*: ad Cõpletoriũ, p mẽsem, *Christe qui lux*: q est Ambrosian⁹. Aliorũ vsu sunt alij hymni Quadragesimales, cũ in his rarò vsus se cõcordẽt. De passione ad Vesperas, *Vexilla*: Ad cõpletoriũ, *Cultor Dei*: Ad Nocturnos & Laudes, *Pange lingua*, quia fit diuisio. De resurrectione sũt hymni, *Ad cœnã agni*. Ad Cõpletoriũ, *Iesu nostra*: &, *Aurora lucis* cũ versib⁹, qui diuidi possunt ad Nocturnos & ad Laudes, vt faciunt Prædicatores. Romani habẽt in Nocturno [ ] & in laudib⁹ dicũt hymnũ, *Aurora*, integrè. Est & Ambrosianus, *Hic est dies verus*. De Ascẽsione, *Festum nunc celebre*, *Aeterna cæli gloria*, & *Hymnũ canamus*: & Ambrosianus, *Optatus vocis*. De sancto Spiritu, *Veni Creator*: In nocturno, *Iã Christus astra*: qui est Ambrosianus. In Laudibus, *Beata nobis*. De sancta Trinitate ad Vesperas, *O lux beata*: in Nocturno, *Tu Trinitas*: in Laudibus, *O m. Deus*. De Natiuitate Ioãnis, *Vt queãt laxis*: qui est prolixus, & diuidi potest p Nocturnũ & Laudes. In Ambrosiano est, *Almi prophetæ*. De Apostolis Petro, *Aurea luce*: & hymnus, *Festum per omnes*. Ex quibus Minores aliquot versus habẽt, reliquis resecatis. Est Ambrosianus, *Apostolorũ passio*. De sãcto Laurẽtio sunt plures, *En Martyris*: *Martyris Christi*, qui Sapphicus, & Ambrosianus, Apostolorũ. De Assumptione, *O quàm glorifica*: & *Gaude visceribus*. Et p quolibet festo ad Vesperas, *Aue maris stella*: ad Nocturnũ, *Quẽ terra*: & ad Laudes ei⁹ portio, *O gloriosa*: & Ambrosianus, *Mysterium Ecclesiæ*. De sancto Michaele ad Vesperas & Laudes, *Christe sanctorum*: in Nocturno, *Tibi Christe*: & Ambrosianus, *Mysteriorũ*. De sancto Martino, locales plures habetis, Ambrosianus habet, *Bellator armis*. In Dedicatione Ecclesiæ cõmuniter habetur, *Vrbs beata*: q diuidi potest. Ambrosianus habet, *Christe cũctorũ*. De Apostolis ad vesperas, *Exultet*: in nocturno, *Aeterna Christi munera*: qui est Ambrosianus prolixus, & Romano more partim capitur in Nocturno Apostolorũ, partim in Nocturno Martyrũ. De Apostolis ad Laudes, *Ortu Phœbi*. De vno Martyre ad Vesperas & Laudes, *Martyr Dei*: in Nocturno, *Deus tuorũ*: q est Ambrosian⁹. Sed ibi prolixior alijs placet, hos duos e cõtra dici. De Martyrib⁹ ad Vesperas: *Sanctorũ meritis*: In nocturno, vt supra: in Laudib⁹, *Rex gloriose*. De vno Cõfessore, *Iste Cõfessor*. Sũt alij duo, *Iesu Redẽptor omnium*, *Iesu corona celsior*: qui est Ambrosianus. De ũna Virgine ad Vesperas & Laudes, *Iesu corona virginũ*: q est Ambrosian⁹. in Nocturno, *Virginis proles*. Oẽs autem prædicti hymni, & adhuc plures alij, reperiũtur Romæ in hymnarijs antiqs, & aliq in Officio Ambrosiano: Necessarij autẽ hymni & authẽtici admitti debẽt. Et securiùs de cõmuni cãtabũtur, quã locales & apocryphi admittãtur. Quo autẽ loco ad Laudes & vesperas hymni dici debeãt, infrà dicet Propositione 14.

fort. deest * ad Vesperas

De Capitulis

Nunc de capitulis videatur. Sciendũ quòd sicut ad Vigilias noctis legũtur lectiones magnę, ita ad Laudes & Vesperas, & ad quinq; paruas horas dicũtur paruæ lectiones, siue lectiunculæ, quas sãctus Benedictus in Regula sua vocat Lectiones. Et ita sepè appellãtur in multis scripturis. Cõmuni autẽ vsu seculari, appellãtur Capitula. In Ambrosiano autẽ & ępius in quibusdã antiquis libris, Versiculi parui, qui de Psalmis recipiũtur, appellãtur capitula. Et ita ponitur de Cõsecratione, dist. 5. cap. Cõuenit. Recipiẽdo autẽ priorẽ significationẽ, notãdũ, quòd regulariter Romano more in officiãdo Dominicas & festa, habẽtur tria ꝓpria dũtaxat Capitula, ad Tertiã, Sextã, & Nonã, quorũ primum repetitur ad vtrasq; Vesperas, & ad Laudes. Et hoc sũptũ est ab Ambrosio, q dũtaxat ad Tertiã Sextã, & Nonã ponit huiusmodi ꝓpria capitula, licèt pauca. Et iste modus dicẽdi seu repetendi capitula, est multũ generalis in orbe religiosis Italicis, Gallicis, & Anglicis. Et sicut lectiones nocturnales nõ sũt vbiq; eædẽ, ita in huiusmodi capitulis rarò est cõcordia. Nã vnus vsus habet ista, & alius alia. Omnia tamẽ vbiq; sumũtur, & sumi debẽt de sacra scriptura, & secũdũ beatũ Benedictum ex corde recitari. Alemãni autẽ plures aliũ modũ habẽt capitulãdi. Nã ipsorũ multæ Ecclesiæ in officiãdo habẽt sex propria Capitula & Orationes, scilicet ad vtrasq; Vesperas, Laudes, Tertiã, Sextã, & Nonã. Inter quę ꝓcipuũ exitit Capitulariũ Stephani Tõgrorum episcopi. Idem enim episcopus, vt dicit Sigibertus in lib. de Viris illustribus ad Robertum Metensis Ecclesiæ episcopum, in qua nutritus fuit, scripsit librum capitularium, in quo per totum anni circulum singulis Dominicis & festiuitatibus maioribus Capitula & orationes recollegit. Huiusmodi autem Capitulis & Orationibus vtũtur multæ Ecclesiæ harũ partiũ aliquę integrè, aliæ in multis particulis variauerũt, vt Traiectenses. Aliæ, vnica Oratione contentæ, solũ Capitula receperũt, & hoc sequũtur fratres vestri de Viridi Valle. Et

Universidad de Deusto
Biblioteca

quoniam generali vsu Mundi, in huiusmodi capitulis licet sequi libros Ecclesiarum, nec in illis tenetur identitas, sicut nec in lectionibus Matutinis: videtur, quod fratres vestri de Amsteyn retinere licitè potuissent absque scrupulo Capitularium Viridis Vallis, quod auctorem prędictum habere noscitur. Indiscretus enim scrupulus esse videtur, formare conscientiam de hoc vel illo capitulo, Responsorio, Versu, & huiusmodi recitando, dum tamen sint authentici & Romani per præmissa, & non habere conscientiam de vno integro Psalterio aliquandò omittendo, vt suprà propositione X. Vidi etiam sæpè in libris monachorum, & aliquandò secularium, pro vno officio Dominica vel festiuitate, pluta Capitula notata generaliter, nec assignatum specialiter, vt ad hanc vel illam Horam recitentur, Multi quoque Alemanni ad omnes Horas vnicum ponunt Capitulum, sicut & in Romano, vnica dicitur Oratio. Hic tamen modus capitulandi, nec auctoritatem habet, nec exemplum. Sequitur videre de Orationibus, in quibus vsus generalior existit, vt vnica pro omnibus Horis habeatur. Ambrosianum quoque officium plures dicit Orationes, & in officio proprias plures habet. Similiter monachi illas multiplicant, & dein magis Alemanni. De orationum verò auctoritate facienda dicitur in quodam paruo Rationali, quod dicitur Micrologus, cap. 5. in hęc verba: Alias quoque Orationes nisi antiquas & Gregorianas, difficillimè admittunt, vtpotè quas in antiquioribus, & emendatioribus Sacramentarijs maximè inueniunt. Nam octauum Aphricanæ prouinciæ Concilium cui sanctus Augustinus, immò ducenti quatuordecim Patres interfuerunt, capitulo duodecimo ita constituit: Nullæ preces, vel orationes, vel Missæ, vel Præfationes, vel commendationes, vel manus impositiones dicantur, nisi in Cōcilio fuerint probatæ. Item tertium Carthaginense Concilium, cui item sanctus Augustinus interfuit, capitulo vicesimotertio: Nullus ad altare Patrem pro Filio, vel Filium pro Patre nominet, sed semper Orationem ad Patrem dirigat, nec qualibet oratione vtatur, nisi probata. Oratio quidem ad Patrem dirigenda est, iuxta Domini præceptum, qui discipulos suos ita instruxit, cùm interrogarent eum qualiter orare debuissent: Cum stabitis (inquit) ad orandum, dicite, Pater noster, hæc vbi suprà. Stephanus Tungrensis in Capitulario suprà dicto ad Capitula singula, singulas adiungit orationes, & valdè multas sumpsit ab Ambrosiano, & ex officio Monachorum. Romæ etiàm in libris vidi orationes, Veneranda nobis: & Supplicationem seruorum tuorum, ad Collectam apud S. Adrianum, & alias plures à fratribus Minoribus omissas. Hæc dico, nè credatur, quòd omnia officij Romani ab eisdem fratribus obseruentur. De hoc latius Propositione XXII. Omnes autem Orationes quorumcunq; vsuum, de quibus certitudo non habetur iuxta præmissa Concilia, A tanquam Apocryphæ respuantur. Nam sufficiunt pauciores, vt dicam Propositione XXIII. in fine Missæ.

PROPOSITIO XIIII.

De nocte in vigilijs, & septies in die laudes Domino sunt canendæ.

SAncti Patres, vt supra dictum fuit propositione 12. per Psalmodias obseruabant quinq; horas, scilicet Vigilias noctis, Vesperam, Tertiam, Sextam, & Nonam. Deindè quia scriptura sæpius iungit Manè & Vesperè, addita est laus Matutina. Multorum quoque episcoporum statutum erat, vt clerus & populus manè & serò preces & orationes Deo funderent cū *Pater noster* & Symbolo. Ideò ad hoc introductæ sunt duæ aliæ horæ, Prima, & Completa, vtraque cū precib⁹, Oratione Dominica, & Symbolo. Itaq; octo sunt Canonicæ horæ, scilicet Vigiliæ nocturnæ, & septem diurnæ, ex scripturis auctoritatē habentes. Vndè B. Benedictus capitulo 25. vt ait Propheta: Septiès in die laudem dixi ibi. Psal. 118. Qui septenarius numerus sacratus, à nobis sic implebitur: si Matutinæ, Primæ, Tertiæ, Sextæ, Nonæ, Vesperæ, & Completorij tempore, nostrę seruitutis officia persoluamus. Quia de his Horis dicit Propheta, Septiès in die laudem dixi tibi. Nam de nocturnis Vigilijs idem ipse Propheta ait: Media nocte surgebam ad confitendū tibi. Ibid. Ergò his temporibus referamus laudes creatori nostro super iudicia iustitiæ suæ, id est, Matutinis, Prima, Tertia, Sexta, Nona, Vesperis, Cōpletorio, & nocte surgamus ad confitendū. Hæc ibi. Ad idem concordat Cassianus lib. 2. de institutis cœnobiorum, & extra de celebratione Missę, cap. 1. Et quamuis seculares iungant Vigilias Matutinis laudibus, & abusiuè vtrumque appellent Matutinas: tamen sunt distinctæ horæ, & diuisim à Monachis per Orationes terminantur. Igitur Vigiliæ noctis, fiunt per tres nocturnos & nouem lectiones, vt Dominicis & festiuitatibus seu per duodecim Psalmos, & tres lectiones dū taxat, vt diebus priuatis, Ambrosiano autem officio omnes Matutinæ fiunt cum tribus lectionibus per totum annum, nisi in Natiuitate Domini & Epiphania, vbi nouem fiūt Lectiones. Quia illos duos dies Domini, extra tempus Paschale duntaxat festiuitates reputat, In Parasceue autē habet sex Lectiones. Vigiliæ autem sunt Canonicæ horæ per se, non habentes cum aliis paritatem: sed Laudes & Vesperæ inter se, Item, Prima & Completorium inter se: & Tertia, Sexta, & Nona inter se habent paritatem, & similem officiandi Ordinem atque modum. De paritate Tertiæ, Sextæ, & Nonæ, satis euidēs est: de aliarum paritate videamus. Quod autē Laudes & Vesperæ, simili modo debent officiari, habemus duo iura posita in Decretis, 12. dist. cap. vltimo. Et de Cōsecratione, dist. 5. capite, *Cōuenit*. Primū est Cōcilij Bracaren. quod sic dicit: Placuit omnibus cōmuni consensu, vt vnus atq; idem psallendi ordo in Matutinis vel Vespertinis officijs

teneatur, & non diuersæ ac priuatæ, neque Monasteriorum consuetudines cum Ecclesiastica regula sint permixtæ. Matutini officium appellāt, quod vocamus Laudes. Vtrobique ergò debet esse idem ordo psallendi, quia ambo similiter inchoantur. Vtrobique sunt quinque Psalmi, qui vtrobique debent habere quinque antiphonas. Vtrobique dicuntur Capitulum, Hymnus, Versus, Canticum cum Antiphonis, Oratio cum memorijs similibus. De monachorum consuetudine ideò dicit, quia in Benedictino officio ad laudes sunt quinque Psalmi, & ad Vesperas tantùm quatuor. Et Laudes in principio habent psalmū directum, aliàs in illo officio pariliter inofficiantur. Secundum est Concilij Agathensis, quod sic dicit: Conuenit, Ordinem Ecclesiæ ab omnibus æqualiter custodiri. Vndè statuendum est, vt sicut vbique post Antiphonas collationes ab episcopis vel presbyteris dicantur, & Hymni Matutini vel vespertini diebus omnibus decantentur, & in conclusione Matutinarum, Missarumque post hymnos, Capitula dicantur: & plebs completa oratione ad Vesperam ab episcopo dimittatur cum benedictione. Hęc ibi. Et expone post antiphonas, ideſt, post Psalmos antiphonatim dictos in Laudibus & Vesperis, Collationes, id est, Lectiones, quas capitula nominamus, vt in propositione præcedenti. Et Hymni matutini. Nota, quòd vtrobique debet hymnus dici, Missarumque, hoc est, complementorum in Vesperis, Capitula, hoc est, Versiculi parui, vt in propositione præcedenti. Et sic nota ordinem, vt ad Vesperas & ad Laudes post quinque Psalmos antiphonatim dictos, sequatur Lectio, hoc est, Capitulum, deindè Hymnus cum versu dicantur, & ita generalius seruatur. Debent igitur Laudes & Vesperæ eodem ordine inofficiari. Sed à multis iste ordo tripliciter immutatur, addēdo, subtrahendo, & transponendo. Addendo, vt qui laudibus verſiculum sacerdotalem præponunt, & ad Vesperas in certis * cantibus Responsorium cantant, quorum vtrumque Romani nusquam faciunt. Sed vtriusque generalis consuetudo cōtraria prævaluit, cuius rationem ponunt Rationalia diuinorum. Subtrahendo, vt qui in Laudibus aliquandò nullum habent hymnum, seu aliquandò decurtatum. Et isti manifestè offendunt dictum Concilium, Romanum, Benedictinum, & Ambrosianum Officium, quorum quodlibet semper habet hymnum. Transponendo, vt qui alio ordine dicunt Hymnum in vno, quàm in altero. Additio tolerari potest, subtractio autem & transpositio videntur vitiosæ. Completorium verò & Prima, ferè similem habent Officiationem: Quia vtrobique est Hymnus in vno ante, & in altero statim post Psalmos. Vtrobique fit confessio & absolutio: & vtrobique sub quatuor Gloria, sunt quatuor Psalmi. Et vtrobique capitulum, Responsorium paruum in Romano, versus, Preces, & cętera sub collecta, sed Completorium præcellit in cantico. Et quia sicut cæteræ horæ paruæ, solam debent habere antiphonam: A ideò excellentiori vsu, psalmi completorij dicentanei sunt cum alleluia, & ad Canticum antiphona collocatur. Et prętereà, propter hanc parilem Officiationem quando Prima habet, *Miserere mei Deus*, vsu approbatiore Completorium præcedens semper illud idem habet. Cum enim festiuitas præcedit, illa in secunda vespera terminatur, (vt infrà dicetur propositione 19.) & Completorium ad diem pertinet subsequētem. Et sciendum, quòd Ambrosiano, Benedictino, & Romano more Completorium per totum annum est vniforme, nec aliqua mutantur, nisi propter tempus aliqua subtrahantur. Prima verò Ambrosiana est vniformis. In Prima versus responsorij in Natiuitate Domini, in Apparitione, Resurrectione, & Ascēsione generali vsu sic mutari solet. Eisdem temporibus, & in Aduentu, & in Quadragesima atque Pentecoste, secundùm vsus celebriores, & multorum scripturas, Antiphonæ duntaxat tranſmutantur. Cætera semper vniformia remanent, nisi in triduo ante Pascha & hebdomada sequēti. Antiphona etiam S. Trinitatis in Prima, vniformis esse deber, nisi in Aduentu, & Quadragesima, in Natiuitate, Apparitione, Resurrectione, Ascensione, & Pentecoste, & de Virgine gloriosa. Sed propter parilitatem completorij & primæ suprà dictam, ad mutationem antiphonæ Primalis, multi ab vniformitate completorij declinantes, mutant in illo hymnum & antiphonam ad *Nunc dimittis*. Alij temporibus quibus versiculus responsorij in prima mutatur, mutant etiam in Completorio capitulum cum versu. Alij verò quoties libet, in festiuitatibus completorium mutare volunt. Nimia mutatio vitiosa videtur, nec stabilibus religiosis congruere, qui facilia & breuia sequi debent. Comuniore autē vsu seruatur ad Primā capitulum, *Domine miserere*: Oratio, *Deus qui ad principium*: cum oratione, *Actiones nostras*, quæ sunt Ambrosianæ. Ad Complet. Capitulum, *Tu autem*: & Oratio, *Illumina quæsumus Domine*. Et conuenit, vt vtrobique intercessio Virginis gloriosæ, & omnium Sanctorum inuocetur in oratione, sicut fit in Ambrosiano. In officio autem Capituli, quod fit post Primam, fiunt tria: primo memoria sanctorum in recitatione Martyrologij, cum versu, *Præciosa*: & capitulo, *Sancta Maria*. Secundo, memoria defunctorum in anniuersarijs recitandis, cum *Miserere mei Deus* & Collectis. Tertio, quia tunc ad labores diurnos præparari debemus. Adduntur preces congruentes, dicendo ter, *Deus in adiutorium*. Et contra B. Benedictum cap. 55. agunt, qui huic versui triplicato quicquam addunt. Deindè ter *Kyrie eleison*, *Pater noster*, cum Versu, & *Respice*, & Oratio, *Dirigere*, Ambrosiana. Item Romanum Officiū ad Primam & Completoriū habet preces ex cantsa dicta supra in principio: Ad cæteras verò horas nequaquā, nisi de tēpore agatur. Ambrosianū autē quotidie in paruis horis duntaxat, post Lectiunculā, quā capitulū dicimus, habet Responsoriū breue, Verſiculū, Kyrie eleisō ter, Paternoster,

for.* communitatibus: aut * cānonicatibus ab breuiatio huiusmodi hic erat, cāibus.

Universidad de Deusto
Biblioteca

ster, cum precibus & Collecta. Benedictinum autem similiter habet ad omnes horas: sed ad paruas, nullum dicit Responsorium. Dictæ quoque quinque paruæ horæ deberet obseruari sub humilitate: & Vigiliæ, Laudes, Missa & Vespere, magis eleganter. Vnde magis solenne est, vt hymni paruarum horarum in eorum nota facili non mutentur. Et in Ambrosiano officio quasi omnes hymni facilem habent notam.

PROPOSITIO XV.

Dominici dies festiuè, feriales verò humiliter debent inoffiectari.

CONstituite diem solennem in frequentationibus vsque ad cornu altaris: quia sanctus dies Domini est, nolite contristari. Diem enim Dominicum Leges seculares iubẽt omnimodè venerari. C. de ferijs, L. Dies festos. Omnes enim dies festiui, qui ex facto Domini nomen habent, vt Dominicus dies, Natiuitatis, Circuncisionis, & cæteri, vitra alios dies Sanctorum sunt honorandi. Vnde in Concilio apud Compendium, & ponitur de ferijs capitulo primo, Omnes dies Dominicos à Vespera in vesperam cum omni veneratione decreuimus obseruari. Constituite ergò diem solennem, scilicet Dominicum, in frequẽtationibus. Ita habet Romana & Ambrosiana trãslatio, vt est, vt frequẽter Dominicis diebus seruetur officium Dominicale, nisi magna festiuitas occurrat. Vsque ad cornu altaris, hoc est, etiam Officium Missæ Dominicale obseruando. Et hoc excellentius obseruatur in Officio Ambrosiano: in quo die Dominico nullius Sancti, etiam Virginis gloriosæ festiuitas agitur, sed occurrens in illo, transfertur. Romanus autem vsus cæteris vsibus post Ambrosianum melius se habet: in quo omnia festa nouem lectionum cedũt Dominicis, nisi sint B. Mariæ, S. Crucis, Ioannis Baptistæ, Apostolorum, & proprium cantum habentium. Quandò autem propria Historia in alia Dominica locum habere non potest, omnis festiuitas differtur. Vndè festum Matthæi Euangelistę, in Dominica non tenetur Romano vsu. Et in Aduentu, & à Septuagesima vsque in Octauam Paschę inclusiuè nullum festum agitur in Dominica: quia Dominicæ interim occurrentes proprijs historijs decorãtur. Propter quod præcipiunt Statuta Colonienſium & Leodiensium, vt in Aduentu Domini, & in Quadragesima nullum festum in Dominica obseruetur. Vrbanus tamen V I. Purificationem faciebat in Dominica septuagesimæ obseruari. Romana igitur consuetudine secundum Micrologum cap. vltimo, In omni Dominica, Ecclesiastico conuentui cum Officio Dominicali satisfacimus, nisi aliqua multùm celebris festiuitas in ipsa die occurrat. In quibus non minus quàm pro Dominica populus solet congregari, quas & in alijs diebus solennissimè celebramus, & nisi propter historiam, vt est dictum. Abusus est ergò nimius, vt festum S. Andreæ in Dominica teneatur: cum Romana consuetudo. Metropolitanum Statutum, & omnes de officio scribentes obuient huic modo. Quorum autem Sanctorum officia in ferijs seruanda sunt, posterius dicetur. Nunc de officijs Dominicalibus pauca perstringamus seruanda, nisi aliud assignetur. Generaliter autem quæ Antiphonæ in Vigilijs, Laudibus, & Vesperis super Psalmos ex Psalmista dici debẽt, in his seruetur vsus loci, & librorum continentia. Quia in Antiphonario Romano aliquandò ad eundẽ Psalmum sunt plures Antiphonæ vt supra. *Dixit Dominus*, Antiphona *Sede à dextris*, & Antiphona *Dixit Dominus*, de quibus vnus vsus habet vnam, alter aliam. De Capitulis, & Hymnis, & Orationibus dictum est supra. Generali consuetudine secularium & monachorum, quandò noua historia est inchoanda, ad vesperas Sabbatinas ex iucunditate Responsorium cantatur. Et regulariter seruatur secundum, nisi aliud habeatur speciale, vt Sabbato primo Aduentus Responsorium *Ecce dies veniunt*. Versiculus Sabbatinus, Vespertina oratio: cæteris diebus versiculus, *Dirigatur*. Ad vtrunque, *Magnificat* & ad *Benedictus*, sequamur libros, & in suffragijs loci vsum. Ad Vigilias noctis in hyeme, aliqua sunt longiora & plura, vt Inuitatoria & hymni; in æstate secus. Vndè in hyeme sunt plura inuitatoria Dominicalia de Psalterio, in æstate solum, *Venite exultemus*. Vtique autem seruetur Hymnus, vt supra dixi. Ad tres verò nocturnos Dominicales in libris Romanis, & in omnibus vsibus mundi sunt nouem Antiphonæ communes de Psalmis sumptę semper obseruandæ, nec in aliquo tempore alterandæ, nec in toto Antiphonario Romano reperi alios Nocturnales, saluo quod dicã de duabus Dominicis ante Natiuitatem Domini, & ante Pascha, Prædicatores, & quidam alij habẽt quasdam antiphonas metricas, *Pro foci meritis*, cum alijs, quæ tanquam apocryphę, omninò respuendæ: & quia captiuæ sunt tam in metro, quam in verbis: similiter respuuntur quædam aliæ, quæ incipiunt [*] in versiculis tam Dominicarum, quàm feriarum, secutis Romanum sequitur vsum. Romani post *Pater noster*, non dicunt versum, sed habẽt absolutiones ante lectiones, quæ secundum ferias repetuntur, quæ piæ & religiosæ videntur. De lectionibus & Responsorijs fiat, prout supra positum est. Reliqui in vltimis Responsorijs similem modum seruant, vt quoties *Te Deum* dicitur, vltimum omittatur, & *Gloria patri* ad penultimum obseruetur. Sed dictum modum non sequuntur, aliæ Nationes. Ad Laudes Dominicales in p. *Venefidire* in antiphonario Romano, multæ habentur antiphonę, quę in hyeme secundum ordinẽ dicuntur: In æstate autẽ, sola scilicet, *Tres pueri iussu regis*. Super reliquos autẽ quatuor Psalmos aliqui seruant antiphonas per alleluia, vt Fratres Minores. Alij verò cuilibet Psalmorũ suam tribuunt Antiphonam iuxta considerationem datam Propositione de-

Inuitatoria

De Antiphonis nocturnalibus

ne decima. Et hæ in dicto antiphonario ponuntur, scilicet *Regnauit Dominus*, cum alijs. Romano enim ordine, qui mente tenendus est, in Vigilijs noctis, in Laudibus, & in Vesperis, quælibet laus sanctæ Trinitatis post Psalmos decantatos, suam antiphonam habere debet subsequentem. Et hic decor officij diuini, vt in dictis Horis hoc fiat, & in alijs paruis, vnica antiphona decantetur. De Psalmis Primæ Dominicalibus dictum est Propositione decima. Et respuatur ille abusus apocryphus, vt sicut *Te Deum* sequitur ad *Gloria in excelsis*, quòd ita *Confitemini* in Prima, sequi debeat ad *Credo in vnum Deum*. De responsorijs & versibus ad Tertiam, Sextam, & Nonam, omnes vsus concordant. Sed in antiphonis Dominicalibus ad Primam, Tertiam, Sextam, Nonam, vbi in Romano laus Dei agitur per tria alleluia, aliæ Nationes illam agunt per antiphonam *Sanctæ Trinitatis*. Quandò festiuitas in Sabbato vel feria secunda occurrat, primo casu festiuitas habet secundas Vesperas, nisi sit Dominica præcipua. Secundo casu Dominica habetur illas, nisi fuerit duplex. Missæ verò Dominicales, quandò sit seruitium de illa in Dominica, non debent omitti, etiam tempore Paschali, & infra octauas maiores, & in Sanctorum Vigilijs, sed festiuè decantari, prout beatus Gregorius illam eo die instituit decantandam. de hoc, Propositione vltima. In seruitio autem feriali ad singulas horas, ad officium mortuorum, ad horas beatæ Mariæ, & ad septem Psalmos in principio, & ad preces & orationes, & in alijs punctis debitis, obseruandę sunt prosstrationes, quarũ vsum loca vestra congruè recipere possunt à Carthusiensibus & Cistercijensibus, quos non multum perpendi à secularibus distare. Ex Romano vsu autem quædam preces habentur ad Vesperas, Laudes, Tertiam, Sextam, & Nonam seruandæ, quibus iungitur *Miserere mei Deus*. Et similiter ad preces Completorij, atque Primæ. Ad Vigilias verò noctis, singulæ feriæ habent Inuitatorium sub simili Tono, Versiculum proprium post Nocturnum, & laudes proprias: Versiculum ante Laudes, *Fiat misericordia*, & ante *Benedictus*, versiculum, *Repleti sumus*, & quandò opus est, Antiphonę ad *Benedictus* & *Magnificat*. Lectiones verò & Responsoria sumuntur ex historia Dominicali. Quandò superexcrescencia Responsoria dicta sunt, tunc iterum incipitur à secundo Responsorio Dominicali, vsu Romano. In Responsorijs & Versiculis ad Tertiam, Sextam & Nonam, omnes concordant. Officium autẽ mortuorum in Vesperis, Vigilijs, & Laudibus obseruatur, vt Vigiliæ dicantur secundum ferias, secũdum vsum communem, & Missa fiat pro eisdẽ. Et modo obseruandi Officium mortuorum, instruamini à Carthusiensibus & Cistercijensibus antè dictis. Nam in hoc officio cum Secularibus se conformant. Septem Psalmi Pœnitentiales cum precibus & altero Psalmo & collectis, seruandi sunt in illis locis, quæ illorum vsum habent. Et idem de quindecim Psalmis Gradualibus cum eorum sequelis. Ad maiorem Missam aliquandò repetendum est Officium Dominicale cum Epistolis & Euangelijs de Feria quarta & sexta. Aliquandò seruandæ sunt Missæ peculiares de beata Virgine, de sancta cruce, suo tempore, de sancto spiritu, & similes, secundum exigentiam ordinis & loci. Et præmissa, de vtroque seruitio Dominicali & Feriali intelligeda sunt, vbi aliæ proprietates non habentur, nec etiam assignantur.

PROPOSITIO XVI.

In officio temporali obseruando, Aduentus Domini, Quadragesimale, Paschale, & Quotidianum tempus specialiter denotentur.

VT autem seruitium temporale honestè & secundùm ordinem fiat, tam Ambrosiano quàm Romano ordine considerãtur quatuor tempora supradicta, in quibus in quibusdam ex tempore ipso singularia obseruãtur. Aduentus Domini apud Romanos incipit prima Dominica post crastinum Catharinæ. Ambrosianus Aduentus habet sex septimanas, & incipit Dominica post Martini. Apud Romanos etiam in Aduentu Domini, ieiunium agitur. Ad uetus partim est lætitiæ, quia Alleluia dicitur, & cantus in iucunditate cantatur. Partim tristitię, quia Te *Deum*, *Gloria in excelsis*, & *Ite Missa est*, reticentur. Nec in festiuitatibus sine auctoritate dici debent, vt Propositione decimatertia, & in nigris vestimentis fit seruitium. In quatuor Vesperis Dominicalibus, & in tribus sabbatinis dicuntur super Psalmos Antiphonæ de Dominica precedenti. Responsorium in omni Vespera Sabbatina dicitur. Nulla festiuitas in Dominica seruatur, sed transfertur, vt supra in præcedenti Propositione dicebatur. Ad Primam, Tertiam, Sextam, Nonam, secundùm vsum antiphonæ seruẽtur. In responsorijs & versibus concordant omnes nationes. De capitulis & Orationibus vt supra. In Euãgelijs Dominicalibus à Romano discrepant cæteræ nationes. In tribus prioribus Dominicis dicendæ sunt ad Nocturnos, Antiphonæ de Psalterio: & omittendæ illę tres *Horæ est*, cum alijs, quia non sunt Romanę, nec in hoc tempore speciales. Et maximè ex eo, quia isti sancti dies Dominicales debent habere nouem Antiphonas, adeò & magis, quàm sancti Martinus, Laurentius, & quicunque cęterorum. Inuitatorium feriale in Tono feriali, *Regem Venturum*, Versiculi & cętera de Dominica, Lectiones ex Esaia. In prima & secunda hebdomada. Responsoria incipiantur à secundo Dominicali, expletis ferialibus, & Laudes ex Psalmista. In tertia hebdomada sempereueniunt quatuor tempora, quę habẽt proprias Homilias cum Responsorijs. Vigilię obseruẽtur cum nouẽ lectionibus. Vna hebdomada in qualibet feria habet proprias Laudes, quę in antiquis Antiphonarijs reposităe sunt incompetenter in quarta hebdomada. Immò debito situ collocari debent cum suis Antipho-

Universidad de Deusto
Biblioteca

nis ad *Benedictus* & *Magnificat* in tertia hebdomada, in qua sunt quatuor tempora, & continuari in suis ferijs vsque ad Vigiliam Natiuitatis. Antiphonæ verò ad *Benedictus* & *Magnificat* tertiæ hebdomadæ dicendæ sunt ad tres Nocturnos Dominicales Dominicæ quartæ. Si festum Luciæ cadit in Dominica, in Sabbato præferatur, vt Laudes feriæ secundæ habeant locum. Antiphona *Nolite timere*, ad *Benedictus* dicenda est in Dominica, quando festum Thomæ à Dominica in diem Lunæ differtur. Et quando idem festum Thomæ cadit in feriam quintam, sextam, vel sabbatum, Laudes & Responsoria illius anticipanda sunt in simili feria, in hebdomada præcedenti. Dies verò hebdomadæ quartæ, quantum opus est, recipiunt Antiphonas super *Benedictus* & *Magnificat* supercrescentes. Et per istas breues considerationes euitabuntur longe tabulæ, quas aliqui posuerunt hic per septem Aduentus. Quando Vigilia Natiuitatis cadit in Dominicam, in hebdomada præcedenti à feria tertia, cius officium supercrescens, quod in Dominica locum non habet, debet præueniri, & in ipsa Dominica cæterum officium persolui. Secundum Rationalia diuinorum bene authentica, de Octauis Stephani, Ioannis, & Innocentum, infra Octauas nulla memoria seruatur. Vide infra

De historia Dum medium silentium.

Propositione 29. Dominica post Natiuitatem Domini, ex Responsorijs eiusdem superexcrescentibus, nouem habet Responsoria, quæ communiter huic Dominicæ solent ascribi. Item habet propriam homiliam, & proprium officium Missæ, à cuius Introitu intitulatur. Hæc historia ita est imponenda. Si aliqua trium dierum post Natiuitatem in Dominica euenerit, in illius octaua imponeter cum memoria de Octaua. Si verò aliqua trium dierum post diem Innocentum in Dominica cadat, in illa plenè imponatur. Et eisdem tribus diebus eius officium suppleri oportet, quandò Natiuitas Domini venit in Dominica. Ad Vigilias autem noctis, Psalmi Dominicales cum Antiphonis de Natiuitate canentur. Et secundum beatum Gelasium legetur de epistolis Pauli, vt Propositione decima dictum est. Cætera suppleantur de die Natiuitatis. Et huius obseruantiæ auctoritas nedum ex vsu Carthusiensium habetur; sed & ex trigesimoseptimo capitulo Micrologi, quod sic dicit: Si Natiuitas Domini vel aliqua subsequentium solennitatū in Dominica euenerit, Officium *Dum medium silentium*, post Natale Innocentū, ad priuatos dies congruè seruatur, sicut & in alijs Dominicis agimus, si aliquandò celebrius in ijs festum habuimus. Idem etiam Officium Romano more recipitur, si quandò ab Octaua Domini vsq; ad Epiphaniā Dominica euenerit. Omnis etenim Dominica à Natiuitate Domini vsque ad Epiphaniā, ex antiqua Traditione illud obtinebit, quæ tamen celebriori festo occupata non fuerit. Nā cùm hoc Officium de Natiuitate Domini agat, conuenientissimè illis Dominicis adaptatur: quæ & reliqua officia de eadem solennitate solent obtinere. Non enim illi sunt audiendi, qui hoc officium, eo quòd de Natiuitate agat, nunquàm post Octauam Domini dicendum existimant: cùm tamen ipsi Vigiliam Epiphaniæ de Natiuitate Domini ex integro inofficiare solent & debeant. Ipsi quoque si Dominica in octaua sancti Stephani vel aliorum venerit, Dominicā de octana inofficiant: dum tamen Ecclesiastica solennitas non pro octaua, sed pro Dominica agatur. Hoc autem sancti Patres in dispositione officiorum summoperè procurauerunt, vt officium semper instanti celebritati concordaret, nec clerus aliud, quàm Populus in ecclesiasticis celebritatibus obseruaret. Præterea omnes Dominicæ solennitates sibi inuicem affines, hoc habent priuilegium, vt obseruatio earum adinuicem continuetur, vt Resurrectionis vsque ad Ascensionem, & Ascensionis vsque ad Pentecosten commemoramus, & omnes Dominicas his solennitatibus interpositis, de eisdem inofficiamus; Sic igitur & Natiuitatis Dominicæ vsque ad Epiphaniam memoriam agimus, nisi in quantum festis Sanctorum, vel Octauis eorum satisfacere cogimur. Eodem quoque modo infra hunc terminum occurrentes Dominicæ, officium de Natiuitate possidebunt. Et capitulo sequenti, Quamuis autem duæ Dominicæ multoties eueniunt eodem tempore, nunquàm tamen ambas Dominicali officio occupari festa Sanctorum permittent, nisi eo tantùm anno, dum Vigilia Epiphanię in Dominica euenerit. Vndè & sanctus Gregorius satis competenter vnum Dominicale officium eo tempore ordinauit, eo quòd & ibi vna tantùm Dominica, omni pene anno occurrat: quæ huiusmodi officio indigeat. Nec hoc vtique sanctus Gregorius, vel post Epiphaniam, vel post Pentecosten seruare curauit, vt tot officia semper haberemus, quot Dominicæ possent euenire. Nam optimè præuidit, huiusmodi inæqualitatem repetitione officiorum facilè emendari posse. Vndè & nos, cum Vigilia Epiphaniæ in Dominica occurrit, prioris Dominicæ officium pleniter repetimus, sicut & in Dominicis post Epiphaniam, & post Pentecosten, quotiès necesse fuerit, iuxta Romanam consuetudinem facere debemus. Sicut enim historias Dominicarum, inquantum tempori sufficit, repetimus: nihilominus & eorum officia Missæ repetere possumus. Nam & Missæ officium Dominicale, alteri Dominicæ, quæ eiusdem obseruātiæ est, non incompetenter, immò competentius adhibebitur, quàm singulis priuatis diebus: qui dum Dominicarum officia recipiunt, ex festiuis ferialia efficiunt. Hoc tamen non ex Ecclesiastici Conuentus necessitate, sed ex propria deuotione vsitamus. Non ergò minùs congruum videatur, si idem officium in alia Dominica, vt ecclesiastico conuentui satisfiat, repetatur. Hæc ibi. Ex præmissis ita latè scriptis, sciant illi se errare, apud quos officium huius Dominicæ, nullo casu, in Dominica locum habet. Octauæ autem prædictæ tres minores, & Vigilia Epiphaniæ,

Micrologus.

trium

trium sunt Lectionum cum Nocturno secundū Carthusienses. Si sit Dominica, prædicta historia imponetur, secundùm eosdem. Infra octauā Epiphaniæ seruentur Psalmodiæ, sine *Te Deum*, vt supra Propositione decima & decimatertia. Epistolæ Pauli legantur secundùm beatum Gelasium, & maximè quia propter angustiam temporis sæpè non possunt plenè legi. Dominica infra octauam, tā ex Romana consuetudine, quàm ex reuerentia Dominicæ, seruetur Homilia & officium Missæ Dominicę primæ. Etiam si propter pluralitatem hebdomadarum vsque ad Septuagesimam, repetendum videatur: sicut & alia duo officia, *Omnis terra*, &, *Adorate*, cùm multotiès sex occurrant hebdomadæ his officijs inofficiandæ. Et prouideatur, vt Historia, *Domine ne in ira*, in aliqua Dominica imponatur, anticipādo vel differendo festa, vel octauam Epiphaniæ præueniendo, quandò erit opus. Et quandò alia Dominica non superest, imponendo eam plenè Dominica infra Octauam. Et religiosum valdè existit, vt omne officiū proprietatis temporale imponeretur, prout possibilius fieri potest. In Septuagesima autem pentateuchus incipitur, vt supra Propositione vndecima. Vndè & Alexander Papa secundus constituit, vt omissa historia de Alleluia, quam habent plures libri, Responsoria de eadem historia in eadem Dominica imponātur, quæ etiam in sequenti Dominica Sexagesimæ repetentur, vt dicit Micrologus capitulo quadragesimoseptimo: & ita seruant communiter libri nostri. Gregorius autem septimus, vt legi Romæ apud Lateranum, instituit, vt dicta Dominica Sexagesimæ, sua historia propria de Noë decoraretur, & Dominica Quinquagesimæ historiam de Abraham occuparet. Et hoc suppleuerunt plures Religiosi, qui Responsoria de Noë & Abraham in libris nostris coniuncta, ijs duabus Dominicis posuerūt, & Laudes Dominicales deficientes addiderunt. Idem sequitur Antiphonarius, quem de Roma apportaui, & videtur conueniens supplementū. Alleluia autem idem Alexander Papa in Sabbato Septuagesimæ ad Vesperam iussit dimitti. Et Leo Papa nonus, de Consecratione, dist. prima, *Hi duo Hymni*, dicit, quod isti duo hymni, *Alleluia*, atque *Gloria in excelsis Deo*, solummodò in Nouo Testamento inueniuntur ab Angelis decantati, quos pariter in Septuagesima intermittimus. Et in eodem Decreto vide causam huius intermissionis. Benedictini autem & Ambrosiani seruant Alleluia vsque ad Dominicam Quadragesimæ. Vide in Regula, capitulo trigesimoquarto. Secundum tempus notandum, est ipsa sancta Quadragesima. Sciendum quòd Laodicense concilium, capitulo quinquagesimoprimo constituit, vt Natalitia Martyrum in Quadragesima non celebrentur, sed eorum commemoratio fiat in diebus Sabbatorum vel Dominicarum. Et ex Concilio Martini Papæ, & ponitur ibidem in capitulo sequenti, Non licet in Quadragesima Natales Martyrum celebrare: sed tantùm in Sabbatis & Dominica pro commemoratione eorum oblationes offerre. Quòd hic soli Martyres nominantur, hoc ideò, quia nondùm apud antiquos memoria Confessorum adeò celebris fuit. Sancti quoque Patres, vt dicit Micrologus cap. 48. in Toletano Concilio constituerunt, vt annunciatio sanctæ Marię, de Quadragesima in xv. calendas Ianuarij transferretur, vbi annuatim solenniter & conuenienter ante Natale Domini posset celebrari. Vtputà cum omnia illius temporis officia, de eadem resonent Annunciatione, vt in Ambrosiana seruatur Ecclesia, in qua, eadem Annunciatio solennissimè agitur in Dominica ante Natiuitatem Domini. Et præterea in Ambrosiano officio, nullum festum in Quadragesima seruatur, prout dicta Concilia statuerunt. Et propterea antiquitus festa Gregorij & Ambrosij ad dies ordinationis eorum trāsferebantur, Gregorius scilicet ad diem tertium Septembris, & Ambrosius ad octauam Andreæ, & Benedictus ad diem Translationis suæ in Iulio. Sed postea Annunciatione in Romana Ecclesia ad locum suum redeunte, similiter alij apud nos redierunt. Et exindè retenta est trāslatio Benedicti, Ambrosius tamē apud Romanos & Mediolanenses remanet in octaua. Sic igitur in istis quatuor festis, memoratis Cōcilijs est generaliter derogatum: ergò & in reliquis obseruari deberet nec admitti in Quadragesima quodcunque aliud festum nouem lectionum. Beatus Petrus ieiunium Quadragesimale primus dicitur instituisse, vt supra: sed beatus Telesphorus ab eodem septimus constituit, vt clerici septem hebdomadis ante Pascha ieiunarēt. Vide 4. dist. cap. Statuimus, & capitulo sequēti. Et beatus Gregorius dicit in capitulo sequenti, quòd à Quinquagesima propositum ieiunandi suscipiant, & in Quadragesimali tempore nec vxorem ducere, nec conuiuia facere, conueniens est, de pœnitentia, dist. 7. Nec vxorem. Diebus autem priuatis Quadragesimæ, pensum seruitutis nostræ augmentare debemus in orationibus & operibus bonis, vt omninò tunc efficiamur religiosiores. Et hoc augmētum fit, quia ad *Miserere mei Deus*, in septem horis superadduntur septem Psalmi pœnitentiales, & *Inclina* vel altero in sexta adiuncto. Vigiliæ mortuorum cum nouem lectionibus celebrantur. Post Primam, decem Psalmi de Psalterio recitētur, quolibet die decem, bini, & bini sub vno *Gloria*, cum Litania, septem psalmis iterum & orationibus cōsuetis. Huiusmodi seu alia particularia officia in ipso sancto ieiunio addi debēt. Antiphonæ, Responsoria magna, & Versiculi ad Primam, Tertiam, Sextam, & Nonam vbique concordant, & continentur in Antiphonario Lateranensi. Sed hæc Responsoria Fratres Minores malè omiserunt. In die Palmarum sunt Antiphonæ decem nocturnales vndiquaque collectæ. Cæterum Dominicis dicantur ex Psalmista ex causa supradicta. Cætera satis patere videntur ex libris, & vsu generali. Tertium tempus est Paschale, quod à numero

Universidad de Deusto
Biblioteca

mero dierum, Quinquagesima latinè, & Græcè Pentecoste in scripturis dicitur. Prima hebdomada, quasi pro vna die computatur. Vndè Psalmi Dominicales ad Vigilias per totam hebdomadam, terni & terni distribuuntur. Et hoc seruat totus mundus, & testatur Antiphonarius Lateranensis antiquus, ideò in hoc errauerunt Fratres Minores. Ad laudes per totam hebdomadã quandoque Antiphonę dicuntur, vt suprà propositione decima. Vesperæ à *Kyrie eleison* inchoantur, cum Psalmis Dominicalibus per tria interstitia, cum Cantu Missali & *Magnificat* & tribus orationibus. Et ita beatus Gregorius Vesperas huius hebdomadæ ordinauit, vt vidi Romæ in pluribus libris antiquis, & eas cum tali initio seruat totus mundus. Quas Vesperas, ijdē fratres malè alterauerunt. *Confitemini* verò, ex Ambrosio per totam dicitur hebdomadam, cuius officium terminatur in Nona sabbati subsequentis. Dominica in octauis Paschæ, sabbato præcedenti, more Romano dicuntur Psalmi Sabbatini. Capitulum, Responsorium, hymnus, & cętera, de historia. Ad Vigilias Psalmi Dominicales sub tribus antiphonis, aut sub nouem, si habeantur. In primo Nocturno legitur de Actibus Apostolorum: In secundo, Sermo: In Tertio, Homilia, vt dixi in Propositione vndecima. Responsoria de die Paschę, & sequentibus: Ad Laudes super tres primos Psalmos, tres Antiphonas secundùm notam trium primarum Antiphonarum de Laudibus Paschę, super *Benedictus*. Antiphona, *Alleluia, Surrexit*: super *Laudate*, Antiphona per *Alleluia*. Ita habetur in antiphonario Lateranensi. Cætera prout in libris. Per hebdomadam, Inuitatorium Paschale, dicto hymno legetur nocturnus cum sola Antiphona, ad notam Primæ. Lectiones de Actibus, Responsoria de historia, incipiendo à secundo. Simili modo seruatur historia, *Dignus es*: & historia, *Si oblitus*. Et Dominicis ipsis Paschalibus Ordine Romano cantatur Officium Gregorianum ad Missam, & hoc videtur sequendum. Sanctus Marcus Euangelista, Philippus, & Iacobus, & Inuentio, seruantur in Dominica, si in illa eueniant. Non autem aliud festum nouem Lectionum. Ascensio Domini & eius octaua seruantur cum nouē lectionibus sub simili officio. Et Dominica infrà, cum totidem, etiam cum Psalmis Dominicalibus sub tribus, vel nouem antiphonis, prout haberi possunt. Nocturnus autem cum Antipho na nocturnali, de die magis congruenti dicatur. Omnes antiphonæ per octauã, dicuntur in Laudibus & ad Vesperas. Nec tempore præcedenti, nec per has Octauas dicitur, *Te Deum*, nisi seruẽ tur nouem lectiones. In hebdomada Pentecostes, Officium videtur satis generale, & ad Laudes & Vesperas dicantur omnes Psalmi. Quartum tempus est quotidianũ, quod incipit à Vesperis Sabbati post Pentecosten. Super octaua verò Pentecostes, magna est adhuc diuersitas. Cùm enim Romani in hac Dominica imponerent historiam Regum, nec seruarent festum Trinitatis: aliquæ Nationes, vt Alemanni, eadẽ die seruant Octauas Pentecostes, in hebdomada & Dominica sequenti seruantes officium Trinitatis. Alij, vt Gallici, plures illo die plenum faciunt festum Trinitatis, cum Octauis meritis. Hodiernis verò temporibus Romæ & in Curia Romana, solennis habetur festiuitas sanctæ Trinitatis in octaua. Supra dicta, quod etiam plures Alemanni cœperunt sequi postea. Per octauam autem sanctæ Trinitatis & Sacramenti, seruetur Nocturnus ferialis cum sola Antiphona competenti ori. Responsoria dicantur secundum ordinem, nec *Te Deum*, nec *Gloria in excelsis* seruatur, sed, *Ite Missa est*. Omnes Antiphonæ in Laudibus dicantur & ad Vesperas Antiphonæ & Psalmi feriales. De historijs vsque ad Aduentum, & officijs Missarum notus est duplex ordo. Vnus, Antiphonæ Sabbatinæ cum Lectionibus & Responsorijs: Alter, Homiliarum, Antiphonarum ad *Benedictus* & *Magnificat*, & ipsius Missæ. In repetendis Responsorijs per feras, expletis ferialibus, incipiendum est à secundo. Octauæ Petri & Pauli, Assumptionis, & Natiuitatis Mariæ per suos dies, etiam in Dominica non recipiunt historiam, sed Homiliam, Missam de Dominica cum memoria. In Septembri sunt Responsoria quatuor historiarum, quarum tres per beatum Gregorium non sunt completæ, tamen vsus Romanus ex illis facit quatuor historias Dominicales. Aliæ autem Ecclesiæ quàm plures, duas faciunt coniungendo inexpletas. Quicquid sit, religiosum est, in quatuor temporibus illius mẽsis, à nouem Lectionibus vacuis, cantari de tempore, & in Dominicis & alijs diebus taliter aptari, vt omnia percantentur. Nam Romanus vsus, Octaua Natiuitatis Mariæ integrè seruata, reliquas omnes festiuitates transfert, etiam festum Matthęi, vt Historiæ imponantur. Et licèt prius dictum sit, adhuc repeto, quòd nulla vis est faciẽda in ordine Responsoriorum seu in Versibus eorundem, quia in his rarò libri concordant, etiam eiusdem loci, dum tamen cætera omnia honestè & secundùm ordinem Canonicum àvobis fiant.

PROPOSITIO XVII.

Quolibet vsu Sanctii Dei sub diuerso gradu venerantur: partim ex Euangelio, partim ex Vrbe, partim ex generali cõsuetudine, partim ex patria atq; loco.

Psal. 49.

COngregate illi Sanctos eius, qui ordinauerunt Testamentum eius super sacrificia. Sancti autem Dei omnes, cõgregati sunt cum Deo Abraham, & eorum nomina scripta sunt in libro vitæ. Eorum autem nomina, quorũ notitia habetur, & Passiones colliguntur in Martyrologio Ecclesiæ: nõ tamẽ singulos in sacrificijs laudis diuinæ venerari valemus. Sed ex omnibus aliqui congregari debent, & in aliqua Matricula publica annotari, vt ipsos, cùm eorum dies occurrerit, debitè veneremur. Et hanc Matricu-

triculam Calendarium appellamus. Congregate ergò Deo nostro Sanctos suos in Ecclesię Calendario, qui ordinauerunt Testamentum Christi super sacrificia laudis suæ, ad quam illi exhibendam omnimodè obligamur. In congregando autem dictos Sanctos, imponendi sunt in huiusmodi Calendario Sancti Dei, quos ex sancto Euangelio, seu ex officio beati Gregorij Romano venerari tenemur: necnon & illi, quos Ecclesiæ generalis consuetudo veneratur & colit. Et isti omnium vsu sunt inscribendi, eosque in Calendario in principio præscripto annotauimus. Et si sancti, Bartholomæus, Ambrosius, Chrysogonus, Martinus Papa, Eustachius, Linus, Chrysanthus & Daria, Septem Dormientes, & si qui sunt alij, apud Romanos alijs diebus inscribuntur, quàm apud nos, sedes Apostolica super hoc præcipit, vt in hoc consuetudo regionis obseruetur. Extra de obseruatione ieiuniorum, Consilium. Et de verborum significatione, Quæsiuit. Et præterea quilibet vsuum in Calendario proprio ascribere debet eos Sanctos, qui in illa terra vel loco specialiter venerantur. Et ne in his & alijs erretur super Calendario Ecclesiæ emendato, recurri consueuit ad Ecclesiam Cathedralem. Et ita præcipitur in Statutis Colonienſium & Leodienſium. Nec in huiusmodi Calendario inscribendi sunt Sancti, quos in officio non veneramur. Aliàs Calędaria fiunt intricata, & simplicibus sacerdotibus datur occasio omittendi officium feriale. Nec præterea cuiquam liceat instituere, ascribendo aliquos Sanctos, vt ipsis fiat singulare officium contra auctoritates supradictas. Sanctis igitur Dei, quos venerari tenemur, sic congregatis & inscriptis, videamus de eorum officiatione. Pro quo notum est, quòd æqualiter omnes venerari non debemus, nec possumus, nec generaliter est consuetum. Ideò aliqui transeunt sub simplici commemoratione, alij sub tribus lectionibus, alij sub nouem. Qui autem ex eis nouem debent habere lectiones, ita sciri potest. Primo nanque dies Sanctorum, qui à Clero & populo celebrantur, siue auctoritate Romana siue Diœcesana, necnon duplex festum habentes, cum nouem lectionibus debẽt obseruari. Et præterea hi dies Sanctorum, quos Statuta episcopalia cum tot lectionibus præcipiunt obseruandos, similiter cum nouem lectionibus teneantur. Notum est autem, quòd festa Domini, & suæ Matris, Inuentionis sanctæ Crucis, duodecim Apostolorum, Natiuitatis Baptistæ, Laurentij, Michaelis, & Dedicationis Ecclesiæ, auctoritate Apostolica à Clero & Populo celebrantur. Et similiter generali consuetudine, Patronus Ecclesiæ, Conuersio Pauli, Cathedra, & ad Vincula Petri, Festa Martini & Nicolai, Magdalenæ & Catharinæ. In Statutis autem Colonienſium, Agnes, Georgius, Pantaleon, Decollatio Ioannis, Exaltatio Crucis, Gereon, duodecim millia Virginum, Seuerinus, Cunibertus, & Cæcilia. Et secundùm Statuta Leodienſium, Seruatius, Lãbertus, Dionysius, & Hubertus, à Clero & Populo celebrari præcipiuntur. Et ita quilibet adiungat Festa celebria sui loci. Item ex Constitutione Bonifacij Papæ VIII. Festa principalia duodecim Apostolorum, quatuor Euangelistarum, & quatuor Doctorum, sub duplici festo in Ecclesia celebrantur. Generali etiam consuetudine, Barnabas Apostolus, Clemens Papa, Benedictus, Dionysius, Agatha, Agnes, & Cęcilia, Diuisio Apostolorum, habent festiuitatem nouem Lectionum. Et secundùm Statuta Colonienſium, Fabianus & Sebastianus, Aegidius, Lãbertus, Dionysius, Mauritius, & Remigius. Et secundùm Statuta Leodienſium, Dominicus, Franciscus, Leonardus, & vndecim millia Virginum, nouem obtinent lectiones in suis locis & Diœcesibus. Et similiter in alijs Diœcesibus, Episcopi suo Clero determinare debent, quæ festa illi teneantur sub nouem lectionibus obseruare. Nã sicut episcopi eorum populo determinant eorũ festa celebranda (vt de consecratione, dist. 3. cap. *Pronunciandum*, Extra de ferijs, capitulo *Capellanus*) ita ipsorum Clero, eorum festiuitates debent determinare. Et si in aliqua diœcesi determinata non habentur, tunc super hoc discretio magna est adhibenda, vt in hoc attendatur generalis & rationalis obseruantia totius Diœcesis. Adhibito hoc moderamine, vt non faciliter multa sub nouem lectionibus acceptentur. Nam videmus ex Statutis ante dictis, quamuis in locis eorumdem, multa sint corpora Sanctorum, & plures Sancti locales, vt in Colonia sancti Mauritij, Sancti Eualdi, Elphius, Heribertus, & alij plures. Et in Leodio Theodardus, Remaclus, Mono, Oda, & cæteri multi, (habuit enim illa Ecclesia triginta episcopos canonizatos) tamen dicti episcopi moderati fuerunt in nouem lectionibus instituendis. Et secundùm beatum Bernardum ad Canonicos Lugdunenses, festiuitates non sunt multiplicandæ: quia hæc frequentia gaudiorum, Patriæ est, non exilij; & numerositas festiuitatum, ciues decet, non exules. Et videmus in vsu Carthusiensium, Cistercienſium, Prædicatorum, & cæterorum, quòd paucas habent festiuitates singulares seu speciales. Festiuitates enim Carthusiensiũ speciales sunt, Antonius, Vincentius Barnabas, Bernardus, Mauritius, Dionysius, Vndecim millia Virginum, Catharina, Thomas Cantuariensis, & ratione ordinis, duo Hugones cum festo reliquiarum. Et, si obijciatur de vsu Fratrum Minorum, omnia sub nouem lectionibus seruante, Respõdetur, quòd quamuis Romani vltra alias Nationes, plures habent festiuitates, propter pluralitatem localium Sanctorum: tamen dicti fratres extra vsum antiquum Romanum, in nouem lectionibus valdè abutuntur, & eorum abusus non est sequendus, sed omninò detestãdus, vt per Dei gratiam ex scripturis de Vrbe venturis latiùs suo tempore declarabo, & infra dicam Propositione vigesima secunda. Hoc igitur sit vnum præcipuum & magnum principale, quod honestè & secundùm ordinem debet fieri à vobis, videlicet, vt discre-

Calendarius hic ex cuius hoc anno Louanij extat.

Universidad de Deusto
Biblioteca

differetè recipiantur,& secundùm auctoritatem possibiliorem in locis vestris admittantur locales festiuitates nouem lectionum. Nam vbi de Domino nostro Iesu Christo seruatur vna festiuitas,scilicet Dominicalis, ibi de eodem sex feriæ subsequuntur. Et quòd in hac proportione vnius ad sex, dies seruorum suorũ festiui & priuati esse debeant, mysterium habemus ex Euangelio. Nã vbi Dominus noster in superiori gradu posuit vnum Apostolum, ibi in inferiori posuit sex discipulos: Et vbi elegit duodecim Apostolos,ibi designauit sexiès totidem discipulos. Sexiès enim duodecim,faciũt septuagintaduo, qui est numerus discipulorum Christi. Ipsa enim facta Domini,Præcepta sunt: Quia dum aliqua tacitus facit, quid agere debeamus, innotescit, secundùm beatum Gregorium in Homilia. Sicut ergò pauci sunt dies Dominici, & multæ feriæ,ac pauci Apostoli,& multi discipuli: ita paucæ debẽt esse festiuitates, & multæ feriæ, seu dies sanctorum trium lectionum. Sit etiam ad hoc summa ratio,vt Psalterium continuetur, in quo principaliter officium existit,vt superiùs est probatum. Et si benè computes & ordines,non erũt tot festiuitates in anno, sicut sũt Dominici dies. Quia serui non debent esse supra eorum Domi- C num;nec discipuli supra Magistrum. Et credendum est, huiusmodi obseruationem magis gratam esse ipsis Sanctis Dei ad finem, vt Psalteriũ, sacra scriptura,officiũ mortuorum, septẽ Psalmi Pœnitentiales, quindecim Psalmi Graduales,& huiusmodi seruẽtur iusto ordine, & paucæ fiant festiuitates. Nõ enim sancti Dei appetunt indebitas laudes, sed vt rationabile fiat obsequiũ nostrũ. Viso ergò,qui sancti venerãdi sint sub nouẽ lectionibus: videamus, qui sub tribus, seu sub memoria venerẽtur. Et in primis notetur, quòd omnes illi sancti Dei, quibus in Calẽdario præmisso Missã ascripsimus, in Gregoriano officio & D vbiq; propriã Missã habẽt, & omniũ vsu sub tribus venerantur lectionibus, nisi concurrant cũ maiori festiuitate, quo casu commemorationẽ habent,& Missam ad partem habere debent. Hi ergò in primis ad minus cum tribus lectionibus diebus suis sunt sic venerandi. Ideò in Calendario supradicto,illis annotantur tres lectiones cũ Missa, & eorum pauca, propriam habent historiam. Præter istos, diuersi hinc indè diuersorum vsu cum tribus lectionibus seruantur: vt apud Carthusienses, Polycarpus, Blasius, Petrus Martyr, Cyricus & Iulita, Leo, Margareta, Christina, Nazarius cum alijs, Germanus, Eusebius, Lucia, E & Euphemia, Tecla, Fides, Crispinꝰ & Crispinianus, Eustathius cum soci¦s, Brictius, Columbanus, Linus, Vitalis & Agricola, Silas Apostolus, Saturninus & Eulalia. Et præterea Fabianum & Sebastianum, Inuentionem Crucis, Inuentionẽ Stephani, Dominicum, Remigium, & Franciscũ seruant cum tribus lectionibus, quos alij seruãt cum nouem. Aliquos verò seruant sub commemoratione, vel quia concurrunt cum maiori, vel infra Octauas maiores, vt Siluestrum, Paulum primum Eremitam, Hilarium, Alexandrum cũ alijs, & cæteros cum memoria subnotatos. Diebus autem a festiuitate, seu octauis maioribus vacuis, vel seruant eum tribus lectionibus, sanctos occurrentes, vel officium feriale. Aliquorũ tamen vsus, vt Prædicatorum & sequacium, in huiusmodi diebus habent aliquos sanctos inferioris gradus, quos etiam sub commemoratione duntaxat seruant in officio temporali. Et iste & tertius modus commemorationis propter sancti humilitatem. Ecce pono exempla in vsu Teutonicorum de Prussia, qui vltra sanctos propriæ Missę supra in Calendario inscriptos, seruant cum tribus lectionibus Antonium, Timotheũ, *Chrysogonum, Blasium, Vitum & Modestum, * Chryso- Paulinum Nolanum, Pantaleonem cum alijs, stomum Germanum, octauam Laurentij, Bernardum, Aegidium, Lambertum, Remigium. Et cum nouem Lectionibus Mauritium cum socijs, Cosmam & Damianum, & sub memoria in officio feriali, Maurum, Emerentianam, Polycarpum, Vedastum, & Amandum, Scholasticam, Albinum, Perpetuam & Felicitatem, Pontentianã & Petronillam, Nicomedem, Medardum, Quiricum & Iulitam, Christinam, Donatum, Romanum, Eusebium, Rufum, Euphemiam, Leodegarium, Fidem, Martham, Crispinum & Crispinianum, Narcissum, Quintinum, Leonardum, Martinum Papam, Brictium, Agricolam & Vitalem, Saturninum Episcopum, Eligium, Barbaram, Sabam, octauam Andreæ, Damasum, Lazarum. De Episcopis verò Hierosolymitanis, quia eorum titulus est, Hospitales beatæ Mariæ Hierosolymitani, sub tribus lectionibus seruant dies Simeonis & Alexandri, & sub memoria, dies Matthiæ, Zachariæ & Marci Episcoporum. Collige ergò causas venerationis Sanctorum. Nam sub nouem lectionibus, Sancti venerantur, vel quia à Clero & Populo celebrantur, vel quia habent duplicia festa, vel ex statuto episcopali, vel æqui pollenti. Et sub tribus lectionibus fiunt, vel quia in officio Romano habent proprium officium Missæ, vel quia ad hunc honorem in illo vsu sunt assumpti, & sub memoria transeunt. Vel quia cũ maiori concurrunt festiuitate, vel occurrunt infra octauas maiores. Et hi duo modi sunt generales, vel propter eorum humilitatem, quorundam vsu. Et hunc modum seruant plures, vt Leodienses tẽpore Paschali de sanctis illis, qui propriam non habent Missam. Considerate Domini & Fratres mei, quàm rationabiliter, & quomodo quasi pariliter Fratres Carthusienses ad eremum positi, & Domini Teutoniciad pugnam ordinati, in eorum Religionibus obsequium faciunt salutare, de Sanctis videlicet propter officium temporale Dei summi, paucos eorum sub festiuitate & tribus lectionibus obseruantes: quãuis in omnibus tribus lectionibus vtrique eorũ Nocturnum seruent iuxta decimam Propositionem. Seculares quoque Ecclesiæ communiter diebus quotidianis, Sancto occurrente, Officiũ repudiant temporale. In contrarium autem seruant

nant Cistercienses, qui similiter alijs vsibus ra- A ras habent duodecim lectionũ festiuitates. Alios verò Sanctos quoslibet seruant sub sola memoria. Et in hoc præcedunt Carthusienses.

PROPOSITIO XVIII.

Dies sanctorum nouem lectionum, in morem Dominicalem: trium verò lectionum, more feriali sunt inofficiandi.

NOn est discipulus super magistrum, neq; seruus super dominum suum. Sufficit enim discipulo, vt sit sicut magister B eius,& seruo, sicut dominus eius. Matt. 10. cap. Seruus gaudeat se esse in domini familia, nec illum decet vt vltra dominum decoretur. Sanctis ergò Dei, qui sunt serui Domini, iucundum esse debet, si dies eorum officientur proportionabiliter officio, quod de Christo eorum Domino obseruatur. Vndè dies Sanctorum nouem lectionum, qui festiuitates appellantur, sicut Dominicæ de Vespera in Vesperam officiari debent. Et hoc ponit beatus Benedictus capitulo tricesimotertio, sic dicens: In Sanctorum verò festiuitatibus, vel omnibus solennitatibus, sicut C diximus Dominico die agendum, ita agatur: Excepto, quòd Psalmi, vel Antiphonæ, vel Lectiones ad ipsum diem pertinentes, dicantur. Modus autem supra dictus teneatur. Hæc ibi. Similiter obseruationes Sãctorum trium lectionum sequi debent modum priuatum officij ferialis, vt infrà declarabitur. Et iste est decor diuini officij in vtrisq;, vt Dominicalia in festiuitatibus, & ferialia seu priuata in diebus sanctorum triũ lectionum, seruentur. Et si prærogatiuæ Dominicales & priuilegia nouem lectionum ad dies priuatos applicarentur, ex hoc officium deturpabitur, & deordinabitur ipse ordo. Sãcti enim D Patres valdè studuerunt: vt in obseruationibus Ecclesiasticis concordia seruaretur, & omnis dissonantia vitaretur. Festiuitates igitur aguntur Dominicali more cum vtrisq; Vespertis: in quibus & ad Laudes quandoque Antiphonæ super Psalmos sunt cantandæ semper & vbique, vbi haberi possint, vt supra Propositione decima. Ad priores Vesperas, Psalmi feriales cum Antiphonis ferialibus, nisi propriæ habeantur. In Respõsorio Vespertino vsus multorum existit, vt in officio duplici, Responsoriũ ad Vesperas vtrasq; cantetur. Et si festiuitas à populo celebretur, ad E Vesperam primam seruetur. Suffragia, vt in Dominica dicantur, & in solennitatibus abbreuientur. Inuitatorium autem sit solenne, & Hymnus vtique ad nocturnos cantetur: in quibus super nouem Psalmos, nouem antiphonæ omitti non debent. Lectiones & Responsoria sint authenticæ: Responsoria nouem cantentur. *Te Deum, Gloria in excelsis,& Ite Missa est* dicentur, quando in Dominica dici possint. Sin autem, seruus super Dominum non existat, nisi ex dispẽsatione Domini speciali. Missa communiter de ipsa festiui tate celebrari consueuit. Ad secundas Vesperas, omnes Antiphonæ de Laudibus super Psalmos feriales repetuntur: nisi festiuitas habeat speciales, sicuti de Apostolis, & secundùm multorum vsum de aliquibus alijs quidam seruant. Quòd si duæ festiuitates nouem Lectionum seu festiuitas cum Dominica aut vna ipsarum cũ die triũ lectionum, in vnum diem concurrant, quarum vtraq; plenum per se exigit officium, celebrior ex integro obseruetur, & alterius memoria tantùm agatur. Si autem vtraque plenè obseruanda videtur, altera differatur in diem sequentem: sicut sanctus Gregorius Papa festum sancti Pauli, post festum sancti Petri voluit obseruari. Nã illam vsurpationem, quæ ex duobus officijs in vno die obseruandis vnum incompositè compingit, videlicet vt vnum Nocturnum de vno festo, & reliquos de alio obseruemus: Sanctorũ Patrum auctoritas non admittit, quæ semper in officijs concordiam custodire præmonuit, vt supra: Quia si vtrique eodem die satisfacere niteremur, debita officiorum reuerentia neutrum celebrasse conuinceremur. Sic itaque festiuitates conuenienter inofficiantur, si proportionaliter quantùm officiũ permittit, Dominicis adæquentur. In duabus verò festiuitatibus continuè occurrentibus, communis Vespera officiari nõ debet ex integro, vt abusiuè quotidiè faciunt Minores. Sed obseruandum est, quod dicit Micrologus capitulo tricesimoquinto in hæc verba: Omnes authentici Antiphonarij, secundam vesperam sancto Stephano concedunt ex integro: vndè & reliquis festiuitatibus per annum, hoc exemplo secundam vesperam ex toto concedimus, etiamsi maior festiuitas subsequatur. Non enim congruum est, vt Psalmos vespertinales tantummodò præcedenti festo, reliqua verò subsequenti tribuamus. Nam sancti Patres nullum nobis indè exemplum reliquerunt, qui potissimum nos concordiam officiorum singulari diligentia seruare docuerunt. Summa tamen festiuitas si quandò minorem subsequitur, secundam Vesperam prioris festi, sibi ex toto non incongruè vendicabit, vt Octaua Domini, secundam Vesperam sancti Siluestri. Vesperam quidem de quolibet festo vniformiter perficimus: deindè alterius festi, si necesse fuerit, post *Benedicamus Domino*, memoriam facimus, vt de sancto Stephano, & de sancto Ioanne obseruamus. Parilis consideratio omninò suo modo habenda est in diebus trium lectionum. Nam sicut nouẽ Lectiones ad formam Dominicarum obseruantur, ità tres lectiones obseruentur ad modum feriarum. Et hoc benè custodiunt monachi Carthusienses, & Domini Teutonici supradicti. In Officio igitur Sanctorum trium Lectionum in omnibus punctis fiunt prostrationes, prout eodem tempore in officio fierent feriali. Ad primã Vesperam, quandò locum habet, Antiphonæ & Psalmi feriales dicuntur: Capitulum, Hymnus, Versus, Antiphonæ ad *Magnificat* cum Collecta de ipso Sancto, Suffragia vt in feriali Officio.

Com-

Universidad de Deusto
Biblioteca

Completorium & Prima, per totum & cum Psal A
mo *Miserere*, sicuti in Officio feriali. Inuitatorium autem canitur in tono feriali. Et cantato hymno de Sancto, psallitur Nocturnus ferialis, vt probatur propositione decima. Lectiones de sacra scriptura legantur secundū oēs Doctores, Respōsoria, Versiculi, & Versus, Antiphonæ ad Laudes & cætera seruentur de ipso Sancto. Vigiliæ & Vesperæ mortuorum, Psalmi Graduales & Pœnitentiales cum eorum sequelis, sicut in feriali officio obseruentur. *Te Deum*, & *Gloria in excelsis*, nusquàm dicantur prout nec fit in officio feriali, & ità scriptum est, vt suprà probatū
B fuit Propositione decimatertia. Ergo tenendum & cantandum. Ad Tertiam, Sextam, & Nonam, multorum vsu Antiphonæ dicantur de sancta Trinitate. Missa verò seruatur de ipso Sancto, si propriam habet, sine *Gloria in excelsis*, & cum *Benedicamus Domino*. Et sicut in diebus sanctorum trium lectionum ad preces Completorij & Primæ addimus *Miserere mei Deus*: ita Carthusienses ad Horas singulas, quia in illis preces habēt, in eisdem diebus similem addunt Psalmum. Et in ea parte eisdem diebus, dicti monachi discrepant ab vsu nostro. Volenti igitur respicere ad Officium feriale, facilè erit obseruare dies sanctorum trium lectionum. Sed verum est quòd
C tam Monachorum, quàm nostro vsu in eisdem diebus, tam tempore Paschali, quàm octauis maioribus occurrentibus omittuntur preces nō solitę, & cætera prout in Paschali tempore hæc solent omitti. Officium verò Sanctorum trium lectionum, in ipsa Missa terminandū est. Nam vt dicit Micrologus capitulo quadragesimoquarto, iuxta Romanam consuetudinem, nullius Sancti trium Responsoriorum mentionem facimus post Missam, siue illa cantatur ad Tertiam, siue ad Sextam. Immò cum ipsa Missa mentionem Sancti finimus, & reliqua de ferialibus dicimus.
D In festo autem nouem Lectionum, omnia vsque ad secundam Vesperam de festo agimus. Hæc ibi. Et hunc terminum seruant Carthusienses. Hęc igitur est simplex obseruantia in tribus lectionibus, vt totum fiat proportionaliter modo feriali secundùm suprà dicta. Sed eam multi multipliciter alterant & corrumpunt. Aliqui enim dies sanctorum trium lectionū distinguunt
Camerace. intitulando per Titulum trium Responsoriorū
Traiecten. & aliundè. Alij verò per Titulum, Si feria inclusa Dominicæ, vel excepta. Alij per Collectam-
Leodien. & sine Collecta & per Missam, & per tres lectio-
E nes, cum Te Deum, & si Dominica, nouem. Alij
In Viridi valle. cum Te Deum, & sine illo, & diuersis alijs modis. In quibus aliquorum abusus ab omnibus priuatis & particularibus officijs dies Sanctorum triū lectionum absoluit in certis diebus, sicuti in nouem lectionibus obseruatur. Sed omnium vsibus reiectis, pia & religiosior obseruantia esse videtur, sequendo modum simplicem suprà dictum: quem Fratres Carthusienses, Domini Teutonici, & solenniores Religiosi approbant & sequuntur. Et credendum est, quòd sanctus Pater Benedictus, qui omnium Sanctorum spiritu plenus erat, ob officio Romano noluit omnimodè discrepare, sed cum eodem (saluis paucis) se concordare, vnum ad aliud adæquanti, modica distantia apparebit.

PROPOSITIO XIX.

Solennitates maiores aliquando officio Vigiliæ prę ueniuntur, aliquando per octauas extenduntur.

VT dicit Alexander Papa tertius, qui cœpit anno Domini 1159. Extrà de ferijs capitulo secūdo, Licèt scriptū sit, de Vespe- Leu. 23.
ra ad Vesperā celebrabitis Sabbata vestra: Festorū tamen principiū & finis, iuxta eorū qualitatem, & diuersarum regionum consuetudinem debet attendi. Et sicut magnitudo diei exigit, prius incipere, & tardius terminare: Regulares termini festiuitatum, auctoritate sanctæ scripturæ ponuntur de Vespera in Vesperam. Sed ex earum magnitudine in officio Vigiliæ prę ueniū tur citius, & in officio Octauarum latius extenduntur. Ideò de istis duobus consequenter videamus. Officium Vigiliæ obtinent Festa Domini, duo Festa suæ Matris, scilicet Assumptionis, & ex Constitutione Gregorij XI. quando
C Romam venit, Natiuitatis Mariæ, & dies Ioannis Baptistæ, Laurentij. Et vt dicit Innocentius iij. de obseruatione ieiunij, cap. 2. Omnium Apostolorum Vigiliæ sunt in obseruatione ieiunij celebrandæ: præter Vigilias Apostolorum Philippi & Iacobi, & Ioannis Euangelistæ. Quoniam eorum festiuitates infra solennitatem Paschalem, istius autem intra Natalem Domini celebratur. Vt dicit Alexander tertius de Verborū significatione, capitulo, *Quæsiuit*, In vigilia beati Matthiæ, nisi in Dominica euenerit, ieiunium
D celebratur. Hæ autem Vigiliæ, quæ ieiunium habent, consequenter obtinent & Missam. In An- Roma An
tiphonario verò, quē de Roma detuli, in Assūp- tiphonariū attuli
tione Marię à Matutinis incipit officium Vigiliæ, sicut in Natiuitate Domini videmus. Officium quoque Ambrosianum de maioribus solennitatibus loci, vt Geruasij & Protasij, Nazarij & Celsi, Naboris & Felicis, Simpliciani & Dionysij, & cęterorum localium, etiam in Vigilijs seruat proprium Missæ Officium. Quod etiā aliæ Nationes de eorum Patronis, & similibus pręcipuis seruare consueuerunt, vt Leodienses de sancto Lamberto, Traiectēses de sancto Martino. Pia autem & religiosa consuetudo solennium Ecclesiarum exstit, vt sicut ieiunium seruatur in Vigilia, ità & seruitium seruetur in Horis temporale, cum memoria sanctorum, si qui tunc occurrant, prout tempore ieiunij facimus in Aduentu & in Quadragesima. Et hoc idem in alijs sanctorum Vigilijs, pro quibus Missa dicitur piè dicunt obseruandum: quamuis non habeant ieiunium sub præcepto. Missa de Vigilia seruanda est propter ieiunium modo feriali. Et vt dicitur in Micrologo, capitulo quinquagesimo quin-

moquinto: Hoc quoque in omnibus Vigilijs A
congruè obseruatur, vt Nona de futuro festo peragatur, si tamen post Missam differtur, videlicet, vt postquàm de festo per Missam incipimus, nullam deinceps cum Nona dissonantiam Officiorum faciamus, quam maximè sancti Patres in dispositione eorundem deuitare studuerunt. Quòd si Vigilia in Dominica cadat, Officium Dominicale, quod est maius, propter eam non immutatur. Et Missa de Vigilia, vel de Dominica, de manè, vel Sabbato vel alias loco congruo imponatur. Dicto de Vigilijs, quibus festiuitates priùs incipiuntur, dicendum est de Octauis, quibus
B tardiùs terminantur. Et primò notandum, quòd secundùm vsus approbatiores, vt Carthusiensium & cæterorum, & prout in pluribus Rationalibus legitur, huiusmodi octauæ sunt duplices, scilicet, maiores & minores, In Maioribus Octauis, prima & octaua dies & Dominica infra, nouem habent lectiones: cæteri autem dies habent tres. Prima autem & octaua dies simili officio celebrantur, vt in festiuitatibus. Dominica autem infra, Officio ab ipso die principali mutuato, seruatur Dominica-
for. * lectiones liter: quia ad vtrasque Vesperas dicuntur Psalmi de die, & ad Vigilias noctis Inuitatorium, Hymnus, nouem Responsoria, * Laudes, & cætera de ipso die. Et ad tres nocturnos dicuntur Psalmi Dominicales sub tribus vel nouem antiphonis, prout in festiuitate recipi possunt. Lectiones autem sex de historia, quæ tunc legitur cum homilia Dominicali, & *Te Deum*. Ad vtrasque Vesperas & Matutinas, memoria de Dominica. Ad Primam Psalmi, *Deus in nomine*, *Confitemini*, & cæteri. Missa de Dominica cum memoria festiuitatis celebretur. Priuatis autem diebus, Inuitatorium erit patuum, &
D sub Tono feriali. Hymnus autem de festo. Nocturnus verò ferialis sub vna Antiphona de Nocturnis festi, quæ magis congruit recitanda. Lectiones de historia currenti, Responsoria secundùm ordinem de ipso die: Primo, secundùm vsum Romanum omisso. Et ipsis expletis, iterùm à secundo incipiatur. Nec *Te Deum*, nec *Gloria in excelsis* dici debent, vt probatum est propositione decimatertia. Quinque Antiphonæ ad Laudes super Psalmos cōmunes teneantur. Ad vesperas super Psalmos feriales,
E Antiphonæ quinque de Laudibus, si non dicantur feriales. Cætera officientur de ipso die. In octauis autem minoribus, diebus singulis intra octauas nulla facienda est mentio de ipsa solennitate: sed ipsa octaua dies tenenda est sub tribus lectionibus, prout tenetur vnum aliquod simplex festum trium lectionum. Vndè scribitur in Micrologo, capitulo quadragesimoquarto, Iuxta Romanam auctoritatem, nullorum sanctorum Octauas obseruare debemus: nisi vndè aliquam certam Traditionem à sanctis Patribus habemus. Eorum quoque quorum Octauas celebramus, nullam quotidianam mē
tionem per interiacentes dies agimus: quia nullam auctoritatem indè habemus, exceptis de sancta Maria & de sancto Petro, quorum memoriam & alio tempore non cessamus frequentare. Et idem scribitur in Rationali, quod dicitur Gemma Ecclesiæ. Festiuitates autem sanctorum nouem lectionum, infra Octauas maiores seruandæ sunt cum memoria octauarum. De cæteris autem Sanctis fiat tantùm memoria: si tamen propriam Missam habeant, illa cum *Ite Missa est* cantetur. Huiusmodi autem Octauas maiores habent, Natiuitas Domini, Epiphania, Ascensio, Trinitas, & Sacramenti, Assumptio & Natiuitas Mariæ, Petrus & Paulus, Minores verò habent Andreas, Laurentius & Martinus, & secundùm Carthusien. Ioannes Baptista. Et addendum est, quòd dies priuati infra Octauas maiores reputantur, quasi forent temporis Paschalis. Vndè in eis non seruantur prostrationes, preces cum *Miserere*, & cætera huiusmodi, quæ Paschali tempore omittuntur, vt etiam faciunt Carthusienses. Qua consideratione plures Alemanni eisdem diebus ad Vigilias noctis seruant cantùm tres Psalmos cū tribus Antiphonis, vt tempore Paschali facere consueuerunt. Sed hoc reprobatum est supra Propositione decima.

PROPOSITIO XX.

Officia mortuorum & Virginis glorioſæ, obligatoria sunt, & ab omnibus obseruanda.

SAncta ergò & salubris est cogitatio pro defunctis exorare, vt à peccatis soluantur, secundo Machabæorum, duodecimo capitulo in fine. Et nulli dubium, quin totum ad laudem Dei pertineat, quicquid suæ Genitrici dignè fuerit impensum, vt dicit beatus Hieronymus in vers. *cogitetis*. Inde est, quòd nedùm Apostolicis constitutionibus, sed generali omnium nationum consuetudine, officia de vtrisque secundùm temporum congruentiam persolui debent. De officio autem mortuorum præcipitur ext. de celeb. Miss. c. Cum cantatur. De officio verò B. Virginis legitur in Chronicis, quòd Vrbanus II. qui nouem præfationibus prioribus decimam de B. Maria virgine addidit, vt infra dicetur, in Gallias veniens, concilium apud Claremontem vrbem celebrauit, anno Domini MXCVI. de mense Nouembri. In quo statutum est, quòd horæ B. Mariæ virginis quotidiè dicantur, officiumque eius diebus sabbatorum solenniter fiat. Ideò primò aliqua de officio mortuorum differantur: de quo aduertendum, quod idem officium omnium more habet vesperas & Vigilias atque Laudes absque cæteris horis, necnon officium Missæ. In Vesperis verò, tam in antiphonis quàm in Psalmis, vbique est concordantia. Et in antiphonis ad *Magnificat* seruatur vsus. In Vigilijs sunt nouem antiphonę, nouem Psalmi, & nouem Lectiones. In Psal-

Universidad de Deusto
Biblioteca

mis tertij nocturni, aliqualis vsuum est discrepantia. In lectionibus Romani, Ambrosiani, Benedictini, & quasi omnes vsus concordant, salua variatione IX. lectionis: In responsorijs similiter vsus aliqualiter discrepant. Ideò quilibet teneat suum vsum. In Laudibus modica differentia existit. Generalis plurium vsus est, vt Vesperæ & Vigiliæ dicantur die præcedenti, & Laudes die sequenti post matutinas. Et quodlibet dictarum triú horarum cum suis precibus, Psalmis & Orationibus terminatur: Aliqui tamen Vesperas & Vigilias simul iunctas, vno fine concludunt. Et in dictis tribus officijs seruantur prostrationes, quando illæ fiunt in officio principali. Singulares autem esse videntur quidam Alemanni, qui lectionibus generalibus cum suis Responsorijs non contenti alias etiam lectiones cum Responsorijs confictis instituerit obseruare. Nec tales singulares nouitates Religiosi sequi debent, quos communia & facilia decet obseruare. Et sicut dictæ tres horæ suis diebus seruari debent, ità etiam eiusdem officij Missa eisdem diebus debet conuencualiter celebrari. Hoc autem officium intermittitur aliquandò propter dictum incongruentiam, vt in hebdomada Paschali, & triduo præcedenti: aliquandò propter ipsius diei festiuitatem: vt in omnibus nouem lectionibus & maioribus* & aliquorum vsu tempore Paschali, & per octauas maiores. Sed in hoc conueniens discretio habeatur. Et vt facilius obseruetur, aliquorú vsus habet, vt psalmodia cum antiphonis, minoribus diebus planè dicantur, lectiones autem & responsoria decantentur. In Quadragesima verò & Aduentu seruantur nouem lectiones cum responsorijs. Cæteris temporibus secundùm ferias tres lectiones cum suis nocturnis dicantur. In diebus depositionum & anniuersarijs defunctorum, nouem lectiones sunt seruandæ. Qui præmissis subtrahere vult, hoc faciat suo iure.

for.* festiuitatibus

De officio Virginis gloriosæ.

Officium autem Virginis gloriosæ, omnium more habet septem horas sicut principale. Et conuenienter potest sic seruari, Vt ad vigilias noctis illud dulce dicatur Inuitatorium. *Aue Maria gratia plena, Dominus tecum.* Hymnus, *Quem terra.* Romano vsu tres nocturni cum nouem suis antiphonis dicuntur secundùm ferias: vtpotè Dominica, feria secunda, & quinta de primo nocturno, feria tertia & sexta, de secundo: feria quarta & sabbato, de tertio. Et hoc vtique congruit, vt sufficienter iterati, nocturnum non impediant sabbatinum. In lectionibus tribus matutinalibus sunt multæ diuersitates. Aliqui dicunt de ecclesiastico, *In omnib⁹ requiem &c.* Aliqui tres paruulas, de sermonibus Augustini. Aliqui tres paruulas sine auctore, quarum initium est, *Sancta Maria piarum piissima.* Omnibus reiectis, religiosũ videtur, in hac parte sequi Carthusienses, vt de Euãgelio Luc. 1. c. tres legãtur lectiones. Prima, *In mense autẽ sexto missus est Angelus Gabriel.* vsque ibi, *dixit autem.* Secunda, ab indè vsque, *Exurgens autem Maria.* Tertia, abindè finiatur, *Et exultauit spiritus meus in Deo saluta-ri meo.* Et addatur, *Mansit autem Maria cum illa quasi mensibus tribus, & reuersa est in domum suam.* Responsoria tria satis sunt consueta. *Te Deum* dica non debet, vt probatum fuit propositione 13. Ad Laudes Romano more quinque antiphonæ, *Assumpta est Maria* cum alijs. In capitulis, orationibus & hymnis seruetur vsus. Laudabili more in hoc officio fiunt quædam supplectiones, vt quia in Ambrosiano & Benedictino ad Horas dicitur Litania, Kyrie eleison, quam quotidiè tantum in completorio & prima dicimus: Ideò in hoc officio suppleatur, Vt ad paruas horas more Benedictino post capitulum absque responsoriolo dicatur versiculus, Et ad singulas horas ante orationem dicatur Romano more *kyrie eleison, Christe eleison, kyrie eleison. Dominus vobiscum*, vel, *Domine exaudi. Oremus.* Suffragia verò ad Laudes & Vesperas fiunt secundùm deuotionem. Romani dicunt de eorum patronis Petro & Paulo, & de omnibus sanctis. Aliorum deuotio ad paruas horas iungit tres orationes de beata Virgine, de Spiritu sancto, & de omnibus sanctis. Vndè ad primam, tertiam, sextam, & nonam, in Hymno conuenienter præmittitur versus, *Veni creator.* Ad quinque autem paruas horas congruè distribuuntur quindecim Psalmi Graduales, maximè eorum vsu, qui illos non dicunt ante vigilias noctis. Et Benedictini, qui eosdem Psalmos ad principales certis diebus seruant horas, ordine tranmutato in officio beatæ Virginis ad primam, tertiam, sextam & nonam dicunt illos Psalmos, quos in eisdem horis in eodem officio dicimus principali. Ad Vesperas super Psalmos notos dicentur quinque antiphonæ, *Dum esset rex*, cum alijs, vt dictum fuit propositione 10. & seruant Romani. Et si aliquæ memoriæ in officio principali, ex causa omissæ sunt, & illæ in hoc officio suppleri possunt. Præterea hoc officium in vsu Romano ad Laudes, Vesperas & paruas horas in Aduentu & post Natiuitatem Domini, habet Antiphonas singulares & alias proprietates, quæ ex vsu Fratrum Minorum sciri possunt. Et tempore Paschali in tribus Euangelijs Antiph. *Regina cœli.* Hoc officium intermittitur aliquandò propter temporis incongruentiam, vt in hebdomada Paschali, & triduo præcedenti: aliquandò nè bis dici videatur, vt quandò seruitium principale fit de Virgine gloriosa: & aliquandò in paucis solennitatibus maioribus: super quo recurrẽdum est ad vsum Carthusiensium & similium religionum, & non ad notas Fratrum Minorum, quæ contra ea quæ Romæ vidi scripta, in hac parte nimis se laxant. Item secundùm vsum plurium, singulę horæ huius officij siue in choro, siue extra priuatim dicantur, ante horam principalem dicuntur, excepto Completorio, quod dicitur post horam principalem. Sed secundùm vsum Fratrum Minorum, qui Romanus dicitur, Matutinum

num & Vespera dicuntur antè, & paruæ Horæ dicuntur post horas principales. Omnium vsu generali diebus sabbatinis, quandò propria Missa non occurrit, cantatur Missa de Virgine gloriosa, cuius officium in omnium Missalibus secundùm tempus anni continetur, de qua scriptum est, quòd in illa nec *Gloria in excelsis*, nec *Credo* dici debeat, vt allegatum fuit suprà propositione 13. Vt autem diebus sabbatinis seruitium principale fiat de beata Virgine, festo maiore non occurrente, sunt diuersitates. Nam solenniores Ecclesiæ & religiosi illud nõ seruant, nè nocturnus sabbatinis continuè omittatur: Innitentes rationi Alexandri Papæ tertij, ext. de fer. c. 2. in fin. Cùm singulis diebus in officio priuato laus persoluitur Virginis gloriosę: Et isti in eodem priuato officio secundum ferias dicunt psalmum & antiphonam trium nocturnorum, vt suprà præmisi. Alij verò sunt, qui omissionem dicti nocturni non ponderantes, dictis diebus faciunt seruitium principale de eadem cum nouem antiphonis atque psalmis: & isti vniformiter dicunt, per totum annum, officium priuatum. Quanquam sit etiam, si ex deuotione sic fieri conueniat, seruitium principale, tamen in illo dictus nocturnus non videtur omittendus, iuxta ea quæ dicta sunt suprà propositione 10. Et tunc huiusmodi seruitium fieri possit sine prostrationibus, septem psalmis, & cæteris, sicut fit tempore Paschali, & infra octauas maiores. Quamuis autem in septimanis vacantibus seruari possit Missa de patrono, tamen huiusmodi laudatio extendi non debet ad horas principales, ne officio feriali præiudicium nimium generetur: nec scripturam, nec exemplum habemus, hoc licitè fieri posse.

PROPOSITIO XXI.

Laudabili multorum vsu seruantur etiam certis temporibus alia particularia officia, vt psalmorum pœnitentialium, & gradualium, & in Quadragesima totius psalterij, & si qua sunt plura.

DE laude septem pœnitentialium psalmorum dictum est supra propositione nona, officium autem eorum congruenter fit hoc modo. Iidem Psalmi absolutè incipiuntur, & singulatim cum *Gloria patri* dicuntur. In fine vltimi *Alleluia*, vel *Laus tibi*, versus, *Intret oratio*. Deindè prostrando *kyrie eleison*, preces maiores, cum Psalmo *Inclina*, & prælibatis orationibus ad hoc recollectis, de omnibus sanctis, pro Papa, pro Pace, pro Episcopo, pro Imperatore, contra hæreses, pro familiaribus, pro iter agentibus, pro populo, pro peccatis, pro serenitate, pro viuis & defunctis, & huiusmodi necessitatibus. In vsu Leodien. sunt 13. hoc autem officium dici debet post primam in diebus trium lectionum extra tempus Paschale, & octauas maiores. Et ita communiter seruatur, vt vidi notatum in quodam ordinario Romano. Sed Innocentius III. mandauit suis capellaribus, vt solùm in Quadragesima diceretur, & hoc sequũtur Fratres Minores.

Quindecim autem Psalmi Graduales, tripartitè dicuntur: primi quinque pro defunctis, sub vno *Requiem æternam*, cum, *Pater noster*, versiculo & collecta. Alij quinque pro nobismetipsis & amicis nostris sub vno. *Gloria*, cum *Kyrie eleison*, versiculo, & collecta. Reliqui quinque, pro omnibus fidelibus similiter dicuntur sicut medij, & hoc officium seruatur à prælibatis religiosis, in tribus lectionibus ante matutinas. Pauci tamen illud seruantes, curant etiam seruare dictos septem Psalmos. Sed alij religiosi & seculares, meliori ratione mouentur, qui vtrique officio in hoc satisfaciunt, quia quindecim Psalmos Graduales ad quinque paruas horas in quotidiano officio sanctæ Virginis continuant, & septem Psalmos Pœnitentiales suis diebus seruãt, & in hoc seruitium diei alleuiatur, & septem Psalmi non omittuntur. Orationes autem, quas ad quindecim Graduales adiungunt in prima & post septem Psalmos, satis sunt suppletæ. Diebus tamen quibus de beata Virgine fit seruitiũ, principale officium huiusmodi quindecim graduum, congruè locum habet. Et quia in sancta Quadragesima sancti Patres voluerunt officium Ecclesiæ cum alijs bonis operibus omnimodè augmentari, vt supra propositione 16. ideò in augmentum diuini cultus eiusdem temporis, diebus ferialibus Quadragesimæ, & nouem lectionibus vacantibus, dicta prima legitur Psalterium hoc modo, recepta cum prostratione venia, incipit sacerdos: *Deus in adiutorium. Gloria, Laus tibi.* Deindè quotidiè leguntur decem Psalmi de Psalterio, bini & bini sub vno *Gloria.* post vltimum *Laus tibi.* Vers. *Intret.* Deindè litania tota: qua dicta, omnibus prostratis, dicuntur preces maiores, cum septem Psalmis & Orationibus supradictis. Et ad *Per Dominum*, surgant omnes. Alij autem seruant alia officia particularia, tam in Quadragesima, quàm in diebus priuatis. Sed officia iam prædicta, iugiter congrua videntur & deuota.

Præterea Romani in festiuitatibus in quibus volunt solennizare in Vigilia, de serò faciunt quoddam officium, quod vocant vigiliam, sub hoc modo: Pulsatis signis, absolutè incipitur antiphona, & dicuntur tres Psalmi cum tribus antiphonis, & versibus, *Pater noster*. cum tribus lectionibus & Responsorijs, sicut fit in vno nocturno matutinali. Et cantato, *Te Deum*, vel, *Te decet*, officium concluditur cum oratione & *Benedicamus Domino*. In Vigilia sanctorum Apostolorum Petri & Pauli, hoc officium fit in sancto Petro cum nouem Lectionibus & suis Responsorijs. Et antiqua antiphonaria Romana in dicta Vigilia, & in Vigilia Natiuitatis Domini, continent nouem antiphonas cum suis Psalmis & nouem Responsorijs ad hoc officium ordinata. Huiusmodi autem vigiliarum officium

Universidad de Deusto
Biblioteca

est benè multiplicatum in festiuitatibus more Ambrosiano, cum cantu processionali ad hoc ordinato. Indè est quòd in multis Ecclesijs collegiatis plebanus in festiuitatibus in vigilijs de serò cantant matutinas. Officia autem alia particularia, vt sunt processiones, tam festiuæ, quàm Rogationum, benedictiones diuersarum rerum, ad vsum ecclesiasticum pertinentium, & cætera huiusmodi, sunt satis communia atque nota.

PROPOSITIO XXII.

Ordo sanctiæ Romanæ Ecclesiæ non ex vsu Fratrum Minorum sed ex sacris Canonibus, scripturis authenticis, libris nostris antiquis, generali, & locorum proportionali consuetudine colligatur.

CElebris olim & gloriosa erat Romana Ecclesia, vt de sub eius pede effluerēt aquæ viuæ, & velut ex fonte riui tam rerū omnium faciendarum, quàm ecclesiasticæ regulæ emanarent. Indè est quòd omnes scripturę nobis iniungunt, vt illius sequamur auctoritatem, & ordinem teneamus. Vndè ait beatissimus Papa Innocentius Decentio Episcopo, & ponitur in epistola Magalonensi suprà propositione septima allegata & vndecima distinctione. Quis enim nesciat, aut non aduertat id, quod à principe Apostostolorum Petro Romanæ Ecclesiæ traditum est, ac nunc vsque custoditur, ab omnibus debere seruari, nec supraduci aut introduci aliquid, quod aut auctoritatem non habeat, aut aliundè videatur accipere exemplum: Præsertim cum sit manifestum, per omnem Italiā, Gallias, Hispanias, Aphricam, atque Siciliam, insulasque interiacentes, nullum instituisse Ecclesias, nisi eos quos venerabilis Apostolus Petrus, aut eius successores sacerdotes constituerunt. Legant autem, si in his prouincijs alius Apostolus inuenitur aut legitur instituisse. Quòd si non legerunt, quia nusquàm inueniūt, oportet eos hoc sequi quod Ecclesia Romana custodit, à qua eos principium accepisse non est dubium: ne dum peregrinis assertionibus student, capitis institutionem videantur omittere. Et adde quæ allegata sunt supra propositione tertia. Sed quo ad diuinum officium, hodiè omnium credulitas & opinio diuulgatur, quòd nullæ Ecclesiæ seruent in illo ordinem sanctæ Romanæ Ecclesiæ, nisi Fratres Minores, nec in aliquorum nisi in ipsorum breuiarijs & libris contineatur, ex eo quia B. Franciscus in Regula præcipit, vt clerici faciant diuinum officium secundum dictum ordinem, vbi Breuiaria habere possunt. Huius autem rei Romæ contrariam didici veritatem. Nam olim quandò Romani Pontifices apud Lateranum residebant, in eorum capella seruabatur Romanum officium, nō ita cōpletè sicut in alijs vrbis Ecclesijs collegiatis. Imò clerici Capellares, siue de mandato Papæ, siue ex se, officium Romanum semper breuiabant, & sępè alterabant, prout Domino Papæ & Cardinalibus congruebat obseruandum. Et huius officij ordinarium vidi Romæ à tempore Innocentij III. recollectum. Et istud officium breuiatum secuti sunt Fratres Minores. Indè est, quòd breuiaria eorum & libros officij intitulant, secundùm consuetudinem Romanæ Curiæ, non autem curauerunt mores aliarum Ecclesiarum Vrbis Romæ recipere & obseruare. Et si dictū officiū capellare, debet dici ORDO sanctæ Romanæ Ecclesiæ, fecerunt quod regula iubet: Sin autem. Aliæ autem nationes orbis Romani libros & officia sua habent è directo ab ipsis Ecclesijs Romanis, & non à capella Papæ, sicut ex libris & tractatibus Amalarij, Vualfredi, Micrologi, Gemmæ, & cæterorum de officio Diuino scribentium colligitur euidenter. His ergò præmissis, videamus an dicti Fratres, qui singularem vsum cum regula seruant singulari. An cæteræ nationes & religiosi magis appropinquent in Diuino officio, ad ordinem sanctæ Romanæ Ecclesiæ. Et siue in errore, siue veritate, dico quòd vsus Fratrum Minorum magis distat à vero ordine Romano, sequendo dictum officium capellare, quod sic deducitur: Secundùm beatū August. lib. 19. de Ciuit. Dei, cap. 13. Ordo est parium disparium q; rerum cuique loco distribuens dispositio. Et lib. 2. de ordine rerum dicit, quod ordo est per quem aguntur omnia, quæ Deus constituit. Et lib. eiusdem secundo, Ordo est quo Deus agit omnia quæ sunt. Et super epistolam ad Galatas Conturbatio est ordini contraria. Quandò igitur in diuino officio omnia aguntur secundùm quod constituta sunt à Romana Ecclesia, & secundùm rectam discretionem quodlibet in suo loco distribuitur, tunc est ordo quem præcipit Romana Ecclesia. Et vbi contrarium fit, ibi est conturbatio. Sed hæc propinquiùs fiunt in alijs regionibus & per alias nationes. Igitur &c. Minorem declaro in his, quæ nunc occurrunt, & latiùs Deo dante declarabitur in scripturis ex Vrbe venturis. Primò in legendis & cantandis Lateranenses & aliæ Romanæ Ecclesiæ habent sermones & homilias integras, passionesq; sanctorum, & huiusmodi in copiosa multitudine. Item in antiphonarijs antiquis Romanis habetur cantus de sanctis Nicolao, Sebastiano, Mauritio. Et responsoria magna ad Tertiam, Sextam, & Nonam in Quadragesima, & Psalmi Dominicales ad Vigiliam in hebdomada Paschali diuisi, & Vesperæ Paschales per *Kyrie eleison* ordinatæ, & Antiphonæ in Dominicis super *Benedicite* multiplicatæ, & in diuersis alijs locis diuersæ Antiphonæ & Responsoria. Item in proprijs sanctorum Missis, eorum officia in diebus eorum ascripta habentur, & cætera multa, quæ vbique per orbem seruantur & habentur, sequendo Ecclesias Romanas. Sed Fratres causa breuitatis capellam sequendo, hoc vel omiserunt, vel alterauerunt. Et eorum modo abbreuiato sæpius legunt de sanctis Chronicas Damasi, vel ex Pontificali. Item sedes

Ecliptica oratio.

des Apostolica nobis assignat festa nouem lectionum generalia, & de localibus commisit diœcesano mutanda, vt suprà propositione decimaseptima. Vndè apud omnes religiones & nationes vltra nouem lectiones generales paucæ constitutæ sunt locales & multæ trium lectionum. Sed fratres hodiè omnes eorum sanctos & octauas maiores seruant sub nouem lectionibus, & nullos sub tribus. Ex qua obseruantia euenit in vsu eorum continua perturbatio, & magna confusio propter transpositiones, quas tam de Dominicis, quàm de octauis faciunt. Nam de sex locis vel personis eorum vsum seruantibus, vix duo in eundem sanctum nouem lectionum eodem die concordabunt. Vndè rarò propter hoc nocturnum dicunt. Et septem Psalmos & cætera ferialia rarò seruant, & sacrā scripturam omnimodè in officio negligunt, & defunctis similiter in officio eorum continuum preiudicium faciunt. Item sedes Apostolica vult hanc proportionem, vt sicut in vrbe seruantur sancti Romani pontifices, & alij sancti vrbis locales, ità in aliorum vsu alij seruēt sanctos suos locales. Et sicut Romani non tenentur ad nostros locales, ità nec nos ad ipsorum locales. Sed fratres contra generalem consuetudinem huiusmodi, à dicta sede tacitè approbatam, in eorum vsu adducunt locales Romanos, vt Higinum, Anicetum, Soterem, Pium, Cletum, Marcellum, Eleutherium, Ioannem, Felicem, Siluerium, Anacletum, Victorem, Innocentium, Euaristum, Pontianum, & Melchiadem Romanos Pōtifices. Et præterea Anastasium martyrem in die Vincentij, cuius monasterium situatur vltra sanctum Paulum. Gilibertum confessorem de Anglia, & sanctos quadraginta martyres de Armenia, qui habent Ecclesiam propè Colosseum. Apparitionem sancti Michaelis de Apulia, Erasmum martyrem de Caieto, Rufinam & Secundam virgines & martyres de Laterano, Naborem & Felicem de Mediolano, Symphorosam cum septem filijs, martyres de Tiburto, Pastorem presbyterum & confessorem, qui erat de societate Praxedis & Potentianæ virginum Romanarum. Susannam virginem & martyrem, quæ habet Ecclesiam propè thermas, duodecim fratres martyres in die Aegidij, vbi Vrbanus IIII. mandauit Aegidium teneri sub IX. lectionibus. Cerbonium episcopum de Populonia, Gryphonem & Respicium martyres, quorum Ecclesiam habent Augustinenses. Festum de Niue. Vtrasque dedicationes trium maiorum basilicarum, & Sabam abbatem, cuius abbatia stat vltra sanctum Alexium, & non sine mysterio de omnibus prædictis localibus Romanorum nihil proprietatis habetur in officio Gregoriano, quasi generaliter non sint tenendi. Et præter illos in alijs diuersis Ecclesiarum vrbis Kalendarijs, vidi alios Romanos Pontifices atque sanctos quàm plures locales annotatos, tam sub nouem, quàm sub tribus lectionibus, quos fratres omiserunt. Et quamuis in kalēdarijs Vrbis antiquis multi locales sancti sub nouem lectionibus annotentur, tamen in eisdem in numero copioso vidi sanctos ad tres lectiones annotatos. Et in hoc ab initio defecerunt notæ Fratrū Minorum, quòd non notauerunt sanctos nouē lectionum, vt sic omnes alios habuissent sub tribus lectionibus: sed indiscretè quædam nota eorum, quam tamen hodiè non seruant, duntaxat quatuor vel sex sanctos ad tres ponit lectiones, quasi regula eorum existat, vt omnes alij sub nouem lectionibus teneantur. Et in hac parte contrariantur omnibus alijs religionibus & nationibus, & contra huiusmodi confusionem IX. lectionum satis scripsi supra ptopositione 17. Item sedes Apostolica præcipit, vt super diebus sanctorum seruetur consuetudo regionis: sed Fratres de prælibatis sanctis seruant contrariū, vt notatum fuit propositione 17. Item sicut Fratres seruant festiuitates sanctorum sui ordinis, vt Franciscī cum maioribus octauis, Antonij Paduani, & sanctæ Clarę, qui non sunt de officio Romano, quare non similiter Romani habent sanctos suos locales, ad quos Fratres non tenentur? Item beatus Gregorius in lib. Graduali & Missali sanctis Dei proprias Missas habentibus suos cātus & epistolas cū Euangelijs in eorū diebus assciprit, Remissiones faciēdo quando iterato dicerentur, prout communiter habēt libri seculares: Sed fratres in eorum libris de toto scripserunt vnum commune sanctorum confusum, aggregando introitus per se, deindè cætera per se. Et præterea omiserunt epistolas & euangelia temporales & feriales, quę in libris Romanis continentur. Item de genuflexionibus & cæremonijs antiquis plura similiter emiserunt, fortè quia in capella Papæ non seruantur. Sciendum tamen quòd Nicolaus Papa III. natione Romanus, de genere Vrsinorum, qui cœpit anno Domini millesimo ducentesimo septuagesimoseptimo, & palatium apud sanctum Petrum construxit, fecit in ecclesijs vrbis amoueri Antiphonarios, Gradualia, Missalia, & alios libros officij antiquos quinquaginta, & mandauit vt de cætero Ecclesiæ vrbis vterentur Libris & Breuiarijs Fratrum Minorum, quorum regulam etiam confirmauit. vndè hodiè in Roma omnes libri sunt noui & Franciscani. Et forma notularum in cantu antiqua, qua tam Ambrosiani, quàm Alemanniæ nationes vtuntur, cum pluribus alijs obseruationibus ecclesiasticis ab vrbe relegata. In officio ergò diuino ordinem sanctæ Romanæ Ecclesiæ obseruabimus, si Fratrum vsu omisso, sacros canones, scripturas authenticas, consuetudines locorum generales, & in dubijs libris antiquiores sequamur. et in alijs particularibus dictam seruemus proportionem, vt de sanctis localibus superiùs declaratur.

Universidad de Deusto
Biblioteca

PROPOSITIO XXIII.

Sanctarum Missarum Officia Romanæ Ecclesiæ suis Dominicis & Sanctorum diebus fideliter obseruentur, vt in illis patrum traditiones humiliter custodiantur.

IEsus Christus primus & summus pontifex & sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech, non quidem Leuiticus, sed Euangelicus, non veteris, sed nouæ legis in nocte cœnæ pridiè quam pateretur in cruce, in memoriam suæ mortis instituit, & tradidit Apostolis formam, & verba consecrationis sui corporis & sanguinis in Eucharistiæ sacramento, sicut ex sanctis Euangelijs docetur & colligitur euidenter: Nam quotiès hunc panem manducamus, & calicem bibimus, mortem Domini annunciamus, 1. ad Cor. 11. circa finem. Vndè cùm dixit Iesus, Hoc facite in meam commemorationem, expresè instituit hoc sacramentum, & tacitè destituit agni Paschalis typicum sacrificium, vt ait Isidorus super Matth. & ponitur de consec. dist. 2. Accipite. De hoc vide quartum sententiarum dist. 8. De forma consecrationis sanguinis Christi, à sanctis doctoribus veriùs creditur & tenetur, quòd ea sit forma, quæ in canone habetur, qua ex primitiua traditione Apostolorum & sanctorum Patrum Ecclesia vtitur generalis. Sunt enim multa adiecta, quæ nullus Euangelistarũ legitur expressisse. lege super hoc pulchra dicta Innocentij Papę tertij, ext. de celeb. Miss. c. cum Matth. Apostoli enim de forma & materia huius sacramenti, sicut de Domino Iesu Christo acceperunt, ità & seruauerunt, & sanctę Ecclesiæ tradiderunt, quo ad actum celebrandi. Quo ad modum seu ritum, tempus, locum atque ornatũ sacrarum vestium & vasorum, nonnulla, prout decuit, ordinarunt. Et eorum exemplo atque doctrina similiter fecerunt successores, vndè in gestis sextæ synodi dicitur, quòd Iacobus frater Domini secundùm carnem, cui primùm tradita est Hierosolymitana Ecclesia, & Basilius Cæsareensis episcopus, tradiderunt nobis Missæ celebrationem, de consec. dist. 2. Iacobus. Ab initio siquidem cùm adhuc esset nouella Ecclesia, Apostoli cum sanctificatione crucis & oratione Dominica, prout in quibusdã scripturis veteribus reperitur, & in quotidianis vestibus & ligneis calicibus celebrabant. Sed B. Clemens, vt dicit Gemma, tradente beato Petro, vsum sacrarum vestium ex lege superposuit. Sanctus Soter natione Campanus, qui cœpit anno Domini XXV. interdixit mulieribus sanctas vestes altaris contingere, & incensa circa altaria deferre, dist. XXIII. sacrosanctas. Vndè non nisi à sanctis hominibus vestimenta sacra contingantur, nec alijs vsibus commodentur, de consec. dist. 1. c. Iustam. & c. Vestimenta, nec nuptiarum prætenditur ornatibus, c. d. Ad nuptiarum. Sanctus Zephyrinus XVI. Papa, vitreis vasis: Sanctus verò Vrbanus Papa primus, argenteis constituit celebrari, de consid. 1. vasa. De quibus sanctus Bonifacius episcopus & martyr interrogatus, an in vasis ligneis liceret conficere, Respondit, quondam sacerdotes aurei erant, & calicibus ligneis vtebantur: & nunc e contra. In his autem sicut & in reliquis cultibus, magis & magis per incrementa temporum decus succreuit Ecclesiarum, c. vasa. Vndè etsi non ex argento, saltem ex stanno, non ex ære vel auricalco fiat calix, c. d. Et calix. Sanctus Stephanus natione Romanus, qui cœpit anno CC LV III. præcepit, vt vestimenta Ecclesiæ quibus Domino ministratur, & sancta sint & honesta, in c. vestimenta, supradicto. Sixtus II. qui cœpit anno 261. constituit, vt Missa super altare celebraretur, quod antea non fiebat. Felix I. natione Romanus, qui cœpit anno Domini 166. constituit super memorias martyrum Missas celebrari. S. Siluester I. natione Romanus, qui cœpit anno Domini 315. constituit, vt diaconi dalmatica vterẽtur in Ecclesia, & pallio linostino eorum læua tegeretur. Primo siquidem sacerdotes ante casularum vsum, dalmaticis induebantur. Postea verò cùm casulis vti cœpissent, dalmaticę diaconibus sunt concessæ. Itẽ constituit vt sacrificium altaris non in serico pãno aut in tincto, sed in puro lineo ab episcopo consecrato celebretur, sicut corpus Domini in sindone linea munda sepultum fuit, de consec. d. 1. Consulto. De dicto Vrbano legitur, quòd aquã admisceri cẽsuit, sicut & Apostolica traditio docuit de hoc, de con. dist. 2. c. 1. & tribus c. seq nec vnà coniungantur, vt in c. didicimus c. dist. B. Bonifacius I. natione Romanus, qui cœpit anno Domini 425. interdixit ne moniales seu quæcunq; mulieres sacra vasa seu pallas altaris contingerent. Et qualiter sacrę vestes lauari debeant, dicitur in c. Nemo per ignorantiam de consec. d. 1. De hora Missæ celebrandæ S. Telesphorus martyr natione Græcus, qui successit Sixto anno Domini 139. constituit in nocte natiuitatis Missas celebrari, & hymnum angelicum solenniter decãtari. Reliquis verò temporibus ante horam tertiam illas minimè celebrandas: quia & eadem hora Dominus crucifixus est, & super Apostolos Spiritus sanctus legitur descẽdisse, de consec. dist. 1. nocte. In Quadragesima autem hora vespertina c. d. solent. Similiter eadem hora seu in noctis initio in sabbatis quatuor temporum, & in sabbato sancto, 65. dist. Secunda patribus, & c. Ordinationes. Celebrationes enim ordinũ iuxta decreta sanctorum Patrum, tàm serò fiebant in sabbato, vt potiùs Dominicæ, quàm sabbato adscriberentur. Vide Micrologum c. 29. Ex hac antiquitate hodie seruatur, vt diebus ieiuniorũ Missa in Nona dicatur, & alijs diebus ad Tertiã. Etsi ambo cõcurrant, Missa de festo ad Tertiam festiuè dicitur, & de ieiunio ad Nonam. Et ita fit Romæ, & in Colonia. In Collegijs seruatur, vt maior Missa dicatur ante vltimam horam ante prandium, & si occurrant duę, prima ante penultimam horam imponitur. De præsentibus autem necessarijs, infrà tangetur. Presbyter cum se parat ad Missam, iuxta Romanam consuetudinem decantat Psalmos, Quàm dilecta, Benedixisti, Inclina, Credidi, Kyrie eleison, Pater noster. Et nè. Vers. Ego dixi. vers. Conuerte, vers. Fiat misericordia, vers. Sacerdotes, vers. Protector noster, vers. Domine exaudi. Oratio, Aufer: alia, Actiones, secundùm Micrologum, c. 1. & 23. Eo introeunte ad altare, cantatur antipho na ad Introitum, quę abindè in Romano, hoc nomen, & in Ambrosiano, nomẽ *Ingressæ* meruit habere. Cælestinus primus natione Romanus, qui cœpit anno Domini 418. in ordine XLI. constituit vt psalmi Dauid c. & l. ante sacrificiũ canerentur antiphonatim ex omnibus, quod ante non fiebat, nisi tantùm epistola beati Pauli, & sanctum Euangelium recitabatur. Ex hoc instituto excerpti de Psalmis Introitus, Gradualia, Offertoria ante sacrificium, communiones inter cõmunicandum cum modulatione ad Missam in ecclesia Romana cantari cœperunt secundũ Sigibertum & alios in Chronicis. Non autẽ intelligendũ, quòd Cælestinus primò inrroduxit Psalmos dici particulatim ante sacrificium, immò ab initio diù ante eum à patribus sunt seruati. Vnde Cassianus libro tertio de institutis monachorum c. decimo. Verùm ne hoc quidẽ ignorandum, die Dominica vnam tantũmodò Missam ante prandium celebrari, In qua psalmorũ atquè orationum seu lectionum pro ipsius collectæ vel communionis Dominicæ reuerentia solennius aliquid impendentes, in ipsa tertiam sextamq. pariter consummatam reputant. Quo ties igitur idem à diuersis cõstitutum reperitur, intelligi debet, quòd posterior constitutum vel obseruatum à prioribus, vel innouauit & authorizauit, vel emendauit, declarauit, publicauit, aut quid simile fecit. Ecce de epistolis & euangelijs legitur, quòd successores Apostolorum, epistolas & Euãgelia legi statuerunt. Vndè præcipitur in canonibus Apostolorũ & ponitur de consec. dist. 1. Omnes, vt fideles ad sacramenta solenniter conuenientes, scripturas Apostolorũ & Eungelium audiant, & in oratione vsque in finem Missę perseuerẽt. Alibi scribitur, quòd epistolam & Euangelium Alexander Papa ad Missam legi constituit. Item beatus Hieronymus presbyter Cardinalis epistolas & euangelia, vt hodiè habet Ecclesia, collegit & ordinauit, vt in libro qui Comes dicitur, habetur: & ipse ait scribens ad Constantium episcopum. Et Damasus Papa, vt nunc moris est, legi censuit. In Ambrosiano autem officio copiosè habentur per totũ annum Epistolæ & Euangelia, sæpe cũ Romano officio concordãtes, & sæpe differẽtes. Idem etiàm officium in festiuitatibus & Dominicis pulchrũ seruat ordinem: Nam ad Missam post Gloria in excelsis, & Kyrie eleison ter. Deindè legitur prima lectio de veteri testamento cum responsorio, quod Psalmelum vocat, & nos Graduale. Secunda de nouo Testamento cũ Alleluia & versu, vt Romani. Tertia de sancto Euangelio, ante quod, & post quod cantãtur antiphonę, quæ dicuntur ante Euangelium & post Euagelĩu, quibus carent Romani. Officium autem Ambrosianum longè præcessit Romanum, vt suprà Propositione 12. Et qui videt Ambrosianũ, apertè cognoscit, quòd cantus Missę, Epistolæ, & Euangelia, & plures orationes, responsoria & antiphonæ, & cætera officia, recepta sunt ab illo. Et huius signum est, quia cantus concurrentes vtrobique sunt eiusdẽ toni, vt introitus, *Caudeamus*, vtrobiquè est primi toni. Sed nota Ambrosiana est fortior, durior, & magis extensa. Reuertamur igitur ad initium Missæ. Sanctus Damasus Papa natione Hispanus, qui cœpit anno Domini CCCLXX. præcepit, vt presbyter confessionem faceret antequàm accedat ad altare. Sacerdos igitur paratus veniens ad altare, Romano ordine dicit antiphonã, *Introibo*, cum Psalmo, *Iudica*, & facit confessionem, quã Micrologus c. xxiij. breuiter sic ponit: Cõfiteor DEO omnipotẽti, istis sanctis, & omnibus sanctis, & tibi frater, quia peccaui cogitatione, locutione, in opere, in pollutione mentis & corporis. Ideò precor te, ora pro me. Misereatur tui omnipotens Deus, & dimittat tibi omnia peccata, liberet te ab omni malo, & conseruet te in omni opere bono, & perducat nos Iesus Christus filius Dei viui in vitam æternã, Amen. Indulgentiam & remissionẽ omnium peccatorũ nostrorũ, tribuat nobis omnipotens & misericors Dominus, Amen. Huic cõfessioni concordãt prædicatores, & dicunt: Absolutionẽ & remissionẽ, &c. quæ verba ex Euangelio sumuntur. Quod cunq. Matth. 16. solueris, &c. &, Quorum remiseritis, &c. In Ro Ioa. 20. mano officio introitus cantatur cum versu de Psalmo, *Gloria patri*, & repetitione, quod nõ fit de ingressa Ambrosiana. In Graduali B. Gregorii ad Introitus annotantur semper duo versus de Psalmo, sicut hodie obseruamus de *Requiem*. Aliqui scripserunt, quòd ex statuto Cælestini, totus psalmus olim cantabatur. Sed quod beato Gregorio adscribitur, quòd introitus modulando composuit, intelligendum est, quòd multos introitus ex psalmis addiderit: quia valdè multi ab Ambrosio sunt recepti. *Gloria Patri*, Niccna synodus composuit de consecrat. dist. 1. de hymnis. Sed Damasus Papa ad Psalmos cantari censuit kyrie eleison. Siluester papa de Græcis sumpsisse scribitur. Quod Gregorius Papa ad Missam instituisse dicitur. Sciendum quòd Græci & Ambrosiani multùm ad Horas frequentãt Kyrie eleison. Et in Missa Ambrosiana dicitur ter kyrie eleison in tribus locis post *Gloria in excelsis*, & post Euangelium, & in fine Missæ. In Romano verò dicitur nouiès in vno loco, cum Christe eleison, quod Græci & Ambrosiani nõ dicunt. Item Ambrosiani ad corũ *Kyrie eleison*, ad *Gloria in excelsis*, ad *Credo*, ad *Sanctus*, vnicam seruant notam. Et de *Gloria in excelsis*, & *Sanctus*, in Graduali beati Gregorij Romę pauca sunt notæ. Et credendum quòd plures notæ secularium super illis sine auctoritate existant. Ideò humilitati locorum vestrorum congruere vide-

Universidad de Deusto
Biblioteca

videtur, vt super illis sequeremini Carthusiēses.

De laude angelica dictum est suprà propositione 13. Micrologi. c. ij. & c. xlv. dicit, quòd capitur in omni festo, quod plenum habet officium, hoc est, nouem lectiones, nisi in Aduentu, die Innocentum, & LXX. In his tamen diebus secundùm Micrologum c. xlv. natalitia Apostolorum & festa sanctæ Mariæ, *Gloria in excelsis* recipiunt iuxta Romanam consuetudinem. Sed in hoc secundùm prudentiores, statur cōsuetudini regionis, nec post meridiem legitur dicendum, nisi in cœna Domini, vbi chrisma conficitur, & in Sabbatis Paschæ & Pentecostes. Sacerdos deindè ad populum versus, dicit, *Dominus vobiscum*: quod est sumptum de veteri testamento, scilicet de libro Ruth. Et *pax vobis*, de nouo testamento & de Euangelio accepta. Respōsio, *Et cum spiritu tuo*, de epistolis Pauli. *Amen* verò, de Apocalypsi, quæ Apostolicus ordo, tradente Domino, dici docuit, & Clemens Papa seu Anacletus dici constituit. Ambrosiani in Missa sæpiùs dicunt, *Dominus vobiscum, & cum spiritu tuo*, absque versione, & *Oremus*. Notandum secundùm Micrologum ca. ij. quòd hæc verba plures exigunt respondentes, & vnum salutantem. Sicut enim pluribus salutantibus ineptè respondetur, *Et cum spiritu tuo*: ità incongruè salutatur per *Dominus vobiscum*, nullo vel vno tantùm adstāte. Hoc vtique beatissimi Patres Apostolici, Anacletus quidem à beato Petro quintus, & Soter, de quo supra in ordine decimustertius, eorum decretis firmauerunt, vt sacerdos semper vel tertius esset, dum Missas celebraret, de consecrat. dist. 1. c. Hoc quoque statutum est. Non enim solus presbyter Missarum solennia, vel alia diuina officia potest sine ministri suffragio celebrare, de fil. presb. in fin. Zacharias vir Apostolicus, in ordine nonagesimustertius, constituit ne sacerdotes ad celebranda Missarum solennia cum baculo intrarent, nec velato capite altari adstarent, de consec. d. 1. Nullus episcopus. Sancti quoque Patres in Aurelianen. concilio, c. iij. constituerunt, vt ad salutationes sacerdotis non solùm clerici & Deo dicati, sed & omnis plebs consona voce respondeat. secundùm Micrologum c. ij. *Flectamus genua* in ieiunijs quatuor temporum, præter Pētecostes, in feria quarta ad priorem orationem: in feria sexta ad principalem, & in sabbato ad quatuor priores orationes dicitur. In illa de camino genuflexio more trium puerorum prætermittitur, qui statuam gentilium adorare noluerunt. Et iuxta Romanum Ordinem, in Missis quadragesimalibus post salutationem genua flecti mus. Idem fit in vtraque oratione feria quarta post palmas. Sed has genuflexiones Fratres omittunt, quia in capella Papæ non fiunt. Sequitur oratio, quæ specialiter, collecta, vocari videtur. Illa nanque apud Romanos fit super populi collectionem dum colligitur, vt procedat de vna Ecclesia in aliam ad stationem faciendam, vt in die Cinerum apud sanctam Anastasiā. Oratio, *Concede*, quādò statio est ad sanctam Sabinam. Et apud sanctum Adrianum in die Assumptionis, Oratio, *Veneranda*. Et in die Natiuitatis Mariæ, Oratio, *Supplicationem seruorum*, quandò iuxta cōstitutionem Gregorij Papę, litania exit à sancto Adriano ad S. Mariam maiorem. Et has duas collectas, quia non capellares, Fratres sine causa omittunt. Iuxta Romanum autem Ordinem, vt dicit Microl. c. iiij. non nisi vnam orationem ante lectionē dicere debemus, vt Amalarius à multis in prologo libri sui de officijs se ab ipsis Romanis didicisse fatetur. Hoc vtique & institutio officiorum exigere videtur, vt sicut ad vnam Missam, vnam tantùm lectionem & vnum Euangelium legimus, & vnum introitum, immò vnum officium cantamus, ità & vnam orationem dicamus. Sed plures illas adeò multipli cant, vt auditores ingratos efficiant. Sed sapientiores obseruant, vt in Missa aut vnam, aut tres, aut quinque, aut septem dicant: vnam, propter Romanam traditionem: tres, quia Dominus ante passionem ter orauit: quinque, propter quinque partitam eius passionem: septem, quia sancti Apostoli septenarium Dominicæ orationis, ad consecrationem eorundem mysteriorum, frequentasse leguntur. Vsu Leodien. vltra quinque non dicuntur. In Natiuitate Domini, Romani ad Missam secundam orationem de sancta Anastasia adijciunt: quia tunc stationem in Ecclesia eiusdem martyris agunt: Et in hoc illos imitamur, licèt non eandem adiectionis occasionem habere videamur. Sed Rabanus Moguntinus Archiepiscopus in libro Sacramentorum à ministris Ecclesiæ sancti Petri in Roma scisitatū se refert, quandò in Missa plures orationes occurrunt, vt in dicta Missa secunda, & in Dominicis quibus festa recoluntur, quot orationes soliti essent celebrare ante epistolam. Et responsum sibi dicit vnam tantùm. vndè dicit, à scripto sancti Ambrosij & S. Augustini se didicisse de ordine orationum in Missa: In dicta scilicet Missa, in loco vbi corpus sancti martyris requiescit, dicatur oratio de sancta Anastasia iuxta Romanum morem. Et vbi hoc non reperitur, dicantur de incarnatione. Eodem modo in cæteris festiuitatibus, & in omnibus alijs diebus, quibus celebramus Missas per annum secundùm eum. Indè est quòd in antiquiotibus libris eodem die Missæ sunt duplicatę. Vt in inuentione sanctæ Crucis: in die sancti Augustini, Decollationis Ioannis, Omnium Sanctorum, & cæterorum. Ex vnitate ergò Missæ quotquot sint orationes, prima semper per se est dicenda, etiamsi sint tantùm duæ secundùm Romanum ordinem &, vsus approbatiores. Scimus etiam quòd Ambrosianum officium in Missa dicit quatuor orationes: Primam, super populum post ingressam: Secundam post Euangelium super sindonem: Tertiā, ante prefationem, sicut nos: sed illam altè dicit: Quartam, post communionem: & hunc numerum seruamus in Quadragesima, licèt non hoc ordine. Et post primam orationem dicit, *Gloria in excelsis*, dein *Kyrie eleison*: sed nos ordinē cōuersum

versū seruamus post Introitū, *Kyrie eleison*, & *Gloria*, deindè orationes dicentes. Orōnes aūt Missę copiosè beatus Ambrosius ordinauit, & sanctus Gelasius post eū auxit. De ipsarū authoritate dixi suprà, ppositione decimatertia. In Euangelio præcipitur, vt patrem in nomine filii petamus, & accipiemus. Ideò penè omnes orationes, per *Per Dominum* concludimus. Paucissimæ, pro competentia sensus, alia cōclusione finiuntur. In qualibet conclusione memoriam sanctæ Trinitatis obseruare solemus. Romanus ordo & antiquissima exemplaria nomen Dei sic interponunt, vbi dicitur: Qui tecum viuit & regnat Deus in vnitate spiritusancti. Et Ambrosiani adhuc seruant. Sed moderni posteà subiungunt, & hæc subiunctio apud Romanos & nationes alias hodiè tantū inualuit, vt antiqua traditio sine scandalo locum habere non possit. Secundum Romanam auctoritatem, nulla oratio *Per eum qui venturus est*, concluditur, nisi per quam diabolus aduratur. Quandò oratio dicitur, omnes adstantes secundùm antiquam sanctorum Patrum traditionem, in signum confirmationis, AMEN. subiungere debent, vt communem orationem quam sacerdos pro omnibus Domino obtulit, confirment. Vndè & in ipsa secreta, *Per omnia secula seculorum*, altiùs dicit, vt præmissa oratio, per *Amen* à populo confirmari possit. De lectione & Euangelio suprà dictū fuit. Romani ex ordine Ambrosiano solam lectionem admittunt: nunc de veteri, nūc de Nouo Testamento cum Responsorio & Alleluia. Et hodiè, vt dicunt, ecclesię plures ciuitatis Mediolanensis ex more Romano sola lectione cum Alleluia contenti sunt. In ecclesia tamen maiore semper seruatur antedictus decor, quem in Romano officio in quatuor Missis Natiuitatis Domini duntaxàt receptū videmus. Vndè aliquæ ecclesiæ Italianę in tribus Missis ipsius diei Graduale post primam interponunt lectionem, morem beati Ambrosii imitantes. Et in vigilia Graduale diuidunt primam partem post primam lectionem, & versum post lectionem secūdam decantando. Fratres tamen nostri has primas lectiones à Romano officio amouerunt in sex feriis quatis ante Sabbata ordinationum. In Romano duæ sunt lectiones cum duobus responsoriis. Et Micrologus c. quinquagesimosecundo dicit, quòd feria secunda & quarta post palmas, duæ lectiones continuatim, vt in Natiuitate Domini, leguntur. Gradualia & Alleluia Ambrosius in suo officio multa ordinauit. Et Gregorius ad Missam tam illa, quàm alia in Romano officio imposuit. Abbas Nokerus sequentias aliquas proneumis de Alleluia composuisse dicitur, quas Nicolaus Papa ad Missam cantari concesit. In antiquis libris Romanis aliquas vidi sequentias, multi autem multas introduxerūt. Quilibet gaudet de suis nouitatibus. Securius videtur, in illis sequi Carthusienses & Cistercienses. Iubili a utem seu neumata gradualium & de Alleluia, resecandi non sunt, nisi cùm illorum loco sequentiæ decantarentur. Solis subdiaconibus Romana auctoritas concedit, vt sacris vestibus induti, epistolam legant, vt dicit Micrologus cap. octauo. trigesimaquarta distinct. Si subdiaconos. Nam beatus Hormisda à B. Petro Papa quinquagesimus tertius, cap. tertio, illū deponit, quicunque non ordinatus, officium ordinati vsurpauerit: quod vtiquè nec ex cōsecratione, nec ex ecclesiastica consuetudine vnquàm promeruit. Canones etiàm alios, nisi ad hoc ordinatos, in ecclesia legere, vel inpublico psallere, vel Alleluia dicere, vel aliquem exorcizare in diuersis cōciliis prohibuèri. Sed de epistola [con. De vi. & ho.] dicti cap. vt clerici dicunt. vt ibi. Nihil autem obstat, quin sacerdos in Missa inferiorum ordinum officia, si opus fuerit, expleat: quem & omnes inferiores obtinere constat, qui & in Missa sacris vestibus est indutus, sine quibus altari, iuxta Romanum Ordinem, ministrare non debemus. Vndè congruentiùs ipse epistolam & euangelium legat, quàm hoc per inordinatum expleri permittat. Anastasius primus natione Romanus, qui cœpit anno Domini trecentesimo quarto, mandauit, vt cùm sancta Euangelia in ecclesia legūtur, nullus sedeat: sed omnes Dominica verba intentè audiant, & fideliter adorent. de consecratione distin. 1. Apostolica. Quæ reuerentia, vt aiunt, & Apostolicæ lectioni apud Græcos exhibetur, vt dicit Micrologus. c. ix. Diaconus autem cùm Euangelium legit, iuxta Romanum Ordinem, in ambone vertitur ad meridiem, vbi & masculi conueniunt. Sacerdos verò in altari ad sinistrū cornu legit, vt in dextra parte expeditior sit ad oblationes suscipiendas & sacrificium perficiendum. Sed vt diaconus similiter ad Aquilonem se vertat, vsurpatio iam hodiè inoleuit, vt quasi pro ordine teneatur. De hoc Micrologus. latiùs d. cap. ix. Ordo quoque præcipit, vt Euangelium lecturus, in fronte & in pectore sibi crucem faciat. Item præcipit Romanus ORDO, vt incensum cum luminaribus præcedat Euangelium, cùm ad altare seu ad ambonem portatur. In Euangeliis Dominicalibus & plurium festorum, sæpiùs adniuicem discordant Ambrosiani, Romani, & alię nationes. In quibus libros nostros antiquos imitamur, non vtiquè sedi Apostolicæ, si aliter iusserit, præiudicantes. Symbolum Nicenum id est, *Credo in vnum Deum*, sanctus Marcus natione Romanus, succesor Siluestri, qui cœpit anno Domini CCC. XXXIX. vel XL. statuit, vt post euangelium in ecclesia alta voce dicatur. Deindè eiusdem symboli forma, quam Græcorum & latinorum confessio prædicat, & quā post Nicenum concilium sancti patres tradiderunt in sancta & vniuersali synodo secunda apud Constantinopolim celebrata tempore beati

Quid his notis significare scriptor voluerit, diuinare nequimus.

Universidad de Deusto
Biblioteca

beati Damasi Papæ circa annum Domini CCCLXXXVII. idem sanctus Papa in solennibus diebus ad Missam cantari instituit, & iuxta canonem cantari debet in omnibus Dominicis per totum annum in omnibus festiuitatibus Domini, & sanctæ crucis, sanctæ Mariæ, sanctorum Apostolorum, omnium Sanctorum dedicationis, Ecclesiæ, nec immeritò, quia de his singulis in eodem symbolo aliqua reperitur commemoratio. Item per octauas Paschæ & Pentecostes, quæ cum die principali, pro vna festiuitate computantur. Et vt dicit felicis memoriæ Innocentius tertius de celebrat. Miss. cap. consilium. In profestis diebus cùm Missarum solennia in honore beatæ virginis B celebrantur, hoc symbolum in Romana ecclesia non cantatur, vt intra solennitatem & commemorationem differentia ostendatur. Ex quo sequitur, quòd per alias octauas maiores cantari non debet. An autem in die octauarũ in diebus sancti Michaelis, Natiuitatis Ioannis Baptistæ, Mariæ Magdalenæ, Marci, Lucæ & Martini, sit cantandum, opiniones sunt & argumenta. Et quidem Angelus & Virgo, Martyr, præsul sine Credo. In prima autem & secunda Missa noctis Domini, non cantatur, etiamsi doctum sit, vt festiuius in missa maiori suscipiatur. Genuflexio, quam quidam ad C verba, *Descendit de cælis*, inchoant: & in verbis, *Et resurrexit* terminant, nullo exemplo probatur. Concilium enim Nicenum genuflexionem Dominico die interdicit, de cons. dist. 3. Quoniam. Et aliis præcipuis festiuitatibus fieri non debet, de fer. c. ii. In hoc symbolo decantando religioni vestræ non congruit modus secularium per notas fractas. Sequimini ergò monachos Carthusienses, à quorum consortio non estis seiuncti, vt supra allegabatur. Offertorium autem quod inter offerendum cantatur, quamuis à prioribus populi consuetudine in vsum Christianorum venisse dicatur, cùm quis specialiter addiderit offi- D ciis nostris, vt quædam Chronica dicunt, aperte non legimus, sicut & de antiphona quæ ad complendum dicitur, possumus fateri, cùm verè credamus priscis temporibus patres sanctos obtulisse in silentio vel communicasse Quod etiàm hactenus in sabbato sancto Paschæ obseruauimus, sed diuersis modis & partibus per tempora decus Ecclesiæ processit, & vsque in finem augeri non desinet. Alibi verò offertoria beato Gregorio adscribunt. Verum est autem, quòd multa recepta sunt ab officio Ambrosiano & beato Gregorio, qui plura alia ordinauit, & omnibus versus quàm plures annotauit, qui tam Romę, quàm in li- E bris nostris àntiquis continentur. Quibus hodiè resecatis, offertorium eo morosiùs percãtatur. Finito autem Euangelio, statìm est offerendum de consec. dist. 1. Omnis, dum & ofrenda cantatur, quæ nomen de oblatione mutauit. Nam ordine præpostero deincèps ofA fertur, postquàm proposita oblatione in altari sacerdos populum hortatur ad orandum. Sanctus Alexander natione Romanus, Papa quintus à beato Petro, qui cœpit anno Domini CXXI. præcepit vt panis tantùm & vinum aqua mixtum, in sacrificio Domini offeratur, quia de latere Domini sanguis & aqua simul perfluxerunt. de cons. dist. ii. In sacrameutorum. Vndè S. Cyprianus: In calice inquam Dominico, aqua vino deesse non debet, nè populus qui per aquam iuxta Apocalypsin significatur, à Christo separatus esse videatur, ead. dist. ca. ii. iii. & iiii. Præcepit etiam idem Alexander Papa, vt hæc oblatio ex azymo fieret in modica quantitate, dicens: Quanto pauB cior, tanto potior. Rursusque præcepit populum adspergi aqua cum sale exorcizata & benedicta, de consec. dist. iii. Aquam. In componenda oblata in altari, est duplex modus: vnus Romanus, quem seruant Itali & Alemanni cũ duobus corporalibus, quorum vtrunque pu- * Consulto. rè lineum debet esse. de consec. di. 1. * Consules. Gallici verò cum vno tantùm, iuxta Romanum ordinem, secundùm Microl. cap. x. Oblata in corporali posita, calix ad dextrum collocatur, quasi sanguinem Domini susceptu rus, quem de Dominico latere credimus profluxisse. Gallicani verò, calice de plica vnius corporalis cooperto, oblatam ponunt ante quod etiàm multi faciunt cum duobus ministrantes. In quibusdam chronicis legitur, quòd Leo primus, de quo infrà, constituit, vt finito offertorio, super oblatam incensum in memoriam mortis CHRISTI ponatur. Idem alibì scribitur, statutum in concilio Rothomagen. Microl. cap. 9. dicit, Romanum ordinem non concedere, vt oblatio in altari thuri ficetur, quod Amalarius à multis in prologo libri sui de officiis, Romanos deuitare fatetur, quanuis modò à prælibatis, immò penè ab omnibus, vsurpetur. Romanus Ordo, vt dicit D Microl. c. xi. nullam orationem instituit ante Secretam. Iuxta Gallicanum autem Ordinẽ composita oblatione dicit sacerdos: Veni sanctificator omnipotens æterne Deus, benedic hoc sacrificium tuo nomini præparatum, per Christum Dominum nostrum. Et inclinatus ante altare, non ex aliquo ordine, sed ex ecclesiastica consuetudine dicit: èuscipe sancta Trinitas hanc oblationem, quam tibi offerimus in memoriam passionis, resurrectionis, ascensionis Domini nostri Iesu Christi, & in honorem sanctæ Dei genitricis Mariæ, sancti Petri, & sancti Pauli, & istorum, atque omniũ sanctorum tuorum, vt illis proficiat ad honorem, nobis autem ad salutem: Et illi pro nobis dignentur intercedere in cælis, quorum memoriam agimus in terris. Per Christum. Erectus autem presbyter, populum hortatur ad orandum, dicens: Orate pro me. Quod Leoni Papæ adscribitur. In dicta Oratione, *Suscipe*, Natiuitas Christi commemorari non debet

debet, cùm secundum Apostolum, in eiusmo A di sacrificio non Natiuitatem Domini, sed mortem eius annunciare debeamus. Et si diligentiores ordinis obseruatores in huiusmodi orationibus multorum consuetudini cedãt; superflua tamen summoperè deuitant. Vndè Prædicatores, aliis omissis, tres tantùm articulos ponunt. Nã præmissis versiculis. *Quid retribuam.* &, *Calicem*: In accipiendo vtrunque quando vtruuque tenetur eleuatum, breuiorẽ dicunt orationem: Suscipe sancta Trinitas hanc oblationem, quam tibi offero in memoriã passionis Domini nostri Iesu Christi, & presta, vt in conspectu tuo tibi placita ascendat, & meam & omnium fidelium salutem operetur æternam: Per Christum. Item de profundis inclinati, In spiritu humilitatis &c. Et tertio versiculo, Orate fratres, vt meum pariter & vestrum in conspectu Domini fit acceptum sacrificium. Ambrosiani hoc loco habẽt prolixas & plures orationes. Secretæ orationes dicuntur eo ordine, quo & primæ. In Ambrosiano dicuntur altè. Post secretam orditur sacerdos præfationẽ in Canonẽ in qua superni ci De præfatõe. ues meritò cõmemorãtur, quia ibi adesse credũtur. Vndè & angelicus hymnus subsequitur. C *Sursùm corda*, de Ieremia: *Gratias agamus*, de Apostolo est sumptum. Ideò autem sacerdos vt dicit beatus Cyprianus, ante orationem præfatione præmissa, parat fratrum mentes, dicendo, *Sursùm corda*: vt dum respõdet plebs, *Habemus ad Dominum*: admoneamus, nihil aliud se, quàm Dominũ, cogitare debere, claudatur contra aduersarium pectus, & soli Deo pateat, nec ad se hostem Dei, tempore orationis venire patiamur. de cons. dist. 1. Quando autem stamus. Præfationes, vt dicit Gemma, Dionysius Areopagita putatur composuisse. Ambrosius librum præfationum ordinauit, D ex quo in Lombardica multæ præfationes allegantur. In qualibet autem Missa Ambrosiani officii, propria decantatur præfatio. Beatus autem Gelasius I. de quo suprà propositione xi. tractatus & hymnos in morem B. Ambrosii composuit, & inter cætera præfationes & orationes cauto & limato sermone fecit. in antiquissimis etiam nostris Missalibus multæ continentur. Pelagius autem primus natione Romanus, qui cœpit anno D. LVIII. nouem præfationes in sacro catalogo decreuit tantũ. modò recipiendas, de cons. d. 1. Inuenimus. Sed Sigibertus hoc ascribit Pelagio II. Vrba- E nus II. qui cœpit anno Domini. 1088. antiquis nouem præfationibus decimam de B. Virgine addidit in concilio Placentię celebrato Anno 1095. quæ habetur 70. dist. Sanctorũ. de altero eius concilio in Francia, dixi suprà propositione 20. Generale est præfationum, vt eorum temporibus & diebus in omni Missa continuentur, vbi propria non habetur. Ar. de celeb. Missæ. Consilium, vt præfatio de natiuitate vsque ad Epiphaniam, nisi in die Iohannis, & Octauis de Epiphania per octo dies, de ieiunio à die cinerum vsque Palmas tam in Dominicis, quàm in earum feriis, vt dicit Microl. c. 50. In die Palmarum & quatuor diebus sequentibus de S. Cruce: de Resurrectione, à Vigilia Paschæ vsque ad Ascensionem: Et de Ascensione, abindè vsque ad Vigilias Pentecostes. Et de sancto spiritu, abindè vsq; ad Trinitatem, & quotiès de sancto spiritu recolitur. de sancta Trinitate, quotiès de ea cãtatur, & per suas octauas. Et Dominicis diebus intra Trinitatem & Aduentum, tamin Missa Dominicali, quàm in festo nouem lectionum cantantur. B Et hoc seruant Anglici, Alemanni, & multę nationes. Et Microl. c. lx. dicit hanc præfationem ex authoritate Romana in diebus Dominicis frequentandã. Sed Fratres sequuntur breuitatem capellarem: de sacramento, & per octauas iterantur præfatio de Natiuitate Domini, de sancta Cruce, de beata Virgine. & de Apostolis. quotiès de illis celebratur, & per eorum octauas cõtinuãtur, & de Euangelistis repetitur. Sixtus primus natione Romanus, successor Alexandri, qui cœpit anno Domini cxxix. constituit, vt hymnus, Sanctus sanctus sanctus, ante sacrificium diceretur, dimidium de Esaia, dimidiũ de Euãgelio sumens. Item constituit, ne sacra vasa tangerentur nisi à ministris Dñi cõsecratis cõsec. dist. 1. In sancta Apostolica. De hoc su prà latiùs dictũ est. hunc hymnũ & ipse sacerdos dicere debet, nè sua prece se priuet, qui & suas & aliorum voces angelicis laudibus admitti in præfatione deprecabatur.

Orationem, quam Canonem siue Actionẽ propter regularem sacramentorum confectionem Romano more appellamus, quis composuit apertè non legimus, nisi quòd beatus Gregorius quendam Scholasticum illum composuisse testatur. Hic Scholasticus creditur fuisse beatus Gelasius. Multa tamen eidem canoni à sanctis prælibatis succesiuè inserta legimus, prout in sequentibus colligitur, tam ex Decretis, quàm ex gestis Pontificum Romanorum. Sanctus Clemens primus natione Romanus, ante consecrationem orationem instituisse dicitur: Vndè, *Te igitur clementissime pater*, à quibusdam ei attribuitur. Sanctus Alexãder, de quo suprà ipsius Dominicæ passionis cõmemoratinẽ interseri iussit. Vndè oratione, *Vnde & memores*, quidam ipsi attribuunt. De signis autem, quæ super oblationem à diuersis diuersæ fiunt secundùm Micrologum cap. 14. nos ab Apostolica sede potissimum formam sumere decreuimus. Vndè totius Christianæ religionis ordinem & originẽ susceepimus. Nam & illi sedi nostro tempore Deus gubernatorem, reuerenda inquam memoria Gregorium papam imposuit, qui sub decem suis antecessoribus à puero Romę nutritus & eruditus, omnes Apostolicas traditiones diligentissimè inuestigauit, & inuestigatas

Universidad de Deusto
Biblioteca

Satas studiosissimè in actū ureferre curauit. Hunc ergò doctorem religione & auctoritate præcipuum, immò Apostolicam traditionem per ipsum in considerandis mysteriis potissimùm imitari decreuimus, sicut nos ipsi per ipsum & episcopos, qui eum imitati sunt, accepimus imparem numerum semper in dispensatione signorum super oblationem obseruamus. videlicet vnam crucem vel tres, vel quinque faciendo. Et hoc vtique non sine certa causa mysterii: nam in vno & tribus, trinum & vnum Deum intimamus: In quinque autem, quinquepartitam Domini passionem significamus. Meritò autem impar numerus in ecclesiasticis officiis frequentatur, quia nunquam in duo æqualia, vnitate impediente, diuiditur sicut vnitas sanctæ Ecclesię nullatenus eam in duo secari patitur. Inprimis vbi dicitur. Hæc dona, hæc munera, hęc sancta sacrificia, tres tantùm cruces super panem & vinum communiter facimus, nec vnquam panem à calice separamus in consignatione, nisi vbi separatim nominantur in canone. Ità autem illa communiter signamus, vt erecta pars crucis tantùm super panem, transuersa autem super calicē protendatur. Nam erecta pars crucis, corpus Dominicum sustinuit: transuersa autem, ipsius brachia distendit. Vndè & calix congruè sub brachia eius collocatur; quasi de latere Dominico sanguinem Domini susceputurus. Romana auctoritas nomina viuorum fideliū internumerare permittit. In primo *Memento*, & in secundo, nomina defunctorum, vt infrà dicam. Recitatio autem publica nominum ante preces, inhibetur ead. dist. ca. fi. Microl. c. 13. dicit, quòd secundùm antiquiores & emēdatiores sacramentarios, in canone superfluunt sequentia verba: Primò ibi, & rege nostro, & omnibus orthodoxis atque catholicæ & Apostolicæ fidei cultoribus. Num insequenti oratione, omnium viuorum commemoratio est concessa. Item illa, Pro quibus tibi offerimus, quia offerentes non nisi in tertia persona scripti reperiuntur. Item pro circunstantium, habet circumastantium. Item in oratione, *Vndè et memores*, superfluit *eiusdem*. Item in secundo *Memento*, sic habet: *Memento etiam Domine & eorum nomina, qui nos præcesserunt cum signo* &c. Sed hoc antiquæ Romanæ traditionis exercitio, iam non sine scandalo locum habere videtur, quod iuxta Apostolum & Euangelium, deuitare debemus. Nimis autem temerarium videtur, vt nos antiquo canoni ad libitum nostrum adiiciamus, nisi quæ à sanctis patribus adiecta vel adiicienda esse cognouimus, præcipuè cùm inter sanctos patres nulli aliquid adiecisse legantur, nisi qui & Apostolica auctoritate prædi ti, hoc facere potuerunt. Optimum ergò videtur, vt in hac causa terminos patrum nostrorum non excedamus, nec nos Apostolicæ auctoritatis reos efficiamus, si quod soli Apostolicæ competit potestati, canonem nostris interpositionibus præsumimus augmentare.

Siricus Papa natione Romanus, qui cœpit anno Domino 388. secundùm quædam Chronica instituit in canone Missæ, *Communicantes, et memoriam uenerantes* &c. Aliorum autem sanctorum nomina annumerare nō debemus, nisi quos antiquitùs descriptos in canone reperimus. Excepto, secundùm Microlo. cap. 13. in oratione post *Pater noster*, vbi iuxta ordinem quantumlibet sanctorum nomina internumerare possumns. In summis quoque festiuitatibus quædam canoni in illo loco, vbi dicitur *Communicantes*, vel, *hanc igitur oblationem* interponimus, quæ tamen ex antiquioribus & emendatioribus sacramentariis interponē da esse didicimus, videlicet in natali Domini, in Epiphania, in Cœna Domini, in Paścha, in Ascensione & Pentecoste. Et hæc in suis tantùm diebus principalibus interponi debent, Et sex diebus, per quos festiuitates Paschæ & Pentecostes sunt extensæ. Gregorius III. natione Romanus, qui cœpit anno 731. in basilica B. Petri oratorium faciens in honore omniū Sanctorum, adiecit in canone, *Quorum solennitas hodiè in conspectu tuæ maiestatis celebratur, Domine Deus noster, in toto orbe terrarum*: quod quia specialiter ad illam pertinet celebritatē non est canoni, qui generaliter dicitur, annotatum. Principiū orationis, *Hanc igitur*, quod ascribunt S. Leoni Magno, de quo infrà. B. autem Gregorius I. adiecit, *Diesque nostros in tua pace*, vsque, *Per Christum*, vt omnes scribunt, & dicetur. De verbis autem consecrationis institutis dictū est suprà, vbi ad Decret. Innocētii III. fuit remissum. Sacerdos autem humiliationem Christi vsque ad mortem crucis nobis indicat, quādo se vsque ad altare inclinat, dicendo: *Hanc igitur oblationem*. Et statim in sequentibus narrationem de Dominica passione orditur: quam vsque ad, *Supplices te rogamus* obseruat: quousquè iuxta altare se inclinans, Christum in cruce inclinato capite spiritum tradidisse signat. Et ibi. *Vt nobis fiat corpus et sanguis*; subauditur, hæc oblatio. Et hic cōgruè super vtrunque tres cruces facimus, licèt quinque dictiones ad hoc aptas habemus, nè quinarium, de quo suprà, excederemus, & quintam crucem super calicem, quasi quintl vulneris indicem, vndè sanguis cum aqua profluxit, competenter faceremus. In canone igitur Passio Domini potissimè commemoratur iuxta Euangelium. *Hoc quotiescunque* &c. & Apostolum, *Quotiescunque igitur*, &c. Vndè sacerdos secundùm Microl. cap. 16. per totum canonem in manuum expansione, tam mentis deuotionem quàm Christi in cruce extensionem præsignat; iuxta illud: Expandi manus meas tota die. Digiti ergò pro superflua cautela non semper cōtrahantur: malè enim cauti sumus, si Christum imitari summoperè non studemus. Congruit ergò vt manus infra canonem

nonem expand amus, obseruato, ne quid digitis præter corpus Domini tangamus, nec manus remittere debemus, nisi sanctæ cruces fuerint faciendæ. In oratione, *Supra quæ*. Leo I. natione Tuscus, qui cœpit anno Domini 443. in ordine 47. & in homiliis declarandis multùm valuit, vt omuia chronica dicunt, addidit, *Sanctum sacrificium, immaculatam hostiam*, Ad orationem, *Supplices te rogamus*, profundè est incli nandum. Et hìc supplenda sunt sanctorum dicta, quibus adstruitur, totam curiam cælestē, scilicet Virginem gloriosam, choros Angelorum, omnesq; Sanctos tempore consecrationis adesse. In *Memento* secundo post mortem Christi, sequitur memoria mortuorum: quia nec alii defuncti commemorandi sunt, nisi qui in Christi morte redempti, in Christo hanc vitam finierunt. Vndè in Concilio Cabilonen. scribitur, & ponitur de conf. d. 1. visum quòd memoria faciēda est pro spiritib' in omnibus Missarum solenniis loco competenti. Et hunc morem antiquitùs Ecclesia tenuit, vt hoc ipsum ex dictis B. Augustini confirmatur. Sacerdos in verbis, *Nobis quoque*, vocem exaltans, cēturionē designat, qui visa morte Christi, voce exaltata dixit: Verè filius Dei erat iste. Sancti martyres hic & superiùs, nō ordine quo passi sunt, inscribūtur. Vndè notari potest, quòd canon ab eodem, vel tempore eodem, non fuerit ordinatus: Quatuor hic cruces super calicem fiunt, & quinta in eius latere iterum vt priùs, ad laterale vulnus dominicū signandum. Vndè calix iuxta Romanum ordinem ex eodem latere tangitur. Incongruè autem, secundùm Microl. c. 17. duæ cruces in latere fiunt, quia in latere Christus nisi vnum vulnus habuit. Sed reuerendæ memoriæ Gregorius Papa fecit, vt prædiximus, quòd B. Anselmus Lucen. episcopus ità ab eo se didicisse testatus est. Et hoc ità semper obseruauit, nobisque itidem obseruandum firmissimè inculcauit, secundùm Microl. Hìc in Ambrosiano fit confractio, & cantatur Antiphona, quæ ex eo confractio appellatur. Ad *Per omnia secula seculorum*, corpus cū calice leuatur, & statim depositum cooperitur: quia & Ioseph Domini corpus in cruce lenauit, & in sepulchro depositū lapide operuit. Hucusq; calix pro cautela opertus videbatur. Deindè magis pro mysterio operitur: quia sicut Christus tres dies coopertus iacuit in sepulchro, ità & nos corpus Dominicum & calicem cooperimus, quousque tres articulos orationis expleamus, vtpotè Dominicæ orationis præfationem, Dominicam orationem, & illam quæ sequitur, quæ embolis Dominicæ orationis nuncupatur. Gregorius I. natione Romanus, doctor egregius, in ordine 61. qui cœpit anno Domini 592. inter multa vtilia quæ Ecclesiæ fecit & instituit, antiphonarium regulariter centonizauit, & vtiliter compilauit. Kyrie eleison à clero ad Missam cātari præcepit: Alleluia ex Hierosolymorum Ecclesia, in vsum Romanę Ecclesię extra Septuagesimā cantari fecit, & à Septuagesima vsque ad Paścha. *Tractus*. In canone, *Diesq; nostros in pace tua disponas*, vsq; ad, *Per Christum Dominum nostrum*: Et post canonem cōsecrationis, *Præceptis salutaribus moniti*, superaddidit, & Dominicā orationem se adiecisse in regiſtro suo asserit, vbi quibusdam indè murmurātibus, humili respōsione satisfecit, Inconueniens esse asserens, vt oratio quā Scholasticus cōposuit, super oblationē diceretur, & illa prætermitteretur, quā ipsi Apostoli ex institutione Dominica in confectione eorundem sacramentorū vsitasse creduntur. *Præceptis salutaribus* &c. *Pater noster* &c. *Libera nos* &c. Domine ab omni malo, præsentibus, prēteritis & futuris, & interuenientibus beata & gloriosa semper Virgine Dei genitrice, & beatis Apostolis Petro & Paulo, atq; Andrea. (Hìc nominet, secūdū Microl. c. 23. quotquot sanctos voluerit, cū omni * s.) Da propitius pacem in diebus nostris, vt ope misericordiæ tuæ adiuti, & à peccato simus semper liberi. Hìc patenā accipiat, & osculatā deponat, secundùm Microl. *& ab omni perturbatione securi*. hìc, & ad *Per Dominum*, super patenā fit cōfractio, primò à latere dextro, ad designandū Dominici corporis percussionem: Deindè maior pars in duo frangitur, secundùm Microl. c. 17. Vna pars in calicem mittitur, Vna à sacerdote ante calicis participationē sumitur, & tertia communicaturis seu infirmis dimittitur. Quid istæ partes significent, dicit Sergius Papa de cōsec. dist. 2. Triplex. & lib. 4. Sentēt. dist. 12. Gallicano autē more super calicē fit cōfractio. Particula missa in calicē, Romano ordine sub silentio dicit sacerdos: Fiat cōmixtio & cōsecratio corporis & sanguinis Domini nostri Iesu Christi, accipientibus nobis in vitā æternā, Amen. Beatus Innocentius Papa I. natione Albanen. in ordine 43. qui cœpit anno Domini 407. cōstituit pacē dari post confractionē sacramētorū, de cōs. d. ii. pacē. Et cōgruè pax datur ante cōmunionē, quia iudiciū sibi manducat & bibit, quicunq; non priùs fratri suo repacificatus, cōmunicare præsumpserit. Cùm adstanti pacē damus, dicere solemus, *Pax tecū*, Responsio, *Et cum spiritu tuo*. Sergius I. natione Syrus, in ordine 87. qui cœpit anno Domini DCLXXVII. cōstituit, vt in tēporē franctionis Dominici corporis, *Agnus Dei* à clero & populo decantetur: videlicet, vt ille nobis propitietur, qui pro nobis innocēs oblatus est. Inclinatus autē dicit, antequā cōmunicet, Domine Iesu Christe, qui voluntate patris cooperāte Spiritusancto per mortē propriā mundū vinificasti, libera me per hoc sacrosanctū corpus & sanguinē tuū, ab omnibus iniquitatibus & malis meis, & fac me tuis inhærere mandatis, & à te nunquàm in perpetuū separari, qui cū Patre. Cū distribuit Eucharistiā, dicit: *Corpus & sanguis Domini nostri Iesu Christi proficiat tibi in vitā æternā, Amē*. Qēs debēt cōmunicare, & interim

Subintelligendum est forsan se, * humilitate.

Universidad de Deusto
Biblioteca

cantatur Antiph. quæ de communione nomẽ mutuauit,cui & psalmus subiungendus,secundùm Micrologum. ca. 18. cum *Gloria patri*, si necesse fuerit. Et hæc Antiphona semper habet eundem psalmum cum introitu, si non habet proprium, ex quo sumpta videatur, Romę in antiquis libris huiusmodi versus annotantur, In Ambrosiano appellatur transitorium.

Orationem,quam inclinati dicimus, antequàm communicemus, non ex ordine, sed ex religiosorum traditione habemus, scilicet: *Domine Iesu Christe,qui nobis.* Item & illud, *Corpus & sanguis Domini nostri Iesu Christi*, quod dicimus,cùm aliis Eucharistiã distribuimus. Sunt & aliæ multæ orationes, quas quidem ad pacem & communionem priuatìm frequentant: Sed secundùm Micrologum.c.18. diligentiores antiquarum traditionum obseruatores, nos in huiusmodi priuatis orationibus breuitati studere docuerunt, potiùsque publicis precibus in officio Missæ occupare voluerunt. Nam B.Innocentius Papa scribens B. Augustino & Aurelio episcopis,asserit, quòd nos plùs communibus & publicis, quàm singularibus & priuatis orationibus proficere poterimus. Non est authenticum autem, quod quidam corpus Domini intingunt, & intinctum pro complemento communionis populo distribuunt. Nam ordo Romanus contradicit, & Iulius quoque Papa in ordine XXXVI. episcopo Aegypti scribens,huiusmodi intinctionem penitùs prohibet, & seorsùm panem & seorsùm calicem iuxta Dominicam institutionem sumenda docet. Vndè & B. Gelasius Papa in ordine II. scribens quibusdam episcopis, excommunicari illos præcepit, quicunque sumpto corpore Dominico, à calicis participatione se abstinuerũt.nam & ipse in eod. Decreto asserit, huiusmodi sacramentorum diuisio sine grandi sacrilegio prouenire non poterit. Postquam omnes communicauerunt dicit sacerdos sub silentio hãc orationem iuxta Romanum ordinem:Quod ore sumpsimus, mente capiamus,& de munere temporali fiat nobis remedium sempiternum. Qua finita, sequitur oratio,siue orationes post communionem dicendæ, quæ eòdem numero & ordine orationibus ante lectionem,siue secretis ante præfationem dictis,debent respondere. Quæ vtique orationes non pro his qui communicaturi sunt,sed qui iam communicauerunt, iuxta proprietatẽ sui nominis agunt: ergò & ante ipsas communicare non negligunt,quicunque earundem orationum benedictione foueri desiderant. His ità finitis,subsequitur, *Benedicamus Domino*: siue, *Ite,missa est*. si tamen ad festum fiunt,quod *Gloria in excelsis*, habere debuit:respondent omnes,*Deo gratias*, iuxta Apostolum pro collatis beneficiis agentes.*Ite, Missa est*,à quo Missa nomen accepit, de veteri testamento sumitur, vbi scilicet Pharao populum ire iussit; siue vbi Cyrus populum à Babylone ire præcepit. *Benedicamus Domino*,sumptũ est de psalterio:*Deo gratias*,de Apostolo.Et hęc dici Leo Papa constituit.Benedictionem episcopalem Martialis episcopus Apostolorum discipulus, ex magisterio Apostolorũ traditit, quas probabile studium seruientium auxit, Ambrosius dicere cœpit.Isq; mos ex eo vsque quaque conualuit. Apostolicus autem hanc tantùm,quæ finita Missa dicitur,dicit. Finitis omnibus, osculatur altare,dicens:Placeat tibi sancta Trinitas obsequium seruitii mei,& præsta, vt hoc sacrificium quod oculis tuæ maiestatis ego indignus obtuli, mihi & omnibus pro quibus illud obtuli, te miserante, sit propitiabile, Per Christum Dominum nostrum. Exuens se vestibus sacris,cantat hymnum triũ puerorum. Vndè sancti patres in 4. Toletano, cap. 14. decreuerunt,vt sacerdos Excommunicationi subiaceret, qui eundem hymnum post Missam dicere neglexerit. Psalmum quoque, Laudate Dominum in sanctis eius, in gratiarum actione subiungens, Kyrie eleison, Pater noster,Vers. Confiteãtur tibi Domine omnes. vers. Exultabunt.vers.Exultant iusti.vers. Nõ nobis.vers.Domine exaudi orationem meam. Deus qui tribus pueris. Oratio, Actiones nostras, Videmus ex præmissis,quàm curiosè omnia in sancto Missæ officio seruanda sunt constituta & authenticè introducta, quæ omnia nos monere debent, nè officia Romana à suis locis sine causa mutemus,aut aliter quàm scripta sunt,obseruemus.Nam B. Alexãder,cuius suprà mentionem fecimus, ait: Sicut hæc oblatio omnes alias præcellit,& potior est cæteris, ità potiùs excoli debet & venerari, de cons.d. 1. nihil. Excolamus igitur & veneremur sanctas Missas Gregoriani officii, & ante omnia Missas Dominicales cum earum glorificationibus omninò diebus Dominicis, nisi maior festiuitas impediat,honoremus:nec eas ponamus sub tristitia feriali. Missæ igitur Dominicales inter Pascha & Pentecosten, inter Octauas maiores, & quandò vigiliæ sanctorum in Dominica occurrunt, & si quæ sint aliæ, in eorum Dominicis cum debitis glorificationibus imponantur:nec putandum sufficere, vt in feria Dominicalis lætitia obscuretur. Epistolæ & Euangelia,quas à Romana habemus Ecclesia,non omittãtur,Missæq; aliæ propriæ & speciales cum Dominica & aliis festis occurrentes, primo manè vel aliàs hora congrua suppleantur.Missa pro primo manè in diebus Ioannis Euangelistæ, Ioannis Baptistæ, & Laurentii,& si quæ alię sint,non negligantur.Quando autem eodem die beatus Gregorius duplices ordinauit, vt in vtroque festo Sanctæ Crucis, in die Augustini, in die Decollationis, in die omnium Sanctorum, & si quæ aliæ sint, illæ omninò in aliquo loco suppleantur ipso die.Et hoc obseruetur,quotiès propter maiorem festiuitatem occurrentem, Missa Gregoriana locum summum nequit habere.

1.Cor.15.

MEL-

MELCHIOR HITORPIVS LECTORI BENEVOLO.

IOannes Cochlæus vir eruditissimus, & diligẽs Ecclesiasticæ antiquitatis scrutator,cùm annis superioribus de Missæ sacrificio antiquos & probatæ notæ sciptores publicaret, inter illos cuidã de Missa libello & breui expositioni,quam licèt nullius auctoris nomẽ præferret,esse tamen vetustissimã arguebãt venerãdæ vetustatis codices,ex quibus eam descripserat,locũ esse voluit: Nobis autem, qui Doctoris Cochlæi vestigijs insistimus, & ab ipso relictas spicas colligimus,aut potius segetes metimus.quippe qui eos auctores, ex quibus ipse partem saltem aliquam & fragmenta in suum Antiquæ deuotionis de Missa speculum, siue quod sic suo instituto conueniret, siue quòd exemplaria ad manum non haberet, transtulerat, nunc integros exhibeamus,nobis inquam dignissimus hic libellus est visus, & valdè conueniens,qui ad cæteros nostros adiungeretur. Dignitatem enim eius ex argumento quod tractat, & ex antiquitate,quam ex multis indicijs colligimus,atque Doctoris Cochlæi iudicio,quod fuit exactissimum,æstimare possumus: nostris verò adiungi admodùm esse conueniens,facilè nobis assentietur,qui esse eius Missæ expositionem, cuius nos Ordinem Romanum in fronte huius libri posuimus, ex vtriusque collatione obseruabit. Itaque in nostris codicibus, quos binos etiàm nos valde antiquos habuimus, & cum quibus contulimus,statim post ipsum Rom. Ord. collocatur, in quorum altero, quam notauimus ad marginem, inscriptio etiàm erat. Sed nos,quia auctor ignoraretur,hucusque distulimus,non tamen incõuenienter,vt sicut principium à Missa sumptũ est,ita quasi Colophonẽ de Missa quoquè adjceremus. Iuuabit Ecclesiastica antiquitatis studiosos viros ex ipso Ordine Romano graues & tanto sacrificio conuenientes veterum Christianorum cæremonias. ex hac autem breui expositione mysterium & significationem earum tam sanctarũ cæremoniarum,quas alij explicarunt prolixius,breuiter cognoscere. Et si nunc tanta maiestate augustissimum illud Christianorum sacrificium non peragatur, & earum cæremoniarum multis,in hac pietatis atque religionis declinatione paulatim sit derogatum, nihilominùs iucundum erit,priscam piorum auorum venerationem erga tam sacrosancta sacra, ex his monumentis considerare. Neque tamen nullas esse ecclesias, in quibus tam solennes ritus adhuc perseuerent & supersint,existimandum est. Nam quanuis Colonienſis nostra, & fortassis etiàm aliæ hos sic

Universidad de Deusto
Biblioteca

per omnia ritus non obseruent, & Acolytorum, Lectorum, & aliorum ministrorum, qui hìc Missæ assistere iubentur, & quibus hìc sua officia assignantur, nomina tantummodò nos retineamus tamen alibì & apud alias nationes harum obseruationum quamplurimas in vsu permansisse, ipse testari possim, qui in Rhemensi illustrissimi Cardinalis Caroli Lotharingi Rhemorum Archiepiscopi & Ducis Cathedrali ecclesia, siue quòd ita semper assueuisset, siue ex ipsius doctissimi Cardinalis reformatione ac noua institutione, nescio, simili solennitate, ornatu, cæremonijs & tanto ministrorum numero ea peragi, obseruaui: Eumque ego solennem sacris operandi, & quandam maiestatem præse ferentem modũ tum sum admiratus, & sæpe posteà prædicaui. Itaque si apud alias ecclesias harum tam augustarum cæremoniarum multa, religione & pietate paulatìm deficiente, & si hoc dicere fas est, episcopis Missas rarissimè celebrantibus, in desuetudinem venerint: tamen alia suas hìc cæremonias inuenient, quæ tanto placebunt magis, quanto eas esse à priscis & religiosis patribus obseruatas & frequentatas magis intelligent: cæteris autem ipsius antiquæ pietatis contemplatio grata erit atque iucunda. Nam si gentilium veterum, qui mores, quæ instituta, qualis Respub. Deorũ etiam quis cultus, & quæ religio apud eos fuerit, & omnis illa veterum antiquitas, studiosè à multis inquiritur & cũ delectatione legitur, rerum certè ecclesiasticarum antiquitatem, & priscam veterum pietatem, antiquos ritus atque cæremonias, & quam maiores nostri reuerenter res sacras tractauerint, christianos homines scrutari atque cognoscere tanto iuuabit magìs, quanto est cum maiori voluptate & fructu coniunctum.

Porrò de signo crucis, quotiès, quibus in locis, & quomodò in sacro Missæ Canone, figi atque signari debeat, quia sæpè in superioribus libris explicatam rationem reperimus, et S. Bonifacium dignam quæstionem de qua ad Zachariam Pontificem referret, & hunc non indignam, ad quam ipsi responderet, iudicasse legimus, placuit quæ de ea apud ipsum quoque Romanum Ordinem in tribus MS. libris coniuncta legebantur his quoque adiungere. Quæ vt cum reliquis ad pietatis profectum studiosè legas optamus, nec minùs vt boni ea consulas, & quẽ in his proferẽdis conferendisq;, laborem molestum & immensum impendimus, fauore atque gratia, ac sicubi vel nostra vel exemplarium incuria erratum sit, venia prosequaris, rogatum te Lector volumus.

EXPO-

EXPOSITIO MISSAE
TRANSCRIPTA EX VENERANDAE VETVSTATIS CODICIBVS.

In nostrorum codicum altero hic erat titulus. Ordo Missę à S. Petro institutus, cum expositione sua.

Missa pro multis causis celebratur. Prima, vt sæpè rogemus Deũ. Secunda, vt suscipiat Deus preces & oblationes. Tertia pro offerentibus & defunctis. Quarta, pro osculo pacis. Quinta, vt sanctificata sit oblatio. Sexta, vt confirmetur per Spiritum sanctum oblatio corporis & sanguinis Christi. Septima, vt cantetur *Pater noster*: In qua oratione continentur Septem petitiones, id est, Tres spirituales, & Quatuor temporales. Hanc orationem primitùs docuit Dominus discipulos & Apostolos suos. De qua dicit propheta: Quincunque inuocauerit nomen Domini, saluus erit. Septem sunt igitur numero petitiones, pro septem donis Spiritus sancti, vel pro septem gradibus Ecclesię.

Causæ celebrandi Missas.

Matth. 6.

Ioel. 2.

Cur quotidiè iteratur ista [oratio vel] oblatio, cùm Christus saluarit mundum per vnã passionem suam, & mors illi vltrà non dominetur; Responsio: pro multis causis. Prima, eò quòd peecamus quotidiè. Secunda, eò quòd corpus Christi pœnitentibus post peccata offerri iubeatur, vt salutem per corpus Christi Domini inueniant, atque exeant post pœnitẽtiam. Tertia, vt magnum beneficium passionis Domini obliuioni non tradatur. Quarta, vt similet in ecclesia diem iudicii, in quo iusti ab iniustis separabuntur.

Cur sępius, celebratur Missa.

In suprascripto Codice hoc loco talis erat epigraphe. Incipit expositio totius Missæ ex concordia scripturarũ diuinarum.

Introitus Missæ cui conuenit? R. Patriarcharum Prophetarumque præconiis. Vndè exortus est? R. A choro Prophetarum, qui orãtes anunciauerunt Christum venturum in mundum, & per quorum orationes prophetiasque intrauit in eum. Exiens enim de secreto cęli, velut Episcopus aut Presbyter de Secretario [templi,] venit ad altare: orante & prophetante interim Choro Clericorum. Versus, qui cantatur ad recipiendum Introitum,* priorem Christi aduentum significat prophetatum. Postquàm enim episcopus cum suis Diaconis seu presbyteris de secretario veniens, ingreditur ad altare, post osculum sibi inuicèm datum: innuente episcopo siue *Diacono, *Gloria*, à cuncto Clero decantatur, *Patri & filio & spiritui sancto*: Quia pax à Christo in cælo & in terra iam facta est, quam Chorus prophetarum, id est, Clericorum, ante prophetabat. Quod aũtẽ dicente Clero, *Sicut erat in principio & nunc & semper*, Diaconi procedunt ad altare, & illud osculantur ante episcopum, significat sanctos ante aduentum Christi, pro eius amore multas tribulationes per-

* per priorẽ Christi aduentum significat Prophetiã * presbyteros.

A pessos: quia corpus Christi vnum est, à sanctis viris connexum, qui ante fuerunt in veteri Testamento, & qui nunc sunt in nouo.

Septem Diaconi procedunt, propter * eos, qui ante Natiuitatem Christi mortificationẽ in corpore suo portauerunt. Quinque procedunt, si septem non habentur, propter quinque libros Moysis. Si quinque nõ assunt, Tres procedũt, propter fidem, spem & charitatem. Vnus procedit, propter vnitatem Ecclesiæ. Posteà, osculato altari, reuertuntur ad Episcopũ stantes erecti: Propter quod dicitur in Euãgelio: Scio vndè veni, & quò vado. Diaconi retro adstant: quia choro Martyrum aptantur. Ipsi enim Diaconi ad altare præcesserũt, quia in veteri Testamento Martyres ante Christi aduentum extiterũt: Et modò retrò stãt, quia post Domini natiuitatem, multò plures martyrio coronantur. Ex ipsis autem diaconis stant quidam ad dexteram, sed plures: alii quidam ad sinistram, verũtamen pauciores: Quia per contemplatiuam vitam, quæ in dextera intelligitur, plures in æterno coronantur regno quàm per actiuam, quæ accipitur in sinistra. Et contemplatiuam vitam ducentes, maiore virtute vigent, quàm in actiua adhuc vita manentes. Sufficit enim tibi exemplum duarum sororum, Marthæ scilicet & Mariæ: quarũ vna, circa plurima ministrans, turbata agnoscitur: Et altera, verbis Domini solummodò intendens, & in spe cælesti requiescens legitur. Tũc ergò Kyrieeleison celebratur, & de Acolytorũ manibus cadelæ dimittuntur, quia Christus Episcopus, super omnem fulgens lucem & illa minans, aduenit. Quod ad eos Prophetas respicit, qui circa Domini aduẽtum fuerunt. Ex quibus est Zacharias, eiusque filius Ioannes. Pertinet autem Kyrieeleison ad diuinam patris excellentiam: Ad humanitatis verò formam Iesu Christi, pertinet Christeeleison. Et est sensus Kyrieeleisõ, cõmoda mihi Pater misericordiam tuam, & miserere mei: Interpretatur enim, Dñe miserere. Est aũt intellectus christeeleison: Christe, nè permittas humanũ genus terrena desiderare, sed ad cælestia anhelare. Vel ptinet ad eos Kyrieeleisõ, q̃ ante Natiuitatẽ fuerũt Christi: christeeleison verò ad eos, qui post passionẽ dñi successerũt.

al. * eos se ptem Ministri in Missa quot

Mysterium in statione Diaconorũ circa altare

Cant. 2.

Lucæ 10.

Kyrieeleison Christeeleison.

Luc. 1.

Posteà Episcopus solus, *Gloria in excelsis Deo* inchoat: quia solus Angelus pastoribus annunciauit Domini Natiuitatem, per quam gloria Domini declarata est. deindè verò totus chorus respondet: Quomodò cum Angelo incipiente facta est subitò cælestis multitudo

gloria in excelsis.

Lucæ 2.

Universidad de Deusto
Biblioteca

militiæ angelorum, laudantium Deum & dicentium, *Gloria in excelsis Deo*: & in terra pax hominibus bonę voluntatis. Prima Collecta respicit ad hoc, quod Dominus agebat circa duodecimum humanitatis suæ annum, quando ascendit Hierosolymam, & sedit in medio doctorum, audiens & interrogans illos. Hæc eadem, nunc oratio, nũc Collecta dicitur. Oratio autem ideò dicitur, quia bona orãtur cælestia venire populo. Collecta verò idcircò nũcupatur, quia incipit se populus in vnũ colligere.

Quatuor partes Missæ.

Missæ autem officium totum in Quatuor diuiditur species, id est, in Precationes, Orationes, Postulationes & Gratiarũ actiones. Quicquid enim agitur in officio Missæ, antequam oblatæ ponantur super altare, Preçones nominantur: quia precantur bona populo. Et quicquid ab hora fit qua * *Sanctus* canitur, vsque ad *Agnus Dei*, Oratio vocatur. Quę post *Agnus Dei* dicitur, Postulatio appellatur. Quod autẽ in fine Missæ à populo reipõdetur, *Deo gratias*, gratiarum actio nũcupatur. Inter deprecationem autẽ & precationem hoc interest, quod precatio fit, quandò optantur cælestia animarum præmia populo: Deprecatio autẽ est, quãdò Pontifex orat, vt declinet in hac vita populus à malo, & faciat bonum.

* Secreta canitur.

1. Pet. 3.

Epistola autem ad prædicationem Ioannis Baptistæ pertinet: Quia sicut Ioannes fuit prę cursor Christi, ità nunc Epistola præconatur Euangelium, quod est Christus. Epistola quippe Latinè supermissa dicitur, eò quòd sit missa ab Apostolis super legem Moysis, Psalmos & prophetas. Significat autẽ Ioannis prophetiã, qui Christũ propè nunciabat adesse. Post primam autem datam orationem. Pontifex sedet tribus horis, versus ad populum: Et presbyteri cum eo, ad nutum eius: Et Diaconi stãt ante Pontificem: Subdiaconi autem ascendunt ad altare, statuentes se ad dexteram siue sinistrã. Sedet autem tribus horis, quia Christus, cùm esset annorum xii. sedit in templo in medio Doctorũ tribus diebus. Sedens autem, vertit faciem ad populũ, vt ostẽdatur potestas ei data à Deo, vt possit superintendere & superspeculari, quis humiliter, quis ve superbè stet in ecclesia: quia episcopo cõmissæ sunt animæ, pro quibus rationẽ Deo redditurus est. Subdiaconus verò, qui lecturus est, mox vt viderit post Pontificẽ presbyteros residẽtes, ascendit in ãbonẽ vt legat. Non tamẽ in superiorem gradũ quem solus solet ascendere qui Euangeliũ lecturus est. Postquàm legerit, Cantor in Cãtorio sine aliqua necessitate ascendit, non superiùs, sed stat in eodẽ loco vbi & Lector, & solus inchoat Responsorium, Et cuncti in Choro respondent. Et idem solus versum Responsorii cantat. Si fuerit tempus, vt dicatur Alleluia, benè: Sin autem, Tractus: sin minus, tantùmodò Responsorium. Cantor verò, qui inchoat Alleluia, ipse solus cantat versum de Alleluia. Ipse iterum Alleluia dicit, stans in eodem gradu, id est, inferiore. Sequitur Jubilatio, quã Sequentiam vocant. Responsoriũ igitur ad Christi vocationem, qua Apostools vocauit, pertinet. Et ideò solus in pulpito incipit Cantor, quia solus Christus Apostolos vocauit Et cũcti in Choro respondent, quia respondẽrunt Apostoli, & obedierũt Christo clamanti. Et ipse solus post inchoationẽ Respõsorii versum decantat: quia solus Christus pernoctans postquàm vocauit discipulos, orabat. Alleluia quidẽ (quod est laus Dei) cantamus, vt Christũ imitemur, qui lxxii. discipulis per ciuitates missis, ad quas vẽturus erat, vt laudẽ Christi annunciarent, & ipsis reuersis, Alleluia, id est laudẽ, Deo patri decantauit, dicens: Confitebor tibi pater Domine cæli & terræ, * qui abscõdisti hæc mysteria ab his, qui sapientes sũt & prudentes in terrenis actibus & desideriis carnalibus, & reuelasti ea paruulis. Confiteor enim, nihil aliud est in hoc loco, nisi, Grãs & laudes ago tibi pater. Eius autẽ versum cantamus, ipsũ æmulãtes, qui solus dicebat, Nemo scit qui sit filius, nisi pater, & qui pater, nisi filius, & cui voluerit filius reuelare. Alleluia post versum iterùm canimus; ipsũ sequentes: qui rursùs Alleluia dicit, dum ait: Venite ad me oms, qui laboratis & onerati estis, & ego reficiã vos. Et paulò pòst: Et inuenietis requiẽ animabus vestris. Vbi autẽ Euangeliũ legitur, ibi epistola legi nõ debet, sed in subteriori gradu: Quia Ioãnis pdicatio, ad euãgelii Christi altitudinẽ ascẽdere nõ potuit: Qui autẽ Epistolã legere vult, vbi pronunciatur Euangeliũ, Ioannis prædicationẽ coæquare tentat Euãgelio Christi. Nec in eodẽ gradu Respõsoriũ vel Alleluia cantari debet, quo recitatur Euangeliũ Christi: nè assimilari Apostolorum * vocatio vel discipulorum lxxii. * missio aut latior videatur Euangelio Christi.

1. Pet. 3.

Heb. 13.

Luc ę. 6.

Lucę. 9. & 10.

Matt. 11.

* quia.

Ibidem.

Ibidem.

* vocationis

* missioni

Euangelium autem legitur, in quo Christus ore suo loquitur populo, vt Matthæus ait Et aperiens os suum, docebat eos, dicens: Beati pauperes spiritu, & reliqua. Vt sicut Christus post legem, psalmos & prophetas, os suũ aperiens locutus est populo: ita post Epistolẽ Responsorium & Alleluia, quæ nunc celebrantur in Missa, pro his tribus, Euangelium in ecclesia legatur, ac si populo Christus ipse loquatur. Hoc autem Diaconus lecturus, ab Episcopo aut presbytero benedictionẽ petit. At ille in quiẽs, ait Diacono: Dominus sit in corde tuo & in labiis tuis, [Euangelium nanque bonum nuncium dicitur, quod annunciat nobis in futuro vitam post mortem, requiẽ post laborem, regnum post seruitium.] Tunc demùm pergens Diaconus ad altare, accipit Euangeliũ. Et non indifferenter, sed eius partem ponens in dextero humero, * vadit ad ambonẽ. Et duo Acolyti eum præce dentes, portant duo cereostata, id est, duas candelas accensas, qui venientes ante ambonem, diuidũtur à se, & trãseunt Sub diaconus & Diaconus cum Euangelio per medium eorum. Præcedũt autem Euãgelium duæ candelæ, propter geminam dilectionem, Dei videlicet & proximi: siue propter duo Testamenta, quibus illuminatur genus humanũ: Seu propter duos resurrectionis testes, Moysẽ videlicet & Heliam, populum illuminantes. Cãdelæ autem, Diacono Euangelium prędicante, ideò in pauimento, de manibus acolytorũ iuxta ambonem] deponuntur: Nè quis conetur prædicare super id, quod in Propheticis, Euangelicis & Apostolicis reperit doctrinis. Præterea thuribulum seu thymiamaterium ascendẽdo & descendendo semper præcedit Euangeliũ per medium pulpitum, non tamen permanens diu in ambone *. Quia passio Christi per thuribulum signata est, quod significat corpus Christi passum. Fumus incensi, orationes sanctorum. Carbones autem eius, sancti spiritus illuminationem designant, siue feruorem charitatis. Dũ autem legitur Euangelium, baculi deponuntur de manibus, vt à Iudæis dissentiamus, qui caput Christi arundine percutiebant. Nõ enim est baculus necessarius, ideſt, humanum auxilium, dũ ipsum Christum præstò habentes, eius vocem audimus: Cùm autem humano vtimur auxilio, ante vel post Euangelium baculos in manibus tenemus. Accedente igitur ipso Christo, id est, Euangelio, baculos dimittimus, quia humano auxilio non egemus. Capita insuper nostra, dũ Euangelium audimus, ab omni velamine à Iudæis dissentientes detegimus: quia Christus proprium caput suum pro nobis spinea corona velatum habuit. Diaconus autem Euangelium legens, ad meridiem versus, significat Ecclesiam feruentem animo in amore Dei, eleuatum esse in magno culmine virtutum. Vndè dicitur in cantico canticorum: Indica mihi quem diligit anima mea, vbi pascas, vbi cubes in meridie. Postea verò descendente Diacono de ambone, affertur Euangelium primùm episcopo aut presbytero, ad osculandum: Deindè vniuerso * Choro, necnon & populo: Deindè conditur in loco suo. [Post lectum verò Euangelium, candelæ in loco suo extinguuntur, & ab episcopo, *Credo in vnum Deum*, cantatur. Thuribula per altaria portantur, & posteà ad nares hominum feruntur, & per manum fumus ad eos trahitur.] * Cantatur autem Symbolũ, vt quia populus audiuit Christum in Analogio prædicantem, ostendat, qua credulitate eius susceperit doctrinam. Quòd autem Offertorij celebratur officiũ, nulli aptius conuenit quàm his, qui obuiam Christo Hierosolymam properanti, sternentes vestimenta sua in via, ramosque de arboribus frangentes exierunt. Turbæ autem quæ præcedebant & quæ sequebantur, clamabant: Osanna filio Dauid &c. Illi enim vestimenta ramosque offerebant: nos verò panem & vinum, Tunc nuncq; cantu celebrato. Ideòque illi hæc agebant tunc, nosque modò, Vt ostendamus ità nos paratos esse pro fratribus morti succumbere, sicut Christus passus est pro nobis. Quòd primùm quidem masculi offerunt significat, Primitiuam Ecclesiam sub Imperatoribus nondùm Christianis multas iniurias passam. Ex hinc verò offerunt mulieres, Ecclesiam designantes nunc tranquilliorem vitam ducentem. Nouissimè verò sacerdotes & Diaconi offerunt, sed solum panem, significantes, nouissimè plurima Ecclesiam passuram sub Antichristo tormenta. Ad vltimum verò Archidiaconus, aut quicunque vicis suæ ordine legerit Euangelium, complens orationem cunctorũ infundens q; aquam in calicẽ examula Pontificis, offert: Quod ad * robustionem in Sacerdotes & Leuitas pertinet. Quia quo magis hic patimur, eo amplius in futuro coronabimur. Tùc demùm his ità gestis ac ritè ordinatis, Diaconi retrò post episcopum stant: Et subdiaconi ante episcopum, sed post altare: vt significent idem Diaconi, quòd Apostoli tempore passionis fugientes ad horam, retrò steterunt, postmodùm secuturi Dominum post passionem. Subdiaconi autem ante episcopum stantes, designant eos qui licèt clàm, discipuli tamen cum Christo perstiterunt in passione. Ex quibus erat Ioseph ab Arimathia, & Nicodemus, necnon & Centurio confitens, & omnis turba eorum, qui percutientes pectora sua, Christum plangendo, reuertebãtur. Altare namque crux Christi accipitur.

Mysteriũ thuribuli.

al. sic legitur: * tanquam euangeliũ, quia eius passio per thuribulũ signata est in cruce. Dum autem &c.

Quid baculi in manibus.

Matt. 17.

Cant. 2.

* clero

2. Cor. 2.

Alias * Cãtatur quidem, Credo in vnũ Deum patrem omnipotentem, vt quia

* roborationem Statio diaconorum & subdiaconorum

Matt. 21.

Matt. 27.

Quæritur quoque, cur Euangelio lecto veniens subdiaconus, ferat in brachio sinistro, & non in dextro, calicem & desuper corporale; Quod facilè patet, si Christi mysteriũ animaduertimus. Ipse nanque Subdiaconus in sinistro brachio calicem fert, significans præsens breue que tempus esse trium spatio dierum, quo tulit calicem Christus in passione: quia in sinistra præsens intelligitur vita. Linum autem per multas exercitationes ad suum peruenit candorem. Sic namque Christus ipse Subdiaconus factus, portat Corporale super suum calicem: quia suorũ passionem sanctorum, lineas habentium mentes, id est, per multos labores cãdidas, super propriam gestat passionem.

Audire euangeliũ detecto capite.

Quid corporale significet

Quid patena.

Patena namque, crux siue sepulcrum accipitur. In dextera enim, æterna intelligitur vita. Patena ergò geritur in dextera, quia per crucem, eam significantem, Christus ad æternam redijt vitam. Amulæ autem, cum quibus offerimus, nostrum deuotionem significantes puram, in calice suscipiuntur à Diacono: quia idem Christus, factus Diaconus, ait: Non veni ministrari à quoquam, sed ministrare. Cum quisque in suo calice, hoc est, passione, eandem deuotionis nostræ

Amulæ genus vasculi ad aquã gestandã, quod religionis & expiandorum malorũ gratia gestatur.

Matth. 20.

susci-

Universidad de Deusto
Biblioteca

Gal. 5. suscipit puritatē. Oblata denique corpus Christi delignans; non nudis manibus, sed fanonibus multo labore studiorum candidis offertur: quia Christus non nili à mente carnem cum vitijs & concupiscentijs crucifixam habente, susci pitur. * Offerentibus autem hominibus, Cantus celebratur, vt ostendatur, debere homines gratias & laudes Deo referre, dum manibus cæterisq; membris agere satagunt opera, quibus ei placere valeant.

* * *

Cantus offertorij.

Secreta oratio. *legitur

Prima autem oratio super corpus Christi futurū, Secreta dicitur, & secretè * cantatur: Quia de Gentilibus, qui erant venturi in corpus Christi, antequàm idem consecraretur in cruce, secretò & mysticè prophetabatur. Si ergò Christus solitudinem quæsiuit in oratione, quanto magis nos oportet * quærere & tacitè orare, qui vndiquè circundamur tumultibus vitiorum & immansuetudine seculi? Vtilè est enim, omnē orationem specialem sacerdotum secretam esse, vt non cogitēt, quomodò placeat cōpositio oris populo, sed solumm odò pensent, qualiter mens possit placere soli Deo, quem orant. Præfatio autem prælocutio dicitur. Hæc nanque oratio, prælocutio est totius secuturæ orationis, quæ fit super copus consecratum, à *Te igitur*, vsque ad *Agnus Dei*. In hac enim prəloquitur sacerdos grates laudesque Deo. vt meliùs ad consecrandum corpus Christi Iesu possit peruenire: finita autem laude sacerdotis, totus simul canit Chorus angelicū hymnum, *Sanctus Sanctus Sanctus*: vt vna æqualisque gloria, laus & honor, decantetur Patri & Filio & Spiritui sancto. Cur *Te igitur* secretò canitur? Vt Christo obediatur, dicēti: Tu autem cùm oraueris, intra in cubiculum tuum, & clauso ostio, ora patrem tuum. Moris namque fuit sanctorum patrum, vt cum vellent specialiter orare, primùm Deo laudem agerēt, & postmodùm orationem secretam perficerent. Ipse enim Christus, venturus ad consecrationē corporis sui, solus secretò orabat. Et ob id nos quoque in consecratione corporis eius, secretā facimus orationem. Quod autem diaconus calicem cum sacerdote eleuans, partem eius fanone tangit, partemque detectam relinquit: significat sudarium, quod erat super Iesum, non totū corpus eius tegens.

* quietè

Vtilitas secretæ orationis.

Matt. 6.

Sex autem sunt ordines Crucum in *Te igitur*. Quorū primus est, vbi dicitur, *Et benedicas hæc dona* &c. Propter legem videlicet naturalem, id est, quod tibi non vis, alij ne facias. Quæ fuit ab Adam vsque ad Moysen: Quia etsi illius temporis sancti patres non viderunt crucem Christi, cruciatum tamen carnis pro eius amore tulerūt. Secundus ordo crucum est, vbi dicitur: Quam oblationem tu Deus &c. Ob legem per Moysen datam. Sub ipsa enim sancti patres ob Christi desiderium, eius cruciatum toleravērunt. Tertius ordo est, vbi narratur: Et accipiens panem in sanctas & venerabiles manus suas, &c. Propter Prophetarum præconia, qui fuerunt à Samuele Propheta vsque ad Zachariam, eiusque filium Ioannem baptistam, qui etiam viuis mānibus eum accipiebat. Deinceps verò sequitur quartus ordo, vbi subinfertur, Hostiam puram &c. propter Euangelium, quòd Christus tempore suo vitam euāgelizauit: quia ipsis diebus cruciatum Christi ferentes sancti, eius corpus adunauerunt. Quintus post sequitur ordo, vbi dicitur: Per quem hæc Domine omnia semper bōna creas. Gentilium Ecclesiā tāgens, quia christi corpus æmulantes, eius cruciatum perpessi sunt. Sextus denique ordo sequitur, quandò profertur: *Per ipsum & cum ipso & in ipso*: Propter plenitudinem in seculi fine gentium, & omnis Israel salutem: Qui complentes simul Christi corpus, maximè Christi crucem, hoc est, cruciatum, patientur. Senarius enim numerus, partibus suis computatus, primus perfectus est sine altero. Quinque ordines crucum, qui fiunt ante sextum, quandò cum oblata calix tangitur, quinque sunt seculi ætates, vsque ad Christi aduentum. Sextus verò ordo, sexta est æras, à Christi aduentu vsque in seculi finem.

Sex ordines crucū in Missa.

Tob. 4. Matt. 7.

Rom. 11.

Quòd autem Diaconus calicem tenens exaltatum, coram pontifice ponit in altare, significat Ioseph, Christi corpus de cruce deponētem, & in monumento suo recondentem. Cæterùm quod corpus Christi in altari permanet, donec tres compleantur orationes, i. *Præceptis salutaribus moniti*, & ipsa oratio Dominica, *Pater noster*, &, *libera nos quæsumus Domine*: significat corpus tribus diebus in sepulchro quieuisse. Post tres autem orationes, corpus Christi aufertur de altari, quod pro sepulcro in hac significatione accipitur, quia post tres dies corpus Christi de sepulcro surrexit.

Ioan. 19.

Quòd autem acolytus tenet patenam in sindone paratam, Nicodemo conuenit, qui ferens mixturam myrrhæ & aloes, quasi libras cētum, accepit cum Ioseph corpus Christi, & vnxit illud. Ideò autem paratam tenet acolytus patenam, vt quacunque hora, iuxta ordinem voluerit * Diaconus de altari Domini corpus offerre, parata habeat vasa. Quid est autem, quod subdiaconus corpus suscipiens Christi, à * diacono & ab Angelo qui verba Christi annunciat, discipulis primùm, i. presbyteris defert ad frangendum, posteà verò populo ad communicandum: nisi quod mulieres, in subdiacono significatę, ab Angelis suscipientes resurrectionem Christi discipulis detulerunt? Quòd autem * Subdiaconus quiescit, dum oratio Dominica canitur, significat mulieres, quæ sabbato siluerunt. Sabbatum autem septima dies est, sic & septem petitiones in oratione Dominica complētur. Quarum prima est, *Pater noster qui es in cælis, sanctificetur nomen tuum*: In qua petimus sapientiam cælestem. Secunda est, *Adueniat regnum tuum*: Vbi petimus intellectum credulitatis: quia per credulitatem venimus ad intellectum, qui in regno plenius dabitur futuro, quandò non iam per speculum in ænigmate, sed facie ad faciem videbimus & intelligemus. Tertia petitio est, *Fiat voluntas*

Ibid. al. * ferēs myrrham & aloe.

*sacerdos diaconum

*diaconis,

*subdiaconi quiescunt,

Septem petitiones in oratione Dominica secundum 7. dona Spiritus sancti.

Esa. 7. 1. Cor. 13.

luntas tua, sicut in cælo & in terra: Tertium quippe donum petimus, i. consilium: vt velut Dei prouidentia in cælestibus omnia per consilium reguntur. ità nostrę mentes ab eius consilio in terra corporis degentes, mereantur dirigi. Quarta petitio est, *Panem nostrum quotidianum da nobis hodiè*. In hac verò fortitudinē petimus, cui panis cōuenit. Vndè canitur, Panis viuus qui de cælo descēdit, cor hominis cōfirmat. Quinta est, *Et dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris*. In hac verò post fortitudinē petimus sciētiā. Meritò huic petitioni sciētia obuiat: Quia quisquis sciētia perfruitur, scit quòd iustitia puniat, & misericordia dimittat. Sexta est, *Et ne nos inducas in tentationem*: Sextum namq; petimus donū, i. Pietatē: vt quādo trahimur à nostra fragilitate vsq; ad immūdā cogitationē, ne nos dimittat diuina pietas induci vsq; ad peiorē voluntatē & pessimam operationē, siue à suggestione vsq; ad delectationē & consensum. Septima demū petitio est, *Sed libera nos à malo*: Quæ verò Dei timori cōgruit. Timeamus ergò, fratres dilectissimi, Dominū vt iust serui, & diligamus eeu filij patrē: nō præsumētes eius voluntatē præterire, Et ipse liberabit nos à timore nocturno, & ab omni malo, scilicet carnis delicto, vel diabolico incursu, seu ab homine prauo.

Ioan. 6. Psal. 103.

Lucæ vlt.

¶ Panis aūt cū cruce in vinū mittitur, dicēte sacerdote, *Pax Domini sit semper vobiscum*. Vt ostēdatur Christi animā ad eius corpus redeuntē, & pacificata esse nō solum quæ in cælo sunt, sed etiā quæ in terra. Quare homines sibi inuicē osculū dāt, quod est pacis signū, vt ostēdāt, se cōiunctos in corpore Christi, per quē pax facta est in cælo & in terra. Quare autē panis frāgitur in patena? vt rememoretur panis viuus esse fractus nobis, q̄ de cælo descēdit p̄ vnitatē personæ. Agnus dei quare cātatur? Vt oremus Christū nunq; desistere misereri nostri, q̄ nos miseratus est in passione. Deniq; orātes cātāt post cōmunionē cātores, vt ostēdāt Christū in populo eius corpore & sāgui ne coroborato, manere. Ex hinc à * sacerdote postulatur populo æterna benedictio, quia Christus corā discipulis māducās & bibēs, cū resurrexisset à mortuis, reliquias eis dedit, eleuatisque manibus ipsis benedixit. His enim discipulis data benedictio intelligitur perēnis. Episcopus autē his ità gestis, ad propria redit: Quia Christus omnibus ex ordine completis ad cælos ascēdit.

Osculum pacis.

Ephe. 2.

al. *epiſcopo

Ite Missa est. Tūc demū à Diacono dicitur: *Ite, Missa est*, idest, Ite cū pace in domos vestras, quia transmissa est p̄ vobis oratio ad Dominū, Et per Angelos, q̄ nūcij dicūtur, allata est in diuinæ cōspectū maiestatis. Respōdēs autē populus, Deo gratias dicit: Quia Apostoli post Ascensionem adorantes Iesum, regressi sunt in Hierusalem cū magno gaudio, & erant semper in templo, laudantes Deum & benedicentes Dominum.

In nostris exemplaribus, eorum loco quæ superiùs hoc signo *** notata sunt, legebantur sequentia.

Post cātatū autē angelicū hymnū, Subdiaconi post altare ante episcopū vultu stant inclinato, donec corpus & sanguis Domini cōsecretur, & audiant, NOBIS QVOQVE PECCATORIBVS. Tūc eleuantes capita, pergūt parare vasa, à quibus corpus suscipiētes sacratū, teneāt post diaconos stātes, donec ex eo populus vitæ sumat confortationē æternæ: quia, vt dictū est, Subdiaconi Iesu notos significant, qui cōspiciētes à longè, sed perseuerātes in passione, tā diù steterūt, quādiù Christi corpus sacratū & passum sentirēt. Indè quidā parare aromata perrexerunt, vt veniētes vngerent Iesum. Diaconi autē, vt certum est, Apostolos significār, qui quamquā ad tēpus recessissent, vndè post episcopū stāt, tamen supplices orant, quæ in septē Dominicis orationibus impleantur: quia post resurrectionē promissum patris expectauerūt, donec septē hebdomadæ, à Pascha scilicet vsq; ad Pētecostē cōplerētur. Cōsecrato autē corpore & sanguine Domini, post diaconos Subdiaconi stāt, quia Apostolorū doctrinā & exēpla noti eius, qui in consecratione corporis in cruce perstiterūt, post cōuersionē secuti sunt. Cur Angelicus hymnus cantatur ante cāticū speciale? Quia moris scripturarū & sanctorum patrū est, primùm gloriam laudesque DEO referre, deindè orationibus insistere. Sex autem sunt crucum, &c.

Pro ijs quæ superiùs notantur signo hoc ¶ in exemplaribus nostris ērant ea quæ subiecta sunt hic.

His ergò septem petitionibus septem diaconi conueniunt. Quare pares Diaconi altari non ministrant? Quia impar numerus diuidi non potest. Deus enim diuisionem Ecclesiæ nō vult, sed vnitatem indiuiduam. Vnus enim Diaconus altari ministrat, quia discipulus vnus adolescēs quidam, id est, Ioannes amictus sindone super nudo, cæteris fugiētibus, sequebatur Christum. Tres autem ministrant: Quia Christus ascendēs in montem ad transfigurandum, tres secum duxit, Petrum scilicet, Iacobum & Ioannem. Quinque sufficiunt, propter quinque quos secum Dominus duxit, quandò resuscitauit puellam, tres præfatos & patrem & matrem puellæ. Septem demùm obsequuntur, ob illos septem qui bus Dominus post resurrectionem piscantibus se manifestauit. Quot autem sunt Diaconi, tot debent esse Subdiaconi, ne in obsequio sacerdotis vice Christi fungentis, ministrorum numerus varietur. Acolyti ministri sūt luminis. Quòd panis in vinum mittitur dicendo, Pax Domini sit semper vobiscum, ostendit animam Christi, pacificatis cunctis in cælo & in terra, ad eius corpus redijsse. Quæ verò posteà celebrantur, i. osculatio significans pacem cum salutationibus, & laudes cleri populiq; dicentis, Qui resurrexisti agnus Dei consecratus & viuificatus, qui tollis peccata mundi, moriens & resurgens in corpore tuo, miserere nobis, significant illa salutationis & pacis verba, quæ Christus fecit discipulis suis postquā resurrexit. Et fractio oblatarum, fractionem significat illam, quam Dominus in Emaus duobus fecit. Deniq; orantes, &c.

HIC

Universidad de Deusto
Biblioteca

HIC INCIPIT, QVALITER QVAEDAM ORATIONES ET CRVCES IN TE IGITVR AGENDAE SINT.

TE igitur clementissime pater, vsque, *habeas & benedicas*: hic signat oblatione & calicē tribus vicibus, nō tamē sub vna cruce, sed separatim singulis singulas faciēs cruces, *Hæc dona, hæc munera, hæc sancta sacrificia illibata*, vsque, *Memento Domine*. Hic nomina viuorum memorentur, si volueris. Sed non Dominico die, nisi cæteris diebus. *Et omnium circumstantium*, vsque, *Cosmæ & Damiani*: Si fuerit natalis Sanctorum, hic dicat: *Sed & natalitij illorum beatorum, aut beati illius: Et omnium Sanctorum*, vsque, *per Christum Dominum nostrum*. Hic inclinat se vsq; ad altare, dicēs: *Hanc igitur oblationem*, vsque, *iubeas gregē numerari per Christum Dominum nostrum*. Hic erigit se sursum. Oblatam solam hic benedicat: *Quam oblationem tu Deus in omnibus, quæsumus, benedictam, ascriptam, ratam, rationabilemq; facere digneris*. Hic ambo signat, id est, oblatam & calicem, vsque, *omnipotentem, tibi gratias agens, benedixit, fregit, dedit discipulis suis, dicens*: vsque, *item tibi gratias agens, benedixit*: Hic quatuor vicibus solam oblatam signat, in quinta vice super calicem solum crucē faciēs, *hostiā puram, hostiā sanctā, hostiā immaculatam, panem sanctum vitæ æternæ, & calicem salutis perpetuæ*, vsque, *immaculatam hostiam*: Hic inclinat se iterum iuxta altare, ità dicens: *Supplices te rogamus, omnipotens Deus*. Hic orat apud se quod voluerit. Deindè dicat: *Iube hæc perferri per manus* vsque *in conspectum*. Hic se erigit, hæc verba dicens: *vt quotquot ex hac altaris participatione*, vsque, *per Christum*. Hæ orationes duæ dicuntur, vna super dyptichos, altera post lectionem nominum, & hoc quotidianis vel in agendis tantummodò diebus: *Memento etiam Domine & eorum nomina, qui nos præcesserunt cum signo fidei, & dormiunt in somno pacis*. Et recitantur nomina: Deindè postquàm recitata fuerint, dicat, *Ipsis Domine, & omnibus in Christo quiescentibus, locum refrigerij, lucis & pacis vt indulgeas, deprecamur, per Christum. Nobis quoque peccatoribus*, vsque, *Sed venię, quæsumus, largitor admitte, per Christum*. Hic archidiaconus erigēs se veniet, & inuoluens calicem mappula, leuat illum * ante dominum Papam. *Per quem hæc omnia semper bona*. Hic ambo signat, idest, oblatam & calicē tribus vicibus, singulis singulas faciens cruces, *Sanctificas, viuificas, benedicis, & præstas nobis*. Hic leuat dominus Papa oblatas duas vsque ad oram calicis, & tangens cum de oblationibus, tenente illum archidiacono, *Per ipsum, & cum ipso, & in ipso est tibi Deo patri omnipotenti in vnitate Spiritus sancti honor & gloria*. Tunc dicit in altum, *Per omnia sęcula sęculorum*. Resp. *Amen*. Tunc reponit oblatas in altare, & dicit in altū, *Oremus*: deindè dicit, *Præceptis salutaribus moniti*, vsque, *Sed libera nos à malo*. Tunc dicit dominus Papa, interueniente nullo sono, hanc orationem: *Libera nos quæsumus Domine*, vsque, *Petro & Paulo atque Andreæ*. Hic nominatim quos voluerit sanctos vel quantos, cōmemorat, deindè infert, *cum omnibus Sanctis da propitius pacem*, vsque, *per omnia sęcula sęculorum*, Resp. *Amen*. Deindè dicit, *Pax Domini sit semper vobiscum*, Resp. *& cum spiritu tuo*. Deindè dat pacem altari vel patenæ, & sic populus dat sibi pacem. Dū verò dominus Papa dicit, *Pax Domini sit semper vobiscum*, non mittit partem de sancta in calice, sicut cæteris sacerdotibus mos est, dum confringunt. Interim verò dicitur *Agnus dei*, & expleta confractione, quando communicat dominus Apostolicus, partem sibi mordet, & reliquam in calicem mittit, faciens crucem de ea tribus vicibus, nihil dicens: Et sic confirmatur de calice, tenente eum archidiacono. Quandò verò dominus Apostolicus descendit ab altari, & incipit communicare populos, dicitur Antiphona ad communionem: & expleta Communione & Antiphona, surgit dominus Papa: & veniens ad altare, salutat, altiùs dicens, *Dominus vobiscum*. Resp. *Et cum spiritu tuo*. Deindè dicit orationem: *Quod ore sumpsimus Domine, mente capiamus, & de munere temporali fiat nobis remedium sempiternum*, Per Dominum.

DE

DE DIVINIS OFFICIIS, SIVE DE ANTIQVO RITV Missarum liber, qui Gemma Animæ inscribitur.

Fratres Solitario.

Petitio fratrum.

AGmen in castris æterni Regis excubans, sub impetu vitiorum vndique irruentium desudās, Idoneo instructori armorum, laureari in triumpho victorum. Diuinorum Sacramenta officiorum scire volentibus, sed partim penuria librorum, partim multimodorum occupatione negociorum, minimè valentibus: Rogamus te, vt quemadmodum in alijs, ita & in hoc negocio nobis velis stylo prodesse, quatenus memoriam tui omnium orationibus liceat iugiter interesse.

Solitario Responsio.

Ecclę. 3. Responso ad petitionē fratrū.

POstquam, Christo fauente, pelagus scripturæ prosperō cursu in summa totius transcurri, atque naufragiosam Cymbam per Syrtes & piratas multo sudore euectam, vix ad optatum littus appuli: Rursus habitatores Sion me in fluctus cogitationum retruditis, & nec vires recolligere, nec nauis armamenta sinitis. Dicitis enim, nunc esse tempus laborandi, postea requiescendi: Nunc tempus seminandi, post modum fructus percipiendi. Hac spe coactus sum, onus vires meas excedens subire, petens, vos me orationibus ad iter expedire, quatenus pondere peccatorum depositō, ad desideratum quietis portum liceat fixa anchora peruenire. Vestra itaque iussione, funes verborum à portu ocij soluo, quassatam nauiculam styli, procellis meditationum impello, vela sententiarum distendens, vento Spiritus sancti committo, Ipse autem secundum cursum tribuat, qui nutu mare ventosque tranquillat.

Præfatio Auctoris.

Dementia in prophanis.

PLerosque vesania captos piget me mente considerare, quos non pudet abominanda Poetarum figmenta, ac captiosa Philosophorum argumenta, summo conamine indagare: quæ mentem à Deo distractam, vitiorum nexibus insolubiliter solent innodare: Religionē autem Christianæ professionis penitus ignorare, per quam animam liceat perenniter cum Deo regnare. Cum sit summæ dementiæ, vitam Tyranni velle scire, & edicta Imperatoris nescire: Atque ea, quæ quotidiè necessariò facias, nō intelligere. Porrò, quid confert animæ pugna Hectoris vel disputatio Platonis, aut carmina Maronis, vel Neniæ Nasonis, Qui nunc cū suis consimilibus ardent in carcere infernalis Babylonis, sub truci imperio Plutonis? Dei autem sapiētia maxima gloria hunc cumulat, Qui Prophetarum & Apostolorum facta & scripta inuestigando iugiter ruminat, quot nunc in cælestis Hierusalem palatio cum Rege gloriæ exultare nemo dubitat. Sapientum nanque iudicio, tantum differt à non intelligente intelligens, quantum à cęco videns. Qui enim nō intelligit quid agat, est vt cæcus, qui nescit quò vadit: & vt Tantalus in medijs vndis siti deperit. Et licèt simplicitas fidelium Deo nostro placeat, tamen intelligentiam sapientium, quantum lucem præ tenebris, approbat. Ob hanc causam, vt iussistis, libellum de diuinis officijs edidi: cui nomen Gēma animæ indidi, quia videlicet veluti aurum gemma ornatur, sic anima diuino officio decoratur. In primis igitur de Missa, per quam nobis vita redditur, & de Ecclesia, in qua agitur: & de ministris Ecclesiæ, per quos celebratur, videamus. Deindè de reliquis horis, quæ sunt debitum nostræ seruitutis, edisseramus. Tertiò de solennitatibus totius anni dicamus. Quartò de cō cordia officiorum ritè subiungamus.

Intelligēs quantum differat à non intelligente.

Gemma animę.

Prolixior est igitur liber iste quàm hìc habetur.

Sapientia in sacris litteris.

ELENCHVS CAPITVM

Huius operis.

DE Missæ officio. cap. 1
De Campanis. cap. 2
De Curru Dei. cap. 3
De Ingressu Episcopi, cap. 4
De Cereostatis. cap. 5
De Ministris. cap. 6
De Acolytis. cap. 7
De Thuribulo. cap. 8
De Secundo officio. cap. 9
De Cantoribus. cap. 10
De Seruo arante. cap. 11
Cur infra Missam sedet Episcopus, cap. 12
De Tertio officio, & Euangelio. cap. 13
De Diacono. cap. 14
De Candelis. cap. 15
De Pulpito. cap. 16
De Salutatione, & signis. cap. 17
De Baculis. cap. 18
De Sermone ad populum. cap. 19
De Quarto officio. cap. 20
De Sacrificijs. cap. 21
De Tribus sacrificantibus. cap. 22
De Septem sacrificijs legalibus, cap. 23
De Sacrificio Christianorum. cap. 24
De Sacrificio panis. cap. 25
Significatio de pane. cap. 26
De Sacrificio vini. cap. 27
De Sacrificio aquæ. cap. 28
De Forma panis in Eucharistia. cap. 29
Cur quotidiè Missa celebratur. cap. 30
De Subdiaconis. cap. 31
De Cantore. cap. 32
De Secreta. cap. 33
De Præfatione. cap. 34

De

Universidad de Deusto
Biblioteca

De Sacrificio Angelorum. cap.35
De Quatuor ordinibus. cap.36
De Quinto officio, & Christi pugna. cap.37
De Passione Christi. cap.38
De Ioseph. cap.39
De Nicodemo. cap.40
De Cruce. cap.41
De Primo ordine crucum. cap.42
De Secundo. cap.43
De Tertio. cap.44
De Quarto. cap.45
De Quinto. cap.46
De Sexto. cap 47
De Quinque ordinibus crucum. cap.48
De Numero signorum. cap.49
De Septem sacrificijs. cap.50
De Quinque orationibus. cap.51
De Sexto officio, & benedictione Episcopi. cap.52
De Septimo officio. cap.53
De Pacis osculo. cap.54
De Fractione oblatæ. cap.55
De Tribus partibus oblatæ. cap.56
De Tribus communicationibus. cap.57
De Dominico pane. cap.58
De Oratione super populum. cap.59
De Processione publica. cap.60

DE MISSAE OFFICIO. Cap. I.

Missa lega tio dicitur.

MIssa à quatuor causis nomen accepit, duabus à Legatione, & duabus à missione. Missa quippè dicitur Legatio, quia in eius officio, nobis legatio Christi repræsentatur, quia pro humano genere Patris legatione fungebatur. Item Missa legatio dicitur, quia in ea sacerdos pro Ecclesiæ ad Deum legatione fungitur, A missione Missa dicitur, quia populus, qui quasi ad iudicium conuenit, peracta causa à iudice dimittitur. Item, à missione dicitur, quia populi conuentus, qui ad vesperam & ad matutinas quasi iure tenetur, celebrato sacrificio, dimittitur. Missa autem in septem officia distinguitur. In quorũ primo Christi legatio agitur: Quam Moyses præfiguraſſe cognoscitur, qui Deus gentilium, Papa sacerdotum, Rex populorum legitur. A Deo nanque, Deus Pharaonis, Propheta Aaron sacerdotis, dux populi constituitur. Hic legatione Dei in Aegyptum fungitur, a senioribus & populo susc ipitur, populum dispersum congregat, Aegyptum signis perdomat, oppressos à Tyranno de dura seruitute liberans, de Aegypto educit, in terram repromissionis inducit; Sic Christus Deus Deorũ, sacerdos sacerdotũ, Rex regũ, legatione patris in mũdũ fungitur, ab Angelis & pastoribus pastores Ecclesiæ typum exceperũt: Qui filios, Dei, qui erant dispersi, in vnã fidẽ congregat, mundũ variis signis subiugat, oppressos a Diabolo liberãs de Inferno educit, in Patriam Paradisi inducit. Hoc totum repræsentat nobis processio Episcopi, qui gerit figuram Christi.

Exod. 7. Moyses typum Christi gessit.

Processio Episcopi cũ clero.

De Campanis. Cap 2.

POstquam campanæ sonuerint, Pontifex ornatus procedit. Quem septem Acolyti cum luminibus præunt, post quos septem Subdiaconi cum plenarijs incedunt. Item, post hos septẽ Diaconi gradiuntur quos xij. priores sequuntur. Item post hos, tres Acolyti cum Thuribulis vadunt, qui incensum gerunt. Post quos Euangelium ante episcopum fertur, quod inter duos ambulans sequitur, eumq; Principes cum populo comitantur. Qui dum chorum ingreditur, à cantoribus cum versu Gloria patri excipitur. Quibus ipse pacem porrigit, deinde ad altare vadit. Finito cantu, orationem dicit, & tũc sedere pergit. Quidam de ministris cum eo sedent, quidam ei assistunt: hoc quasi præsentiam Christi nobis exhibet. Campanæ sunt Prophetæ, Campanæ sonabant, quia Prophetæ Christi aduentum prænunciabant. Pontifex templum ingreditur, & Christus in mundum ad Ecclesiã ingreditur, Episcopus de Secretario ornatos procedit, & Christus de vtero Virginis, decore indutus, tamquam sponsus de thalamo processit. Diaconi & Subdiaconi & Acolyti, qui episcopum præcedunt, designant prophetas & sapiẽtes, & scribas, qui aduentum Christi in carne, mundo nunciauerunt. Diaconi Prophetas significant, qui Christum iam venisse & adhuc venturum populo prædicant, & ex Euangelio futuram vitam nunciant. Subdiaconi cum plenarijs, sapientes præferunt, qui plenitudinem diuinitatis in Christo corporaliter retulerunt. Sapientia, idest, Subdiaconi vadunt in medio adolescentularum Tympanistriarum, vt doceant, quid Tympanistæ laudare debeant. Tympanistæ sunt cantores, laudes resonantes. Adolescentulæ sunt nouæ Ecclesiæ, Deum laudantes edomita carne, Acolyti cum luminibus typum scribarum gerunt, qui lumen scientiæ, scripturas exponendo, fidelibus ministrauerunt. Qui ideò singuli discernuntur septem, quia per septem dona Spiritus sancti Sacramenta Missæ perficiuntur. Priores cum Capellanis, qui eos sequuntur, xij. Apostoli accipiuntur: Tres Acolyti, qui Thuribula cum incensu ferunt, sunt tres Magi, qui munera nato Christo obtulerunt. Euangelium ante episcopum portatur, quia per doctrinam Christi nobis via ad vitam paratur. Episcopus à duobus educitur, & Christus à duobus testamentis per Prophetas & Apostolos mundo innehitur. Turba populi interim episcopum comitatur, quia Christum populus fidelium ad cælestia sequi conatur. Dum præsens officium agitur in Ecclesia, non sedetur, quia labori Christi deputantur, qui ad cultum Dei vocantur.

Idem habetur supra in vetusta illo expositione Missæ.

Quid mysticè significant Campanę.

Procedens in ornatu Episcopus.

Tympanistæ, Adolescentulæ, Acolyti.

xij Priores.

Tres Acolyti.

De Curru Dei. Cap. 3.

INterim dum chorus canit, Episcopus quasi in curru vectus, ad solennitatẽ vadit. Quia currus Dei decem millibus multiplex legitur, & comitatus episcopi decem ordinibus distinguitur. Scilicet primus ordo sunt Ostiarij. Secundus Lectores. Tertius Exorcistæ. Quartus Acolyti. Quintus Subdiaconi. Sextus Diaconi. Septimus Presbyteri. Octauus Cantores. Nonus Laici.

Psal. 67.

x. Ordines in processione.

Laici. Decimus fœminæ: Ita Christus hũc mundum intrauit. Dum Chorus Prophetarum cecinit, curru scripturæ vectus, sanctorum ordinibus comitatus Cantores venientem Episcopum, cum Gloria Patri excipiunt. Et Angeli Christum aduenientem, cum Gloria in excelsis susceperunt. Duo Chori laudes cõcinunt, quia duo populi, scilicet Iudæi & Gentiles, Christo aduenienti cũ laudibus occurrerunt. Per cantum Introitus accipitur laus Ecclesiæ de Iudæis: Per Kyrieeleison verò laus Ecclesiæ de gentibus. Per Gloria in excelsis aũt, vtriusque Chori laudatio in fide Trinitatis, pro adipiscẽda æqualitate Angelicæ dignitatis. Per Introitum quoque, ordo Patriarcharum nobis repræsentatur, per quos Christus venturus præfigurabatur. Per versum Propheticum, ordo Prophetarũ insinuatur, per quos Christus nascitur prænunciabatur. Per Gloria Patri, ordo Apostolorum commemoratur, per quos Christus iam veniſſe prædicatur, à quibus & Trinitas Ecclesiæ insinuatur. Per Introitum secũdo repetitum, ordo Doctorum notatur, per quos Christus adhuc venturus ad iudicium narratur. Porro per Kyrieeleison, diuersarum linguarum populi declarãtur: à quibus Christus in gloria cum Angelis collaudatur.

Luc. 2. Duo Chori canentium.

Mysteria introitus.

De ingressu Episcopi. Cap. 4.

EPiscopus ingrediens, pacem populo porrigit; quia Christus in mundũ ingrediens pacem humano generi attulit: quam in primo parente amisit. Deinde sanctuarium intrat, inclinatus corã altari orat: confessionem faciens, Indulgentiam implorat, quia Christus Hierusalem passurus intrauit, pro nobis leuandis se in mortem inclinauit, in cœna Patrem pro Ecclesia orauit, pœnitenti & confitenti Petro vel Latroni, deinde omni populo peccata donauit. Post hæc, duos sacerdotes osculatur. Quia per Christum lapidem angularem, duo parietes in vna fide copulantur: Deinde cæteris ministris à dextera leuaq; pacẽ dabit, quia Christus pacem his qui longe, & his qui prope prædicauit. Et ab Oriente & Occidẽte venientes in vinculo pacis sociauit. Altare, & Euangelium osculatur, quia passione Christi homines Angelis in pace sociantur: Per altare nanque Iudæi, per Euangeliũ Gentes denotantur: Post hæc Thuribulũ accipientes, altare thurificant, in figuram Angeli, qui in Apocalypsi cũ aureo Thuribulo altari astiterat. De quo fumus aromatum in conspectu Domini ascendebat, quia Christus magni consilii Angelus, in ara crucis se pro nobis obtulit, cuius corpus Thuribulum Ecclesiæ fuit, ex quo Deus pater suauitatem odoris accepit, & propitius mundo extitit. Fumus aromatum, orationes sanctorũ sunt, quæ super auream aram Christũ, per charitatis ardorem vel illuminationis Spiritus sancti carbones incensæ, ad Deum ascendunt. Deinde altare osculatur, quia Christus pro nostra pace in ara crucis immolabatur. Deinde Gloria in excelsis incipit, & Chorus concinit, quia Christus per mortem suam gloriam Angelorum hominibus restituit, in qua sanctorum populus lætabũdus laudes perstrepit. Dehinc ad populum se conuertens, Pax vobis, dicit, quia Christus à mortuis resurgens, pacẽ Ecclesiæ reddidit, suisque Pax vobis dixit. Deinde in dextera parte orationẽ dicit, quia Christus iam à morte ad vitam transiit, nosq; de exilio in patriam transtulit. Oratio aũt illa benedictionem significat, qua cælos ascensurus suos benedicebat. His peractis Episcopus sedere pergit, & Christus omnibus rite peractis cælos ascendit, & in dextera Patris sedens quiescit. Quidam cum Episcopo sedent, quidam ei assistunt, quia qui dam electi nunc cum Christo requiescunt, plurimi adhuc in labore ei hic seruiunt.

Mystica ratio ceremoniarũ Episcopi i missa.

Thuribulũ.

Apoc. 8.

Gloria in excelsis.

Pax vobis.

Collecta in dextera parte.

Sedes.

De Cereostatis. Cap. 5.

EPiscopo ascendente ad sedem, Cereostata mutantur de locis suis in ordine vnius linex, excepto primo, vsque ad altare. Per Cereostata varia dona Spiritus sancti exprimuntur: Per lineam vnam vnitas Spiritus sancti in singulis donis denotatur. A primo incipit, quia Spiritus sanctus à Christo procedit vsq; ad altare, id est, ad corda electorũ puenit.

De Ministris. Cap. 6.

DIacones qui Episcopum præcedentes altare osculantur, designant iustos, qui ante Christi aduentum pro veritate patiebantur. Deinde post Episcopum erecti stabũt: quia plurimi Christi vestigia sequẽtes, pro eo mortem subierunt. Quidam à dextris, quidam à sinistris stant, quia dextera cõtemplatiuam, sinistra actiuam vitã significat. In dextera stantes, sunt in contemplatiua vita Christo ministrantes, In sinistra cõsistentes, sunt in actiua vita Christo seruiẽtes. Duo Diaconi vicissim vadunt altrinsecus osculari latera altaris, quia Christus misit binos discipulos ante faciẽ suã, in oẽm ciuitatem. Osculum eorũ significat, vbi intrãtes dicunt, Pax huic domui. Altare corda electorum. Postea reuertuntur ad Episcopũ, & discipuli reuersi sunt ad Christum, nunciantes opera signorũ. Quot Diaconi sunt, tot Subdiaconi, & Acolyti esse debent. Septem Diaconi ideo sunt, quia Apostoli septẽ Diacones in ministerium elegerunt. Et quia septem dona Spiritus sancti Sacramenta Missæ conficiunt. Ideo etiam septẽ Diaconi ministrant, quia discipuli septem post resurrectionẽ in piscando laborabant, quos Dominus ad prędicandũ inuitabat. Per septem aũt Subdiaconos, septem columnæ domus sapientiæ accipiuntur. Per septem Acolytos, septẽ lucernæ tabernaculi, vel septẽ candelabra in Apocalypsi intelliguntur. Si quinq; Diaconi ministrãt, tunc hos quinq; designant, qui Domino in resurrectione puellę affuerant.

Quinque autem Diaconi seruiunt, quia hæc sacramenta quinque partes scripturæ docuerunt. Vetus enim Testamentum in legẽ & Pro-

Stare in dextera aut in sinistra.

Lucæ 10. Si septem Diaconi fuerint. Act. 6. Ioan. 21. Prouer. 9. Exod. 29. Si quinq;. Apocal. 1. Matth. 9.

Universidad de Deusto
Biblioteca

phetas diuiditur, Nouum in Actus Apostolorum & Epistolas eorum, & Prophetiam Apocalyp. partitur. Quinque autem Acolyti sunt, quia quinque libri Moysi hæc testificati sunt. Tres Diaconi subministrant, significat tres Apostolos qui Domino in monte transfiguratio aderant. Tres Subdiaconi sunt, quia lex & Psalmi, & Prophetæ hæc Sacramenta prædixerunt. Tres Acolyti sunt, quia fides, spes, & charitas hæc mysteria perficiunt. Vnus Diaconus si ministrat, illum adolescentem, qui Domino in passione adhæsit, scilicet* Iacobum significat, quando reiecta syndone nudus profugit. Per vnum quoque Diaconum designatur Stephanus, qui solus sua morte Christum est secutus: Vnus Subdiaconus seruum, quia vniuersitas scripturæ hoc sacramentum docuit: Ab vno Acolyto seruitur, quia in vnitate tantum Ecclesiæ hoc Sacramentum conficitur.

Si tres. Matth. 17. luc. 24.

Si vnus.

*Ioannē. Marc. 14. Act. 7.

De Acolytis. Cap. 7.

AColyti vsque ad Kyrieeleison lumina tenent, quia doctores illuminatores Ecclesiæ, verbo & exemplo lumen fidelibus præbere debent, quoad vsque ipsum Deũ moribus inuocare incipiant, & Christum veram lucem omnem animam illuminare cognoscant. Septem cerei, sunt septem dona Spiritus sancti. Cereus in medio stans, est Christus. Deinde lumina ordinatim versus Episcopum disponuntur, quia septem dona Spiritus sancti per Christum Ecclesiæ tribuuntur. Acolytus qui fert thuribulum, designat Ioseph, qui vndique circumtulit Christũ. Significat etiam Paulum Apostolum qui prædicando Christi odorem portauit per totum mundum. Sex vel quatuor, vel duobus ministrare non licet, quia par numer⁹ diuidi potest, & Ecclesia scindi non debet, & ideo numero Deus impare gaudet.

Cereus in medio christus.

Numerus nõ par, sed impar esse debet, & cur.

De Thuribulo. Cap. 8.

THuribulum nanq; significat corpus Dominicum. Incensum eius diuinitatem, ignis Spiritum sanctum. Si est aureum, significat eius diuinitatem omnia præcellentem: Si argenteum, demonstrat ipsius humanitatem omni sanctitate nitentem. Ignis Spiritum sanctum, Si est aureum, significat eius diuinitatem: Si cupreum, declarat eius carnem pro nobis fragilem: Si ferreum, insinuat eius carnem mortuam, in resurrectione mortem superantem: Si quatuor lineas habet Thuribulum, significat quatuor* electis constare corpus Dominicum, quatuor virtutibus: Prudentia, fortitudine, iustitia, temperantia fuit plenum. Quinta linea, quæ Thuribulum abinuicẽ separat, designat animã Christi, quæ se in morte à corpore sequestrauerat. Si autem tribus lineis continetur, significat quòd humana caro & anima rationalis & verbi diuinitas vna persona Christi efficitur. Quarta, quę partes diuidit, est potestas, qua animã pro ouibus in morte posuit. Si verò vna linea tãtum sustentatur, designat, quòd ipse solus absque sorde à virgine generatur, & solus inter mortuos liber prædicatur: Circulus cui hæc omnia innectuntur, est Deitas, à qua hæc omnia continentur, cuius maiestas nullo termino clauditur.

Mysteria thuribuli.

*clemẽtis.

De secundo officio. Cap. 9.

IN superiori officio de capite nostro Christo agebatur. In sequenti verò, de corpore eius Ecclesia agitur. Quia Maria soror Moysi præfigurabat, quæ populo liberato præcinebat, & turba canticum respondebat: Sic Episcopo residente, Lector Epistolam in pulpito recitat, & chorus canticũ resonat: Quia Christo in cælis residente, doctorum ordo scripturam mundo intonuit, & omnis vbique populus laudem Christo insonuit. Altior locus ponitur Episcopo, vt superintendat & tanquam populum custodiat, vt vinitori altior locus sit, vt vineam custodiat: Sic Dominus in alto cælorum sedens, custodit* currum suum, id est. ciuitatem suam, videlicet, Ecclesiam. Subdiacono legente, solemus sedere. Lectio, est precatio. Sessio obauditio, respub. credentium confessio. Lectores & cantores sunt Domini nego ciatores. Subdiacono Epistolam legẽte, cerei, verso ordine, ab Oriente in Occidentem, rursus ponuntur, quia lumen doctrinæ ab Oriente in Occidentem, id est, per totum orbem per Apostolos diffundebatur. Per graduale concisio Ecclesiæ de Iudæis intelligitur. Per versum, conuersio Ecclesiæ de gentibus accipitur. Per Alleluia vtriusque in fide lætitia exprimitur. Sequentia cantum victoriæ designat, qua victorum animæ in Deo viuo pro sua liberatione exultant: Sicut filii Israel pro sua ereptione canticũ victoriæ canebant. Vnde quidam longam Neumam cum Organis iubilant, quæ Iubilum vocatur, quia plausum victorum lætantium imitantur. Episcopus à dextris altaris sedens, versa facie ad Chorum, laborantes intuetur*, quia à dextris Dei sedens, versa facie ad Ecclesiam, singulorum corda intuetur, & pro se laborantes remunerari pollicetur. Vnde dum Stephanus pro eo laborauit, ad adiuuandum eum * surrexit.

Psalm. 87.

Mysteria circa epistolam, & graduale.

atrium

Act. 7. *suspexit.

De Cantoribus. cap. 10.

CAntores, qui Choros regũt, sunt Apostoli, qui Ecclesiasticas laudes Dei instruxerũt. Hi, qui graduale cantant, significant eos, qui in actiua vita Christo seruiunt. In gradibus cantores stabunt: quia iusti de virtute in virtutem in scala charitatis ibunt. Qui Alleluia cantant, designant eos, qui in contemplatiua vita laudant. Hi cantantes altius consistunt, quia tales in celsitudinem virtutum cælestia contemplando scandunt. Sequentiam Chori alternatim iubilant: quia frequentiæ Angelorum & hominum in domo Dei, Deum in sæculum sæculi laudabunt.

Cãtores in gradibus.

De seruo

De seruo Arante. Cap. 11.

LEgitur in Euãgelio de seruo arante, quòd per acto opere de agro domum redeat, & post seruitium domino suo impensum, ad conuiuium recumbat. Ager Dei sunt corda fidelium: Seruus arans, est ordo prædicantium. Per lectorem Epistolę, doctores exprimuntur, Qui agrum Dei prædicando coluerunt. Per Responsoria fideles, qui per bonam operationem respondentes, fructum iustitiæ protulerunt. Aratrum est nostrum seruitium: Boues hinc inde trahẽtes, sunt* vtrique totis viribus canentes. Præcentor, qui cantantes manu & voce incitat, est seruus qui boues stimulo minãs, dulci voce bubus iubilat. Lector legem Domini dat auditoribus, qui nuper vocati sunt per officia cantorũ in schola Dei ad nuptias: schola dicitur vacatio, in qua si quis adhuc surdis auribus cordis torpescit, cantor cum excelsa voce tuba sonat in aurem eius dulcedinem melodiæ, vt excitetur. Cantores qui respondẽt primo canenti. Vox est auditorum quasi euigilantium, & Deum laudantiũ. Versus est arans seruus: Per dulcedinem modulationis scindun tur corda carnalium, & se aperiunt more sulci in confessionem vocis & lachrymarum. Arat qui aratro compunctionis corda scindit. In lectione pascitur auditor quasi quodammodo bos. Bos ad hoc pascitur, vt in eo opus agricul turæ exerceatur. Bos est prædicator: Cantor bubulcus, qui iubilat bubus, vt hilarius aratrũ trahant, scilicet instigat canentes, vt lætius canant. Terra scinditur, quando corda auditorũ compunguntur. Tales operarii, cum de agro huius mundi redeunt, æternum conuiuium cum domino suo ineunt.

Luc. 1.3

Mystica interpræ-tatio.

vtrinque

Arare spi ritualiter.

Cur infra Missam sedet Episcopus. Cap. 12.

EPiscopus tribus horis Missę sedet, scilicet dum Epistola legitur, dum Graduale & Alleluia canitur: quia Christus tribus diebus inter doctores sedisse legitur in tẽplo. Subdiaconus, qui lectionem legit, significat Ioannem Baptistam, qui ante Christum prædicauit. Per Epistolam quippe, Ioannis prædicatio accipitur: per Euangelium Christi prædicatio innuitur, Ideò Epistola Euangelium prȩcedit. Et sicut Ioannes præcursor Christi memoratur, ita Epistola nunc Euangelium, quod est Christus, præconatur. Euangelium in altiori loco quàm Epistola legitur: quia Christi prędicatio dignior, quàm Ioannis cognoscitur. Subdiaconus in eodem tamen pulpito, quo & Diaconus legit, quia omnis populus Ioannẽ Christũ esse putauit. Graduale significat vocationẽ Apostolorum, qua se ad Christum cõuerterũt: Alleluia verò lætitiam illorũ, quam de præsentia Christi & miraculis habuerunt. Sequentia verò animæ eorũ iubilationẽ, qua de missa spe exultauerũt. Nota, hic Episcopus ministros Ecclesię ordinat, quia & Moyses & Aaron Leuitas

Lucæ 2. Epistola ante Euangelium, sicut Ioannes ante christum prædicauit.

í ministeriũ tabernaculi ordinabãt, & Christi. lxxii. ordinauit, quos in pdicationẽ destinauit.

De tertio officio & Euangelio. Cap. 13.

IN tertio officio ad capitulum reditur, & prædicatio Christi nobis ad memoriam reducitur. Hoc officium Moyses præfiguraui t, quando in montem ad Dominum ascendit, & ab eo tabulas testamenti accepit. Dominus, cuncto populo audiente, mandata proposuit, & Moyses iustitias legis eis exposuit, & populus se omnia obseruaturum respondit, Diaconus ad Episcopum vadit, librum ab altari accipit, Euangelium in quo diuina prȩcepta sunt coram omni populo legit, Episcopus sermonem faciens populo, ea exponit, & populus per Kyrieeleyson, Clerus autem per Credo in vnum, se spondet cuncta seruaturum. Qualiter hoc per Christũ & Apostolos sit gestũ, breuiter est dicendũ.

Ritus legẽdi Euangelium.

De Diacono. Cap. 14.

PEr Episcopum repræsentatur nobis Christus, per Diaconum ordo Apostolicus: Diaconus qui legit est Petrus, qui pro omnibus respõdit. Episcopus lecturum Diaconum benedicit, quia Christus conuocatis Apostolis benedictione eos repleuit, dũ eis potestatem super omnia dęmonia dedit, & eos Regnum Dei prædicare misit. Diaconus Euãgelium ab altari accipit, legere pergit, quia de Sion lex, & verbũ Domini de Hierusalem exiuit. In hoc quippe loco altare Hierusalẽ designat: in qua Apostoli verbum prædicationis à Domino acceperunt, & exeuntes per totam terram prædicauerunt. Diaconus in sinistro brachio librum portat, quia sinistra præsentem vitã significat. & in hac vita tantùm prædicari Euangelium debet, quia in futura vita nullus doctrina egebit, vbi omnes à minimo vsque ad maximum Dominum cognoscent. Ab Australi parte in ambonem ascẽdit, quia Christus à Bethlehem, quæ est ad Austrum, Hierusalem venit. Vnde dicitur, Deus ab Austro veniet.

Matth. 10.

Marc. 16.

Esaię. 2.

Liber in sinistro brachio.

Abacuc. 3.

De Candelis. Cap. 15.

DVæ candelæ Euangeliũ præcedunt, quia lex & Prophetæ præcesserunt, qui Euangelium prædicauerunt. Duo cãdelabra, quæ præferũtur, sunt duo præcepta charitatis, quæ per Euangelium instruuntur. Duo Acolyti qui ea portant, sunt Moyses & Helias, inter quos Dominus vt Sol in monte fulgebat. Dum Euangelium legitur, cerei in pauimento deponuntur, quia vmbræ legis & ænigmata Prophetarum, per lumen Euangelii ab humilibus intelliguntur. Perlecto Euangelio candelæ extinguuntur, quia prædicante Euangelio, lex & prophetia in litera extinguuntur, dum per lucem Euangelii spiritaliter prolatæ intelliguntur, Thuribulum ante Euangelium portatur, quia Christus odor suauitatis in igne passionis pro nobis sacrificatus prædicatur.

Universidad de Deusto
Biblioteca

De pulpito. Cap. 16.

Locus altior pro Euangelio. Matth. 5.

EVangelium in alto loco legitur, quia in monte prædicasse perhibetur: ideo etiam in sublimi legitur, quia sublimia sũt Euãgelica præcepta, per quæ altitudo cælorũ scanditur. Inter Euangelium lumen ardet, eo quòd Euangelica Doctrina Ecclesiam illuminet: Et quia verbum Dei nobis lumen ad vitam præbet. Diaconus secundum ordinem se conuertit ad Austrum dum legit Euãgelium, quia in hac parte viri stare solent, quibus spiritualia prædicari debent: Per viros quippe spirituales significantur, & per Austrum Spiritus sanctus designatur. Nunc autem secundum inolitum morem se ad Aquilonem vertit, vbi fœminæ stant, quæ carnales significant, quia Euangelium carnales à spiritualibus vocat. Per Aquilonẽ quoque diabolus designatur, qui per Euangelium impugnatur. Per Aquilonem etiam infidelis populus denotatur, cui Euangelium prædicatur, vt ad Christum conuertatur.

Olim ad Austrum, nunc ad Aquilonẽ legitur Euang.

De Salutatione & signis. Cap. 17.

Lucæ 10. Signare frontem cruce.

DIaconus cum ascendit Analogium, primum salutat populũ per Dominus vobiscum, Quia Apostoli quãcunque domum prædicaturi intrauerunt, primùm, per pax huic domui, auditores salutauerunt. Cum Sequentia sancti Euangelii dicit, signum sanctæ crucis fronti suæ, in qua sedes est verecundiæ imprimit, per hoc se de verbo Domini non erubescere innuit. Qui enim sermones Domini erubuerit, hunc filius coram patre & Angelis in iudicio erubescet. Crux quippe & Euangeliũ apud incredulos magnæ confusionis fuit opprobrium. Deinde eos signat, quia verba Dei se ore confiteri pronunciat, cum ore confessio ad salutem fiat. Exin cor signat, vt spiritum elationis à se excludat, & ea quæ ore confitetur, se corde credere ad iustitiam insinuat. Igitur per cordis signationem fides verbi accipitur: per oris signationem confessio Christi intelligitur: per frontis signationem Euangelii operatio accipitur. Deinde clerus & populus se signat, & Gloria tibi Domiue cõclamat: quia Christum crucifixũ se adorare suis verbis obedire se pronũciat: Ita dum Apostoli verba Dei prædicauerunt, populi Deum laudauerunt.

Lucæ 9.

Signare os & cor cruce. Roma. 10.

De Baculis. Cap. 18.

Baculi sub Euangelio deponendi. Exodi. 12. cur portãtur Baculi.

DVm Euangelium legitur, baculi de manibus deponuntur. Quia prædicãte Euãgelio, legales obseruantię à populo deponebantur. Ex legis quippe præcepto, baculos manibus tenebant, qui paschalem agnum edentes ad patriam tendebant. Secundum hunc morem, cantores in officio Missæ baculos tenere noscuntur, dum verus paschalis agnus benedicitur, significantes, quòd hi qui ad supernã patriam & ad festum Angelorum cupiunt festinare, esu cælestis agni, & baculis contra hostes vel sententiis scripturarum, contra dæmones se debent defensare. Hos inter Euangelium deponunt, quia cum ad Christum, quem Euangelium designat, peruenerint, nullis scripturarũ sustentaculis indigebunt. Per Baculos etiam sacerdotes denotantur, per quorum doctrinam infirmi in fide sustentantur: qui baculi in Euangelio deponuntur, Quia omnium sacerdotum doctrinę Christi Euangelio postponuntur. Tũc etiam velamina capitis auferuntur: quia Christo Euangelizante, velamine legis tollebantur, Et nos capita denudamus, quia reuelata facie nunc in ænigmate Deũ in Euangelio videmus. Perlecto Euangelio, Diaconus reuertitur ad Episcopum, librum ei offert ad osculãdum, quẽ mox reponit in locum suum, quia Apostoli facta prædicatione reuersi sunt ad Christum, sibi etiam dæmonia in nomine eius subiecta retulerunt. Quasi librum in locum suum reposuerunt, dum non sibi sed Domino cuncta adscripserunt.

Nudato capite audiẽdum.

Lucæ 10.

De Sermone ad populum. Cap. 19.

Sermo Episcopi ad populum.

DEinde Episcopus sermonem ad populũ facit, Quia postquã Christus populo per Apostolos innotuit, ipse omnibus prædicare cœpit. Episcopus populum de pœnitentia & fide, & confessione instruit: quia Christus pœnitentiam & fidem in Deum, & remissionẽ peccatorum per confessionem, & baptisma docuit. Post hæc populus Kyrie eleison. Et clerus Credo in vnum cantat, quia quod Diaconus legit, & quod Episcopus prædicauit, se credere affirmant: ita postquam Christus & Apostoli populum docuerunt, fide recepta, laudes Deo personuerunt. Interim Euangelium cum incensu per chorum defertur, & singulis ad osculandum porrigitur, quia Apostoli Christum odorem vitæ per mundum portauerunt, & cunctis gẽtibus per verbum eius pacem ęternam præbuerunt.

Ad osculãdum portatur liber Euãgelii.

De Quarto officio. Cap. 20.

Typus in oblationibus populi. Exodi 35.

IN quarto officio, ad corpus Christi, id est, ad Ecclesiam significatio recurrit, & eius actionem nobis exprimit, Cuius figurã olim populus Israel exprimebat, quando Moysi de mõte descendenti, diuersa dona ad faciendum tabernaculum offerebat. In quo altare fiebat, super quod sacerdos sacrificia populi immolabat: Sic & de Episcopo ascendenti, populi oblationes diuersas offerunt, pro quibus sacerdos & ministri sacrificia in altari cum cantu immolabunt: Ita Christo passuro, ad Hierusalem de de monte oliueti descendenti, turba occurrit, palmas floresque cum cãtu laudis obtulit, pro quibus ipse se sacrificium in ara crucis obtulit. Pontifex repręsentat Christum, ministri turbam discipulorum. Populi offerentes sunt illi cum palmis occurrentes: Cantores cantantes sunt illi Osanna resonantes.

Matth. 28.

De

De Sacrificijs. Cap. 21.

Quid repræsentãt diuersę oblationum species. Matth. 2. Lucæ. 21. Ioan. 12. Act. 11.

QVidam de populo aurum, quidam argentum, quidam de alia substantia sacrificãt, Sacerdos & ministri panẽ & vinũ cũ aqua immolant. Qui aurum offerunt, significãt Magos, qui aurum Domino obtulerunt. Qui argentum offeruut, designant eos, qui pecuniam in Gazophilacium miserunt. Qui de aliis rebus sacrificant, sunt hi qui Domino necessaria, quæ Iudas portabat, mittebant, Et hos significant, qui per Paulum & Barnabam Apostolis oblationes Hierosolymam transmittebãt. Qui panem offerunt, sunt hi, qui spiritum suum in sacrificium laudis Domino impendunt. Qui vinum offerunt sunt hi, qui animas pro fratribus ponunt. Qui aquam offerũt sunt hi, qui corpus suum pro Christo ad supplicia tradunt.

Triplices sunt offerentes.

De tribus sacrificantibus. Cap. 22.

PRimò viri offerunt, qui fortes in Christo designant: quia in primitiua Ecclesia iusti sub persecutoribus dura perpessi, victima Christi occubuerant. Deinde fœminæ sacrificant, quæ fragiliores significant, quia tempore pacis fideles non seipsos, sed hostiam laudis Domino immolant. Ad vltimum sacerdotes & ministri offerunt, qui doctores & doctores populi sunt, quia sub Antichristo fideles per diuersa tormenta sacrificium viuũ se Christo offerant.

Septẽ species oblationũ vet. Testam. Leu. 11.

De septem Sacrificijs legalibus. Cap. 23.

SEptem autem sacrificia ab antiquis secundum legem offerebantur, quę adhuc Christiani imitantur. Ritus nanque Synagogæ transiuit in religionem Ecclesiæ, & sacrificia populi carnalis mutata sunt in obseruantiam spiritalis. Sunt autem hæc, legale sacrificium, volũtarium, pro peccato, pro gratiarum actione, dona, vota, holocausta. Sacrificium legale obtulit, qui decimas vel primitias, vel ea quæ lex præcipit, obtulit: Sacrificium voluntarium obtulit, quod aliquid de rebus suis Deo sponte obtulit: Sacrificium pro peccato obtulit, qui pro transgresso legis mandato hircum obtulit: Sacrificium pro gratiarum actione obtulit, qui pro victoria munus Deo obtulit: Dona obtulit, qui aliquid in ornatum templi contulit: Vota obtulit, qui in periculo belli constitutus, aliquid Deo vouit, quod postea soluit: Holocausta obtulit, qui agnũ offerẽs, totũ in altari incẽdit, holocaustum nãque totũ incensum dicitur.

Septẽ itidem oblationes Test.

De Sacrificio Christianorum. Cap. 24.

ITa Christiani legale sacrificium offerunt, dum decimas rerum suarum Deo dant: Voluntarium offerunt, dum de rebus suis Deo seruientibus aliquid cõferunt: Pro peccato dũ offerunt pœnitentia iniuncta, sacerdotibus vel religiosis, vel indigẽtibus aliquid impendunt: Pro gratiarum actione offerũt, dum pro dignitate, vel pro aliqua collata gratia, Deo quicquid offerunt: Dona offerunt, dum in ædificia Ecclesiarum, vel in ornatus earum aliquid cõferunt: Vota offerunt, dum in bello, vel naufragio, vel aliquo periculo positi, aliquid vouent, quod liberati Deo & sanctis offerunt: Holocausta offerunt, qui sæculum relinquunt, & omnia sua vel indigentibus tribuunt, vel Monachis cõferunt. Hæc sacrificia populi offerunt. Sacerdotes autem & ministri Christo instituente, panem & vinum offerunt.

* Sacramento. Panis Azymus typus Christi. Psal. 77. Ioan. 12.

De * Sacrificio Panis. Cap. 25.

HOc Sacramẽtum ideò ex pane fit, quia Christus se panem viuum astruxit, quem scriptura panem angelorũ præ dixit, Qui panis sit absque fermẽto, quia Christus fuit sine peccato. Ideò autem panis ex frumento fit, quia Christus se granum frumenti asseruit, Granum autem per trituram de theca sua excutitur, arefactum duobus molæ lapidibus molitur. Farina cribrata, aqua cõspersa compastinatur, panis formatus in Clibano coctus, in candorem mutatur: Ita Christus nobile granum, cum gladiis & fustibus, de comitatu sanctorum Apostolorum, per Iudæos, quasi de theca sua excutitur: contumeliis & opprobriis arefactus, à Iudæis & gentibus, quasi duobus lapidibus, flagellis atteritur, cribratus, conspersus compastinatur, dum à suis separatus, sanguine proprio perfusus, cruci compingebatur, in qua quasi panis in igne passionis excoctus, in immortalitatem mutabatur.

Panis figura est corporis Ecclesiæ.

Significatio de pane. Cap. 26.

IDeo corpus Christi etiam de pane fit, qui ex multis granis conficitur, quia Ecclesia corpus Christi per illud reficitur, quæ ex multis electis colligitur. Quę grana, scilicet electi, flagello prædicationis de theca veteris vitæ excutiuntur, pœnitentia arefacti, quasi duobus lapidibus moliuntur, dum duabus legibus in scrutinio minutatim imbuuntur, cribrati, conspersi compastinantur, dum ab infidelibus segregantur aqua Baptismatis renãti, vinculo charitatis per Spiritum sanctum in fide copulantur, vt panis in Clibano excocti, in candorẽ mutantur, dum in camino tribulationis examinantur, ad imaginem Dei reformãtur. Talimodo panis effecti de pane Christi reficiuntur, & inde in æternum non moriuntur.

* Sacramento. Ioan. 15. Mysterium vini.

De * Sacrificio vini. Cap. 27.

IDeo verò hoc Sacramentum de vino fit, quia Christus se vitem dixit, & scriptura eum vinum iocunditatis asseruit. Vua autem in prælo duobus lignis expressa, in vinum liquatur, & Christus duobus lignis crucis pressus, sanguis eius in potum fidelibus fundebatur. Ideo etiam sangnis Christi de vino conficitur, quod de multis acinis exprimitur, quia per illum corpus Christi Ecclesia recreatur, quæ de multis iustis congregatur. Hæc præsuris mundi quasi in torculari calcatur, & Christo per passiones incorporatur.

Universidad de Deusto Biblioteca

*Sacramento Ioan. 19. Apoc. 17. Cur aqua vino admiscetur.

*De Sacrificio Aquæ. Cap. 28.

IDeo autem hoc sacramentum de aqua fit, quia aqua de latere Christi exiuit, & Ioannes, Angelus aquas populos esse retulit Et ideo aqua vino admiscetur, quia populus sanguine Christi redemptus, per aquam baptismatis & per pastū huius cibi, & potū huius vini, Christo counitur. Panis autem hic in carnē conuertitur, quia Christus paschalis agnus pro nobis occiditur, & caro nostra à morte redimitur. Vinum in sanguinē transit, quia Christus sanguinem fundens, pro nobis animā suā posuit, & animam nostram (quæ in sanguine habitat) à peccatis expiauit. Sine aqua autem hoc Sacramentum non conficitur, quia solius populi causa hoc mysterium agitur, qui & eo quotidie reficitur.

De forma panis in Eucaristia. Cap. 29.

PAnis vero ideò in modum denarii formatur, quia panis vitæ Christus pro denariorum numero tradebatur, qui verus denarius in vinea laborantibus in præmio dabitur. Ideo imago Domini cum literis in hoc pane exprimitur, quia & in denario imago & nomen Imperatoris scribitur, & per hunc panem imago Dei in nobis reparatur, & nomen nostrum in libro vitæ notatur.

Cur quotidie Missa celebratur. Cap. 30.

Tres causę huius quotidiani sacrificij.

ET cum Christus semel sua morte credentes redemerit, hoc tamen Sacramentū quotidiè ob tres causas Ecclesia necessariò repetit. Vna est causa, vt in vinea laborātes quotidie eo reficiantur, Alia, vt hi, qui numero fidelium quotidie associantur, per illud Christo incorporētur. Tertia, vt memoria passionis Christi quotidie mentibus fidelium ad imitationem inculcetur. Tali autem offertur ordine.

De Subdiaconis. Cap. 31,

Subdiaconus typum Christi gerit.

SVbdiaconus calicem in siniſtra, patenam in dextera desuper corporale portat, quia Subdiaconus in hoc loco, Christum calix passionem, siniſtra præsentem vitam, patena crucem, dextera æternam vitam, corporale Ecclesiam significat: Et Christus calicem in præsenti vita passionis bibit, quem prius à se transferri patrem petiit. Per crucem autē gloriam patris intrauit, cuius passionem Ecclesia imitari non desinit. Corporale multo labore candidatur, & Ecclesia per multas tribulationes Christo conformatur. Subdiaconus noster Christus, quasi patenam cū calice portauit, quando crucem ad passionē baiulauit.

De Cantore. Cap. 32

Duo cantores cum vino & a-

VNus Cātor vinum cum Ampulla offert, alter aquam vino admiscendam. Quivinum offert, significat Ecclesiam de A Iudæis, quæ legis ritum in Christi sacrificium commutauit. Qui aquam offert, Ecclesiam de gentibus, quæ populum gentilem Christo sacrificauit. Hi etiam duo typum Enoch & Heliæ præferunt: qui Iudaicum populum Christo in sacrificium oblaturi sunt. Oblata non nudis manibus, sed fanonibus multo labore candidis offertur, qui carnem suam vitiis & concupiscentiis crucifigunt, dignè susciputur. Ampulla in qua vinum offertur, significat nostram deuotionem, quæ in vasculo cordis portatur. Archidiaconus ad vltimum aquam in calicem fundēs episcopo offert, quia Christus, quem Diaconus hic significat, Ecclesiam sibi in passione miscuit, Patri in cruce obtulit: & in vltimo corpus capiti consociabit, cum regnum Deo & patri tradiderit.

qua Enoch & Heliam referunt. Apoc. 11.

De Oratione Sacerdotis.

Post acceptum sacrificium, Episcopus se inclinans coram altari, oratione, Suscipe sancta Trinitas, dicit: quia Christus ad pedes discipulorum se inclinans post traditum Sacramentū in cœna, ante mensam stans, orationem ad patrē fecit. Deinde, Orate, dicit: quia Christus orare Apostolos monuit. Dehinc orationem super oblatam secreto dicit, quia Christus in monte oliueti secreto prolixius orauit, cum ei Angelus confortans apparuit. Spacium silentii post offertorium, illud tempus significat, quo Christus ante passionem in Hierusalem latebat velut paschalis agnus, quem Iudæi reclusū luna xiiii. immolabant.

1. cor. 15 Verba minoris canonis in Missa. Lucę 22. Spacium silentij.

De Secreta. Cap. 33.

COmposito sacrificio, sacerdos orationē sub silentio recitat, quia idem sacrificiū in sacrificio patrum absconditum latebat. In agno quippe Abel delitescebat, in ariete Abrahæ pro Isaac se occultauerat: In agno Paschali, in vitula rufa, in hirco emissario se celauerat. Tunc Pontifex offert pro populo sacrificium, quia Christus pro Ecclesia obtulit semet ipsum. Tunc sacrificiū thurificatur, quia Christus odor suauitatis pro nobis oblatus, à Deo acceptatur.

De Præfatione. Cap. 34.

SEquitur in prefatione sacrificium angelorum, qui huic sacrificio interesse in tempore creduntur. Summo enim Imperatori vt milites assistūt, & laudes suo regi concinūt. Per ter autem tria distincti, Trinitatem sacrificio laudis honorificant, & hostiam iubilationis iugiter imitati immolant: Ideo etiam hoc sacerdos alta voce cantat, quia sacrificium Angelorum, quod est laus, repræsentat.

Genes. 4. 21 Nume. 19. Leuit. 16.

De sacrificio Angelorum. Cap 35.

Cōcentus angelorū.

ANgeli itaque & Archangeli maiestatem Dei laudant, dominationes adorant, potestates & Principatus admirando

mirando tremunt: Cæli, id est, Throni & Virtutes iubilant: Cherubin & Seraphin dulciter concelebrant. Hoc sacrificium concentus Angelorum, Dauid & Salomon sunt imitati, qui instituerunt hymnos in sacrificio Domini organis & aliis musicis instrumentis concrepari, & à populo laudes conclamari. Vnde solemus nos adhuc in officio sacrificii organis concrepare, clerus cantare, populus conclamare. Sacrificium itaque laudis Angeli immolant, dum Sanctus, Sanctus, Sanctus consonant. Ter, sanctus repetitur, quia Trinitas collaudatur. Dominus Deus, semel dicitur, quia vnitas veneratur. Sacrificio Angelorum coniungitur sacrificium spiritū iustorum, qui Christi humanitatem adorant, & pro humani generis redemptione cantant: Benedictus, qui venit in nomine Domini. Hic hymnus partim ab Angelis, partim ab hominibus concinitur, quod per Christum immolatum humanum genus Angelis coiungitur. Laus quippe Angelorum est, Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus Sabbaoth: Pleni sunt cæli & terra gloria tua Osanna in excelsis. Laus verò hominum est: Benedictus qui venit in nomine Domini Osanna in excelsis. In hoc cantu se signant, quia signum Christi, cui contradicitur, se recipere designant.

Sacrificiū laudis, ab Angelis & spiritibus iustorum.

De Quatuor ordinibus. Cap. 36.

NOtandtm, quòd primo loco masculi offerunt, quia primo tempore Patriarchæ suo sacrificio hoc sacrificium prætulerunt. Secundo loco fœminæ offerunt, quia secundo tempore Iudæi legalibus sacrificiis hoc sacrificium præmonstrauerunt. Tertio loco sacerdotes & ministri offerunt, quia tertio tempore Apostoli ipsum sacrificium exceperunt, & hoc fideles docuerunt, qui quotidie septem suprascripta sacrificia offerunt. Quarto loco Angeli sacrificium laudis offerunt, quia post hanc vitam Angeli cum beatis hominibus in sæculum sæculi Deum laudabunt.

Quid offerunt Angeli.

De quinto officio & Christi pugna. Cap. 37.

Orare extensis manibus. Exod. 17.

QVintum officium alis Cherubin velatur, in quo summi Pontificis hostia, & regis gloriæ pugna repræsentatur. Hoc Moyses præfigurabat, quando in monte extensis manibus orabat, dum Iosue (qui & Iesus) cum Amalech pugnabat, deuicti regnum vastabat, ac populum cum victoriæ lætitia reducebat. Sic Christus in monte crucis, extensis manibus pro populo non credente & contradicente orauit, & verus dux cum Amalech, id est, cum diabolo, vexillo sanctæ crucis pugnauit, deuicti regnū vastauit, dum infernum, superato maligno hoste spoliauit, populum de tenebris ereptum cum gloria victoriæ ad cęlestia reuocauit. Hoc totum Episcopus imaginatur, & quasi Tragicis gestibus exprimere conatur. Christum nanque in cruce fixum repræsentat, dum expansis manibus Canonem recitat. Quasi cum Amalech pugnat, dum contra diabolum Christi passionem cum signis crucis simulat. Ministri autem quasi acies pugnantium vtrinque ordinantur, dum diaconi retro Episcopum, subdiaconi retro altare locantur. Exercitus cum triumpho regreditur, quia populus percepta communione ad propria cum gaudio reuertitur.

Similitudo pugnę.

De Passione Christi. Cap. 38.

Cœnaculum vltimæ cœnæ.

IN hoc officio agitur Christi passio. Sanctuarium itaque, est cœnaculum grande stratum in hospitio Ioseph de Arimathia, quo duos homo cum lagena duxit, in quo Christus vespere cum duodecim recumbens, corpus suum tradidit. Altare crux intelligitur, in quod corporale, in forma corporis Christi, super crucem chrismatis distenditur. Corporale de puro lino terræ conficitur, & cum multo labore in candorem vertitur, & Christi corpus de munda virgine nascitur, & per multas passiones in candorem resurrectionis redditur. Corporale complicatur, nec initium nec finis eius apparet, quia Christi diuinitas initio caret, & finem non habet, Super quod oblata ponitur, quia caro à diuinitate susceptа, in cruce affigitur, Calix cum vino & aqua in dextera locatur, quia sanguis cum aqua de latere Christi manasse prædicatur. Cum sacerdos, Hanc igitur oblationem, dicit, se vsque ad altare inclinet, quia ibi passio Christi inchoatur, qui se vsque ad aram crucis obediens patri pro nobis inclinauerat. Deinde oblata vel calix in manu sacerdotis exaltatur, quia Christus pro salute nostra in cruce leuatur, & sanguis eius in redemptionem nostri immolatur. Interim diaconi retro Episcopum stantes, figuram Apostolorum gerunt, qui in passione Domini eo relicto fugerunt. Subdiaconi verò retro altare stantes, contra Episcopum aspiciunt, mulieres & notas Iesu præferunt, quæ à longe stantes eius passionem viderunt. Ante altare sacerdos se inclinat, cum, Supplices rogamus, dicit, quia ibi passio Christi finit, & Christus inclinato capite spiritum emisit. Infra Canonem Diaconus manus lauat, quia Pilatus in passione Domini manus lauabat, dum se sic mundum à sanguine eius, quam manus ab sorde proclamabat. Sacerdos vocem leuat, dum Nobis quoque peccatoribus, dicit: designans, quòd Ecclesia de latere Christi iam formata, in confessione Redemptoris erupit, dum per vocem Centurionis sic clamauit. Vere filius Dei erat iste.

Quid Diaconi & subdiaconi repręsentāt.

Matth. 27.

De Ioseph. Cap. 39.

DIcente sacerdote, Per omnia sæcula sæculorum, Diaconus venit coram eo, calicem sustollit, cum fanone partem eius cooperit, in altari reponit, & cum corporali cooperit: præferens Ioseph ab Arimathia, qui

Chri-

Universidad de Deusto
Biblioteca

Christi corpus deposuit, faciem eius sudario A
cooperuit, in monumento deposuit, lapide cooperuit. Hic oblata & calix cũ corporali cooperitur, quod syndonẽ mundam significat, in quam corpus Christi Ioseph inuoluebat. Calix hic sepulchrum, patena lapidem designat, qui sepulchrum clauserat. Tres articuli, scilicet, Oremus Præceptis, & Pater noster, & Libera nos quesumus, tres dies significat, quibus Christus in monumento quiescebat.

De Nicodemo. Cap. 40.

Patena in soluta. A Colytus infra Canonem patenam inuolutam tenet, quam hic Subdiacono desert, Subdiaconus Archidiacono præbet, quam ipse osculatam vni de Diaconibus ad tenendam, & corpus Domini in ea confrin B
gendum porrigit. Acolytus, qui patenam tenuit, formam Nicodemi gerit, qui Myrrham & Aloen ad sepulturam Domini attulit. Porro Subdiaconus & Archidiaconus cum alio Diacono patenam tenenti, tres Marias præferunt, quæ cum aromatibus ad monumentum venerunt. Dum septem petitiones in oratione Dominica dicuntur, Diaconi inclinati stant, communione confirmari expectant, quia Apo C
stoli septẽ hebdomadas post mortẽ Christi firmari à Spiritu sancto expectabant. Subdiaconi autem interim quiescunt, quia mulieres in Sabbato, qui septimus dies est, siluerunt.

Tres Mariæ circa sepulchrũ. Act. 2.

De Cruce. Cap. 41.

Mysteriũ in numeris crucũ. HOc Sacramentum tantùm per crucem fit, quia Christus sacrificium Patris in cruce pependit, & in cruce quadruplum mundum redemit. Sex autẽ ordines crucum fiunt, quia sex diebus mundus perficitur. Senario numero corpus Christi conficitur. Per imparem verò numerum (qui in duo paria non potest D
diuidi) benedicitur, quia corpus Christi vnum permanens non finditur. Aut enim tres cruces facimus, & fidem Thinitatis exprimimus; aut per quinque signamus, & quinque partitam Christi passionem denotamus. Per sex crucum ordines cuncta mundi tempora comprehendimus, quæ per crucem Christo vnita exprimimus.

De Primo ordine crucum. cap. 42.

Tria interstitia temporis ante legem. IN primo ordine tres cruces facimus, vbi hęc dona dicimus, & primum tempus ante legem innuimus, quod tribus interstitiis distinE
guimus, quia vnum ab Adam vsque ad Noe, aliud à Noe vsque ad Abraham, tertium ab Abraham vsque ad Moysen, distendimus; In quibus iusti in fide Trinitatis Christum à longe suis sacrificiis salutauerunt, & multos cruciatus in hac vita pertulerant. In prima quippe ętate Abel Christum in agno obtulit, & pro eo cruciatum mortis pertulit. In secunda, Melchisedech Christi carnem & sanguinem in pane & vino obtulit, qui cruciatus bellorum à regibus gentium, in fide Christi pertulit. In tertia Abraham, Christum in Isaac sacrificauit, in ariete mactauit, quo varios cruciatus in hac fide tolerauit.

De Secundo. Cap. 43.

Quinque cruces tẽpus sublege designant. DE secundo ordine quinque cruces facimus, vbi benedictam, adscriptam, dicimus, & tempus legis exprimimus, quo iusti per quinque librorũ legis sacrificia Christum expresserunt, & multos cruciatus pro eius fide pertulerunt. Quinque nanque in duas partes, scilicet in ternarium numerum, & binarium soluitur, & illud tempus in duo interstitia diuiditur: Vnum à Moyse vsque ad Dauid fuit, Alterum à Dauid vsque ad Christum extitit. Per ternarium iudices, à Iosue vsque ad Dauid, & Reges à Dauid vsque ad captiuitatem Babylonis, & Principes à Zorobabel vsque ad Christum notantur. Per binarium verò sacerdotes & Prophetæ significantur. Ex quibus Moyses Christum in paschali agno immolauit, qui à populo multa aduersa pro fide Christi tolerauit, quem lege prædicauit. Samuel Christum in Dauid vnxit, qui vterque Christum & sacrificiis expresit, & in figuram Christi persecutionem à perfido Rege Saul pertulit. Helias & alii Prophetæ Christum sacrificiis, scriptis, vocibus præmonstrauerunt, & pro eius fide varia supplicia perpessi sunt.

De Tertio. Cap. 44.

Consecratio panis, & vini. IN tertio ordine panem in manum suscipimus, & benedicimus, & tempus gratiæ innotescimus, quo Simeon iam Christum natum panem viuum in manus accepit, & gaudens benedixit. Deinde calicem leuamus & benedicimus, & tempus cœnæ exprimimus, quo Christus panem & calicem manibus eleuauit, & benedixit, & inde corpus & sanguinem Apostolis tradidit. Vnde adhuc, cum verba Domini in hoc ordine recitantur, panis & vinum in corpus Domini commutantur.

De Quarto. Cap. 45.

IN Quarto ordine quinque cruces facimus, vbi hostiã dicimus, & illud tẽpus ad memoriam reducimus, quo Christus quinque vulnera in cruce accepit, & quinque sæcula redemit.

De Quinto. Cap. 46.

IN Quinto ordine tres cruces facimus, vbi, Omnia bona creas, sanctificas, dicimus, & corpus Christi, scilicet primitiuam Ecclesiã innuimus, quæ fidem Trinitatis excepit, & multos cruciatus pro Christo sustinuit.

De Sexto. Cap. 47.

IN Sexto ordine quinque cruces facimus, vbi, Per ipsum, dicimus, & item corpus Christi, videlicet Ecclesiam degentibus, exprimimus, quę Christi quinque partitam passionem vene-

veneranter excepit, & eam imitando patien- A
ter diuersa tormenta pertulit.

De quinque ordinibus crucum. Cap. 48.

Cruces cũ oblata super calicẽ. ITem per quinque ordines crucum, quinque ætates mundi designantur, quæ per crucem & Christi corpus saluantur. Vnde & in Canone quinquies per Christum Dominum nostrũ dicitur, quia per quinque vulnera Christi mũdus redimitur. In sexto ordine calix cum oblata tangitur, quia Christus in sexta ætate calicem passionis in cruce pro omnibus bibisse innuitur. Cum Per ipsum, dicimus, quatuor B
cruces super calicem cũ oblata facimus, quintam lateri calicis imprimimus, Quia Christũ quatuor vulnera in manibus & in pedibus, & quintum in latere suscepisse innotescimus. Confecto Christi corpore, labia calicis tangimus, ac per hoc, quod formato primi hominis corpore, Deus spiraculum vitæ in faciem eius spirauit, & mulierem ex eo viuificauit, significamus. Et vbi dicimus, Per quem, cum quo, & in quo omnia, in faciem mortui humani generis Spiritum sanctum spirauit, & ex eo Ecclesiam per corpus suum viuificauit. Per quatuor autem partes calix tangitur, quia hu C
manum genus in quatuor mundi dispersum partes, per quatuor partes crucis viuificatum, in fine mundi per Christũ ad vitã resuscitatur.

De numero signorum. Cap. 49.

xxiij. signa crucis in canone fiũt. NOtandum, quòd per totum Canonem xxiii. signa fiunt, quia in veteri Testamẽto iusti sub decalogo legis, & in nouo Testamento iusti per decalogũ legis in fide Trinitatis, huius Sacramenti participes existunt. Tribus autem digitis signa facimus, quia Trinitatem exprimimus. Quòd si viginti & tria triplicaueris, lxviiii. habebis. Profectò D
Liguæ 72. ad Christum sunt conuersæ. hoc significat, quod lxx. duæ linguæ, per superbiam dispersæ, per Christi humilitatem sunt in vnum congregatę: per crucem & passionem redẽptæ, per corpus & sanguinẽ eius counitæ.

De Septem Sacrificijs. Cap. 50.

IN Canone septem sacrificiorum actio commemoratur, quibus corpus Ecclesia capiti Christo copulatur. In primis sacrificium Innocentum, secundo Apostolorum & Martyrum, tertio Confessorum, quarto Religiosorum & continentium, quinto coniugatorum, sexto in Christo defunctorum, septimo in anima mor- E
tuorum, scilicet pœnitentium.

I. Te igitur vsque communicãtes, sacrificium innocentum notatur, qui se in Christi sacrificium obtulerunt, dum pro eo immolati sunt.

II. Communicantes vsque, Hanc igitur oblationem, sacrificium Apostolorum & Martyrum repræsentant, vbi & nomina illorum recitantur, qui se hostiam viuam Deo obtulerũt, dum

III. sanguinem suum pro eo fuderunt. Hanc igitur vsque, Quam oblationem, sacrificium confes- A
sorum commemoratur, qui ab hæreticis multa pericula perpessi sunt, & sacrificium laudis Christo iugiter obtulerunt. A Quam olationẽ, IIII.
vsque ad Supplices te rogamus, sacrificium religiosorum demonstratur, qui carnem suam cum vitiis & concupiscentiis crucifixerunt, & sic hostia Christi effecti sunt. A Supplices te ro V.
gamus, vsque Memento Domine, sacrificium coniugatorum declaratur, qui fide & eleemosynis Christi corporis participes efficiuntur. A Memẽto Domine, sacrificium defunctorum VI.
ostenditur, qui in confessione Christi migrauerunt, & fidelibus associati sunt. Sacerdos Christi mortem repræsentat, cum se ad Supplices te rogamus inclinat, & post eius mortẽ aptè commemoratio defunctorum agitur, qui pro eis mortuus creditur. A Nobis quoque VII.
peccatoribus, vsque in finem Canonis, sacrificium pœnitentium exprimitur: qui se lachrymis & pœnitentiæ doloribus Christo in sacrificium mactant, cum se animas suas peccatis occidisse doleant, vt in eo viuificentur, qui pro impiis mortuus prædicatur. Vnde & sacerdos ibi vocem exaltat, quia pœnitentes à vocis & cordis gemitu sæpius rugire cõstat, cum amaros singultus edunt: Hos Dominus expresit
cum Lazarum magna voce de monumento vo Ioan. 11.
cauit: In hoc etiam capitulo nomina Martyrum recitantur, quia pœnitentes variis cruciatibus macerantur. Per hæc septem sacrificia corpus Christi Ecclesia cõficitur, & capiti Christo coniungitur. Hoc per Dominicam oration em exprimitur, quæ septem petitionibus hæc sacrificia sequitur, quia per orationem & hoc singulare sacrificium, Ecclesia Christo counitur.

De quinque Orationibus. Cap. 51.

Quinque orationes in canone pro diuersis. ORatio autem Canonis ideo in quinque distinguitur, quia oratio fidelium per D
quinque partitam Christi passionẽ, tantum exauditur. In tribus locis pro prælatis & subiectis oramus, quia Ecclesiam in doctores, continentes, & coniugatos discernimus. Quarto loco pro defunctis offerimus. Quinto, pro pœnitentibus petimus. Primo loco pro Prælatis offerimus, vbi dicimus, In primis quæ tibi pro Ecclesia tua offerimus, & tunc Papam & Episcopum & Regem nominamus. Pro subiectis oramus, vbi, Memento Domine famulorum famularumque tuarum, recitamus, vbi & E
nominare possumus quos volumus. Secundo loco pro prælatis petimus, cum, Hanc igitur oblationem nostræ seruitutis, dicimus. Pro subiectis subiungimus, cum, Et cunctæ familiæ tuæ, dicimus. Tertio loco pro prælatis supplicamus, cum, Vnde memores nos tui serui recitamus. Pro subiectis poscimus, cum, Sed & plebs tua subiungimus. Pro defunctis sacrificamus, cum, Memento etiam Domine, dicimus, vbi etiam nomina eorum recitare possumus, Pro pœnitentibus offerimus, vbi Nobis

quoque

Universidad de Deusto
Biblioteca

quoque peccatoribus dicimus, Hæc omnia ideo in Canone commemorantur, quia cuncta in morte Redemptoris reconciliantur.

De Sexto officio & Benedictione Episcopi. Ca. 52.

Benedictio Episcopi ad populum.

SExtum officium, in quo Pontifex populum benedicit, Christi descensionem ad inferos exprimit. Huius rei figuram Moyses gessit, quando moriturus filiis Israel benedixit, eductosque de Aegypto in patriam introduci per Iesum Naue, qui Iosue, iussit.

Deut. 33.

Hoc etiam Iacob moriens expressit, qui filios suos benedixit, & eis de futura hereditate multa prædixit. Has vtrasque benedictiones Christus compleuit, cum moriens ad inferos descendit, populum sedentem in tenebis visitando beuedixit, de carcere eductos cœlesti patriæ induxit. Quod Episcopus ostendit, dum populum benedicit, moxque eum spiritali cibo reficit.

Gen. 49.

Forma benedicēdi.

Notandum autem, quòd semper ternis capitulis benedicit, & omnes, quarto scilicet, Quod ipse præstare dignetur, confirmabit. Quinto verò reliquas per benedictio Dei Patris conclud t, quia nimirum Deus tribus vicibus huic mundo benedixit, quarta reliquas firmauit, quinta benedictione hæreditatis possessionem dabit. Primò, primis hominibus benedixit, dum eos crescere & multiplicari præcepit. Secundò, hominibus benedixit, dum mundo diluuio deleto Noe & suos posteros crescere & multiplicari iussit. Tertio, per Abraham Deus mundo benedixit, cum ei in benedictione Christum repromisit. Quartò, mundo benedixit, dum filium suum nobis benedicentem misit, qui cælos ascensurus suis benedixit, per Spiritum sanctum reliquas firmauit. Quintò, mundo benedicet, dum patriā intraturus, vltimam benedictionem sic complebit; Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum.

Genes. 1.

Genes. 9.

Genes. 15.

Lucę vlt.

Matt. 25.

De Septimo officio Cap. 53.

Pacis annunciatio per mortē Christi allata.

SEptimum officium Dominicam resurrectionem insinuat: quando, deuicta morte, & spoliato inferno, pacem omni mundo dabat, quia iam omnia in cælis & in terris pacificauerat. Et cum suis discipulis comedit, eisque reliquias dedit. Sic Pontifex, diabolo per spirituale bellum superato, Pax vobiscum, dicit, pacem astantibus porrigit, panem cælestem distribuit. Hoc Iesus (qui & Iosue) figuraliter prætulit, cum introducto populo ac superatis hostibus, terram sorte distribuit. Pontifex partem oblatæ in calicem mittit, designans, quod anima Christi ad corpus rediit. Deinde, Pax Domini vobiscum, dicit.

Lucæ 24.

De Pacis osculo. Cap. 54.

Osculum pacis ex triplici causa.

QVia Christus suis apparens, Pax vobis, dixit. Panem porrigit, quia Christus pacem amissam humano generi resurgens reddidit. Propter tres causas pacis osculum datur. Ob vnam causam clerus populusque se inuicem osculātur, quia homines Domini sui gratiam, Angelorumque amicitiam per Christum, qui est pax nostra, se promeruisse gratulantur. Alia est causa, quod se per pacis osculum fratres in Christo, Dei patris & Ecclesiæ matris filios per Christi reconciliationem demonstrant, atque vno pane Christi (qui est Deus pacis, concordiæ & dilectionis) refici desiderant. Tertia causa est, quòd sicut in osculo caro carni, spiritus spiritui coniungitur: ita omnis homo in necessitate carnis, per dilectionem proximi, in necessitate * per dilectionem Dei diligi præcipitur. Qui non tali pacis osculo fœderati, corpus Christi comedunt, vt Iudas, iudicium sibi per falsam pacem sumunt.

Ephes. 2.

* adde spiritus

*De fractione * oblatæ Cap. 55.* *panis.

OBlata frangitur, quia panis Angelorum verus in cruce frangitur, vt fractio peccatorum nostrorum per comestionem ipsius reintegretur. Papa oblatam non frangit, sed partem ex ea mordet, reliquam in calicem mittit: quia Chrlstus infernum momordit, & inde sumptos in Paradisum misit. Diaconus calicem tenet dum Papa sanguinem sumit, significans Angelum qui Christo surgente, lapidem de monumento tulit. Communicato sacerdote, mox calix de altari tollitur, quia Christus resurgens vltra non moritur; & corpus eius in sepulchro non inuenitur. Diaconus sanguinem distribuit: quia Angelus resurrectionem Domini innotuit. Subdiaconus corpus Domini accipit à Diacono, & fert presbyteris frangendum populo, designans, quòd mulieres verba de resurrectione Christi ab Angelo perceperunt, & Apostolis detulerunt, ipsiq; omni populo prædicando distribuerunt. Cum Apostolicus ab altari descendit, populus communicat, quia cum Christus ab ara crucis descendens, à morte resurgit populus æterna gloria participat. Episcopus oblatā frangit, quia Dominus panem in Emaus discIpulis fregit. In tres partes oblatam diuidit, sibi vna retenta, duas Diacono & Subdiacono tribuit, quia Dominus fracto pane vnam partem sibi, duas Cleophæ & Lucæ diuisit.

Nota

Distributio corporis, & sanguinis Christi.

Episcopus oblatā in tres partes frāgit. Lucæ 24.

De tribus partibus oblatæ. Cap. 56.

OBlata non integra sumitur, sed in tria diuiditur, vnum in calicem mittitur, aliud à sacerdote consumitur, tertium in pixidem morituris ad viaticum reponitur, quia corpus Domini est triforme: Illud quod de Maria ipsumptum, à morte resurgens, cælos penetrauit, & illud quod adhuc in electis laborat in terra, & illud quod in sepulchris iam pausat. Pars in calicem missa, est corpus Domini iam sumptum in gloria. Pars à sacerdote vel à populo comesta, est corpus Christi, id est, Ecclesia adhuc laborans in terra. Pars in Altari relicta, est corpus Domini in sepulchris quiescens, id est, Ecclesia in Christo mortua, per vnionem corporis Christi resurrectura.

Quid significantres partes oblatæ.

De tribus communicationibus. Cap. 57.

Lucę 24.

PRimitus Episcopus cōmunicat: quia Christus coram Apostolis partem piscis assati, & fauum mellis manducabat, reliquias eis dabat. Deinde ministri communicant, quia Dominus cum discipulis ad mare Tyberiadis procedebat. Post hoc populus communicat, quia Dominus ascensurus, cum multitudine discipulorum comedebat. Corporale plicatur, quia sudarium iuuolutū inuenitur. Agnus Dei & cantus in communione, significant lætitiam fidelium de resurrectione Christi. Oratio, quam postea Episcopus dicit, est benedictio, qua Dominus ascensurus fideles benedixit. Diaconus se ad populum vertit, Ite Missa est, dicit: significans Angelos, qui Apostolos alloquentes, eos abire iusserunt, atque eis Christum ad iudicium rediturum prædixerunt. Clerus Deo gratias respondet, & populus abit, quia credētes, visa ascensione Christi, gratias egerunt, In Hierusalem redierunt, in templo quotidie Deum benedixerunt. Benedictio, quem Papa vel sacerdos post Missam super populum facit, est spiritualis benedictio, quam Spiritus sanctus in die Pentecostes fidelibus attulit, quando credentes omni benedictione spirituali repleuit. Et illam vltimam benedictionem exprimit, per quam Ecclesia thalamum sponsi sui intrabit. His peractis Episcopus, ad propria regreditur, quia & Christus, legatione sua peracta, in gloriam Patris reuertitur: Sic Ecclesia omnibus adhuc agendis rite peractis, ab hoc exilio per Christum eripitur, & in cælestem Hierusalem inducetur. Corporale in altari remanet, quia mundicia castitatis in sacerdotibus permanere debet. Per altare quoque Christus, per corporale Ecclesia designatur, quæ hìc & in futuro perenniter in Christo permanere affirmatur.

Ioan. 21. Marc. vlt.

Act. 1.

Vltima sanctificantis Benedictio.

corporale cur remanet in altari.

De Dominico pane. Cap. 58.

Populus hodie non cōmunicat vt olim.

FErtur, quòd olim sacerdotes de singulis domibus vel familiis farinam accipiebant, quod adhuc Græci seruant, & inde Dominicum panem faciebant, quem pro populo offerebant, & huuc consecratum eis distribuebant. Nam singuli farinam offerētium Missæ interfuerunt, & pro his in Canone dicebatur: Et omnium circūstantium, qui tibi hoc sacrificium laudis offerunt. Postquam autem Ecclesia numero quidem augebatur, sed sanctitate minuebatur, propter carnales statutum est, vt qui possent, singulis Dominicis, vel in Dominica, vel summis festiuitatibus, vel ter in anno communicarent, ne ante cōfessionem & pœnitentiam pro aliquo crimine iudicium sibi sumerent. Et quia populo non communicante, non erat necesse, panem tam magnum

fieri, statutum est, eum in modum denarii formari: Et vt populus pro oblatione farinæ denarios offerret, pro quibus Dominū traditum recognosceret. Qui tamen denarii in vsū pauperum, qui membra sunt Christi, cederent, vel in aliquid quod ad hoc sacrificium pertinet.

Panis in modū denarii formatus.

De oratione super populum. Cap. 59.

STatutum quoque est, vt panis post Missam beneditceretur, & populo pro benedictione communionis partiretur, hocque Eulogia dicebatur. Sed quia hoc in Quadragesima fieri non licuit, orationem super populum dici Ecclesia statuit, vt per hanc particeps communionis sit.

De Processione publica. cap. 60.

Exitus Israel de Aegypto.

NVnc vt legentium vel vt audientium mentibus quiddam dulcedinis infundatur, aliquid de processione dicamus. In Missa quidem agebatur Christi pro nobis in mundum legatio: In processione agitur nostra ad patriam reuersio. Per processionis itaque solennitatem, imitatur Ecclesia populi Dei de Aegypto egredientis iocunditatem, Qui signis & prodigiis liberatus, ad montem Sinai peruenit, ibi accepta lege & facto tabernaculo, quasi quadam processione ad terram promissionis tetendit. Populus nanque armatus incedebat per Turmas, signa & vexilla anteferebant. Leuitæ tabernaculum gerebant, sacerdotes tubis clangebant. Arca fœderis à sacerdotibus portabatur, & Aaron summus sacerdos decoratus, & Moyses dux populi cum virga sequebatur. Ciuibus in via Amalech cum exercitu occurrit, iter armis obstruere voluit, Cum quo Iesus pugnans victor extitit, populo iter ad patriam aperuit. Qui Iesus nor mam nobis processionis dedit, qui cum Arca omnique populo Ierico circuiuit, sacerdotalis ordo tubis cecinit, populus clamore personuit, Ierico corruit, & victor populus regnum obtinuit. Populus à Pharaone per Moysen ereptus est, Christianus populus à diabolo per Christum redemptus. Tabulæ testamenti à monte accipiuntur, & libri Euangelii ab altari ad portandum sumuntur. Populus ibat armatus, quia populus Christianus vadit fide & baptismate signatus. Præ turmis illorum signa ferebantur, & ante nos cruces & vexilla portantur. Eos columna ignis præcesit, & nos candelæ lumen præcedit: Ille populus sanguine aspergebatur, Iste aqua benedicta aspergitur. Leuitæ tabernaculum fœderis portauerunt, & hìc Diaconi & Subdiaconi plenaria & capsas gerunt. Arca testamenti à sacerdotibus portabatur, hìc scrinium vel feretrum cum reliquiis à presbyteris portatur. Aaron summus sacerdos sequitur ornatus, & apud nos Episcopus, summus scilicet sacerdos, sequitur infulatus. Rex si adest cum sceptro rector populi, significat Moysen cum virga ductorem

Exod. 12.

Declaratio huius Typi in facto.

Universidad de Deusto
Biblioteca

ctorem populi. Si Rex non aderit, tunc Pontifex vtrunque exprimit: Moysen, baculum portando: Aaron, mitra caput velando. Clangor tubarum exprimitur per sonum campanarum. Cum ad aliam Ecclesiam processionem facimus, quasi ad terram repromissionis tendimus. Cum Ecclesiam cantantes intramus, quasi gaudentes ad patriam peruenimus. Cum circa Monasterium, scrinium vel feretrum cum cantu & compulsatione ferimus, quasi cum Arca Ierico, cum sono tubarum & clamore populi circuimus. Ierico coram nobis corruit, cum mundi concupiscentiæ in cordibus nostris aruerint. Ideo quippe crucem præcedentem sequimur, quia Christum crucifixum in omnibus sequi præcipimur. Et nullus ad eum peruenire poterit, nisi qui se mundo vitiis, & concupiscentiis crucifixerit. Dauid quoque & Salomon ad processionem nos informauerunt, qui Arcam Dei hymnis & canticis produxerunt: Et Dauid in tabernaculum. Salomon in templum sub alas Cherubin reposuerunt. Cum Ecclesiam cum scrinio intramus, quasi Arcam in templum cum gaudio portamus, & cum Christo atque Ecclesia, quod vtrunque Arca designat, cælestem aulam nos intraturos clamamus. Arca sub alas Cherubin ponitur, & à populo laus concinitur: quia Christi humanitas inter summos ordines Angelorum, Cherubin & Seraphin locabitur, & à turba Angelorum & hominũ perenni iubilo adorabitur.

Processionis exẽpla ex veteri Testamento.

Iosue. 6.

2. Reg. 6.

3. Reg. 8.

Missa quoque imitatur cuiusdam pugnæ conflictum, & victoriæ triumphum, qua hostis noster Amalech prosternitur, & via nobis ad patriam per Iesum panditur. Iesus quippe Imperator noster, cum diabolo pugnauit, & cælestem Rempublicam ab hostibus destructam, hominibus reparauit. Qui cum posset producere duodecim legiones Angelorum, velut septuagintaduo millia militum, instruxit tantum agmen duodecim Apostolorum, & expugnauit septuagintaduo genera linguarũ. Pontificis nanque & Cleri populique processio est quasi Imperatoris & cuiusdam exercitus ad bellum progressio. Hi cum subtus albis desuper cappis, vel aliis solennibus vestibus induuntur, quasi milites pugnaturi subtus loricis, desuper clypeis muniuntur. Cum de Choro exeunt, quasi de regia curia cunei prodeunt: Quasi Imperiale signum, & vexilla à signiferis anteferuntur: Cum ante nos Crux & vexilla geruntur, quasi duo exercitus sequuntur, dum hinc inde ordinatim cantantes gradiuntur. Inter quos vadunt Magistri, & præcentores, quasi cohortium ductores, ac belli incitatores. Sequuntur Priores, quasi exercitus duces atque agminum ordinatores. Procedit Pontifex cum baculo, quasi Imperator cum sceptro. Ante Pontificem portantur sancta, sicut ante Regem Imperialia.

Pugna spiritualis in Missa.

Ioan. 18.

Gemmæ animæ de antiquo ritu Missarum, finis.

MELCHIOR HITTORPIVS
BENEVOLO LECTORI.

QVEMADMODVM *quinondum editos hactenus auctores edere primùm, vel editos anteà castigare velit, multum præsidij & facilitatis ex Manuscriptis libris experitur, & quo plures ei offeruntur, eo etiam magis se adiuuari sentit, ità illud sine scriptorum librorum præsidio admodum tentabit infeliciter, & quo plures oblati fuerint, non solum plus ei laboris & temporis, dum vnum cum omnibus confert, est impendendum, verùm etiam multiplices per sæpe lectiones in quandam eum difficultatem conijciunt, dum quando tolerari plures videntur posse, quamnam potissimum sequatur & approbet, deliberare & dijudicare cogitur. Quod vtrunque ego in his auctoribus edendis, castigandisq; sum expertus, non solum ex libris manuscriptis, quamplurimum adiumenti, sed & laborem in conferendo immensum, atque in dijudicando non minorem difficultatem. Et laborem quidem in clarissimos, & hoc tempore vtilissimos scriptores, quia eo ipsi dignissimi esse videbantur, & edi eos præsens Ecclesiæ postulabat necessitas, sicut non inuitus impendi, ità pro meo ingenio atque iudicio, quod quàm sit exiguum & tenue, ego mihi sum conscius, vt veriorem, quaq; magis ad auctoris mentem accederet, lectionem eruerem atque approbarem, diligenter operam dedi. Ita quidem, vt parum nostris dandum coniecturis, nihilq; mihi iuris in ipsos auctores sumendum, nisi quantum mihi per Manuscriptos libros permitteretur, (eos enim religiosè, & vt alijs forte videri poterit, superstitiosè semper sum secutus) existimauerim. Atque vt huius nostri laboris ac diligentiæ aliquod extaret indicium, ex Isidoro qui cæteris antiquior, dignissimus est omnium qui manibus teratur, non omnes quidem locos, quos ad manuscriptorum quatuor codicum fidem emendauimus, sed aliquot tantummodo subijciemus ex his, qui dubitationem aliquam habere videbantur. Nam omnes notare, cum valde multi sint, nimis fuisset & mihi & tibi fortè molestum, deinde neque magnopere necessarium. At cum in*

his quos notauimus, & in pluribus quidem eorum non ſtatim appareret: quid potiſsimum ſequeremur, tuum vt tibi iudicium, beneuole lector, de his integrum conſtaret, nos operæprecium feciſſe, neque tibi ingratum hoc fore putauimus. In quibus minuta etiam quædam & non ſatis digna quæ notarentur ſi offendes, nè, rogo, diligentiam hanc meam mihi eſſe fraudi velis. Erat mihi deliberatum, in cæteris idem quoque facere, & quæ in eis emendaſſemus, variasq; lectiones etiam notare, niſi in quam hoc partem accepturus eſſes, dubitaſſemus. In Amalario autem tanta erat in quibuſdam capitibus diuerſitas, vt eam diſsimulare nequiuerim, nè ſi quis in exemplaria incidiſſet, quæ aliter quàm hìc excuſum eſt haberent, fraude noſtra hoc factum exiſtimari poſſet. Itaque eam quoque varietatem locis annotatis, & noſtram coniecturam, vnde tanta varietas ſit, ſubiecimus.

VARIAE

VARIAE LECTIONES EX ISIDORO ET AMALARIO

IN QVIBVS PRIMO PAGINAE, ſecundo Capita, tertio Columnæ, demum Lineæ INCIPIENTES AB INITIO CAPITIS, vel Columnarum, notantur.

PAGINA prima. in præfatione verſu tertio, in omnibus manuſcriptis libris erat, magiſterio: in impreſsis, magiſteriis.

Ibidem, linea 4. *vt quibus*, Manuſcripti ſicut etiam paulò poſt in prologo, vbi impreſsi vtrobique habent, *vt à quibus*.

Ibid. lin. 7. omnes MS. *de genere officiorum*: excuſi. *de origine & genere offi.*

Ibid. lin. 9. MS. *commentatum*. Exc. *commendatum*.

Ibid. col. 2. lin 26. MS. *eccleſiarum*: impreſsi, *eſcarum* manifeſto mendo legebant.

Pag. 2. cap. 1. col. 1. lin. 17. à principio capitis. in vno exemplorum ſic quoque optimè legebatur: [vel, quoniam Catholica, hoc eſt, generalis in ea doctrina eſt.] cætera autem cum impreſsis ſicut eſt excuſum.

Ibid. lin. 18. MS. *ad inſtructionem hominum de viſibilibus atque inuiſibilibus rebus*, impreſsi, *ad inſtitutionem hominum de viſibilibus rebus*.

Ibid. lin. 21. quod eſt in impreſsis, *trahit ad ſe*, in nullo erat MS. exẽplari. Sed & varia in illis erat lectio. Nam duo erant quæ legerent, *vel propter hominum omne genus ad pietatis ſubiectionem, tam principum, quàm etiam principatui ſubiectorum & idiotarum*. Tertium autem hoc modo, *vel propter omnium hominum genus ad pietatis ſubiectionem tam principum, quàm qui non principantur, hortatur, & idiotarum*. Quanuis autem vt minimum diſcederetur ab exemplaribus MS. talis lectio ex eis concinnari poterit, ſcilicet, *vel propter quod hominum omne genus ad pietatis ſubiectionem, tam principum quàm principatui ſubiectorum exhortatur*, vt omiſſo illo, *& idiotarum*, cui nihil eſt quod opponatur, ſicuti illa ſibi opponuntur, principum & principatui ſubiectorum, eius loco ſupponeremus, *exhortatur*, cum hoc verbum in vno etiam exemplorum ſit: tamen quando & nos à MS. exemplaribus ſic, quanuis minus diſcederemus, reliquimus priorem lectionem, & diuerſitatem ſimul cum noſtra coniectura annotandam duximus, ne quid temerè immutaſſe videremur. Quod verò in impreſsis ponitur, *oratorum & idiotarum*, id in nullo erat MS. itaque videtur eſſe idcirco adiectum *oratorum*, vt illi *idiotarum* opponatur, ſicut ſuperiora illa, *trahit ad ſe*, ad ſententiam perficiendam ſunt ſuperaddita.

Quæ ſequuntur, *vel propterea generaliter*, ſic rectè fortaſsis diſtinguas, *vel propterea generaliter, quòd curat omnium*. hoc etiam obiter notamus, hìc in impreſsis fuiſſe, *hominum*, pro quo ſubſtituimus, *omnium*.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Ibid. cap. 3. col. 1. lin. 2. à principio capitis legebatur antea, *& vtrorumque sexuum distinctis classibus se ac sororem præeuntem canere Deo in choris carmen triumphale perdocuit.* MS. vt est nunc excusum, habebant: in vno tamen, *præcinente* erat pro *præeunte*.

Ibidem. lin. 5. Tria MS. *Chorum autem ab imagine factum coronæ, & ex eo ita vocatum.* Quartum hoc modo, *Chorus autem ab imagine factæ coronæ, & ex eo ita vocatus. Vnde Ecclesiasticus liber*, &c.

Pag. 2. cap. 4. col. 2. lin. 4. à principio columnæ. post *honorificatus est*, quod erat in impressis. *Idem auctor in Deut. canticum præsagium futurorum conscripsit*, cum in nullo esset MS. librorum, cum quibus conueniebat prima Cochlæi editio, expunximus.

Ibid. lin. 6. *pro mysterio, ministerio* substituimus.

Pag. 3. cap. 9. vers. 7. à principio capitis. vel quomodo Dominum impetrarent, est in MS. libris.

Col. 2. cap. 11. Integrum hoc caput, & magnam sequentis capitis partem, nunc primùm ex MS. libris adiecimus: in capitis vero 11. penultimo versu, ea est varietas, quòd alia haberent *susciperent, &, vocarentur.* Deinde in vno hæc porrò erant adiecta: Sub veteri Testamento minoris culpæ erant peccata, quia in eo non ipsa veritas, sed vmbra veritatis aderat. Nam in Testamento nouo præceptis altioribus manifesta quædam, quæ in illo populo vmbram veritatis destruxerant, deserenda nobis præcipiuntur. Illic enim fornicatio & retributio iniuriæ permissa sunt, nec nocebant. In Testamento autem nouo, graui animaduersione damnantur, si committantur. Hæc, vt dixi, vnus habebat codex, tres reliqui non habebant.

Cap. 12. & 13. Triginta quinque lineæ huius quoque capitis in excusis hactenus libris desiderabantur, vsque ad hæc verba, in pag. 4. col. 1. lin. 22. *Quoniam septuagintaduæ linguæ erant.* Et quæ sunt à quarta item linea à fine capitis, pag. 5. col. 1. ab his verbis, *Iam tibi post, &c.* in eisdem non erant, quæ nobis MS. libri suppeditarunt, sicut ab initio sequentis, nimirum 13. capitis, col. 2. lin. 12. vsque ad verba: *Quæ in hac vita per vtrunque Testamentum.*

Pag. 5. col. 2. lin. 10. à principio columnæ. duplex est lectio: alii codices, *in spem futuri*, vt excudimus: alii, *in spe futura*, habent.

Pag. 5. col. 2. cap. 14. lin. 14. à principio capitis, impressi, *iubilamus*: in MS. adiicitur, *in altum*: vbi alii duo codices legunt, *in alto illo scilicet.* Porrò iidem legunt, *accendimus*, non *accendimur.*

& (licèt minuta hæc sint) *omnes sonitu* legunt, non *sono*. Vnum porrò etiam habet, *in uoce*: cætera tria, *in uocis*. Hæc est librorum in hoc capite diuersitas.

Pag. 5. col. 2. cap. 15. lin. 13. à principio capitis. quadruplex hic rursum lectio erat. & huiusmodi, vt tolerari omnes videantur posse. 1. *ut charitate reconciliati omnes inuicem dignè*, &c. 2. *ut charitate reconciliationis omnes inuicem dignè.* 3. *ut per charitatem reconciliationis inuicem dignè.* quarta, in excusis est exemplaribus. Nobis secunda & tertia nequaquàm displicet, vt respiciat ad eum Euangelii locum, quo iubemur reconciliari fratri, antequàm munus ad altare offeramus.

Pag. 6. col. 1. lin. 4. à principio columnæ, excusi, *corpori & sanguini*: MS. omnes, *corporis & sanguinis*: in quorum vno etiam erat, *conformetur*, non in contextu, sed per cuiusdam emendationem supra contextum. Quæ lectio si retineatur, fortè etiam legendum erit *conformatio* in præcedentibus. vt sacramenti conformationem, dixerit formationem, quæ scilicet oblatio corporis & sanguinis, quæ Deo offertur, sanctificata per Spiritum sanctum conformetur, hoc est, formetur, efficiatur. Quam ego loci huius esse sententiam dicerem, nisi obseruassem in Ordinis Romani libris, *confirmari* illic significare, distribuere aliis corpus & sanguinem Domini, facere alios participes seu communicare corpori, &c. vt mihi etiam hoc loco de ea distributione intelligi hic locus posse videatur. Duo quoque libri non habebant, *Deo.*

Ibid. col. 1. lin. 20. Excusi, *ad exemplum*: tres MS. *de exemplo.*

Ibid. cap. 16. col. 1. lin. 8. à principio capitis. Excusi, *Omnes enim errorum impietates, perfidiæque blasphemias*. omnes MS. *Omnes enim errores impietatum, perfidiæ, & blasphemias calcat.*

Est etiam in quibusdam, *in uniuersis Ecclesijs.*

Ibid. cap. 18. col. 2. lin. 18. à principio capitis. Hodie itaque fit à nobis.

lin. 20. in vespera.

lin. 21. oportebat adimplere, in oĩbus MS.

Pag. 7. lin. 32. col. 1. Eodem cap. à principio columnæ. ante hæc verba: *Qui enim manducauerit*, in vno codicum hæc interiiciuntur: Qui scelerate viuunt in Ecclesia, & communicare non desinunt, putantes se tali communione mundari, discant sibi.

Ibid. lib. 28. legebatur antea, *Cæterum si tanta sunt peccata, ut non excommunicandus*. Sed satis clarum est, legendum esse vt emendauimus. Et erant codices, in quibus excommunicatus legeretur, pro excommunicandus.

Ibid. lin. 39. * abstinens. * abstentus

Ibid. cap. 19. col. 2. lin. 7. à principio capitis. pro ratis, in aliis erat, satis, fortasse legendum est, statis. & in impresso interminata erat, sed MS. omnia, vt est nunc excusum, terminata: in quibusdam etiam legebatur ter derogata, & in alio additur, id est, deprecata. sed nõ videbatur nobis aliter legendum, quàm hactenus est excusum.

Ad finem

Ad finem huius capitis pag. 8. col. 1. fortè legendum, dialibusque officiis: vbi excusum est, mundialibusque. vt sibi opponantur, nocturnis & dialibus.

Pag. 8. cap 20. col. 1. lin. 13. à principio capitis. vt tempus ipsum sacrificii vespertinum ostenderet sæculi finem.

Ibid. cap. 23. col. 2. Integrum hoc caput nunc addidimus. & partem aliquam sequentis capitis vsque ad lin. 16. pag. 9. col. 1. s. Sabbatum autem.

Pag. 9. cap. 25. col. 2. lin. 1. columnæ. pro imperio, in vno codice scriptum erat, gremio: sed per emendationem cuiusdam inter lineas, fortasis non male.

Ibid. lin. 13. vt carnem indueret, lin. 15. in hominem venit.

Ibid. lin. 26. & aduentus, & in alio, aduentu Dei facto ad homines.

Ibid. cap. 26. col. 2. lin. 7. à principio capitis. passuro, in omnibus erat MS. in impressis hactenus, homini purissimo.

Pag. 10. cap. 28. col. 1. lin. 14. à principio capitis. in tribus libris potissimum legebatur, non potentissimum.

Pag. 10. cap. 29. col. 2. lin. 2. à principio columnæ. per lignũ mysterii, in omnibus erat.

Ibid. lin. 49. passione crucis.

Pag. 11. cap. 30. col. 1. lin. 11. à principio capitis. alii habent post resurrectionem & statim post, ad illam carnis. quo loco in vno erat, ad illam vitam futuram.

Ibid. cap. 31. col. 2. lin. 10. à principio columnæ. Propter ipsum ergo initium datur. lin. 6. in tertia hebdomada Lunæ Pascha, in vno legitur. quæ statim post sequitur vox, *Dominicus*, in nullo erat.

Pag. 12. cap. 32. col. 1. lin. 15. à principio capitis. in duobus legebatur, perfectio.

Ibid. cap. 33. col. 1. lin. 16. à principio capitis. diffusus, in impresso erat: in alio quodam, diffusi. Sed tria legebant, diffusa.

Ibid. cap. 34. col. 2. lin. 7. à principio capitis. in nullo erat, offeramus.

Pag. 13. cap. 36. col. 2. lin. 29. à principio capitis. *delinitur* est in vno MS. in impressis hactenus, vt apparet per emendationem cuiusdam, *describitur*. & paulò post in quibusdam legitur, & quatuor temporum, anni circulus, vicibus variatur.

Pag. 14. cap. 38. col. 1. lin. 7. à principio capitis. in omnibus MS. erat exorationis, excusi, expiationis habebant. in fine capitis. in alio quodam legebatur, resurrectione reparatur: in impresso, superatur.

Ibid. cap. 39. col. 2. Caput hoc quoque ex MS. libris perfecimus, adiicientes ea quæ à linea quarta sunt vsque ad capitis finem.

Ibid. cap. 40. col. 2. Integrum hoc caput nunc quoque accessit, & sequens 41. caput. pag. 15. col. 1.

Pag. 15. cap. 42. col. 1. lin. 6. à principio capitis. nec Iudæis exultandum præbetur. in aliis exultando præstetur, in omnibus autem.

ibid. lin. 7. *fustulit*, pro quo in impressis, *sustinuit* habebatur.

Universidad de Deusto
Biblioteca

EX LIBRO II. VARIAE LECTIONES.

PAGINA 16. ca.2.col.1.lin.15. à principio capitis. tumidoq; gestu,omnia MS. habebant.

Ibidem. cap. 3. col. 2. à principio capitis. lin 4. quos sequuntur ignorantium turmæ, in quibusdam: in aliis, quod erat *lin. vltima* eiusdem capitis, pollet.

Ibidem. cap. 4. Ad finem huius capitis ex manuscriptis libris quædam adiecimus, quæ in impressis hactenus desiderabantur, nimirùm ab hoc loco, *Quæritur autem.* pag.17.col.1. lin.13.à principio columnæ. Sed tamen in quibusdam erat.

Pag.17. cap.5. col.1. Et huius cap. initium, vsque ad hæc verba: *Fuerunt enim filij Aaron.* lineas scilicet 26.qua ipsa linea in vno ante hæc verba, Fuerunt enim,interponebatur, sacerdotium regnumque Ecclesię in eis existimo figurari.

Pag. 18. col. 1. lin. 2. à principio columnæ, in impresso & vno ex manuscriptis est, supernus impletor.lin.26. hæc verba, Digamus autem &c.non erant in tribus codicibus,in quarto verò legebatur, Digamus autem aut fertur agere sacerdotium, vndè coniectura ductus legendum putaui, haud. cum legeretur anteà, Digamo enim aufertur sacerdotium. quæ lectio tolerari fortè posset.

Ibidem. col. 1. lin. 31. à principio columnæ authoritate. 33. vnus codex pro ac, habebat, aut.42. condunt,pro abscondunt,omnes.

Ibid. col. 2. lin. 5. defendendum legebatur in tribus MS. nos vnum secuti deferēdum scripsimus. lin. 11. à fine columnæ, reuincere excusi hactenus, repercutere habebāt scripti lib.

Pag.19. col. 1. lin.12. à principio columnæ. indagari,excusi,14.castitatis.24.in vno distributionem discreta, in alio distributione discretam, in impresso anteà, prouidentiam habere,& distributione discreta.

Ibid. cap. 6. col. 1. lin. 6. & 7. à principio capitis. vt excudimus, ita in quatuor codicibus nostris constanter legebatur. Vbi anteà hoc pacto, constituere lectores, subdiaconos ordinare non audeant,præter.

Ibid. cap.7.col.2.lin.10. à principio capitis. diuini, in omnibus & in vno confractione. lin. 13.Hæc sola. lin.31. Secundus enim primo conjunctus: scripti, vt nunc legitur

Pag.20. cap.8. col.1. vers.6. à fine columnæ. ne videant quæ videre non debent, & sumant quæ.

Ibid. cap. 10. col.2.lin.14. à principio capitis.vt quia ad sacra sunt mysteria deputati,ab omni carnali immundicia sint liberi. lin.penultima capitis,scyphum aquæ cum aqua manibus & manutergium accipiunt.

Pag. 21. cap. 11. col. 1. lib. 12. à principio columnæ,legebatur antcà,in quo maximè illa. & lin. 15. in contrariam recedunt sententiam, tres scripti libri legebant.

Ibid. lin. 28. notitiam artis Grammaticæ, quod erat in impressis, non erat in scriptis. lin. 34. neque commoto corpore. linea 40. vtrunque erat in MS.libris, & multum,& in tumultu, sed ex his alii exhaurire, alii exaurire habebant.

Ibid. cap.12. col.1. lin.14. à principio capitis, vt oblectamento dulcedinis. in vno erat exemplari, ex emendatione tamen cuiusdam. col.2.lin.2. à fine,gestu additum est ex fide triū librorum. Erat autem qui sic haberet, neque musicum gestum vel theatralem redoleat. lin, 7.fabarsi in duobus erat,in alio fabrii, in quarto fabari, & statim post. Veteres lamina pectori impositā,sub ea cantica exclamare alendis vocibus rationem demonstrauerunt. Sic in duobus erat codicibus: *exclamare* autem in omnibus erat, non exclamanda, & paulò post scientia Episcopi, non consentia Episcopi.

Cap. 13. lin. 14. sacra tecta, duo legebant codices.

Pag. 22. cap.15. col.2. lin.6. à principio columnæ. vitia solita. lin. 8. quam accusari.

lin. 38, voluntates.Pag. 23. col. 1. lin. 12. à principio columnæ, nusquam progrediuntur. linea 16. quæ sequuntur, nunc primùm adiecimus. lin. 29. Hi verò patres intellectu tolerantiam atque discretionem in signatis omnibus rebus. in alio, atque discretionem insinuantes insignis omnibus rebus, in tertio, insignantes omnibus &c.

lin.35. festinant cum properatione.

lin. 40. in consolatione, & in alio, in consultatione.

lin. 42. variam admodum hìc offendimus lectionem, quam notabimus, vt lectoris sit iudicium,num ex omnibus vnam eruerimus quę claram sententiam contineat. Duo habebant. *affectuq; animorum:* alii duo, *affectusq; animorum.* Iam in duobus rursum erat, *provt eos pro nocauerit:* in aliis, *vocauerit.Differentis,* in vno erat, quanquàm supra lineas notatum haberet *deseruientes,* quemadmodum duo item alii habebant:in quarto erat,*deferentes.* Nos differentis legendum putauimus, & subiunximus, *Oratio:* cum in omnibus legeretur, *oratione,* vel gemitu vel fletu significantes corpus. hoc loco erat distinctio, nos eam post significantes collocauimus, vt in vno etiam erat ex quatuor.

Pag. 23. cap. 16. col. 2. lin. 18. à principio capitis. *Pœnitentia autem* non mensium ac temporum cursu pensatur, sed pœna qua anima. Sic erat in tribus libris. & paulò post lin. 20,vbi in impresso est,qui pœnitentiam agunt: in aliis est, gerunt: in aliis egerunt.

Pag. 24. col. 1. lin. 33. à principio columnæ. Horum in impressis & duobus MS. legebatur: in aliis, Honorum, atque in illis talis erat lectio: Horum duntaxat dignitate seruata, ita vt à sacerdotibus & Leuitis Deo tantum testificata confessio, cæterorum verò adstante coram Deo solenniter sacerdote.

lin. 13. à fine columnæ. Veruntamen quantum (in alio, quanta) in peccando fuit ad malum abruptio mentis intentioni deuotio, tantum debet esse & in pœnitendo deuotio: in alio tamen erat, abrupta:in tertio,corruptæ. Quid si legatur. Veruntamen quanta in peccando fuit ad malum abruptio mentis:intentio deuotionis tanta debet esse, & in pœnitendo adflictio.

Col. 2. lin. 20. à principio culumnæ, in vno exemplari, confessio sperata erat loco huius vocis,Conuersio. Deinde statim post in altero quodam,Si incerta occupet mors,nequaquam subueniat pœnitentia. Erant quoque quæ legerent,quam:non autem,priusquam.

Cap. 17. col. 2. lin. 12. à principio capitis, sectatrices ad perpetuam continentiam.

lin. 34. à principio capitis, tempus in quo lectum est, & paulòante pro Nonne,Non,& sine interrogationis nota.

Pag.25. col.1. lin.3. à principio columnæ,in vno erat,coniugiorum habenis volentibus: in impresso antea legebatur, voluptatibus habenis.

col.2.lin.10.sequi vel audire valet:& aliter, sequi vel valet, vel audet,nisi.

Pag.26. cap.18. col.1. lin.16. à principio columnæ,inde sexui,in alio,exinde sensui renunciat. lin. 34. Nam solent ætates quæ corporis fluxere luxuria. lin.3.à fine columnæ, penitus confessionis legebatur anteà, quomodo etiam tres libri habebant: sed quartus, pœnituisse.

Cap.19. col.2 lin.8. à principio capitis,mulieris suæ pulsum. lin. 12. Ergo adiectum laborem,& legebatur antea expresserunt.

Pag. 27. col. 1. lin. 10. à principio columnæ, nubentibus vna vni viro tenenda sit, adhibentur pro nuptu. lin. 30. à Leuita legebatur in pluribus, sicut in hactenus excusis: etiam in vno tamen victæ,nescio,an vittæ:sed vittæ, magis mihi placebat.

lin.14. à fine,ne pluralitas amorem vnicum caperet. caperet autem, in omnibus erat MS. non carperet,vt habebant impressi.

lin.12. à fine, post manifestatam sanguinum maturitatem,vnus codex habebat.

Pag.28. cap.20. col.2. lin.1. columnæ. Sales autem in ministerio catechumenis dandos à patribus,ideò est institutum,vt eorum gustu.

Pag. 29. cap. 23. col. 1. lin. 12. à principio capitis,nascendo natū erat, in vno cæteri omnes nascendo procedere. & lin. 14. perfectum hominem vnus liber habebat: in reliquis non erat perfectum. & lin.21. humanamq; substantiam, & paulò post lin.22. quia nec geminauit vtriusque substantiæ integritate personam, nec confudit geminam vnitate personæ substantiam.

Col. 2. lin. 20. & 22. à principio columnæ. Magna hoc loco codicū erat varietas, vt quid mihi sequendum esset, statuere non potuerim.

I.Ideoq; & incorporea esse euidenter ostenditur, quæ ad imaginem Dei creata est, pietate morum.

II. Ideoque incorporea qui ad imaginem Dei creata.De pietate morum &c.

III. ostenditur: à quibusdam apprehendi & transferri potest,corporea esse nihilominus ostenditur.Ad imaginem aūt Dei creata est.

IIII. à quibus autem apprehendi,&c.

lin. 10. à fine secundæ columnæ. voluntatis indicio.

Pag. 30. cap. 24. col. 2. lin. vltima primæ columnæ, & prima linea secundæ colum. Itaq; baptismatis gemina figura est, habent tres libri,omisso illo,sanguis & aqua.

Cap. 26. Hìc à fine ea adiecimus ex libris scriptis, quibus Isidorus libellos suos velut epilogo concludit. Ex quibus satis constat,hic librorum Isidori finem esse,& si quid in impressis hactenus adiectum sit, ab aliis adiectū esse.

VARIAE

Universidad de Deusto
Biblioteca

VARIAE QVORVNDAM CAPITVM LECTIONES, EX AMALARIO

In diuersis exemplaribus repertæ.

Caput 15. libri primi, pag. 110. in vno exemplari, vt suo ordine excusum est, legebatur: in alijs tribus hoc modo:

POST præcipit ordo, vt presbyteri afferant corpus Domini, quod pridie remansit, & calicem cum vino non consecrato. Potest in eo calice, qui consumitur quinta feria, intelligi finis veteris legis: quem eodem die Dominus designauit per calicem datum discipulis secundum Lucam, priusquàm commendaret corpus suum. Quamuis & simpliciter possit intueri, vinum ideò non retineri, quia facilius labitur quàm panis. Hæc posita in altari, dicit sacerdos orationem Dominicam & sequentia eius, vsque, Per omnia sæcula sæculorum. Hoc peracto, assumit de sancto corpore, & ponit in calicem silendo. Pax Domini sit semper vobiscum, non dicitur: quia non sequuntur oscula circunstantium. Sanctificatur enim vinum non consecratum, per sanctificatum panem. Postea communicant omnes.

Huic adiungemus partem ex cap. 26. lib. 4. pag. 206. col. 1. à versu 7. à fine columnæ, scilicet: Simulque & docemur, quæ huius capitis pars de eadem re pertractat, de qua prius 15. lib. 1. Et erat in tribus exemplis vt sequitur.

Et dubitatio aufertur de die Parasceues, de qua aliqui dubitant, vtrum in ea consecretur corpus Domini, an non. In eadem die Apostolica recolitur consecratio, quæ tantum Dominicam orationem super corpus & sanguinem Domini dicebat. Igitur nisi esset admonitum ex Romano Ordine, vt reseruaretur corpus Domini à quinta feria vsque in sextam, non esset necessarium reseruari, quoniam sufficeret sola oratio Dominica ad consecrandum corpus, sicut sufficit ad consecrandum vinum & aquam. Quod enim Innocentius dicit, isto biduo sacramenta penitus non celebrari, intelligendum est, vt iuxta morem nostræ Ecclesie non celebrentur. Etiam lectiones quæ præcedunt ante passionem in Parasceue, Ecclesiæ primitiuæ consuetudo est, quæ non repellebat penitus Iudaicus mos, qui in suis sabbatis legebant vnam lectionem ex lege, & alteram ex Prophetis. Necnon & ex eo, vbi sanctus Gregorius dicit, alia quæ dici solent in quotidianis Missis, tacemus: tantummodo Kyrieeleison, & Christeeleison dicimus, possumus intelligere, quòd non Alleluia cantabatur apud illum per quotidianos dies in officio Missæ. Huius tantæ diuersitatis causa quæ esset, admiratus ego apud me sum aliquando, eamq; mihi inuenisse tandem videor, & nisi hæc sit, fateri sanè cogar, quænam ergo sit, non mihi liquere: Amalarium suos hos libros recognouisse, atq; alios qui nunc scripti extent, ex prima eius editione, alios ex eis, qui ab eo post recogniti sût, descriptos esse, indeque hanc diuersitatem in exemplaribus natam probabiliter saltem dici posse, nemo est qui inficiari possit. Idipsum autem si quibusdam coniecturis atque indiciis confirmetur, multo etiam fiet probabilius. Primùm satis constat atque ex ipso Amalario colligitur, post annum Domini 820. hos de diuinis officiis quatuor libros ipsum scripsisse, & postea sub annum Domini 831. Romam à Lodouico Pio Legatum esse profectum, ibiq; cum ab ipso Pontifice, tum à Romanæ Ecclesiæ Archidiacono, atque Magistris multâ, quæ ad diuina officia pertinebât, esse scisciatum, & quæ ab eis audiuisset, eorum multa in suum de ordine Antiphonarii librum, quê postquàm Roma est reuersus, conscripsit, retulisse. Vnde in eo sæpe inuenias, Rogaui Magistros Romanæ Ecclesiæ, Sciscitatus sum ab Archidiacono, interrogaui Apostolicum. Quæ legendi formula cum capite 15. libri primi etiam in illo exemplari reperiatur, vndè hoc caput suo loco & ordine descripsimus, in reliquis verò, ex quibus illud hoc loco descriptum exhibemus, non repe-

reperiatur: verisimile sane est, postquam Romam rerersus est, tum demum hoc ab eo caput mutatum, aliterque scriptum esse. Deinde vt hoc etiam fiat verisimilius, hoc ipsum exemplar præfationem illam alteram, quæ incipit, Postquam scripsi libellum, qui à paruitate mea vocatur de ecclesiastico officio, veni Romam, interrogauiq; ministros ecclesiæ sancti Petri, tantum habebat, cætera non habebant. Itaque cum hanc præfationem libris suis ante à se scriptis præponere se dicat, & in eodē exemplari capite 15. deinde scribat, (De qua obseruatione interrogaui Romanum Archidiaconum) quod non est in reliquis exemplis, in quibus non est quoque hęc præfatio: videtur sanè hinc colligi probabiliter posse, ex recognitione auctoris hanc varietatem esse, sicut ipsa præfatio postea adiecta est: Ipsumq; auctorem exactius aliquid cap. 15. libri primi quàm antea scripsisse, & cap. 25. libri quarti, eo quòd malè ante scripserat, omisso, alia postea substituisse. Nam animaduertit fortè quòd ex diui Gregorii verbis collegerat, per Dominicam orationem corpus Domini consecrari hoc se malè collegisse, cum hoc non dicat diuus Gregorius. Sed quæ eius verba sunt, quòd ad ipsam solummodo orationem Dominicam oblationis hostiam Apostoli consecrarint, non dubium quin per ipsa consecrationis verba, quæ Christi verba sunt, & quibus ipsa consecratio perficitur, Ad quam ipsos orationem Dominicam deinde adiecisse, diui Gregori sententia est. Porrò quòd cap. 15. libri primi, Qui in Parasceue vinum per commixtionem panis cōsecrant, eos contra Ecclesiæ traditionem & Innocentii Papæ decretū venire sentit, recte sentit: Sed quòd Ordini Romano hoc adscribat, quasi is hoc fieri mandet, non rectè: In quo verba hæc, Sanctificatur enim vinum non consecratum per sanctificatum panem, reperiuntur quidē, quomodo nos quoque illa in tribus Romani Ordinis libellis scripta legimus, & in lucem emisimus: sed non eo sensu quo Amalarius ea accipit accipienda esse, perspicuum ex ipso euadit ROM. Ordine. In quo cum feria V. in cœna Domini hæc verba habeantur, Pontifex veniens ad Altare diuidat oblatas, & sumat de ipsis oblatas integras ad seruandum vsque mane diei Parasceues, de quibus communicēt absq; sanguine Domini: Sanguis verò eadem die penitus consumatur: satis intelligitur, cum postea feria sexta Sanctificatur enim vinum non consecratum, per sanctificatum panem, dicat, non de consecratione hanc sanctificationem intelligendam, qua vinum in sanguinem Domini commutatur. Quippe, qui antea admonuerit communionem Parasceues fine sanguine Domini fieri. Quod obiter admonere volui, quia his Ordinis Romani verbis non animaduersis, in eundem scopulum Micrologus & Petrus Cantor impegerunt, siue Amalarii iudicium secuti, siue in eam sententiam deducti, quod communio vtriusque speciei tum adhuc obtineret. Quorum vterque etiam rationē adiicit, cur hoc fieri sic debere existiment, ille quidem, vt populus plenè possit communicare, hic autem, vt contactu Dominici corporis integra fiat communio, quæ cum neque in Albino, neque Amalario qui ex Ordine Romano ea citant, sed nec in ipso Romano Ordine reperiantur, & cum non eisdem verbis vterque vtatur, ipsorū interpretum esse, & ab ipsis hanc rationē esse excogitatam, cum expressis ipsius Ordinis verbis pugnantem apparet.

Caput etiam 26. lib. 1. pag. 117. col. 2. in exemplari, quod præfationem alteram habet, & quod recognitum propterea ab auctore opinamur, differebat à reliquis. Nam vbi de cereo mentio incidit, hæc pluraliter, illud de vnico tātummodo singulariter loquitur. Itaq; in illo talis inscriptio capitis est, De immissione cerei in aquam.

Et versu 3. à principio capitis habet, cereus benedictus deponitur in aquam. Et versu 18. ab illis verbis, vt enim legit. Vt enim per partem illuminatam ad memoriā reducimus columnam ignis, quæ figurabat Christum, à quo illuminati sunt Apostoli, quibus dicitur, Vos estis lux mundi, sicut à benedicto cereo illumi natur alter cereus: ita per partem cerei, quæ nondum exerit lumen suum, sed est parata vt fœcunditatem præstet lumini, Spiritus sancti persona designatur. De qua re, vt superius scripsi in capitulo 18. pag. 111. col. 1. dicit Gregorius Nazanzenus, &c.

Et quarto versu à fine capitis, quare cereus deponatur in aquam.

Cap. 6. lib. 3. pag. 154. col. 1. vers. 20. à principio capitis. Reliqua exemplaria, excepto illo cum præfatione, cuius meminimus, sic habebant: Kyrieeleison, potentia diuina, Christe eleison, qui nos redemisti sanguine tuo: Iterū Kyrieeleison. Tu qui redisti ad Patrem, & ea claritate honoraris, qua honoratus es, antequam mundus fieret. Potest, &c.

Cap. 27. lib. 3. pag. 171. col. 1. vers. 20. à principio capitis. loco horum verborum, exemplar erat vnicū in quo legeretur, Nobis quoq; peccatoribus. & vers. 26. idem exemplar, Postquàm emisit spiritum, studuerunt ministerio sepulturæ, sequens verò Subdiaconus medio Canone, id est, cum dicitur, Per omnia sæcula sæculorum, suscipit eam ab Acolyto, & stat ante altare cum patena, & stat post Subdiaconum regionarium vsque dum suscipiatur ab illo Regionarius.

Cap. 37. lib. 3. pag. 176. col. 2. Sex vltimi versus huius capitis non erant in exemplari quod præfationem habet adiunctam, sed eo rum loco, in xii. lectionibus non sequitur ista benedictio, siue quia benedictiones præcesserunt plures super consecratos, seu quoniam officium illud finitur sæpe circa noctem Dominicam, in qua non flectimus genua. Atque hæc in nullo

aliorum

Universidad de Deusto
Biblioteca

aliorum exemplorum erant.

Cap. 3. lib. 4. pag. 185. col. 1. à versu 8. à fine columnæ, ab his verbis, conueniatur, vna scilicet per quartam, exemplar cum præfatione habet, cōueniatur vna, scilicet per tertiam, & quartam & quintā, vt pertingamus ad sextā cursu horæ tertiæ. & intrāte sexta, inchoemus alterum cursum. Si Dominus, &c. Atque idem exemplar in sequentibus vbi de eadem re agitur, & ad reliquas horas hęc accommodantur, ab aliis dissentit. vt cap. 5. pag. 188. col. 1. lin. 11. à fine columnæ, per sextam horam & septimam & octauam, ita verò, vt in nona habeant initiū reliquæ tres repetitiones, quæ nos perducant vsque ad duodecimam horam diei. Et cap. 6. versu. 1. Nona cōtinet nos per nonam horam & decimam & vndecimam. Status, &c.

Cap. 32. lib. 4. pag. 212. col. 2. versu. 32. à principio columnæ. Exemplar quod præfationem alteram habuit, ab illis verbis In Antiphona, sic legit: In Antiphona secunda, Rubum quem viderat Moyses, sic loquitur ex persona membrorum ad Dei genitricem, Intercede pro nobis. Tertia habet in fine, Te laudamus Deus noster. Quarta est in Romano Antiphonario: Nato Domino Angelorum, chori canebant, dicentes, Salus Deo nostro: quæ concinit laudi trium puerorum. In quinto loco est vna de Romano Antiphonario, & altera de nostro. Quæ tenet verba Ioannis Baptistæ, quibus demonstrauit vtilitatem nostram, quę data est nobis.

Quo loco cùm meminerit Romani & sui etiam Antiphonarii, quē, postquàm Roma est reuersus, post annum 831. cōposuit, valdè hoc auget coniecturam nostram: immo, videtur omnino illud necessariò iam colligi, hos ab eo libros postea recognitos, & hoc exemplar inde esse exscriptum.

Cap. 33. lib. 4. pag. 213. col. 1. à versu. 14. à principio capitis, & ab his verbis, præsens officium nocturnale, tres diuersas lectiones inuenimus, quarum vnam habes suo loco ex libr. cum præfatione, altera lectio sic habebat:

Notādum est, quòd in Antiphonis duarum nocturnarum primarum non subiungitur Alleluia sicut in nouissima. Idcirco eas veteri Testamento oportet committere, vt prima nocturna tāgat eos qui in naturali lege fuerunt, qualis fuit Abraham, qui obtulit sacrificium Domino, & Iob, qui quāuis deputatus sit inter gentes, tamen Domino semper psallebat: & iterum duodecim Patriarchæ, in quibus terra Iudæorum adorabat Dominum. Et secunda eos tangat qui sub lege Mosayca fuerunt, qualis fuit Rex Dauid, & cæteri boni Reges, qui spiritu prænidebant & prophetabant omnes gentes adoraturas Dominum, etiam & ipsi multos cohortabantur, vt venirent & adorarent Deum. Tertia nocturna tangit nouum Testamentum, quod initium habet à baptismo. Quapropter habet in capite Antiphona, Fluminis impetus cum Alleluia. Quæ Antiphona cum Psalmo suo ad liquida sonat de nouo Testamento. Sequentes similiter. Cantate Domino canticum nouum, Psalmus apertè narrat de nouo Testamento. Similiter Dominus regnauit, exultet terra. Qui tres Psalmi monstrant præcipuè perturbationem & commotionem gentilium contra prædicationem Apostolorum & subuersionem idolorū, atque conuersionem Christianorum. Et alio modo, Iesus triginta annorum erat, quando venit ad baptismum. Quę ætas congruit sacerdotio. Vnde Gregorius Nazanzenus in sermone de secundis epiphaniis, legitimum & maturū tempus ostendit his, qui omne tempus atque omnem ætatem vel ad sacerdotium, vel ad docendum opportunum putant. Et iterum: Obserua tamen & tu qui præs, quòd triginta annorum erat Christus † Nunc volumus trāsire per baptismum. Præsens officium genealogiam Christi ostendit iuxta ordinem Lucæ: quia ab inferioribus incipit, id est, ab Ioseph & Heli, & peruenit ascendēdo vsq; ad filium Dei Adam. Vnde Augustinus in libro secundo de consensu Euangelistarum: Lucas autem non ab initio, sed à baptismo generationes Christi enarrat: nec descendendo, sed ascendendo tāquam sacerdotem in excipiendis peccatis magis assignans. Et paulò post: Lucas autem ascendendo transit & peruenit ad Deum. † Hoc est proprium sacerdotum, vt ab infimis perducat plebem vsque ad suprema. Igitur quia per humilitatem fit iste ascensus, quasi à plebeia conditione incipiunt Antiphonæ præsentis Officii, & ascendunt per Reges Iudæ, per Apostolos vsque ad chorum Angelorum. Prima nocturna habet antiphonā, Afferte Domino filii Dei. Quibus verbis subditur in Psalmo: Afferte Domino filios arietum. Hæc fuerunt munera primorum patrum. Et quia adoratio pertinet ad humilitatem præcipuè, omnes Antiphonæ de eadem habent verba, vt sunt istæ: Adorate Dominum in aula sancta eius. Et omnis terra adoret te Deus. Secunda Nocturna habet. Reges Tharsis & insulæ. Reges humiles præferuntur *plebi humiliatæ. Ipsa nihilominus referta est de verbis adorationis. Tertia Nocturna mysterium tangit Apostolorum & Apostolicorū virorum. Qui præferuntur Regibus, & ascenditur ad Angelos. Antiphona, Fluminis impetus, ideò cantatur in suprema Nocturna: quia præcipuè de Apostolorum prædicatione & baptisterio memorat. Vndè qui supra in Psalmo, Die Pentecostes venit Spiritus sanctus, impleuit credentes, locuti sunt linguis, prædicare Euangelium cœperunt populo: Hic ciuitas Dei lætificabatur. Et post pauca: Manifestum est fluminis illos impetus de Spiritu sancto intelligendos, quo significatur omnis pia anima credens in Christum, vt fiat quis ciuitas Dei. Secunda Antiphona præsentis periochæ monstrat eos, quos Apostolorum præsentialiter chorus sæpe hortabatur, dicens. Adorate Dominum

for *plebeiæ humilitati.

minum in aula sancta eius. Illi sunt nempe de quibus scriptum est, Multitudinis credētium erat cor & anima vna. Tertia Antiphona eos recolit, qui supra ordines memoratos sunt, id est, Angelos, dicendo: Adorate Dominum omnes Angeli eius. Hanc tertiam periocham recolimus per introitus Missæ ab octauis Theophaniæ, vsque in Præsentationem Domini: Romanus in Officio, Omnis terra adoret te Deus, voluit tempus monstrare, quando omnis Iudea venit adorare Dominum in Pascha, quando Dominus immittebat verbum salutare ad eos, quos rogabat de sapientia. Nosq; ita & aliter dicimus: Adorate Dominum omnis terra, quādo multitudinis credētium erat cor vnum & anima vna. In excelso throno voluit Romanus in tempore illo introducere, quando Dominus sedit ad nuptias honorificè, & fecit mirabilia solus, cum aquam conuertit in vinum: Nosq; in excelso throno cantamus, cum hominem Christum mente videmus sublimatum in cælos, & quotidie facere mirabilia ea quæ tunc fecit, & potiora, quando totum mundum conuertit ad vnam fidem. Adorate Deum, recolit illam desideratissimā visionem, in qua videbimus eū sicuti est, quando iam peregrinatio ista erit ciuis Angelicæ dignitatis, & adorabitur Christus ab omni genu, scilicet cælestium, terrestrium, & infernorum. Qui cœtus quotidie augetur in corpore Christi, sicut communio præsentis officii dicit, Puer Iesus proficiebat: quanuis & altera cantetur ab aliquibus, id est, Mirabantur. Iam nunc adoratur Christus ab Angelis. Vnde Bedæ exponens illud beati Petri, Profectus in cælum, subiectis sibi Angelis, & reliqua: Nulli dubium quin filio Dei semper, &c. Nam hic rursus conueniebat cum cęteris codicibus, vsque ad finem capitis.

Tertia lectio.

Præsens solennitas celebrat coniunctionem sponsi & sponsæ. Quanuis & Magorum oblatio & conuiuarum lætitia in eo recolatur, tamen præpositi in nocturnalibus Antiphonis sequi ordinem venientium fidelium per baptismum ad Christum. Ordo Antiphonarum in Natiuitate Domini demonstrat altitudinem Dei descendisse ad nostram humilitatem, iuxta genealogiam, quam Matthæus computat ab Abraham, descendendo vsque ad Ioseph, & vsque ad ipsum Christum. Idcirco prima Antiphona habet verba, quæ ostendunt Christum filium Dei esse, dicentia: Dominus dixit ad me, filius meus es tu, ego hodie genui te. Necnon Psalmus vnde Antiphona sumpta est, monstrat cur Dominus vellet ad nos descendere, & particeps fieri nostræ mortalitatis, scilicet vt nos regeret in virga ferrea, & erudiret nos disciplina sua. Præsens verò festiuitas tenet ordinem ascendentium fidelium per baptismum vsque ad chorum Angelorum, & vsque ad ipsum Dominum. Sequitur genealogia quam Lucas describit. Vnde dicit Augustinus in libro secundo de consensu Euangelistarum: Lucas autem non ab initio, sed à baptismo generationes Christi enarrat: nec descendendo, sed ascendendo tanquam sacerdotem in excipiendis peccatis magis assignans. Et paulò post: Lucas autem ascendendo transit & peruenit ad Deum. † In præsentibus Antiphonis ordinem sequimur perspectiuum, nō ordinem temporum. Prima Antiphona quæ dicit, Afferte Domino filii Dei, tales seculares designat, qualis fuit Cornelius centurio gentilis & Aethiops eunuchus, seu quomodo sunt laici, qui seipsos instigant ad oblationem Dei, de qua Antipho na dicit qui supra in tractatu Psalmorum: Afferte Domino filii Dei, afferte Domino filios arietum, afferte Domino vosmetipsos, quos per Euangelium duces gregum Apostoli genuerunt. Secunda eos monstrat, qui propria relinquūt, vt sunt Monachi. Ipsa dicit, Psallite Deo nostro, psallite: Psallite Regi nostro, psallite sapienter. Vnde idem qui supra in eodem: Docet nos & admonet vt psallamus intelligenter. Non quæramus sonum auris, sed lucem cordis. Psallite, inquit sapienter.

Tertia presbyteros & inferioris gradus electos, qui quanuis sint plurimi in numero eorum, tamen qui propria relinquunt, quia consecrati sunt, præponuntur monachis. Ipsi optant, vt omnis terra adoret Deum, & psallat ei. Istis nanque præponuntur pii Reges, qui totum sibi gregem commissum constringunt ad copulationem veri sponsi. Hos recolit quarta Antiphona: Reges Tharsis & insulæ munera offerent Regi Domino. Quæ sint eorum munera, sequens Antiphona monstrat: Omnes gentes quascunque fecisti, venient & adorabunt coram te Domine. Quid agant postquàm conuenti fuerint. Tertia Antiphona istius periochæ monstrat, dicens: Venite, adoremus eum, quia ipse est Dominus Deus noster. Super omnes istos est Apostolorum & Apostolicorum chorus, per quos memorati coniuncti sunt sponso. Eorum prædicationem monstrat Antiphona: Fluminis impetus lætificat ciuitatem Dei. Vnde qui supra in eodem. Die Pentecostes venit Spiritus sanctus, impleuit credentes, locuti sunt linguis, prædicare Euangelium cœperunt gentibus. Hic ciuitas Dei lætificabatur. Et post pauca: Manifestum est fluminis illos impetus de Spiritu sancto intelligēdos, quo sanctificatur omnis pia anima credens in Christum, vt fiat quis ciuitas Dei. Secunda Antiphona præsentis periochæ mōstrat eos, quos Apostolorum præsentialiter chorus sæpe hortabatur, dicens: Adorate Dominum in aula sancta eius. Ipsi sunt nempe de quibus scriptum est, Multitudinis credentium erat cor vnum & anima vna. Tertia Antiphona eos recolit, qui supra ordines memoratos sunt, id est, Angelorum, dicendo: Adorate eum omnes Angeli eius. Hanc tertiam periocham recoli-

mus

Universidad de Deusto
Biblioteca

mus per introitus Missæ ab octauis Theophaniæ vsque in præsentationem Domini, nisi forte anticipet nos tempus Septuagesimæ.

Pag. 214. cap. 34. lib. 4. col. 2. lin. 7. à fine columnæ. ab illis verbis, Hunc Psalmum quomodo legebatur in exemplari, vt putamus recognito cum præfatione altera. Alia exemplaria hoc modo habebant: Affectum sanctorum suorum non dedignatus est Dominus exprimere in se: ideo plorauit Lazarum, ideo dixit, Tristis est anima mea vsque ad mortem. Eademque re non dedignatur Psalmum, Qui habitat in adiutorio Altissimi, decantari in sua passione. Recolitur tamen passio Saluatoris nostri, & nostra mortificatio quodammodo in sequenti sexta feria per versum responsorii: Lapidem quem reprobauerunt ædificantes, hic factus est in caput anguli, in passione Saluatoris nostri, &c.

Eodem cap. vers. 38. ab hoc loco, In octauis eius celebratur res. exemplar vt putamus, recognitum habebat hoc modo: Quia summatim cantatum est de baptismo Christi in Theophania, in octauis eius integrè atque apertè decantatur & memoratur de eo. Nam & profectus nostri baptismatis in eis celebratur. Quod monstratur ex prima Antiphona in octauis Theophaniæ. Veterem, &c.

Pag. 22. cap. 44. lib. 4. col. 1. lin. 1. columnæ ab his verbis, Prius venerunt Magi, legebatur in altero exemplari: Prius venerunt Magi adorare Dominum, quàm baptizatus esset. Magi edocti erant à doctrina Balaam per stellam nouam recognoscere nouum Regem. Hi venerunt primò adorare Deum, & postea baptizatus est ipse & Apostoli, atque ipsi baptizauerunt. Quorum officium perspicuè dilucidatur, & præcipuè in Antiphona, Fluminis impetus, quæ cantatur in tertia Nocturna. Satis apertum est ex officiis cæterarum Nocturnarum, nouum Testamentum recoli in tertia Nocturna. Præcedentibus duobus Nocturnis, quæ habent in se memoriam sanctorum Patrum, qui fuerunt in veteri Testamento tupleti Spiritu sancto, siue de circumcisis, siue de gentilibus. Sequitur tertia Nocturna cum Antiphonis, quæ habent Alleluia solito more, & perspicuè demonstrant nouum Testamentum, & baptismi sacramenta recolunt. Vnde ad Responsoria, Hodie in Iordane & columbæ specie, atque, Illuminare Hierusalem, in ea cantamus. Hodie in Iordane & in columbæ specie propterea in ea cantamus: quia ipsi baptismum Christi describunt nobis ante oculos. Illuminare Hierusalem, quia in illo illuminatio Ecclesiæ noui Testamenti ostenditur, in qua Ecclesia primò illuminati sunt Apostoli, & per eos sequens Ecclesia. Antiphona monstrat, quomodo Spiritus sanctus lætificauit Apostolos, vt sanctificaret tabernaculum Domini per baptismum. Cæteri versus sonant quod homines mundi contra agerent, sicuti sunt isti, Propterea non timebimus, dum turbabitur terra, & transferentur montes in cor maris. Sonuerunt & turbatæ sunt aquæ eorum, conturbati sunt montes in fortitudine eius. Psalmus. Cantate Domino, monstrat quòd omnes dii gentium sint dæmonia: & iterum de atrocitate gentilium infidelium & lætitia credentium dicit, Commoueatur mare & plenitudo eius, gaudebunt campi & omnia quæ in eis sunt. Tunc exultabunt omnia ligna syluarum ante faciem Domini. Dominus regnauit, exultet terra, lætentur insulæ multæ. Prædicationem Apostolorum monstrat nihilominus & subuersionem idolorum. Ita inquiunt versus: Alluxerunt fulgura eius orbi terræ, vidit & commota est terra. Montes sicut cera fluxerunt à facie Domini, & in sequentibus: Confundantur omnes qui oderunt sculptilia.

FINIS.

INDEX

HVGONIS DE SANCTO VICTORE
CANONICI REGVLARIS LATERANENSIS
IN SPECVLVM DE Mysteriȳs Ecclesiæ

PROLOGVS.

DE Sacramentis Ecclesiasticis vt tractarem, eorumq; mysticam dulcedinem vobis exponerem, vestra rogauit dilectio. Cum autem libentius, quia facilius & audentius, logicas quàm theologicas (iure consuetudinis) reuoluam sententias: dubitare cœpi, an contradicere, an potius scribere mallem. Mox verò illud recolens, quòd omne bonum communicatum pulchrius eluceſcit quum communicatur: consequenter stylum ad scribendum conuerti, eius inuocato auxilio, qui aperit, & nemo claudit: claudit, & nemo aperit. Desideratum itaque libellum interno fluentem nectare, velut fauum mellis, vestræ propinaui intelligentiæ: quem quia in eo speculari licet quid mysticè representent singula in Ecclesia, Speculum Ecclesiæ inscribi placuit. Apoc. 3.

Sequuntur Speculi Ecclesiæ Capita.

De Ecclesia.	*Cap.* 1.
De Dedicatione Ecclesiæ.	*Cap.* 2.
De officijs horarum Canonicarum.	*Cap.* 3.
De seruitio totius Anni.	*Cap.* 4.
De ordinibus Clericorum.	*Cap.* 5.
De vestimentis sacris.	*Cap.* 6.
De celebratione Missæ.	*Cap.* 7.
De occultis scripturarum veteris, & noui Testamenti.	*Cap.* 8.
De supernis secretis, quæ hic sciri licet.	*Cap.* 9.

De Ecclesia. *Cap.* 1.

ECCLESIA igitur, in quam populus conuenit ad laudandũ Deum, significat Ecclesiam sanctam Catholicam, quæ construitur in cælis viuis ex lapidibus. Hæc est domus Domini firmiter ædificata. Angularis fundamentũ lapis Christus misus est. Super hoc autem, non præter hoc, fundamentum est Apostolorum & Prophetarum, sicut scriptum est: Fundamenta eius in montibus sanctis, Superædificati parietes, Iudæi sunt & Gentiles, de quatuor mundi partibus venientes ad Christum. Omnes lapides expoliti sunt, & quadrati, idest, Sancti, mundi atque firmi: qui per manus summi artificis disponuntur permansuri. Quorum quidam feruntur, & non ferunt, vt simpliciores in Ecclesia: Alij feruntur & ferunt, vt medij: Alij tantùm ferunt & non feruntur nisi à solo Christo, qui est singulare fundamentum. In hoc enim ædificio quanto quis differentius excellit, tanto humilior plus ædificij subleuat. Omnes vna charitas more cæmenti coniugit, dum viui lapides pagis compage ligantur. Turres autem prædicatores sunt & prælati Ecclesiæ, qui sunt munimenta & defensio eius. Vnde sponsus ad sponsam in Canticis canticorum sic loquitur: Collum tuum sicut turris Dauid, ædificata cum propugnaculis. Gallus qui superpositus est, prædicatores repræsentat. Gallus enim noctis profundæ peruigil, horas eius diuidit cantu, dormientes excitat, diem appropinquantem præcinit, sed prius seipsum verbere alarum ad cantandum excitat. Notate singula mysticè, non enim est hic quicquam ociosum. Dormientes sunt filij huius sæculi in peccatis iacentes. Gallus, chorus prælatorum, qui districtè prædicant, dormientes excitant, vt abijciant opera tenebrarum, clamantes: Væ dormientibus: Exurge, qui dormis. Lucem venturam prænunciant, dum diem iudicij & futuram gloriam prædicant. Prudenter autem antequam alijs prædicent, virtutibus se à somno pec-

Ephes. 2.

Psalm. 86.

Cant. 4.

Gallus prædicatores repræsentat. Ephes. 5.

cati excitantes, corpus suum castigant. Vnde Apo- A
1 Cor. 9. stolus. Castigo corpus meum, & in seruitutem redi-
go. Hi etiam vertunt se contra ventum, quando in-
crepando & arguendo contra rebelles fortiter di-
micant vel resistunt, ne lupo veniente quandoque
fugisse arguantur. Virga ferrea, in qua gallus sedet,
rectum repræsentat sermonem prædicantis, vt non
1. Pet. 4. loquatur ex spiritu hominis, sed Dei secundum scri-
pturas, iuxta illud: Si quis loquitur quasi sermones
Dei. Quòd virga est supra per Crucem posita, innuit
sermonem scripturarum per Crucem consumma-
tum esse & confirmatum. Vnde ait Dominus in pas-
Ioan. 19. sione: Consummatum est. Et titulus eius super eum
indelebiliter scriptus est. Tholus, super quem Crux B
ponitur, perfectionem per rotunditatem significat,
quoniam perfectè & inuiolatè fides catholica prædi
canda est, & tenenda. Quam nisi quisque integram,
inuiolatamque seruauerit, absque dubio in æter-
num peribit. Vel tholus mundum significat pretio
Crucis redemptum: propter quod Crux ponitur su-
per ipsum. Gallus supra Crucem positus significat,
quòd hoc debet prædicator astruere, quòd Christus
per Crucem suam redemit mundum. Pinnaculum
turris, mentem vel vitam Prælati, quæ tendit ad alta,
repræsentat. Campanæ (quarum sonoritate populus
ad Ecclesiam conuocatur) prædicatores mysticant,
qui quia ad multa sunt necessarij, multis designan- C
tur vocabulis. Plectrum, quod ex vtraque parte so-
num elicit, lingua prædicatoris est, quæ vtrunque
Testamentum resonare facit. Lignum, vnde pendet
campana, Crucem significat, ligatura charitatem,
per quam charitatem prædicator Cruci astrictus glo
riatur, iuxta illud: Mihi autem absit gloriari, nisi in
Galat. 6. Cruce Domini nostri Iesu Christi. Chorda vita est,
2. Cor. 5. & humilitas prædicatoris. vnde Apostolus, qui pro-
pter alios condescendit: Siue excedimus propter
Deum, siue condescendimus propter nos. Annuli
in fune, perseuerantia vel corona præmij. Fenestræ
Ecclesiæ vitreæ scripturæ sunt diuinæ, quæ ventum D
& pluuiam repellunt, idest nociua prohibent: & dum
claritatem veri Solis in Ecclesiam per diem trans-
mittunt, inhabitantes illuminant. Hæ intus latiores
sunt, quia mysticus sensus amplior est, & præcellit
Esaiæ. 60. literali. Has frequentant prædicatores, qui vt nubes
volant, & quasi columbæ ad fenestras suas. Item per
fenestras quinque sensus corporis significantur, qui
extra stricti esse debent, ne vanitates hauriant, & in-
tus patere ad bona spritualia. Ostium Christus est.
Ioan. 10. vnde in Euãgelio, Ego sum ostium, dicit Dominus.
Columnæ doctores sunt, qui templum Dei per do-
ctrinam (sicut thronum Dei Euangelista) spirituali-
ter subleuant. Hi pro sonoritate eloquij diuini, ar- E
genteæ dicuntur columnæ: iuxta illud in Canticis
Cant. 3. canticorum: Columnas fecit argenteas. Reclinatoria
contemplatiuos designant, in quibus Deus sine of-
fensa requiescit. Qui quia summam diuinitatem, &
Cant. 3. æternæ vitæ claritatem contemplantur, auro com-
parantur. vnde in prædictis Canticis dictum est: Re-
clinatorium fecit aureum. Tigna sunt, quæ spiritua-
liter subleuant. Laquearia, quæ ornant vel roborant:
Cant. 1. de quibus (quia per vitia non putrescunt) in eisdem
gloriatur canticis sponsa dicens: Tigna domorum
nostrarum cedrina, laquearia cupressina. Deus enim

sibi Ecclesiam cõstruxit viuis ex lapidibus, & lignis
imputribilibus: iuxta illud, Ferculum fecit sibi Rex Cant. 3.
Salomon de lignis Libani, ideſt Christus de sanctis
castitate candidatis. Cancellus humilior reliquo
corpore Ecclesiæ mysticat quanta humilitas debeat
esse in clero: iuxta illud, Quanto maior es: tantum Eccles. 3.
humilia te in altare omnibus. Altare Christum signi-
ficat, sine quo nullum munus Patri offertur acceptа-
bile. Vnde Ecclesia ad Patrem orationes solet diri-
gere per Christum. Vestimenta, quibus altare orna-
tur, sunt Sancti, de quibus Propheta ad Deum loqui-
tur dicens: His omnibus sicut vestimento vestieris. Esaiæ. 49.
Gradus, quibus ascenditur ad altare, spiritualiter de-
monstrant Apostolos & Martyres Christi, qui pro
amore eius sanguinem suum fuderunt. Sponsa in
Canticis canticorum vocat ascensum purpureum. Cant. 3.
Quindecim quoque virtutes exprimuntur, quæ per Quindecim
quindecim gradus, quibus ascendebatur in templum gradus tẽpli
Salomonis, significãtur, & à Propheta in quindecim salomonis, &
psalmis continuè demonstrantur, quas vir beatus psalmi gra-
ascensiones in corde suo disposuit. Hanc vidit Iacob duales quid
scalam, summitas cuius cælos tangebat. Luminaria significent.
Ecclesiæ sunt illi, quorum doctrina fulget Ecclesia Psalm. 83
vt Sol & Luna. Quibus voce Domini dicitur: Vos Gen. 28.
estis lux mundi: Et bonorum operum exempla. vn- Matth. 5.
de ipse admonens ait: Luceat lux vestra coram homi Ibidem.
nibus. Quod Ecclesia intus ornatur festiuè, non ex-
tra: moraliter innuit, quòd omnis gloria eius ab in-
tus est. Licet enim sit exterius despicabilis, in anima
tamen, quæ sedes Dei est, radiat. vnde dicit: Nigra Cant. 1.
sum, sed formosa. Hinc dicit: Etenim hæreditas mea Psal. 15.
præclara est mihi. Hoc propheta considerans ait: Do Psalm. 25.
mine dilexi decorem domus tuæ, & locum habita-
tionis gloriæ tuæ. Quam spiritualiter exornãt fides,
spes, charitas. Crux triũphalis in medio Ecclesiæ po
nitur, eo quòd in medio cordis Ecclesia Redempto-
rem suum diligit, qui media charitate cõstrauit pro-
pter filias Hierusalem. Quam vt signum victoriæ vi cant. 3.
dentes, dicant omnes, & dicant singuli: Aue salus to
tius sæculi, arbor salutifera. Quare ne tradatur vn-
quam obliuioni circa nos Dei dilectio, qui vt ser-
uum redimeret, filium vnicũ tradidit, hoc signo ar-
mat se Ecclesia in pectore, & fronte, significans Cru Signi crucis
cis mysterium corde credendum, & manifestè ore significatio,
confitendum. Cuius in Aegypto figura præcessit. & virtus.
Dum autem signamus nos à fronte deorsum, dein-
de à sinistra ad dextram, illud exprimimus mysте-
rium, quòd Deus inclinauit cælos, & descendit, vt
doceret præferre æterna temporalibus. Per hoc au-
tem signum confunditur ciuitas diaboli. Triumphat
Ecclesia terribilis vt castrorum acies ordinata. Ter- cant. 6.
ribilis est (inquit) locus iste: non est hic aliud nisi Gen. 28.
domus Dei. De qua dicitur: Vexilla regis prodeunt,
fulget Crucis mysterium. Quam frequentant agmi-
na cælica. De qua scriptum est: Vidi ciuitatem san- Apoc. 21.
ctam Hierusalem nouam descendentem de cælo.
Ecclesia enim hìc militat, in patria regnat: pars pere-
grinatur, & pars gloriatur. Quæ peregrinatur, ascen-
dens de exilio per desertum suspirat ad patriam, de- Psalm. 86.
super flumina Babylonis ad supernam Hierusalem,
quæ assiduè videns pacem, festum agit continuum. Regnũ Dei
Vrbs beata Hierusalem dicta pacis visio. Quàm glo quàm gloria
riosum regnum? Gloriosa dicta sunt de te, ciuitas sum.
Dei.

Dei. Cuius custodes ciues sunt cælorum, exercitus A
Angelorum, cum claro senatu Apostolorum, Pro-
phetæ cum Patriarchis, purpurata Martyrum agmi-
na, flores virginei, vernans chorus Confessorum, &
vniuersalis circundata varietate Sanctorum socie-
tas, casta generatio cum claritate. Hanc tanquam
admirandam cæli curiam mirificè adornat gemma
illa singularis & incomparabilis, quæ mater & vir-
go. Nec primam similem visa est, nec habere se-
quentem. De visione autem ipsius regis quanta
sit omnium admiratio, & voces in laudes eius con-
sonæ, solis illis notum est, qui inter eos interesse
meruerunt, & mysterium Trinitatis, & gloriam
1. Pet. 3. Christi videre, cui astant Angelorum chori, in quem B
Angeli desiderant semper prospicere. Ad hunc Re-
gem immortalem videndum facie ad faciem præpa-
rat se præsens Ecclesia: & dũ hic agit festa tẽporalia,
patriæ suæ festiua & æterna recolit gaudia, vbi spon
sus Angelicis laudatur organis. Omnesque Sancti
diem magnæ festiuitatis, quam fecit Dominus con-
tinuè celebrantes, in epithalamiis laudare non ces-
sant sponsum immortalem, speciosum forma præ
filiis hominum, qui Ecclesiam sibi gratuita elegit
clementia. De qua vt ab æterno præuiderat, ait:
Cant. 4. Ibo ad montem myrrhæ, & ad collem thuris: & lo-
Psalm. 18. quar sponsæ meæ. Pro qua exultauit vt gigas ad cur- C
rendam viam, dum factus est egressus eius à Patre,
regressus eius ad Patrem: excursus vsque ad inferos,
recursus ad sedem Dei: vt omnes electos à principio
vsque ad finem mundi vnum regnum in visione
summæ Trinitatis faciat, in qua gloriatur vnus per
cuncta sæcula Deus.

De Dedicatione Ecclesiæ. Cap. 2.

QVanto autem studio, & amore Christus sibi
sponsam ornat, & præparat ad cælestem dedica
tionem, per temporalem Ecclesiæ dedicationem ex
parte significatur. Pontifex enim ter circuit Eccle- D
siam dedicandam, aspergens eam aqua benedicta,
clero & populo sequente. Interim extrinsecus &
intrinsecus duodecim ardent luminaria. Quoties
ad portam venitur (propter mysterium clausum)
Episcopus percutit superliminare virga pastorali
Psalm. 23 dicens: Attollite portas principes vestras, & ele-
uamini portæ æternales, & introibit Rex gloriæ.
Diaconus respondet. Quis est iste Rex gloriæ?
Cui Pontifex: Dominus virtutum ipse est Rex glo
riæ. Tertia vice referato ostio intrat cum clero &
populo dicens: Pax huic domui. Deinde cætera
Anima verũ peragit, quæ ad dedicationem pertinent. Quæ au-
Dei templũ. tem hìc fiunt visibiliter, omnia in anima per inuisi E
bilem virtutem Deus operatur, quæ verum tem-
plum Dei est: vbi fides fundamentum facit, spes
erigit, charitas consummat. Ipsa etiam Ecclesia ca-
tholica vna ex multis lapidibus adunata, templum
Dei est: quia multa templa vnum templum, quo-
rum vnus Dominus & vna fides. Domus ergo
dedicanda, est anima sanctificanda, aqua pœniten-
tia, sal sapientia, trina aspersio trina immersio ba-
ptizandi, luminaria duodecim totidem Apostoli
Crucis mysterium prædicantes, Pontifex Chri-
stus, virga eius potestas, trina percussio cælestium,
terrestrium, & infernorum dominatio, vt trina re-
rum machina flectat genu iam subdita. Interroga-
tio inclusi ignorantia populi, apertio ostij, eua-
cuatio peccati. Pontifex intrans pacem domui
precatur, & Christus ingrediens mundum, pacem
inter Deum & homines facit, deinde prostratus
pro sanctificatione Dominum orat, & Christus
humiliatus ad passionem pro discipulis, & credi-
turis hominibus orabat dicens: Pater sanctifica eos Ioan. 17.
in veritate. Surgens non salutat, sed orat tantum,
quia non est applaudendum ijs, qui nondum san-
ctificati sunt, sed pro ipsis orandum. Descriptio
alphabeti in pauimento est simplex doctrina fidei
in corde humano. Versus à sinistro angulo ori-
entis ductus in dextram occidentis, & alter à dex-
tro orientis in sinistrum occidentis, Crucem expri-
munt, & collectionem vtriusque populi figurant:
iuxta illud quòd Iacob cancellatis manibus filios Gen. 48.
Ioseph benedixit. Licet enim ab oriente transiens
Christus, tamen in sinistra reliquit Iudæos, quia
infideles, & venit ad Gentes: quibus (licet fuissent
in occidente) dat esse in dextera: & tandem à Gen-
tibus in dextera positis orientis transiens visitabit
Iudæos in sinistro angulo occidentis, quos constat
esse deteriores quàm prius Gentiles inuenerit. Cam-
buca, qua scribitur, mysticat ministerium docto- C
rum, quo facta est conuersio Gentium & perficien-
da Iudæorum. Quòd deinde stans ante altare
Deum in adiutorium inuocat, significat eos, qui
percepta fide ad pugnam se præparant. Et quia
adhuc sunt in certamine, quasi inter suspiria, non-
dum Alleluia adiungitur. Post hoc aqua benedi-
citur, cum sale & cinere etiam addito vino aquæ
mixto. Aqua est populus, sal doctrina, cinis me-
moria passionis Christi. Vinum aquæ mixtum Chri
stus Deus & homo, vinum diuinitas, aqua huma-
nitas. Sic populus sanctificatur doctrina fidei, & D
memoria passionis, iunctus suo capiti Deo & ho-
mini. Vnde altare & Ecclesia interius aspergitur,
vt intus (sicut extra) spiritualis Ecclesia sanctifi-
canda ostendatur. Aspersorium de hyssopo humi-
litas est, qua aspersa mundatur Ecclesia catholica.
Circuit aspergendo quasi lustrans, & curam om-
nibus impendens. Interim cantatur. Exurgat Deus, Psalm. 67.
& dissipentur, &c. Responsorium eius cum anti-
phona, quam sequitur alia. Qui habitat in adiuto- Psalm. 90.
rio Altissimi. Et Pontifex cantat. Domus mea do- Esaiæ. 56.
mus orationis vocabitur. Et item: Narrabo no- Psalm. 21.
men tuum fratribus meis. Et quia sine Deo nullum
opus proficit, in consummatione orat, vt exau-
diantur beneficia ibi ingredientes petituri. His fa-
ctis venit ad altare cantans: Introibo ad altare Dei, Psalm. 42.
cum psalmo toto, &c. & quod remansit de aqua
ad basim altaris effundit, committens Deo, quod
excedit vires humanas in tanto sacramento. De-
hinc altare lintheo extergitur. Altare Christus
est, lintheum caro eius tunsionibus passionis ad
candorem & gloriam immortalitatis perducta.
Hinc Pontifex offert super altare thus in modum
Crucis accensum in medio altaris, & per qua-
tuor angulos eius Crucem facit de oleo sancti-
ficato. Deinceps Cruces tres per singulos parie-
tes Ecclesiæ de eodem oleo chrismantur, & sic pe-

Universidad de Deusto
Biblioteca

racta consecratione altare albo velamine operitur. Incensum orationes, oleum gratiam Spiritus sancti
Psal. 132. demonstrat. Cuius plenitudo (sicut vnguentum in capite, quod descendit in barbam, barbam Aaron) descendit in Apostolos, eorumq; discipulos, qui Crucis mysterium per quatuor climata mundi Domino cooperante prædicauerunt. Album velamen immortalitatis mysticat lætitiam, de qua Filius exultat Patri dicens, Concidisti saccum meum, & circundedisti me lætitia.
Marc. 16.
Psalm. 29.

De officijs horarum canonicarum. Cap. 3.

ESdras propheta populum Israeliticum reuersum à captiuitate Babylonis docuit laudare Deũ
Psalm. 118. quater in nocte, & quater in die. Quia propheta Da-
Ibidem. nid septies in die laudem se dixisse Domino, & media nocte ad confitendum Domino surrexisse indicat. Octo igitur horas sancti patres præ cæteris ad laudandum Deum elegerunt. Mediam scilicet noctem, diluculum, primam, tertiam, sextam, nonam, vesperas, completorium. Quia dignum est, vt homo, qui corpus gerit ex quatuor elementis, quater respectu noctis, & quater respectu diei, per diem naturalem Deum placare sibi satagat. Et cum omni tempore laudandus sit Deus, potissimum in prædictis horis laudatur ab Ecclesia, in quibus opera præ cæteris insignia dignatus est facere. Nocte enim media natus est de virgine: diluculo surrexit: hora prima mulieribus ab Angelis annunciata est resurrectio, hora tertia Spiritus sanctus inflammauit Apostolos: hora sexta crucifixus est Dominus, scilicet mundi Redemptor: hora nona emisit spiritum pro salute mundi. In vesperis cõmemoramus aduentum Domini in mundi vespere. In completorio completum erit gaudium
Officium nocturnum. Sanctorum in die generalis retributionis. Merito ergo media nocte sicut per prophetam monemur, surgendum est: quia dum quietum silentium tenerent
Sap. 18. omnia, exortum est lumen in tenebris, idest Chri-
Psal. 111. stus, vt illuminaret sedentes in tenebris. Tempore
Luc. 1. noctis natus est de Virgine. in principio officij huius horæ, quia somno prius dominante conticuimus, dicitur: Domine labia mea aperies: quia Non est laus
Domine labia mea aperies cur in principio officij dicatur. speciosa in ore peccatoris, nisi ipse in laudem sui labia aperire dignetur. Deinde diuinum inuocamus auxilium: postea glorificamus Deum in Trinitate personarum, sicut æternaliter ei est gloria. Sequitur inuitatorium alta voce, per quod mater Ecclesia inuitat omnes, iuxta illud. Filii, audite me. Quod autem hoc in Epiphania prætermittitur, ideo est quòd Magi primitiæ gentium à nullo inuitati, iuxta illud: Nemo nos conducit: venerunt Regem cæli adorare. Et nota, quòd humilis vox præmittitur, sed conuenienter ad inuitatorium exaltatur: quia Ecclesia secreto quasi clauso ostio laudat Deum propter se, sed manifestè propter alios, vt accendat ardor proximos. Sequitur hymnus, qui est laus Dei cum cantico, vel vox humana in laudem Dei metricè composita, quia post inuitationem multi consequenter laudant Deũ cum lætitia iuxta illud: Audiuit & lætata est Sion. Postea psalmi, qui opera significant sequuntur, duodecim vel nouem, quatenus per duodecim horas noctis à negotio perambulante in tenebris diuina defenda-

Psal. 50. Eccles. 15. Gloria patri, &c. Inuitatorij. Psal 33. Cur in Epiphania prætermittatur inuitatorium. Matth. 20. Hymnus. Psalm. 96.

Psalmi cur duodecim, vel nouem. Psalm. 90.

mur virtute, & nouem ordinibus Angelorum merea-
mur coniungi: illisque sociatos nos esse, quorum festa agimus, monstremus. Per hoc autem, quòd in Dominicis noctibus duodecim psalmos in primo nocturno canimus, numerum Patriarcharum & Prophetarum, atque Apostolorum memoriæ commendamus, & quòd quatuor psalmos vna glorificatione Trinitatis copulamus, eos significat in vna fide Trinitatis quatuor virtutes cardinales habuisse, & aliis exempla monstrasse, scilicet prudentiam, iustitiam, fortitudinem, temperantiam. Quod psalmi alternatim cantantur, innuit alternam Sanctorum ad benè operandum exhortationem. Antiphonæ charitatem exprimunt, quæ numerum Psalmorum habent propter causas suprà dictas de psalmis. In non festis diebus duodecim psalmos canimus pro singulis horis noctis, in quibus Deo seruiendum est: & sex antiphonis binos psalmos copulando, quia charitas necessaria per sex ætates opus Dei & proximi coniungit. Quod ab vno singulariter incipitur antiphona, & à cæteris communiter cantatur, significat quòd Deus prior dilexit nos, & nos dilectionis eius communiter respondere debemus. Pneuma in fine loquitur ineffabile gaudium. Post Psalmos & antiphonas exclamatur versus acuta voce, ad excitandos animos, ne in opere vel cogitatione in amore diuino quandoque pigritemur, & vt vertamus nos ad orientem, & totocorpore ad Deum. Sequitur Dominica oratio ad mundanda corda, & corpora nostra: & cum communi assensu terminata propter Sanctorum communionem. Lecturus dicens vicario Christi, Iube Domine benedicere: principatum Ecclesiæ innuit, & quam larga potestas benedicendi illi tradita sit, cui iubere datum est. Quod autem sacerdos orat, vt Dominus beneadicat, sapienter per Christum benedicit, qui totius fons est benedictionis. Accepta benedictione, singulas lectiones singula sequuntur responsoria. Lectionibus itaque prædicamus. Responsoria sunt bona opera, vnde sic pulchrè dicuntur, quia per ea respondemus. Pulchrè enim respondet prædicationi, qui quod audiuit, implet opere. Numerus istorum idem gerit mysterium, quod numerus psalmorum. Tres turbæ lectionum & responsoriorum notant Sanctos trium temporum participare gloria Dominicæ resurrectionis, quæ nocte Dominicali vel festiua ad memoriam reducitur. Ternarius numerus in singulis nocturnis, fidem Trinitatis designat in tribus temporibus. Quaternarius apud Monachos stabilitatem quadratam & Euangelicam in Sanctis exprimit, vel quadruplicem sensum scripturarum (propter quadrigas Aminadab) idest historialem, allegoricum, tropologicum, & anagogicum. Vt Hierusalem intelligitur ciuitas terrena, & Ecclesia, & quælibet fidelis anima, & superna patria. Sequitur alta voce: Te Deum laudamus. per quod monstratur quam manifestè, & mirificè laudet Ecclesia Deum in tempore gratiæ. Deinde sacerdos per versum exhortatur, vt in laude Dei permaneant.

Quare in dominicis diebus in primo nocturno duodecim psalmos canamus.

Cur quatuor psalmi sub vna antiphona.

Psalmi alternatio.

Antiphonæ. Nocturnum feriæ.

Antiphona cur ab vno incipiatur, & à cæteris communiter cantetur.

Ternarius numerus lectionum, & responsoriorũ.

¶ Sequitur matutinale officium: de quo Propheta. Ad te de luce vigilo Deus. Per hoc officium recolimus

Psalm. 62.

limus populum Israeliticum (in figura nostri) ma-
Exod. 14. re rubrum transisse, & hostibus submersis Domino laudes cecinisse: quod in vigilia matutina Exodus monstrat factum fuisse. In hoc etiam Dominicam recolimus resurrectionem, & nostram pronuntiamus futuram, initio claritatis secundæ stolæ. Vnde hoc officium prædictis de causis plenum est laudibus. In principio huius diuinum inuocamus auxilium. Deinde glorificamus Deum, summæ Trinitatis fidem confitentes, quæ est fundamentum totius boni operis. In hac hora quasi quinque psalmos admuniendum quinque sensus corporis canimus. Mysticè etiam per primum psalmum primitiua Ecclesia de Iudæis designatur: per secundum secundaria de gentibus: per tertium, cui alius psalmus sub vno coniungitur Gloria Patri, mysterialiter innuitur, quòd vterque populus in fine mundi sub vna fide confitebitur. per quartum (quem pueri in camino ignis cantauerunt) figuratur Antichristi tribulatio, quam vterque populus pro fide Christi patietur. Per tres psalmos Laudis (qui quasi vnus sub vna gloria demum coniunguntur) tres ordines Ecclesiæ, quos Iob, Noe, Daniel exprimunt, cum sponso Ecclesiæ in laude epithalamica gloriosè regnaturi significantur. Vel octo psalmi exprimunt octo ordines, qui per baptismum in Ecclesia (sicut octo animæ per diluuiũ) in arcam saluantur. Primus notatur per primum psalmum, prima Ecclesia ædificata per Apostolos conuersans in Iudæa. secundus per secundum, de Iudaismo transiens ad Gentes, Apostolis prædicantibus
Marc. 16. vbique: tertius credens Gentilitas: quartus resipiscens Iudæa. Sed tertius & quartus sub vna gloria iunguntur, quia Gentiles & Iudæi in vnitatem fidei coniungentur, antequam veniat persecutio Antichristi. Sub quo quintus ordo benedicet Deum sicut pueri in fornace. Sextus, & septimus, & octauus collecti ex Africa, & Asia, & Europa, post Antichristum pace fruentur. Vnde tres vltimi psalmi fiuunt laudi-
Quare psalmus, Deus Deus meus ad te de luce, & psalm. Laudate dominum de cælis, sub vna Gloria dicantur. bus, qui sub vna dicuntur gloria & coniunguntur: quia illi tres ordines simul erunt, & pariter glorificabũtur. Post psalmos fit exhortatio per capitulum, ne deficiamus in via: cui chorus assentiens hymnum resonat. Rursus quoque excitati per prophetiam Zachariæ Deum benedicimus, recolentes quòd fecit redemptionem sicut locutus est per os Sanctorum, & iurauit ad Abraham patrem nostrum. Interim sacerdos cum thuribulo incensat altare. Thuribulum est cor hominis, ignis charitas, incensum oratio: quæ
Lucæ. 1. suauiter Deo redolet, cum per ignem diuini flagrescit amoris. Vnde Propheta. Dirigatur oratio mea
Psalm. 140. sicut incensum in conspectu tuo. Quælibet antipho-
na charitatem exprimit, sine qua opera, quæ per psalmos significantur, non prosunt. Quod autem antiphona ante psalmum incepta post psalmum decantatur integrè, significat quòd charitas hic initiata post hanc vitam consummabitur æternaliter: & hoc erit in lætitia inenarrabili. Vnde pneuma subiungitur, quod ineffabile gaudium, æternæ vitæ indicat. Quod tantum est, quòd dum hic præguſtatur, nec penitus exprimi, nec penitus taceri potest. Vnde ecclesia verbis demissis iubilando cum pneumate in admirationem prosilit: ac si dicat. Quæ vox, quæ poterit lingua retexere? Hic enim verba non sufficiunt, nec intellectus: nec tamen amor sinit tacere. Sic itaq; Ecclesia pneumatizando expresius quodammodo (mirum loquor) sine verbis quàm per verba innuit, quantum sit gaudium cæli, vbi verba cessabunt, cum omnes omnia scient. Post pneuma sequitur oratio, vt actio nostra, quæ per Deum incipit, per ipsum finiatur. Quod autem in fine, voce puerili dicitur, Benedicamus Domino, significat, quòd omnis laus nostra puerilis est ad comparationem Dei, quem laudamus, & quòd quicquid hic dici potest, minus est à laude Dei. Ac si dicat Ecclesia, Laudamus, sed laudando non sufficimus, quia supereminentia Dei eloquium nostrum superat & intellectum, quia, Acce-
Psalm. 93. det homo ad cor altum, & exaltabitur Deus. Vnde ab omnibus consequenter, Deo gratias, dicitur, quia placet (vt pium est) in laude Dei superari.

HOræ autem primæ officium meritò celebramus, quia mulieribus venientibus, orto iam sole, ad monumentum, Angeli annunciauerunt Christum surrexisse. Et quia hæc hora initium est diei, in ea laudamus Deum, quia dedit nobis noctem cum salute transire. Inuocato ergo diuino auxilio, & glorificata Trinitate personarum (vt dignum est) hymnum Deo, Iam lucis orto sidere, reddimus. Deinde in hac prima hora quotidie quinque psalmos canimus, vt quinque sensus nostri diuinitus per
I. Ioan. 5. diem muniantur. His adiungimus expositionem catholicæ fidei, ex eo quòd hæc est victoria, quæ vincit mundum, fides nostra: & clypeus inexpugnabilis contra antiquum hostem, vnde Petrus.
1. Pet. 3. Cui (inquit) resistite fortes in fide. In hac hora dicitur Dominica oratio, in qua septem petitiones sunt ad habenda septem dona Spiritus sancti, per quæ mereamur septem virtutes, quibus à septem vitiis liberati ad septem perueniamus beatitudines. Deinde per Symbolum fidei contra omnia aduersa armantur, qui per Dominicam orationem mundantur. In hac etiam hora fit communis confessio, vt mundemur à peccatis venialibus, sine
Communis confessio. quibus communis vita non facile dicitur: Et preces multiplicantur, vt per diem à malis imminentibus defendamur.

Horæ autem tertiæ officium celebratur, quia in tali hora Spiritus sanctus Apostolos inflammauit.

In sexta celebratur officium in commemorationem illius rei, quod in ea crucifixus est Redemptor mundi.

In nona, quia tunc emisit spiritum: in eadem enim hora mori voluit pro homine, in qua homo expulsus est de paradiso: & in eadem die hominem per lignum redimere placuerat, qua eum per lignum hostis deceperat: ars vt artem falleret, & medelam ferret inde, hostis vnde læserat. In his tribus horis, & in cæteris primum inuocamus diuinum auxilium (vt in omni bono opere faciendum est) sanctamq; glorificamus Trinitatem, & hymnum Deo reddimus. Psalmos (qui opera significant) cum trina glorificatione Trinitatis canimus, quia in fide Trinitatis operari oportet. Per antiphonas (quæ charitatem exprimunt) psalmos coniungimus, quia per charitatem opera nostra confirmare debemus, & in ea manere, sicut Apostolus ait, in charitate radicati & fundati. Et iterum.
Ephes. 3. Omnia opera vestra in charitate fiant. Per capitula

Universidad de Deusto
Biblioteca

significatut exhortatio boni operis, per responsoria bonum opus, per versus fructus boni operis: vnde & pneuma habet. In oratione concluditur seruitium, vt diuina gratia, quæ actiones nostras præcedit, ipsa subsequatur.

Succedunt vesperæ, in quibus commemoramus aduentum Domini vergenti mundi vespere. In hac hora, quia finis est diei, & propinqua nocti, quinque psalmos canimus, vt quicquid in die per quinque sensus venialiter offendimus, hac psalmodia dimittatur pœnitentibus, & inde sensus nostri per noctem in beneplacito Dei custodiantur. Alternatio psallendi est sanctorum admonitio. Antiphonæ (vt dictum est) charitatem significant. Per capitulum innuitur
2 Cor. 6. exhortatio spiritualis, vt in bono perseueremus. Vnde Apostolus. Hortamur vos, ne in vacuum gratiam Dei recipiatis. Responsorium, opus bonum significat, per quod probamus nos obedire exhortationi, & quod de opere bono laudandus est Deus. Sequitur hymnus, vt demus exemplum proximis, deinde dicto versu ad excitandos animos hymnus beatæ Dei genitricis, cum antiphona canitur: in quo exemplo humilitatis eius reformamur, & filii Dei incarnatio
Lucæ 1. (per quam deposuit potentes de sede, & exaltauit humiles) ad memoriam reducitur, vt fidei nostræ excitetur deuotio. Interim autem (iuxta quod Dominus
Exod. 30. Moysi præcepit) incensatur altare: per quod fragrantia orationis Christo placare monstratur. Postea decantata antiphona cum pneumate, sequitur oratio, & puerili voce benedicamus Domino propter causas prætactas. Nouissimè succedit completorium, per quod significatur gaudium, quod (completo electorum numero) complebit Deus sanctis suis in die generalis resurrectionis. In hac vltima hora dicitur, Conuerte nos Deus salutaris noster: Ad hoc insinuandum, quòd post omnem perfectionem, quæ hìc haberi potest, vbi sæpe erramus, orandum est, vt amplius conuertat nos Deus ab errore.
Psal. 118. Quod Propheta considerans in fine psalmi moraliter ait: erraui sicut ouis, quæ periit. In hac hora secundum quatuor elementa corporis nostri, in quo sæpe offendimus, quatuor psalmos ad placandum Deum dicimus. In hac etiam hora non præcedit capitulum hymnum: per quod typicè monstratur, quòd illi in quibus completa sunt significata præcedentium laude, præueniunt exhortationem. Nec tamen capitulum prætermittitur, quia hìc semper est vtilis exhortatio. Deinde dicitur versus acuta voce cum pneumate: vnde excitati, & memores facti ineffabilis gaudii, quod erit merces laboris nostri canticum iusti Simeonis canimus, vt
Lucæ 2. Canticum Simeonis Oratio dominicalis, & symbolũ Iacobi. 5. psalm. 131. Iacobi. 5. exemplo eius inuenientes pacem, mereamur lumen videre, quod est Christus. Postea Dominica oratione, & Symbolo munimus nos propter nocturnos timores: & alterna confessione mundamur, iuxta illud: confitemini alterutrum peccata vestra, & excitamur, ne demus requiem temporibus nostris, donec inueniamus locum Domino. Necnon huius horæ officium complemus precibus, & oratione, iuxta Apostolum: Orate pro inuicem, vt saluemini. Mysticè preces humilitatem significant, quæ in fine esse debet: quia sicut in principio ipsa necessaria est (ad quod significandum humillima voce seruitiũ inchoatur:) sic in consummatione eadem humilitas monstranda est contra superbiam, in quam ceciderunt omnes, qui operantur iniquitatem, vnde hac lue non nunquam rosa vertitur in saliunquam. Versus orientem oramus, licet Deus sit vbique, cuius magnitudinis non est finis: memores quòd ipse, qui est splendor lucis æternæ, illuminauit sedentes in tenebris, quando visitauit nos oriens ex alto. Genua flectere in Ecclesia, cordis contritionem insinuat, & quod Christo omne genu flectitur: Nec vnum tãtum, sed vtrunque flectimus, ne Iudæis assimilemur. In die Dominica, & in Paschali tempore pro reuerentia Dominicæ resurrectionis non licet genuflectere, sed stantes orare debemus inclinato capite, vt deuotæ mulieres ad monumentũ, vbi pro reuerentia corporis Domini se inclinauerunt. Tria, quæ fiunt in percussione pectoris, idest pectus, sonus, manus, significant quod pæniteudum est de his, quæ mente, voce, opere peccauimus. Cum psalmis diurni officij duodecies dicitur Gloria Patri, & Filio, & Spiritui sancto, per duodecim horas diei, & duodecies pulsantur campanæ. In prima hora semel, & in vltima hora semel, quia ab vno Deus omnia, & idem vnus erit omnia in omnibus. Sed in tertia sonatur ter pro secunda, & tertia, & quarta hora: & similiter in sexta pro tribus, idest septima, octaua, & nona. ad vesperas verò multipliciter, quia in tempore gratiæ multiplicata est prædicatio Apostolorum. Item ad matutinas sæpe, quia sæpe exclamandum est, exurge, qui dormis. Diuinum officium in his celebratur horis, in quibus exisse commemoratur paterfamilias conducere operarios in vineam suam. Ita nocturnale tempus est ab Adam vsque ad Noe, Matutinale inter Noe & Abraham. Prima inter Abraham & Moysen tertia inter Moysen & Dauid. Sexta inter Dauid & aduenum Domini, Nona à primo aduentu vsque ad aduẽtum, quando venturus est reddens vicem pro abditis. Per
D vesperas autem sabbatum, idest requies intelligitur animarum post exitum à corporibus vsque ad diem iudicij. Per completorium verò ad memoriam reducimus completum numerum, & consummatum gaudium Sanctorum, quod complebitur in die magnæ festiuitatis, quando benedicti regnum percipient. Tres enim dies ante Pascha tropologiam scripturarum demonstrant. Quorum primus est dies pœnitentiæ, secundus dies iustitiæ, tertius dies retributionis, in quo fit consummatio. Vnde Dominus in Euangelio. Hodie & cras eijcio dæmonia, & sanitates perficio, & tertia die consummor. Dies pœnitentiæ significatur per diem, in quo Domi-
E nus passus est. Dies iustitiæ per diem, in quo in sepulchro iacuit. Dies retributionis per diem, in quo resurrexit Dominus. Pœnitentia Domini cruciat, iustitia tranquillat, remuneratio lætificat. Item hi tres dies per vigilias, & festiuitates, & octauas Sanctorum intelliguntur: & iterum per quinquagesimum psalmum, & centesimum, & centesimum quinquagesimum. Quinquagesimus enim pœnitentiam loquitur. Centesimus iustitiam, Centesimus quinquagesimus laudem Dei in Sanctis eius, quando completo eorum numero magnæ festiuitatis completorium celebrabitur in æternum.

Sap. 7. Luc. 1.

Quare in dominicis, & tempore paschali nõ genuflectitur.

Lucæ. 24. Ioan. 20.

Duodenarius numerus in Psalmis diurni officij, in Gloria patri, & Filio, & spiritui sancto, & in campanarũ pulsatione. Ephes. 5. Matth. 20.

Diuinũ officium tempori applicatum.

Tres dies Paschę præcedentes

Luc. 13.

Vigiliæ, festiuitates, & octauæ sanctorum.

Ad

Cãtus in Ecclesia. Voces graues, acutę, et super acutæ.

Luc. 12.

Psal. 67. Psal. 118.

psal. 96. Cant. 5.

Ad hæc cantus in ecclesia, cæli lętitiam significat, A de qua exultant sancti Dño. Voces autem graues, & acutæ, & superacutæ, innuunt tribus modis prædicãdum esse tribus ordinibus ecclesiæ, propter triceſimum, & sexageſimum, & centeſimum fructum, vel iuxta tria volumina Salomonis. Processio est via ad cælestem patriam. Præcedens aqua benedicta est mũditia vitæ. Luminaria opera misericordiæ, iuxta illud. Sint lumbi vestri præcincti, & lucernæ ardentes in manibus vestris. Sequitur crux signum triumphale, quia mundi, & factores legis crucifigunt carnem, & triumphant. Deinde ad legendum euangelium fertur pulpitum, & textus euangelicus. Pulpitum est suauitas & dulcedo in mandatis Domini. Vnde prophe B ta. Parasti in dulcedine tua pauperi. Et item. Quàm dulcia faucibus meis eloquia tua. Euangelium verò est præcedentium confirmatio. Lecto euangelio, textus reportatur super pulpitum: quia ecclesia, vt audiuit euangelium, suauiter in corde suscepit, & lætata est iuxta illud, Audiuit, & lætata est Sion. Et alibi. Anima mea liquefacta est, vt dilectus locutus est.

De seruitio totius anni. Cap. 4.

Gen. 1. Gen. 3. Gen. 7. Gen. 12.

IN principio septuagesimæ incipit Ecclesia seruitium totius anni, & legitur Pentateuchus. Septuagesima enim tempus captiuitatis nostræ designat: de C qua ad Hierusalem mysticè redire debemus, vt per Hebræos olim de Babylone exeuntes figuratum est. Vt ergo memores sint captiuitatis suæ, qui sursum tendunt, legitur primum de Adam, qui in principio mundi factus est, & de electione eius de paradiso: deinde de diluuio, & quomodo Abraham exijt de terra sua, & de huiusmodi laboribus, ad exemplum patientiæ. Et sicut olim Hebræi captiui ducti in Babylonem in tristitia fuerunt ferè vsque ad finem septuaginta dierum: tacentur voces lætitiæ, gemitum cum vtroque habentes irriguo, vt in die resurrectionis multiplicatis ciuibus festiuius gaudeat ecclesia. D In sabbato paschali pro dominica resurrectione vnum canimus alleluia: & quia hic non est gaudiũ nisi in labore, sequitur tractus. In octaua autem, hoc est in sabbato in albis, duplex canitur alleluia: quia in die iudicij plenum erit gaudium, & pro dominica & nostra resurrectione, & quia duplici stola iusti fulgebunt. Quindecim autem diebus ante pascha legitur Hieremias, quia passionem Domini apertè præsignauit. Ab octauis paschæ viginti diebus apocalypsis legitur, & cantatur propter mysteria passionis, & resurrectionis, quæ Ioanni reuelata sunt, & Apostoli prædicauerunt. Deinde vsque ad ascensionem Domini epistolæ canonicæ leguntur, & actus E Apostolorum, & cantatur de psalmis: quia & Dauid prophetauit de passione, & resurrectione, & ascensione, & Apostoli prædicauerunt, quæ a Domino didicerant vsque ad ascensionem eius corporali fruẽtes præsentia. Inter ascensionem & Pentecosten cantatur de festo: quia discipuli sursum subleuati, patris promissa expectabant munera. Post pentecosten vsque ad Kalendas Augusti leguntur libri regum, & cantatur Deus omnium: quia sicut Saul, Samuel, Dauid, & alij pro lege Dei pugnauerunt, sic nos postquam accepimus donum Spiritus sancti in baptisma-

te & uirtute pugnare debemus contra dæmones, formati, nati, nutriti, armati. A Calendis Augusti vsque ad Calendas Septembris legitur, & cantatur de sapientia: quia Augustus sextus est mensis, & in sexta ętate, qua Dominus venit, debemus propter eius præsentiam sapienter viuere, quoniam inter nos sapientia ipsa audita est, quæ ex ore Altissimi prodijt. Rur- Eccl. 24.
sum mensis iste calidus est, & medius anni: & in media ætate, vbi quisque ab æstu vitiorum plus accenditur, plus succurrere sapientia debet. In Septembri legitur, & cantatur de Iob, Tobia, Esdra, Iudith, & Esther, quia hi aduersa patienter sustinuerunt: & ecclesia in fine mundi aduersa omnia pro Domino tolerabit. A Calendis Octobris vsque ad Nouembrem Machabæorum libri leguntur, & cantantur inde responsoria: quia iste octauus mensis lætitiam resurrectionis mysticat: quia sicut Iudæi finitis prælijs, & restaurato templo in hymnis & confessionibus benedicebant Dominum: sic in gloria resurrectionis, & 2. Mach. 16.
magnæ festiuitatis destructis diaboli prælijs sancti & iusti in Domino festiui gaudebunt, iuxta illud. Beati, qui habitant in domo tua domine. A Kalendis au- Psal. 85.
tem Nouembris vsque ad aduentum Domini leguntur, & cantantur Ezechiel, Daniel, & duodecim prophetæ cum responsorio, Vidi dominum. Ezechiel Ezech. 1.
enim vidit quatuor animalia in figura quatuor Euangeliſtarum, qui Natiuitatem, Passionem, Resurrectionem Domini, & Ascensionem docuerunt, quorum quisque ex principali intentione propriam formam meruit. Daniel quoque Christum venturum prophetauit dicens: Aspiciebam in visu noctis, & ecce filius hominis venit. Similiter & alij prophetæ Dan. 7.
prædixerunt Christum venturum: & ideo isti ante aduentum eius leguntur, quia clarius aduentum eius prædixerunt. Ab aduentu Domini vsque ad natalem eius legitur Esaias: quia quanto de Christo vrbanius, & apertius prophetauit, tanto natiuitati eius legitur vicinius. Quare autem in natiuitate de eadem natiuitate legatur, & cantetur, res manifesta est. Tantum enim gaudium eo tempore spiritaliter prædicandum, & cælitus demostrandum agnoscitur. Prima verò missa in nocte natalis Domini celebrata, tempus ante legem Moysi typicè designat. Secunda, quę aurora apparente celebratur, tempus scriptæ legis, & prophetarum ad memoriam reuocat: quia per legẽ, & prophetas lux de Christo velut diei nuntia mundo apparuit. Tertia verò, quæ in media diei claritate festiuius celebratur, ad tempus refertur gratię, in quo descendit lux magna de cœlo, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. Deinde in Ioan. 1.
singulis festis eadem de causa legitur, & canitur. Ab octauis autem Epiphaniæ vsque ad septuagesimam canitur de Psalmis, & leguntur epistolæ Pauli: quia post legem prophetia, & post euangelium scriptura Apostolica ad id, quod audiuimus, intonando commouet. Item a septuagesima vsque ad pascha repręsentat tempus ab Adam vsque ad Moysen, in quo mors regnauit. Vnde quia tunc culpa contraria iustitiæ commemoratur, Gloria in excelsis Deo filetur: quod in testimonium pacis auditum est, quando veritas de terra orta est, & iustitia de cælo prospexit. Et quia pœna, in quam homo cecidit per cul- Psal. 84.
pam, ad memoriam per scripturas reducitur, alleluia

cantus

cantus lætitiæ tacetur. Ab aduentu vsque ad natalem Domini, a Moyse vsque ad Christum tempus est, in quo peccatum regnauit, non propter ignorantiam vt mors prius, sed propter infirmitatem carnis. In hoc alleluia canitur, quia patres sub lege fuerunt, sed gloria in excelsis Deo siletur, quod est signum pacis & iustitiæ, quam lex dare non potuit. Tempus a primo aduentu vsque ad secundum, est inter pentecosten & aduentum Domini. In hoc cantat ecclesia alleluia in spe resurrectionis, & gloria in excelsis Deo, pro iustitia reddita. Quotidie canit alleluia, quia spes eius firmatur. Gloria in excelsis Deo, non quotidie, sed tantum in festis, quia quotidie offendit. Sed in fide tamen, idest in die, quam fecit Dominus, semper tenet iustitiam, quia semper in fide, & non semper in operibus laudat. Quartum tempus est inter pascha & pentecosten, & statum æternæ felicitatis significat, in quo gloria in excelsis quotidie canitur, & duplex alleluia. Ianuas ecclesiæ etiam publicè pœnitentibus aperimus, genua non flectimus: sed ad quid hoc cernimus, si mysterium non intelligimus? Gloria in excelsis tunc canitur, quia in resurrectione iustitia, idest charitas perficietur, & pax plenè dabitur. Duplex dicitur Alleluia propter duplicem stolam in albis, quia gloria incorruptionis erimus vestiti. Pœnitentibus ecclesiæ ianua aperitur, quia nullius peccati impropriũ tunc erit, quia totum absorptum erit a gloria. Stantes oramus, quia tunc non erit, pro quo flectantur genua, sed domus Dei replebitur gloria. Sed quid est quòd non canimus in priuatis feriis, gloria in excelsis Deo, nec duo alleluia, nisi quòd nondum habemus perfectam iustitiam, nec gloriam quã expectamus? Tamen simplex alleluia canitur, quia ecclesia iã primam resurrectionem habet. vnde sem per alleluia canitur excepta septuagesima. Quia igitur hoc tempus figura est tanti gaudij, in Dominicis & festis hoc cantat ecclesia. Sed quia nondum sumus in illo, in priuatis ferijs tacet. Ergo per quatuor tempora variatur status ecclesiæ. Primum culpam intulit, secundum detexit, tertium eam deleuit per iustitiam, sed reseruauit pœnam, quartum perficiet iustitiam, & absorbebit pœnam. Primum fuit culpæ, & pœnæ: secundum pœnæ, & prophetiæ: tertium pœnæ, & gratiæ: quartum gratiæ, & gloriæ. Posterus ordo anni, in significatione mystica t in resurrectione primos nouissimos: similiter in quibusdam, quæ in festo fiunt circumcisionis. Inter hęc autem multa, quæ licet minima videantur, magno tamen fiunt mysterio, prætermittimus: quia ad alia, quę proposuimus, festinamus.

De ordinibus clericorum. Cap. 5.

SEquitur vt videamus de septem ordinibus clericorum, qui sunt septẽ gradus ecclesiæ, per quos qui clericus est ascendens, efficitur ostiarius, lector exorcista, acolytus, subdiaconus, diaconus, sacerdos. Primus ergo gradus est ostiariorum: quorum est discernere, quos ab ecclesia iustè repellant, & quos ad eam dignè recipiant. Ad istos etiam pertinet res ecclesiæ fideliter custodire: vnde claues ecclesię eis traduntur, cum ordinantur. Postea promouentur ad officium lectorum: ad quos pertinet legere in ecclesia prophetias, & apostolicas scripturas. Istis (cũ ordinantur) traditur codex diuinarum lectionum, & dicitur eis: Accipite, & estote verbi Dei relatores, habituri (si benè impleueritis officium) partem cum ijs, qui fideliter ministrauerunt Domino. vnde qui ad hunc gradum prouehitur, literarum scientia debet resplendere. Tertio loco promouentur ad ordinem exorcistarum, vt habeãt imperium super dæmones eijciendos. hos decet mundum spiritum habere, qui debent immundis imperare. Hi cum ordinantur accipiunt librum exorcismorum, & dicitur ei. Accipite, & habete potestatem imponendi manum super energumenos. Cum autem ordinantur acolyti, accipiunt candelabrum cum cereo, vt sciant se mancipatos ad succedendum, & deferendum luminaria. Accipiunt etiam vrceolum ad infundendum aquam in calicem, in quo consecrandum est corpus Christi. Quinto loco ordinantur subdiaconi, qui ministerio altaris approximant: quorum est portare vasa corporis & sanguinis Christi. vnde lex continentiæ imponitur illis, iuxta illud: Mundamini, qui fertis vasa Domini. Cum enim spiritualis radius luminis castitas sit in clericis, est tamen castitas quasi propria virtus eorum, qui accedunt ad hos tres summos ordines, qui per antonomasiam, id est per excellentiam, iam sacri ordines appellantur. Subdiaconi autem ministrant officijs leuitarum. Ad horum officium pertinet corporalia, & substratoria leuare vel lauare. Hi cum ordinantur accipiunt patenam, & calicem de manu episcopi: de manu verò archidiaconi vrceolum, & aquã in eodem, & manutergium accipiunt, quibus sacerdos & leuita mundare manus debent tractaturi dominica sacramenta.

Sexto loco succedunt diaconi non sine mysterio senarij, qui numerus perfectionem significat. Hic ordo in veteri testamento a tribu Leui sumpsit exordium, & in nouo testamento ab Apostolis confirmatus, quando Apostoli septem viros Spiritu sancto plenos ad hoc officium elegerunt. vnde sancti decreuerunt, vt in omni matre ecclesia septem diaconi in celebratione circa altare missæ assisterent, propter septem dona Spiritus sancti. Hi in Apocalypsi dicuntur septem angeli tuba canentes, quia illorum est alta mysteria Dei inspiratione intenta foris resonare. Hi dicuntur septem candelabra aurea, quia eorum ad lucem Euangelij alijs ostendere. Hi sunt septem tonitrua, quia terribiliter tonare debent: Omnis arbor, quę non facit fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur. Isti in modum pręconis manifestè admonent ad orandum: & ad genuflectendum. Isti euangelizant, & sacramenta corporis & sanguinis Domini dispensant. Non licet sacerdotibus calicem Domini tollere, nisi tradatur eis a diacono. Cum autem ordinantur leuitę (quod licitè fieri potest a viginti annis & supra) accipiunt orarium super sinistrum humerum, vt intelligant se accepisse Dei iugum, quo premant omnia, quæ ad mundum pertinent, quę significantur per sinistrum humerum. Accipiunt etiam textum euangeliorum, vt intelligant se esse prędicones euangelij. ¶ Sequitur ordo presbyterorum, qui a filijs Aaron sumpsit exordium. Dum isti a triginta annis, & supra ordinantur (episcopo eos benedicente, & manus super capita eorum tenente) omnes

Subdiaconi.

Diaconi.

Actu. 6.

Apoc. 8.

Apoc. 1.
Apoc. 10.
Matt. 3.

Esa. 52.

Ordines maiores quibus, et quãdo cõferendi, vide Con. Trid. Sess. 23. c. 12.

Presbyteri.

omnes presbyteri, qui cum eo sunt præsentes, manũ cum episcopo leuantes super eos, Spiritum sanctum inuocant. Post inuocationem accipiunt stolam super vtrunque humerum, vt intelligant se debere esse munitos per arma iustitiæ a dextris & a sinistris, vt nec eos aduersa frangant, nec prospera extollant. Accipiunt & calicem cum vino de manu episcopi, & patenam cum hostia, vt intelligant se habere potestatem offerendi Deo hostias placabiles, corpus scilicet & sanguinem Christi: Magna dignitas, mira potestas, excelsum, & expauendum officium. hoc ordine non est alius excelsior in ecclesia. Episcopis tamen superaddita est ordinatio clericorum, basilicarum dedicatio, chrismatis consecratio, per manus impositionem confirmatio, & generalis super populum benedictio: ne si eadem potestas auctoritatis in omnibus, & ab omnibus haberetur, obedientiam dissolueret, & scandalum generaret. Qui autem septem ordinibus exaltantur, spiritaliter ipsa officia implere debent. Qui igitur infidelem conuertit, vel fidem docet catholicam, & sic spiritaliter in ecclesiam introducit, vel iuste per excommunicationem expellit, ostiariorum implet officium. Qui autem male viuentes in ecclesia docendo corrigit, & minores instruit iuxta scripturas authenticas, lector est spiritaliter. Qui vero orationibus suis aliquem a vitijs liberat diabolicis, officium exorcistæ celebrat. Qui lucem boni operis alijs ministrat, spiritaliter acolytus est. Qui tantæ mundiciæ est, quòd exemplo eius & consilio cæteri sordibus criminum lauantur, officium subdiaconi implet, & possidet. Qui corpus & sanguinem Christi discrete dispensat dignè accipientibus, vel ad orandum, & vigilando exemplo sui alios hortatur, diaconi gerit officium. Qui autem corpus & sanguinem Domini dignè consecrat, officium sacerdotis spiritaliter perficit. Sacerdotes successores sunt septuaginta duorum discipulorum, Episcopi autem Apostolorum. Episcopus interpretatur superintendens, Sacerdos dans sacra, Diaconus minister, Subdiaconus subminister, Acolytus cæroferarius, Exorcista coniurator. Quod autem lector à legendo, vel ostiarius ab ostio dicatur, non ignorat lingua latina. Nunc autem videndum est, quòd omnes habentes hos gradus prętactos spiritaliter vicarij sunt Episcopi, qui in se hæc officia compleuit. Ostiarium enim se monstrauit esse, quando eiecit ementes & vendentes de templo. quod in ecclesia quotidie spiritaliter agit. vnde in Euangelio, Ego sum ostium, dicit Dominus. Lectorem verò se ostendit, cum in medio seniorum librum Esaię aperiens distinctè legit ad intelligendum. Exorcistam se indicauit, eijciens dæmonia. Acolytum dicens, Ego sum lux mundi, Subdiaconum, quando lauit pedes discipulorum, Diaconum quando corpus & sanguinem suum proprijs manibus dispensauit discipulis: & iterum, quando eos ad orandum hortatus est, dicens, Vigilate, & orate. Verum sacerdotem se monstrauit quando panem & vinum in corpus & sanguinem suum commutauit, & vt in memoriam suæ passionis idem facerent discipulis iniunxit. Et iterum manifestius hoc impleuit officium, quando ipse idem sacerdos & hostia seipsum in ara crucis obtulit Patri. Et adhuc gloriosius implet, dum sedẽs ad dexteram Patris, interpellat pro nobis. Et sic, quæ in cælis & in terris sunt, pacificans, soli polique patriam vnam facit rempublicam.

Quorum sacerdotes & quorũ Episcopi sint successores.

Ioan. 2.

Ioan. 10.
Luc. 4.

Mar. 1.
Ioann. 8.
Ioan. 13.
Matt. 26.
Mar. 14.
Luc. 22.
Matt. 26.
Mar. 14.
Luc. 22.
1. Cor. 11.

De vestimentis sacris. Cap. 6.

POst hæc de vestimentis sacerdotalibus breuiter dicamus. Et primum commemoranda sunt veteris testamenti: quæ fuerunt duæ tunicæ, byssina & hyacinthina: zona, fœminalia, superhumerale, mitra (quæ alio nomine cydaris vel tyara dicitur,) & lamina aurea, quæ super mitram ante faciem ponebatur: Zona autem, & superhumerale variata erant quatuor coloribus, byssо, purpura, hyacintho, croco: per quos quatuor elementa significantur. In superhumerali autem erant insculpta nomina duodecim patriarcharum, in duobus pretiosis lapidibus, sex in vno, & sex in altero. In rationali autem erant duodecim lapides, duodecim patriarcharum similiter nomina in se sculpta habentes. In lamina aurea insculptum erat nomen Dei, quod vocant Hebræi ineffabile. ¶ Sacerdotes autem noui testamenti non vtuntur his omnibus ornamentis, quia non vtuntur nisi vna tunica præter Pontifices: Amictum etiam habent in loco superhumeralis, & rationalis, quia & nunc superhumerale appellari solet: nulli autem lamina aurea vtuntur modo, quia quod olim in illa, nunc in signo crucis monstratur: vt enim dicit Hieronymus, sanguis Euangelij pretiosior est auro legis. Zona autem nunc omnes vtuntur sacerdotes, & stola, qua vetus sacerdotum non vtebatur, vt illud impleant euãgelicum: Tollite iugum meum super vos. Quòd autem zona, & superhumerale nunc tot coloribus non variantur, nec illi lapides solent poni in superhumerali, nil refert cum Christiana religio veritati seruiens idem mysticè rebus compendiosis facit, quod vetus observatio sumptuosis.

Exo. 28.

Matt. 11.

Nunc verò quid significent vestimenta noui testamenti, breuiter dicamus. Alba, id est tunica illa, quæ græcè poderis, hoc est talaris dicitur, significat munditiam in anima. Zona castitatem in corpore, quod ad temperantiam pertinet. Superhumerale, quod hębraice dicitur ephod, iustitiam. Rationale, quod Græci λόγιον, logion appellãt, sapientiam designat, vtriusque typum amictus continet: vnde & humeros protegit & pectus. Stola, quæ alio nomine orarium dicitur, in prosperis & aduersis fortitudinem significat, sine qua cæteræ virtutes expugnantur, & minimè coronantur. longitudo stolæ notat perseuerantiam, idẽ quod tunica, in hoc quòd ipsa talaris est, hoc est in patientia tandem animas possideri, quod ad fortitudinem pertinet. Quòd stola autem cum zona colligitur, innuit quod virtutes virtutibus adunantur. His supradictis casula apponitur: quæ alio nomine planeta vel insula dicitur: hæc charitatem exprimit, quæ loco prudentiæ ponitur, quia plenitudo legis est dilectio. Manipulus qui in sinistra ponitur ante tergum oculos, significat vigilantiam, per quam accidia (quæ sæpe mẽtibus accidit, & post supradictas virtutes surrepit) sæpè remouenda est & abstergenda ab oculis rationis siue animæ. Dalmatica etiam, qua vtuntur Leuitæ, latitudine sui idem significat quòd casula ideſt charitatem. Per duas lineas coccineas, quibus ipsa ante & retro à summo vsque deorsum

Noui testamenti vestimenta sacra qd significẽt.

Casula, siue planeta vel insula.

deco-

Universidad de Deusto
Biblioteca

decoratur, vtriusque testamenti prædicatio, Dei & A proximi dilectio figuratur. Duodecim fimbriæ linearum vtrinque duodecim charitatis ramos exprimũt, 1.Cor.13. quos Apostolus enumerat dicens: Charitas patiens est, benigna est: Charitas non æmulatur, nõ agit perperam, non inflatur, non est ambitiosa, non quærit quæ sua sunt, non irritatur, non cogitat malum, non gaudet super iniquitate, congaudet autem veritati. Omnia suffert, omnia credit, omnia sperat, omnia sustinet: Charitas nunquam excidit. Tertia linea, quæ inter duas est, & tribus fimbrijs ante & retro inlignitur, charitatem fide Trinitatis condecoratam demonstrat. per fimbrias in sinistro latere solicitudo vitæ actiuæ circa plurima intelligitur: per dextrum latus, B quòd caret fimbrijs, cõtemplatio cælestium sine multitudine perturbationum. Quod autem Pontifices Pontificũ tunicæ duæ præter poderem. vtuntur duabus tunicis præter poderem, qua cæteri communiter vtuntur, monstrat quòd proprium est ipsorum scientiam habere duorum testamentorum, vt sciant de thesauro suo proferre noua & vetera. Matt. 13. Propter hoc etiam vnaquæque ex tribus tunicis typum gerit proprium. Poderis enim in hoc quòd byssina est vel linea, munditiam indicat. Quia sicut bysso vel lino candor, qui non per naturam est, contingit per exercitium abluendi: ita munditiam, quam natura non administrat, sancti per industriam, iuuante Spiritus sancti gratia acquirunt, dum per exercitium bonorum operum corpus macerant, & mundificant. Secunda autem tunica serica, quæ originem habet & traducit ex vermibus, qui sine coitu procreantur, & parui sunt, castitatem demonstrat & humilitatem. Tunica verò tertia sicut olim erat, hyacinthina est. & color eius similis lapidi hyacintho, qui ætheris serenitatem imitatur, sanctos significat cogitantes, & imitantes cælestia. Et merito hæc tunica hyacinthini est coloris, quia sicut lapis ille mutat colorem cum aere, (in sereno enim aere serenus est, & in obscuro pallidus) sic spiritualiter, & propriè decet episcopum gaudere cum gaudentibus, & flere Rom.12. D cum flentibus. Mitra Pontificis corniculata duo prætendit testamenta, quibus ipse expugnare debet hostes ecclesiæ. Sandalia, quibus vtuntur episcopi & Cardinales, integra sunt inferius, quia non debent inhiare terrenis, & desuper sunt forata, quia oculos mẽtis debent aperire ad ea, quæ sursum sunt. Quòd autem in quibusdam locis aperta, & in quibusdam sunt integra, monstratur apertè, quòd cælestia sacramenta quibusdam sunt reuelanda, & quibusdam tegenda: Luc.8. Vnde Dominus in Euangelio. Vobis datum est nosse mysterium Dei, cæteris autem in parabolis. Horum calceamentorum mysteria considerauit, qui ait. Esa.52. Nah.1. Rom.10. Quod pretiosi pedes annuntiantium pacem. Caligæ E Pontificis significant præparare iter, & festinare ad prædicandum. Annulus autem Episcopi est fidei signaculum: quia sicut antiquitus in sigillo annuli nomen regis, & imago exprimebatur: ita in fide Catholica nomen regis cælestis, & imago declaratur. Verbi gratia, nomen eiusdem demonstratur, cum dicitur, Dominus Pater, Dominus Filius, Dominus Spiritus Iudit. 16. Sanctus: quia Dominus nomen est illi. Imago autem eius ostenditur, hoc est qualis ipse sit, cum dicitur, omnipotẽs, & æternus, & his similia, licet secundum proprietatem loquendi nulla qualitas, vel diuersitas in eo reperiatur. Gerit itaque Episcopus annulum In Deo nulla qualitas, vel diuersitas. pro ecclesia, quam fide ornare debet, & cælesti sponso castam exhibere Christo: & vt sponsa cãtare possit: Annulo suo subarrhauit me Dominus meus Iesus Christus. Quòd annulum Episcopus gerit in manu, docet, quòd fidem in opere mõstrare debeat. Per chirothecas in manibus exempla sanctorum, quæ in operibus habenda sunt, intelliguntur: & quòd opera ab omni inquinamento munieda sunt naturæ, ne modicum fermentum totam massam corrumpat. Baculus pastoralis rectitudine sui rectum regimen significat. Quòd autem vna pars curua est, & altera acuta, monstrat præesse subiectis, & debellare rebelles. Vnde dictum est: Curua trahit mites, pars pungit acuta rebelles. Et iterum: Curua trahit, quos virga regit, pars vltima pungit. Et item: Attrahe per curuum, medio rege, punge per imum. Et item. Per baculum rectum doceas vt Episcope rectè, Viuere, per seri flexus properes misereri. Pallium, quod superapponi- Pallium. tur Archiepiscopis, torquem, & brauium significat, quod legitimè certantes accepturi sunt, & disciplinã exprimit, qua se desuper induere, & constringere ad exemplum subditorum debent. Coccinea verò planeta, qua induitur Apostolicus quocũque proficiscitur prædicando, martyrium declarat. Crucem præce dere hunc vel illum significat ei magis conuenire il- C lud: Mihi autem absit gloriari, nisi in Cruce Domini Gala.6. nostri Iesu Christi. Tonsura capillorum in clericis, docet omnia superflua esse resecanda, vt liberè possint audire, & videre legem Dei. Corona monstrat clericos specialiter esse regnum Dei. Quòd manus sacerdotum vngantur oleo, significat eos habere per Spiritum sanctum virtutem consecrandi, & quòd manus debent esse porrigibiles ad largiendum, & nõ aridæ & curuę ad retinendum. Hęc igitur supradicta signa non sunt ipsę virtutes, sed virtutum insignia, quibus tanquam scripturis docentur vtentes quales esse debeant, hæc sacramenta intelligant prælati ecclesię, qui capsarij sunt, & dispensatores secretorũ Dei. D Alioquin cæci sunt, & duces cęcorum, more Iudæo- Matt. 15. rum portantes mysteria, quę non vident nec intelligunt, tantum inde habituri, quantum capiunt iumenta, quę portant panes ad vsum aliorum: nisi in hoc sit differentia, vt verè est, quòd ipsi, quibus tanta commissa sunt, merito pro negligentijs rationem reddituri sunt in die irę & vindictæ: quando tremebunt cedri Paradisi, ecquid faciet virgula deserti? Nec tamen Deus sacramenta sua hic deserit, sed complet ea per ministros licet indignos, ad salutem eorum, qui secundum propositum vocati sunt sancti. Et atten- Rom.8. de, quòd cum sacramẽtum dicatur sacræ rei signum, vel sacrum secretum, hic accipimus sacramenta pro signis. Qui ergo portant sacramenta, debent fulgere virtutibus, quę per sacramenta significantur, vt ex luce ipsorum cęteri similiter illuminentur. Eisdem enim supradictis virtutibus suo modo clarere debẽt singuli, licet figuraliter non sint omnes insigniti. Pòtest enim quilibet in se spiritualiter habere effectum sacramentorum. Verbi gratia, Quicunque est de sorte Domini, vt verè possit dicere: Dominus pars hæ- Psal. 15. reditatis meę: & illud, Elegi abiectus esse in domo Psal. 83. Dei: spiritualiter clericus est, licet exteriore schemate, scilicet signo clericatus non sit signatus. Hoc enim

nomen

nomen clericus sonat in græco, quòd sit de sorte Do- A mini, hoc est quòd Dominus sortitus est eum, & ipse Deum. Ostiarius est enim spiritualiter, quicunq; alios spiritualiter in ecclesiam introducit, idest qui fidem prædicando docet. Lector est quilibet mores docẽdo, Exorcista orando, Acolytus illuminando, Subdiaconus humilitatem monstrando, Diaconus alios exhortãdo, Sacerdos seipsum hostiam sanctam Deo offerendo. Induat ergo quisque humeros & pectus amictu spirituali, hoc est muniat se virtute operum iustitiæ, sanctitate sensatorum cogitatuum iudutus. Sitque indutus munditia, quæ per albam significatur. Sit indutus quãtum fieri potest, vtraque tunica, idest intelligentia vtriusque testamenti, & literæ, idest B spiritus literalis, & spiritalis intelligentiæ. Habeat zonam castitatis, stolam fortitudinis, & plenitudinem scientiæ, idest charitatem, quam figurat infula. Qui enim sic ornatur, habet verum & regale sacerdotium intra templum Dei, quod ipse est. Manifestum est ergo, quòd significata sine significantibus, idest virtutes sine exterioribus sacramentis quandoque iustificant: hæc autẽ sine illis nihil penitus prosunt, immo arguunt. Simul verò iuncta maius bonum conferre videntur, quia dum aliquid alicui additur, totum maius efficitur. Sed nunquid ideo magis bonum, cum non vtrunque diuisum bonum sit? Ad quod dicimus, quòd bonum sit licet non diuisum, tamen cum C simul sunt, vtrunque bonum est: & ideo totum maius esse bonum patet, vt in exemplo breui claret, sed excelso. Virginem Mariam corporaliter Christum portare, magnum fuit adiuncto amore, quod non esset diuisum: etiam maius fuit, quòd dilectionem meruit ipsum portabat. Sed quia vtrunque meruit habere simul, incomparabiliter felix meruit existere: quia sæpe pro donis externis collatis charitas intus magis Charitas quomodo solum remunerabilis. flammescit, & meritum crescit. Hic si quis dicat, quòd sola charitas est solum remunerabilis: verum quidem est si ita intelligat, quòd sola non excludat D alia, sed aliorum comparationem tollat: vel nullam sine ea, & nisi propter eam remunerandam esse, quæ tanta est, quòd nunquam excidit, hoc est nec hic, nec in futura vita deest, sed sola virtutum manet in 1.Cor.13. perpetuum. Ergo secundum supradicta probabiliter dici potest, quòd multa bona in sanctis Deus remunerat præter charitatem, non quasi sine charitate, sed multa, quæ non sunt illa charitas. Nunqnid enim nos dicemus, quòd fides non habeat meritum? absit: & tamen ipsa non est charitas, sine ea enim esse potest, sed sine ea non remuneratur, simul autem cum ea auget meritum. Sic ergo sua cætera dona remunerat Deus ijs, qui ea cum charitate conseruant, ex quibus E ipse omnia cooperatur in bonum, & pro singulis suis donis siue virtutibus siue sacramentis, quæ per charitatem custodiuntur, coronas reddit singulas, sola tamen gratia. Reddit dixi, intuens liberum arbitrium: & sola tamen gratia subiunxi considerans, quòd omne bonum est desursum descendens à patre luminũ: Iaco. 1. Sed his hactenus in publico ostensis quasi in planis conuallium, hinc transeamus ad montem myrrhæ, & ad colles Libani.

De celebratione Missæ. Cap. 7.

SAncti patres, & prophetæ ante Aduentum Domini suspirantes, & præconizantes præmiserunt desideria, opera, laudes, & præces. Hæc autem in introitu missæ commemorantur. Chorus enim clericorum canentium, chorum significat prophetarum, & multitudinem sanctorum, qui expectauerunt aduentum Domini. Introitus (qui dicitur officium, quia per ipsum inchoamus missæ officium) exprimit desideria expectantium cum præconis. Versus Psalmisticus opera, & vaticinia. Gloria patri laudes. Iteratio officij innuit eos sæpe iterasse suspiria de Christo, atque pręconia. Kyrieeleison ter triplicatum significat preces illorum, qui ad hoc multiplicant, vt gratia summæ Trinitatis per Aduentum Christi nouies distinctis angelorum agminibus eos conformaret. In- Sacerdos sacra veste indutus de sacra æde procedens. terim autem dum hæc dicuntur, vel aguntur, sacerdos sacra veste indutus de sacra æde procedit, significans quòd Christus expectatio gentium sic desideratus, carne sacrosancta assumpta de virginis carne incorrupta, de secreto habitaculo cœlorum egressus est in mundum, vel de secreta æde egressus est, idest de virginali vtero, tanquam sponsus procedens de thalamo suo: quod ad Natiuitatem pertinet, quam Psal. 18. habet a matre. de alia autem dictum est: Egressus eius a patre &c. Duas enim habet generationes, vnã æternam, alteram, temporalem. Sed vtranque secretam & inenarrabilem: quia illam habet sine patre, & Mic. 5. hanc sine matre. vnde propheta. Generationem eius quis enarrabit? Sacerdotem autem egredientem prę- C cedunt duo ceroferarij, & portator thuribuli: deinde Esa.53. subdiaconus portãs Euangeliũ, & diaconus lecturus Euãgeliũ. Per ceroferarios, & thuriferarium intelligimus sanctos qui nouum præcesserunt testamentum. Per subdiaconum portantem textum Euangelicum, & per diaconum Euangelij prædicatorem, sanctos noui testamenti. Per duo autem candelabra cum cereis ardentibus legem commemoramus & prophetas. Per textum Euangelicum nouum testamentum. Vnde pulchrè prędicedunt candelabra, quia lex & prophetæ prędicesserunt legem gratię. Iterum per thuribulum cor hominis intellige, per ignem charitatem. Et in D thure exemplum bonorum operum, vel orationes suauissimas considera. Sicut enim thus in igne thuribuli suauiter redolet, & sursum ascendit: ita opus bonum vel oratio ex charitate fragrescit vltra omnia balsama, pigmenta, & thymiamata. Thuriferarius autem ceroferarios & sequẽtes prędicedens, monstrat quòd thuris significatio communis est sanctis vtriusque testamenti. Subdiaconus & diaconus præcedũt sacerdotem, quia discipuli missi sunt ante Dominũ, & adhuc mittuntur prędicatores, idest prælati Ecclesiæ, prępparare viam Domini spiritualiter ante faciem eius. Cum verò ventum est ante altare, ponitur Euã- gelium super illud. Altare enim significat Hierusalẽ, vbi primum prędicatio facta est primitiuę Ecclesiæ, & inde exiuit in publicum: sicut scriptum est. De Sion exibit lex, & verbum Domini de Hierusalem. Esaiæ. 2. Et nota, quòd facta generali confessione, vt pura pectora sint seruientium, sacerdos dat osculum, significans Christum, qui nobis pacem attulit primus. Post hoc veniens ad altare, similiter osculatur ipsum, & Euangelium. Altare in hoc loco Iudaicum populũ significat: Euangelium Gentilem, qui per Euangelium credidit. Vtrique enim Christus dedit pacem. quando lapis angularis factus, fecit vtraque vnum. Et nota, quòd diaconus vel subdiaconus offert sacerdoti

Universidad de Deusto
Biblioteca

cerdoti Euangelium ad osculandum, quia prædicato A
res reconciliauerunt, & obtuleruñt gentes Christo,
quibus & ipse per se non prædicauit. Quòd autem sa
cerdos prius dexteram partem petit altaris, innuit
quòd Emmanuel in lege promissus prius venit ad
Iudæos quàm ad gentes. Iudæi enim propter legem
in dextera parte tunc fuerunt: Gentes verò quasi in
sinistra, quia colebant Idola. Post hoc verò finitis su
prædictis, & choro tacente, sacerdos in medio altaris
hymnum incipit angelicum, scilicet Gloria in excelsis
Deo, significans quòd cum Deus vmbram legis am
plius non postularet, & dum † medium silentium te-
nerêt omnia, natus est in medio (idest pro omnibus)
Messias, quem prophetæ prædixerunt. In cuius Na-
tiuitate angelus ad pastores ait: Annuntio vobis gau
dium magnum. Quòd autem chorus communiter
vociferans deinde complet hymnum, quem solus sa
cerdos prius incepit, significat quòd statim facta est
cum angelo multitudo cœlestis exercitus laudantiũ,
& dicentium: Gloria in excelsis Deo. Finito hym-
no sacerdos salutat populum dicens: Dominus vo-
biscum. Orat, vt Deus sit cum illis, & in illis maneat.
Hæc autem salutatio in veteri testamento audita est.
Per hoc verò quòd ab Episcopo dicitur Pax vobis:
datur intelligi quòd ipse magis propriè sit Vicarius
Christi, qui post resurrectionem pacem annuntians
sic salutauit Apostolos. Deinde sacerdos oraturus
hortatur alios, vt orent: quia Dominus monuit disci-
pulos orare, & ipse orauit. Epistola, quæ orationem
sequitur, prædicationem Ioannis Baptistæ repræsen-
tat: quia sicut ille præcursor fuit Christi, ita præcedit
epistola Euangelium. Epistola etiam exprimit doctri
nam septuaginta duorum discipulorum, quos Domi-
nus misit in omnem ciuitatem & locum, quo erat ip-
se venturus, & quibus ait: Messis multa quidem, ope
rarij autem pauci. Responsorium, quod epistolam
sequitur, assensum significat, quem auditores moni-
tis præbuerunt prædicantium: vnde pulcher respon-
sorium nominatur. Quod enim per prædicationem D
crediderunt iuxta velle prędicantium respondent,
dum Dei legem sanctè viuendo compleuerunt, vel
quia respondente choro cantatur, responsorium dici
tur: & actiuam vitam significat, in qua sancti se ad
inuicem exhortantur, vt ad æternam vitam perue-
niant. A quibusdam autem graduale vocatur, vel
quia in gradibus canitur, vel propter mysticam signi
ficationem: quia actiui etiam viri in gradibus virtu-
tum cantant, dum in virtutibus excelsa faciunt opera.
Sequitur alleluia, quod est hebraicum. Tres enim
linguæ sunt, quæ inter alias excellunt: Hebræa pro-
pter legem, Græca propter sapientiam, Latina pro-
pter regnum. His tribus linguis titulus Christi trium E
phalis emicuit: & his tribus linguis laus Dei in eccle-
sia decantatur. Itaque alleluia hebrææ linguæ est, &
latine interpretatur Allelu, Laudate: ia, Dominum.
Sed viam prosequamur. Alleluia, quod iubilum ha-
bet, exprimit gaudium, & amorem credentium, &
quanta lętitia, & laus secuta sit fidem, audita prędica-
tione. Neque enim tantum assensum præbuerũt prę-
dicationi, sed ea audita lætati sunt. Audiuit, & lętata
est Sion, & exultauerunt filię Iudæ. Vnde dicunt in
Canticis canticorum. Exultabimus, & lętabimur in
te. Et sponsa: Anima mea (inquit) liquæfacta est,
vt dilectus locutus est. Significat & alleluia vitam
contemplatiuam: vnde mysticè in altiori gradu ca-
nitur quàm responsorium. Item alleluia, dum post
versum repetitur, significat æternum gaudium, quod
post hanc vitam sancti recipiunt. Vnde alleluia mo-
dicum est in sermone, & multum, in pneumate:
quia gaudium illud maius est, quàm sermone possit
explicari, ad cuius magnitudinem reuelandam om-
nis lingua modica est, & imperfecta. Quis enim pla- 1.Cor.2.
ne enarraret, quod in cor hominis non ascendit?
Hoc ergo gaudium, quia nec penitus verbis expri-
mi, nec penitus taceri potest: Ecclesia quasi demissis
verbis iubilando quasi in admirationem prosilit, ac
si dicat: Quæ vox, quæ poterit lingua retexere &c. B
Hic enim verba non sufficiunt nec intellectus, nec
tamen amor sinit tacere. Sic ergo ecclesia pneuma-
tizando, dictu mirabile, expressius quodam modo
& melius sine verbis quàm per verba innuit, quan-
tum sit gaudium Dei, vbi verba cessabunt. Per
pneuma enim licet non enarretur quantum sit æter-
num gaudium, saltem monstratur ipsum esse ine-
narrabile. Quando autem sequentia sequitur poste-
rius alleluia non habet pneuma, sed chorus in loco
eius sequentiam concinit, qua idem significat, idest
æternę vitæ gaudium atque delicias. Vnde illa noua
solet habere verba & inusitata: quia cæli gaudium se-
cretum est, & incognitum mortalibus. Vel sequentia C Psal. 83.
æternę vitę mysticat laudes. vnde dictum est: Beati,
qui habitant in domo tua Domine, in secula seculo-
rum laudabunt te. Huic significationi pulchre con-
uenit, quòd sequentia verba habet laudiflua & can-
tum dulcisonum: quia ibi omnia erunt plena laude,
& melodia cęlestis organi abundabit dulciflua lęti-
tia. Quia sicut lętantium omnium habitatio erit ibi. Psal. 86.
Et quia laudes æternę vitę humanis verbis non reso-
nabunt, quędam ecclesiæ mysticè pneumatizant se-
quentiam sine verbis. Nulla enim verborum signifi-
catio necessaria, vbi corda singulorum patebunt sin-
gulis librum vitæ intuentibus. Tractus autem (quia
gemitum, & cantum lachrymabilem exprimit) la-
chrymas sanctorum siue in actiua siue in contempla
tiua vita repręsentat. Vnde tractus dicitur, quia san-
cti suspirantes ab imo pectoris gemitum trahunt, qui
licet spe gaudeant vt monet alleluia, tamen in valle
lachrymarum hic commorantes habent irriguum su
perius, & irriguum inferius, quod tractus mysticat. Iosue. 15.
Pfal. 136.
Gemunt enim flebiliter pro supernę dilatione bea-
titudinis, super flumina babylonis sedentes patrię suę
memores. Iterum lachrymas fundũt pro suis & alio-
rum excessibus, dum ex vicinitate babylonici fluuij
seipsos vident sępe aspersos, & alios penitus immer-
sos ipsius fluuij rapiditate ferri deorsum. Sed quia
hic ploratus quandoque est respectu superni gaudij,
quandoque est respectu nostræ miserię, tractus quan
doque tangit lętitiam pro superiori irriguo vt in Iu-
bilate & Laudate, & quandoque tristitiam pro irri-
guo inferiori, vt in De profundis & alijs huiusmodi.
Et quia gaudium sanctorum non est plenum & con
tinuum, sed sępe interrumpitur, ecclesia quandoque
interponit tractum, vt in septuagesimali tempore. Et
cum repetit alleluia in sabbato paschali, tractus alle-
luia sequitur, quia gaudium hic non expedit sine le-
tu. In sabbato in albis, idest in octauis paschę dupli-
catur alleluia, quia in æterna vita perfectè tũc erit gau
diũ, glorificata carne cum anima, & completa resurre
ctione

Sap.18. † quietum

Lucę.1.

Ruth.2.

Ioan.20.

Matt.6. Lucę.11. Matt.14. Lucæ.6.

Lucæ.10.

Pfal.96. Cant.1. Cant.5.

Ioan.19.

ctione sanctorum cũ resurrectione Christi. Vnde A
cantat ecclesia: Hęc dies, quam fecit Dominus &c.
Meritò itaque ecclesia significãs æternũ gaudium,
vt supra diximus, quandoq; gaudiũ per alleluia in-
nuit, quandoque in mœrore viuens per tractũ inge
miscit, & plorat. Considerãs enim in paradiso diui-
narũ scripturarũ, quòd per paradisum virtutũ ad pa
radisum cęlestium diuitiarũ peruentura sit, exultat:
respiciens autem, quòd adhuc in valle lachrymarũ
retinetur, & quòd de terrestri paradiso cecidit, plo-
rat. Sed de hoc gaudio, & de hoc ploratu plenius
explicabo diuisim in duobus voluminibus, quorũ
Euangelij à dextera pa- vni erit nomen Paradisus, & alteri, Cur flet qui gau
te in sinistrã der. Hinc autẽ ad aliud transeuntes intueamur tran B
translatio. situm Apostolorũ de Iudæis ad gentes, quem per
hoc cõmemorat ecclesia, quòd Euangelium a dex-
tera parte ad sinistram transfertur, & ibi legitur. In
dæa enim respuente verbũ Dei, Apostoli transierũt
Iudic.6. ad gentes: dum siccato Gedeonis vellere, ros irriga-
Matt.10. uit aream. Qui enim prius dixerat, In viam gentiũ
Marci vlt. ne abieritis: post hæc præcepit dicens: Prædicate
Euangelium omni creaturæ. Quia ergo prędicatio
peruenit etiã ad illos, qui in sinistra parte fuerãt, me
ritò in sinistra parte legitur Euangeliũ: nec tantum
in sinistra, sed etiam aduersus Aquilonem, qui ma-
Esa.14. los significat, iuxta illud: Ponam sedem meam ad C
Aquilonem. quia etiam ad tales peruenit prædica-
tio, qui lõgè a calore veri solis recesserant. Vel pro-
pter hoc potius cõtra Aquilonẽ legitur: quia Aqui-
lo ventus frigidus diabolum significat, qui flatu tẽ-
tationum corda hominum cõgelat & infrigidat ab
Hier.1. amore Dei. vnde Ab Aquilone (inquit) pandetur
omne malum. Et sponsa in Canticis canticorũ: Sur
Cant.4. ge (inquit) Aquilo, & veni Auster. hoc est recede
maligne spiritus, qui hortum meum infrigidas, &
veni auster, idest Spiritus sancte, qui perflans aro-
mata fluere facis. Meritò ergo cõtra Aquilonem le-
gitur Euangelium: quia fides, quæ in Euangelio cõ-
tinetur, armatura nostra est contra diabolum. Cui D
(inquit) resistite fortes in fide. Nũc cõsidera quòd
plebs baculos hìc deponit, reclinatoria relinquit, ca
put detegit, crucem fronti imprimit, stans audit,
1.Pet.5. quòd Euangelium in altiori gradu legitur quã Epi
stola: nota singula. Deponere baculos innuit Chri-
Heb.10. stianæ esse perfectionis, non vindicare, sed Domi-
no referuare vindictam: quia inquit: Mihi vindi-
ctam, & ego retribuam. Reclinatoria relinquere, si-
Eccl.1. gnificat quòd non debemus confidere in principi-
bus, vel sustentaculis terrenis: quia vanitas vanita-
tũ, & omnia vanitas, dicit Ecclesiastes: subauditur
comparatione Dei, in quẽ nostram curam iactare
debemus. Caput detegitur, vt ostendatur quam at- E
tentè audire, & intelligere verbũ Dei debemus. Si-
gnum crucis fronti imprimitur, ne hostis antiquus
superueniens per zizaniã hęresis corrumpat semen
rectæ fidei. Per hoc quod stantes audimus, grauem
pugnam restare consideretur: Quia nobis non est
colluctatio aduersus carnem & sanguinẽ, sed aduer
Ephe.6. sus principes tenebrarum harum. In altiori gradu
legitur Euangelium quàm Epistola, quia doctrina
Christi longè excellit doctrinam Apostolorũ. Post
Euangelium chorus cantat compendium nostræ
fidei, ostendens se præbere assensum verbo Euan-

gelij, & in quem vel quid credit. Rectus ordo, quo
rex vocat, respondent milites, sequimur. Deinde sa
cerdos salutat populum dicens: Dominus vobiscũ.
hęc salutatio ab antiquo sumpta est. Booz enim
messores suos sic salutauit: & propheta in Paralipo
me. Asa regem, & eos, qui cum eo erant. Salurat er Ruth 2.
go sacerdos populum & monet orare, vt in fide re- 2 Par. 15.
citata permaneat stabilis. Quod ei promittens cho
rus, offertorium succinit: ac si dicat, Credo: & fidẽ,
quam confessus sum, opere implebo. Vnde sacer-
dos statim offert dona consecranda: Et dehinc mu
nera sua populus, significans offerre seipsum Deo.
Considera ordinem: Euangelium præcedit, fides se
quitur, dehinc offerũtur munera. Necesse est enim
primum audire verbum Dei. Quis enim crederet
nisi prius audiret? Quomodo (inquit) credent, ni- Rom. 10.
si prædicentur? Deinde quis nõ rectè credens, mu-
nus Deo acceptabile offerre poterit? quia sine fide
impossibile est placere Deo. Possumus etiam per
oblata munera commemorare copiosam victimã,
quę oblata est a populo, cum rex Salomon templũ,
& altare Domino sacraret. Exemplo illius plebs fi- Heb..
delis offert se, & sua dona Domino. Nunc autẽ di- 3.Reg.8.
ligentius ad hoc referamus oculos, quòd sacerdos,
vt supra commemorauimus, offert dona sacrifican
da, panem scilicet, & vinum. Vtraque typicè obtu-
lit Melchisedech: vtraque Christus dedit discipu-
lis cęnantibus. Sed vtraque in corpus & sanguinem Gen.14.
conuersa sunt. Vtrum autem vtraque conuertãtur Matt.26.
in vtrunque, supra me est definire. Tutius tamen 1 Cor.11.
quòd panis tantum in corpus, & vinum in sangui-
nẽ, quàm vtrunque in vtrunque conuerteretur, dice
rem: nisi videretur occurrere, quòd sub vtraq; spe-
cie vtrunque sumi credimus. Sed nec hoc repu-
gnat si rem subtilius intueamur. Sub specie enim
panis vtrunque esse potest & sumi: non quia panis
in vtrunque forsitan transierit, sed quia vbi vnum
est, corpus est, & separatum non est, nec diuisim su
mitur vt diuisæ sunt species, sub quibus sumitur,
sed vtraque simul, licet diuisim loquamur secun- D
dum species diuersas hoc est (inquit) corpus meũ;
& deinde, hic sanguis meus. Sed dicit aliquis: Erat
ne proprium corpus ipsius, quod dedit, an figura-
tè locutus est, vt quando se vocauit ostium? Pro-
prium quidem erat corpus eius, & verum corpus,
quod tunc dedit discipulis, & nunc in altari sumi-
tur & manducatur: Idem (inquam) quod de vir-
gine natum est, & iam immortale ad dexteram Dei
est in gloria. Mira res: Caro, quæ comeditur in
imis, integra manet in excellis. Ad quid opponis
dialecticè? quid hìc meditaris sophista? cur argu-
menta hic quæris? hoc est puluerem in astra spar-
gere. Dialectica tua tantum non ascendit. Respi-
ce enim & vide vbi es, & intellige, quòd sensus pri-
mam tenet regionem ascendendi, Imaginatio se-
cundam, Ratio tertiam, in qua dialectica tua didi-
cit ludere. Supra hanc fides est excellior dialecti-
ca, quæ non est audita in Chanaan, nec visa est in Baruc.3.
Theman, cui humana ratio non præbet experimen-
tum, maximè cũ de fide Trinitatis, nec vel de cor-
pore Domini (vt hìc) sermo contexitur. Intellectũ
verò fides transcendit, per quam sancti vident cęli
secreta, vt Paulus in tertio cęlo, & Ioannes in Apo
calypsi.

Universidad de Deusto
Biblioteca

1.Cor.13. calypsi. Sed intellectus in visione æternæ vitæ perficietur, quando videbimus Deum facie ad faciẽ, quem hìc contemplamur in ænigmate. Nemo hìc proterue disputet, sed quod auget fidei meritum humiliter quæratur: & quod sine periculo non discutitur, firmiter credatur. Potest ergo quæri, cur Dominus carnem suam sumi voluit: nec tantum carnem, sed carnem & sanguinem: & quare non in specie carnis & sanguinis, cum sit caro & sanguis: Et quare sub sacramento: & vtrum sumatur tantũ caro & sanguis Christi, an totus Christus, & si totus Christus, quare vsualius dicamus corpus Domini sumere, quàm Christum vel dominum. Voluit ergo Christus carnem suam sumi a fidelibus B vt per cibum carnis inuitaret ad gustum diuinitatis, & quod hìc temporaliter gerimus, æternis gaudijs cõsequamur: vt hìc sit in medicina, & ibi in delicijs. Vtrunque sumi voluit: vt corpus nostrum & anima simul nostra cum eo glorificetur. In specie carnis & sanguinis non sumitur: ne humanus animus obhorreret, & sensus sibi insolita expauesceret, vt quãdo orãte beato Gregorio digitus auricularis cruentatus sanguine in calice inuentus, ac ostẽsus est. Sub sacramento, & non sub propria forma sumitur, vt fides comprobetur, quæ est de ijs, quæ non videntur: vel quia non posset mortalis homo intueri claritatem, quæ esset in corpore Christi, quã C experti sunt discipuli in transfiguratione. Sub tali autem sacramento sumitur, ideſt sub specie panis & vini, propter hanc similitudinem, quia panis confirmat, & vinum lętificat cor hominis: & Christus virtus est, & lętitia hominum & angelorum. Et licet in qualibet istarum idem & totum sumatur, tamen in vtraque sumitur, ad significãdum, quòd duplex est effectus huius sacramenti. Est enim redemptio corporis, & animæ: quod non significaretur, si in vna tantum specie sumeretur, quòd licet in vtraque specie vtrunque sumatur, non tamen in vtraq; vtrunque significetur. Sed species panis corpus, & D species vini sanguinẽ Christi respectu resurrectionis significat: & sumptio in vtraq; specie simul redemptionẽ corporis, & animæ sumentis significat. Alibi autem alio respectu panis & vinum corpus Christi, quod est Ecclesia, significant: quia sicut vnus panis ex multis granis, & vinum ex multis racemis: ita vna Ecclesia (quæ rypicè corpus Christi) ex multis personis adunatur. Hic autem, hoc est in sacramento altaris, in specie panis & vini verum corpus & verus sanguis eius sub vtraque specie veraciter post consecrationem sumitur. Licet ergo vtrunque sit sub vtraque specierum illarum, sub vtraque tamen sumitur ad significandum, (vt E diximus) duplicem effectum. Nec est iteratio sacramenti nisi secundum eandem speciẽ denuo sumatur. Quòd autem non debeat dari intinctum, ex decretis habemus. Et nota, quòd non de quolibet pane hoc consecratur sacramentum, sed tantum de pane frumenti: quia ipse de se dicit: Nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet. Pulchrè autem se vocat granum frumẽti, quia granum frumenti candidum est interius, & rubrum exterius, Et Christus candidus dicitur respectu diuinitatis, & rubicundus in carne propter

Cur Christus carnẽ suã a fidelibus sumi voluit.

Psal.103.

Eucharistiæ effectus duplex.

Eucharistiæ sacramẽti materia conueniens quæ.

Ioan.12.

Christus cur granum frumẽti dicatur.

A passionem. Vnde sponsa in Canticis canticorum. Dilectus meus candidus & rubicundus. De hoc rubore vox illa est admirantium. Quis est iste, qui venit de Edon tinctis vestimentis de Bosra? De vino autem sanguis Christi consecratur, vt intelligamus quòd ipse est vitis vera suos verè lętificans. vnde sponsa cantat: Botrus cypri dilectus meus mihi in vineis Engaddi. Et meritò hoc sacramentum consecratur de pane frumenti & vino in quibus est principalis refectio: vt intelligamus principalem refectionem in corpore & sanguine Christi ex diuinitate: quia caro Christi est verè cibus, & sanguis eius verè est potus: dum in perceptione gratiæ donum internæ & æternæ refectionis meretur, qui cõmunicat corpori Christi. Ad hoc restat quærendum, vtrum sumatur tantum caro & sanguis, an totus Christus. Ad quod respondeo, quod ego filius a matre Ecclesia didici: quòd totus Christus sumitur non diuisus. Sed quæritur quare vsualiter dicitur sumi corpus eius quasi diuisim: cum in persona Christi tres sint substantiæ, verbum, caro, & anima? Non est autem intelligendum diuisim, quasi tantum illud, quod est corpus, sumatur. Sed dicitur corpus Domini sumi, vt intelligatur ipsum Dominum verè sumi: quo genere loquendi dicimus, corpus regis ibi fuit, ideſt verè rex ibi fuit. Vel corC pus Domini dicimur sumere: quia corporea substantia, scilicet panis & vini, non transit in substantiam incorpoream, sed in substantiam corpoream, videlicet in corpus & sanguinem Christi. Vel nimio amoris affectu corpus nominamus. Vel cum in Christo diuersæ sint naturæ, illud nominamus quum sic loquimur, quod propriè corporis oculis videri potest, hoc est corpus. Sed licet corpus Christi vsualiter dicatur sumi, tamen Christus integer sumitur: nec pars sub specie panis, & pars sub specie vini: sed totus hìc, & totus ibi: non pars in parte, sed totum in parte. Videtur pars una, & quasi D pars esse videtur: & totum ibi est. & pars altera videtur, & quasi altera pars est: & idem totum est. totum hic & totum ibi: nec minus in parte quàm in toto, nec maius in toto quàm in parte. Et quotcunque partes feceris, totum in singulis est. Nec mireris: opus Dei est. Si in diuersis locis põt esse vnus: quare nõ in singulis partibus potest esse totus? Vtrũque mirum est, sed vtrumque verum est. Nec tamẽ mirum est respectu facientis. Quid enim mirum si omnipotens & mirabilis miranda operatur? Sed dicis: Quomodo corpus vnum eodem tempore in diuersis locis esse potest? Super altare est, & in cœlo est: hìc est, & ibi est: & totum est vbicunque est: E tantumque hìc, quantum ibi: & in multis locis similiter totus est. Noli mirari qui fecit corpus & locum, vtrumq; facit in altero esse vt vult: & est semper sicut ipse vult, qui sic & aliter facere nouit & potest: cuius sapientiæ non est numerus, cuius potentia naturis rerum imperat. Sed tu miraris quando vides vel audis, quæ videre vel audire non consueuisti. Idcirco quando mirari cœperis, & dixerit tibi cogitatio tua: quomodo hoc esse potest? cogita facientem & respicè omnipotentem, & desinet esse mirum quicquid illud fuerit. Et si fortè mirabile esse non defierit, incredibile tamen non erit:

Cant.5.

Esa.63.

Cant.1. Cur Sacramẽtum altaris cõsecretur de pane frumenti, et vino. Ioan.6.

Vtrum sumatur tãtum caro, et sãguis, an totꝰ Christus.

Quare vsualiter dicitur sumi corpus Christi quasi diuisim, cũ in persona eiusdem Christi tres sint substantiæ, Verbum, caro, et anima.

quomodo corpus Christi eodẽ tpe in diuersis locis esse posit.

Psal. 146.

erit: quia si factor omnipotens cogitatur, non A erit impossibile apud eum quicquid erit. Sed dicit forsitan cor tuum: vbi est corpus Domini postquam sumpsi illud, & manducaui? Audi ergo. Corporalem præsentiam Christi quæris? in cęlo quære. Tecum per corporalem præsentiam ad tempus esse voluit, quando & quandiu necesse fuit. Exhibuit ad tempus præsentiam, vt per illam ad spiritualem inueniendam excitaret, & iuuaret. Ideo ad te corporaliter venit, vt per corporalem præsentiam spiritualis inueniatur, quæ non auferatur. Venit ad te corporaliter, non vt hic tecum permaneat corporaliter, sed spiritualiter. Sic per B assumptam carnem occultus venit in mundum, & secundum corporalem præsentiam cum hominibus conuersatus est, vt ad spiritalem eleuaret præsentiam: & completa dispensatione secundum corporalem præsentiam recessit, sed secundum spiritalem remansit. vnde ait: Ecce ego vobiscum sum vsque ad consummationem seculi. Sic ad te venit corporaliter, vt tecum maneat spiritaliter. Quando in manibus tenes eius sacramentum, corporaliter tecum est. Quando ore suscipis, & quando ore manducas, corporaliter tecum est. Denique in visu, in tactu, in sapore corporaliter tecum est. Et quamdiu sensus tuus corporaliter afficitur, eius C præsentia non aufertur corporalis. Postquam autem sensus corporalis in perficiendo deficit, deinceps corporalis Christi præsentia non est quærenda, sed spiritualis retinenda. dispensatio completa est, perfecta est: perfectum sacramẽtum: virtus manet. Christus de ore ad cor transit, non cibus corporis sed animę. venit ad te per corporalem presentiã, vt comedatur, non vt consumatur: vt gustetur, non vt incorporetur. Sed quando caro Christi manducatur, non qui manducatur, sed qui manducat ei, quem mãducat, incorporatur. Audiuit Augustinus de cęlo Christum dicẽtem: Cibus grandium sum, crede & manducabis me: non vt me mutes in te, si- D cut cibum carnis tuæ, sed vt tu muteris in me. Cõpleta ergo sacramentali dispensatione, si corporalem presentiam Christi quæris, in cęlo quære: Ibi quęre vbi prius fuit, quàm per sacramentum corporaliter tecum esse inciperet, & vnde non discessit, quando ad te venit. Itaque prudenter discerne quid in sacramẽto altaris sensui exhibitum sit, quid spiritui accommodatum. In hoc enim sacramento tria considerantur. Vnum, quod est tantum sacramentum. Alterum, quod est sacramentum, & res sacramenti. Tertium, quod est res tantum, & non sacramentum. Sacramentum tantum est visibilis species panis & vini. Sacramẽtũ & res est corpus Chri E sti & sanguis: res quantum ad species, sub quibus sumitur: sacramentum est alterius rei, quia signum est illius gratiæ & virtutis, quæ ibi percipitur, scilicet vnionis & capitis & membrorum. Et hæc vnio res est, non sacramentum, sed virtus sacramenti. Ec ce tria consideraumus. Primum est secundi signũ, secundum causa tertij, tertium virtus secundi, & veritas primi. Aliud ergo est species, quæ visibilis cernitur: aliud veritas corporis & sanguinis, quæ inuisibiliter creditur: aliud spiritalis gratia, quæ cũ corpore & sanguine inuisibiliter & spiritaliter per-

Post sumptionẽ Eucharistiæ, vbi sit corpus Christi.

Matt.28.

In Eucharistia quæ tria considerẽtur.

cipitur. Visibilis species sacramentum est corporis & sanguinis Domini: Corpus autem & sanguis sacramẽtum inuisibilis gratiæ, sine qua sacramentũ non prodest. Cum autem sacramentum dupliciter dicatur, vel sacræ rei signum, vel sacrum secretum: species panis & vini sacramentum dicitur, hoc est sacræ rei signum, scilicet corporis & sanguinis Domini. Corpus autem & sanguis Domini sacramentum dicitur: quia sacrum secretum est, quod per visibilem speciem significatur, quia sacræ rei signum est, quia significat gratiam spiritalem, quæ dicitur spiritalis caro Christi. vt enim dicit Hieronymus intelligitur dupliciter caro Christi: vel caro, quę nata est de virgine: vel caro spiritalis, de qua dicit Dominus: Caro mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus. qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in eo. Hanc carnem manducat, quicũque per fidem & dilectionem Christo vnitur, & consecratur, & conformatur. Particeps enim fit corporis & sanguinis Domini spiritualiter, licet non sacramẽtaliter (& hoc Augustino attestante) quicunque in baptismo membrum Christi efficitur. Nec tanto sacramẽto priuatur ille, in quo hoc inuenitur, quod sacramentum illud significat, hoc est ipsa efficacia, quæ virtus sacramenti, & caro spiritalis appellatur, vt supra diximus. Hic perpẽdere potes, quòd sicut dupliciter caro Christi intelligitur, vt iã diximus: ita sumptio duplex est, sacramentalis & spiritalis: quia boni & mali sacramentum sumunt, rẽ sacramẽti tantum boni. Sacramentum in hoc loco corpus Domini appellamus. Rem sacramenti ipsam efficaciam & gratiam spiritualẽ, quam (vt supra diximus) Hieronymus vocat spiritualem carnem Christi, quam non manducant nisi boni. Sacramentalis autem communio est communis bonis & malis, quæ sine spirituali nõ prodest. vnde Dominus: Caro non prodest quicquam, spiritus autem viuificat. Ac si diceret: carnem meam sumere nõ prodest, nisi sumatur in gratia spirituali. Immo qui sumit indignè, reus est corporis, & sanguinis Domini. Spiritalis autem sumptio (quæ vera fide percipitur) sine sacramentali (vbi non est contemptus religionis) sufficit. Qui ergo manducat dignè, habet sacramentum, & rem sacramenti. Qui credit, & diligit, etsi manducare sub sacramento non posit, rem tamen sacramenti habet, & spiritualiter manducat, & veraciter Christo incorporatur. Sic itaque quidam manducantes non manducant, & quidam non manducantes mãducant. Quidam enim indignè manducantes corpus Domini non percipiunt gratiam spiritualem. Indignè manducat, qui in crimine manet, vel irreuerenter sumit non dijudicans corpus Domini. Quidam autem licet corporaliter sumere non possunt, tamen spiritualiter manducant spiritalem carnem Christi, hoc est efficientiam sacramenti, sine qua non est vita spiritualis. Vnde Dominus dicit: Nisi manducauetitis carnem filij hominis, & bibe- Ioan.6. ritis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis. Corpus igitur Domini alijs est ad iudiciũ, & alijs ad salutem. Virtus autem huius sacramenti nullis ad mortem, sed omnibus sumentibus est ad salutẽ, quæ etiam per communionem sacramenti augmen

Visibilis species quid cõpus, & sãguis Christi quid Sacramẽtũ dupliciter dicti.

Luc.8. Ioan.6.

Eucharistię sumptio duplex.

Ioan.6.

1.Cor.11.

Indignè corpus Domini manducans quis.

Ioan.6.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Ioan.6.

tatur, quoties hoc sacramentum, id est corpus Domini percipitur. Hic est panis viuus, qui de cęlo descendit: si quis manducauerit ex hoc pane, viuet in æternum. Igitur cum fide vera, & mundo corde accedendum est ad hoc tantum sacramentum, ad hoc sacramentum & immortale prędium, mysterium & libamen agendum, quod est sacramentum sacramentorum omnia sanctificans sacramenta. Vnde per excellentiam dicitur Eucharistia, id est bona gratia: quia non tantum in hoc sacramẽto gratia sumitur, sed etiam ipse, a quo est omnis gratia. Hæc eucharistia dicitur diuina, quia dignè sumentes diuinos, & participes diuinitatis facit. Hic est panis quotidianus, quem necesse habet quotidie Ecclesia sub sacramẽto sumere. Sicut enim necessaria fuit illa nobis Christi prędentia in carne olim, qua mori posset: ita necessaria est vsque ad finem mundi eius præsentia eo modo, quo panis viuus, qui de cęlo descendit manducari posit. Igitur qui tunc ex sola dilectione exhibuit se talem, vt lancea perforari posset: & nũc vsque ad finem seculi se talem exhibet, qui in sacramento manducari posit. Hoc sacramentum firmamentum est contra hostes, de quo Ecclesia in propheta: Parasti in conspectu meo mensam. Hoc sacramentum viaticum est ascendentium de exilio ad patriam. Hoc enim significabatur per Manna. Illud enim post transitum maris rubri filijs Israel datum fuit viaticum per desertum ad terram promissionis. Hoc spiritale manna Dominici corporis post baptismum datur Christianis, qui habẽt potestatem filios Dei fieri, vt hoc pane angelico per desertum huius seculi ad terram viuentium perueniant. Eundem panem manducat homo & angelus. Sed homo adhuc in medicina, angelus iam in delicijs. Solet autem quæri de sacramento, vtrum Dominus corpus suum mortale dederit discipulis suis ante passionem, an immortale, quod magis credimus: & quomodo tunc potuit dare corpus immortale, cum esset ipse adhuc mortalis? Hic quæri potest: quomodo de virgine nasci potuit: & quomodo nunc corpus eius totum in diuersis locis simul esse possit: & quomodo panis & vinum in corpus & sanguinem transeat non per vnionem, sed per transmutationem: & multa huiusmodi, quæ in hoc sacramento mira videntur. Est enim secretrum hoc sacramentum, & miraculis plenum, & mysterium inscrutabile: vnde quia, dum de eo tractamus, supra nos rimamur, ad id, quod residuũ est, vicina domus aduocetur. Quòd si nec ipsa sufficerit: igne, quod remanet, comburatur, hoc est Spiritui sancto tradatur, qui omnia subtiliter, & plenè intuetur, qui vbi vult, & quantum vult, spirat & erudit. Nunc autem ad hoc redeamus, quòd sacerdos (vt supra diximus) offert dona ad sacrificandũ, panem scilicet & vinum, sed & vino superadditur aqua. Hoc forsitan miraris, sed & hoc magnum est sacramentum. Vnda labilis homo est mortalis. Hęc mixta vino significat hominẽ Christo vnitum sanguine Christi. Qui separat aquam negat vnionem Christi & Ecclesiæ. Rursus hæc ideo coniungi debent, quia nihil prodest fons baptismi sine sanguine Christi, nec sanguis sine baptismo, vtrunque delatere Christi manauit. Qui vnum demit, non imitatur mysterium passionis. Sacerdos tantum inceptu rus sacramentum orat, vt oratio omnium sibi auxilietur. Vnde & Ecclesia pro eo orat, dicens: Spiritus sanctus superueniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi. vel illud: Mittat tibi Dominus auxilium de sancto, & de Sion tueatur te. vel, Sit memor omnis sacrificij tui, & holocaustũ tuũ pingue fiat: vel aliquid huiusmodi. Post hoc sacerdos secreto orãs significat secretas preces Christi dicentis: Pater, si fieri potest, transeat a me calix iste. Post preces sacerdos salutat populũ sublimi voce, & monet sursum habere corda, & gratias agere Patri per Christum: & agendas asserit esse per ipsum, sub quo tremit omnis potestas. Tandem sacrat dona sacranda, Nota singula. Hæc omnia Christus egit. Post preces venit ad discipulos dicens. Vigilate, & orate. Deinde dicit, dormite iam & requiescite. Post hæc oblatus est. Dum iussit vigilare, salutauit: quia salus adest vigilãtibus. Dum dixit orate, monuit sursum corda habere: quia non sunt oranda, nisi quæ sursum sunt. Dum vocat ad requiem, dicens, Dormite, monet gratias agere. Qui enim requiescit a malo, gratus Deo efficitur: quod est gratias ei agere. Et vt dignè Deo gratiæ reddantur, idest vt vita nostra consonet supernis ciuibus: orat sacerdos preces nostras adiungi vocibus angelorum, qui per Christũ maiestatem patris laudant, adorant, atque concelebrant, & tremũt: & quos tanto mysterio missæ certum est adesse, vbi ima adiunguntur supernis, & homo Deo sociatur. Dehinc statim chorus gratus de perceptis & de percipiendis donis hymnũ, cantat angelicũ, quem cęlestis militia clamare non cessat. In quo, vt in libro Esaiæ reperitur, chorus triplicat, Sanctus, propter personarum Trinitatem, & semel dicit, Dominus sabbaoth, propter diuinæ vsię, idest substantiæ vnitatem. Gratias agit creatori de beneficijs, cum dicit. Pleni sunt cęli, & terra gloria tua. De beneficijs specialiter redemptionis, dum cãtat, Benedictus, qui venit in nomine Domini. Hic vexillum crucis imprimitur: quia Christus per crucẽ triumphauit, & nos triumphare facit. Chorus iterat, osanna in excelsis, vt saluemur corpore & anima inter angelos. Post hæc sacerdos secretum incipit: hoc a quibusdã Missa vocatur, quia in primitiua Ecclesia catechumeni solebãt interesse celebrationi missæ vsq; ad consecrationem, & tunc clamabat diaconus dicẽs: Catechumeni exeant foras. & quia tunc mittebantur foras, hoc mysterium Missa vocabatur. Secretum autẽ ideo appellabatur, quia secreta voce peragitur. In primitiua autem Ecclesia alta voce proferebatur, donec pastores memoriter ex quotidiano vsu verba retinentes, in campis eadẽ cantabant. Sed ipsi diuina vindicta ibidem percussi sunt. vnde Ecclesia consueuit propter reuerentiam tantum mysterium secreto agere. Secretũ etiã dicitur, quia humana ratio nequaquam plenariè tantum mysterium capere potest. Ad quod significandum meritò secreta voce celebratur. De hoc tanto & tam secreto officio summam breuiter tangamus. Sacerdos igitur secretum Missæ celebrans repræsentat ea, quæ olim pontifex egit, quæ illæ præfigurauit. Nunc ergo considerandum est, quòd templum Dei olim diuisum erat in duas partes, vtlo interpositio: priorem autem partem illi vocabant sancta, interiora verò sancta sanctorum. Quicquid ergo in officio missæ agitur ante secretum, quasi in æde priore est: quod autem in secreto agitur, intra sancta sanctorum. Erat igitur intra sancta sanctorum (vt canones testantur) ara incensi, & arca testamenti, & tabula supra arcam, & supra tabulam duo cherubim gloriæ mutuo vultu sese respicientia. Huc intrabat solus pontifex semel in anno, habens nomina patrum in rationali & super humerali scripta, ferens sanguinem & carbones, quos cum thymiamate in thuribulo orans ponebat, donec fumus obumbraret eum. Deinde aspergebat tabulam & arcam sanguine, post exibat ad populum, & lauabat vestes, nec vocabatur mundus ante vesperam. Hæc signa fuerunt, & recesserũt postquàm venerunt significata. Prior ædes præsentem ecclesiam mysticat, sancta sanctorum cęlum, pontifex Christum, sanguis passionem, carbones charitatem Christi, thuribulum carnẽ ipsius Christi, thus crematum preces odoriferas, ara cohortes cæli, arca Christum secundum humanitatem, tabula super arcam Deum patrem: duo cherubim duo testamenta, quę adinuicem respiciunt sese, quia concordant: vestis, quæ lauatur, hominem significat, vespera finem hominis. Confer ergo quæ olim fiebant, & quæ Christus egit: & respice quomodo minister ecclesiæ illa repræsentet, & hæc peragit. Te igitur: vsque in primis. Pontifex olim intrabat sancta sanctorum cum sanguine semel in anno: & Christus per proprium sanguinem introiuit semel in sancta æterna redemptione inuenta. Sic minister ecclesiæ intrat cum sanguine in sancta sanctorum, quoties in mente memoriam sanguinis Christi gerens, hic incipit mysterium: qui non solum mente, sed crucis signaculo passionem Christi retractat, dum primo versu crucis signum apponit. Et nota quòd triplici nomine appellat, dona, munera, sacrificia. Ideo dona, quia Deus ea donauit, vt homo inde sustentetur: Munera, quia inde homo munerat auctorem: Sacrificia, quia ea sacrificantur. His etiam tribus nominibus pulchrè innuitur completum esse in hoc sacrificio, quod olim triplex spondebat hostia legis. In primis: vsque communicantes. Regalis pontifex ingrediens sancta sanctorum orabat: & Christus ante passionem suam orauit se glorificari, discipulosque conseruari. Nunc etiam sedens ad dexteram patris interpellat pro nobis. Sic noster minister sequens Aaron & Christum, pro tota supplicat ecclesia: deinde pro prælatis & subditis. Communicantes: vsque hanc igitur. Pontifex (vt lex iubebat) thuribulum aureum plenum viuis carbonibus intra sancta sanctorum secum portabat: & Christus carnis suæ thuribulum omni virtute plenum tulit ad astra. Item sacerdos legalis portabat nomina patrum scripta in rationali & superhumerali: & Christus nouit mente & actu nomina sanctorum. Nec sufficit sacerdoti tantum verbis commemorare, nisi ipse sanctos repræsentet intus in amore, & foris in moribus, vt intus calens sit amore, & extra coruscans moribus: quod significant logion & superhumerale. Hanc igitur: vsque supplices. Pontifex legalis orans fumo thymiamatis obumbrabatur & tegebatur, ne pateret alicui dum cremaret incensum: & Christus dum Patrem interpellat pro nobis, angelorum transit intuitum, quia intelligi non potest quantum præsentia sumptæ carnis impetret apud Deum Patrem pro nobis. Item sacerdos, dum vicem Christi gerit, quodammodo tegitur & latet: quia nec cogitari, nec enarrari potest quanta virtus & potentia sit in verbis in hoc mysterio, quia latet homines & angelos quomodo verba & mystica signa crucis prouehant do na oblata. Dum enim rogat Dominum, vt placatus oblationem accipiat: & quibusdam alijs interpositis rogat, vt dignetur facere oblationem benedictam, hoc est vt promoueat in melius: Ascriptam, hoc est sibi propriam: Ratam, hoc est vt sufficiens sit ad salutem: Rationabilem & acceptabilem, hoc est vt ipse rectè diuidat, & Dominum placare possit. Et hoc totum confertur in illis verbis Domini in cęna prolatis, quæ sacerdos subiungit. Sed ea dicturus sic prius incipit. Qui pridiè quàm pateretur. In his verbis sumit ab altari panẽ adhuc communem, & eleuatum benedicit, & signum crucis imprimit, & priusquam deponat repręsentat verba Domini, dum dicit: Benedixit & fregit: & quæ sequuntur. Postea tollit calicem & signat, & repræsentat verba Domini dicens: Et dedit discipulis suis dicens: Accipite, & bibite ex hoc omnes. Hic fit illud insigne miraculum. In his verbis cibus carnis fit cibus animæ. Per hæc verba, & per crucis signaculum nouatur natura, & panis sit caro, & vinum sanguis. vnde meritò cum venitur ad hæc verba, in quibus tanta gratia datur, sacerdos tollit altè vtrumque, significans hunc cibum & hunc potum excellentiorem cęteris. Supplices te rogamus, vsque Oremus præceptis. Pontifex (vt lex iubebat) aspergebat & aram, & exterius sacrũ sanguine pacifico: & Christus toties aspergit patrem sanguine, quoties eum placat per carnem assumptam. Aram aspergit, quandiu numerum restaurat angelorum. Exterius sacrum aspergit, dum homines signat, & Patri reconciliat quæ in terris sunt. Sacerdos eosdem aspergit, quia per hoc sacrificium placat Deum, & impetrat veniam, & sic aspergit super nos. Nam cum nos emundat, numerum augmentat supernorum ciuium. Dum autem nominat sublimè altare, commemorat sancta sanctorum. Dumque nominibus suis recenset sanctos, gerit nomina patrum. Sed vt habeat vtrunque, scilicet logion & superhumerale, bis recensetnomina. Hoc iuxta principium canonis, & in hac parte tropologicè fert logion pectus & superhumerale, quod humeros tegebat, dum mores rationabiles imitatur & opera. Deinde dicit, quòd Deus per Christum hæc omnia creat, sanctificat, viuificat, benedicit. Per verbum enim Pater naturam rerum creauit: & per eundem Christum mirificat, vt cibus & potus cõmunis fiat cibus & potus singularis. Per verbum vtrunque significat, dum tantam rebus confert gratiam, vt homo, qui percipit, sanctificetur: viuificat, vt qui dignè sumit, viuificetur: benedicit, vt qui participat, æternam accipiat benedictionem. ¶ Oremus præceptis saluta. mo. Pontifex legalis regressus ad populum

Eucharistia quare sic nominatur.

Psal. 22.

Exo. 16.

Matt. 6.

Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus Sabbaoth.

Esa. 6.

Heb. 9.

Ioan. 17.

Rom. 8.

Leuit. 16.

Exo. 28.

Leuit. 16.

Benedictam, Ascriptam, Ratam, Rationabilẽ, & acceptabilem.

Universidad de Deusto Biblioteca

lum lauabat vestes, & immundus tamen erat vsque ad vesperam. Sic Christus qui intrauit sancta sanctorum, redit ad Ecclesiam compatiendo & auxiliando, & lauat vestes suas ideſt, sanctos mūdificat, & tamen vsque ad finem seculi membris eius aliquæ adhæret maculæ. Sacerdos etiam redit ad populum: qui dum rursus alta voce preces multiplicat, foras exire videtur. qui precibus (velut aquis) vestimenta sua, id est populum lauat & mundat, & tamen immundus iudicatur, quia vsque ad mortē quod lauetur erit in omni homine, & in luna est macula. Oraturus ergo monet orare, docens quòd fiducialiter orare possumus vt filij patrem, quòd ipse Dominus ad orandum sic informauit, dicens: Pater noster. Septem ergo petitiones in dominica oratione ponuntur, vt septem dona mereamur Spiritus sancti, quibus recipiamus septem virtutes, per quas a septē vitijs liberati ad septem'peruenia mus beatitudines. Septem enim sunt vitia principalia, quæ sunt origo omnium malorum, scilicet superbia, inuidia, ira, tristitia, auaritia, gula, luxuria: quorū tria expoliant hominem, quartum expoliatum flagellat, quintum flagellatum eijcit, sextum eiectum seducit, septimum seductum conculcat. Superbia enim aufert homini Deum, inuidia proximum, ira seipsum. Expoliatus verò his, qui nec de suo bono, nec de alieno piè lætari velit, cum nihil superſit vn de gaudeat, per tristitiam flagellatur. Cui auaritia succedit, quæ flagellatum eijcit: quia interno amisso gaudio, foris consolationem quærere compellitur. Postea accedit gula, quæ animum exterioribus inhiantem ad excessum illicit. Sequitur luxuria, quæ illectum, & seductum seruituti violenter subijcit. Per superbiam ergo cor inflatur, per inuidiam aresçit, per iram crepat, per tristitiam conteritur, & quasi in puluerem redigitur, per auaritiam dispergitur, per gulam inficitur, & quasi humectatur, per luxuriam conculcatur, & in lutum redigitur: vt dicere possit infelix homo: Infixus sum in limo profundi: qui vt lutum platearum delebitur. Ponitur itaque prima petitio contra superbiam, quando dicitur: Sanctificetur nomen tuum: vt det nobis timere, & venerari nomen suum, quatenus per humilitatem ad Deum redeamus, qui per superbiam recesimus. Huic petitioni datur donum, quod dicitur spiritus timoris Domini, per quem ad humilitatem venitur, quæ superbiam sanat, vt regnum cœlorum, quod superbus perdidit, humilis acquirat.

Mat. 6.

Septē vitia capitalia.

Matt. 5. Vnde in Euangelio: Beati pauperes spiritu, quoniā ipsorum est regnum cœlorum. Secunda petitio est contra inuidiam: Adueniat regnum tuum. Regnū Dei salus est hominum. Qui ergo sic petit, communem salutem omnium postulat, & sic inuidiam reprobat. Huic datur spiritus pietatis, accedens cor ad benignitatem, quatenus ad eandem possessionē terræ viuentium perueniat, ad quam alios peruenire desiderat, iuxta illud: Beati mites, quoniam ipsi

Matt. 5. possidebunt terram. Tertia est contra iram, cum dicitur: Fiat voluntas tua sicut in cœlo & in terra. Non enim vult contendere, qui sic petit, sed placere sibi indicat quicquid diuinæ placet voluntati. Huic datur spiritus scientię, vt ipse ad cor veniens eruditat illud, & salubriter compungat: vt sciat homo malum quod patitur, ex culpa: si quid autem boni habuerit, ex misericordia Dei procedere. Per compunctionem igitur, ira & indignatio animi mitigatur: & per hanc virtutem, ideſt compunctionem venitur ad veram lętitiam, iuxta illud, quod dicitur: Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur. Quarta petitio contra tristitiam est, qua dicitur: Panem nostrum quotidianum da nobis hodie. Tristitia est tædium animi cum mœrore, cum mēs amaricata interna bona non appetit. Propterea languenti animæ necessaria est interna refectio. Dat ergo Deus ei spiritum fortitudinis, qui animam ergat, quatenus ad desiderium æternę refectionis conualescat. Hoc igitur donum fortitudinis, accendit cor hominis ad famem iustitiæ, quæ ducit ad plenam beatitudinis saturitatem & satietatem. Vnde dicitur: Beati qui esuriunt, & sitiunt iustitiam, quoniam ipsi saturabuntur. Quinta petitio est contra auaritiam: Dimitte nobis debita nostra. Huic petitioni datur spiritus consilij, qui doceat libenter misereri, vt misericordiam consequamur, iuxta illud: Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur. Sexta petitio est contra gulam, de qua dicitur: Et ne nos inducas in tentationem. Huic datur spiritus intelligentiæ, vt interna refectio verbi Dei exteriorem appetitum cohibeat, nē corporalis egestas frangere, nec carnis illecebra hominem superare posit. Propterea ipse Dominus tentatori (dum sibi esurienti fraudulentam suggestionem de exteriori pane proponeret) respondit dicens: Non in solo pane viuit homo. vt apertè demonstraret, quòd cum mens interiori pane reficitur, parum curat, si foris ad tempus famem carnis patitur. Datur ergo contra gulam spiritus intelligentiæ, vt ille ad cor veniens horridas nostræ mentis purget tenebras, & nostri oculum interioris hominis adeo luminosum efficiat & serenum, vt ad ipsius diuinitatis claritatem contemplandam perspicax, & mundus inueniatur. Ex spiritu enim intelligentiæ munditia cordis nascitur. Munditia verò cordis visionem promeretur: sicut scriptum est: Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt. Septima petitio est contra luxuriam, cum dicimus: Libera nos a malo. Conuenienter seruus sanatus libertatem petit, cui datur spiritus sapientię, qui captiuo amissam restituat libertatem. Sapientia namque a sapore dicitur. Hæc datur, cum mens gustu internæ dulcedinis tacta, totam se per desiderium colligit intus, nec iam foris per carnis voluptatem dissoluitur, quia totum intus possidet, in quo delectatur. Igitur contra exteriorem voluptatem interior dulcedo opponitur, vt quanto plus illa sapere, & placere cœperit, tanto liberius & libentius ista contemnatur, & tandem in semetipsa pacifica mens (dum nihil foris appetit) tota per amorem intus requiescat. Sic spiritus sapientiæ cor tangens dulcedine sua foris concupiscentiæ ardorem temperat, & intus pacem constituit, vt dum mens tota ad internum gaudium colligitur, plenè ac perfectè homo ad imaginem Dei reformetur, iuxta illud: Beati pacifici, quoniam filij Dei vocabuntur. Dehinc rogat minister a malo liberari interuentu

Matt. 5.

Ibidem.

Ibidem.

Matt. 4.

Matt. 5.

Matt. 5.

uentu Sanctorum, & pacem in diebus nostris. No cet enim infirmis perturbatio. Sequitur mystica fractio panis. In lege enim iubebatur similago frustatim offerri: & Redemptor benedixit panem, & fregit, fractumque discipulis distribuit. Sacerdos quoque sequens legem & Christum, panem sacro sanctum partitur in tres partes, quarum vna in sanguine ponitur pro illa parte Ecclesiæ, quæ adhuc peregrinatur, passionibus expositа. Altæ duæ illis adaptantur partibus Ecclesiæ, quarum vna extra vitam in igne emundatur, & altera cum Christo iam gloriatur: vt vna pars Ecclesiæ iustificetur, & altera citius liberetur, & pro tertia gratiæ soluātur. Sumpturus autem minister agnum, quem lex prænunciauit, petit sibi & populo tria. Primùm inter eos numerari, quos pudet secundum carnem viuere: deinde in regno Dei glorificari: postremò, quia caro resistit spiritui, postulat pacem, sine qua nullus iustificatur homo. Vnde benè chorus consequenter alta voce Agnus Dei concinit tertio, ad laudem sanctæ Trinitatis, quæ agnum dominatorem terræ misit. Communio, quæ post cantatur, innuit omnes fideles corpori Christi communicare, quod pro omnibus minister assumit sacramentaliter, vt sibi & omnibus sumatur spiritualiter. His completis sacerdos redit ad dexteram partem altaris, significans quòd in fine mundi Christus rediturus est ad Iudæos, quos iam reprobauit, donec plenitudo gentium intraret. Tunc enim reliquiæ Israel secundum scripturas saluæ fient. Sequitur tandem oratio in fine totius officij: vt gratia, quæ pręcunit, subsequatur per Christum, per quem omnia facta sunt: qui Dominus omnium per creationem, factus est spiritualiter noster Dominus, assumpta humanitatis nostræ natura. Deinde salutato populo admonet ire. Non est enim sedendum vel iacendum in hoc exilio, sed hinc transeundum est ad patriam, quia missa digna est hostia, per quam facta sunt tartara.

Esaiæ. 16.

Sacerdotis ad altaris dexteram reditus.

Esaiæ. 10. Rom. 9.

De occultis scripturarum veteris, & noui Testamenti. Cap. 8.

NVnc ergo ad occulta veniamus scripturarum, etiam quia mystico sensu sigillantur. Occultæ sunt, & fons sunt signatus aliæ, quia de occultis tractant, & de ijs, quæ humanum excedunt intellectum, vt est mysterium summæ Trinitatis, & Verbi incarnati, aut corporis & sanguinis Domini. Aliæ verò occultæ sunt, quia de quibusdam tractant, quæ licet ex se facilia sunt, tamen pro breuitate vel difficultate dicendi, minus patent intellectui. Vnde homo, qui veri cognoscendi desiderio carere non potest, crebris mouetur quæstionibus. Sicut enim oculus lumen appetit, ita anima verum videre vt bonum proprium desiderat, quod cognoscere & amare eam facit felicem. Sed fallitur, dum quærit cognoscere verum aliquod, cuius cognitio non facit beatum, nec ad esse beatum conducit. Sunt enim diuersa genera veri, vt est verum curiositatis, cupiditatis, & iniquitatis: quorum nullum bonum est. Est autem quoddam genus veri, vt in cognitione omnium artium liberalium, quod quidem bonum est, nec tamen summum bonum est, quia eius notitia nequaquam facit beatum. Huius autem veri verè boni cognitionem habendam sacra ministrat scriptura, quæ docet hominem seipsum cognoscere, & creatorem suum. Se cognoscere præcedit, & via est: Creatorem autem perfectè cognoscere, patria est: vnum meritum, alterum præmium. Omnis igitur sacra scriptura in duobus constat Testamentis: vtrunque tribus ordinibus distinguitur. Vetus continet legem & prophetas, & agiographos. In primo ordine quinque sunt volumina Pentateuchi, Genesis, Exodus, Leuiticus, Numeri, Deuteronomium. In ordine Prophetarum octo sunt volumina: liber Iosue, liber Iudicum, liber Samuelis, qui est primus & secundus Regum. Quartus Malachim, qui interpretatur Regum, qui dicitur tertius & quartus secūdum computationem Latinorum. Quintus Esaias. Sextus Hieremias. Septimus Ezechiel. Octauus liber duodecim Prophetarum, qui dicitur Thareasra. Hi prophetici dicuntur, eo quòd eorum sint, qui ex officio Prophetæ dicebantur, licet non omnes Prophetæ sint. In ordine Agiographorum nouem sunt volumina: liber Iob, liber Psalmorum, Prouerbia Salomonis, Ecclesiastes, Cantica canticorum, Daniel, Paralipomenon, Esdras, Esther. Sunt præterea in veteri Testamento alij libri, qui legūntur, sed in canone auctoritatis non scribuntur, vt liber Thobiæ, & Iudith, & Machabæorum, & qui inscribūtur Sapiētia Salomonis, & Ecclesiasticus.

Sacræ scripturæ diuisio.

Veteris Testamenti libri qui.

¶ Nouum autem continet Euangelistas, Apostolos, Patres. Euangelium quatuor continet volumina. Scriptura Apostolorum quatuor, ideſt, epistolas Pauli, epistolas Canonicas, Apocalypsim, Actus Apostolorum. Scriptura verò patrum non habet numerum definitum. Est autem considerandum, quòd scriptura sacra cęteris profundior triplicem habet sensum, historialem, allegoricum, moralem. Non enim tantum in ea voces, sed etiam res significare habēt. Per vocum significationem, historialem, per rerum autem significationem intelligimus allegoriam, & tropologiam. Historia est significatio vocum ad res. Allegoria est, quando per factum intelligitur aliud factum. Si visibile, simplex allegoria est. Si inuisibile & cæleste, anagoge dicitur. Tropologia est, quando per factum ostenditur aliud faciendum. Historia dicitur à Græco ἱστορέω historeo, ideſt, video, inquiro: quia historiagraphorum est res gestas secundum primam significationem vocum exponere. Allegoria quasi alieniloquium dicitur, quādo non per voces, sed per rem factam alia res intelligitur, vt per transitum maris rubri transitus intelligitur per baptismum ad paradisum. Tropologia dicitur conuersiua locutio, dum quod dicitur, ad mores ædificandos conuertitur, vt sunt moralia. Anagoge verò dicitur sursum ductio, vnde anagogicus sensus dicitur, qui à visibilibus ducit ad inuisibilia, vt lux prima die facta rem inuisibilem, ideſt, Angelicam significat naturam in principio factā. Non tamen vbique tam multiplex sensus inuenitur, quia quandoque solus historialis, quandoque etiam allegoricus, vel tropologicus, vel vterque habetur.

Nouī Testamenti libri qui.

Historia, allegoria, anagoge, & tropologia quid.

Universidad de Deusto
Biblioteca

habetur, nonnunquàm, licet rarò, anagogicus admiscetur. Vt Hierusalem intelligitur historialiter ciuitas terena, allegoricè Ecclesia, tropologicè anima fidelis, anagogicè cælestis patria. Igitur sacra scriptura cæteris in his sensibus superabundat. In libris autem ethnicorum voces tantum mediantibus intellectibus res significant. In diuina pagina non solum intellectus, & res significant, sed ipsæ res aliàs res significant. Vnde claret scientiam artium ad cognitionem diuinarum scripturarum valde esse vtilem. In hoc enim quòd in diuina pagina tam rerum quàm vocum necessaria est significatio, artes ei subseruiunt, dum triuium vocum, quadriuium physicarum rerum administrat notitiam. Significatio tamen rerum dignior est, quia allegoricus sensus acutior, tropologicus suauior est. Item voces ex humana, res ex diuina institutione significant. Sicut enim homo per voces alteri, sic Deus per creaturas voluntatem suam indicat. Est enim rerum significatio profundior quàm vocum, quia voces aut vniuocè vnum, aut æquiuocè plura significant. Sed æquiuocè pauca (prout ab homine facta est institutio) significant. res verò multò aliter: quia tot figuras, quot naturas, & quot habent proprietates, tot significationum habent diuersitates. Res autem omnis aut secundum exteriorem formam significat, vt nix per albedinem: aut secundum interiorem naturam, iuxta illud: Capilli tui sicut grex caprarum: propter subtilitatem videndi. Patet igitur quàm sit necessaria artium scientia. Mathematica enim de exterioribus formis, Physica de interioribus docet naturis, & theorica. Vt autem breuiter vtilitatem artium tangamus, dicimus, quod philosophia diuiditur in tres partes vel species, logicam, ethicam, theoricam. Logica de vocibus, Ethica de moribus, Theorica de rebus tractat. Item theorica subdiuiditur in Mathematicam, Physicam, Theologiam. Mathematica de inuisibilibus formis rerum visibilium agit, Physica de inuisibilibus naturis rerum visibilium, Theologia de inuisibilibus essentijs, & earundem naturis. Sic ergo per artes iuuamur in diuina pagina, vbi vocum significationem attendimus proprer literalem sensum: & rerum significationem consideramus, vt capiamus mysticum intellectum: per formam visibilem, vbi iuuat Mathematica: aut secundum naturam inuisibilem, vbi Physica, & Theologia seruiunt.

Scientia artium valde ad diuinarũ scripturarũ cognitionem confert.

Cant. 4. & 6.

De materia diuinæ Scripturæ. Cap. 9.

Materia diuinę scripturę quę.

EST autem materia diuinæ scripturæ specialiter opus restaurationis, ideſt, incarnatio Verbi cũ omnibus sacramentis suis, sicut opus creationis materia est Physicorum Gentilium. sed differunt, quia hoc in sex diebus, & illud in sex perficitur ætatibus. Diuiditur autem hæc materia in rem interiorem & speciem exteriorem. Res interior in veritatem, & virtutem: exterior species in signum veritatis, & in signum virtutis. Cum enim auris interior obsurduerat, foris locutus est homini Deus per signa. Signum autem veritatis aliud in operatione, vt cum res tropologicè significat: aliud in voce, vt: Diliges Dominum Deum tuum. Per signum veritatis fides, per signum virtutis moralitas docetur. Res ergo interior, veritas vel virtus dicitur, res exterior signum. Vt in sacramento Verbi incarnati duo inueniuntur, humanitas & diuinitas. Et in sacramento corporis Dominici, species exterior signum est, res interior veritas & virtus, ideſt, corpus Domini, & gratia quam soli boni percipiunt. Idem autem res, & signum hic inuenitur. Omnis ergo materia diuinæ paginæ aut res, aut signum est. Res hic dicuntur, quæ non habent significare: signa, quæ habent. Quorum quædam iustificant, quædam non. Item rerum aliæ sunt, quibus fruendum est, vt summum bonum: aliæ, quibus vtendum, quibus adiuuamur: aliæ, quibus fruuntur & vtuntur, vt homines & Angeli. Frui autem est amare aliquid propter ipsum, vt in eo finem ponas. Vti est quod in vsum venerit referre ad habendum id, quod fruendum est. licet frui & vti frequenter aliter & impropriè accipiantur. Virtutibus igitur non fruimur, sed vtimur: licet enim ipsæ sint amandæ & perendæ, tamen non propter se tantum, sed propter solum Deum finaliter, quo hic fruuntur Sancti in spe, & aliquando in re, quia iam quodammodo habent, quo plenè & perfectè fruentur in futuro. Vtendum est virtutibus ergo, & per eas fruendum summa Trinitate, ideſt, summo & incommutabili bono. Idem de bona voluntate dicimus. vnde Augustinus: Voluntas est, per quam fruimur. Per virtutes ergo fruimur, non eis: nisi fortè aliqua virtus sit Deus, vt charitas. Vtitur autem Deus nobis, non vt nos aliis rebus. Miseretur enim nobis non ad suam vtilitatem, nos verò miseremur aliis ad nostram vtilitatem. Cum vero (vt dictum est) omnis materia sacræ scripturæ aut res sit, aut signum: quia de occultis intendimus, de re interiori prius dicamus. Et primùm de illa, quæ veritas dicitur: nec à qualibet sed à summa veritate (ipsa iuuante) incipiamus, à monte vmbroso & condenso, qui vocibus significatur cum dicitur, Deus est vnus, vel trinus. Nec solæ voces hanc significant Trinitatem, sed res quoque, vt quando Abraham in figura summæ Trinitatis tres Angelos vidit, & vnum adorauit. In baptismo quoque Christi & Transfiguratione ostensa est Trinitas, cuius imaginem anima quodammodo repræsentat, cui Deus se manifestauit per naturam & gratiam. Per naturam, ideſt, per rationem & creaturam: Per gratiam, ideſt, per inspirationem, & doctrinam. Per inspirationem intus iuuat rationem, per doctrinam foris creaturam. Hos quatuor modos Apostolus breuiter comprehendit, dicens: Quod notum est Dei, manifestũ est in illis. Nunc autem videmus quantum ratio per se valuit. Ratio inuenit Deum esse, & vnum esse, & trinum. Considerans enim non semper se fuisse, intelligit se esse ab alio: quod ne in infinitum procedat, probat id nunquam cœpisse, & sic cognoscit Deum esse. Item considerans, quòd si plures essent, vel singularitas imperfecta, vel pluralitas superflua esset, probat vnum esse: non vnum collectione, vel compositione, aut similitudine: sed essentia, quia carent partibus: & identitate, quia non variatur: & ideò

Gen 18. Matth. 3. Matth. 17. Trinitatis ostensio in baptismo, & transfiguratione Domini.

Rom. 1.

ideò verè, & summè vnus est essentialiter. Spiritus autem creatus verè, sed non summè vnus est essentialiter, non inuariabiliter vt Deus. Nunc autem qualiter anima rationalis deprehendit Deum esse trinum videamus. Augustinus in libro de Trinitate. Trinitatem quandam in omni re demonstrat, vt facilius per trinitates creaturarum ad trinitatem Creatoris ascendat. Sed quia hoc longum est, recurramus ad eximium simulachrũ, ideſt, ad mentem, quæ est imago Dei: & sicut per illam Deum esse, & vnum esse cognouimus, ita per eandem trinum esse intelligamus. Anima igitur in se reperit quandam trinitatem, scilicet memoriam, intelligentiam, delectationem vel gaudium: aut si dicamus naturalem vim intelligendi, quæ mens appellatur, ex qua nascitur notitia, & ex his procedit amor. Hæc tria idem sunt in essentia, sed secundum proprietates differunt. Tria quoque ad se inuicem referuntur, nec tamen sunt accidentia, sed substantialiter in anima, & vnum in essentia: quia vna vita, vna mens, vna essentia, & quicquid ad seipsa singula dicuntur, etiam simul non pluraliter sed singulariter dicuntur, & inseparabilia, & æqualia sibi sunt, quia à singulis capiuntur omnia & tota. Ex hoc enim sensu hæc tria vnum dicuntur, quia secundum Augustinum substantialiter existunt in anima, non tanquam in subiecto, vt color in corpore: quia etsi relatiuè dicuntur singula, tamen substantialiter sunt in sua substantia. Mens se cognoscens, notitiam tanquam prolem gignit. Tertius est amor, qui ab ipsis procedens vtriusque complexio est. Anima autem ex hoc, quod reperit in se, inuestigat supra se, & inuenit in Deo potentiam, sapientiam, gaudium, sed differenter. In anima enim sic sunt, quòd tempore mens præcedit, ex qua est intellectus, sequitur gaudium. In Deo simul, quia ab æterno. Sic ratio per se inuenit Deum esse, & vnum esse, & trinum esse. Sed quia debilis est, nisi iuuetur, idcirco consuluit creaturam, vtrum aliquod vestigium Trinitatis in ea reperirer, & ideò per eam cognouit, quòd in se sentiebat. Per transitum enim rerum cognouit Deum esse: quia qui transit, ab alio habet initium. Per statum rerum intellexit vnum esse, quia ordinatæ res sibi proueniunt, vt summa infimis, & prima postremis concordent. Itaque per vnicam concordiam non dubitat vnum esse artificem. Trinum quoque cognouit, quia per immensitatem rerum diuinam inuestigauit potentiam, per pulchritudinem sapientiam, per vtilitatem benignitatem. Sed licet contestantur idem ratio & creatura: hoc tamen interest, quòd tria, quæ in mente reperiuntur, tantum signa sunt & imago Trinitatis, quæ in Deo est. Tria verò, quæ foris in creaturis conspiciuntur, tantũ signa sunt, sed non imago. Licet enim per immensitatẽ creaturæ inuestigaretur potentia Dei, non tamen immensitas est potentia, vel pulchritudo sapientia, vel vtilitas benignitas. Quæ verò in anima sunt, etiam imago sunt: quia sicut in mente est potentia, ita in Deo potentia est: sed nimis incomparabiliter, cuius in mente est potentia imago. Item sapientia vel gaudium in mente, imago est sapientiæ vel gaudij, quæ in Deo sunt: sed hæc verius in Deo. Quæ enim in Deo in veritate sunt, hìc in imagine comparent. Nec tantum per testimonium creaturæ iuuatur iudicium rationis, sed etiam per doctrinam & inspirationem. Cum autem ratio inuenisset (vt dictum est) Deum esse, & vnum esse, & trinum: in vnitate etiam inuenit æternitatem & immensitatem, in æternitate immutabilitatem, in immensitate simplicitatem, hoc est, æternitatem sine tempore, immensitatẽ sine quantitate. Aeternitatem dico sine tempore, quia initium non habuit. Illud enim, à quo omnia esse habent, à nullo esse habet, nec habiturum est finem: quia idem est ei esse & idem quod est, nec vllam recipit mutabilitatem. Nullo enim genere mutabilitatis potest mutari. Nec enim loco, vel forma, vel tempore mutari potest: quibus modis corpora mutantur. Mutatur enim corpus secundum locum, quando totum de loco ad locum transfertur. Secundum formam, ideſt, dispositionem partium tribus modis: cum aliqua pars additur, vel auferetur vt aliter sit, quando etiam aliquis rubet vel palet, transfertur sanguis, & est mutatio secundum formam. Secundum verò tempus, quando res est prius vno modo, postea alio. Cum ergo corpora tribus modis mutentur, secundum formam, secundum locum, secundum tempus: primus infert secundum & tertium, secundus tertium tantum, tertius infertur ab vtroque, & infert neutrum. Incorporalia quoque tribus modis mouentur, cognitione, affectu, & tempore. Cognitione tribus modis, per augmentum, per diminutionem, & per successionem. Affectu mutatur spiritus, cum modò tristis sit, modò lætus. Sed siue mutetur cognitione siue affectu, necesse est, vt mutatio secundum tempus commutetur. Semper enim aliquid sibi prius, & aliquid posterius est. Singulæ autem harum mutationum remouentur à Deo: quia nec loco mouetur, quia vbique est: nec forma, quia simplex essentia partibus caret: nec cognitione, quia eius scientia, nec crescit, nec minuitur, sed vnum prius vel aliud posterius comprehendit. Similiter nec affectu mutatur, quia summè bonus nihil contrarium suæ bonitati recipit. Cum igitur Deus nullo genere istorum quatuor mutetur, nec tempore mutabitur. Quia ergo caret principio & fine, & mutabilitate, vt dictum est, Deus æternus est. Reperit quoque ratio in Trinitate cõmunionem vnitatis, coæuitatem æternitatis, æqualitatem immensitatis. Et communionem quidem vnitatis sine diuisione: Coæuitatem æternitatis sine successione: Aequalitatem immensitatis sine diminutione. In vnitate totum, in immensitate plenum, in æternitate perfectum. Cum autem anima in Deo Trinitatem per hoc, quod in se sentiebat per creaturas, per doctrinam, per inspirationem inuenisset, vt aliquibus certis, & discretis vocabulis de Trinitate ageretur, fides tria quasi propria imposuit nomina: eum, qui à nullo est, appellando Patrem: qui ab illo solo est, Filium: qui ab vtroque est, Spiritum sanctum. Quæ vocabula (vt quod æternum est significaretur) ab humano vsu accepta sunt. Sed ne omnimoda inter diuina & humana videretur similitudo, adiecit vt Patrem omnipotentem,

Mens hominis imago Dei.

Corporis mutatio triplex.

Incorporalia quomodo mouentur.

In Deũ quæ re nullũ genus mutationis cadat.

Diuinarum personarum nomina.

Universidad de Deusto Biblioteca

tem, Filium sapientem appellaret, ne putaretur esse, vt in aliis. Et qui à nullo est, Pater dicitur: quia ibi erat, qui ab illo erat. & ille Filius: cum in substantia & natura idem sit quod ille, non qui ille. Qui ab vtroque, est Spiritus sanctus: quia ab vtroque spiratur. Vt autem ait Augustinus, hoc vocabulum, persona, fides reperit catholica ad discretionem Trinitatis, nõ vt per id diceretur quid esset, sed ne omnino taceretur quid esset. Per hoc enim vocabulum (vt idem dicit) non diuersitatem significare voluit, sed singularitatem noluit. Cum enim fides plurali numero personas confitetur, non per hoc in essentia tria esse intelligit, sed eandem personam non esse declarat. Et hoc est solum vocabulum, quod cum de singulis singulariter dicatur in summa, non tamen singulariter, sed pluraliter pronuntiatur. Pluralitas enim vel distinctio personarum non ponit aliquid, sed remouet, non vnitatem substantiæ, sed solitudinem, negat enim solitudinem & singularitatem. Vnde Hilarius: Professio consortij sustulit intelligentiã singularitatis. Itaque cum dicimus plures personas, tollimus solitudinem, & significamus quòd Pater non est solus. Cumq, tres profitemur personas, prædicamus quòd non tantum vna est, nec tantum duæ, sed tres simul. Et tres profitemur, quia quicquid de Deo verè dicitur, ad potentiam eius, vel sapientiam, vel bonitatem refertur.

Vocabulum personæ quare à fide catholica repertum.

Pluralitas personarum quid efficiat

¶ Sed quæri potest: cum hæc tria in Deo personæ dicantur, quare illa tria in anima, quæ sunt imago huius trinitatis, personæ non dicantur. Ad quod dicimus, quòd licet sint substantialiter in anima, non tamen omni modo sunt idem cum ea, sed variantur circa eam. Quæ autem in Deo sunt, non variantur, sed verè idem sunt cum Deo, in quo sunt: & vnumquodque idem quòd Deus. & Deus est & vnus Deus & tres personæ: quia vna diuinitas in tribus est. Sed ecce, dum inuestigatur vera & summa Trinitas, in ipsa eius imagine & similitudine (quæ tam pulchra, tamq; subtilis resplendet in anima) apparent miræ dissimilitudines. Anima enim vel homo, qui propter hæc tria imago Dei dicitur, tamen hæc est tria. Deus autem est tres personæ, & hæ tres personæ vnus Deus. Item homo habens hæc tria vna est persona: Summa verò Trinitas non est vna persona, nec tantùm vnius personæ, sed tres personæ, Pater, & Filius, & Spiritus sanctus. Itemq; in anima mens præcedit tempore, sequitur intellectus, & gaudium: in Deo nil prius, nil posterius. Trinitas ergò mentis qualiscunque imago respectu summæ Trinitatis exigua est, & ex maxima parte illi dissimilis, sed tamen imago. Nec propter hoc tantum dicit Augustinus, quia sui meminit mens, & intelligit, & diligit se: sed quia potest meminisse, & intelligere, & amare Deum, à quo facta est. Qui autem reminiscitur per memoriam, intuetur per intelligentiam, amplectitur per dilectionem, hic reperit imaginem, & illum, cuius est imago. Verius enim inuenit amans, quàm disputans.

Sancta & summa Trinitas quid.

HVGONIS DE SANCTO VICTORE

De Ceremonijs, Sacramentis, Officijs, & Obseruationibus Ecclesiasticis libri tres, in quos est hæc eiusdem præfatio.

MEMINI dudum, de ecclesiasticis Officijs, dum parua quædam ad memoriæ conseruationem mihi ipsi scriberem, te frater amantissime, quaterniunculum meum extra armarioli clausulam incautè derelictum inuenisse, & aliqua, quæ tibi placere videbantur, legisse. Cum autem postea eiusdem tibi fieri copiam sæpius postulares, negabam, nunc opusculum inexpletum esse asserens, nunc incorrectum: & vtrunque verè. Ipsa enim ecclesiastica officia (quibus agendis diuina gratia paruitatem nostram deseruire voluit) de ecclesiasticis officijs agere non sinebant. Sed ne fortè propter dilationem nimiam aliquid aliud suspiceris, partem noctis sopori furatus feci, quod potui. Eaq; quæ mihi ipsi dictaueram, & quædam alia in patrum tractatibus inuenta moderata breuitate perstrinxi, vt et memoria concludi possint, & tædium lecta non afferant. In quibus si quid laudabilè inueneris, meum nullatenus arbitreris. Nihil enim hic meum dixerim, nisi quod in diuersis reperta libris, prout potui breuiãdo transcripsi, & quasi paleas amouens grana congregaui. Paucaetiam (sed quæ nihil scrupuli habent) non ingenio meo inuenta, sed ab ore susceptа magistrorum, quia perutilia videbantur apponere curaui. Verbis communibus & rebus ipsis, de quibus agitur cognatis,

Auctoris modestia.

gnatis, opus explicare congruentius duxi, quàm schematum varietatibus inuoluere, & res per se fulgidas decolorando verba colorare. Sicut enim mulier pulcherrima inde pulchritudinis suæ amittit pretium, vnde turpis sibi vmbratilem quandam pulchritudinem in oculis hominum acquirit; sic colorum rhetoricorum ceruſſa, & purpurisso cætera exornantur: quæ autem proprium fulgorem habent, eorundem superinductione fuscantur. Si quid in hoc opusculo vel insufficienter, vel non recte dictum inspexeris, tu frater charissime, corrigere non pigriteris, siuè cum notula aliqua mihi corrigendum remittere. Titulos capitulorum annotare placuit, & numeros, vt quod quæsieris facilius queas inuenire.

Auctoris humilitas.

¶ *Liber primus agit de consecratione Ecclesiæ, & de sacramentis ecclesiasticis.*

¶ *Secundus de ecclesiasticis officijs.*

¶ *Tertius de specialibus Missarum obseruationibus, iuxta temporum, & causarum varietatem.*

Sequuntur libri primi Capita.

De Dedicatione Ecclesiarum, de trina circuitione Episcopi cum aqua benedicta, & de luminaribus interim in Ecclesia accensis. Cap. 1.
De trino accessu Episcopi ad ostium basilicæ, & percussione superliminaris, & apertione ostij in tertia percussione. Cap. 2.
De scripturæ duplicis alphabeti in pauimento. Cap. 3.
Quid ingressus in basilicam Episcopus primò faciat, vel dicat. Cap. 4.
De aqua intra basilicam sanctificata, & de admixtione salis, & cineris, & vini. Cap. 5.
De crucibus factis, & de aqua sanctificata in altari, & in cornibus eius. Cap. 6.
De septenaria circuitione Episcopi circa altare. Cap. 7.
De residuo moltæ seu molæ ad basim altaris condendo. Cap. 8.
De extersione altaris lineo pãno facta. Cap. 9.
De vnctione altaris. Cap. 10.
Quid significẽt altaris velamina alba. Cap. 11.
De sacramentis ecclesiasticis, quæ, & quibus conueniant. Cap. 12.
De baptismo, et forma eius, et efficacia. Cap. 13.
De verbis rusticè prolatis: & quare in aqua tantum baptizetur. Cap. 14.
De respõsione patrinorũ pro paruulo. Cap. 15.
Quid dimittatur in baptismo. Cap. 16.
De die scrutinij. Cap. 17.
De antecedentibus ante baptismum. Cap. 18.
De trina immersione, & vnctione charismatis. Cap. 19.
De veste alba, & communicatione paruulorum. Cap. 20.
Quod paruuli in ætate congrua patrinorum pro missione tenentur. Cap. 21.
De Confirmatione. Cap. 22.
De pœnitentia. Cap. 23.
Quare pœnitentia solẽnis nõ iteretur. Cap. 24.
Qualiter sacerdos peccata dimittat. Cap. 25.
De iniustè excommunicato vtrum ligatus sit. Cap. 26
De vnctione infirmorum. Cap. 27.
De coniugio Cap. 28.
De bonis coniugij. Cap. 29.
Quid facit coniugium. Cap. 30.
Quæ impediant coniugium. Cap. 31.
De ordinibus. Cap. 32.
De ostiarijs Cap. 33.
De lectoribus. Cap. 34.
De exorcistis. Cap. 35.
De acolytis. Cap. 36.
De subdiaconibus. Cap. 37.
De diaconibus. Cap. 38.
De presbyteris. Cap. 39.
De episcopis. Cap. 40.
De archiepiscopis. Cap. 41.
De patriarchis, & sedibus eorum, seu locis. Cap. 42.
De summo Pontifice, & officio eius. Cap. 43.
Quare Episcopi die Dominica consecrentur. Cap. 44.
De veste sacerdotali, & primò de humerali, seu amictu. Cap. 45.
De alba. Cap. 46.
De cingulo. Cap. 47.
De stola. Cap. 48.
De subcingulo. Cap. 49.
De casula. Cap. 50.
De fanone. Cap. 51.
De veste episcopali. Cap. 52.
De dalmatica. Cap. 53.
De sandalijs. Cap. 54.
De mitra. Cap. 55.
De chirothecis, Cap. 56.
De pallio archiepiscopi. Cap. 57.

Incipit

Incipit Liber primus.

Ecclesiastica sacramenta eorum & officium & vtilitas.

INTER omnes quærentium faciem Dei Iacob occupationes, nil æquè memoria pariter & vsu dignum arbitror, vt ecclesiastica sacramenta simul & officia. Illa enim de fide, & moribus rectè considerata docent & instruunt: hæc rerum auctori pro donis quotidianis vectigalia rependunt, vt ampliora promereantur diuinæ largitatis beneficia. Propter vtraque, quæ de scripturarum syluis elicere congrua potuimus, in vnũ colligere studuit paruitas nostra: & primò de consecratione Ecclesiæ materialis (quæ sacramẽtorũ nostrorũ præfert figurã) succinctis agere verbis,

De dedicatione Ecclesiarum, de trina circuitione Episcopi cum aqua benedicta: & de luminaribus interim in Ecclesia accensis. Cap. 1.

Ecclesiarum dedicatio, virginũ consecratio, & clericorũ ordinatio Episcopo reseruata.

DEdicatio siue consecratio Ecclesiarum episcopali dignitati reseruata est, sicut & consecratio virginum, & ordinatio clericorum. In primis Episcopus ad consecrandam accedens Ecclesiam, aquam benedicit, cui & salem benedictum admiscet. Inde Ecclesiam ter gyrando exterius aspergit. In quo & baptismi, & pœnitentiæ comitantis baptismum, figura prætenditur. Sic enim homo cum baptizatur, propter tres personas (quarum muneris est peccatorũ remissio) ter in aquam mergitur. Per pœnitentiam autem dimittit Deus quicquid humana peruersitas cogitatione, locutione, vel actione committit. Quod benè in aqua & sale figuratur, quia & à sordibus emundat, & à vitiorum putredine mentem conseruat. Interim in Ecclesia locis duodecim luminaria sunt accensa, quibus significatur ardens & lucens apostolica doctrina, quæ & in Ecclesia materiali prædicatur, & in templo nõ manufacto per Spiritum sanctum

Num. 7. accenditur. Sic quoque cum tabernaculum à Moyse Domino iubente constructum fuisset dedicatum, duodecim duces eadem munera obtulerunt, sed diebus diuersis: hoc significante Spiritu sancto, quòd apostolica doctrina quocunque tempore prædicata, in Ecclesia concors esset, & indiuisa.

¶ Et notandum, quòd Ecclesia antequam Pontifex eam ingrediatur, populi ignorantis Deum, & perfidiæ tenebris inclusi, typum gerit. Quam ter circuit Pontifex aqua benedicta admixto sale aspergendo, sicut dictum est, subsequente clero & populo. Quia sicut leo rugiens diabolus circuit quærens quem deuoret: sic prælatus Ecclesiæ circuire debet, quærens quem à faucibus leonis illius eripiat, ad pœnitentiam adducens, & baptizans. Vnde & Petrus ait: Pœnitentiam agite, & baptizetur vnusquisque vestrum.

Act. 2.

De trino accessu Episcopi ad ostium basilicæ, et percussione superliminaris, & apertione ostij in tertia percussione. Cap. 2.

VT autem ostendat Pontifex sibi conessam potestatem liberandi, & vtiliter captiuandi

A captitatem diaboli, sacramenta Ecclesiæ ministrando (de qua dictum est: Et portæ inferi non prævalebunt aduersus eam) ad singulos circuitus accedit ad ostium basilicæ, & superliminare percutit virga pastorali, quæ typum gerit sacerdotalis potestatis: sicut & illa, quam Dominus discipulos ad prædicandum mittens in via ferre permisit. Percutiendoq; dicit antiphonam: Tollite portas principes vestras, & cætera. Principes populi, per basilicam non consecratam significati, dæmones sunt: portæ, per quas introeũt ad corda hominum, vitia sunt, & praua opera. Hæc imperat auferri, vt eleuẽtur portæ, per quas introitur ad æternitatem, B scilicet virtutes, vt introeat Rex gloriæ ad corda hominum ad fidem venientium. Figuram autem populi præfati gerit Archidiaconus, qui intus ad admonitionem Pontificis quasi admirans interrogat. Quis est iste Rex gloriæ? Post trinam percussionem ostium aperitur, quia Trinitatis potestate pars aduersa superatur. Ingrediens Episcopus cũ clero, & populo dicit ter: Pax huic domui: quia Christus per assumptionem carnis mundum ingrediens, parietem inimicitiarum destruxit, & pacem inter cælestia & terrestria reformauit. Pontifex ergo basilicam intrans, pax huic domui dicit, quia sancti doctores hic intendunt, vt populus, qui à C Deo discordauerat per peccata, ei reconcilietur per bonorum operum exercitia. Ingressus Episcopus Ecclesiam, primò prostratus orat, cum clero & populo, adimplens quod dicit Apostolus: Obsecro primùm omnium fieri orationes, obsecrationes, postulationes pro omnibus, &c. Surgens ab oratione nondum salutat populum dicendo: Dominus vobiscũ: sed ad orationem inuitat, quia nouellus populus nondum salutatione Pontificis dignus videtur, magis autem pro eo quòd ab eo orandum est, vt postea salutatione dignus habeatur. Inde est, quòd Dominus prædicatoribus suis D præcepit, vt neminem in viam salutarent, quod est, vt hominem adhuc hominem corde, non spiritu, idest, adhuc transitoria, & non spiritualia appetentem, non demulceant spe vana.

Matt. 16.

Episcopi ad basilicæ ostiũ accessus, & sui per liminaris percusio.

Ab Episcopo cur Pax huic domui dicatur.

1. Tim. 2.

Christus quare Apostolis præceperit, vt neminem in via salutarent.

De scriptura duplicis alphabeti in pauimento. Cap. 3.

HIs itaque completis, incipit Pontifex de sinistro angulo orientali in dextrum occidentalem pauimenti alphabetum scribere, & de dextro orientali in occidentalem sinistrum. Alphabetum rudimenta doctrinæ ecclesiasticæ significat. Vnde E Græcè scribitur & Latinè: quia hæ duæ linguæ in doctrina Christiana concordant, & vterque populus ad rudimenta fidei vocatus est. Quod autem ab angulo in angulum cancellatis lineis scribitur, duplici figuræ alludit. Quarum prior est, vt (quia tali forma Crux figuratur) doctrinæ euangelicæ, qua simplices imbuendi sunt, mors Christi principaliter inferatur. Vnde Paulus Corinthijs adhuc rudibus dicit: Non iudicaui me aliquid scire inter vos, nisi Iesum Christum, & hunc crucifixum. Secunda est, vt quia scriptura alphabeti à sinistro angulo transit ad dextrum & ediuerso, intelli-

1. Cor. 2.

intelligamus per doctrinam Euangelicam, & Cru A ram præfert: quòd per quatuor cornua distenditur, quia Christus in membris suis per quatuor mundi cardines dilatatur. Dilataberis, inquit, vsq; ad orientem, & occidentem, & septentrionem, & meridiem. Benè autem crux de aqua fit, & in toto, & in partibus: vt ostendatur & vniuersam Ecclesiam Christi, & singulas Ecclesias per lauacrum aquæ, & fidem passionis à peccatorum sordibus esse mundatas.

Gen. 28. Septenaria alitaris circuitio.

cem factã, quòd populus dignior factus est indignior, & ecõtrario. Quod & in benedictione Iacob figuratũ est, quãdo cancellatis manibus dextrã posuit super caput iunioris filij Ioseph, scilicet Ephraim, & sinistram super caput maioris. s. Manasse.

Gen. 48.

Quid ingressus basilicam Episcopus primò dicat, vel faciat. Cap. 4.

PEr ea, quæ hactenus nostra explicauit oratio, Ecclesia dedicanda ad hoc præparata est, vt de dicari possit, & debeat, idest consecrari. Pontifex ergo ad altare accedens, & quasi incipiens dicit: B Deus in adiutorium meum intende, &c. absque alleluia. Est enim versus ille laborãtium in hac vita, & contra hostes visibiles & inuisibiles colluctantium: & ideò in suum adiutoriũ Deum inuocantium. Alleluia autem laus Angelorum est ad homines per Ioannem in Apocalypsi delata, vbi seperhibet vocem Angelorum audisse dicentium alleluia. Est aũt vox lętitiæ spiritualis. Vnde in tempore luctus, scilicet à Septuagesima vsque ad Pascha in Ecclesia non cantatur. Pontifex ergo, qui cum subditorum imperitia adhuc certat, & adhuc in figura non fidelem Ecclesiam ad fidem vocat, vel lapsos ad pœnitentiam: adiutorium quidem C Dei postulat, sed alleluia pro eis non decantat, de quorum salute nondum plenè sperat.

Deus in adiutorium meũ intende quid significet.

Apoc. 19.

De aqua, & sale, & cinere, & vino commixtis. Cap. 5.

POst hæc benedicitur aqua, cui admiscẽtur sal, & cinis, & ad vltimum vinũ. Aqua expiationẽ significat: quia per aquam coinquinata emundari, & ablui solent. Expiatio autem peccatorum rectè fit, si adhibeatur sal sapientiæ, qui corruptibilia à corruptione seruat. Vnde in lege præcipitur: In om D ni sacrificio offeres sal: nec auferes sal fœderis Domini Dei tui de sacrificio eius. Quod est: Nihil Deo temerè offeras. Illa enim opera placent illi, quæ sale sapientiæ sunt condita. Cinis verò significat reliquias, ideſt memoriam Dominicæ passionis, quam etiam significabat cinis vitulæ aspersus ad expiationem populi, sicut in Deuteronomio legitur. Non est autem expiatio à peccatis sine fide Dominicæ passionis. Vel cinis, qui de carbonibus efficitur extinctis, mortificationem vitiorum significat, & extinctionem. Vinum spiritualem dulcedinem significat, quia ab vbertate domus Dei mentes sobriæ inebriantur, ad quam per prædicta venitur, sicut promittitur in figura, cum vinum post cætera omnia infunditur. Potest etiam dici, quòd aqua & vinum duas in Christo significant naturas, quarum fides emundat à peccatis.

Leuitic. 2.

Num. 19. Passionis Christi virtus.

De Crucibus aquæ in altari. Cap. 6.

IN hac aqua tingit Pontifex pollicem suum, & facit crucem in altari, quæ attingit totam eius lõgitudinem & latitudinem, deinde facit crucem per quatuor cornua altaris. Altare enim Christi figu-

De septenaria circuitione Episcopi circa altare. Cap. 7.

INde circuit altare septem vicibus, & aspergit. Quo numero significatur plenitudo Spiritus sancti, ideſt, spiritus sapientiæ & intellectus, spiritus consilij & fortitudinis, spiritus scientiæ & pietatis, & spiritus timoris Domini. Huic enim spiritui septiformi cedit, quicquid contra Deum se erigit. Sicut & in circuitu septimo muri Iericho corruisse leguntur. Aspergitur autem aqua hyssopo, quæ est herba humilis purgans pectus, & duritiam saxorum radicibus penetrans. Significat autem humilitatẽ Christi, qui superbiæ nostræ tumores humiliando se vsque ad mortem curauit, & duritiam cordium nostrorum suæ humilitatis intuitu emol liuit. Dehinc circuit totam Ecclesiam intus ter, & aqua parietes aspergit. Quæ aspersio, templi non manufacti emundationem significat interiorẽ, quę quotidie fit per veram pœnitentiam. Sicut enim aspersio aquæ exterior significat baptismi ablutionem, ideſt, illam, quæ in baptismo fit peccatorum emundationem: sic interior eam, quę fit per veram pœnitentiam. Ideò autem ter, quia per pœnitẽtiam dimittitur quicquid praua locutione, cogitatione, vel opere committitur, sicut supra dictum est. Canitur aũt Psal. Exurgat Deus, cum antiphona: vt viribus destituantur hostes huic emundationi resistentes. Canitur & antiphona. Qui habitat in adiutorio Altissimi: innuens nullum à Deo protegi, nisi eum, qui de suis viribus nõ præsumens Dei adiutorium implorauerit. His peractis Põtifex ad orationem se confert, petens vt omnes, qui eandem domum intrauerint, exauditos se esse gaudeant.

Josue. 6.

Psalm. 67. Antiphona.

Psalm. 90.

De residuo moltæ seu molæ ad basim altaris condendo. Cap. 8.

COmpleta oratione conuertit se Pontifex ad altare incipiens antiphonam cum psalmo: Introibo ad altare Dei. Et quod remanet de molta, E qua conditæ sunt Sanctorũ reliquiæ, fundit ad basim altaris: quia quod ipse nequit, humiliter Deo cõmittit, & purgationem scilicet subditorum per aquam intelligunt, & honorificationem sanctorũ. Hinc est, quòd in sacrificijs veteris Testamenti de sanguine hostiarium digito sacerdotis aspergebatur contra Deum, vel in cornibus altaris ponebatur iuxta sacrificiorum diuersitatem, & quod reliquum erat, ad basim altaris fundebatur: quia sacerdotum est quicquid possunt ad vtilitatẽ gregis sibi commissi facere, quod autem vires suas excedit, Domino deuotissimè cõmendare. Quam formam

Psalm. 42.

Leuitic. 4.

Sacerdotis officium.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Ioan. 17.

Act. 10.

summus pastor cæteris reliquit, cum passioni ap propinquans patri dixit: Pater serua eos, quos dedisti mihi. Quam magistri formam sequutus Paulus in supremo articulo vitæ præsentis dicebat discipulis suis: Et nunc cõmendo vos Domino, & verbo gratiæ eius. Hoc autem innuit antiphona. Dicit enim se introiturum ad altare Dei, videlicet ad illud, quod significatur per istud visibile, ad quod non penetrat oculus carnis, sed pura & deuota intentio mentis. Et hoc est, quod sequitur. Ad Deũ, qui lætificat iuuentutem meam.

De exterſione altaris cum lineo panno. Cap. 9.

B POstea altare linteo extergitur. Linum enim de terra ortum cum magno labore perducitur ad candorem. ergo quasi linteo altare non manufactũ extergimus, quando Christum per angustias passionis intrasse prædicamus in gloriam, & eos, qui de corpore ipsius sunt, quod est Ecclesia, ad eius imitationem inuitamus. Deinde offertur incensum, quod significat orationes Sanctorum: quia pro eis debent orare prælati, quos ad tolerantiam passionum inuitant.

Thus.

Quid ſignificetur in vnctione altaris. Cap. 10.

HIs expletis Pontifex crucẽ facit de chrismate in medio altaris: deinde per quatuor ipsius cornua, sicut prius fecerat de aqua consecrata. Et est ordo congruus, vt post emundationem per aquam, & post alia quæ dicta sunt, oleum adhibeatur: quia & sancta Ecclesia prius in aqua mundatur baptismatis: & sic vnctione chrismatis insignitur per manus Põtificis. In qua vnctione datur Spiritus sanctus ad diligendum Deum & proximum: sicut in ea vnctione, quæ fit in baptismo, datur idẽ spiritus ad remissionem peccatorum. Vngitur ergo altare, & cãtatur antiphona: Vnxit te Dominus oleo lætitiæ præ consortibus tuis, vt in hac vnctione intelligamus gratiæ plenitudinem, quæ præcesserit in capite, & misso Spiritu sancto die Pentecostes refulsit in Apostolis. De qua etiam plenitudine (te ste Ioanne) omnes accepimus. Vnde consecrato altari, cruces vndique chrismantur in parietibus.

Psalm. 44.

Act. 2.

Ioan. 1.

Quid ſit quòd altare velaminibus albis cooperitur. Cap. 11.

PEracta denique consecratione altare velamini bus albis cooperitur: quibus & sacramentum E nouitatis intelligitur in baptizatis, & prænuntiatur gloria futuræ incorruptionis, quæ erit in dedicatione illa gloriosa, quæ iam completa in capite, in membris expectatur adimplenda.

De ſacramentis eccleſiaſticis, quæ, & quibus conueniant. Cap. 12.

QVoniam de Ecclesiæ consecratione, prout brevitatis ratio poscebat, egimus: sub eadem compendij regula de eis, quæ in Ecclesia geruntur, aliquid dicamus. Septem sunt principalia sacramenta, quę in Ecclesia ministrantur: quorum quinque generalia sunt, quia ab eis neuter sexus, nulla ætas, conditio nulla excluditur. Videlicet baptismus, confirmatio, eucharistia, pœnitentia, vnctio infirmorum. Duo particularia sunt, eo quòd non tribuantur omnibus, sed quibusdam hominũ, ordines, scilicet & coniugium. De his omnibus scribere necessarium duxi, vt memoriter teneam quid in his acceperim, siue ministrem, si quãdo ali quod eorum manibus meis ministrari contingat. Alioquin ad vsus aliorum panes porto, nec gusto, diuina tamen gratia sua non deserente sacramẽta.

Ecclesiæ sacramenta septem, & ex his quinque generalia, & duo particularia.

B ¶Notandum igitur, quòd prædicta quinque sacramenta generalia, remedia sunt contra peccata & originalia & actualia. Et est baptismus intrantiũ Ecclesiam, Confirmatio stantium quasi in pugna, Pœnitentia lapsorum, sed resurgentiũ, Eucharistia manentium in Ecclesia, Vnctio exeuntium ab hac vita. Quæ quidem remedia ante legem fiebant per sacrificia. Sub lege & per circuncisionẽ, & per sacrificia. Sacramentum duobus modis dicitur. Aliquando enim sacramentum dicitur sacræ rei signũ velut in baptismo exterior ablutio, quæ interiorẽ significat emũdationẽ. Aliquando dicitur sacramẽtum quasi sacrũ secretũ, velut sacramentũ incarnationis, & huiusmodi. Sacramentũ aũt in tribus consistit, videlicet in factis, in dictis, in rebus. In rebus, vt est aqua, oleũ. In dictis, vt est inuocatio Trinitatis. In factis, vt est submersio ī aquã, & insufflatio.

Notandum.

Sacramentũ dupliciter dicitur.

Sacramentũ in quibus cõsistat.

De Baptiſmo, et forma eius, & efficacia. Cap. 13.

PRimum sacramentum est baptismus. Est enim quasi ianua omnibus atria Ecclesiæ introeunti bus. Est aũt baptismus immersio hominis in aquã facta in nomine Trinitatis. Baptismus interpretatur ablutio. Circa sacramẽtum baptismi hæc D inquisitione digna videntur. Quæ sit eius forma: à quo sit ministrandũ: quæ eius efficacia: & vnde, & quãdo incepit. In baptismo hęc forma seruãda est: vt in nomine Patris, & Filij, & Spũs sancti baptizetur. Sic enim magister sũmus docuit discipulos, dicens. Ite, docete oẽs gentes baptizãtes eos in nomi ne Patris, & Filij, & Spũs sancti. Legitur tamen in Actibus Apostolorũ Apostolos baptizasse ī nomine Christi. In quo (vt Ambrosius ait) Pater intelligitur, à quo vnctus est, & filius qui vnctus est, & Spũs sanctus, quo vnctus est. Administratio aũt baptismi sacerdotũ est ex institutione. Necessitate tamen instãte baptizare possunt alij alaris ministri ordine seruato dignitatis, vt præsente diacono subdiaconus baptizare nõ præsumat, sic in cæteris. Absentibus altaris ministris, & clericis oĩbus, & vrgente necessitate, laicus baptizare potest. Si nec laicus præsto fuerit, mulier baptizet. Si nulla alia reperiri potuerit, mater ipsa baptizet. Nec propter hæc à viro suo separabitur, quia per necessitatẽ excusatur.

Matth. vlt.

Act. 10.

¶ Virtutem autem, & efficaciam dat baptismo, & baptismus Christi, & sanguis Christi. Ipse enim ad baptismum Ioannis accedens vim regeneratiuã contulit aquis, vt efficaciam remissionis haberent, non

Virtus, & efficacia baptismi à quo.

Matth. 3.

non tamen ex seipsis, sed ex gratia operãte per san A dicit Augustinus) sacramentum fidei fides appellatur. Quod autem in persona pueri dicunt: abrenuntio satanæ, &c. spondent puerum (si ad annos discretionis venerit) sic, & sic facturum. Per quæ verba puer obligatur in posterum, vt nisi sic fecerit, promissionis violatæ reus habeatur. Nullus baptizari potest in vtero matris, non enim renasci potest nondum natus. Quòd autem Hieremias, & Ioannes in vtero sanctificati sunt, in miraculis est habendum diuinæ potestatis. De qua tamen sanctificatione diuersi diuersa sentiunt. Nam quia sanctificatio cũ peccato originali non est: dicunt quidam eos sanctificatos in vtero, idest, à peccato originali mundatos. Mihi (sine potioris sententiæ præiudicio) videtur, quòd propter futuræ sanctitatis signa in vtero sanctificati dicuntur: quia nec tunc charitatem habuisse credendi sunt, penes quam totius est summa sanctificationis, nec charitatis siue alterius gratiæ sacramentum.

Hieremię, & Ioãnis in vtero sanctificatio qualis fuerit.

guinẽ fusum pro peccatis. In cuius figura, quoniã sacrificiorum sanguis fundebatur sub lege, etiam ex ipso remissionis efficaciam habuisse creditur. Tempus baptismi incepit, quando dictum est. Ite

Matth. vlt. docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti. Qui tamen priusquam prędicationem Apostolorum audire possent, sine baptismo decesserunt, non ideò perierũt: post quam aũt in omnem terrã sonus prædicationis eorum exiuit, non saluatur nõ solum, qui baptizatus nõ fuerit (vt ait August.) sed qui nec esse potuerit.

¶ De illis tamen, qui ad baptismum properant, & B interim decedunt, quæritur vtrũ saluentur. Quod inde videtur: quia in contritione cordis, & proposito confessionis dimittuntur peccata, iuxta illud:

Psalm. 31. Dixi, confitebor aduersum me iniustitiam meam Domino, &c. Verbi gratia. Aliquis cõtritus est corde, & confessus iniquitatem suam corã sacerdote

Act. 10. habet etiam dilectionem Dei & proximi, vt Cornelius: cur igitur non intraret ad nuptias, cũ vocatus sit, & habeat vestem nuptialem? Aliquibus tamen visum est, talem non posse saluari: quoniam

Ioan. 5. scriptũ est: Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non intrabit in regnum Dei. Hanc aũt litem dirimit Augustinus, dicens: Quãtum valeat sine visibili etiam sacramento baptismi, quod ait

Rom. 10. Luc. 23. Apostolus, Corde creditur ad iustiti-, ore aũt confessio fit ad salutem: in illo latrone declaratum est. Sed tunc impletur inuisibiliter, cũ mysterium baptismi non contemptus religionis, sed ariculus necessitatis excludit. Quibus verbis soluit Augustinus, quod ab aduersa parte obiectum est: Nisi quis renatus: Quod sic intelligendũ docent ipsa Augustini verba: Qui renasci contẽpserit ex aqua & spiritu, non intrabit in regnum cælorũ. Quòd autem martyrium locum baptismi suppleat, nulli est dubium. Qui baptizati fuerunt baptismo Ioannis, re

Act. 19. baptizati leguntur. Non enim erant renati ex aqua D & Spiritu sancto. Baptizati autem etiam ab hæreticis in forma à Christo tradita, scilicet cum inuocatione Trinitatis, non rebaptizantur. Si præter formam illam, rebaptizantur: immò verè baptizantur, quia prius baptizati non fuerant.

De Verbis ruſticè prolatis, & quare in aqua tantum fiat baptiſmus. Cap. 14.

SI sacerdos siue alius in baptizãdo corruptè proferat verba, vt in nomine patria, & filia, & spiritu sancta, non tamen errorẽ aut hæresim intendens, sed ex ignorantia, nõ est rebaptizãdus. Ideò E nõ in vino vel oleo, sed in aqua tantũ, institutũ est baptismũ celebrari, vt sacramentũ cũ re sacramẽti conuenientiã haberet, & per visibile sacramẽtum res inuisibilis posit intelligi. Ablutio enim exterior emundationẽ significat interiorẽ. Ad abluendum aũt nil accommodatius aqua potest inueniri.

De reſponſione patrinorum pro puero. Cap. 15.

IN persona pueri respondent patrini, Credo: id est sacramentum fidei accipio: quia hic (sicut

Quid in baptiſmo dimittatur. Cap. 16.

PEr baptismum reatus dimittitur. Pœna autem pro peccato inflicta non tollitur, illa scilicet pœna tẽporalis, quam quotidie in frigore, & æstu, & fame, & siti, & huiusmodi sentimus, quæ in nobis manet, vt vita æterna ardentius quæratur à nobis. Illa, quæ præcedunt baptismum, vt exorcismus, id est, adiuratio, & catechismus, idest, instructio, minuunt diaboli potestatem, non conferunt peccatorum remissionem. Quædam etiam ibi sunt ad honorem sacramenti.

C

De die ſcrutinij. Cap. 17.

NOtandum etiam, quòd baptizandi in sabbato paschali, quarta feria quartæ hebdomadæ Christianæ militiæ, idest, quadragesimæ, deferuntur ad Ecclesiam, vt exorcizentur & catechizentur. Ideò autem quarta feria quartæ hebdomadæ huic officio deputata est: vt qui baptizandi sunt, ipso numero intelligant se non ad ocium, sed ad Christianam vocari militiam, ac si quarta ætate, scilicet iuuentute, quæ pugnæ est apta, ad militiam eligantur. Et quia prædicta quarta feria de fide inquiruntur, & instruuntur: ideò dies illa dies scrutinij, & officium illud scrutinium appellatur. Vocantur autem prædicta die per lectionem, quæ præcedit epistolam, quæ & ipsa de aquis baptismi est: sicut & ordinandi propter similem causam quarta feria quatuor temporum ante epistolã vocantur E per lectionem, quæ pertinet ad Spiritum sanctum per quem scilicet consecrandi sunt. Vnde & ea die veniunt de ijs, quæ ad officium suum pertinent, requirendi & examinandi.

De antecedentibus ante baptiſmum. Cap. 18.

SVnt & alia quædam circa baptizandos consideranda. Signantur enim primùm in fronte, in pectore, inter humeros, in auribus, in ore, Crucis signaculo, cuius virtute & omnia sacramenta com

Universidad de Deusto
Biblioteca

plentur, & omnia diaboli figmenta frustrantur. Sic cum occiderentur primogenita Aegypti, populus Hebræorum signatis postibus domorum sanguine agni paschalis in typo Dominicæ passionis saluatus est. Sic etiam apud Ezechielem ab imminenti clade Hierusalem liberandi pronuntiantur, qui literam Thau T (quæ figuram Crucis exprimit) in frontibus haberent insignitam. Post ea datur sal benedictus in os baptizandi: vt sale sapientiæ sit conditus. Exsufflatur non quidem creatura Dei in ipso, sed diabolus, in cuius regno propter peccatum natus est, exsufflatur ab ipso, ideſt per Spiritum sanctum, cuius signum est flatus exterior, amouetur: dum per ea, quæ ibi dolet agi, potestas eius minoratur, nõdum omnino tollitur. Nondum enim per baptismum renatus est, sed tantum per Crucis signum, & cætera quæ circa eum acta sunt, in vtero matris Ecclesiæ conceptus & nutritus, vt tandem per aquam salutis Christo renascatur. Deinde tanguntur aures, & nares cum saliua, quæ quoniam à capite descendit supernam signat sapientiam. Cuius tactu & aures cordis aperiuntur ad intelligendum verbum Dei, & nares cordis, vt sentiant fragrantiam vnguentorum Christi, & dicat cor eam sentiens: In odorem vnguentorum tuorum currimus. Hanc formam Christus Ecclesiæ tradidit, quando muti & surdi os & aures tangens dixit: Ephetha, quod est adaperire.

Exod. 12.
Ezech. 9.
Marc. 7.

De trina immersione, et vnctione charismatis. Cap. 19.

His peractis benedicuntur fontes, & traditur nouæ vitæ iter aggredientibus fidei symbolum, quod à duodecim Apostolis ordinatũ est, & totidem sententiis cõprehensum. Postea interrogatur si abrenunciet satanæ, &c. Et post trinã responsionẽ immersione trina baptizatur, quia ibi Trinitatis virtute & gratia mundatur à peccatis. Dehinc sacro chrismate vngitur in vertice, vt intelligat se promoueri in Regem & sacerdotem, non ministerio quidẽ, sed dignitate sanctitatis, secũdum illud: Vos estis genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis. Et vt à Christi consortio vocetur Christianus, & æterni Regis sit coheres, huic sacramento post aquam baptismi Spiritus sanctus infunditur, vt sit renatus ex aqua & Spiritu sancto, immò infusus ostẽditur. Siquidem Spiritus sanctus in ipsa trina immersione remissionem confert peccatorum, sed non simul cum immersione poterat exhiberi eius sacramentum.

1. Pet. 2.

De veste alba, & communicatione paruulorum. Cap. 20.

Exinde datur baptizato vestis candida, quæ innocentiam significat: & stolam iocunditatis perpetuę, si innocentiam seruauerit, ei pronuntiat. Ad vltimum datur cereus accensus in manu eius, quatenus illud Euangelij implere doceatur.

Matth. 5.

Luceat lux vestra coram hominibus, vt videant opera vestra bona & glorificent non vos, sed patrem vestrum, qui in cælis est. Omnibus his nouus homo in vtero matris Ecclesiæ inchoatur, proue-
hitur, consummatur, & vniuersitati Ecclesiæ aggregatur, hoc est, corporis Christi membrum effi
citur. Vnde si eius valetudinis est, sacramenta vnitatis, ideſt, corpus & sanguinem Christi accipere debet. Pueris recens natis idem sacramentum in specie sanguinis est ministrandum digito sacerdotis, quia tales naturaliter suggere possunt. Augustinus ad Bonifacium cõtra hæresim Pelagianorum. In Ecclesia Saluatoris per alios paruuli credunt, sicut ex alijs, quæ in baptismo dimittuntur, peccata traxerunt. Nec illud cogitetis, eos vitam habere posse, qui sunt expertes corporis & sanguinis Christi, dicente ipso Domino: Nisi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem, &c. ergo (si sine periculo fieri potest) iuxta primariam Ecclesiæ institutionem sacramentum Eucharistiæ in specie sanguinis est tradendum pueris. Vnde ignorantia presbyterorum adhuc formam retinens, sed non rem, dat eis loco sanguinis vinum, quod penitus superuacuum arbitrarer, si sine scandalo simplicium dimitti posset. Si autem in reseruando sanguinem Christi, vel ministrando pueris immineat periculum, potius supersedendum videtur. Nec terreant vos præmissa Augustini verba. Ipse enim alibi quasi ea determinans dicit. Nulli est aliquatenus ambigendum, tunc vnumquenq; fidelium corporis sanguinisq; Domini participem fieri, quando in baptismo membrum corporis Christi efficitur: nec alienari ab illius panis consortio, etiam si antequàm illum panem comedat, & calicem bibat, de hoc seculo in vnitate corporis Christi constitutus abscedat.

Mos primitiuæ Ecclesiæ in paruulos cõmunicãdo qualis fuerit

Quòd paruuli in ætate congrua patrinorum promissione tenentur. Cap. 21.

Cvm verò ad intelligibiles annos peruenerit, monendus est à presbyteris, & ab ijs, per quorum vocem satanæ abrenunciauit, & fidei symbolum accepit: quatenus quod per aliorum ora promisit, iã studeat corde credere, & ore proprio confiteri, & opere imitari. Vnde Augustinus in serm. habito Dominica prima post Pascha. Vos ante omnia tam viros, quàm fœminas moneo, qui filiolos in baptismo suscepistis, vt cognscatis vos fideiussores extitisse apud Deum pro illis. Ideò semper illos monete, vt castitatẽ custodiant, iustitiã diligãt, charitatem teneant: hoc omnibus faciãt quod sibi fieri volunt. Ante omnia symbolum, & Dominicã orationẽ & ipsi tenete, & illis, quos excepistis, ostẽdite: & paterno affectu eos in Domino diligite.

De Confirmatione. Cap. 22.

Cvm in baptismo plena sit facta peccatorũ remissio, quid confert cõfirmatio? In baptismo datur spiritus ad remissionem, hic verò ad robur. Per hanc enim contra hostes inuisibiles armamur. Sine hoc sacramẽto potest homo saluari, si nõ ex contẽptu dimiserit. Est aũt adeò necessariũ, & efficax, vt Episcopali dignitati ministratio eius reseruata sit, & vt ab alio traditum, habeatur irritum.

De Eu-

De Eucharistia in sequentibus dicemus, vbi de Missa tractatus, habebitur.

De Pœnitentia. Cap. 23.

Pœnitentia quid.
Pœnitentiæ veræ tria necessaria quæ

Paenitentia est commissa flere, & flenda nolle cõmittere. Et est, vt dicit Hieronymus, secunda tabula post naufragium: quia si quis de mundi
tia in baptismo recepta periclitatur, per pœnitentiam resurgere potest, & euadere. Vt autem pœnitentia sit vtilis, tria sunt necessaria, cordis cõpunctio, oris confessio, & satisfactio. In contritione tamen cordis ante oris confessionẽ peccata dimitti credendum est, propter illud: Dixi, confitebor aduersum me iniustitiam meam Domino, & tu remisisti impietatem peccati mei. Quid igitur prodest sequens oris confessio? Multum. In cordis enim contritione dimittitur reatus & æternæ damnationis debitum pro criminalibus, sed non debitum pœnæ temporalis. Deus enim misericors, & iustus sic peccata dimittit, vt ea tamen non relinquat impunita, pœnam autem temporalem recipit pro æterna. Illa autem ad sacerdotis arbitrium habenda docetur, vbi mundato à lepra dictum est. Vade, & ostende te sacerdoti, &c. Quòd si post contritionem contemnatur: aut peccata iam dimissa redeunt (secundum quosdam) aut peccato ingratitudinis pari dimissis omnibus reus tenetur, qui gratiæ Dei ingratus inuenitur.

Psalm. 31.

Matth. 8.

Quare pœnitentia solennis non iteretur. Cap. 24.

Solennis pœnitentia, quæ scilicet in publico extra Ecclesiam agitur, non iteratur, licet iterentur crimina, propter quæ suscipitur, immò iteranti crimina, aliud cõsiliũ datur. Quod ideò in Ecclesia videtur constitutũ, vt iteratio peccatorũ post pœnitentiã amplius timeatur: quæ adeò detestabilis est, quòd auctorem suũ etiam pœnitentia cõuenientẽ reddit indignũ. Inconsulto Episcopo non debet presbyter excommunicatos, vel publicè pœnitentes reconciliare, nisi vltima cogat necessitas.

Qualiter sacerdos peccata dimittat. Cap. 25.

Solus Deus peccata dimittit. Habent tamen auctoritates, quòd sacerdotes peccata dimittunt, & quòd Deus per eos ea dimittit. Sed sacerdotes peccata dimittere dicũtur, quia sacramenta ministrant, in quibus & per quæ peccata auctoritate diuina dimittuntur. Vel ideò sacerdotes peccata dimittere dicuntur: quia eum, qui pro peccatis suis excõmunicationis vinculo ligatus fuerat, absoluunt. In quo suo modo peccata dimittunt, quia eum propter præcedentia peccata non ampliùs debere vitari ostendunt. Retinent autem peccata iterum & iterum, vt magis euitentur, excommunicando: Domino vtrunque approbante sicut dictum est Apostolis: Quorum dimiseritis peccata, dimittentur eis: & quorum retinueritis, retenta sunt. Non ergo de omnibus peccatis intelligendum videtur secundum hunc modum remissionis vel retentionis, quòd sacerdotes ea dimittãt vel retineant, sed de eis tantum, propter quæ lata est sententia excommunicationis: secundum prio rem modum de omnibus potest intelligi.

Ioan. 20.

De iniustè excommunicato vtrum ligatus sit. Cap. 26.

De iniustè excommunicato quæritur, vtrum apud Deum ligatus sit. Si enim non est: quid est quod in typo Ecclesiæ dictũ est Petro: Quodcunque ligaueris super terram, erit ligatum & in cælis? Sed fortè solutionem mendicans dices: Quodcunque ligaueris iustè super terram, erit ligatum & in cælis. At quomodo dicetur iniustè dedisse sententiam, qui rei veritatem scire non prævalens secundum audita rectè iudicauit? Item beatus Gregorius ait: Sententia pastoris siuè iusta siuè iniusta timenda est. Ad quid ergo timẽda est si non tenet? Econtrario videtur, quòd sententia iniustè lata in irritum cedat. Dicit enim decretũ causa xi. Si lata fuerit in te sententia: depone errorem, & euacuata est sententia: Errorem dicit culpam, propter quam datur sententia. Si ergo depolito peccato, propter quod data est sententia, ipsa euacuatur: multo magis vacua est ab initio, quæ non propter peccatum eius, qui in causam ductus fuerat, sed ex odio sacerdotis est pronunciata, vel sine ordine canonico, vel ex causa iniusta. Hæc tria namque in sententia excommunicationis pensanda sunt, animus iudicis, ordo, & causa: quorum si vnum peruertatur, dicitur iniusta, modo ex animo, modo ex ordine, modo ex causa. Cum autem prædicta tria ad sententiæ iustitiam exigantur, videlicet vt animo correctionis detur, non odij, & ordine canonico, & pro causa talem promerente sententiã: causa præ omnibus iudicium obtinere videtur, vt si causa nõ præcesserit, excommunicatio vera non sit, nec apud Deum teneatur ligatus, qui sine culpa sua fuerit excommunicatus. Quomodo enim sine culpa potest quis ligatus esse apud Deum, qui merita causarum sine fallacia solus examinat? Nã & apud homines iniustum habetur, vt quis sine merito puniatur. Denique excommunicationis, & absolutionis idem est (quantum ad hoc) iudicium. De absolutione autem sic loquitur beatus Gregorius. Tunc vera est absolutio præsidentis, cum interni arbitrium sequitur iudicis. Quod benè quatriduani Lazari illa resurrectio designat, qua mortuum Dominus vocauit, & viuificauit dicens: Lazare, veni foras. Et postmodum is, qui viuens fuerat egressus, à discipulis est solutus. Ex qua consideratione nobis intuendum est, quòd illos nos debemus per pastoralem auctoritatem soluere, quos auctorem nostrum intelligimus per suscitantem gratiam viuificare. Ex his verbis videtur nec excõmunicationem, nec absolutionem veram esse, quæ non sequitur summi pastoris sententiam, quæ merita causarum examinat, nec aliquem immeritum damnat, Augustinus in psalmum vigesimum octauũ: Prævalebit in te falsum testimoniũ, sed apud homines. Nũquid apud Deum valet, vbi

Quæ in excommunicatione pẽsanda.

Ioan. 11.

Universidad de Deusto
Biblioteca

causa tua dicenda est? Quando Deus erit iudex, A alius testis quàm conscientia tua non erit. Inter iustum iudicem & conscientiam tuam noli timere nisi causam tuam. Vt hanc quasi contrariarũ litem rationum dissoluere possis, vide quando dictum est Petro in typo Ecclesiæ: Quodcunque ligaueris super terram, erit ligatum & in cælis. Inuenies hoc dictum esse in datione clauium regni cælorũ. Ac si diceret Dominus. his clauibus vtere, & quic quid secundum eas ligaueris vel solueris, ligatum erit vel solutum erit apud me. Quod est: Ratum erit apud me quicquid secundum has, quas tibi do, claues feceris. Hæ claues, potestas & discretio intelligunturDiscretio autẽ datur vt clauis, quando vsus eius conceditur, sicut pennas aui dare dicitur, qui soluit ligatas. Discretio autem quædam est in re, quædam in operatione. Discretio est in re, qua sine fallacia verum à falso discernitur. Discretio in operatione, qua ordine iudiciario proceditur in causa, & secundum audita rectè iudicatur. Quod & sine fallacia, & cum fallacia fieri contingit. Discretio autem, quæ hic clauis dicitur, vtrunque complectitur. Si quis ergo potestatem excommunicandi habens, ea discretè vtatur, vt ordine iudiciario procedat, & diligentiam, quam potest, adhibeat, verum etiam à falso sine fallaciæ nubilo discernat, ipse ex potestate sibi tradita ligat: & qui sic ab eo ligatus est apud homines, etiam apud Deum ligatus est, idest, ratum habet Deus, quod potestate sua discretè vtendo fecit minister eius. Et sicut in terra ligatus est, idest, ab Ecclesia militante separatus, ita etiam à curia cælesti: vt sicut nullus hominum cum eo habet colloquiũ, ita nullus Angelorum ei credatur præstare auxilium. De eo, qui ordine iudiciario ligatus est pro causa tamen iniusta, dicimus, quòd non est ligatus apud Deum, nisi contumax inueniatur, salua tamen Euangelij veritate dicentis: Quodcunque ligaueris super terram, erit ligatum & in cælis. Cælorum enim nomine præsens Ecclesia designatur. In qua excommunicatus habetur, & euitatur vt excommunicatus: & si apud homines teneat sententia, apud Deum non tenet, & ideò irritari meretur. Si post appellationem ad maiorem audientiam fuerit excommunicatum, non tenet sententia, sed ipso iure habetur irrita.

Matth. 16.

Claues Petro à Christo datæ quę

D. Thom. & Scot. tenent, quòd sacramentũ extremæ vnct. fuerit à Christo institutũ. sed & Trid. Synsess. 14. c. 1. docet, quòd hęc sacra infirmorũ vnctio fuit instituta, tanquam verè & propriè sacramẽtorũ noui Testam. à Christo Domino nostro apud Marc. quidẽ insinuatum, sed per Iacobum Apost. fidelibus cõmendatũ, ac promulgatũ. Idẽ docet 11 Cano. eiusdẽ Sess. & anatematizat hãc veram doctrinã negantes.

De vnctione infirmorum. *Cap.* 27.

VNctio infirmorum ab Apostolis est instituta. Vnde Iacobus: Infirmatur quis in vobis? inducat presbyteros Ecclesiæ, & vngant eũ oleo sacro: & alleuiabit Dominus infirmum: & si in peccatis fuerit, dimittentur ei. Hìc sacramentum est vnctio, res sacramenti peccatorum remissio. Hoc sacramentum cõtemnere damnabile est. Sine contẽptu absq; eo decedere, damnabile nõ est. Hoc sacramentum sæpius iterari potest, sicut & quod magis est Eucharistiæ sacramentum. Augustinus tamen dicit sacramentum non esse iterandum. Sed hoc de sacramentis baptismi, & cõfirmationis (de quibus tunc sermo erat) intelligendum est. Vel forte non dicitur iteratio sacramenti, & si pro parte iteretur. Licet enim iteratio fiat quantum ad personam, quæ iterum suscipit sacramentum, tamen non est iteratio quantum ad hostiam, vel oleum.

De coniugio. *Cap.* 28.

EXpeditis his, quæ de quinque sacramentis generalibus nullatenus oportet ignorare: ad duo particularia accedamus. In quibus licet sacramentum ordinationis dignius sit, de coniugio tamen prius nos volumus expedire. In coniugio quoddam Trinitatis vestigium inuenitur. Est enim vir principium, vnde mulier. De quibus procedit tertium, ideſt, proles. Institutio coniugij in paradiso facta est ante peccatum propter humani generis propagationem: dicente Domino: Crescite & multiplicamini. Eadem coniugij causa manet, & in nouo Testamento. Sed est & altera, scilicet, fornicationis euitatio: dicente Paulo: Propter fornicationem vnusquisque habeat vxorem, Vbi subintelligendum est, qui legitimè vxorem habere potest. Non enim sub hac vniuersitate includendi sunt, qui sacros ordines susceperunt, vel continentiæ aliter votum fecerunt. Et sciendum, quòd cum in veteri Testamento vnusquisque præciperetur de tribu sua ducere vxorem, vt vnicuique tribui sua portio terræ promissionis absque confusione seruaretur: in nouo tamen Testamento institutũ est, vt quilibet de aliena tribu ducat vxorem, propter amplificationem charitatis, vt amor, qui non erat per cognationem nasceretur per affinitatem. Vnde qui ex eisdem maioribus processerunt post septimum gradum possunt coniugio copulari: quia ex tunc deficit amor cognationis & notitia personarum cessante, & propinquitatis fama. Isidorus tamen sex tantum gradus ponit, quia gradum primum, scilicet duos fratres, non gradum appellat, sed truncum.

Gen. 1.

1. Cor. 7.

Notandum, quòd sacri canon. extra quartũ gradũ dant posse coniugio copulari.

De bonis coniugij. *Cap.* 29.

TRia sunt bona coniugij: Fides, sacramẽtum, proles. In fide, hìc intelligitur fides thori. In prole, grata prolis susceptio, & religiosa educatio. In sacramento, vt qui maritali copula iuncti sunt, ad spiritualem Christi copulam aspirent: & qui per carnalem copulam sunt vna caro, adhærendo Christo per charitatẽ sint vnus spiritus. Est enim maritalis copula, coniunctionis Christi & Ecclesiæ sacramentum, siue cuiuslibet fidelis & deuotæ animæ cum Christo.

Quid faciat matrimonium. *Cap.* 30.

COniugium autem facit consensus legitimarũ personarum de maritali copula per verba præsentis temporis expressus. Vnde post huiusmodi consensum neutri diuertere licet, siue ad alterius coniugium transeundo, siue clausтrum intrando, siue votum continentiæ faciendo, nisi ex consensu alterius similiter continentiæ voto sese astringentis. Ad alias verò transire nuptias omnino illicitum est. Quòd aliqui Sancti cum iam ad carnalem copulam accedendũ esset sponsas suas & thorum nuptialem fugisse leguntur, hoc post desponsationem, in qua est pactio de futuro, factum esse, intelligendum est, non post prædictum consensum, qui fortè tunc de consuetudine non fiebat, aut nõ præcesserat. Legitimę autem personæ sunt ad contrahendum, quarum neutrum impedit ordo, aut votũ, aut conditio, aut impossibilitas reddendi debitum, aut cognatio, aut affinitas, aut spiritualis proximitas. Ordo impedit coniugium faciendum, & dirimit contractum: quia votum continentiæ sacris ordinibus est adnexum, vt licet verbis nõ fiat, nihilo minus tamen in ipsa susceptione factum intelligatur. Subdiaconatus etiam inter sacros ordines cõputatur, quod non fiebat antiquitus. Votum quoque verbis expressum impedit coniugium, vel dirimit: non tamen quantum ad iudicium Ecclesiæ, nisi fuerit publicum, quia Ecclesia de occultis nõ iudicat. Conditio quidem impedit, quia si liber duxerit ancillam, & se hoc ignorasse probauerit, separabitur. Si verò scienter hoc fecerit, non separabitur. Impossibilitas reddendi debitum, modò ex frigiditate naturali modò ex maleficio cõtingit. In frigiditate naturali potest ordine canonico dissolui matrimonium, sed frigidus ad alias nuptias nõ transibit. Si frigiditatem allegauerit in diuortio, & ad alterius thorum transierit, reddetur copulæ priori. Si autem maleficium allegauerit, & facto diuortio ad alia vota transierit: iuxta decretum Himari Remorũ archiepiscopi remanebit in secunda copula, nec ad priorem redire cogetur, sicut qui frigiditatem naturalem in causa diuortij allegauit. Ille enim si facto diuortio ad alia vota trãsierit, reddetur copulæ priori. Quare? quia per opus sequens iudicatur eum in causa diuortij mentitum fuisse, dicendo se naturaliter frigidum esse, & Ecclesiam quantum ad veritatis cognitionem fuisse deceptam. Non enim in eo erat impossibilitas reddendi debitum ex frigiditate proueniens. Vt enim aiunt Physici, calor naturalis semel amissus nunquam redit. In eo autem diuortio, quod propter maleficium impetratum est, per opus sequens coniugij falsitas deprehendi non potest. Potest enim fieri per maleficium, vt alicui auferatur possibilitas cognoscendi istam, manente in eo possibilitate cognoscendi aliam. Ideoque Ecclesia, quod de priori coniugio rationabiliter factũ est, non rescindit. Dicunt tamen quidam in diuortio naturalis frigiditatis, & in diuortio maleficij eãdem regulam esse tenendam. Videlicet, vt qui postea viuente compari ad alia vota transierit, ad priorem cogatur redire copulam, decretumque prædicti Remorũ Archiepiscopi Himari non recipiunt. In vtraque tamen causa tam frigiditatis quàm maleficij non passim admittendum est diuortium, sed ordine canonico faciendum, vt in causa frigiditatis naturalis tam vir quàm mulier septima propinquorum manu iuret, quòd se non cognouerunt carnaliter, nec cognoscere potuerunt. Si autem maleficium in causa diuortij fuerit allegatum; prius amonendi sunt, vt orationibus & eleemosynis insistant, & benefaciendo gratia Dei præeunte maleficij vires euacuent. Quòd si sic liberari non potuerint, septima manu propinquorum fidem facere debẽt, quòd maleficio impediente nec se cognouerũt carnali copula, nec cognoscere potuerunt: & sic poterunt separari. In huiusmodi autem diuortijs non est faciendum iuramentum, quod fit in diuortio cõsanguinitatis, quòd scilicet carnali copula non sint sese deinceps cogniturI. Potest enim aliquis ab aliqua causa maleficij separari, & reddita sibi coeundi cum ea possibilitate, cessante maleficio eidem reddi. Vsque ad quem propagationis gradum cognatio coniugium impediat, ne possit fieri, vel factum dirimat. Et quare? Superius dictum est.

Legitimæ p. sonę queſint.

Matrimoniũ impediẽtia.

Impoſsibilitas reddendi debitum.

In calce cap. 28.

Quæ impediant coniugium. *Cap.* 31.

AFfinitas etiam matrimonium contrahendum impedit, & dirimit contractum. Sunt autem affinitatis tria genera. Primum genus per primas contrahitur nuptias, ideſt per nuptias, quas nullæ inter eosdem affinitatem procreantes præcedunt. Quod autem de nuptijs honestioris gratia exempli dico, de qualibet carnali copula est intelligendum. Et hæc primi generis affinitas paribus passibus cum cognatione procedit, & ad eundem modum vsque ad septimum protenditur gradum. In hoc autem differunt, quòd cognatio totum percurrit: Affinitas autem personam, per quam ipsa est, non excedit. Verbi gratia. Tu vinculo consanguinitatis impediente non potes ducere in coniugem sororem tuam, nec filius tuus filiam eius, nec nepos tuus neptem eius, & sic vsque ad septimum gradũ. In affinitate non sic. Tu enim omnibus vxoris tuæ consanguineis es affinis: sed filius tuus, siue nepos, siue etiam frater, nulli eorum propter hoc erit affinis. Sicut autem tota cognatio vxoris tuæ tibi est affinis, sic tota cognatio tua vxori tuæ affinis erit, sed non eius cognationi, quia (vt dictum est) affinitas personam non excedit. Secundum genus affinitatis est, quod per secundas contrahitur nuptias, eius scilicet qui iam primi generis affinitate tenebatur affinis. Et hæc affinitas vsque ad quartum protenditur gradum. Tertium genus affinitatis contrahitur per carnalem copulam eius, qui iam in secundo genere erat affinis. Et hoc vsque ad secundum solummodo gradum procedit. Hęc tria tribus declaremus exemplis. Vxoris tuæ filius de alio marito tibi est affinis affinitate primi generis. Vxor illius affinitate secundi generis. Secundus maritus vxoris filij tuæ vxoris tibi tenetur affinitate tertij generis. Hæc autem si quis plenius nosse desiderat: in libro decretorum Gratiani, causa 35. q. 3. & 4. requirat. Proximitas spiritualis, quæ compaternitas dicitur, similiter matrimonium & impedit, & dirimit. Est autem compaternitas quædam directa siue principalis, quædam emergens siue accessoria. Directa inter eos, quorum alter alterius filium aut filiam de sacro fonte suscepit. Accessoria per carnalem contrahitur copulam cum altera talium personarum. Verbi gratia: Vxor tua suscepit sine te de sacro fonte filium alterius mulieris. Ecce vxor tua directa cõmater est illius, cuius filium leuauit. Tu verò, quia vna caro es cum vxore tua, mediante ea factus es ejusdem mulieris compater, & ideo indirecta siue emergenti siue accessoria compaternitate compater eius es, nec mortua vxore tua poteris eam vxorem habere. Sicut autem spiritualis proximitas

Affinitatis tria genera.

Cognat ioni & affinitatis differentia.

Proximitas ſpiritualis. Compaternitas duplex.

Universidad de Deusto
Biblioteca

mitas contrahitur, filium cuiuslibet de baptismate suscipiendo: sic etiam efficitur, ante Episcopum ad confirmandum tenendo, & post consignationē chrismatis ligando.

De Ordinibus. *Cap.* 32.

Ecclesiæ ordines septē.

POst cætera Ecclesiæ sacramenta de ordinibus restat agendum. Septem igitur sunt ordines ministrantium in Ecclesia, videlicet ostiarij, lectores, exorcistæ, acolyti, subdiacones, diacones, presbyteri. Nos ergo, frater carissimè, qui vniuersos ordines suscepimus, omnium eorum ministerium & significantiam scire, & eis vitam, & mores nostros coaptare debemus, vt vita concordet cum nomine, & professio appareat in opere. Primum enim clerici dicimur a græco cleros, quod hæreditas siue sors interpretatur, quia de sorte esse Domini, & solum Deum in hæreditatem accipere elegimus. Vnde nos tales ei exhibere debemus, vt de nobis dicere possimus: Funes ceciderunt mihi in præclaris. Videamus igitur, ne sanctitatis signa inaniter gestemus, scilicet tonsuram, coronam, ornamenta etiam nostris officijs deputata: sed eis, quæ exterius apparent, interiora dignè respondeant. Capillos siquidem ante præcidimus, & ab eis sensuum instrumenta liberamus, vt hoc signo curarum illecebras frequenter redeuntes, & cogitationes superuacuas a cordibus nostris resecare discamus. Summitatem capitis in modum coronę radimus, vt mentem, quæ nostrum superius est, ad superna contemplanda, & desideranda liberam habere doceamur. Qui sic affecti sunt, & moribus esse studeant, quales se debere esse exterius ostendunt, ad clericalis militiæ officia promouendi sunt. Quæ septem sunt sicut dictum est. Quorum primum est ostiariorum. Scien dum autem, quòd hæc omnia de legali ritu sumpta sunt, & ad Ecclesiam cū quadam imitatione translata.

Clerici vnde dicti.

Psal. 15.

Capilli ante præcisi, & sanitas capitis in coronę modum abrasa, siue munda quid significent.

De Ostiarijs. *Cap.* 33.

QVi enim in synagoga ianitores vel æditui dicebantur, in Ecclesia ostiarij nuncupantur. Illorum officium erat in lege, quòd templum aperiebant & claudebant, mundos recipiebant, & immundos excludebant. In Ecclesia autem ostiarij hoc habent officium: vt catechumenos baptizandos in Ecclesiam introducant, & pœnitentes per Episcopum reconciliatos in Ecclesiam recipiant.

Ioan. 11. Ostiarij officium.

De Lectoribus. *Cap.* 34.

QVi in templo dicebantur cantores, in Ecclesia lectores dicuntur. Eorum officium erat hymnos, & cantica ante arcam Domini resonare. In Ecclesia autem id officij habent, vt diuinas scripturas recitēt, & ad laudem Dei gradualia, alleluia, & huiusmodi cantent.

Lectoris officium.

De Exorcistis. *Cap.* 35.

EXorcistæ dicuntur quasi adiuratores. Hi per carmina quædam, quæ Salomon composuisse dicitur, dæmones adiurabant, & de obsessis corporibus eijciebant. Exorcistæ autem nostri catechizandos exorcizant ex officio, & dęmones eijciunt, vel eis infantium corpora interdicunt.

Exorcistæ officium.

De Acolytis. *Cap.* 36.

AColyti quasi ceroferarij dicuntur. Eorum officium est in Ecclesia, sicut & in templo, luminaria accendere & extinguere, thuribulum cū igne præparare, in exornatione altaris deseruire, vrceo vel ampulla aquam ministrorum manibus ministrare.

Acolyti officium.

De Subdiaconibus. *Cap.* 37.

QVia apud Hebræos Nathinæi, id est, in humilitate seruientes dicebantur, a Græcis hypodiacones, a nobis subdiacones, id est ministri dicuntur. Eorum erat oblata a populo sacrificia recipere, & aquam, vel quælibet necessaria ad ministeria templi deferre. In Ecclesia hoc habent officium, vt Epistolam legant, calicem & patenam cum corporali diacono ad altare offerant.

Subdiaconi officium.

De Diaconibus. *Cap.* 38.

ALeui filio Iacob, Leuitæ, id est assumpti denominantur, per quos cuncta sacrificia administrabantur sub sacerdotibus. Hos Ecclesia diacones, id est ministros nuncupat. Horum officium est in Ecclesia Euangelium legere, sacrificium in altari componere, corpus & sanguinem Domini distribuere, licet non vbique hoc obseruetur, licentiam abeundi populo dare, & si necesse est prædicare, & baptizare.

Diaconi officium.

De Presbyteris. *Cap.* 39.

PResbyter dicitur senior, quod non ad ætatem, sed ad sensum referendum est: quia senectus venerabilis est non diuturna, nec numero dierum cōputata: cani sunt autem sensus hominis. Per hos populi legalia offerebant sacrificia. Eorum in Ecclesia est officium missas celebrare, corpus Domini dispensare, prædicare, baptizare, pœnitentes absoluere, mortuos sepelire, & omnia Ecclesiæ sacramenta Episcopis non reseruata administrare. Quædam enim Episcopali dignitati reseruata non omnibus sunt presbyteris concessa.

Sap. 4.

Presbyteri officium.

De Episcopis. *Cap.* 40.

EPiscoporum ordo in tria diuiditur: In Episcopos, Archiepiscopos, Patriarchas. Episcopus dicitur quasi superintendens: quia tanquam vineæ Domini in specula custos residens, institutioni & correctioni subditorum intendit. Hic quoq; quia dignitate præsidet alijs: præsul vocatur. Hic etiam antistes, quasi ante stans, vel quasi contra stans dicitur. Anti enim dicitur contra: quia hæreticis tanquam lupis pro defensione gregis resistere debet. Idem dicitur pontifex quasi pons factus, vel pontem faciens, doctrinæ scilicet pontem, quo itur ad atria vitæ. Quia pontifex in consecratione oleo vngitur, ex lege sumptum est, in qua rex, & sacerdos, vel propheta oleo vngebantur. Quia autem benedictio per manus impositionem datur: inde exortum creditur, quod Isaac manus imposuit Iacob, dum eum benedixit, & Iacob moriens duobus filijs Ioseph: & Moyses Iosue manus imposuit, dum eum ducem populo fecit: & Apostoli manus illis imponebant, quibus spiritum sanctū dabant. Huic dum regimen Ecclesiæ committitur, baculus quasi pastori traditur. In quo tria notantur, quæ significatione non carent. Hæc sunt, recuruitas, virga, cuspis. Quorum significationem breuiter aperit egregius ille verificator Episcopus Cenomanensis versibus his. Collige, sustenta, stimula: vaga, morbida, lenta. Hoc est pastoris: hoc virga figurat honoris. Et iterum quidam dicit: Attraho peccantes, iustos rego, pungo vagantes. Officio triplici seruio pontifici. Annulus ei tanquam sponsæ Christi in typo Ecclesiæ, cuius ipse est caput, traditur: & mitra tanquam sponso & magistro, iuxta illud: Sicut sponso alligauit mihi mitram. Huius officium est ministros Ecclesiæ ordinare, virgines velare, baptizatos confirmare, chrisma & oleum consecrare, Ecclesias dedicare, vasa & vestes Ecclesiæ benedictione sanctificare, rebelles excommunicare, pœnitentes reconciliare.

Gen. 27. Gen. 48. Deu. 34. Act. 8.

Episcoporū triplex ordo.

De Archiepiscopis. *Cap.* 41.

ARchiepiscopus quasi princeps Episcoporum dicitur. Idem Metropolitanus nuncupatur, quia ciuitati præest, quæ metropolis vocatur, id est, mater ciuitatum. Horum officium est Episcopos consecrare, congregare concilium, & iura dilapsa reparare. Hi præter cætera Episcopalia indumenta pallio in modum torquis decorantur: quia si rectè suum expleuerint officium, eis æternę remunerationis torques tanquam victoribus promittitur.

De Patriarchis, & eorum locis. *Cap.* 42.

PAtriarcha dicitur quasi patrum vel patriæ princeps. Patriarchæ tantum tres fuisse leguntur, quorum figuram Abraham, Isaac, & Iacob prætulerunt. Horum vnus in Asia Antiochiæ præsedit, alter in Aphrica primatum Alexandrię tenuit, tertius in Europa Romani apicis iura possedit. Has tres sedes ideo principales Ecclesia constituit: quia eas princeps Apostolorum sua possessione consecrauit. Duabus quippe ipse beatus Petrus præsedit, scilicet Antiochenæ & Romanæ, tertiam scilicet Alexandrinam Marcus Euāgelista nomini eius dedicauit. Postquam verò Nicena synodus Romano Pontifici hoc contulit priuilegium, vt sicut Augustus prę regibus, ita ipse præ omnibus Episcopis haberetur, & Papa & Pater Patrum vocaretur, ius Romani patriarchatus ad Constantinopolim transiuit. Quia aliæ duæ sedes sunt mutatæ, causa est, quòd loca illa meritis exigentibus in manus paganorum tradita sunt. Vnde Antiochenus patriarchatus est ad Hierosolymam translatus, Alexandrinus verò ad Aquileiam: quia huic ciuitati primū Marcus euangelista præsedit, qui postea Alexandrię præfuit. Horum officium est Archiepiscopos consecrare, concilia Episcoporum congregare, decreta canonum instaurare.

De Summo Pontifice, & officio eius. *Cap.* 43.

PApa dicitur, quia Pater Patrum. Hinc vniuersalis dicitur, quia vniuersæ præest Ecclesiæ. Hic quoque apostolicus appellatur, quia principis Apostolorum vice fungitur. Hic etiam summus Pontifex nuncupatur, quia caput est omnium Episcoporum. Huius nomen in ordinatione mutatur, quia Petri nomen in prælatione Ecclesiæ a Christo mutatum est. Huic etiam claues traduntur, sicut Petro a Domino claues regni cœlorum traditæ sunt, vt se ianitorem regni cœlorum esse cognoscat. Eius officium est Missas, & diuina officia ordinare, canones etiam pro tempore ad vtilitatem Ecclesię promulgare, vel immutare, Augustum consecrare, pallia Archiepiscopis, priuilegia Ecclesijs dare, totam Ecclesiam vice Christi gubernare. Itaque Papa vicem & locum Christi tenet, Episcopi Apostolorū, presbyteri septuaginta duorum discipulorū, reliqui ministri diaconorum ab Apostolis constitutorum.

Summi Pontificis officium.

Quare Episcopi die Dominica consecrentur. *Cap.* 44.

PApa, & omnes Episcopi ideo die dominica cōsecrantur, quia Apostoli, quorum successores sunt & vicarij, Dominica die Spiritū sanctum, qui oleo vnctionis designatur, acceperūt. Oleum quiple lumen ministrat, & vulnera sanat: sita & Spiritus sanctus lumen scientiæ dat, & vulnera peccatorum curat. Ideo etiam die Dominica consecrantur, vt se cum Christo resurrexisse, & in nouitate vitæ ambulare debere admoneantur. Presbyteri autem, & cæteri ministri Ecclesiæ ideo in sabbato ordinantur, vt se ab omni opere seruili debere quiescere, & Dei seruitio vacare intelligant. Sabbatum enim requies interpretatur. Virgines ideo in natalitijs Apostolorum velantur, quia Apostoli morem virginitatis primum Ecclesiæ seruandum tradiderunt, & virgines Apostolis quasi paralymphis Christo sponso immortali consecrantur.

Presbyteri, & cæteri Ecclesiæ ministri quare in sabbato ordinētur. & Virgines cur in festis Apostolorū velētur.

De veste sacerdotali: & primo de Humerali seu Amictu. *Cap.* 45.

HAEc strictim de ministris Ecclesię sunt relata: nunc de sacris vestibus pauca subijcienda sunt. In habitu enim sacerdotali nihil esse, quod vacet ratione, apud veteres quoque constat, sicut beatus Hieronymus ad Fabiolam testis est. Apud nos ergo quanto sacerdotium Christi veteri sacerdotio dignius est, tanto in habitu sacerdotali causas probamus haberi digniores. Illi enim sacras vestes secundum colorem, materiam, positionemque cuiusque ad quatuor elementa mundi, ad duo hemisphæria cœli, partesque zodiaci referentes, hoc significare volebant, quòd omnia eius subsunt arbitrio,

Universidad de Deusto
Biblioteca

trio, cuius personam gerit eis indutus sacerdos. Licet nostri, & beatus Hieronymus in illis quoq; spiritualis intelligentiæ vela pandere velint. Quoniam ergo nec vetera caruerunt ratione: nos exemplaria supergressi cœlestium, ipsa potius in vero sacerdotio cœlestia contemplemur. Vestes sacras a veteri lege sumpsit Ecclesia. Humerale, qđ in lege ephod, a nobis amictus dicitur, caput, & collum, atque humeros (vnde & humerale vocatur) cooperit, & vittis duabus pectus stringit. In humerali igitur spes æternorum intelligitur: de qua Apostolus. Et galeā salutis (inquit) assumite. Caput amictu cooperimus, vt omnibus sensibus, quorum plenitudo in capite est, pro spe æternorum Deo seruiamus. Collū, per quod vox transit, eo circundamus, vt spe æternorum ori nostro ponamus custodiam, & nil nisi, quod laudē Dei sonet, proferamus. Humeros, quibus onera portantur, eo velamus, vt iugum Domini patienter ferre doceamur. Vittis humeralis pectus stringimus, vt in pectore nostro cogitationes iniquas, & inutiles reprimamus.

Eph. 6.

De Alba. Cap. 46.

ALba, quæ in lege tunica linea, vel talaris, & a græcis poderis dicitur, munditiam vitę designat. Hæc descendit vsque ad talos, vt qui ea se induunt, vsque in finem vitę suę munditiam carnis seruare admoneantur. Alba & amictus non nisi de lino fiunt, quod multiplici labore in candorem vertitur: quia quæ per hæc duo signantur, magno labore acquiruntur, & acquisita custodiuntur.

De Cingulo. Cap 47.

PEr cingulum, quod in lege Baltheus, a græcis zona dicitur, continentia intelligitur, qua cor, ne lasciuiat, restringitur, ne bonorum impediat gressus operum.

De Stola. Cap. 48.

STola, quę & orarium dicitur, collum circundat, per quam Euangelij obedientia signatur. Euangelium quippe est suaue iugum Domini, obedientia verò lorum. Sacerdos igitur quasi ad iugum Domini loro ligatur, dum collum eius stola circundatur. Hęc primitus sinistro humero in ordine diaconatus scilicet suscipitur. In ordine verò presbyteratus non remota a sinistro etiam dextro humero applicatur: quia obedientia Euangelij primùm in eis, quæ ad actiuam pertinent vitam, suscipitur, quæ significatur per humerum sinistrum, ac deinde per dilectionem in dextrum contemplatiuè porrigitur. Et notandum, quòd apud antiquos non orarium dicebatur stola: sed alba, quam vitæ munditiam signare diximus, stola vocabatur. vnde, Qui lauerunt stolas suas in sanguine agni. Et illud: Habemus stolam primam in lauacro, & annulum fidei signaculum. Vtrobique enim nomine stolę vitæ munditia significabatur, quæ in baptismo per effusionem sanguinis Christi confertur.

Apoc. 22. Apoc. 7.

De Subcingulo. Cap. 49.

PEr subcingulum, quod perizoma vel cinctorium dicitur, eleemosynarum studium significatur. Hoc duplicatum suspenditur, quia primùm animę suę misereri peccata, euitando, deinde proximo necessaria impendendo, cuilibet pręcipitur.

De Casula. Cap. 50.

CAsula, quę & planeta dicitur, omnibus indumentis superponitur: per quam charitas intelligitur, quæ omnibus virtutibus eminentior creditur. Hęc super dextrum brachium leuatur, vt amici in Deo amentur: replicaturque super sinistrum, vt inimici propter Deum diligantur.

De Fanone. Cap. 51.

AD extremum sacerdos fanonem in sinistro brachio ponit, quem & manipulum & Sudarium veteres appellauerunt, per quem olim sudor, & narium sordes extergebantur. Per hoc pœnitentia intelligitur, qua quotidiani excessus extergendi sunt. In sinistro brachio portatur, quia in pręsenti vita, quę per sinistrum significatur, pœnitentia necessaria est. His omnibus ornamentis sacerdos decoratur.

De Veste Episcopali. Cap. 52.

EPiscopus autem de his, & alijs quibusdam exornatur, scilicet Tunica, Dalmatica, Sandalijs, Mitra, Chirothecis, Annulo, Baculo. Et quoniam superius de duobus vltimis, scilicet annulo & baculo, dictum est in ordine Episcoporum, de cęteris dicamus. Tunica, quę strictas habet manicas, & nō vsque ad talos sicut alba, sed vsque ad mediū crus porrigitur, militem Christi vult esse liberum, & ad bona opera expeditum.

De Dalmatica. Cap. 53.

DAlmatica a Dalmatia prouincia dicitur, in qua primū est inuenta. Hac pro colobio Apostolorum, quod erat vestis cucullata sine manicis, vtitur Ecclesia ex beati Siluestri institutione. Hæc vestis in modum crucis formata indicat portantem eam cum vitijs & concupiscentijs debere esse crucifixū. Duæ lineæ coccineæ sanguinis Christi effusionem significant pro duobus populis factam. Fimbriæ, quæ quasi quædam linguæ de Dalmatica ante & retro procedunt, sunt verba & exemplum prædicatoris, quæ nobis imitanda proponit. Sinistrum latus Dalmaticæ fimbrias habet, quia actiua vita impedita est, & turbatur erga plurima. Dextrum latus non habet fimbrias, quia contemplatiua vita quieta manet, & regina a dextris stans nihil in se sinistri habet. Manicarum largitas est datoris hilaritas, & largitas.

De

De Sandalijs. Cap. 54.

SAndalijs vtuntur Episcopi, quæ subtus integra, aperturas habent superius, vt per hoc designetur, quòd prælatorum affectus, qui pedum nomine in scripturis designatur, a terrenis remouendi sunt, & ad cœlestia dirigendi.

De Mitra. Cap. 55.

MItra Pontificalis est assumpta ex vsu legis. Hæc Græcè tyara & mitra, latinè verò insula & pileum appellatur. Mitra, quæ caput tegit & velat, in quo est sensuum plenitudo, custodia est sensuum ab illecebris mundanorum. Duo eius cornua duorum testamentorum munimenta significant, quibus Episcopi & se, & alios contra mundi illecebras munire debent, & hostes Christi ventilare.

De Chirothecis. Cap. 55.

CHirothecarum vsus ab Apostolis traditus est. Per manus operationes, per chirothecas earū occultationes signantur. Sicut enim aliquando manus chirothecis velantur, aliquando extractis illis denudantur. Sic bona opera interdum propter arrogātiam declinandam celantur, interdum propter ædificationem proximis manifestantur. Chirothecæ induuntur, cum hoc impletur, Cauete ne iustitiam vestram faciatis coram hominibus, vt videamini ab eis. Rursus extrahuntur, cum hoc impletur. Luceat lux vestra coram hominibus, vt videant opera vestra bona, & glorificent patrem vestrum, qui in cœlis est.

Mat. 6.

Mat. 5.

De Pallio Archiepiscopi. Cap. 57.

HIs omnibus insignibus fulget Archiepiscopus: insuper & pallio, quo a cæteris discernitur Episcopis. Hoc duas lineas habet à summo vsque deorsum ante & retro dependentes, & purpureum sanctæ crucis signaculum pręferentes. Hoc est duorum testamētorum doctrina passioni Christi testimonium perhibens. Circulus circa collum Pontificis, torques est aurea, quæ legitimè certantibus promittitur. Mos apud veteres fuit, vt legitimè certantes coronam in capite, torquem in collo acciperent. Vnde theologia diues rerum, sed vocabulorum pauper, hęc nomina, corona, torques, ad intelligendum, æternæ retributionis prędium sępe transsumit. Spinulæ, quibus pallium affigitur, stimuli charitatis sunt, quibus circa curam subditorum stimulatur Archiepiscopus.

LIBER SECVNDVS
De Ecclesiasticis agit Officijs.

Cuius hæc sunt capita.

De hora prima. Cap. 1.
Qualiter, & ad quid preces fiant. Cap. 2.
De tertia, & sexta, & nona. cap. 3.
Quando preces dicantur ad horas, & quando taceantur: & quare. Cap. 4.
De officio Vespertino. Cap. 5.
Vnde cœpit antiphonarum vsus. Cap. 6.
De completorio. Cap. 7.
De officio nocturnali. Cap. 8.
Quare hoc officium tres habet distinctiones. Cap. 9.
De laudibus matutinis. Cap. 10.
De missa vnde sumpsit exordium, & vnde augmentum. Cap. 11.
Quòd missa tribus linguis celebratur, & quare. Cap. 12.
Quæ ratio modulizandi in celebratione missæ. Cap. 13.
De introitu missæ, & processione ministrorum. Cap. 14.
De cantico Gloria in excelsis Deo. Cap. 15.
De oratione, & quare collecta dicatur. Cap. 16.
De epistola, & causa nominis huius. Cap. 17.
De graduali siue responsorio, & causa vtriusq; nominis. Cap. 18.
De alleluia, et pneumatū significatione. Cap. 19.
De missione diaconi ad legendum Euangelium. Cap. 20.
De symbolo Apostolorum, quando, & quare cantandum sit. Cap. 21.
De offerenda, & significatione versuum eius. Cap. 22.
De oratione secreta, & quare in fine eius vox eleuetur, & de patena qualiter, & a quibus feratur. Cap. 23.
De præfatione. cap. 24.
Summa sententiæ totius canonis. cap. 25.
De significatione altaris exterioris. cap. 26.
De significatione altaris interioris. cap. 27.
De propitiatorio mystico. cap. 28.
De actione prima in missa. cap. 29.
De mystico rationali. cap. 30.
Quid petat oratio primæ actionis. cap. 31.
De actione secunda. cap. 32.
Quid petat oratio secundæ actionis. cap. 33.
De actione tertia. cap. 34.
De oratione pro defunctis. cap. 35.
De mystico superhumerali. cap. 36.
Quòd signa crucis vltima a præmissis omnibus differunt in causa. cap. 37.
Quid significet eleuatio sacramenti. cap. 38.
De oratione dominica, quæ est oratio tertiæ actionis. cap. 39.
Quare pax datur ante communionem. cap. 40.
De communione. cap. 41.

De

Universidad de Deusto
Biblioteca

De hora prima. cap. 1.

EXecutis principalibus Ecclesiæ sacramentis, de ecclesiasticis officijs addere propositi ratio depoſcit, & primo de horis canonicis. Horæ canonicæ dicuntur officia constitutis horis regulariter in Ecclesia celebranda. Hæ siquidem creatori nostro debitæ laudes, & pro certis & magnis eius beneficijs quasi vectigales sunt gratiarum actiones. Inter canonicas autem horas ea, quæ dicitur prima, primum
Matt.20. teneat locum. Ab illa namque hora incipiendum videtur, qua paterfamilias operarios in vineam suam conduxit. Siquidem vinea Domini est Ecclesia, ministri sunt operarij. Hi vineam fodiunt, quando naturæ nostræ humilitatem ad memoriam sibi & alijs reducunt, & humiliari faciunt & se & alios sub potenti manu Dei. Ipsi enim operarij de vinea sunt. Stercorant autem vineam, quando propter amplio
Psal. 118. rem fructificationem peccata ad memoriam reducunt. Hi ad imitationem Dauid, qui dicit: Septies in die laudem dixi tibi: septies in die ad confitendum Domino conueniunt, hora scilicet prima, tertia, sexta, nona, ad vesperas, ad completorium, & no
Psal. 128. cte ad matutinas, pro eo quod scriptum est: Media nocte surgebam ad confitendum tibi. His adiunguntur laudes matutinæ, quæ tamen inter horas diurnas computantur. Septies itaque in die conueniũt ad confitendum Domino, semel in nocte. Conueniunt autem prædictis horis ad laudandum Deum in Psalmis, & hymnis, & vt aures diuinis lectionibus accomodent. In omnibus enim etiam diuinis horis lectiones recitantur, quas nos in horis diuinis capitella vocamus. Capitella ideo dicuntur, quia distinctionis officiorũ post psalmodiam capita sunt, id est principia. Verbi gratia: In omni die hora tertia eadem manet psalmodia, & hymnus idem. Post psalmodiam verò aliud sequitur in Dominicis diebus, aliud in ferialibus, aliud in festis martyrum, aliud in festis confessorum: Cuius varietatis capitellum principium tenet. Sed notandum, quòd in prima, & completorio nulla post psalmodiam est pro diuersitate dierum siue festorum varietas: vt per hoc insinuetur, quòd principium & finem operum nostrorum firmiter, & inconcusse soli Deo attribuere debemus. Sed ad id, vnde cœpimus, reuertamur. Mane congregatis ad pascua vitæ Christi
Ioan. 10. 1. Pet. 5. ouibus, opilio noster timens lupum, qui rapit & dispergit oues, vt habemus in Euangelio, & non minus leonem, qui circuit quærens quem deuoret, sic incipit: Deus in adiutorium meum intende: Domine ad adiuuandum me festina. Et quoniam sine recta fide aliquid Deo placere impossibile est, subiungit ipse pastor cum grege suo: Gloria Patri, & Filio, & Spiritui sancto. Quod est: Vna & eadẽ credatur esse gloria Patris, & Filij, & Spiritus sancti, & nunc, & semper, ideſt omni tempore, in secula seculorum, ideſt post omnia tempora æternaliter. Quod dicitur secula seculorum, circunlocutio æternitatis est. Sicut enim seculum annorum dicitur, quod constat ex centum annis, ita seculum seculorum conuenienter diceretur seculum constans ex centum seculis. Sed quoniam totum præsens seculum non tanto tempore creditur duraturum, in eo quod dicitur per omnia secula seculorum, nihil aliud quàm æternitatis durabilitas interminabilis intelligitur. Sicut erat in principio. vnde: Clarifica Ioan.17. me pater claritate, quam habui, priusquam mundus fieret, apud te. Deinde sequitur Psalmus, quem can Psal. 53. tauit Dauid, quando Ziphæi voluerunt eum capere, & tradere in manus Saul. Ziphæi interpretantur florentes, per quos diabolus & sui intelliguntur. Diabolus enim florem mundo promittit. Qui autem eius sunt, florem suum & delectationem suam in mundanis constituunt. Contra huiusmodi Ziphæos, precamur nobis adesse tuitionem diuinam per omnes horas diei, vt neque diabolus suggerendo, neque membra eius apertè persequendo siue occultè, nobis prævaleant. Postea sequuntur duo octonarij Psalmi: Beati immaculati, cum vno Glo Psal.118. ria tanquam Psalmus vnus, & duo alij cum vno gloria tanquam vnus. Psalmus enim prædictus, scilicet, Beati immaculati, plenus est morum institutionibus. Oportet autem, vt quos Deus liberauerit de vinculis & carcere inimicorum, moribus bonis & pijs ei assistant. Isti quasi tres Psalmi obsequium nostrum Domino præsentant per tres horas, primã scilicet, secundam, & tertiam, vt in his tribus a Domino custodiamur. Singulis repetitionibus subiungitur Gloria patri: ne propter Psalmos, qui de veteri testamento sunt, officium nostrum ad nouum testamentum non putetur pertinere. Et hoc semel dictum, vbique intelligatur. His addidit fidelium deuotio: Quicunque vult saluus esse, vt articulorum fidei, qui sunt necessarij ad salutem, nulla diei hora obliuiscamur. Postea iuxta Ecclesiæ nostræ consuetudinem sequitur lectio ex Esaia sumpta: Domine miserere nostri, te enim &c. Seruata videlicet illa antiqui populi consuetudine, quæ in libro Esdræ scripta est. Ait enim: Cõuenerunt filij Israel Num.9. in ieiunio, & saccis, & humus super eos, & separatum est semen filiorum Israel ab omni filio alienigena: & steterunt, & confitebantur peccata sua, & iniquitates patrum suorum: & consurrexerunt ad stãdum, & legerunt in volumine legis Domini Dei sui. Vnde Beda super memoratum librum. Quorũ exemplo reor in Ecclesia morem inoleuisse pulcherrimum, vt per singulas diuinæ Psalmodiæ horas, sectio vna de veteri, siue de nouo testamento cunctis audientibus dicatur, & sic Apostolicis siue propheticis confirmati verbis ad instantiam orationis genu flectant. Vsus tamen multarum est Ecclesiarum, vt ad primã nõ legatur lectio, sed vsque ad capitulum post primam reseruetur. Lectionem sequitur responsorium, sicut in omnibus ferè horis, Christe fili Dei viui, &c. Deinde versus, Exurge Domine, & cætera. In alijs tamen Ecclesijs sine lectione, & responsorio Psalmodiam sequitur versus. Versus a reuersione nomen accepit. Legitur enim in libro Numerorum, quòd dum arca Domini, quæ significabat Ecclesiam, poneretur in tabernaculis, dicebatur: Reuertere Domine ad multi- Num.10. tudinẽ filiorum Israel. Reuersio Domini ad Israel non est aliud, quàm vt reuerti faciat Israel toto corde ad se. Deus enim non habet a quo reuertatur, cui

cui totum præsens est. Iuxta morem hunc statutum est a sanctis patribus, vt versus diceretur in vnoquoque officio, vt si mentes nostræ cogitando illicita pro nimio opere Psalmorum deuiauerunt, versu excitatæ ad Deum reuertantur.

Qualiter, & ad quid Preces fiant. Cap. 2.

HIs ritè peractis, inchoamus implorare Dei misericordiam, dicendo Kyrie eleison. Ter inuocamus Patrem, ter Filium, ter Spiritũ sanctum, vt nostri misereatur exaudiẽdo preces, quæ sequuntur. Vnamquamque trium personarum ter inuocamus, quia vniuscuiusque trium misericordia, trium misericordia est: sicut tribus est honor vnus, & vna maiestas. Preces ex persona eorum dicuntur, qui quotidie cadunt, & nituntur resurgere per pœnitentiam. Vnde post Dominicam orationem sequitur: Viuet anima mea, & laudabit te. Quasi sit: Mortua fuit anima pro erratibus meis, at deinceps
Ezec.33. viuet per conuersionem. Et iudicia tua adiuuabunt me. Quia dixisti: Nolo mortem peccatoris, sed magis vt conuertatur, & viuat: & melius iudicas parcere pœnitenti, quàm conterere peccantem. Hoc officium, sicut quolibet aliud præter nocturnum, oratione concluditur, Domine Deus Pater, qui nos ad principium &c. Et hæc omnia in Dominicis & cæteris festiuis diebus stando dicuntur propter memoriam Dominicę resurrectionis, cum quo omnes sancti spe resurrexerunt. In alijs autẽ diebus genua in terram fixa tenemus, dum dicuntur preces, quæ dicuntur propter leuia peccata, &
Psal. 50. dum dicitur pœnitentialis Psalmus, Miserere mei Deus, qui propter grauia peccata frequẽtatur. Ideo autem hoc officium, & omne aliud præter nocturnum oratione cõcluditur, quia dum sumus in præsenti seculo, maximè quando ad extrinseca negocia eximus, necesse est nobis, vt orationibus sanctorum muniamur: siue quia mos est, vt quando familiare colloquium habemus cum seruis Dei, amore religionis antequam separemur ab illis, in vltimo benedictionem petamus. In nocturno autem non ita fit, quia ibi non est separatio, sed matutinũ coniunctim cum eo canitur. Post finem huius officij additur in veneratione omnium sanctorum,
Psal. 115. Pretiosa est in conspectu Domini &c. Finitaq; oratione, sequitur familiare obsequium pro nobismet ipsis, & pro familiaribus nostris. Vnde quia nos plus cæteris peccasse reputamus, vt auxilio Dei prę terita & præsentia peccata diluere, & in posterum vitare possimus, ideo dicimus, Deus in adiutorium
Psal. 69. meum. Et finita oratione dominica, additur: Respice Domine in seruos tuos, & in opera tua. quod ideo fit, quia nos sumus & serui Dei, & opera ipsius. Et dirige filios eorum. filios dicit cogitationes, quæ nascuntur ex mente.

De Tertia, Sexta, & Nona. Cap. 3.

HOra tertia, in qua tuitionem diuinam rogauimus, congregati hora prima: hora (inquam) tertia iterum in Ecclesia congregamur ad confitendum Domino, & per tres repetitiones Psalmi supradicti nos famulatui Dei per tres sequẽtes horas præsentamus & offerimus per quartam, & quintam, & sextam. In sexta iterum congregamur ad psallendum Domino: & per tres repetitiones Psalmi supradicti nos diuinæ tuitioni per tres sequentes horas commendamus, scilicet per septimam horam, octauam, & nonam. Iterum hora nona conuenimus, & tribus repetitionibus eiusdem psalmi, nos in Dei famulatu per tres sequentes horas statuimus, siue munimus nos ab insidijs inimici, scilicet per decimam horam, & vndecimam, & duodecimam. Vnumquodque horum officium suam habet lectionem, quæ sicut supradiximus capitellum appellatur. Quęritur cur in diurnis lectio- Cur in diurnis lectionibus Benedictio non postuletur, sicut in nocturnis. Quod ideo fit, quia maior eas recitat, cuius est dare benedictionem: in nocturnis autem petitur, quoniã a minoribus leguntur. Sed non minor quęstio occurrit, cur scilicet diurnæ lectiones legãtur a maioribus, cum nocturnæ legi soleant a minoribus. Quod ideo fit, quia in diurnis officijs non pro diuersitate temporum siue festorum variantur ea, quæ lectionem præcedunt, sed semper eadem manent: In lectione autem incipit pro varietate temporum & solemnitatũ officium variari. Quam officiorum variationem, maiores, quia certius nouerũt quàm minores, lectionem legere consueuerunt. In nocturno autem officio, & inuitatorium, & hymnus, & psalmi ipsi hanc faciunt distinctionem. Iterum quæritur, cur in lectionibus diurnis, & quandoque in nocturnis non pronuntiatur auctor, sicut in his, quæ ad missam leguntur. Quod ideo fit, quia bulbulci, & subulci, & omnes ferè operarij ad missam conueniunt, ad cęteras autem horas clerici, & domestici Ecclesiæ, qui ex verbis auctorum propter frequentem consuetudinem audiendi satis auctores cognoscunt. Illi autem propter raritatem Officia diuina quare a prima, tertia, sexta, et nona, et non ab alijs nomẽ accipiãt. Matt. 20. audiendi, qui sunt auctores lectionum nesciunt, nisi nomina eorum præponantur. ¶ Quæritur etiam quare officia diurna accipiunt nomen à prima, & tertia, & sexta, & nona, & non ab alijs. Quod ideo fit: quia his horis conuenimus ad Dei seruitium, per quas Euãgelium narrat operarios introductos in vineam, quæ significat Ecclesiam.

Quando Preces dicantur ad horas, & quando taceantur: & quare. Cap. 4.

IN omnibus officijs, excepto nocturno, nisi in festiuitatibus, dicuntur Preces & Miserere mei Deus. Preces propter leuia & quotidiana peccata: Miserere mei Deus propter grauia. Et notandum, quòd preces retinent modos orandi, quos enume- 1. Tim. 2. rat Paulus dicens. Obsecro primum fieri obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus, & pro ijs, qui in sublimitate sunt constituti, vt quietam & tranquillam vitam agamus in omni pietate, & castitate. Obsecratio est, cum solutionem malorum petimus, vt illud. Ego dixi, Domine miserere mei &c. Oratio psal. 40. est, cum postulamus bona nobis a Deo dari, vt illud: Ostende nobis Domine misericordiam tuam. psal. 84. Postulatio est, cum precamur, vt omnia, quæ sunt

Universidad de Deusto
Biblioteca

Psal. 89. † Deprecabilis esto. Gratiarum actio. Psal. 144. Psal. 19. Sacerdos cùm prostratus dicat preces, & stans orationem.

cõtraria bonis nostris, vt est subreptio dęmonum, siue molestiæ passionis minuantur, & superentur. Vnde illud: Conuertere Domine vsquequo, & † deprecaberis. Gratiarum verò actio est, vt illud Cõfiteantur tibi Domine omnia opera tua. Pro his, qui in sublimitate sunt, precamur, vt illud: Domine saluum fac regem; &, Oremus pro Pontifice nostro. Dum preces dicuntur, sacerdos, quia peccator est, cũ peccatoribus prostratus est. Sed quia vicem tenet Christi, stando dicit orationem, vt resurrectionem recolat eius, cuius vicem tenet. In Dominicis, & festiuis diebus non fiunt huiusmodi preces per horas, vt ad memoriã reducamus, quia in futura resurrectione vbi erit vera libertas, & vera sanctorum cum angelis societas, nulla deprecatio pro miserijs erit necessaria. Salutatio præcedit, & subsequitur orationem, propter duplicem Domini ad discipulos salutationem dicentis: Pax vobis. Post orationem autem sequitur, Benedicamus Domino, & Deo gratias: quia sicut Dominus postquam salutauit discipulos, iterum benedixit eis, & illi gratias referendo adorauerunt eum: ita presbyter, qui vicarius eius est, post iterum factam salutationem confratribus dicit, Benedicamus Domino, scilicet subaudiendo, cuius membra sumus, in quo benedicimus omnes. Et confratres gratias referunt, dicentes: Deo gratias.

Ioan. 20.

Matt. 28.

De Officio Vespertino. Cap. 5.

Vespertinũ officium vnde dictum.

IN noctis initio, sole videlicet occidente, vespertinum Deo offerimus sacrificium, quando ad confitendum Domino conuenimus. Dicit Isidorus in libro Etymologiarum: Vespertinum officiũ est in noctis initio vocatum a stella vespera, quæ surgit oriente nocte. Et Augustinus in Psal. 29. Vespera fit quando sol occidit. Hinc possumus conijcere, quando festos & a seruili opere feriatos dies obseruamus, quòd eos obseruare debemus a vespera vsque ad vesperam, ideſt ex quo sol occidit vsq; ad alium solis occasum. Quotidianus vsus noster tenet, vt quinque Psalmos cantemus in officio vespertino. Quis enim nescit, quanquam per quatuor horas diei nos Deo commendauimus, sicut supradictum est, quanta impedimenta, & quot tristitiæ seu lętitiæ inanes occupent mentem iusti etiam per diem? Oculi enim adducunt ad eam illices formas. Per aures intrant verba detractionis aut luxus. Nares quoque non sunt alienæ ab hoc pestifero internuntio. Per os quoque mens polluitur, quando criminosa seu etiam ociosa loquitur verba. Manus proculdubio, & pedes id tangunt, vnde anima fit deterior per cogitationem. Atque in istis quinque sensibus quotidiano tundimur assultu. Vnde in noctis initio, quãdo ad dormitionem accedimus, quæ quasi quædam imago mortis est, & cui multa assistunt pericula, pro delictis quinque sensuum veniã deprecando quinque Psalmos cantamus.

Vnde cœpit Antiphonarum Vsus. Cap. 6.

HOs quinque Psalmos antiphonarum solemus cantare. Vsus antiphonarum in Ecclesijs ab Ignatio Episcopo Antiochiæ vt Tripertita narrat historia, cœpit actitari. Ita enim narrat: Dicendum est tamen vnde cœpit initium vt in Ecclesia antiphonæ decantentur. Ignatius Antiochiæ Syriæ tertius post Apostolum Petrum Episcopus, qui etiam cum ipsis degebat Apostolis, vidit Angelorũ visionem, quomodo per antiphonas sanctæ Trinitati dicebant Hymnos. Hśque modum visionis Antiochenæ tradidisse probatur Ecclesię: & ex hoc ad cunctas transiuit Ecclesias. Antiphona autem dicitur eo quòd iuxta eius modulationem altera pars chori contra alteram sonet, dum duæ chori partes Psalmum alternatim decantant. Post hæc sequitur lectio a pastore prolata, deinde psalmus. Et quoniam in eo suauis & beneplacita est modulatio, ne cor sui oblitum per superbiam, quæ ex dulci modulatione nasci solet, euanuerit, sequitur versus, per quem mens ad se reuocatur, & excitatur vt melius attendat sequentia, hymnum, scilicet beatæ Mariæ, qui ad expellendas diurnas illecebras in initio noctis decantatur. Quem enim superbia in die rapit extra se, audiens, Dispersit superbos, reuertatur ad se. Si quem temporalium rerum appetitus delectat: diuites dimisit inanes, eum ad se retrahat. Si quem specialis afflictio conturbat, recogitet quia Dominus exaltat humiles. Si cui obrepit potentia huius seculi, supprimat eam Deposuit potentes. De oratione, & quando preces faciendæ sint, vel non, & quare, superius dictum est.

Luc. 1.

De Completorio. Cap. 7.

COmpletorium ideo dicitur, quia in eo complentur, quæ vsque ad dormitionis quietem facienda sunt. Vnde & apud monachos tenetur ex regula beati Benedicti, vt ab eius officio clausura oris muniant, & ea aliena faciant a communi colloquio vsque dum iterum ad opera redeant. In eo officio quatuor Psalmi recoluntur vsque ad versum. In quatuor Psalmis quatuor elementa nostri corporis Deo commendamus. Quod ostendunt ipsa Psalmorum verba. In primo dicitur. In pace in id ipsum dormiam, & requiescam. Quod licet propheta de dormitione mortis intellexerit, tamen institutor officij ad somni dormitionem hæc retulit, quia somnus quædam imago mortis est, sicut prædiximus. In secundo dicitur. In manus tuas commendo spiritum meum. Quem versum Christus ante mortem protulit vltimum. Vnde & nos de eodem Psalmo nil amplius dicimus. In tertio Psalmo dicitur, Qui habitat in adiutorio altissimi &c. quæ fere omnia oratione sunt plena, licet affirmatiuè proferantur. Quarto, vt hæc omnia nobis a Deo concedantur, monemur Deum benedicere & laudare. Similiter & hymnus corpora nostra Deo cõmendat, quod patet ex ipsius hymnorum verbis. In hymno quotidiano sic habes: Procul recedant somnia, & noxi. phant. ho. que. n. com. ne polluantur corpora. In alio hymno sic. Fessa labore corpora, noctis quiete recrea. Et in alio sic. Precamur sancte Domine, defende nos in hac nocte, sit nobis in te requies, quietam noctem tribue, &c. Hoc etiam versus apertè dilucidat dicens: Custodi nos Domine vt pupillam oculi: sub v. a. t. p. nos. Hoc autem propter pericula fieri consueuit, quæ plus dormiendo quàm vigilando homines inuadunt. Sicut enim periculosum est homini dum transit ex hoc seculo, nisi se commendauerit Deo, ita periculosum est hominibus dormientibus, nisi commendati Deo fuerint aut per hos quatuor Psalmos, aut per crucis signaculum, per quod Dominus corpora nostra custodiat, sicut in hymno rogamus. In cantico Simeonis cum ipso oramus, vt in pace a tumultu seculi quiescamus. Vnde patet, quòd ij, qui dormiunt, eis, qui mortui sunt in Christo, conformantur. Simeon enim morte corporis orabat in pace dimitti: nos somni dormitione.

Pfal. 4.

Pfal. 30

Luc. 23. Pfal. 90.

Luc. 2.

De Officio nocturnali. Cap. 8.

IN nocturnali officio dicimus primo: Domine labia mea aperies, &c. Quod ideo fit, quia completorio nos Deo commendamus, & conclusimus ora, & singuli quodammodo in singulis sepulchris quieuimus, Deo soli astantes, cui non sunt verba necessaria, quia cogitationes omnes nouit. At nunc, quia iterum conuenimus ad confitendum Domino, precamur eum vt sua directione labia nostra aperiat. Deinde per inuitatorium omnes circunqua que ad confitendũ Domino vocantur. Iuxta quod ipsius inuitatorij versus secundus sonat: Præoccupemus faciem eius in confessione, & in psalmis iubilemus ei. Inuitatorium sequitur hymnus, quo corda adhuc torpentia ad laudes Dei excitantur. Sed quæritur, cur in hoc officio, & in quibusdam alijs, scilicet prima, tertia, sexta, nona, hymnus præponitur psalmodiæ: in vesperis autem, & completorio, & laudibus matutinis sequitur psalmodiam. Ad qđ dicendum videtur, quòd in matutinis sicut dictum est, hymnus statim in principio ponitur, vt excitet sua modulatione corda torpentia. In prima autem, & cęteris horis diurnis, vt ad diuini amoris dulcedinem retrahat corda curis quotidianis occupata. In vesperis autem ideo post Psalmos ponitur hymnus, vt corda excitet ad canticum Simeonis, quod de Euangelio sumptum, statim sequitur post hymnum, præposito tamen eidem versiculo. Eadem causa potest non inconuenienter assignari & in vesperis, & in laudibus matutinis. In vesperis autem modulatione hymni excitamur ad intelligendum canticum Mariæ virginis: Magnificat anima mea Dominum. In matutinis laudibus ad canticum Zachariæ præparamur. Benedictus Dominus Deus Israel.

Pfal. 94.

Luc. 1. Ibidem.

Quare hoc officium tres habeat distinctiones. Cap. 9.

PSalmi, & lectiones, & responsoria diebus festis sub tribus distinctionibus cantantur, Quartam faciunt laudes matutinæ. Tres priores nocturni siue vigiliæ more Romano nuncupantur. Siquidem nox in quatuor vigilias antiquo more diuiditur. Quarum prima conticinium dicitur, secunda intempestum, tertia gallicinium, quarta antelucanũ. Vnaquæque autem tribus horis contenta est. Vnde & trium nocturnorũ singulum tres habet Psalmos, quibus nos totidem horis noctis Dei seruitio præsentamus. Iuxta numerum Psalmorum lectiones recitantur, quia in singulis horis præsertim noctis contra spirituales nequitias muniendi sumus. in festis minoribus retento numero Psalmorũ propter idem, minuitur numerus lectionum ad tollendum fastidium, quod in eis rebus præcipuè vitandum est, in quibus solum acceptatur desiderium. In diebus festis, quando videlicet nulla sanctorum occurrit festiuitas, psalmi combinãtur, & quasi sex psalmi per Gloria patri distingũtur, vt & psalterij lectio in singulis perficiatur hebdomadibus, & numeri mysterium conseruetur. Sex enim Psalmi, immo sex Psalmorum combinationes ad sex ætates mundi, siue ad sex vitæ nostrę dies referuntur, quibus anima & corpore propter sabbatum septima ætate, & septima die designatum, in Dei seruitio laborandum est: Quidam aliud assignant mysterium, vbi sub tribus distinctionibus nocturnum celebratur officium. Nox enim, ad quam pertinet huiusmodi officium, huic seculo tenebris ignorantiæ pleno comparatur. Secundum autem, hoc est spatium, quod cum mundo incepit, & vsque ad cõmunem resurrectionem durabit, tria complectitur tempora, videlicet tempus ante legem, tempus sub lege, tempus gratiæ. Hęc tria tempora triplici nocturno exprimuntur. Qui enim ante legem, & qui sub lege fuerunt, nondum vera redemptione inuenta, diuersa Deo sacrificia pro expiatione peccatorum offerebant, sicut Leuitici liber ostendit. Hæc diuersa sacrificia Deo oblata exprimimus, dummodo Psalmos, modo lectiones, modo responsoria cãtamus. Quorum Psalmus quilibet a pluribus cantatur, lectio ab vno tantum, Responsorium modo ab vno, modo a pluribus: quia & sacrificia quędam populi multitudo offerebat, quædam verò solus sacerdos, quędam sacerdos cum populo. Tertium nocturnum exprimit tempus primitiuæ Ecclesiæ, in quo & Iudæi & Gentiles in Christum credentes, quia veram historiam nesciebant, diuersa adhuc sacrificia offerebant, vel offerenda mente indicabant. In quorum persona, sicut & priorum, dicit Psalmista: Quamdiu ponam consilia in anima mea? Siquidem diuersa consilia quærebant, quia vnicum non inuenerant. Postea verò Ecclesia per vicos & plateas ciuitatis quęrens quem diligit anima eius, inuenit vnicum cõsilium, vnicam vitæ viam, Christum. Quod nos post tertium nocturnum exprimimus exclamãdo, Te Deum laudamus, &c. Hoc officium secundum vsum monachorum oratione, sicut cętera, terminatur. In quo primariam seruare videntur institutionem. Nostra autem consuetudo humanę infirmitati parcẽs & labori, officio prędicto laudes matutinas continuat, & oratione vna duo claudit officia.

Psal. 12.

Cant. 3.

De Laudibus Matutinis. Cap 10.

LAudes matutinæ noctis partem sibi vendicant vltimam, quartam videlicet vigiliam, quæ vsque ad solis ortum protęditur. In hoc officio quasi reperta salutis via vnica, Domino laudes multiplicitер

Universidad de Deusto
Biblioteca

pliciter decantamus. Nec iam tres tantum Psal-
mos, sicut in tribus prædictis nocturnis, & in diui-
nis officijs, nos tribus, quæ restabant, horis Dei ser
uitio præsentamus & offerimus, sed coram ipso
corda nostra effundentes, redemptori nostro vn-
dique laudes colligimus. Primo ei decãtamus Psal-
Psal. 91. mum, Dominus regnauit: in quo Christus miranda breuitate multipliciter laudatur, primo loco à pulchritudine, secundo à fortitudine, tertio ab operibus, quarto à potestate, quinto à laudibus vniuersitatis, sexto à veritate dictorum, septimo à sanctitate propriè domus. Quæ omnia diligens lector in
Psal. 99. † Deo. eodem Psalmo notare poterit, & in expositionibus sanctorum inuenire. Sequitur Psal. Iubilate † Do- B mino omnis terra. Qui non iam angulum terræ inuitat ad laudem, sed sicut vbique seminata est benedictio, ita vndique exigit iubilationem. Vnde &
Psal. 62. titulus eius habet, Psal. in confessione. Tertius psalmus est, Deus Deus meus, ad laudem resurrectionis pertinens. Vbi dicitur: Ad te de luce vigilo: Ipso, scilicet diluculo, quando Christus surrexit. Tũc enim enixius orandum est, quando Christus resurgens spem resurgendi mortalibus dedit. In fine dicitur, Obstructum est os loquẽtium iniqua. Quod maxime in resurrectione factum est. Quia tũc omnis ambiguitas calcata est. Sed quia resurrectio Christi credere eam nolentibus inutilis est, conse- C
Psal. 66. quenter adiungitur Psal. Deus misereatur nostri: in quo oramus, vt collata nobis beneficia per Christum cognoscamus. Nec minus idem psalmus ad laudem inuitat ibi, Confiteantur tibi populi Deus. & repetit, Confiteantur tibi populi omnes. Continuantur autem hìc Psalmi duo, & postea tres, vide-
Psal. 148. licet Laudate Dominum de cœlis, & duo sequentes, non interponendo Gloria patri: vt iuxta sensuum nostrorum numerum quasi quinque Psalmi computẽtur in hoc officio, vt qui eos Domino decantauerunt, seipsos in omnibus sensibus suis Deo offerre significentur. Quod Hymnus Zachariæ, Be-
Luc. 1. nedictus Dominus Deus Israel &c. ad hoc officiũ, D in quo de redemptione nostra exultatur spiritualiter, pertineat, ipsius hymni continentia declarat. In diebus festis loco Psalmi in hoc officio primi, cantatur pœnitentialis Psal. Miserere mei Deus: quia dies illi dies pœnitentiæ sunt, festiuitates sanctorum dies lętitiæ. Loco cantici trium puerorum ponitur aliud canticum iuxta varietatem dierum. Illud enim instinctu lętitiæ omnia elementa, & vniuersas creaturas vocat ad laudem: hoc beneficia Dei miserentis reducit ad memoriam, vt pœnitentes non desperent.

De Missa vnde initium sumpsit, & vnde augmentum. Cap. 11. E

Sed iam decursis officijs, quæ sanctorum patrũ institutio docuit, ad illud veniamus, quod ipse Dominus Iesus sacerdos secundum ordinem Melchisedech instituit, & suis præcepit hæc in sui celebrare memoriam. Primo igitur dicendum videtur, vnde missa initium sumpserit, & vnde augmentum. Dominus & saluator noster Iesus missam celebrari instituit, quando panem & vinum in cor-
pus & sanguinem suum commutans suis præce- A
pit hæc in sui facere commemorationem, Apostoli missam auxerunt, dum super panem & vinum verba, quæ Dominus dixerat, & orationem Dominicam dixerunt. Deinde successores eorum Epistolas, & Euangelia legi statuerunt. Alij cantum addiderunt: & alij alia. Porrò Cœlestinus Papa psalmos ad introitum missæ cantari instituit: de quibus Gregorius Papa postea antiphonas ad introitum modulandas composuit. Vnde adhuc aliquis versus illius psalmi ad introitum cantatur, qui olim totus ad introitum cantabatur. Gloria patri Nicena synodus composuit, sed Damasus Pa- B
pa ad missam cantari instituit. Kyrie eleison Siluester Papa de græco sumpsit, quod Gregorius Papa statuit ad missam cantari. Gloria in excelsis Deo, Luc. 2.
angelorum chorus primum cecinit: sed Hilarius Pictauensis, ab illo loco, Laudamus te, vsque in finem composuit: Telesphorus autem Papa ad missam cantari instituit: Symmachus verò Papa in festis tantum diebus cantari censuit. Dominus vobiscum de veteri testamento, scilicet de libro
Ruth. 2. Ruth est sumptum. Pax vobis, de Euangelio. Et Ioan. 20.
cum spiritu tuo, de Epistolis Pauli. Amen, de Apocalypsi. Hæc Anacletus Papa dici statuit. Epistolam, & Euangelium Alexander Papa ad missam legi decreuit. Hieronymus presbyter lectionariũ, vt hodie habet Ecclesia, collegit: sed Damasus Papa, vt nunc moris est, legi instituit. Qui etiam in festiuis diebus pneumam, quod Iubilum dicitur, cantare statuit. Sed Abbas Notherus de sancto Gallo sequentias pro pneumis composuisse legitur: quas Nicolaus Papa ad missam cantari concessit. Anastasius Papa decreuit, vt dum Euangelium legitur, nullus sedeat. Credo in vnum Deum Constantinopolitana synodus inuenitur composuisse: sed Damasus Papa ad missam cantari instituit. Offertorium Gregorius composuit, & ad missam cantari instituit. Apostoli, & eorum primi successores in D
quotidianis vestibus, & ligneis calicibus missas celebrauerunt: sed Clemens tradente Petro Apostolo vsum sacrarum vestium ex lege sumpsit: & Stephanus Papa in sacris vestibus missam celebrari instituit. Zephernius Papa vitreis: Vrbanus autem Papa aureis vel argenteis calicibus, & patenis offerri statuit. Siluester Papa corporale lineum addit,
Matt. 28. eo quòd Ioseph corpus Dominicũ inuoluit in sindone munda. Orate pro me, Leo papa statuit dici: qui etiam præfationes composuit. Dionysius tamen Areopagita primus præfationem composuisse putatur: sed Gelasius Papa ad missam cantari instiThren. 3. tuit. Sursum corda de Hieremia: Gratias agamus Domino Deo nostro, de Apostolo est sumptum. Sanctus sanctus sanctus, Sixtus Papa dimidium de Euangelio, dimidium de Esaia composuit, & ad
Esa. 6. missam cantari statuit. Canonem Gelasius Papa composuit: sed Gregorius Papa capitulum interposuit, quod sic incipit, Diesque nostros. Leo Papa sanctum sacrificium & immaculatam hostiam apposuit. Pater noster Dominus quidẽ docuit, sed Matthęus cõposuit: Gregorius verò Papa ad missam cantari censuit. Ipse & præcedens capitulum, Oremus, præceptis, & sequens, Libera nos quæsumus

mus Domine, addidit. Benedictionem Episcopa- A
lem Martialis Episcopus Apostolorum discipulus ex magisterio Apostolorum tradidit, quam probabile studium Deo seruientium auxit: itaque mos ex eo vsquequaque inualuit. Ambrosius dicere cœpit Pax Domini sit semper vobiscum: Innocentius Papa dici, & pacem dari constituit. Agnus Dei Sergius Papa composuit, & ad missam cantari instituit. Iulius Papa intinctionem corporis Domini in sanguinem prohibuit. & Gelasius Papa illum excommunicauit, qui corpus Domini acceperit, & sanguinem non sumpserit, idest sumere contempserit. Sic enim verba decreti intelligenda sunt: Alioquin anathema esset, qui in die parasceues com- B
municant: quia tunc corpus Christi sumitur sine sanguine Christi in specie vini. Consecratur quidem vinum per tactum corporis Christi, sed in sanguinem non mutatur, cum verba ad hoc instituta non dicantur. Communionem Gregorius Papa composuit, & ad missam cantari statuit. Benedicamus Domino de psalterio sumptum est: Deo gratias de Apostolo: sed hæc dici Leo Papa constituit. Ex his omnibus Gregorius Papa missam ordinasse dicitur, vt hodie in Ecclesia cantatur.

Quòd Missa tribus linguis celebratur, & quare. Cap. 12. C

NOtandum quòd tribus linguis, hebraica, græca, & latina, missa celebratur: quia his titulus passionis Domini nostri Iesu Christi, cuius repræsentatio missa est, scriptus fuisse legitur. Hebraicũ quippe est alleluia, osanna, & amen. Græcum verò Kyrie eleison. Latinum reliquum officium.

Quæ ratio cantandi in celebratione Missæ. Cap. 13. D

IAm nunc ad thesaurum summi sacramenti, scilicet ad missæ sacrarium accedendum est. Quòd si mihi peruium se fecerit thesaurus salutis: si aperuerit clauis Dauid, qui aperit & nemo claudit; Apoc. 3.
claudit & nemo aperit, gratulari, & cantare licebit animæ meæ, quòd eam in cellam vinariam introduxit. Nam quod in veteri testamento promissum, præfiguratum, & a longe salutatum, in nouo autem datum, reuelatum, & palam factum est: hic præsentialiter exhibetur, non in vmbra, sed in veritate, non in figura, sed in re. Hic illud agitur, in quo noster
1. Reg. 18. Pulchrum notandum pro concionatoribus. Dauid insanire videbatur regi Achis, quando tympanizabat corpore super lignum crucis extenso: & E
impingebat ad ostia ciuitatis idest ad conclusa corda & sibi nõ credentia: quãdo ferebatur in manibus suis tenens panem & vinum, & dicens: Hoc est corpus meum: Hic est sanguis meus noui testamenti: quando defluebant saliuæ in barbam, idest videbatur loqui infantilia dicens: Nisi manducaueritis carnem meam, & biberitis sanguinem meum, non habebitis vitam in vobis. Qui tamen accepto regno super vniuersum Iudam, vniuersumque Israel, nũc iuxta mysticum sensum per apolipomenon indutus stola byssina, vestitus ephod lineo, præcentor inclytus choros ducit sacrificans, & subsilit coram
arca fœderis Domini. O regem, o sacrorum princi
pem. Quod sibi tantum tam clari capitis tripudiũ, dum tendit arcæ Dei tabernaculum, & indutus ephod offert holocaustum, & in nomine Domini benedicit populum. Ad quem, cum esset de tribu Iuda, nõ pertinebat sacerdotium: Sed repulit Deus tabernaculum Silo, & elegit tribum Iuda: elegit Dauid seruum suum. Ecce prægestit rex de tribu Psal. 77.
Iuda confidenter agere in ijs, quæ sciebat filio suo deberi a Domino suo, in quem dicebat: Iurauit dominus Dauid & non pœnitebit eum: tu es sacerdos Psal. 109.
in æternum secundum ordinem Melchisedech. Ecce imperat sacerdotibus, mandat leuitis vt sanctificentur, cantores instituit, eligit qui arcana cantent, qui canant per octauas, qui clangant tubis, qui personent buccinis, qui concrepent lyris, cymbalis, nablis, organis. In his omnibus ad filium respicit. Hæc enim omnia per Christum in Ecclesia coram spirituali arca Domini quotidie actitantur. Arca namque Domini conuenienter designat corpus Domini nostri Iesu Christi, ante cuius consecrationem in Ecclesia magnis vocibus exultatur. Habet hæc arca in se manna absconditum, quod nemo nouit nisi qui accipit, dulcedinem videlicet spiritualis gaudij, quam suscepto sacramento corporis & sanguinis Christi munda corda sentiunt, & in C
oratione nonnunquam percipiunt. Habet etiam tabulas testamenti lege Dei inscriptas: quia in Christo, quem in altari suscipiunt electi, & a quo suscipiuntur, quoniam eum susceptum non mutant in se, sed mutantur in ipsum, vt sint cum capite suo vnus Christus: In Christo (inquam) sunt thesau Colos. 2.
ri & scientiæ Dei absconditi. Et in ipso quoque est virga Aaron, virga sacerdotalis videlicet vel regiæ potestatis. Arcam ergo Dei noster Dauid mortis imperio quasi Saule destructo, idest diaboli regno ducit in præsentis Ecclesiæ suæ Hierusalem, & collocat in tabernaculo cordium fidelium, quod ipse tetendit. Vnde Ecclesiæ chorus tanquam vniuersa D
multitudo Iacob canit legitimè, & Dauid cum cantoribus citharam percutit, quæ resonat a superiori, dum supernis desiderijs canentium corda succẽdit, & laudes Deo canit. Quicquid enim Israel Dei, idest populus Christianus ad laudẽ Dei canit, hoc per centore, hoc magistro canit. Ab hoc concitatus iubilus cordis in voces corporeas, chorique cõcentum nunc grauiter nunc acutè & exiliter erumpit: & magni corporis Ecclesiæ per omnes gentes diffusæ, quia vna fide resonat, cantus pariter & insimul vbique & vndique multiplex, & vnus ab ipso suauiter auditur. Igitur ordinem altaris, ordinem magnæ & interminatę rationis iam libet attingere: & E
eorum, quæ præcesserunt in capite, Christo scilicet sacrorum principe, in sacerdotibus, qui sunt eius corporis membra, imitationem ipso aperiente, vel ex parte cognoscere.

De introitu Missæ, et Processione ministrorum. Cap. 14.

SAcerdote ad altare ingressuro debet tota præsens Ecclesia dilatare animam suam, & amplio-

Universidad de Deusto
Biblioteca

ris fidelissimu memoriâ incarnationis tenere, & sanctorum, qui eum ab initio mundi expectauerunt, & eius aduentum suspirijs, laudibus, atque precibus expetierunt, memor esse: & eorum contemplatione in voces erumpere præcinendo antiphonam, quæ dicitur ad introitum. Nam sicut introitus sacerdotis ingressum filij Dei in mundum hunc: sic antiphona, quæ dicitur ad introitum, voces, & expectationem præfert patriarcharum & prophetarum. In processione, quæ significatæ rei aptissimè congruit, præcedunt flammantes cerei, in signum & memoriam, quòd per aduentum Christi sedentibus in regione vmbræ mortis lux orta est eis. Præ- Esa. 9.
ueniunt sacerdotem ministri duo, non pariter ne B
que à latere incessum coæquantes, sed ante subdiaconus. Significant hi duo, vetus & nouum testamentum, siue vtriusque prædicatores: quorum lex prior est tempore, dignitate verò posterior. Euangelium autem tempore posterius, prius est dignitate. Isti sunt duo pedes angeli, qui descendit de cœlo amictus nube, & posuit pedem suum dextrum Apo. 10.
super mare, sinistrum autem super terram. Legalis autem moralitas tranquillius audita est. Euangelicam verò dignitatem, vt est: Ego & pater vnum su- Ioan. 18. Ioan. 8. Mat. 5.
mus. Et, Antequam Abraham fieret, ego sum: Et, Diligite inimicos vestros. velut mirabiles elationes C
maris, fluxa & falsa corda timuerunt. Subdiaconus præfert Euangelij textum clausum, quia lex testimonia Christi continet, sed sub vmbra figurarum: quia antequam agnus aperuisset sigilla septem, clausum erat in libro legis passionis eius sacramentum. Thuribulum hæc omnia præcedit, sed adhuc vacuum, & significat corda ad audiendum verbum Domini parata, & carbones verbi Domini ad incẽdendum thymiama orationum & laudum deside rantia. In quibusdam tamen Ecclesijs sacerdos ad altare accedens, statim thurificat. Nam prædictus Apoc. 8.
angelus, sicut in Apocalypsi legimus, stetit iuxta aram templi, tenens thuribulum aureum in manu
sua, dum in conspectu Ecclesiæ se ostendit filius D
Dei habens corpus ab omni labe purissimum, quod impleuit de igne, quia corporaliter in ipso septiformis Spiritus sancti gratia requieuit. Interim chorus cantat Kyrie eleison: quod significat vniuersalis Ecclesiæ preces, quæ sunt incensa vera, de quibus ibidem dicitur: Data sunt ei incensa multa, vt daret de orationibus sanctorum omnium super altare aureum, quod est ante thronum. Acolyti vsq; ad Kyrie eleison luminaria tenent: quia doctores illuminatores Ecclesiæ, verbo & exemplo lumen fidelibus præbere debent, quoadusque ipsi Deum moribus imitari incipiant, & Christum veram lucẽ E
omnem animam illuminare cognoscant.

De Hymno Angelico. *Cap.* 15.

SEquitur, gloria in excelsis Deo: sacerdote incipiente, & choro prosequente. Hic enim hymnus & angelorum est, & hominum. Primo angelorum congratulantium, quòd nato Domino accensa iam esset lucerna clarissima, per quam perditam drachmam inuentura esset Dei sapientia. Inde est, quòd iam præoccupantes angeli dicunt: Et in terra pax hominibus bonæ voluntatis: eo quòd pacem, quam nemo hominum, qui sunt in cælo, vel qui super terram, vel qui subtus terram, facere poterat inter Deum & homines: hic factor omnium Deus propter homines homo factus iam facturus esset soluto pariete inimicitiarum. Deinde sacerdos salutatione præmissa dicit, Oremus, vbi oraturus, alios hortatur, vt secum orent. Tunc eius pro nobis maximè suscipitur oratio, si nostra ei iungatur deuotio. Alioqui apud terrenum etiam iudicem si quis pro tuo reatu intercederet, tu verò in præsentia eiusdem iudicis nugis & risui intenderes, nonne iram eius incenderes amplius, & intercessoris tui preces, ne tibi prodessent, efficeres? Oportet ergo, vt & in missa, & in cæteris officijs cor nostrum iungamus cum voce sacerdotis. Quod autem oraturus alios ad idem admonet, a Christo habet, qui & ipse orauit, & discipulos orare monuit: Vigilate, inquit & orate. Respondet chorus, Et cum spiritu tuo: vt ei etiam spiritu orare donetur. Si quidem ore tantum orat, qui verba tãtum pronuntiat. Ore, & spiritu orat, qui intelligit orando quæ dicit. Ore, & spiritu, & mente orat qui per verba, quæ ore dicit, & spiritu discernit, etiam aliquid morale, vel allegoricum, seu anagogicum intelligit. Vnde Apostolus: Psallam spiritu, psallam & mente. Apoc. 5. Mar. 13. Quid sit oratum. quid ore, & spiritu, & quid ore, spiritu, et mente orare. 1. cor. 14.

De Collecta, & causa nominis huius. *Cap.* 16.

SEquitur oratio, quam collectã vocant, eo quòd sacerdos qui legatione fungitur ad Deum, colligat atque offerat petitiones omnium. In Romana Ecclesia vna tantum dicitur collecta, nisi alicuius sanctorum interueniat solemnitas, cuius memoria fiat. Alij pro diuersis vsibus ecclesiarum in celebrationibus publicis missarum multiplicant orationes, & pro voluntate propria in priuatis. In his omnibus sacerdos veri & summi Sacerdotis personam gerit, qui (sicut ait Apostolus) in diebus carnis suę Heb. 5.
preces, supplicationesq; ad eum, qui saluum illum facere poterat a morte, cum clamore valido & lachrymis offerens exauditus est pro sua reuerentia. In fine orationis subiungitur. Per dominum nostrum: quia præclara Dei beneficia per ipsum ad nos decurrunt. Per ipsum petimus & impetramus, sicut per mediantem crystalli lapidem cęlestem in Pulchra similitudo.
subiectam escã a longinquo sole mutuamus ignẽ. Hucusque tractatum est missæ principium, quod dicitur introitus, commemorans nobis introitum Saluatoris in hunc mundum, scilicet a Natiuitate eius vsque ad prędicationem Ioannis: quando baptizatus est ipse, & orans quadraginta dierum ieiunium consecrauit.

De Epistola, & causa huius nominis. *Cap.* 17.

EPistola personam legis gerens & prophetarũ, præcursoris debitum agit officium ante Euangelium. Quæ quamuis persępe de Apostolicis sumatur literis, tamen in eo gradu est ac si semper de lege sit & prophetis. Semper enim moralitatem, vitamque actiuam magis quàm contemplatiuam, quę in Euangelio radiat, Apostolica quoque lectio instruit

instruit & dispensat. Epistola græcè supramissio A
vel supererogatio dicitur Latinè. Supramissio eo quòd supra narrationis eius seriem & scribentis, & eius, cui scribitur, nomen præmittitur. Supererogationis autem nomen benè congruit literis Apostolicis, quia videlicet Euangelio Christi supererogatæ sunt. Quod & supramissionem non inconuenienter intelligi potest. Qui enim supererogat, super debitum mittit aliquid. Ordo siquidem Apo- Luc. 10.
stolicus, stabularius ille est, cui noster Samaritanus, ideſt, custos Dominus Iesus Christus hominem illum, quem à latronibus despoliatum inuenerat, commisit, conferens duos denarios, ideſt, legem & Euangelium, dicensque ei: Curam illius ha B
be, & quodcunque supererogaueris, ego cum rediero, reddam tibi. Igitur epistola tantum differt ab Euangelio, quantum seruus à domino, præco à iudice, legatus ab eo qui misit illum. Quapropter cum legitur epistola, non iniuria sedemus. Cum autem Euangelium audimus, dimissis reuerenter aspectibus sicut Domino nostro assistimus. In eo quod præcedit Euangelium epistola, Ioannis imitatur officium, qui præuaricatores legis corripiẽs, & mores eorum Euangelicæ fidei suscipiendæ præparans implebat, quod de illo prædixerat Angelus: Lucæ. 1. Malac. 3.
Ipse præibit Dominum in spiritu & virtute Eliæ. Et in Malachia: Ecce mitto Angelum meum ante C
faciem tuam, qui præparabit viam tuam ante te.

De Graduali siue Responsorio, & causa vtriusque nominis. *Cap.* 18.

SEquens responsorium, quòd & graduale dicitur, monstrat auditores prædicationi præmissæ præbuisse assensum: quòd quoniam alternatim cantatur, vnde & nominatur responsorium, grauemque & asperum habet cantum, adeò vt illud excellentibus efferre vocibus nec vsus nec decus sit, vitam significat actiuam, in qua Ecclesia se mu D
tuò cohortatur ad laudem Dei, & bona opera. Vn de diebus Pentecostes de officio tollitur, quia videlicet dies illi futurum in regno Dei felicem Ecclesiæ significant statum. Graduale autem dicitur, quia in gradibus ante altare cãtari solebat, vel quia per ipsum prædicationi præmissæ in epistola dando cõsensum, & alternatim cohortando nos quasi de virtute in virtutem gradatim ad altiora velle conscendere significamus. Versus autem inde dicitur, quia in eo multorum modulatio quodammodo ad vnum reuertitur.

De Alleluia & pneumatum significatione. *Cap.* 19. E

ALleluia sequens æternam gloriam, vel vitam contemplatiuam significat, quam actiua promeretur, sed in hac vita non assequitur. Illa enim gloria quid est, nisi æternum Angelorum, beatorumq; spirituum conuiuium, quòd est semper laudare Deum? Ad hoc vitæ præsentis inopia nullatenus valet contingere. Scire autem vbi sit & prægustare illud gaudio spei, sitire & esurire quod gustaueris: hæc est illa, quæ dicitur Sancto- Sanctorum in hac vita perfectio quæ.
rum in hac vita perfectio. Quapropter interpretatum hoc hebraicum verbum remansit, vt peregrinum ab hac vita gaudium, peregrinum signaret magis quàm exprimeret vocabulum. Quoniam ergo futuræ beatitudinis quasi proprium est vocabulum vtpote de cæli stillicidijs in ora Apostolorum delapsum: iure eo tempore magis frequentatur, quo resurgens Dominus eiusdem beatitudinis spem nobis propinauit, & promissum Apostolis Spiritum sanctum misit. Notandum autem, quòd pneumata, quæ in alleluia & cæteris cantibus in paucitate verborum fiunt, iubilum significant, qur fit, cum mens aliquando sic in Deum afficitur, & dulcedine quadam ineffabili liquescit, vt quod sentit, plenè effari non possit. Affectus enim hoc habet proprium, vt quanto intus feruentior fuerit, tanto minus extra explicari possit. Beatus populus Psal. 88.
qui scit iubilationem, ideſt, qui sæpè experitur & prægustat hanc dulcedinem, & sic interius mouetur, vt quod præsentit, nec dicere sufficiat, nec possit tacere. Tractus à trahendo dicitur, quia tractim cantatur. Exprimit enim laborem epulãtium & incolantium diuturnitatem quasi deplorat. Sequentia dicitur, quia per cantus amœnitatem ad sequentia præparat.

De missione Diaconi ad legendum Euangelium. *Cap.* 20.

HActenus seorsum sedebat sacerdos, & sedenti famulabantur altaris ministri, oblationem panis & vini præparando, scabellum pedibus, si opus erat, supponendo, & in alijs omnibus, quæ necessaria videbantur ministrãdo: in memoriam Domini Iesu, cui victo tentatore in deserto ministrabant Angeli: sicut scriptum est: Reliquit eum ten- Matth. 4.
tator, & accesserunt Angeli, & ministrabant ei. Surgit tandem ad altare accedens, vt nobis in mentem veniat, quòd Dominus Iesus præparata per Ioannem via ad homines de deserto rediens venit, & Luc. 10.
discipulos ad prædicandum misit. Mittit nanque sacerdos diaconum ad legendum Euangelium, petitam dando benedictionem: quod subdiacono prius lecturo non fecerat. Legem enim & prophetas inuisibilis inuisibiliter misit. Apostolos aũt, & Euãgelistas, quorũ diaconus personã gerit, visibilis factus: & osculo oris sui dilectã suã osculãs. s. Ecclesiam visibiliter docuit, & misit. Diaconus in sinistra fert Euangelij textum sustentantẽ dextera: quia in hac vita, quæ per sinistrum datur intelligi, oportet Euangelium prædicari. Cuius tamen prædicatio caderet & deficeret, nisi spes æternæ vitæ quam dextera significat, eam sustentaret. Ascendit diaconus lectricium, vt sublimitatem doctrinæ Euangelicæ significet: secundum illud Esaiæ: Su- Esa. 40.
per montem excelsum ascende tu, qui euangelizas Sion. Incenso, quod est bonæ opinionis signum, locum aspergit, in quo legendum est Euangelium, quia qui hic bonum nuncium portant, confidenter dicunt: Christi bonus odor sumus in omni lo- 2. Cor. 2.
co. Subdiaconus puluinum, quem ante pectus suũ deferebat, Euangelij libro supponit: quod signat Euangelij verba corde humili, & suaui suscipienda.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Abac. 3.

da. Leg̃urus Euangelium diaconus se vertit ad Aquilonem, per quem populus Gentium designatur. Vnde: Deus ab Austro veniet. Quibus idem Euangelium primò prædicatum est, & in fine sæculi prædicabitur. Quod etiam in officio Missæ cõmemoratur, dum sacerdos primò ad Austrum stat, deinde ad Aquilonem, tertiò iterum Austrũ. Diaconus igitur astantes ad audiẽdum erigit dicens: Dominus vobiscum. In quo attentionem captat, & beneuolentiam. Vnde illi tanquam attenti & beneuoli respondent: Et cum spiritu tuo. DocileS reddit dicendo: Sequentia sancti Euangelij, vel initium sancti Euangelij. Quod enim agit rhetorum doctrina in captationibus, perficit summæ B natura scientiæ in theologicis sermonibus. Respondent: Gloria tibi Domine: glorificantes Deũ, quòd nobis missum est salutis verbum. Iuxta illud: Et glorificauerunt Deum, dicentes: Ergo & Gentibus Deus pœnitentiam ad vitam dedit. Signant etiam se in fronte, vbi sedes est verecundiæ, vt se de verbis Crucifixi non erubescere significent, vel ne occulta diaboli suggestio corda eorũ ab auditu Euangelij auertat. Signum enim Crucis diabolo valde formidolosum est. Discooperta habent capita, vt se audire paratos ipso habitu corporis insinuent.

Act. 11.

Signum crucis christianis gloriosũ, & diabolo formidolosum.

De Symbolo Apostolorum, quando, & quare cantandum sit. Cap. 21. C

SIcut post prædicatioem Domini maiora quàm ante charismatum dona gratia largiente effusa sunt, sic post Euangelij lectionẽ maiora sacramenta ordinata. Tunc si sit dies Dominica, vel Paschalis, siue Pentecostes solennitas, cantatur fidei Symbolum: quod est, Credo in vnum Deum, &c. Maximè enim Resurrectionis vel Pentecostes sacramentum respicit hoc fidei tripudium, quando noua proles Ecclesiæ vitalis fontis ingressura lauacrum vel de nouo ingressa, reddit eius, quam catechizata didicit, Christianæ fidei Symbolum. Cantatur & in festis Apostolorum, quia ab ipsis est D compositum. Necnon & in festiuitate qualibet beatæ Mariæ virginis, quia & ipsa ibi commemoratur, vbi dicitur: Natus ex Maria virgine, & Apostoli eam in opere habuerunt adiutricem, multa enim per eam didicerunt. Ipsa enim attentius, vt mater, conseruauerat omnia verba, conferens ea in corde suo. Interim Subdiaconus circumfert Euangelium omnibus religioso osculo salutandum, quia Euangelium Iudæis & Gentibus propter diuersitatem obseruantiarum dissidentibus pacem attulit temporalem, & nunciauit æternam vtriusque scilicet populi cum Deo & Angelis eius. Deinde liber ad altare refertur, & in loco suo repo E nitur, vt ad imitationem Apostolorum ministri quicquid actum est, non sibi sed Domino ascribendum esse insinuent.

Lucæ. 2.

De Offerenda, & significatione versuum eius. Cap. 22.

SEquitur offerenda nomen habens ab offerẽdo, eo quòd canitur, quando creatori nostro laudis offerimus sacrificium. Hic magis & magis aperiendum fidei ostium, & animæ triclinia pandenda sunt, vt quicquid Angelus ille clamauit magno clamore Euangelij, credat mulier illa magna, scilicet Ecclesia, quæ in Apocalypsi visa est amicta Sole, scilicet quem induit in baptismate, Lunam habens sub pedibus, videlicet omnia mutabilia calcans. Luna enim mutabilis est, & ideò mutabilem mundum significat. Et in capite suo gestans coronam duodecim stellarum, ideſt chorum duodecim Apostolorum, & in vtero habens & clamabat parturiens, & cruciabatur vt pareret. Huius in vtero habentis, clamãtis, & parturientis salubrem cruciatum offerendo grauis, & grandisonus imitatur cantus, qua pneumatibus distenta frequentibus, & suis fœcunda versibus, quantumuis longa iubilatione non valet satis exprimere quod significat. Quidni obnixius corde clamet ad Dominum, qui per Euangelica verba excitatus est, & suæ salutis mysterium parari videt? Cum concentu nanque memorato præparata sacra panis & vini oblatio sic ad sanctum altare peruenit, vt Subdiaconus, ad Diaconum, Diaconus ad manum perferat sacerdotis. Lex enim quam per Subdiaconum significari diximus, sacrificium nostræ salutis tantum præfigurauit in Melchisedech, sed per Euangelicam traditionem ad altare, ideſt, ad solennem ritum Ecclesiæ peruenit.

Apoc. 12.

De Oratione secreta, & Patena ferenda. Cap. 23.

SAcerdos in silentio stans super oblata dicit orationem, in cuius fine leuat vocem dicens: Per omnia sæculasæculorum: vt à choro respondeatur, Amen. Quod est confirmatio præcedentium. Dignum est enim vt in tanto mysterio omnes astantes orent, sicut sacerdos primò ad eos conuersus exhortatur. Orant autem quodammodo, quando orationem sacerdotis hac confirmatione prosequuntur. Interim diaconus patenam subdiacono porrigit, subdiaconus eandem inuolutam porrigit acolyto. Hoc autem de lege veteri sumptũ videtur, vbi præcipitur, vt filij Caath vasa sanctuarij à filijs Aaron prius inuoluta accipiant, & non tangant ea nuda, ne moriantur: quia mysteria non omnibus quidem sunt reuelanda, ab eis tamen, quibus reuelanda non sunt, quodammodo sunt portanda, ideſt, cum reuerentia & veneratione, eo amplius quia latent, sunt obseruanda.

Num. 4.

De Præfatione. Cap. 24.

SAcerdos rem attentione dignam dicturus præmittit salutationem, optans nos tales esse, vt tanti sacramenti perceptione digni simus. Vnde & dicit: Sursum corda, habeatis, scilicet. Non enim cælesti cibo digna sunt corda terrenis dedita. Chorus autem, ne posit ei dici: Cantauimus vobis, & non saltastis: respondet: Habemus ad Dominum: corda, scilicet. Deinde sacerdos gratias Deo agendas dicit de redemptione, scilicet humani generis per Christum, cuius repræsentatio præsto est in altari. Vnde de Christo loquens subiũgit. Per quem maiestatem tuam laudant Angeli, &c. Siquidem Angeli

Matth. 11. Lucæ. 7.

Angeli de reparatione nostra laudant Deum patrem, quæ ipsius dispositione facta est per Filium. Ob eandem causam adorant eum Dominationes, qui est alius ordo Angelorum, quia de redemptis per Christum adimpletur numerus eorum. Consi derantes autem quoque tam alti consilij profunditatem tremunt Potestates. Deinde cum laudibus Angelorum rogat laudes admitti seruulorum. Supplici confessione, ideſt, supplici laudatione dicentes: Sanctus Sanctus Sanctus, propter personarum trinitatem. Dominus Deus singulariter & semel, propter naturæ vnitatem. Osanna, ideſt, salua obsecro in excelsis, quasi dicat non ea salute hìc saluari peto, qua homines & iumẽta saluabis Domine: sed B in excelsis salute æterna. Hunc hymnum sacerdos cum choro dicere debet, qui & suas & aliorũ preces admitti deprecatus est in præfatione præcedẽti.

Psalm. 35.

Summa sententiæ totius Canonis. Cap. 25.

SEd iam de ipso canone tractantes breuitatem propter memoriam, prout in tanta re fieri poterit, obseruare curabimus. Totam sequentem seriem vsque ad vltimam orationem Romano more canonem appellamus propter regularem sacramentorum confectionem. Hunc multipliciter exposuisse inuenitur diligentia patrum. Consulens verò infirmitati nostræ diuina gratia, antiqua capitula sensuum nouitate sæpè perfundit, vt quos maiores in eis sentire nequiuerunt, inspirante Dei sapientia sentiant minores. Sensus itaque noui cum subito effulserint supra omnem humanum modũ, miramur vbi nunc vsque latuerint, vnde tam inopinatè, & absque studio emerserint. Ex ipsa verò admiratione, & inopina exultatione dilatatur cor: sicut scriptum est: Mirabitur, & dilatabitur cor tuum. Et ob ipsam dilatationem adimpletur deuotione, dilectione, delectatione iuxta illud: Dilata os tuum, & implebo illud. Nonnunquam verò luce D clarius visu, & super mel, & fauum dulcius gustatu, dum per eadem transimus, absconduntur. Iuxta illud: Quàm magna multitudo dulcedinis tuæ Domine, quam abscondisti timentibus te, vt timeant te. Ipsa enim absconsio timorem gignit horribilem, horror dolorem, dolor gemitus, suspiria, & internos animi questus inenarrabiles, ita vt nil minus lugeamus nos amisisse vetera, quàm gaudeamus inuenisse noua. Sicq; vtraque vicissitudine, gaudij scilicet, de reuelatione occultorum, & mœroris de occultatione, ac si inter duas molas confracti, comminuti, & permoliti in similaginem sacrificij Dei transimus. Quibus ista desunt, saltem E inter molas timoris & spei exagitantur. Memores enim quia in multis deliquimus omnes: & scientes quoniam qui indignè suscipit, ad quod se præparet sacramentum, iudicium sibi manducat & bibit, accedere metuunt. De misericordia verò Dei confidentes, qui de indignis facit dignos, & de peccatoribus iustos: & in memoria illud tenentes: qui manducat me, viuit propter me: ipse manet in me, & ego in eo spe trahente, timore retrahente, cũ corde contrito & humiliato ad sacrum mysteriũ accedũt, & hac quasi duarum molarum collisione A sese similam sacrificio Dei aptã efficiunt. Ipsamq; vtroque genere lachrymarum, ideſt, compunctionis & deuotionis commiscentes & in clibano cordis igne doloris, vel charitatis, & desiderij feruore succensi coquentes, seipsos panes propositionis Deo offerunt. Seipsos etiam cum Christo intus coram Domino Deo crucifigunt, sicut & extra in manuum extensione formam Crucis in se ostendunt. Felices, qui sic sæpius afficiuntur, qui sic desuper visitantur. Verùm quoniam nos nobismetipsis minimè constamus: sed spiritus vbi vult spirat, Ioan. 3. & nescimus vnde veniat, aut quo vadat: & non potest homo à seipso accipere quicquam, nec pro voto ab alio, sed sicut datum fuerit desuper inuenit artificium cæleste, quomodo & nos & nostra simul Domino offeramus: & vt columna basi innixa fortius staret, & aptius, voluit cælestis artifex, vt de veteri sacrificiorum ritu & materia sacrificij sumeretur & forma. Duo quippe sacrifices præcipui sub lege fuisse feruntur, Melchisedech & Aaron. A Melchisedech sacerdotio, docente Domino didicit Ecclesia quod offerret. Ille enim de quo dictum est: Tu es sacerdos in æternum secundum ordinẽ Melchisedech: panem & vinum, quæ ante Melchisedech in figura obtulerat, in corpus & sanguinem suum consecrauit in cœna: & in Ecclesia C idem fieri præcepit. A sacerdotio autem Aaron formam sacerdotij sumpsit Ecclesia. Tabernaculum enim Dei cum hominibus sic cõpositum est in deserto, vt in atrio exterius altare haberet æneum, vbi animalium carnes cremabantur. Intus autem in tabernaculo aliud erat aureum, quod dicebatur altare thymiamatis, vbi thura cremabantur, & alia quæ odoriferum facerent fumum. Post quod intimo & supremo loco positum erat propitiatorium, qui sancta sanctorum dicebatur. Inter propitiatorium & altare aureum oppandebatur velum, quod in passione Domini scissum est, vt pateret propitiatorium. Inter altare aureum & æneum, velum quidem in eremo, sed murus diuidebat in templo: de quo peccator per pœnitentiam tendens ad iustitiã mysticè sic loquitur: Et in Deo meo transgrediar murum. In his tribus locis Aaron sacrificia singulis debita offerebat. Super altare æneum in atrio sacrificia animalium comburebantur, post quod sacrificium sacerdos de igne altaris eiusdem fumens carbones ferebat in sancta, & super altare aureum thymiama incẽdebat. Deinde de carbonibus eiusdem altaris ponens in thuribulo, fumũ thuris abundantissimum deferebat vltra velum in sancta sanctorum, adeò vt obstante fumo clarè videre nõ posset propitiatorium aut duo cherubim, quæ super illud stabant, & alis expansis illud obumbrabant. Ad illud propitiatorium summus Pontifex solus semel in anno cum sanguine intrabat. Sic dispositum & ad hoc erat in deserto tabernaculum, iuxta quam dispositionem factum est templum.

Duo præcipuè sub lege sacrifices qui Psalm. 109. Gen. 14. Luc. 22. 1. cor. 11.

Esa. 60.

Psalm. 80.

Psalm. 30.

Exod. 28.

Dan. 3.

1. Cor. 11.

Ioan. 6.

De significatione Altaris exterioris. Cap. 26.

SEd quoniam secundum Apostolum hæc omnia vmbram prætendebant futurorum, primum & æneum altare cor contritum & humiliatum signi-

psal. 17.

Universidad de Deusto
Biblioteca

significare intelligimus. In quo dū quod vt iumen
1. Cor. 10. tum viximus, & irrationabiles actus per pœnitentiam mactamus, quid nisi diuersorum generū animalia Deo sacrificamus? Talia etenim animalia Deo in conuersione peccatoris, qui per peccatum quidem foris est, & nisi per condignam pœnitentiam non intrat ad iustitiam, mactat cordis compunctio, excoriat oris confessio, in frusta diuidit iudicatio, comburit condigna afflictio. Aeneum quidem est, obscurum videlicet & sonorum: quia collocatur pœnitens in semetipso in obscuris, dum anxiatus in eo spiritus eius, & in eo turbatum est cor eius: & de profundis fortiter clamet opus est, vt vox eius audiatur in excelsis. Hanc horum animalium super hoc altare oblationem Deo inuisibiliter faciendam significamus, & quodammodo visibiliter facimus, cum præmissis quibusdam orationibus, seu quibusdam postulationibus cum incenso arietum, ideſt, suffragijs Apostolorum ac Martyrum, super visibile altare visibiles hostias panis & vini offerimus. Et hæc omnia quasi adhuc foris aguntur, dum quæ fiunt, & quomodo fiunt, foris conspiciuntur. Vnde & ad seruum, qui non manet in domo in æternum, pertinere noscuntur: quamobrem & seruitutis oblatio dicuntur. Sicut
Ioan. 8. dicitur: Hanc oblationem seruitutis nostræ. Oblationem seruitutis rectè nominamus panem & vinum: nam cum homo de terra sumptus per naturam super terram dominus esset constitutus per gratiam, ab auctore naturæ & datore gratiæ recedens per culpam, infra terram damnatus est per iustitiam. Vnde cui terra famularetur gratis fertilis ad suauitatem, nunc multis & miris obsequijs delinita & plurimis exculta laboribus, vix largitur
Gen. 3. ad necessitatem: sicut scriptum est: In sudore vultus tui vescēris pane tuo. Quoniam ergo in victualibus, sine quibus vita animalis non transigitur, principalia sunt panis & vinum: hæc seruus offerens, quod animaliter viuit occidit: vitam enim occidit, qui victum sibi subtrahit. Hinc est quod à
Eccl. 31. Sapiente dicitur: Ad mensam magnam sedisti: diligenter attende quæ tibi opponuntur. Fige cultrū in guture tuo, sciens quòd talia te oportet præparare. Mensa magna altare Domini est. Ille nobis
prouerb. 23. Deo, quid et qualiter offerendum. apponitur ad refectionem, qui corpus & animam suam posuit pro nobis ad redemptionem. Attendendum est, quòd talia oportet etiam illi præparare, ideſt, pro illo nostrum simul & similiter corpus & animam ponere. Sic enim per spiritum consilij respondet Propheta: Quid retribuam Domino pro omnibus, quæ retribuit mihi? Calicem sa-
psal. 115. lutaris accipiam. Formam verò attende, quam subtiliter & eleganter expressit dicens: Fige cultrum in guture tuo. Cultrum quippe abstinentiæ & inediæ quasi in gutture figimus, dum qui victum nostrum Deo obtulimus, de eo postmodum parcè & timidè quasi de altario Dei ad necessitatem sumimus. Nam qui altario deseruiunt, ordinauit
1. cor. 9. Deus de altario viuere. Alioquin si post oblationē talem iterum delicioſe & luxuriosē quasi de nostro assumimus, totū quod offerimus auferimus, & de rapina iam peius viuimus. Habemus igitur quid, & qualiter super primum altare offeramus.

A *De significatione Altaris interioris. Cap. 27.*

SEcundum altare, quod & intus erat & aureum, altare fidei significat in corde per pœnitentiam purgato, testimonio bonæ conscientiæ rutilante & claro. Hoc etiam altare iustitiæ dicitur, quia
Galat. 3. Abac. 2. Psal. 50. ex fide iustitia, sicut scriptum est: Credidit Abraham Deo, & reputatum est ei ad iustitiam. Et in Abacuc: Iustus meus in fide sua viuet. Super hoc altare sacrificium iustitiæ, oblationes, & holocausta, vitulos labiorum nostrorum offerimus, dum non iam sicut prius nostra deploramus commissa, sed in diuinis exultamus, non iam de commissio-
B ne criminum gemimus, sed de collatione virtutū gratias agimus, dum vitam, & opera, orationesque nostras Deo fieri acceptabiles postulamus, dum deuotio lachrymas fundit, & patriæ delicias desiderans, de incolatus diuturnitate gemit. Super idē altare sacerdos per oblationē victualium suorum iam mundo mortificatus, sed viuens Deo: nō iam vetus Melchisedech, natus de carne caro, sed nouus homo natus de spiritu spiritus, offert inuisibilem hostiam carnis, & sanguinis. Quid enim super altare fidei congruentius dicitur offerri, quàm sacrificium illud sanctissimum, quod sola fide perci
C pitur, in sola fide prodest, & meritò fidei acceptatur. Hoc sacrificium super altare fidei offertur in odorem suauitatis, sed & oratio super illud oblata quasi suauitatis odor suscipitur à Domino, sicut
Psal. 140. dictum est: Dirigatur oratio mea sicut incensum in conspectu tuo. Super altare aureum carbones de alio altari sumpti ponuntur ad cremandum thymiamata orationum, quoniam primò Spiritus sancti igne succenditur cor ad deflendum peccata, & eodem igne postea succenditur ad emittendam sursum dulcium orationum fragrantiam, dum homo iam per pœnitentiam purgatus desiderat venire, & apparere ante faciem Dei: ibi ignis Spiri-
D tus sancti elicit quasi de ligno viridi lachrymas compunctionis, hic lachrymas deuotionis.

De Propitiatorio mystico. Cap. 28.

TErtius locus, qui dicebatur Sancta sanctorū velo quodam erat à sanctis diuisus. Vltra velum erat arca testamenti, & super eam propitiatorium, mensa scilicet aurea eiusdem mensuræ, cuius & arca. Sic dicta, quia ibi Dominus apparens Moysi propitiabatur populo suo. Arca humanitatem Christi significat, quæ est vltra velum, quia Christus vltra cælum ascendit, & sedet ad dexteram Pa
E tris, ideſt in potioribus eius bonis. Propitiatorium super arcam propitiatio Dei est super Christum,
Rom. 3. Vnde Apostolus: Quem proposuit Deus propitiatorem per fidem in sanguine eius. Vel propitiatorium est Dei misericordia, per quam populo suo propitiatur. Quæ benè dicitur esse super hominem Christum, quia misericordia Dei ipsa est diuinitas. Ad hanc arcam, ad hoc propitiatorium, nouus sacerdos post sacrificium animalium in altari primò, post oblationem carnis & sanguinis Christi in secundo, accedere satagit cum thuribulo igne altaris pleno, ideſt, cum corde alto, sicut scri-

Psalm. 63. scriptum est: Accedet homo ad cor altum. & igne
A Spiritus sancti accenso cum thymiamate orationum abundantissimo, adeò vt quæ vltra velum sunt, clarè videri non possint, quia quantò deuotiori affectu ad Deum tendimus, tantò magis eum
Cantic. 6. Psalm. 63. non posse comprehendi intelligimus. vnde: Oculi tui auolare me fecerunt. &: Accedet homo ad cor altum, & exaltabitur Deus. Sacerdos igitur illuc mente tendens: sed insufficientiam suam recognoscens, videns cordis oculis Angelos super propitiatorium stantes, vtpotè ad auxiliandum paratos, rogat sacrificium suum eò prouehi, vt ipse Deo iungatur & vniatur, & spiritui adhærens vnus spiritus cum eo efficiatur. Supplices te rogamus. Sed iam verbis canonis insistamus, & qualiter prædicta tria ibi adaptentur, explicare curemus.

Canonis expositio. Cap. 29.

SAcrum canonem, quem alij multiplici ratione multipliciter diuiserunt, in tres partimus actiones. Primæ initium est: Te igitur, vsque: Qui pridie quàm pateretur. In hac principalia victus nostri, panem scilicet, qui cor hominis confirmat, & vinum, quod lætificat cor hominis, offerimus Domino in sacrificium. Hæc triplici vocabulo nuncupamus. Dona dicimus, quia nobis à Deo sunt donata: Munera: quia à nobis illi oblata. Do-
Doni & muneris differētia. num enim est, quod à superiore datur: Munus, quod ab inferiore. Quod autem additur: hæc sacrificia: determinatio est, qualiter Deus inde muneretur. Super illa fit Crucis signum in memoriā Dominicæ passionis, cuius nos participes facimus, dum vitæ nostræ sustentamenta nobis subtrahendo, Deo offerimus. Ter autem signamus ea, quia virtute Trinitatis omnis consecratio perficitur. In hac prima actione oratio fit pro omnibus, D quorum idem est sacrificium, quique illi vera similitudine conueniunt. In eo videlicet, quòd cum sint multi, sic per vnam fidem & vnum spiritum in vnum corpus Ecclesiæ sunt coniuncti, quomodo panis ille de multis confectus est granis, & vi-
Cultores Ecclesiæ qui dicantur. num ex multis confluxit acinis. Deinde ad cultores Ecclesiæ specialis decurrit oratio. Cultores autem Ecclesiæ dicūtur, qui sarculo correctionis, & sanctis documentis eam excolunt: In sequenti orationis tomo dicitur. Qui tibi offerunt pro se, suisque omnibus. Vbi licet præpositio, pro, eodem modo, quo in cæteris clausulis posit accipi, hoc tamen sensu non inconuenienter accipitur, vt hæc E scilicet panem & vinum, quæ in victu vitæ animalis principalia sunt, offerendo: seipsos & sua omnia, ideſt totum victum suum offerre dicantur. Præcipua quippe illius portio sunt, & totum figurant. Sequitur: Communicantes, & memoriam venerātes. Vbi licet scriptores quasi capituli initium faciant, eo quòd in quibusdam solennitatibus hæc diuersitas quædam inuenitur, iungitur tamen præmissis hoc modo. Offerunt pro se suisque ipsi dico communicantes, in Ecclesiæ communione per fidem manentes.

De mystico Rationali. Cap. 30.

DEinde Sanctorum nomina recensentur, vt cum suffragijs eorum quasi cum incenso arietum oblata acceptentur nostra sacrificia. In hu
Exod. 28. ius rei significationem Aaron in rationali, quod erat ei in pectore, duodecim Patriarcharum nomina ascripta ferebat. Et hæc autem commemoratio Sanctorum, & illa nominum inscriptio, hoc intendit, vt quicunque ad mensam Domini accedis, sanctorum patrum puritatem mente imiteris.

B *Quid petat actionis primæ oratio. Cap. 31.*

HAanc igitur oblationē. Hæc omnia tanquam ad seruū pertinentia adhuc quasi foris aguntur: vnde & munera præmissa oblatio seruitutis hic dicuntur, & oratio circa ea versatur, in quibus afficitur seruus: videlicet vt pax ei temporalis conferatur, & æterna possit euadere supplicia. Non adhuc ad hæreditatem suspirat tanquam filius, sed verbera metuit vt seruus.

¶ Sequitur: Quam oblationem. præparatio est ad secundam actionem. quasi dicat seruus: Altioris opus est consilij: totum quod potui feci, sed in
C toto nō satisfeci. Non possumus amplius aliquid: occidere me possum, viuificare non possum. Itaq; oratione me erigam ad eum, qui omnia potest. Dicam itaque ei; dicam: Domine, feci quod potui: oblationem nostram fieri iubeas benedictam in melius promouendo, vt quæ cibus est corporis, fiat animæ cibus salutaris: Ascriptam, ideſt in filij persona diuinitati appropriatam: Ratam, vt quod nostro geritur ministerio ratum habeas, ac si sine nobis manibus tuis idem ageretur. Hæc tria verba dicendo, super duo oblata simul ter signum Crucis facimus: quòd in omnibus consecrationibus familiare est & domesticum. Per virtutem enim Crucis Domini multa credimus operari. D Ideò ter, quia per virtutem Crucis pariter Trinitas operatur. Sequitur: Rationabilem, ideſt rationabiliter oblatam: vt qui rectè offerimus, rectè etiam diuidamus. Deinde quid sub illis tribus verbis imploraverit sacerdos, manifestius ostendit, cum dicit: Vt nobis corpus, &c. subaudias hæc oblatio. Sensus: de hac oblatione panis & vini fiat nobis, ideſt ad profectum nostrum, caro & sanguis Christi. Hæc dicendo semel fit Crucis signum super panem, & semel super calicem, vt per virtutem Crucis vna intelligatur in vtroque operatio Trinitatis, cuius memoria facta fuerat in tribus signis præmissis. Nonnulli tamen quinque signa referunt ad quinque Christi vulnera. Hac igitur oratione præmissa sacerdos in fide nil hæsitans accedit ad actionem secundam.

De Actione secunda. Cap. 32.

QVi pridie quàm pateretur, &c. Ad hæc verba potentia & efficacia (sicut scriptum est: Ecce dabit voci suæ vocē virtutis) Ad hæc inquam verba: Hoc est corpus meum, fit super omnem humanam rationem diuina virtute, humana solicitu-
Psal. 67.

dine,

dine, de cibo corporis esca spiritualis, & descendente super panem & vinum immensæ maiestatis virtute, tam veram diuinitatem & humanitatem Christi in cælo regnantis accipimus, quàm veram substantiam ignis à Sole supposita chrystalli sphera exigua mutuare possumus. Solæ manus Christi tornatiles, aureæ, plenæ hyacinthis: eius qui dicit: cant. 5. Sine me nihil potestis facere: hæc operantur per manus sacerdotis, quæ manibus suis conformatæ sunt, maximè quia, vt hæc operari cum ipso, & per ipsum, & cum ipso possint oleo sacro consignatæ sunt. Tam sacram igitur hostiam super inuisibile fidei altare offerrens sacerdos non tam vt prius timidè loquitur, neque hostiam nominat seruitutis, sed cum exultatione & lætitia spirituali dicit. Præclaræ maiestati tuæ offerimus de tuis datis, quæ videlicet nobis dedisti ad corporis sustentationem: ac datis, quæ scilicet tibi sacrificando dedimus. Hæc enim virtute tua in corpus & sanguinem filij tui consecramus: Hostiam puram & purificãtem, sanctam & sanctificantem, immaculatam & immaculatos efficientem, idest panem sanctæ vitæ, non temporalis, non animalis, sed spiritualis & æternæ: & calicem, qui in perpetuum saluare, & satiare potest: & ideò salutis æternæ. Notandum, quòd consignatio facta super panem & calicem ante consecrationem quasi oratio est, vt consecratio compleatur: post consecrationem verò iterata consignatio, consecrationis iam adimpletæ quædam est testificatio. Illud quoque prætermittendum non est, quòd in hoc capitulo sancta Ecclesia misericordiæ Domini tria proponit insignia, scilicet beatam passionem, ab inferis resurrectionem, & in cælos gloriosam ascensionem. Primum vulnerat Ecclesiam charitate, alterum confortat fide, tertium lætificat spe. Primo conformari nos oportet in actione prima: secundo in actione secunda, mysterium fidei cũ deuotione precum offerendo: tertio in tertia, Christũ Dominũ in dextera Patris gloria & honore coronatum contemplando. Dicit Luc. 22. enim: Hoc facite in meam commemorationem.

consignationis ante consecrationem & consignationis post cõsecrationẽ factæ differẽtia.

Misericordię christiin signia quæ.

Quid petat oratio Actionis secundæ. Cap. 33.

SEquitur: Supra quæ propitio. Post oblationem veri & summi sacrificij super idem altare fidei offert sacrificiũ orationis, & altius adhuc aliquid expetit, cui donec per corpus Christi in cælis Deo vniatur, & per humanitatem diuinitati coniũgatur, nil sufficit. Quippe, qui scalã sibi erexit, ascendere satagit. Vnde & post tantam oblationem accingit se adhuc ad orationem dicens. Supra quæ propitio, &c. Et quasi per gradus ipsius scalæ ascendens cõmemorat munus Abel pueri, sacrificium Abrahæ Patriarchæ, oblationem Melchisedech sacerdotis, qui in pane & vino speciem veri sacrificij eleganter expresit, sicut Abraham veritatem in filio, & Abel innocentiæ munus in agno. Quod dicit: Sicut accepta habere dignatus es munera, &c. non optat similiter acceptari oblationes (Hæc enim multo est acceptabilior) sed offerentes. Hac itaque oratione fretus cum fiducia accedit ad actionem tertiam.

Gen. 14.

Gen. 22.

Gen 4.

De Actione tertia. Cap. 34.

SEd quoniam ad illum summum & sublime altare propitiatorium inuisibile, videlicet in conspectu diuinæ maiestatis, vbi summus & perpetuus sacerdos assistit vultui Dei patris, nondum vt vult valet ascẽdere, sicut ipse ante altare visibile se inclinans significat: rogat per manus Angeli sui, videlicet custodis, suũ eo sacrificiũ perferri, vt virtuti sacramẽti ipsius cõmunicet, vt p corpus Christi, quod in cælo est, & de altari visibili in terra suscipitur, ad summã propitiationẽ Dei perueniat, & ei vniri mereatur. Hæc est enim illa perfecta benedictio, de qua dicit: Omni benedictione cęlesti, & gratia repleamur. Sacrificiũ p manus Angeli perferri nil aliud intelligimus, q̃ ipsum cooperari nostræ deuotioni. Cooperatur aũt nobiscũ pro nobis orando, modoq; mirabili, & inuisibili bona mẽtibus nostris suggerẽdo. Vel fortè singulare posuit pro plurali, Angeli pro Angelorum. Dicit enim B. Greg. lib. 4. Dialog. quòd in ipsa immolationis hora ad voces sacerdotis aperiũtur cæli, adsunt Angelorũ chori, sũmis ima sociantur, terrena cælestibus iungũtur, & fit vnũ ex visibilibus & inuisibilibus.

sacerdos hîc suam agnoscat dignitate.

De Oratione pro defunctis. Cap. 35.

SEquitur. Memẽto etiam Domine, &c. Sicut in prima actione, vbi vitæ animalis sustentamenta offerebat, rogabat pro viuis: ita in hac tertia, vbi posteriorũ oblitus, & in anteriora se extẽdẽs vniri Deo quærit, rogat pro defunctis, qui eodem indigent cibo, vt merito charitatis, dũ alijs orat quod sibi, impetret & sibi & alijs. Sciens aũt quosdã saluãdorũ (pro solis. n. saluãdis orat) post decessũ suũ pœnis purgatorijs detineri, primo eis locũ refrigerij rogat cõcedi, deinde lucẽ, vt Deũ sicut est videãt. Ioan. 14. Ad vltimũ pacẽ, de qua dictũ est: Pacẽ meã do vobis, pacẽ relinquo vobis, pacẽ. s. super pacẽ, quam etiam paulopost in tertia repetitione Agnus Dei, Ecclesia sibi donari postulat dicẽs: Dona nobis pacẽ. Hæc pax in vnitate capitis & mẽbrorũ cõsistit.

De mystico Superhumerali. Cap. 36.

SEquens capitulum nobis quoque commemorat nomina Sanctorum, quorum interuentu sacerdos vult impetrare, quod postulat. Et videtur hoc quoque de legali sacerdotio sumptum. Sicut enim in rationali sacerdos legalis ferebat in pectore duodecim lapides preciosos, duodecim nominibus filiorum Israel insculptos, sicut supra dictum est: ita in superhumerali ferebat super humeros duos lapides onychinos auro inclusos, & eisdem nominibus insignitos. Sex quippe nomina in vno erant, & sex in altero. Noster verò sacerdos, sicut supra diximus, nomina sanctorum, quos memorat verbis, tunc portat in rationali pectoris, cũ eos imitatur sanctitate, & puritate mentis. Tunc autem in superhumerali super vtrunque humerũ, cum in dextera prosperitatis, & in sinistra aduersitatis imitatur eos, prout potest, in perfectione operum. Sequitur: Per quem hæc omnia Domine

Exod. 28.

semper

Eccl 18. Deũ creasse omnia simul, & séper creare quomodo. Ioan. 5.

sem per bona creas. Scriptum est: Qui viuit in æternum, creauit omnia simul. Quomodo igitur semper creat? Sed omnia corpora creauit simul, quantum ad materiam: quotidiè autem creat, idest facit, singulis tribuendo speciem propriam, secundum illud: Pater meus vsque modo operatur, & ego operor. In eo autem quòd dixit: hęc omnia, idest huiusmodi omnia (neque enim de duobus secundum speciem, neque de vno secundum rei veritatem diceret omnia) vide ordinem. Primò Deus panem & vinum creat per naturam. Eadem in altari oblata sanctificat per gratiam, per verba actionis primæ. Iam tunc enim ante sanctificationem sanctificata sunt, & à communibus visibus separata: deinde per sacra verba secundę actionis sanctificata promouendo viuificat, dum ea in corpus & sanguinem Christi transubstãtiat: & benedicit, dum eis summæ benedictionis effectum tribuit, quæ est in vnitate capitis & membrorum, de qua tertia actio meminit. Signa tria Crucis, quæ hic fiunt operatione Trinitatis per virtutem Crucis, ostẽdunt facta esse, quæ præmissa sunt. Signa enim facta hucusque post consecrationem non consecrationem operantur, sed eius faciunt commemorationem siue testificationem, sicut supra diximus.

De signis Vltimis quid à reliquis differunt in causa. Cap. 37.

PEr ipsum, & cum ipso. Signa Crucis, quæ hic vltimo fiunt, alia causa fieri dinoscũtur quàm omnia superius posita. Siquidem ista nec propter consecrationem fiunt, nec pp iam factæ consecrationis testificationem siue memoriã. Quare ergo fiant, & quare quinquies, & quare ter in calice, & bis extra calicem fiant, breuiter aperiendũ est. Ipsa capituli verba planè indicant ad quid hæc signa Crucis fiant. Quoniam enim Iudæis Crux quidem est scandalum, Gentibus autem stultitia: ne toties iterata consignatio, & in memoriam Trinitatis triplicata ignominiam potius parere videretur quàm laudem, ideò signum Crucis ter repetens in calice propter Christum, cuius sanguis ibi est, & bis extra calicem propter Patrem, & Spiritum sanctum, asserit Crucem ad totius Trinitatis pertinere gloriam & honorem. Per ipsum, inquit, Christum scilicet, per quem gloria Patris innotuit: & cum ipso. Neque enim ipse Christus alienus esse potest à gloria Patris, cum quo ipse est vnus Deus: & in ipso. In ipso nanque est plenitudo diuinitatis, vnde gloria est Deo patri, qui talem genuit filium, & Spiritui sancto, cuius operatione in vtero virginis est conceptus. Sed cum vnum tantum signum fiat nominando Patrem, & vnum tantum nominando Spiritum sanctum: quid sibi volunt tria signa pro nominando Christum in calice facta? Propter trinam prolationem pronominis Christum designantis triplicatur etiam signũ Crucis. Cum enim pronomen (vt ait grammaticus) ad omne pertineat suppositum: si in prima prolatione pronominis fieret signum, & in alijs non fieret, ad aliam siue alias videretur referendum esse personas. Notandum etiam, quòd cum

1. Cor. 1.

Christus Deo patri & Spiritui sancto gloria.

alia signa sola manu sacerdotis fiant, ista fiunt de corpore Christi. Hic enim ipsa Christi crucifixio repræsentatur: Quasi Christus, quem præsentem credimus, sic pro nobis in ligno Crucis est extensus. In fine capituli huius eleuat vocem sacerdos: vt eius continentia ab omnibus cõfirmetur, dum respondent, Amen.

De eleuatione Sacramenti quid significet. Cap. 38.

ET vt ostẽdat sacerdos qualiter per Christum gloria Trinitati sit acquisita in mentibus fidelium, quantum potest exprimit passionis mysterium. Post signa Crucis vtraque manu eleuat sacramentum corporis & sanguinis Christi, & paulò post deponit: quod significat eleuationem corporis Iesu Christi in Cruce, & eiusdem in sepulchrum depositionem. vnde & calicem corporali pallã tegit, quod significat sindonis inuolutionẽ. Cum igitur calix hucusque pro cautelã coopertus fuerit: hoc pro mysterio cooperitur. Interdum sacerdos ad Dominicam orationẽ accedens, vt præsente magistro petitiones, quas ipse facere docuit, meliorem fortiãtur effectum: premittit, Diuina institutione formati: quia Matthæo & Luca testantibus sic orare Christus instituit. Competenter autem subiungit: Audemus dicere. Nisi enim Christus instituisset, qualiter homo terram & lutum se esse cognoscens, Deum patrem suũ nominare auderet? Notandum, quòd in oratione Dominica septẽ sunt petitiones omnia, quæ petenda sunt, continentes. In cuius expositione multa à sanctis patribus dicta leguntur: sed quia mens orantis tot ea hora capere non potest, nos de singulis petitionibus pauca dicere volumus, vt qui orat intelligere possit quid petat, & intelligens deuotior fiat. Ad hoc enim orando verba proferimus, vt nobis affectum deuotionis excitemus, nõ vt Deum qui omnia nouit, quid nostra postulet mens doceamus.

Matth. 6. Lucæ 11.

In oratione cur verborũ prolatio.

De Oratione Dominica: quæ est oratio actionis tertiæ. Cap. 39.

PAter noster, qui es in cælis. Hoc totum quasi prologus est, & captatio postulantis. In quo etiã magna impetrãdi datur fiducia. Quid. n. negabit filijs, quibus iã dedit vt pater sit? Sed qui Deũ patrẽ vocamus, cauẽdũ nobis à sordibus, ne tanto patre indigni simus. In cælis. i. in sanctis. Cũ Deus in oĩbus creaturis sit p essentiã, in solis bonis est p inhabitantẽ gratiã. Prima petitio est, quę sequitur: Sãctificetur nomen tuũ: in nobis, vt de bona & spirituali cõuersatione filiorum glorificetur pater noster. Vel nomen patris in ipso sanctũ ab eterno, tũc in nobis sanctũ & venerabile habetur, cũ bonũ patrem tanquã boni filij, nõ timore, sed amore offenderе cauemus. Qualiter in nobis impletur secũda petitio, quæ dicit: Adueniat regnũ tuũ. Istud siquidem nõ solũ de futuro regno, cũ ei plenè subijcemur, sed & de pręsẽti potest accipi: quia tũc regnũ Dei efficietur in nobis, cũ ei soli & deuotè seruie-

Universidad de Deusto
Biblioteca

mus. iam scilicet liberati à regno peccati, & domi- A nio diaboli. Sequitur: Fiat voluntas tua, non nostra: sicut in cælo, ideſt ſicut in Angelis, ita & in terra, ideſt in nobis hominibus. Hæc non aſſequimur hic, niſi ex parte, in futuro autem plenè. Hæc enim tria, quæ in præmiſsis poſtulamus, in Sanctis hìc incheantur, & quotidiè augẽtur, in futuro autem plenè conſummabuntur. Quatuor verò, quæ ſequuntur, præſentis tantum vitæ ſunt. Ibi enim nemo indigebit paſci, nulli debita dimittentur, nemo tentabitur, nulla ibi mala, à quibus aliquis liberetur. Quarta petitio eſt: Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie. Panis, quo quotidiè egemus, ne in hac via peregrinationis noſtræ deficiamus, ſpiritualis eſt animæ cibus. Affectus videlicet ex dulcedine Dei, & ſapor quidam ſuauiſsimus, quo anima in oratione interdum reficitur.
Pſal. 33. De hoc pane dicitur: Guſtate, & videte quoniam ſuauis eſt Dominus. Hoc manna verus Iſrael per deſertum huius ſæculi interius paſcitur, donec terram promiſsionis ingreſſus de ipſa ſuauitatis Dei facie ſatietur. Ibi igitur panis iſte non quotidianus ſicut hìc petitur, ſed vnus erit, ideſt non ſicut hic, modò aberit, modò aderit, ſed vno & eodem modo ſufficienter, & indeſinenter in æternum ſatiabit. Notandum autem, quòd dum panem petis, omnia comprehendis quæcunque neceſſaria & ad ſuſtentationem corporis & animæ tanquam viaticum tuæ peregrinationis a Creatore exigis. Et nota, quòd dicit hodiè, quaſi hoc die, præſentis ſcilicet vitæ, ideſt quamdiu in hac vita ſumus. Quinta petitio eſt: Et dimitte nobis debita noſtra, ideſt pœnas pro peccatis debitas. Sicut & nos dimittimus debitoribus noſtris. Si enim non dimiſerimus peccantibus in nos, nec Deus dimittet nobis peccata noſtra. Sexta petitio: Et ne nos inducas, ideſt ne permittas nos induci, & cadere in tentationem. Non eſt malum tentari, ſed eſt bonis victoriæ occaſio. Hìc igitur ſolum orandum D eſt, ne inducamur in tentationem, ideſt ne vincamur. Septima petitio eſt id quod ſequitur: Sed libera nos à malo, quaſi dicat: Non ſolùm non ſinas induci, ſed etiam ab his tentationibus libera nos, in quas iàm ſumus inducti. Hoc ſeptimum chorus ſuccinit: in quo ſe oraſſe cum ſacerdote oſtendit. Ad hoc enim fuerat inuitatus: cum ſacerdos ante orationem Dominicam diceret, Oremus. Deinde ſubiungit ſacerdos, Amen, ad petitionum omnium præmiſſarum confirmationem, dum dicit ſacerdos: Da propitius pacem in diebus noſtris: Patenam, quam diaconus vſque ad Panem noſtrum tenuerat, de manu diaconi ſuſcipit, & in E altari, vt fractionem ſuper eam faciat, deponit. Nos tamen hanc fractionem ad cautelam facimus ſuper calicẽ. Tertia pars, quæ in calice ponitur, propitiatio eſt pro viuis, opuſque ſanguinis & carnis expiat illa caro ſanguini admixta. Reliquarum altera eſt propitiatio pro fidelibus defunctis,

Duæ de triũ hoſtiæ partium ſignificatione opiniones.

qui noſtris orationibus indigent: quia adhuc in pœnis detinentur. Altera eſt pro iam triumphantibus gratiarum actio. Sergius tamen Papa aliter ſuper his loquitur. Vult enim ſignificari per corporis & ſanguinis commixtionem, corporis & animę Chriſti in reſurrectione factam coniunctionem. Ait enim ita: Pars oblatæ in calicem miſſa, corpus Chriſti, quod iam reſurrexit monſtrat. Pars comeſta ambulantem ſuper terras. Pars in altari vſque ad finem Miſſæ repoſita membra Chriſti, ideſt Sanctorum corpora vſque ad finem ſæculi in ſepulchris quieſcentia.

B *Quare Pax datur ante Communionem.*
Cap. 40.

COngruè autem pax datur ante communionem, quia quicunque prius fratri non reconciliatus communicare præſumpſerit, iudicium ſibi manducat & bibit. Agnus Dei ter cantatur, vt verus agnus, cuius carnem & ſanguinem ſumimus, nobis propitietur. Primò rogamus, vt nobis miſereatur, peccata relaxando: Secundò, vt nobis miſereatur, deuotos ſibi faciendo: tertiò, vt nobis pacem donare dignetur, quæ hìc initium habet in Sanctis, & in beata vita perficietur. Hæc C tria tres præmiſſæ poſtulant actiones. In huius pacis ſignum ſacerdos prius oſculum porrigit diacono, & diaconus ſubdiacono, & ille cæteris: quia Chriſtus pacem mundo attulit, quam primo maioribus ſcilicet Apoſtolis, deinde per eos minoribus nuntiauit. vnde: Suſcipiant montes pacem Pſalm. 71. populo.

De Communione. *Cap.* 41.

CAntus communionis, quem poſt cibum ſalutarem canimus, gratiarum actio eſt: iuxta illud: Edent pauperes, & ſaturabuntur, & laudabunt D Dominum. Oratio in fine Miſſæ dicitur, vt receſſuri ad propria orationibus muniantur Eccleſiæ, ne illecebris ſæculi capiantur. Diaconus dicens: Benedicamus Domino, ad gratiarum actionem populum inuitat. In feſtis tamen diebus, in quibus præclara Chriſti miſericordiæ inſignia recoluntur, & Gloria in excelſis Deo canitur: dicit diaconus: Ite Miſſa eſt, ſolemni vocis pronunciatione rei exprimens dignitatem. Senſus. Ite: quaſi reuertimini ad propria: ſed ne ſicut à laboribus terrenis, ita ab honeſtis cogitationibus vacetis: Miſſa eſt, quam audiſtis. Sediſtis ad menſam diuitis, memento ei ſimilia præparare. Ab hac miſsione, Eccl. 31. ideſt dimiſsione, Miſſam dicũt appellari, vel à miſsione, ideſt legatione, quia in ea legatio Chriſti repræſentatur, vel quia ſacerdos in ea pro nobis ad Deum legatione fungitur. Vel ideò amiſsione, quia in ea catechumeni, & qui ſacramentis intereſſe non debent, foras mittuntur.

Pſalm. 21.

LIBER

LIBER TERTIVS

Agit de ſpecialibus Miſſarum obſeruationibus iuxta temporum varietatem & cauſarum:

Cuius hæc ſunt Capita.

De officio Miſſæ in ieiunijs quatuor temporum. *Cap.* 1.
Quare lectiones duæ legantur feria quarta, vna feria ſexta, & quatuor in ſabbato quatuor temporum. *Cap.* 2.
De oratione ſuper populum quadrageſimali tempore. *Cap.* 3.
Quare in aduentu Domini cantica lætitiæ taceantur *Cap.* 4.
Quare in natali Domini ternæ Miſſæ celebrentur. *Cap.* 5.
Quare in feſto B. Ioannis Baptiſtæ duæ Miſſæ in quibuſdam Eccleſijs celebrentur. *Cap.* 6.
De repetitione verborum in verſibus offerendæ: Vir erat. *Cap.* 7.
Quare cantica lætitiæ in feſto Innocentium taceantur. *Cap.* 8.
Quare in aduentu Domini, & quadrageſima miniſtri altaris caſula vtantur, & non propijs indumentis. *Cap.* 9.
De Septuageſima. *Cap.* 10.
De Sexageſima. *Cap.* 11.
De Quinquageſima. *Cap.* 12.
De Quadrageſima. *Cap.* 13.
De capite ieiunij quadrageſimalis. *Cap.* 14.
Quare ſcrutinium quarta hebdomada celebretur, & feria quarta. *Cap.* 15.
De officio ſabbati, quod intitulatur, Sabbato Vacat. *Cap.* 16.
De officio Miſſæ in quarta feria poſt Dominicam palmarum. *Cap.* 17.
De officio feriæ quintæ ante paraſceuẽ. *Cap.* 18.
Quare altaria ipſa die denudentur. *Cap.* 19.
De officio feriæ ſextæ, & vnde dicatur paraſceue: & quare ea die altaria vino & aqua lauentur. *Cap.* 20.
Quid ſignificet cæreus in ſancto ſabbato erectus. *Cap.* 21.
De officio Miſſæ in nocte paſchali. *Cap.* 22.
Quid ſignificet nouus ignis in cæreo. *Cap.* 23.
Quare in principijs lectionum hac die tituli taceantur. *Cap.* 24.
Quare hac die tripliciter fiant litaniæ. *Cap.* 25.
Quòd paruuli in fide Eccleſiæ ſaluẽtur. *Cap.* 26.
Quare paſchalis hebdomada in albis celebretur. *Cap.* 27.
Quare introitus non cantatur ad Miſſam ſabbato ſancto. *Cap.* 28.
Quare poſt Alleluia cẽtetur tractus. *Cap.* 29.
Quare ante Euãgeliũ cærei nõ ferãtur. *Cap.* 30.
Quare in eadem Miſſa Agnus Dei non cantetur. *Cap.* 31.
De officio ſancti Paſchæ. *Cap.* 32.
Quare à Paſcha vſque ad Pentecoſten non cantetur reſponſorium.
Quare in diebus ieiunij Alleluia non cantetur ad Miſſam. *Cap.* 34.
Quare in vigilia Pentecoſtes baptiſmus celebretur. *Cap.* 35.
De officio Miſſarum intra hebdomadam Pentecoſtes. *Cap.* 36.
De officio Miſſæ pro defunctis. *Cap.* 37.

De Officio in ieiunijs quatuor temporum. *Cap.* 1.

DE officio Miſſæ ſeruata, prout potuimus breuitate locuti, ad ſpeciales obſeruationes, quæ pro temporum varietate fiunt in Miſſa, ſtylũ vertimus. Sciendum eſt igitur, quòd per quatuor anni tempora, ſcilicet ver, æſtatem, autumnum, & hyemem, in quibus in multis deliquimus omnes, conſtituit primitiua Eccleſia quatuor celebrari ieiunia: quibus pro quãtitate criminum alij plus alij minus abſtinentes, peccata ſua deflerent: Fit autem vnumquodque horum ieiuniorum ſpatio quadraginta dierum. Ratio horum quatuor ieiuniorum, & quadraginta dierum in ſingulis tum ex Euãgelio tum ex lege colligitur. Ex Euangelio, quia Dominus quadraginta dies ieiunauit; ex lege, quia Moyſes bis ab omni cibo quadraginta diebus abſtinuit. Matth. 4. Exod. 24.
Similiter Elias quadraginta diebus ieiunus permanſit. Ecce quatuor ieiunia, & vnumquodque quadraginta dierum. Vnde & Eccleſia in ſingulis quatuor temporum ſpatio xl. dierum celebrat ieiunia, quæ ſpecialiter ieiunia quatuor tẽporũ dicuntur. Pro ordinãdis celebrare cõſueuit Eccleſia. Vnde in ipſis diebus Pentecoſtes quãdo ſeptiformis Spiritus, & Neophytorũ celebratur feſtiuitas, ieiunia fiũt. De quibus Beda in homil. ſua dicit. Quod verò inter hæc ieiuniorũ caſtigatio repetitur de ipſorũ apoſtolorũ exẽplo ſumptũ credere debemus, qui accepto ſpiritu, quò perfectius noua cæleſtiũ bonorũ ſuauitate fruebãtur, eò altius mẽtẽ à memoria deliciarũ abſtulere terreſtriũ. Iam. n. aduenerat tẽpus illud, de quo Dominus prędixit quęrẽtibus, cur diſcipuli eius nõ ieiunarent. Venient (inquit) Matth. 19. dies, cũ auferetur ſpõſus ab eis, & tunc ieiunabũt. Singula aũt ieiunia quatuor tẽporũ tres habẽt dies propter ſingulorum quatuor tẽporũ anni tres menſes. Pro ſingulis igitur mẽſibus ſinguli dies ieiunio deputantur, ſ. feria quarta, ſexta, & ſeptima. Quarta, quia eo die fecerunt conſiliũ Iudæi, Vt occiderent Chriſtum: ſexta cum eum occiderũt: ſeptima Romano more ieiunio concluditur propter triſti- Ioan. 11.

Quatuor tẽporum ieiunium quare inſtitutum.

Universidad de Deusto
Biblioteca

tiam Apostolorum de morte Domini, vt Innocentius narrat in Decretalibus: Sabbatum (inquit) ieiunandum esse ratio euidentissima demonstrat. Nam si diem Dominicum ob venerabilem resurrectionem Domini nostri Iesu Christi non solum in Pascha celebramus: verumetiam per singulos circulos hebdomadarum ipsius diei imaginem frequentamus: tametsi sexta feria propter passionem Domini ieiunamus, sabbatum prætermittere non debemus, quod inter tristitiam atque lætitiam temporis illius videtur inclusum.

Quare duæ lectiones legantur ad Missam Feria quarta, vna feria sexta & quatuor in sabbato quatuor temporum. Cap. 2.

QVarta feria legũtur duæ lectiones ad Missam: quia quarta ætate mũdi, scilicet à Dauid vsq; ad transmigrationem Babylonis & lex, & prophetia viguerũt: & eos, qui ordinandi sunt, admoneri oportet, vt habeant scientiam legis, & Prophetarum. Sexta feria vna legitur, quia lex & prophetia in vno Euangelio recapitulantur, quod legitur in sexta ætate mundi. In sabbato verò, quando ordines fiunt, lectiones quatuor leguntur, quia quatuor ordines sunt benedicentium Deum, quos

Psalm. 134. psalmista numerat dicens: Domus Israel benedicite Domino: domus Aaron benedicite Domino: domus Leui benedicite Domino: qui timetis Dominum benedicite Dominum. Has benedictiones ita explanat Augustinus in lib. super Psalterium. Benedicite populi Dominum: hæc est domus Israel generaliter. Benedicite præpositi: hæc est domus Aaron. Benedicite ministri: hæc est domus Leui. Quid cæteris nationibus: timetis Dominum, benedicite Domino. Omnes ergo vna voce dicamus, quod sequitur: Benedictus Dominus ex Sion, qui habitat in Hierusalem.

Ibidem. In istis ergo quatuor lectionibus inuitantur ordinandi ad imitanda vestigia antiquorum patrum, qui prædictis quatuor ordinibus distinguuntur, si quatuor debent dici, quorum primus omnes includit, & reliqui in partes diuidũt. Post illas quatuor, de camino ignis legitur proximo loco ante ordinationem: quia nec potest rite accedere ad consecrationem, qui prius

Eccl. 27. non transierit per fornacem. Vasa figuli probat fornax, homines iustos tentatio tribulationis. Gratuitatem & humilitatem, quas ordinatus debet seruare, tractus ostendit. Tractus enim, quia humilitatis tempore solet celebrari, semper in causa humilitatis ponitur. Sequitur Epistola, quæ est quasi sexta lectio. Hæ sex lectiones apud antiquos Romanos, quia nec omnes Latinam, nec omnes Græcam nouerant linguam, & Græcè & Latinè legebantur. Vnde secundum numerum lectorum duodecim lectiones agere dicebantur.

De Oratione super populum in Quadragesimali tempore. Cap. 3.

IN tempore quadragesimali præter illa, quæ aliis temporibus in officio Missæ inserũtur, superadditur vltima benedictio, quæ oratio super populum intitulatur: quia si omni tempore necesse est paratum esse contra aduersarium, quanto magis in procinctu? Quadragesimali tempore scit aduersarius noster contra se ab Ecclesia parari cõflictum, ac ideò instat fortius ad rapiendũ, si fortè aliquem negligentem inuenerit. Sacerdos autem vt sapiens agonista, quanto in maiore periculo videt Christi milites fore, tantò eos ampliori protegit benedictione. Et quia quantò maior est deuotio, tantò magis prodest benedictio: Diaconus clamat vt humiliemus capita nostra Deo, & tunc sacerdos benedictionem apponit. In quadragesimali tempore non cantatur Alleluia, quod semper lætitiam sonat, sicut versus sequẽtes pneuma euidenter ostendunt, sed loco Alleluia tractus cantatur. Tractus & in ipsa litera, & in cantu tribulationem exprimit, & laborem, vt: De profundis, vt: Commouisti, vt: Qui habitat, vt: Ad te leuaui, &c. Tamen quia in resurrectione cum Sanctis gaudebimus, si nunc per confessionem & pœnitentiam nos præparauerimus, post duos tractus mœroris sequitur tertius tractus lætitiam sonans. Vel hoc ideò fit, quia duobus temporibus, scilicet ante legem & sub lege, genus humanum in mœrore fuit, tertio scilicet sub gratia, in lætitia in Christum respirauit: De profundis, &: Commouisti, tribulationem: Iubilate verò sonat lætitiam. Item: Qui habitat, &: Ad te leuaui, tristitiam: Qui confidunt, præfert lætitiæ canorem. Similiter: Sæpè expugnauerunt me, &: Deus Deus meus, tristitiam: Laudate verò hymnizat lætitiam.

Quare in Aduentu Domini cantica lætitia taceantur. Cap. 4.

CVm celebratur Aduentus Domini, & in tempore quadragesimali, Gloria in excelsis Deo, &: Te Deum, non cantamus in Ecclesia: Dalmatica & vestis subdiaconalis non portantur. Hæc enim omnia prætendunt lætitiam. Tẽpus autẽ Aduentus ad memoriam reducit tẽpus illud, quo Messias expectabatur, & de tanta aduẽtus eios dilatione viui conquerebantur, & mortui qui in inferno tenebantur. Tẽpus verò quadragesimæ ab ipsa Septuagesima nostram cõmemorat captiuitatẽ, qua genus humanum à Paradiso expulsum sub diabolo principe exultabat, donec per Iesum sacerdotem magnum in huius redemptionis nostræ figura reductus est in Hierusalem. Quia ergo vtrunque tempus mœroris est, in vtroque ab eis, quæ lætitiam præferunt, abstinemus, non tamen æqualiter, quia in Quadragesima prorsus Alleluia tacetur, quod non fit tẽpore Aduentus. Denique hæc cuncta prędictis tẽporibus ideò intermittuntur, vt in natiuitate Domini, & die resurectionis festiuius amplectatur, & vt noui Testamenti gratia prestantior veteri cognoscatur. Quoties non dicitur ad Missã Gloria in excelsis, toties tacetur. Ite Missa est: qa tẽpore luctus & pœnitẽtiæ magis oportet in Ecclesia miserias cõmemorare, peccata deflere, & Deum gratiæ auctorem benedicere. Vnde & in fine Missę dicitur: Benedicamus Domino, quasi per quem à præsenti miseria speramus liberari.

Aduentus & Quadragesima quæ nã tempora insinuent.

Quare

Quare in Natali Domini ternæ Missæ celebrentur. Cap. 5.

ANte legem & sub lege Christus in figura iam immolabatur, sicut de eo scriptũ est in Apocalypsi: Agnus, qui occisus est ab origine mundi.

Apoc. 13. Tempore autem gratiæ verè pro salute mundi est oblatus. Vnde vt per commemorationem figurarum veritas probabilior existat, quia sicut scriptũ

Ioan. 4. est: In hoc verbum verum est, quoniam alius est qui seminat, alius qui metit: semel in anno scilicet in natiuitate Domini constituit Ecclesia, intra natalis diei spatium ter missam celebrari. Primo in nocte, secundo sub auroram, tertio in die. Tempus ante legem quasi nox fuit, nec lege, nec prophetijs, nec alia prædicationis luce illustrata. Tempus sub lege quasi aurora fuit, nec penitus carens luce, nec plenam eam habens. Tempus gratiæ diei pleno comparatur. Prima Missa tempus ante legem, secunda tempus sub lege commemorat, quia in vtroque Christi immolatio in figura præcesit: In tertia Missa vera lux aduenisse mõstratur, cum

Esa. 9. dicitur: Puer natus est nobis, &c. In alijs temporibus tantum semel in die Missa celebrari præcipitur, quia cessantibus figuris veritas manet: Figuræ autem, immò figurarum tempora propter ipsas. Ideò in natiuitate Domini, non in alio tempore Missarum, solennitates commemorantur, quia

Tẽporis gratiæ exordiũ. temporis gratiæ natiuitatis Dominicæ tempus fuit exordium. Vnde in ipso temporis gratiæ principio præcedentia tempora, quæ Christi figuras & signa prætulerant, ad memoriam reducenda sunt.

Quare in festo B. Ioannis Baptistæ Missæ duæ in quibusdam Ecclesiis celebrentur. Cap. 6.

Luc. 1. BEatus Ioannes Baptista legitur in Euangelio Lucæ repletus esse Spiritu sancto ex vtero matris suæ. Quapropter in exordio lucis diei quasi in exordio natiuitatis sacrificium Deo offertur in honorem eius, ad laudem Creatoris, qui illum honorare dignatus est ex vtero matris. Beatus Ioannes

Tres Ioannis Baptistę triumphi. Baptista tribus insignibus triumphis excellenter refulsit. Ad hoc enim venit, vt viam Domino præpararet exemplo suæ conuersationis: qui triumphus celebratur in vigilia. Per baptismi ministerium claruit insignis: huius ministerij triumphus recolitur in prima Missa. Nazaræus verò permansit ex vtero matris: hoc donum recolitur in missa secunda in die.

De repetitione verborum in versibus Offerendæ: Vir erat. Cap. 7.

IN offertorio: Vir erat in terra, non est repetitio verborum. In versibus verò est. Verba historici continentur in offertorio, verba Iob ægroti & dolentis continentur in versibus. Vnde officij auctor, vt affectuosè nobis ad memoriam reduceretur ægrotans Iob, in versibus more ægrotantium verba repetiuit.

Quare in festo Innocentum cantus lætitiæ taceatur. Cap. 8.

IN solennitate Innocentum ad Missam non cantamus: Gloria in excelsis Deo, nec Alleluia, nisi in die Dominica venerit, vt nos quodammodo matribus de morte filiorum lugentibus conformemus. Vel ideò in die hac à vocibus lætitiæ abstinemus, quia Innocentium animæ ad inferos descenderunt, sicut & omnium, qui ante passionem Christi obierunt. Quia tamen infra natiuitatis Domini dies, dies illa continetur, dalmaticam & vestem subdiaconalem non intermittimus.

Quare in Aduentu, & Quadragesima ministri altaris vtantur casulis, & non proprijs indumentis. Cap. 9.

IN diebus autem Aduentus Domini, & Quadragesimæ ministri non vtuntur huiusmodi vestibus, sed casulis. Tamen, quando proprium officiũ assumunt, casulis se exuunt: quia in proprio officio, id est legendo epistolam vel Euangelium eos, qui ad prædicandum à Domino missi sunt, repræsentant. Casula autem talia significat opera, quæ in itinere obseruari non possunt. Significat enim per latitudinem suam charitatis amplitudinem. Hęc autem exigitur & in loquendo, propter quod collo circundatur, & in operãdo, quia super vtrunque brachium replicatur, & in cogitando, quoniã pectus inde tegitur; & in portando aliorum onera, eo quòd humeri inde ambiuntur. Hæc autem in itinere obseruari non possunt. Vnde Beda in tractatu super Lucam: At verò sitim, famen, vigilias, nuditatem, lectionem, psalmodiam, orationem, laborẽ operandi, doctrina, silentiũ, & cetera huiusmodi si quis semper exequenda putauerit, non modò se eorum fructu priuabit, sed & notam indiscretæ obstinationis, immò stultitiæ peruicacis incurret. Casulis itaque exuti sua peragunt Subdiaconus & Diaconus officia. Primo Subdiaconus in memoriam illorum septuaginta duorum, quos misit Iesus in omnem ciuitatem & locum, quo erat ipse venturus: postea Diaconus in memoriam Apostolorum, qui ad prædicandum Euangelium missi sunt. Vnde ad maiorem perfectionis notam, cum Subdiaconus sine casula suum peragat officium, Diaconus casulam super sinistrum humerum portat plicatam, vt in hac vita, quæ per sinistram significatur, se ad fratrum onera portanda significet esse paratum, nec ab operibus, quæ per casulam significantur, etiam in itinere penitus vacuum. Sed quoniam de specialibus Missarum obseruationibus agere proposuimus: de temporum quoque obseruationibus, quibus ecclesiastica congruunt, aliquid duximus inserendum.

Luc. 10. Marc. 16.

Lucæ. 10. casula quid mysticè.

De Septuagesima. Cap. 10.

SEptuagesima computatur nouem hebdomadibus ante pascha Domini, & finitur post Pascha die sabbati. Die Dominica habet initium,

& in sabbato finem. Populi enim Dei captiuitatem significat, qui peccando recesit à Deo, & per misericordiam eius reuertitur ad requiem, Populus Dei detentus est in Babylonia captiuus sub numero annorum septuagenario. Quo expleto reuersus est in Hierusalem. Vnde Hieremias: Seruient omnes gentes istæ Regi Babylonis septuaginta annis. Cumque impleti fuerint anni septuaginta, visitabo super Regē Babylonis, & reliqua. Hæc autem populi Israelitici captiuitas humani generis communem designat captiuitatem, quæ in Paradiso tanquam die Dominica incœpit, & in requie æterna, quæ nomine sabbati intelligitur, habebit finem. Quia ergo Septuagesima & Israelitici populi, & nostra captiuitas, quæ toto mundi tempore per septenariam dierum reuolutionem duratura est, significatur: nos cum Israelitico populo vocem gaudij & lætitiæ intermittimus, quasi cum eis in salicibus suspendentes organa nostra, & à delicijs abstinentes ostendimus qualiter Christiano viuendum sit per totū tempus sæculi. Per septuaginta nanque sicut & per septem, totū tempus sęculi intelligitur, quod septenatio dierum voluitur. Omnis enim numerus idem significat ei, à quo denominatur, vt quinquaginta idem est quod quinque, septuaginta idem est quod septem. Notandum autem quòd in septuaginta annis Iudaicę captiuitatis tempus reuersionis intelligitur. Vnde citra finem Septuagesimæ, scilicet in festo Resurrectionis, per quam reuertimur ad cælestem patriam, Alleluia cantamus, nec Graduale intermittimus, quia adhuc in via sumus, & nec in patriam adhuc gradimur. In sabbato autem sequente duplex Alleluia cantamus, quasi iam in patria existentes, & de duplici corporis & animæ stola gaudentes. Officiorum institutor in his diebus nos vult esse solicitos tribulatione, non lætitia dissolutos.

Hierem. 27.

Psalm. 136.

Psalm. 114. Dicit enim in introitu: Circundederunt me gemitus mortis, dolores inferni inuenerunt me, Augustinus in Psalm. In his, qui me circundederunt, vt perderent erant dolores inuidiæ, qui mortem operantur, perducuntq; ad infernum. Propter hos dolores nos possumus lætari, & securi esse, sed præparare nos debemus ad bellū. Vnde Apostolus: Omnis (inquit) qui in agone contendit, ab omnibus se abstinet. In prima aūt oratione Missæ sic habetur: Vt qui iustè pro peccatis nostris affligimur, &c.

1. cor. 9.

De Sexagesima. *Cap.* 11.

SExagesima percurrit intra Septuagesimam ad quartam feriam Paschalis hebdomadæ. Hæc quarta feria ætatem reducit ad memoriam, in qua Dauid & Salomon regnauerunt. In illa ætate gens illa fide inclyta, regno Dauid & Salomonis glorioſa, templi etiam altitudine & decore formosa, regnum Christi præsignauit futurum, in quo viui lapides in hac quasi valle latomorum expoliti in vno Domini templo collocabuntur. Vnde & feria quarta Paschalis hebdomadæ in huius rei significationem habet officium: Venite benedicti Patris mei, &c. Ad illud regnum per sexagesimam tendendum est, i. dest per operum perfectionem,

Matth. 5.

quæ per senarium designatur. Senarius enim numerus, qui perfectus est numerus, eo quòd ex omnibus partibus suis aggregatis consistit, significat perfectionem. Et quia Dominus hoc dierum numero opera sua perfecit, dat etiam intelligere operationem. Itaque senarius, siue sexagesima significat perfectam operationem, per quam ad patriam tendere debemus. Sed quia ex nobis impotentes sumus, vtpote à principio Septuagesimæ nostræ venundati sub peccato: in introitu Missæ rogamus Dominum, vt per eum à præsenti exilio liberemur: Exurge, quare obdormis Domine, &c. Cui congruit sequens oratio: Deus qui conspicis, quia ex nulla nostra virtute subsistimus, &c. Apostolus in Epistola sua nos confortat, ne malis cedamus: Libenter suffertis insipientes, &c. Tractus: Commouisti, ostendit terram commotam conscientia peccatorum. Post terram commotam semen inducitur: In Euangelio: Exijt qui seminat, &c. In Septuagesima increpati sumus, quia ocioſi stetimus: in Sexagesima semen iacimus.

Senarij numeri significatio.

Psalm. 43.

2. Cor. 11.

Matth. 13.

De Quinquagesima. *Cap.* 12.

SEquitur Quinquagesima, quæ ipso die Paschæ finitur, quia per quinque sensuū opera tendendum est ad resurrectionis gloriam. Quoniam ergo diuersis mundi illecebris & delectationibus sensus nostri facilè capi possunt, & ipsa sensuum instrumenta quasi feneſtræ sunt, quibus mors intrat ad animam, nisi custodia apponatur: ideò in Quinquagesima tanquam in expeditione soliciti dicimus in introitu Missæ: Esto mihi in Deum protectorem, & in loco refugij, &c. Ipsum precamur ducem militię nostrę dicendo: Et propter nomen tuum dux mihi eris, & enutries me. Apostolus in epistola nos docet, qualiter nos armari debeamus, & dicit: Nunc autem manent fides, spes, charitas, &c. Triumphator militiæ nostræ Deus est, cui dicimus in Responsorio: Tu es Deus, qui facis mirabilia. & iterum: Liberasti in brachio tuo populum tuum. Tractus præcipit, vt Deo seruiamus, non ei, cui nosipsos vendidimus. In Sexagesima seminauimus, in quinquagesima fructum colligimus in Euangelio: Nos enim sumus cęcus ille, qui quod deuotè postulauit, à Domino accepit. Tres itaque gradus notandi sunt in his tribus Dominicis. Prima Dominica planctum continet captiuorum sub dominio vitiorum esse nolentium. Secunda voluntatem fugæ demonstrat, dum Dominum dormitare putant, nondum de eius auxilio securi, & dicunt: Exurge, quare obdormis Domine? Quasi, nisi exurgens affueris nobis, fugiemus. Tertia Dominica consilium agit, quomodo se muniant: in qua Dominum non iam tanquam dormientem alloquuntur, dicentes: Esto mihi in Deum protectorem.

Psalm. 30.

1. cor. 13.

Psalm. 79.

Luc. 18.

Psalm. 43.

Psalm. 30.

De Quadragesima. *Cap.* 13.

QVadragesima, quæ sequente Dominica incipit, finitur feria quarta ante Pascha, quæ vocatur cæna Domini. His quadraginta diebus, si duos

duos sequentes addideris, erunt vsque ad solenne baptisma dies xlij. Tot enim mansionibus filij Israel peruenerunt ad terram promissionis. Tot etiam generationum computatione in Euangelio Matthæi peruenitur ad Christum, Iechonia bis computato. In quadragesima viriliter pugnantibus de Dei adiutorio præsumendum est. Vnde dicit nobis, quem in quinquagesima protectorem inuocauimus: Inuocauit me, & ego exaudiam eum &c. Epistola prima: Tempore accepto exaudiui te, & in die salutis adiui te. In responsorio: Angeli Domini custodiunt nos. In tractu scuto veritatis circundati sumus. In Euangelio ad triumphum tendimus, vt dicamus inimico: Vade retro satana. Significat autem quadragenarius numerus totum tempus vitæ nostræ, propter quatuor anni tempora, quibus viuimus, vel propter quatuor elementa, quorum in nobis concordia viuimus. Quæritur autem, cur Dominus cito post baptismum Ieiunium suum inchoauerit, cur nos quadragesimale ieiunium, quod in illius commemorationem celebramus, vsque ad tempus Passionis Christi contiguum differamus? Hoc autem ideo fit, vt per quadragesimæ obseruationem magis efficiamur idonei ad paschalis agni comestionem: quem qui indignè suscipit, secundum Apostolum, iudicium damnationis sibi manducat & bibit.

Pfal. 90. 2. cor. 6.

Quadragenarij numeri significatio.

1. cor. 11.

De capite Ieiunij Quadragesimalis. *Cap.* 14.

QVarta feria inter quinquagesimam & quadragesimam, ieiunium, quod protenditur vsque in Pascha Domini inchoamus. Vsque ad istum diem in expectatione fuimus. Hac die pugnam cōmittimus. Hoc ostendit prima collecta missæ, dicens: Concede nobis Domine præsidia Christianæ militiæ sanctis inchoare ieiunijs. Quibus armis pugnare debeamus, Ioel ostendit. In ieiunio & fletu, & planctu &c. Euangelium: Tu autem cū ieiunas, vnge caput tuum, & faciē tuam laua &c. In hac die non est alia varietas nisi quia vsque ad hanc diem missa celebratur hora tertia: in hac & deinceps vsque ad Pascha, exceptis Dominicis diebus, hora nona. Opinio est aliquorum propterea hac die inchoari quadragesimale ieiunium, quia subtractis diebus Dominicis, xl. tantum dies sunt a memorata feria vsque ad sabbatum. Est autem alia ratio, & fortasse validior. Siquidem ieiunando laboramus, vt nosipsos templum Domino ad inhabitandum præparemus. Vnde eo dierum numero a consuetis ciborum delectationibus abstinemus, quo annorum numero templum in Hierusalem ædificatum est, scilicet quadraginta sex. Cœpta est enim ædificatio templi primo Cyri regis, & sexto Darij anno consummata. Qui sunt anni iuxta fidem Chronicorum quadragintaquinque. Siquidem Cyrus regnauit annos triginta, post quem Cambises filius eius annos octo. Post quem magi, qui eum interfecerunt, anno vno. Post quos Darius vsque ad consummationem templi annos sex: qui sunt (vt diximus) quadragintaquinque anni. In Euangelio autem inuenitur Iudæis dicentibus, Quadraginta & sex annis ędificatum est templum hoc: cum non amplius quàm quinque & quadraginta reperiantur. Sed si historiam Iosephi sequamur, in qua post consummationem templi tres adhuc annos addit, in quibus peribolus idest circumposita templo munitionum constructio, & quædā alia, quæ remanserant, perfecta sunt: videbimus quòd rectè in ædificatione templi quadraginta sex annorum poterit summa computari, in quibus eminentiora ædificia fuerunt completa. Nulla in officio missæ est varietas a die præfata vsque ad quartæ septimanæ feriam quartam.

Ioel. 2. Matt. 6.

Quare Scrutinium quarta hebdomada celebretur, & Feria quarta. *Cap.* 15.

IN quarta feria quartæ hebdomadæ quadragesimæ solenne scrutinium celebratur, quod est iter ad baptismum. In hac baptizandi catechizantur. Catechismus autem duplicem continet instructionem, scilicet de fide & de moribus. Vnde in missa prima lectione, quæ secundum Ezechielem legitur, monstratur quo catechumenos cōgreget Deus ad compagem corporis Christi, eripiens a priore vita, & faciens credere in Christum. Sic enim legitur ibi: Tollam vos de gentibus, & congregabo vos de vniuersis terris, & adducam vos in terram vestram, & effundam super vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris, & ab vniuersis idolis vestris mundabo vos, & dabo vobis cor nouum &c. Quod Hieronymus sic super eundem Ezechielem exponit. Creator enim omnium sum, peperci eis, & sanctificaui illos, & gloriæ pristinæ restitui, ita vt super credentes, & ab errore conuersos effunderem aquam mundam baptismi salutaris, & mundarem eos ab omnibus abominationibus suis, & ab vniuersis erroribus suis, quibus fuerant occupati, & darem eis cor nouum, vt crederent in filium Dei. Sic igitur prima lectio de fide agit: Cui concordat responsorium: Venite filij audite me. At secunda lectio de moribus disputat, in qua dicitur: Quiescite agere peruerse, discite benefacere, quærite iudicium, subuenite oppresso. Et in conclusione ita, Et venite, & arguite me, dicit dominus. Quod est: si ita feceritis, & non reddidero vobis mercedem: meritò me arguetis. Sequens responsorium demonstrat catechum enos ad nomen Christianum debere transire. Beata gens, cuius est Dominus Deus eius, p. quem. e. in. sibi. Versus bonos mores electorum demonstrat, Verbo Domini cæ. f. sunt: & spi. o. e. o. v. eorum. Euangelium non dissonat ab hoc officio, dicente Augustino super Ioannem: Lauit ergo cæcus oculos in ea piscina, quæ interpretatur missus: baptizatus est in Christo. Si ergo quando eum in seipso quodammodo baptizauit, tunc illuminauit, quando inunxit oculos fortasse catechumenum fecit. Hoc autem officium quarta feria quartæ hebdomadæ ideo celebratur, vt quarta sęculi ætas ad memoriam reuocetur. Quarta sęculi ætas, sicut Beda in chronica sua testatur, fuit a Dauid vsque ad transmigrationem. Illa ætas regno Dauid & Salomonis inclyta

Ezec. 36.

Esa. 1.

Psal. 33.

Psal. 32.

Ioan. 9.

Universidad de Deusto
Biblioteca

inclyta noſtram in Chriſto gloriam præfigurauit. A
In illa etiam noſtræ gloriæ promiſsio facta eſt, di-
cente Domino ad Dauid: De fructu ventris tui po-
Pſal. 131. ſuper ſ. tuam. In illa conſtructio templi de mar-
more,& de lapidibus pretioſis conſtitutionem pre-
ſignauit Eccleſiæ de vniuerſis gentibus per Chri-
ſtum congregatæ. Meritò etiam quarta feria quar-
tæ hebdomadæ celebratur ſcrutinium,& de fide &
de moribus inſtruuntur baptizandi in ſancto ſab-
bato paſchæ, quia & quarta ætas hominis labori-
bus apta eſt. Eos autem, qui ad ſeruitium Dei acce
Eccle. 2. dere volunt, laboribus inſiſtere oportet. Vnde Sa-
lomon: Fili,accedens ad ſeruitutem Dei, ſta in ti-
more,& præpara animam tuam ad tentationem. A
B die prænominata vſque ad ſabbatum ante ramos
palmarum, nulla eſt oſtendenda varietas.

De officio Sabbati,cui titulus Sabbato vacat.
Cap. 16.

DE ſabbato autem ante ramos palmarum, cui
titulus in antiquis antiphonarijs inuenitur:
Sabbato vacat Dominus Papa, & eleemoſynam
dat: noſtræ ætatis autem libri cauſa breuitatis ſic
habent,Sabbato vacat: Eccleſiaſtici inſtitutor of-
ficij nullum huic diei proprium aptauit officium,
vt ſe hac die eleemoſynis vacaſſe oſtenderet, & ad
idem inuitaſſe poſteros. Hac autem die potiſsimũ
vir Apoſtolicus & ſe, & nos largitioni eleemoſyna
rum vacare voluit in memoriam deuotiſsimæ mu-
lieris,vt quod ipſa in hac die fecit capiti,nos mem-
Ioan.12. bris exhibere ſtudeamus. Ait euangeliſta Ioannes.
Ante ſex dies paſchæ venit Dominus Ieſus in Be-
thaniam,vbi fuerat Lazarus mortuus,quem ſuſci-
tauit. Fecerunt autem ei cœnam ibi. Et poſt pau-
ca: Maria ergo accepit libram vnguenti nardi piſti
ci pretioſi, & vnxit pedes Ieſu, & exterſit capillis
ſuis pedes eius: & domus impleta eſt ex odore vn-
guenti. Et cum indignaretur Iudas proditor iuxta D
Matt.26. Matthæum: ita Dominus approbauit opus mulie-
ris, Quid moleſti eſtis huic mulieri? Opus enim
bonum operata eſt in me. Nam ſemper pauperes
habetis vobiſcum, me autem non ſemper habebi-
tis. Et nos ergo pedes Domini vngamus:ideſt pau
peribus Chriſti per compaſsionem ſolatia demus.
Siquidem pauperes Domini pedes dicuntur, quia
membra ipſius ſunt loco adhuc inferiora. Per vn-
guentum autem ſolatia, quæ animos demulcent,
non abſurdè intelligi poſſunt. Sic & Domini pedes
capillis tergere eſt de eis, quæ nobis ſuperfluunt,
pauperibus ſubuenire. Capilli ſuperflua corporis
videntur.

De Officio Miſſæ in quarta Feria poſt Dominicã palmarum. *Cap.* 17.

IN quarta feria poſt Dominicam palmarum va-
rietas eſt in miſſæ officio ex adiectione lectionis
vnius,& reſponſorij vnius cum quinque verſibus:
quia eadem die fecerunt conſilium Iudei,vt Ieſum
occiderent. Vnde ſicut in ſexta feria actus eorum,
ſic & in quarta feria conſilium eorum ad memo-
riam reducitur. Leguntur itaque in hac feria ſicut
& in ſexta, duę lectiones: quia Chriſtus ſimpla
morte ſua noſtram duplam deſtruxit, ſcilicet cor-
poris & animæ. Introitus eſt: In nomine Domini Phil. 2.
omne genu flectatur, cœleſtium,terreſtrium,& in-
fernorum. Quod eſt: Omnis creatura rationalis
Chriſto ſe ſubeſſe cognoſcat: quia Dominus fa-
ctus eſt obediens &c. ideſt quia Chriſtus per obe-
dientiam, & humilitatem meruit eandem cum pa-
tre habere gloriam: non eam tanquàm ſine meri-
tis ſibi indebitam accipiens,ſed opus tanta remune
ratione dignum perficiens. Quod autem dicit, in
nomine Domini, in veneratione nominis intelli- Pſal. 51.
gendum eſt, ideſt rei deſignatæ per nomen. Simi-
B liter habetur in Pſalmo, Confitebor in ſeculum,
quia feciſti: & expectabo nomen tuum, quoniam
bonum eſt &c. Quod autem per nomen res nomi-
nis detur intelligi,teſtatur Ambroſius in Epiſtolam
ad Philippenſes. Ait enim: Nomen euidens eſt
quòd non vocabulum, ſed rem quandam dicit ac-
quiſitam ei, ſicut illud, quod ſcriptum eſt: Et co- Pſal. 82.
gnoſcãt,quia nomen tibi Dominus, hoc eſt, quòd
tu es Dominus. In oratione Paſsio Domini me-
moratur,quoniam ea die Iudæi de eius morte con-
ſilium fecerunt. Lectio ſequens apertè Paſsionem
Domini prædicat, dicens: Oblatus eſt quia ipſe vo
luit, & non aperuit os ſuum. Et paulò poſt: Si po- Eſa.53.
C ſuerit pro peccato animã ſuam, videbit ſemen lon-
gæuum. de hoc ſemine dicit Eſaias: Niſi Domi- Eſa.1.
nus exercituum reliquiſſet nobis ſemen, ſicut So-
doma eſſemus. Semen enim ſunt Apoſtoli & Apo
ſtolici viri, quibus quaſi iacto ſemine ſeges Eccle-
ſiæ multiplicatur. Hoc ſemen longæuum eſſe dici-
tur per ſucceſsiones: vel in ſeipſo, quia iuſti in per- pſal. 68.
petuum viuent. Reſponſorium eſt: Ne auertas fa- Chriſtus cũ
ciem tuam a puero tuo. Verba Chriſti ad patrem. puer voce-
Puerum dicit Pſalmiſta Chriſtum propter ſimpli- tur.
citatem & innocentiam. Verſus ita ſonat: Saluum pſal. 68.]
me fac Deus, quoniam intrauerunt aquæ vſque ad
animam meam, infixus ſum in limo profundi, & D
non eſt ſubſtantia. Populi multitudinem nomine
aquarum ſignificat,ſicut & in Apocalypſi: Aquæ, Apoc. 17.
quas vides, populi ſunt & gentes. Hæ aquæ intra-
uerunt vſque ad animam Chriſti tollendam volun
tate ipſius Chriſti, dum eum occiderunt. Eoſdem
vocat limum profundi,in quo dicit Chriſtus ſe in-
fixum eſſe, ſeruata limi metaphora, ideſt corpore
detentum eſſe. Secunda lectio ſicut & prima de
Paſsione Domini agit. Reſponſorium ſequens nõ
tractus dici debet ſicut nonnulli putant,ſed reſpon
ſorium, quia poſt ſingulos verſus a choro reſpon-
detur. Habet autem verſus vt innuatur,quòd pec-
E cata veteris Adæ per quinq; ſenſus perpetrata Paſ-
ſione noui Adæ ſunt deleta. Vox enim veteris
Adæ eſt,quæ in verſibus illis ſonat.

De Officio Feriæ quintæ ante Paraſceuem.
Cap. 18.

QVinta feria ante paraſceuem varietas plurima
eſt, non ex officio miſſæ, ſed in officio. In ea
namque oleum tripliciter conſecratur. In
ea reſeruatur corpus Domini vſque in craſtinum.
Oleum pro infirmis conſecratur in ipſo officio con-

conſecrationis corporis & ſanguinis Domini. In- A
firmitates namque pro peccatis infliguntur. Vnde
Matt.2. in Euangelio Dominus roganti ſanitatem ſic ait:
Dimittuntur tibi peccata tua. Dimiſsis enim pec-
catis & quod pro peccatis inflictum erat, expelli-
tur. Sacramentũ Dominici corporis peccata, oleũ
Iacobi. 5. verò cõſecratũ infirmitates expellit,ideſt diuina gra
tia per olei vnctionẽ. Hinc enim Iacobus ait: Infir-
matur quis in vobis,inducat presbyteros Eccleſiæ,
& orent ſuper eum vngentes eum oleo in nomine
Domini, & oratio ſaluabit infirmum, & alleuiabit
eum Dominus, & ſi in peccatis ſit, dimittentur ei.
Et in ipſa conſecratione ſic habes: Ad euacuandos
omnes dolores,omnesque infirmitates, & omnem B
ægritudinem corporis. Meritò igitur eorum conſe-
cratio ſimilis fit,quorum in multis coniungitur ef-
fectus. Vtrunque tamen,ideſt,& ſacramentum Do
minici corporis & oleum conſecratum, vtrunque
habent effectum,quamuis propter ſacramentorum
ſpecies diuerſas verba diuidamus. Carnis enim &
ſanguinis erat in veteri lege pro peccatis offerri:
1.cor.15. Olei autem eſt feſsis & ægris mederi artubus. Sed
& Apoſtolus de Chriſto loquens ait: Mortuus eſt
propter peccata noſtra, & reſurrexit propter iuſti-
ficationem noſtram. Sic enim diuiſit ſingulis ſa-
cramentis reddendo quod figurant, cũ vtrunq; pp
vtrunq; fecerit Chriſtus. Fit itaque olei infirmorũ C
cõſecratio in ipſo officio conſecrationis Dñici cor
poris ante canonis verba. Per quem hęc omnia Do
mine ſemper bona creas, & hæc ipſa verba ſunt il-
lius conſecrationis concluſio. Vnde intelligimus
embolem eſſe ſupradicti officij, poſt Agnus Dei,
quando pacis ſignum dari ſolet,quod hac die pro-
pter Iudæ proditoris oſculum non ſit. Conſecra-
tur chriſmate oleum, & poſtea conſequenter oleũ
catechumenorum: quia per hæc duo homo ad pa-
cem & concordiam angelorum reuocatur. Exor-
ciſmus namque olei facit diabolum a catechume-
no recedere: vnctio verò chriſmatis eum ſanctifi- D
cat, & ei gratias dat, vel habitas augmentat. Ideo
autem quinta feria olei conſecratio celebratur:quia
quicquid quinque ſenſibus committitur,ſcilicet vi
ſu,auditu,guſtu,odoratu,& tactu,per gratiam Dei
in olei vnctione deletur.

Quare eadem die Altaria denudentur.
Cap. 19.

DIe eadem altaria denudantur, & ſic relin-
quuntur vſque ad veſperum. quod (niſi fal-
lor) fugam Apoſtolorum ſignificat. Altare nam-
que Chriſtum ſignificat. Apoſtoli verò ſiue alij di E
ſcipuli veſtes ſunt Chriſti: de quibus ſcriptum eſt:
Matt.26. Et relicto eo omnes fugerunt.

De Officio Feriæ ſextæ: & quare dicatur Paraſceue: & quare Altaria hac die aqua & vino lauentur. *Cap.* 20.

PAraſceue (vt Beda ait) præparatio interpreta-
tur. Quo nomine Iudæi,qui inter græcos con-
uerſabantur ſextam ſabbati appellabant, quòd eo
die,quæ neceſſaria erant ſabbato,præpararent. Hæc
ſexta feria ſextę diei creationis coaptatur. Aptum
quippè erat, vt qua die Deus hominem creauit, ea
perditum recrearet atque redimeret. Hac die le-
guntur lectiones ad immolationem agni pertinen-
tes. Hac die namque Paſsionẽ Chriſti recolimus,
& noſtram,quam ei debemus,imitationem exhibe
mus, dum pro omnibus hominum generibus ora-
mus,ſicut ille pro ſuis crucifixoribus. Et notãdum,
quòd ſicut corpus Domini Ieſu, quod de virgine
aſſumpſit,per agnum ſine macula ſignificatum eſt:
ita & corpus eius, quod nos ſumus, per hœdum.
Vtrunque lectio commemorat: Agnus in cruce
immolatus eſt. hœdus quotidie in mortificatione
vitiorum immolatur. Tractus, Qui habitat in ad. Pſal. 190.
alt. longus eſt: quia quod nobis promittit præce-
dens lectio Oſeæ tenere debemus in ſpe, ſed longè
eſt vt habeamus in re. Verba lectionis hæc ſunt: Vi Oſeę 6.
ſitabit nos poſt duos dies: in die tertia ſuſcitabit
nos,& viuemus in conſpectu eius. Ipſa refurrectio
in fine tractus memoratur: Longitudine dierum Pſal. 90.
adimplebo eum, & oſtendam illi ſalutare meum. In paraſceue
Quæritur quare hac die miſſa non cantetur, ſed cor quare miſſa
pus Chriſti reſeruatum die præcedẽti ſumatur. nõ cantetur,
Ad quod dicitur ex decreto Innocentij Papę, miſ- ſed corpus
ſam hoc biduo non celebrari, vt in paſtoribus Ec- Chriſti die
cleſiæ ſtatus temporis illius apud Apoſtolos oſten præcedẽti re
datur, qui ſicut propheta prædixerat, percuſſo pa- ſeruatum ſu
ſtore diſperſi erant. Inde eſt etiam, quòd nec Do- matur.
minus vobiſcum,nec Deus in adiutorium his die- Zac.13.
bus dicitur, nec aliquid eorum, quæ pertinent ad
presbyterorum officium. Quæritur iterum quare
hac die non ſumatur ſanguis Chriſti ſicut & caro
Chriſti. Ad quod dico, quòd vtrunque ſub vtraq;
ſpecie ſumitur. Sed quia ſpecies vini labilis non po
teſt tuto reſeruari, ſine ea corpus Chriſti reſeruari
conſtitutum eſt. Vel quia Dominus in cœna dixit, Matt.26.
Non bibam a modo de hoc genimine vitis vſque
in diem illum,cum illud bibam nouum vobiſcum
in regno meo: Eccleſia a die cœnæ vſque ad diem
Paſchę (quę in veſpere incipit: vnde in cerei bene-
dictione dicitur: Hæc nox eſt, quę peccatorũ &c.)
de hoc genimine vitis bibere non conſueuit. Porrò
de ſanguine ſuo,quem diſcipulis porrigebat,loque
batur Chriſtus, quem quantum ad ſpeciem geni-
men appellabat: hoc poſt reſurrectionem ſuam in
regno ſuo,ideſt in regia claritate bibit ipſe cum di-
ſcipulis ſuis nouũ,quia in reſurrectione totus Chri
ſtus quantum ad corporalem ſubſtantiam innoua-
tus eſt. Hoc autem dixit cum diſcipulis ſe bibitu-
rum: non quia poſt reſurrectionem corporaliter il-
lud bibit, ſed quia diſcipulorum oblatione delecta
tus eſt, quando corpus eius, & ſanguinem in ipſius
commemorationem ſicut præceperat, participa-
uerunt. Poteſt tamen & de vino ſimpliciter dictũ
intelligi, quod ait: Non bibam de hoc genimine vi-
tis &c. vt demonſtratiuũ pronomen nõ hoc demõ
ſtret,quod tenebat Chriſtus, ſed ſpeciem: Quaſi:
non bibam de tali genimine vitis tali ſecũdum ſpe-
ciem. Vnde alius Euangeliſta ſine pronomine de-
monſtratiuo dixit. Non bibam de generatione vi- Mar.14.
tis donec regnum Dei veniat &c. Poſt reſurrectio- Luc. 22.
nem enim & manducaſſe eum legimus cum diſci- Act.10.
pulis

Universidad de Deusto
Biblioteca

Act.10. pulis & bibisse. Vnde Petrus, Qui manducauimus, & bibimus cum eo postquã resurrexit a mortuis. Notandum, quòd hac die in orationibus, quas ad imitationem Christi facit Ecclesia per singulas genua flectimus, ad ostendendam, immo ad augmentandam mentis humilitatem, nisi quando pro perfidis Iudæis oramus, qui hoc ante Dominum illudendo fecerunt, quibus per omnia, quæ hac die erga Christum fecerunt, dissimiles esse volumus, cũ eorum mentionem facimus. Hac die vino & aqua lauatur altare, quia de latere suo Christus hac die aquam emisit & sanguinem.

Quid significet cæreus nocte Paschali ante Baptismum erectus. Cap. 21.

IN principio officij ad noctem Paschæ pertinentis, in qua Christus resurrexisse creditur, benedicitur cereus. Cæreus namque ad memoriam nobis reducit columnam populo Israelitico datam a
Exo.13. Deo in deserto, quæ erat eis nubes ab æstu protegens in die, & columna ignis lucem præbens in nocte. Columna autem illa, & cereus iste Christi figuræ sunt, qui & ab æstu vitiorum protegit, & lucem sapientiæ infundit. Hoc autem Christi beneficium, & baptizandis promittitur, & baptizatis dum sunt in via non subtrahitur. Vnde columna illa populo data est rubrum mare in figura baptismi transituro: & cereus noster erigitur in Ecclesia, & accenditur priusquam catechumeni baptizentur. Nec hoc prætereundum est, quòd sicut columna prædicta populo data est in tertia mansione ab exitu Ægypti, sic cereus nobis accenditur die tertia liberationis nostræ, quæ facta est in morte Christi. Quoniam sicut diximus, vespera illa ad diem sequentem pertinet, & verè antiqui iam ferè transacto die sabbati, officium hoc celebrabant. Sed modernorum debilitas ad epulas festinans, tempus præuenit constitutum. Nobis ab Aegypto spiritua
D li exeuntibus prima die passio Christi, secunda qua descẽdit in infernum, tertia resurrectionis est dies.

De Officio Missæ in nocte Paschali. Cap. 22.

NOcte præfata lectiones quatuor leguntur ad missam. Catechumeni namque ad mensam Dñi vocantur, id est ad sanctam scripturã, quæ per mensam quatuor pedũ in tabernaculo Dñi positam
Mensa Domini quid mystice. significata est. Siquidẽ quatuor mensæ pedes, sunt quatuor expositiones sacræ scripturæ, s. historica, allegorica, moralis, anagogica. In quatuor huius no-
E ctis lectionibus, hęc quatuor, si subtiliter inspexeris, poteris inuenire. Prima secundũ historiã nostræ
Gen.1. recolit creationis dignitatẽ. A qua quoniã peccãdo cecidimus, non sequitur canticum. Secunda lectio secundum allegoriam agit de liberatione nostra ab
Exo.14. exilio, in quod per peccatum deuenimus. Agit nãque de liberatione populi Israel ab Aegypto, in qua nostra liberatio a spirituali Aegypto præsignata est. Tertia lectio moralis est. Apprehendent se-
Esa.4. ptem mulieres virum vnum in die illa &c. Septem enim mulieres septem gratiæ sunt, quæ specialiter dicuntur dona Spiritus sancti. Vnde & septuformis spiritus appellatur. De ablutione etiam sordium agit eadem lectio, quod totum ad mores pertinet. Et est rectus ordo, vt postquam instructi fuerint de purgatione baptismi, instruantur de moribus. Quarta lectio dicit. Audite audientes me, & Esa. 55.
comedite bonum, & delectabitur in crassitudine anima vestra. Quod ita Hieronymus super Esaiam exponit. Sermo diuinus non carnis bona, sed animæ pollicetur. Hæc igitur lectio anagogen sapit, quia sub nominibus carnalium promittit bona cœlestia. Vnde Beda: Anagoge est sensus ad superiora ducens, id est locutio, quæ de præmijs futuris, &
B de ea, quæ in cęlis est, vita futura siue mysticis siue apertis sermonibus disputat. Audiamus quid dicãt catechumeni post admonitionem doctoris: Sicut ceruus desiderat, &c. Vnde Augustinus: Et quidem non male intelligitur vocẽ eorum esse, qui cũ sint catechumeni, ad gratiam sancti lauacri festinãt.

Quid significet nouus ignis in Cæreo. Cap. 23.

CAereus verò nouo lumine accenditur, vt designet doctrinam Christi nouam, quæ est in nouo testamento, siue nouam gratiam, qua illustrata est nox singulariter Dominica, videlicet Christi re-
C surrectionem.

Quare tituli Lectionum hac die taceantur. Cap. 24.

IN principijs lectionum tituli tacentur, ne catechumenis de Gentilitate venientibus, auctorum vel librorum hebręorum nominibus auditis lectiones vilescant: semper enim inter Iudæos & Gentiles quasi naturale odium fuit.

Quare hac die tripliciter Litaniæ fiant. Cap. 25.

LItaniæ, quæ fiunt circa baptisterij consecrationem, sunt intercessiones sanctorum pro renascentibus: ante & post aguntur, quia sicut legitur
Apoc.4. in Apocalypsi, Iris erat in circuitu sedis Dei. Quod sic Beda exponit: Sedes Dei in Ecclesia est: Iris autem, quæ post diluuium facta est, vt esset indicium propitiationis, intercessionem sanctorum designat. Aguntur autem ante septenæ ante baptismum, vt Spiritus sanctus, cuius est gratia septiformis veniat in aquam baptismatis. Quinæ aguntur, dum baptizantur catechumeni: vt Deus dignetur quinque sensus eorum custodire, ne illecebris secularibus ca-
E piantur. Ternæ post baptismum, vt fidem sanctæ Trinitatis, quam professi sunt, toto corde, tota mente, totis viribus custodiant.

Quòd paruuli in fide Ecclesiæ saluantur. Cap. 26.

SI eius ætatis fuerint, qui baptizentur, vt rationis vsum habeant, & loqui sciant: ipsi fidem suam profiteri debent, & in fide propria saluantur: si autem paruuli fuerint, in fide & confessione offerentium eos ad baptisma siue in fide generali Ecclesiæ saluari

Mar.7. saluari creduntur: sicut & Syrophœnissæ mulieris filia in fide, & humili confessione matris legitur a
Mat. 15. dæmonio liberata, dicente Domino, O mulier magna est fides tua: fiat tibi sicut vis. Et sanata est, vt ait Matthæus, filia eius ex illa hora.

Quare Paschalis hebdomada in albis celebretur. Cap. 27.

A Sabbato isto vsque ad sequens sabbatum per octo scilicet dies, portantur albæ vestes, vt ostendatur qualia corpora recepturi sumus in octaua resurrectionis, & quales esse debeamus in nouo testamento. Sicut enim septem dies pertinent ad B vetus testamentum, propter sabbatum, ita octo ad nouum propter octauum diem resurrectionis. Vn-
Eccl.11. de Salomon: Da partes septem, necnon & octo. Iam enim docebat populum suum, vt non semper inhæreret veteri testamento, sed transiret aliquando ad nouum.

Quare Introitus non cantatur ad Missam Sabbato Sancto. Cap. 28.

INtroitus nõ cantatur ad missam in die hac, quia lectiones & cætera, quæ præmissa sunt, locum tenent introitus. immò plus sunt quàm introitus. C
Gloria in excelsis Deo, cantatur propter gaudium resurrectionis Dominicæ. Notandum, quòd omnia vsque ad Euangelium ad Neophytos pertinẽt.
Colo.3. In oratione dicit sacerdos: Conserua, innoua familiæ tuæ progenie spiritum, quem dedisti. Epistola: Si consurrexistis cum Christo, quæ sursum sunt quærite, vbi Christus est in dextera Dei sedens.

Quare post Alleluia cantetur Tractus. Cap. 29.

IN eadem missa prius cantatur alleluia pro gaudio Dominicæ resurrectionis, in qua nobis re- D
surgendi spes data est. Sed quia nostra resurrectio, quam habemus in spe, longe est adhuc in re, & ad eam per difficultates tendendum est, sequitur tractus.

Quare ante Euangelium cærei non ferantur. Cap. 30.

IN ipsa nocte non defertur lumen ante Euangelium, quia mulieres occultè sine lumine ibant ad tumulum, vt eum vngerent, sicut refert Euange-
E lium: siue propter cæcitatem cordis earum ignorantium resurrectionem.

Quare in eadem Missa Agnus Dei non cantetur. Cap. 31.

IN eadem nocte non cantatur Agnus Dei propter incredulitatem illarum mulierum commemorandam: quia quem non credebant esse Deum, nec credebant posse tollere peccata mundi. Presbyter tamen suum interim peragit officium: quia mulieribus, & ipsis discipulis de resurrectione, dubitantibus Christus & resurrexit, & manifestum se fecit.

De Officio sancti Paschæ. Cap. 32.

DIe sancti paschæ in introitu per ora prophetarum præsentat se Christus ex resurrectione
Psal.138. patri suo in Ecclesia sua dicens, Resurrexi & adhuc tecum sum. In die hac, & quinque sequentibus graduale canimus ad missam: quia ad gloriam, quam promittit Domini resurrectio, adhuc gradimur, & gradiendo Deum laudamus. De peruentione tamen, quam habemus, in spe gaudemus, vn-
de & alleluia cantamus. In sabbato autem duplex alleluia canimus: quia septuagesimæ finis est, & significat requiem, quæ peregrinationis erit finis, quando duplici stola corporis & animæ decorati Deum pro vtraque laudabimus. Similiter in diebus Dominicis, & festis vsque ad octauam Pentecostes duo alleluia cantamus propter memoriam Dominicæ resurrectionis & nostræ, cuius peruentionis figura præcessit in sabbato prædicto. In alijs diebus pro redemptionis nostræ lętitia vnum alleluia cantamus.

Quare a Pascha vsque ad Pentecosten non cantatur Responsorium. Cap. 33. C

AB octauis pentecostes vsque ad septuagesimam in Dominicis, & festis diebus Responsorium & Alleluia actionem eorum, & lętitiam, siue laudem, siue gratiarum actiones significãt, qui perseuerant in sanctitate, quam in baptismo recepe-
Actiuæ, & cõtemplatiuæ vitæ bona quæ. runt. Ita enim in spe iam habent regnum futurum, vt inter laboriosa opera Deo gratias agant. Siue, vt alij dicunt, per responsorium actiuam intelligimus, per alleluia contemplatiuam. Instruendi sunt homines de bonis actiuæ, quæ sunt eleemosyna, lectio, visitatio infirmorum, & huiusmodi. Instrue-
D di sunt etiam de bonis contemplatiuis, quæ sunt consideratio æternorum, laus Dei. In illis autem quinquaginta diebus, qui sunt a sabbato paschali vsque ad octauas pentecostes, non canitur responsorium: quia tempus illud nostram præfigurat re-
Ioan.6. surrectionem, quando omnes erunt docibiles Dei, & omnia actiuæ vitæ opera cessabunt, sed tantum alleluia cantabitur, ideſt lętitia animarum de percepta immortalitate, & receptione corporum agetur. Eandem lętitiam numerus quinquagenarius significat, qui apud Hebræos iubileus appellatur.

Quare in diebus ieiunij Alleluia non cantetur ad Missam. Cap. 34. E

DIes pœnitentiales, & viligiæ Apostolorum, & cæterę, in quibus confiteri peccata, & humiliari, & ieiunare debemus, vt ad gaudium, quod in
Eccl.15. sequenti solennitate celebratur, peruenire mereamur, sine alleluia transiguntur: quia non est speciosa laus in ore peccatoris.

Qua-

Universidad de Deusto
Biblioteca

Quare in Vigilia Pentecostes Baptismus celebretur. Cap. 35.

IN vigilia pentecostes celebratur baptismus eo quòd Dominus ascensurus in cœlum promisit discipulis suis dicens: Baptizabimini spiritu sancto non post multos hos dies, scilicet post decem, quod & factum est. Hac de causa celebrat Ecclesia baptismum decima die post Ascensionem, vt catechumeni nostri baptizentur Spiritu sancto sicut & ipsi Apostoli. Incipiunt autem dies pentecostes ab ipso die paschę, & terminantur die quinquagesimo, qui vulgo dies pentecostes appellatur. Vnde ipso die canitur Antiph. ad vesperas: Hodie completi sunt dies pentecostes alleluia &c. In huius diei vigilia propter cathecumenos lectiones quatuor leguntur. Prima ad historiam pertinet, proponens ad exemplum obedientiam Abrahæ. Secunda lectio est: Scripsit Moyses canticum. De quo autem cantico hic dicat, cantor illico demonstrat scilicet: Attende cœlum. Tam lectio quàm canticum allegoricè de Christo, & Ecclesia exponendum est. Tertia lectio moralis, in qua septem dona Spiritus sancti faciunt de obediętibus virum vnum, de quo dicebat Paulus: Donec occurramus omnes in virum perfectum. Quarta lectio anagogen sapit, quæ ad cœlestia tantum inuitat. Ecce quatuor pedes mensę Domini, ad quam catechumeni vocantur. De letanijs circa baptismum dictũ est supra. Alleluia cantatur pro gaudio emundationis, quam Neophyti recipiunt in baptismo. Sed quia plena emundatio, a pœna videlicet & culpa, ad quam per hanc tenditur, longè est: & non nisi per difficultates nimias ad eam peruenietur: sequitur tractus.

Act. 1.

Gen. 22. Deut. 32.

Esa. 4. Ephe. 4.

De Officio Missarum infra hebdomadam Pentecostes. Cap. 36.

QVid in tota septimana, quę die Pentecostes incipit, agere debeamus, Beda in homilia sua manifestat dicens: Verum hoc quoque quòd nos statim peracta die quinquagesima non genua ad orandum curuamus, sed & illa adhuc septimana stantes Domino supplicamus: & quamuis intermissa repetamus ieiunia, tamen alleluia quotidie personamus: nemo absque discretione apta, & congrua ratione mysterij putet actitari. Quia enim Spiritus sancti septiformis est gratia, iure solemnitas aduentus eius per septem dies laude hymnorũ debita, simul & missarum celebratione recolitur.

De Officio Missæ pro Mortuis. Cap. 37.

IN missa pro mortuis non cantatur Gloria in excelsis Deo, nec alleluia suauitatem, & lętitiam significantia: quia cantica lętitiæ de proximi transitu dolentibus non conueniunt. Ministri enim altaris sicut gaudere cum gaudentibus, ita flere debent cum flentibus. Osculum non datur hìc, quia vbi solemus dicere, Dona nobis pacem, in hoc officio quasi magis defuncti quàm nostri memores, dicimus, Dona eis requiem sempiternam. Summopere enim hic illis succurrere nitimur, quos in hac vita nil amplius posse mereri cognoscimus. Anniuersarius dies ideo repetitur pro defunctis, quia nescimus qualiter se habeant in alia vita. Vnde sicut anniuersarius sanctorum dies ad eorum honorem repetitur, sic anniuersarius defunctorum dies ad memoriam reducitur ad ipsorum, si forte indigent, vtilitatem. Triginta diebus continuis solet missa pro defunctis celebrari, vt quicquid in decalogo legis deliquerunt, sanctæ Trinitatis miseratione deleatur. Denarius enim ternario multiplicatus tricenarium facit.

Rom. 12.

M. HVGONIS de Sancto Victore (vt licet sub dubio asseritur) Libellus de Canone mystici libaminis, eiusque ordinibus. Et primo de Crucis Dominicæ virtute.

Cap. 1.

IN virtute sanctæ crucis, & in sacramẽto altaris magna est conuenientia, & magna efficacia, cùm per vtrunque excludantur contraria, & renouetur, & sanctificetur Ecclesia. Duplici autem renouamus ratione, vt scilicet prius exuamur vetustate, deinde induamur nouitate. Non enim potest fieri, vt remanentes in vetustate induamur Christi nouitate: nec poterat fieri, quod Paulus docebat ex persona infirmi: Nolumus expoliari, sed superuestiri. Vnde filijs Zebedæi petentibus, vt vnus sederet ad dexteram, & alius ad sinistram, dictum est: Potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum? quasi diceret: Prius compatiendo, & commoriendo oportet vos exui vetustate, vt postea positis ad dexteram meam, vel ad sinistram sedere, quod est indui nouitate. hoc enim non est meum dare vobis, id est veteribus: sed quibus paratum est a patre meo, id est innouatis. Propterea & ipse Dominus Iesus prius quidem voluit pati in ligno inferiori, deinde glorificari in ligno superiori, vt scilicet prius exueret nos vetustate, deinde indueret nos sua nouitate. Prius enim legitur crucifixus, deinde titulus superpositus. Sic enim scriptum est: Baiulans sibi crucem exiuit in eum, qui dicitur Caluariæ locum, vbi crucifixerunt eũ. Scripsit autem & titulum Pilatus, & posuit super crucem. Est enim septiformis vetustas nostra, est & septiformis virtus sanctæ crucis, & efficaciæ. Sunt enim quatuor corporis abominationes, & tres mentis corruptiones. Vnde propheta. Corrupti sunt, & abominabiles facti sunt. Corrupti sunt mente, & abominabiles facti corpore. Abuntur enim quatuor elementis in corpore. Igne sub

Crucis Dominicæ, & Eucharistiæ virtus.

2. Cor. 5. Matt. 20.

Ioan. 19.

Psal. 13. Corporis abominationes quatuor quæ.

in oculis per curiositatem, aere in lingua per verbositatem, terra in manibus per iniquitatem, quando pugno impiè percutimus fratrem, aqua in fluxu seminis per libidinem. Hæc sunt, quæ de claustro eijciunt fratrem. vnde Propheta: Ingrediebatur vt videret, ecce curiositas? vana loquebatur, ecce verbositas: cor eius congregauit iniquitatem sibi, ecce iniquitas: Egrediebatur foras per libidinem. Corrumpimur etiam in mente triplici corruptione, In ratione naturali per superbiam, in concupiscentia per auaritiam, in ira per inuidiam. Sunt autem in Cruce quatuor dimensiones, latitudo, longitudo, sublimitas, & profundum. & tres in titulo distinctiones. Iesus Nazarenus, Rex Iudæorum. Latitudo misericordiæ fuit in Christi passione. Longitudo vitæ in resurrectione. Sublimitas gloriæ in ascensione. Profundum sapientiæ in occulta potestate, qua hæc omnia fecit, qua & in nouissimo iudicabit. Profundum Crucis occultũ erat, & cætera manifesta patebant. Sic potestas adhuc occulta est, qua Dominus Iesus omnia prædicta fecit, sed cum in fine iudicabit, manifesta erit, sicut scriptum est: Cognoscetur Dominus iudicia faciens? Vnde & in quarto ordine canonis memoria de tribus manifestis præmittitur. De quarto autem, idest profundo, quia occultum est, tacetur. Quartus ordo est. vnde & memores Domine, & cætera. Item in passione contemptus fuit sui, in resurrectione contemptus mundi, in ascensione amor Dei, in occulta potestate timor. Cõtemptus autem sui excludit verbositatem, cõtemptus mundi curiositatem, amor Dei iniquitatem, timor libidinem. De tribus distinctionibus tituli. In Iesu fides intelligitur, sine qua nemo saluatur. In Nazareno spes. Nazareth enim flos interpretatur, de quo fructus speratur. In Rege Iudæorum, charitas, quæ est excellentior via, quæ Reges & sacerdotes facit. Fides autem illuminat rationem, quam superbia excœcabat, & excludit superbiam. Spes subleuat æternorum concupiscentiam, quam auaritia inclinabat, & excludit auaritiam. Charitas temperat, & ordinat iram, quam inuidia corrumpebat, & excludit inuidiam. Sic igitur virtute sanctæ Crucis, & efficacia exuimur nostra vetustate, & induimur Christi nouitate. Ideo Dominus Iesus libenter crucem suam baiulabat, per quam de principe huius mundi triumphabat, per quam regnum mortis & peccati destruebat, & ad Ecclesiam gratiam & benedictionem transferebat. Vnde Iacob filios Ioseph benedicturus, cum maior ad dextram & iunior ad sinistram esset posi tus, facta cruce super minorem posuit dexteram, & super maiorem sinistram, significans in Spiritu sancto Spiritus sancti gratiam per virtutem sanctę Crucis ad Ecclesiam transituram. Similiter & sacramento altaris renouatur Ecclesia & sanctificatur. Sunt aũt septem, quę in sacramento altaris vtiliter attenduntur, scilicet quę sit causa Missę, quę differentia, quis finis, quę virtus, quis ordo, quę ratio, quę vtilitas. Causa Missę tripertita est, scilicet honor Sanctorum, salus viuorũ, & requies defunctorum. Prępmittitur autem quasi prologus oratio & inuocatio Trinitatis, in quo prælibatur & osten

Psalm. 40.

Mẽtis corruptiones tres quæ sint.

Crucis latitudo, longitudo, & profundum mystice

Psalm. 9.

Gen. 48.

In missa quæ septem attẽdenda.

Causa Missæ triplex.

ditur quæ sit causa Missæ sequentis: Suscipe sancta Trinitas. ibi enim cõtinetur vt Sanctis proficiat ad honorem, nobis ad salutem, &c. Tripertita est differentia. Secundum enim differentiam triũ partium Ecclesiæ, sunt tres Missarum differentiæ, vt alia dicatur de sanctis, alia de tempore, idest pro viuis, alia pro fidelibus defunctis. Sunt quidem tres partes Ecclesiæ. Pars quædam est in exultatione, pars in peregrinatione, pars in expectatione. In exultatione sunt Sãcti, qui Christi vestigia sunt sequuti. in peregrinatione sunt viui, qui subiacent tempori, idest vanitati. Vnde Apostolus: Vanitati subiecta creatura non volens, &c. In expectatione sunt fideles defuncti, qui expectant requiem. Secundum harum trium partium differentiam sunt tres differentiæ Missarum, & finium, & officiorum. Finem enim alium habet Missa pro Sãctis, idest: Ite Missa est. Alium Missa de tempore, idest: Benedicamus Domino. Aliũ Missa pro fidelibus defunctis, idest: Requiescant in pace. In fine Missæ pro Sanctis inuitatur ad illam gloriam, in qua iam Sancti requiescunt. Ite Missa est. quasi dicat: Hostia à Patre ad nos missa est, vel à nobis ad Patrẽ remissa est; ideo: Ite, idest festinate, sicut dicit Apostolus: Festinemus ingredi in illam requiem. Finis verò Missæ de tempore hortatur nos, qui sumus in tẽpore, vt benedicamus Domino in aduersitate & prosperitate, id est in omni tempore. vnde Dauid: Benedicam Dominum in omni tempore. Et alibi: Ad annunciandum mane misericordiam tuam, & veritatem per noctem. In mane prosperitas, quæ non ex meritis nostris, sed ex misericordia sola datur. In nocte aduersitas, quæ in veritate pro meritis redditur. In fine Missæ pro defunctis eis optamus requiem, & in principio petimus: Requiem æternam dona eis Domine, &c. Virtus Missæ Crux Christi est, quæ sacramentum altaris, & omnia Ecclesiæ sacramenta consecrat & sanctificat. Septem ordines Crucis sunt in serie canonis, quos Spiritus sanctus mira sapiẽtia ordinauit. Primus ordo est à, Te igitur, vsq; ad, quam oblationẽ. Secundus à, Quam oblationẽ, vsque ad, Qui Pridiè. Tertius, à Qui pridiè, vsque ad, Vnde & memores. Quartus ab, vnde & memores, vsque ad, Per quem omnia. Quintus à, Per quẽ omnia, vsque ad, Per ipsum. Sextus à, per ipsum, vsque ad, Pax Dñi. Septimus à, Pax Dñi, vsque ad finẽ. In singulis ordinibus sunt causæ profundæ & rationes, quæ rationabiles mouẽt quæstiones, quas Spũs sanctus cui vult prout vult claudit, cui vult aperit, sicut scriptum est: Huic ostiarius aperit.

Differentia Missæ tripertita.

Ecclesię partes.

Rom. 8.

Hebr. 4.

Psal. 33.

Psal. 91.

sacramẽtorũ vis vnde.

Ioan. 10.

De primo Ordine Canonis. Cap. 2.

IN primo ordine canonis tria apponimus, pro tribus rogamus, & tria petimus; & ideo tres cruces facimus. Tria apponimus, panem, vinum, & aquam. Quare autem ista tria potius quàm alia apponantur, oritur quæstio. Tripertita causa est. Prima causa est, quia inter omnia humanæ vitæ sustẽtandæ necessaria, hæc tria sunt mundiora, & vtiliora & magis necessaria: propterea potius debuerunt apponi quàm alia, & in id quod mũdius est, & vtilius omnibus, & super omnia ad vitam æternam ca

Quare panẽ, vinũ, et aquã in altari potius quàm alia apponamus. Prima cã.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Secunda causa. pessendam magis necessarium, transferri & transformari, id est in corpus Christi & sanguinem. Secunda causa est, quia in his res ipsa, & virtus sacramenti intelligitur, sine qua ad hoc sacramentum indignè acceditur, & ad iudicium, non ad salutem sumitur. In aqua enim intelligitur fides, quæ latet & nutritur in aquis baptismi. In vino, quod ascendit & lętificat, intelligitur spes. In pane, qui confirmat, intelligitur charitas. Vel in pane, qui corroborat, pater intelligitur, qui est omnis omnium fortitudo. In vino, quod lętificat, filius, qui est gaudium nostrum, quod nemo tollet a nobis. In aqua, quæ mũdat & lauat, Spiritus sanctus, sicut scriptum est: Effundam super vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris. Et iterum Flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ. hoc autem dicebat de Spiritu, quem accepturi erant credentes in eum. Vel in aqua intelligitur munditia castitatis, in pane fortitudo, & opera pietatis, in vino quod ascendit & accendit, rectitudo intentionis, quæ ad terrena non inclinatur, sed ad cęlestia erigitur. Hæc tria accedentibus ad altaria ita necessaria sunt, vt sine eis cum salute nemo possit accedere. Vnde Dominus in Euangelio. Introeuntibus vobis in ciuitatem occurret vobis homo amphoram aquæ baiulans: sequimini eum, & dicite Domino domus. Vbi facio Pascha cum discipulis meis? Et ipse ostendet vobis cœnaculum grande stratum, & ibi parate. Ideo ergo in eminentiori loco Ecclesiæ paratur altare, vt ascensuri his gradibus & Ascensionibus virtutum studeant seipsos præparare & probare. vnde Apostolus: Probet autem seipsum homo &c. In cœnaculo altitudo, in grandi latitudo, in strato, aptitudo, quia aptatum & munda tum erat. In strato ergo munditia castitatis, in grandi latitudo & opera pietatis, in cœnaculo rectitudo intentionis. Vnde in quarto ordine antequam dicamus, panem sanctum vitæ æternę, & calicem salutis perpetuę: necessariò prius offerimus hostiam puram, hostiam sanctam, hostiam immaculatam. Sed de his in consequentibus dicendum est. Tertia causa, quare, scilicet prędicta tria apponamus, panem, vinum, & aquam, est quia in figura huius sacramenti omnis patriarcharum benedictio in his constabat. Vnde Abraham cum in figura huius mysterij Melchisedech & panem & vinum obtulisset, a maiore benedictionẽ accepit, & benedictus Deo excelso dictus est. Qua benedictione postea Isaac filium ditauit. Isaac etiam filio suo Iacob hęc eadem bona prophetali eloquio implorauit dicens: Det tibi Deus de rore cœli, & de pinguedine terrę abundantiam frumenti, vini, & olei, &c. Rursus cũ Esau conquerens de Iacob fleret, Frumento inquit & vino stabiliui eum, & tibi post hęc, fili mi, vltra quid faciam? Quasi diceret: firmaui eum frumento corporis, & vino sanguinis Christi. Idem per oleũ, quod per aquam intelligitur.

Exech. 36.
Ioan. 7.
Luc. 22.
Altare curin ecclesiæ eminentiori loco paretur. 1. Cor. 11.
Tertia causa.
Gen. 15.
Gen. 27.
Frumentum, & vinum mystice quid.

De tribus, pro quibus oramus, & quæ petimus. Cap. 3.

PRo tribus rogamus. Primo scilicet generaliter pro omnibus. Secundo pro familiaribus nostris absentibus. Tertio pro circunstantibus. Generaliter pro omnibus: vbi dicimus: In primis quæ tibi offerimus pro Ecclesia tua sancta catholica, &c. Pro familiaribus nostris absentibus, vbi dicimus: Memento Domine famulorum, famularumque tuarum. Pro circunstantibus: vbi dicimus: Et omnium circunstantium.

¶ Tria petimus. Primo scilicet, vt dies nostri disponentur in pace. Secundo, vt eruamur ab æterna damnatione. Tertio, vt mereamur numerari in Dominico grege. Quæ omnia habemus ibi, vbi dicimus: Dieśq; nostros in tua pace disponas, atq; ab æterna damnatione nos eripi, & in electorum tuorum iubeas grege numerari. Quia ergo tria exponimus, & pro tribus rogamus, & tria petimus, propterea tres cruces facimus, scilicet vt per virtutem Crucis primo quæ apposita sunt benedicantur: secundo ij, pro quibus apponuntur: tertio vt quod petimus impetremus. Soluta est ergo secunda quæstio, quæ posset fieri, scilicet quare tres cruces in hoc ordine fiant, quando dicimus: Hæc dona, hæc munera, hæc sancta sacrificia illibata. Hæc dona scilicet naturæ, hæc munera scilicet deuotionis nostræ, hæc sancta sacrificia illibata manifestati diuinæ, vt hæc dona referantur ad naturam, hæc munera, ad gratiam, hæc sacrificia, ad incorruptionis gloriam.

Horum verborum: Hæc dona, hęcmunera. hæc sancta sacrificia illibata declaratio.

¶ Quare autem hoc sacramentum iteretur, vel quomodo benè sumatur, vel quod benè sumptum operetur, vel quare sub hac specie sacramenti veritas lateat & veletur, rationabiles quæstiones oriuntur. Quare hoc sacramentum iteretur, tripertita causa est. Prima causa est, vt qui quotidie labimur per hoc quotidiè expiemur. Secunda causa est, vt sicut in medio Paradisi erat lignum vitę, ita sit corpus Christi assiduè in medio Ecclesiæ, à quo criminaliter peccantes arceantur, donec per pœnitentiam satisfacientes, ad hoc & per hoc reconciliati reuertantur. Tertia causa est, vt per hoc vnum efficiamur cum Christo, & mediante Christo vnum efficiamur cum Deo, vnde Dominus in Euangelio: Caro mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus. Qui manducat meum corpus, & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in eo.

Eucharistia quare iteretur.
Prima causa
Secunda cã.
Tertia causa
Ioan. 6.

¶ Bene autem sumitur, si quis per hæc tria ad hoc præparatur, scilicet side integra, confessione pura, pœnitentia condigna. Benè sumptum tria operatur. Primo peccata purgat, secundo virtutes roborat: tertio in vitam æternam suscitat. Vnde ait in Euangelio: Amen amen dico vobis, nisi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis. Qui manducat meam carnem, & bibit sanguinem meum, habet vitam æternam, & ego resuscitabo eum in nouissimo die.

Eucharistia qũo benè sumatur.
Eucharistiæ effectus triplex.
Ioan. 6.

¶ Quare sub hac specie sacramẽti veritas lateat & veletur, tripertita causa est. Prima causa est interrogatio fidei. Secũda causa est argumentũ meriti. Tertia causa est defectus infirmi. Primo. n. fidem interrogat, vt interrogãdo probet, & discernat. Secundo probatũ p fidẽ maiori virtute, & gratia donat. Tertio, vt nostræ infirmitati parcat, semetipsũ in suę maiestatis claritate nõ manifestat, sed quasi sub

Miraculum de Eucharistia. sub quodam velamine occultat. Vnde miraculum istud contigit in Viuariensi Ecclesia Præmonstratensis ordinis. Cum celebraretur missa in præfata Ecclesia, quidam frater respiciens de choro ad altare vidit super illud circulum claritatis immensæ, & columbam miri candoris super calicem in eadem claritate. Cœpit igitur admirari, & admirando intueri: & subito stupefactus, & territus amisso visu cecidit in choro prostratus. Quem fratres ad manus extra chorum deducentes, & euentus veritatẽ perquirentes, tam diu precibus institerunt, donec ei Deus visum restitueret. Et hæc quidem de primo ordine dicta sufficiant.

De secundo Ordine Canonis. Cap. 4.

IN primo ordine petimus, vt quæ apposita sunt, benedicantur: in secundo verò petimus, vt quæ iam in primo benedicta sunt, in verum & summũ sacrificium transferantur. Quinque ergo cruces facimus, quia quæ benedicta sunt in id transferri petimus, quod in quinque præcellit omnibus, scilicet triplici prærogatiua, & charitate gemina. Ideo dicimus benedictam, omnium scilicet gratiarum plenitudine, ascriptam summa dignitate & honore, ratam summa & æterna potestate. De prima prærogatiua, scilicet omnium gratiarum plenitudine, scriptum est: De plenitudine eius omnes accepimus. &, non enim ad mensuram dedit Deus Spiritum sanctum filio. De secunda prærogatiua, idest summa dignitate & honore, scriptum est: Habens in vestimento, & in femore suo scriptum: Rex regum, & Dominus dominantium. De tertia prærogatiua, idest summa & æterna potestate, scriptum est: Potestas eius potestas æterna, quæ non auferetur. Sed quia triplex hæc prærogatiua parum nobis prodesset, nisi charitatem geminam exhiberet, propterea dicimus: vt nobis corpus & sanguis fiat dilectissimi filij tui Domini nostri Iesu Christi. Charitas gemina fuit, quam ad patrem habuit & ad gregem, patri obediendo, & pro grege moriendo. Vel charitas gemina fuit, qua corpus & animam posuit: vel qua sanguinem & aquam de latere suo fudit: Vel ideo quinque cruces facimus, vt ex prædictis quinque, quinq; nobis necessaria impetremus. Ex participatione scilicet sanguinis remissionem peccatorum, ex participatione corporis vnitatem in societate sanctorum, ex summa & æterna potestate timorem & solicitudinem mandatorum, ex summa dignitate & honore honestatem vitæ & maturitatem morum, ex plenitudine gratiarum plenitudinem præmiorum. Hac igitur de causa in secundo ordine quinque cruces facimus.

Christi prærogatiuæ tres.
Ioan. 1: Ioan. 3.
Apoc. 19.
Dan. 7.
Christi charitas gemina.

De tertio Ordine Canonis. Cap. 5.

IN tertio ordine, sicut petimus in secundo, quæ benedicta sunt in primo, in verum & summum sacrificium transformantur, idest in verum corpus & sanguinem Christi. Et quia iste ordo breuis quidem est, sed profundus, & magna sapientia plenus: ideo in hoc duę rationabiles quæstiones mouentur. Prima quæstio, quare non nisi duæ cruces fiãt. Secunda, quare in hoc ordine potius, quàm in cæteris substãtia panis & vini in verum corpus Christi & sanguinem transeat. Solutio primæ quæstionis. Nulla alia nisi sola duplex hominis natura erat redimenda, scilicet corpus & anima. In hoc autem ordine nostra redemptio & reparatio celebratur, per quam humana natura liberatur. vnde quare in hoc non nisi duplex fuerit crux facienda, manifesta apparet ratio, videlicet propter redemptionem duplicis naturæ. Solutio secundæ quæstionis. Tres ordines sunt: Ordo naturæ, ordo iustitiæ, & ordo gratiæ. Ordine naturæ flos præcedit fructum, & sonus cantum, & materia materiatum. Ordine iustitiæ pœna sequitur peccatum & virtutem præmium: vnde scriptum est: Oculum pro oculo, dentem pro dente &c. & Reposita est mihi corona iustitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die. Ordine gratiæ superabundat gratia, vbi abundauit delictum: & præcedit humilis peccator iustum superbum, velut Publicanus Pharisæum: & misericordia impenditur, vbi nullum præcedit meritum. vnde in Euangelio: Publicani & meretrices præcedent vos in regnum Dei. Sed nec natura potuit, nec iustitia debuit, vt panis & vinum fieret caro & sanguis. Sola verò diuina gratia hoc potuit & voluit, hoc & fecit & facit. Sicut ergo sunt tria tempora: tempus ante legem, tempus sub lege, & tempus gratiæ: & in solo tempore gratiæ Dominus Iesus venit, & hoc sacramentum celebrauit & instituit: sic in hoc tertio ordine canonis conuenientius, quàm in cæteris quotidie venit, & de pane & vino carnem & sanguinem suum confecrat & conficit. Ethęc de tertio ordine dicta sufficiant.

Ordo naturę. Ordo iustitiæ. Exo. 21. 2. Tim. 4. Ordo gratię. Mat. 21. Tempora tria quæ.

De quarto Ordine Canonis. Cap. 6.

IN quarto ordine prędente summo & vero sacerdote iam apud Patrem innotescunt petitiones nostræ: prędente summa & vera hostia: iam maior protenditur mora. Tunc magnalium, quę fecit, celebratur memoria: vt tam per eum, quàm per ea quę fecit, patris flectatur, & impetretur clementia. Quinque ergo cruces facimus, non quòd eum, qui prędens est, sanctum sanctorum sanctificemus, sed vt per eius prędentiam, & crucis efficaciam quinquepertitam obtineamus gratiam, per quam dignè offeramus, & sumamus salutarem hostiam, & eidem conformati in sanctorum consortium mereamur admitti. Dominus Iesus in Passione sua fuit hostia pura, in resurrectione hostia sancta, in Ascensione hostia immaculata. Panis vitę æternę esurientibus, calix salutis perpetuę iustitiam sitientibus. Ei ergo assimilari & conformari debemus, qui ad ipsum offerendum accedimus. Sed quia hoc non potest fieri nisi Passionem, Resurrectionem, et Ascensionem studeamus imitari: propterea istorum trium in primis memoriam facimus, vbi dicimus: Vnde et memores Domine nos tui serui, sed et plebs tua sancta eiusdem Christi filij tui Domini Dei nostri tam beatę Passionis, necnõ et ab inferis Resurrectionis, sed et in cœlos gloriosæ Ascensionis: vt scilicet ex imita-

Christus hostia, panis, et calix.

Universidad de Deusto
Biblioteca

imitatione Paſsionis per munditiam caſtitatis ſi- A mus, & offeramus hoſtiam puram: ex imitatione Reſurrectionis obtineamus virtutem & opera pietatis, & ſimus, & offeramus hoſtiam ſanctam: ex imitatione Aſcenſionis obtineamus rectitudinem intentionis, & ſimus, & offeramus hoſtiam immaculatam: ex participatione panis ſancti vitæ æternæ obtineamus vnitatem & fortitudinem charitatis: ex participatione calicis ſalutis perpetuæ multitudinem & magnitudinem exultationis, ſicut ſcriptum eſt: Et calix meus inebrians quàm præclarus

Pſal. 22. eſt. De his quidem in primo ordine ex parte diximus; & quare in hoc quarto ordine tria duo præcedant, meminimus. Tria igitur neceſſariò primùm B

Euchariſtia vt proſit nobis quid Deo offerendum. offerimus, vt ad panem ſanctum vitæ æternæ, & calicem ſalutis perpetuæ, ideſt ſacramentum altaris, dignè accedamus. In his enim duobus comprehenditur, & hæc quodam modo ſacramentum altaris complectitur. In primo ergo prudentia, in ſecundo fortitudo, in tertio iuſtitia, in quarto, ideſt altaris ſacramẽto, temperantia. Propterea dicebat Apoſtolus: Probet autem ſeipſum homo: id eſt in his

1. Cor. 11. & per hæc ſe præparet, & probando aptet, ſcilicet per munditiam caſtitatis, per virtutem & opera pietatis, & per rectitudinem intentionis. & ſic de pane illo edat & de calice bibat, ideſt ſic probatus, & ſic

Luc. 12. præparatus ad ſacramentum altaris accedat. Ideo Dominus in Euangelio: Sint lumbi veſtri præcincti, & lucernæ ardentes in manibus veſtris &c. Sint lumbi veſtri præcincti: ecce munditia caſtitatis, & lucernæ ardentes in manibus veſtris: ecce opera pietatis. & vos ſimiles hominibus expectantibus Dominum ſuum: ecce rectitudo intẽtionis. Hæc enim

Philip. 3. ſola verè expectat & lętificat, expectando lętificat, & lętificando expectat. Vnde Apoſtolus: Conuerſatio noſtra in cœlis eſt, quaſi dicat: Intentio noſtra recta eſt, & erecta ad gloriam Dei, & ad gaudia cœli. Vnde & Saluatorem expectamus &c. vt cum venerit, & pulſauerit, confeſtim aperiamus ei. Ecce D ſacramentum altaris. In hoc enim verè Saluator venit etiam per præſentiam corporis. Pulſat, cum fidem interrogat: interrogat, vt diſcernat: interrogat, vt probet, & reprobet: probet fidelem, reprobet

Pſal. 10. infidelem. Dominus enim interrogat iuſtum, & impium. Nonne interrogabat fidem, quando de

Ioan. 6. corpore & ſanguine ſuo dicebat: Niſi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius ſanguinem, non habebitis vitam in vobis? Nonne interrogando diſcernebat, diſcernendo probabat & reprobabat, quando duodecim remanentibus multi

Ioan. 6. abierunt retro, dicentes: Durus eſt hic ſermo. Et verè tum eum venientem fide integra & deuota ſuſci E pimus. Vel ideo quinq, cruces facimus: quia quinque offerimus, pro quinque rogamus, & quinque petimus. Pro quinque rogamus. Primo generali-

Sacerdos pro quibus in miſſa oret. ter pro fidelibus viuis omnibus. Secundo pro altaris comparticipibus. Tertio pro defunctis familiaribus. Quarto generaliter pro omnibus. Quinto pro nobis peccatoribus. Generaliter pro viuis om-

Dubiũ cum ſua ſolutione. nibus, vbi dicimus: Supra quæ propicio & cætera. Sed quid eſt, ſupra quæ, cum potius ſupra quem, ideſt ſupra Chriſtum: videatur eſſe dicendum? Eſt itaque ſic intelligendum, ſupra quæ, ideſt ſupra cuius membra, vel ſupra cuius dona. Pro altaris com participibus, vbi dicimus: Vt quotquot ex hac altaris participatione & cętera. Pro defunctis familiaribus, vbi dicimus: Memento Domine famulorũ famularumque tuarum, qui nos præceſſerunt, & cętera. Generaliter pro omnibus fidelibus defunctis, vbi dicimus: Ipſis & omnibus in Chriſto quieſcentibus, & cætera. Pro nobis peccatoribus, vbi dicimus: Nobis quoque peccatoribus famulis tuis de multitudine miſerationum tuarum ſperantibus partem aliquam &c. Quinque petimus, duo ſcilicet nobis viuis, & tria fidelibus defunctis. Quinque petita, quæ nã. Duo nobis, primo ſcilicet vt omni benedictione cœleſti & gratia repleamur, ſecundo vt intra ſanctorum conſortium admitti mereamur. Tria fidelibus defunctis, ſcilicet refrigerij ſedem, quietis beatitudinem, & luminis claritatem. quod eſt ibi: Locum refrigerij, lucis & pacis, vt indulgeas, deprecamur. Quinquies ergo crucem facimus, per cuius virtutem & amorem & obtinemus, quę offerimus, & exaudimur, pro quibus rogamus, & quæ petimus, impetramus.

De quinto Ordine Canonis. Cap. 7.

C IN quinto ordine, vt petitionum noſtrarum conſequamur efficaciam, captamus beneuolentiam: vtramque commẽdamus perſonam, Patris ſcilicet, & Spiritus ſancti. Patris commendamus perſonam Patris charitas ineffabilis. per ineffabilem charitatem, vbi dicimus: Per quem hæc omnia Domine ſemper bona creas, &c. Spiritus ſancti perſonam per mirabilem ſcientię profunditatem, quia ita ordinauit canonem, vt ad verbum creationis non faciamus ſignum crucis, ad tria ſequentia faciamus: Sanctificas, viuificas, benedicis. Et quare? hæc eſt cauſa, quia humana natura ex ſtatu primæ conditionis, nec habuit profectum virtutis, nec ſtabilitatem beatitudinis. Ex prima quidem creatione pollebat naturali ratione, gaudebat D arbitrij libertate: per ſe autem nec poterat ſtare, nec proficere, ſine gratia adiutrice, & ſine crucis virtute. Ex ſe ergo labilis & caduca, ex virtute autem ſanctæ crucis, & gratiæ adiutricis ſtabilis efficitur, & beata. Propterea ad primum verbum creationis non facimus ſignum crucis, ad tria ſequentia facimus. Sanctificas fide, & ſpe, & remiſsione peccatorum: viuificas ſacramentis fidei, & virtute bonorũ operum: benedicis plenitudine gratiarum, & conſummatione bonorum. Ideo ergo ter crucem facimus: quia per eius virtutem, & amorem hæc tria obtinemus, quibus ſuper omnia indigemus. Perſo- Chriſti potẽtias quadruplex. nam filij per multiplicem, ideſt quadripertitam poE teſtatem commendamus, oſtendentes eum primo Deum naturæ, ſecundo largitorem veniæ, tertio Dominum virtutis, & gratiæ, & fontem vitæ; quarto regem gloriæ. vnde ſcriptum eſt: Dominus virtutũ ipſe eſt rex gloriæ. Prima poteſtas eſt, qua poteſt omnia de nihilo creare: ſecũda, qua poteſt peccata dimittere: tertia, qua poteſt gratiam & virtutẽ augere: quarta, qua poteſt emundatos, & gloria & beatitudine coronare. Per quem hæc omnia Domine ſemper bona creas, ecce Deus naturę: Sanctificas, ecce largitor veniæ: Viuificas, ecce fons vitę, & Pſal. 23.

& Dominus virtutis & gratiæ: Benedicis, ecce A Rex & corona æternæ gloriæ.

De ſexto ordine Canonis. Cap. 8.

IN ſexto ordine per eum, qui venit in ſexta ætate, & per virtutem Crucis eius iam plenius omnem veritatem cognoſcimus, & per eundem patrem honoramus & glorificamus. vnde maiori ſumpta fiducia & audacia, vt ad ſummam pacis pertingamus, omnium petitionum ſummam in breui colligimus, dicentes: Pater noſter, &c. Quinque cruces facimus, vt per virtutem & amorem ſanctæ Crucis quinque gradus in cognitione veritatis aſcendamus, ſine quibus ſalui eſſe non poſſumus. Non quòd gradus ſint aliqui in Trinitate deitatis vel deitate Trinitatis, ſed in eius fide & dilectione. vnde Fidei gradus quinque. Apoſtolus: Ex fide in fidem. Primus gradus fidei eſt æternitas Filij cum Patre, ſecundus gradus æqualitas, tertius gradus vnitas eiuſdem ſubſtantiæ, quartus idem modus vtriuſque exiſtendi, quintus vnitas Spiritus ſancti cum vtroque, ideſt cum Filio & Patre.

Et notandum, quòd in hoc ordine oratio Dominica continetur: vnde & tres quæſtiones rationabiles in hoc ordine oriuntur. Prima videlicet, quare in crucibus faciendis tanta diuerſitas oſtenditur. Secunda, quare corpus Domini integrum in eiſdem crucibus faciendis manu teneatur. Tertia, quare in hoc ordine potius quàm in alijs oratio Dominica contineatur. Notandum: Notandum eſt etiam, quòd alia per ea quæ fiunt intelliguntur: alia per ea quæ dicuntur. Sed Quare i cru cibus facien dis tanta diuerſitas oſtẽ datur. quæ diuerſitas in crucibus oſtenditur? Prima quidem crux ex vtraque parte vltra calicem protenditur, ſecunda calici coæquatur, tertia infra D calicem coarctatur, quarta eadem eſt cum prima, quinta ante calicem depingitur? In prima ergo cruce æternitas filij intelligitur cum Patre, in ſecunda æqualitas, in tertia vnitas internæ, & eiuſdem ſubſtantiæ, in quarta idem modus exiſtendi vtriuſque, & ante mundi conſtitutionem, & poſt mundi conſummationem. Vnde Eſa. 60. de Seraphim legitur, quòd duabus alis velabant caput, & duabus pedes, & duabus volabant. In capite principium, in pedibus finis. Quid enim fuit ante mundi conſtitutionem, vel quid futurum ſit poſt mundi conſummationem, occultum Notandũ de ſeraphim apud Eſaiã. eſt & velatum. Duabus alis volabant, ideſt ad E notitiam hominum deferebant, quæ in medio ad ſalutem hominum pertinebant. In quinta cruce intelligitur vnitas Spiritus ſancti cum Patre & Filio. In eo verò quòd dicitur per ipſum, intelligitur creatio. In eo quòd dicitur cum ipſo, operatio. In eo quòd dicitur in ipſo, conſummatio. Per Filium enim Pater creauit vniuerſa, cum Filio operatur, & Filius cum eo, regendo, & diſponendo creata. vnde in Euangelio: Pater meus Ioan. 5. vſque modò operatur: & ego operor. Denique 1. Cor. 15. in ipſo conſummabuntur omnia. Poſt mundi verò conſummationem, cum tradiderit regnum Deo patri, & ſubiectus erit ei, qui ſibi ſubiecit omnia: & cum perfectè cognoſcetur ab omnibus Spiritus ſancti perſona, & natura, tunc per Filium erit Deo patri omnis honor & gloria. In creatione autem rerum, & in operatione eſt quidem Deo patri per Filium honor & gloria, ſed non omnis, donec per conſummationem ſicut à Patre ad Filium, ſic à Filio hæreditas reuertatur ad Patrem. Propterea quinta crux quando in virtute Spiritus ſancti dicitur, ante calicem depingitur, ideſt in oculis omnium manifeſtatur: poſt mundi enim conſummationem, non tantum quoB modo Filius ſit vnum cum Patre, verùm etiam quomodo Spiritus ſanctus ſit vnum cũ vtroque, & procedat ab vtroque, plenè ab omnibus iuſtis cognoſcetur: ſicut ſcriptum eſt: Cognoſcent me Hier. 31. omnes à minimo vſque ad maximum. Propterea omnis honor & gloria differtur vſque in vltimum. Ideo ergo quinque cruces facimus, vt per virtutem ſanctæ Crucis ad iſtam quinque partitam cognitionem veritatis pertingamus. Prima quæſtio, quare ſcilicet tanta diuerſitas in crucibus faciendis oſtenditur, in prædictis ſoluta terminatur. Cæteræ duæ quæſtiones reſtant ſoluendæ. Solutio ſecundæ quæſtionis. In ſexta ætate C Quare corpus Domini integrum in eiſdem crucibus faciendis manu teneatur. Dominus Ieſus integer & perfectus homo apparuit, & ſeipſum integrum atque perfectum exhibuit, & pro nobis obtulit: ideo in ſexto ordine eum integra manu tenemus, ideſt fide integra, & opere perfecto imitari debemus: & ſic cruces facimus, ideſt eius paſsionibus communicamus. Quare i hoc ſexto canonis ordine potius quàm in alijs oratio dominicalis contineatur. Solutio tertiæ quæſtionis. In ſexta ætate Dominus Ieſus veniens orationem Dominicam ordinauit, & docuit: & ideo in ſexto ordine conuenientius, quàm in aliis ponenda fuit.

De ſeptimo ordine Canonis. Cap. 9.

SEptimus ordo à pace incipit, & ad pacem tendit. Tria de dilectione Creatoris requiruntur.

Mens, manus, & lingua, hæc eadem in hoc operantur. Lingua format vocem, manus pingit crucem, mens mouet vtrunque, ideſt linguam ad formandum vocem, & manum ad pingendum crucem. Hæc igitur tria ſunt neceſſaria, ideſt vox orationis, & virtus ſanctæ Crucis, & fides mentis, vt pertingamus ad ſummam pacis. Pax Domini ſit ſemper vobiſcum. Non omnis pax eſt Domini pax. Eſt enim pax inordinata, eſt pax ſimulata, eſt pax inquinata, & pax ſcelerata. Pax inordinata, pax ſuperborum, qui contempto ſuperiore obediunt inferiori, ſicut Adam vxori, & ideo ſeipſum ſuperiorem, & inferiorem perdidit. Secundus verò Adam maluit obedire Deo patri quàm ſynagogæ matri, & ideo ſeipſum recepit cum à mortuis reſurrexit, & patrem ſeruauit, & matrem in fine recipiet. Cui ſynagogæ matri compatiendo Patri dicebat: Pater ſi fieri poteſt, tranſeat à Matth. 26. me calix iſte. Non tamen paſsionem timebat, vel ſubterfugere volebat, ſed quia ſynagogam ex ſua paſsione perituram ſciebat, affectu pietatis condolebat. Paſsionem timebat, vel ſubterfugere volebat, ſed quia ſynagogam ex ſua paſsione perituram ſciebat, affectu pietatis condolebat. Pacis fruitionem quemodo quis cõſequatur. Chriſtiin ſynagogã pietas.

lebat. Pax simulata est proditorum, qui ore & non corde loquuntur. Pax inquinata fornicatorum, & adulterorum. Pax scelerata rebellium, & schismaticorũ, qui vniuersaliter Ecclesiæ auctoritati resistunt, & contradicunt. Vnde Samuel. Peccatum ariolandi est repugnare: & quasi scelus idololatriæ nolle acquiescere.

Auctoritates, sine quibus nihil est tenẽdũ, tres quæ nã sint.

¶ Augustinus tres auctoritates ponit, primam sanctarum scripturarum, secundam generalium conciliorum, tertiam vniuersalis Ecclesiæ consuetudinem, dicens: Omnia, quæ nulla istarum auctoritate róborata sunt, ab Ecclesia penitus resecanda existimo. Pax autem Domini ordinata est, quæ ordinem diligit: vera est, quæ neminem fallit: munda est, quæ omnia inquinamenta refugit: pudica, & æterna est, quæ litem, & finem nescit.

¶ In ordine multæ quæstiones oriuntur, quæ Spiritu sancto reuelante soluuntur. Prima quæstio, quare tres cruces secundum consuetudinem Ecclesiæ fiant. Secunda, quare duæ secundum quandam rationem fidei sufficiant. Tertia, quare cruces istæ non supra, vel extra calicem, sed tantum intus in calice fiant. Quarta est, quare tertia particula Dominici corporis manu teneatur in crucibus faciendis. Quinta, quare eadem particula factis crucibus in calicem descendat. Sexta, quare duæ partes extra calicem remaneant. Septima, quando dicitur Agnus Dei, cum duobus primis sit conuenientia, quare in tertio sit differentia dicendo: dona nobis pacem. Solutio primæ quæstionis. Tres vitæ sunt humanæ naturæ, prima animæ simul cum corpore, secunda animæ relicto corpore. Tertia animę resumpto corpore, quæ erit in resurrectione. In prima vita pax est necessaria, quæ longè faciat à crimine. In secunda pax est necessaria, quæ longe faciat à terrore: vnde in exequijs mortuorum dicitur. Non pœnalis timor excruciet, non reorum proxima catena constringat, &c. In tertia vita pax est necessaria, quæ longè faciat ab vtroque, ideſt à crimine & terrore, consummata gloria & beatitudine. Ideò ergo tres cruces facimus, vt per virtutem Crucis ad istam triplicem pacem pertingamus. Ideò etiam semper dicimus, ideſt in hac triplici vita pacem aliis imploramus. Solutio secundæ quæstionis. Nulla natura redimenda erat, vel ad pacem reducenda. nisi solius hominis corpus & anima, propterea secundum hanc rationem fidei duplex crux solummodo videtur esse facienda. Solutio tertiæ quæstionis. In septima ætate, quæ excipietur ab octaua pace consummata. non erit vndè exterius sit dolendum, sed vndè potius sit interius gaudendum. Propterea cruces non extra, sed intus in calice fiunt. Solutio quartæ quæstionis. Tertia pars Dominici corporis, quam manu tenemus cum cruces facimus, pars illa est Ecclesiæ, quæ in exultatione est, & gaudet cum Christo in æterna beatitudine. hanc ergo, ideſt Sanctos, manu tenere, ideſt fide & opere imitari debemus, vt hi cruces faciamus, ideſt passionibus Christi communicemus. Solutio quintæ quæstionis. Calix Domini, qui laborem significat, & imitationem Dominicæ passionis, habet suum interius, & suum exterius: exterius pressuram & tribulationem, interius gaudium & consolationem. Vnde Dominus in Euangelio: Hæc locutus sum vobis, vt in me pacem habeatis, In mundo pressuram habebitis. vnde Esaias: Secretum meum mihi. & Dauid: Quàm magna multitudo dulcedinis tuæ Domine, quam abscondisti timentibus te. & iterum: Secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo, consolationes tuæ lætificauerunt animam. Illud secretum gaudij & consolationis, & illud absconditum dulcedinis, interius est calicis. Propterea ergo illa tertia particula Dominici corporis descendit in calicem, quia post laborem cum Christo in æternum, & æternam recipiet requiem. Vnde in Euangelio. Iam pueri mei mecum sunt in cubili, non possum surgere, & dare tibi. Solutio sextæ quæstionis. Duæ partes Dominici corporis, quæ extra calicem remanent, duæ sunt partes Ecclesiæ, pars in peregrinatione, & pars in expectatione. Quia ergo istæ duæ partes laboribus pænitentialibus subiacent, & adhuc expectant & desiderant, nec desideratam habent requiem, propterea illæ duæ partes Dominici corporis extra calicem remanent. Solutio septimæ quæstionis. Tria sunt tempora: duo sunt misericordiæ, tertium erit pacis & iustitiæ. Quia ergo in tempore peregrinationis & in tempore expectationis speratur, & expectatur misericordia, in tempore verò resurrectionis pax consummabitur atque iustitia, propterea quando dicitur: Agnus Dei, in duobus primis est conuenientia, in tertio est differentia.

Ioan. 16.
Esa. 24.
Psal. 30.
Psalm. 93.

Quare tres cruces secundum Ecclesiæ consuetudinem fiant.
Quare duæ cruces secundum quandã fidei rationẽ sufficiant.
Quare cruces istæ tres nõ supra, vel extra calicẽ, sed tantũ intus in calice fiant.
Quare in his crucibus faciendis particula dominici corporis manu teneatur.
Quare eadẽ particula factis crucibus in calicẽ descendat.
Quare duę partes extra calicẽ remaneant.
Quando dicitur Agnus Dei quare in tertio fit differẽtia dicẽdo, dona nobis pacem.

De tribus ordinibus Sanctorum in Canone positorum. Cap. 10.

DEnique diligenter attendendum est, & vigilanti inquisitione perquirendum, quare in canone tres ponantur ordines Sanctorum. Tres videlicet Sancti de omnibus partibus, qui fuerunt ante legem, Abel, Abraham, & Melchisedech: noui vero Testamenti plures, ideſt vigintiquinque, & maioris auctoritatis ante consecrationem pauciores verò, ideſt quindecim, & minoris auctoritatis post consecrationem. Tres prædicti tantum de omnibus patribus, qui fuerunt ante legem, idcirco præcipuè ponuntur in canone: quia in istorum personis & sacrificijs, persona & sacrificium Christi maximè præfigurabatur. Abel enim agnũ de grege obtulit, & per inuidiam à fratre occisus fuit. Abraham per obedientiam de terra & cognatione sua exiit, & vnicum filium obtulit Melchisedech, qui Rex pacificus, & iustitiæ dicitur, sine patre sine matre, assimilatus filio Dei manet sacerdos in perpetuum, & in figura Christi obtulit Abrahæ panem & vinũ. Noui Testamenti plures, ideſt quinquies quinque, & maioris auctoritatis ideo ponuntur Sancti ante cõsecrationẽ: quia vt dignè officio, & ministerio nostro res mirabiliter fiat, ideſt substantia panis & vini in verum corpus Christi & sanguinem transeat, pluribus & maioribus auxilijs indigemus, & quinquies sensuum perfectione multiplicandi, & consummandi sumus. Post consecrationem pauciores, i deſt quindecim, & minoris auctoritatis ideo ordinantur Sancti, vt eorum meritis & precibus quindecim gradibus charitatis ascendamus, & vniti in Sanctorum consortium transeamus. Multo quidem mirabilius & maius est substantiam panis & vini verum corpus & sanguinem Christi fieri, quàm nos in Sanctorum consortium admitti. Idcircò per Abel vera innocentia, per Abraham vera & perfecta obedientia, per Melchisedech fides designatur deuota & integra. Istæ tres virtutes veraciter in illis redolent, qui omnipotenti Deo corporis & sanguinis Christi sacrificium fideliter immolant. Sancti patres magna, subtiliquè consideratione instituerunt, vt in canone Missæ nullus Confessorum vel Virginum, nisi qui martyrio sanguinis purgatus est, nominetur: quoniam de martyribus nulla dubietas est, quin statim de corporibus egredientes eorum animæ regnum cælorum conscenderint. De cæteris autem, qui in pace Ecclesiæ transierunt, incertum est vtrum adhuc in alia vita aliquid expiandum habeant. Sicut de Paschasio diacono refert Beatus Gregorius, quod & post mortem miracula fecerit, & tamen à sancto Germano pænitentiam agens repertus sit pro leuissima culpa, quam nec culpam esse credidit, & ideo fletibus non extinxit. Salutari hostia post mortem liberari merebimur, si ante mortem Deo ipsi hostia fuerimus.

Sancti in canone nominati.
Gen. 4.
Gen. 12.
Gen. 22.

Abel, Abraham, & Melchisedech mysticè qd.

FINIS.

Universidad de Deusto
Biblioteca

INDEX LOCVPLETISSIMVS IN OMNES DE ECCLESIASTICIS OFFICIIS COMMENTARIOS QVI IN HOC VOLVMINE CONTINENTVR.

IN QVO PAGINAS PER LITTERAS IN MEDIO appositas A, B, C, D, E, *vt primæ & secundæ Columnæ deseruiant, expressimus.*

A

Aaron cur primus sacerdos nominetur, cum ante eum alij fuerint. pagina 60.c.d
Abel Abraham & Melchisedec mystice, quid. 774
Abigail ad Dauid orando præueniens, typum gessit Ecclesię in sacrificio altaris. 478.c
Abraham primus, Ioseph nouissimus in linea Christi. 498.c
Abraham absque baptismo Christi cælum ingredi non potuit. 550.c
Accidentia in Deum non cadunt. 607.b
Acedia quid. 42.2
Acephali clerici. 61.e
Acolyti cerophorarij dicti. 138.c
Acolyti & vnde sic dicti. 60.a.61.b.168.e
Acolyti scribas repræsentant. 159.e
Acolytorum officium. 412.d
Acolytorum quod munus sit in confectione chrismatis. 102.a
Acolyti cereos in manibus tenent in Missæ introitu. 154.a. *quando deponant, & quomodo collocent.* 68.a
Actio quæ Missæ pars, & cur sic vocetur. 348.b
Actiuæ & contemplatiuæ vitæ bona, quæ. 767
Actores olim qui nunc in Ecclesia exorcistæ. 21.d
Adam Christi figura quasi fuit. 407.e
Adam in quas nos miserias pertraxerat, ex eis nos exemit Christus. 99.b.c
Adæ primi & secundi comparatio. 110.a
Adam secundus obdormiuit in cruce. 169.d
Adam incidit in latrones, descendens de Hierusalem in Hiericò. 550.d
Adam genuit filios & filias ad imaginem suam. pag. 550.d
Adæ filij iuste damnati & exules. 551.d
Adoratio Deo, non creaturæ, conuenit. 108.d
De Aduentu Domini sermo. 438.a
Aduentus Domini duplex. 438.b. *& alterius cum altero per antitheſin collatio.* 438.e
De Aduentu Domini scripsit Berno ad Aribonem archiepiscopum. 365.b
In Aduentu Esaias cur legatur. 260.e
De Aduentu Domini, & hebdomadarum numero. 177.e
Aduentus Domini quando inchoetur. 210.a. 653.b
Aduentus Domini Dominicos dies aliter Lectionarius, aliter computat Sacramentarius. 361.b
In Aduentu Domini diuinorum officiorũ ratio. 653
Aduentus Dominica prima quodnam legendum Euangelium. 396.b
In Aduentu ecclesiasticæ obseruationes. 395.e. *atq; de diuinis per aduentum officiis.* Ibid.
Aduentus Domini officia nocturnalia: 233.a
In Aduentu quando historia, Clama, canẽda. 396.e
Aduentus quarta hebdomada ad laudes propriας antiphonas in psalmis habet. 177.d
Aduentus vltima hebdomada Responsoria & Antiphonæ. 211.b
In Aduentu Gloria in excelsis & Dalmaticæ non vsurpata antiquitus. 211.e.400.e. *quando tum dici possit.* 653.b
Aduentus & Quadragesima quænam tempora insinuent. 760
Aduentus Domini quatuor complectens Dominicas. 487.b
Aduentus Dominica prima, primum Christi aduentum celebrat. 488.b
Aduentus Christi secundus, sicut fur in nocte. 558.e
Aduentus ille tremefaciet terrenos, sicut angelus milites circa sepulchrum. 559.c
Adulteram vir tenere minimè debet. 27.c
Aedes & ædificia vnde dicta. 335.b

Universidad de Deusto
Biblioteca

Ægypti rex diaboli typum gessit. 496.d
Ætas prima ecclesiæ in Adam, qui reparationis suæ oraculum accepit. 505.c
Ætas Christi in mysterinm Trinitatis est annorum. pag. 558.e
Affinitatis genera tria. 740
Agendas mortuorum non vt cætera officia auspicamur. 351.a
Agon & passio Domini pendentis in cruce spirat in Missa. 481.b
Agnus Dei. 79.d
Agnus Dei a clero & populo cantari quis statuerit. pag. 67.c.174.d.348.e.388.d
Agnus Dei reticetur in Missa nocte Paschali. 56.a
Agnus Dei quando dicitur, quare in tertio fit differentia dicendo, Dona nobis pacem. 774
Agni ex cera & oleo sabbato sancto fusi in octauis Paschæ in Romana Ecclesia distribuuntur. pagina 52.e.110.e
Agnus Dei in Missa, memoria est ascensionis Dominicæ. 482.b
Agnus Christus diabolum vicit, non lex aut decem præcepta decalogi. 521.b
Albati vocantur baptizati. 56.c.121.d
Albarum vestium mysterium Caroli Magni hortatu explicuerunt suæ ætatis Archiepiscopi. 121.c
Albæ baptizatorum vestes quid significent. pagina 54.a.121.410.b.451.a
Albas vestes baptizati per septem dies gestant. pag. 121.d.295.d
Albis quando se exuant baptizati. 251.e
Albatorum vestes post octo illos dies non rectè induent qui se peccatis fœdarunt. 122.b
Alba seu podèris. 65.a
Alba, sacerdotalis vestis. 63.b
Alba larga in noua lege, in veteri stricta. 143.c
Albam sine casula portat lector seu cantor, cùm legunt, cantantq;. 159.a
Alba, vestis longa & stricta, longè aliud quàm tunicæ pelliceæ primorum parentum significat. pag. 407.e
Albæ affixa sursum lingua, cælestem Christi doctrinam significat. Ibid.
Albini liber de Diuinis officiis. 32.a
Albini ad Carolum Magnum epistola. 82
Albinus magister Caroli Magni Missales orationes de S. Trinitate composuit. 405.d
Albinus Gregorij sacramentarium locupletauit & purgauit. 405.d
Albinum doctissimum magistrum istius regionis nominat Amalarius. 255.e
Albinum audiuit Amalarius. 257.e
Albinus se Callias incolere significat. 64.d
Albino quidam male adscribunt quòd auctor sit, vt toto Paschali tempore tres semper Psalmi ad nocturnum officium dicantur. 643.b.c
Allegoria de seruo Abrahæ quærente sponsam filio domini sui. 552.b
Allegoria de exploratoribus terræ, botrum portantibus. 567.c
Allegoria de osculo inter sponsum & sponsam. pag. 593.b
Alleluia quid. 5.d.204.c.279.b
Alleluia quid, vndè ortum, & in Missa quando & cur canatur. 69.c
Alleluia cuius rei significandæ causa canatur, pag. 158.b
Alleluia contemplatiua vita designatur. 126.e
Alleluia & tractus quid differant. 129.c
Alleluia & Amen, in aliam linguam cur non transferantur. 5e
Alleluia quibus temporibus Afri & quibus Hispani canant. 5.a
Alleluia post Psalmorum siue lectionum consummata prædicationem cur canatur. 5.e
Alleluia quando intermittatur, & quando frequentetur. 156.d.420.d
Alleluia duo cur cantentur sabbato ante octauas Paschæ. 38.a
Alleluia in vesperis Paschalibus. 251.d
Alleluia duo quando & cur canantur. 124.d
Alleluia quot ad Missam infra Pascha & Pentecosten sint cantanda. 403.c
Alleluia duo habet sabbatum in Albis. 56.d.& Dominici dies vsque in Pentecosten. Ibid.
Alleluia cur Responsorio, Hymnum canite nobis, sit appositum. 253.e
Alleluia in vespertinali septuagesimæ & nocturnali officio frequentatur. 190.d
Alleluia in 3. noctur. antiphonis. 211.e.215.e.226.c
Cum alleluia tres nouissimi Psalmi in nocturno Dominicali canuntur. 193.d
Alleluia in quorum festorum tertij nocturni antiphonis non sit. 238.c
Alleluia non habent antiphonæ tertij nocturni, in vigilia prima natiuitatis Christi. 238.c
Alleluia ad psalmos in matutinis in qaibusdam festis canitur, Benedicite excepto. 255.e
Alleluia extra Pentecosten tempora ad Missam an dicendũ, & vnde hæc sumpta consuetudo. 205.d
Alleluia ad cæteros psalmos in matutinali officio, licet dicimus, ad Benedicite tamen non dicimus, pag. 195.c
Alleluia in Missa de Innocentibus non canitur. pag. 132.c
Alleluia in tertij nocturni & matutinalibus officiis cur non sit in festo Ioannis Baptistæ. 256.d
Alleluia retinetur in Missa pro mortuis. 179.a
Alleluia in vigiliis sanctorum intermittitur. 52.d
Alleluia in Septuagesima suspenditur. 36.d.38.b.ie iunij tempore intermittitur. 52.d
Alleluia in sabbato ad vesperam in Septuagesima dimittendum. 399.a
Alleluia est quoddam gaudij stillicidium de supernæ Hierusalem diuitiis. 474.b
Alleluia significat æternum angelorũ & electorum conuiuium. 474.b
Alleluia cur tẽpore Paschali magis frequen. 474.c
Alleluia post graduale canitur, quia iubileus quidã est consolationis futuræ. 474.d
Alleluia non omnis laus Dei dicitur, sed Christus, deinde etiam Ecclesia. 504.c
Cum Alleluia responsoria nisi Paschali tempore non dicenda. 647.c

S. Almachius kalendis Ianuarij martyrio coronatur. 34.c
Altarium origo. 333.a
Altare cur sic dictum. 335.d
Altare quid mysticè significet. 105.b.107.d
Altare quid repræsentet. 164.e.170.c
Altaria duo in lege, duo item sacrificia Euangelij designabant. 166.a
Altarium consecratio quomodo fiat. 298.e
Altaria vngenda & benedicenda. 338.d
Altaria non semper Orientem respiciunt, quamuis sic frequentiùs extruantur, & conuenientiùs. pag. 334.b
Altaria lauantur in cœna Domini. 10.e.47.e
Altaria in cœna Domini cur nudentur. 48.c
Altaria nuda à quinta feria vsque in sabbatum Paschæ. 105.d
Altare cur osculentur diaconi. 113.c.& episcopi. Ibidem.
Altare accedere quibus sit licitum. 162.d
Altare sacrificij Missæ, sacrarium est propiciationis. 469.d
Altare signum visibile fidei. 484.d
Altare præminet in templo, sicut Christus in corpore ecclesiæ. 535.b
Altaria cur vino & aqua lauantur tempore passionis Domini. 536.c
Altaris septenaria circuitio. 733
Altare cur in Ecclesia eminẽtiori loco paretur. 769
Amalarius Albinum Magistrum puer audiuit. pag. 255.e.257.e
Amalarij intentio & propositum. 89.c
Amalarius Romam missus à Ludouico ad Antiphonarios inquirendos. 223.c
Amalarius Romam venit anno Domini DCCCXXXI. 255.d. Constantinopoli fuit. 241.b
Amalarius in dubiis Romanum archidiaconum cõsuluit. 109.d
Amalarius Antiphonarium ex multis conscribit, in versibus adiuuatur ab Elisagaro. 224.c
Amalarius antiphonas festiuitatibus aptas, ipse componit, & cum suis fratribus in choro canit. pag. 243.b
Amalarius diligens obseruator & inspector diuinorum officiorum. 124.d.361.d.367.b
Amalarius non consuetudinem instituere, sed de institutа figuram elicere consueuit. 393.a
Amalarij supputatio de quatuordecim hebdomadis inter ieiunium quatuor temporum Martij et Iunij, non subsistit. 392.d
Amalarius citatus à Radulpho. 639.b
Aman affectans adorari, diaboli typum gessit. pag. 513.c.257.d
Ambo vnde dicatur. 336.a
Ambrosiani multi hymni dicuntur, qui eius minime sunt. 350.d
S. Ambrosij vita citata. 247.a
Ambrosius antiphonarum cantum à Græcis ad Latinos transtulit. 646.c
Ambrosianum officium qualem cantũ habeat. Ibid.
Ambrosianum officium quomodo psalmos distributos habeat. 641.e
Ambrosianum officium quot lectionibus nocturnas peragat. 650.d
Ambrosius hymnos scripsit, qui Ambrosiani dicti. 2.a.300.e. & primus apud Latinos antiphonas constituit. 3.b
Ambrosianum officium quo loco hymnos canter. pag. 648.d.649.a
Ambrosianum officium quomodo appellet antiphonas. 646.c.& responsoria in Missa. Ibid.
Ambrosianum officium. 643.e. 647.a.d.646.c.650.c.d.652.a.653.b.655.d. 656.d.662.a.664.a.
Amen signaculum est orationis. 78.a
Amen confirmatio est precis. 155.c
Amen, quid significet. 68.a.279.b. hac voce confirmat orationem sacerdotis populus. 161.a. 279.a.434.a.
Amictus. 143.a
Amictus nunc, quod in lege superhumerale. 63.d
Amictus caput sacerdotis obnubens, carnem Christi significat. 471.c.
Amor diuinus in seipso substantia est, in hominibus accidentale donum. 609.a
Ampullæ. 102.d
Anachoretæ monachi quales sint, describuntur. pag. 22.d
Anachoretæ quidam adulterini. 22.a
Analogium quid. 336.a
Anastasius. 60.a
Anastasiæ sanctæ & nobilis matronæ Romanæ passio. 500.e
Andreæ verba citata ab Iuone. 433.d
Angelorum natura. 202.c
Angelici spiritus cur militia vocentur. 71.e
Angelorum numerus imminutus ex animabus fidelium quotidie adimpletur. 49.d
Angeli in scala Iacob descendentes & ascendentes, quid significant. 498.c
Angeli etiam habent causam vt gratulentur super incarnatione verbi. 586.a
Angeli an in aduentu iudicis trement an non. pagina 588.e
Angeli dicuntur sancti prædicatores verbi Dei, & hi trement. Ibid.
Angelorum concentus. 690.e
Angeli quid offerunt. 691.d
Anglorum episcopus primus Augustinus. 219.e. Theodorus item Episcopus, Græce & Latine peritissimus. 219.e
Animæ origo incerta, diuinæ substantiæ non est pars, ad imaginem Dei qua ratione dicatur creata, corporea est. 29.b
Animæ immortalitas adstruitur. 429.b
Animæ defunctæ, vide Defunctæ.
Animalis vita in corpore Domini consecrato non adest, nec prodest. 479.b
Animalia in circuitu sedis Dei sunt catholici Doctores. 616.b
Animæ sanctorum in cælo iam nunc consolantur. pag. 510.b
Anima fidelis non solùm per verbum, sed & per Spiritũ sanctum concipit & impræguatur. 593.c

Universidad de Deusto
Biblioteca

Anima tanquam sponsi, quomodo allicitur in amorem Dei. 595.c
Anima arreptitij hominis non substantialiter recipit in se dæmonem. 596.b
Anima iusti, & angelus bonus tria habent in se, quæ sunt effigies Trinitatis diuinæ. 611.a
Anima verum Dei templum. 711
Anniuersarij dies defunctorum. 80.b.81.a
Anniuersaria dies pro defunctis cur repetatur. pag. 180.c
Ante Antichristi persecutionem Iudæi resipiscent. pag. 194.e
Annulum cur sponsus sponsæ det. 27. d. *cur quarto digito inferatur. Ibid. vnus antiquitus cur dari tantùm solitus. Ibid.e*
Annulum duas ob causas portat episcopus. 471. a
Annunciationis B. Mariæ festiuitas. 447.b
Annunciatio S. Mariæ vbi seruanda. 401.b.655.a
Annus Iubilæus apud Hebræos. 12.a
Annis in notandis non conueniunt Hebræi, & LXXII. Interpretes. 31.a.34.e
Anno bissextili quando S. Matthiæ seruanda Natiuitas. 400.c
Antiphona quid. 67.d.270.b
antiphonarum vsus vnde & à quo initium sumpserit. 189.d.350.b
antiphonas Græci primum composuerunt. 3. b. *in Latinam Ecclesiam Ambrosius introduxit. Ibid.*
antiphonatim angelos canentes vidit Ignatius. pag. 646.b
antiphona generale nomen ad quos se cantus extendat. 646.e
antiphonæ quemadmodum ad psalmos ordinatæ à D. Gregorio. 643.d
antiphona ad introitum Missæ, antiquorum patrum expectationem significat. 427.e
antiphonæ ante inchoatos psalmos imponendæ, etiàsi priuatim quis horas dicat. 644.a
antiphona vna ad minores horas tantùm dicitur. pag. 644.a
antiphonæ. 300.b
antiphona ad introitum. 67.d
antiphonæ tertij nocturni in festiuitate Ioannis Baptistæ, & in matutinis cur alleluia non habeant. pag. 256.b
antiphonæ quæ ab O incipiunt. 235.a. *ante hymnum B. Mariæ canuntur.* 235.b. *alio ordine in Romano antiphonario, quàm Metensi.* 236.a
antiphonarius Romana consuetudine loquendi quis sit liber. 233.c
antiphonarium generatim accipit Amalarius, vt etiam responsoria complectatur. 224.d
antiphonarium ex multis concinnat Amalarius. pag. 224.c
antiphonarium Romanum quo vsus est Amalarius, ab Adriano Papa ordinatum esse. 223.d
antiphonarius Metensis. 233.c
antiphonarium Adrianus ordinauit & reparauit. pag. 225.c
antiphonarij ordinator Gregorius. 358.a
antiphonarius diurnalis Gregorij. 393.b
antiphonarij in capite à quo sit ordinatus, indicatur. 347.e
antiphonarij auctor distinctione cantus aut ordinis, Sanctorum varium affectũ monstrare solet. 59.e
antiphonariorum magna diuersitas. 223.d
antiphonarius Amalarij, quo ordine responsorios communes de sanctis complectatur. 257.c
antiphonarij aliqui responsoria ad vesperas habent. pag. 190.a
antiphonarius Romanus à Gallis quo tempore sit receptus. 646.c
antiphonarius Romanus de quibus festis responsoria peculiaria, & antiphonas habeat. 647.b
antiphonarium Romanum sequuntur aliæ nationes fere in antipho. de tempore, de sanctis nequaquam. 646. e. *in ordine responsoriorum & versuum varietas est. Ibid.*
antiphonarij de sanctis ex eorum vita antiphonas habent. 644.d
In antiphonario, Canite tuba, proxima Dominica ante Natiuitatem. 396. e
antiphonarius. 46. b 48.d.89 e.132.a.177.e.210.b. 213.d.
antiphonæ quid exprimant. 712.713
Apis natura. 443.c
Apocalypsis Ioannis scripturæ sacræ liber vltimus tempore & ordine. 4.a
Apocryphi libri & Sanctorum vitæ. 644. c
Apostoli nomen quid significet. 17. c
Apostolorum quatuor genera. 17.e
Apostolos à Christo baptizatos, quàm à Ioanne verisimilius est. 207. b
Apostolis disponenda multa reliquit Christus. 175.e
Apostoli abinuicem discessuri, fidei symbolum condunt. 28.d
Apostolorum metus & silentium à Pascha vsq; ad Pentecosten. 469.c
Apostoli sunt cæli enarrantes gloriam Dei. 500.b
Apostoli post ablatum sponsum semper in fletu & ieiunio erant. 508.d
Apostolorum fuga & silentium significatur silentio campanarum & horarum regularium. 536.d
Apostoli quomodo dicuntur filij excussorum. 473.d
Apostoli octauo die Paschæ fuerunt iterum simul, nõ quidem in Hierusalem, sed in Galilæa in monte Nazareth. 561. e
Apostoli exploratores fidi & veraces. 567.d
Apostoli quoque ianuis clausis exierunt carcere. pag. 569.b
Apostoli quomodo dicti sunt os lampadis. 575.d
Apostoli viderunt Christum post resurrectionem eius die octauo in Nazareth in domo Mariæ. pag. 577.a
Apostoli post passionem Christi separati & electi erant. 579. d
Apostoli baptizati sunt in morte Christi, confirmati vero Spiritu sancto de cœlo. 590.a
Apostoli verè diuersis linguis & scripserunt & loquuti sunt. 598.c
Apostoli longè aliter quàm Babylonij turrim ædificauerunt. 599.b
Apostolicæ sedis traditio sequenda etiam cæteris est. 15.e

Aqua e latere Christi manans, lauacrum præstat & potum. 169. c
Aqua adspersionis in veteri lege emendationem baptismi præfigurabat. 410. a
Aquam adspergendis fidelibus quis benedici præceperit. 355.c
Aqua adspersionis omni Dominica benedicitur. pag. 400.e
Aquæ benedictio & cum sale commixtio. 303. a. e. *ius adspersio.* 399. e
Aqua benedicta in vnctione infirmorum. 79.c
Aqua vino miscenda in sacrificio Missæ. 69.e
Aqua cur vino admisceatur. 690.a
Aquam ad sacrificium quærunt & offerunt cantores. 67. b
Aqua, populus Christianus, frumento Christus in azymis denotatur. 485.c
Aqua ex latere Christi profluxit, prima fuit origo baptismatis. 536.c.541.e
Aqua illa cur sanguini sociari debuit. 541.c
Aquæ amaræ per lignum crucis potabiles factæ sunt. pag. 543.a
Aqua baptismi, fluuius Dei, lætificans ciuitatem. pag. 555.b
Aqua benedicta cur diebus Dominicis super populum aspergitur. 560.d
Aqua de templo egrediens a latere dextro, quomodo intelligitur. Ibid.
Aquilarum natura. 451e
Ara vnde dicta. 335.d
Arare spiritualiter. 687.c
Arca testamenti & Ecclesiam, & corpus Christi designat. 576.a
Archidiaconi eadem quæ diaconi consecratio. pagina 63.c. 141.d
Archidiaconi ceroferarium tradunt acolytis. 138.b *subdiaconis vrceolum.* e.
Archidiaconus calicem eleuat de altari, & inuoluit sudario, leuat cum sacerdote. 170. c
Archidiaconus duas oblatas offert pro se & diacono. 162.e
Archidiaconus Romanus. 110.d
Archiepiscopus cur sic dictus, & eius auctoritas. pag. 267.d
Archiepiscopus cur Metropolitanus vocetur. 267.b
Archiepiscopi à Romana sede pallium accipiunt. pag. 64.a.271.a
Archiepiscoporum origo & Patriarcharum differentia. 471.d
Archiepiscopus Remen. in Francia cur primatum obtinuit. 472. a
Archipresbyteri in episcopiis canonicorum curam gerebant. 356. d
Arithmeticæ cognitio iucunda & vtilis. 83.c
Arithmetica discenda his qui ad scripturæ notitiam venire volunt. 321.a
Arius satue contumeliosus Deo, negans ei generare sibi simile, quod Deus creaturis concessit. 610.a
Arius animalis homo, defluxionem ex carnali generatione fingens. Ibid.
Ars humana potest sine defluxione sui communicari, quanto magis ars & sapientia Dei sine paternæ substantiæ defluxione nata est. Ibid.
Aromata cur sic dicta. 101.b
Arundo in manu Domini quid mystice designat. pag. 540.e
Asina seu pullus asinæ genus humanum significat. pag. 488.b
Ascensionis Domini dies cur celebris. 12.6 57. d. 295. c.
Ascensionis festi nocturnale officium. 254 b. 656.b
De Ascensione Responsorios per 10. *dies cantabat Ecclesia cui Amalarius præfuit.* 251.c
Ascensionem præcedens ieiunium triduanum. 295.e
Astronomia. 322.c
Auaritia quæ vitia procreet, & quo pacto vincatur. 42.b
Auctoritates tres sine quibus nihil est tenendum. pag. 773
Auditores verbi, & non factores cui assimilantur. pag. 584.a
August. à Gregorio missus, primus Anglorum archiepiscopus Cantuariensis. 472.b
Augustinus de miraculo quod Petroniæ contigit. pag. 568.a
August. de vij. gradibus cognitionis Dei per vij. spiritus Domini. 569.d
S. Augustini vita citatur. 207.a
Aurum & argentum in templis quomodo gratum Deo est. 485.b
Auster quid mystice in scripturis significet, 61.b
Azyma tam ex Euangelio, quàm ex legali auctoritate profecta sunt. 484.c
Azyma non sunt abolenda, quia optimam habent significationem. Ibid.

B

Babylon diaboli ciuitas. 90. d
Babylonica populi Iudaici captiuitas. 37.b
Babylonica captiuitas quando plene relaxata. pag. 90.d.93.d
Baculi deponuntur de manibus cum Euangelium legitur. 160.b
Baculi sub Euangelio deponendi. 688.e. *& cur portantur. Ibid.*
Balteum 63.d
Balteus. 64.c
Balsamus quid designet. 121.a
Balsami & oleæ prærogatiua. 530.d
Balsamus cuius rei significandæ gratia adhibeatur chrismati. 101.b.130.d
Baptismi typi in veteri lege. 30.c. 419.a
Baptismi figura mare rubrum. 125.b.408.a
Baptismi cum vitro & crystallo similitudo. 121.a
Baptismus Ioannis alius à Christi baptismo. pagina 30.c.31.d. 352.d
Baptismus perfectus à Christo cœpit. 30.d
Baptismi tria genera, 30.e. 53.e
Baptismus sanguinis quo creditur baptizatus latro in cruce. 118.a.& *Christus. Ibid.*
Baptizari Christus cur voluerit. 34.e
Baptizatos Apostolos à Christo verisimile est. 38.a
Baptismus regis Christi character. 31. d

Universidad de Deusto
Biblioteca

Baptismus nisi in Trinitatis sacramento non rite peragitur. 30.c
Baptismum alij trina, alij vna mersione celebrant. 353. e. alij mersione, alij superfusione. Ibid.
Baptismus non iterandus. 24.c. 29.d.30.a.57.c.352.e.289.d.
Post baptismum peccata contracta pœnitentia remittuntur. 29.d.30.c
Rebaptizari hæretici non debent in Trinitatis sacramento rite baptizati. 31.c
Baptismus omnibus necessarius. 442.c
Baptizandi paruuli vtpote originalis peccati rei. pag. 353.e
Baptizantur paruuli alio protestante, vt muti, surdi, infirmi. 31.a.408.c
Baptizati paruuli fide aliorum saluantur. 115.a. 272.e.57.b. ni baptizentur, à regno Dei extorres erunt, eos patrini & matrini in fide & moribus instruant. Ibid.
Baptizati patribus spiritualibus commendantur, vt hoc eis præstent quod à presbyteris præbendum erat. 122.c
Baptizandi ægroti qui iam loqui non possunt. 354.c
Baptizandi mortui non sunt. 354.d
Baptizari quidam pro mortuis ante baptismum defunctis Apostolorum temporibus voluerunt. Ibidem.
Baptismus in paruulis originis, in natu maioribus & has & actuales noxas purgat. 30.e
Baptismus nos mortis temporalis pœna non eximit. pag. 31.d
In baptismo duas pactiones credentes interponunt. pag. 30.c.57.c
In baptismo septem gradus. 53.e
Baptismus & quæ ad hunc pertinent, late explicantur. 272.a
Baptismi ordo & ceremoniæ explicatæ. 85.a.408.e
Baptismi tempore quæ circa nos facta sint, explicantur. 418.a
In baptismo nominari infans solet. 116.e
Baptismi minister sacerdos est tantùm. 30.e. necessitatis tempore etiam diaconus vel fidelis laicus hunc tribuere potest. 31.c.353.c
Baptizant etiam diaconi præsentibus episcopis seu presbyteris. 268.d
Baptismus non hominis meritum, sed Christi, itaq; ab homicida administratus nõ polluit. 30.a.31.b
Baptismus primo simpliciter in fontibus & fluminibus celebratus. 352.c
Ad baptismi solennitatem multa adiecta. 352.c
Baptizandi ordinem præscripsit S. Gregorius. 54.e
Baptizandi ordo in sabbato paschali, & Pentecostes. 54.b.115.c
Baptisterij consecratio quomodo peragatur. 116.e
Baptismi fontis in sabbato sancto benedictio solennis. 54.b
Baptismi aqua adspergitur populus, eandem ad adspergendum in vascula colligit. 54.c
Baptizandi generaliter, Paschæ & Pentecostes legitimatpa. 35.b.54.c.206.e.293.c.408.b. Epiphaniæ nequaquam, necessitatis tempore excepto. 35.c. 353.a. secundum Gerunden. concilium, Natalis Domini & Paschæ. 353.b
Baptismus in Pentecostes quemadmodum in Paschæ celebratur. 296.e
Baptismus in Paschæ & Pentecostes hora ix. peragitur. 53.d.208.c.209.e
Apud baptismum quæ sabbato Paschæ & Pentecostes leguntur lectiones, quid differant. pagina 130.a
Baptismi duo legitima tempora, vtraque per octo dies celebrantur. 360.c
Baptizandi quadragesimam obseruabant. 10.c
Baptizandi catechumeni primum sunt. 28.d. deinde competentes. Ibid.e
Baptizandi exorcismis scrutandi, ieiuniis sanctificandi, prædicationibus imbuendi ex Apostolicæ regula. 28.e.35.a.96.a
Baptizandi quarta feria quartæ hebdomadæ ad ecclesiam deferuntur catechizandi. 408.b
Baptizandorum capita die Palmarum lauari solita. 10.c.45.d
Baptizati albis induuntur. 273.e
Baptizati corpore & sanguine Domini olim confirmati. 54.d.55.a.d.85.d.274.a
Baptizatos non in fronte liniunt presbyteri, sed soli episcopi. 55.d.118.a
Baptizati chrismate perunguntur, post manuum impositione per episcopos accipiunt Spiritum sanctum. 31.c
Baptismus præsente episcopo celebratur, isq; statim manus imponit seu confirmat. 209.c
Baptizati quando confirmari soliti. 37.a.83.a. statim à baptismo, si adsit episcopus. 55.a
Baptizati antequam manus impositionem ab episcopo accipiunt mortui, an regno cælorum potiri possint. 118.b.119.e
Baptizati per octo dies quotidie ad ecclesiam ducuntur. 122.d.125.c
Baptizati, per septem dies in albis vestibus & cum cereis sacrificiis assistunt. 82.d.295.d
Baptizati per octauam ad Missam veniant & communicent, pro eisdem parentes offerant. 55.b
Baptismus per octo dies, non sine mysterio colitur. 360.c. baptismales septem dies quibus officiis, quave celebritate peragantur. 303.c
Baptizati etiam sabbato Pentecostes, per totam sequentem hebdomadam albati incedunt. pagina 130.d
Baptismalium dierũ officia, cur tribus psalmis peraguntur. 221.d
Baptismales septem dies etiam post Pentecosten tribus psalmis peraguntur. 296.a
Baptizati albas vestes quamdiu portent, & quando deponant, 56.c.37.a
Baptizati sabbato post Paschæ ad fontem reuersi, se exuunt albis. 251.d
Baptismi virtus & efficacia à quo. 735
Baptismus solennis in die Paschæ, non Epiphaniæ fieri debet. 502.a
Baptismus Ioãnis longe minoris virtutis fuit quam Christi. Ibid.
Baptismus septiformi spiritu præfiguratus in vij. lotionibus Naaman. 513.e

Bapti-

Baptizandorum præparatio ad baptismum per xv. dies ieiunij. 517.a
Baptismo passionis baptizatus est Christus. 541.c
Baptismi sacramentum in mari rubro præfiguratum. 542.a
Baptismus lucrosam facit commutationem duplicis mortis nostræ. 548.b
Baptismus liberat à morte animæ, non corporis. Ibi.
Baptismus noster riuus est, fons in cruce è latere Christi profluens, totam Ecclesiam simul tunc baptizauit. 549.d
Baptizati passione Christi sunt omnes Apostoli aliique tum credentes. 549.c
Baptizati stant super mare vitreum. 555.c
Baptizatis cur dantur calceamenta & vestis candida. 556.b
Baptizati Spiritu sancto & accipere Spiritum paracletum idem sunt. 581.e
Baptismus solennis in die Pentecostes ad exẽplum sancti Petri. 592.c
Baptismi effectus à Spiritu sancto est. Ibid.
Baptismus Christi etiam à puero celebratus reiterari non debet. 593.a
Baptismus Ioannis non fuit in Spiritu sancto sicut baptismus Christi. 593.a
Baptismus extra Ecclesiam baptismus quidem est, sed sine gratia. 603.b
Basilicæ cur vocentur templa. 148.c.335.e
Beati immaculati psalmus, 230.d
Beda Anglorum Pater hymnos composuit. 358.c
Beda citatur ab Alcuino. 35.e. *Beda* citatus. 131.c.
Bedæ famuli Dei historia citata. 115.a.133.d.219.d
Bedæ Martyrologium. 146.d.243.b
Benedictiones sacerdotales variarum rerum. 342.a
Benedictiones multiplices in Ecclesia. 303.d
Benedictio aquæ. 355.c. cerei. Ibid.d
Benedictio aquæ & salis ad aspergendum à quo instituta. 400.e
Benedictio sub Missæ finem. 175.e.176.b
Benedictio episcopi ad populum. 694.a
Benedicendi forma. 694.b
Benedictio vltima sacrificantis. 695.c
Benedictio cur in diurnis lectionibus non postuletur sicut in nocturnis. 746
Benedicere populum presbyteris non est interdictũ, nisi præsentibus episcopis. 389.c
Benedicite hymnus, post lectiones Turonis in vigiliis Paschæ cantatum. 199.c
S. *Benedicti* regula citata. 191.d
Benedictinum officium approbatum à D. Gregorio, non est monachis mutandum. 352.a
D. *Benedictus* psalmos quomodo diuinis officiis attribuerit. 642.a
Benedicam Domino in Missa quomodo differt ab Ite Missa est. 482.e
Benedictus pater monachorum, spiritu omnium iustorum plenus. 566.b
Benedictinum officium. 31.e. in eo frequentius Gloria patri dicitur quàm in Romanum. 352.a
Benedictinum officium. 646.d.647. 648.d.649.a.651.a.651.c.655.b.659.662.a.
Benedictam, ascriptam, ratam, rationabilem & acceptabilem. 726
Berengarij blasphemia. 631.a
Berengerus abbas S. Laurentij Leodien. sub quo monachus erat Rupertus. 568.d
Berno Augiensis abbas. 357
Berno ad Aribonem scripsit epistolã de Aduentu Domini. 365.e
Berno cum Henrico Imperatore Romæ fuit, Benedicto Pontifice. 360.c
Bethania domus obedientiæ, Gentium populum significat. 512.a
Bethania à Hierusalem solùm quindecim stadiis distat. 521.a
Bethleem typus Ecclesiæ, in qua natus est homo Christus. 500.d
Bethleem quid, & cur illic Christus natus. 290.a
Bigamis deest typus Christi. 375.d
Bona temporalia boni mali, possident, æterna soli boni consequentur. 29.e
Botrus quem duo in vecte portabant, Christum significat. 567.e
Byssus ex qua cantorum vestis, quid signet. 151.b

C

Cæcus secus viam clamans ad Iesum, genus humanum repræsentabat. 507.e
Cæcus à natiuitate itidem genus humanum significat. 516.a
Calix Dominicus vino aqua mixtus cur offeratur. pag. 6.e.163.a.74.b
In calicem panis quando & cur immittatur. 174.b
Calix inuolutus sudario ad altare porrigitur apud Rom. & quo loco componatur. 89.b
Calix quando cooperiatur, quando leuetur. 385.a
Calices olim lignei, sacerdotes aurei, Bonifacij apophthegma. 249.a
Calicem Christo dedit pater amore, non ira; gratia, non vindicta. 470.a
Calumnia in Euangelistas tamquam contrarios ad inuicem. 559.d
Camisia. 63.a
Campanæ signa vocantur. 335.a
Campanæ à Campania, & nolæ à Campaniæ ciuitate sic vocatæ. 335.a
Campanæ nunc, quod in veteri testamento tubæ. pag. 66.e.148.e
Campanas mouere presbyterorum munus, nec mysterio caret. 148.d
Campanæ quid mystice significant. 684.b
Campanæ triduo ante Paschæ silent. 47.a. 201.b. lignorum sono populus conuocatur. Quod Romæ fieri desitum Amalarij ætate, Constantinopoli tamen obseruatum. Ibid.
Campanæ nunc populum conuocant, sicut olim tubæ. pag. 504.b
Campanæ prædicatores designant. 469.b
Campanarum classicum trinum in diebus festis. pag. 469.b
Cãpanę cur non sonant tẽpore passionis Dñi 535.e
Candelæ accensæ, quæ portantur in festo purificationis, quid significant. 503.a

Candelæ

Universidad de Deusto
Biblioteca

Candelæ multæ in matutinis trium dierum cur extinguntur. 534.a
Canon Missæ. 88.c. 390.e
Canon cur actio nominetur. 348. a
Canonis etiam pars, Oratio Dominica cum suis adiectionibus. 348.b
Canon duobus in locis sanctorum nomina inserta habet. 347.e
Canon Missæ additionibus à quibus sit auctus. pag. 347.e.357.a
In Canonem quæ superflua irrepserint. 386.c
Canoni soli pontifices adiecisse aliquid inueniuntur: aliis hoc fas non est. 386.b
Canonis Missæ expositio. 165
Canones, liber quidam sic dictus. 217.d
Canones seruandi. 636.b
Canonis sacri mysteria nullis verbis sufficienter explicari possunt. 478.e
Canonici vnde sic dicti. 61.e
Canonicorum regularium regula. 637.e
Canonum contemptores in Spiritum sanctum blasphemi sunt. 635.d
Canonici Regulares à monachorum consortio non sunt alieni. 643. c
Canonicorum regularium ordo à Norberto institutus. 637.e
Canonici regulares singulariter canones seruent. pag. 636.e
Canon scripturæ. 3. e
Cantus ad diuina officia, atque Missas postea adiectus, cum antea sine eo peragereutur. 646.a.c
Cantus Tetradi garrulitate concinnus, sicut à Laude matutina. 563.b
Cantus in Ecclesia. 715
Canendi consuetudo in Ecclesiam & in quorum sit gratiam introducta. 2.e. 299. d. ab Augustino approbatur. 2.c
Cantandi quæ in primitiua ecclesia ratio. 299.d
Cantus ad quid vtilis. 61.b.67.b
De cantoribus veteris & nouæ legis. 150.a.151.c
Cantores inscio etiam Episcopo, per presbyteros instituipossunt. 21.c
Cantorum in ecclesia vsus vnde sit. 21.b. de eorum voce & canendi modo præcepta. Ibid.
Cantor instruitur. 300.b
Cantorum vestitus quid signet. 151.b
Cantor varia cantus genera habet. 156.e
Cantores sono placere auribus hominum antiquitus studuerunt. 240.c
Cantorum symphonia quid significet. 150. d
Cantores, psalmodiæ, & cantilenarum scientia qui floruerint, aliquot laudantur Pontif. 351.d
Cantores tabulas ex osse factas, antiquitus manu tenebant. 159. b. exibant chorum cantaturi. gradum ascendebant. Ibid.d
Cantores aquam ad sacrificium quærunt atque offerunt. 67.b. 163.d
Cantores in gradibus. 686. e
Cantores duo cum vino & aqua Enoc & Eliam referunt. 690.c
Cantum Gregor. ordinauit. 347.a. 351.d. 358.a
Capitula ad horas, alij alia habent, & diuersus de his apud diuersos vsus. 649.b
Capilli ante præcisi, & summitas capitis in coronæ modum abrasa quid significent. 740
Capitularium Stephani Tungrorum episcopi. pagina 649. & 650.a.b
Capitula olim etiam lectiones vocata. 638.d
Capitula paruæ lectiones ad horas. 649. a. & in Ambros. officio versiculi. 647.d
Cappæ superindutæ futuram corporum immortalitatem significant. 486. e
Carnium esus cur interdictus ieiunij tempore. 14.b
Caroli Magni ad Albinum epistola. 84. a
Cardinales presbyteri. 417. c
Carthusienses correctiora psalteria habent. 639.a
Carnalium tumultus in ecclesia. 617.d
Caro Christi, sicut granum frumenti, crescit in altari, fructificat in mentibus, ac mundum vniuersum impleuit. 480. c
Caro & sanguis vtrum sumatur tantùm, an totus Christus. 723
Casula 270.e. seu planeta. 417. e
Casula quid significet. 65.e
Casula omnibus clericis communis vestis, eius forma. 144.b
Casula quæ opera designet. 158.e
Casula quando & cur se exuant ministri in Missa. Ibid.
Casula siue planeta vel infula. 717.e.761
Catechumenus quis. 28.e
Catechumeni peccato originali obnoxij. 90. e
Catechumenus & catechizandi ordo. 272.e
Catechumeni quibus gradibus membra Christi fiant. 202.c
Catechumeni exorcizantur, salem accipiunt, vnguntur. 28.d
Catechumeni cur oleo vngantur. 101. e
Catechumenorum aures & nares tanguntur tertio & maximo scrutinio, eoq; de variis instruuntur. pag. 96.e
Catechumeno cur sal detur. 53.e
Catechumeni ante Euangelium non recte eiciuntur 176. e. sed ante sacrificium solenni diaconi voce. 67.b.278.e
Catechumenus xxv. annos natus Augustinus. pag. 353.c
Cathedræ S. Petri solennitas, 453
Cathedra S. Petri & Annunciatio S. Mariæ, quomodo post Septuagesimam obseruanda. 400.e
Cera quid mystice designet. 111. b
Cereus de lapide excusso igne accenditur in cœna Domini. 47.e
Cerei benedictio sabbato Paschæ a quo instituta. pag. 52.d. 111.d. 355.d. 403.c
Cerei duo alij ex paschali illuminantur, & quid ei designent. 53.c
Cereus paschalis noctu olim consecratus. 52.d
Cerei neophytorum cur deponantur in aquã. 117.a
Cerei neophytorum quando accendantur. 55. c
Cerei neophyti ante Agnus Dei cur non illuminentur. 122.c
Cereus illuminatus per octo dies ante neophytos ad fontem fertur. 56.d

Ex cera

Ex cera oleo mixta agni sabbato sancto apud Romanos. 111.b
Cera benedicta Dominica post albas danda. 57.d
Cerei in festo Purificationis. 35.c. cuius nos admoneant. 214.291.b
Ceroferarij acolyti. 61.b.412.d
Cereostata in Missa quomodo collocanda. 66. d
Cerei in Missa quando & qua serie collocãdi. 154.c de eorum numero. Ibidem.
Cerei quando in Missa, & cur transponantur. pag. 69.d
Cerei ante Euangelium cur ferant acolyti. 61.b. 68.b. 67.b.
Cerei duo ante Euangelium portantur, quo lecto, hi extinguuntur. 160. d
Cerei flammantes gaudium in ortu Saluatoris significant. 472.e.
Cerei ad locum Euangelij simul cum thuribulo cur portantur. 474. b
Cerei Paschalis benedictio à Zozimo Papa instituta. 541.e
Cereus ille Christi typum gerit. Ibid.
Cerei laudes propter Christum fiunt. 542.b
Cereus in medio Christus. 686.c
Ceremoniarum institutio in obsequium & mysteria Christi. 542.b
Ceremoniarum causas noße expedit. Ibid.
Ceremoniarum operarij non sine fructu sunt, etiam si causas ignorent. Ibid.
Charitas sanctitatis custos. 19.c
Charitas est oculus cordis, quo qui caret cæcus est. pag. 506.b
Charitas facit homines venire ad Dei similitudinem. 615
Charitas fratrum bonum maximum. 623. a
Charitas quomodo solum remunerabilis. 719
Chorepiscopi cur ordinati, & quod eorum officium. pag. 267. e
Chorus cur sic dictus, & quis hos primus instituerit. 2. c. 278. d. 149. e
Chori duo alternatim psalmos decantant. 189. e
Chorum exeunt ministri cum legunt vel cantant. pag. 158. e
Chrisma. 274. c
Chrisma vnde conficiatur. 47. c
Chrisma in cœna Domini cur conficiatur. 10. e. 47. c. 85. b.
Chrismatis principalis consecratio proprium officium habet. 101. a
Chrismatis conficiendi ordo. 47. d. 102. d
Chrisma Episcopi tantum consecrant. 31. e. & ex eo frontes baptizatorum soli consignant, cum Spiritum sanctum tradunt. ibidem, & 273. e
Chrismate caput baptizati perungitur. 54. a
Chrismate in vertice baptizatum vngit presbyter ex institutione Siluestri. 54. e. 118. a. 273. e
Chrisma inuisibilem Spiritus sancti gratiam similitudine suæ substantiæ exprimit. 131. d
Chrismatis vnctione quæ dona tribuantur. 12
Chrismatis vnctio septem diebus in capite retineatur antequam lauetur. 130. a
Chrismate sacerdotes & reges perunctí olim, nunc eo omnis ecclesia consecratur. 31. e. 47. c
Chrismate vngendum primus Moyses instituit. pag. 529. d
Chrismate nunc omnes Christiani, olim reges tantùm & pontifices vngebantur. Ibid.
Chrismate consignare episcopis proprium. 530. a
Chrismate inungere baptizatos non in fronte, sed in vertice, presbyteris concessit beatus Siluester. pag. 530. b
Chrismate non signantur frontes in die cœnæ Domini. Ibid.
De Christo, eius natiuitate, vita, passione, resurrectione prædicationes. 423. c
Christi incarnationis causæ. 9. a. 212. 290. d
Christus quoto mundi anno natus, quibus consulibus, quove die. 32. c
Christi natiuitatem præsagia quæ præcesserint. 32. d
Christus quo tempore & quibus consulibus baptizatus. 34. e
Christi gestorum chronologia. 35. b
Christus plenus sapientia & gratia. 105. d
Christi vultus quasi sidereus & nitore illustris. pag. 101. c
Christus legem quomodo impleuerit. 441. b
Christus cur morte sua hominem redimere voluerit cum aliter posset. 356. b. 443
Christus quo medicamento hominem ægrotum curarit. 436. c. 439. d
Christi passionis triplex ratio. 10. b. 292. c
Christus cur passus, triplex ratio. 10. b. 48. e. 292. d. & cur Crucis tormentum præ alio mortis genere elegerit. 49. e
Christus transferri à se calicem cur postulet. 166. c
Christi humanitas tantummodo passa. 10. a
Christus in cruce orauit, à Psalmo Deus Deus meus, vsque, In manus tuas. 169. b
Christus vno die & duabus noctibus integris cur in sepulcro iacuerit. 50. c
Christus quomodo triduo dicatur in sepulcro fuisse. pag. 102. e
Christus quomodo intelligendus tribus diebus & tribus noctibus fuisse in sepulcro. 50. d
Christi resurrectio cur post triduum. 11. e
Christus suæ passionis indicia cur retinuerit. 176. c
Christus passione sua angelis & hominibus profuit. pag. 49. c
Christum ad dexteram patris sedere quomodo intelligendum. 57. d
Christi corpus ita in cælo est, vt erat quando ascendit. ei immortalitas donata, natura non ablata. pag. 57. d
Christi mors, quantum fuerit satisfactoria. 629. e
Christus pro nobis apud Patrem interpellare quo sensu dicatur. 176. c
Christi vita vitam instituit Christiani. 442. c. 446. e
Christus consecrandi corporis & sanguinis formam quibus verbis tradiderit. 433. e
Christi corpus quibus verbis conficiatur. 74. d. de quo siue plus, siue minus quis sumat, integrum tamen sumit. Ibid.
Christi in corpus & sanguinem vertitur panis & vinum mixtum. 168. e

Universidad de Deusto
Biblioteca

Christi corpus viuum in Eucharistia, idq; humano ore comeditur. 168. d
Christi corpus & in cælo est, & de altari sumitur. pag. 433.d
Christus in Missa præsentialiter exhibetur non in vmbra, sed in veritate, non in figura sed in re. pag. 469. e
Christi vita continua pro nobis & perpes oratio fuit. 482.e
Christus abiturus hinc in sacrarium cæli, sacrificij ritum instituit. 478.e
Christus cur vltra scripturam aliam nobis sui memoriam reliquit. 480.b
Christus vt homo, nos reconciliat; vt Deus, absoluit. 482.e
Christus feria prima, id est, Dominica die natus est. 497.c
Christus cur nocte natus est. Ibid.
Christus repromissus est ad Abraham homo, ad Dauid, rex, ad Ioseph, Deus. 499.a
Christus cur die Dominica nasci, sed feria sexta concipi ac pati voluit. 499.d
Christus dicitur primogenitus varia ratione. pagina 499.d
Christus rex, cui humanitas est corona gloriæ, diadema pietatis. 500. c
Christi nomen est accelera, spolia detrahe. pagina 501.a
Christus per baptismum non quærebat renasci, sicut nos. 502.c
Christus à baptismo per annum fine discipulis fuit. pag. 502.a
Christus in baptismo nos sanàs præfiguratus est per angelum piscinæ. 512.e
Christus vt rex & sacerdos tuba clangorem dedit. pag. 521.e
Christi passio magno est exemplo iustis, ne moueantur, dum prosperantur mali. 525.e
Christus venit tinctis vestibus de Bosra. 526. e
Christus propter nos factus pauper, pro nobis orauit. 528.d
Christus non gratis redemit gratis venditos. pagina 528.e
Christus in vltima cœna primùm sui sacerdotij officio functus est. 529.e
Christus in die cœnæ, immutauit vultum suum, id est, sacrificandi ritum. 531.e
Christus quomodo nobis in cœna ministrat. 532.a
Christus est altare de terra, quod tempore passionis nudatum est. 535.b
Christus cum gustasset, noluit bibere propter mysterium. 540.a
Christus bis immolatus est, primo suis manibus in cœna, deinde ab inimicis in cruce. 544.a
Christus matri suæ ante omnes apparuit resurgens. pag. 563.a
Christus cur non statim post resurrectionem ascendit. 566.e
Christus in cruce hyssopo aspersit, & lauit omnes retro fideles eo tempore credentes, & emisit vinctos de lacu. 549.c
Christus sol verus animas in limbo, velut specula-
riæ illuminauit. 558.c
Christus mystice piscis est assus, hic quidem igne passionis, in cœlo autem igne amoris in conuiuio beatorum. 573. d
Christus est pastor bonus substantialiter, non ex accidentali dono. 580.b
Christus per mortem abiit rogaturus patrem, vt det paracletum. 581.b
Christus in terris rogauit patrem pro nobis, in cælo non rogat, sed dat, 582. b
Christus quomodo in cælis interpellat pro nobis. Ibi.
Christus & Spiritus sanctus non locuti sunt à semetipsis. 583. d
Christo mox ab initio conceptus sui data est omnis potestas. 585. d
Christus quomodo petiit clarificari claritate quam habuit ab initio. Ibid.
Christus vinculum societatis inter creatorẽ & creaturam. 586.c
Christus secundum humanitatem sedet à dextris patris. 588.d
Christus ascendit super cælum cæli ad Orientem. Ibidem.
Christus duo, id est, duas naturas habet, sed non duos, id est, duas personas. 611. a
Christus sicut sedens in equo non duæ personæ sunt. pag. 612.c
Christi filij Dei maxima dignatio, qua pro inimicis suis mortuus est. 618.b
Christus humilitatem & charitatem nos docet præcipuè. Ibidem.
Christus boni regis officium gessit, dum prior ipse adimpleuit mandata. Ibidem.
Christus restituit nos in antiquum statum, salua iustitia. 615.e
Christus cur carnem suam à fidelibus sumi voluit. pag. 722
Christi corpus quomodo eodem tempore in diuersis locis esse possit. 722
Christus cur granum frumenti. Ibid.
Christus hostia panis & calix. 772
Christus quare Apostolis præceperit vt neminem in via salutarent. 732
Christi charitas gemina. 770
Christi misericordiæ insignia. 756
Christus Deo Patri & Spiritui sancto gloria. 757
Christus cur puer vocetur. 764
Christi prærogatiuæ tres. 770
Christi potestas quadruplex. 772
Christi in synagogam pietas. 773
Christiani Antiochiæ primum nuncupati. 1.d
Christiani omnes in Christo fratres. 51.d
Christiani assumpti sunt in toto mundo, Iudæis reiectis. 628.a
Christiani die passionis Domini cur gaudere non debent. 537.e
Christianorum triplex vnctio, prima in baptismo, secunda in confirmatione, tertia in die iudicij. pag. 590.e
Cidaris. 64.65
Cineres in capite ieiunij capitibus imponuntur. pag. 45.a

Cineres cur super capita spargimus. 509. e
Cingulum inter vestes sacerdotales. 270.d
Circumcisio. 33.c
Circumcisio Domini. 441.a
Circumcisio non aperuit ianuã regni cælorum, sicut baptismus. 550.c
Circumcisio spiritualis baptizatis necessaria. 578.b
Circuncelliones monachi. 22.a
Claudius Taurinensis iconoclasta. 337.e
Claues Petro à Christo datę quæ. 738.b
Clerici qui sint, & cur sic vocati. 61.c. 136.a. 265.
Clericorum typus tribus Leui. 411. e
Clericorum duo genera. 16.c
Clericorum tonsura vnde profecta. 61.d. eius figura. 136.a
Clerici cur capillos in modum coronæ radant. pag. 411.a
Clerici ex oblationibus fidelium cum viuant, pro eis orare tenentur. 227. a. ad clericos exhortatio, & clericorum gradus. 411.a
Clerici tunica talari vtuntur. 214. e
Clerici laicum habitum sequentes, armis se cingentes, acephali. 61.b
Clericorum vestes. vide Vestes.
Clerici acephali Isidori ætate multi. 16. c
Clerici vnde dicti. 740
Coccus bis tinctus. 64.a
Coccinea chlamys designat geminam dilectionem Dei & proximi. 540.c
Codices Euangelici cur auro argentoq; & gemmis ornantur. 486. b
Cœlum (seu cœlum) angeli dicuntur & homines iusti. 77.b
Cœmeterium cur sic dictum. 75.c. 335.d
Cœna Domini cur dicatur quinta feria ante Pascha pag. 48.e. 103.d
Cœnæ Domini solẽnitas. 10.d. ea die quæ in ea Christus fecerit, quæq; Christianis facere solenne sit. Ibidem.
In cœna Domini, quæ solenniter fieri in ecclesia soleant, explicantur. 46.47.85.b.99.d.392.d.
In cœna Domini ad reconciliationem pœnitentes redire soliti. 41.e
In cœna Domini solennis & publica absolutio populi per episcopos peragitur. 62.b
In cœna Domini pœnitentes recipiuntur. 104.e
In cœna Domini pœnitentes recipit Ecclesia. 104.d. & cur illo potissimum die. 450.a
A cœna Domini vsque in Pascha quomodo diuina officia peragantur. 200.e
Cœnaculum vltimæ cœnæ. 691.b
Cœnobitarum viuendi ratio depingitur. 22. e
Cœnobium & monasterium quid differant. Ibid.
Cognitio Dei est per amorem, qui est Spiritus sanctus. 593.e
Cognitio Patris et Filij per Spiritum sanctum vera est consolatio. Ibid.
Cognationis & affinitatis differentia. 740
Collecta cur sic dicta. 68.d. 383.b
Collectæ orationes ad Missam cur vocatæ. 346. d. *quarum qui sint auctores, & quæ diuersitas.* pag. 346
Collectæ secundũ orationes Christi dicuntur. 472.e
Colonien. statuta, 657. Per Dominum nostrum Iesum Christum omnibus adiiciatur. 68.e
Collectam presbyter flando pronunciat. 191. b
Collecta inter Euangelium & Offerendam apud Græcos dicitur, apud Latinos minimè. 69.e
Collecta super oblata. 70.e
Collecta. 203.204.a.685.a
Collecta ad sanctum Anastasium. 45
Colobium vestis sine manicis. 63. c. 65. c
Columnæ ignis, quam cereus præ se fert, mysteria. pag. 541.c
Comes lectionarius Hieronymi inscriptus. 358. a. 393.b.
Communicantes olim Missæ tantummodo intererãt. pag. 402.d
Communicantes vnum sunt corpus Ecclesiæ, sicut ex multis granis vnus panis. 478. b
Ad communionem antiphona cum Gloria patri cani solita. 388.e
Compaternitas duplex. 740
Competẽtes quinam sint. 28.b. 45.c. 272.a. his symbolum traditur. 28.b
Cõpetentes symbolum Palmarum die accipiebant. 10.a. 45.a. & quando idem reddebant. 292.b
Completorium seu completæ. 8.d. 281.e
Completorium quare sic dictum. 191.e. quatuor psalmis peragitur. Ibid.
Completorium perfectio cæterorũ officiorum 232.a *ad noctem pertinet* 232.b. *non habet lectionem.* pag. 192.a
In completorio quando hymnus dicendus. 648.b
Completorium & Prima fere similiter peraguntur. 651.d
Ante completorium religiosi lectionem obseruant. pag. 192.b
Post completorium bibere vel comedere non est conueniens. 192. a. *hoc obseruant Benedictini.*
Concilium prouinciale Apostolicæ auctoritati præiudicare non potest. 392.c
Confessio ante Missam. 390.b
Confessio peccatorum cuiusmodi esse debeat. pagina 283.e.445.a
Confessio communis. 714
Confidendum non est in hominum, sed in solius Dei testimonio. 513.d
Confirmatio siue manus impositio episcopi super neophytos. 118.a
Confirmatio seu manuum impositio, seu consignatio post baptismum. 31.b. *episcoporum hæc propriũ est munus.* 55.d. 62.b. 267.d. 274.d. 352.b
Confirmatio ex priuilegio concessa presbyteris a Gregorio. 389.e
Confirmatio quando baptizatis tribuatur. 83.b
Confirmatio statim à baptismo, si præsens episcopus sit, tribuenda. 55.a. 209.c
Confirmari batizati, cum alba vestimenta deponerent, soliti. 37.a. 295.a
Confirmatio per impositionem manus episcopi quid operetur. 54.e. 274.c
Confirmatio minimè negligenda. 54.e. *non sine periculo negligitur.* 110.b. 118.c. 120.d

Universidad de Deusto
Biblioteca

Confitenti peccata consilium det sacerdos, pœnitentiam præscribat, exquirat ab eo peccata. pagina 43.e.44.e
Coniugati. 26.a
Coniugio cur vnus & vna tantùm copulentur. pag. 26.d
Coniugum numerus à maledicto viro Lamech cœpit. 26. e. in patriarchis polygamia typus futuri sacramenti fuit. Ibid.
Coniuges cur à sacerdote benedicantur. 27.a
Coniugium dissoluit tantùm fornicatio. 27.a.d
Coniugij in fide & sacramento seruando par lex vxori virоq; præscripta. 27.b
Coniuges ab opere coniugali aliquot diebus ante absteneant, quàm ad communionem veniant. 7.e
Coniugium extra quartum gradum cõcedunt sacri canones 739
Consecratio in Missa sacrificio. 73.e
Consecratio corporis & sanguinis Domini, quibus verbis peragatur. 74.a
Consecratio panis & vini in corpus & sanguinem Christi. 478.a
Consecrationis verba sunt vox verbi incarnati, vox æterni principij. 479.c
Consecratio olei pro infirmis aliter fit, quàm chrismatis. 531.a
Consignationis ante consecrationem & consignationis post consecrationem differentia. 757
Consilium Trinitatis magnũ & profundum in creatione hominis. 601.b
Consolatio ecclesiæ super absente patre. 488.e
Consolatio supernæ Hierusalem in Dominica lætare. 511.b
Constantinopolitana Ecclesia Romanæ subiecta. pag. 206.a
Consuetudinis malæ moles quem premit, non facile surgit. 170.b
Consuetudines diuersæ ecclesiarum nihil saluti obsunt, si non cum canonica auctoritate pugnent. pag. 635.d
Consuetudo veritati cedere debet. 636.d
Consuetudinis mutatio etiam quæ vtilitate adiuuat, nouitate perturbat. Ibid.e
Conuiuium diuinæ cognitionis in scripturis, quinque panibus præfiguratum. 510. e
Corbiense monasterium Amalario Antiphonarios suppeditat. 223.e
Corepiscopi qui sint, & quod eorum sit officium. pag. 19.e
Corona aurea pontificum. 64.b
Corporale cuius nos admoneat. 162.e.279.e
Corporale quando altari imponatur. 162.e
Corporale quid significet. 279.e. & ex qua materia confici oporteat. ibid. lineum sit. 70. d. quomodo plicandum. ibid. crucis Christi mysterium. 49.a. 437.c. in veteri lege figuræ. 409.a
Corporale altaris, cur lineum potius quàm sericum esse debet. 485.e
Corporale cur remanet in altari. 695.d
Corporis Christi figura panes propositionis. 7. e
Corporis & sanguinis sacramentum cur in pane & vino commendauerit Christus. 275.e
Corporis & sanguinis Christi distributio. 694.c
Corporis mutatio triplex. 730
Corporis abominationes quatuor. 768
Corpus & sanguinem Domini cur Apostoli post cœnam, nos ieiuni accipiamus. 6.c
Corpus Domini ex die cœnæ Domini reseruatum, parasceue adferunt ex sacrario. 50. c
Corpus Christi vnum idemq; in cælo & in altari. pag. 487.c
Corpus vnum Christi, vnumq; sacrificium in omnibus Missis. 487.c
Corpus Christi quare integrum in eisdem crucibus faciendis manu teneatur. 774
Corpus & sanguis Christi quid. 724
Corrigiam calceamenti Christi soluere, nullus sanctorum potuit. 493.a
Credere in Christum plus est, quàm credere Christo aut Christum. 595. e
Crescens discipulus Pauli, Moguntiæ & Coloniæ primus Christum prædicauit. 472.c
Per crucem quæ adepti dona sumus. 109. e
Crucis encomia. 108.f.438.f
Crucem Christus elegit in qua moreretur. 48.e
Crucis Christi latitudo, longitudo, altitudo, profundum quæ sint. 10.d.e
Crucis signum in memoriam passionis Christi relictum. 438.c
Cruces in ecclesiis cur erigamus. 443.b.c
Crucis signum rebus sacratis vel sacrandis cur adhibeatur. 49.b.433. eo sacramenta omnia perficiuntur. 438. a. 409.a.168.d
Crucis signum in Christi corpore conficiendo adhibendum. 168.d
Cruces quot tum sint faciendæ. 170.d
Cruces quot & quo ordine super oblatam fieri debeant. 386.c
Crux particula oblatæ super calicem formatur. pag. 174.e
Crucis signum chrismate ex oleo & balsamo confecto, infantum frontibus cur imprimant episcopi. pag. 120.a
Cruce omnium fidelium frontes signantur. 65.b
Crucis signum sacerdos super diaconum lecturum Euangelium facit. 160.a
Crucem cur faciat in fronte & pectore lecturus Euangelium diaconus. 384. e
Crucem in frontibus facimus Euangelium cum legitur 160.e. cur in fronte potissimum hæc imprimatur. 218.d
Crux fronti & pectori ante & post Euangelium cur imprimatur. 69.c.70.a
De crucis in parasceue salutatione. 108 c.293.e
Crux quemadmodum die parasceue adorari dicatur. 50.d
Ante crucem cur posternamur. 108. b
Crucem cur veneratione prosequamur, cætera verò minimè, quę Dominus tetigit suo corpore. pag. 109.b
Crux in qua Dominus crucifixus, præ cæteris veneranda. 109.d. Nihilominus & reliquæ ad huius factæ similitudinem. Ibid.
Ad crucem ab Osuualdo rege erectam facta miracula

racula. 109.c
Crucis inuentio generale festum, Exaltatio non ita. pag. 404.a
Crucis signum in locum veteris laminæ aureæ successit. 471.b
Crucis sanctæ pulchra p̃conia. 471.a.540.d.543.c
Cruce frontes signare episcopi proprium. 471.b
Crucis signacula super sacrificium altaris non vane fiunt. 481.c
Cruces duæ quæ pinguntur ad latus calicis, quid significant. Ibid.
Crucis pulchra mysteria. 540.d
Crucem portantibus in parasceue cur respondetur Latinè & Græcè, non autem Hebraicè. 542.b
Cruces quinque tempus sub lege designant. pagina 692.a
Cruces cum oblata super calicem. 693.b
Crucis signa xxiij. in canone fiunt. Ibid.c
Crucis Dominicæ & Eucharistiæ virtus. 769
Crucis latitudo, longitudo, & profunditas mystice. Ibid.
In crucibus faciendis quare tanta diuersitas. pagina 773
Crucis signi significatio & virtus. 711
Cruces tres quare secundum Ecclesiæ consuetudinem fiant. 773
De crucibus faciendis in Missa & earum significatione. 773.775
Crura Christi non fracta sed integra quid significant. 541.c
Curiosa quæstio, vbi & quomodo sit in cælo corpus Christi. 589.e
Cryptæ quid. 335.e
Cyrinus Præses Iudææ. 32.e

D

Dalmaticæ. 268.b
Dalmaticæ describuntur. 65.b
Dalmaticarum forma & mysterium. 144. a
Dalmatica formam crucis habet. 67. e. candida est. coccineas virgulas habet, Ibid.
Dalmatica cuius diaconos admoneat. 417.b
Dalmatica sub casula non omnes olim episcopi vsi, post hoc omnes sibi vsurparunt. 349. c. sed & presbyteri. Ibid.
Dalmaticis in aduentu quibusdam in locis non sunt vsi i 178.a
Dalmaticæ cum Gloria in excelsis, resumuntur. pag. 400.d
Danielis exaltatio per humilem orationem. 620.a
Dauid cantandi peritus. 150.e.151.b
Dauid coram Achis ſpumans, velut insaniens, Christi typum Missam instituentis gerebat. pag. 469.e.531.e
Dauid in typum Christi, sacerdotis gerebat officium. 531.e
Dauid primus regum præcipuus prophetarũ Christum præfigurabat. 508.a.b
Dauid in persecutione Saul gessit typum Christi in multis. 485.e
Dauid in peccato suo grande præfiguravit mysterium. 606.c
Debitum reddendi impossibilitas. 739
Decani apud cœnobitas olim. 23.b
Decimæ sacerdotibus cur sint dandæ. 354. b
Decimæ totius anni ieiunio Quadragesimæ persoluuntur. 13.a
Decedentes in pace quamlibet virtuosi venturum iudicem timere debent. 588.c
Decollatio S. Ioannis Baptistę. 376.e
Dedicationis Ecclesiarum antiquæ cæremoniæ & ritus. 298. a
Dedicationis annua festiuitas ex veteri lege sumpta, apud Christianos remansit. 12.d.13.e
Dedicationis Ecclesiæ mystica expositio. 418.a
Dedicatio Ecclesiarum, altarium. 338.b
Defunctis Christi sanguinem prodesse credens, pro eius in sacrificio orat Ecclesia. 75.e. 80.c
Defunctorum pro requie sacrificium offerre, pro eis orare ab Apostolis cur esse traditum credatur. pag. 7.a.297.d
Defunctorum exequiæ. 220.e
Pro defunctis apud quosdam initio mensis nouem psalmi, responsoria, lectiones cantantur. 221.b
Pro defunctis cur tertia, septima, tricesima, & anniuersaria die, Missæ aliaq; officia fiant. 80. d. e. publice & generaliter ab omnibus amicis. pagina 179.b
Pro defunctis quotidie orare & sacrificare sanè licet. 179.b
Defunctorum exequias celebrare nono die, ethnicum. 221
Defunctorum in canone commemoratio. 391.a
Defunctorum nomina ex diptychis ad Missam recitata. 75.d
Pro defunctis in vesperis & matutinali officio oratur. 221.b
Defunctis quibus & ad quid prosint viuentium pro eis eleemosynæ, orationes, sacrificia. pagina 7.b.81.b.179.e
Defunctorum officia tribus Psalmis Romani absoluunt, alij nouenario numero. 81. e
Defunctorum officium quomodo peragendum. 653. d. in Quadragesima. 655.a
Dementia in profanis. 683.d
Deposuit potentes de sede, scilicet scribas & pharisæos. Et exaltauit humiles, scilicet Apostolos. 491.b
Descensus in Ægyptum, figura est lapsus Adæ. pag. 496.b
Deus homo cur factus, mori pro homine elegerit. pag. 436. a
Deo cur humana membra tribuantur. 235.d
Dei nomen Tetragrammaton cur ineffabile dictum. pag. 66.a
Dei dextera. 12.e.57.e
Dei in hominem beneficia. 439.a
Deus pater noster quando & cur dicatur. 76.e
Deus indurare dicitur quando non emollit; in tentationem inducere, quando à tentatione non liberat. 78.e
Deus in adiutorium. 182.e.185.d. in capite omnium officiorum, sed & omniũ actionũ dicendũ. 351.e

Universidad de Deusto
Biblioteca

Deo cuncta creata ad nutum obediunt. 569.c
Deus ex beneficiis suis glorificandus. 594.a
Deus solus immutabilis & sine materia. 585.e
Dei cultus à Iudæis ad Christianos ex Gentibus translatus. 628.d
Deum denus aliquid posse, & nos inuestigare non posse. 631.a
Deo fac quod tibi facere vis asinum tuum. 631.b
In Deum quare nullum mutationis genus cadat. pag. 729.c
Deus in adiutorium meum intende quid significet. pag. 733
Deo quid & qualiter offerendum. 754
Deum creasse omnia simul & semper creare quomodo. 757
In Deo nulla qualitas vel diuersitas. 719
Diaboli insidiæ multiplices. 230.e
Diabolus per sensus exteriores variè insidiatur saluti nostræ. 99.e
Diabolus auctiorem damnationem habet ex lapsu hominis. 496.e
Diabolus per ora impiorum magicæ arti ascripsit, quæ in baptismo geruntur. 551.c
Diaboli inuidia homini plus profuit per Christum, quàm nocuit. 387.e
Diaboli contra insidias scutum, est psalmus Qui habitat. 232.c
Diaconi Leuitis succesere. 139.c.268.a.413.a
Diaconorum origo. 20.a
Diaconi prophetas repræsentant. 152.b
Diaconus instruitur. 20.d
Diaconi ante ordinationem probandi, digni sint necne. 20.a. quibus moribus ordinandi. 413.e
Diacono in sua ordinatione Episcopum tantummodo ei manum imponere reprehendit Amalarius. pag. 139.d
Diaconus stolam accipit in sua ordinatione, eaq; ministrans vtitur. 144.b
Diaconi ordinatio & officium. 20.c.138.d.268.a
Baptizant præsentibus Episcopis seu presbyteris. pag. 268.c
Diaconi ad officium pertinet ire ad comitatum. pag. 65.e.66 c.146.b
Diaconi preces episcoporum ad Palatium præferre debent. 139.a
Diaconus Rom. Ecclesiæ in Palatio apud Imperatorem olim versabatur. 205.c
Diaconi, vt per omnes ecclesias septem sint, ex Apostolica est traditione. 20.d.413.b
Diaconi vij. ministrant episcopo ad Missam. 152.d
Diaconi albis induti, altari cur assistant. 268.d. Dalmaticis induit Siluester. Ibid.
Diaconus cantori innuit quando Gloria patri, quando Kyrieeleison canendum. 67.c
Diaconus Euangelium primauo tempore non legebat. 140.c
Diaconus lecturus Euangelium, benedictionem petit à sacerdote. 160.c
Diaconus Euangelium de altari sumptum in sinistro brachio portat. 160.d
Diaconi ante lectionem in ecclesia clara voce silentium admonent. 3.b
Diaconus casula circumcinctus cur legat. 65.e
Diaconus Euangelium lecturus, cur contra Septentrionem faciem vertat. 69.d. cruce cur frontem & pectus consignet. Ibid.
Sine Diacono sacerdos nomen habet, officium non habet. 268.d
Sine diacono presbyter nomen habet, officium non habet. 67.e.168.e
Diaconi manus quando & cur lauent dum canon dicitur. 169.e
Diaconus suum sudarium in altare cur ponat. pag. 163.a
Diaconus quando se planeta exuat, & quo habitu ministret apud Rom. 89.a
Diaconus pronunciat, Ite Missa est. 79.a
Diaconus & subdiaconus cur non procedunt simul, sed vnus post alium. 472.a
Diacono Euangelium lecturo cur datur benedictio. 474.a
Diaconi stola atque Dalmatica quid significant. pag. 474
Diaconus Euangelium lecturus, cur ab Austro vadit versus Aquilonem. 501.c
Diaconi & subdiaconi quid repræsentant. 691.d
Diaconi officium. 741
Dialectica. 319.d
Dies vt feriæ vocarentur, Siluester instituit. 299.a
Diem nouissimum nobis Dominus reuelare noluit. pag. 53.e
Dies cœnæ Domini Missam in lætitia, horas in tristitia peragit. 531.a
Die cœnæ Domini cur omnes ianuæ Ecclesiæ patent. pag. 532.a
Dies resurrectionis Dominicæ duplici munere solennitas est inenarrabilis, inæstimabilis, ac infinitæ dignitatis. 538.c
Dies, in quo eximus de terra Ægypti, Christus est. pag. 575.b
Dies rogationum à Sancto Mamerto institui. pag. 584.a
Diguriæ. 641.c
Dij plures esse non possunt. 607.e
Dij horarij & diarij. 627.e
Dimissoriæ literæ. 62.c
Ex diptychis defunctorum nomina in Missa recitata. 75.d
Disciplinæ verbere peccata corrigenda. 120.d
Discipulus humilitatis. 731.e
Dispensatio legis ex necessitate debet proficisci. pag. 635.a
Diurnum officium eius q; ordo atque ratio. 230
Diuitias seu bona temporalia habere non est improbandum, sed eorum abusus improbandus. pag. 29.c
Diuina officia lingua Theotisca Scytharum populi celebrant. 336.d
Diuinorum officiorum ordinator excultor q; Gregorius. 347.a
Diuina officia disposuit Gregorius. 344.c.347.a.b
In diuinis officiis quæs scripturas, quove anni tempore Romani legant cantentque 224.e. vide Officium.

Do-

Docendi modus in scholis. 371.a
Doctores quos appellet Paulus. 156.e
Doctor catholicus instruitur. 324.e
Dominicæ orationis apud Matthæum septem partes, apud Lucam quinque. 284.c
Dominicæ orationis vij. petitiones. 78.a
Dominicam orationem Dominica tantum die, cum & communicarent, dicendam esse quidam voluerunt. 344.c
Dominica oratio quotidiè dicenda. 344.c
Dominicam orationem Galli post nocturnales psalmos canunt, quod non faciunt Romani. pagina. 154.a.225.b.e
Dominicam orationem fere antecedit kyrieeleison. pag. 183.e
Dominica oratio canonis etiam pars. 348.b
Dominica oratio in Missa ab omni populo apud Græcos, à sacerdote apud Romanos tantùm dicitur. 206.d
Dominicus dies cur sic dictus. 9.a
Dñicus dies vnde sic dictus, & cur celebris. 124.c.296.d.eius prærogatiuæ. 58.e
Dominicum diem solennem esse Apostoli quare sanxerint. 9.a
Dominico die quòd conueniat populus, vndè sit, et quid tum agendum. 67.b
Dominico cur stantes oremus. 9.a.296.c
Dominica die nec agendum, nec genua flectenda, ex maiorum traditione. 12.c.13.e.17.c.89.d.eo ieiunant Manichæi. 217.e
Dominica non ieiunatur etiamsi vigilia in eam incidat. 52.e
Dominicis noctibus genuflexio & preces flebiles intermittuntur. 191.a
Dominica vacat. 177.e
Dominicæ vacantes quæ sint, & quomodo inofficiandæ. 395.e
Dominica vacans sabbatum xij. lectionum semper sequitur. 391.e
Dominicæ omnes authentica habent officia. 405.a
Dominici dies solennius officio diuino celebrandi. pag. 652.a
Dominicis diebus non semper canunt Romani, Te Deum laudamus. 225.d
Dominico die officium Dominicale seruandum semper, nisi solenne festum in eum incidat. pag. 406.a
Dominicis cedere debent festa nouem lectionum, quibusdam exceptis. 652.b
De Dominica seruandum officium, etiamsi octaua S. Stephani, aut aliorum in ea eueniat. 397.d
Dominicis post Pascha, & inter octauas maiores, xviij psalmi in nocturnis semper canendi. pagina 642.c.644.a
Dominicales Missæ non omittendæ. 652.e
Dominica, si qua sit festiuitas, quæ oratio ad Missam dicenda. 87.e
Dominica die si festum sit, sunt qui seorsim de festo & seorsim de die Dominico sacramenta celebrent. 88.a
Dominicales nocturni quot Antiphonas habeant. pag. 652.d.653.c
Dominico die vesperæ quomodo canendæ, si sabbato vel feria secunda festum sit. 652.e
Dominicarum officia, quando sic necesse est, conuenienter repetuntur in aliis Dominicis. 398.a
Dominicæ diei orationem habet præcedens vespera. 400.d. aliter fit in Dominicis diebus post Epiphaniam & Pascha. Ibid.
Dominicæ diei oratio per sequentes dies currit. 88.a
Dominicæ diei officiis priuati dies inofficiari solent. pag. 402.b
Dominicæ diei officio quintæ feriæ in Quadragesima cur aliquando inofficiatæ. Ibid.
Dominica post Natiuitatem quomodo inofficianda. pag. 397.e
Dominica prima post octauas Epiphaniæ. 202.c
Dominicæ post Epiphaniam quomodo inofficiandæ. pag. 399.b
Dominica prima post Natiuitatem. 240.c
Dominica prima post Epiphaniam. 242.e
A Dominica de passione, quæ officiorum ratio. pag. 402.b
Dominicæ diei præconia. 492.a
Dominica die & mundus creatus est, & Christus natus. 497.c
Dominica die propter gaudium resurrectionis non ieiunatur. 508.c
Dominica Palmarum duas habet processiones. pag. 525.e
Dominici dies per quæ officia inofficiandi post Pascha. 656.b
Dominicalium officiorum post Pentecosten vsque in Aduentum concordia, quemadmodum seruari possit. 362.b.364.
In Dominicis & tempore Paschali quare non genuflectitur. 7-
De Dominici corporis particulis. 774
Dominicis diebus in Aduentu festa non seruanda. pag. 653.d
Dominica festum Andreæ malè seruatur. 652.d
Dominus vobiscum, salutatio vndè sumpta. pag. 68.e.155.e
Dominus tecum cur non dicitur ad vnum in Missa. pag. 376.a.377.e
Domine labia mea aperies, cur dicatur. 712
Dominus vobiscum in Missa ad populum versi dicunt sacerdotes excepto ante præfationem. 155.e
Dominus vobiscum salutatio tum adhibetur, cum de vno officio ad alterum transitur. 162.d
Dominus vobiscum ante Euangelium diaconus cur dicat. 69.a
Dominicani Antiphonas metricas habent. 652
Doni & muneris differentia. 736
Dona & munera quomodo differunt. 478.d
Dotales tabulæ. 27.a
Duo ministri altaris, duo denotant testamenta, legem & Euangelium. 472.e
Duo Cherubin respicientes in propiciatorium, duo testamenta sunt. 496.e
Duæ Missæ in nocte Natalis Christi, propter duas eius Natiuitates. 498.a
Duæ meretrices de puero contendentes, Synagoga & Ecclesia. 515.b

Duæ

Universidad de Deusto
Biblioteca

Duæ tabulæ legis, priores Iudæorum lapideæ corda, posteriores gentium in Christum credentium integritatem significabant. 517.c
Duo testes sunt pater & filius, sed non duo dij. pag. 520.a
Duo animalia, lex & prophetæ, per Moysen & Heliam significata. 519.a
Duo cæci à Christo sanati, duos populos Gentes & Iudæos significant. 604.e
Duplex in bonis prælatis spiritus, vt sint nunc zelo feruidi, nunc mites, nunc in virga, nunc in mansuetudine veniant. 584.e

E

Ecclesiæ varia acceptio. 335.d
Ecclesiæ varia nomina. 148.e
Ecclesia & synagoga quomodo differant. 103.b
Ecclesia quare sic dicta 2.e. quare catholica vocetur. Ibid.
Ecclesiæ typus luna. 450.a
Ecclesia vinea est patrisfamilias. 182.c
Ecclesia per arcam figurata. 408.a
Ecclesia Catholica & Apostolica. 73.b. cuius vnitas in communione Apostolici Pontificis commendatur. Ibid.
Ecclesia Catholica mater omnium & eius atq; Dei patris nos filij. 265.a
Ecclesiæ vnitas quibus rebus maximè consistat & commendetur. 72.c.73.e
Ecclesia in eis quæ gerit, vel scripturas vel traditiones habet quas sequatur. 17.d
Ecclesiæ ex consensione & traditione multa obseruamus. 137.b
Ecclesia quibus rebus subsistat regaturq;. 634.e
Ecclesiæ persecutores numquam deerunt siue manifesti, siue occulti. 183.a
Ecclesia Catholica vbique hoc tenet, vt pro defunctis oret, sacrificium offerat. 7.a
Ecclesia multis visibilibus signis simplicium corda ad pietatem excitat. 443.d
Ecclesia primitiua quemadmodum sit psallere solita. 2.b
Ecclesiarum varij vsus sæpe & obseruationes, & quid in eis sequendum Christiano sit. 15.e
Ecclesiæ cur consecrentur. 47.a.103.c
Ecclesiæ in honore martyrum factæ, martyria dicta. 335.e
Ecclesiarum ædificationi & ornatui magis eleemosyna & virtutes, quibus ipsi ornamur, præferendæ. 340.a
Ecclesiarum dedicationis exempla. 338.b
Ecclesiarum in dedicatione officium. 257.e
Ecclesiæ S. Michaelis dedicatio iij. kalend. Octob. pag. 257.e
Ecclesiæ pauimenta & parietes in cœna Domini lauantur. 47.a.99.a113.a
Ad ecclesias antiquitus quomodo populus conuocaretur ante signorum vsum. 334.e
In ecclesiam cur conueniatur. 149.c. in ea seorsim masculi, & seorsim stant fœminæ. 149.a.174.c
Ecclesiæ vnum corpus & spiritus. 373.b.374.a
Ecclesiæ verbis vnusquisque vti potest. 374.b
Ecclesia multiplex & vna. 372.b
Ecclesiæ vnitas per Christum in Eucharistia. pagina 373.e
Ecclesiæ mira traditio de fornicariis & bigamis. pag. 375.a
Ecclesiæ locutiones non subiacent Grammaticæ regulis. 376.e
Ecclesia respicit ad vnitatis sacramentum. 376.c
Ecclesia temporum lege non constringitur. 377.b
Ecclesia concinit suo Dauid in Missa. 469.d
Ecclesia quicquid canit, Christo præcentore dicit. Ibidem.
Ecclesia offert verbum Dei filium Dei, nouum & verum immolans sacrificium. 476.b
Ecclesia est illa mulier magna amicta sole, &c. Ibidem.
Ecclesia est vnum corpus Christi, maiorem habens plenitudinem gratiæ quàm habent singuli. 476.d
Ecclesia & Christus vnum corpus, sicut vir & mulier vna caro sunt. 480.a
Ecclesia in exteriori ornatu res inuisibiles imitatur. pag. 485.c
Ecclesia regina est, quæ amicta varietatibus assistit regi. 486.b
Ecclesiæ rectores maiori egent consolatione, quàm alij. 490.c
Ecclesia ex Iudæis dicitur filia Sion, & filia Hierusalem. 500.d
Ecclesiæ ætates ab Adam vsque ad Christum. pag. 505.c
Ecclesia comparatur mulieri parturienti. 538.a
Ecclesia de Gentibus per Mariam Magdalenam foris stantem significata. 485.d
Ecclesia de Gentibus etiam per Eunuchum Aethiopem præfigurata. 575.b
Ecclesia sicut luna, semper indiget lumine solis, id est, gratia Spiritus sancti. 596.b
Ecclesiasticarum & secularium dignitatũ comparatio. 355.d
Ecclesiarum dedicatio & consecratio cur episcopo reseruata. 732
Ecclesiæ sacramenta septem. 734
Ecclesiæ primitiuæ mos in communicando paruulos. pag. 736
Ecclesiæ ordines septem. 740
Ecclesiæ cultores qui dicantur. 755
Ecclesiæ partes. 769
Ego & pater vnum sumus, hoc dicto Arius, & Sabel. conuincitur. 523.d
Electionis decretum. 62.a
Eleemosynarum odor prefiguratus in vnguento Mariæ Magdalenæ. 524.c
Eleemosynarum varia genera. 288.d
Eleemosynam Papa sabbato ante Palmas cur dicatur dare. 97.e
Emitte spiritum tuum, & creabuntur. 594.c
Encænia quid, & vnde dicta. 13.a.298.a
Ephata vox in baptizando vsurpata. 54.e
Ephod. 63.d.64.d
Epiphania cur sic dicta. 9.d. & cur is dies annua celebritate sit solennis. 34.d.290.c.442.a

Epipha-

Epiphania secunda Natiuitas Christi magnis illustrata miraculis honoratior quàm prima. pagina 35.d
Epiphania Domini & eius vigilia quomodo inofficientur. 398.d
Epiphaniæ in festo Inuitatorium omittitur, psalmus, Deus noster refugium, præposterè canitur. pag. 34.b
In Epiphania nocturnale officium. 213.e
Epiphaniæ Domini antiph. & resp. 240.d. matutinalis officij. 242.c. octauæ. 242.a
De Epiphaniæ diei officio. 221.e
Epiphaniam & Natalem Domini Ægyptij secus quàm occidui, vnius diei festiuitate peragunt. pag. 9.e
Epiphaniæ celebritas tres habet causas. 501.d
Ea epistolas Alexandrinus ad omnes ecclesias mittit, quibus initium Quadragesimæ & Paschæ denunciat. 9.e
Epiphaniæ festo baptismum celebrandũ negat Leo. pag. 35.e
Epiphaniæ octauæ. 214.b
post Epiphaniam quid legendum. 400.c
Episcopus vnde sic dictus. 17.e. 62.c.267.e
Episcopus etiã Antistes & Pontifex cur dictus. 62.e
Episcopi Aaron repræsentant, reliqui sacerdotes eius filios. 17.d
Episcopi nunc, qui in lege principes sacerdotum. pag. 19.d
Episcoporum tripartitus ordo. 267.a
Episcopi & presbyteri nomina confuse vsurpata aliquando. 62.b
Episcopi ad basilicæ ostium accessus & superliminaris percussio. 732.a
Episcoporum triplex ordo. 740.e
Episcopi superiores presbyteris. 62.b
Episcopatus nomen est officij non honoris. 17.e
Episcopi & speculatorum comparatio. 62.c. in episcopi electi vitam inquiritur. 20.a.62.d
Episcopi vitam esse sanctã non est satis, debet etiam doctrina & sermone esse eruditus. 18.e. 135.e
Episcopus instruitur optimis præceptis. 18.d.308.c. 324.a.
Episcopi ex secularibus non sumendi. 18.a
Episcopum malum quòd habeat plebs, ex sua culpa & merito sæpe est. Ibid.
Episcopus quomodo in Romana Ecclesia ordinetur. pag. 62.a
Episcoporum consecratio qualis antiquitus fuerit. pag. 63.a
Episcopus a quot, & cur non ab vno sit ordinandus. pag. 17.e.63.a.133.e.142.b.267.a
Episcopi in consecratione quæ fiant. 142.b
Episcopi consecratio cur Dominica fiat. 59.b.62.d
Episcopos per manus impositionem ordinari, antiqua est institutio. 17.e
Episcopus Christi vicarius in capite vngitur. 142.e. in manibus. 417.d
Episcopi capiti in eius ordinatione quidam Euangeliorum codicem imponunt. 142
Episcopo cõsecrando cur baculus & annulus detur. pag. 18.c.266.e
Episcopi illi sub casula Dalmaticis vestiti quibus hoc Romani pontificis permiserunt, post omnes hoc sibi vsurparunt. 349.c
Episcopus altior est locus in ecclesiis constitutus in quo consideant. 155.e
Episcopis per parochias est discurrendum ad regendam plebem. 146.a
Episcopi Alexandriæ quomodo antiquitus constituti. 141.d
In episcopis constituendis abusus notantur. 18.e
Episcopi & presbyteri pene vnum officium est. pag. 66.d
Episcoporum propria officia. 19.b. 62.c. 267.c. 360.a. 413.c. & quæ cum presbyteris communia habeant. Ibid.
Episcopi chrisma confecrant, ex eo baptizatorum frontes signant. quorum neutrum presbytero licet. 31.c.62.e
Episcopi antiquitus omnem vnctionem chrismatis, apud baptizatos peragebant, post quæ in vertice fit, etiam presbyteris est permissa. 118.b
Episcopi baptizatis statim à baptismo manus imponebant antiquitus. 210.a
Episcopi cum pollice crucem in frontibus infantium faciunt cum manus imponunt. 121.a
Episcopi in consignatione Neophytorum verba. 121 e. oratio quomodo proferenda. 120.a
Episcopi occurrant ad loca, vbi sunt, quibus necesse est imponi manus. 121.c
Episcopus dedicat ecclesias. 257.c
Episcopi determinant quæ festa clero, quæ populo celebranda. 657.b
Episcopus suæ diœcesis, sequendus. 217.b
Episcopus oblatam in tres partes frangit. 694.d
Episcopalis salutatio, Pax vobiscum. 68.b
Episcopi diuersorum, cunctorum debet esse receptaculum. 19.c
Episcopi quemadmodum sepultura mandati antiquitus. 219.d
Epistola quid & cur ante Euangelium legatur. pag. 69.a
Epistolæ ad Missam quando legi & cur cœptæ. pag. 346.d
ad Epistolæ lectionem non sedent Græci. 384.c
Epistolam, si subdiaconus non adsit, ipse sacerdos legat potius, quàm alius non ordinatus. 384.e
Epistolæ Pauli xiiij. Canonicæ vij. 4.b. de quarum aliquibus dubitatum est a veteribus. 5.d
Epistolæ Pauli post octauas Epiphaniæ legendæ quotidie. 400.c
Epistola, vox legis est, Apostolicas quoque literas complectens. 473.d
Epistola supererogatio est proferens duos denarios, scilicet legem & prophetas. Ibid,
Epistola sedendo, Euangelium stando auditur. pag. 473.b
Epistola ante Euangelium sicut Ioannes ante Christum prædicauit. 687.d
Error stultissimus hostium Missæ. 630.c
Error est negare corpus & sanguinem Christi in sacrificio altaris. 475.d
Error Helui dij, contra perpetuam virginitatem

Universidad de Deusto
Biblioteca

Mariæ. 499.c
Esaiæ nobilis propheta, magnus & verus Euangelista. 493.d
Esdras legem à Chaldæis incensam reparauit, corruptam correxit. 4.e
Esdras iustitiæ priuilegium in verbis habet & factis. 624.d
Eſychius. 215.e
Eua quæ mala transfuderit in se sequuturas mulieres. 444.b
Euangelium cur sic vocatum. 3.d
Euangelij & legis comparatio. 3.c
Euangelium Matthæus Hebraicè scripsit. 5.a. *ceteri Euangelistæ Græcè.* Ibid.
Euangelium præcedit Episcopum in processione eius ad Missam. 152.d. *hoc osculatur episcopus in altare positum.* 153.d. *vbi remanet vsque dū hoc sumat diaconus.* Ibid.
Euangelium de altari accipit diaconus hoc lecturus 160.c. *cur in sinistro brachio portet.* 67.a
Euangelium in medio ministrorum defertur. 68.a. *cerei cur præcedant.* ibid.& 61.b. 67.a. 160.b
Euangelium præcedet incensum. 385.b
Ante Euāgelium thymiama Paschali nocte cur tantùm deferatur. 56.c. 123.b
Euangelium cum legitur, baculi de manibus deponuntur. 160.b
Euangelium in eminentiori loco cur legatur. Ibid.c
Euangelium lecturus, contra Septentrionem cur faciem vertat. 69.d. 430.a
Euangelium lecturi ad meridiem erant olim versi diaconi, postea ad Aquilonem, & vnde contrarius vsus irrepserit. 384.c
Euangelium quam in partem versus legat presbyter. Ibid.
Euangelium lecturus frontem & pectus cruce cur signet. Ibid.d
Euangelia cum recitantur, surgendum instituit Anastasius. 67.a. 160.a. 279.c
Euangelium cum legitur, vt curui stent sacerdotes, Anastasius statuit. 346.d
Post Euangelium incensum non offerunt Romani. pag. 89.a
Euangeliorum breuiaria. 403.e
Euangelium in vesperis, Magnificat appellatur. pag. 56.d
Euangelij maiestas legem & prophetas literasq; Apostolicas præcellit. 474.c
Euangelium cur in sublimiori loco legi solet. Ibid.
Euangelium cur summa reuerentia audiendum est. Ibidem e.
Euangelium est omnium, quæ in Missa dicūtur principale. Ibid.
Euangelistæ in resurrectione Christi cur tacent de eius matre. 563.b
Euangelium secundum Marcum cur in die Paschæ legitur. 565.b
Euangelium legendi ritus. 687.b
Euangelium olim ad austrum, nunc ad Aquilonem legitur. 688.b
Euangelium nudato capite audiendum. Ibid.a
Euangelij à dextera parte in sinistram translatio quid. 721.b
Eucharistia. 79.a. 175.a
Eucharistiam cur pane & vino conficiendam instituerit Christus. 275.a
In Eucharistiam panis infermentatus sumendus. 276.c. *atq; eiusmodi fuisse quo Christus est vsus, ratio suadet.* Ibid.
Eucharistiam consecrandi formam Christus tradidit. 433.b
Circa Eucharistiam mira & magna fides ecclesiæ. pag. 169.a
In Eucharistia panis & vinum in corpus & sanguinem Christi commutantur. 430.c. 433.b. 434.d. *Dominicis verbis.* 385.c. 414.a. 431.b
Eucharistia panis & vini natura quando vertatur in naturam corporis & sanguinis Christi. 168.e. *in ea est Christi corpus viuum.* 168.c. *idq; ore humano sumitur.* Ibid.
Eucharistiam, corporis & sanguinis Christi sacramentum Græci nominant. 278.d
In Eucharistia Christi corpus cum sit verum, cur mysterium dicatur. 74.b
Eucharistia an quotidie accipienda. 277.e. *deq; eo variæ variorum sententiæ.* 7.b. 48.d. 77.d. 344.a
Eucharistia quotidie sumpta in primitiua Ecclesia. 344.d. *qui communionem per tres Dominicos negligunt, eos Græci excommunicant.* pag. 344.e
Eucharistia quotidie an rarius sumenda, Augustini consilium. 175.c
Eucharistiæ ad frequentem communionem hortantur August. & Ambr. 402.d
Eucharistia an quoties Missa in die auditur sumenda. 348.e
Ab eucharistiæ perceptione, qui abstinere, qui minime debeant. 7.d
Eucharistiam indignè quis capere dicatur. 450.e
Ad Eucharistiam coniugati accessuri, diu ante à complexu abstineant. 7.e
Eucharistia vltimo & necessario viatico morituri non priuandi. 80.a. *sine qua qui sunt mortui, eorum causa Dei iudicio reseruanda.* Ibid.
Eucharistia à ieiunis sumenda. 175.e. 342.c. *secus factum aliquando in cœna Domini, & ab aliis frequentius.* Ibid.
Eucharistiam à ieiunis accipiendam cur Apostoli instituerint. 6.d
Eucharistia reseruatur ex quinta feria cœnæ Domini. 99.d
Eucharistia reseruatur in cœna Domini vsque in Parasceuen. 99.d. 103.c
Eucharistia in Parasceue non conficitur. 103.e 293.e.
Eucharistiæ intinctio prohibita. 388.c
Eucharistia data baptizatis antiquitus. 274.e
Eucharistiam sine fide sumens, Christum laniat & occidit. 479.a
Eucharistiam propter duas causas instituit Dominus post cœnam. 608.d
Eucharistia quare sic nominetur. 724.a
Eucharistia quare iteretur. 770
Eucharistiæ materia. 723

Eucha-

Eucharistia vt prosit nobis, quid Deo offerendum. pag. 772
In Eucharistia quæ considerentur. 723.d
Eucharistia quomodo bene sumatur. 723.e
Eucharistiæ effectus. 721.723.772
Eugypij. 246.d
Excommunicatio vel à sacramentis suspensio, cur ab Ecclesia vsurpetur. 342.b
Excommunicatione grauia delicta plectūtur. 126.e
In Excommunicatione quæ pensanda. 738
Exedra quid. 335.d
Exempla ex veteri testamento. 376.e
Exemplis sex scripturæ veteris probatur possibilitas transubstantiationis panis in corpus Christi, pag. 632.b
Exequiæ mortuorum. 220.a
Exequiæ mortuorum non negligendæ. 80.e
Exequiæ tertia, septima, & trigesima die seruandæ. pag. 220.d
Exequiæ mortis Domini in nocturnis vigiliis trium dierum. 534.b
Exomologesis. 283.c
Exorcistæ. 60.a. 61.c. 269.a
Exorcie slin ecclesia qui olim actores. 21.b. *quomodo ordinentur.* 138.e
Exorcistæ officium. 412.c. 740
Exorcistæ munus qui vsurpare possint, qui non debeant. 61.c
Exorcistæ munus etiam sacerdos exequitur. 137.c
Exorcismus quid sit. 28.e. 61.c. 101.e
Exorcismi modos Salomon suam gentem docuit. pag. 138.e
Exorcismus olei. 100.e. 101.e
Exorcizatum oleum in baptismo. 54.e
Exorcismis dæmones eiiciuntur de baptizandis. pag. 115.b
Exorcismi quomodo concludantur. 384.c
Extendens mortis cælum sicut pellem. 594.e

F

Fabiolæ pœnitentia. 104.e
Facere mansionem apud pios, Patri quoque & Filio, sicut Spiritui sancto ascribitur. 601.b
Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram. 612.a
Fanon. 64.e
Fato peccata nostra imputare nequaquam debemus. 445.a
Februarij lustrationes ethnicorum in litanias conuersæ. 178.d
Feminalia linea. 64.d. 415.b
Fenestra in latere Arcæ quid designat. 576.e
Feria quarta quidam carnem non edunt. 127.e
Feria quarta & sexta ac sabbatū cur magis quàm alij dies ieiunio destinantur. 490.c
Festi dies in sanctorum honorem varij & multi cur instituti. 13.e. 116.e
Festiuitates sanctorum cur celebrentur. 297.b. 298.c. 299.c
Festis diebus beneficiorum Dei dicamus sacramusque memoriam. 167.a
Festos dies obseruantes, non venimus contra illud Pauli, Dies obseruatis, &c. 216.d
Festi dies in veteri lege. 299.c
Festum Tabernaculorum Iudæis solenne. 14.c
Festi Christianorum dies. 8.e. & *sequentibus. Dominicus.* 9.a.b. *sabbato cur succeßerit.* ibid. *eiusq; multæ prærogatiuæ.* ibid. *Palmarum.* 10.a. *Ascensionis.* 12.a. *S. Mariæ.* 35.c
Festiuitas S. Ioannis Baptistæ. 59.e. *omnium Sanctorum.* 59.a
Festum quatuor Coronatorum. Ibid.c
Festiuitas Dedicationis ecclesiarum. 298.a
Festum sancti Marcelli, Mauritij, Medardi. 243.e
Festa Apostolorum & Martyrum celebrata antiquitus, & quare sint. 12.d
Festum sui patroni quæuis Ecclesia solenniter obseruat. 399.d
Festa quæ à clero & populo celebrentur. 657.d
Festi dies tam Dominici quàm reliqui, historiis seu antiphonis & responsoriis solennibus sunt decorati. 646.b
Festiuitates præclarissimæ Sanctorum duo habent nocturnalia officia. 256.e
Festiuitates multæ tempore non suo celebrantur ab Ecclesia. 376
Festa Pontificum Martyrum qualia officia habere debeant. 399.c
Festiuitas in secunda vespera terminatur. 651.a
Festiuitates duæ in vnum diem si incidant. 399.e. pag. 659.d
Festa quæ sub nouem lectionibus obseruanda. pag. 657.c
Festa nouem lectionum non multiplicanda. 657.a
Festa noua in præiudicium temporalis officij non instituenda. 637.d
Festa trium lectionum. 657.a
Festa trium responsoriorum, atque item nouem quomodo peragenda. 400.b. 657.a
Festa quæ celebranda clero, vel populo, episcopi determinant. 657.a
Fideles cuncti quomodo vnum sunt. 372.d
Fidei regula & summaria capita. 304.b
Fidei summa atque explicatio. 29.d
Fides necessaria in sacramento corporis & sanguinis Christi: 433.a. 434
Fides sine operibus mortua. 578.c
Fides sola non sufficit nobis ad salutem. 579.b
Fides Apostolorum ante Aduentum Spiritus sancti erat infirma. 602.c
Fides Apostolica est ianua ad ouile Christi. 603.c
Fidei gradus quinque. 775
Fidem veterem discutere velle, magni periculi res est. 637.a
Figuræ morales non abolentur, sicut figuræ promissionum. 485.c
Filij Ecclesiæ maiorem habēt inter se vnitatē quàm habuerunt filij Israel. 376.a
Filij prodigi ornamenta in sacerdotibus quæ à Christo accepit. 471.c
Filij quomodo portant iniquitatem patrum. 551.c
Filius Dei cum humana natura ascendens ad patrem non facit quaternarium. 612.d

Universidad de Deusto
Biblioteca

Fimbriæ, stolæ & manipuli bonorum operum perseuerantiam significant. 473.c
Flumen aquæ viuæ quid est. 596.d
Fœminæ ad altare stare non permißæ. 384.d. *in qua parte Ecclesiæ stare solitæ sint.* *Ibid.*
Fœminæ in gradibus Ecclesiasticis non connumerantur. 25.e
Fontis baptismatis benedictio in sabbato sancto. *pag.* 54.b.409.a
Fornicatio quid. 42.c.445.c
Forma verborum in baptismo maximæ virtutis est. *pag.* 592.b
Fratrum minorum vsus quidam in diuinis officiis. 643.c. *reprehensus.* 645.c.647.a.655.d.656.a 657.b.659.a.664.b.665.
Frater iunior in parabola, populus Gentilis, senior populus Iudaicus. 556.e
Frons sedes verecundiæ, ei crucem imprimimus. *pag.* 160.a
Frontem signare cruce. 688.c
Frumentum & vinum mystice quid. 770
Ad fulgura & tonitrua, agni, siue cera benedicta, qua suffumigetur Dominica post Albas. 57.e

C

Galilæa dicitur etiam locus in templo vbi suprema statio processionis terminatur. 525.a
Galilæa transmigrationem denotat. 561.d
Galilæa & prima & vltima Christi prædicationem habuit. 562.c
Gallicana ecclesia peritißimos viros habuit. 351.e
Gallus prædicatores repræsentat. 709.a
Gedeonis vellus. 423.c
Gelasianus de Missarum solenniis codex. 357.b
Gelasij canon de approbatis & apocryphis libris. *pag.* 644.e.645.a
Celasius præfationem quam appellamus, siue exhortationem post præfationem composuißе dicitur. 70.a
Gemma ecclesiæ, Rationale. 661.a
Gemma animæ. 683.a
Genuflexio in orationibus adhibenda. 194.d
Genuflexio cuius nos admoneat. 50.a.136.c.296.b 449.
Genuflexiones in orationibus ieiunij quatuor temporum quando fiant. 395.c
Genuflexiones ad orationes in collatione ordinum, *pag.* 59.d
Genuflectimus in xij. lectionibus, excepto in octauis Pentecostes. 13.b.404.c
Genua ad omnes Horas quadragesimales flectimus *pag.* 402.b
Genua cur non flectimus tempore Paschali. 566.c
Genuflexio ad Missam quomodo obseruetur per Quadragesimam. 402.b
Genuflexiones in hebdomada maiore frequentes. *pag.* 402.c
Genuflexiones in die Parasceues. 50.a
Genuflexio in oratione pro Iudæis in Parasceue non fit. 107.c. 216.c
Genuflexio in vesperis Dñicis intermittitur. 121.a
Genuflexio in orationibus quibus temporibus non sit adhibenda. 349. e. *ea quinquaginta post Pascha diebus vetita.* 296.b
In genuflexione frequentes sunt Scoti. 350.b
Geometria & eius in scripturis intelligendis vsus. *pag.* 321.a
Germani à Græcis multa nomina mutuarunt. *pag.* 336.e
Gloria in excelsis Deo, hymnum Hilarius perfecit. *pag.* 68.d
Gloria in excelsis à quo sit Missæ adiectum. 66.e 346.d.
Gloria in excelsis, ad Missam dici omni Dominico, & Martyrum natalitiis, Symmachus constituit. *pag.* 66.a
Gloria in excelsis, omni Dominico vel natalitiis Sanctorum recte cani confirmatur. 358.a
Gloria in excelsis, versus orientem dicitur, & in dextra parte altaris. 648.b
Gloria in excelsis, quando dicendum aut non sit. *pag.* 400.e.648.b
Gloria in excelsis, in Missa Innocentum non canitur. 132.d
Gloria in excelsis reticetur in Missa pro mortuis. *pag.* 179.a
Gloria in excelsis, in Aduentu prisci non dixerunt. 178.a. *repetierunt in nocte Natiuitatis.* 178.d. 211.e.
Gloria in excelsis, omittitur à Septuagesima. 91.a
Gloria in excelsis intra Septuagesimam etiam in Purificationis festo non canitur. 35.e
Gloria in excelsis, in quibus Missis canendũ. 404.d. *an in ieiunio in Paschali hebdomada dici debeat.* *Ibid.*
Gloria in excelsis, & Te Deũ laudamus, simul aut canuntur, aut intermittuntur. 648.b
Gloria in excelsis, in officio trium lectionum non dicendum. 660.a
Gloria in excelsis. 685.a
Gloria in excelsis Deo, hymnus Angelorum, à Theleßhoro Missæ additus. 483.a
Gloria patri cur tacetur tempore passionis Domini. 521.e
Gloria patri & filio, cur adiiciatur Psalmis aliis q̃. *pag.* 181.a
Gloria patri &c. hymni huius frequentatio a Niceni Patribus præcepta. 351.c
Gloria patri &c. ad Psalmorum diuisionem ab Hieronymo eis adiectum. 67.e. *de eo ad Damasum Hieronymus scripsit.* 195.c
Gloria patri per quem psalmis additum. 639.b
Gloria patri & filio, psalmis qui additur varie à Græcis & Latinis profertur. 351.c.359.b
Gloria patri in responsorijs à Dominica a passionis per vndecim dies intermittitur. 200. e. *à cœna Domini vsque in Pascha penitus.* 201.b
Gloria patri à nocte cœnæ Domini vsque in Pascha in psalmis & responsorijs reticetur. 46.b.102.e
Gloria in Pascha repetitur. 200.c
Gloria patri ad Benedicite in laudibus non dicimus *pag.* 295.c
Gloria patri ad Missam. 67.e

Gloria

Gloria patri vt ad introitum Missæ, ita ad responsoria repetunt Romani Antiphonarij. 647.d
Gloriosum Christianis signum crucis, 752
Gloria inanis quid, & quas filias ex se gignat. *pag.* 41.a
Græci antiphonas primi composuere & preces. 6.b
A Græcis kyrie eleıson acceptum. 382.a
Græci non sedent ad Epistolæ lectionem. 384.c
Græci in diuinis officiis consuetudines à Latinis diuersas habent. 205.e. *à Sexagesima ieiunium auspicantur.* 36.e
Græci Latinos calumniati de particula, Sicut erat, quæ est in gloria patri, &c. 351.c
Græcorum error de Spiritu sancto. 453.a
Græci de azymis Romanæ Ecclesiæ nimis pertinaciter resistunt. 483.a.b
Græcia hæresibus fermentata. *Ibid.*
Græcorum inepta ratio pro fermentato, tumidus Mariæ vterus. 483.d
Gradualis Gregorij. 391.d.398.a.399.c.401.c
Graduale Romani Cantatorium vocant. 224.c
In Graduali Gregorij aliquando vno die duo officia *pag.* 399.a
Gradualia non canebant ante Euangelium Hispani. *pag.* 358.a
Graduale pœnitentiæ lamentum, cantus asper & grauis. 473.e.474.a
Graduale infra Pentecosten cur non canitur. *Ibid.*
Graduale à gradibus humilitatis dicitur in conuallе plorationis. *Ibid.*
Graduale propter baptizatos prima hebdomada Paschæ cantatur. 565.e
Gradus quindecim in templi Salomonis. 710.b
Grammaticæ artis vsus in scriptura sacra intelligenda. 318.c
Gratia Spiritus sancti non datur in Eucharistia nisi lotis. 533.c
Gratiarum actio. 746
Gratiæ temporis exordium. 760
Gregorius doctißimus episcopus, Romanorum, Angelorum Apostolus. 219.e
Gregorius disposuit diuina officia. 344.e
S. Gregorius cantum diurnum nocturnumq; plene ordinauit & distribuit. 347.a.351.d
S. Gregorius Ecclesiastica quomodo ordinauit officia. 405.b
Gregorius antiphonas quomodo ad psalmos ordinarit. 643.e
Gregorius Sacramentorum librum edidit. 346.c
Gregorius ordinem lectionarij in Antiphonario & Sacramentario diligenter obseruauit. 396.c
Gregorianæ orationes authenticæ. 650.b
Gregorius Canoni quid adiecerit. 348.d
Gregorius Canoni addidit, Dies q; nostros. 167.a 348.d.
Gregorij vita recitata. 357.d
Gregorij vij. laus. 386.c
Gregorius vij. Pontificum qui Martyres fuißent, omnes dies solennes esse constituit. 399.c
Gregorij vij. ordinatio de diuinis officiis. 642.b
Gregorius Turonen. 353.c
Gregorius Antiphonarium centonizauit & canonem auxit. 482.e
Gregorius stationum vrbis ordinator. 490.c. 488.d
Gregorij scripta digito Dei dictante concepta sunt. *pag.* 490.c
Gregorius diuinorum officiorum ordinator. 504.e
Gregorij deuotio erga S. Andream. 567.e
Gregorij atauus, Fœlix quartus Pontifex Romanus. *Ibid.*
Gregorius ex monacho factus Pontifex Romanus, *pag.* 566.b
Gulositas, seu gulæ vitium, quæ procreet ex se vitia. 42.d
Cultores Ecclesiæ qui dicantur. 755
Guilielmi rationale citatum. 643.a

H

Hæreditas in testamento Christi est paracletus in remissionem peccatorum. 531.b
Hæretico extra ecclesiam non prodest baptismus, in ecclesiam iterum recepto salutaris esse incipit. *pag.* 31.c
Hæretici non rebaptizandi, sed ad ecclesiam reuersi, solo chrismate & manus impositione purgandi. *Ibidem.*
Hæretici vigilias nocturnas reprobantes. 8.c
Hæreticos erroris stercora fœtore pascunt. 477.a
Hæretici instar Achis, semper dicunt, Quomodo est. *pag.* 479.a
Hæretici, vulpeculæ, vineam Domini demolientes. *pag.* 568.b
Hæretici dicentes corpus Christi resurgentis phantasticum. *Ibid.*
Hæreticorum per miracula confutatio. 568.e
Hæretici loquuntur à semetipsis, ideò loquuntur bella & scandala. 583.c
Hæretici suam, catholici Dei gloriam quærunt. *pag.* 603.a
Hæretici lupi rapaces. 618.a
Hæresis vnde sic dicta, & hæreticorum catalogus. *pag.* 305.b
Hæreticorum reprehensio sacrificare prohibentium. *pag.* 627.b
Hæreticorum temeritas. *Ibid.d*
Hebræa nobilior lingua. 124.d.251.d
Hebdomada maior cur sic dicta. 46.c.401.e
Hebdomadæ maioris quarta feria quis agendi ordo, *pag.* 46.c.98.d
Hebdomadæ maioris peculiares obseruationes. *pag.* 402.d
Hebdomadæ passionis Dñi breuis decursus. 477.d
Helias Christi, Helisæus Apostolorum typum gessit. *pag.* 584.c
Helisæus bene petiit, ideo duplex factus est in eo spiritus. *Ibid.*
Hester temperantiæ speculum. 624.d
Hieremias & dictis & factis passionem Christi præfiguraut. 522.b
Hieroboam typus hæreticorum. 623.e
Hieronymi comes. 393.c
Hieronymus Psalterium distribuit ad diuina officia *pag.* 639.c

Hie-

Universidad de Deusto
Biblioteca

Hierusalem cælestis, in qua plenitudo est gratiæ torrens voluptatis & caminus ignis plenus & indeficiens. 144
Hilarius hymnos scripsit. 2.e
Hilarius hymnum Gloria in excelsis Deo, auxit. pag. 68.d
Hispani Gradualia & alleluia non cantanda censent ante Euangelium. 358.b
Hispani in ieiunio obseruando ab aliis nationibus differunt. 355.a
Historia vocantur antiphonæ & responsoria in diuinis officiis. 647.a
Historia, Allegoria, Anagoge & Tropologia quid. pag. 727.d
Hodie genui te. In æternitate enim semper hodie, id est, præsens est. 499.a
Homo Microcosmus & quasi minor quædam Ecclesia. 374.e
Hominum misera illusio per dæmones. 626.d
Homo cæteris præstat, homini Deus. 631.c
Hominem cur Deus permisit per serpentem decipi. pag. 538.c
Homo feria sexta conditus est, & redemptus. pag. 537.a
Homo ad imaginem & similitudinem Dei creatus. pag. 552.e
Homo ad loquendum tardus esse debet, ne scilicet loquatur à semetipso. 583.e
Homo cum omni creatura participãs dicitur minor mundus. 586.e.589.d
Homo Christus in communionem Trinitatis sine personarum augmento admissus. 586.c
Homo Christus quomodo habet omnia cum Trinitate sibi communia. 587.c
Homo post lapsum per Christum maior factus est, quàm antea fuit. Ibid.
Homo in solis naturalibus miser & egenus. 595.e
Homines nimis ingrati, traduntur in reprobum sensum. 595.a
Hominis est præparare animum, Domini autem, gubernare linguam. 595.d
Homo non potuisset melius condi quàm conditus est. pag. 613.c
Horæ orationis canonicæ. 194.c.229.d
Horæ Canonicæ vnde ortæ. 184.e.349.e
Horas canonicas ad orandum à Patribus constitutas inceßanter seruat Ecclesia. 280. c. *quænam illæ sint.* 280.e
Horæ, tertia, sexta, & nona, precibus cuius exemplo, & quo mysterio dicatæ. 7. d
Horæ canonicæ quando secundum hanc distributionem psalmorum & orationum qua vtimur, celebrari sint cœptę. 349.e
Horæ canonicæ viij. diurnæ vij. 650.d
Ad horas lectiones & responsoria & versus. 186.a
Horas priuatim legens, antiphonas etiam ante Psalmos imponat. 644.a
Horæ canonicæ non omittuntur nisi à vacuis & ingratis. 466.a
Horæ canonicæ pro beneficiis Dei vectigales sunt gratiarum actiones. Ibid.
Horæ caninicæ initium & finem in Deum referunt. 467.b
Horæ canonicæ cur per triduum passionis carent initio & fine. Ibid.
Hostia altaris plenitudinem diuinitatis & gratiæ continet. 476.d
Hugo de S. Victore, regulam Canonicorum regularium explicuit. 632.c
Hugonis de S. Victore modestia & humilitas. 731
Humaniformij hæretici Deo humana membra tribuentes. 588.d
Humaniformiorum ridiculum figmentum. 610.c
Humana natura in Christo exaltata & immutata maxime. 589.b
Humana natura in Christo ante passionem vt aqua, post, vt crystallus. Ibid.
Hyacinthus quid. 64.a
Hyacinthina tunica. 63.b
Hymni qui sint. 185.b
Hymnos antelucanos primitiua apud Alexãdriam ecclesia celebrat. 350.d
Hymnos, qui in ecclesia esse dicendos negauerunt, confutantur. 358. b
Hymnorum scriptores. 2.e.300.e
Hymni diuini, & humano ingenio compositi. 2.e
Hymnos ecclesiasticos Hilarius composuit. 2.e. & *Ambrosius, qui Ambrosiani dicti. Ibid.*
Hymnus Angelorum, Gloria in excelsis, propter pacem à Christo factam. 472.e
Hymnus trium puerorũ cur sabbatis quatuor temporum cantatur. 492.c
Hymni authentici per annum. 649
Hymni metrici in quibusdam ecclesiis olim non cantati. 350.c
Hymnos metricos qui legitimè componuntur cantandos. 350.c
Hymni metrici nisi approbati sint, & authentici, non canendi. 648.b
Hymnarij Romani. 648.b.649.a
Hymnos Ambrosianos ad omnes cursus mandat Benedictus decantari. 359.d
Hymni ad diuina officia quo loco in Romano, Ambros. & Benedictino officiis dicantur. 648. 649.a
Hymnus in nocturnali officio. 660. a
Hymnum qui laudibus detrahunt, contra canones veniunt. 651.d
Hymni consueti ad minores horas non mutantur Romano more. 648.b
Hymnum festi ad horas minores diuidere non est authenticum. 648.b
Hymnus in completorio post psalmos, non post Capitulum, dicendus. 648.b
Hymnus Mariæ, Magnificat. 189. c.190.d.190.e
Hymnus Gloria in excelsis 132. *hunc Hilarius absoluit.* 68.d
Hymnus trium puerorum. 199.c. *eius commendatio.* 640.e
Hymnus trium puerorum in sabbatis xij. lectionum ad Missam: apud Hispanos omnibus Dominicis cantari solitus. 347.e.358.c. *cum canitur, non sedendum.* 395.d
Hymnus præfatio etiam nominata. 164.c.e
Hymnum Sanctus, vt cantaret populus, à Sixto instituti. 164.e
hyssope. 35.b.178.d.213.b.401.a
Hyssopus mystice fidem significat. 410.b

I

Iacob, seruiens pro Lia & Rachel, Christum præfigurabat. 470.c
Ianitores in lege. 137.e
Ianuarij calendæ, qua superstitione cultę à Gentilibus sint. 33.d
Ianus bifrons & quadrifrons. Ibid.
Ianuarium primum esse mensem, Numa cur voluerit. Ibid.
Ianus, & in eius honorem Calendæ Ianuarij, à Gentilibus quo cultu celebratæ. 14.d
Ieiunia veteris testamenti. 285.c
Ieiunauit Christus statim à baptismo. 35.b
Ieiunium sine eleemosyna quale censendum. 446.e
Ieiunij orationi iuncti quanta vis. 284.c
Ieiunium perfectum quale sit. 207. b. & *quale approbet Deus.* 40.d.446.d
Ieiunij encomia & effectus, 15.b. *eiusq; per tempora discretio.* 284.e.285.a
In ieiuniis quid cauendum. 287.d
Ieiunij tempore carnes cur vetitæ. 15.b.287
Ieiunium post vesperam soluitur in Quadragesimæ extra quam, post nonam. 401.a
Ieiunia cur certis temporibus instituta. 216.e
Ieiunia legitima ab omnibus seruanda. 287. a. *illa quoque quæ proprius Episcopus pro quauis occasione indicit. Ibid.*
Ieiunia multorum priuata. 287.a
Ieiunandum prima & quinta feria non esse Melchiades decreuit. 36 d.85.a.344.e
Ieiunium quinta feria Canone prius vetitum. 401.b *postea ieiuniis pliapcata. Ibid.*
Ieiunandum Dominico non est. 12.c.217.d.344.e
Ieiunant Manichæi Dominico. 217.d
Ieiunium sextæ feriæ. 15.b.286.c
Ieiunium biduanum vndè ortum. 287.d
Ieiunium quartæ feriæ & à carnibus abstinentia. pag. 127.e
Ieiunium apud quosdam etiam secunda feria seruatur. 217.c
Ieiunium sabbati cur quidã obseruent. 15.b.286. c
Ieiunatum Romæ Sabbato. 217. c. *sabbato relaxatio ieiunij magis conuenit, quàm ieiunium.* 217.d
Ieiunatur in vigiliis Sanctorum. 52.b. *nisi in Dominicam incidant. Ibid.*
Ieiunium triduanum. 287.c
Ieiunium triduanum à Niniuitis sumptum. 15.a
Ieiunium triduanum non eodem tempore ab omnibus seruatur. 354.e
Ieiunium in aduentu Romani agunt. 653.b
Ieiunium ante Natiuitatem Domini. 286. d
Ieiunium Calendarum Ianuarij qua occasione institutum. 14.d.33.d
Ieiunium ante Pascha alij sex, alij septem, alij octo, alij nouem hebdomadis peragant. 84
Ieiunium septem hebdomadarum ante Pascha instituit Telesphorus. 84.a.91.c
Ieiunium à Quinquagesima auspicantur Romani. pag. 291.e
Ieiunium Quadragesimale in lege, prophetis & Euangelio fundatum. 13.a. *recte confine & contiguum Dominicæ passionis est constitutum.* 13.c
Ieiunij Quuadragesimalis auspicandi varietas, & vndè ea sit nata. 36.e
Ieiunium Quadragesimæ quarta feria post Quinquagesimam inchoatur. 94.c. *ieiunij caput ea dicitur. Ibid.*
Ieiunium Quadragesimale. 285.a
Ieiunium quadraginta diebus cur peragatur. 13.c. 40.d.
Ieiunij xxxvj. dies Gregorius facit. 95.c
Ieiunium perducitur vsque ad noctem in sabbato sancto. 200.d
Ieiunium austerum piorum à nocte cœnæ Domini, vsque ad sabbatum. 48. d. *ad exemplum Apostolorum. Ibid.*
Ieiunia relaxãtur Ecclesiæ traditione intra Pascha & Pentecosten. 12.a.15.c.127.d.122.c. *histamen diebus si qui ieiunare volent, non sunt prohibendi.* 15.a
Ieiunium quinquagesimale post Pascha non seruant Hispani. 355.a
Ieiunium Triduanum ante Ascensionem. 128.b 218.b. 295.e.
Ieiunia repetuntur post Pentecosten. 130.c.133
Ieiunium post Pentecosten. 286.a. *hoc alij post Pentecosten, alij post Ascensionem inchoant.* 14.a
Ieiunium Calendarum Nouembrium Iudæis mandatum Ecclesia retinuit. Ibid.
Ieiunia quater celebranda Calixtus statuit, ante quem, ter. 396.e
Ieiunia quatuor temporum seruanda. 366.c
Ieiunia quatuor temporum denunciandi formula Leoni vsitata. 393.d
Ieiunium celebrari in collatione ordinum, mos primitiuæ Ecclesiæ. 133.a
Ieiunium quatuor temporum, quamuis ordinatio non fiat, nihilominus necessario obseruandum. pag. 58.c.134.b
Ieiunatur in xij. lectionibus, etiamsi in hebdomada Pentecostes incidant. 133.a
Ieiunio quatuor temporum, quo tempore sit seruandum. 14.a.134 e.286.e.366.c.366.d. *ante sabbata hæc quarta & sexta feriis etiam ieiunandum.* 286.e
Ieiunia quatuor temporum cur tribus peragantur. pag. 58.d
Ieiunia quatuor temporum quando seruanda desiniuit Gregorius vij. cum ante in his seruandis error & varietas sæpe accideret. 391.d *& sequent.*
Ieiuniorum quatuor temporum officia. 431.e
Ieiunio quatuor temporum, quarta feria cur duæ, sexta vna, & sabbato quatuor lectiones. 58.e. 135.d.
Ieiunium quatuor temporum vernale quando agendum. 401.e
Ieiunium vernale quatuor tẽporum, in prima Quadragesimæ septimana legitimè seruatur. 391.c

Universidad de Deusto
Biblioteca

Ieiunium vernale quatuor temporum Martio cur adscribatur, cum in Februarium nonnunquàm incidat. 392.c
Ieiunium quatuor temporum æstiuale, in hebdomada Pentecostes legitimè seruandum. 392.c
Ieiunium æstiuale extra Pentecosten, qui obseruant, magnam officiorum confusionem faciunt. 393.d.
cur Iunio adscribatur, cum in Maium sæpe incidat. Ibid.
Ieiunium quarti mensis fuit quando in Vigilia Pentecostes celebraretur. 368. e
Ieiunium septimi mensis. 14.c. decimi mensis in vigilia Natiuitatis à quibusdam Italis. Ibid.
Ieiunium quatuor temporum hyemale, cur plenius officium sit nactum. 395.a
Ieiunio indicto & quatuor temporum Antiphonas & responsorios peculiares collegit Amalarius.
pag. 261.b
Ieiunium quadragesimale, decima totius anni.
pag. 508.c
Ieiunium primitiuæ Ecclesiæ, multò prolixius fuit quàm nunc est. Ibidem.
Ieiunium æstatis in hebdomada Pentecostes. 603.d
Ieiunium non contristat solennitatem Spiritus sancti. Ibidem.
Ieiuniũ quatuor temporum quare institutum. 759
Iesus filius Naue Christi typum & nomine & opere gessit. 554.d
Ignis, per triduum ex lapide aut crystallo quid significat. 534.c
Ignis quem venit Christus mittere in terram, Spiritus sanctus est. 598.a
Ignis multiplex effectus & commoditas. Ibid.
Ignis inuisibilis quomodo differt à visibili. 598.e
Imaginum vsus. 337.c.338.a.443.a
Imago Dei semper manst in homine, sed non similitudo. 552.e
Imber matutinus & serotinus, doctrina est Euangelij. 604. b
Incarnationis mysterium diabolo fuit occultatum.
pag. 585.c
Incensum post offertorium. 70.a
Incensum altaris significat corpus Christi igne Spiritus sancti repletum. 472.c
Incensum, quod imponitur cereo paschali quid significat. 547.d
Incorporalia quomodo moueantur. 729.e
Infantes quomodo dicantur credere & fidem habere. 116.c.d
Infantes per baptismum eximuntur à damnatione, quam ab Adam traxerunt. Ibid.
Infantes saluantur alterius fide, qui alieno quoque peccato rei tenentur. Ibid.
Infirmitas sæpe ex peccato. 100.b
Infirmi vngẽdi oleo sancto. 79.c. vltimo viatico non priuandi. Ibid.
Infirmi oleo vncti ab Apostolis. 99. e
Infirmi morituri, viaticum sumunt corpus Christi.
pag. 87.e
Ingressa, quid. 646.d
Ingratitudo in Deum summa. 628.a
Innocentum festum cur minus solenniter celebretur 397. e. octaua maiori solennitate. Ibid.
Insignia passionis Christi, omnia in scripturis prædicta. 521.d
Inspiratione diaboli appetierunt Adam & Eua esse sicut dij. 614.e
Instructio nostra ex figuralibus veterum historiis.
pag. 567.c
Intelligens quantum differat à non intelligente.
pag. 683.a
Intentio Christi sacramentum corporis & sanguinis sui instituentis. 480.a
Intentio Euangelistæ in texenda linea Christi.
pag. 498.d
Introitus. 382.a. quis hunc missæ adiecerit. 346.a
Introitus quandiu canitur, non sedetur. 151.e
Introitus, Cantate Domino. 253.b
Inuentionis sanctæ crucis festum, eiusq; officium.
pag. 404.a
Inuidia. 41.e
Inuitatorium. 192.c
Inuitatorium D. Benedictus Antiphonas nominat.
pag. 646.c
Inuitatoria longiora & plura hyeme quàm æstate.
pag. 652.c
Inuitatorium triduo ante Pascha non dicitur. 47.a 201.b. & in Epiphania. 213.c.216.d.240.d
Inuitatorij repetitio mutari à Dominica in passione consueuit. 402.b
sine Inuitatorio nocturnale officium celebrat Apostolicus in vigilia Natiuitatis Domini. 237.e
Inuitatoriæ antiphonæ quo ordine ab Amalario digestæ. 258.c
Inuitatorium, Non sit vobis vanum, in capite ieiunij Amalarius posuit, cum esset in media Quadragesima. 246.c
Inuitatorium cur in Epiphania omittatur. 712.e
Iob demonstrat, scientiam esse causam effectiuam luctus pœnitentiæ. 573.b
Ioannis Baptistæ festiuitate cur tres Missæ celebrentur. 59.c.177.a
S. Ioannis festiuitatis nocturnale officium. 256.b
Ioannis Euangelium de passione Domini legitur in die Parasceues propter duas causas. 539.e
Ioannis Baptistę triumphi tres. 761.d
Ionas putatur filius Sareptanæ fuisse, quem suscitauit Helias. 519.a
Ionas Christi typum gessit quando fluctibus maris se tradidit. 523.a
Iosaphat regis historia, cur in vigilia Natiuitatis legitur. 494.d
Ioseph ab Arimathia potens vir fuit. 170.b
Ioseph cur permissus est venundari in Aegyptum.
pag. 496.c
Ioseph nutricius Christi, supremus scalæ gradus, innixus est Dominus. 497.c
Ioseph venundatus à fratribus suis, typum Christi gessit. 512.c
Ira quæ ex se gignit uitia. 41.e
Ira tristitiam gignit, ex ea rursus alia nascuntur vitia. 42.a
Irriguum superius, amoris inferius, timoris est fletus. 571.a

Isidorus Fulgentij hortatu de diuinis officiis scribit.
pag. 1.a
Isidorus sua patrum sententiis interpolauit & firmauit. 31.e
Ite Missa est, diaconus pronunciat. 79.a
Ite Missa est, quando dici vel non, debeat.
pag. 175.c.189.a.400.e
Ite Missa est, festiuis diebus & in populi conuentu dicitur. 400.a
Ite Missa est, in Aduentu & Septuagesima cur non dicatur. 400.b
Iube domine benedicere. 371.c
Iubilæus annus. 40.c.126.452.c
Iudæi per prædicationem Enoch & Heliæ Ecclesiæ adiunguntur. 227.b
Iudæi cur dicuntur Assyrij, id est, seipsos dirigentes. 494.c
Iudæi per Israel, Gentes per Ioseph significantur. Ibid.
Iudæi in fine seculi in Christum crediturisunt. 501.e
Iudæorum sanctificatio ante pascha. 520.a
Iudæi salices sunt illæ, ad quas suspensa sunt organa cantionum. 523.b
Iudæi coniuncti filijs Edom contra Christum. Ibid.
Iudæi dum timerent pruinam, irruit super eos nix.
pag. 524. b
Iudæi promissiones & ritus suos ad terrena conuertebant. 160.b
Iudæi iræ & rixæ filij Gentibus inuident salutem.
pag. 577.a
Iudæi per Thomam incredulum præfigurati sunt.
pag. 579.d
Iudæi desertum dicuntur, quia deserentes Deum, deserti sunt. 580.d
Iudæi recusant venire ad nuptias. 622.d
Iudith fortitudinis specimen. 475.b
Iuonis sermones. 407.d
Iuo opusculum vocat sermonem de cõuenientia veteris & noui sacrificij. 435.b
Iuramentum non est vinculum iniquitatis. 643.d
Iuramenta non necessaria, de consuetudine loquendi tollenda. 445.e
Iustitia dei summa, quæ propter Adæ culpam omnibus claudebatur regnum cœlorum. 551.b
Iustus in principio est accusator sui. 585.a
Iustitia quomodo seruata in redemptione hominum
pag. 629.d
Iustitia cessit cessit misericordia. 630.a
Iustitiæ ordo. 771.b

K

Kalendario qui sancti inscribendi. 657.c
Kyrie eleison Latini Græcè, Græci Latinè cur in Missa canant. 68.c
de Kyrie eleison in Missa quod canitur. 154.b
Kyrie eleison in Missa quomodo & per quos apud Græcos & apud Romanos dici consueuerit.
pag. 205.d
Kyrie eleison in omnibus officiis diuinis orationem Dominicam præcedit. 154.d.183.a
Kyrie eleison oratio Dominica sequitur. Ibid.
Kyrie eleison prologus est orationis Dominicæ in diuinis officiis. 226.a
Kyrie eleison post Magnificat Romani dicunt.
pag. 191.a
Kyrie eleison in prima. 183
Kyrie eleison non dicendum ante orationem ad horas. 203.e
Kyrie eleison omnes vniuersalis Ecclesiæ preces significat. 472.d

L

Lamina aurea. 64.c.65.b
Lapis Iacob erectus in titulum, figura Christi lapis angularis. 498.e
Lateranensis Antiphonarius. 656.b
Lateranensis Ecclesia in nomine Saluatoris & honore Ioannis Baptistæ à Constantino Imper. constructa. 504.e.578.e
Lateranensis Ecclesia cur ad Lateranas dicta est. Ibidem.
Latria solum Deum colimus. 13.a.297
Latriæ ad cultum pertinet sacrificij oblatio. 13.a
Latro in cruce de latere Christi prosluente aqua baptizatus est, sicut omnis, quæ tunc super terram, vel subtus terram erat, Ecclesia. 549 550.a
Latus Christi in cruce apertum præfiguratum latere Adæ dormientis. 542.b
Laudes seu Matutinæ & vigiliæ nocturnæ distinctæ horæ. 650.c
Laudes sine alleluia canere, à quibus sit profectum
pag. 5.e
Laurentij vita citata. 353.c
Laurentij mors preciosa sicut sanguis Abel, clamauit in cœlum. 505.a
Laurentius piscis magnus & assus. 574.c
Lazarus pauper Gentilis populi typum gessit.
pag. 616.b
Lazarus amicus Christi mortuus, qualem peccatorem præfigurabat. 519.c
Lazarus prima die nouæ lunæ ante passionem Christi suscitatus. 520.e
Lector Christus fuit. 137.b
Lectores. 21.d.60.e.156.d
Lectores. 138.c. quibus verbis ordinentur. 20.e
Lector instruitur. 201.c.300. 412.e
Lectoris officium. 740.e
Lectionis fructus. 300.d
Lectiones in Ecclesiis vndè originem traxerint. 3.e
quantus ex ea fructus redundet, itaque attentè postposita etiam oratione ab omnibus auscultanda. Ibid.
Lectiones in ecclesiis de scripturis sanctis sumuntur.
pag. 3.b
Lector lecturus chorum exit. 158.d. gradum ascendit. 159.e. cum tribunal nominat Cyprianus. Ibid.
ante Lectionem diaconus silẽtium clara voce admonet. 3.a
Lectio in matutinali officio. 196.e
Lectiones ad singulas dici horas, vndè profectum.
184.b. & noctu item. Ibidem.
Lectionis tempore sedetur more maiorum. 150.a.
aut silendo statur. 186.a

Universidad de Deusto
Biblioteca

Lectiones in nocturnali officio à cæteris quid differant. 193.a
Lectiones quo ordine ad nocturnos Romani legant. pag. 645.d
Lectiones maiores in vigiliis nocturnis. 638
Lectiones quo tempore ex quibus scripturæ libris legendæ. 644.c
Lectiones in festis trium lectionum de scriptura. pag. 660
Lectiones per octauas sint etiam de historia currenti. 661
Lectiones ad paruas horas, Capitula vocantur. pag. 638.d.649.a
In lectionibus diurnalibus ad horas, cur benedictio non petatur. 186.c
Lectio non est in prima. 184.d.186.e.*monachi eam in capitulis legunt.* 184.d
Lectionem in vesperis profert sacerdos. 190.e
Lectionem non habet Completorium. 192.a.232.d
Lectio à religiosis ante Completorium legitur. pag. 192.a
Lectio ad Missam & ad horas diurnas quid differat. 186.b
Lectionarius. 177.d.210.b
Lectionarij ordinator Hieronymus. 358.a
Lectionarij authentici annotini Paschæ meminerunt. 404.a
Lectionarius cur plures lectiones contineat inter Pentecosten & Aduentum, quàm sint officia. pag. 365.c
Lectio ad Missam ex gradu profertur. 186.d
Lectiones xij. cur dictæ, cum tantummodo sex sint. pag. 132.e
Lectiones diurnæ quare à maioribus, & nocturnæ à minoribus legantur. 745.b
Lectionibus præmittenda oratio, atque petenda benedictio. 468.b
Lectionibus cur subditur, Tu autem Domine, & Deo gratias. 468.c
Lectionem epistolæ semper sequitur graduale, exceptis paucis diebus. 529.a
Lectiones matutinales noui testamenti à Pascha vsque ad Pentecosten. 590.a
Lectio libri Regum post Pentecosten. 623.d
Legati victoris Christi, sacerdotes sunt in baptizando. 547.e
Leo primus addidit in canone, Sanctum sacrificium, immaculatam hostiam, &c. 483.b
Leodium triginta episcopos canonizatos habuit. pag. 657.b
Leuitæ. 60.b
Leuitarum officium in lege veteri. 138.e
Leuitæ qui in lege veteri, nunc diaconi sunt. 20.a.c
Lex noua & vetus & vtriusque inter se collatio. pag. 3.d
Lex puniebat peccata, non soluebat. 105.c
Lex quomodo se habet ad Euangelium, & quomodo præcedit. 473.d
Lex victoriæ, quando fortis armatus debellatur. pag. 547.c
Lex sicut puer medici. 620.b
Liber in sinistro brachio quid. 687.c
Libri Salomonis præsignant doctores Ecclesiæ in pace. 624.a
Liber Iob contra tentationes legitur. 624.b
Liber Machabæorum, virtutum contra vitia pugnas refert. 624.d
Libri prophetarum deinde vsque ad aduentum Domini leguntur. Ibid.
Lignum scientiæ boni & mali quid est. 496.b
Lignus malleolus in tabula sonans, Christum in cruce significat. 535.a
Linea Christi in Matthæo secundum descensum, in Luca secundum ascensum. 498.c
Linea Christi, velut linea piscatoris. 499.c
Linguarum diuersitas Apostolis necessaria fuit. pag. 599.d
Linguæ LXXII. ad Christum sunt conuersæ. 693.d
Linum quid significet. 64.b.65.c.70.c.151.c
Litaniæ quid. 55.c.354.d
Litaniæ rogationes Latinè dictæ. 284.a
Litania in Missa. 278.e.345.e
Litanias in festis B. Mariæ fieri instituit Sergius. pag. 35.d
Litaniæ sabbato sancto septenæ, quintenæ, ternæ. pag. 55.a
Litaniæ septenariæ, quinariæ, & ternariæ post baptismum in Pascha & Pentecoste. 89.b.121.c.*ante & post baptismum fiunt.* Ibid.
Litania maior. 404.c
Litania maior à Gregorio & cur instituta. 57.e 128.d. 204.e.
Litania illa Gregorij septiformis. 205.c.354.d.*sine ieiunio peragitur.* 57.e.128.e
Litaniæ triduanæ ante Ascensionem. 404.a
Litaniæ in die præsentationis Domini in templo, à quo institutæ. 178.d
Locus altior pro Euangelio. 688.a
Longobardi Italiam per xxxv. annos incursionibus vastarunt. 205.b
Loqui à semetipso, & non loqui à semetipso, quomodo differunt. 583.e
Lucas, vitulus diserтus, sanguinem Christi sudorem solus describit. 527.d
Luctus duplex, vnus mortuorum, alter pœnitentiæ. 572.a
Luminum in Ecclesia vsus. 385.c
Luminarium de extinctione triduo ante Paschа, quo modo in Romana & aliis Ecclesiis obseruetur. pag. 249.e
Lumina xxiiij. per singulos tridui ante Paschа dies, incensa extinguuntur. 201.d
Luna Ecclesiæ typus. 450.b
Luxuria generalis vox, libidinum omnes species complectitur. 42.e. *quæ ex se gignat vitia.* Ibid.

M

Macedonius hæreticus æterni delicti reus. pag. 596.e
Magnificat Euangelij appellatione, vt quod ex Euangelio sit, significatur. 56.d
Magnificat, ad vesperas quotidie ex Ecclesia more canitur. 191.d

Magi tres, legati Gentilis populi 213.e.241.c. *totius mundi.* 241.b
Magi quales fuerint, & quorum sint disciplinam traditionemq; secuti. 34.e
Magi Gentium primitiæ. 502.e
Magi phantastica Moyses vera signa fecit. 632.c
Magorum munera quid mysterij complectantur. pag. 34.b.241.c.430.c
Mala Deus ordinat per pœnam, 629.b
Mala Deus præsciuit, sed non prædestinauit. 496.a
S. Mamertus Rogationes ante Ascensionem instituit. 57.b. 128.a
Mandatum in cœna Domini duplex, lotionis pedum, & refectionis pauperum. 533.a
Manna typus verbi Dei, vos Spiritus sancti. 494.d pag. 495.a
Manna cur sabbato non computruit, sicut aliis diebus. 495.b
Mansio Spiritus sancti per substantiam non est stabilis in mortalibus, sicut mansio per fidem. pag. 478.c
Manus impositionem benedictionem tribuere antiquis solenne. 18.d
Manus impositionis mysterium explicatur. 140.c
Manus impositio episcoporum proprium munus. pag. 121.b
Manus impositione dandum esse Spiritum sanctum Apostoli docuerunt. Ibid.
Manus impositione post baptismum dant Spiritum sanctum episcopi. 31.b
Manus in impositione cum pollice crucem in frontibus infantium faciunt episcopi. 120.b
Manus impositio quasi baptismus ignis est. 119.b
Manus impositione, quæ nobis dona tribuantur. pag. 121.a
Per manus impositionem datur Spiritus sanctus. pag. 119.b
Sine manus impositione mortui vt saluentur, in minori tamen esse gloria, si per negligentiam sit omissa, credendi sunt. 118.c.119.a
Manus impositione ordinantur episcopi. 266.b
Manus impositione, sacros ordines largiuntur episcopi, 140.d
Manus imponere super diaconum an solus episcopus debeat. 139.e.140.c
Manus quando episcopus in Missa lauet. 162.c. *diaconus.* 169.e
Manus in Missa quando sacerdos & cur lauet. pag. 279.e
Manus sacerdotis oleo sancto pro clauis passionis Christi signatæ. 478.c
Mappula. 65.e
S. Marcelli martyrium, & de eo responso. 243.e
Marcus cur assimilatur Leoni. 564.e
Mare vitreum in circuitu sedis Dei, baptismi figura est. 491.b
Maria virginum fœminarum caput & auctrix. pag. 24.c
Maria omni neuo originalis & actualis culpæ expers. 440.b
S. Mariæ vterus in concipiendo & pariendo permansit intemeratus 444.c
Mariæ virginis in festiuitatibus processiones. 178.e
Maria templum Domini, sacrarium Spiritus sancti. pag. Ibid.
Maria thalamus sanctitatis, triclinium diuini consilij. 493.e
Maria porta cæli maxima. 494.d.497.e
Maria dicitur Hierusalem, dicitur etiam mons myrrhæ & thuris. 563.d
Maria regina angelorum mater fidei nostræ. Ibid.
Maria speculum humilitatis. 571.a
Mariæ tres circa sepulchrum. 692.b
Martyria quid. 335.e
Martyrij baptismus maioris gratiæ est, quàm baptismus aquæ. 553.e
Martyrologia. 403.e
Martyrologium Bedæ citatum. 243.b
Martyrologium Hieronymus post Eusebium qua occasione motus conscripserit. 355.b
Martyrologium Ecclesiæ. 656.e
Martyrologium ad primam recitari solitum. 651.d
Martyrum membra sibi venditabant monachi circuncelliones. 22.b
Mathematica. 320.a
Materia sacrificij duplex substantia est, diuina scilicet & terrena. 479.b
S. Matthiæ festum in anno bissextili obseruandum. pag. 400.e
Matutinorum officiorum antiquitas. 8. d. eorum in Ecclesia vsus à quibus cœperit & cur celebretur. Ibidem.
Matutinale officium. 281.a
Matutinæ abusiuè vocantur nocturni cum laudibus pag. 650.d
Matutinale officium, quomodo auspicentur Romani. pag. 225.c
Matutinale officium, si matutinum tempus ostendas incipiunt Romani dimisso nocturnali. 228.e
Matutinalis officij viij. psalmi excutiuntur. 195
Matutinalis officij per Dominicas noctes, ordo & ratio. 226.e. *& per quotidianas noctes.* 227.b
Matutinali in officio per quotidianas noctes psalmi et cantica mutantur. 296.e
In matutinali officio, duo psalmi sub vna antiphona, & item tres sub vna, Benedicite sine gloria cur canantur. 195.b.196.e
Matutinali in officio per Dominicas noctes à septuagesima vsque in Pascha duo psalmi mutantur. pag. 199.c
Matutinale officium hebdomadæ ante Natiuitatem Domini. 235.c
Matutinale officium in octauis Natiuitatis. 212
Matutinarum ratio & mysterium. 466.e
Matutinæ in triduo passionis cur non dicantur in silentio sicut horæ. 536.e
Matutinæ & vesperæ similiter inofficientur. 651. *nec tamen hoc fit ab omnibus.* Ibid.
Mauritius Imperator cum prolibus suis masculis occisus. 204.b
Medardi confessoris festiuitas. 148.a
Mediæ noctis vigilia multa habent. 467.c
Melchisedech, Sem primogenitum fuisse autumant Hebræi. 60.c

Universidad de Deusto
Biblioteca

Melchisedech & eius oblatio, typum Christi, et Christi corporis & sanguinis Christianorum oblationis gessit. 6.b
Mel de petra oleumq; de saxo durissimo, quid est. pag. 554.e
Mendacium non est paruum peccatum. 131.d
Mens hominis imago Dei. 729.a
Mensa Domini quid mystice. 766.d
Mentis corruptiones tres, quæ. 769
Metensis ecclesia primum cantum Romanum edocta, in Galliam transfudit. 646.b
Metensis Antiphonarius Amalario aliquando tantum cognitus. 235.e
Metropolitanus cur vocetur Archiepiscopus. pag. 267.b
Micrologus citatus. 650.c.654.d
Ministri altaris cur in aduentu non vtuntur consuetis vestibus 488.d
Miracula duo, in testimoniũ Christi clauso prodeuntis sepulchro. 567.c
Miracula non contra naturam, sed supra naturam. pag. 568.a
Miraculum de Eucharistia. 771
Miserere mei Deus pœnitentis psalmus. 199.d
Miserere mei Deus, psalmus per singulas ferias in laudibus cur dicatur. 198.a
Misericordia & veritas obuiauerunt sibi. 551.b
Missa quid, & vndè sic dicta. 67.a.70.a.278.e
Missa catechumenorum, & Missa fidelium. 79.a
Missa in commemorationem passionis Christi peragitur. 67.e
In Missa ad altare passionis Christi memoria replicatur. 79.e
In Missa quæ aguntur in sacramento Dominicæ passionis aguntur. 87.a
In Missa mors Christi commemoranda, non Natiuitas. 386.d
Missa Christus legatus & aduocatus noster ad patrem mittitur. 176.a
In Missa sacrificium offert tota Ecclesia. 72.e. vbi offerentium illic nomina vocitari consueuerint. pag. 72
In Missa Christi nobis actiones repræsentat episcopus. 151.e.155.164.166.386.d
In Missa oblatio corpus & sanguis filij Dei efficitur, seu in corpus eius transit. 73.e. corpus quod sumpsit ex vtero Virginis. Ibid.
In Missa pro variis necessitatibus, vbi & quibus locis rogetur, rogariq; possit. 88.b
Missam Christus Apostolos docuit, Apostoli ad nos vsque transmiserunt. 278.e
Missam Petrus Antiochiæ primus celebrasse dicitur. 67.e
Missæ celebrationem à B. Petro institutam, eodem modo vniuersus orbis peragit. 5.e
Missæ, seu orationum in Missæ sacrificio, ordinem Petrus instituit. Ibid.
Missæ sacrificij septem orationes, & quæ huius numeri ratio. Ibid.
Missa qualis Apostolorum tempore. 67.e.148.a. 345.e.206.c.357.c.278.e.
Missæ sine cantu antiquitus celebratæ. 676.b
Missæ ordo. 278.d.389.d
Missæ & singularum quæ in ea fiunt rerum, explicatio. 151.a
Missæ expositio Iuonis. 429.b. & cum sacrificiis veteris legis collatio. Ibid.
Missæ ordo, & qui ad hanc temporis successu, & qua occasione aliquid adiecerint. 345.e
Missæ quid à quibus pontificibus sit religione crescente adiectum. 74.a.278.c.357.c.e
Missæ antiphonas Cælestinus adiecit. 66.e
Missa publica. 96.a
Missa publica in sabbato sancto. 55.d. quæ noctu peragitur. Ibid.
Missæ quotidianæ à Gregorio quemadmodum celebratæ. 206.b
Missa legitima in qua sacerdos respondens, offerens, atque communicans. 349.b
Missa quam celebrat sacerdos solus. Ibid.
Missæ super memorias martyrum atque corpora. pag. 297.a
Ad Missam quibus se precibus præparet sacerdos. pag. 382.b
Missæ sine lumine numquam celebrantur. 385.b
Missa sine orario non celebretur. 349.c
Missæ quibus & qualibus vasis vestibusq; peragantur. 349.e
Missæ olim soli communicantes interfuere. 389.b. pag. 402.d
In Missa pro eis quam maximè & quasi nominatim qui ibi offerunt, & communicant, oratur. 349.a. Nihilominus cæteris quoque prodest in fide & deuotione offerentium & communicantium permanentibus. Ibid.
Missam celebrans, saltem duos sibi adiunctos habeat. 383.a
Missas sine baculo & velato capite sacerdotes celebrent. Ibid.
Ad Missam processionis series & ordo. 66.151
Ad Missam processio ab Austro in Septentrionem cur fiat. 68.b
Missæ in introitu episcopus pacẽ ministris dat. 153.c. & cantoribus. 153.d. Diaconi altare osculantur. Ibid.
Missa à lectione olim auspicata, donec introitum Cælestinus adiiceret. 151.a
Missæ introitus ab octauis Epiphaniæ ad præsentationem Domini. 213.d
Missæ in principio Constantinopoli psalmum, Venite exultemus, cani audiuit Amalarius. 240.e
In Missa quot orationes dicendæ. 383.d. atq; eæ sint authenticæ. Ibid.e
Ad Missam vnam tantùm orationem Romani dicunt, etiam cum Sanctorum solennitates in Dominicam incidunt. 87.a
Missæ orationes quomodo distinguantur, & quibus quæque nominibus nominentur. 125.c
In missa ad patrem oratio dirigenda. 71.a.383.b. quomodo eæ concludendæ, & quo loco interponendum Deus. Ibid.
In missa plebs quoque sacerdoti salutanti respondeat. 383.d
Ad missam Gloria in excelsis, quis adiecerit. 66.e.

Quis

Quis antiphonas. Ibid.
ad Missam duæ lectiones quibus diebus cõtinuatim legantur. 402.c
ad Missam Dominicis diebus Hispani hymnũ trium puerorum cantant. 347.e
Missæ sacrificij tempore Symbolum Nicænum populo prædicatur. 6.d
in Missa oblationes populus præsentat, oblataq; à populo sacerdos suscipit. 69.d
Missæ ad sacrificium aquam offerunt cantores. pag. 67.b
in Missa incensum post offertorium. 70.e
Missa à quo loco auspicetur. 176.d
ad Missæ canonem addit Gregorius, Diesq; nostros &c. 88.a
in Missa qua serie ministri stent tempore sacrificij. 165.a. inclinati stant. Ibid.c
in Missa cur à Te igitur orationes tacitè submissa voce recitentur. 72.e
in Missa corpus Christi conficiunt cum Pontifice presbyteri apud Romanos. 102.b
in Missa exaltatur vox in his verbis, Nobis quoque peccatoribus. 169.e.170.e
Missam sine ministro celebrans, patenam cur resumat, & in altari deponat. 387.e. cur patenam sub corporali abscondat. 385.d
ad Missam orationem Dominicam dici, ab Apostolis sumptum, non à Græcis. 206.c
in Missa diuisæ oblatæ partes quid significent. 67.c
in Missa panis in vinum immissio variè agitur. pag. 280.a
ad Missam Sergius, Agnus Dei adiecit. 67.c
in Missa quid transitus ab vna parte in aliam designet. 430.a.435.c
in Missa vsque ad sacerdotis benedictionem perseuerandum. 349.c
Missa quomodo finiatur. 389.b
post Missam presbyter quænam agat legatq;. 389.e
in Missa cur manus lauet sacerdos post sumpta sacramenta. 435.e. aqua qua lotus est, in locum sacrum huic cultui deputatum funditur. 435.d.e
Missæ tempore vincti cuiusdam vincula soluta, cum ea pro ipso tamquam mortuo celebrata esset. pag. 179.c
Missæ reliqua officia correspondere debent. 398.d
Missæ per hebdomadam quales agendæ. 653.a
Missa in vigiliis. 660.e
Missæ sacrificium pro viuentibus & defunctis offertur. 73.c
Missæ pro defunctis, ex Apostolorum traditione fiunt. 297.c
Missæ sacrificium defunctorum ad salutem prodesse creditur. 75.d. nomina recitata ab antiquis. pag. 75.d
Missa pro defunctis quotidie celebrari potest. 179. & apud quosdam quotidie celebratur. 80.b pag. 221.a
Missa pro mortuis quid singulare habeat. 179.a
Missæ mortuorum sine Gloria, Alleluia, & pacis osculo fiunt. 81.d
Missæ quotidiè celebrandæ. 344.a
Missæ an plures per diem celebrandæ. 345.b
Missas vna die septem vel nouẽ Leo celebrasse fertur. Ibid.
Missas plures vno die audiens, an quot audit, communicare etiam toties possit. 348.e
Missæ binæ in quibusdam festis conuenienter dicuntur. 404.e
Missa qua hora legitimè celebranda. 178.e 219.b. 349.c
Missa in Quadragesima quando 401.a
Missa hora nona per quadragesimam, aliàs hora tertia celebratur. 95.b
Missam in nocte Natiuitatis Telesphorus instituit. pag. 178.c
Missa in die Innocentum quid peculiare habeat. pag. 132.c
Missa in cœna Domini. 47.e
Missa in parasceue non peragitur. 293.e
Missam, qualis fuit Apostolis, etiam in parasceue celebrari vult Amalarius. 200.c
Missa in Parasceue & sabbato sancto cur non peragatur. 49.e.55.d.107.e.200.c.293.d
Missa noctu celebratur sabbato sancto. 117.e 122.e. 145.a. 200.c.219.c
Missa cur in nocte resurrectionis Domini celebretur. 219.c
Missæ orationes & cantus die Paschæ. 56.c
Missæ tres cur celebrentur in festo S. Ioãnis Baptistæ pag. 59.e.177.a.219.c
Missæ ordinem suum Galli ante habuerunt, post Romanum in eis tenorem sunt secuti. 359.c
Missa ablata refrigesceret mox memoria Christi, & vniuersa charitas, mutila fieret fides, spes claudi cans. 480.e
Missæ decor cum tempore per Romanum Pontificem variè adauctus est. 482.c
Missa dicitur, quia ad placandum Deum valens et idonea mittitur legatio. 485.b
Missa legatio dicitur. 684.c
Missa in Parasceue quare non cantetur, sed corpus Christi die præcedenti seruatum sumatur. 765.b
in Missa quæ septem attendenda. 769
Missæ differentia tripartita. 769
Missalis diuersus à Romanis in archiuio Augiensis monasterij. 359.c
Missalia antiqua citata. 177.a
Missalis auctor D. Gregorius. 210.b
Missalis Gregorialis. Ibid.
Missales Gallicos citat Hilduinus. 359.a
Molles qui. 42.c
Monachismi primi auctores. 21.c
Monachorum sex genera, tria bona & totidem vitiosa. 22.a. cœnobitæ monachi. 22.c
Monachi vitiosi quidam. 23.c
Monachorum siue cœnobitarum viuendi ratio exactè describitur. 22.e
Monachi cur festis diebus stant in albis. 486.c
Monachorum mos antiquus in mandato pauperum. pag. 533.e
Monasterij & cœnobij discrimen. 22.e
Mors vindicta primi est peccati. 279.b
Mors & sepultura Christi hora nona cum planctu recolitur. 539.c

Mors

Universidad de Deusto
Biblioteca

Mors animæ ex vindicta, mors corporis ex misericordia est. 548.a
Mors corporis potius optanda, quàm fugienda. pag. 548.e
Mortem corporis intulit homini pater misericordiarum in bonum eius. 614
Mors vindicta primi est peccati. 179.b
Mors Christi quantum fuerit satisfactoria. 629.e
ad Mortem D. Augustinus quomodo se præpararit. pag. 206.e
Mos antiquus circa baptizandos. 516.b
Mos ille rationabiliter mutatus. Ibid.
Moysis intercessio profuit Iudæis vsque ad occisionem Christi. 515.e
Moysi exemplo rectores ecclesiarum debent se apponere pro peccatis subditorum. 619.e
Moyses typum Christi gessit. 684.d
Mulieres à viris seiunctæ, in Ecclesia stabant, & in Boreali parte patrum memoria. 149.e
Mulier Sareptana Gentium populum præfigurabat pag. 512.e
Mulier Samaritana Ecclesiam de Gentibus præsignauit. 514.d
Mulieres per noctem ambulabant è Bethania ad sepulchrum. 559.a
Multitudinis credentium cor vnum & anima vna. pag. 586.c
Muscæ morientes hæretici. 477.a
Musica 321.e
Musicæ vis ad mouendos animos magna. 157.e.a
Musica Boetij citata. Ibidem.
Musica tripliciter exercetur. 186.a
Mysterium incarnationis verbi Dei nullus Sanctorum comprehendit. 493.b
Mysterium in tribus muneribus magorum. pagina 498.d.499.b.477.b
Mysterium reditus Christi ex Aegypto in Iudæam. pag. 531.a
Mysterium refectionis quinque millium de quinque panibus. 510.d.516.b
Mysterium in Moyse virga bis Petram percutiente. 517
Mysterium scrutiniorum in quarta feria post Lætare. 516.e.518.e
Mysterium in resuscitatione pueri per Helisæum. pag. 518.e
Mysterium agni paschalis, qui victus est Pharao. pag. 524.d
Mysterium in duabus ampullis ad altare deportatis pag. 531.c
Mysterium lotionis pedum, ne sordidi peccatis eamus ad altare. 533.d
Mysteria scripturarum per passionem Christi nobis reuelata. 543.b
Mysterium Paschæ in plenilunio. Ibid.
Mysterium cerei paschalis accensi. 547.a
Mysterium vocationis discipulorũ in Galilæam post resurrectionem Domini. 561.c
Mysterium in statione processionis Dominicalis. pag. 563.c
Mysterium veteris historiæ de Esau, & Iacob. pag. 602.c
Mysterium historiæ Dauid Ioab, & Vriæ. 606.a
Mysteria circa epistola & graduale. 686.a
Mysterium in numeris crucum. 692.c

N

Natalis Domini cur solennitas. 9.e.31.a.178. c.211.b. 290.c
de Natiuitate Domini Iuonis sermo. 439
Natalis Domini dies cur non eandem, quam Pascha varietatem habeat. 32.c
Natali Domini nocte ordo officiorum diuinorum. pag. 32.c.397.b
Natali Domini nocte missæ celebrantur ex institutione Telesphori. 32.c
Natali Domini dupla officia in Rom. Antiphonarius pag. 32.c.235.e
Natatoria Syloe, lauacrum Spiritus sancti, scilicet missi. 517.d
post Natiuitatem Domini Dominica quomodo inofficianda. 397.d
Natiuitatis Christi octauæ. 240.b
Natalis Domini octaua quomomodo inofficianda. 398.c. Antiphona in matutinali officio. 212
Natalitij appellantur dies quibus sancti mortui sunt. 51.e
Natalitia Sanctorum festiuitates cur dicantur. pag. 215.d.297.a
Nathinæi. 60.b
Nathinæi olim qui nunc Subdiaconi. 20.c.138.d
Nazarei capillos cur nutrire, tum radere & agni sacrificij imponere sint soliti. 136.e
Nazaræ orum vitæ ac victus ratio. Ibid.
Nemo intrat cælum nisi baptizatus. 550.c
Nemo præter Christum pro prima culpa Adæ satisfacere potuit. 550.a
Nemo filiorum Adæ sine peccato excepto Christo. pag. 550.b
Neophytorum octo dies quid designent. 36.d
Neophytorum octo dies, & quæ in eis diuinorum officiorum ratio. 124.a.125.a
Neophytorum cerei quando accendantur. 117.d
Neuma quid. 240.e
Neumæ plures ad vnam syllabam in iubilo alleluia pag. 474.b.
Nicænum concilium de Paschæ die definiuit. 11.c
Niger habitus monachorum, salubris tristitiæ, humilisq; conscientiæ signum. 486.d
Noctis septem partes. 191.e. 228
Noctis Paschalis mira præconia. 545.d
Nocturni officij tempus media nocte patres obseruarunt, posteri non item. 193. e. sed Gallicinio. pag. 226.c.228.c
Nocturni tres quid denotent. 238.b
Nocturnale officium quomodo peragatur. pagina 192.c.282.b
Nocturnalis officij ordo & ratio per Dominicas noctes. 228.c.652.c.d
Nocturnali officium quot psalmis & festis & aliis diebus sit peragendum. 642.b.643.a.650.c
In Nocturnali officio primi xij. Psalmi sine antipho na quomodo canantur. 193. a. tres sequentes cum anti-

antipho. 193.d. tres nouissimi cum alleluia. Ibid.
Nocturni tertij antiphonæ in primis vigiliis sine alleluia cur sint. 238.c
Nocturnale officium quotidianarum noctium. pag. 227.b
Nocturni feriales nunquam dimittuntur Romano more, cum tria tantùm Responsoria canuntur. pag. 399.c.400.b
Nocturnales post psalmos Dominicam orationẽ non dicunt Romani, neque inter nocturnale & matutinale officia. 225.c
Nocturnalia officia cuiusmodi in triduo ante Paschа. 200.c. cur & quomodo in eis lumina extinguantur. 201.c
Nocturnalia officia in paschate tribus psalmis peraguntur. 202. a. post vij. dies rursus multiplicantur psalmi. 203.a
Nocturnale officium post paschа quomodo peragendum. 403.e
Nocturnale Pẽtecostes officium tribus psalmis peragitur. 190. quo huius antiphonæ ab eis quæ in Paschа sunt, differant. Ibid.
Nocturnali in officio per quotidianas noctes xij psalmi, ij. lectiones & totidem responsor. 196.d
Nocturnalia officia duo in Natiuitate Domini Rom. Antiphonarius habet. 237.d
Nocturnum feriæ. 712.b
Nocturnalia officia bina habent præclariores Sanctorum festiuitates. 256.e.257.c
Noe eos præfigurat qui Ecclesiam regunt. 194.d
Noe inebriatus typum Christi gessit. 536.a
Noe in arca Christum præfigurauit & nomine & facto. 576.c
Noli me tangere, nondum enim ascendi ad patrem. pag. 174.e
Nomen sanctæ Trinitatis quando cæpit innotescere mundo. 605
Nomen Trinitatis à Christo primum post resurrectionem expressum. 606.e
Nomen Dei viui signatum in frontibus nostris. Ibid.
Nomen Trinitatis sciunt etiam hæretici & carnales sed non significatum. Ibid.
Nona hora. 188.c. cur precibus dicata. 7.d.281.a
Nona quando de futuro festo sit seruanda. 661.a
Norbertus canonicorum nouam regulam instituit sub regula D. Augustini. 637.d
Notandum pulchrum pro concionatoribus. 749.e
Nouem leprosi hæreticos mystice designant. 619.e
Nouis in rebus constituendis euidens debet esse vtilitas. 637.a.d
Nouum Pascha in azymis synceritatis & veritatis. 564.c
Numerorum mysteria. 134.c. quinarij. 40.d. senarij 39.e. septenarij & senarij. 57.a. quadragenarij. pag. 40.a
Numerus lectionum in nocturnis non idem apud omnes. 467.d
Numerus non par sed impar esse debet, & cur. pag. 686.c
Nuptiæ vndè dictæ. 27.a
Nuptiæ bonæ, nec tamen bono virginalis vel vidualis continentiæ æquandæ. 29.b
Nuptiæ legitimæ damnandæ non sunt. 25.29. c. eis tamen præferenda virginum & continentium integritas. ibid. nascitur ex eis originali peccato obnoxia posteritas. Ibid.
Nuptiæ illæ certæ, quæ prolem requirunt, non libidinem. 27.a
in Nuptiis dotales tabulæ. Ibid.
Nuptiarum ritus. 27
Nuptias contrahentes cur benedicantur. 27.a. virginibus nubentibus pronubæ adhibeantur, eadem velentur. 27 vittæ vinculo colligentur. Ibid.
Nuptialia bona tria. 27.a
Nuptiæ bonæ, virginitas melior. 25.c
Nuptias ne quis visitet absque veste nuptiali. 614

O

Oblatio in lege, per quos vbi pro quibus & cur fieret. 160.e
Oblatio legalis, Christi, nostra. 160.e
ante Oblationem catechumeni & pœnitentes olim exire iussi. 402.e
Oblationes in Missa à populo suscipit sacerdos. pag. 69.e.161.e
ad Oblationes accipiendas in Missa quando sacerdos transeat. 88.a
Oblationes omnis plebs offert sub offerenda. pag. 163.d.164.a.430.b
Oblaturi quid meditari debeant. 162.d. offerendum in altari quidnam sit. 342.e
Oblationes populi panis & vinum. 162.a
Oblationes sacerdotum & diaconorum quando suscipiat in Missa epis. 162.e
Oblatio cantorum aqua. 163.e
Oblationibus susceptis lauat sacerdos manus. 279
Oblatio quando offerenda, & quemadmodum in altari componenda. 385.c
Oblatas acceptas à populo, diaconus disponit in altari. 162.e
Oblationes disponit in altari siue ipse sacerdos siue diaconus. 161. e. in patenam oblatæ ponuntur. pag. 173.e
Oblatio in altari non thurificanda. 385.b
super Oblata quid dicendum. 385.e
super Oblata collecta. 69.e
septem Oblationes à populo sibi oblatas sacerdos Deo offert. Ibid.
Oblationem vnam offerre satis est, & error est velle singulas pro singulis qui eas obtulerunt., offerre. 347.c
Oblatæ in calicem immissio. 174.d
Oblatas super pectus episcoporum qui sepulturæ nudabantur antiquitus posita. 219.d
Oblatio altaris publicæ salutis est legatio. 478.e
Oblatio, benedicta, ascripta, rata cur dicitur. pag. 478.e
Oblationum species diuersæ quid repræsentent. pag. 689.a
Oblationum species septem veteris et noui testamenti. 689.d.e
Oblatæ partes tres quid significent. 694.e
Obsecrationes quas vocet Apostolus. 187.c

Universidad de Deusto
Biblioteca

Octauæ cur celebrentur. 212.a.215.a
Octauæ maiores & minores. 661.b. *quomodo officia in eis peragenda.* Ibid.
Octauæ quorum Sanctorum feruandæ sint. 400. a. *& an per interiacentes inter octauos dies eorum mentio facienda.* Ibid.
Octaua Domini. 212.a.240.b.441.
Octaua Natalis Domini quomodo inofficianda. pag. 398.a
Octauæ sancti Stephani, Ioannis, & Innocentum à quibusdam obseruantur. 218.a
Octauæ Epiphaniæ. 214.b
Octauas cur non habeat Præsentationis Domini festum. 215.c
Octauæ passionis Domini cur nõ obseruentur. 214.b
in Octauis Paschæ nouem rursus responsoria canũt Romani. 224.e. *& in Pentecoste.* Ibid.
Octauæ Pentecostes. 209.b.360.b
Octaua Pentecostes quomodo inofficietur. 404.e
Octaua, scilicet resurrectionis Dominicæ solennitas solennitatum est. 537.a
Octauæ Sanctorum cur celebrantur. 569.a
Octaua beatitudo eadem quæ prima. Ibid.
Octaua Paschalis cur celebratur. Ibid.
Octaua chorda in Musicis eadem est quæ prima. pag. 569.e
Octo animæ in arca quid prefigurabant. 586.a
Odium diaboli contra filium Dei ab initio. 614.d
Offerenda, officium quale sit in Missa. 160.e. *a quo loco inchoetur.* 161.b
post Offerendam versus, post quos offerenda repetitur. 69.e
Offertoria vnde originem traxerint. 5.c
Offertorium quis addiderit Missæ, incertum. 358.d. *à quo additum Missæ credatur.* 347.e
Offerenda vnde sic dicta. 69.e. *ea Euãgelium sequitur, non interposita collecta.* Ibid.
in Offerenda oblationes populi sacerdos suscipit, interea cantores cantant. 161.e.279.b
Offerenda significat salubrem parturientis mulieris cruciatum. 476.d
Offerre debemus primo nosipsos, & spiritualiter arietes bonos & hircos. 481.e
Offerre omnis populus Ecclesiam intrans debet. pag. 163.d
Offerentium nomina quo Missæ loco recitari consueuerint. 73.c
Offerentes perseuerare in Missa debent. 347.b
Offertorium in Paschali nocte non canitur. 55.e
Offertoria. 214.c
Offerentes triplices sunt. 689.b
Offerenda, Vir erat in terra. 177.c
Offerre sacrificium est solius sacerdotis. 164.a
Officij nomine, quod in sacris diuinis rebus habetur, præcipuè nuncupandum. 278.e
Officia diuina antiquitus quomodo celebrata. pag. 646.e
Officiorum ecclesiasticorum decus crescente religione auctum est. 352.b
Officia diuina paulatim aucta, & ad perfectionem perducta. 351.b
Officia diuina vetustissimos auctores habent. 1.a
Officia diuina per quos & quorum sint auctoritate statuta. 1.d
Officiorum diuinorum institutor quid in eis sibi propositum habuerit. 213.c
Officiorum diuinorum magisterio in ecclesiis eruditur. 1.a
in Officiis ecclesiasticis quæ aguntur mysterio non carent. 102.366.d
Officia diuina otiosè non fiunt, sed quicquid in eis fit, totum ad ædificationem fidei & morum referri potest. 431.b
Officiorum diuinorum, quæ in commune ab Ecclesia obseruantur, origines Isidorus explicat. 15.e
Officiorum diuinorum rationem ex ipsorum auctorum sententia & mente inquirere studet Amalarius. 86.c
Officium diuinum, quod continetur Sacramentario, & Antiphonario, explicandum sumpsit Amalarius. 89.e
Officia diuina priscis temporibus per psalmos peculiariter celebrata. 639.a
Officio in diuino Græci psalmodiam multum continuant. Ibid.
Officiis in diuinis psalmi frequentandi. 638.c
Officiis in diuinis psalmorum numerus cælitus declaratus. 639.a.642.b
Officiis diuinis psalterium quomodo SS. Ambrosius Hieronymus, Benedictus, Augustinus distribuerint. 639.c.641.c
in Officiis diuinis psalterium quauis septimana absoluendum, secundum Hieronymi & Benedicti ordinationem. 642.a
Officio in diuino apocrypha reiicienda. 644.d
Officio in diuino legenda vltra omnia pura sint & authentica. 645.c
Officiis in diuinis sacra scriptura legenda, & quid ex ea quoue tempore. 644.b. *quorum patrum scripta.* 644.e. *& quæ sanctorum vitæ.* Ibid.
Officiis in diuinis cantus sit authenticus. 646.b
Officiis in diuinis ecclesiarum diuersæ reperiuntur consuetudines. 224.e.351.a
Officium diuinum Ambrosianum. Ibid.
Officium à B. Benedicto ordinatum. Ibid.
Officiorum diuinorum ordinatio à B. Benedicto facta, Monachis relicta, neque mutanda est. pag. 352.a
Officiis in diuinis psalterium aliud Romani, aliud Galli & Germanorum quidam olim habuerunt. pag. 352.c
Officia diuina Galli Germaniq; quando, & quorum opera Romano more celebrare cœperint. 646.e
Officiorum diuinorũ studiosissimi Carolus Magnus & Ludouicus Pius. 223.c
Officia quomodo in antiquis libris Romanis sint. pag. 665.d
Officia ecclesiastica omnia ferè à Gregorio I. habemus. 393.b
Officiales libri. 209.c
Officiis in diuinis consuetudo & magisterium Romanę Ecclesiæ apud omnes penè Latinorũ ecclesias obtinuit. 351.b
Officiis in diuinis cantum Romanum Galli quo tempore receperint. 351.e
in Officiis concordiam seruandam patres admonuerunt. 399.a
Officia reliqua Missæ cõcordare debẽt. 398.d.399.e
Officia sic disposita vt cum festiuitate concordarent. pag. 654.a
Officiorum concordia quomodo & per quos confundatur. 405.c. *& quomodo in Dominicis post Pentecosten seruari queat.* Ibid.
Officiis in diuinis faciliora & breuia seruanda, cæteris paribus. 635.b
Officia diuina Maiorum auctoritate, non diuersorum arbitrio, regi debent. 637.a
Officiis in diuinis canones à Romana Ecclesia præscripti sequendi. 638.a.d
Officia diuina secundum Metropolitanam ecclesiam peragenda quando sint. 638.b
Officia diuina secũdum antiquam ordinationem seruanda. 634.a. *atque canones.* 635.e
Officiis in diuinis quod patrum & Romanæ Ecclesiæ constitutionibus repugnat, reiiciendum. 643.c.d
Officia diuina in quibusdam ecclesiis non secundum antiquam ordinationem seruari notatur. pag. 634.a
Officiis in diuinis à nouitatibus abstinendum. 636.e
Officium in cappellare Romanum. 664.e
Officiorum diuinorum mutatio, qualem introduxit Norbertus, reprehensa. 638.b
Officiorum diuinorum ordo non ex vsu fratrum minorum petendus. 664.a
in Officiis diuinis abusus notatus. 661.c.662.a
in Officiis diuinis, concordiam in eorum dispositione attendendam docuerunt patres. 393.d.397.d
Officia vbi propria sunt, videntur festa transferenda. 401.c
Officio in temporali quæ tempora potissimùm notanda. 658
Officia temporalia nouorum festorum institutione malè supprimuntur. 637.c.642.a
Officium temporale repudiandum non est festo trium lectionum occurrente. 658
Officium nocturnum quorum sit exemplo introductum. 8.d
Officium nocturnum stationes & vigilias militares imitatur. 189.c
Officium diurnum tribus horis paribus interuallis distinguitur. 7.c. *per quaternarium tamen adiunctis vesperis etiam computari potest.* Ibid.
Officio in diurno xij. repetitiones, & nocturno. xij. psalmi cur sint. 181.d
Officium vespertinum. 8.a. *completæ.* 8.c
Officiorum diuinorum quæ ratio post Natiuitatem Domini. 654.c
Officia in septuagesima & deinceps quomodo peragenda. 655.b
Officia diuina paschali tempore vsque ad Pentecosten quomodo peragantur. 656.c
Officiorum diuinorum ratio in nocturnis post paschalem hebdomadam. 403.a
Officium nocturnale etiam post octauas Paschæ xij. lectionibus peragatur. 642.b. *omnibus diebus trium lectionum.* 642.e
Officiorum diuinorum post octauã Pentecostes quæ ratio. 405.a
Officia post Pentecosten vsq; ad Aduentum quomodo peragenda. 405.a.656.b
Officiorum quæ aliquando fuit in ieiuniis quatuor tẽporum, variatio & transmutatio sublata. pag. 393.c.394.a
Officium, Dum medium silentium, quando seruandum. 397.c
Officium, Vir erat in terra. 69.d
Officium Sanctorum trium lectionum in Missa finitur. 660.d
Officia Sanctorum quædam regiones peculiaria habent. 243.e
Officia cuiusmodi in festis Pontificum Martyrum celebranda sint. 399.c
Officia Dominicarum repeti possunt, cum tot non sunt officia quot Dominicæ. 654.b
Officium vnum ex duobus facere, non est authenticum. 659.d
Officia ecclesiastica pro defunctis. 80.c
Officia mortuorũ quomodo peragenda. 653.c. 661.e *quando intermittatur, quando in eis nouem, quando tres lectiones seruandæ.* Ibid.
Officia mortuorum & virginis Mariæ ab omnibus seruanda. 661.c
Officium defunctorũ collectũ ab Amalario. 261.a
Officia particularia quorundam. 663
Officia diuina quare à Prima, Tertia, Sexta & Nona, & non ab aliis nomen accipiant. 745.d
Officium nocturnum. 712.c
Officium diuinum tempori applicatum. 714.c
Olea arbor insigne pacis. 99.e
Olei natura pulchrè cum rebus spiritualibus quæ operatur, concordat. 99.e
Olei natura, Spiritus sancti in nobis operationem repræsentat. 274.c
Oleum charitatem designat. 121.c
Oleo in consignatione neophytorum Apostolici viri vsi. 100.c
Oleo in redintegratione infirmorũ Apostoli vsi. Ibi.
Oleo presbyterorum manus vnguntur. 140.a. *caput episcoporum perfunditur.* 142.a.417.e
Olei consecratio cur tanto cultu peragatur. 99.d
Oleum quod consecretur, populi offerunt in ampullis. 102.b
Oleum triplex consecratur in cœna Domini. 100.e
Oleum infirmorum in cœna Domini benedicitur. 47 d. *ad infirmorum medicamentum.* 303.e. *quomodo & quando.* 69.d
Omnia quæ habet pater mea sunt. 183.a
Omnia mea tua sunt, & tua mea sunt. 587.b
Omnis substantia creata subiacet accidẽtibus, quia non est id quod est. 608.d
Operatio Dei duplex, alia per Filium, alia per Spiritum sanctum. 596.b.560.c
Opera Trinitatis circa hominem personis appropriata. 612.e
Operis profectus ex diligentia, quæ in diuinis est Spiritus sanctus. 613.e
Opera Trinitatis in reparatione hominis personis appropriata. 614.b

Universidad de Deusto
Biblioteca

Orarium siue stola. 65.b.270.b.417.d
Orario cur primi ordines in ecclesia vtantur. 338
sine Orario Missa ne celebretur. 349.c
Orationes, quid dicat Apostolus. 187.c
Orationum quadripartitæ species. 282.e
Oratio opus quoduis præcedat. 282.e. *psalmum præcedat & sequatur.* Ibid.
Orationes ad Deum quomodo fundendæ ex Cypriano. 166.b
Oratio qualis esse debeat. 339.d
Oratio sterilis inefficax. 163.d
in Orationibus ad Deum, ineptis cogitationibus mẽs non debet distrahi. 163.b
in Oratione quorumdam indecori gestus. 339.c
Oratio Christianis publica est. 172.b
Orandi certa tempora & loca. 280.d
Orandi loca in primitiua Ecclesia. 334.d
Orantes genua figunt, extendunt manus, prosternuntur solo, & ad quid ea fiant. 172.d
Oratio ad Orientem cur dicatur. 66.e. 334.d
Orationem ad horas surgens & stans dicit sacerdos pag. 187.d
Orationes ad diuina officia quales dicendæ, & quæ hic diuersitas. 650.c
Orationes per Dominum Iesum Christum concluduntur. 73.b.79.b
Oratio sine salutatione ad Missam. 402.b
Oratio vnica ad Missam à Romanis dicitur, etiam cum solennitas Sanctorum in Dominicam incidit, quod secus fit ab aliis. 87.a. 88.a
Orationes quot in missa dici possint. 383.d. *et hæ probatæ sint.* 383.c
Orationum in Missa ordo ex Paulo sumptus. 87.c
Oremus voce, inuitat populum sacerdos vt secum oret. 68.d
Orationis Dominicæ septem petitiones. 6. a. b. *ea in Missæ sacrificio adhibetur, in cos, vltima est secundum Isidorum.* Ibid.
Oratio Dominica excelsa voce cur in Missa dicatur pag. 172.a
Orationis Dominicæ partes. 284.c
Orationis Dominicæ breuis & elegans explicatio. pag. 76.d
Oratio post communionem, communicantes tantum respicit. 402.e
Oratio super populum, qua occasione cœperit. pag. 402.c
Orationes nostræ cur concluduntur ita: Per Dominum nostrum Iesum Christum. 473.b
Oratio Dominica in Missa dicenda, à Gregorio primo est instituta. 473.c
Orationes pro omni statu ecclesiæ cur fiunt in die parasceues. 542.c
Orando pro Iudæis cur non flectimus genua. 542.a
Oratio sacerdotis etiam benedictio dicitur. 155.b
Orationes solennes quarta feria Papa dicit, alij sacerdotes vj. 54.a
Orationes quinque in canone pro diuersis. 693.d
Orare extensis manibus. 691.d
Orare ore tantùm & ore & spiritu & orare quid sit pag. 750.b
Oratio Dominicalis quæritur in hoc sexto canonis ordine potius quàm in aliis contineatur. 773.c
Ordines qui à Paulo nominati, & qui postea & cur superadditi. 137.d
Ordinum ecclesiasticorum gradus, nomina, & officia. 60.e. 137.c. 401.d
Ordines seu gradus ecclesiastici octo. 266.d
Ordines tres superiores. 60.b
Ordines quibus interuallis & qua ætate suscipiendi. pag. 269.e
Ordinationes quibus temporibus celebrandæ. 133. 134.a. 286.e. *in quatuor temporum ieiuniis.* 58. d. *seu xij. lectionibus.* 133.d
Ordinationes antiquitus mense Decembri fere factæ 133.a. 395.c. *Simplicius I. in Febr.* 133.a. 167.c
Ordinationes in Februario à quibus pontificibus factæ. 392.d
Ordinatio in Decembri, incidit nonnumquam in tertiam, nonnumquàm in quartam hebdomadam ex Amalario. 133.a
Ordinationes reliquæ sabbato, episcopi Dominica fiunt. 62.d
Ordinatio cur sabbato fiat. 59.a
Ordinationes quæ sabbatis duodecim lectionum fiũt potius Dominicis diebus attribuuntur. 395.d
Ordines cum tribuuntur, ieiunium celebrari primitus Ecclesiæ mos. 59.a. 133.c
Ordinationes cæteræ sabbato episcopi Dominico die cur fiant. 135.a
de Ordinibus tribuendis libellus reprehensus ab Amalario. 139.d. 142.b
Ordinare clericos episcoporum proprium munus. pag. 267.d
Ordinationes reliquæ post orationem, episcopi, post responsorium. 62.e
Ordinationes sacræ in die Dominica, aut vespere sabbatifieri debent. 492.a
Ordinationes à ieiunij ieiunantibus conferri debent pag. 492.a
Ordinati officium, qui ordinatus non est, ne expleat. pag. 384.e
Ordines superiores, inferiorum quoque munia exequi possunt. 137.b
Ordinum ecclesiasticorum cum secularibus magistratibus comparatio. 355.d
Ordo cum omnibus in rebus, tum in diuinis officiis præcipuè seruandus. 633.d.e
Ordo Romanus diuinorum officiorum vndè colligi debeat. 664.b
Ordo Romanus citatus. 49.b. 160.a
Ordo consecrationis episcopalis pius ac venerabilis. pag. 531.a
Ordines maiores quibus & quando cõferendi. 716.e
Ordo naturæ, ordo iustitiæ, ordo gratiæ. 771.b
Organum, generale nomen omnium vasorum. 150. c. *vsu accommodatum eis quæ follibus inflantur.* Ibid.
Organum pretiosum humanitatis Christi à Iudæis confractum. 523.c
Organa scripturarum Iudæis suspensa, nobis dulciter canunt. Ibidem.
Originali peccato obnoxij nascimur. 22
Originali peccato pueri obnoxij. 353.d

Origi-

Originale peccatum baptismus tollit & in adultis & in paruulis. 30.e
Origininale peccatum. 629.c
Orthodoxi. 73.b
Os & cor cruce signare. 688.d
Osculum pacis sibi mutuo dat Ecclesia in Missa. 79 c. 348.c, *ex Apostolorum traditione.* 79.d
Oscula pacis in Missa quo ordine dentur. 174.a. *non dant sibi inuicem viri & feminæ.* 174.c
Oscula pacis vnitatis nos admonent. 178.d
ab Osculo pacis abstinetur parasceue & sabbato. pag. 107.e
Osculum pacis non datur in Missa pro mortuis. 179 a. *neque triduo ante Pascha.* Ibid.
Osculo Iudæ infamatũ est collegium Apostolorum. pag. 557.e
Ostianna quid. 45.a. *cur cantetur.* 6.b
Ossa Christi cur frangi non debuerunt sicut ossa latronum. 541.c
Ostiarij. 60.e. 61.a. 269.c
Ostiarij qui sint, & quod eorum sit officiũ. 21.e. 411.d
Ostiarius quibus verbis ordinetur. 137.e

P

Pallium nunc, quod olim lamina. 66.a. *eo nunc archiepiscopi loco rationalis vtuntur.* 64.a
Pallium à Romana sede suscipiunt Archiepi. 64.a
Pallium archiepiscoporum est, quale describitur. pag. 271.a
Pallio archiepiscopus à suffraganeis suis distinguitur. 66.a
Pallium archiepiscoporum humilitatis & sapientiæ torques est. 471.d
Pallij largitio, est missio episcopi à sede Apostolica ad Metropolim. Ibid.
Pallia in templi parietibus appensa significant gloriam ecclesiæ in regno Christi. 486.a
Palmarum dies cur celebris. 10.a. 45.e. 97.e
Palmarum dies diuersas habet appellationes. 45.e *capitulauium vulgò dicta competentibus Symbolum eo datur.* 10.a. 292.b
Palmarum diei celebris processio describitur. 45
Palmæ benedicuntur à sacerdote. 45.d
Palmarum festo ramos virentes crucem sequens populus portat. 449.e
Panis & vinum in corpus & sanguinẽ Christi transferuntur. 486.a
Panis non Mariam impregnatam, sed Ecclesiam significat. 484.a
Panis consecratus non significat, sed est corpus Domini. Ibid.
Panis viui, qui Christus est, vtilitas longè maior, quàm mannæ. 496.a
Panis subcinericius, panis est pœnitentiæ. 513.a
Panis verus quomodo ad nos venit per portas cæli. pag. 574.c
Panis azymus typus Christi. 689.b
Panis figura est corporis Ecclesiæ. 689.c
Panis & vini consecratio. 692.c
Panis in modum denarij formatus. 695.a
Panem vinum & aquam quare in altari potius quàm alia apponamus. 769.e
Pantheon templum, in omnium Sanctorum commutatum. 59.a
Pantheon Romæ altaria non habet versus Orientem. 334.c
Papæ Romani in sacrificio memoria peragitur. pag. 72.e
Papa eleemosynam cur potissimùm det Sabbato ante palmas. 45.e
Parabola de rege cum decem millibus occurrente regi qui habet viginti millia. 588.c
Parabola de diuite stulto, dicente, Destruam horrea mea. 620.e
Paralyticus mysticè homo dissolutus absque operibus bonis. 622.a
Paralyticum offerentes Domino prælati sunt. Ibid.
Parasceue cur solennis. 10.e. 48.e
Parasceue in lætitia, an vero in mœrore transigere, vtrum magis conueniat. 51.e
Parasceue. 106.a. 292.a. *quæ in ea cõmuniter fiant. pag.* 292.e. 403.a
Parasceue totus ignis in Rom. Ecclesia extinguitur sexta hora, & nona rursus accenditur. pag. 49.e. 249.e
Parasceue diuinorum officiorum ordo. 48.e. 49.a
Parasceue die solennes orationes. 50.e
Parasceue presbyteri orationes solennes dicunt, quas Pontifex feria quarta. 46.c
Parasceue Missa non celebratur. 49.e. 107.e
Parasceue non conficitur corpus Domini. 48. d. *sed ex pridie seruato communicatur.* 49.110.e
crucis adoratio in die parasceues. 50.d
Parasceue quemadmodum crux adoretur & salutetur. 50.d.e
In parasceue Romani psalmum canunt, Qui habitat. 192.c
Parasceue quid sit. 537.a
Parasceue sabbatum requiei. Ibid.
Parasceue Latinè cœna pura. Ibid.
Partes seruiunt toti. 374.e
Paruuli originale peccatum ab Adam contrahunt, à quo ipsos baptismus mundat. 30.e
Paruuli necessario baptizandi. 353. d. *eos patrini & matrinæ fidem post doceant.* Ibid.
Paruuli cur alio profitente baptizentur. 57.c *nisi baptizentur extorres à regno Dei sunt. pag.* 31.e
Paruuli per corda & ora gestantium renunciant diabolo. 28.a. 409.b
Passio sine salutatione in die parasceues. 49.c
Pascha non Græca, sed Hebræa vox est. 11.e
Paschæ dies cur sit celebris, multæ causæ. 11.d *de eius tempore.* 293.e
Pascha cur primo mense. 11.e. *cur tertia huius mensis hebdomada celebretur.* Ibid.
de Paschæ die Nicænum Concilium diffiniuit. pag. 11.e
Paschæ dies die Dominico seruetur. 108.a
Paschæ anniuersarius dies ad eundem anni diẽ non redit, Natalis Christi redit, & cur. 11.e. 294.e
Paschæ diem Alexandrinus Epiphaniæ festo literis Missis, ecclesiis denunciat. 9.e

Universidad de Deusto
Biblioteca

Paschale sabbatum cur celebre. 11.b
Pascha cur conuenienter baptismus administretur. pag. 35.a
Paschæ in vigiliis post lectiones hymnus trium puerorum Turonensis ecclesia canit. 199.d
Paschalem cereum benedici Zosimus instituit. 52.c.id noctu factum innuit ipsa benedictionis formula. 52.d.diaconus eum benedicit. 53.a
in Pascha agnus ad communem mensam benedicitur. 403.d
Paschæ die qui diuinorum officiorum sit ordo. pag. 56.c.125.a
Paschali hebdomada, quæ diuina officia. 403.e.responsorij & antiphonæ *in Pascha & paschalibus feriis.* 250.b
Paschalibus noctibus officia peragũtur tribus psalmis. 202.b.e
Paschalem per hebdomadam quomodo peragantur vesperæ. 251.e
Paschæ septem dies, dies Neophytorum appellantur, 53.b. *quibus ad baptismi fontẽ cum neophytis proceditur.* 56.c.295.d.*officia quæ in his diebus sint.* Ibid.
Pascha medium. 845.e
Pascha annotinum quod antiquis,& eius officium. pag. 404.d
Pascha clausum. 82.d. *sic sabbatum post Pascha nuncupatur.* 245.e
Pascha quod præcedit & quod sequitur tempus, quid significet. 204.b
Paschæ dies tres præcedentes. 714.d
Paschalis solennitatis tres præcipuè causæ. 545.b
Paschale gaudium etiam ex præcedenti ieiunio ampliatur. 546.b
Paschali tempore diuinorum officiorum,quæ ratio. pag. 656.a
post Pascha quomodo diuina officia & Dominicis, & aliis diebus peragenda. 642.d.e
Paschale per tempus vsque ad Pentecosten malè quidam tres psalmos semper in nocturnali officio dicunt. 643.a
Passio Domini duabus hebdomadis recolitur. pagina 200.d
Passio Domini variè commemoratur in Missa sub actione. 481.c
Passionis Dominicæ breuis & pulchra commemoratio. 535.d.536.c
Passio Christi cur non celebratur cum gaudio, sicut passiones Martyrum. 537.e
Passionis Christi virtus. 733.d
Pastores animarum quomodo vigilare & annuntiare debent. 500.b
Patenæ vsus. 387.e
Patenam qui ministri teneant,& quo ordine in Missa. 171.d
Patenam acolytus inuolutam, subdiaconus nudam tenet. Ibid.
Patena inuoluta. 692.b
Pater meus vsque modo operatur. 518.c
Pater in Angelis & hominibus alia per filium,alia per Spiritum sanctum operatur. 593.d
Pater in diuinis substantialiter est vita. 609.e
Pater in diuinis non sterilis est in se, qui omnia fœcundat. 610.c
Pater generando filium, nihil de substantia sua diminuit. 610.a
Patrum doctrinã secutũ se profitetur Isidorus. 31.e
Patrum sententiam & iudicium sequitur Amalarius. 86.c.87.c
Patrum auctoritati & doctrinæ innititur Rabanus, & ex eorum sententia, immo verbis, de diuinis officiis scripsit. 262.c
Patrũ termini in fidei doctrina & ecclesiasticis consuetudinibus non sunt transgrediendi. 366.c
Patrum dogmata sequenda in explicandis diuinis officiis. 332.c
Patrini & matrini docere debent eos fidem & mores,pro quibus spõsores fuerũt. 57.c 354.a.410.c
Patronos appellat Amalarius. 129.e
Patris charitas ineffabilis. 772.c
Pauli Epistolæ cur frequentius in ecclesia legantur. pag. 639.b
S.Pauli festum in eodem die quo Petri incidens,postridie seruatur. 399.a
Paulinus Foroiuliensium patriarcha. 351.a
Paulus dux verbi præcipuus & seminator verborum. 506.b
Paulus magnus & mirabilis catechizator orbis terrarum. 518.e
Paulus ministrorum primus atque fidissimus. 556.b
Pauperibus rectè datur, sed ob id non minus exornandus est cultus Dei. 485.e
Pauperes præfigurantur in pedibus Domini,vnguento Mariæ vnctis. 524.a
Paulo maximè aperuit Deus scripturas. 573.a
Paulus luxit non lugentes, & per scientiam lugere docuit. Ibid.
Pax vobiscum, episcopalis salutatio. 68.b
Pax vobis,non pax vobiscum,prima salutatio apud Romanos pronunciatur. 89.a
Pax vobis, 685.a
Pacem dat ministris episcopus ingressus ad Missam pag. 153.c
Pacis osculum sibi mutuo dat ecclesia in Missa. 79.c
Pacem temporalem ecclesia postulat, vt non impediatur à spirituali. 79.b
Pacis annũciatio per mortem Christi ablata. 694.d
Pacis osculum ex triplici causa. 694.a
Pacis fruitionem quomodo quis consequatur. 773.d
Pax huic domui ab episcopo cur dicatur. 732.b
Pax Domini in Missa, nuncium resurrectionis Christi est. 482.a
Pacis osculum in Missa significat reconciliationem nostram per mortem Christi. Ibid.
Peccatur duabus ex causis. 228.c
Peccatorum reatus, actione cessante, nihilominus manet, nisi Dei indulgentia deleatur. 78.c
Peccatorum distinctio & varietas. 126.b. *& quo quæq; pacto expianda.* Ibidem.
Peccatori occulto oleum misericordiæ,publico pœnitentiæ cauterium adhibetur. 513.b
Peccatum originale. 30.e
Peccatum originale & actuale baptismus abluit pag. 30.c.90.e

Pecca-

Peccata criminalia octo & eorum rami. 41.a
Peccato alterius alter non polluitur, nisi voluntate consentiat. 29.c
Peccata sine quibus in hac vita non viuitur. 29.d. 104.a. 126.c. 583.b. *quæ per sensuum illecebras incurrimus.* 189.b
Peccata leuia & quotidiana quomodò expientur. pag. 29.d.44.a
Peccata Deus immissis calamitatibus, magistratus lege, episcopi Ecclesiasticis censuris persequuntur & puniunt, nec tamen de Ecclesia auferuntur. 44.a
Peccata quamuis grauia,non est tamen illis Domini desperanda misericordia. 24.d
Peccata quamuis grauia, pœnitentia sanantur. pag. 288.d
Peccata quæ feriri gehennæ ignibus possunt, disciplinæ sunt verbere corrigenda. 120.a
Peccatoris in confessione spes & timor coniungantur. 200.d
Peccatis omnibus renunciandum, vt conuersio nostra Deo placeat. 445.c
Peccata faciunt vt flagellis temporalibus affligamur. 43.e
Pedum lotio Christi exemplo in Cœna Domini 48.a. *quæ tum cantentur.* Ibidem.
Pedum ablutio quid designet. 450.c
Pedum lotio in Cœna Domini 99.d. 103.e. *quid designet.* 450.6
Pedum Pontificis ornatus quid mysticè designat. pag. 471.c
Pedum lotio exemplum humilitatis. 512.c
Pedes quotidiè lauare oportet. Ibidem
Pentecostes solennitas & eius exordium. 12.d. 58.c. 295.c.*in lege & Euangelio sacrata.* 452.b
Pentecostes supputatio. 127.d
Pentecostes vigilia. 57.e.129.c
Pentecostes sabbato baptismus peragitur. 296.e. *hora nona* 209.a
Pentecostes festi nocturnale officium quale apud Romanos ix. psalmis peragitur,apud alios tribus ibid.
de Pentecoste. 206.c. *eiusque nocturnali officio.* pag. 207.
in Pentecostes octo diebus genu non flectimus 130.c *etiam ad orationes in xij. lectionibus.* 136.c
Pentecostes octauas celebrandas comprobatur. pag. 360.c
Pentecostes octauæ quomodo inofficietur. 404.e
Pentecostes octauæ tres Psalmos in Nocturnali officio habent. 210.e
Pentecosten sequens Dominica, varie inofficiatur. pag. 656.d
post Pentecosten Missa, Deprecationem nostram. pag. 362.b
à Pentecostes octauis ad Aduentum Responsorij nocturnales. 256.a.258.b
Pentecostes, id est, quinquaginta dierum vera computatio. 597.a
Pentecostes solennitas duas habet causas. 598.a
Peregrinantium in hac vita non plenum est gaudiũ. pag. 557.b
Permissio diuina irreprehensibilis. 495.d
Petentes à Deo vt exaudiantur, similes esse debent Apostoli. 584.a
Petita quinque quæ nam. 772.a
Personarum diuinarum nomina. 729.e
Persona vocabulum quare à fide Catholica repertum. 730.a
Personarum pluralitas quid efficiat. 730.b
Personæ legitimæ quæ sint. 739.a
Petri encomium. 454.
Petrus primicerius post Deum in Ecclesia constitutus. 453.b
Petrus pastor ouium Dei generalis constitutus à Deo. 453.e
Petrus primus tonsuram feciße sibi fertur. 61.d
Petrus & Paulus Romam Christo subiugarunt. pag. 488.c
Petrus rectorum Ecclesiæ est præcipuus. 490.c
Petrus post Christum primus & princeps ordinationes sacras celebrauit. 492.a
Petrus primus vidit & confeßus est salutare Dei nostri. 537.a
Pietrus in magno corpore cæci illuminati princeps. pag. 508.a
Petrus mitibus,sicut Maria humilibus ponitur exẽplum. 572.a
Petrus traxit vete piscium ad terram,quia ei commißa est Ecclesia. 573.e
Petri pietas, Pauli scientia alijs communicata. pag. 587.a
Pharisæorum arrogantia humiliata, & vindicta Dei. 513.a
Pharisæorum traditiones dolosæ, per auaritiam excogitatę. 514.b
Pharisæi in sanctificationibus primi,quia clerici Iudæorum. 521.b
Phocas Imperator coronatus. 204.b
Picturæ vsus. 443.e
Pietas inordinata sine scientia. 119.d
Piscis assus super prunas positus mysticè Christus est. 573.e
Planeta quandò se exuat diaconus apud Romanos. pag. 89.a
Plaudere manibus mysticè quid est. 587.a
Poderis,alba vulgò dicitur. 65.a.278.c.415.d
Pœnitentiæ descriptio. 23.e
ad Pœnitentiam exhortatio elegans. 204.e
Pœnitentia post baptismum ad peccatorum curationem remediũ & medicina. 24.c.122.c.289.d
Pœnitentium lachrymæ pro baptismo. 24.c
Pœnitentia sepeliuntur peccata nostra. 170.c
Pœnitentia quotidiani excessus, sine quibus in hac vita esse non possumus,delentur. 29.d
Pœnitentia non differenda. 41.e
Pœnitentia etiam sub vitæ finem ociosa non est, quamuis tanta dilatio sit periculosa. 24.e.289.d
Pœnitentia non pensatur tempore, sed luctu & dolore. 23.d
Pœnitentium exempla. 23.d
Pœnitentiam quisnam verè agat. 23.e. *quemadmodùm ea peragenda.* 43.d
Pœnitentiarius sacerdos instruitur, & item pœnitens.

Universidad de Deusto
Biblioteca

tens. 43.d
Pœnitentiæ agendæ forma & exemplum. 104.c
ad Pœnitentiam qui veniunt, ieiunent, & cum eis sacerdotis. 43.d
Pœnitentia publica quorum debeat esse, & quorum priuata. 289.d.288.e
Pœnitentia à sacerdotibus & Leuitis Deo tantùm acta, à cæteris adstante coram Deo solemniter sacerdote fiat. 24.c
Pœnitentes cur barbam & capillos nutriant. 24.a. in cilicio prosternantur cinere adspergantur. pag. 289.a
Pœnitentium satisfactio. 289. d. reconciliatio. ibidem
Pœnitentiæ sacramenti administrandi in capite ieiunij formula. 43. d. seq.
Pœnitentes in capite ieiunij extra Ecclesiam eiecti, in sacco & cinere agebant pœnitentiam. pag. 446.b
Pœnitentes Ecclesia, quibus remedijs peccata sanent, in Quadragesima informat. 127.b
Pœnitentes qui in Ecclesia proprie appellantur, libertatem non habent ieiunia sibi relaxandi. pag. 128.b
Pœnitentes reconciliandi quod sit legitimum tempus. 289.e.292.e
Pœnitentes in Cœna Domini, & quomodò, recipi soliti. 47. c.99.d.104.e
Pœnitentibus oleum infirmorum non datur. 79.d
Pœnitentes solenni voce exire olim iussi ante oblationem. 402.e
Pœnitentiæ psalmi 256.a. quandò canendi. 640. c. pag. 663.e
Pœnitentiæ psalmos descriptos ad parietem sibi affigi curat Augustinus morti vicinus. 207.e.639.e
Pœnitentia priuata laboriosa est, non sic secura de venia sicut baptismus. 512.a
Pœnitentium in die Cœnæ Domini reconciliatio. pag. 532.b
Pœnitentia quid. 737.a
Pœnitentiæ veræ tria necessaria quæ. 737.a
Pœnitentium proprius psalmus, Miserere mei Deus pag. 187.c
Pontificis summi officium. 741.b
Populus non communicat hodie vt olim. 695.d
Portæ mortis, vitia: portæ iustitiæ, virtutes. 494.a
Præcepta cur homini à Deo data sunt. 494.a
Præcepta primum Noè data sunt, in pueritia mundi. 506.a
Præcepta cur Deus minora antiquis, maiora nobis dedit. 100.b
Prædestinatio & præscientia Dei quomodo differunt. 496.a. 537.e
Prædicatores campanis in plerisque assimilantur. pag. 468.e
Prædicare Euangelium omni creaturæ, id est, omni homini. 589.e
Prædicatores verbi Dei excellentiùs afflatur quàm alij. 597.b
Pontifex vnus super omnes presbyteros in lege constitutus. 60.e
ad Pontifices exhortatio. 455.c
Populus, Sanctus Sanctus Sanctus, canit ex Sixti nstitutione. 164.e
Postulationes quas vocet Apostolus. 187.c
Præfatio Canonis. 385.b
Præfatio hymnus, item præparatio cur nominetur. 164.c
Præfatio excelsa voce cur dicatur. 164.c
Præfatio pro festorum ratione mutatur sæpè, vel aliquid ei inferitur. 347.d
Præfatio in Quadragesima. 401.c
Præfatio à Dominica palmarum. 401.d
Præfatio paschalis vsque ad Ascentionis festum dicenda. 403.d
Præfatio de Apostolis in Natiuitate Philippi & Iacobi dicenda. 403. d
Præfatio de S. Trinitate ex Romana auctoritate. pag. 405.a.
Præfatio Missæ, & sacer hymnus ter sanctus, quid significant. 477.b
Prælati vectigalis seruitij in lotione pedum subditorum. 533.a
Prælati vitiosè viuentibus, tanquam bestijs dominari debent. 634.b
Præsentia spiritualis, non corporalis attenditur in oratione. 378.b
Præsentationis Domini festũ 213. d.214.d.243.e
Pragæ psalmodia frequentata. 639.a
Precum origo. 27. a eas post Christum primi Græci composuere. b ibidem
Preces cum genuflexione. 191. a
Preces ad Horas dicendæ. 653.c
Preces vniformiter dicantur. 373.a
Presbyteri locum filiorum Aaron occuparunt. pag. 140.a
Presbyteri hodiè qui in lege sacerdotes. 19.a
Presbyteri vndè sic dicti, & quod eorum sit munus. 19.a. 61.e. 267.a
Presbyteri & episcopi nomina confusa olim. 141.a
Presbyteri quid cum episcopis commune habeant. pag. 413.c
Presbyteri adiutores episcoporum sunt. 413.d
Presbyteri quales esse debeant. 413.e. eorum ordinatio quomodo peragatur. 413.e
Presbyteri manus cur vngantur. 417.d
Presbyteri cùm merito & sapientia sic dicantur, non ætate, mirum cùr insipientes ordinentur. pag. 19.b
Presbyterorum manus oleo vnguntur. 140. a
Presbyteri officio mediatoris funguntur. 413.d
Presbyteri Cardinales sandalijs vtuntur. 417.c
Presbyteris præsente episcopo interdicitur benedictio. 389.c
Presbyter, diacono præsente, panem & calicem nec mittendi nec auferendi ab altari potestatem habet. 61.d
Presbyter præsente episcopo quicquid acturus est in Ecclesia, episcopi benedictionẽ seu consensum requirit. 389.e
Presbyteri & cæteri Ecclesiæ ministri quare in sabbato ordinentur, & Virgines cur in festibus Apostolorum velentur. 741. d
Primicerius. 55.a
de Prima. 55.a.280.e.182.c
Prima quomodò per annum celebretur. 650.e
Prima post Pascha & per octauas maiores. 643.a
Prima & completorium eodem penè modo peraguntur. 651.b
in Prima lectionem & Responsorium non haberi. pag. 231.c
ad Primam non recitatur lectio. 231.c
ad Primam martyrologium recitatur. 651.d
Prima sabbati sanctior est, quàm sabbatum. pag. 560.b
Prima sabbati maiorem designat requiem quàm sabbatum. ibidem
Primus dies paschæ refert spiritum timoris Dei. pag. 570.b
Primus gradus ascendendi ad Deum est humilitas. pag. 570.d
Processio Dominicalis resurrectionem Christi repræsentat. 525.e
Processio cum crucibus & vexillis quid designat. pag. 561.d
Processio in die ascensionis Domini quid designat. pag. 589.a
Processio Dominicalis ante tertiam fit, reliquæ verò post. 590.a
Procedit aliter filius in diuinis, aliter spiritus sanctus. 596.e
Processionis exempla ex vet. test. 696.a
Processio episcopi cum clero. 684.a
Prosapia eorum, ad quos sermo Dei factus est in linea Christi. 498. e
Prudentia carnis superbiam sapit. 371.e
Priuilegium non debet nutrire peccatum. 643.a.b
Processio celebris dici Palmarum. 45.e
Processio in purificatione B. Mariæ. 291.e
Psalmeli. 646.d
Psalmistæ 21.e. vide Cantores.
Psallendi primi auctores & artifices. 2.b
Psalmi quid ab hymnis & canticis differant. pag. 185.c
Psalmus & canticum quomodò differant. 196.b
Psalmorum modulationes Dauid instituit. 61.b
Psallebat primitiua Ecclesia modico flexu vocis. pag. 2.b
Psalmi per tonos in fine versuum canuntur. 643.e
Psalmi cùm canuntur, stari solere. 185.d
Psalterium decem sunt qui scripserint. 4.d
Psalmorum liber cur laude concludatur. 5. a
Psalmorum vtilitas atque encomium. 640. a. c. & pag. 641.
Psalmos Dauid Ecclesia suauiter canendos cur instituerit. 2.b
Psalmos in Missa instituit Celestinus Papa, è quibus sumuntur introitus, gradualia, offertoria & communiones. 482.e
Psalmus 112. Laudate pueri Dominum, ad gentes baptizatas dicitur. 565.c
Psalmos vt alternatim duo chori canerent, à quibus institutum. 639.a
Psalmi frequentati à veteribus. 639. cur frequentiori in vsu eos Ecclesia habeat. 639.e
Psalmi diuini officij cur duodecim vel nouem, et cur in Dominicis nouem in primo nocturno xij. et cur quatuor sub vna antiphona. 712.e.715.
primi Graduales quid significent. 710.b
Psalmus Deus Deus meus, et laudate Dominum cur sub vna gloria dicantur. 713.d
Psalmis præcipuè diuina officia veteres peregerunt. pag. 639.b
Psalterium etiam vno die sancti patres absoluerunt. 642.b
psalterium ignorans sacerdos, vix nomen suum tuebitur. 639.a
Psalterium quo pacto distribuerit ad diuina officia Ambrosius. 639.c. 641.a.b. Hieronymus, Benedictus. 639. c. 641.
psalterij duæ partes. 641.b
Psalterij varia translatio. 652. b
Psalterij qua translatione quæ Ecclesiæ vtantur. pag. 639.e
Psalterio alio Romani, alio Galli & Germanorum quidam olim in cantu vsi. 352.e
psalteria correctiora apud quos sit reperire. 639.d
psalmi qui pro quibus vitæ necessitatibus canendi. 640.c
Psalmi pœnitentiales. 653.e.663
Psalmi pœnitentiales in quadragesima frequentantur. 655.e
Psalmi quindecim graduales. 653.e. 663.a
Psalmus, Beati immaculati, plenus moribus. 183. c ciusdem profunda mysteria. 641.b
ptolemæus vetus testamentum de Hebræo in Græcum sermonem transferri curat. 4.e
pugnæ similitudo. 691.e
Pugna spiritualis in Missa. 696.a
Pulpitum cur sic dictum. 336.a
Purgatorio quodam igne purganda dimittenda q; peccata defunctis. 7.b
purgatorij pœnas cur paschasius quidam subire debuerit. 358.d
purificationis B. Mariæ festiuitas. 291.a
de purificationis S. Mariæ festo sermo. 443.b
Purificatio S. Mariæ si infra septuagesimam euenerit. 401.a
purificationis in festo diuinorũ officiorum ordo. 35.c

Q

QVacunq; die ingemuerit peccator, saluus erit, quomodo intelligitur. 512.e
Quadragesima. 13.a. 94.c
Quadragesimale ieiunium 447.a
Quadragenarij numeri sacramentum. 13.c.94.d. pag. 94.e
Quadraginta diebus cur constet ieiunium. 40.b
Quadragesimali ieiunio decimas anni exoluimus. pag. 40. d. 84.c. 285.d
Quadragesima quibus operibus sit transigenda. pag. 246.d
Quadragesimã quando propriè exordiamur. 392.c
Quadragesima quousque porrigatur. 37.b. 40. a. pag. 247.b
à Quadragesima cur cessent cæteræ denominationes, videlicet tricesima, &c. 247.b

Universidad de Deusto
Biblioteca

Quadragesimæ ieiunium conuenienter Dominicæ passioni confine.95.a. quarta feria post quinquagesimam incipiatur. c.
Quadragesimalis ieiunij in capite ad confessionem & pœnitentiam inuitandi omnes 41. d. & inuitat mater Ecclesia. 445.b
Quadragesimam obseruabant baptizandi. 10.a
Quadragesima dies dominicos in ieiunio non computat. 508.b
in Quadragesima diuina officia quomodò peragenda. 655.d
Quadragesimale ieiunium officia à quarta feria capite ieiunij auspicantur. 401.e
in Quadragesima populus hora nona conuenit ad Ecclesiam. 88.d
in Quadragesima quæ in Missa canuntur, ratio explicatur. 40.e
Quadragesimæ tempore in Missa peculiaris benedictio. 176.b
Quadragesima. De Responsorijs Nocturnalibus & Antiphonis officio Matutinalium. 247. d. 247. & seq.
Quadragesima si quandò festa nouem lectionum incidant. 401. c.402.c
in Quadragesima Natalitia Martyrum non seruanda. Canon. 401. b. deindè abrogatum. pag. 401.b
in Quadragesima quintas ferias vacantes 401.e. reliquit Gregorius, quas officijs propijs insigniuerit. ibidem.
Quadragesimæ quartæ hebdomadæ quarta feria, in apertione aurium. 96.d
in Quadragesima præfatio. 402. a.401.e
Quadragesimam vnam ieiunio dicat Ecclesia, nec prohibet tamen quo minùs quis pro suis peccatis alteram sibi vel tertiam etiã indicat. 127.a. pag. 127.e
Quadragesimas tres ieiunant Montanistæ. 127. e. 133.b. obseruant eisdem pij aliquot. 133.b
Quadragesima posi Pentecosten pœnitentibus impo nitur. 493.e
Quadragenarij numeri significatio. 703. b
Qualès inueniri debemus in secundo Christi aduentu. 559.c.d. & e
Quæstio Solitariorum in precibus horarum canonicarum. 376.d
Quarta ætas mundi sub regibus & prophetis. pag. 508.e
Quarta feria caput Ecclesiæ Christus venditus est, ideo luctuosa est. 527.a
Quarta die sol corporeus creatus est, sol iustitiæ venditus. 529.a
Quatuor virtutes, secundum quatuor dimensiones crucis. 540.e
Quatuor temporum ieiunium. 58.c. vide Ieiunium.
Qui fiat, videat ne cadat. 618.e
Qui se humiliat, exaltabitur. 621.b
Quinque vulnera Christi, quinque foramina petræ viuentis. 481.a
Quinquagesima quousque tendat. 37.b. 39. c. 93.c
à Quinquagesima ieiunium incipiit Romani. 291.e
à Quinquagesima cur quidam ieiunium auspicentur. 84.e
in Quinquagesima eorum quæ in Missa canuntur, explicatio. 39.c. de Responsorijs Nocturnalis & Antiph. officij Matutinalis. 246.b
Quinquagesima Paschali quæ sint obseruanda. pag. 296.c
Qui habitat, psalmus. 200.c 214.e. scutum est contra insidias diaboli. 232.c. expositus. 106.a

R

Raab et Ruth, mulieres alienigenæ in linea Christi. 497.e
Rabanus patrum doctrinæ insistit, à Catholica veritate non desecdit. 262.a
Racha quid. 43.c
Radulphus de Rino. 533. diligens scrutator diuinorum officiorum. 634.c
Radulphus Romæ exactius à se de diuinis officijs script. reliquit. 647. b. 657. d. 664. d
Radulphus Antiphonarios antiquos Romanos secum detulit Roma. 647. c. 655. c. 660. e
Radulphus Calendarium scripsit. 657. a. quam rationem in eo obseruarit. 658. c
Ramusculi, quibus lauantur altaria, significant flagella quibus cæsus est Dominus. 536. d
Rasura verticis cur nullo ornamento tegitur. pag. 486. b
Rasura designat nos filios esse veri Helisæi, decalua ti propter nos in monte Caluariæ. 486. c
Rasura verticis cur corona vocatur. Ibidem
Raritas res magis pretiosas facit. 178. b
Ratio inuicta pro Transubstantiatione. 631. e
Ratio mystica cæremoniarum episcopi in missa. pag. 685. c
Redemptio hominis diabolo erat abscondita. 589. b
Rationalis in fronte pontificis mysteria retexuntur. 64. e. pro eo nunc archiepiscopi pallio vtuntur. 63. e
Rationale Gemma Ecclesiæ. 661. a
Relatiuis nominibus magis exprimitur diuina natura arcanum quàm substantialibus. 607. e
Relatiua non in omnibus conuertuntur. ibidem
Relatiuis nominibus maximè glorificatur Deus. pag. 707. e
Relatiua in Deo nõ sunt accidentia nec ex tempore aduenerunt. 609. a
Regnum Dei quàm gloriosum. 710. e
Reliquias custodiebant Cappellani. 356. a
Remissæ. 22. d
Responsorium qui primi tradiderint, & cur sic dicatur. 3. c. 69. c. 279. a. 300. c
Responsorio actiua vita designatur. 126. e
Responsorium & Tractus quid differant. 158. c
Responsoria ante Euangelium Hispani recipere nolunt. 347. a
Responsoria in Missa quomodò Romano & Ambrosiano officio vocentur. 646. e
Responsorium post versum repetitur. 157. e
Responsorij in repetitione exaltat tãtor vocẽ. 157. e
Responsoriale apud Romanos liber vocatur, in quo responsorij sunt. 224. c.

Responsoria quomodò habeant antiphonarij Romani, & quomodo per hebdomadam repetant. pag. 647.d
Responsoriorum atq; versuum apud Romanos cantandorum ratio. 240. c
Responsorium integrum Romani post versum repetunt, quod secùs faciunt alij aliquot. 224. d
Responsorij cur plures interdum versus adiunctos habeant. 224. e
in Responsorijs tribus Nocturnum ferialem semper dicunt Romani. 399. d
Responsorij nocturnalium officiorum in Aduentu. pag. 232.e
Responsorij de Ascensione per decem dies cantari soliti. 254.b
Responsorij qui prætitulantur, Regum. 258. b. de Salomone & sapientia. 258. d. & Tobiæ b. Iudith, Esdræ & Hester, d Machabæorum. 259. b. prophetarum, d.
Responsorij de auctoritate prætitulati 252.c
Responsorij de Psalmis. 253. a. quandò initium & finem habeant. 253. d. 255. d
Responsorij cur sequantur lectiones. 228. b
Responsorium an post lectionem vespertinalem canendum. 190. d
Responsoria debitè aptanda lectionibus. 468. a
Responsorij ante hymnum Beatæ Mariæ, Magnificat. 261. a
Responsoria ad Vesperas. 651. d
Responsoria ad Tertiam, Sextam et Nonam in Quadragesima. 246. d
Resurgere vestiti an nudi debeamus. 220. a
Resurrectio eo ordine, eaq; forma qua Christus resurrexit, futura. 30. a
Resurrectio Christi cur per mulieres nuntiari debuit pag. 547. b
Resurrectio corporum cum immutatione & immortalitate. 547. d
Rhetoricæ vsus ad scripturam intelligendam. 318. d
Reus corporis & sanguinis Domini qui dicitur. pag. 479. c
in Risum inuectiua Chrysostomi. 218. c
Rogatio, litania. 57. b
Rogationum tres dies ante Ascensionem, à quo & cur instituti. 57. b. 128. d. 295. a. 354. d
Rogationes Mamerti centum annis antiquiores sunt letania Gregorij. 584. b
Rogo te, habe me excusatum, humilitas in voce, superbia in actione. 616. a
Romanorum Respublica subdita Apostolicis viris & Christianis Imperatoribus Ecclesia est dilatata. 197. c
Romæ sancti Cæsarij oratorium. 204. c
Romana Ecclesia firmissima fidei sinceræ obseruatrix. 351. d. ab hæresi pura permansit. 345. c. pag. 359. c
Romana Ecclesia quàm solicita nè apocrypha admittat. 645.
Romana etiàm Ecclesia contra Patrum statuta aliquid condere non potest. 637. b
Romanæ Ecclesiæ dignitas. 664. b
Romana Ecclesia in speculum & exemplum posita. 634. c. mater est omnium Ecclesiarum. ibidem. eius sanctiones tanquàm diuina voce B. Petri firmatæ, sunt accipiendæ. 636. c. violatores grauiter plectendi. 636. b. 643. b
à Romana Ecclesia totius religionis formam accepimus. 392. a. cum qua quæ pugnãt, indubiè repellenda. ibidem
Romanæ Ecclesiæ traditio, in fidei & obseruationum doctrina præ cæteris seruanda. 351. b. 386. c
Romanæ Ecclesiæ consuetudo pro lege tenenda. pag. 100. d
Romanæ Ecclesiæ statuta non iudicare, sed ei omnes & per omnia obedire debemus. 393. a
Romanus Pontifex totius Ecclesiæ apice sublimatur.. 355. b
Romano à Pontifice qui dissentiunt, ab vniuersi orbis communione separati sunt. 72. e
Rom. sedi Constantinopolitana subiecta. 206. d
Romana Ecclesia mater Syracusanæ. 206.
Rom. Ecclesiæ Diaconus apud Imperatorem in Palatio erat olim. 205. e
Romanæ sedis Episcopus propter excellentiam principis Apostolorum dicitur Apostolicus. 471. e
Romanorum Pontificum diuersa & multa additamenta in Missa. 482. d
Romanæ Ecclesiæ synceritas in fide. 483. b
Romana Ecclesia excelsum fide tribunal. ibidem
Romana Ecclesia super Petram ædificata, contra omnes hæreses murus perstat inexpugnabilis. pag. 484. b
Romana Ecclesia mille clypeos, omnemq; armaturã fortium habet. 485. a
Roma caput Asinæ, super quam sedit Christus. pag. 488. c
Romanus Pontifex quando maximè fungitur vice Christi & S. Petri. 492. a
Romanæ Ecclesiæ fides verè Apostolica. 497. e
Roma spiritualiter Babylon dicta est. 523. c
Romanæ Ecclesiæ miranda diligentia in ordinatione diuinorum officiorum. 563. a. 564. a
Romanum cantũ quando receperit Francia & Germania. 646. b
Romanum Ordinem Albinus citat, & ex eo nonnulla recitat. 33. b
Romanus Ordo explicatus & citatus. 98. d. 107. d. 106. d. 110. d. 122. c. 123. b. 203. e. 402. e

S

Sabaoth quid sit. 71. e
Sabbati ante Palmas peculiaria. 45. b
Sabbatum Paschale cur celebre sit. 97. e
Sabbati sancti solennitas. 52. c. diuinorum officiorũ in eo ordo. 93. 293. a
Sabbato sancto Missa non celebratur. 107. c. 110. a
Sabbato sancto vigiliæ magna celebritate noctù aguntur. 110. a. vsque ad noctis medium. b
Sabbatum sanctum vesperam non habet. 56. a
Sabbato sancto noctù Missa celebratur. 117. d. 122. d
Sabbato sancto cereus benedicitur. 250. d
Sabbato sancto cereus benedictus in octauis Paschæ distribuendus populo. 403. c

Universidad de Deusto
Biblioteca

Sabbato sancto quæ circa baptizandos fiant. 114.
Sabbatum in albis. 56.b
Sabbato ante octauas Paschæ baptizati, albas vestes deponunt. 37.a
Sabbato ante octauas Paschæ finit septuagesima. 38.e. duo alleluia tunc canuntur. ibidem
Sabbatum in xij. lectionibus, cur sic dictum. 58.e. pag. 132.e.286.e
Sabbatum xij. lectionum sequitur semper Dominica vacans. 391.e
Sabbatis xij. lectionum hymnus trium puerorum ad Missam canitur. 347.e
Sabbatinis diebus de beata Virgine officium dicitur. 663.a. in eo nec Credo, nec Gloria in excelsis, dicendum. b
Sabbato in Matutinali officio canticum ex Deuteronomio cur habeatur. 198.e
Sabbato Romæ iciunium obseruatum. 217.c.e
Sabbato cur iciunetur. 135.a
Sabbatum quatuor temporum cur sex habet lectiones. 491.e
Sabbatum ante palmas vacat propter eleemosynas Papæ. 524.c
Sabbati sancti præconia. 544.b.c
Sabbato sancto cur lectionibus non præfigitur titulus. 555.c
Sabbato sancto redditur gaudium, canitur hymnus Angelicus. 555.e
Sabbato sancto cur in Missa solennia quædam desunt. ibidem
Sabbato sancto redditur nobis Alleluia. 557.a
Sabbatum Iudæorum memoria creationis mundi, prima sabbati reparationis est. 560.e
Sabbatismus iure in octauam translatus est. 560.b
Sabellius confusor personarum in diuinis. 611.a
Saballiani cur Patripassiani sunt dicti. ibidem
Sacerdotij veteris & noui testamenti origo. 17.d. in Veteri lege initium ab Aaron. 266. d. in Noua post Christum à Petro. 266.
Sacerdotes ante Aaron qui erant, primogeniti. pag. 60.c
Sacerdotum in lege quod munus fuerit. 60.e
Sacerdotum successio cuiusmodi in veteri lege. 60. d pag.
Sacerdotes constituendi in Noua quàm in Veteri lege diuersa ratio. 18.a
Sacerdotes non eiusdem dignitatis omnes. 17. d
Sacerdotis nomen commune episcopo & minoribus sacerdotibus. 267.e
Sacerdos cur triginta annorum esse debeat. 18 b
Sacerdos per vnitatem fidei tota Ecclesia est, & eius vicem agit. 374. e
Sacerdotalis salutatio propter pacem. 378.a
Sacerdos non sit digamus. 18.b
Sacerdotum officium in quibus versetur. 267.e
Sacerdotalis officij excellentia. 414.e
Sacerdos sequester & medius inter Deum & peccatorem hominem. 44.d
Sacerdotem velut in arce castimoniæ ab omnibus conuenit suscipi & venerari. 65.d
Sacerdotales vestes in veteri lege quænam fuerint. 63.a
Sacerdotalium vestimentorum Mosaicæ legis mysteria. 64.d
Sacerdotum Euangelij vestimenta quid mysterij in se habeant. 65. e.269.c.414.a
Sacerdotales vestes propriæ nostris sacerdotibus. pag. 64.d
Sacerdotis ad altaris dexteram reditus. 727. c
Sacerdotes quorum, & quorum Episcopi sint successores. 717.c
Sacerdos pro quibus in Missa oret. 772.e
Sacerdotis officium. 733.e
Sacerdos cur prostratus dicat preces, & stans orationem. 746. a
Sacerdotis dignitas. 756.b
Sacerdos sacra veste indutus de sacra ade procedens. 719.b
Sacerdotalis vestis nisi in Ecclesia non vsurpanda pag. 66.c
Sacerdos lauat manus antequàm ad tractanda sacramenta accedat. 435.b. et post ea sũpta. 435.a
Sacerdotales vestes neque in vetere neque in nouo testamento carent ratione. 470.a
Sacerdos sedens prope altare, Christi victoriam de tentatore significat. 474.e
Sacerdotum & ministrorum Christi officium quale. 512.a
Sacerdotes qui propter decimas & oblationes præcipue ministrant, reprobi sunt. 515.d
Sacerdotij veteris deferendi, nouiq; instituendi signũ fuit mysticum, quod Iesus abscondit se, & exiuit de templo. 522.a
Sacerdotes ad Deum legatione funguntur pro populo. 531.a
Sacerdos in altari personamq; vicem Christi gerit. 532.b
Sacerdos & Leuita prætereuntes vulneratum quid designant. 619.c
Sacramenta vndè dicta. 342.b
Sacramentorum mysteria scire debent sacerdotes. pag. 406.d
Sacramenta similitudinem earum rerum habent, quarum sunt sacramenta. 116.c
Sacramenta Ecclesiæ. 271.c. siue à bonis siue à malis administrata, effectus nihilominùs suos operantur. ibidem.
Sacramenta gratiam nihilominùs conferunt ab indoctis collata. 406.a
Sacramentorum liber à Gregorio conscriptus. pag. 358. a
Sacramentorum liber qua sit occasione à Gregorio papa scriptus. 346. c. 358. a. qui ab alijs postea interpolatus. 346. c
Sacramentorum vis vnde 769. c
Sacramentum dupliciter dicitur. 723.a.734.b
Sacramentorum Ecclesiasticorum & officiorum vtilitas. 732.a
Sacramenta Ecclesiæ septem, ex his quinque generalia, & duo particularia. 734.a
Sacramentum altaris cur de pane frumenti & vino consecretur. 722.a
Sacramentum in quibus consistat. 734. c
Sacramenta maiora sequuntur in Missa post Euangelium

gelium. 475.d
Sacramentarium Gregorij repurgauit Albinus, & alias orationes adiecit. 405. b
Sacramentarium Gregorij aliquando in vno die duo habet officia. 399.a
Sacramentarium Gregorij. 391.d.392.b.402.a
Sacramentarium citatur. 36.c.45.b. 50. 88.b. 90.a. 97.e. 102. b. 114. d. 177.e.203.210.e. 220. e. 346. 401. e. 403. e.
Sacramentarij antiqui & emendatiores. 383. c. respiciendi semper. 385.c
Sacramentorum liber ordinem ad vngendum infirmum continet. 79. d
in Sacramentario duplex officium in Natiuitate Domini. 87.a
Sacrarium quid. 335.e
Sacræ scripturæ diuisio. 728.
Sacrificium altaris ipse Christus, hostia vociferationis dicitur. 475.d
Sacrificium illud verum Dei verbum, verum Dei filium continet. ibidem
Sacrificium noui testamenti longe melius & sanctius quàm veteris testamenti. ibidem
Sacrificium per legem præfiguratum, per Euangelium ad altare peruenit. 477.a
Sacrificium altaris non animalem sed spiritualem in se vitam habet. 479.e
Sacrificium nostrum acceptum sicut munera Abel sacrificium Abrahæ. 481.c
Sacrificij noui ritum per primos Apostolos accepit Romana Ecclesia. 482.c
Sacrificium verum in vltima Cœna Christus tradit. 531.e
Sacrificium Missæ cur in die parasceues non celebratur. 534.b.537.c
Sacrificium vespertinum & matutinum in die Paschæ. 547.a
Sacrificium altaris a multis offertur. 373.d
Sacrificia Deo debentur. 625.a
Sacrificia semper fuere. 625.b
Sacrificia antiquorum Deo placuisse. 626.d
Sacrificia quid designant. 626.a
Sacrificandum nulli creaturæ. 626.b
Sacrificia dæmones quare ambiunt. 626.d
Sacrificia Christianorum qualia esse debeant. pag. 629.a
Sacrificium Christi & Ecclesiæ vnicum est sacrificium. 630.b
Sacrificij quotidiani causæ tres. 690.c
Sacrificium laudis ab Angelis & spiritibus iustorum. 691.b
Sacrifices duo præcipuè sub lege qui 753.b
Sacrificium vndè sic dictum. 278.d
Sacrificio vno completa diuina propitiatio, quæ sacrificijs multiplicibus antè figurabatur. 414.c
Sacrificia veteris legis ad Christum eiusq; sacrificium accommodata. 426. & ad nostras spirituales oblationes. 430.
Sacrificij Noui testamenti cum veteris testamenti sacrificijs collatio. 422 d.431.
Sacrificium turturis & columbæ, mystice expositum. 158.d
Sacrificium Christianum abrogatis Iudaicis victimis successit. 6.a
Sacrificij Christiani oblationem instituit Christus. 6. a. præfigurauit Melchisedech. ibid. 264. d. pag. 277.c
Sacrificium obtulit in Cœna Christus, & celebrare Christianis mandauit. 6.a.349.b. cur sub vesperam hoc ipse obtulerit. 6.a.7.a
Sacrificium offerre solius est sacerdotis. 164.a
Sacrificium quod offertur, corpus Christi est. 73.e
Sacrificium sui corporis & sanguinis cur nobis Christus reliquerit. 78. a
in Sacrificio vinum aqua mixtum offerendum. pag. 277.d
Sacrificium in Missa tota offert Ecclesia. 72.e
Sacrilegium. 42.d
Sal cur catechumenis detur. 28.a
Salutatio fit singulariter & pluraliter. 371.
Salutatio ad obuios aut operantes, ludæis in frequenti vsu. 161. c
Salutationum formulæ, Dominus vobiscum, & Pax vobiscum, vndè sumptæ. 68.d.
Salutatio Episcopalis. 37.
Samaritanus vulneratum à latronibus curans, Christus est. 619.a
Sanctorum spiritus sciunt fidelium petitiones. pag. 73.d.
Sanctorum intercessio. 78.e
Sanctorum intercessio in litanijs apud baptismi fontem. 121.e
Sanctorum propter merita & intercessionem Deus misereatur nostri. 73.c
Sanctorum intercessione Ecclesia munitur. 121.
Sanctis non sacrificat Ecclesia, quamuis illorum suffragia postulet. 73.d
Sancti aliter quàm Deus inuocantur. 337.b
Sancti quo sint cultu prosequendi. 12. a. 297. b. cur festiuitates eorum celebrentur. ibidem
Sanctorum Natalitij dies cur appellentur quibus ex hoc seculo migrarunt. 51.e. cur eosdem læti & celebriter transigamus. c.
Sanctorum in festis post Pascha cur quæ de multis alioquì seruantur, cantemus. 403.e
Sancti qui sub ix. lectionibus venerandi 657. b. qui sub tribus. 658.c. & cur. 658.d
Sancti Ioannis festiuitas. 239.d
Sancti quinam in Calendario notandi. 657.a
Sanctorum vitæ quædam reiectæ, aliæ approbatæ. pag. 644.e
Sanctus sanctus sanctus, quis instituerit canendum in Missa. 164.e.383.b
ad Sanctus sanctus sanctus, hymnum Sixtus adiectionis auctor. 724. c
Sanctus ter, & semel Dominus, cur dicamus. pag. 71.e
Sanctus sanctus sanctus, ipse etiam sacerdos cum alijs debet dicere. 385. b
Sanctus cùm canitur, inclinati stant ministri. 165. a. vsque dum dicatur, Sed libera nos à malo. ibidem
Sanctorum in hac vita perfectio quæ. 751.e
Sanctificatio Ieremiæ & Ioannis qualis. 735.a

Universidad de Deusto
Biblioteca

Sancti in canone nominati. 774.d
Sanctus sanctus sanctus Dominus Deus Sabaoth. pag. 724.c
Sandaliorum descriptio & mysterium. 64.e. 69.e. pag. 271.d. 417.c
Sandalia episcopi & presbyteri diuersa cur sint. 66.c. 146.a. diaconi item & subdiaconi. ibid.
Sandalia Pontificis significant Dominicæ incarnationis calceamentum. 471.b
Sandaliorum corrigiæ significant copulam carnis cum diuinitate in Christo. ibidem
Sanguis Christi quomodo clamat de terra. 544.b
Sapientia Dei patris fons vitæ, lumen de lumine. pag. 520.a
Sapientia Dei accidens quidem est homini, sed in seipsa vera substantia est. 608.d
Sapientia Dei naturaliter est filius Dei. ibidem
Sapientia Deo Patri coæterna, sicut & amor. 609.d
Sapientia ludens coram Deo omni tempore, quali ludit ludo. 609.d
Sapientia in sacris litteris. 683.e
Sapientiæ mundanæ contemptus. 371.a
Sarrabaitæ. 22.d
Satanas cum suis æterno igne condemnandus. 30.b ad pristinam dignitatem reducendum sacrilegus error. ibidem
Saracenorum religio. 627.e
Scientia artium valde ad diuinarum scripturarum confert. 728.a
Scientia multiplex in Ecclesia Christi. 604.
Schisma quid. 305.c
Schola vacatio dicitur. 157.a
Scænopegia ludæorum, id est, festa tabernaculorum. 594.b
Scænopegiorum mystica & vera celebratio. 594.b
Scorpionis carnes oleo coctæ, percussionibus scorpionum medentur. 436.e
Scoti geniculationes frequentant, & sæpè eis vtuntur. 350.a
Scripturæ veteris exemplis probatur. Transubstantiationis panis in corpus Christi. 622.a
Seculum aureum nobis à Christo datum. 628.d
Secreta. 162. & cur sic dicatur. 162.a
Secta vndè dicta. 305.c
Secula seculorum quæ dicuntur. 76.e
Senarius primus perfectus numerus. 93.b
Senarij numeri mysterium. 39.e.83.b
Scripturæ sacræ commendatio. 309.e
Scriptura cur obscura plerunq; sit. 309.a
Scripturæ ad intelligentiam quibus gradibus ascendatur. 33.c. 323.e. Deq; scripturis interpretandis varia præcepta. 313.d. & seq.
Scripturæ vnum locum variè interpretari posse, si vterque sensus veritati congruat. 316.b
Scripturas ad intelligendas quid gentilium libri & liberales artes conferant. 316.c. & seq. pag. 322.d
Scripturæ interpretandæ septem regulæ citatæ. pag. 143.e
Scriptura cur testamentum vocata. 3.c
Scripturæ partitio. 3.c. & quot quique eius libri Canonici. 4.d
Scripturæ libri LXII. Veteris testamenti, XLV. Noui, XXVII. 4.a.b
Scripturæ ex Canone Sapientiam Salomonis, in eum antè receptum, cur postea exemerint Iudæi. 4.e
Scripturæ libri, 301. 311. à quibus sint auctoribus scripti. 4. 302.c. & qui interpretes de Hebræo & Græco ibid. 4.c.d
Scriptura in Theotiscum sermonem à Gothis conuersa. 336.e
Scripturæ de Græco in Latinũ interpretes quamplurimi. 4.d. de Hebræo in Latinum tantummodò Hieronymus, cuius editione Ecclesiæ vsquequaq; vtuntur. ibidem
Scriptuta sancta in Ecclesijs legenda. 3.c. & quo ordine. 644.d
Scripturæ sacræ libros quo ordine in diuinis officijs legant Romani. 225.a
Scriptura sacra dicitur mysticè firmamentũ. 553.d
Scripturarum scientia est causa effectiua luctus pœnitentiarum. 572.a
Scripturam quomodo & in templo & in refectorio legendam ordinarit D. Bernardus. 644.d
Scripturæ non eadem translatio. 229. 188.b. 194.a pag. 199.e. 195.d. 222.e. 235.
Scripturæ interpretes LXX. legere consueuit Ecclesia. 221.c
Scripturæ diuinæ materia quæ. 728.e
Scrutinia circa catechumenos. 54.c
Scrutinium iter ad baptismum. 96.a
Scrutinia sex infra quadragesimam Romani celebrant. 53.c. & septimum sabbato sancto. pag. 53.d
Scrutinium proprium opusculum habet. 114.b
Scrutinium propriam Missam habet. 96.a
Scrutinium tertium & maximum quando agatur. pag. 96.a
Scrutinia circa baptizandos. 516.a
Scrutinia olim septem fiebant. 516.c
Senarij numeri significatio. 762.a
Secunda dies tum creationis rerum, tum passionis Domini minor est quàm reliqui dies hebdomadæ. 526.c
Sedere à dextris Dei, quid est. 589.d
Sedes Apostolica temporibus Ruperti in Ecclesia Lateranensi. 578.a
Septenarius numerus mysticus in scripturis. 11.c. pag. 81.c.82.d
Septuagesima non à lxx. diebus, sed à vij. Dominicis ita vocatur. 504.a
Septem ætatis mundi. 504.b
Septuaginta septem generationes Luc. 3. ab Adam vsque ad Christum. 505.d
Septima ætas Ecclesiæ in æterna beatitudine. 510.a
Septem Dominicæ, præcedentes Dominicam passionis sunt velut pompa funeris. 521.d
Septẽ mulieres apprehẽdẽtes virũ vnũ. i. septẽ dona Spiritus sancti apprehendentia Christum. 554.b
Septem dũtaxat vocũ discrimina in musicis. 569.e
Septem spiritus Dei tanquam septem gradus ad cognitionem Dei. ibidem
Septem officia Pentecostes secundum septem dona spiritus

spiritus sancti. 592.d.605.c
Septuagesima, & cur sic dicta. 82.c. 84.a.291.b
de Septuagesima sermo Iuonis. 444.a
Septuagesimæ initium & finis. 90.b
Septuagesima quousque porrigatur, & quot hebdomadis computetur. 36.c.37.e.36.a.244.a
Septuagesima mensem Februarium attingit. 90.a
Septuagesimam cur instituerit & obseruet Ecclesia. 36.37.e
Septuagesima repræsentat Israelitici populi seruitutem in Aegypto. 122.e. & captiuitatem. pag. 90.a
Septuagesima tempus luctus. 92.a
à Septuagesima ieiunandum oratio innuit. 91.
in Septuagesima Alleluia & Cloria in excelsis, cur suspendantur. 36.d.38.b.91.e.400.e. & quando tum dici possit. 400.e
Septuagesimæ in Sabbato alleluia dimittendum. pag. 655.a
in Septuagesimæ nocturno Alleluia plures libri habent. 655.
Septuagesimæ Nocturnalis officij Respõsorij. 244.a Alleluia cur hi habeant. ibidem
Septuagesimæ in vespertinali & nocturnali officio frequentatur Alleluia. 190.e
Septuagesima quid legendum, & vndè responsoria sint petenda. 400.e
in Septuagesima quæ in Missa decantat Ecclesia, explicantur. 38. Laus tibi Domine, in Septuagesima canitur. 38.c
Septuaginta interpretum vera & diuina Spiritus sancti instinctu interpretatio. 4.c
Septuaginta interpretes. 91.d
Sequentia seu iubilatio in Missa. 67.a. sine verbis iubilatio. 159.c
Seraphim masculini generis, & pluralis numeri. Seraphin neutri, & pluralis numeri. 71.e
Sergius instituit Litanias in festis Beatæ Virginis. pag. 35.c
Sermo diuinus frumentum est; litera, palea; spiritus, medulla. 603.a
Sexagenarius numerus perfectus. 39.e
Sexagesima cur sic dicta. 291.d
Sexagesima quousq; protendatur. 37.b.38.c.92.a. ab hac ieiunium qui & cur auspicentur. 36.b. pag. 84.e
Sexagesimæ nocturnalis officij respons. 245.c. & Matutinales antiphon. c
in Sexagesima quæ in Missa canit Ecclesia, explicantur. 38.c
Sexta hora. 188.e
Sexta cur precibus dicata. 7.d
Sextæ horæ officium. 281.e
Sibilius auræ tenuis quid est. 575.601.c
Signorum vsus ex veteri testamento sumptus. pag. 66.e
Silentium Missæ post offerendam mysterio non caret. 477.a
Silentij spatium. 690.c
Similitudo pulchra. 750.d
Solitarij posſunt loqui, & orare pluraliter. 373.c
Solitudo pluralis & multitudo singularis per Spiritum sanctum. 373.a
Sordida vestimenta Christi quid sunt. 541.c
Spinea corona nostrorum portatio est peccatorum. pag. 541.a
Sindon corporale vocatur. 162.e.167.e
Sindon ab altari in parasceue à Diaconis, quòd auferatur, quid significet. 49.c
Sixtus Papa ad hymnum Sanctus, adiectionem constituit. 67.b
Spes & timor in peccatoris confessione coniuncta sint. 199.e
Spiritus sanctus, Patris & Filij Spiritus, ab vtroq; procedit. 452. contra Græcos hoc Græci auctoris testimonio firmatur. c
Spiritus sanctus, Dei digitus cur appellatus. 452.b. cur septiformis vocetur, 275.d
Spiritus sancti dona. 452.b. 236.a inter se inuicem cohærent, & quasi colligantur. 120. & alterum altero indiget. 208.
Spiritus sancti singula dona tres sorores, fidem, spẽ, charitatem habent. 203.b
Spiritus sancti dona cum beatitudinibus collata. pag. 119.b
Spiritus sanctus velox & efficax doctor. 452.b.c
Spiritus sanctus quid in nobis operetur, & cuiusmodi nos eius hospites esse oporteat. 130.d. pag. 275.a
Spiritus sanctus & vnus & multiplex est. 372.e
Spiritus sanctus datur in confirmatione, tanquam tutor pupillis. 530.d
Spiritus sanctus ante passionem Christi nusquam dictus est paracletus. 531.b
Spiritus sanctus datur nobis p Christum, sicut ignis per lapidem. 535.b
Spiritus Dei ferebatur super aquas. 593.e
Spiritus sancti præconia. 555.e
Spiritu pietatis beati sunt mites. 572.e
Spiritus scientiæ facit hominem lugere & seipsum & alios peccatores. 572.b. 573.a
Spiritus fortitudinis dat esuriem sitimq; iustitiæ. pag. ibidem
Spiritus consilij misericordes facit. 575.a
Spiritus intellectus oculum purgat cordis, vt Deum videat. 576.a
Spiritus sapientiæ pacificos facit. 577.a
Spiritus sanctus datur vt paracletus, quando datur in remissionem peccatorum. 581.e
Spiritus sanctus est donũ optimũ atq; perfectũ, sine quo & angeli & homines miseri sant. 582.e
Spiritus sanctus dupliciter donatur nobis. ibidem
Spiritus sanctus de meo accipiet, cur non ait, mea accipiet. 583.a
Spiritus sanctus nobis necessarius multipliciter tanquam tutor hæreditatis nostræ. 590.a
Spiritus sanctus est benedictio, qua benedicuntur omnes gentes in semine Abrahæ. 592.a
Spiritus sanctus non est Deus recens. 592.e
Spiritus sancti potentia & gratia in Ecclesia primitiua. ibidem
Spiritus sancti diuitiarũ æternarum cumulus. 595.e
Spiritus sanctus vere Deus est, quia animæ humanæ capabilis est. 596.a

Universidad de Deusto
Biblioteca

Spiritus sancti illapsus quomodo sit. 597.b
Spiritus sanctus cur cum sono repentè aduenit in Apostolos. 598.c
Spiritus sanctus est ignis, quem Christus venit mittere in terram. ibidem
Spiritus sanctus amor est, ideo & ignis dicitur. pag. 598.d.609.e
Spiritus sanctus, cur in linguarum specie apparuit Apostolis. 599.a
Spiritus sanctus est lingua & calamus scribæ velociter scribentis. ibidem
Spiritus sanctus quanta dulcedine repleuit Apostolos. 600.b
Spiritus sanctus manet in hominibus duobus modis, vno per substantiam, altero per fidem. 601.b
Spiritus sanctus aliter in Christo, quàm in iustis alijs manet. 601.e
Spiritus sanctus repleuit orbem terrarum. 601.b
Spiritus sanctus quomodo scientiam habet in nobis. 601.e
Spiritus sanctus non datur extra Ecclesiam Catholicam. 602.b
Spiritus sancti scientia mirabilis. 772. c
Spiritualis proximitas. 739.d
Spiritus elationis in eloquentia. 378.b
sine Spiritu sancto neque cogitare neque agere aliquid rectè valemus. 119.b
Spiritus sanctus in vento & igneis linguis cur se exhibuerit. 130.c. *cur in specie columbæ.* ibidem
Sponsus vnus Ecclesiæ virginis. 375.e
Sponsus sponsæ annulum cur det. 27.d. *quarto digito cur is inseratur.* ibidem
Stare in dextra aut in sinistra. 685.d
Statio in medio Ecclesiæ in die Paschæ 563.a
Statio prima processionis ad oratorium sanctæ Mariæ. 563.d
Statio Romæ ad S. Mariam in die Paschæ. 563.d
Statio ad S. Mariam Romæ. 398.d
Statio ad sanctam Sabinam. 45. a
Stola siue oratorium. 64. & 65. b. 417.c
Stolam accipit diaconus cùm ordinatur. 144.e
Stola quid mysterij habeat. 144. e. *cur ad genua propendeat.* 144.c
Stola collo circumposita, Christi obedientiam significat. 470.a
Stephanus Papa. 66.b
Stephanus Tungrorum Episcopus quas historias scripserit. 647.c
Stephani Tungrorum Episcopi Capitularium. pag. 649.e.650.d
Subdiaconi. 268.b
Subdiaconi nunc, qui Nathinæi in lege. 60.b
Subdiaconorum ordinatio. 20.c.138.d
Subdiaconis continentia cur indicta. 20. c.412.a
Subdiaconi sapientes repræsentant. 152.b
Subdiaconorum officium in Ecclesia. 20.d.61.c. *pag.* 139.a
Subdiaconus adiutor Diaconi, & penè in eodem est officio. 66.d
Subdiaconus epistolam legit. 69.a
Subdiaconus epistolam ad Missam quòd legat, non est ex eius ordinatione, sed posteà est introductum. 139.a.139.b
Subdiaconi in facie Episcopi stant sacrificij tempore. 165.a.165.c. *quos designent.* c
Subdiaconi quousque inclinati stent ante episcopum. 169.c.169.e. *quando recedant.* 171.a
Subdiacono cur non datur benedictio, sicut diacono lecturo. 474.a
Subdiaconus cur librum ante Euangelium lectum clausum portat. 475. e
Subdiaconi regionarij in facie Pontificis stant. 138.e
Subdiaconi antiquitùs spoliati processerunt. 206.a
Subdiaconi sequentes. 138.e
Subdiaconi officium. 740.c
Substantia Dei simplex est, non formata, sed formata. 608. e
Substantiæ tres verbum caro & anima. 722.c
Sudarium inter vestes sacerdotales. 64.e. 146. b. *pag.* 167.e
Sudarium quod gestant sacerdotes, quid designet. pag. 66.c.164.e.165.a
Suffraganei. 66.a
Suffragia. 659.e.662.
Superbia omnium vitiorũ caput, de ea patrum aliquot sententiæ. 41.a
Superhumerale. 63.d.76.d.270.a
Superhumerale sacerdotum nouæ legis. 65.e
Subliminare templi in passione fractum dicitur in Euangelio Hebræorum. 543.b
Superstitio vndè dicta. 305.d
Supparum. 63. b
Supplicationes vndè nomen traxerint. 284. b
Sursùm corda. 164.a
Suscitatio mortuorum duplex. 518.d
Symbolum quæ occasione Apostoli constituerint. 28.d.303.c.434.b & *cur sic vocari voluerint.* 28. *hoc non scribi in membranis, sed cordibus retineri voluerunt.* c.
Symbolum docentur baptizandi. 272.c.272.e
Symbolum competentibus palmarum die dari solitum. 10.b
Symbolum quandò tradatur catechumenis, & quandò ab eisdem reposcatur. 96.d
Symbolum ab alijs in Cœna Domini secundùm Romanum Ordinem sabbato sancto reddendum. pag. 99.d
Symboli Nicæni commendatio 6.d. *à populo hoc pari confessione in vniuersis Ecclesijs cur proclametur.* ibidem
Symbolum Constantinopol. vt omni Dominica dicatur ad Missam, in Toletano concilio statuitur. 347.d
Symbolum Constantinopolitanum ad Missam cur potiùs quàm Nicenũ dicat. 347.c.408.d.358.c
Symbolum Apostolorum post orationem Dominicã in Prima. 183.d
Symbolum fidei alacriter à Catholicis cantandum. pag. 475.d
Syluester Papa. 118.a
Symmachus. 66.e
Synagoga & Ecclesia quomodò differant. 103.b
Synagoga per filiam archisynagogi in Euangelio designata. 604.e

T *Litera.*

T

T *Littera.* 430.d
Tabernaculum Mosaicum. 626.b
Te Deum laudamus, ab Ambrosio & Augustino compositus hymnus. 648.a
Te Deum, quando dicatur. 400. a. 656. e. *quando non dicendum.* 660.b
Te Deum laudamus, & Gloria in excelsis, pariter canuntur, siue non canuntur. 648. b. & *quando cani vel non cani debeant. Ibid.*
Te Deum laudamus, in natalitiis Pontificum Romani tantum cantant. 225.c
TE Igitur, secreto cur dicatur. 682
Telesphorus. 66.e.137
Templorum origo. 2.d.333.a.b
Templi variæ appellationes, atque partes. 335.a
Templum etiam oratorium dictum. 338.d
Templum in Hierusalem xl. annis ædificatum. pag. 95.e
Templa Idolorum in Dei Ecclesias mutata. 333.e
Templa quomodo & versus quas cæli partes extruebant antiquitus. 334.b
Templi dedicationis mystica expositio. 419.a
in Templis quid fieri, quid non fieri debeat. pag. 338.a
Templorum euersiones nostra peccata promerentur sapè. 339.e
Templa & altaria rectè ornantur rebus preciosis. pag. 485.b
Templi virtutes præsides dixerunt, Trascamus ex his sedibus. 522.b
Templum Iudæorum post passionem Christi destrui expediebat. Ibid.
Templi, quod Christus est, duo sunt latera, dextrum diuinitas, sinistrum humanitas. 561.a
Temporis interstitia tria ante legem. 692.e
Tempora tria quæ. 771.
Tentatio duplex. 78.d
Tentare quomodo nos dicatur Deus. 78.d
Tentatio omni piè viuere inchoanti non deerit. pag. 446.b
Tentationum genera quibus homo ad peccandum inducitur. 182.d
Tentatio quadruplex, à qua suos liberat Dominus. 572.d
Tentatio iusti & proficientis. 622.c
Theotiscum sermonem Gothi habuerunt. 336.c
Ternarij numeri excellentia præsertim apud Christianos. 558.a
Ternarius numerus lectionum & responsoriorum. pag. 712.d
Terra tremet & quiescet, id est, impij terrebuntur, & nocere desinent. 565.d
Terra fluens lacte & melle cælestis patria. 575.c
Terror in aduentu iudicis in die nouissimo. 588.e
Tertia cur precibus dicata. 7.d.184.e
Testamentum cur scriptura vocata sit. 3.c
Testamentum vetus & nouum cur dicantur. 3. c. & *qui vtriusque libri Canonici, & per quos scripti. Ibid.*
Testamenti veteris restaurator Esdras. 4.c. *interpretes qui. Ibid.*
Testamentum Christi non vnius diei, sed æternum & iuge habet sacrificium. 630.d
Testamenti veteris libri qui. 727.c
Testamenti noui libri qui. Ibid.
Testamenti noui vestimenta sacra quid significent. pag. 717.d
Testamenti veteris & noui distinctio. 427.d
Testamenti veteris & noui, vmbræ & veritatis concordia. 98.b
Testamenti veteris figuræ ad noui veritatem accommodatæ. 423.a
Testimonia Trinitatis in veteri testamento præcipuè in Genesi. 610.a
Teutonici. 660.a
Teutonici quorum festa celebrent nouem vel tribus lectionibus. 659.b
Thamar de luda concipiens, Ecclesia de Gentibus est mysticè. 580 d
Theriaca de serpentis carne confecta ad quid prosit. 436.d
Thurificanda non est in altari oblatio. 385.b
Thomæ vitam reiicit Augustinus. 644.c
Thuribulum quid mystice. 160.b.162.e
Thuribulum quod fertur ad Missam, quid designet. 152.b
Thuribulum in Missa. 66. a. *Ante Euangelium. pag.* 67.b
Thuribulum in Tribunal ascendit ante Euangelium pag. 160. b
Thuribuli mysterium. 686.d
Tiara. 64.a 65.b
Tiara sacerdotum in lege. 265.d
Timor sine pietate, ante Dei oculos nullus. 119.e
Tobias typus prudentiæ. 624.c
Tonsura clericorum, Passionis Christi signum, à Petro exordium sumpsit. 218.a
Tonsura ex Ecclesiæ est traditione & consensione introducta. 137.b
Tonsuræ Ecclesiasticæ origo, 16. d. 61. c. *quid designet.* 16.d. *eius figura seu forma cuiusmodi. ibid. cuius nos admoneat.* 265.b.411.c
Tractus aliquando lætitiam, aliquando tribulationem designat. 158.c
Tractus quando vsurpetur. 136.c
Tractus & Alleluia quid differant. 158.c
Tractus & Respons. quid differant. 158.c
Tractus, Qui habitat, quando & cur canatur. pag. 232.d
Tractus cantus tristitiæ, Alleluia iubilus lætitiæ. pag. 506.a
Tractus lugentium, Graduale pœnitentium lamentum est. 528.c
Traditio Christi sequenda in eius sacramentis. pag. 172.d
Traditio Ecclesiastica. 184.e
Traditiones & Maiorum instituta sequenda in rebus, de quibus scriptura silet. 100.d.636.a.b
Traditione maiorum Ecclesia multa obseruat. pag. 15.d.137.d
ex Traditione Apostolorum Symbolum habemus, quod Apostolicum dicimus. 28.d
Traditio Apostolica, pro defunctis orare, sacrificium

Universidad de Deusto
Biblioteca

ficium offerre. 7.a.297.c
Traditio Apostolica, quòd soli episcopi chrismate inungant baptizatos. 121.a
Traditio Apostolica Hieronymo, ante medium noctis in vigiliis Paschæ populum non dimittere. pag. 52.c.110.d
Traditio Apostolica, vt à ieiunis corpus & sanguis Domini accipiantur. 6.c
Traditiones hominum præferebant pharisæi traditionibus Dei. 514.d
Traditiones maiorum non sunt infringendæ. pag. 636.d.637.a
Traditiones Ecclesiæ seruandæ, generales quidem omnibus, particulares suis quæque locis. 634
Transitorium. 646.c
Transitus per mare rubrum, figura baptismi. pag. 554.c
Transitus patrum ex limbo in paradisum. Ibid.
Tres pueri in fornace, martyrium victorias præfigurauerunt. 524.a
Tres lectiones in nocturnis vigiliis tempore Paschali. 566.a
Tribunal gradus super quem ascendit diaconus lecturus. 159.d
Tricenarij numeri perfectio. 81.e
Triduum Christi in sepulchro, tribus temporibus mundi datum est. 558.a
Trinitas personarum, & essentiæ vnitas in Deo. pag. 71.e
Trinitatis festum, eius officia quis composuerit. pag. 405.c
Trinitatis festum quo loco Romani peragant. 656.c. quæ per octauam officiorum ratio. 656.b
Trinitatis commemoratio in principio Geneseos. pag. 553.c
Trinitatis opera personis appropriata quidem, sed indiuisa sunt. 555.c
Trinitatis sacramenta, tum in vita, tum in morte Christi. 558.c
Trium personarum appropriata nomina Pater, vita, Filius, sapientia, Spiritus sanctus, amor. pag. 598.d
Trinitas vnus Deus, & solus, solus quidem, sed non solitarius. 607.c
Trinitas longe supra dialecticæ intellectū est. 609.a
Trinitatis effigies in creatura rationali. 611.c
Trinitatis fides in antiquis patribus. 613.d
Trinitatis ostensio in baptismo & transfiguratione Domini. 729.c
Trinitas sancta & summa quid. 731.c
Tristis ne sis, bene viue. 42.a
Tunica linea. 64.b
Tunica linea stricta. 63.b
Tunica hyacinthina. 63.c
Tunica vestis episcopi, non presbyteri, rationem sublimium significat. 471.a
Tunica inconsutilis innuit, ne scriptura hæresibus scindatur. Ibid.
Tunicæ Pontificum. 718.d
Turonensis Ecclesiæ mos quidam. 199.e
Tympanistæ, adolescentulæ. 684.c
Typus in oblationibus populi. 688.d

V

VAsa consecrata clerici consecrati tantummodo attingant. 171.a
Vbi corpus illuc congregantur aquilæ. 587.d
Velantur virgines. 25.d
Vela cur ante altaria dependent in quadragesima. pag. 508.d
Velata facies Christi à Iudæis, ne videant eam. pag. 541.b
Velox cursus victoriæ Christi. 558.a
Venditi fuimus miserabili venditione, redempti gratis à Christo. 529.a
Veris iucunditas post hyemis tristitiam in paschate. 545.e
Verni temporis prærogatiua. 553.e
Veritas de terra orta Christus est. 371.c
Vesperum vnde sic vocatum. 8.d
Vesperi ad orationem quorum imitatione & cur conueniatur. 8.b
Vespertinum officium. 189.c
Vespertinale officium. 281.c
Vespertinale officium ante solis occubitum celebrari solitum. 231.c. circa xij. horam. 231.e
Vespertinali officio psalmi quindecim graduum cur attributi. 231.b
Vespere & laudes eodem modo peragantur. 651.a id à multis secus fit. Ibid.
Vespertinali in officio an responsorium sit cantandum. 190.a
Vesperæ quæ ad Dominicum diem pertineant, Benedictusne, an Dixit Dominus. 239.a
Vesperæ sabbatinæ ad præcedentem diem, non sequentem, pertinent, & sic de cæteris. 258.e
Vesperæ primæ festorum antiquitus solennius celebratæ, quàm secundæ ipsius diei. 238.d
Vespera prior cuiuslibet Dominicæ orationem Dominicæ diei habet. 400.d
Vesperæ secundæ ad ipsum diem festum pertinent. 238.e. quibus antiphonas festo conuenientes antiphonarij antiqui habent. 238.d
Vesperæ secundæ de festo eius diei seruandæ, nisi cum summa festiuitas minorem subsequitur. pag. 397.c
Vesperarum magna & multa mysteria. 466.b
Vesperæ & matutinæ habent octo partes, reliquæ solùm septem. 467.a
Vesperæ & matutinæ ordine hymnorum à cæteris differunt. Ibid.
Vespertini psalmi in quorumdam Sanctorum festis mutantur. 643.d. alioquin dicendi suo quique die. Ibid.
Vesperæ cum silentio in parasceue celebrantur. pag. 293.e
Vesperæ in Paschali hebdomada, qua solennitate agantur. 251.e
Vestes sacerdotales quæ sint. 269.e
Vestimentorum sacerdotaliū mysteria. 63.e.414.b
Vestes sacerdotales exemplum bonæ conuersationis populo exhibent. 142.d. quænam sint. pag. 145.c.147.c

Universidad de Deusto
Biblioteca

Universidad de Deusto
Biblioteca